Est 20
tab 7ª
nº 9

✠
BIBLIOTECA
DEL REAL MONASTERIO
DE HUERTA.
Núm. 298.

BIBLIOTECA PROVINCIAL
SORIA

Costoma 45 Vs. y el Porte
de Damian Jesero

Signt.ª Top.ª
Est. 2
Tab. 7
Núm. 9

R° 342.

MICHAELIS

# ETTMULLERI

PHILOS. ET MEDIC. DOCTORIS,

Hujuſque in Alma Lipſienſi ACADEMIA Profeſſ. Publ. & Practici olim per omnem Europam Celeberrimi,

# OPERA MEDICA

## THEORICO-PRACTICA,

MICH. ERNESTUS ETTMULLERUS

FILIUS, PHILOSOPHIÆ & MEDICINÆ DOCTOR,

Anatomiæ & Chirurgiæ in eadem Academia Lipſienſi Profeſſor Publicus Extraordinarius, & Illuſtris Academiæ Leopoldinæ Naturæ Curioſorum Collega,

*INNUMERAS, QUIBUS HACTENUS SCATUERUNT, MENDAS ſuſtulit, Hiulca ſupplevit, Luxata reſtituit, Superflua delevit, Aliquot ex Manuſcriptis Paternis Tractatus addidit.*

EDITIO NOVISSIMA.

QUAM PLURIBUS COMMENTATIONIBUS, VARIARUM MATERIArum Connexionibus, Correctionibus, in Medicamentorum Præſcriptionibus præprimis eſſentialibus, ac tamen in aliis omnibus Editionibus, magnô Juniorum Medicorum damnô, neglectis; ut & Notis Practicis Selectioribus illuſtravit,

JOH. JACOB. MANGETUS, MED. DOCTOR

& SERENISS. ac POTENTISS. REGIS PRUSSIÆ ARCHIATER.

*Opus in IV. Tomos diſtributum.*

## TOMUS TERTIUS.




GENEVÆ,

Apud FRATRES DE TOURNES.

M. DCC. XXXVI.

MICHAELIS

ETTMULLERI

PHILOS. ET MEDIC. DOCTORIS,

Philosophiæ in Alma Lipsiensi Academia Professoris Publici & Facultatis

ejusdem per Europam Celeberrimi.

# OPERA MEDICA

## THEORETICO-PRACTICA.

MICH. ERNESTUS ETTMULLERUS,

FILIUS. PHILOSOPHIÆ & MEDICINÆ DOCTOR &

Anatomiæ & Chirurgiæ in eadem Academia Professor Publicus

Ratisbonensis, & Illustris Academiæ Leopoldinæ Naturæ

Curiosorum Collega.

EDITIO NOVISSIMA

QUAM PLURIBUS ANNOTATIONIBUS, VARIARUM MATERIA-

rum Collectaneis, Clarorumque, de Medicamentorum, Morborumque Curationibus,

observationibus, ac tractatu de sectione Cadaveris, primi Medici Augustissimi

Caroli, Regis Poloniæ, ac Electoris Saxoniæ Publici,

JOH. JACOB MANGETUS, MED. DOCTOR

& Collegii Regii Londinensis Medici Vasorum Lymphaticorum

Cognitissimi, Illustratum.


TOMUS TERTIUS.



GENEVÆ,

Apud FRATRES DE TOURNES.

M DCC. XXXVI.



# MICHAELIS ETTMULLERI,

## PHILOS. ET MED. DOCT.

# OPERUM OMNIUM

## TOMUS TERTIUS

## *COLLEGII PRACTICI, LIBRI PRIMI.*

---

## SECTIO XVIII.

*De Sanguinis ex Partibus refluxu vitiato, & exinde orta Inflammatione, tam in genere, quàm in ſpecie.*

IN ſuperiori Sectione dictum, quòd Sanguis ex Corde diſtributus, in totum Corpus & omnes ejus Partes derivetur, ut in his partim Nutritioni inſerviat, partim in quibuſdam certam Fluidi ſeparationē patiatur ad Oeconomiæ Animalis integritatem maximè neceſſarii. Jam verò Sanguis non perpetuò ibi hæret, ſed uti per Arterias influxit, ita per Partes cribratus, naturaliter derivatur ex Arteriis in Venas, per Venas denuò refluit ad Cor: qui Motus vocatur Circularis, propterea quoniam inſtar Circuli ad id terminat punctum, à quo inchoavit. Jam verò, ſi Arteriæ plus devehunt, quàm Venæ revehere poſſunt, læditur etiam diſtributio ſeu *Motus Circularis* per Partes & Vaſa, unde plùs minùs vitiatur; idque vel

(1.) Quando *Sanguis in Parte quadam hæret*, ſtagnat, & in viis ſuis ſubſiſtit.

(2.) *Quando extra Partem effunditur* in ſingularem Corporis quandam cavitatem.

(3.) Quando *Sanguis planè extra Corpus effunditur.*

Sanguis ergò in ſuo Motu impeditus, & in quandam Partem ſolidam depoſitus, ſtagnat & hæret in Vaſis Capillaribus venoſis, & Partium ſpatiolis; vel in minori quanto, ita ut ſucceſſivè inſenſibiliter evaneſcere & diſcuti poſſit, id quod fit in *Contuſionibus*, & inde natis *Suffuſionibus*, v. gr. Caſu ab alto; vel hæret & congeritur in majori quanto Sanguis, unde uberiùs collectus Sanguis mox excandeſcit, ac moleſtum Caloris ſenſum in Parte quâdam ſenſili producit, donec ſenſim corruptus in *Pus* vel *Saniem* abeat: Unde prior mutatio vocatur *Inflammatio* ſeu φλεγμονὴ; poſterior verò *Abſceſſus* ſeu *Apoſtema*. Quando verò Sanguis in Corporis Cavitatem quandam, Humoribus naturaliter vacuam effuſus, v. g. in Pectus, vel cavum Abdominis, ac ibidem collectus in Pus mutatur, vocatur tunc *Empyema*. Quòd ſi Sanguis planè extra Corpus effundatur, generaliter *Fluxus Sanguinis* ſeu *Hæmorrhagia* vocatur; quod nomen licèt in ſpecie tribuatur Sanguini ex Naribus erumpenti, in genere tamen cuique Sanguinis extra Corpus Fluxui attribui debet, & etiam ſolet.

### CAPUT I.

*De Sanguinis in parte quadam Stagnatione.*

### ARTICULUS I.

*De Inflammatione in genere.*

REfluxus igitur Sanguinis quicunque impeditus ſucceſſivè *Inflammationem* conſtituit; quia enim Arteriarum Motus & per has Sanguinis Influxus eſt validus & impetuoſus, ac propter canales Arteriarum quintuplò craſſiores ipſis Venis, Refluxus ſit interruptus, & omninò perpetuus; neceſſariò fit, ut dum perpetuò influit, non tamen debitè poſſit refluere, ut exinde in Parte hæreat, hinc coacervetur, & coacervatus det *Tumores*, qui vocantur *Inflammationes*.

#### CAUSÆ.

*Cauſa Materialis Proxima* omnis Inflammationis

eſt Sanguis collectus & ſtagnans in Parte quadam, ob impeditum ſuum ex Arteriis in Venas refluxum, ita, ut plus influat per Arterias, quàm refluere valeat per Venas. Stagnatio hoc in loco eſt Nomen Metaphoricum, deſumptum ab Aquis, quæ plùs ad partem fluunt, quàm refluere poſſunt; nihilque aliud eſt, quàm ſi Sanguis influens non refluit, ſed coacervatur: Nempe ſi qualibet Pulſatione ʒß. Sanguinis per Arteriam influat, ſed ʒj. per Venas ſaltem refluat, remanet ʒß. qui ſtagnat, & dum continuatis Pulſibus ſemper major majorque Sanguinis hæret copia, ſic neceſſariò oritur Inflammatio. Quòd ſi verò in Parte inflammatâ nihil omninò refluere queat, adeòque reciprocus Spiritûs Influi fiat motus, à quo ſuſtentetur Inſitus, neceſſariò ſupervenit tandem *Gangræna*, dum Sanguis Spiritu Vitali Influo privatus corrumpitur & putreſcit, indeque Pars, ſuppreſſo Spiritu Inſito emoritur.

Jam verò cùm Sanguis, qui dat Inflammationem, ſit materia rubra ſpirituoſa & calida, ergò *calefaciet* Partes, & Pars neceſſariò exinde *rubet*: quia verò plus influit Sanguinis, quàm refluit, dum ita ſtagnat & in parte hæret, neceſſariò Pars *intumeſcit*, & cum à Tumore diſtendantur Parter fibroſæ, & hinc neceſſariò excitabitur Dolor, & conſequenter *Inflammatio*. Hæc ergo quatuor modò dicta Pathemata ſeu Symptomata in omni Inflammatione obſervabilia ſunt; ſunt enim *Signa Inflammationis Pathognomonica* à Celſo enarrata, nempe *Calor* ſeu Ardor, *Rubor*, *Tumor*, *& Dolor*.

Cæterum *Dolor*, qui adeſt, triplex in omni Inflammatione ſucceſſivè obſervatur.

(1.) *Tenſivus*,
(2.) *Pulſatorius*,
(3.) *Punctorius*.

*Tenſivus* propter Partes fibroſas & membranoſas, à Sanguine congeſto & ſtagnante diſtentas & convulſas: *Pulſatilis* vel Pulſativus, quia Sanguis influens repercuſſionem patitur, à cujus influxionis & repercuſſionis impetu fit Pulſationis ſenſus, & quidem à Fibrarum, Membranas Arteriarum, per quas Sanguinis motus debitus nonnihil impeditur, conſtituentium Spaſmo aut convulſivâ Tenſione, hinc ad Diaſtolen reſiſtentiâ, unde evenit ut Pulſationes ſenſiles percipiantur. *Punctorius*, qualis adeſt in omni Inflammatione, ubi Membranæ ſunt affectæ; & licèt hæ ipſæ nihil patiantur, tamen ſupervenit tandem Dolor Punctorius, dum ſuppuratur Inflammatio, & in Abſceſſum degenerat, ſuperveniens, ab acribus ſalinis acido ſalſis particulis, Partes nerveas acicularum inſtar pungentibus.

Hæc omnibus manifeſta ſunt in Parte externâ viſibili: Dolor Pulſatorius verò in Parte internâ, adeoque inviſibili, item interdum Gravativus Ardor, & denique Partis ordinaria Functio læſa, Inflammationem comitantur. Hinc obſervetur, quòd quia omnis Inflammatio eſt in Parte quâdam determinatâ tanquam in Subjecto, ſemper hiſce modò allegatis 4. Symptomatis, omni Inflammationi communibus, ſubinde ſimul prodeunt aut accedunt peculiaria quædam Symptomata, ex Partis ſpecialis Inflammatione, non Morbi ratione, nata. Sic enim v. g. Inflammationi Faucium *in Anginâ* ſimul Deglutitio læſa & difficilis; in *Pleuritide* difficilis Reſpiratio, ratione Partis affectæ ſuperveniunt. Et hæc Symptomata propria ſuperveniunt Inflammationibus, non quà talibus, ſed quatenus Inflammatio hanc vel illam Partem affligit, adeòque hujus Partis Inflammatio ſpeciale ſibi Symptoma adjunctum habet. Modò dicta quatuor Symptomata in Inflammatione Partis externæ ſunt ſenſibilia, in internâ verò non; unde cum ſenſu Ardoris, Doloris, &c. alia ſimul Signa, v. g. Febris ardens, conjungenda ſunt: Sic in Inflammatione Pedis res clara eſt, & quatuor illa Symptomata percipi poſſunt: ſi verò Pars aliqua interna eſt affecta, tunc alia concurrentia Signa conferenda ſunt: Sic in Viſceribus inflammatis ſemper ponderis gravantis ſenſus ſeu *Gravativus*, obtuſus Dolor, præter dicta ſimul accedit. Ponam exemplum: Quidam conqueritur de Dolore Gravativo in Hypochondrio dextro unà cum inſigni Ardore iſtius regionis: Pars ad tactum tumet, inſigniter calet, & ad retinentiam quandam intumeſcit, interiùs Dolor Pulſatorius profundus, admodùm moleſtus percipitur, Tuſſicula adeſt inanis, difficilis nonnihil Reſpiratio, Febris Continua acuta, &c. Hæc Signa conjunctim arguunt adeſſe Inflammationem Hepatis. Ergò hæc ſupervenientia poſteriora Signa innuunt Partem, quam Inflammatio iſta obſideat.

*Cauſa efficiens*, quare Sanguis ſtagnet, ſeu Inflammationum, eſt vel *Externa* ſeu Remota, vel *Interna* ſeu Proxima. *Cauſæ Externæ ſeu Remotæ* ſunt variæ, quæ Vaſa anguſtando occaſionem præbent, ut impediatur Sanguinis Motus; qualia ſunt quæcunque, quæ vel Partes & Vaſa arctè comprimunt, vel eadem anguſtant, vel quæ adſtringunt, v. g. fortiores Ligaturæ, & Vincula injecta, Luxationes, Fracturæ, Vulnera, Ulcera, Contuſiones graviores, v. g. Teſtium ex Equitatione violentâ, aut aliæ quæcunque res extraneæ violentæ: Sic Spinæ poſt Oſſa fracta, aut poſt Cranium contuſum altiùs eminentes ſemper Inflammationes inferunt. Item Repellentia ac Adſtringentia nunc inferunt, nunc exacerbant Inflammationes. Interdum ſola Tranſpiratio à Frigore intercepta Inflammationem excitat. Sæpiſſimè Fibrarum nervearum & tendinoſarum dolorificæ criſpationes, & contracturæ, & hinc natæ Vaſorum capillarium arctæ conſtrictiones, Inflammationem inferunt; hinc enim eſt, quòd quibuſcunque ferè Doloribus, in ſpecie Fibrarum nervearum læſionibus, frequenter ſuperveniant Inflammationes, aliique Tumores. Hæ ſiquidem irritatæ Spaſmo convelluntur, quibus convulſis dura redditur Pars, unde Pori non tranſmittunt Sanguinem, ſed Pars tumet & inflammatur: e. g. Dolori Dentium ab acido, radicem Dentis nerveam morſicante & vellicante, ſupervenit totius Malæ, & Capitis ipſius Affectus inflammatorius, de quo vid. *infrà l. 2. Sect. 2. Cap. 3. Art. 2. ubi de Odontalg.* quia Fibræ nervoſæ & muſculoſæ vicinæ ex Dolore per conſenſum affectæ ſe criſpant, & levi quaſi Spaſmo ſe contrahunt, quâ criſpaturâ Venæ capillares coarctatæ liberum Sanguini tranſitum denegant, unde poſtmodùm Tumor & Inflammatio ſupervenit: Hinc & in Arthritide ex ſimili cauſa Tumor inflammatorius, ut plurimùm eryſipelaceus, ſupervenit; item in punctura Veſpæ, aut intruſione Spinæ. Talis Tumor non eſt Cauſa Affectûs, ſed potiùs Effectus, ſeu Productum ejus & conſequens Doloris, & dependet ex criſpatione fibroſarum Partium. Unde ridicula eſt ea Cura, quæ ad Tumorem, tanquam Affectum, dirigitur. Qui enim tales Tumores ſimpliciter curant, ad poſterius Curam dirigunt; econtrà modò Cauſa dolorifica removeatur, ipſeque Dolor ſiſtatur, omnis Tumor & præcavetur, & incipiens mox denuò curatur.

*Cauſæ Internæ* ſunt *in Sanguine* ipſo influente, nempe Sanguinis Motûs circularis æquabilis ineptitudo per quævis Vaſa capillaria; vel eſt *in Parte* recipiente vitium, nempe quodcunque illud, cujus occaſione

occaſione Viæ & Partes anguſtatæ ineptæ fiant, ut Sanguinem debitè non tranſmittant.

*Sanguis ad Motum circularem ineptus eſt* duplici modo:

1. Quando nimis eſt *viſcidus & craſſus* ob Seri defectum ejuſque nimiam abſumptionem, quod tamen rariùs evenit; aut propter Chyli crudioris ac glutinoſioris ſeu Pituitæ viſcidæ congeſtionem.
2. Quando idem Sanguis nonnihil *congrumatus*, aut quaſi ſemicoagulatus in quodam loco ſiſtitur & coacervatur, hinc ita ſubſiſtit & Inflammationem ita infert.

Diſpoſitio hæc ad Grumeſcentiam Sanguinis oritur ab Acido quodam vitioſo occulto, & nimis exceſſivè Sanguini permiſto: quippe per Experientiam cognitum, hoc potenter coagulare Sanguinem; ita quidem, ut quò plùs peccet Acidum, eò magis Sanguis ad Grumeſcentiam diſponatur; ſive Lympha nimis acida, ſive res quædam externa, ſive aliud quid, ipſi acorem imprimat. Quod confirmatur non tantùm per Experientiam, dum Sanguis in Liquorem acidum immittitur, ſed etiam ex infuſione Liquoris acidi in Venam Canis. Hinc enim omnes Inflammationes eryſipelaceæ ex Grumeſcentiâ aliquali Sanguinis, factâ ab Acido occulto, inducente tales Coagulationes, originem ducunt: Hinc ver. gr. à ſubitaneo Frigore, poſt nimium Corporis motum ac incaleſcentiam, Partibus internis ſubitò communicato, ſubitò quoque ſpiſſatur &. condenſatur Sanguis calidus, nimis attenuatus ac reſolutus, unde Internæ Inflammationes, in ſpecie Pleuritis & Angina: hinc expoſitio Corporis concalefacti Aëri frigidiori, immerſio ejus in Aquam frigidam. Sanguinem ad ſui Coagulationem, & hinc ad eadem Mala diſponere ſolet; aut Potus frigidus poſt nimia Exercitia, in nimio Æſtu ac Corporis Calore, copioſiùs ingeſtus, ſæpius dant Pleuritides aut Peripneumonias ex Sanguine in Præcordiis condenſato & nonnihil coagulato, circa Pulmones ac Pleuram ſubinde ſubſidente, ac Inflammationes excitante: vid. Sylvius *de Inflammat.* Sed rarior ex recenſitis Cauſis eſt Inflammatio: Nam vel Univerſalis in toto Corpore, aut unâ quâdam Parte, aut pluribus Partibus ſimul, fieret Sanguinis ex Cauſis iſtis Stagnatio; aut danda foret ratio, quare præcipuè in hac, non verò in aliâ parte fieret talis Stagnatio, adeoque ſic ad Partem inflammatam ſimul reſpiciendum erit.

Hæc duo, *Spiſſitudo* ſcilicet *Sanguinis*, & ejus *Grumeſcentia* aliqualis, ferè ſunt *Cauſæ Univerſales* Inflammationum Spontanearum, ſeu ab internis Cauſis ex Sanguinis vitio enatarum: Ubi obſervandum eſt, Internas Inflammationes omnes, v. g. Pulmonum, Ventriculi, &c. eſſe acutas, imò interdùm peracutas, (nam Pylori Inflammatio vix ad quartum diem durat,) cùm omnes ſint de genere Eryſipelatum.

Probatur Sanguinis Grumeſcentia, hinc quævis Inflammatio, & quævis cætera Symptomata aut ſupervenientes Affectus, ab ejuſdem Aceſcentiâ, ex eo

(1.) Quòd in Pleuritide, ceu Inflammatione, ſpontaneâ de Cauſâ enatâ, frequentiſſimâ, Sanguis Venâ ſectâ extravaſatus, dum fluit, ſemigrumoſus appareat; de quo *vid. infrà.* Id quod non tantùm Helmont. *Tract. Pleura Furens*, item Williſius *de Febribus c.* 11. teſtatur, ſed præterea Exempla ſuggerit Gabelchoverus *c.* 4. *Cur.* 70. *&* 79. ubi affirmat, ſe in Sanguine Pleuriticorum ſectâ Venâ eductos Grumos, Germ. *ganze Klumpfferich*, uti loquitur, vidiſſe, ex aliquali Sanguinis Coagulatione & Grumeſcentiâ.

(2.) Sanguinem craſſeſcere & congrumeſcere probatur ex *Curâ*, quòd nempe Inflammationes quælibet Internæ, remotis Cauſis externis, eas plùs minùs foventibus, omnium optimè internè per talia curentur, quæ Sanguinem grumoſum diſſolvere, attenuare, & fluidum reddere poſſunt, quia Acidum vitioſum abſorbere & corrigere, & vi diaphoreticâ Sanguinem mobilem reddere, atque per Sudorem vel Urinam ejicere valent. Hinc enim omnia Salia volatilia, & in genere ea Remedia, quæ in Caſu ab alto ad Sanguinis Grumos extravaſatos diſſolvendos commendantur, v. g. Lapilli Cancrorum, Dens Apri, Flores Bellidis, Papaveris rhœados, Sperma Ceti internè & externè, & ſimilia.

(3.) Externæ Inflammationes quævis, in ſpecie Eryſipelaceæ, per talia Externa, Inflammationes diſcutientia & reſolventia, tolluntur; qualia ſunt quæ Acidum corrigunt, iſtudque abſorbent, verb. grat. per applicatam Cretam, Farinam tritìceam, Fabarum, Pulverem Florum Sambuci, Chamomillæ, Camphoram, Myrrham, Spiritum Vini, Aquam Calcis vivæ, Decoctum Sulphuris, Lac Virginis, Ceruſſam, Minium, Sperma Ranarum & ſimilia applicata; & hæc omnia Inflammationes à Cauſâ internâ, nempe Sanguine congrumato, ortas tollunt.

*Altera Cauſa Interna*, nempe *vitium Partis recipientis*, Sanguinem non debitè tranſmittentis, præter Spaſmum Fibrarum & inde Vaſorum anguſtationem, de qua *ſuprà* dictum, obſervandum eſt, quòd ſubinde Aptitudo quædam certa in quibuſdam Partibus inſit talis, ut ex levi quacunque occaſione inflammentur: Videmus enim, quod ſemel in Parte quâdam facta Inflammatio à Cauſâ interna, ſubinde in eâdem Parte recurrere ſoleat. *Prius* quod attinet, Diſpoſitio iſta ſeu Aptitudo prompta ad Inflammationem in Parte, conſiſtit imprimis in nimiâ Partis Senſibilitate, ideoque Irritabilitate, Dolore &c. hinc enim Partes nerveæ faciliùs quàm ſanguineæ inflammantur, Oculi faciliùs quàm Genæ, & ſic porrò. *Quoad poſterius*; Quidam quotannis laborant Pleuritide, alii Eryſipelate Suræ, ita ut facilè recurrat Malum in eâdem parte: Angina & Inflammationes Tonſillarum ſemel factæ, ſi non benè curentur, facilè vel datâ externâ ſaltim Cauſâ ſeu Occaſione, recurrunt in eâdem Parte; Ubi vulgò dicunt Autores, remanere in Parte ſemel inflammatâ certam Diſpoſitionem, ſecundùm quam Inflammatio ſemel affligens denuò renovetur. Quæritur in quonam hæc Diſpoſitio conſiſtat? Helmontius quidem rectè allegat, *ſubeſſe Robur inæquale Partium*, idque per Ideas in Archeo depictas exponit. Sed non ſatisfacit ſcrupulo; ſiquidem hîc triplex reverà ſubeſt Ratio, cur Pars ſæpiùs in eundem Affectum incidat: nempe

1. *Debilitas Spiritûs Inſiti.*
2. *Atonia Partis ſemel inflammatæ.*
3. *Relicta Spina ſeu Fermentum acidum occultum* poſt Inflammationem, quod facilè vel *internis* Occaſionibus, verb. grat. Iræ excandeſcentiâ; vel *externis* Diætæ erroribus, commoveri, Sanguinem afficere, & ad Stagnationem diſponere denuò poteſt.

1. Debilitatem *Spiritus Inſiti* & Atoniam quod attinet: certum eſt, quòd Pars ſemel inflammata,

ſive diſcuſſa, ſive, idque imprimis, ſuppurata fuerit Inflammatio, neceſſariò debilitetur, ac plùs minùs enervetur Spiritus Inſitus, ob denegatum liberius cum Influo commercium; ſimul quoque partim eroduntur Fibræ, partim diſtenduntur, ac alio modo læduntur. 2. *Fibræ* autem hæ ſemel relaxatæ, diſtentæ ac laceratæ, non ampliùs in debitum *tonum* coëunt, & hinc pori Partis transformantur, & Pars debilis manet, ut vel levi datâ in Maſsâ Sanguineâ occaſione facilè poſſimodùm Sanguis in ſuo motu legitimo impediri poteſt, unde circa eandem Partem Sanguis hæret & extravaſatur. 3. Quod autem attinet *Fermentum* poſt Inflammationem reſiduum; certum eſt, ſi in Parte curatâ tantillum odoris fermentativi remaneat, imprimis ſi Abſceſſus ſuppuratus, ſeu Inflammatio ſuppurata non probè & exactè mundificetur, etiam poſt conſolidatum Ulcus Inflammatio recurrit; tum enim odor fermentalis acidus reſiduus manet, qui partim Partes ſenſiles irritando, ſi excitatus fuerit, Fibrarum criſpationem efficit, partim ſuo quaſi odore & contagio Sanguinem præterfluentem ſimul diſponit ad faciliorem ſui Coagulationem, adeoque ſubſiſtentiam & Inflammationem: ità enim in Ulceribus, ſi iiſdem nonnihil Fermenti purulenti remaneat, videmus eadem recrudeſcere. Ex quibus patet, Cauſam Inflammationis eſſe partim in Parte ipsa.

Attendendum etiam, *an ſub Inflammationibus concurrat ſimul aliqualis Plethora*, ſive reverà talis, ſive ex Conſuetudine? Nam tali ſub occaſione copioſior Sanguis ſtagnare, & Inflammationem inſigniter promovere ſolet. Hinc ii, qui aſſueti ſunt annuis Phlebotomiis aut Scarificationibus ſæpiùs repetendis, ſimul atque ſi hæc intermittuntur, facilè in Inflammationes crebriùs recurrentes incidunt, ipſas tamen ferè præcavent ordinariis & adſuetis ſuis Sanguinis diminutionibus. Novi hîc Mulierem non ignobilem, quæ niſi ſingulis menſibus aut poſt bimeſtre ſaltem ſpatium utatur Scarificationibus, ordinariò Tonſillarum, & Faucium Inflammationi eſt ſubjecta. Concurrit nempe hîc Plethora ſecundùm quid, ſeu à Conſuetudine contracta, in qua Sanguis è ſuo naturali puncto deflectit, in motu ſuo impeditur, & ſic Inflammationem inducit.

Et hæc ſunt *Eryſipelata* & *Pleuritides recurrentes in eodem loco.*

Obſervandum autem hìc eſt ulteriùs, *Internas Inflammationes* quaſcunque, v. g. Pulmonum, Ventriculi, &c. omnes eſſe *Acutas*, interdum *Peracutas* cum Febre Ardente continuâ, interdum typum Tertianæ obſervante, conjunctas, & ſunt omnes de Eryſipelatum genere; nam v. g. Pylori Inflammatio vix ad quartum diem durat.

Sanguis ergò extravaſatus plùs minùs, ac in Parte ſtagnans, non ibidem quietus hæret, ſed dum ejus Spiritus volatilis evaneſcit, coagulatur & Acorem contrahit, qui Acor cum Sale volatili oleoſo adjuncto Efferveſcentiam concipit, ſub qua Sanguis impensè incaleſcit, turgeſcit, ac in Pus corrumpitur, quod *Suppurare* dicunt: Ratio hujus eſt, quia Sanguis præternaturaliter extravaſatus, ſuis partibus volatilibus balſamicis deſtitutus mox corrumpitur, aceſcere incipit (Acor enim præter naturam vitioſus Corruptionis individuus comes ſemper eſt) & in Grumos abit: Quæ vitioſa Aciditas in Sanguine extravaſato oborta, uti ſpiſſat & coagulat primitùs Sanguinem, ita poſtmodùm cum Sale volatili oleoſo in Sanguine abundante, & ſucceſſivè magiſque emergente, Maſſam Sanguineam fermentando, imò interdum acriter efferveſcendo, Calorem intenſum & Tumoris ſucceſſivum augmentum efficit, ſub quo fermentativo motu ſucceſſivè Sanguis corrumpitur, ita ut tandem Salia efferveſcentia mutuo concurſu ex Sanguine alterato & corrupto aliam Subſtantiam, tertium Salſum, nempe *Pus*, quod eſt craſſum, moderatè ſalſum, grumoſum & album, conſtituant: Nam omne Pus eſt *ſalſum*, ſi eſt laudabile & naturale, quia natum ex concurſu Acidi vitioſi, & Urinoſi, ex quibus ſemper & neceſſariò ſubſaleſcit; Eſt *album*, quia ab Acido præcipitatur Sulphur Sanguinis, ſub Efferveſcentiæ motu ab Alcali ſolutum; exinde enim emergit Color lacteus. Illuſtrabo: v. g. ſi Sulphur aut Pinguedo quæcunque ſolvatur ab Alcali fixo vel volatili, emergit Solutio rubra; huic autem ſi inſtillatur Acidum, dat Præcipitatum lacteum. Jam ſimiliter ſe habet Maſſa Sanguinea: ſi ſolvens plùs minùs dominatur, Alcali, emergit rubedo, quæ præcipitata per Acidum, Colorem album exhibet, & ita Efferveſcentia ceſſat, quâ ceſſante, in Sal tertium, ſcilicet Salſum, mutata ſunt ambo, & tunc perfecta eſt Suppuratio, quâ evacuatâ, cavitas remanet in Parte, vocata *Apoſtema* ſeu *Abſceſſus*. Conf. hic Sylvius *l.* 1. *Prax.* ubi *de Inflamm.* item Beckius *de Experim. circa Rer. natur. Princ. p.* 46. *Craſſum* eſt Pus, quatenus ipſe Sanguis, ex quo ortum eſt, plùs minùs fuit craſſus.

*Ardor*, qui in Inflammatione perquàm ſenſibilis, eſt ex Acidi volatilis motu concitatiori; adeoque pro hujus plùs minùs acrioris cum Alcali, etiam plùs minùs acriori, plùs minùs factâ Efferveſcentiâ majori, cætera Symptomata, *Ardor*, *Roſio*, *Punctio* &c. plùs minùs intendi quoque ſolent. Idem Acor vitioſus, ſive Sanguinem purum coagulando ad Inflammationem diſponat, ſive Inflammationi ex aliâ causâ obortæ ſuperveniat, efferveſcendo in tota Maſsâ Sanguineâ cum ejus Sale volatili, Cauſa eſt adjunctæ *Febris Continuæ Ardentis Symptomaticæ*, qualis in omni Inflammatione Internâ adeſt; & eſt *tam Acuta*, ut in Inflammationibus Partium internarum à Causâ internâ enatis, v. gr. in Pleuritide, Hepatitide, &c. *quàm Lenta*, ſuperveniens nempe Inflammationibus Partium quarundam externarum à Causâ externâ ſubortis, v. g. in Inflammatione Mammæ ex Lactis grumis, &c.

*Dividunt* vulgò *Inflammationes* in *Legitimas* & *Illegitimas*. *Illas*, quando Sanguis benè conſtitutus Inflammationes excitat; *Has* verò ſeu Illegitimas in *Bilioſas*, *Pituitoſas*, *Melancholicas*, &c. diſpeſcunt, non propter tales Humores Sanguini permiſtos, ſed propter variam Sanguinis Craſin, ac inde natam Temperiem, de qua in *Phyſiol. de Temperam. cap.* 2.

## DIAGNOSIS.

*Signa Inflammationum ſuprà* ſunt recenſita: nempe

1. *Tumor* renitens ad tactum.
2. *Rubor.*
3. *Calor* ſeu *Ardor* Ægrum, ac attrectantis manum afficiens.
4. *Dolor* urens, tenſivus, pulſatilis, punctorius, & etiam gravativus, dum Pars à Sanguine diſtenditur, & gravando diſtendit Partes, quibus eſt annexa: & quibus denique ſemper accedit *Febris*, ſive Symptomatica ſive Comitata, plùs minùs Acuta, conjuncta cum Inflammationibus à Causâ internâ excitatis.

Satis per ſe patent hæc Signa in Parte viſibili, in inviſibili verò Parte Dolor pulſatorius, Ardor, Febris, & denique Partis ordinaria Functio

plùs

plùs minùs læsa Inflammationem innuunt : quibus in specie accedunt Signa unicuique Parti læsæ seu inflammatæ propria & specialia, quæ nempe aliter se habent in Faucibus, aliter in Pleurâ, aliter in Pulmonibus, aliter in Ventriculo inflammatis.

Signa Particularium Inflammationum *inferiùs suo loco* habebimus.

## PROGNOSIS.

Inflammatio vel suâ sponte recurrit, vel non recurrit : *Istud*, quando Sanguis nondum perfectè extravasatus aut congrumatus fuit, quin relaxatis Fibris aut apertis Poris idem stagnare incipiens, denuò per Venas regurgitat, sive purus fuerit, sive sordibus heterogeneis, in quandam Partem depositis, & ita Inflammationem occasionaliter inferentibus permistus; id quod probè notandum est in Tumoribus Partium Criticis semper cum Inflammatione junctis : *Dum non recurrit* Inflammatio, omnis in genere, vel discutitur, vel suppuratur, vel scirrhescit, vel gangrænescit.

Unde Inflammationis *Prognosis* duo involvit. *Eventum* ipsum, & *Morbi Tempora*. *Eventus* observatur bonus & malus : *Bonus* scilicet, si Inflammatio seu Materia peccans vel insensibiliter discutiatur & planè dissolvatur (id quod fit imprimis ab operante & prædominante Alcali, dissolvente Sanguinem grumosum) & ita, vel in alia Vasa remeet, vel insensibiliter transpiret; & est optimus & brevior finiendi modus, & Inflammationi exiliori non adeò profundæ & quæ à Causâ externâ magis dependet frequens est : hinc est iste, quando Sanguis ille extravasatus non resolutus suppuratur, & abit in Abscessum, id quod fit ex aliquali Motu fermentativo Acidi & Alcali, quæ ambo coëunt in Salsum tertium : *Malus*; & quidem *Toti* aliisve Membris si evanescat quidem, & insensibiliter resolvatur Inflammatio, cum aliorum tamen Symptomatum accessu atque incremento; *Parti verò affectæ*, si in Gangrænam aut Scirrhum abeat. Nam ab Acido nimis inspissante, abundante & prædominante Sanguis in Tumorem penitus induratur, ac in Scirrhum abit, quod malum est, propter Tumorem contumaciissimum & curatu difficilem; nisi enim Scirrhi cautè & leniter tractentur, Humores tales Effervescentiam concipiunt, & facilè in Cancrum exulceratum degenerant, cùm Cancer occultus & Scirrhus dolens in paucis differant. Inflammatio verò ista, quæ ex omnimodo Sanguinis, & Spirituum in Parte motu impedito, & ita ejus mortificatione ac destructione in Gangrænam abit, omnium periculosissima & pessima est, dum Acido vitali spirituoso destructo, Sanguis & Pars in Putredinem dilabuntur.

Aliàs *Eventûs boni & mali Signa* quoque petuntur

1. A *Subjecto*, cujus intuitu Inflammatio in Juvenibus, & bonæ constitutionis Hominibus, in Parte externâ & carnosâ, minùs periculosa ac in Senioribus ac Cachecticis, in Visceribus & Membris nerveis, existit.
2. A *Magnitudine*, cujus ratione major & ampla Inflammatio plus periculi, quàm minor, involvit.
3. A *Tempore* & *Loco*, quorum intuitu graviores, quæ Anni tempore fervidiore & in Regione calidiore, quàm quæ in Aëre & Locis temperatis aut frigidioribus emergunt.

*Tempora* Inflammationis quod spectat : *Principium* ejus dicitur, ubi Tumor, Dolor, atque Extensio adhuc exilior; quæ Symptomata si augeantur, *Augmentum* Morbi dicitur : quemadmodùm *Status*, si cuncta fuerint vehementissima; & *Declinatio*, si Symptomata remittant, sive cum Materiæ insensibili discussione, sive Suppuratione hoc fiat. Quæ Tempora modò longiora modò breviora sunt, adeò ut nonnullæ Inflammationes citiùs, aliæ tardiùs terminentur, tam pro diversitate Materiæ, quàm Partis affectæ. Nam quæ à Sanguine viscidiore, atque crassiore dependet Inflammatio, tardiùs; quæ à tenuiore & fervidiore, citiùs; pariter, quæ in Partibus carnosis, facilius, quæ in tendinosis, difficiliùs curatur, & lento magis motu progreditur.

## CURA.

Positis his fundamentis facilis est accessus ad *Curam*, pro qua in omni Inflammatione in genere observandum est, ut Sanguinis Stagnatio tollatur & Motus naturalis & circularis restituatur in integrum; id quod fit, vel impedimenta quævis externa, Sanguinis Motum intrinsecùs inhibentia, *removendo*, vel internè Sanguinis Grumescentiam crassiorem & Acescentiam *corrigendo*, sive eadem fiens præcaveatur, sive eadem jam facta resolvatur.

Adeoque quoad has

I. Sanguinis tenuitas & fluiditas conservanda, & circulus ejus concitatior reddendus per *Sudorifera*, præsertim alcalinæ naturæ, tam *Fixa* quam *Volatilia* : *Illa* Acidum, Sanguinem plùs minùs coagulans, Absorbentia : *hæc* eundem positivè Dissolventia & Attenuantia, expectato Sudore, optimè conducunt.

II. Fermentum vitiosum acidum in Parte affecta *corrigendum*, aut quodvis aliud Heterogeneum *removendum*, id quod tàm *Interna* quàm *Externa* præstant.

*Interna* sunt *Absorbentia Fixa*, aut *penetrantia Volatilia* cum Sudore administrata; adeoque Sudorifera Inflammationibus quibusvis conducunt. Jam verò patet, quòd in Inflammatione ab Acido interno orta, tam præservativè quàm curativè nil melius conferat, quàm ea Remedia, quæ Sanguinem viscidum & grumosum attenuare ac resolvere, acescentem corrigere, & ita eundem mobiliorem & fluidiorem denuò facere, naturalemque motum ipsi restituere possunt. Hinc Sudorifera, & omnia aliàs ad Casum ab alto commendata, optima erunt in Curationibus omnium Inflammationum, tam Internarum quàm Externarum, in specie Erysipelacearum. Præ cæteris autem ea Sudorifera conducunt, quæ Sanguinem grumosum speciatim resolvere valent; sub omni enim Sudore Acidum imminuitur, Sanguis tenuior ac fluidior redditur, & sic in naturalem circulum rapidiùs magis concitatur; unde in omni Sudore Pulsus est frequentior ac robustior, & percipitur, ut vocant, undosus : Hinc facilè patet, quòd hîc Sudorifera præ cæteris conveniant.

Hæc inter autem Sudorifera, Salia volatilia imprimis palmam obtinent, utpote cùm omnia hæc egregiam potentiam habeant coagulata & conglutinata omnia in Corpore humano dissolvendi, eademque ad debitam fluiditatem deducendi, simulque Sudorem movendi. Hinc est, quòd exhibito tempestivè in principio Morbi unico Sudorifero, ex Salibus volatilibus aut similibus parato, sæpiùs Pleuritides absque ullâ Venæsectione in Inflammationibus minoribus, & Subjectis non adeò Plethoricis citò, tutò & jucundè curatæ fuerint. Id quod similiter de omnibus aliis Inflamma-

tionibus intelligendum; horum nempe medio Sanguis discutitur partim, partim in naturales alveos deducitur. Ubi hoc, nempe insensibilis Discussio, obtineri nequit per sola Sudorifera, sed Inflammatio persistit, tunc ad secundum Scopum accedendum; nempe Externis Discutientibus seu Aromaticis carminantibus, Sale volatili temperato constantibus, applicatis dissipanda est Inflammatio. Quòd si verò nec hæc sufficiant, tertius Scopus in auxilium vocandus, & Suppurantibus & Maturantibus Sanguinis extravasati ac coagulati in Pus transmutatio maturè promovenda, & denique factus Abscessus aperiendus, mundificandus & consolidandus. Interim cum bini hi Scopi ad Chirurgiam spectent, ideò eos infrà tractabimus.

Inter Remedia ergò *Interna*, ad Inflammationes in genere proficua, nullo modo conveniunt *Purgantia*, nisi (ceu jurati servi semper, ubi nempe neque Morbus, neque Symptoma urget, Universalia præmittere velimus) interdum primas vias propter junctam sæpiùs Febrem simpliciter blandè evacuare velimus. Alvo tamen in cursu Morbi adstrictâ *Clysteres* injiciantur ex *Sero Lactis* cum ℥iß. vel ℥ij. *Mellis*:

Vel

℞. *Flor. Chamomill.* M. ij.
Coqu. in s. q. *Seri Lactis*:
*Colaturæ* ℥viij. vel ix. adde
*Butyr. rec. cum Vitello Ovi sol.* ℥j.
*Mellis* ℥iß.
M. f. Enema: S.
Clyster Abluens.

Quin potiùs *Sudorifera* Alcalia blanda, quæ Sanguinem congrumatum resolvunt, ejusque circulum restituunt, huc faciunt. Unde omnia illa, quæ aliàs in *specie ad Pleuritidem*, ceu frequentissimam internam Inflammationis speciem, commendantur, & infrà declarabuntur, similiter in omni Inflammatione in genere conveniunt; ob id in specie utilia dixi Salia volatilia, quæ inter sunt Spiritus Tartari, Spiritus Salis Ammoniaci, Urinæ, & Sal volatile Cornu Cervi, Sanguinis humani, Ossium humanorum, & similia. Item huc pertinent alia tali Alcali occulto imprægnata Concreta, Acidum potenter absorbentia, v. g. Animalium partes duræ, ut Lapilli Cancrorum, Mandibulæ Lucii Piscis, Dens Apri, Cornu Cervi sine igne præparatum, Ebur sine igne, Unicornu, Lapides Carpionum &c. quibus adde Sulphur, & Sulphurea Mineralia, & Metallica fixata, præsertim Antimonialia, quæ Acidum quodcunque in Corpore destruunt & Sudorifera sunt, quæ inter primatum obtinet v. g. Antimonium Diaphoreticum, item Bezoardicum Minerale, tam simplex quàm compositum, & similia: Quin & modò dictis addenda Theriaca, Spiritus Theriacalis, tam simplex quàm camphoratus, Liquor Cornu Cervi succinatus, in specie ratione Camphoræ Mixtura Simplex & Tinctura Bezoardica à ℥ß. ad ℥j. in principio Inflammationis propinanda, præsertim si oriatur ista ex subitaneo Corporis Frigore quocunque post nimium ejus Æstum; tales enim Inflammationes citò, tutò, & potenter dissipat. Faciunt quoque huc omnes Pulveres Bezoardici vulgò dicti, Sennerti & quicunque alii, utpote quorum Ingredientia non tantùm Acidum absorbendo & temperando, sed & Sudorem excitando, suo modo Inflammationes sistere solent.

His omnibus simul adduntur Sperma Ceti, ac Cancrorum Lapilli cum Aceto assumpti, & omnia Vegetabilia Vulneraria, Alcali plùs minùs occulto temperato prædita, Sanguinem congrumatum resolventia, v. g. ea, quæ ex Chærefolio, Bellide minore, Flore Sambuci, Menthâ, Scabiosâ, Papavere rhœade (quorum Tincturæ in Julepis) fiunt Remedia: uti etiam Remedia ex Sambuco, quia hic est egregius in Erysipelate; superiùs enim monui, omnes Inflammationes Internas semper esse de naturâ Erysipelatum, adeoque Florum Sambuci Spiritus, Baccarum Sambuci Essentia & Rob, nec non ex variis Plantis Antiscorbuticis aut similibus acribus petita Remedia, qualia sunt ex Nasturtii speciebus, Cochleariâ, ex Erysimo & similibus parata conducunt. Præ cæteris Spiritus Nitri dulcis, in specie cum Spiritu Florum Sambuci per fermentationem paratus, ad ℥ß. in Aquâ Chærefolii cum Syr. Papaveris rhœados propinatus, ceu appropriatum Remedium Sudoriferum in Inflammationibus quibuscunque Internis, præsertim quando Febris Ardens acuta simul urgeat, imprimis in Anginâ & Pleuritide similibusque, admodùm est commendatum Remedium, imprimis tamen in Anginâ; quin & omnia *Nitrata*, ratione Febris conjunctæ conveniunt, in specie tam Nitrum depuratum, quam Nitrum antimoniatum, à præparatione & edulcoratione Antimonii Diaphoretici, Antihectici *Poterii* relictum, in Potu ordinario dissolutum, idque plùs minùs copiosè, prout necessarium fuerit. Exempli gratiâ paucas Formulas subministrabo, quibus Internæ quæcunque Inflammationes quarumcunque Partium facilè sisti & tolli possunt: v. g.

℞. *Aquæ Scabios.* vel *Fumar.*
*Flor. Samb.* an. ℥iß.
*Spiritûs Theriacal. simpl.* vel *camph.* ℥iij.
*Dent. Apri præp.* ℈j. vel ʒj.
*Sal. vol. Cornu Cervi* gr. xv. ad ℈j.
*Syr. Scabios.* vel *Violar.* ʒvj. vel ℥j.
M. pro duabus vel tribus dosibus: S.
Mixtura Dissolvens pro aliquot vicibus.

Usurpetur pro scopo sudorifero in principio Inflammationum, habitâ ratione Venæsectionis.

Quibus etiam pro circumstantiarum ratione *Opiata* addi possunt. Aut hujus loco

℞. *Unicorn. veri præp.* vel *fossil.*
*Maxill. Luc. pisc.*
*Cornu Cervi sine igne* an. ℈j.
*Sal. vol. Cornu Cervi* gr. xv.
*Laud. Opiat.* gr. ij. vel iij.
M. pro duabus vel tribus dos. in haustulo Vini capiendis, expectando Sudorem. S.
Pulvis Dissolvens.

Vel loco horum, ac in *Incremento* Inflammationum, ubi Ardor & Calor urget,

℞. *Aqu. Flor. Sambuc.*
*Chærefol.*
*Papav. errat.* an. ℥j.
*Aceti Sambuc.* ʒiij. vel ℥ß.
*Maxill. Luc. pisc.* ℈ij.
*Lapill. Cancr. præp.* ℈j. ad ʒß.
*Syr. Papav. errat.* ℥j.
M. pro duabus vel tribus dos. expectando Sudorem: S.

Mixtura Refrigerans & Dissolvens pro aliquot vicibus.

Vel

℞. *Aquæ Flor. Sambuc.*
*Card. bened.* an ℥iß.
*Aceti Sambuc.* ʒvj.
*Maxill. Luc. pisc.* ℈ij.
*Lap. Cancr. præp.* ʒß.

Syr.

*Syr. Pap. rhœad.* vel *Rubi Idæi* ʒvj.
M. pro duabus doſibus : S.

Mixtura Refrigerans & Diſſolvens pro duabus vicibus.

Notandum : conſultò his Mixturis additur Acetum; licèt enim illud cum Lapillis Cancrorum efferveſcat, non tamen penitus ſaturatur, ſed hoc ipſo Lixivii naturam aſſumunt, & in ſaporem urinoſum mutantur, ut dicit Helmontius, ac potentiùs vitioſa Acida abſorbere, Sanguinemque grumoſum mediante Sudore diſſolvere valent, uti Sylvius teſtatur ſe habere ex Helmontio; id quod probatur : ſi enim Acetum Marinis affunditur, hæc longè meliùs operantur, quàm ſi ſolitariè aſſumerentur.

Vel

℞. *Lap. Cancr. præp.* ℈ij.
*Ebor. ſine igne* ℈j.
*Laud. Opiat.* gr. ij.

M. f. Pulvis pro duabus doſibus in hauſtu *Vini Rhenani* aſſumendis, vel in parvo cochleari *Aceti*, expectando Sudorem. S.

Pulvis Diſſolvens.

In *Progreſſu* vel *Statu* morbi, & imprimis quando nimis urget juncta Febris Acuta.

℞. *Aquæ Flor. Samb.*
*Card. bened.* an. ʒiß. ad ʒij.
*Antimonii Diaphor.* ʒj.
*Syr. Card. bened.* aut *Pap. errat.* vel *Acetoſ. Citri* ʒj.
*Spiritûs Nitri dulc.* q. ſ. p. grato ſapore.
M. f. Potio, S.

Potio Confortativa refrigerans.

Capiatur ſubinde cochleatim, vel pro duabus doſibus, obſervando, ut quantum poſſibile, Corpus in madore conſervetur; & Inflammationes per Sudorem curat, & junctæ Febri optimè reſiſtit.

Sudoris defectu *Opiata* non negligenda ſunt, quæ figendo Spirituum impetum, & hinc Fibrarum nervearum ſolvendo ſtricturam, multum promovent Sudorem.

Loco Potionum iſtarum, in Inflammationum incremento laudatarum, commodè etiam *Miſtura Theriacalis* ex Theriacâ & Aceto, *ſuprà Sect.* 15. *ubi de Febribus Malignis*, inſinuata, uſurpari poteſt. Hiſce Formulis jungantur binæ iſtæ Miſturæ, quas habet Sylvius *in ſuâ Praxi l.* 1. *c.* 40. §. 28. in Inflammationibus, quæ certè ſunt egregiæ, & quibus ſæpiùs Pleuritides, Peripneumonias, & ſimiles Affectus & præſervavit & curavit.

℞. *Aquæ Petroſel.*
*Hyſſop.*
*Fœnicul.* ana ʒj.
*Theriacal. ſimpl.* ʒß.
*Spiritûs Sal. Ammoniaci* ʒß. (prout fortis vel debilis)
*Laud. Opiat.* gr. iv. (ratione Febris & inquietudinis)
*Syr. Papav. errat.* ʒj.
Miſc.

Hæc ipſa Mixtura ſubinde cochleatim brevi tempore eſt haurienda, & Æger benè contegendus, expectando blandum Sudorem.

Miſturam alteram videb. *l. a.* §. 43. quæ Sanguinem congrumatum reſolvit, & reſolutum partim diſſipat, partim in naturalem craſin reducit.

℞. *Aquæ Hyſſopi*,
*Fœnicul.* an. ʒij.
*Aceti deſtillati* ʒvj.
*Spiritûs Vini rectif.* vel *Theriacal.* vel cum *juſvis Aromatici* ʒß.
*Lap. Cancr. præp.* ʒj.
*Sperm. Ceti*,
*Mumiæ* ana ℈j.
*Laud. Opiat.* gr. iv.
*Syr. de quinque Radic.* ʒj. ad ʒiß.

Miſc. pro potione.

Hujus Miſturæ aſſumat ſæpiùs Æger Cochleat unum vel alterum; cujus ope non tantùm impedietur Sanguinis effuſi concretio, ſed partes ipſius craſſiores incidentur, attenuabunturque paulatim; tenuiores autem unà cum Sudore aut inſenſibili Tranſpiratione diſcutientur : quâ ſolâ in tempore uſurpatâ periculoſas Inflammationes curaſſe gloriatur Sylvius.

Et tales Miſturæ ex Fixis cum Acidis ſunt ipſi in frequentiſſimo & ſatis felici uſu : quin temperatis ejuſdem partibus acrioribus Dolor lenietur, tandemque in totum tolletur, ipſaque adeò ſolvetur ac diſſolvetur Obſtructio : quali ſolâ in principio atque diligenter uſurpatâ curatæ ſunt non ſemel incipientes Pleuritides ac Peripneumoniæ, aliarumque Partium Inflammationes ſatis graves, atque anxietatibus doloribuſve acutis moleſtæ.

Et hactenus dicta pro quibuſlibet ſufficient Inflammationibus.

Fiunt etiam non rarò *Emulſiones*, internè contra Inflammationes ſub Morbi *Statu* multum proficuæ, ex Seminibus Cardui bened. & Mariæ cum Aquâ Papaveris erratici paratæ, quibus adhuc adduntur Appropriata, Antimonium Diaphoreticum, Sperma Ceti, & ſimilia *ſuprà dicta*; quæ etiam ad Inflammationes, ſpeciatim partium Pectoris, ſunt admodùm proficua. Quòd ſi Inflammationes ſint *Eryſipelaceæ*, imprimis adhibendum ſimul Rob Sambuci, quibuſvis Formulis additum; aut pro Vehiculo Pulverum uſurpandum, ceu appropriatiſſimum Eryſipelatis Remedium; præſertim quando motus Naturæ excretorius deficit, nec debitè Eryſipelas efflorescere poteſt, tunc loco ſtimuli uſurpatum Rob optimum eſt. Plura *de Eryſipelate* tradam *in Chirurgiâ Medicâ*.

Porrò pro dictis Scopis obſervandum, ſolenne ferè eſſe in omni Inflammatione ingruente aut præſente *Venæ Sectionem* inſtituere, & rectè quidem; eamque ſubinde aliquoties repetere, idque *ſecundùm Revulſionis*, *Averſionis* & *Diverſionis* leges & fundamenta alibi explicata. Nempe ubi cæteræ reſpondent circumſtantiæ, aut etiam Morbi Inflammatorii Partium plùs minùs Venæſectionem urgent, adminiſtranda Venæſectio *Ventilatoria*, ſeu, ut vocant, pro ſcopo Revulſionum & Derivationum; (de Venæſectione Revulſoriâ & Derivatoriâ dixi *ſuprà in Prolegom. Cap.* 3. *Artic.* 1. videatur etiam Higmorus *Diſquiſ. Anatom. Corp. Hum. p.* 150.) quod reverà ſuum locum adhuc obtinet, debitis ac ſelectis in locis inſtituta, abſque tamen nimio ejus ſecundùm alias Nationes abuſu, in caſu quando nimis urget Inflammatio, & Morbus admodùm acutus videtur, in tali caſu mox in principio, vel ante, vel poſt Sudorem prolicitum, convenit Sanguinem mittere per Venæſectionem, ut imminuto nonnihil Sanguinis quanto, faciliùs in loco Stagnationis ſeu Inflammationis per vicinos ramos diſtribui, & ita incrementum nimium Inflammationis præcaveri poſſit; ita

quidem, ut pro ſcopo Revulſionis ſecetur in regione reſpectu Cordis oppoſitâ, in principio ſcilicet Inflammationis; pro ſcopo verò Averſionis ſecetur Vena in regione reſpectu Inflammationis eâdem, ſed loco paulò remotiore, in incremento nempe; pro ſcopo verò Derivatorio ſecetur Vena in loco Inflammationis proximo, iſto nempe, per quem ordinariò Sanguis ſtagnans refluere deberet, in ſtatu nempe: utut non ſemper Venæſectio neceſſaria ſit, niſi in inſigni *Plethorâ*, aut iis, qui *Conſuetudine* ſe manciparunt, ut ſtatuto tempore inanes inſtituant Venæſectiones. Aliàs ingruente Inflammatione repetiti Sudores per Remedia Appropriata, Sanguinem congrumatum reſolventia, & diſcutientia, ſubinde quibuſvis Sanguinis detractionibus præferendi ſunt.

In principio Inflammationum, tam Internarum quàm Externarum, ſuadent applicare Remedia *Repellentia*, quibus volunt Sanguinem ſtagnantem denuò repellere, vel urgere, ut retrocedat, id eſt, volunt Sanguinem movere à termino ad quem ad terminum à quo. Repellentia autem ſic dicta partim impoſſibilia, partim ſæpè nociva eſſe, ex hactenus dictis patet: Nam ſtante Sanguinis circulo, impoſſibile eſt Sanguinem, qui per Arteriam influit, per eandem ex loco ſtagnationis repellere: Nociva autem ſunt, quia Repellentia quæcunque, ordinariò ex Refrigerantibus aut Acidis, aut Adſtringentibus, & ſimilibus compoſita, ſæpiſſimè Inflammationes reddunt deteriores, aut ad Scirrhos vel etiam ad Gangrænam diſponere ſolent: Id quod imprimis in Eryſipelatibus notum eſt, in quibus curandis cautiores ſunt Mulierculæ, quàm Chirurgi, qui omnia Humida prohibent, quorum timor ſanè eſt inanis, cùm Spiritus Vini, Sperma Ranarum, & ſimilia tutò applicentur Eryſipelati. Verùm, quoniam Experientia eas docuit, quòd Humida, quæ Chirurgi applicant, ſæpiùs deteriora reddunt Eryſipelata, & omnes Inflammationes, quia ſemper habent Adſtringentia, quæ Sanguinem antea ſtagnantem magis coagulant magiſque congrumant, & Eryſipelata in Ulcera deterrima tranſmutant, quæ ſunt frequentiſſima in Galliâ propter talem Chirurgorum inertiam; quare cautiores Mulieres omnia prohibent Aquoſa, ceu Repellentia, quæ ſive ſint Sicca ſive Humida, ſemper tamen ex Adſtringentibus, ut Floribus Balauſtiorum, Corticibus Capparum & ſimilibus, ſunt compoſita. Certè natura Morbi contrarium vult: nam ubi ſtagnat Sanguis, ibi Partis Tumor; ubi Partis Tumor, ibi anguſtia Vaſorum Sanguinis; ubi major anguſtia, ibi eadem non per Repellentia aut ſimilia eſt augenda, quin potiùs per *Diſcutientia aromatica*, quantum fieri poteſt, eadem minuenda, ut Materia concreta poſſit promoveri & removeri. His autem fruſtraneis, *Suppurantia & Emollientia* externè applicanda ſunt Inflammationibus. Maximoperè ergò fugienda ſunt omnia Repellentia & ſimilia, quæ vulgò utut perperam, Inflammationibus applicantur. *Intercipientia* quod attinet, ſeu ſic vulgò dicta *Defenſiva*, ſubinde ſunt tolerabilia: ſunt autem talia, quæ Fermenti acidi vim aut progreſſum, abſorbendo iſtud aut corrigendo, emendare poſſunt. Sed de his alibi.

*Externa* ſunt ea, quæ

1. Acidum abſorbent, ut Saturnina, & Alcalina.
2. Sanguinem vi aromaticâ alcalinâ diſſolvunt, & ita Inflammationem diſcutiunt.
3. Quæ temperando mutuum Salium Effervescentium concurſum, Suppurationem adjuvant. Quo facto
4. Abſceſſus aperiendus, Ulcus mundandum, hinc conſolidandum.

Mundificatio ſit exacta, ne tantillum Fermenti in Ulcere corruptivi reſiduum recidivas inferre poſſit. Sed de his Externis *ſuo loco in Chirurgiâ Medicâ*.

## ARTICULUS II.

### *De Inflammatione Faucium.*

Et in ſpecie

### *DE ANGINA.*

QUod ſpeciales jam attinet Inflammationes, occupant hæ vel Partes *Internas*, vel *Externas*; omnes enim Corporis Partes, Oſſibus exceptis, inflammari poſſunt, quippe his parum Sanguinis advehitur. Internas ordine pertractabimus, Externas Chirurgiæ relinquendo. Inter Internas autem Inflammationes ſe offerunt primò, quando Partes Faucium internæ, ſæpè etiam cum externis, nempe Pharynx cum ſummitate Gulæ; Larynx cum Aſperâ Arteriâ; Fauces nec non Tonſillæ in Iſthmo Faucium ſitæ; Uvula; interdum denique Muſculi Faucium & Gulæ; Muſculi Laryngis motui dicati, & ſimiles Partes vicinæ inflammantur. Inflammatio Muſculorum Colli, in ſpecie Laryngis & Gulæ, ordinariò nomine *Angina* appellari ſolet, quæ ita dicitur ab *angendo* à Græco ἄγχω, *ſtrangulo*, *ſuffoco*. Ab Anginâ autem excipitur *Tonſillarum Inflammatio*, quæ ferè Notha exiſtit, ac aliàs ſpeciali nomine caret. Angina Barbaris aliàs *Squinantia*, Germanicè *das hals geſchwer* appellatur. Malè, *Prunella*, Germ. *die Braune*, quibuſdam dicitur, cùm Linguæ ſaltem ardor, & Symptoma ſit, & ſimul quodammodò Faucium, in Febribus Ardentibus familiaris, de qua ſuprà ſuo loco actum. De Faucium tamen omnibus ac Partium huc pertinentium Inflammationibus, cùm habeant communem medendi rationem, conjunctim agere placet.

Quoad *Anginam* ergò, Fauces afficiuntur in hâc ipsâ, i. e. ea pars Colli imprimis, quam conſtituit Pharynx ſeu Gulæ muſculoſæ expanſio, & Larynx ſeu caput Aſperæ Arteriæ. Etſi enim ut plurimùm utraque pars, tam Pharynx quàm Larynx, adeoque utriuſque partis Muſculi, tam interni quàm externi, utut nunc una pars magis, altera minùs inflammentur; tamen pro majori acribiâ theoreticâ Angina à Galeno & Tralliano in quatuor Species ſeu *Differentias*, utut ſaltem ſpeculativas, non autem Practicas, *curioſo nimis*, ut Galenus loquitur, *verborum aucupio* dividitur, nempe

1. In *Synanchen*, quando Interni Faucium ſeu Pharyngis Muſculi inflammantur.
2. In *Paraſynanchen*, quando Externi Faucium ſeu Pharyngis Muſculi affecti ſunt.
3. In *Cynanchen* (A), in qua Internæ Laryngis partes ſunt inflammatæ; &
4. In *Paracynanchen*, quando Exteriores Laryngis

(A) Nota Cyrilli. Cynanche, *κυνάγχη ſic dicta videtur, à κύων κυνὸς*, Canis, *quòd eâ Anginæ ſpecie detentis, lingua è ſuâ radice moveatur, & factâ difficili reſpiratione, cogantur ægri aperto ſemper ore reſpirare, & Canum in morem linguam exerere. Sic* Τάγχη Hyanche *dicitur à* Plinio *ea Anginæ ſpecies, quâ Sues corripi ſolent, ab ὗς* Sus. *Quoniam Sus dicitur quoque Græcis σῦς hinc fortè etymon ducit* Synanche, *&* Paraſynanche, *de quibus hîc Autor.*

Laryngis & Gutturis Muſculi ſunt inflammati:

De quibus vid. Sennertus *l. 2. Pr. P. 1. cap. 24. pag. 95. ubi de Anginâ.*

Circa quas obſervandum eſt, in Cynanche ſæpiùs ſimul Pulmones plùs minùs eſſe affectos, & non ſolùm Internos Laryngis Muſculos, unde etiam tunc temporis tam inſignes reſpirandi Difficultates ſolent adeſſe, quales in Peripneumoniâ interdum contingunt, adeò ut Ægri Canum more ore hiante reſpirent: vid. Deckers *in Barbette Prax. p. 47.*

*Formalitas* Anginæ conſiſtit in Inflammatione, quæ nihil aliud, quàm Sanguinis motus retrogradus ex partibus impeditus, ſeu Stagnatio eſt, unde Intumeſcentia Laryngis atque Pharyngis, *Reſpirationem* atque *Deglutitionem* notabiliter lædens, nullo aliàs in Pulmonibus ac Thorace exiſtente vitio.

## CAUSÆ.

*Cauſæ Externæ* crebriores, quæ in ſpecie Anginam inducunt, præter eas *Generales*, quæ communes ſunt reliquis Inflammationibus, ſunt Res ineptæ deglutitæ, quæ in Faucibus hærent, & vel nimiâ mole eas anguſtando, & ita Vaſa comprimendo, vel pungendo, vel acrimoniâ nimioperè eas irritando, ad Fibrarum contracturam, & ad ſucceſſivas Inflammationes, hinc Anginam, diſponunt. Sic à *Spinâ piſcis* in Faucibus hærente, item *ex partibus Vitri* devoratis & Faucibus infixis, Inflammationes, & tandem Abſceſſus Faucium & Gulæ notârunt Schenckius aliique Practici: Ex *Potu* Aquæ Fortis aut ſimilium Liquorum corroſivorum, inflammatas non rarò Fauces & Gulam eſſe, res per ſe eſt nota. Imprimis *Inſpirata*, ut Aër externus, immediato contactu hæc loca irritantia, & lædentia, multum conferunt. Ex ſimili, ſed ſingulari, Inſpiratorum vitio, *Epidemica* oriuntur hæc mala, ut plurimùm *Maligna*, cùm non ſaltem Miaſma morboſum inſpiratum in ſui tranſitu Fauces lædat, & acrimoniâ occultâ tanquam tot infixis ſpiculis eas irritet, ſed forſan etiam Sanguinem certo modo alterando, hunc ad facilem ſui ſtagnationem, quin & Inflammationem, & febrilem malignam Fermentationem diſponat; hoc modo enim obſervatæ fuerunt Anginæ Epidemicæ Malignæ.

Ac in ſpecie ad *Tonſillarum Inflammationem & Tumorem* diſponit *Lympha nimis viſcida, glutinoſa & ſpiſſa*, eas infarciens ac tumidas reddens, ac naturalem Sanguinis motum ac tranſitum per & circa Glandulas impediens, unde ſucceſſivè earum Tumor. Quin & *Lympha* per Glandulas Oris & vicinarum partium excreta *nimis ſalſa, acris vel acida*, ut in Affectibus contingit Catarrhalibus, excoriando aut rodendo dictas partes, nunc graviorem nunc leviorem Inflammationem Tonſillarum infert. Imprimis in hac Tonſillarum Inflammatione Materia viſcida, craſſa ac mucoſa Linguam, & Fauces incruſtat, ac ſubinde tenacis pelliculæ inſtar eis adhæret, ac nihil aliud eſt, quam Lympha Tonſillarum ac Glandularum vicinarum vitiata ac impura reddita, & glutinoſa, à Nutrimento dictarum partium chyloſo, ob earum læſionem non ritè aſſimilato, ita alterata. Porrò Tonſillæ habent foramen amplum in ſummitate ſui, ſeu Tonſillarum tunica craſſa *Foramine* aperto gaudet, quod hiat in Fauces, & Lympham ſalivalem nonnihil glutinoſam in Fauces & Gulam emulget pro faciliori Deglutitione: Quando ergò Tonſillæ hæ ſunt tumidæ & inflammatæ, Foramina hæc inſigniter ſunt expanſa, & hiant, magiſque inde conſpicua fiunt; unde ab imperitis Chirurgis interdum pro Ulceribus Tonſillarum in earum Inflammatione habentur, obſervante hoc jam olim Schenckio *in l. 2. Obſerv. ubi de Tonſillis.*

Prætereà inter *Cauſas Externas* ad Tonſillarum Inflammationes, item ad Faucium Inflammationes ſeu Anginas diſponentes, ſunt in ſpecie *ſubitaneum Frigus inſpiratum*, aut Potus nimis frigidus poſt nimiam ac intenſam Corporis incaleſcentiam; his enim læſæ Fauces & Gula, atque Sanguis in iſtis ſpiſſior factus, ſtagnando, Inflammationem inferunt.

Præter has Cauſas Externas dantur *Internæ*, quæ ſæpiſſimè ad Anginam diſponunt, uti ſunt conſuetæ Sanguinis Evacuationes ſuppreſſæ, imprimis *Menſium ac Hæmorrhoidum ſuppreſſio*, idque ſpeciatim in talibus Subjectis, quæ antehac jam Anginâ laboraverunt, & ad Anginam diſpoſita ſunt, quando nempe jam iſtæ partes, quæ Fauces formant, quavis occaſione prægreſſâ debilitatæ ſunt, & ita robur inæquale patiuntur, facilè exinde à Sanguine ſtagnante denuò inflammari poſſunt: Unde etiam Mulieres, quando non ritè fluunt Menſes, aut aliæ ordinariæ Evacuationes intermittuntur, ſubinde Pleuritidi, item Anginæ ſunt obnoxiæ: hinc quoque in tali caſu Præſervationis gratiâ Venæſectiones inſtituendæ ſunt, ſicuti Curationis gratiâ Venæſectiones in Pedibus imprimis, non verò Brachiis: Et novi ipſe Mulierem, quæ niſi ſingulo menſe Scarificationes inſtituat, Anginam incurrit.

Pertinet huc *Morbi aliùs in Anginam tranſitus*: qua ratione Dyſenteria pravè curata, aut intempeſtivè ſuppreſſa, præſertim Dyſenteria Epidemica, uti crebrò Pleuritidem, ita etiam Anginam infert, qualia Exempla non tantùm recenſet La Monier *de Fluxu dyſenter. cap. 5.* ſed & Hildanus *Tract. de Dyſenteria* obſervat.

Obſervantur interdum etiam *Anginæ Epidemicæ*, ut dictum, conjunctæ ut plurimùm cum Febre Continuâ Ardente, eâque in ſpecie Malignâ, in quibus Sanguis ita diſponitur, ut facilè ſtagnando det Inflammationes: Nam cùm Miaſma Morborum inſpirando imprimis attrahatur, hoc in tranſitu ſe affigendo Faucibus, & Laryngis partibus, has ita afficit, ut imprimis iſtis in locis Inflammatio iſta ſeu Angina oriatur, qualis fuit iſta, quam tractat Bartholinus *de Anginâ Epidem.* cujus quoque exempla habet Wierus *in ſuis Obſervat.* Et ſingulare itidem exemplum Anginæ admodùm Malignæ Contagioſæ Epidemicæ videbitis in Panarollo *Pentec. 5. Obſ.* in Puero, ubi parùm mordendo digitos Obſtetricis mox in parte commorsâ Carbunculus excitatus, & Obſtetrix ſimul Anginâ correpta fuerit.

Præter dicta *Inunctio Mercurialis* pro Curâ Luis Venereæ ineptè inſtituta, Inflammationem Tonſillarum & Faucium ſubinde infert; eamque ſatis periculoſam; ſi nempè nimis copioſa ſit Salivatio, Sanguis circa dicta loca ſtagnat, ab acrimoniâ Mercurii Fauces vellicante, Liquore lymphatico corroſivo eaſdem rodente, ſubinde graves Faucium Inflammationes, interdum Suffocationes excitantur; quale Exemplum obſervat Schenckius *l. 6. Obſ.* Conf. Tachenius *Hipp. Chym. c. 25. p. 225.* & Sylvius *de Lue Venereâ.* Sanè Luis Venereæ virus acre, ut ſpeciatim Lympham Glandularum Conglomeratarum inficit, ita & hujus ratione ſæpiſſimè Excoriationes ac Inflammationes Faucium, ſubinde perquàm contumaces infert.

Vulgò etiam Anginæ *ex Luxatione & compreſſione Vertebrarum Colli* fit mentio: verùm cui nota

eſt

eſt ſtructura Vertebrarum Colli, videbit, quòd hæc ſententia ſit nata ex falsâ hypotheſi, idque ob malè intellectum *Aphor.* 35. *Sect.* 4. Hippocratis: *Si à Febre detento repentè Collum intorqueatur, ut vix deglutiri queat, nullo tamen Tumore intus vel foris apparente, lethale eſt.* Hunc enim Aphoriſmum ordinariò interpretantur de Anginâ ex Luxatione Vertebrarum Colli, anſamque huic ſententiæ dedit Galenus, quaſi Luxatio Vertebrarum in eodem loco intelligatur: Sed ſtructura, & articulatio Vertebrarum Colli evincet, eas difficulter admodùm Luxationem pati, atque tunc Paralyſin potiùs univerſalem, quàm Anginam, excitare. Nam in *dicto Aphoriſmo* nil aliud intelligitur, quàm Convulſio Colli, Emproſthotono ac Epiſthotono ſimilis; Utroque enim in caſu Suffocationis periculum imminet, cui ſi ſuperveniat Angina, ſeu Tumor inflammatorius Colli, lethale eſt. Quòd non poſſit fieri talis Angina ex Luxatione Vertebrarum Colli & Cervicis facilè patet, cùm impoſſibile ſit, ut luxentur: Nam ſi luxarentur, neceſſe eſt, ut ſummâ vi id fieret, quo facto neceſſariò Spinalis Medulla contorqueretur, unde abolitio ſensûs & motûs, Mortiſque appropinquatio, & potiùs Affectus Apoplexiæ ſimilis quàm Angina ſequeretur. Sunt enim Vertebrarum Cervicis Proceſſus ita invicem inarticulati, ut citra Fracturam luxari nequeant; & ſi luxarentur, præſentaneam potiùs Mortem, quàm Anginam inferrent.

Aliàs dividi etiam ſolet Inflammatio Tonſillarum, & Faucium in *Exactam* ſeu *Genuinam*, & *non Exactam* ſeu *Notham*. Illa autem, quæ rarior eſt, Tonſillarum Inflammatio, quando ſolus ſaltim Sanguis ſtagnans in dictis locis Inflammationem infert, adeoque eſt, ut vulgò dicitur, vel *Sanguinea*, vel *Bilioſa*, Acutum Malum eſt, de quo hactenus dicta ferè intelligenda ſunt. *Hæc* eſt, quando Sanguis chyloſus, ſeu, uti vocant, Lymphâ glutinosâ permiſtus, ſtagnando Inflammationes infert, & vocatur *Inflammatio Notha* ſeu *Pituitoſa*; eſt tantùm Tumefactio ſeroſa iſtarum partium plùs minùs œdematoſa, & excitatur ferè occaſione Lymphæ vitioſæ, Glandulas dictarum partium malè afficientis, loca vicina rodentis, plùs minùs excoriantis, & ita junctam Phlogoſin inducentis. Quæ ipſa vitiata Lympha, prout plùs minùs circa dicta loca ſtagnat, etiam plùs minùs eaſdem tumidas reddit, & circulationem Sanguinis plùs minùs impediendo aliqualem Inflammationem, aut ejus diſpoſitionem junctam, habet. Et talis Notha Angina frequentiùs occurrit cum Tonſillarum Inflammatione: quarum Tumor crebriùs occaſione vitiatæ Lymphæ ſupervenit. Nunc *Febris* expers eſt hæc notha, nunc *Lentam* ſaltim junctam habet. Et de ejuſmodi *Anginâ Nothâ* ſeu *Albâ* dicta, eâque ſatis periculosâ *vid.* M. A. N. C. *Ann.* 6. *Obſ.* 152. *p.* 28. Pertinere huc videtur rara *Anginæ* quaſi *Membranoſæ* ſpecies, quæ vid. in Sennerto *Prax. l.* 2. *P.* 1. *cap.* 24. & M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obſervat.* 14. *p.* 31.

## DIAGNOSIS.

Quoad *Diagnoſin*; præter *Signa Generalia* omnium Inflammationum, nempe Calorem, Dolorem, Tumorem, & interdum viſibilem Ruborem Faucium, quæ facilè poſſunt conſpici, ſi Os aperiatur (niſi in Cynanche, ubi vix Tumor ullus apparet,) in ſpecie in *incipiente Inflammatione Faucium & Tonſillarum* adeſt difficilis Colli Motus non abſque Dolore; item Difficultas quædam reſpirandi adeſt propter vias anguſtatas; idque imprimis ubi Larynx eſt afflictus: difficilis etiam adeſt Deglutitio, imprimis ubi Pharynx, minùs verò ubi Larynx eſt inflammatus. Et denique Dolor ardens percipitur in Faucibus, præprimis, ſi Angina commune malum obſervetur, aut Cauſarum quædam externarum præceſſerit.

*In factâ* verò jam *Anginâ Signa* ſunt (1.) *Reſpiratio* plùs minùs abolita, & non niſi cum ſummâ difficultate reiterata, ita ut etiam, in quibus graviùs afficitur Larynx, iis etiam Suffocationis metus ſubinde adſit, ſine Pulmonum & Thoracis affectibus.

(2.) *Deglutitio* etiam notabiliter eſt impedita, ita ut etiam Liquor in ore detentus vix Gulam intrare poſſit, aut ſi aſſumi debeat, propter ſummam tamen Faucium anguſtiam & Laryngis irritationem, denuò ſurſum per Nares regurgitet; quam ſpeciem adeſſe dicit in Hydrophobiâ Joſephus *ab* Aromatariis, utut pauci ei adſentiantur.

(3.) *Dolor* circa Guttur & Fauces inſignis & admodùm urgens, tam ardens & rodens, quam pulſans aut etiam crebriùs pungens.

(4.) *Febris* quoque adeſt Acuta & Continua in Anginâ, quamvis interdum typum Tertianæ continuæ aut Tertianæ productæ, ſeu cujus Paroxyſmi ultra 30. horas durant, habeat, prout vel exquiſita magis vel notha eſt Angina. In illâ eſt Acuta, cum Pulſu in principio tenſivo & quaſi convulſivo, magno & undoſo; inſtar Pulſûs Peripneumonicorum, qui tamen in progreſſu, & in his, quos Suffocatio vehementiùs urget, parvus, & rarus, tandem creber ac inæqualis, magis obſervatur, juxta Galeni delineationem, ſiquidem *Pulſum* ita deſcribit: *Anginæ Pulſus tenſione quadam præpeditus eſt & convulſo ſimilis, magnus & undoſus, ut Pulſus Peripneumonicorum: quicunque vehementer ex illis ſuffocantur, habent parvum & rarum; ubi jam anguntur, crebrum & inæqualem.* In hac tamen ſubinde Febris Lenta conjuncta ſolet eſſe.

(5.) *Lingua* rubet, ac inſigniter tumet; unde etiam ejuſdem motus plùs minùs impeditur, ac Faucibus Anginâ præcluſis ſæpiùs ſimul è Linguâ Filum viſcidum propendet, ſeu copioſo Muco viſcido ac glutinoſo continuò obducitur, quod nihil aliud eſt, quàm Lympha ex Glandulis, ſpeciatim Tonſillis affectis inſpiſſata ac inquinata, nempe mucida, ſalſa, amara & tenax, quæ ſucceſſivè Linguam & Fauces incruſtat; ſæpiùs etiam eſt arida aut fiſſa, interdum ſcabra.

Omnia hæc Symptomata ſunt periculoſiora & graviora in Anginâ, ut plurimùm remiſſiora in Tonſillarum Inflammatione: vid. Riverius & Sennertus. Interim, *quæ Pars magis laboret*, an Pharynx, an Larynx? ex læſionibus Reſpirationis, item Deglutitionis, & ſitu Doloris ac Tumoris, perſcrutandum venit.

*Tonſillarum* quoque *Inflammationibus* occaſione *Lymphæ* vitiatæ, ſpiſſioris ſcilicet & acidæ acrioris, concitatis, Febris Continua, ſed magis Lenta, eſt juncta, Fauces quidem rubent, ſed magis inflammatæ ſunt, Tonſillæ verò tumidæ inſigniter prominent.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*, Inflammationes hæ tribus modis finiuntur: aut enim evaneſcunt & retrocedunt ſubitò, aut diſcutiuntur, aut ſuppurantur, aut Ægrum ſuffocando interimunt: Et ſi ſuppurantur, in ſpecie Tonſillarum Inflammationes, abeunt interdum ſucceſſivè in Ulcera diuturna, & difficulter curabilia.

Quòd ſi ex dictarum Partium Inflammationibus

mori

mori contingat Æger, ut plurimùm ſuffocatus interit; & quidem duplici ratione: vel à Tumore, vel Pure ad Pulmones depluo: vid. Foreſtus *l.* 15. *Obſervat.* 25. de Anginâ in Pus mutatâ, quod ad Pulmones, & Pectus ruens ferè ſuffocavit Ægrum.

Quò magis Faucium eſt anguſtia & ſpirandi Difficultas, eò periculoſius Malum; ut plurimùm enim intra quartam diem ſtrangulat; interdum verò, ſed rariùs contingit, per modum Criſeos, Sudore, Hæmorrhagiâ, aliove modo terminatur: refert Exemplum Foreſtus *lib.* 15. *Obſervat.* 14. Cynanches veræ quarto die per fluxum Menſium criticum curatæ; vid. Hippocrates *Prognoſt. Text.* 23. §. 3. 4. 5. *Coac. Prænot. S.* 3. §. 96. *S.* 4. *Aphor.* 45. Contra, quò magis ad extrà Tumor fertur, ut Reſpiratio liberior fiat, v. g. in Paraſynanche, ubi exteriores Pharyngis Muſculi magis inflammantur, illi cum Rubore, & Tumore Colli externo, & interdum ad Pectus extenſo, ſi cum Tumore magis interno, ſed exili: mediâ ratione ſe habet Synanche, ubi interiores Pharyngis Muſculi inflammati ad Fauces & Collum plùs minùs protuberant.

Quò verò Fauces & Cervix magis rubent, eò minus periculi; Partes enim magis externas inflammari indicio eſt: vid. Hippocrates *Prognoſtic. loco allegato* §. 8. *Sect.* 6. *Aph.* 37. *& S.* 7. *Aphor.* 49. Qui textus, licèt contradicere videatur Obſervationem ejuſdem Hippocratis, quam *Epid. lib.* 5. *text.* 36. allegat; decidi tamen poteſt, diſtinguendo inter Ruborem Partium externarum, qui fit per Metaſtaſin; & illum qui fit per Epigeneſin ſeu extenſionem: quorum hic lethalis, ille minùs periculoſus exiſtit: vid. Laurentius *Anat. lib.* 5. *Qu.* 5. *p.* 148.

Fit interdum ut Angina, Tumore & Rubore foris apparente per Metaſtaſin Cauſæ peccantis in principio ſubitò evaneſcat, ſed in Pleuritidem mutetur; quæ converſio eſt admodùm periculoſa, juxta *Coac. prænot. S.* 3. *Text.* 101. niſi ad locum minùs periculoſum alium Materia peccans converſa, aut criticè diſcuſſa fuerit, quod præprimis ex tolerantiâ Ægri dignoſcitur: Nam Inflammatio, quæ facilè & ſubitò evaneſcit, ad interiores Faucium partes recurrendo, Suffocationem infert, aut alio in loco Inflammationes periculoſiores concitat: Sic Amatus Luſitanus *C.* 5. *Curat.* 37. periculoſum Anginæ in Pleuritidem tranſitum obſervat: vid. Hippocrates 7. *Aphor.* 11. Nam vel ad Cerebrum transfertur, unde Cephalalgia, Deliria, Phrenitis; vel ad Pulmones, unde Peripneumonia, Pleuritis; vel ad Cor, unde Syncope; etiam ad alia loca, unde varia Mala. Pertinet huc *Aphor.* 10. *Sect.* 5. Hippocratis: *Quibus ex Anginâ in Pulmonem Mali fit converſio* i. e. qui Peripneumonici fiunt, *intra ſeptimum diem moriuntur; ſi verò hoc effugiant, Empyici evadunt.* Aphoriſmum hunc optimè explicat Lindanus, nempe eâ Angina, quæ eſt in Arteriâ Aſperâ circa Laryngem, ſi ſuppuretur, ut magnâ ex parte fit, ſi contingat eam Membranam, quæ ſuccingit Aſperam Arteriam, per Materiæ ſuppuratæ turgeſcentiam & pravitatem rumpi, ut Metaſtaſis Materiæ fiat in Pulmones, intereunt intra ſeptimum diem; Inflammatur enim ab hoc Materiæ decubitu Pulmo, hinc Peripneumonia; aut ſuppuratur Pulmo, unde Empyema: Conf. Hippocrates *Prognoſt. Sect.* 23. *Text.* 15. & *Coac. Prænot. S.* 3. *Tex.* 105. & Foreſtus *l.* 5. *Obſ.* 24.

De cætero ex *Sputo* quoque citiùs tardiùſve prodeunte in Anginâ, Salutis & Mortis Signa petuntur: dum Anginoſi ſi non brevi cocta exſpuant, lethale, juxta *Coac. Prænot. Sect.* 3. §. 141. ut ſi nimis arida Sputa fuerint, §. 101. In Anginis ſine Signis (nempe Coctionis in Sputo quaſi criticis) Dolores in Caput converſi, lethale inquit Hippocrates. Nam cùm ſine Criſi à Materiæ tranſlatione fiat, manente eâdem Faucium anguſtiâ, Morbum non imminui, ſed augeri indicio eſt; vid. *Coac. Sect.* 3. §. 112. item ſi ad alias Partes ſine ejuſmodi Signis Dolor extendatur, v. g. ad Crura, Hypochondria, juxta §. 113. *&* 114. *& lib.* 5. *Epidem. Text.* 36. §. 12.

Febris cum Anginâ conjuncta ſæpiùs eſt Continens, ſeu eodem tenore continuò Ægros affligens; interdum typum Tertianæ Continuæ repræſentat; interdum Hemitritæi.

Iſta Angina, quæ à Tertianâ Continuâ producta, ſeu cujus Paroxyſmi 36. horas perdurant, ut plurimùm ſolet eſſe lethalis, obſervante Lindano *in Hartmannum.*

Quò minùs oculis ſe ſiſtit Tumor, tam in Faucibus, quàm extra eas in Collo, eò majus imminet periculum; quia intereà Laryngis & Pharyngis partes ſunt obſeſſæ: quò magis verò ab extrà conſpicuus Tumor, eò tutius. Obſervetur hoc contra perverſum uſum Adſtringentium & Repellentium, quibus in principio adhibitis Tumor cogitur, ut interiores partes magis occupet. Certè interna talis Inflammatio paucis eſt tuta, unde ex omnibus Anginæ ſpeciebus omnium graviſſima & periculoſiſſima eſt *Cynanche*, ubi muſculi Laryngis ſunt inflammati; hinc *Paracynanche*; levior adhuc eſt *Synanche*; leviſſima omnium *Paraſynanche.*

Denique Anginoſis, ſicut Strangulatis & Suffocatis, *Spuma circa Os apparens* ſæpè lethale Signum eſt, teſte Hippocrate *S.* 2. *Aphor.* 43. idque imprimis, quando cum tali circa Os Spumâ magna adſit Reſpirationis anguſtia inſignis.

Tandem ſi in Angina Venæ Raninæ inciſæ nihil aut parum Sanguinis fundant, malum Signum eſt; contrà ſi benè fluant.

## C U R A.

Conſideravimus Inflammationem Faucium & Colli, Partiumque iſtarum, tam internarum, quàm externarum: Supereſt, ut nunc conſideremus *Curam*, quæ *triplici innititur Scopo*: ſcilicet

I. Ut heterogeneum, ſi quod eſt impactum; v. g. *Spina*, tollatur.

II. Ut *Sanguinis ſtagnatio* tollatur, ipſique motus naturalis reſtituatur.

III. Ut, ſi illud fieri nequit, per *Suppurationem* id educatur.

Priori Indicationi quomodò ſatisfaciendum, ex Chirurgicis peti debet; Nunc ratione ſecundæ obſervandum, illam perfici partim *Sanguinis miſſione* revulſoriâ ac derivatoriâ, partim *Diaphoreſi* & attenuatione Humoris impacti, per *Abſorbentia & Sudorifera.* Uno verbo: Cura in omnibus eſt eadem, quoad *Remedia Interna*, cum reliquis Inflammationibus. Quoad *Externa* verò, ſpecialem merentur conſiderationem *Gargariſmata*, *Inunctiones*, *Cataplaſmata*, & ſimilia *Reſolventia*, quæ in Faucium, Oris, Tonſillarum, Laryngis, Pharyngis, Uvulæ & ſimilium Partium Inflammationibus ſolent eſſe peculiaria.

Pro legitimâ ergò Curâ Anginæ ac cognatarum Inflammationum Faucium, *Obſervandum*

I. *Interne* in Angina & reliquis Faucium Inflammationibus etiam omnia ea conveniunt, quæ aliàs in omni Inflammatione, ſpeciatim *Pleuritide*, in uſu eſſe ſolent, verbi gratiâ *Mixtura Simplex*, *Spiritus Nitri dulcis*, *Dens Apri*, *Antimonium Diaphoreticum*,

*reticum*, *Salia volatilia*, &c. Sic Valeriola *Obſ.* 12. *l.* 2. refert, quòd *Raſura Dentis Apri* ad ʒj. *cum Oleo Amygd. dulc.* & *Saccharo cand.* propinata ſit optimum remedium Anginæ, non minùs quàm Pleuritidis. In ſpecie quæcunque *Animalium Excrementa ſeu Stercora* præ reliquis eminentiam habent, & in ſpecie à Paracelſo & Hartmanno inſigniter commendantur, interno & externo uſu in principio Anginarum; imprægnata enim hæc, & imprimis Avium Excrementa, ſunt Sale volatili nitroſo quaſi ammoniacali, quæ omnes Inflammationes, imprimis Anginas, diſcutiendo & reſolvendo ſiſtunt. Præ cæteris v. g. *Stercus Equinum*, in ſpecie *Admiſſarii*, ejuſque expreſſus Succus, vel hujus parum in Potu ordinario maceratum & expreſſum ſi aſſumatur, expectato Sudore, egregiè convenit, & Anginam in primâ herbâ detruncat; id quod etiam de Albo Græco ſeu *Stercore Canis* ad ʒj. ut & de Stercoribus Ovium & Caprarum, ſimiliter affirmari debet: externè convenit Nidus cum Stercore Hirundinum. Sanè hæc & ſimilia Remedia cum debito Sudore, in Inflammationibus adminiſtrata, in ſpecie in Paroxyſmo Anginarum, & quamdiu Ægri deglutire poſſunt, multum opus adferunt, quoniam Febrim compeſcunt, Sanguinem reſolvunt, & ita Inflammationem tollunt. Conveniunt ergò in omnibus à Causâ internâ enatis imprimis Acidum infringentia, Sanguinem diſſolventia, & mediante blando Sudore Partes abſtergentia, quæ tempeſtivè adhibita ſæpiſſimè ſunt ſalutaria: e. g.

℞. *Aquæ Prunell.* ʒiij.
*Spiritûs Nitri dulc.* ʒß.
*Dent. Apri pulveriſ.* vel *Lapill. Cancr. præp.*
*Antimonii Diaphor.* an ϑß.
*Laud. opiat.* gr. ij.
*Syr. Sempervivi* ʒj.
M. S.
Potio Sudorifera.
Vel
℞. *Antimonii Diaph.* vel *Bezoard. Min.*
*Dent. Apri*, vel *Ebor. ſine igne*, vel *Max. Luc. piſc.*
*Nitri antimoniat.* an. ʒj.
*Sacch.* ʒij.
M. f. Pulvis. D. S.
Pulvis Refrigerans.

Urgente febrili Siti convenit Julepus è Floribus Papaveris, eorũque Tinctura cum Spiritu Nitri dulci.

In horum uſu & quidem cum Diaphoreſi, ſeu Sudore perſiſtendum, modò Ægri illa deglutire poſſint; cùm Canalis ac Syringa, quam Riverius *Pr. l.* 6. *c.* 7. *&* *c.* 3. *Obſ.* 72. pro Alimentis & Medicamentis per Gulam ad Ventriculum impellendis, non ſemper applicari poſſit, nec cum effectu adhibeatur.

II. *In Tonſillarum, ac quibuſvis partium Oris, Anginis*, & in genere in omnibus Inflammationibus, ſemper ſimul Lymphæ habenda eſt ratio, tam quæ nimis craſſa, interdum ſimul acida, aut alio modo vitiata, hinc inde Partes ferè omnes Oris internas denſè incruſtat, quàm etiam adhuc circa Glandulas & in Vaſis Lymphaticis hæret; cujus vitiis per Medicamenta interna *Anticatarrhalia*, *Succinata*, *Myrrhata*, item *Volatilia*, *& Abſorbentia*, ac ſimilia ſuccurrendum eſt; unde & Liquor Cornu Cervi ſuccinatus expectando Sudorem in principio inflammatarum Tonſillarum eſt nobilis.

Cum his III. Si ita viſum fuerit, mox ad *Venæ ſectionem* accedendum erit in Corpore Plethorico, ſive ei præmittatur Sudor, ſive ei poſtponatur perinde eſt; Nam interdum utrumque in Anginâ Benignâ locum habet. Et quidem Venæ *Saphænæ* in Pede propter Revulſionem univerſalem, poſtmodùm Venæ *in Brachio* alterutro, vel utroque propter Revulſionem particularem, ſeu Averſionem, & quidem in ſtatu Venæ Raninæ *ſub Linguâ* propter Derivationem, inſtituenda eſt. Has inter Venæſectiones interdum una alterave ſufficit, interdum omnes adminiſtrandæ ſunt; & quidem deficientibus Menſibus, vel iiſdem in fluxu ſuppreſſis, vel Hæmorrhoidibus, vel iis inflammatis, cum Anginâ conjunctis, vel concurrente alio ſimili vitio, ſemper in Pede ſecanda eſt Vena, ſecus ac Foreſtus *l. a.* & Sennertus *Pr. l.* 2. *P.* 1. *c.* 4. rem ſibi conceperunt. Cæterum Venæſectionibus ſolis non fidendum eſt, quoniam ſæpiùs Ægri, quando videntur meliores, ſubitò non rarò ſuffocati intereunt; cujus rei Exemplum notatu dignum videbitis in Barbette *Praxi l.* 2. *cap.* 1. *de Angina*, ubi poſt iteratas Venæſectiones Æger videbatur ſanatus, qui tamen ſubitò ſuffocatus eſt. Quin etiam præter Remedia interna, ipſa Venæſectio interdum aliquoties repetenda eſt, pro Circumſtantiarum, Subjecti, Temporum Anni, Affectuum adjunctorum, ratione: vid. Foreſtus *l.* 15. *Obſ.* 16. *in Schol.* & Sydenham *de Morbis Acut. S.* 6. *c.* 7. ita ut, prout Corpus eſt juvenile vel ſenile, prout Plethora major vel minor, prout Efferveſcentia febrilis impetuoſior vel remiſſior, prout Incrementum Morbi acutius remiſſiuſque, prout Patiens Sanguinis detractionibus magis, vel minùs aſſuetus fuerit, eatenus Venæſectio nunc ſemel, nunc ſæpiùs adminiſtretur, idque eò magis, quò minùs interna Remedia ob Faucium occluſionem exhiberi poterunt; cautiùs tamen in Anginâ Malignâ inſtituenda, & vix niſi in primo Morbi principio.

Cæterùm quidam cum Veteribus etiam *Venarum Jugularium ſectionem* ſuadent, quam commendatam ac illuſtratam videbitis in Riverii *Praxi l.* 6. *ca.* 7. *pag.* 398. Zacuto Luſitano *l.* 1. *Prax. Admir. Obſ.* 95. Boneto *Mercurio Compital. p.* 15. §. 5. Bartholino *in eleganti Tr. de Anginâ Puer. epidem.* Imo Riverius modum eam adminiſtrandi prolixè tradit. Verùm ſubinde eſt periculoſa, & nonniſi ab experto & erudito Chirurgo cautè peragenda venit; qui rariores apud nos ſunt, hinc meritò ab illâ abſtinemus. Tutiores ſunt Cucurbitulæ ſcarificatæ Cervici, Scapulis, & Mento admovendæ: vid. Zacutus Luſitanus *l.* 4. *Obſ.* 94. Quod attinet Venæſectionem *Raninarum ſub Linguâ*: hæc tantummodò in ſtatu Morbi convenit, præmiſſis ſcilicet reliquis Venæſectionibus, quando Inflammatio jam nullum ampliùs augmentum capit: Secatur tunc eum in finem, quia Ranina ſunt iſta Vaſa, per quæ naturaliter Sanguis refluere ſolet, qui in locis vicinis ſtagnando Inflammationem infert, uti etiam ita impeditur ſtagnatio, & revocatur in motum naturalem Sanguis ſectis Venis Raninis: & quidem ſi apertæ hæ ipſæ quocunque in caſu benè fluant cum impetu & quaſi ſaltu, bonum Signum eſt; ſi verò parum vel nihil Sanguinis ſtillent pro malo, imò lethali Signo habetur: vid. M. A. N. C. *Ann.* 3. *p.* 576. Interdum ſola hæc Venarum Raninarum ſectio præcavet Anginam, ſi accedente Anginâ præſervationis gratiâ mox aperiantur; idque ſpeciatim eo in caſu, quo Corpus non eſt nimis Plethoricum, nec Fervor ac Efferveſcentia Sanguinis febrilis adeò intenſa eſt, ſed quando tantùm oritur ex impedimento aliquo Sanguinem in ſuo refluxu impediente; ſi in tali caſu mox in principio ſecentur Raninæ, prævenitur Malum; Aliàs nonniſi in perfectæ Anginæ ſtatu

utile

utile erit illas ſecare. Huc etiam ſpectat, ſi *Hirudines* Venulis his applicentur, de quibus videatur Zacutus Luſitanus *l.* 2. *Pr. Hiſtor. cap.* 12. Nec obſtabit, quò minùs in caſu urgente, & Suffocationis periculo imminente, etiam ſine aliâ evacuatione prævia Venas has aperire liceat: vid. Zacutus Luſitanus *l. a. pag.* 287. & Rolfincius *l.* 3. *Conſ.* 6.

IV. Obſervandum, in Anginâ Febrium Malignarum Symptomaticâ, ſeu quod ferè idem eſt ac *Anginâ Epidemicâ*, nihil attendendum priùs, quàm ut ſpecifica iſta Malignitas corrigatur, & appropriatis *Sudoriferis*, junctis *Opiatis*, maturè diſcutiatur ac ejiciatur; quoniam curato Morbo, Symptomata ferè ſponte ac facilè acquieſcunt. Et in tali caſu locum non habent, aut ſaltem nonniſi cautiſſimè & in primo principio, antequàm Malignitas debacchari incipiat inſtituantur Purgationes & Venæſectiones, ut rectè Petræus, & Deckers *l. a. p.* 49. monent. Quin potiùs præmiſſo ferè Clyſmate, ſolis Sudoriferis, & Alexipharmacis ſtudiosè eſt inſiſtendum, quibus nempe Ebullitio febrilis ſedetur, ac Malignitas rejiciatur. *Ipſe verò Medicus caveat ſibi in tali Anginâ ab halitu taliter ægrotantium*, ne ipſe ſimiliter ab hac Malignitate corripiatur, cùm ferè admodùm contagioſa eſſe ſoleat.

V. In Anginæ Curâ *Vomitoria* à quam plurimis inſigniter commendantur, v. g. ab Hartmanno *in ſua Pr. Chymiatr. p.* 130. & Bartholino *de Anginâ Pueror.* & quidem monente Hartmanno in Anginâ incipiente & confirmatâ; item à Rulando *in Empir. Obſ. l.* 2. *p.* 95. qui ſæpiùs cum fructu uſus fuit iiſdem. Ultimò horum ſingulariſſimum uſum videre poteſtis in Riverii *Praxi*, *l.* 6. *c.* 7. & *Cent.* 2. *Obſerv.* 10. & 24. *item in C.* 4. *Obſerv.* 60. & in aliis multis locis, qui Aquam Benedictam Morbum non rarò intrà biduum diſſolvere perhibet. Verùm & laudem & vituperium merentur, & cautè admodùm in horum legitimo uſu procedendum eſt. Legitima ergò obſervanda Occaſio, cùm Anima omnis Praxeos, in Vomitoriorum uſu: *Duo enim ſunt tempora, in quibus conveniunt* Vomitoria, nempe *Principium*, aut *periculoſiſſimus Status* Morbi. Quoad *Principium* Morbi, ſubinde admodùm proficua ſunt Vomitoria: Fit enim, interdum ſæpè, ut dicit Lindanus, ut Cauſa Occaſionalis remota Anginæ ſint vitioſa Excrementa in Stomacho & in primis viis ſtabulantia, in ſpecie Humor, quem vocant Bilem Æruginoſam, in qua, uti notum eſt, peccat Acidum imprimis, dum illa Bilis ſubtilia & morſicantia effluvia mittit ad Oeſophagum & Fauces, ubi ipſorum ſtimulo fit Inflammatio & Angina. Quando ergò Ægri teſtantur, ſe ſub primo Principio Morbi percipere vitioſos ſapores in Linguâ, æruginoſum, acrem, amareſcentem, plùs minùs nidoroſum cum ardore quodam, quaſi Sodæ, in Gulâ quandam titillationem, ſeu quaſi eroſionem, fluctuationes in Stomacho, nauſeam, ac anxietates Præcordiorum, id quod ſæpiſſimè fit in Anginâ; in tali caſu protinus & audacter opera danda eſt Vomitoriis, in ſpecie Antimonialibus, imprimis *Aquâ Benedictâ Rulandi* ſeu Infuſione Antimoniali, ut ita præcaveantur futura Symptomata, dum non tantùm quoſcumque vitioſos Humores ex Ventriculo tollit, ſed juxta vim emeticam etiam interdum Sudorem movet. Ita quando gravitas in Hypochondriis ſentitur, Vomitoria itidem conveniunt. Præterea *in Anginâ Malignâ & epidemicè* graſſante, & quæ per *Contagium* afficit Ægrum, de quibus videatur Wierus *in Obſervat.* non ſecus ac in Peſte vel Febribus Malignis contagioſis, optimum videtur conſilium, mox in primo Principio interdum ſuppeditare Vomitorium, utpote in quibus eorum uſus eſt maximè neceſſarius, modò maturè adminiſtretur.

Cæterùm poſt primum Principium conveniunt etiam Vomitoria in *periculoſo Morbi Statu*, nempe eo in caſu, quando ſcilicet jam facta eſt Suppuratio, & Symptomata maximè urgent, v. g. quando Fauces Abſceſſu ſunt præcluſæ, dum propter anguſtiam, & ineptitudinem loci, aut profunditatem ſitûs, Abſceſſus ſuppuratus Scalpello aperiri nequit, quin potiùs ex Tumore immineat Suffocatio; aut ſi ſponte aperiatur, metus ſit, ne ruptus Abſceſſus in Pulmones irruat, & ſimiliter Ægrum ſuffocet, aut in Stomachum irrumpat, & eundem inſigniter vitiet. Tali ſub anxio ſtatu, ubi aliàs arcta ſunt auxilia, ut Abſceſſus aperiatur vi, ne deſperatum relinquamus Ægrum, ultimum quaſi refugium eſt Vomitus, quo quaſi concutiatur Abſceſſus jam maturatus, & ita ruptus, Pus per ſuperiora effundat; quod Riverius *C.* 4. & Rulandus *Obſerv. all.* confirmant. Periculoſum equidem eſt Remedium, dum Fauces occluſæ, provocare Vomitum, propter Suffocationis metum, quatenus Trincavellius *l.* 5. *c.* 7. teſtatur, Fœminam quandam ex aſſumptâ Caſſiâ ſecuto Vomitu ſtrangulatam fuiſſe; *Interim tamen ſatis tutum eſt Remedium, quod eſt unicum*, dicit Celſus. Quòd ſi Medicamenta Vomitoria non poſſint ſemper deglutiri, nihilominùs tamen, ſi tantillum deglutire poſſunt Ægri, ſufficiunt Infuſa Antimonialia; ſin verò nil deglutire queant, vel Plumâ Oleo illitâ ſubinde irritandæ Fauces, vel Liquor vomitorius iiſdem ſubinde inſtillandus, *aut Mercurius Vitæ Melle* exceptus Faucibus illinendus. His enim modis ad Vomitum provocatur Stomachus, Gula concutitur, & ita Abſceſſus rumpitur.

VI. *Purgantia*, quemadmodùm in quibuſvis Inflammationibus Internis, ita in Anginâ quoque vix locum habent, niſi primas vias ſtatim in principio Pharmaco blandiore, progreſſu temporis Clyſteribus, evacuare mens ſit, quos quotidie repetere convenit.

VII. *In Tonſillarum Inflammationibus* ſæpiùs ſubinde *recurrentibus*, præſertim illâ, quæ ex Lymphæ vitio, v. g. Scorbuto aliove ſimili habituali, crebriùs recidivat, præſertim ubi Ætatis aut aliarum Circumſtantiarum ratione à priori Malum non benè curabile exiſtit, *Fonticulus* Brachio inuſtus convenientiſſimum eſt Conſilium præſervativum. Sæpiùs enim evadit, ut qui ſemel in quâdam parte Inflammationem ſuppuratam fuerint paſſi, & forſan Fermenti ulceroſi aliquid reſiduum manſerit, & facili occaſione ex irritatione undecunque factâ, præſertim in Corpore Cacochymico, mox recidivet Inflammatio, idque facilè in Locis glanduloſis; Quibus in Caſibus pro Curâ Palliativâ Fonticulus videtur convenientiſſimus, potiſſimùm cùm Anginâ ſingulis annis repetente, Fonticulum ſub Mento à Naturâ excitatum præſervaſſe Zacutus Luſitanus *l.* 1. *Prax. Admir. Obſ.* 96. teſtetur. Unde non inconveniens erit, ſtatim in Anginæ principio poſt primam Sanguinis miſſionem Veſicatorium Cervici apponere; vid. Riverius, *Pr. l.* 6. *c.* 7.

VIII. Non confundendæ ſunt Inflammationes, aliique Faucium partiumque vicinarum Tumores, ſive à Sanguine, ſive ab aliis Contentis excitentur, cum *Prunellâ*, iſto nempe Linguæ & Faucium Symptomate, quod in *Febribus Acutis*, *ac in ſpecie Caſtrenſibus ſeu Hungaricis*, familiare eſt.

Ut plurimùm hoc evenire ſolet, ut omnes de Anginâ tractantes Practici Remedia contra Prunellam uſitata ad Anginam ſimul conſignent, facilè cum legentis confuſione. Et talia *Prunellæ dicata Remedia* ſunt in ſpecie *ex Cancris*, *Sempervivum majus* (annumerantur Adſtringentibus vulgò, ſed qua ex ratione, non video) *Prunella*, *Mucilagines*, *Sal Ammoniacum*, *Nitrum*, *Butyrum*, *Lardum*, &c. quæ ipſa minùs Anginis, niſi aliis temperata vel cautè applicata, convenire poſſunt. Quando talia laudat Paracelſus, reſpicit ad Prunellam, Symptoma illud Febris Ardentis & Morbi Hungarici; adeoque non in Anginâ, ſed Prunellâ locum habent, qualia ſunt:

℞. *Aquæ Semperv. maj.* ℔j.
*Succ. ejuſd. mediocr. expr.* ℥iij.
*Sal. Ammon.* ʒj.
M. F. Gargariſma:
D. S.
Diſſolvens Gargariſma:
Vel
℞. *Cancr. fluviat.* No. vj.
*Herb. Semperv. maj.* M. iij.
Contundantur, Succus exprimatur;
D. S. ut antè.

Succus hic in Prunellâ, Febris Ardentis ac Morbi Hungarici comite, non verò in Anginâ, conveniet.

Item
℞. *Aquæ ex Succ. Semperviv. maj.* ℔j.
*Succ. Cancr. fluviat.* ℥vj.
*Sal. Ammon.* ʒiij.
M. pro Gargariſmate.
D. S. ut antè.

IX. *Externa Remedia* ipſis partibus inflammatis, Faucibus, Tonſillis, &c. applicabilia, uti ſunt *Gargariſationes* Oris, *Litus*, *Cataplaſmata*, *Unguenta*, *Emplaſtra*, & ſimilia, eò ſint directa, ut (1) quantum poſſibile, reſolvant & diſcutiant Sanguinem ſtagnantem, & inde natam Inflammationem; & talia ſunt blanda *Incidentia*, ſeu penetrantia volatilia, &c. Scopus hic contrarius eſt vulgari Methodo, quæ in principio *Repellentia*, *Adſtringentia* & *Refrigerantia*, quæ tamen peſſima ſunt, ſuadet. Quòd ſi tamen hoc fieri nequeat, (2) ejus Suppurationem ſeu Maturationem adjuvent; uti ſunt *Temperata* & *Emollientia*: (3) Tandem maturatum Abſceſſum aperiant, eadem, aut acrioribus miſta; Item Auxilia *Chirurgica*, aut denique *Vomitoria*: (4) Apertum Abſceſſum purificent & conſolident per *Vulneraria* & *Adſtringentia*: (5) Partem reſtitutam denuò firment, ac naturalem tonum ejus reſtituant, nempe per *Adſtringentia*, ne harum Atonia in causâ ſit, ut ſæpiùs recidivent Inflammationes.

In principio quidem ratione vulgaris medendi Methodi in Gargariſmatibus Reſolventia ſola rarò uſurpantur, ſed Adſtringentia, nunc ſola, nunc Diſcutientibus addita, ut nempe internè partibus Oris & Faucium non nihil adſtrictis, nimium Tumoris partium internarum incrementum præveniatur, ne Deglutitio aboleri, aut Suffocatio inferri poſſit: ſed quàm præpoſterè hoc fiat, ex doctrinâ Repellentium manifeſtum; ac præterea periculum eſt, ne hujuſmodi Adſtringentibus ſuperiora ſaltim loca proximè ſtringantur. Tumor autem & Inflammatio partium inferiorum ſic intendatur, & ad interiora convertatur, hinc Strangulationis metus intendatur, ut rectè comprobant Martianus *in Hippocr. lib. 2. de Morb. Sect. 1. §. 24.* Heurnius *in Praxi de Anginâ*, ac Sylvius *l. 1. prax. cap. 49. §. 58. & ſeqq.* uti etiam Deckers *in Commen. ſuper Prax. Barbette*, *p. 57.* ut taceam quantum periculi, in Anginâ Malignâ ex ejuſmodi Repulſione metuendum. *Repellentia ideò damnanda*, quia repellere eſt impoſſibile, ac fiunt Tumores, quatenus non refluit Sanguis; dum contrà Adſtringentibus affluxum & refluxum impedimus, exaſperamus Tumorem: unde cauti ſimus in lectione Practicorum quoad hoc punctum, cùm planè inſulſus detur quamplurimorum, in hoc paſſu, proceſſus. Potiùs ergò Gargariſmata talia conveniunt in Declinatione Morbi, ut Adſtringentibus talibus Partes per Inflammationem læſæ & plùs minùs relaxatæ firmentur denuò, & in debitum tonum reſtituantur. Sola ergò in principio conveniunt Reſolventia, & hinc Emollientia, tam Gargariſmata, quàm Cataplaſmata. Vitanda tamen ſunt nimis Laxantia, & Emollientia quoque, ne nimio horum uſu affluxui fores pandantur. Quoad Gargariſmatum uſum obſervandum eſt, ea quodammodò ſuſpecta eſſe, quia partes inflammatas nimis commovent, quæ tamen potiùs quietem poſtulant, ne ex Motu Dolor, ex Dolore Tumor, adeoque Inflammatio ſaltem Doloris ratione ſic intendatur. Cùm enim partes Faucium doleant, difficulter & non ſine Dolore Ægri poſſunt gargariſare: nec Gargariſmate Siphonis vi, eâque magnâ, impelli debent; violentior enim ſyringatio partes inflammatas magis irritat: Sic in Anginoſis nihil moleſtius eſt, quàm gargariſare, cum propter luctam Aëris cum Aquâ gargariſando in anguſtiis Faucium labor, motus, dolor, &c. Inflammationem potiùs augeant & exaſperent. Propterea *ſaltem in Principio conveniunt Gargariſmata*, *in Progreſſu autem & Statu Morbi quidam omninò prohibent ea*, quæ fiunt cum motu; & Lindanus tales ſuos Ægros nunquam gargariſare, quin potiùs tantummodò de Gargariſmate unum alterumve Cochlear aut q. ſ. in Ore tenere, ac ita ſenſim ad Fauces depellere reſupinato Corpore atque pauliſper ſine inſigni agitatione retinere, & ſic poſtmodùm ex Ore denuò effundere jubet, modò ſæpiùs repetatur. Nam quò frequentiùs, eò melius erit, ut ita horum operatio ſucceſſivè ſe exerat: vid. Riverius *Pr. l. a.*

Pro his ſcopis inter *Remedia*, quæ aut gargariſando, aut illinendo, aut externè tanquam Cataplaſmata applicando, ad Anginas ac cognatas Inflammationes uſurpantur, ſunt eadem ferè cum aliis ad Inflammationem extrinſecùs admovenda, in ſpecie ea, quæ

1. Sanguinem ſtagnantem *reſolvunt*, & Tumorem incipientem *diſcutiunt*, ver. gr. Aromata plùs minùs volatilia, item penetrantia & alterantia, ut horum medio Sanguis congrumatus diſſolvatur, attenuetur, & Inflammatio in principio ſiſtatur. Talia ſunt pro Cataplaſmatibus, Emplaſtris, Gargariſmatibus, &c. Herbæ & Flores Chamomillæ, Sambuci, Mentha criſpa, Salvia, Veronica, Thymus, Origanum, Pulegium, Hyſſopus, Scabioſa, Morſus Diaboli, Semen Lini, Fœnugræci, Farina Fabarum, Semen Anethi, Cumini, Sinapi, Rapæ, Radix Liquiritiæ, Lignum Hederæ, Fungus Sambuci, Radix Taraxaci, Crocus, Camphora, item Succus Cancr. fluv. Sempervivi maj. Decoctum Hordei, Raparum, Aqua Verbenæ, Scabioſæ, Hyſſopi, Sal Ammoniacum, Acetum (incîdit & reſolvit) ſambucinum, Oxymel, Nitrum crudum, vel depuratum, vel cum Sulphure fixatum, ſeu Lapis Prunellæ, qui aliàs ab omnibus inſigniter commendatur, Spiritus Vini, Urinæ, Salia volatilia &c. Dactyli, Paſſulæ majores & minores, Jujubæ, Cepæ, & omnia ex Cepis.

Moderni,

Moderni, ſpeciatim Walæus M. M. *pag.* 66. & Deckers *ſuper Barbette Pr. p.* 52. *Spiritum Vini*, item *Sal Ammoniacum*, ac ſimilia Volatilia Gargariſmatibus addere jubent; ſicut etiam Gargariſma ex Succo Sempervivi majoris, in quo parum Salis Ammoniaci diſſolutum ſit, inſigniter confert: Alii ceu Experimentum commendant Aquam deſtillatam ex Succo Sempervivi majoris, in qua Sal Ammoniacum diſſolutum. Et ſanè exiſtimo, *Spiritum Vini* maximè conferre, ut & *Salium volatilium* uſum tantum, quantum Partes affectæ, aliàs admodùm dolentes, perferre poſſunt; idque confirmat hoc ipſum etiam, quòd in Inflammatione & Tumore Tonſillarum Urina calida propria modò emiſſa, Gargariſationis loco adhibita, optimè prodeſſe dicatur. Et Lindanus refert, quòd vulgus contra Tonſillarum Inflammationem familiare habeat Remedium, ut *Caligas* Glandulis apponere ſoleat, id eſt, internos Calceolos ſive Soleas Tibialium; ſic reſolvunt Tumorem: Ratio eſt, quia ſcatent ſudoribus, & vaporibus Pedum, in quibus eſt vis digerendi & reſolvendi, propter *Sal volatile*, quod copioſè imbibunt. Ex quibus clarum ſit, *Volatilia* talia pro Inflammationum harum reſolutione eſſe optima. Commendant etiam Stercus Canum, item Stercus proprium, Stercus vaccinum, cujus Aquam Reiſnerus *Obſerv.* 191. laudat. Spectat huc Nidus Hirundinum, & hujus Cataplaſma, de quo vid. Valeriola *lib.* 2. *Obſ.* 10. & Amatus Luſitanus *C.* 3. *Curat.* 28. item Mynſicht *in Arm. Chym.* & Sennertus *de Angina*; quatenus ſcilicet ratione Excrementorum, Sale nitroſo turgidorum, vim reſolvendi habet. Ex præparatis ſunt Oleum Amygdalarum dulcium, Unguentum Dialthææ, Emplaſtrum de Meliloto, de Mucilaginibus, ac Defenſivum.

Hæc ſunt Reſolventia ſeu Attenuantia.

2. Conveniunt ea, quæ *emolliunt*, ſeu Tumorem, qui diſcuti nequit, ad Abſceſſum & Maturationem perducunt: cum quibus ſemper aſperitatem Faucium & Dolorem ardentem ac rodentem mitigantia, ſocianda veniunt. Conveniunt igitur Temperata quævis, v. g. Althæa, Malva, Melilotus, Chamomilla, Violaria, Caricæ pingues, Radices Liliorum alborum, Althææ, Paſſulæ, Jujubæ, Mucilago dictorum Seminum & Radicum, Flores Malvæ arboreæ, Semen Fœnugræci, Medulla Panis triticei, Gummi Ammoniacum, Ungu. Dialthææ reſumptivum, Emplaſtrum de Meliloto, Diachylon, Decoct. Hordei, Lac tepidum, Oleum Amygdalarum dulcium, Oleum Liliorum alborum, Chamæmelinum, Anethinum, Violarum, Irinum, Ovorum, Oleum decoctionis Exuviarum Serpentum, Butyrum recens, Vitella Ovorum, Pinguedo Caponis, Gallinæ, Humana, Porcina, vel ubi fortiùs agendum, locum habent Pinguedo Anſerina, Cepæ imprimis ſub cineribus coctæ, Cataplaſma ex Pane triticeo cum Melle, Cinis Hirundinum, Cochlearum combuſtarum, Cancrorum fluviatilium, Cinis Noctuæ; *Nidus Hirundinum cum Stercore* eſt optimum pro omnibus & quaſi univerſale ad Anginam, tam reſolutioni, quàm ſuppurationi Abſceſsûs inſerviens, non ſecus ac alia *Stercora*, in ſpecie Canis, ſive *Album Græcum*; item Hirundinum, Gallinarum, Columbarum, Equinum, &c. conveniunt; Illa ipſa enim, quia multum *Salis Ammoniaci* quaſi *Nitroſi* continent, propterea plurimis ſcopis ſatisfaciunt: Item detineri poterit in Ore Medulla Caſſiæ, ut ſenſim liquefiat: vid. Riverius *l. a. p.* 284. Rulandus Cataplaſma ex Fermento & Melle & Flor. Chamomillæ, Aceto, & Oleo; ex Stercore Canino & Melle; ex Stercore Caprillo, Aceto & Melle; item ex Abſinthio contuſo & Pinguedine Porcinâ eundem in finem commendat.

3. Abſceſſum jam factum & apertum *mundificant & conſolidant* Simplicia Vulneraria, eorumque Decocta, imprimis cum Aquâ Ferrariorum, addito Melle, Alumine, &c.

4. Sublatâ Anginâ & conſolidato Abſceſſu, aut diſcuſſo Tumore, ſi neceſſarium fuerit, *ad Partes roborandas* fiat Decoctum ex Herbâ Prunellæ, Plantag. & Flor. Roſarum in Vino decoctis; quibus addendum Rob Dianucum, Diamoron, Rob Caricarum, Succus Acaciæ, Citri, Granat., Syr. de Roſis ſiccis, Myrtillor. Cydonior. &c. q. ſ. pro Gargariſmate blandè Adſtringente. Adſtringunt etiam Myrtilli, Rhus, ſive Sumach, Gallæ, Flor. Bellidis, Balauſt. Cortex Granator. Jugland. Folia Rubi & Myrti, Uvulariæ, Plantag., Alumen, Aqua ſeu Phlegma Aluminis, Phlegma Vitrioli, Aquâ Nucum jugland. deſtillatâ, Aquâ Prunellæ, Aquâ Ferrariorum, Solani, Burſæ Paſtor. aut alio convenienti Vehiculo diluta; Item Sacch. Saturni, Ceruſſa, &c.

Interim toto Morbi decurſu Potui ordinario ſemper Nitrum probè depuratum aut antimoniatum addatur, ceu optimum Febricitantium ac impensè ſitientium Ægrorum auxilium, ita ut ad ℔ij. *Potûs* miſceatur *Nitri* ʒß.

Ex hiſce variæ poſſunt fieri *Formulæ*: ſic enim v. g. pro *Gargariſmate* ſufficit, vel ſolum Decoctum Raparum, quod egregium eſt in principio harum Inflammationum, vel, quod melius, adde parum Sal. Ammoniaci, aut ſi in principio Ardor adſit, Nitri parum: Item eminet hîc in principio Gargariſmus Sculteti, ut & in incremento, reverà polychreſtus, quem videb. *in Armam. Chirurg. Obſerv.* 32. inhibet nimium Tumoris incrementum, Mucilaginem Fauces oblinentem egregiè ſolvit & foras elicit, & denique Abſceſſum rumpit. Feliciter etiam ſequens uſurpavit Riverius *Cent.* 4. *Obſ.* 76. v. g.

℞. *Aquæ Plantag.* ℔ß.
*Aceti Vini* ʒiſß. ad ʒij.
*Sacch. albi* ʒß. ad ʒiß.
*Pulv. Sem. Sinapi* ʒj.
M. pro Gargariſmo.

quo calidè gargariſetur Os.

Convenit etiam in *principio & incremento* Inflammationis *Gargariſmus* Hartmanni *quaſi catholicus in Pr. Chymiatr. cap.* 85. §. 3. *pag.* 726. reſolvens & diſcutiens, quem commendat in omnibus ferè Faucium Affectibus. Deſcriptio autem ejus hæc eſt:

℞. *Flor. Malv. hortenſ.* vel *arbor.* M. j.
*Roſar. rubr.*
*Prunell. Veron.*
*Salv.* ana Mß.
*Rad. Polypod.* ʒij.

Coquatur in

*Aquæ commun.* ℔iv.
*Aceti Vini* ℔ß.

ad caſum tranſverſi pollicis cum levi expreſſione. Ubi viſcidior Mucus, præſertim in Tonſillis inflammatis, adfuerit, *Sem. Sinapi* vel *Saponis Venet.* ʒj. ad ʒiij. ſimiliter decoqui poterit; ſicuti, ubi acrior videtur talis *Gargariſmus*, cum leni expreſſione Colaturæ *Sacch.* ʒj. ad ʒiij. aut *Mellis*, vel *ſimpl.* vel *roſac.* addi poteſt; eſt enim egregium in incipiente & augmentante Anginâ: Ad imitationem Deckers *in Comment. ad Barbette Praxin* tale Gargariſma in principio & incremento Inflammationis præſcribi poterit; verb. grat.

℞. *Herb. Hyſſop.*
*Flor. Sambuc.*
*Chamomill.*
*Herb. Melilot.* ana M. j.
*Sem. Sinapi* ʒß. ad ʒj.
*Paſſul. min.* ℥ß. vel ʒvj. ad ℥j.
Coquantur in ſ. q. *Aquæ ſimpl.*
*Colat.* ℔j. ad ℔iß. adde
*Spiritûs Vini* ℥j. ad ℥iß.
(vel hujus loco *Spiritûs Sal. Ammoniaci* ʒj. vel
*Sal. Ammoniaci crudi* ʒß.
M. pro Gargariſmate: S.
Gargariſma Reſolvens.

Confer. quoad talia Gargariſmata Diſcutientia Deckers *in Commentar. ad Barbette p.* 19. 52. 57.

Vel

℞. *Flor. Sambuci* Mij.
*Herb. Salv.*
*Hyſſopi* ana Mj.
*Albi Græc.* ℥ß.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ* vel *Cereviſ. ſecundar.*
Colaturæ ℞. ℔iß. adde
*Spiritûs Theriacal. camph.* ʒvj.
*Sem. Sinap.* ʒß.
*Rob Dia-Mor.* (vel ſi minùs adſtringere voluerimus *Rob Dia-Nucum*) ʒvj.
M. pro Gargariſm.
D. S. ut ſuprà.

Vel

℞. *Flor. Sambuci* M. ij.
*Chamom.*
*Herb. Melilot.* ana Mj.
*Alb. Græc.* ʒvj.
*Sem. Erucæ contuſ.* ʒij.
*Paſſul. minor.* ℥ß.
Coqu. in ſ. q. *Cereviſ. ſecundar.*
Colatur. ℔iß. adde
*Sal. Ammoniaci* ʒiß.
M. pro Gargariſmo.
D. S. ut ſuprà.

Item ſequens Gargariſmus Reſolvens & Diſcutiens, quem dedi in *Colleg. Formul. cap.* 4. & *Id. Formular. Claſſ.* 4. §. 26.

℞. *Rad. Leviſt.* ʒvj.
*Apii* ʒij. vel ʒiij.
*Flor. Sambuc.* M. iß.
*Fol. Malvæ* M. j.
*Paſſul. maj. inciſ.* ℥iß.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ comm.* vel *Decoct. Hord.*
Colaturæ ℔iß. adde
*Sal. Ammoniaci depurat.* ʒß. ad ʒj.
M. pro Gargariſm. S.
Gargariſma Reſolvens.

Loco paſſularum maj. adde Colaturæ
*Mell. Mercurial.* ℥j.
*Spiritûs Theriacal.* ʒvj.
(aut in Anginâ Malignâ ac Contagioſâ *Spiritûs Vini camphor.* ℥ß.)
*Spiritûs Sal. Ammoniaci* ʒß. ad ʒj.
M. S. ut antè.

Vel in Decocto quodam diluto diſſolvatur q. ſ. *Sal. Tartari, & Sal. Ammoniaci*, ut ita ſui juris fiat Sal volatile, ac ita penetrare queat, addito pro temperandâ Volatilium acrimoniâ aut *Melle roſato*, aut *Syrupo Violarum*, aliove ſimili temperante. Sanè loco Gargariſmatis domeſtici optimè in his caſibus convenit Decoctum Hordei vel Avenæ, in quo parum Sal. Ammoniaci diſſolutum eſt; imò ſola Urina humana calida aut calefacta loco Gargariſmatis adhibita multa compoſita ſuperat.

Item:

℞. *Herb. Morſ. Diab.* M. iv.
*Scabioſ.*
*Veronic.* ana Mj.
*Albi Græci* ℥ß.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ ſimpl.* pro Gargariſmate.
D. S. ut ſuprà.

Vel

℞. *Aquæ Morſ. Diab.* ℥vj.
*Beton.*
*Scabioſ.* ana ℥iij.
*Rob Nucum*,
*Dia-mor.* ana ℥iß.
*Alb. Græc.* ℥ß.
M. pro Gargariſmate.
S. ut ſuprà.

Vid. *Colleg. Pharmaceut. in Schrœderum.* Præter talia Gargariſmata Reſolventia, ulteriùs etiam *Externa* pro ſimilibus ſcopis in uſu eſſe ſolent, v. g. pro diſcutiendo & reſolvendo Tumore convenit *Cataplaſma* ſuprà laudatum *ex Abſinthio rec. contuſo cum Pinguedine Porcinâ*, quod Rulando *p.* 101. in principio & incremento eſt egregium: Vel Stercus Caprillum cum Aceto & Melle; vid. Rulandus *pag.* 98. Inſuper appropriatiſſima Cataplaſmata, in principio & incremento Morbi convenientia, parantur ex Nido Hirundinum & Albo Græco; de *quibus infrà* ubi *de Suppurantibus*. Pro ſcopo autem reſolvendi & diſcutiendi Nidus Hirundinum cum Vino coquendus. In omni Inflammatione ſpecificum eſt ſequens Oleum, tam in Inflammationibus à Frigore, quàm Calore ortis:

℞. *Sulphuris citr. pulveriſ.*
*Sal. Tartari* ana ʒj.
Probè mixta liqueſiant blando igne in lebete; maſſæ frigefactæ & pulveriſatæ affundantur
*Olei Amygd. dulc.* ℥iij.
*Camph.* ʒß.
ſtent in digeſtione per tres dies:
adde
*Flor. Hyperic.* M. ß.
Iterum digere, & uſui ſerva.

Vel

℞. *Olei Amygdal. dulc.* ℥j.
*Spiritûs Sal. Ammoniaci* q. ſ. pro conſiſtentiâ Linimenti.
M. D. S.
Unguentum Diſſolvens.

Quod extrinſecùs locis tumentibus calidè crebrò illinendum.

Vel ex *Terebinthinâ*, cum *Sale volatili Urinæ*, *aut Sale Ammoniacô malaxatâ*, & hinc cum *Unguento Dialthææ*, *Emplaſtro de Meliloto* miſtâ.

Vel

℞. *Empl. de Melil.* q. ſ.
malaxetur cum *Oleo Philoſophor.*
vel *Ol. deſtillat. Succini* aut *Ceræ.*
D. S.
Emplaſtrum Reſolvens.

Externè enim applicatum incipientes Inflammationes Tonſillarum & Faucium tollit & diſcutit.

Vel

℞. *Ungu. Dialth.* ʒij.
*Olei Lil. alb.*
*Chamom.* ana ℥ß.
*Philoſ.* vel *Succin.* ʒij.
M. pro Linimento externo, S.
Unguentum Reſolvens.

Quòd ſi verò nequeat diſcuti talis Tumor, in progreſſu Morbi pro maturando Abſceſſu, ob dolorem & excoriationem Faucium & Phlogoſin, nil, quod tantillum acre ſit, ſed ſimpliciter dulcia temperata Emollientia adhibeantur, ne dolores exacerbentur. Quo in caſu in incremento & ſtatu tale convenit Gargariſma temperatum emolliens, & ad Suppurationem diſponens:

℞. *Rad.*

℞. *Rad. Liquirit.* ʒß.
*Ebuli*,
*Ireos* ana ʒij.
*Flor. Chamom.*
*Rosar. rub.*
*Hyperic.* an. P. ij.
*Dactyl.* No. iij.
*Ficuum* No. j.
*Sem. Fœnugræc.* ʒij.
*Albi Græci* ʒiij.
Coqu. *in Decocto Rapar.*
Colaturæ ℔iß. adde
*Syr. Capill. Veneris*,
*Jujubin.* ana ʒj.
M. pro Gargarismate. S.
Gargarisma Leniens.

Nam propter Dolorem & Fauces excoriatas in progressu Morbi vel minima Acria sunt admodùm dolorosa. In progressu ergò Morbi talia Dulcia ac blandè Detergentia, & detergendo Maturantia conveniunt:

℞. *Rad. Alth.* ʒij.
*Liquirit.* ʒj.
*Herb. Malv.* M. j.
*Chamom.*
*Melilot.* ana Mß.
*Fic. pingu. incis.* No. ij.
*Alb. Græc.* ʒiij.

Coq. in s.q. *Aquæ comm.* vel *Decocti Rapar.* vel *Seri Lactis*; vel ubi minor adest Æstus & nimius Dolor, ipso *Lacte cum Aquâ misto* vel *Lacte ebutyrato*, pro Gargarismate: (nam Serum Lactis & ipsum Lac calidum in Ore detentum potenter detergunt, Dolores leniunt & Abscessum maturant.)

D. S.
Gargarisma Emolliens.
Vel

℞. *Herb. Malvæ*,
*Melilot.* ana M. j.
*Rad. Alth.* ʒj.
*Fic. pingu.* No. vj.

Coqu. in s. q. *Lactis*; aut ubi Ardor & Inflammatio intensior, in *Sero Lactis*. Colatura a ℔iß. ad ℔. iij. usurpetur vel ita nudè, vel addatur *Syr. Violar.* vel *Mell. despum.* q. s.
M. pro Gargaris. Anodyno & Maturante in statu:

D. S. ut antè.

Cui, si Materia suppuranda pituitosior ac viscidior fuerit, aliquid *Sapon. Ven.* unà incoqu. Vid. *Coll. Form. l. a.*

Præter ea Gargarismata, etiam externè conveniunt *Emplastra*, *Unguenta*, & *Cataplasmata*. Inter *Unguenta* usitatum est Unguentum Dialthææ cum Oleo Chamom. vel Amygd. dulcium: inter *Emplastra*, Emplastrum de Meliloto: inter *Cataplasmata*, Emollientia & Suppurantia: v. gr. sequenti modo communiter solet ordinari:

℞. *Medull. Panis tritic.* ℔ß.
*Rad. Alth.*
*Lil. alb.* ana ʒj.
*Sem. Lini* ʒvj.
*Fœnugræc.* ʒß.

Coqu. in *Lacte dulc.* q. s. ad consist. Pultis; trajiciantur per Setaceum; adde

*Ol. Amydg. dulc.*
*Lil. alb.* ana ʒß. vel ʒvj.
*Butyr. rec. non salit.* ʒiij. vel ʒß.
*Croci* ʒß. ad ʒj.
*Vitell. Ovor.* No. j. vel. ij.

M. applic. pro Cataplasm. omnibus horis repetendo: S.

Cataplasma Emolliens ad Collum.

Temperata enim hujusmodi temperant acrimoniam Salium in Inflammatione suppurante effervescentium; & quò magis temperant acrimoniam, eò magis Dolorem minuunt, & Suppurationem promovent.

Vel

℞. *Fic. pingu.* No. vj.
*Herb. Malvæ*,
*Melilot.* ana M. iß.

Coqu. in s. q. *Lactis*:
Colaturæ ℔ij. adde
*Mell. despumat.* ʒij.

M. f. Cataplasma Suppurans contra Tumorem Tonsillarum.

D. S. ut suprà.
Vel

℞. *Herb. Malvæ* Miij.
*Melilot.* Mj.
*Flor. Chamom.*
*Samb.* ana M. iß.
*Ficuum ping.* par. iij.

Coqu. in s. q. *Lactis* ad putrilag. trajiciatur per Setaceum.

Pulpæ trajectæ ℔j. adde
*Pulv. Sem. Lini*,
*Fœnugræc.* ana ʒj.
*Olei Lil. albor.* ʒij.
M. pro Cataplasmate.

D. S. ut supra.

Cataplasma Suppurans & Discutiens cum Myrrhâ vid. in Horstii *Obs.* 125. & 126.

Vel

℞. *Cepam* cavam, immitte *Theriacam*,
& impone.

Cæterùm Appropriata hic magis sunt ea, quæ fiunt ex Nido Hirundinum (quo plus Stercoris habet, eò melius, quod nitrosum & ammoniacale imprimis convenit in Cura Anginæ) sub igitur & coquitur cum Melle, Axung. Porci, inspergendo *Alb. Græcum*, & sic fit Cataplasma, simplex quidem, sed admodùm egregium in Curâ Anginæ.

Vel

℞. *Nidi Hirund. cum Sterc.* No. j.
*Albi Græci* Mj.

Hæc coquantur in *Vino*, in principio Morbi, ubi discutiendum; vel in incremento & statu, ubi maturare & Dolorem sistere animus est, in *Lacte*: trajiciatur per Cribrum, & sæpiùs applicetur instar Cataplasmatis Colli & Faucium regioni; quod admodùm egregiè convenit.

D. S.
Singulare Cataplasma ad Collum.

Qui autem Composita Cataplasmata desiderabit, præscribat Emplastrum seu *Cataplasma de Nido Hirund.* Mynsicht. *in Thesaur. Sect. ultim. pag.* 524. Item *Pauli Lutheri*, *in* Sennerto *ubi de Anginâ*; *item* Barbette & Deckers *in Chirurg. ubi de Inflammatione*, in specie *de Anginâ pag.* 55. & 58. Vel potest fieri tale Cataplasma compositum.

℞. *Nid. Hirund. cum Sterc.* Num. j.
cui adde
*Herb. Malv.*
*Althææ* ana Mj.
*Flor. Chamom.*
*Melilot.*
*Sambuc.* ana Mij.
*Farin. Hord.* ʒiij. (vel *hujus* & *Farin.*
*Fabar.* ana ʒiß.)
*Croci* ʒi.
*Olei Rosar.* ʒiiß.
*Chamom.* ʒß.

M. coqu. in Aquâ vel Lacte, & instar Cataplasmatis applicentur.

D. S. ut

D. S. ut ſuprà.

Vel

℞. *Rad. Alth.*
*Lilior. alb.* ana ℥ij.
*Flor. Chamomill.*
*Melilot.*
*Malvæ* ana Mj.
*Sem. Fœnugræci*,
*Lini*,
*Pſyllii* ana ʒij.
*Alth.* ʒiij. ad ℥ß.
*Nid. Hirund.* No. j.
*Alb. Græci* ℥j.
*Fic. ping.* No. iv. vel vj.

Inciſ. & contuſ. coqu. in *Aqua ſimpl.* vel *Lacte*, vel *Sero Lactis*, ad conſiſtentiam Pultis: Pulpæ trajectæ adde

*Olei Lilior. alb.* ℥j. vel ℥ij.
*Rutac.* vel *Chamomillæ* ʒvj. ad ℥j.
*Pulv. Noctuæ comb.* ʒij.
*Croci* ʒj. vel ʒiß. ad ʒij.
*Vitell. Ovor.* No. ij. vel iij.

M. pro Cataplaſmate Reſolvente & Emolliente in Inflammatione Tonſillarum.

D. S.

Cataplaſma Emolliens.

Omnibus 4. vel 5. horis repetatur.

His ipſis Cataplaſmatibus *Ceparum ſub ciner. coctarum* ℥ß. vel etiam *Succus Ceparum* convenientiſſimè additur, imprimis in Inflammationibus Nothis, ubi non Sanguis purus, ſed magis pituitoſus, ſeu Chylo magis temperatus Inflammationem excitaverit, cùm Succus Ceparum potenter maturet, ſimulque Abſceſſum rumpat. Loco Seminum, eorum Farinæ Pulti trajectæ addi poſſunt: e. g.

℞. *Nid. Hirund. cum Sterc.* Num. ij.

adde

*Herb. Malv.*
*Alth.* ana M. j.
*Flor. Chamom.*
*Samb.* ana M. ij.
*Farin. Hord.* ℥ij. vel ℥iij.
*Cep. ſub cin. coct.* No. ij.

Coqu. ad conſiſt. Catapl. adde

*Olei Chamom.* ℥iij.

M. S. ut ſuprà.

Applicetur externè Anginis & Faucium Inflammationibus.

℞. *Nid. Hirund. cum Sterc.* Num. j.
*Cepar. ſub cin. coct.* Num. iij.
*Flor. Sambuc.* M. ij. vel iij.

Coqu. in Cereviſiâ vel Lacte: Pulpæ trajectæ adde

*Albi Græci* ℥ß.
*Olei deſtillat. Chamom.* ʒß.

Cum ſ. q. *Olei Chamom. coct.* vel *Lilior. albor.* F. Cataplaſma. D. S.

Cataplaſma Emolliens.

Vel

℞. *Nid. Hirund.* No. ij.
*Alb. Græci*,
*Rad. Lilior. albor.*
*Alth.* ana ℥j.
*Fic. ping.* No. iv.
*Flor. Chamomill.*
*Melilot.*
*Malvæ* ana M. j.
*Sem. Fœnugræci.*
*Lini*,
*Alth.* ana ℥ß.
*Cepar.* ʒvj. (Barbette *Prax. pag.* 23.)

Coq. in *Aquâ Prunell.* & *Semperviv.* ad putrilag. poſteà trajice per Setac. adde

*Pulv. Noctuæ combuſt.* ʒiß.
*Ol. Lil. albor.* q. ſ.

M. pro conſiſtentiâ Pultis S.

Puls externa ad Collum.

Applicetur calidè: Experimentum eſt D. Michaelis. Loco Cinerum Noctuæ uſurpari poſſunt Cineres Hirundinum.

Vel

℞. *Rad. Alth.*
*Lil. alb.* ana ℥j.
*Cepar. ſuper ciner. coct.* ʒvj.
*Nidi Hirund.* No. j.
*Ficuum.*
*Dactyl.* ana No. iij.
*Alb. Græc.* ℥ß.

Coqu. in ſ. q. *Aquæ Hordei*: Colaturæ ℔j. adde

*Farin. Tritic.*
*Sem. Lini*,
*Fœnugræci*,
*Rad. Alth.* ana ℥j.
*Vitell. Ovor.* No. ij.
*Croc. Orient.* ʒij.
*Olei Chamom.* ℥ijß.

M. pro Cataplaſmate.

D. S. ut ſuprà.

Præmittantur his Cataplaſmatibus externæ Inunctiones ex Ungu. Dialthææ, vel aliis Emollientibus ſuprà dictis, & deſuper Cataplaſma applicetur pro meliori operatione, quod toties repetendum & *reiterandum* eſt, quoties ſiccetur; ſiccum enim nullius eſt usûs.

Suppuratâ his ipſis Inflammatione, pro meliori *Abſceſsûs apertione* Fauces illinantur internè cum *Melle*, vel ſolo, vel cui additum ſit q. ſ. *Albi Græci*, quæ probè permiſta & ſubacta illinuntur cum Plumâ vel Penicillo; hoc namque admodùm maturat Abſceſſum, & Suppurationem promovet: Vel *Mel* aut Syrupus de Roſis ſiccis cum Cineribus Hirund. ſubactum, & Abſceſſui illitum optimè ſolet maturare & aperire; aut etiam, ſi fieri poteſt propter Dolorem, parum Salis Ammoniaci addendum eſt, & erit eò melius: item Noctua combuſta cum Melle mixta & illita promptè Abſceſſum aperire aſſeritur. Quidam commendant tanquam Specificum ad Anginam Filum purpureum, cum quo ſtrangulata fuit Vipera, ſi Collo circumdetur; de quo Experientia conſulenda: Res mihi videtur admodùm dubia. His ipſis ſi ſponte aperiatur Abſceſſus, res ſalva eſt: verùm ſi hoc non fiat, coquatur Gargariſma ex Sinapi in Hydromelite; e. g.

℞. *Hydromel.* ℔j.
*Sem. Sinapi* ʒj.

Hoc coctum in ore detineatur & gargariſetur donec Abſceſſus apertus. A Sennerto *in Praxi*, *ubi de Anginâ*, laudatur ad citò reſolvendum: in Suffocationis diſcrimine admodùm præſtans habetur.

Alii recipiunt Spiritum Vitrioli, cui Pluma leviter intincta, hâc ipsâ attingunt Abſceſſum, ut ita rumpatur.

Vel

℞. *Vini alb.* vel etiam *Aquæ font.* ℔ij.
*Olei Vitrioli* gutt. xxx.

M. D. S.

Gargariſma Aperiens.

Hoc ſæpiùs gargariſetur ac eluatur iiſdem Os, ac Fauces; ſic enim citò ruptus fuit Abſceſſus, & eſt Euporiſton Rulandi *in Theſauro ſuo.*

Bartholetus Ceu Secretum ad rumpendum Abſceſſum commendat Cataplaſma externè applicandum, factum ex Cremore Radic. Ireos recentis, cum Butyro & Oleo violaceo, quod mirabili

cum

cum ſucceſſu Abſceſſum rumpere aſſerit.

Aliis irritis Screatus, Tuſſis, ac tandem Vomitus provocandus eſt, quæ Abſceſſum nonnihil aperiunt. Quibus etiam irritis, Scalpello incurvato, ſi pateat Abſceſſus, (ſi aliquo modo videri poteſt,) aperiendus & incidendus, ut à Suffocatione liberetur Æger. (B)

Quòd ſi Suffocationis immineat periculum, aut modis hiſce nec Tumor, nec Abſceſſus, removeri aut aperiri queat, ne ſuffocetur Æger, *Laryngotomia*, quam Germani pavidi abhorrent, adminiſtrari poteſt; auxilium tamen aliàs eſt ſatis tutum, & abſque ullo periculo conjunctum, de quo vide Chirurgi Practici, v. g. Barbette *in Pr.* &c.

Aperto Abſceſſu, *tertio* loco *Ulcus in Faucibus mundandum & demum conſolidandum eſt*; pro quo Scopo inſervit Gargariſma ex Aquâ Mulsâ, in qua aliquoties Ferrum ignitum ſit extinctum, ſi eadem eluantur Fauces: vel

℞. *Decoct. Hord.* ℔j.
*Mell. roſat.* ʒiij. vel ʒiv.
M. D. S.
Gargariſma Eluens.

Quod ſufficit: Item adhibeatur Decoctum Plantag. cum Rad. & Foliis Quercûs vel Meſpilorum, cui Mel aut Rob Diamoron additum ſit, quæ purificant, & conſolidant: vid. Rulandus *p.* 98. Vel Mixtura Timæi *l.* 2. *Caſ.* 1. ſub Linctûs ſpecie uſurpanda; item Decoctum Veronicæ cum Melle; quibus in Abſceſſibus contumacioribus, & quæ conſolidari nolunt, addatur parum Spiritûs Vitrioli, quantum ſaltem ad blandam aciditatem neceſſarium eſt, partim meliùs purificat, partim conſolidat Abſceſſum; utut probè obſervandum ſit, quòd ſordida ac contumacia Tonſillarum Ulcera ordinariò ferè pro fundamento habere ſoleant Luem Veneream.

Vel

℞. *Herb. Prunell.*
*Veronic.*
*Salviæ*,
*Scabioſ.* ana Mj.
*Rad. Liquirit.* ʒiij. vel ʒß.
*Alum. crud.* ʒj.
*Mellis roſac.* ʒij.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ ſimpl.* pro Gargariſmo.
Colatura D. S.
Gargariſma Eluens
Vel

℞. *Herb. Prunell.*
*Veronic.*
*Salv.* ana M. ß.
*Rad. Polypod.*
*Liquirit.* ana ʒij.
*Alum. crud.* ʒj.
*Mellis roſat.* ʒj.
Coq. in ſ. q. *Aquæ ſimpl.*
Colatura adhibeatur pro Gargariſmate purificante & conſolidante:
D. S. ut antè.

Quòd ſi propter *latentem Scorbutum Ulcera* talia *Faucium ſint contumaciora*, optimum eſt, ſi *Mel roſaceum* impræegnetur cum *Spiritu Salis benè rectificato q. ſ.* ad ſuavem aceſcentiam quo ipſo multa præſtari poſſunt in Faucium & Oris Exulcerationibus.

*Quòd ſi ſordidiora ſint Ulcera*, ad Viride Æris recurrendum erit; nempe vel ad *Aquam Viridem* Plateri, aut Hartmanni, quam *videb. in ejus Pr. Chym. cap.* 52. *theſ.* 4. & 5. Quibus ipſis attingantur Ulcera Penicillo, & hinc vel *Gargariſmus*, *vel Litus cum Melle roſaceo* inſtituatur; vel horum loco recipiunt Chirurgi *Unguentum Ægyptiacum*, ſubigunt *cum Melle roſaceo*, ita ut acrimonia ejus nonnihil temperetur. Hoc ipſo cum Penicillo attingunt & mundificant Ulcera, præſertim ſordida, aut jam ad Gangrænam declinantia. *Conſolidat* poſtmodùm talia Ulcera *Decoctum Veronicæ cum Melle*, quod eò potentius eſt, ſi de *Alumine* aliquantulum ſimul addatur. Tandem & Linimenta cum pauxillo Aluminis pro conſolidando Abſceſſu non ſunt incongrua; hinc ad imitationem Timæi *von Guldenklee*, e. g.

℞. *Rad. Ireos Flor.* ʒiij.
*Myrrhæ el.* ʒß.
*Alum. uſti* ʒß. ad ϑij.
*Mell. Roſati* ʒiß. ad ʒij.
M. F. Linimentum Ulcera mundificata conſolidans. S.
Unguentum Conſolidans ad Collum.

Conf. Timæus *von Guldenklee in Caſib. lib.* 2. *Caſ.* 1. *p.* 78. qui ſequens habet Linimentum:

℞. *Rad. Ireos Flor.*
*Angelic.*
*Caryophyllat.* ana ʒj.
*Aluminis uſti* ϑij.
*Mell. roſ.* ʒij.
Miſc. & loco Abſceſsûs illinatur.

Tandem ſi neceſſarium fuerit, ad roborandas Partes læſas in fine Morbi fiat Decoctum Prunellæ, Plantaginis & Florum Roſarum in Vino decoctis; quibus addatur Syrupus *Dia-Nucum* q. ſ. pro Gargariſmate blandè Adſtringente.

Vel

℞. *Aquæ Prunell.*
*Plantag.*
*Betonic.* ana ʒij.
*Rob Nucum*,
*Dia-Mor.* ana ʒiß.
M. pro Gargariſmate Adſtringente.
D. S.
Gargariſma Adſtringens.

Quoad *Anginam Notham* ſeu *Pituitoſam*, aliàs *Albam*, optimè hanc pertractat Mindererus *in Medic. Milit. p.* 109. *& ſeqq.* In hac Venæſectione haud opus eſt, niſi in Plethoricis, ne affluxus major contingat. Convenient potiùs in principio Sudorifera, & poſt hæc Purgantia leniora, cum externis Reſolventibus. Nempe ubi lentor viſcidus obſidet Linguam, prodeſt Abſterſio Faucium mediante Linteolo cum Aceto, & fiat poſtea Gargariſatio cum *Decocto Florum Liguſtri*, Salviæ, & Origani, Rad. Pyrethri, Sem. Sinapi, *in Aquâ cum pauco Aceto*, vel cum Aquâ Florum Liguſtri & Plantaginis, additâ Myrrhâ, particulâ *Salis Ammoniaci*, item juxta Deckers *Prax. Barbett. p.* 51. Spiritu Vini, & Spiritu Salis Ammoniaci; ſin verò *Aphthæ* adſint, loco *Salis Ammoniaci* addatur *Alumen*; loco *Aceti* etiam *Succus Sempervivi recens*, *acuatus cum Sale Ammoniaco*, utilis eſt pro abſtergendâ Linguâ. Quibus ſi Tumor ſuppuretur, Appropriata ſuperius recenſita ſubſtituuntur: vid. Sennertus *lib.* 2. *Part.* 2. *c.* 24. Purificato Ore Succus Sempervivi recens inungi poteſt cum *Rob Nucum* vel *Dia-Mor.* ſubactus cum pauco *Melle roſato*. Collo verò exteriùs admoveantur Reſolventia, qualia ſunt Salvia, Hyſſopus, Serpillum, Flor. Chamomillæ, Radix Leviſt. Liquiritiæ, &c. Quòd ſi verò ex Inflammationis augmento & Symptomatum circa veſperam exacerbatione in Abſceſſum



(B) Nota Cyrilli. *Diligentis Chirurgi digiti, in ægrotantis gulam immiſſi, ſecurioris ſcalpelli vicem ad Abſceſſum rumpendum apud noſtrates ſæpiſſimè gerunt.*

vergat, Reſolventibus dictis adjungantur Emollientia, v. g. Herba & Flores Meliloti, Violarum, Rad. Althææ, Malvæ, Sem. Lini, Fœnugr. Caricæ, Lac tepidum, Oleum Lil. alb. Chamom. Empl. de Meliloto, &c. Ruptus Abſceſſus vel ſolâ Aquâ mulsâ, vel Gargariſmate ex Decocto Florum Roſar., Plantag. Veronicæ, Rad. Liquirit. & Conſolidæ maj. cum Melle ſimplici & roſato detergitur, & ad Cicatricem uſque mundificatur.

Propter Materiæ affinitatem conſideremus *Aphthas.*

## MEMBRUM I.

### *De Aphthis.*

IN Infantibus *Aphthæ* dicuntur Germanicè *die Schvvammigen*, quæ nihil aliud ſunt, quàm *aliqualis Excoriatio aut levis Exulceratio omnium Oris partium, ſubinde & Oeſophagi ac Ventriculi*; id quod patet tunc in rejectis Excrementis, cum quibus Squamulæ rejiciuntur, ſeu leves quaſi Cruſtulæ.

### CAUSÆ.

Aphthæ ſuccedunt ferè Febribus ingentibus & æſtuoſis, ſuntque Puſtulæ, quæ ſucceſſivè in Ulcuſcula abeunt, & in Febribus vehementioribus his excitantur ex acrioribus Humoribus, & ferè iſtis Febribus ſuperveniunt, quæ Homines *crudi Ventriculi*, ſeu qui ſunt *æruginoſis ſeu porraceis recrementis referti*, corripiunt. Hunc ſi Medicus evacuare in tempore neglexerit, Aphthæ neceſſariò ſequuntur. Utut autem Ventriculus purus ſit, nihilominùs interdum Aphthæ oriuntur, nempe à *Salivâ corruptâ* à ſalſo & acri Humore. Quæ à Ventriculo initium capiunt, in imis Faucibus obſervantur; Quæ verò ab Ichore ſalivali corrupto, plerumque incruſtare ſolent Linguam, quæ tunc fit arida, pallida, viſcoſa, & varia, prout peccant Humores.

### DIAGNOSIS.

Aphthas futuras in Morbo cognoſcimus ex *Sopore* & *Singultu*: qui toto Morbi decurſu non dormiverunt, in Soporem incidunt, & tunc Aphthæ prodeunt: Singultus accidit, ſi ſunt ex Ventriculo, & tunc plerumque ſunt deteriores.

### PROGNOSIS.

Peſſimæ autem ſunt, quæ ex Ventriculo non purgato veniunt: Totum enim ductum per Gulam uſque ad Fauces obſidere ſolent.

*Optimæ ſunt albæ*, quæ planè candidæ, fungoſæ, molles, quando inſtar floccorum videntur tumere: Sed quando ſunt *glabræ*, *viſcidæ*, *ſubſiſtentes*, *compactæ*, tales ſignificant Morbum periculoſum & diuturnum.

In Infantibus diſcere poſſumus naturam Aphtharum, quæ fiunt ex corruptione Lactis; Non rarò namque corripitur Infans Aphthis primis ſeptem diebus. Nihil autem melius, quàm Lac ipſum præbere; inde enim abſterguntur, modicè humectantur & molliuntur.

Sunt & *Aphthæ rubræ & molles*, prioribus deteriores, *lividæ*, *virides*; *Nigræ* verò omnium peſſimæ.

Malum Signum eſt, non facilè coqui, emolliri, humectari, & longo tempore ſiccas, aridas, compactas, planas æqualeſque manere, & quidem diutiùs durantes.

Longum Morbum ſignificant Aphthæ quæ intra triduum veniunt & abeunt: Has enim ſequuntur novæ, adeò, ut ſæpiùs ſuccedere ſoleant, & tantò futurus eſt longior Morbus, quantò Medicus frequentiùs purgat. Nil enim pejus, quàm ſæpè purgare, eo tempore, quo Aphthæ adſunt, vel etiam proximè adfuerunt.

### CURA.

*Curatio* tota conſiſtit *in Humectatione*, quæ emolliat & leniter calefaciat. Cùm verò Aphthæ coctæ ſunt, abſtergere illas oportet vel Spongiolâ alligatâ Bacillo, vel Linteaminibus; alterutrum intingi debet in *Decocto* aliquo *Emolliente*, Flor. Salviæ in Aquâ Ferrariorum decoctorum: Quando igitur Lingua incipit exaſperari; id quod præcedit Aphthas:

℞. *Fol. Sedi maj.*

Detrahatur pellicula ab utraque Folii parte, hinc in *Aquâ Roſarum* imponatur ut humida ſerventur, poſtea imponantur Linguæ ad humectationem.

Pari ratione adhiberi poſſunt *Folia Portulacæ*, aut *Mucilago Sem. Cydoniorum cum Aquâ Portulacæ extracta. Cùm autem jam adſunt Aphthæ*, optimum eſt *Decoctum Raparum*, ex quo expreſſus Succus imponatur Linguæ, humectat & abſtergit. Si parum *Salis Prunellæ* vel *Nitri* addatur, Ardorē ſimul reſtinguit. Vel Oleum Raparū, in quo Saccharum quantum poteſt diſſolutum Ori illinatur; vid. M. A. N. C. *Ann.* 4. *Obſ.* 28. *p.* 73. Aut

℞. *Herb. Bellid. cum toto* Mj.
*Ficuum pingu.* No. ij.
Coqu. in *Aquæ communis* q. ſ.
Collaturæ adde
*Salis Prunell.* parum.
M. D. S.

Aqua Os purgans & refrigerans.
Quo humectentur Fauces & Lingua ſæpiùs.
*In maximâ* autem *Oris ſiccitate.*

℞. *Butyr. rec. inſulſ.*
Miſc. cum *Saccharo cando rubro*, ut
f. inſtar *Boli*; S.
Unguentum Os leniens.
Teneatur in Ore, emollit & abſtergit.
Addi poteſt parum *Salis Prunellæ.*

Quòd ſi ulteriùs progrediantur Aphthæ, degenerant in Ulcera Oris ſucceſſivè depaſcentia; quæ ipſa *Oris Ulcera* etiam ex aliis Cauſis nata frequentiùs ferè curantur *Abſtergentibus*, quæ inter eſt Decoctum Fol. Liguſtri, vel Aqua deſtillata ſub formâ Gargariſmatis, vel ſequens.

℞. *Herb. Veron.* M. ij.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ ſimpl.*
Colaturæ adde
*Mell.* q. ſ.
M. D. S.
Aqua Os purgans,
& adhibeatur.

Addi etiam poteſt Herb. Plantag. effectu eo meliori. *Decoctum Saturejæ in Vino* à quibuſdam laudatur, ſed ſuſpecta, quia acris eſt quaſi ignea: potiùs prædicta conducunt: item *Phlegma Vitrioli* cum *Aquâ Prunellæ & Plant.* miſtum, egregiū & in Ulceribus Oris partiumque vicinarum: *Rob Dia-Moron*, item *Dia-Nucum*, detergunt & purificant Ulcera: Quibus in Malo contumaciori parum *Spiritûs Vitrioli* aut *Salis rectificati* pro ſuavitate acidâ addi poſſunt, præſertim ſi ſcorbuticum ſubſit vitiū. In hujuſmodi *Ulceribus Gallicis* optimæ sūt *Aquæ Virides Plateri* aut *Hartmanni de quibus ſuprà dictum. Confer.* & Hildanus *Centur.* 6. *Obſer.* 18.

## MEMBRUM II.

### *De Uvula Exulcerata.*

PAr ratio eſt *Uvulæ Exulceratæ*; undecunque etiam natæ, in qua etiam hæc ipſa Remedia,

in

in ſpecie *Gargariſmus* Hartmanni *Pr. Chymiart. pag.* 264. *polychreſtus* commodè uſurpari poteſt, qui in affectibus Ori communibus & Anginâ eſt præſtans.

Sicut de his & cognatis Oris ejuſque partium Malis videatur *citatus locus.*

## MEMBRUM III.

### *De Uvulæ Prolapſu.*

UVulæ verò *Prolapſum* ſeu *Relaxationem* optimè curare docet Hildanus *Cap.* 2. *Obſerv.* 21. ſicuti & Inſtrumentum ſingulare pro Uvulâ nimis tumente abſcindendâ deſcribit Bartholinus *Centur.* 2. *Hiſt.* 88. Portione abſciſsâ, pro Hæmorrhagiâ arcendâ non nunquam ſufficit Collutio vel Pulvis Adſtringens, Inſtrumento certo applicandus.

Aliàs recentem Uvulæ Prolapſum curant;

Recipiendo *Fermenti comm. Spiritu Vini humect.* ℥j.
*Succini albi* ʒj.
*Maſtich.* ℈ij.
Mixta Vertici imponunt.

Item Oleum Succini ſolum, vel Unguent. *Horſtii*, ex Gummi Elemi cum eodem malaxatum Bregmati applicant; vid. Wedelius *de compoſ. Med. p.* 181. unà cum Gargariſmate, *& Decocto Florum Liguſtri cum Nitro & Sale Prunellæ.*

Vel

℞. *Decoct. Prunellæ* ℔j.
*Sal. Ammoniaci* ʒj.
*Alum. crud.* ʒß.
M. f. Gargariſmus: S.
Singularis Gargariſmus.

Vel

℞. *Herb. Prunell.* M. ij.
*Plantag.* M. j.
*Gall. pulveriſat.* ℥ß. ad ʒvj.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ ſimpl.* vel *Ferrarior.*
Colaturæ ℥xv. adde
*Syr. de Roſ. ſicc.* ℥iß.
*Alum. crudi* vel *uſti* ℈j. ad ʒß.

M. pro Gargariſmate in prolapſu, & faucium excoriatione:

D. S. ut antè.

Item *Sal decrepitatum cum pauco Pipere* applicari poteſt Uvulæ ita prolapſæ. Loco *Salis communis* optimum eſt Sal Ammoniacum, ſubinde Uvulæ applicatum. *Spiritum Aluminis* commendant alii.

Quòd ſi ſimul *Uvulæ Inflammatio* adſit, optimum eſt *Decoctum Herbæ aut Rad. Taraxaci: Suffitus Succini* Ore exceptus ſpecificum eſt Rulandi: Vel *Semen Cannabis* in Poſcâ parùm coctum & colatum, pro Gargariſmate adhibitum, eſt unum ex optimis Remediis; Vel *Rad. Tormentillæ & Uvulariæ herbâ anaticâ proportione* in Cereviſiâ ſecundariâ coctæ, & Colatura cum modico *Mellis* edulcorata, adhibeatur pro Gargariſmate; Vel Decoctum Vincæ pervincæ cum Vino paratum. Nempe Uvula eſt parva Glandula in imis Faucibus à Palato pendens, laxâ quâdam Membranâ tecta, in qua tanquam in ſacco pendet; Non enim hac tegitur, ſed præter hanc, propriam Membranam ſuam obtinet. Deſtillat ex ipsâ Glandulâ tenuis ſalivalis Humor ſui generis in Membranam perforatam, & per hanc in Palatum; quoties autem Materia eſt viſcida, Membrana oppletur, & impeditur influxus, ſicque fit laxitas & diſtenſio Membranæ; modò dictis corrigenda. Quibus ſi Dolor ex irritatione, aut diſpoſitio inflammatoria exinde accedat, *Syr. Diacodii Montani* parum modò dictis addi poteſt.

## ARTICULUS III.

### *De Inflammatione Stomachi, ejuſque abſceſſu.*

POſt Fauces non rarò quoque *inflammatur Stomachus*, quæ Inflammatio eſt *Affectus periculoſus*, & ſi quis alius, *peracutus.*

## CAUSÆ.

*Cauſas* habet eaſdem, quas reliquæ Inflammationes in genere: In ſpecie interdum Aſſumta acria aut vitioſa Inflammationem Ventriculi inducunt: Sic etiam Aciculæ deglutitæ ſubinde Inflammationem Ventriculi periculoſiſſimam inferunt, de qua Hildanus *Cent.* 1. *Obſerv.* 34. ubi notat Inflammationem Ventriculi cum Febre Ardente & horrendis Symptomatibus conjunctam ex deglutitâ Aciculâ. Inflammatur rariſſimè Ventriculus integer, id quod eſt malum adeò furioſum, ut penitus ſit deſperatum; aut ſaltim unum alterumve ejus Orificium.

## DIAGNOSIS.

Quoad *Signa*: Inflammatio Stomachi facilè cognoſcitur imprimis, ubi cum Febre Ardente acutâ conjunctus eſt ſimul aliqualis Tumor in Præcordiis, circa Ventriculi regionem ſub Coſtis Nothis dolens inſigniter, cum gravi Æſtu ejuſdem loci, Siti inexplebili, Corporis jactatione, & Vigiliis.

Malum eſt, ut dixi, peracutum, ſuperveniunt ſubinde Deliria, item Convulſiones non rarò lethales, ſpeciatim ſi Orificium unum alterumve fuerit inflammatum; nauſeant Ægri, & Aſſumta ferè evomunt.

Non confundantur autem, ſed diſtinguantur Inflammatio Ventriculi cum Inflammatione Lobi Hepatis, vel Muſculorum Rectorum Abdominis, ubi Ventriculo incumbunt. Nam *in Ventriculi Inflammatione ardor & dolor magis in profundo ſunt; Hepatis autem Inflammatio magis circumſcripta eſt*; Muſculi verò Recti externam Abdominis in Thoracis confiniis occupant regionem, ac dicta Symptomata magis extrorſum vergunt.

Item Inflammatio Stomachi rarò eſt ſenſibilis, nec poteſt contingi; Loborum verò Hepatis, Muſculorumque Abdominis nunc patent ſenſibus, nunc manu contrectari poſſunt.

Porrò in Ventriculi Inflammatione ſæviſſima & peracuta adſunt Symptomata, ſecus ac in Loborum Hepatis & Muſculorum Abdominis Inflammationibus; in his ſiquidem mitiora urgent Symptomata.

## PROGNOSIS.

Ventriculi Inflammatio *eſt Malum peracutum*, ex quo pauci evadunt, tertio vel quarto die finiri ſolet, & ferè ſemper lethalis eſt, imprimis ubi in principio ſunt Vires infractæ.

Interdum, ſed rarò, ad Suppurationem tendit; Quo facto, melius eſt, ut Abſceſſus aperiatur intra Ventriculum, & per inferiora excernatur, quàm ſi extra Ventriculum intra Abdomen effundatur; quod malum; Pus enim Peritonæum aut Inteſtina inficere, aliamve quampiam partem, & mediante Gangrænâ Ægrum interficere ſolet.

CURA.

## C U R A.

Quoad *Curam*: hæc eodem modo ſe habet, atque *reliquarum Inflammationum in genere* Curationes. Ante omnia *Sudoriferis* Tumorem diſcutientibus inſiſtendum eſt. In ſpecie tamen cautio in Venæſectione adhibenda eſt, quod monet Foreſtus *l.* 10. *Obſervat.* 1. ne plus, quàm opus ſit, Sanguinis evacuetur. Cùm enim gravia Symptomata Affectum hunc comitari ſoleant, Syncope etiam, ob Dolorem vehementem & Virium ſummam imbecillitatem, propterea, ne Vires nimis proſternantur, ſumma cautio hîc adhibenda erit. *Purgatio* verò in principio & progreſſu Morbi non eſt adhibenda; irritando enim Ventriculum, magis Malum exaſperat, uti hoc confirmat Exemplo quodam ab alio petito Foreſtus *l.* 10. *Obſervat.* 31. de Puellâ, quæ cùm tertiâ die ab Inflammatione Ventriculi ſumſiſſet Purgans, quintâ die interiit. Clyſmata tamen blanda & Abſtergentia convenienter injici poſſunt: vid. Foreſtus *l.* 19. *Obſervat.* 31. Aliàs in Curâ primatum obtinent Sudorifera.

*Remedia* igitur *Interna* in principio & incremento ſunt ex *Papav. rhœad.* & *Carduo benedicto*, imprimis ex *Nitro* parata, ut in ſpecie Nitro antimoniato; ſicuti ſolo Nitro, tam *purificato* quàm *fixato*, *Decocto Hordei* ſoluto & ſæpiùs propinato, curavit Filiam ſuam Inflammatione Pylori laborantem Lindanus *ſuper Hartmannum*. Unde illud poſſumus præſcribere ita:

℞. *Decoct. Hord.* ℔j.
*Nitri depur. vel antimoniat.* ʒß.
M. D. S.
Potio Refrigerans.

Prætereà Potui inſerviat *Infuſum* aut *Decoctum Liquiritiæ raſæ in* Aqua ſimpl. cum ſucceſſu adhibitum in Ventriculi Inflammatione à Rulando, *vid. ejus Theſaur. pag.* 175. Conveniet & hoc præſertim cum Nitro depurato, aut Spiritu Nitri dulci in parvâ quantitate impræguatum, ſæpiùs hauſtum non incongruum eſt ad Inflammationes Ventriculi; ſicuti etiam *Spiritus Nitri dulcis* copiosè poteſt exhiberi. Porrò Mixtura Simplex, Antimonium Diaphoreticum, Antihecticum *Poterii*, cum Nitro depurato miſtum & propinatum convenienter uſurpari poſſunt. *Saccharum* etiam *Saturni*, item Cryſtalli Mineræ Saturni paratæ ex Minerâ cum Spiritu Nitri, cum Aceto deſtillato acuato, ſunt egregiæ;

Vel

℞. *Nitri depur.* vel *antimoniati* gr. xv. ad ʒj. (melius eſt in hoc caſu depuratum & antimoniatum, quàm fixum.)
*Antihect. Pot.* ʒß.
*Sacch. Saturni* gr. v.
M. f. Pulvis pro doſi:
D. S.
Pulvis Refrigerans.

Vel

℞. *Pulpæ Tamar.* ʒij.
*Tartari vitriolat. Tach.* gr. xv.
*Bez. Mineral.* ʒß.
Cum *Syr. Viol.* q. ſ. f. Bolus:
D. S.
Bolus Refrigerans.

Quoad *Externa* Inflammationi Ventriculi convenientia; laudant quidam, imprimis Deodatus *in Panth. Hygiaſtico*, Succum Cancrorum fluviatilium, calidè unà cum Aceto ſubactum, in principio applicantes; qui tamen minùs convenit: quin potiùs proderunt Cataplaſmata vel Unguenta ex Plantis Aromaticis in Vino vel Aquâ decoctis parata, ut ita partim diſcutiatur, partim ad Suppurationem blandè promoveatur. In principio Fotus ex *Chamom.*, & *Roſis rubris* imprimis convenit, in Vino aut ſaltim Aquâ coctis, & crebriùs applicatis; Vel fiat Fotus aut Cataplaſma ex Foliis Caulium rubr. Scabioſæ, Dentis Leonis, Ficubus, Uvis paſſis & ſimilibus, quæ in Sero Lactis decoquantur, & ita externè applicentur: Aquam Plantaginis & Solani cum Saccharo Saturni pro Fotu inſigniter commendat Paracelſus ad Curam Inflammationis Stomachi. Quod ſi ad Suppurationem videatur vergere Malum, fiat *Fotus* vel *Cataplaſma*:

℞. *Fol. Branc. urſin.*
*Rad. Alth.*
*Roſ. rubr.* an. Mß.
Quibus ad putrilaginem coctis, adde
*Farin. Hord.*
*Flor. Chamom.*
*Sem. Fœnugræc.* an. ʒß.
Cum *Oleo Roſar. & Chamomill.* f. Cataplaſma.
D. S.
Cataplaſma Emolliens.

Quo tempore, præter mox laudatam *Scabioſam*, & internè, *Paſſulæ cum Ficubus*, *Malvâ*, & ſimilibus, in *Sero Lactis* coctis, adhiberi poſſunt.

Tandem, *ut citiùs maturetur Abſceſſus*, fiat Cataplaſma ex Stercore Columbino & Fermento, ad imitationem Sennerti *l.* 3. *Prax. ubi de inflamm. Ventriculi*, quod fortius eſt, & ad apertionem Abſceſsûs diſponit.

℞. *Sem. Fœnugr.* ʒiij.
*Sterc. Columbin.* ʒij.
*Ferment.*
*Mell.* an. ʒj.
*Olei Chamomill.* ʒiß.
M. pro Cataplaſmate, quod applicetur Stomachi regioni inflammatæ.

Quoad *Abſceſſum*: internè convenit *Terebinthina* egregiè, qua nihil melius eſt, quocunque modo uſurpata; hæc enim cum *Aquâ Abſinthii* mediante Ovi Vitello *ſoluta*, ſi bis terve detur, reſolvit, maturat, mundificat & conſolidat Abſceſſum, imprimis ſi cum Aquâ Mulsâ ſumatur; ſicuti etiam Aqua, Succus, Syrupus Scabioſæ, & omnia ex Herbâ hac parata, internè frequentiùs uſurpata, vel ſola vel cum Melle miſta, ſimili modo conducunt & ſanant quoſcunque, præſertim Ventriculi, Abſceſſus, & diſponunt, ut is interiora versùs aperiatur. Quibus & Spiritum Tartari rectificatum nonnulli addendum ſuadent: e. g.

℞. *Aquæ Scabioſ.* ʒij.
*Spiritûs Tartari rectif.* vel *Carm. de Trib.* ʒj.
*Syr. de Succ. Scab.* ʒiß.
M. D. S.
Potio Maturans.

Quòd ſi aperto Abſceſſu jam genitum ſit *Ulcus*, uſurpetur *Decoctum Hordei* vel *Hyſſopi cum Melle*, item *Serum Lactis* aut *Lac Chalybeatum*; mundificant & conſolidant: *Decoctum* quoque *Rad. Chinæ cum Herbâ Scabioſæ* paratum confert. Item *Cornu Cervi uſtum*, *Terra ſigillata*, *Bolus Armena*, &c. *Oleum ſeu Balſamum Maſtiches cum Oleo Hyperici* expertum fuit in *Cultrivoro Pruſſiaco*, de quo vid. Beckerus *p.* 182. *de Cultrivoro Pruſſiaco*, ubi plura huc facientia reperiuntur.

Vel

℞. *Aquæ Scabioſ.* ʒij.
*Menth.* ʒj.
*Cinnam. ſpirituoſæ*,
*Acet. deſtill.* an. ʒvj.
*Lapill. Cancr. præpar.* ʒj.
*Antimonii Diaphor.* ʒj.
*Extr. Flor. Hyper.* ʒß.
*Syr. de Symph. Fern.* vel *Scabioſ.* ʒj.
M. F. Potio; S.

Potio

Potio Mundificans cochleatim ſumenda.
Doſis cochlear. ij.
Vel
℞. *Extr. Flor. Hyper. liquid.* ℥ß.
*Balſ. Peruv.*
*Sulphuris anif.* an. ℈j.
M. D. S.
Balſamum Os mundificans.
Doſis gut. v.

Cæterum Bartholetus *Tr. de Reſpirat.* ad aperiendum Abſceſſum Ventriculi ceu ſingulare hac in parte laudat Lapidem Pavonium ſeu Malachiten, quem Abſinthium redolere dicit, Abſceſſum ruptum, in formâ Pulveris ad ʒj. aſſumtum, ſimul mundificantẽ & conſolidantem. Verùm cùm nemo ſciat, qualis hic ſit Lapis, miror, cur eum obtrudat. (C)

Quòd ſi ex acribus corroſivis aut ſimilibus Aſſumptis arroſus aut exulceratus fierit Ventriculus, præmiſſo in principio Vomitorio, *Lacticinia*, item *Terra ſigillata* ſunt convenientiſſima, item *Tragacanthum* in Aquâ Flor. Roriſmar. ſolutum: vid. Bartholinus *Cent.* 6. *Hiſt.* 21.

Vel

℞. *Mucilag. Sem. Pſyll.*
*Cydon.*
*Tragacanth. cum Aquâ roſ. extr.*
*Syr. Violar.*
*Roſat. ſolut.* an. ℥j.
M.

Vid. Barbette *in Pr. p.* 134. & 136.

Aliàs rarum Malum eſt Inflammatio Stomachi; Exempla tamen *videb. in* Amato Luſitano *Cent.* 3. *Curat.* 39. Foreſto *lib.* 18. *Obſervat.* 1. 30. 31. item Zacuto Luſitano *Medic. Princ. lib.* 2. *Hiſtor.* 63.

## ARTICULUS IV.

### *De Inflammatione Inteſtinorum.*

### CAUSÆ.

JUxta Stomachum etiam *inflammantur* ſubinde *Inteſtina*, quæ præter alias *Cauſas Internas*, omnibus reliquarum partium Inflammationibus communes, interdum pertinacem & quaſi Iliacam Alvi obſtructionem, interdum Herniam, interdum Dyſenteriam immediatè ſuppreſſam, interdum quoque *Externam* læſionem, v. g. violentam Contuſionem, &c. præſupponunt. De Ileo enim notum eſt, quòd contumacem ſecum trahat Inflammationem Inteſtinorum; ſic de Herniâ quoque patet, quòd Inteſtina in loco hernioſo ad Inflammationem perveniant. Inflammantur Inteſtina, tam tenuia quàm craſſa, utut frequentiùs tenuia.

Ex *Cauſis Externis*, non tantùm à Corporis Incaleſcentiâ Foreſto *l.* 21. *Obſ.* 18. ſed etiam Abdominis Refrigeratione Inteſtinorum Inflammatio obſervata fuit; qualem etiam obſervavit Rhodius *C.* 2. *Obſ.* 78. ab incurvatâ Coſtâ ſpuriâ, Colon pungente.

### DIAGNOSIS.

Quoad Pathemata Inflammationis Inteſtinorum, quibus Malum cognoſcitur, facilia; & quidem ſunt ea: quòd in loco Inflammationis Tumor quidam rotundus ac tactui renitens percipi ſoleat, quem Veteres in ſpecie *Chordapſum* appellârunt, quia *Chordæ* inſtar Inteſtina convoluta ac indurata apparent; cui Chordapſo confirmato, cùm ſæpiſſimè Iliaca Paſſio ſuperveniat, hinc factum eſt, ut Chordapſum & Iliaca Paſſio pro Synonymis habita fuerint, utut Differentia intercedat ceu Cauſa particularis, & Chordapſi nomen traxerit ex traditione vulgari, quâ inſtar Chordarum Inteſtina convolvi putantur.

Præterea in loco iſto intenſus Ardor & vehemens Dolor, in ſpecie pulſatorius, fixus, diſtendens, &c. percipitur. Gravis Affectus eſt, habet Cruciatus inſignes; ſed ſicut ſunt vehementiſſimi, ita breviſſimè durant. Alvus eſt occluſa, & Podex non rarò ſtrictiſſimè ſtringitur ſeu contrahitur, ut ne Specillum admittat; interdum interiora versùs retrahitur; quod quando fit, Signum eſt certiſſimum, quòd Excrementa per Os rejiciuntur, & tunc vocatur *Ileus*. Hoc ſi eveniat Clyſtere paulò antè immiſſo, ipſe Clyſter per Os redditur, quia Inteſtina ſubinde ſuperiora versùs contorquentur. Febris adeſt Acuta, Lipyria, tepent extrema, uruntur interiora. Præterea Urina interdum ſupprimitur, Venter ferè inflatur. Reſpiratio eſt difficilis, Vires languent &c. Quòd ſi tenuia inflammata ſint Inteſtina, omnia Symptomata graviora & periculoſiora eſſe ſolent, & ſitus Doloris & Caloris imprimis medium Ventrem & regionem circa & infra Umbilicum occupat, Dolor & Tormina ad ſuperiora magis vergunt, Stomachi diſtenſio adeſt, Spiritûs angustia, Nauſea & Vomitus aſſidui, &c. Ubi verò afficiuntur Inteſtina craſſa, omnia Symptomata non nihil ſunt remiſſiora, & ſitus peripheriæ Inteſtinorum craſſorum, eorum Affectum demonſtrat; Dolor enim ad Hypochondria magis pertingit, Vomitus non ita continuò durat, ac Lumborum adeſt gravitas.

### PROGNOSIS.

Inflammatio Inteſtinorum in genere *periculoſum* & peracutum *eſt Malum*: quæ in tenuium Ileon occupat, periculoſiſſima eſt, breviſſimè durat, & non rarò intra biduum aut triduum curſum ſuum abſolvere ſolet, & facilè ac ſæpiùs in Gangrænam & Sphacelum Inteſtina inflammata terminantur; quæ inde patent, quòd ſubitò ceſſet omnis Dolor: Neque enim Inflammationes internæ ſubitò ceſſare debent, ſed tractu temporis.

Omnis ergò ſubitanea ceſſatio Doloris infallibile argumentum eſt Extinctionis ſeu Mortificationis Partis: ſæpiùs etiam ſine Gangrænâ in Ileum terminatur frequentiùs lethalem, unde perfectâ Inflammatione Inteſtinorum laborantes rarò evadunt Ægri, ſed ſæpiſſimè intereunt.

Non rarò etiam in Abſceſſum terminatur, cujus ruptura ad Inteſtinorum cavitatem tutior eſt, quàm ad cavitatem Abdominis, dum per cavitatem Inteſtinorum Pus facilè evacuari poteſt, uti *ſupra Articul. anteced. de Ventriculi Inflammatione* dixi.

### CURA.

In *Curâ* tractentur leniter, ne irritentur Crabrones, adeòque aut Mortificatio aut Ileus citiùs provocetur. Sanguis è *fectâ* in Brachio *Venâ* re-vellendus idque interdum etiam repetitis vicibus. Hinc ſi Alvus aperta non ſit, *Clyſteres* frequentes injiciantur, iique tales, qui non requirunt longum tempus ad præparationem, quia Morbus præceps, ſed ſit ἐυπόριστον: verbi gr. ſolum *Decoctum Hordei* cum *Melle*, aut *Saccharo rubro*, aut *Nitro depurati* ʒj. ad ℥iij. Vel *Clyſteres ex Lacte* parati *cum Saccharo violaceo*, vel *Melle rutaceo*, vel *ex Lacte* cum *Succo*

(C) Nota Cyrilli. *De* Malachite *lapide, ejuſque quatuor ſpeciebus aliqua habet* Lemery Dictionaire des Drogues: *Nomen eſt à* μαλάχη Malva, *quòd Lapis viridem Malvæ colorem æmuletur.*

*Succo Plantaginis*, aut etiam ex Lacte cum Nitro depurato; Item *Clyſter ex Succo* aut *Decocto Cancrorum fluviatilium*, qui tamen magis in Inflammatione Inteſtinorum craſſorum, minùs in tenuium, prodeſt.

Vel ad imitationem Barbette *in Pr. l. 4. c. 7.*

℞. *Herb. Semperviv.*
*Tarax.* an. M. j.
*Tamarind.* ʒj.
*Semin. Melon.* ʒß.
*Tartari crud.* ʒij.
Coqu. in ſ. q. *Decocti Hordei.*
Colat. ʒx. adde
*Syr. Roſat. ſolut.* ʒj.
M. pro Clyſtere. S.
Clyſter Leniens.

Hinc leniendi causâ *externè* applicetur *Cataplaſma* diſcutiens in Lacte ejuſve Sero coctum. Præ cæteris commendatur hîc à Lindano *Omentum vervecinum*, Animali vivo extractum, & Ventri calidiſſimè impoſitum. Oportet igitur in eodem conclavi Animal diſcindere, Omentum extrahere, & leniter involutum immediatè Abdomini imponere, Pulvillis calidis ſuperimpoſitis. Si Dolor non ceſſat, aliud Omentum imponatur, imò tertium. Item paratum Balſamum ex Oleo Saturni per deſtillationem, miſtum cum Oleo roſaceo, & externè inunctum, Remedium eſt commendatum ab Hartmanno.

Quoad autem *Interna*; ea ſunt, *quæ reliquis Inflammationibus*, in ſpecie Pleuritidi dicata: ſpecialiter ergò conveniunt, præter Diaphoretica & Diſcutientia, Nitrata, Spiritus Nitri dulcis, &c. qui certè egregius eſt. Oportet *internè* ſimul dare *Anodyna*, v. g. *Laudanum opiatum*, quibus ſi Dolor ſucceſſivè remittat, & Somnus ſuccedat, ſalva res eſt; ſi non, & Delirium ſequitur, Mors certa: Sin Dolor ſubitò ceſſaverit, ex Gangræna Æger brevi moritur. Commodè etiam videtur præſcribi poſſe Miſtura elegans Barbette, quam habet *in ſuâ Praxi cap. 7. lib. 4. p. 231. ubi de Ileo*; nempe

℞. *Aquæ Prophylact.* ʒiß.
*Roſar.* ʒß.
*Card. bened.* ʒiiiß.
*Succi Semperviv. maj. depur.* ʒj.
*Bezoard. Mineral.* ℈j.
*Syr. de Portulac.* ʒxij.
Miſceantur.

Hauriatur cochleatim ſubinde benè tecto Corpore. Aut loco hujus,

℞. *Aquæ Card. ben.* ʒiij.
*Aceti Sambuc.* ʒß.
*Succ. Semperviv. maj. depur.* ʒj.
*Rob. Sambuci* ʒii.
*Bezoard. Mineral.* ℈j. ad ʒß.
*Syr. de Portulac.* ʒvj. ad ʒj.
M. F. Potio: S.

Potio Diſſolvens, cochleatim ſumenda. Item Saccharum Saturni, aut Oleum Saturni per deliq. paratum, ſimiliter conveniunt internè.

## ARTICULUS V.

### *De Inflammatione Ani.*

### CAUSÆ.

CÆterum juxta Inteſtina frequentiſſimè eorum Extremitas ſeu *Recti exitus*, *Anus*, *etiam inflammatur*; idque à violentiâ *Cauſæ Externæ*, Contuſione nempe, aut vehementi Concuſſione, ut ex Equitatione nimiâ, quale Exemplum obſervatur *in* Foreſto *lib. 23. Obſervat. 13.* item ex Irritatione externâ per Acria facta, quando nempe adhibentur Chartæ vitriolatæ aut piperatæ Podici pro Anitergio, quale Exemplum habet Platerus; Vel ex *Internâ Causâ*, inter quas imprimis Hæmorrhoides ſuppreſſæ, aut etiam cæcæ, Inflammationem in Inteſtino Recto ſeu Ano excitare ſolent.

### DIAGNOSIS.

*Signa* autem Ani inflammati ſunt neceſſariò Dolor ejus inſignis pulſatorius, qui propter Arterias Hæmorrhoidales & Sanguinis impeditum motum ſequitur, & Tumor adeſt nunc magis nunc minùs ſenſilis.

Dolor quoque ac ſenſus Ardoris nunc in profundo ſeu parte internâ, nunc in parte magis externâ hæret, in qua palpari poteſt Digito non immiſſo, ſed externè applicato, aut Ano preſſo interdum Tumor Oculis inſpici poteſt.

Peculiariter quoque Foramen ſeu Podex ipſe, Circulus nempe ultimus Inteſtini Recti, introrſum versùs retractus percipitur, Alvus difficulter redditur, accedit Febris, &c.

### PROGNOSIS.

Quoad *Eventum*; *Inflammatio* hæc Ani ſæpè eſt periculoſa, & niſi maturè diſcutiatur, riteque tractetur, in *Gangrænam*, aut in *Abſceſſum* abit, & hic *in Fiſtulam* difficillimæ Curæ; quæ Fiſtula interdum penetrat in Veſicam, hinc Crepitus & Stercora ſubinde per Veſicam emittuntur.

### CURA.

Quoad *Curam* ergo, mox in principio oportet revellere *ſectâ Venâ* in Brachio, & hinc ante aliorum applicationem opera danda eſt, ut protinùs Alvus ſolvatur & aperta ſervetur. Fit hoc quidem cum aliquali Dolore & Inflammationis aggravatione; omnia tamen hæc Symptomata graviora fiunt, ſi Fæces retentæ aut induratæ poſtmodùm excernuntur: Ob id ergò protinùs *Clyſter* leniens & emolliens ex Lacte, ac etiam ex alio Decocto emolliente in Lacte paratus, vel ex Decocto Foliorum & Florum Verbaſci, Parietariæ, & Foliis Meliloti injiciendus; addatur Saccharũ. Quòd ſi verò induratæ jam ſint Fæces, ʒj. *Salis Gemmæ*, potenter diſſolventis eaſdem, addenda. Quòd ſi unum Clyſma alterumve injectum & rejectum non ſufficiat, aliud injiciendum cum Oleo Rapiſtri, ſeu Rapi ſylveſtris, & Lini miſtum; hoc enim eſt appropriatum, & ſic præcavetur Abſceſſus: Suſpensâ autem quaſi Manu & blandè Clyſma applicandum, ne Dolor & Ardor augeantur. Formulas dedi *ſuprà Sect. 9. Cap. 1. Artic. 2. ubi de Paſſione Iliacâ*. Sin verò minùs Externa talia ſcopo ſuffecerint, aut Clyſmata nequeant injici ex metu majoris irritationis, convenientiſſimum erit, ut per blanda *Paſſulata* aperiatur Alvus, & fluida ſervetur, uti audiviſtis *ſuprà l. a. & Sect. 17. Cap. 3. Artic. 6. ubi de Malo Hypochondriaco*. Acria enim quæcunque, fortiùs Inteſtina ſtimulantia, ac inter ea imprimis *Laxativa Reſinoſa*, fugienda, ne horum viſciditate Malum reddatur pejus; hocque probè obſervetur in Fiſtulis Ani, quæ per Reſinoſa ſemper ſolent exaſperari; ac pro in Paſſulata Lenientia ſufficiunt.

*Externè* foveatur Anus cum Decocto Agrimoniæ & Menthæ Saracenicæ ex Aquâ & Aceto, vel horum loco *cum Vino* coctarũ, quod eſt appropriatum Diſcuſſivum in Inflammatione Ani; Vel decoquantur hæc Simplicia in Aquâ Calcis vivæ, quod

quod Decoctum ita medicatum nobiliſſimum eſt, in ſpecie ſi metus Gangrænæ imminet; vel etiam Aqua Calcis vivæ, in qua ebullierit Chamomilla, commodè adhibetur. Folia etiam & *Flores Verbaſci in Aquâ* vel Sero Lactis *cocta* pro Fotu itidem egregiè conveniunt ad hujuſmodi calidos Abſceſſus; quibus *Folia Solani & Portulacæ*, aut etiam ſi Dolor nimis urgeat, commodè parum *Fol. Hyoſcyami* ſimul addendum eſt, cautè tamen: *Mucilago Seminis Pſyllii* aut *Cydoniorum cum Aquâ Sempervivi extracta*, addito *Saccharo Saturni*, & applicata, eſt utilis. Sin Acrimonia orta Acribus externis, nil melius eſt quàm Lac, vel ſimplex, vel cum Linariâ, Chamomillâ, ac Floribus Sambuci decoctum, & in formâ Fotûs vel Cataplaſmatis calidè admotum: item *Lac* cum Albumine Ovorum agitato miſtum, & ita pro Fotu applicatum, convenit etiam in Podicis Ardore & Inflammatione, in ſpecie Piperatorum & rerum adurentium contactu factâ, teſte Platero *in Obſerv.*

Et hactenus dicta in incipiente Inflammatione poſſunt uſurpari.

*Internè* Diaphoretica & Sudorifera blanda ſunt optima.

Quòd ſi Inflammatio Ani diſcuti nequit, & jam factus ſit Abſceſſus, præter Emollientia & Reſolventia imprimis confert *Balſ. Sulphuris* ad extrà *Rulandi*, ex *Sulphure* cum *Oleo Papaveris* paratum, quod optimum eſt Remedium, & deſcribitur ab Hartmanno *in Prax. Chym.* ubi *de Mamillar. Affectibus*; hic enim & maturat & mundificat, & conſolidationem promovet, & præprimis imminentes Fiſtulas præcavet:

Item

℞ *Lact. chalybeat.* ℔j.
*Terebinth. cum Vitell. Ovi ſol.* ʒvj.
*Mell. roſati* ℥j.

M. pro Enemate, pro Exulceratione Inteſtini recti:

D. S.

Clyſter Ulcerationem mundificans.

Item præparetur *Unguentum Nicodemi*, ut vocatur, & deſcribitur in *Antid.* Weckeri, quod *Balſ. Sulphuris* permiſtum optimum erit Remedium pro curando hujuſmodi Abſceſſu. Hoc ipſum tamen maturè faciendum eſt, quia aliàs in Fiſtulam degenerat, quæ interdum in Veſicam Urinariã hiat.

Ad *Hæmorrhoidum Exulcerationem* Linimentum ex Auro Fulminante cum Oleo Amygdalarum dulciũ paratũ, ſingulare eſt Anglorum Experimentum.

Sin Abſceſſus in Fiſtulam abierit, hæc facilè non curatur; optimum tamen Remedium eſſe dicitur *Oleum dulce Mercurii*, quod vid. in Agricolæ *Commen. in Poppium.*

*Internè*, ubi Inteſtinum Rectum exulceratum, uſurpari poſſunt *Potiones Vulnerariæ*; e. g.

℞. *Herb. Heder. terr.* M. ij.
*Plantag.*
*Sanic.* an. M. ß.
*Raſ. Cornu Cervi* ʒiij.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ.*
Colat. ℥viij: adde
*Syr. Corallor.*
*de Symph. Fernel.* an. ℥j.
M. D. S.

Potio Vulneraria conſolidans, & mundificans. Ter hauriatur in die cum gutt. 4. Balſ. Sulphuris.

## ARTICULUS VI.

*De Meſenterii Inflammatione aliiſque Affectibus, & inde orto Abſceſſu.*

PErgimus ad *Meſenterii Inflammationem*, cujus Tumores & inde nati Abſceſſus ſane ſæpiùs ſunt origo & fons *Chronicorum* & latentium admodùm *Morborum*, & fomes mirabilium turbarum, & complicatorum Affectuum, qui mirè vexant Ægros, & Medicos inſigniter turbant; ſicut & variformes ſunt Paſſiones, quæ ex affecto Meſenterio originem ducunt. Affectus hi adeò latentes ſunt & occulti ex eo, quoniam difficillimè cognoſcuntur, cùm Meſenterium in profundo ſitum, aliis quoque partibus hinc inde circumſeptum ſit, & propter ſenſum obtuſum minùs clara ſint ejus Pathemata, unde ſæpiſſimè & Ægros & Medicos fallunt, ut rarò de his poſſimus eſſe certiores. Accedit prætereà & hoc, quòd corpus Meſenterii variis *Glandulis* ſit infarctum, quæ ipſæ diverſimodè affectæ ſimiliter varia Abdominis Symptomata inferunt, tam per ſe, quàm ratione Lymphæ, adeoque evenit, ut tam intricati Affectus oriantur: Item accedit textura, divaricatio, & diſtributio *Nervorum* per Meſenterium ſparſorum varia & mirabilis, unde uno affecto aliæ etiam partes facilè per conſenſum ſimul afficiuntur, ut nequeamus ob id rectè diſtinguere proprios *Meſenterii Affectus* ab aliis. Affectus ſeu Morbi, qui vitio Meſenterii oriuntur, Tumores & Abſceſſus, ſunt varii & vagi, interdum frequentiùs, idque in paulo obeſioribus, plùs minùs doloroſi, nunc circa Dorſum & Lumbos Dolorem, nunc in Abdomine, ac præſertim circa Umbilicum, Tormina inferentes, lenti tamen omnes & diuturni; ſubinde cum *Febriculâ Erraticâ* complicati, ac continuis aut ſaltim vagis Æſtuationibus & intercurrentibus interdum Horroribus levibus comitati, quæ Symptomata propria ſunt ferè membranoſis Partibus affectis. Corpus ſimul ut plurimùm ſucceſſivè emaciatur, Reſpiratio evadit difficilior, & ſubinde aliquid moleſti, quod ipſi Ægri ſatis explicare nequeunt, in profundo Abdominis, circa & infra Umbilicum & circa Præcordia ſe perſentire affirmant. Venter nunc inflatur ac plùs minùs tumet, ut interdum Ægri quaſi Tympanitide laborare videantur; nonnunquam tenditur Abdomen, nunc ad interiora Dorſum versùs quaſi retrahitur; Dolor autem & Tumor Lumborum aut Abdominis ſubinde per intervalla recurrit, & ſæpè multis annis affligit; Flatulentiæ plures inſimul Ægros vexare ſolent. Frequentiſſimè tamen Meſenterii Inflammationes alii Tumores inde nati & occulti Abſceſſus ſequuntur, hinc etiam variis Glandularum Tumoribus duris ſcirrhoſis & ſtrumoſis Meſenterium afficitur, qui nunc ſuppurantur, nunc manent ſine ſuppuratione, ſicut & Steatomata, Atheromata, Melicerides & ſimiles Tumores intra duplicaturam Meſenterii congeruntur. Infantibus, quibus affectum eſt Meſenterium, non rarò Atrophia & Tumores quaſi tympanitici Abdominis ſupervenire ſolent. *Febres Ardentes* ceu metaſtaſi criticâ in Abſceſſus Meſenterii terminantur; quin & aliis Febribus aut Morbis complicatæ *Inflammationes*, & inde nati *Abſceſſus Meſenterii*, eos intricatos & moleſtos magis reddunt, unde non ineptè exinde Sennertus derivat Febres Semitertianas *l. 3. Prax p.* 445.

*Curantur* tamen hæc Pathemata Meſenterii ferè ut alii Chronici Affectus, Cachectici aut Hypochondria-

chondriaci, *internè* quidem per *Salia Salsa, Tartarea, Vitriolata, Nitrosa, Abstergentia*, & hinc per *Martialia* & *Volatilia*, item *Aromatica, Amara, Aperientia* aut *Hepatica* vulgò dicta, interpositis blandis *Purgantibus*, quem modum *suprà Sect. 3. & Sect. 17. Cap. 3. Artic. 1. de Cachexiâ* tetigi. Tractentur tamen cautè & sine violentiâ; aliàs exasperantur & deteriores evadunt ob Nervos tunc irritatos. *Externè Emplastrum ex Gummatibus, de Cicutâ, de Nicotiana, Emplastrum Vigonis de Ranis cum Mercurio, vel ex Gummatibus & Mercurio*, descriptum à Barbette *in Anat. Pract. p.* 557. Plura videb. *suprà Sect. 3.*

Multa præterea *Tumorum & Abscessuum Occultorum* in *Mesenterio* hinc inde prostant Observata: v. g. *Callum* inter Venas Mesenterii natum lethalem; item *Calculos* in Mesenterio, refert Schenckius *in Observat. l. 5. Hydropem à Vesiculis* Mesenterii recenset Tulpius *l. 2. Observat. 34.* Mesenterium *lapidosum*, hinc Atrophiam lethalem Panarollus *Pent. 5. Obs. 19.* Abscessum Mesenterii, ubi *cum Pure simul Vermiculi* excreti. Thonerus *l. 1. Observ. p. 173.* Tumorem Mesenterii durum circa medium Pancreas per Emollientia curatum videbitis à Foresto *lib. 21. Observ. 1.*

Ex *Scirrhoso Mesenterii Tumore* Hecticam incipientem, Menses albos, Tormina Trincavellius *l. 3. Consil. 22. pag. 372. Mesenterium Scirrhosum* in Hysterica in M. A. N. C. *Ann. 4. Obs. 32. p. 107. Glandulas* Mesenterii *induratas* & auctas, Ventrem tumidum reddentes, apud Platerum *l. 3. Observat. p.* 464. Sed de his & similibus Mesenterii Affectibus, tam veris quàm falsis, præ cæteris omnium optimè scripserunt Fernelius *in Pathol. speciali*, & post hunc Matthæus Martini *de Morb. Mesenterii abstrusioribus*, qui laudem meretur, & *hinc* Sennertus *l. 3. Prax. ubi de Mesenterii Morbis.* In his utut vera falsis, & bona sint mista malis, cùm licèt non Theoriam plausibilem, sed pro temporis illius ratione mancam, ex Sanguinis circulatione, Lymphæ & Glandularum observatis aliisque hodiernis Experimentis emendandam, nec Remedia bonæ notæ offerant; horum tamen *Historiæ* observatæ, *Diagnosis, Prognosis, & Praxis* satis commoda, pro ulteriori indagine uberiorem occasionem subministrant.

Speciatim jam consideranda est *Mesenterii Inflammatio*, & hanc subsequens *Abscessus.*

*Satis autem frequentes sunt Mesenterii Inflammationes*, quoniam copiosissima habet Vasa Sanguifera, simulque copiosissimis instructum est Glandulis, unde facilè excitatur Inflammatio, utut ferè cum aliis Morbis conjungatur, ac sub aliis Morbis se præsentare soleat, idque imprimis, dum illud ob varios casus Inflammationem pati queat, in specie accedente Intestinorum Affectu: Unde Mesenterium nunc solum, idque rariùs, nunc unà cum Intestinorum parte, inflammari solet. Si hoc, melius est pro Medico, qui ita faciliùs eam cognoscere potest; pejus pro Ægro magis patiente; quale Exemplum habet Chifletius *Obs. 31.* de Mesenterii & Intestinorum Inflammatione cum Umbilici Dolore conjunctâ.

## CAUSÆ.

Ex *Causis*, quæ Inflammationem Mesenterii inducunt, præter eas generales Inflammationum reliquarum *Causas, duæ* imprimis sunt *speciales* in *Mesenterio*, nempe *Dysenteria* & *Hernia*, *Dysenteria* enim pravè curata, in specie suppressa, ac Adstringentibus intempestivè tractata, sæpissimè in Inflammationem Mesenterii periculosam & lethalem degenerat, observante hoc Hildano, Lamonie.e, & Matthæo Martini *c. 1. p. 27.* Quoad *Herniam* verò, dum in hac, ubi cum Intestinis tenuibus Mesenterium simul in Scrotum descendit, non potest non Mesenterium contractum, aut vitiosè compressum, Sanguinis circulum turbare & impedire, & ita Inflammationem incurrere. Præterea & *Febres Ardentes* per Metastasin quasi criticam Materiæ morbificæ in Mesenterii Abscessum terminantur, *ut suprà jam dictum.*

## DIAGNOSIS.

Quod attinet *Signa Diagnostica*, Inflammatio hæc non secus ac reliqui ejus Tumores & Abscessus, *difficulter cognoscuntur*, quia latent in profundo, & sæpiùs sunt indolentes; aut dolentes licèt, pro Uterinis, Colicis aut Nephriticis Pathematis subinde habentur, cùm Nausea & Vomitus subinde accedant. Nihilominùs tamen in *Inflammatione Mesenterii* percipitur quasi *Pondus in Abdomine*, ac imprimis in ejus profundo, quod in specie sensibile fit, dum Æger se in lecto volvit; *Ardor* simul adest non rarò Præcordiorum aut circa Umbilicum; *Dolor pulsatorius* in profundo Abdominis, cum leni tamen Ardore absconditus; cum quo etiam Ardore percipitur *Tensionis* quidam *sensus* sub Ventriculo & circa ejus regionem, & in Abdomine, idque tamen circa vehementem, & quæ nonnisi pressu animadvertitur, *Duritiem*, interdumque adsunt Egestiones chylosæ ac plùs minùs serosæ, citra tamen Ventriculi vitium præsens excitatæ; Ratio facilè patet. Dolor vehemens aut acris adest nullus, sed tensivus, obtusus, plùs minùs pulsatorius urget: Adsunt *Signa Inflammationis* reliquarum Abdominis partium, quæ aliàs facilè confunduntur.

Observandum ergò, *ne confundatur Inflammatio Umbilici cum Inflammatione Mesenterii*, sed probè distinguenda est. Nam Umbilicus in parte sui internâ non externâ, circa Musculos Rectos non rarò inflammatur & suppuratur, unde Pus per eum evacuatur. Nempe in Umbilici Inflammatione circa regionem ejus in profundo Dolor magis sentitur, Tumor apparet prominulus & propior, qui in Mesenterio est remotior, Ardor & Febris sunt magis intensa, Ægerque in Abdomine majorem Tensionem persentiscit; Quando verò Inflammatio ad Abscessum pervenit, percipit tunc Horrorem, interdum Rigorem, cum superveniente insigni Æstu.

Cauti etiam simus, *ne Inflammationem Intestinorum confundamus cum Inflammatione Mesenterii*: Nam circa Umbilicum tres vel quatuor sunt Digiti, ubi imprimis locus est Mesenterii, in quo præ aliis tangi atque cognosci potest ejus Inflammatio aut Abscessus; Nam si ipsi non adest Inflammatio, non potest percipi tactu; si ipse Umbilicus inflammatus, percipitur propior Tumor, qui in Mesenterio est remotior.

*Febres* diversæ etiam in Mesenterii Inflammatione & Abscessu adjungentur, pro diversitate Loci inflammati: Sin profundè Mesenterium inflammatum, utplurimùm Febres non sunt *Continuæ*, sed *Lentæ*, *Languidæ*, absque Siti insigniori aut gravioribus Symptomatibus, & quæ interdum circa vesperam exacerbantur, oriuntur: Interdum nulla Febris indicia adsunt, teste Rhodio *c. 2. Observ. 95.* Sin verò circa exteriores ejus partes, ubi reliquis Abdominis contentis Visceribus jungitur, Inflammatio Mesenterii accidat, præsertim cum Intestinis, tunc Symptomata dicta omnia existunt graviora, Febres Ardentes plùs minùs Acutæ, non rarò Semitertianæ conjunguntur, & graves Dolores affligunt, innuente Sennerto *cap. de Inflammat. Mesenterii lib. Prax.*

In genere, dum *Suppuratio* fit, ut aliàs in quavis Inflammatione, Febris, Dolor & Symptomata reli-

reliqua fiunt graviora. Dum *Apoſtema ſuppuratum rumpi incipit aut rumpitur*, *Horror Inſignis*, *interdum Rigor* quatit Ægrum, *cum ſuperveniente Æſtu* non rarò inſigni, quem Puris, præſertim per Alvum, excretio ſucceſſivè comitatur: Confer. Horſtius *lib.* 14. *Obſ.* 25. *&* 26. item Bartholinus *Centur.* 4. *Epiſt. pag.* 49. *&* *c.* 4. *Hiſtor.* 96.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*; Inflammationes Meſenterii aut reſolvuntur, aut frequentiſſimè ſuppurantur, & in *Abſceſſus* abeunt, aut diutiùs durando, in *Scirrhos* degenerant, qui non tam in Meſenterio inflammato, quàm ejus Glandulis obſervati ſatis ſunt.

*In Obſtructionibus Meſenterii* ſupervenientes *cruentæ Dejectiones* ſubinde ſalutares ſunt: vid. Bartholinus *Cent.* 6. *Hiſt.* 41.

Suppurationes Meſenterii admodùm ſunt lentæ, ac non niſi tardè ſuum abſolvunt curſum, unde etiam Ægros vix in conſuetis functionibus impediunt. Diuturno hoc Malo afflicti ſucceſſivè aut ad *Tabem* & *Hecticam*, aut tandem ad *Cachexiam* deveniunt. Eructante Pure, poſt Abſceſsûs ruptionem, alium in locum quàm Alvum, excretioni idoneum non reperiente, gravis Affectus *Colicæ* ſimilis non rarò obſervatur. Sin verò in Abdominis cavum effundatur, tunc Membra vicina vel inficit, ut Gangrænam concipiant, vel acredine corrodit, & Malorum quamplurimorum autor eſt.

Interdum Abſceſſus ruptus optimè non tantùm per Alvum, quod ſæpiùs, quàm, quod rariùs, per Urinam, rariſſimè per Uterum expurgatur, Inteſtina corrodit, & eadem ſiderata ſeu ſphacelata reddit: Exemplum ſuggerit Tulpius *Obſerv.* 37. *l.* 2.

Ut autem *diſcernatur*, *nec confundatur*, *Excretio purulenta* facta ex *Meſenterio*, ab *Excretione purulentâ vitio Exulcerationis Inteſtinorum*, obſervetur hoc *Signum diſtinctivum*, quòd ſi confertim uno impetu, & copiosè, & ſine Dolore, per Alvum fluant purulenta, eaque plerumque permixta cum Sanguine plùs minùs ex Meſenterio eſſe: quòd ſi verò purulenta pauciora, & tardiùs cum magnis Torminibus, ac præcedente Febre Acutâ ſenſim ac ſucceſſivè effluant, Signum eſt, eſſe ab Ulcere Inteſtinorum, ac horum cum Meſenterii ſimul conjuncto.

Obſervationes ſingulares ac præ aliis curioſas Inflammationis Meſenterii, ejuſque Abſceſſuum, cum graviſſimis Symptomatibus, ſecutâ tamen Excretione copioſâ purulentâ, videbitis in Bartholino *Cent.* 4. *Epiſt. pag.* 490. item in *C.* 4. *Hiſt. p.* 96. ſicut etiam rarum eſt, quod refert Rhodius *cap.* 2. *Obſ. p.* 95. de Abſceſſibus Meſenterii interdum ſine Febribus obſervatis, utut, uti dixi utplurimùm adſit Febris Lenta; & Tulpius *l.* 2. *Obſ.* 37. ubi notabilem habet Caſum, Inflammationem ſcilicet Meſenterii ſuppurati, & ad Sphacelum diſpoſiti.

Porrò evenit interdum in Meſenterii Abſceſſu, ut emittatur Urina copioſa, eaque laudabilis cum ſedimento laudabili: quod ſi fiat ſine levamine Ægri, quin potiùs cum incremento Dolorum, malum eſt; innuit enim Fluxum colliquefactivum, Ægrum Tabi ac Hecticæ, brevique poſt Morti traditurum.

## CURA.

*Cura* ferè cum reliquis *Inflammationibus* eſt eadem, mutatis ſaltem mutandis, ratione nempe Partis affectæ, & conjunctorum Symptomatum.

Notandum ſaltem, quòd Venæſectio nil proſit, nec ipſo Morbo, nec Sanguinis Efferveſcentiâ febrili adeò acutis exiſtentibus. Præ cæteris tamen Sanguinis quibuſvis Evacuationibus *Vaſorum Hæmorrhoidalium apertio*, præſertim per *Hirudines* applicatione factâ, ſuo cum fructu *in Meſenterii Morbis* inſtitui ſolet, Naturâ monſtrante viam, & per dicta loca ſubinde felici cum ſucceſſu ſe ipſam exonerante.

*Purgatio* quævis propriè ſic dicta ſeu vehemens ex ſe & per ſe potiùs eſt nociva, irritat crabrones, & abſque euphoriâ Ægri evenit. *Clyſmata* verò Emollienta, Lenientia, Abſtergentia & Anodyna, pro circumſtantiarum ratione ſubinde injecta, imprimis quando jam per Alvum purgatur Abſceſſus, ſæpiùs ſunt utiliſſima.

De cætero tota Inflammationis Meſenterii *Cura* conſiſtit in *Reſolventibus* & *Emollientibus*, ut rectè loquitur Hartmannus *in Pr. Chym.* illis quidem Reſolventibus *Internis*; his verò Emollientibus *Externis*. *Interna* ferè ſunt nota ex ſuperioribus, præter quæ in ſpecie *Tartarea*, v. g. *Tartarus vitriolatus*, *Liquor Terræ fol. Tartari* ritè paratus, *Tinctura Tartari*, *Spiritus Tartari ſimplex*, aut *Carminativus*, *Tinctura Vitrioli Martis Zvvelfferi*; item alia blanda *Martialia*, *Eſſ. Martis cum Succo Pomorum*, *Tinctura tartariſata Martialis Ludovici*, item *Eſſentiæ Amaræ* Aperientes dictæ, ut *Abſinthii Centaurii min. Fumariæ*, *Cardui ben. Chelidonii majoris*; *Gummi Ammoniacum*, &c. Quibus adjungenda ſunt, ſpeciatim ſi Febris Lenta adſit, *Diaphoretica* Antimonialia; unde Antimonium Diaph. præſertim Martiale, hinc etiam Bezoardicum Martiale, Antihect. Pot., & ſimilia in Morbi curſu ſunt præſtantiſſima & frequenter uſurpanda. *Externè* applicatum *Emplaſtrum de Cicutâ* uſitatum, vel ſolum, vel cum *Gummi Ammoniaco* ſubactum, juxta curioſam Hartmanni compoſitionem, eſt egregium in tali caſu; hâc tamen ſimul obſervatâ *Cautelâ*, ut, *ſi citra Dolorem* Emplaſtrum hoc emolliat, & Inflammationem diſcutiat, res benè ſe habeat; *ſin verò Dolorem* intendat & exacerbet, malum Signum eſt; certum enim eſt, factam jam eſſe Inflammationem ac Abſceſſum, adeòque Emplaſtrum removendum erit, & ab eodem abſtinendum. Aliàs quoque præter conſueta *Emplaſtra*, *Cataplaſmata* & *Fomenta* Emollientia ex *Betonica*, *Solano*, *Agrimoniâ*, *Chamomilla*, *Verbaſco*, *Meliloto*, *Liliis albis*, *Abſinthio*, & ſimilibus in Vino coquenda, & cum Spongiâ vel aliis appropriatis applicanda, conducunt. Quòd ſi cum Inflammatione & Abſceſſu Meſenterii Febris Lenta plùs minùs conjungatur, internè Martialia & Antimonialia reliquis ſuprà enarratis addantur Remediis, præſertim *Lap. Cancr. Antihect. Pot.* &c. *cum pauco Sale Ammoniaco* ſocianda erunt.

His ipſis vel *reſolvitur* Inflammatio & Abſceſſus, vel ut plurimùm *ſuppuratur*, unde rupto Abſceſſu ſequitur tandem Puris ut plurimùm per Inteſtina vel per Urinam excretio, eaque in principio confertim, & poſtmodùm ſucceſſivè, continuatur, ad perfectam uſque Abſceſsûs expurgationē. Interdum remittit Puris excretio, poſt aliquot dies tamen recurrens, idque crebriùs, mutatis ſic vicibus, quando nempe tanquam in Vomicâ Purulentia ſucceſſivè colligitur, donec in quanto ſufficienti collecta excernatur. In hujuſmodi Suppurationibus & Abſceſſibus Meſenterii adhuc notabile eſt, quod refert Marcellus Donatus *in Hiſtor. Med. Mir. lib.* 4. *Hiſt. c.* 7. ſupervenire ſæpè iis copioſum *Urinæ Profluvium*, ſed ſine alleviatione Doloris Ægri. Ob Sedimentum autem, quod in Matulæ fundo reperitur, laudabile, nullam ſalutis ſpem concipere debet Medicus, cum iſtud

Colliquamentum potiùs quoddam Corporis contabescentis existat, non autem genuinum Urinæ Sedimentum. Quòd si ergò Remediis hactenus dictis Inflammatio resolvi nequeat, sed degeneret in Abscessum, tunc *Abscessus* ita factus est *expurgandus*, *mundificandus*, & *consolidandus*: Et quidem dum apertus est, quod docet Rigor & Horror cum Phlogosi, Alvus Clysmate acriore injecto stimulanda est, & Diureticis Pus promovendum, ut maturè id evacuetur. In *Mundificatione* verò & *Consolidatione Abscessûs* eadem omnia conveniunt, quæ aliàs in Phthisi, ab Exulcerationibus partium internarum orta, sunt proficua, & superiùs *Sect.* 17. *Cap.* 1. *Art.* 2. laudata; speciatim *Terebinthina* & omnia Terebinthinata, hinc *Vulneraria* Vegetabilium reliqua, primatum obtinent, unde Balsamum Sulphuris terebinth. aut succinatum, ni intensior Febris obstiterit; item *Balsf. Peruvianum* in Jusculo calido vel Ovo sorbili ad gutt. viij. x. xij. &c. assumtum, Pilulæ de Tereb. item Tereb. Cypria cum Vitello Ovi assumta, reliquis præferuntur meritò Remediis à Martini laudatis; quibus subinde & blandiora *Martialia*, præsertim in formâ liquidâ, Tinctura, Extracta & Essentiæ Martiales quæcunque, v. g. Essentia Martis liquida, Extract. Martis cum Succo Pomorum, item Tinctura Sulphuris, Vitrioli, & *Tinctura Antiphthisica* addenda; quia Abscessum & mundificant & consolidant. Hinc *Acidulis* cum fructu usus fuit Thonerus *in suis Observ. p.* 173. *Potiones Vulnerariæ* aliàs notæ sunt, speciatim tamen in hoc casu proficua sunt Agrimonia, Hypericum, Persicaria, ceu appropriatum Abscessuum Mesenterii Remedium. *Decoctum Ligni Sancti & Sassafras* in principio ruptionis Abscessûs insigniter conveniunt; quibus addenda & Radix Glycyrrhizæ, Scorzoneræ, Ficus, Jujubæ & similia quæ mundificant Abscessum & Purulentias acres simul temperant & absterguntur: item *Decoctum Rad. Chinæ* cum *Passulis*, & minoribus & majoribus, Glycyrrhizâ, Rad. Scorz. Caryophyll. Cinnamomo & similibus, in Sero Lactis parandum, vel Aquâ etiam, utut priori modo melius sit. *Formulas videb. in* Martinio. *Serum Lactis* etiam est egregium absterſivum & consolidativum Ulcerum internorum, ratione suæ nitrositatis; id quod vel solum propinetur, vel *Decoctum cum Rad. Cichorii, Liquiritiæ* &c. usurpetur. *Rhabarbarum*, tam pro scopo absterſivo, quàm scopo adstrictorio & quasi vulnerario, non negligendum venit. Sed plura de his *videb.* in specie in modò laudato Martinio.

Cæterùm *Tumores Mesenterii Duri*, *Scirrhosi*, *Scrophulosi* vel ipsi suppurantur, & simili modo curantur, vel præmissis Internis Martialibus, ad Salia volatilia & penetrantia accedendum. Externè verò usurpanda Empl. ex Gummat., vel sola, vel cum addito Mercurio vivo; uti & prodest Emplastrum de Ranis cum Mercurio, à quo nullum periculum metuendum est.

## ARTICULUS VII.

### *De Inflammatione Pancreatis.*

QUÆ hactenus de Mesenterio dicta fuerunt, etiam de *Pancreate* ferè monenda sunt; cujus *Morbi* & *Affectus* ut perquam occulti sunt, ita plurium difficilium & intricatorum Morborũ subinde origo sunt. Ex pluribus pauca annotare sufficiat.

*Tumorem Scirrhosum Pancreatis* cum Affectione Hypochondriacâ, vel potiùs Scorbuto, eleganter curatum videb. in Riverio *Cent.* 3. *Obs.* 85. Riolanus *Anthropogr. lib.* 2. *cap.* 16. *in Thuano* Melancholico Pancreas amplitudine suâ & pondere ipsum Hepar æquans totum scirrhosum, multis Globulis specie Ovi columbini refertum refert: & Cattierius *Observat.* 10. Pancreas insolitæ atque stupendæ magnitudinis allegat, ex quo Renis è suo loco naturali dimotio facta sit, cum Hypochondrii dextri Dolore gravissimo, & Dyspnœâ gravi. Tulpius *item l.* 2. *Observ.* 32. cum Steatomate Mesenterii pendente ℔. 18. quod Aquam intercutem mentiebatur, Pancreas pingue & ponderosum refert. *Abscessum in Pancreate* latentem perpetuas Vigilias, Lipothymias, aliaque gravissima Symptomata inducentem, refert Schenckius *l.* 3. *Observat. de Mesent. Pancreas Suppuratum* lethale Bartholinus *Centur.* 2. *Histor.* 39. Pancreas *Lapidosum*, Vomitum lethalem continuum causans, Panarollus *Pent. Observ.* 44. Idem corruptum & *Sphacelatum*, & Vomitum continuum lethalem Barbette *in Praxi.* Puellam per 8. annos miserè vexatam & Hecticâ Febre mortuam, in qua Pancreas Scirrhosum & induratum, vid. apud Petrum Pawium *Observ.* 14. Mortem repentinam ex Pancreate sphacelato vid. M. A. N. C. *Ann.* 1. *Obs.* 99. *p.* 230. & *Ann.* 3. *Obs.* 45. *Ex Pancreatis Excrescentiâ* Marasmum in M. A. N. C. *Ann.* 8. *Observ.* 31. *p.* 57. Interdum Pancreatis Morbi superveniente salutari Fluxu cruento curantur, Autore Bartholino *Cent.* 6. *Hist.* 43.

## ARTICULUS VIII.

### *De Omenti Tumoribus.*

NEc omittendum hîc penitus *Omentum*, quod nihil aliud est, quàm Expansio quædam membranacea, ex duplici constans Membranâ, in figuram orbicularem ad instar Marsupii aucuparii explicata, pluribusque Vasis Sanguiferis & copiosiori Pinguedine intertexta, Intestinis non saltem superinstrata, sed anfractibus quoque ac circumvolutionibus eorundem immersa, cujus respectu non absurdè *Epiploon* seu *Innatans* vocari solet. Altera enim & exterior ejus Ala à fundo Ventriculi & hujus communi Tunicâ oritur, simul atque in Hepatis atque Lienis cavo committitur; anterior autem & postica mox Diaphragmate à principio Mesenterii & Colo sub Ventriculo collocato, hinc ultra Umbilicum descendit, rariùs ad Inguina usque expanditur, ita ut Herniæ Scrotales ex hujus dislocatione non adeò infrequenter contingere possint, ac communiter creditur & dicitur.

*Vasa* Omento intertexta sunt:

1. *Arteria* Epiploica, & Gastro-epiploica, dextra & sinistra, ab Hepatico & Splenico-cœliacæ ramo emergentes.
2. *Venæ* ex duplici ejus Alâ, amplâ radice protuberantes, quæ in quatuor pariter caudices, iisdem cum Arteriis nominibus insignitæ, confluunt, ac demum in Mesentericum & Splenicum Venæ Portæ truncum se exonerant. His
3. Accedunt *Nervi* exilissimi à Plexibus Abdominis diversi, potissimùm primo & quinto emergentes & propullulantes.

Vasis his communibus Malpighius *de Omento* peculiares *Adiposos Ductus* addit, qui videri potest. A Bartholino, Hildano, aliisque *Glandulæ* quoque plures Omento adscribuntur: sed harum potissimæ sunt morbosæ aut Protuberantiæ adiposæ, præter binas saltem; quarum altera majuscula non procul ab illius cum Pyloro commissurâ deprehenditur: altera minor Lieni adhæresci, utut hæc duplex, imò triplex non nunquam, conspiciatur.

*Usum*

*Uſum Omenti* tandem quod ſpectat; hunc Fallopius *in Obſ. Anatomicis*, rectè obſcuriſſimum pronunciat, & nondum certus eſt, cùm ea, quæ circa eundem Galenus, Veſalius, & Cordæus ſcripſerunt, commentis ſimiliora videantur; imò quæ de hoc Malpighius profert, inſufficientia ſunt, ut ipſe fatetur.

In hoc tanquam in bursâ, Humores, vel Flatus collecti ,item Glandulæ ejus ſubinde Scirrhoſæ aut Steatomatoſæ factæ, varia Pathemata inferunt: Conf. Barbette *in Anat. Pract.* ſicut & admirandos OmentiTumores videbitis in Marcello Donato *Hiſt. Med. l. 7. ab* Horſtio *adjectos*; Item in Horſtio *Decad. 6. Problem. Quæſt.* 10. Hildano *Cent. 3. Obſ.* 62. Quibus Schenckius *in Obſerv. de Omento* addatur.

## ARTICULUS IX.

*De Inflammationibus Partium Thoracis Internarum,*

In ſpecie de

*Inflammatione Pleuræ, Pleuropneumonia, Peripneumonia, Pleuritide Vera, & Notha.*

OMnium frequentiſſimæ Inflammationes ſunt præ reliquis, quæ afficiunt *Partes internas ad Thoracem pertinentes*, & ferè ſemper fiunt ab aliquali Sanguinis in Præcordiis grumeſcentiâ, & aceſcentiâ, ſuntque frequentiùs *Eryſipelaceæ*, nunc magis Humoroſæ ſeu Sanguineæ; quâ ratione v. g. Pleuram inflammatam decuplo craſſiorem, quàm naturaliter eſt, obſervavit Riolanus *in Anthropogr. lib. 3. cap. 5. p. 358.*

*Frequentia* autem harum Inflammationum dependet ex eo primariò, quòd Thoracis interiora, nempe Sanguis in Pulmonibus *Aëris alterationibus* vel maximè ſint expoſita, cujus occaſione & vitio alteratus Sanguis promptiſſimè loca Thoracis lateralia & alias ejus partes afficit, quia partium harum Arteriæ proximæ ſunt Cordi, unde vel ſimpliciter vel reſpectivè ſæpiùs Inflammationes excitantur; & hi Thoracis inflammatorii Affectus Vincentio Baronio *Tract. de Pleuropneum.* in genere *Pleuropneumonia* appellantur; quæ poſtmodùm, prout modò hæc modò alia pars inflammatur, in ſpecie varias ſortiatur appellationes. *Inflammatio* enim *utriuſque Pulmonum partis* dicitur *Peripneumonia*; *ſi altera* verò *Pulmonum medietas* inflammetur, vocatur *Pleuritis*; quia in hac ſemper ferè ſimul iſtius partis Membrana, *Pleura*, eſt inflammata; ſicuti econtrà cum Pleurâ ſemper quoque Pulmo iſtius partis obſervatus fuit inflammatus.

Communis quidem inter *Pleuritidem & Peripneumoniam* hæc aſſeritur differentia, quòd in illâ *Pleura*, in hac *Pulmones* tantùm afficiantur; utræque tamen interdum combinantur, & in vicem tranſmutantur. Sunt interim nonnulli, v. g. Zecchius *Conſult. Med. Conſ. 26. in Append.* Platerus *lib. 2. Prax. p. 409. & l. 3. p. 365.* cujus rationes ampliùs deducit Hochſtedterus *Decad. 6. Caſ. 4. p. 92. &* Lælius à Fonte *Conſ. 91.* qui putant, obſervatum ſemper fuiſſe in Pleuritide correptis, quòd non ſolùm Pleura, ſed Pulmonis medietas ſimul in iſto latere inflammata fuerit; muniti præprimis autoritate Hippocratis *de Loc. in hom. Text. 24.* quibus quidem Sennertus & Riverius reſpondent: vid. *ſuis locis.* Nihilominùs rarò forſan Inflammatio Pleuræ ſine Pulmonum inflammatione exiſtit; Id quod pariter confirmant Modernorum Anatomicorum Obſervationes in Pleuritide demortuis: Conf. Sennertus *lib. 2. Prax. P. 2. c. 16. de Pleur. Quæſt. 2.*

Loco Pleuræ interdum quoque cum Pulmonibus inflammatur *Mediaſtinum*, duplicatura nempe Pleuræ ſub parte Sterni anteriore, quæ Inflammatio tamen peculiari nomine caret; quin & *Diaphragma* interdum inflammatur cum Pulmonibus, cui ordinariò ſupervenire ſolet *Delirium* leve, quod ſpeciali nomine *Paraphroſinem* & *Paraphrenitidem* appellare ſolent Veteres, à *Phrene* quod Diaphragma ſignificat.

Non autem ſolùm lateraliter afficitur *Pleura*, ſed etiam interdum ſimul cum Pleurâ & Pulmone *Membranæ Humeri*, item *Membranæ Juguli*, & ſimiles vicinæ Membranæ, afficiuntur, obſervante Tulpio *l. 2. Obſ. 1.* cùm Pleurâ ita inflammatâ impoſſibile videatur, quin & Inflammatio *Muſculis contiguis Intercoſtalibus internis* communicetur. Siquidem interdum accidit, ut in verâ Pleuritide Phlegmone versùs exteriores Muſculos ob magnitudinem Affectûs ſimul tendat, & Dolor etiam primo attactu percipiatur; quin curioſum eſt, quod obſervavit Barbette, interdum nempe Diaphragma juxta Proceſſum inferiorem ignaris repræſentaſſe ſpeciem Nephritidis ſeu Renum inflammatorum. Præ cæteris, quoad hiſtoriam Pleuropneumoniæ in genere & in ſpecie, conf. Vincentius Baronius *Tract. de Pleuropneumon. lib. 1. capit. 1. & 3.* cujus veſtigia terit Schneiderus *in Diſſert. de Pleuropneumonia.*

## CAUSÆ.

*Cauſa Proxima Pleuropneumoniæ*, ſub quo nomine omnes Inflammationes Thoracis comprehendo, eſt Sanguinis coagulatio atque ſtagnatio, ab Acido in eo peccante orta, cujus ratione hic ad facilem & ſucceſſivam ſui coagulationem & congrumeſcentiam diſponitur, & hinc vel in Pulmone, vel in Pulmone & Pleurâ ſimul, aliiſve vicinis locis hærendo, Acido ſimul membranaceas partes vellicando, & ad crebriores contracturas ſtimulando, hos Affectus infert: Conf. Helmontius *Tractat. Pleura Furens*, Holterhoff *de Error. Medicor. Part. 2. Sect. 2.* Hinc Sanguis, qui Venâ ſectâ emittitur, ſubinde nunc ſemigrumoſus prodire obſervatur, teſte Gabelchovero *C. 4. Curat. 70. & 79.* nunc promptiſſimè coagulabilis exiſtit, ita, ut ferè exeundo congrumeſcat, teſte Helmontio *cit. loco*, ipſi verò extravaſato Pellicula tenax ſubalbida viſcida ſupernatare ſolet, teſte Williſio *in Pharm. Rat. Part. 2. p. 178. & 198.* Relicta Acidi hujus peccantis veſtigia in Parte affectâ, etiam curato Abſceſſu, *Recidivas* crebriores in eodem loco facere ſolent. Quòd ſi Sanguis haud perfectè coagulatus minùs firmiter intus fixus inhæreat, minorem quoque Dolorem inferat, facilè reſorberi, & hinc per *μετάστασιν Pleuropneumoniæ* ad diverſas partes transferri poteſt.

*Cauſæ Remotæ* harum Inflammationum in Thorace obvenientium, ſunt variæ: Frequentior imprimis ſolet eſſe *Frigus* externè hauſtum, poſt immoderatos Calores aut Corporis Motus & Incaleſcentias; Sanguinem enim coagulando, eum ad ſtagnationem diſponere poteſt: Et quidem eſt una ex frequentiſſimis Cauſis, ſive Aër inſpiratus, ſive Potus ingurgitatus fuerit frigidus: Sic Horſtius *lib. 3. Obſervat. 10.* Pleuritidem obſervat ex hauſtu Vini frigido poſt Æſtum & Corporis Refrigerationem: Riverius *Obſ. 14.* à Dionyſio Pomaret *communic.* ex *nimio Curſu* & Potu frigido Pleuritidem notat: Conferat. Hildanus *Cent. 4. Obſerv. 25.* qui habet Peripneumoniam ex indefeſſâ *Saltatione*, & hanc excipiente Potu frigido:

Foreſtus *lib.* 16. *Obſerv.* 28. obſervat Juvenem, poſt Exercitium, ex Aquæ frigidæ potu in Pleuritidem incidentem: Hornung *in Ciſtâ Med. pag.* 276. obſervat Peripneumoniam in Clerico concitatam ex eo, quòd benè potatus ſæpè in Templo cantaſſet: Vid. etiam M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obſerv.* 285. *p.* 384.

Occaſionem Pleuritidis quoque præbent *Potûs ſpirituoſi* nimia ingurgitatio, *Motus vehementior*, &c. Prætereà *ordinariæ ſuppreſſæ Sanguinis Evacuationes* non rarò dant Pleuritides, in ſpecie tamen *Menſes ſuppreſſi*; pari enim ratione ac Menſes ſuppreſſi Dyſpnœam procurant, ita & iidem Pleuritidem generare poterunt; quorum etiam occaſione Acidum vitioſum interdum colligi ſolet: Sic Deodatus *in Valetud. pag.* 219. obſervat ex Menſium ante legitimum tempus emanſione Hæmoptyſin cum Pleuritide: Item pertinet huc *Caſus* Timæi à *Guldenklee*, *lib.* 2. *Caſ.* 7. quod etiam ſæpè uſu venit, ubi habet Exemplum Mulieris Pleuriticæ ex *ſubitaneâ Menſium ſuppreſſione* propter Caſum in fluvium frigidum: Præterea *Dyſenteria ſuppreſſa* aut Adſtringentibus malè curata non rarò dat Pleuritides, obſervantibus Autoribus omnibus, in ſpecie Sennerto *in Praxi cap. de Pleurit.* item Schneidero *Tract. de Pleurop.* Unde etiam Helmontius rectè aſſerit (quod benè obſervetur pro Praxi) Dyſenterias & Pleuritides non differre in radice, ſed tantùm quoad locum affectum. Imprimis conſideranda Aëris *Conſtitutio Epidemica*, & *Malignitas*: Hujus ſiquidem ratione non rarò Pleuritides graſſantur ſubinde Epidemico more, quo tempore Pleuritides tales ac Peripneumoniæ utplurimùm ſunt Malignæ, & Contagioſæ plùs minùs, quod multorum Practicorum teſtantur Obſervationes, v. g. Foreſti *lib.* 16. *Obſerv.* 34. Wieri *in Obſerv. ubi de Pleurit. Malignâ*, Baronii *de Pleuripneumoniâ in Præf. & c.* 1. item Bartholini *pag.* 69. *lib. de Incendio Bibliothecæ.* Facit huc Lælius à Fonte *Conſ.* 31. & 83. qui obſervavit Anginas, Pleuritides & Peripneumonias conjunctim, & ſimul vulgariter graſſantes, in quibus ſecta Cadavera, quæ catervatim mortua fuerunt, Pulmones ingentibus Abſceſſibus correptos, ex quibus apertis Pus copioſum & fœtida Materia effluxit. Hinc patet, quòd hi Affectus differant non radice, ſed loco affecto; unde etiam eodem modo curantur, ac unus in alium ſæpiùs mutatur; de quo vid. Rhodius *cap.* 2. *Obſervat.* 11. ubi habet Exemplum Ægri, qui ex Anginâ in Peripneumoniam, & ex Peripneumoniâ in Pleuritidem incidit; ita ut hi tres ſint unus idemque Morbus, unam eandemque habeant Methodum medendi, & differant tantummodò loco affecto. *Febribus* quoque *Continuis* non rarò ſupervenit Pleuritis, qualis etiam obſervata fuit poſt Morbillos in M. A. N. C. *Ann.* 4. *Obſervat.* 7. *pag.* 10. adeoque tanquam Symptoma aliquod iiſdem ſubinde ſe aſſociat, ut rectè Sydenham *in Obſervat. pag.* 355. *Pleuritidem* nunc *Eſſentialem* ſeu primarium Affectum, nunc *Symptomaticum* Febris, eſſe aſſerat. Similiter *Scabies retro pulſa*, uti Aſthma, ſic & Peripneumoniam & Pleuritidem infert, obſervante hoc Amato Luſitano *Cap.* 2. *Cur.* 62. ubi Scabies ſicca retro pulſa Pleuritidem intulit. Inſuper *Periodica* ſubinde eſt Peripneumonia & Pleuritis, idque, uti rectè inſinuat Helmont. tunc temporis, ubi non adeò fuit ritè curata, & Fermentum remanet: & quidem Periodum habet interdum annuam, teſte Zacuto Luſitano *lib.* 3. *Prax. Admir. Obſervat.* 112. vel aliis modis crebriùs recidivat, de quo vid. Borellus *C.* 4. *Obſervat.* 83. de Viro ſeptem vicibus Pleuritide detento, qui tandem Hydrope periit. Tandem *Cauſæ Externæ*, Caſus, Ictus, indeque natæ Contuſiones, aliaque Pathemata ſimilia, quæ Sanguinis ordinarium motum per Vaſa Intercoſtalia plùs minùs remorantur, ad Pleuritidem diſponunt: Sic ex *Riſu* & *Sternutatione ſimultaneis* Pleuritidem natam videbitis in Bartholini *Act. Med. Haffn. Volum.* 2. *pag.* 239.

Hæ ferè ſunt Cauſæ ordinariæ Pleuritidis & Peripneumoniæ.

Denique *Pleuritis Notha* à *Vermibus* Inteſtinorum oriunda à Quercetano *in Pharm.* & Bartholeto *Tractat. de Reſpir. lib.* 3. *cap.* 3. obſervata fuit. Et hæ Pleuritides ſe manifeſtant, quòd præter Pleuritidis Signa ſimul adſint Signa Inteſtinorum affectorum: videatur Amatus Luſitanus *Cent.* 1. *Curat.* 52. item Zacutus Luſitanus *lib.* 8. *Prax. admir. Hiſt. Obſervat.* 7. *cap.* 3.

## DIFFERENTIÆ.

Obſervandæ ſunt ob id *Differentiæ*, quòd nempe.

I. Alia eſt vel *Benigna*, vel *Maligna*: interdum *Epidemica*, de qua *ſuprà*; quando nempe Acidum pleuriticum ſingulariter corruptum Acrimoniam perquàm hoſtilem & venenoſam acquirit.

II. Alia eſt *Primaria*, alia eſt *Secundaria*, ſeu quæ alios inſequitur Morbos: v. g. quando Scabies retropulſa Pleuritidem infert; vid. Amatus Luſitanus *C.* 2. *Obſ.* 62. vel Pleuritis Febribus Continuis aut Affectibus Thoracis aliis ſupervenit.

III. Alia eſt *Simplex*, alia cum Peripneumoniâ aut cum alterutrâ reliquarum Thoracis partiũ Inflammatione, v. g. Diaphragmatis, *juncta*.

IV. Quædam eſt *Periodica*, quæ ſæpè recurrere ſolet, imprimis non ritè curata: vid. Borellus *l. a.* item Zacutus Luſitanus *l. a.* ſicuti non inaudita eſt multoties recurrens in uno Subjecto Affectio: aliæ, & quidem ut plurimùm, *non* ſunt *Periodicæ*.

V. Porrò (quæ omnium Differentiarum ſolennis magis eſt) Pleuritis nunc eſt *Vera*, de qua ſaltem hactenus locuti ſumus; nunc eſt *Notha*, quæ aliàs extraordinarias agnoſcit Cauſas: *Vera* eſt Inflammatio medietatis Pulmonum & Pleuræ illius lateris, juncta hinc cum Febre Acutâ aliiſque Symptomatibus ſuperiùs explicatis; *Notha* verò ſine Febre, aut cum Febre Lentâ admodùm.

VI. Pleuritis tandem eſt vel *Aſcendens* vel *Deſcendens*, ratione Loci, Doloris, & Extenſionis. Fundamentum hujus diviſionis conſiſtit in diſtributione Vaſorum deſcendentium, & aſcendentium, per quæ Sanguinis recurſus impeditus Inflammationem infert. Hinc *Aſcendens* conſiſtit in duobus ſpatiis trium Coſtarum ſuperiorum, quæ nempe ſunt intra ſecundam, & tertiam Vertebram, à Jugulo numerando. *Deſcendens* verò Pleuritis dicitur, quæ conſiſtit in reliquarum quinque Coſtarum inferiorum quatuor ſpatiis, i. e. intra tertiã & quartã, quartã & quintã, quintã & ſextã, ſextam & ſeptimam. *Aſcendens* dicitur, quia ſpatia illa intercoſtalia recipiunt Vaſa ſua certa à truncis ſupra Cor, ex vena nempe & Arteriâ Axillari: *Deſcendens* verò Pleuritis, quia ſpatia illa accipiunt Vaſa à truncis infra Cor, nempe ex inferiori trunco Arteriæ Magnæ. Hæc Differentia ſcitu neceſſaria & probè obſervanda eſt, ob legitimam adminiſtrationem Venæſectionis.

*Pleuritis Notha eſt varia*, imprimis *quadruplex*.

(1.) Iſta,

(1.) Iſta, quæ à Sennerto ita dicitur *l. 2. Prax. P. 2. cap. 16. ubi de Pleurit. p. 225. & 230.* quo loco intelligit *Inflammationem Muſculorum Thoracis externorum & internorum Intercoſtalium*, in qua Febris eſt nulla, aut non adeò acuta, ſed ſaltim lenta, Tuſſis pariter nonniſi rara & Catarrhalis, ſine cruentorum expectoratione, Pulſus minùs durus, Dolor mitior, ſaltim pulſans, minùs pungens, & qui externo contactu minùs exaſperatur, adeoque cum Verâ Pleuritide parum vel nil habet commercii, niſi cum Verâ graviori hæc ſimul juncta ſit.

(2.) Eſt iſta, quæ uſitato magis *Pleuritidis Nothæ* nomine venit, eſtque *Dolor inſignis punctorius in uno alterove latere*, ſine Febre ac ſiti, aut ſaltem cum Febre Catarrhali ſimili, hinc cum Pulſu quoque ferè laudabili, niſi in quantum Doloris ratione immutatur & frequentior redditur; Tuſſis adeſt aut nulla, aut ſi quæ eſt, non adeò frequens aut vehemens, ſaltem Catarrhalis aut Lymphæ vitio, unde & Febris Catarrhalis ſimilis tunc ferè jungitur. Cuncta autem hæc Symptomata, utut vulgò à Flatu oriri aſſerant, oriuntur ex Acido vitioſo, vehiculo Lymphæ aut Seri ſtagnantis intra Pleuram delato, ſine hujus Inflammatione, ſine Pulmonum alteratione, & potiùs *Dolor Pleuriticus*, quàm Pleuritis appellanda venit. Atque talis Affectus in Scorbuticis aut Affectibus generis nervoſi obnoxiis, non rarò obſervatur, cum Appetitu non rarò laudabili, Pulſu naturali, Dolor tamen non adeò fixus eſt, ſed locum ſæpiùs mutat: vid. Drawizius *de Scorb. Tit. 7.* & Williſius *l. a.* Item Symptoma hoc eſt, Variolarum & Morbillorum eruptionem interdum antecedens, aut Scabiem intempeſtivè curatam excipiens: vid. Sennertus *Prax. lib. 2. P. 3. cap. 6.* Item Gallico Morbo affectis aliquando accidere ſolet: vid. Sennertus *loc. ſuprà alleg. pag. 256. Quæſt. II.* item Willis, *Pharmac. Ration. l. a. p. 199.*

(3.) Ad hujuſmodi Pleuritidem, malè ſic dictam Notham, ſeu potiùs Dolorem Pleuriticum, etiam pertinet iſte *Dolor Pectoris, qui à Flatibus aut Vaporibus*, Pleuram ac Muſculos Intercoſtales divellentibus ac diſtendentibus ſubinde oriri dicitur. De quo vid. Sennertus *l. a. Part. 3. c. 6.* Nulla enim in hoc obſervatur Febris, nec Tuſſis; nihil etiam cruenti, licèt Tuſſis ſuperveniat, exſpuitur, Dolor quoque vagus eſt minùſque perpetuus, ſed per intervalla recurrens, non tamen pulſans, nec pungitivus, niſi quando Pars affecta manu comprimitur. Oritur ab Humore ſeroſo acri ſine Inflammatione ſingulari. Hæc cum Pleuritide Nothâ primæ ſpeciei, quia utraque ſaltem externa eſt, præter Febris Acutæ defectum, à Verâ facilè dignoſcitur, & hoc commune habet, ut Ægri in Pleuritide Nothâ ut plurimùm in latus oppoſitum potiùs quàm in morboſum ſeu Partem affectam decumbere queant, ſecus ac Pleuritide Verâ, utpote in qua contrarium obſervatur: vid. Amatus Luſitanus *Cent. 3. Cur. 67. Annot. & Cent. 7. Cur. 62.* Sennertus *l. a. p. 2. c. 16. p. 232.* & Williſius *Pharm. Rat. p. 2. Sect. 1. cap. 9.* In Pleuritide Verâ enim, cum Æger decumbit in latus oppoſitum, Pars inflammata pondere ſuo divellitur, majoremque patitur diſtenſionem; minùs in Pleuritide Nothâ. Spectat huc

(4.) Similis *Dolor Pleuriticus à Vermibus Inteſtinorum*, qui ab horum putreſcentium Vapore fieri dicitur; de quo videatur Quercetanus *in Pharm.* obſervatam à ſe Notham Pleuritidis ſpeciem, quæ in omnibus Symptomatibus Veram & Legitimam æmuletur, ortam à malignis & acribus *Vaporibus*, ab inferioribus ſurſum in Pectoris regionem delatis, ex quorum virulentiâ & acrimoniâ Pleuræ Inflammatio, necnon Venarum eroſio excitata fuit, unde Sanguinis exſpuitio, ſpirandi Difficultas, Febris, & alia Symptomata; ubi Purgatio cum *Aquâ Benedictâ Rulandi* inſtituta, Sanguinis detractioni & Eccoprotici exhibitioni longè lateque præferenda. Imprimis *Vermes* & corruptionum incommoda tollere jubet, à quibus ſæpenumerò hæc *Spuria Pleuritis* oritur; id quod præſtarent Antimonialia. Simile ferè Exemplum recenſet Bartholetus *de difficili Reſpiratione lib. 5. cap. 3. pag. 548.* dum inquit; ſe curaſſe Pleuritidem in quadam Virgine, cui omnia Pleuritidis Veræ ſeu Legitimæ Signa adfuere in principio, quam tamen poſt primos dies Malignam ex pravo Vermium halitu ſe manifeſtaſſe, & prorſus abſque Sanguinis miſſione fuiſſe curatam: vid. etiam *lib. 5. c. 11.* ubi ſimilia habet. De Lumbricis quoque vid. Amatus Luſitanus *Cent. 1. Curat. 52.* & Zacutus Luſitanus *lib. 8. Prax. Hiſt. Obſ. 7. cap. 3.* Item Pleuritidem à Verme Rhodius *C. 2. Obſerv. 12.* Schenckius *l. 2. Obſervat. 92.* Geſnerus *l. 3. Epiſt. pag. 49.* Bonetus *Med. Sept. pag. 374.* Riverius *c. 1. Obſerv. 75.* & Hœchſtedterus *Decad. 7. p. 49.* notarunt. Atque hæ Pleuritides Nothæ ſe manifeſtant, quoniam præter Signa Pleuritidis communia adſunt ſimul quoque Signa Inteſtinorum affectorum, & quæ Vermibus ſunt propria, maximè ſi Ventriculi angorem ſecum habet conjunctum.

*Pauciores Differentias patitur Peripneumonia*, quatenus I. vel *primariò* & ſine alterius Morbi interventu generatur, vel aliis Morbis, v. g. Anginæ aut Pleuritidi, *ſuccedit*: Quorum hoc iterum duplici modo fit; aut enim Pleuritis in Peripneumoniam commutatur, dum priore Morbo ceſſante alter excitatur: aut Morbo laterali Pulmonia ſupervenit, i. e. illi manenti hæc combinatur. Hinc II. alia Peripneumonia eſt *Simplex*, alia *Pleuritidi juncta*. III. Alia *Benigna* eſt, alia *Maligna*, de qua vid. Baronius *l. a. cap. 7. 9. & 10.*

Circa Diaphragmatis aut Mediaſtini Inflammationem peculiare nil occurrit Practico attendendum.

## DIAGNOSIS.

*Diagnoſis* Inflammationum partium Thoracis, earumque *Signa & Symptomata* comitantia, quædam ſunt vel *Communia* omnibus Inflammationibus, quædam vel *Propria* magis & *Diſtinctiva*, pro Partium affectarum ratione variâ.

Signa *Communia* Pleuritidis, Pleuropneumoniæ, Peripneumoniæ, Diaphragmatis & Mediaſtini inflammatorum, ſunt ſex: Nempe

1. Adeſt in omni Thoracis Inflammatione *Reſpiratio* plùs minùs difficilis, anheloſa, adeoque ſimul frequens nempe & parva, nec ſufficiens neceſſitati Naturæ.
2. Deinde adeſt *Febris* Continua acuta, cum inſigni Ardore utplurimùm, & inſigni febrilium Symptomatum Syndrome conjuncta, interdum Tertianæ typum obſervans.
3. *Pulſus* eſt admodùm frequens, celer, magnitudine moderatus, qui ſaltim in progreſſu parvus fit, & in ſpecie durus ſimul, ob Arteriarum tenſionem inſignem quaſi convulſivam, à Membranis inflammatis affectæ Pleuræ quaſi Spaſmodicè conſentientem. Talis Pulſus (interdum, quod ſæpiùs obſervavi, Pulſus eſt intermittens, quo nunc quarta nunc ſeptima pulſatio deficit) eſt hic, quem vocant aliàs *Serrinum* ſeu *Serratum*, qui licèt aliàs à Lindano *in Collegio ſuper Hartmannum* pro figmento habeatur, eum tamen ſano ſenſu explicatum Pleuritidi ferè proprium plurimi teſtantur Medici.

4. *Facies* in omnibus his Pectoris Inflammationibus rubet insigniter, *Oculi* turgent, *Genæ* sunt quasi inflatæ & efflorescunt, nisi declinaverit Morbus ad Mortem; tunc enim Facies considet. Et quidem mirandum est, si altera saltem Pulmonum medietas seu Pleura, e.g. Lobus dexter fuerit inflammatus, Rubor Faciei seu Malarum respondeat saltim lateraliter parti Pulmonum affectæ, ita ut si dextra pars Pulmonum sit affecta & inflammata, etiam Mala dextra rubeat, & contrà. Durat hic Rubor Genarum à principio ad finem usque & tunc cætera allegata Symptomata magis in uno, quàm altero latere, observantur.
5. *Tussis* semper enormis, frequens admodùm & molesta adest, in principio quidem sicca, hinc progressu temporis sensim rejicitur Materia tenuis, aquosa, nonnihil spumosa, mox variè tincta; hinc Sputum totum fit cruentum, tandem verò albescit, crassescit & spissescit, fitque mucilaginosum & tenax, & tunc vocatur *Sputum Coctum*.
6. In omnibus Thoracis Inflammationibus *Caput* dolet insigniter, & adsunt simul *Agrypniæ*, *Sitisque* intentissima, & similia febrilia Symptomata fatigant Ægros, interdum cum supervenienti *Delirio*.

Hæc sunt Signa communia.

Quoad verò *Signa & Symptomata propria* magisque distinctiva horum Affectuum à se invicem, ea oriuntur ex speciali *Partis affectæ* habitudine, & sunt:

(1.) Quòd *in Peripneumoniâ* adsit major admodùm respirandi Difficultas cum summâ Pectoris angustiâ, Anxietate atque Inquietudine, ita quidem, ut *Suffocatio* Ægros magis urgeat, adeoque hi interdum nonnisi erecti cogantur spiritum ducere. Interdum nec bibere, nec loqui commodè possunt, ob Respirationis angustiam, qualem respirandi difficultatẽ Hippocrates vocat *Sublimem Respirationem*.

(2.) *Dolor* in Pectore gravativus, profundus admodùm, Spinam Dorsi quasi attingens, & obscurus aut inter tussiendum saltem observabilis, quique tamen in Thoracis etiam ambitu, si Pleuritis scilicet fuerit juncta; quando verò Membrana succingens Pulmones simul inflammata non fuerit, Dolor semper remissior est.

(3.) In peripneumoniâ primis diebus *Vomitiones* magis familiares sunt, secus ac evenit Pleuriticis, observante Pisone *Tr. de Colluv. ferosa p.* 230.

(4.) *Febris* adest Continua, ut plurimùm Acuta, cum Symptomatibus intensioribus, utut Febrem Mollem, seu *Epialam* subinde observasse referat Lindanus.

Contrà *in Pleuritide* semper conjunctus observatur *Dolor* ambientis lateris seu Pleuræ affectæ acutus, quando inspiramus, aut punctorius auctus, & tunc imprimis molestus; cujus originem ab Acido, & fiendi modum per contracturam fibrarum Pleuræ eleganter explicat Helmontius *Tr. Furens Pleura*. Adeoque rarum est, quod refert Lindanus Dolorem hujusmodi punctorium non in omni esse Pleuritide; utut & *Pleuritis sine punctorio lateris Dolore* observata fuerit à Zacuto Lusitano *in Hist. Med. Princip.* qualem & ipse Tulpius observavit.

*Notabile* est, quod præterea addit Barbette *in Praxi*, quòd nempe Pleura in regione Dorsi, ubi adnascitur Diaphragma, inflammata, interdum ab incautis habeatur *pro Nephritide*, licèt hoc fiat cum summo detrimento Ægri.

*In Inflammatione Diaphragmatis* simul extrema Costarum spuriarum circa finem Sterni imprimis dolent, & ista Ventris pars, ubi Diaphragma est extensum, Dolorem percipit; Dolor tamen exiguus est, Inspirationem saltem aliquo modo turbans, & saltem molestia quædam juxta Sternum inspirando percipitur. Tussis magis sicca in principio æquè ac progressu Morbi existit, & si humida, nec cum tam copiosis excretis, atque in Pleuropneumoniâ, adesse solet. Et denique Cinguli instar supra Lumbos, Ventrem Dolor ambit, & Hypochondria tendi seu constringi videntur. Facilè tales delirant Ægri, quod delirium *Paraphrenitidem* appellant. Exemplum elegans *Diaphragmatis inflammati, vid. in* Platero *Observ. l.* 1. *pag.* 158. Respiratio est inæqualis, modò parva, modò magna, modò frequens, modò rara: &c. solent etiam nonnunquam accedere Convulsiones, & palpitare interdum videtur Diaphragma: vid. Platerus *l. a. p.* 170.

Denique *in Inflammatione Mediastini* paria ferè modò dicta observantur, ut plurimùm in anteriore Pectoris regione Incalescentia, & Dolor quidam nonnihil gravativus in & sub Sterno percipitur, citra tamen Punctura m, aut citra insignem aliam molestiam, nisi sub inspirando. Tussis verò quoad omnia instar Pleuriticorum se habet, nempe in principio sicca, postmodùm humida, in quâ rubra & flava rejiciuntur, non tamen adeò copiosa observantur. Pulsus qualis Pleuriticorum.

*Hepar inflammatum* subinde paria ac Pleuritis habet Symptomata; in eo tamen distinguuntur, quòd *Dolor* sit in latere dextro & circa dextrum Hypochondrium gravativus, non punctorius, ut dolorosa quædam plùs minùs tensiva molestia ad Jugulum usque adscendere videatur: Pulsus est undosus, non durus; Tussis sicca, non adeò frequens; nec tanta respirandi Difficultas.

*Quòd si progrediatur Malum*, ita ut Pleuritides & omnes Inflammationes hæ degenerent in *Suppurationem*, tunc hanc *fientem* quidem monstrat Rigor, qui certum est indicium, & qui necessariò omnes internarum partium, præsertim membranacearum, Suppurationes comitatur; nec non exacerbatio Doloris, Febris, Vigiliarum, ac similium Symptomatum: *factam* verò *jam Suppurationem* monstrant Dolor imminutus, Febris remissior, Respiratio liberior, & Virtus vitalis non adeò debilis. Verùm licèt confecto Pure & Febris & Dolor mitescant, tamen instante Disruptionis tempore vehementiùs cum Horrore Ægri denuò febricitant, ac difficiliùs ferè quàm anteà respirant.

## PROGNOSIS.

*Prognosis* Affectus hos binos, unà cum Mediastini ac Diaphragmatis Inflammatione, periculosos admodùm pronunciat; ita tamen, ut ex his *Pleuropneumoniæ* variis quasi speciebus, cæteris paribus, levissima omnium sit *Pleuritis*, etiamsi interdum Pulsum intermittentem habere videatur, qui in eâ minùs periculosus est: *vid.* M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obs.* 237. *p.* 339.

Vehementior autem & periculosior est *Peripneumonia*, utpote quod Morbi genus juxta Celsum plus Periculi, quàm Doloris habet.

Adhuc vehementior & periculosior, cæteris paribus, est *Diaphragmatis Inflammatio*, quæ acutissimus Morbus est, atque Ægrum citò in summum discrimen deducit, sæpè jugulat; & sicuti etiam *Mediastini Inflammatio* est periculosior Pleuritide.

Quòd si absque interitu Ægri finiantur hæ *Pleuropneumoniæ* & his conjuncti Affectus, curantur, Vel

(1.) Insensibili *Discussione & Resolutione* ipsius Inflammationis; id quod fit nunc Criticè, nunc Medicè.

(2.) Quan-

(2.) Quando ſucceſſivè per *Sputi* crebrioris rejectionem ſolvitur.

(3.) Quando Inflammatio ſucceſſivè ſuppuratur, ac in *Abſceſſum* vel *Empyema* abit, quam Suppurationem ſientem oſtendunt Dolores, Febris & Vigiliarum exacerbatio.

(4.) Si per ratam ac ſingularem Materiæ morbificæ *Metaſtaſin* terminantur: v. g. nunc per Phrenitidem, nunc in ſingulares Morbos Articulares, nunc in Abſceſſum in Surâ, nunc in Ulcera Tibiarum.

*Si terminantur Reſolutione* vel per *Sudores*, vel *Diarrhœas*, vel *Urinæ* copioſum *Fluxum*, vel *Hæmorrhagias*, vel aliis modis, imprimis eſt obſervandus Motus Naturæ Criticus, qui nullo modo impediendus, ſed, ſi poſſit, potiùs promovendus: Nam in Diebus Criticis Natura ſibi relicta imprimis ſolennes tales inſtituit Evacuationes: *vid.* Amatus Luſitanus *Centur. 7. Curat. 28.*, qui refert Pleuritidem ſævam ſine Venæſectione die 14. per Sudorem Criticum curatam. Porrò Piſo *Tract. de Colluvie ſerosâ p. 229. in Edition. in quarto* obſervat Pleuritidem die 7. per Sudorem curatam: Valeriola *lib. 4. Obſerv. 4.* habet Hiſtoriam curioſam Pleuritidis gravis in Gravidâ 8. menſium, quæ ſolius Naturæ ope ſine Venæſectione die 4. per Sudorem fuit curata: & *c. l.* aliam refert Gravidam Pleuriticam, quæ variis licèt aliis adhibitis Remediis, tandem die 7. 11. & 14. robore Naturæ per copioſos Sudores fuit curata; item *lib. 7. Obſerv. 6.* ſimile ferè refert Exemplum.

Quod attinet *Hæmorrhagias*, v. g. Narium, Hæmorrhoidum, aut Menſium fluxum, Hæmorrhagiam ſeptimo die Criticam in Pleuritide ſalutarem refert Louichius *lib. 3. cap. 3. Obſerv. 3.* item Foreſtus *lib. 16. Obſerv. 35.* & *Obſerv. 37.* habet Pleuritidem per fluxum Sanguinis ex Naribus die 14. curatam: ſicut Pleuritidem in Peripneumoniam converſam per fluxum Menſium Die Critico ſanatam *Idem Obſerv. 36.* & *39.* refert: Pleuriticæ Mulieris Exemplum per Sanguinis mictum curatæ habet Ferdinandus *Conſil. 5.* & Pleuritis magna in Gravidâ poſt Partum ob Uteri exinanitionem curata in Ferdinando *Hiſt. 13.* obſervatur.

Sic interdum ſuperveniunt *Diarrhœæ Criticæ*, per quas *Pleuropneumoniæ* feliciter ſolvuntur: Ipſemet curavi ſuperiori anno Mulierem, quæ ex Pleuritide fiebat ſuppurata, in qua tamen Ulceris omnis Purulentia per Diarrhœam Criticam feliciter expurgabatur: Panarollus *Pent. 1. Obſ. 36.* obſervat Senem ſeptuagenarium Pleuriticum, ſuperveniente Diarrhœâ ſanatum: Sic Diarrhœa ſalutaris Pleuritidi ſuperveniens obſervatur in Amato Luſitano *Cent. 1. Cur. 7.* Zacuto Luſitano *lib. 1. Prax. Admirand. Obſ. 1051.* Deſperata Pleuritis per Alvi fluxum curata in Valeriola *Obſerv. 4. & 5. lib. 1.* Nec obſtat *Aphor. 16. Sect. 6.* Hippocratis; *Diarrhœam, quando ſuperveniat Pleuritidi vel Peripneumoniæ, periculoſam eſſe*; de quo imprimis *videatur* Caſtro, *Quæ ex quibus p. 17.* Actuarius *cap. 18. l. 5. &* Platerus *Prax. Medic. Tom. 2. p. 14.* qui ideò in Pleuritide Purgantia rejiciunt,

(1.) Cùm per Alvum Materia peccans minimè expurgari poſſit.

(2.) Cùm Corpus accendant.

(3.) Cùm Diarrhœas, quæ alias facilè ſupervenire & nocere ſolent, promoveant.

*Aſt non univerſalis hæc eſt Regula*; cùm Obſervationes infinitæ contrarium teſtentur; ejus tamen ſolutio non quærenda in certâ *Temporis diverſitate*, quaſi ſcilicet in Principio, non in Statu aut Declinatione; Diarrhœa ſit periculoſa, cùm juxta Amatum Luſitanum & Valeriolam *l. a.* item Zacutum Luſitanum *l. a. pag. 303.* in Statu & Declinatione potiùs ſalutares obſerventur Diarrhœæ, ſi ſcilicet Signa Coctionis præceſſerint. Nec à *Magnitudine & Parvitate Morbi* differentia petenda, quaſi Diarrhœa mitiori Pleuritidi ſeu Peripneumoniæ ſuperveniens bona; vehementiori mala exiſtat; ejuſdem ſiquidem Valeriolæ *Exempla allegata* aliud ſuadent, utpote in quibus Morbus vehemens & deſperatus admodum fuit. In Principio autem pariter ac Incremento Morbi Diarrhœa immoderata ſuperveniens, & quidem cum debilitate Ægri, utplurimùm eſt funeſta.

*Dejectiones fœtentes* ſunt bonæ; innuunt enim ruptum Abſceſſum & evacuationem Puris per inferiora.

*Inflammatio Diaphragmatis* ſæpiùs eſt lethalis.

Porrò *in Pleuropneumoniâ* obſervandus eſt ſpecialiter *Aphoriſmus* Hippocratis 12. *Section. 1.* qui eſt: *In Pleuritide* (quod & valet in reliquis Thoracis Inflammationibus) *ſi ſtatim Sputum in Pleureſi in initio, intra tertium diem ſcilicet, appareat cruentum; brevem Morbum indicat; ſin verò ſeriùs, longum*: Nam Pleuritis, in qua nihil exſpuitur, eſt periculoſiſſima. Sic quoque *Aphoriſ. 8. Section. 5.* dicit: quòd *Pleuritici intra quatuordecim dies non ſupernè per Sputum repurgati, Empyici fiant; Qui verò ex Pleuritide Empyici fiunt, ſi in 40. diebus repurgentur, a die quo ruptio facta eſt, liberentur, alioquin in Labem ſeu Phthiſin incidant*, uti habet *Aphor. 15. Sect. 5.* Nempe Pleuritis plerumque die decimoquarto terminatur, aut ſaltim 20. dum nempe ſuppuratur; & quidem ſi Æger quarto die exſpuat Sputum album, læve ac æquale, idque tertio vel quarto tuſſiendo, in ſeptimo terminabitur. Si in ſeptimo tale Sputum primariò appareat; concurrentibus aliis Signis bonis, Morbus ultra 14. dies non extenditur.

*Sputum* autem nullum aut iterum ſuppreſſum, dolore & gravitate Pectoris ſuperſtite, paucum, tenue, crudum, bilioſum aut cruentum valde, (utrumque ſcilicet ſincerum) item glutinoſum valde, æruginoſum ac nigrum, malum; item ſi cum Sputo copioſiore Dyſpnœa aut Dolor non remittant.

*Non tamen ſemper Sputi paucitas & ſuppreſſio malum Signum exiſtit*, cum ſæpiùs per alias vias Natura Materiam peccantem criticè deturbet, ſcilicet per Hæmorrhagias, Diarrhœas, per Sudorem: vid. Valeriola *C. 4. Obſ. 1.* Rhodius *C. 2. Obſerv. 14.* per Urinam vid. Schenckius *Obſ. l. 2. p. 243. & 252.* item Horſtius *l. 3. Obſerv. 10.* Rhodius *l. a. Obſerv.* & Borellus *C. 1. Obſerv. 17. l. 5.* ubi in Pus converſa Materia per Urinam & Alvum excreta fuit.

Paria quoque de *Peripneumoniâ* dicenda ſunt: Ea in genere eſt Malum acutum, frequentiſſimè periculoſum, non rarò lethale.

In ſpecie *Sputorum* magis quàm *Urinæ* in Morbis his utplurimùm habenda eſt ratio. Utut enim Urinæ ſint optimæ & ſatis coctæ, ſi tamen Sputa ſunt mala, periculum portendunt & contrahunt; ac Urinæ in principio laudabiles, Sanguinis recrementa cuncta in locum affectum depoſita eſſe, teſtantur: contrà, etiamſi Urinæ ſint malæ, Sputa verò bona ſeu cocta, melius; indicat enim, quòd Natura criticè expellat Malum, & tales paulatim per ſolutionem hanc evaſuros eſſe. Nam in his Morbis ex Sputis magis indicium quàm ex Urinis ſumitur: ſiquidem Sputi conditio Signa propria Coctionis hujus Morbi ſuggerit, unde pro hujus conditione magna pars Prognoſeos inſtituenda eſt.

Nihilominùs *Urina* in principio craſſa comparens,

ſi circa quartum non turbetur, ſed attenuetur, lethale eſt.

Peripneumoniam in Pleuritidem tranſmutari, bonum eſt; convertitur enim Materia peccans ab interioribus ad exteriora, quamvis hoc rariùs contingat: Pleuritis autem Peripneumoniæ combinata hujus periculum intendit.

Pariter Peripneumonia *Pleuritidi & Anginæ* ſuperveniens vel per utriuſque immutationem contingens, mala, & intra ſeptem dies moriuntur; ſin hos effugiant, Purulenti evadunt: vid. Hippocrates *Sect. 7. Aphor. 11. & Sect. 5. Aph.* 10. niſi Sputum maturè ſatis coctum, copiosè & facilè excernatur, cujus Phænomeni rationem Willis *l. 1. Phar. Ration. P. 2. Sect. 1. c. 9.* explicat. Sicuti contrà quàm mirè ſubinde ſint Peripneumoniæ Metaſtaſes pluſquàm fauſtæ, vid. in Williſio *l. a.* 187.

Peripneumoniæ ſi non reſolvuntur, *ſuppurantur*: quæ Suppuratio fit, ſi Dolores exacerbantur, Vigiliæ continuant; hoc enim Signum eſt tendere eam ad Suppurationem, juxta ipſius Hippocratis *Aphoriſmum* inquientis: *Cum Pus fit, Malum majus eſt, facto autem Pure omnia Symptomata remittunt*, & quieti redduntur, Reſpiratio fit liberior, Virtuſque vitalis emergit. Quando verò Abſceſſus rumpi incipit, inſigniter Rigor cum intenſiſſimâ exacerbatione Febris præſto eſt, ut & difficilior Reſpiratio.

*Vomitus* copioſus & bilioſus in principio Pleuritidis & Peripneumoniæ apparens, ſalutem pronunciat; in progreſſu verò admodùm periculoſus eſt.

Pleuritici Dolore levati, & tamen *Facie* triſti *Oculiſque* perturbatis, Signum eſt Materiæ ſeu Pleureſeos Metaſtaſeos in Cerebrum, Caſuſque, ut plurimùm lethalis eſt; indicat enim Phrenitidem, ſeu Inflammationem Membranarum Cerebri.

Porrò *Pleuritis* in principio leviter apparens, & uſque ad quintum diem ſic procedens, ſexto verò exacerbata, ut plurimùm eſt lethalis, interdum verò difficilis ſolutionis.

Item Pleuritici ſubinde delirant. *Delirium* hoc, quando fortem ſequitur Pleuritidem, res eſt non ſine periculo; ſin mitiorem ac leviorem Pleuritidem cum triſti Facie Oculiſque perturbatis, tunc periculum ſubeſt ut plurimùm aut Malignitatis latentis, aut Metaſtaſeos Pleuritidis in Caput.

Aliàs Prognoſis Pleuritidis & Peripneumoniæ deſumitur etiam à *Symptomatum* gravitate majore & minore, vel à *Viribus*: Ratione illorum Febris mox ſummè acuta, Sitis, Agrypnia, Delirium, Convulſiones, Hemiplegia, Reſpiratio valdè anheloſa, Orthopnœa, Vomitus, Tuſſis magna, & ſicca, Dolor ingens cum Sudore circa Caput & Cervicem, aut univerſali frigido, periculum ſummum portendunt; & contrà Symptomata pauciora ac mitiora, neque Coryza ac Sternutatio in his Morbis ſuſpicione carent, quatenus Membranas Cerebri in conſenſum trahi innuunt: Ratione harum, quatenùs ſæpè ſub Symptomatibus recenſitis ſatis horrendis, ſi Pulſus adhuc fortis, & Spirituum vigor adſit, melior Ægrotantium ſpes eſt, quàm ſi cum blandioribus ac paucioribùs Symptomatis Pulſus debilis ac Vires oppreſſæ fuerint; præprimis ſi illius parvitati frequentia & durities nimia accedat, utpote cum quo nullum evaſiſſe Galenus teſtatur. In magnis tamen Doloribus cum Febre ardente junctis, ſi Pulſus fuerit parvus, neminem terreat: conf. Bartholinus *c. 5. Hiſt.* 37.

Poſt Pleuritidem & Peripneumoniam ſuppuratâ & malè curatam, ſequitur Phthiſis Pulmonalis.

Qui ſemel Pleuritide fuerunt correpti, illi levi occaſione eam experiuntur.

Cætera ad *Diagnoſin & Prognoſin* pertinentia *videbitis in* Sennerto *dicto loco, vel in ejus Epitomatore* Riverio, qui eadem ſatis prolixè tractant.

## C U R A.

Omnes huic cognati Morbi ſimili modò tractantur, quorum *Cura* tribus gaudet *Indicationibus*. Nempe

I. *Sanguis ſtagnans eſt reſolvendus*, & blandis Sudoriferis, tam generalibus quàm ſpecificis, Acidum corrigentibus, in naturalem ſuum circulum revocandus.

II. Hoc ſi fieri nequit, *Excreatio*, & *copioſa Sputatio*, quantum poſſibile, *eſt promovenda*, in principio quidem Temperantium ſeu Incraſſantium moderatorum ope, in progreſſu verò per Incidentia: miſcenda hæc variè, prout Sputi conditio & Expectorationis ratio requiſiverit.

III. Sin & hæc ſint fruſtrà, *Suppuratio* Inflammationis *expectanda, ac adjuvanda* per Pectoralia temperata, Anodynis miſta, & Pus confectum educendum.

Pro his Scopis meliùs obtinendis *Obſervandum* pro

## CURA PLEURITIDIS VERÆ.

I. *Obſerv.* Sæpiſſimè in primo Morbi inſultu eſſe inſtituendam *Venæſectionem*, eamque aliquoties interdum eſſe *repetendam*, prout neceſſitas & conditio Affectûs requiſiverit. Interim tamen notandum, eam ſemper ſimpliciter neceſſariam non eſſe, quia potiùs tunc temporis Appropriata Remedia, ac in ſpecie Diaphoretica Diſſolventia, quæ Sanguinis Grumos reſolvunt & Sudorem movent, citra Venæſectionem non rarò Malum tollunt: vid. Helmontius *Tract. Pleura Furens*, qui eſt egregius, Holterhoff *de Errorib. Med. c. 1. §. 2.* Quin imò hoc certum eſt, quòd ſi ſine Sudore per Venæſectionem Pleuritis curetur, nihiloſeciùs ad Suppurationem tendat, quæ tamen per Sudorifera poſſet præcaveri. Ac ſanè per ſe nullum locum obtinet Venæſectio, ſaltim ubi copioſior adeſt Sanguis, & nimis acutus ſeu præceps Morbi ad ſtatum motus; in tali caſu per accidens interdum inſtituta, & repetita Venæſectio aliquale levamen affert: ſic Lindanus neceſſitate coactus *Mulieri Gravidæ* intra 24. horas quinquies Venam ſecavit, urgente nempe Affectu. Propterea *de Tempore* non multum deliberandum venit, ſive veſperi ſive mane ſive medio noctis fuerit; dum neceſſaria eſt (quod tamen in noſtro Climate rariùs evenit) inſtituenda erit. Pluribus hanc *de Venæſectionis in Pleuritide uſu Controverſiam* ventilatam, vid. ab Hœchſtettero *Decad. 7. pag.* 107. *&* M. A. N. C. *Ann.* 8. *&* 10. *Obſ.* 190.

Ubi ergò ſecanda eſt Vena, obſervanda erit Differentia Pleuritidis Aſcendentis & Deſcendentis. Nam eadem pro uſu *Revulſionis* inſtituatur in Pede, ſi eſt *Pleuritis Aſcendens*; aut in Brachio, ſi eſt *Pleuritis Deſcendens. Averſionis* verò ſeu Revulſionis particularis Sanguinis gratiâ ſecetur in Pede Vena, & quod melius, oppoſiti lateris, ſi eſt *Deſcendens*; in Brachio verò pro Averſione; ſi eſt *Aſcendens*, &c. Quibus paucis prolixæ iſtæ Controverſiæ de loco Venæſectionis, quas agitarunt Veteres inſigni fervore, decîdi poſſunt: Conf. Williſius *Pharm. Ration. Part 2. p.* 204. Præſtat autem ut Venæſectio fiat aliquot vicibus, nec longis intervallis, neque magnâ quantitate, ut loquitur rectè Hildanus. *In Peripneumoniæ Curâ* Venæſectio nec Revulſoria, nec Averſoria, nec Derivatoria locum habet: Quod igitur à Corde recipit, ei denique iterum remittit. Interim ſæpiſſimè & ferè tutiſſimè Pleuritis Benigna abſque Venæſectione curari poteſt, per Diaphoretica, Volatilia præſertim & Speci-

Specifica. Jam verò licèt in Pleuritide Benignâ Venæsectio, si non juvat, non noceat; *in Malignâ tamen vix locum inveniet, sed semper erit nociva*, in qua nunquam sine periculo Vena aperitur; ergò ab illâ abstinendum. Refert Bartholetus *l. c.* sibi diuturnâ Praxi esse compertum, omnes ferè, quibus in Pleuritide Malignâ Vena tunditur, mori; econtra periculo defungi, qui sine Phlebotomiâ sunt curati; Videatur etiam Gesnerus *l. 1. Epist. p. 19.* qui similiter asserit, Venæsectionem esse inutilem in *Malignâ Epidemicâ*: Videantur ejus Observationes. Quod sanè in Pleuritide Malignâ verum arbitror, utut in Epidemicâ non adeò semper locum inveniat; Dodonæus enim *Obs. cap. 21. p. 38.* refert, in Pleuritide Epidemicâ administratam Venæsectionem salutarem; neglectam verò lethalem.

II. *Observetur*: in Pleuritide aut in Peripneumoniâ *Purgationes omnes esse frustraneas*, subinde nocivas; disponunt enim ad Diarrhœas exitiales, in specie, ubi Sputum copiosiùs rejectum retrocedit, adeòque caveamus nobis à Purgantibus, ne motum Naturæ impediamus. Purgatio ergò in Pleuritide non convenit, quia Sanguinem exagitat, & in Partem affectam altiùs impingit, nisi ad *Declinationem* Malum pervenerit. Et si interdum conveniat Purgatio, utplurimùm tamen ante diem septimum pernicioſa est: Videatur Riverius *Cent. 1. Obs. 98.* Imprimis verò procedente Sputo abstinendum à Purgatione, per Experientiam confirmante hoc Zacuto Lusitano *l. 1. Prax. admir. Obs. 107. & 116.* quidquid etiam in contrarium dicant quidam Practici, in specie Rulandus *in Thesauro practico p. 129.* ubi defendit acriter, quam maximè ex usu esse in principio Pleuritidis fortem Purgationem, & Exempla refert plerorumque per Vomitum & Secessum ex *Aquâ Benedictâ* à se curatorum. Quidam cum Rulando *Vomitoria* valdè laudant: Verùm de Vomitoriis vid. Judicium datum *suprà Artic. 1. in Anginâ.* Sanè per se nil valent in Pleuritide, potiùs nocent, adeòque ab his est abstinendum, cùm Humores ad Pectus magis commoveant, per accidens verò, ubi fomes & vitiosa Excrementa, in specie Acidum & Æruginosum in primis viis & Intestinis stagnaverit: In tali casu primo in Principio (ad quod nihilominùs Medicus rarò vocatur) prodest Vomitus; Deinde etiam in Morbi Declinatione, factâ Suppuratione, vel ad Abscessum rumpendum, vel hoc rupto ad ulteriorem Puris evacuationem Vomitus aliquando conducere potest. Benè hìc differit Lindanus, dum dicit; se *in Curâ Peripneumoniæ non audere Vomitorium dare.* Nec video, quid possit nisi statuatur Ventriculus onustus æruginosâ Cruditate, à qua Sanguis vitiatus impetum faciat in Pulmonem; sed in tali casu non respicerem ad Peripneumoniam, sed ejus radicem, nempe Ventriculum malum. Ita nec in Progressu Vomitoria conveniunt; nil enim Pulmonibus nocentius est: Si enim tempestivè purgentur, Diarrhœa accidit, cum Alvus per se mollis sit; illâ autem accedente Sputū non coquitur, nec Pus maturatur, & pereunt Ægri. Interim Clysteres, ubi Alvi obstructio, magno cum fructu injici possunt.

III. *Observetur*, ex omnibus Remediorum generibus, quæ huic Morbo mirificè opitulantur, nil melius esse, quàm *Sudorifica & Diaphoretica*, in specie *Anti-pleuriticis* juncta. Ex omnibus enim Auxiliis in Pleuritide primarium est Sudor, qui ex toto Corpore, & imprimis circa Thoracem, provocandus, & sic citò & jucundè omnes Thoracis Inflammationes curari possunt: Id quod omnes elegantiores Practici ferunt: vid. Baronius & Schneiderus *citatis locis*; item Petrus Johannes Faber *Cur. 8. 10. & 20.* qui plurimos Pleuriticos curavit per Sudorem, cum *Antimonio Diaphoretico* propinato, præmisso *Clystere*, interdum etiam *Venæsectione*, applicando *externè Balsamum Sulphuris* cum *Emplastro Diasulphuris Rulandi.* Confirmat hoc pariter Hildanus *C. 1. Cur. 52.* item Renealmus *in Obs. 32.* qui Pleuriticis aliquot sectâ Venâ *Flores Antimonii diaphoreticos* exhibuit, & statim prodeunte Sudore omnes Dolores punctorii abierunt. De Antimonii Diaphoretici usu vid. etiam M. A. N. C. *Ann. 3. Obs. 72.* Et sanè ipsa Natura vel viam monstrat, toties per Sudores spontaneos Pectoris curans ejusmodi Inflammationes. Imprimis in Principio adhibeantur cum Specificis aliis Volatilia, in Statu verò Fixiora; vid. Ludovici *Ph. p. 237.* Singularis enim Encheiresis est Pleuritidi mederi mox in Principio Salibus volatilibus, & Opiatis, Æstu quantumvis maximo nihil obstante.

IV. *Malè* quidem *in Principio* Morbi, id est, quando Natura ad Sputum nondum inclinat, *præscribunt Practici* plures *Expectorantia*, seu talia, quæ tussiendo Materiæ Expectorationem & Sputum promovent. Nam talia cùm Tussim stimulent vel adjuvent, non solùm Materiam crudam emittendam sollicitant, quod tamen frustrà fit; sed & concussionem Thoracis, Pulmonum, ac Pleuræ inferunt, quibus in Principio Dolor intenditur, & Mala hæc exasperantur, ut rectè observavit Gabelchoverus *C. 2. Cur. 93.* Ideò simus cauti, ne Expectorantibus nimis maturè usurpatis exasperetur Morbus, & intendatur Inflammatio; ac proin saltem in Incremento ac Statu Expectorantia dissolventia usurpemus. Et hæc *inter Remedia, quæ Sputi Coctionem aut Suppurationem Inflammationis faciunt, malim*, dicit Lindanus, *Decocta Pectoralia, quàm Syrupos & Saccharata. Nobilissimum Pectorale habemus in Liquiritiâ & in Passulis. Saccharum malè Pectoralibus additur; nam constat, omnia Dulcia, & Mellita facilè acescere in Ventriculo, cui nil inimicius, quàm illud sylvestre Acidum. Præscribantur autem Radices & Herbæ Pectorales, sed omittantur semper ista Dulcia, nec credatis, gaudere Pectus Dulcibus; gaudet equidem Insipidis, & quæ non habent qualitatem excedentem, non Dulcibus extremè, ut Saccharum. Liquiritia igitur convenit, quæ tamen in paucâ quantitate sumenda, cavendo ne uratur; tunc enim prava & acris fit.*

V. *Opiata* non negligenda sunt in *Curâ* harum Inflammationum, sed *usurpentur* saltem *in Principio & Incremento*, saltim ad suffocandam nimiam Morbi vim, & sistenda Pathemata dolorosa, quâ ipsa quoque ad corrigendam Materiæ expuendæ Cruditatem, adeoque eandem coquendam seu incrassandam multum præstare solent: vid. Wedelius *Opiol. p. 111. & 112. in Statu* verò & *Declinatione* vitanda sunt ne impediatur *Expectoratio*, atque Materia cocta nimis pertinaciter sic inhæreat, id quod sine *Suffocationis* periculo vix fieri potest; qualem Observationem Zacutus Lusitanus *l. 1. Pr. admir. Obs. 115.* testatur. Solum *Papaver rhœas* ejusque *Flores* ceu optimum *Specificum* in toto Morbi decursu locum habet.

VI. Benè observandum est, ut omnia, *quæcunque Ægri bibunt, calidè assumant.* Nil nocentius est in his Affectibus, & quod magis exasperare eosdem solet, quàm *frigidus Potus*, qui Coctionē impedit, Excretionē remoratur, Tussim provocat, Inflammationem intendit; & lædendo Pulmones Respirationem difficiliorem facit, quæ omnia in *calido Potu* contrario modo se habent. Est autem Potus optimus *Decoctum Hordei & Liquiritiæ*, idque

in

in toto Morbi decurſu; item *Decoctum Papaveris rhœados cum Syrupo Scabioſæ* aut *Violarum* aut *Capillorum Veneris*. In Contagiosâ ſeu Malignâ *Decoctum Raſuræ Cornu Cervi crudi*, vel *cum vel ſine Floribus Papaveris*, aut etiam cum *Sarſaparillâ*, optimum eſt potulentum. Potui ordinario addatur Gelatina Dentis Apri, & Tinctura Florum Papaveris erratici, cum Sero Lactis parata, Julepis: hinc pro Potu ordinario, imprimis ſi Febris Ardens conjuncta, inſerviunt Julepi, quos dedi in *Coll. Formular.*

Vel

℞. *Flor. Papav. errat.* Mj.
*Violar.* M. ß.
Irror. c. ſ. q. *Spiritus Nitri dulcis.*
Infunde in ſ. q. *Decocti Priap.* vel *Cornu Cervi*;
Stent in loco calido horis aliquot.
Colat. ℔iß. adde
*Syr. Flor. Papav. errat.*
*Violar.*
*Scabioſ.* an. ℥j.
M. S.

Julepus Refrigerans & Diſſolvens.

Præmiſſâ igitur vel omiſsâ Venæſectione progrediendum ſtatim eſt ad *Specifica Pleuritica*, Sanguinem ſtagnantem diſſolventia, Sudorem prolicientia, Inflammationeſque eryſipelaceas ſiſtentia; circa quæ notandum, quòd eadem ſint, quæ in *Dyſenteriâ & Anginâ* aliàs locum habent, uti rectè loquitur, & experientiâ comprobavit Helmontius: Deinde, quòd omnia ea *Specifica*, quæ conveniunt in *Pleuritide*, etiam convenientiſſimè in aliis quibuſvis internarum partium Inflammationibus à Causâ internâ enatis, ut Faucium, Stomachi, Inteſtinorum &c. proſint, cùm omnes ejuſdem ſint naturæ ſæpiùs eryſipelaceæ. *Appropriata* talia Remedia in Pleuritide ex Regno Vegetabili ſunt Papaver erraticum, Flores Acaciæ noſtratis, Bellidis rubræ, Roſarum rubrarum, Chamomillæ, Carduus benedictus, Carduus Mariæ, Papaver album, Taraxacum, Scabioſa, Pimpinella, Ulmaria, Hedera terreſtris, Chærefolium, Radix Bardanæ, Eryngii, Semen Cardui benedicti, Cardui Mariæ, Papaveris albi. Aquæ deſtillatæ iſtorum Simplicium, in ſpecie *Aqua Florum Acaciæ*, *Aqua Florum Papav. rhœados*, & *Aqua Florum Chamomillæ*, *Hyſſopi*, & ſimiles; ſingulatim præ cæteris omnibus hæc tria, *Papaver rhœas*, *Carduus benedictus*, & *Mariæ*, quocunque modo uſurpata, nunc ſimplici, nunc repetitâ vice, expectando Sudorem, ſunt optima, exque his parata; ut Aqua, Syrupi, Tinctura, Pulvis Florum, Succus & Conſerva horum, ſunt convenientiſſima. Uſum hujus decantatum habet Valeriola *lib.* 5. *Obſerv.* 5. *&* 10. Item ex Sem. Cardui ben. & Mariæ fiunt Emulſiones cum aliis, quæ in Curâ Pleuritidis ſunt elegantiſſimæ: v. g. præſcribantur Emulſiones, quas dedi *in Colleg. Formular.*

Vel

℞. *Sem. Card. ben.*
*Mar.* an. ʒij.
*Papav. albi* (ratione doloris) ʒj.
Cum ſ. q. *Aquæ Chærefol. Card. bened. & Flor. Papav. errat.* ſ. Emulſio:
adde
*Dent. Apri præpar.* vel *Maxill. Lucii piſc.* ʒj. aut an. ℈j. ad ʒß.
*Antimonii Diaphor.* ℈j.
M. edulcoretur parum.
D. S.

Emulſio Confortans contra Pleuritidem.

Subinde hauriatur expectando Sudorem: mihi experti ſſima eſt in deſperatis caſibus. Vel

℞. *Sem. Card. ben.*
*Mariæ* an. ʒiij.
Cum ſ. q. *Aquæ Chærefol.* vel *Card. bened.* F. Emulſio: adde
*Lap. Cancr. præp.* vel *Maxill. Luc. piſc.* ʒj.
*Antimonii Diaph.* ʒß.
Edulc. *cum Syrup. Papav. ſimpl.* D. S.

Emulſio Leniens contra Pleuritidem.

Item

℞. *Aquæ Ulmar.* vel *Chærefol.* ℥iii.
*Bezoard. Mineral.* gr. xii. vel xvj.
*Syr. Flor. Papav. errat.* ℥iß. ad ℥ij.
M. D. S.

Potio contra Pleuritidem.

Subſiſtimus adhuc in Materiâ Medicâ, Pleuritidi curandæ dicatâ, & præter Papaver rhœas, Carduum benedictum & Mariæ, etiam prodeſt Chærefolium, ejuſque Aqua deſtillata, utpote aliàs ſatis decantatum ad Sanguinis Grumos quoſcunque reſolvendos. A multis laudatur Radix Bardanæ, Succus Scabioſæ, & præ cæteris Succus Taraxaci ſeu Dentis Leonis, item Succus Pimpinellæ ſeu Sanguiſorbæ. Quoad *Succum Taraxaci*, cum hôc egregiam & expertam præſcribit *Mixturam* Barbette *in ſua Praxi l.* 3. *c.* 1. Compoſitio hæc eſt:

℞. *Succ. Tarax. depur.* ℥j.
*Aquæ Plantag.*
*Roſac.* an. ℥ij.
*Prophylact.* ℥ß.
*Ocul. Cancr. crud. cont.* ʒß.
*Syr. Papav. errat.* ℥iß.
Miſc. in phialâ.

Loco Aquæ Prophylacticæ ſumi poteſt Acetum deſtillatum. Hâc Mixturâ ſolâ Mulierem periculosâ Pleuritide laborantem liberavit, Cochlearia aliquot hauriendo ſingulis horæ quadrantibus.

Ad hujus imitationem concinnior erit ſequens Formula:

℞. *Aquæ Card. ben.*
*Chærefol.* an. ℥iß.
*Theriacal.* ʒ j.
*Succ. Tarax. depur.* ℥j. ad ℥iß.
*Lap. Cancr. præp.* ʒiß.
*Syr. Papav. errat.* ℥iß.
M. D. S.

Potio Diſſolvens contra Pleuritidem.

Mixturam ſumat Æger quovis quadrante horæ, 2. cochlearia, operationem ejus mirabimini.

Poſt Succum Taraxaci eſt imprimis Decoctum Eryngii.

Quod ad *Radicem* verò *Bardanæ*, Caſtro *Veronenſis* cum ſummâ copiâ grumoſi Sanguinis, per Sputum intra biduum rejecti, abſque Venæſectione curavit Pleuritidem: primò *externè* applicando & ſingulo bihorio renovando Lintea duplicata cum *Spermate Ranarum* non deſtillato, ſed per ſe ſervato, applicando, & ita per biduum continuando; hoc enim eſt ſingulariſſimum Remedium ad quaſcunque Inflammationes compeſcendas, ſi applicetur. Secundò *internè* Radice Bardanæ ſeu Lappæ majoris Vere collectæ creſcente Lunâ, Autumno verò decreſcente Lunâ.

Servantur Radices, ac in umbroſo loco ſiccatæ & pulveriſatæ dantur doſi Cochlearis j. in vitro generoſi Vini; vel *Decoctum Bardanæ* ritè paratum ceu appropriatum Sudoriferum Pleuropneumonicis convenit.

Pertinet huc ratione Salis volatilis Lignorum, *Fuligo furnorum*, quæ eſt nobile Specificum Pleuriticum D. Horſtii *Junioris*, dum *Fuliginem* benè tritam lavat ſæpiùs cum *Aquâ Florum Sambuci*, exſiccat, & ita pulveriſat: hujus Pulveris

ris ita præparati dosi 3ß. ad 3j. in *Aceto Sambuci* vel *Infuso Papaveris rhœados*, vel Aquâ Specificâ quâdam, propinat expectando Sudorem: Sic Pleuritidem sævam *Pulvere Fuliginis camini* ad 3ß. in *Aquâ Cardui bened.* die septimo curatam habet Riverius *Centur.* 2. *Observ.* 79. Laudantur quoque *Flores Buxi*; de quibus vid. Riverius *Pr. l.* 7. *cap.* 2. *Spiritus Tartari*, *Fuliginis*, &c.

Ulteriùs quoque *Priapi Ceti*, *Cervi* & *Tauri* ceu singularia Remedia à quibusdam ad Pleuritidem commendantur, quorum rasorum vel pulverisatorum, præ reliquis tamen Ceti, ad 3j. in Aquâ Specificâ assumatur; aut ex iis paratum *Decoctum*, ceu corpus Juleporum, cum aliis permiscetur & optimè propinatur. Hinc & Bartholetus in Peripneumoniâ & Pleuritide Malignâ *Rasuram Priapi Tauri* commendat; cui tamen revera Ceti & Cervinus præferendus, aut alia Alexipharmaca ordinari possunt.

Conveniunt ulteriùs partes Animalium duræ, *Sale volatili* turgidæ, Acidum Sanguinis imbibentes, præsertim in Principio, & multò magis exinde parata *Salia volatilia* & *Spiritus urinosi*, mediante Sudore faustissima Remedia, qualia sunt Lapilli Cancrorum, Dens Apri, Castoris, Maxillæ Lucii piscis, aut quælibet Ossa Lucii piscis, Lap. Carpionum, Percarum, Tali Leporis, Coralliа rubra, hincque alia genera *Marina*, ut & Cornu Cervi & Ebur. Ex quibus speciatim *Dens Apri* & *Ossa Lucii piscis*, *Lap. Carpionum*, & *Percarum*, uti cætera *Marina*, primas tenent, utpote quæ per se à ℈j. ad 3ß. vel ℈ij. præterpropter in convenienti Vehiculo insigniter commendantur ad Pleuritidem. Commodè etiam propinantur in Emulsionibus: & in specie Sal volatile Maxillarum Lucii piscis primatum ducit, tam in Malignâ, quàm Benignâ Pleuritide. Loco hujus Salis volatilis tamen etiam Salia volatilia alia substitui possunt, uti & *Pulveres Antipleuritici* compositi *Augustanorum*, *Mynsichtii*, *Ludovici*, *Wedelii*, Trag. Antipleuritica Hartmanni *in Praxi Chym.* Porrò in *Sanguine Hirci* legitimè præparato expertissimum Remedium est contra Pleuropneumoniam, ad 3j. propinatum in Aquâ appropriatâ. Methodum parandi hunc legitimam beneficio abscissionis Testium ex Hirco, videb. descriptam apud Helmont. *Tr. Sextuplex Dig.* §. 75. & hinc à Zwelffero: quòd si ab ejus usu non statim sequatur sensibile levamen, repetatur aliquoties, idque faciendum mox in Principio, antequam facta sit Suppuratio; factâ enim Suppuratione frustra adhibetur Remedium. De hoc Sanguine, ut & *Dente Apri*, vid. Tachenius *Morb. Princ.* p. 126. Pariles virtutes habet *Sanguis leporis* ritè collectus, si nempe Lepus, à Canibus in venatione captus, vivus stranguletur laqueo, ut Sanguis in unum confluat & grumescat, aperitur postmodùm, & Sanguis in fumo siccatur. Dosis est à 3ß. ad 3j. Vid. quæ dixi de *Dysenteriâ Sect.* 9. *Cap.* 3. *Artic.* 1. Huc quoque pertinet Bezoar German. seu Ægagropilæ (D). His adnumeranda *Stercora Animalium* Sudorifera & Antipleuritica vi pollentia, quæ hîc non sunt negligenda, quoniam mirè conveniunt in Curâ Pleuropneumoniarum. Præ cæteris expertum est præsertim apud Anglos, *Stercus Equinum* masculinum, si scilicet Pila una Stercoris hujus recèns excreti hausturi Potûs ordinarii infusa, aut cum Vino, vel Aquâ Papaveris erratici macerata & subacta, probè exprimatur, & Succus iste expressus propinetur mox in Principio, & quò citiùs, eò meliùs, expectando Sudorem, & quoties opus fuerit repetendo. *Conferatur* Willisius *Pharm. Ration. Part.* 2. *p.* 181. & 209. *du* Hamel *de Affect. Corp. pag.* 310. & Helmont. *de Febribus*. Huic non cedit *Album Græcum*, & *Pulvis Stercoris Columbini*, à 3ß. ad 3j. in Liquore conveniente propinatus, quem Pulverem Secretum Magnatum ad curandam Pleurisin Panarollus *Cent.* 4. *Observ.* 14. affirmat: Aut maceretur hoc Stercus cum *Aquâ Papaveris rhœados*, & hinc factâ expressione propinetur. Ab aliis admodùm extollitur *Stercus Ovillum*, nempe recipiunt Stercoris Ovilli Pilas, subigunt in Mortario cum Aquâ Papaveris erratici, vel Cardui benedicti seu Scabiosæ, & exhibent statim in initio; quod facit Lindanus, & vocat nobile Medicamentum; *Nam*, dicit, *præstat id ob Sal nitrosum volatile quasi ammoniacale; Habent enim Stercora copiosum Sal ammoniacum.* Porrò multum convenit quoque *Sperma Ceti* à 3ß. ad 3j. in Vehiculo calido assumptum; Nam hoc ad Sanguinis Grumos dissolvendos conducere in professo est; hinc etiam usu *Spermatis Ceti cum Castoreo misti* curavit Pleuritidem ex Suppressione Mensium natam Timæus *von Guldenklee in Cas.*, imprimis si ex Terrore subitò Menses fluentes supprimantur, & ita Pleuritis oriatur.

Denique quoad *Regnum minerale*: excellit imprimis *Spiritus Nitri dulcis*, seu potiùs *Spiritus Antipleuriticus*, imprimis ubi urget Æstus febrilis; magis tamen sic convenit, dum nempe Spiritus Vini digeritur & cohobatur aliquoties à Specificis Antipleuriticis, postmodùm hic Spiritus subtiliori Vegetabilium substantiâ imprægnatus, loco Spiritûs Vini simplicis miscetur cum parte dimidiâ Spiritus Nitri invicem, digeritur, & cohobando destillatur; egregium dat Spiritum Antipleuriticum, cujus dosis 3j. ad 3ij. in Aquâ Carduî benedicti, vel aliâ appropriatâ, expertum est Remedium in Pleuropneumoniis; Sudorem movet, Inflammationes solvit, & simul Expectorationem promovet, Febresque sistit, qui aliàs in omnibus Inflammationibus internis satis commendatus. Loco hujus paratur à quibusdam non inconcinnè *Tinctura Bezoardica*, recipiendo loco *Spiritûs Vitrioli Spiritum Nitri*, & ita ulteriùs lege Artis procedendo: nobile est Remedium ad 3ı. in *Aquâ appropriatâ*, has Inflammationes Sudore mediante levans.

His adnumeratur *Mixtura Simplex*, *Sulphur*, ejusque *Flores*, qui optimè pariter conducunt, & non ultimum Remedium dant in Pleuritide à 3ß. ad 3j. vel solum, vel cum aliis: conf. Wedelius *loco alleg.* Hinc quoque *Pulvis Pyrius* egregium Remedium est contra Pleuritidem, ad 3j. repetiti, vicibus propinatus, tam Nitri, quàm Sulphuris ratione. Pertinent huc quælibet *Sulphurea Antimonialia fixa* Sudorifera, & hinc etiam *Cinnabaris Antimonii*, *Antimonium Diaphoreticum*, *Bezoardicum*



(D) Nota Cyrilli. Ægagropila *ab* Ægagros, Rupicapra, (αἴξ αἰγὸς *enim est* Capra & ἄγριος agrestis) & pila: *est enim pila, vel globulus ex flocculis laneis confectus, in ventriculo primo vel secundo Rupicaprarum occurrens, cujus interior substantia fibrosa & filamentosa est, cortex verò sæpè coriaceus, non nunquam lignosus, rarò in crustam lapideam abiens. De Ægagropilis dissertationem edidit* Velschius. *Pilas has in Ventriculis Vaccarum, ex pilis obliguriente linguâ è propriâ cute divulsis ac deglutitis compactas, ac crasso ventriculorum glutino in coriaceam substantiam facessente superinductas, non semel deprehendimus.*

*dicum Minerale*, *Martiale*, *Bezoardicum Solare*, *Antimonium solari irradiatione calcinatum*; sub qua calcinatione & pondus augetur Antimonii, & singulariſſimam vim alexipharmacam acquirit: Sub qua operatione multum eſt reconditum. Pertinent huc *Pilulæ Antipleuriticæ* Bartholeti, quibus nullum præſtantius Remedium inveniri aſſerit *l.* 5. *de Dyſpn. c.* 3. *p.* 451. Compoſitio eſt hæc:

℞. *Extr. Flor. Papav. rhœad.*
*Malv. arb. rubr.*
*Viſci querc.* an. ʒiß.
*Raſ. Dentis Apri*,
*Corn. Rhinoc.* an. ʒij.
*Maxill. Lucii piſc.* ʒiß.
*Corn. intern. Avell.* ʒj.
*Anod. Mineralis*, vel *Nitri antimoniat.* ʒß.
*Mag. Corall.* ʒiß.

Cum Tincturâ ſeu *Succo denſato Scabioſæ* f. Paſta. Doſis ℈j. cum *Aquâ Flor. Papav. errat.*, vel etiam *cum Olei Amygd. dul.* ʒij.

Quod ad *Formulas* huic ſcopo applicandas, præter *Emulſiones* & *Mixturas* ſuprà dictas:

℞. *Aquæ Chærefol.*
*Card. ben.* an. ʒiß.
*Maxill. Lucii piſc.* vel *Lap. Cancr. præp.* vel *Antimonii Diaph.* ʒß.
*Sal. vol. Maxill. Luc. piſc.* gr. xvj.
*Laud. Opiat.* gr. ij.
*Syr. Scabioſ.* ʒjß.
M. D. S.
Mixtura Diſcutiens cochleatim ſumenda.
Vel
℞. *Aquæ Chærefol.* vel *Papav. errat.*
*Flor. Sambuc.* an. ʒiß.
*Maxill. Luc. piſc.* ʒj.
*Sal. vol. earund.* vel *Cornu Cervi* gr. xij. ad xv.
*Laud. Opiati* gr. ij.
*Syr. Flor. Papav. errat.* vel *aliûs appropr.* ʒiij. ad ʒj.

M. pro tribus doſibus, aut capiatur cochleatim ſemper benè agitando: D. S.
Mixtura Diſſolvens.
Vel
℞. *Aquæ Papav. errat.*
*Scabioſ.* an. ʒj.
*Antimonii Diaph.* ℈j.
*Sal. vol. Maxill. Luc. piſcis* gr. xiij.
*Laud. Opiat.* gr. iß.
*Syr. Papav. errat.* ʒß.
M. D. S.
Mixtura Diſcutiens pro unâ vice.
Vel
℞. *Aquæ Flor. Acac.*
*Card. Mar.*
*Chærefol.* an. ʒß.
*Pulv. Antipleur. Aug.* ℈j.
*Antimonii Diaph.* ℈ß.
*Laud. Opiat. ferment.* gr. j. ad iß.
*Syr. Papav. errat.* ʒiij.
M. D. S. ut anteà.
Vel
℞. *Aquæ Card. Mar.*
*Chærefol.*
*Papav. errat.* an. ʒj.
*Spiritûs Theriacal. camph.* ʒiij.
*Lapill. Cancr. præpar.* vel *Dent. Apri ſine igne*, vel
*Antimonii Diaph.*
*Maxill. Luc. piſc.* an. ʒß.
*Sal. vol. Maxill. Luc. piſc.* gr. xij. ad xv.
*Laud. Opiat. ferm.* gr. iij.
*Syr. Papav. errat.* aut *Scabioſ.* ʒvj. ad ʒj.
M. D. S. ut anteà.
Vel
℞. *Dent. Apri præp.* ℈ij.
*Sang. Hircin. præp.* ʒß.
*Laud. Opiat. Lang.* gr. ij. vel iij.
M. pro Pulvere:
Divid. in tres part. æqual. S.
Pulvis Diſſolvens.
Vel
℞. *Maxill. Lucii piſc.* ℈j.
*Sal. Card. ben.* ℈ß.
*vol. Dent. Apri* gr. v.
*Laud. Opiat.* gr. iß. M. f. Pulvis:
S. ut anteà.
Vel
℞. *Sang. Hirci præp.* ℈j.
*Bezoard. Mineral.* ℈ß.
*Laud. Opiat.* gr. j.
M. f. Pulvis.
div. in 2. part. æqual. S.
Pulvis Dolorem ſedans & Diſſolvens.
Vel
℞. *Maxill. Luc. piſc.* vel *Pulv. Antipleur.* ʒß.
*Sal. vol. Cornu Cervi* vel *Maxill. Luc. piſc.* gr. vi.
*Laud. Opiat.* gr. iß.
M. f. Pulvis in principio & incremento; S.
Pulvis Diſſolvens.
Vel
℞. *Arcan. duplicat.*
*Succin. præp.* vel *Flor. Sulphuris* ana gr. xv.
M. f. Pulvis in Pleuritide cum Febre Acutâ.
D. S.
Pulvis Refrigerans.

mox Dolor & Calor remittunt, & Materia cocta ſine ullâ difficultate commodè rejicitur.

Vel
℞. *Arcan. dupl.* ℈j.
*Antimonii Diaph.* ℈ß.
M. D. S.
Pulvis Calorem ſedans.
Vel
℞. *Arcan. dupl.* ʒß.
*Maxill. Luc. piſc.*
*Antimonii Diaph.* ana gr. xv.
M. Div. in 2. part. æqu. S.
Pulvis Alterativus.
Vel
℞. *Mixt. Simpl. ritè parat.* vel *Tincturæ Bezoard.* ʒj.
*Spiritûs Cornu Cervi eſſent.* ʒß.
*Eſſ. Opii tartariſat.* ℈j.
M. pro duabus doſ. S.
Mixtura Sudorifera.
Vel
℞. *Spiritûs Theriac. camphor.* ʒiij.
*Eſſ. Croci* ʒj.
M. D. S.

Eſſentia Diſcutiens, & Leniens: 50. uſque ad 60. guttæ pro 1. doſi.

Pro meliori confirmatione dictorum, notanda venit *Obſervatio* in Muliere plebejâ 42. annorum, ad quam Pleuritide graviſſimâ & jam deſperatâ laborantem die demum ſeptimo decubitûs ſui vocabar: aderat Tuſſis gravis, Excretio viſcida, nonnihil ſanguinolenta, Dolor in latere dextro, qui priùs fuerat in ſiniſtro, palpitatio Cordis, Sudor frigidus in peripheriâ Corporis, ſumma Debilitas, Pulſus quintâ quâlibet vice intermittens, omni momento ſuffocanda videbatur, Sitis clamoſa, Vox rauca: Huic præſcripſi ſequentem Potionem:

℞. *Aquæ Papaver. errat.*

*Card.*

*Card. ben.* an. ℥iß.
*Maxill. Luc. piſ. præp.* ʒj.
*Salis vol. Maxill. Luc. piſc.* gr. xii. ad xv.
*Laud. Opiat. ferm.* gr. ij.
*Syr. Scabioſæ* ℥iß.
M. f. Potio.

Quæ exhibita fuit cochleatim, & exinde ſuperveniente copioſo Sudore mirabile levamen omnium Symptomatum percepit : continuato etiam hujus Miſturæ uſu, ſucceſſivè convaluit.

Interim ut *Expectorationem* Materiæ viſcidæ, quæ cum Tuſſi ſupererat, meliùs promoverem :

℞. *Aquæ Scabioſ.*
*Hyſſop.* ana ℥jß.
*Spiritûs Sal. Ammoniaci anis.* ʒiß.
*Syr. Scabioſ.*
*Violar.* ana ℥iß.
M. D.

Cepit cochleatim.

Cùm egregiè quidem & copiosè viſcida rejiceret, tamen de *Anxietatibus* repetentibus, ut & *Doloribus* intensè recrudeſcentibus, denuò conqueri cæpit, cum *Reſpirationis difficultate* ; ob id miſſis Expectorantibus ad Sudoriſera interna acceſſum feci : Ergò conſcripſi :

℞. *Aquæ Flor. Papav. errat.* ℥iij.
*Lapill. Cancr. præp.* ʒj.
*Sal. vol. Maxill. Luc. piſc.* gr. xv.
*Laud. Opiati ferm.* gr. iß.
*Syr. Scabioſ.* ℥iß.
Miſc. f. Potio.

Uſurpabatur repetitis vicibus cum copioſo Sudore & ſucceſſu. Item

℞. *Aquæ Flor. Papav. err.*
*Card. ben.* ana ℥iß.
*Lapill. Cancr. præp.* ʒj.
*Salis vol. Max. Luc. piſc.* gr. xv.
*Laud. Opiat.* gr. ij.
*Syr. Flor. Papav. errat.*
*Scabioſ.* ana ʒvj.
M. pro Potione.

Pro Dolore punctorio liniendo externè ſimul ordinabam :

℞. *Ung. Dialth.* ℥j.
*Olei Amygd. dulc.* ℥ß.
*deſtillat. Cumin.* ℈j.
*Camph.* gr. ix.
M. f. Linimentum.

Quod calidè illitum crebrò lateri dolenti optimè profuit.

His continuatis per Dei gratiam ſanata fuit. Sed cùm adhuc Ægra copioſa viſcida tuſſiendo rejiceret, pro reliquiarum harum evacuatione *Succus Raphani* recens paratus *cum Saccharo* copioſam Sputi excretionem optimè contulit. Sed cùm curata, nihilominùs tamen adhuc Tuſſim humidam, difficilem nonnihil Reſpirationem & alia pateretur Symptomata, adeoque metus ſubeſſet de Phthiſi Pulmonali imminente ; ob id

℞. *Chærefol. rec.*
*Heder. terreſt. rec.* ana q. v.
Conciſa coq. in *Cereviſiâ.*

Aſſumſit mane & veſperi calidè bonum hauſtum, continuavit aliquandiu, benè profuit, & hôc Phthiſin etiam impedivit.

Supervenerunt tamen adhuc *Sudores nocturni* continui pleno rivo emanantes, emaciantes & debilitantes inſigniter : Pro his tollendis præſcripſi

℞. *Antihect. Pot.* gr. xv. ad ℈j.
*Laud. Opiat. ferm.* gr. iß.
M. pro Pulvere.

Aſſumſit omni veſpere vel ante cænam, ſed moderatiſſimam, ſub introitum lecti, hunc Pulverem: cùm aliquoties ſumſiſſet, præſentaneam opem ſenſit, & penitus convaluit.

Sic *Viro ætatis conſiſtentis* gravi Pleuritide correpto, cujus Pulſus cùm ſemper poſt tres pulſationes intermitteret, præſcripſi octavo demum die vocatus ſequentem Potionem :

℞. *Aquæ Flor. Papav. errat.*
*Scabioſ.* ana ℥i.ß
*Antimonii Diaphor.* ʒß.
*Syr. Nicotian.*
*Scabioſ.* ana ʒvj.
*Spiritûs Nitri dulc.* q. ſ. pro grato ſapore.
Miſc.

Potionem hanc bis uſurpavit, primâ ſtatim vice ſenſibile levamen exinde percepit ; ſed alterâ vice mirè recruduit Morbus ( ſicut *alias ſuperiores Potiones cum Salibus volatilibus magis proficuas obſervavi, quàm hanc cum Spiritu Nitri dulci, unde Pleuriticis nonniſi præmiſſis Sudoriferis volatilibus præſcribenda* ) ut moribundus videretur omnibus, & ſemper quidem circa veſperam Morbus recrudeſcebat, præcedente *gravi Rigore*, inſequente vehementiſſimo *Calore*, ſub quo & *delirus* & ſummè *imbecillis* evadebat, unde 10. die præter propter præſcripſi :

℞. *Sem. Card. bened.* ʒiij.
Cum *Aquæ Papav. errat.* & *Scabioſ.* q. ſ.
F. Emulſio : adde
*Maxill. Luc. piſc.* ℈ij.
*Sal. vol. earund.* gr. xij.

Miſcendo f. Potio, quæ edulcorabatur *Saccharo*. Aſſumpſit cochleatim, mirè profuit.

Reliquias expurgandas juſſi *Succo Raphani cum Saccharo* pro Expectoratione ; ſed hujus continuo & nimio uſu *Diarrhœam* & quaſi *Lienteriam* incurrit : hinc

℞. *Spiritûs Nitri dulc.* ʒiij.

Uſurpabat pro doſi 30. ad 50. uſque gutt. bis in die, & benè contulit.

Sed propter *Calorem* veſperi recurrentem, *Sudorem nocturnum* copioſum, & *Tuſſim* continuam ; ſequentes præſcripſi Pulveres :

℞. *Antihect. Pot.*
*Flor. Sulphuris* ana ʒß.
Miſta pro duabus doſibus continuavit aliquoties.
Item
℞. *Aquæ Papav. rhœad.* ℥iiß.
*Antimonii Diaphor.* ʒj.
*Syr. Flor. Papav.* ℥ß.
*Spiritûs Nitri dulc.* q. ſ. pro grato ſapore.
D. S.

Potio Confortans & Refrigerans.

Melancholico cuidam Peripneumoniâ laboranti cum Dolore gravativo Pectoris, difficili Reſpiratione & Capitis atque Oculorum dolore, præſcripſi ſequens in incremento Morbi :

℞. *Conſerv. Heder. terr.* ʒj.
*Antimonii Diaphor.* ℈ß.
*Sal. volat. Succin.*
*Balſ. Peruv.* ana gr. v.
M. cum *Syr. Scabioſ.* & F. Bolus.

Cùm citra manifeſtam cauſam aliquot noctes inſomnes duceret :

℞. *Conſ. Flor. Borrag.* ʒj.
*Conſ. Alkerm.* gr. xv.
*Sal. vol. Succin.* gr. iv.
*Laud. Opiati* gr. iß.
Cum *Syr. Papav.* F. Bolus.

Ordinabatur etiam Spiritus Sal. Ammoniaci, cum Spiritu Carminativo miſtus.

Hiſce Remediis ritè adhibitis & ſubinde reiteratis, ſi non ſuccedat per Inflammationis diſcuſſionem, adeoque Diaphoreſin & Sudores, legitima Morbi ſolutio, *promovendum erit Sputum*, & adjuvanda Materiæ intra Pulmones parteſque vicinas congeſtæ

congestæ alteratio seu *Coctio*, & hinc *Expectoratio*, utpote quæ tunc ordinariò naturaliter supervenire solet. Hic conveniunt aliàs nota, in principio quidem *Temperantia* Sputi acrimoniam, idque *Incrassantia*; Postmodum verò, quando Sputum album, crassum, & viscidum emittitur, usurpentur *Attenuantia*, *Incidentia*, & *Expectorantia*.

*Ad promovendam Sputationem* prosunt potiùs *Decocta Pectoralia*, quàm Syrupi aut Linctus Pectorales, quoniam minùs perferunt tales Ægri Saccharata. Convenit ergò in principio Decoctum Hordei cum radice Glycyrrhizæ, Helenii, Scabiosa, cum Syrupo Violarum, de Jujubis, de Tussilag. Papaveris, &c. Item Decoctum & Rob Tussularum, Decoctum Helenii, Scabiosæ, Violarum, Polypodii, Veronicæ, Salviæ, Tussilaginis & Papaveris erratici, aliaque similia temperata, ad *Materiæ*, ut vocant, *Coctionem*; egregiè enim temperant acres Succos, & Expectorationem blandè promovent: Cùm verò copiosius Sputum apparere incipit, usurpandum venit *Decoctum Hyssopi* cum *Melle rosaceo* ad promovendam meliorem excretionem Materiæ. Ad Coctionem quoque si quid aliud, imprimis facit *Oleum Seminum Lini*, & hinc *Oleum Amygdal. dulcium*, sed recenter expressa, tam à Veteribus quàm Modernis Practicis, Experientiâ duce, laudata: Nempe Tachenius alicubi Spiritum Vini camphoratum cum ana Essentiæ Croci, cum Oleo Lini vel Amygdalarum dulcium datum, rarò fallere asserit:

Vel

℞. *Olei Lin. rec. expr.* ℥iij.
*Syr. Violar.* ℥iß.
*Aquæ Hyssop.* ℥iv. v. vel vj.
Dentur ℥ij. vel ℥iij. pro dosi, aliquoties in die: S. Potio Solvens cochleatim.

Vel saltem Oleum Lini recèns sine igne extractum, cum Saccharo mistum, & ita exhibitum egregiè confert:

Vel

℞. *Olei Lini* ℥ij. vel ℥iij.
Miscetur cum *Syr. Scabiosæ* vel *Aquæ Card. ben.* aut *quocunque Vehiculo.*

Quô suos Pleuriticos egregiè restituit Gesnerus *in Observ. & Epist.*

Sic Piso ceu expertum habet Oleum Lini ad ℥iv. cum Pulvere Dentis Apri ad ʒj. mistum, & ita propinatum, præsertim in principio: D. Carolus Reigerus adhibuit Oleum Lini cum Speciebus Dia-Ireos felici cum successu: vid. M.A.N.C. *Ann.* 4. *Obs.* 7. *p.*11. Plura qui cupit de Oleo Lini, vid. Gabelchoverum *Cent.* 4. *Cur.* 68. Hujus loco *Oleum Amygdalarum dulcium*, sed recens, ab ℥iß. ad iij. in principio Morbi propinatum crebriùs, egregium est, emollit, Dolorem lenit, expectorat, subducit Alvum, &c. Confer. Thonerus & Platerus, quibus in usu fuit. Pertinet huc *Experimentum Quercetani* & *Bartholeti*, quod est *Pomum excavatum*, & ʒj. *Thuris repletum*, & ita ad ignem coquendum, hinc deglutiendum, aut cum ℥iij. aut iv. Aquæ Card. ben. propinandum; hoc enim multos restituisse refert Riverius *Cent.* 1. *Observat.* 56. & *C.* 2. *Obs.* 63. Quidam Mastichen addunt: Quidam indunt ʒß. Thuris, & superaddunt simul ʒiß. Florum Sulphuris, & ita coctum assumunt, & præstantissimum Remedium esse dicit Fonseca *l.*2. *Cons.*85. Aliàs quoque, ubi Sputatio copiosior, prosunt Spiritus Salis Ammoniaci simplex, anisatus & succinatus, Tinctura Sulphuris. Conveniunt etiam Flores Asæ dulcis, seu ipsa Asa dulcis p obè pulverisata, & permista cum Syrupo seu Conservâ Violarum, Syrupo de Tussilagine, Papaveris rhœados, & in specie de Jujubis, qui egregiè temperant acres Humores seu Succos, & Expectorationem blandè promovent: id quod satis notum est.

Quòd si factâ Coctione fortiùs expectorandum sit, conveniunt *Incidentia & Expectorantia* in specie sic dicta, v. g. sæpiùs dictis postmodùm addendi sunt Syrupi de Hyssopo, de Erysimo, Nicotianæ ritè præparatus, de quo vid. Epiphanius Ferdinandus *Hist.* 32. & 45. Mel rosatum, Sperma Ceti, Spiritus Nitri dulcis, &c. Quibus omnibus tamen præfero *Succum Raphani* recenter expressum, mirabiliter expectorantem. In specie *Spiritus Nitri dulcis* moderatâ dosi dictis Remediis additus multum ad Expectorationem Materiæ coctæ promovendam facit. Item *Aqua Mulsa* in difficili Anacatharsi per Sputum, princeps est Remedium, cui simul *Specifica varia* ac *Pectoralia* incoqui possunt. Huc pertinent Potiones suprà annotatæ:

Vel

℞. *Aquæ Hyssop.*
*Scabios.* an. ℥iß.
*Spiritûs Sal. Ammoniaci anis.* ʒi. ad ʒiß.
*Maxill. Luc. pisc.* ʒij.
*Syr. Diacod.* seu *Violar.* ℥j.
M. D. S.
Mixtura Pectoralis, cochleatim sumenda.

Vel

℞. *Herb. Chærefol.*
*Hyssopi*,
*Scabios.* ana M. j.
*Rad. Liquirit.* ℥ß.
*Enul.*
*Polypod.* ana ʒvj.
*Ficuum pingu.* Num. vj.
Coqu. in ſ. q. Aquæ.
Colaturæ ℔iß. ad ℔ij. adde
*Ess. Croci* ʒiij. ad ℥ß.
*Syr. Nicot.* ℥ij. vel ℥iij.
M. pro Potione maturante & expectorante.
S.
Potio Expectorans.

*Inter Symptomata Pleuriticos vexantia* in toto Morbi cursu, præ cæteris nil magis urget, quàm *Dolor* ille *punctorius*, *acutus*, mirè excrucians Ægros; Pro quo liniendo præter internum Laudani Opiati usum, conveniunt externè varia Anodyna & Resolventia. In principio, ut dixi, applicatur *Sperma Ranarum* bono cum successu; Item *Spiritus Vini camphoratus*, *aut crocatus* est egregius; Clauderus *Tr. de Balsam. Corpor. Sal. Ammoniaci* p.j. & *Cinet. Clavellat.* ad p. ij. in Aquâ simplici vel Aquis destillatis solutorum, in sedandis & sopiendis Punctionibus pleuriticis admodùm commendat; Vel illinatur Linimentum suprà præscriptum, vel *Unguentum Pleuritic. Mynsichtii in Armament. Medico-Chymic. p.*485. calidè applicetur; item Oleum Antipleuriticum Petri à Castro, quod describitur in M.A.N.C. *Ann.* 1. *Obs.* 10. *p.*29.

℞. *Ung. Alth.* ℥j.
*Olei Amyg. dulc.* ʒß.
M. D. S.
Unguentum Leniens.

(E) Nota Cyrilli. Oleum *hoc Antipleuriticum paratur ex incoctione Corticum Cucurbitarum longiorum in Oleo Olivarum: quod coletur, & per fartaginem ignitam trajiciatur, deinde calidè & sæpè applicetur. Hujus geminam eamque curiosam encheiresim legere est apud* Ephemerides Germ. *Ann.* 1. *Obs.* 10. *Expertum habemus in Praxi.*

Simplex eſt Unguentum, ſed expertiſſimum Rulando & Zacuto Luſitano, cujus effectum pariter obſervavi, ſi ſingulis bihoriis aut trihoriis ad ſummum, loco dolenti illinatur, ad imitationem Rulandi. Addere ſoleo interdum *Olei deſtillati Cumini* ℈j. & gr. ix. *Camphoræ*, meliori cum effectu. Conveniunt Oleum Jaſminum, Seminum Lini, Chamomillæ, Hyperici, Anethi, Aranearum, Liliorum alborum, Papaveris, Hyoſcyami, Scorpionum, Florum Verbaſci, ſeptem Florum *Mynſ.*, Sevum Hircinum, Unguentum Pectorale, *Empl. de Meliloto*, de Mucilag., item Ireatum, & de Cumino, quod Deckers *Pr. Barbett. pag.* 78. & 79. deſcribit; item *Emplaſtrum de Meliloto* cum Oleo Hyperici aut Chamomillæ aut Philoſophorum malaxatum; Oleum etiam Camphoræ excellens eſt, ut & Oleum Chamomillæ deſtillatum, & Oleum Ceræ, *Pinguedo Muris montani* (cui poſſe ſubſtitui arbitror Sevum Hircinum) eſt Experimentum Paracelſi, qui tale Medicamentum ordinat.

℞. *Pingu. Mur. mont.*
*Olei Chamomill.*
*Roſar.* ana ℥ij.
*Amygd. dulc.* ℥j.
M. f. Linimentum.
Vel
℞. *Ping. Mur. mont.* vel *Apri* ℥j.
*Olei Amygd. dulc.* ʒß.
*deſtillat. Chamom.* ℥j.
M. D. S.
Unguentum Leniens.
Vel
℞. *Pingu. Mur. mont.* ʒß.
*Olei Chamomill.* ℥ij.
*Abſinth.* ℥j.
*deſtillat. Cumin.* ℥ß.
*Croci* ℈j.
*Camphor.* ℈ß.
M. F. Linimentum.
D. S. ut ſuprà.

Item convenit Balſamus Sulphuris terebinthinatus, & *Rulandi*, ſuperimponendo Emplaſtrum Dia-Sulphuris *Rulandi*.

Dicta applicentur tepidè, & imponatur deſuper Linteum craſſum, vel Lapis calefactus, ut meliùs penetret Remedium: Item

℞. *Ungu. Dialth.* ℥vi.
*Empl. Filii Zach.* ʒß.
*Olei ſept. Flor. Mynſ.* ℥iij.
*Hyoſcyam. expr.* ℥ij.
*deſtillat. Aneth.* ℥j.
*Camph.* ℈ß.
M. pro Unguent. Reſolvente:
D. S.
Unguentum Reſolvens.

Calidè illinantur aliquoties, repetendo deſuper Laterem calefactum.

℞. *Emplaſtr. de Melilot.*
*Filii Zach.* an. ʒj.
Cum ſ. q. *Olei Verbaſci* f. Emplaſtrum Reſolvens.
D. S.
Emplaſtrum Reſolvens.

Succus Caulium ſeu Braſſicæ & ex eo paratum Unguentum à multis ſimpliciter eſt expertum: Sic factum Emplaſtrum ex Succo Caulium cum Pulvere Cumini inſigniter commendatum eſt à Gabelchovero *Cent.* 4. *Curat.* 68. Sic etiam ex Pulvere Caulium cum Pulvere Cumini, Caryophyllorum, & Melle, expertum Emplaſtrum fit contra Pleuritidem Bartholeti. Quibuſdam ſingulare habetur *Emplaſtrum* ſubſequens, præmiſſis præmittendis, applicatum:

℞. *Picis naval.* ℥jß.
*Sulphuris trit.* ʒß.
*Ceræ flav.* ℥vj.
*Terebinth. clar.* ʒß.
*Olei Chamom.* q. ſ.
M. pro Emplaſtro.
D. S. ut ſuprà.

Præmiſsâ Venæſectione, ſi opus eſt, & Sudorifero, calidè applicetur.

Huc etiam pertinet Stercus Gallinarum cum Oleo Chamomillæ, quod certè admirandas præſtat virtutes. *Fomenta* quoque parari ſolent ex Malvâ, Althæâ, Flor. Sambuci, Meliloti, Chamomillæ, &c. quorum prolixam catervam apud Autores invenietis: e. g.

℞. *Herb. Chærefol.*
*Naſturt. hortenſ.*
*Fol. Hyoſcyam.*
*Flor. Sambuc.*
*Melilot.*
*Chamomill.* an. M. j.
*Cepar. ſub ciner. aſſat.* ℥iij.
*Farinæ Fabar.*
*Lupinor.* an. ℥j.
*Nid. Hirund.* No. j.
Coqu. in ſ. q. *Lact. ebutyr.* ad conſiſtent. Cataplaſmatis: adde
*Camph.* ℥j.
M. pro Cataplaſmate Reſolvente ac Maturante:
D. S.
Puls Reſolvens & Maturans.

Quòd ſi nec per Sudorem, nec per Sputi expectorationem deſinant Pleuropneumoniæ, ſeu quæcunque Inflammationes Thoracis, neceſſe eſt, *ut ſucceſſivè ſuppurentur Inflammationes*, & ita in perfectum *Abſceſſum* abeant; circa quem

1. *Suppuratio* promovenda.
2. *Abſceſsûs* perfecti *Ruptio* adjuvanda.
3. Abſceſſu aperto, partis ulceroſæ *Mundificatio & Conſolidatio*, ac ſimul *Puris excretio*, inſtituenda.

*Suppuratio* hæc in Pleuritide frequentiùs contingit, in qua nunc ſaltem Apoſtema colligitur *intra Pleuram*, idque frequentiùs, nonnunquam ſimul ex parte *intra Pulmones* iſtius lateris, idque rariùs: Nam hoc reverà Sputo ſolvitur, dum illud ſæpiùs ſuppuratur. Semper tamen in Suppurationis hoc negotio ad utrumque reſpiciendum. *Pleuritis ſuppurata intra Pleuram*, nunc rupto Abſceſſu intra cavum Thoracis fluit, nunc intra Saccum ex dilatatâ Pleurâ colligitur. Probè hoc obſervavit Lindanus, qui dicit: *Autores ſemper crediderunt, Suppuratione factâ Pus infundi in cavitatem Thoracis atque Empyema fieri: Verùm ſæpè tantùm eſt collectio Puris in parte antè affectâ, quod vidi in filiâ D. Piſonis, quæ in Pleuritidem incidit, quæ in Suppurationem tranſiit. Locum Chirurgus Candelâ exploratoriâ exploravit altè, ſed inde nihil potuimus colligere: Nam Puella mortua cùm diſſecta fuerit invenimus Membranam, ſuccingentem Pleuram, dilatatam in immenſum Saccum, in quo ſubſidebat omnis Purulentia. Illud tamen magni Medici, hac de re conſulti, omnes eſſe putabant. Verùm hîc fruſtrà fuit Paracenteſis facta, & miſerè obiit.* Ad *Maturationem* autem Abſceſsûs promovendam optima Remedia ſunt Nicotiana, Hedera terreſtris, Chærefolium & Scabioſa, quæ quatuor aliis Suppurantibus omnibus præferantur; unde uſurpetur Syrupus de Nicotianâ, de Hederâ terreſtri, de Symphyto *Fernelii*, de Hyſſopo.

*Externè* verò ad ſuppurandum Abſceſſum, ejuſque apertionem, conveniet Lac coctum cum Malvâ arboreſcente, & ita ſub formâ Cataplaſmatis crebriùs

brius impositum ; mirè enim maturat & rumpit Abscessum. *Potus* etiam Stercoris Asinini, non minùs quàm Stercoris Caballini, in Aquâ appropriatâ vel Vino dissoluti, factâ jam Suppuratione maturat & rumpit Apostemata : vel conveniet etiam *Emplastrum Filii Zach.* vel alia Emplastra externè applicata : Vel apponuntur *Cataplasmata* ordinaria, ad maturationem & ruptionem Abscessuum usitata.

*Ubi facta Suppuratio*, opera danda, ut *Abscessus rumpatur, & Pus evacuetur. Apertionem* Abscessûs factam *cognoscimus* ex Spuitione Puris cum Ichore plùs minùs cruento. Ut autem rumpatur seu aperiatur Abscessus in tempore, optimum Remedium, est, si *Vomitus* aut *Sternutatio* excitentur, & Patiens altâ voce clamando de latere in latus se solvat. Optimum esset, ut, quoties certi essemus de maturato Abscessu, *saltem perforentur spatia intercostalia*, cùm hoc securè fieri possit, modò locus, in quo Abscessus continetur, certè & exactè cognosci possit, qui non nunquam Rubore, Tumore & Dolore ad extrà se manifestat. Neque enim in eo loco, quo in Empyemate, & Pure, jam in Thoracis cavitate collecto, Sectio fieri solet, Apertio instituenda ; sed ex Pondere, Dolore & Calore locus, in quo Abscessus hæret, investigandus, & intra duas Costas leniter aperiendus, &c. sed *cautè omninò procedatur* : Quæ Apertio quoque in Abscessu intra Pleuram locum habet. *Sin in Pulmonum quodam loco* simul Suppuratio fiat, necessariò *Empyema* expectandum venit. Ferdinandus *in Hist. Med.* 32. & 45. *Decoctum Tabaci* & illius post convenientem digestionem paratum Syrupum, nec non *Tabaci Fumum*, ad rumpendam Vomicam Suppuratorum seu Empyematicorum, & evacuandum Pus, non potest sufficienter commendare. Et testor Deum, me anno elapso tantùm non à morte revocasse Mulierem, quæ jam erat per tres menses pleuritica & suppurata cum Febre Hecticâ, quæ ab illius *Decocti*, nempe Nicotianæ, assumptione per tres dies, & ab hujus Fumo accepto, tribus vicibus plus ℔vj. Puris albi, tribus diebus Tussi evomuit, & nunc est sana. *Decoctum* est hoc:

℞. *Fol. Tabac.* ℥j.

Bulliant in *Aquæ ducis* ℔ij. ad consumptionem medietatis, addendo in fine

*Fol. Malvæ*,
*Branc. ursinæ*,
*Violar.* an. M. j.

Colentur, & cum *Sapâ* misc., & detur calidiusculum pluries.

*Fumus* verò est :

℞. *Fol. Tabaci* ;

Reponantur in Cineribus adhuc ignitis, & Fumus per Fistulam seu Embolum assumatur.

Cum quibus & *Terebinthinæ* usum subinde adhibuit.

*Factâ ergò Ruptione* Abscessûs, & Puris in Thoracis cavum evacuatione, ad evacuationem hujus, *Vomitus* convenit. Ad *Ulcus* verò *Mundificandum & Consolidandum*, vel si aliæ Partes anteà inflammatæ labem patiantur, præter Remedia Pus expectorantia, eadem ferè Medicamenta, imprimis ex *Nicotianâ*, *Hederâ terrestri & Chærefolio*, sunt experta ; quam Hederam terrestrem ejusque Succum & Syrupum Lindanus præfert omnibus aliis Remediis ad curandos Abscessus suppuratos ; egregiè enim Apostema mundificat, & denuò consolidat, ne Æger in Empyema desperatum & Phthisin incidat. Nam & Hedera terrestris, Germ. *Gunderman*, & Chærefolium sunt Vulneraria, & in læsione Partium inflammatarum, post Peripneumoniam residuâ, & exinde imminente Phthisi, optimè conveniunt. Quibus Spiritus seu Oleum Terebinthinæ, & cum eo paratus Balsamus Sulphuris terebinthinatus & anisatus, Flores ejus & modicum Terebinthinæ, in specie in Vitello Ovi solutæ, & Extractum Sulphuris siccum, item Syrupus Sulphuris *Willisii*, item Balsamus Peruvianus & hujus Tinctura commodè addi possunt. Sunt enim optimum Ulceris pleuritici mundificativum & consolidativum : vid. Colleg. Langii *supra Fabrum cap. de Peripneumoniâ.*

Huc referenda sunt omnia ea, quæ *suprà Sect. 17. cap. 1. Artic. 2. de Phthisi Pulmonali* ex eorum Exulceratione monui, & etiam *infrà Cap. 2. de Empyemate* monebuntur. *Potus* toto Morbi cursu sit Decoctum Hordei & Liquiritiæ, vel Decoctum Papaveris rhœados cum Syrupo Capillorum Veneris. Convenit etiam Potus Sulphuratus quicunque, secundùm Helmontii hypothesin præparatus.

Et tantum de Pleuritide verâ.

## CURA PLEURITIDIS NOTHÆ.

Quoad *Pleuritidem Notham* : *Prima* ista, quæ est *ab Inflammatione* partium externarum, internis *Diaphoreticis*, ad quaslibet Inflammationes suprà laudatis, & externis *Sacculis* ac *Fomentis discutientibus* levatur, nisi Plethora aut ingens Sanguinis stagnatio Sanguinis missionem quoque urgeat.

Hisce diebus occurrit *Juvenis Inflammatione sub Axillis* insigni correptus ; factâ post aliqualem Suppurationem Apertione, supervênit altero abhinc die Inflammatio, quæ medium Pectus occupabat, cum Dolore ad tactum sensili, Respiratione difficili, ita ut ferè erectus in lecto subsistere cogeretur. Erat *Pleuritis Notha primi modi* ex Sennerto, quæ facilè curata fuit per Potiunculam ex *Lapillis Cancrorum* cum *Aceto destillato*, *suprà Artic. 2. ubi de Inflammatione in genere*, commendatam ; quam bis usurpavit cum blando Sudore.

Aliquando gravis *Pleuritis Notha secundi modi* occurrebat in alio, cum Dolore gravissimo punctorio :

℞. *Aquæ Scabios.*
*Card. bened.* ana ℥iß.
*Spiritûs Sal. Ammoniaci* ʒiß.
*Essent. Opii* ʒß.
*Corall. rub. præp.* ʒß.
*Syr. Scabios.* ʒvj.
Misc.

Capiebatur cochleatim.

Anno 1675. *Catarrhus Epidemius* totam ferè Germaniam pervadebat, sub quo quidam gravi Dolore punctorio in alterutro saltem latere maximè affligebantur, occupante spatia Costarum Notharum & à regione Spinæ Dorsi lumbari sursum anteriora versùs ad Sternum usque adscendente. Rejiciebantur in taliter constitutis quibusdam cruenta & viscida glutinosa, horrida, non tamen purulenta. Aderat simul in principio Ardor intensus cum Pulsu crebro, celeri, magnitudine & vehementiâ moderato, qui tamen, uti & Excretiones, Doloribus cessantibus cessabant. In hac ratione Lymphæ acris peccantis, tanquam Causæ materialis, Salina volatilia ; ratione Doloris verò, in quo Pleuritis Notha cum Verâ certat, Opiata adhibebantur, additis Specificis in Pleuritide verâ aliàs usitatis, adeoque profuerunt Spiritus Salis Ammoniaci, Dens Apri, Liquor Cornu Cervi succinatus, Tinctura Tartari cum Spiritu Salis Ammoniaci anisato, Sal volatile Lucii piscis, unde ordinabatur aliàs Mixtura :

℞. *Aquæ Card. bened.*
*Flor. Papav. errat.* ana ℥iß.
*Spiritûs Sal. Ammoniaci anis.* ʒiß.

*Laud.*

*Laud. Opiat.* gr. iij.
*Syr. Chærefol.* ʒiij.
M. F. Potio.
Capiebatur cochleatim.

Cuidam, qui veſperi circa Coſtas notas Doloribus pungitivis cum intenſiſſimâ Pectoris anguſtiâ, Æſtu magno adjuncto, Pulsû magno, præcedente Frigore, affligebatur, præſcripſi:

℞. *Aquæ Flor. Samb.*
*Scabioſ.* ana ℥iß.
*Lap. Cancror. præp.*
*Dent. Apri præp.*
*Antimonii Diaphor.* ana ℈j.
*Sal. vol. Maxill. Lucii piſc.* (cujus loco etiam aliud ſubſtitui poteſt) gr. xij.
*Laud. Opiat. ferm.* gr. iij.
*Syr. Card. ben.* ʒß.
M. pro Potione.

Mixturam hanc aliquoties in die hauriebat, & Sudorem urgebat, unde altero mane magnam partem levabatur, reliquiis per Sudorem & Expectorantia ſublatis.

Cæterùm Urinæ in hac Pleuritide Nothâ erant craſſæ, turbidæ, cum copioſo Sedimento, quod præcipitatum erat ſub efferveſcentiâ ex Lymphâ & Sanguine. Pro hoc ſcopo, Naturæ juvamen præſtando, præmiſſo Sudorifero, Diuretica adhibebantur, inter quæ prævalebat Tinctura Tartari ratione Alcali fixi: v. g.

℞. *Aquæ Menthæ*,
*Serpilli* ana ℥jß.
*Tincturæ Tartari* ʒij.
*Spiritûs Sal. Ammoniaci* ʒß.
*Syrup. Hed. terreſtr.* ʒvj.
M. f. Potio.

Capiebatur etiam hujus Miſturæ loco Tinctura Tartari cum dimidio vel tertiâ parte Spiritûs Salis Ammoniaci, pro doſi 40. gutt. Arcanum quoque duplicatum *Mynſichti* die bis ad ℈j. propinavi, præſertim ubi Urinæ lateritiæ apparebant, pro quibus corrigendis proficuum erat: Inſuper cum his Internis pro Doloribus mitigandis applicabantur Externa, ubi tamen Litus & Unguenta oleoſa, item Emplaſtra mucilaginoſa nocebant, aut ſaltem nil juvabant, quia fortem Pororum obſtructionem procurabant; quin potiùs Fotus calidi ſicci omnem ſpei paginam explebant, adeoque Ægri ad fornacem ſedentes ſenſiſſe levamen dicebant, ubi præſertim blanda Frictio cum pannis calidis accederet. Quòd ſi verò Dolor anteriora magis affligeret, Sacculi tunc Avenâ impleti & calefacti loco dolenti, permutando ſubinde eoſdem, imponebantur, ubi Avena quidem nil ſalutis promittere potuit, niſi quòd Calorem fovere apta fuerit. Tandem quoque egregium erat illud Emplaſtrum, ex Sale volatili Urinæ & Terebinthinâ conſtans; ſcilicet

℞. *Sal. vol. Urinæ* ʒiij.
*Terebinth.* ℥j.

Hæc miſta in Mortario rediguntur in conſiſtentiam ſpiſſiorem; quibus pro conſiſtentiâ Emplaſtri acquirendâ, addebatur nonnihil *Empl. de Meliloto*, hincque inducebatur ſuper *Alutam*, & applicabatur abſque ſindone.

Reſtat unus adhuc ſcrupulus eximendus *circa Opii & Opiatorum uſum* hoc loco allegatum: Scilicet poſſet horum uſus eſſe ſuſpectus, cùm impediat Naturæ motum in Lymphæ vitioſæ Expectoratione conſiſtentem: nam uti ille Spirituum, ita quoque Humorum motus ſiſtit. Obſervavi quippe in Muliere, cui Liquorem Cornu Cervi ſuccinatum cum Eſſentiâ Opii præſcripſeram, conqueſtam fuiſſe ex hujus uſu, *eſſe ipſi vaporoſum quid circa Pectus.* Sciendum tamen, Opium ſcilicet non curare, ſed ſaltem Symptomata palliare, ſimul autem atrocrora ex Doloribus continuis imminentia præcavere; hinc quò commodiorem agendi occaſionem accipiat Medicus, rectè uſurpari poterat; & quidem in Principio & Incremento ejus uſus ſemper convenit, quando nempe Tuſſis ſicca & Febricula veſperi affligere ſolet; in Statu verò Opiata in uſum non ſunt vocanda, quia jam tum collecta eſt Materia mucoſa.

*Tertia Pleuritis Notha* ab Acido acri intra Pleuram & Muſculos Intercoſtales ſolitariè collecto, per *Diaphoretica*, *Salia volatilia*, *Opiatis* mixta tollitur, in ſpecie *Spiritu Salis Ammoniaci aniſato* cum dimidio *Eſſentiæ Opii* mixto, & propinato, expectando Sudorem, & Patiens meliùs ſe habuit. Egregiè quoque conducit Antimonium Diaphoreticum cum Maxilla Lucii piſcis, Dente Apri, & Opiatis propinatum: vid. M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obſ.* 72.

In *Pleuritide Nothâ*, quæ eſt *à Sero ſcorbutico*, *Diaphoretica* maximi usûs ſunt, quibus quamvis rariùs Venæſectio jungenda: vid. Drawizius *de Scorbuto Tit.* 7. potiſſimùm cùm per Hæmorrhagias Criticas illas interdum ſolvatur, v. g. Menſium fluxum, vid. Riverius *c.* 1. *Obſ.* 47. Imò in Scorbuto Antiſcorbutica illis miſcenda. Valent hîc etiam Sacculi ex Reſolventibus, aut Unguentum, quod Drawizius *l. a. p.* 252. deſcribit ſequens:

℞. *Succ. Naſturt. aquat.* ℥viij.
*Abſint.* ℥v.
*Butyr. rec.* ℥vj.

Bulliant lento igne ad conſumptionem humiditatis; adde

*Olei deſtillat. Succin. albi non rect.* ʒß.
*Chamom.* ℈ij.
M. f. Linimentum.

Si *à Flatibus hæc fuerit*, Carminantia, Diſcutientia, atque Diaphoretica interna & externa conveniunt. Non rarò tamen Venæ ſectione quoque opus eſſe teſtatur Riverius *C.* 3. *Obſ.* 63. & Foreſtus *l.* 16. *Obſ.* 42.

Quod attinet *Pleuritidem Verminoſam*, ea Medicamentis verminoſam progeniem enecantibus curatur. Præ cæteris convenit Aqua Mercurialis ſeu Hermetica, parata ex Aquâ Cardui benedicti, in qua agitatus fuerit aut aliquantum ebullierit *Mercurius vivus*; ubi ſubſederit Mercurius, decantata Aqua propinetur cochleatim: ita omnes *Vermes* certò interficit & exturbat, quibus ejectis Affectus ipſe ceſſat. Conf. Riverius *C.* 1. *Obſ.* 75. Sic quoque Phlegma & Spiritus Vitrioli, item Phlegma & Spiritus Sulphuris in convenienti Vehiculo uſurpatus, Vermes egregiè abigit: v. g.

℞. *Aquæ Violar.*
*Card. bened.*
*Ferrar.* an. ℥iij.
*Syr. Hyperic.* ℥iß.
*Spiritûs Vitrioli dulc.* gutt. vj. vel x. vel q. ſ. pro modicâ aciditate.
M. D. S.
Potio contra Vermes.

Hæc Mixtura capiatur cochleatim: haud tamen negligantur Diaphoretica interna, ac Reſolventia externa.

## ARTICULUS X.

### *De Inflammatione Hepatis*, & inde orto *ABSCESSU.*

ULteriùs inter reliqua Viſcera *Hepar* etiam interdum & ſatis periculosè *Inflammatur*, quod

ipsum inflammatum interdum abit & degenerat in *Abscessus*, totum ejus Parenchyma devastantes. Non enim tantùm in Schenckio leguntur Exempla Abscessuum in Hepate post Inflammationem, ubi totum Parenchyma suppuratum fuit; sed etiam imprimis Forestus egregium habet Casum *l.* 19. *Obs.* 10. de Hepatis Apostemate, seu Inflammatione in Abscessu mutato, qui in *Ulcus* malignum & depascens, tandemque in *Gangrænam* lethalem abiit. Vocatur aliàs *Hepatitis*.

## CAUSÆ.

Rariores equidem sunt tales Inflammationes: & in specie quoad *Causas*, agnoscunt easdem Inflammationes Hepatis, quas reliquarum partium Inflammationes; subinde tamen externa Læsio, in specie Contusio circa regionem Hepatis & Casus ab alto in Hypochondrium dextrum, disponunt ad hujus Inflammationem; Item præter has nonnunquam Emplastra & Unguenta nimis calida Hepatis ac Stomachi regioni, ubi Lobus Hepatis hunc attingit, admota, hujus inflammationis Causa sunt; uti etiam Cucurbitulæ Hepatis regioni crebrò affixæ, non rarò Hepatis Inflammationem inferunt: Confer. Hildanus *C.* 7. *Obs.* 46. & 47.

## DIAGNOSIS.

Quoad *Diagnosin*: Hepar esse inflammatum ex Symptomatis adjunctis cognoscitur. Cautè autem considerentur omnia *Symptomata*, quæ sunt admodùm diversa, dum Inflammationem Hepatis comitantur; hinc circumspectus requiritur Medicus, prout nempe Inflammatio est vel in parte Hepatis gibbâ, vel convexâ, vel prout eadem est in parte concavâ seu simâ. Nam si Inflammatio Hepatis est in parte *gibbâ*, magis urgere ferè solent *Symptomata Pleuriticis* simillima, seu quæ aliàs observari solent in Pleuritide Verâ; si verò inflammata magis sit pars ejus *concava*, urgent magis *Symptomata Stomachi & Intestinorum*.

*Non facilè* Hepar *inflammatur*, aut si inflammatur, Febris tamen & Æstus, ac cognata Symptomata non adeò intensa sunt, quàm pro ratione Partis esse deberent, quia nempe Hepar parvam habet Arteriolam. Jam verò in omnibus Inflammationibus à Sanguine arterioso magis, quàm venoso, intendi solent Symptomata. *In genere* verò percipitur in omni Hepatis Inflammatione Dolor obscurus & tensivus ratione Membranarum, ac gravativus ratione Visceris, isque circa regionem Hepatis in dextro Hypochondrio & ejus profundo, qui *sub Suppuratione* punctorius plùs minùs evadere solet.

Equidem non rarò apparent Dolores punctorii in Hypochondrio dextro, qui tamen nunquam sunt ex Hepate inflammato, falsèque dicunt: *Hepar pungere, aut nescio quid ibi esse corruptum*: Sed reverà tunc vitium in Colo hæret, ac vicinis partibus, quæ aptæ sunt, ut dolorem talem repræsentent. Adest simul in Inflammatione Hepatis mox *Febris*, nunc quidem magis acuta, ubi major est Inflammatio, nunc verò minùs acuta, sed sæpiùs lenta, pro ratione circumstantiarum in eo inflammatæ observabilium, prout nempe Inflammatio vel intensior, vel remissior, ac nunc profundas plùs minùs, nunc externas magis partes occupat: vid. Forestus *l.* 19. *c.* 7. *in Schol.* Nam perpetuò Inflammationis magnitudinem vehementia Febris analogicè comitatur.

Quòd si *Hepar inflammatum simul afficiat Diaphragma*, cui per Ligamentum latum firmiter est annexum, Dolor ad Jugulum adscendens percipitur, quasi ad inferiora traheretur, præsertim dum vehementiùs Æger inspirat, idque propter pondus Hepatis inflammati Diaphragmati mediante Ligamento lato alligati: Ob id Tussis arida seu manis per intervalla affligit, & difficultas Respirationis Ægros cruciat, nec non Decubitus in latere affecto est difficilis, non secus ac in latere opposito, unde ferè supini jacent Ægri; Pulsus est frequens, celer, inæqualis &c. Adest simul Sitis intensa, Anorexia, Lingua arida, Calor mordax totius Corporis, &c. Et in specie urgent hæc Symptomata quasi pleuritica, si pars Hepatis gibba fuerit inflammata: Sin verò Hepatis pars cava laboret, præter suprà memorata Symptomata generalia urgent in specie Symptomata Stomachi, Singultusque frequens oboritur, & perpetuò ferè singultiunt Ægri, Vomitus Bilis subinde supervenit, interdum & Diarrhœa adest, item Nausea, Anorexia, & similia. Si verò pars gibba afficitur, acris est Dolor circa Cordis foveam, Decubitus in dextrum latus est difficilior, Dolor ex pressurâ exacerbatur, Tumor manifestus apparet, partes ad Jugulum dextrum sursum trahi, & Symptomata cætera partes Thoracis apparenter affectas sequi videntur.

Cùm verò dicta Symptomata sæpiùs in Pleuritide etiam adsint, ob id necesse est, *ut accuratè distinguatur Pleuritis vera ab Inflammatione Hepatis*, in specie cùm Symptomata hæc multos fefellerint, & non pauca Exempla prostent curatarum Hepatis Inflammationum pro Pleuritide, aut saltem Pleuritidi similium. Exempla jam nota prostant in Galeno, quæ videantur imprimis in Valeriola, Horstio, Zacuto Lusitano, *lib.* 2. *Med. Princ. Hist.* 101. item conf. Schenckius *in Observ. l.* 3. Panarollus *Pentec.* 1. *Obs.* 37. & Forestus *l.* 29. *Obs.* 12. Adeò ut referat Amatus Lusitanus, se observasse Jecoris Inflammationem cum Tussi & Sanguinis sscreatu conjunctam, idque *Cent.* 4. *Obs.* 1. In specie, si Pleuritis circa Costas nothas dextri Hypochondrii afflixerit, facillimè cum Hepatitide confundi potest. *Signa* ergò *Distinctiva* sunt imprimis Dolor punctorius, qui in Pleuritide est longè acutior acerbiorque; parvus verò vel nullus in Hepatis Inflammatione: Item Inspiratio in Hepatis Inflammatione est difficilis, Exspiratio verò facilis, cùm utraque difficilis satis sit in Pleuritide. Ad hæc Tussis longè & vehementior & frequentior, eaque humida in Pleuritide, quæ in Hepatis Inflammatione est mitior, arida & sicca: ac in specie rejiciuntur in Pleuritide copiosa, quæ contrà pauca sunt in Hepatitide: Pulsus Pleuriticorum est durus, ac ut vocant Serratus, qui in Hepatitide magis ad undosum accedit: Denique Pondus gravans & quasi deorsum trahens Thoracem percipitur in latere dextro, quando Hepar est inflammatum, ubi etiam non rarò Tumor aut renisus quidam percipitur tactu, quando Hepar in parte sui convexâ est inflammatum; quæ minùs in Pleuritide apparent.

In genere in Pleuritide verâ omnia sunt acerbiora & vehementiora, in Abscessu verò seu Inflammatione Hepatis omnia sunt remissiora.

Fit interdum etiam, ut cum Hepate inflammato *concurrant Dolores Ventris*, unde contingere solet, ut à quibusdam Hepatis Inflammatio habeatur pro Colicâ: Exempla inter alia habet Hildanus *Cent.* 7. *Obs.* 48. Distinguuntur verò facilè per adjuncta Symptomata, per Febrim, per Tussim, per Difficultatem respirandi, & similia quæ in Colicâ ferè abesse solent.

Non rarò Linea ex rubro nigricans latissima cum Vesicu-

lis

Veſiculis elatis in Hypochondrio dextro, maximis ſtipata Doloribus, Hepatis Inflammationem patefacit: vid. M.A.N.C. *Ann.* 3. *Obſ.* 215.

Porrò *Muſculorum Abdominis Externorum* Deſcendentium & Aſcendentium *Inflammationes* circa Hepatis Inflammationem fallunt interdum Medicos, ut illas habeant pro Inflammatione Hepatis, idque imprimis, ſi profundè ſint inflammati. Exemplum elegans & curioſum talis fallaciæ habet Valeriola *l.* 4. *Obſ.* 5. *item* Bartholinus *C.* 2. *Epiſt.* 45. *p.* 543. ubi proſtat notabile Exemplum ex Contuſione ortorum inflammatorum Muſculorum, loco Hepatitidis curatorum.

*Diſtinctio tamen horum Affectuum eſt facilis*, cùm utplurimùm in Inflammatione Muſculorum Abdominis percipiatur Dolor pulſatilis, qui ferè eſt nullus aut ſaltem exiguus in Inflammatione Hepatis, propter parvam & unicam ejus Arteriolam: Prætereà Pectoris Symptomata abſunt in Inflammatione Muſculorum Abdominis; quæ tamen adſunt in Hepatis Inflammatione: Tactus etiam circumſcriptum percipiens Tumorem, eumque non adeò profundè nimis ſitum, ſed ſenſibiliter protuberantem, facilè judicat, an Hepar an Muſculi ſint inflammati? Si enim Muſculi Abdominis, imprimis Externi, ſunt inflammati, Tumor magis eſt circumſcriptus & tactu perceptibilis; qui tamen minùs cognoſcibilis eſt, ſi Hepar in gibbâ ſui parte fuerit inflammatum: Inſuper ſymptomata interna, puta Febris, Sitis, & Pathemata alia in Hypochondrio, ſunt longè intenſiora in Inflammatione Hepatis, quàm Muſculorum Abdominis.

Denique dum Inflammatio Muſculorum Abdominis incipit ſuppurari, Dolor eſt punctorius; contrà in Hepatis Inflammatione Dolor ferè nullus perceptibilis eſt:

Interim tamen, quod rectè monet Sennertus, cavendum, ne fallamur, ſi Tumor in medio Ventre apparet, cùm quibuſdam etiam Hepar ad medium Ventris extendatur.

Sed quoad hæc conf. imprimis Sennertus *l.* 2. *Prax ubi de Hepatis Inflammatione*, ejuſque *Epitomator* Riverius.

Pro majore dictorum illuſtratione placet Exemplum notabile *Apoſtematis in Jecore* ex Coitero ejuſque *Obſervationibus Anatom. Chirurg. Miſcell.* ſubjungere, qui ita dicit p. 120. *Civis quidam Norimbergenſis, natus annos* 42. *totus cholericus, leni Tuſſi correptus de moleſto quodam Hypochondrii dextri Dolore, edendi appetitûs amiſſione, totius Corporis languore, æſtu, affatim & plerumque poſt cibum, faciem, manuum palmas, pedumque plantas invadente, & oris ariditate conqueri cœpit. Vi Morbi creſcente, decreſcentibus viribus, Corpore extenuato totius anni ſpatio pòſt coactus fuit decumbere, tandem & me accerſiri juſſit. Inveni inter cætera quandam erraticam Febrem atque Tumorem tenſivum in Hepatis regione, ad medium Ventris & Umbilicum uſque protenſum. Febris minimè erat intenſa, & periodica, ſed Hecticæ ſimilis, quæ incerto tempore ſubinde per totum Corpus diffundebat æſtum ſolito majorem, qui interdum citiùs, interdum tardiùs remiſit, magis potûs quàm cibi deſiderio moleſtabatur, ut ferè ſemper hominibus, qui ſimilibus affectibus urgentur, uſu venine ſolet. Tumor erat durus, cum magna tenſione & vehementi punctione, Doloreque ulceroſo conjunctus: quamvis nulli lateri incumbere potuerit; tamen facilius dextro quàm ſiniſtro, ad quod aliquid ponderoſi in Corporis commotione prolabi ſenſit. Alvus erat difficilis, Urina ſubflava, tenuis, cum pauco ſedimento, eoque divulſo. Punctio, quæ Ægro omniummo leſtiſſima erat, nullis Unctionibus, Emplaſtris, &c. mitigari potuit. Tandem Barbitonſor quidam Doloris mitigationem pollicitus eſt, & appoſuit Cataplaſma anodinum, emolliens & ſuppaurans, inde Tumor crevit, efferebaturque magis ad Umbilicum, & dilatabatur, ita ut quidam ſuſpicati ſint, hunc Morbum in Hydropem terminaturum. Aliquot diebus pòſt, in Ilio dextro in conſpectu venit Tuber, quod Barbitonſor exiſtimavit ab Apoſtemate intra Muſculos Abdominis generato prodiiſſe, quare Apertionem ſuaſit. Ego cùm nec indicationem, nec alia Suppurationis ſigna manifeſta iſthic deprehendere potuerim, conatui ejus reſtiti, Æger verò permiſit ſibi Lapidem cauſticum apponi: hic Lapis cauſticus triduo, maximo Ægri dolore at cruciatu, Abdominis Muſculos ad Peritonæum ferè uſque perroſit, & antequam Abdomen penetraret, Pus in Folliculo collectum intus Folliculum rupit, atque per Abdominis cavitatem inter Peritonæum & Inteſtina uſque diſperſum eſt, Tumor deſedit, & durities evanuit. Eodem die aliquot deliquiis Animi correptus Æger moritur. Aperto Corpore invenimus Vomicam ſimæ Hepatis parti, cujus non parum putruerat, connatam, eamque ſatis magnam & apertam, reliqua fuere ſana.*

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: Aut diſcutitur Hepatis Inflammatio, aut ſucceſſivè ſuppurata, eadem abit in *Abſceſſum*, ac malè curata in *Scirrhum* degenerat. Si ſuppuratur, ruptus Abſceſſus frequentiſſimè nunc per Alvum, vid. Salmuth *Centur.* 1. *Obſ.* 27. & Hercules Saxonia *pag.* 16. nunc per Urinam, *vid.* Salmuth *l. a. Obſ.* 28. expurgatur.

In ſpecie dicunt Practici: Si inflammatum ſit Hepar in parte gibbâ, expurgationem fieri imprimis per Urinam; ſin in concavâ, magis per Alvum; quod ipſum, an verum ſit? videant.

Interdum etiam, ſed rariùs, Pus Hepatis copioſum per Vomitum ejicitur; quale Exemplum videb. in Salmuth *Cent.* 1. *Obſ.* 27. & 28. & Fernelio *Pathol. lib.* 6. *Cap.* 4.

Rariùs adhuc fit, ut ipſum purulentum Excrementum Hepatis ſuppurati per *Sputum & Tuſſim*, more Pleuriticorum rejiciatur: Exempla tamen videbitis in Schneidero *lib.* 4. *de Catarrh. pag.* 103. Eraſto *lib.* 4. *Diſp. de Febr. putr.* & Friderico Hoffmanno M.M. *pag.* 313.

Rariſſimum adhuc eſt, quòd Hepatis Abſceſſus maturatus per *Metaſtaſin materiæ transferatur in Suras*; quale Exemplum videbitis in Schenckio *lib.* 3. *Obſervat. de Hepate*, & Jacotii *Comm. ad Coac. Hipp. pag.* 349. & 826. nec non Bauhino *de Obſervat. propriis.*

Aliàs periculoſum & acutum Malum eſt Inflammatio Hepatis, & quæ ſæpiùs ad Mortem deducit Ægros.

Ea Inflammatio, quæ in cavo Hepatis contingit, periculoſior eſſe ſolet propter graviora Ventriculi Symptomata concurrentia, magis Inappetentiam, Nauſeam, Vomitum bilioſum, & Sitim ingentem affert: quæ verò in parte gibbâ, mitior eſt, majorem tamen reſpirandi Difficultatem, frequentiorem Tuſſim & Dolorem uſque ad dextræ partis Jugulum infert.

Sic Singultus admodùm contumax, ſuperveniens Hepatis Phlegmoni ſeu Inflammationi, lethale ferè eſt Signum, ac malum portendit: conf. in ſpecie Foreſtus *lib.* 19. *Obſerv.* 8. Hippocrates *Sect.* 5. *Aphor.* 58. & *Sect.* 7. *Aphor.* 17.

In Inflammatione Hepatis, ſi ſub curſu Morbi ex uſu Nitri & Nitratorum ſequatur copioſa Urinæ excretio, res ſalva eſt, & optimum indicium.

Hepatis Inflammatio, ſi dies & noctes 21. excedat,

cedat, & Febris perduret, Tumore non subsidente, in Suppurationem fertur: Vid. Hippocrates 4. *Acutor.* Exemplum *Ann.* 6. *M.A.N.C. Obs.* 24. quæ Vomitu purulento, die 40. obtingente, curata.

*Quibus Hepar aut Lien suppuratus est*, iis plerumque *Hæmorrhagia Narium* supervenit primis septem diebus, paucis undecimo, rarissimè decimo quarto, & confert illa Hæmorrhagia, si è directo fiat.

Perssima *Signa Inflammationis* sunt Febris Ardens, Sitis inexhausta, Lingua scabra, Refrigeratio extremorum, dum interiora uruntur: Vomitus item niger & porraceus.

*Morti proximis* Venter intumescit rupto Abscessu, & frigidum sudant circa Collum & Faciem, atque Animo linquunt.

Cùm Hepatis Inflammationem Febris ardens & continua comitatur, malum est, quia vehementer Viscus inflammatum significatur.

## CURA.

Quod attinet ergò *Curam Inflammationis Hepatis*: eadem est cum omnibus reliquis Partibus internis in flammatis, sive Pulmo, sive Fauces, sive Ventriculus, sive Renes inflammentur. Unde omnia Antipleuritica, præsertim Camphoratis mista, etiam hîc in usu erunt: saltim quoad Sputum variat Cura; simul quoque ad *Partem affectam*, cujus tonus facilè lædi potest, & qui Amaris præsertim conservatur, semper respectus habendus est. Nam præmissâ vel omissâ *Venæsectione* in Brachio, & hinc in Pede, blandâque Laxatione cum Pulvere *Comitis de Warwich* de Tribus, imprimis *Diaphoretica*, v.g. *Mixtura Simplex* ad ʒj. Liquor Cornu Cervi succinatus, Salia volatilia, *Spiritus Nitri dulcis*, *Antimonium Diaphoreticum*, Sudoriferum Magnum *Fabri*, *Bezoardicum Joviale*, ut & alia ex Jove, *Dens Apri*, *Flores Sulphuris*, & similia convenient: e. g.

℞. *Cornu Cervi sine igne* gr. xv.
*Antimonii Diaphor.* ϑß.
*Salis vol. Cornu Cervi* vel *Viperar.* gr. viij.

M. F. Pulvis: S.

Pulvis Hepaticus resolvens.

In principio & incremento assumatur in Aquis dictis Hepaticis, *Aquâ Agrimoniæ*, *Cichorii*, *Endiviæ*, *Taraxaci*, &c.

Vel

℞. *Antimonii Diaphor.* ϑij.
*Bezoard. Jovial.* gr. xij.
*Salis Card. bened.* ϑß.
*Laud. Opiat.* gr. ij.

M. pro Pulvere.
div. in 2. part. æqual.
D. S. ut antè.

*Purgantibus* reliquis & *Vomitoriis* omnibus prætermissis, Nitrum Antimoniatum, Nitrum simpliciter depuratum, & quælibet Nitrata, item *Antihecticum Poterii* interno usu laudari assolent: item Saturnina, v.g. Saccharum Saturni, Crystalli mineræ Saturni cum Spiritu Nitri, & similia, quæ plus in recessu habent. Zacutus Lusitanus *l.* 2. *Prax. Admir. Obs.* 39. & 40. ceu expertum commendat Cassiam fistulosam recenter conditam, item *Colum*, fructum quendam peregrinum ex Guineâ allatum. Quibus omnibus *Amara* quævis, Hepatica dicta, associari possunt. Pro *Potu Ordinario* inserviant Temperata, imprimis si Inflammatio pergere minetur ad Abscessum: qualia sunt *Julapium ex Decocto Radicis Cichorii* cum Floribus Papaveris erratici, cum *Nitro & Saccharo*; sed oportet dare calidum, & minimè confertim: vel detur *Decoctum Hordei* & Radicis *Graminis cum Radice Cichorii*, Passulis, & tantillo *Liquiritiæ*, & *Syrupo violaceo aut Capillorum Veneris.* Circa finem tamen Inflammationis addenda simul *Diuretica*, Radix Apii, Petroselini, Agrimoniæ, & similes. Sub principio autem & incremento Morbi operam demus, ut discutiatur Inflammatio, & præcaveatur Abscessus.

Cum his Internis *Externè* in Inflammatione Hepatis circa principium conveniunt *Linimenta & Epithemata* penetrantia, discutientia, & ardorem compescentia, calidè tamen applicanda: e. g.

℞. *Ung. Dialth.* ʒß.
*Ol. Absinth.* ʒij.
*destill. Anethi* ϑj.
*Camph.* gr. ix.

M. D. S.

Unguentum Hepaticum leniens & resolvens.

Spiritus Vini blandè *camphoratus*, cum Aquâ Plantaginis vel Rosarum dilutus, vel solitariè cum Linteo multiplicato calidè applicatus, à Kelsero laudatur: Vel præscribatur tale Epithema:

℞. *Aquæ Hyoscyam.*
*Plantag.*
*Nymph.* ana ʒj.
*Nitri depurat.* ʒß.
*Camph. in Spiritu Vini solut.* gr. xv.
M. f. *Epithema*,
applicandum crebriùs calidè;

D. S.

Epithema Hepaticum.

Vel

℞. *Aquæ Flor. Sambuc.*
*Chamomill.*
*Hyoscyami*,
*Plantag.* ana ʒj.
*Spiritûs Vini camph.* ʒiß.
*Nitri depurat.* ʒj.
*F. Epithema.*
pro Inflammatione Hepatis applicandum;

S.

Epithema Refrigerans.

Vel

℞. *Aquæ Hyoscyami*,
*Nymph.*
*Lil. alb.*
*Plantag.*
*Rosar. rub.* ana ʒiß.
*Sacch. Saturni*,
*Camph. cum Spiritu Vini solut.* ana ϑj.
*Nitri depurat.* ʒß.

M. S. ut anteà.

Et hoc tepidè admoveatur regioni Hepatis cum Linteis multiplicatis.

℞. *Aquæ Flor. sambuc.*
*Chamom.* ana ʒij.
*Spiritûs Vini camphorat.* ʒj.

M. S.

Epithema Resolvens.

Insuper ex aliorum consilio Nitrum, cum Aceto rosaceo, & Succo Sempervivi majoris, vel Telephii (*fette Henne* Germanicè vocant) solutum, sub formâ Epithematis externè tepidè regioni Hepatis admoveri potest: Vel imitemur Forestum *lib.* 19. *Obs.* 12. & 19. qui mirè commendat in Inflammatione Hepatis, ad Abscessum quoque tendente, discutiendâ hunc Fotum.

℞. *Flor. Chamomill.*
*Melilot.*
*Rosar. rub.* ana p. j.
*Sem. Anisi*,

*Fœnicul.*

*Fœnicul.*
*Lini* ana ʒiß.
*Santal. rubr.* ʒj.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ ſimplicis* :
Colaturæ adde
*Acet. Vini* ʒj.
*Aquæ Endiv.* ʒß.
M. F. Epithema pro Hepate : S.
Epithema Hepaticum.

Tandem Caſum & Curam ſingularem Inflammationis Hepatis *ex nimiâ Salacitate Venereâ* videb. in Joel, *in ſuâ Praxi Lib. 5. Sect. 4. Artic. 3. ubi de Hepatis Inflammatione pag.* 11. quo loco habet peculiare Remedium, nempe Jecora Galli nigri in Aceto diſſoluta & propinata, dum dicit : *Ubi Inflammatio Hepatis ex immoderatâ Venereâ Salacitate eſt obortâ, niſi tempeſtivè curetur, ſubſequitur Hepatis corruptio & reſolutio ; quare ſtatim poſt Venæſectionem* ( quæ an conveniat dubito ? ) *ſequens Hauſtus eſt propinandus.*

℞. *Gallum nigrum viventem* per medium pectus diſſectum,
*Jecurque* ejus adhuc *calens* in *Aceti roſacei* ʒiv. conjicit, & minutiſſimè conterit, ut tota ejus ſubſtantia in Aceto reſolvatur : tandem colat & tepidè Ægro propinat.

Deinde ſequentis Potionis quotidie hauſtulum tepidum ſummo mane offert :

℞. *Rad. Liquirit.*
*Cichor.* ana ʒß.
*Rhabarb.* ʒij.
*Flor. Cent. min.*
*Hepat.* ana Mß.
*Cort. inter. Samb.* M.j.

Contuſa cum *Aquæ* ℔iij. in Mariæ Balneo coquantur per 2. horas :

Cujus Liquoris colati quotidie accipit ʒiv., in quibus diſſolvit
*Sperm. Ceti* ϑj.
F. Hauſtus.

Hæc eſt ejus Cura in Inflammatione Hepatis à nimiâ Salacitate.

Quòd ſi his adminiſtratis Inflammatio diſcuti nequeat, ſed nihilominùs *ad Suppurationem* tendere videatur ; id quod docet Dolor, Febris, aliaque Symptomata ingraveſcentia, Rigores nullo ordine accedentes, quos Caloris exacerbatio ſequitur ; confecto verò Pure omnia illa mitescunt, Vires tamen debiliores relinquuntur, Pulſus frequens, languidus, & interdum Animi deliquium ; tunc internè Temperantibus *Suppuratio eſt promovenda.* Propterea fiant *Cataplaſmata ex Emollientibus* & blandè *Diſcutientibus*, cum addito *Croco* & *Summitatibus Abſinthii*, pro Hepatis tono meliùs conſervando, in moderatâ licèt quantitate. Pro uſu interno :

℞. *Rad. Chinæ in taleol. inciſ.* ʒiß.
Macerentur in Mariæ Balneo per noctem in
*Aquâ ſimpl.*
mane adde
*Rad. Liquirit.* ʒj.
Coqu. ad medias : huic infunde
*Paſſul. conquaſſat.* ʒiij.
Poſt refrigerationem Colaturæ
℔iß. adde
*Syr. de Scabioſ.*
*Violar.* ana ʒiß. vel q. ſ.

M. D. S.

Potio Hepatica.

Suppurato Abſceſſu, ejus *Apertio* eſt promovenda ; id quod, præter artificialem Apertionem, ut plurimum ſponte fieri, & diverſimodè nunc per *Alvum*, nunc per *Urinam*, nunc per *Tuſſim*, nunc per *Vomitum*, expurgari ſolet. Rarum quidem eſt, quòd per *Tuſſim* Pus ex Hepate fuerit excretum, de quo Schneiderus *l. a.* Verùm Inflammationem Hepatis ſuppuratam, Vomitu purulento ſolutam, *videb. in M. A. N. C. Ann. 5. Obſerv. 74. pag.* 121. Quòd ſi ergò in parte cavâ fuerit Vomica, cum Tuſſi, Corporis qualicunque jactatione, aliiſque ſimilibus modis, ejuſdem Ruptio eſt promovenda. Sin verò Inflammatio ſit in parte Hepatis gibbâ, ac exteriora versùs ſatis promineat Tumor ſuppuratus, etiam extrinſecùs per Apertionem quatuor Muſculorum Abdominis è Jecoris regione, mediante Scalpello, Abſceſſus ſeu Vomica perforari, vel Cauſtico potentiali aperiri, & ita Pus evacuari poteſt ; vid. Herculeſ Saxonia *Prælect. Pract. lib. 2. pag.* 159. Sennertus *in Praxi*, Bartholinus *Cent. 2. Epiſt. pag.* 639. Horſtius *in Problem. pag.* 29. item Amatus Luſitanus *Cent. 7. Cur. 76. & 77.* Schenckius *lib. 3. Obſ.* Rupto ſeu aperto Abſceſſu optimè convenit Oxymel, vel ſimplex vel diureticum ; ac alia quoque *Diuretica*, & imprimis blandè Alvum Laxantia, quæ excretionem Puris per Urinas promovent : vid. Salmuth *Cent. 1. Obſerv. 27. & 28. Quòd ſi itaque ad Inteſtina rejicitur Pus*, idque imprimis, dum cavum Hepatis ſuppuratum fuerit, mediantibus Vaſis Choledochis, *internè* Attemperantibus acrimonia Puris eſt mitiganda, ſimulque *Hydromel* plùs minùs medicatum exhibendum ; *Externè* verò blandis Clyſteribus Inteſtina abſtergenda, & Excretio promovenda. *Quòd ſi verò per Renes evacuetur* purulenta Materia mediante Sanguinis circulo, imprimis dum Hepatis gibba pars inflammata ſit, ſupra dictum *Oxymel diureticum*, item *Serum Lactis* plùs minùs medicatum, *Emulſionem Seminum Violarum*, item *Decoctum Radicis Apii, Petroſelini, Agrimoniæ, Baccarum Juniperi*, &c. *cum Hydromelite* factum, præſertim ſi juncta Febris mitior fuerit, propinare convenit. *ſi* regurgitando ex Inteſtinis *Vomitu rejicitur* Materia purulenta, promoveatur hic ipſe Attemperantibus pinguibus, Jure pinguidiuſculo, Cereviſiâ butyratâ, Oleo Amygdalarum dulcium, &c. *Quòd ſi* verò fiat, ut ab acrimoniâ Puris in *facto Abſceſſu erodatur Hepatis Membrana*, adeoque *Pus in cavum Abdominis excidat*, periculum eſt, ne contentæ Corporis Partes, præſertim membranoſæ, & ipſæ erodantur, atque ad Sphacelum plùs minùs diſponantur. In tali caſu Veteres *ad Inciſionem Abdominis acceſſerunt*, ne ſcilicet aliquid intentatum relinquerent ; de quo intelligendus *Aph.* 45. *Sect.* 7. Hippocratis. Obſervatum tamen fuit, Pus ita in cavum Abdominis effuſum per Alvum evacuatum fuiſſe, erosâ forſan in quodam loco Inteſtinorum ſubſtantiâ, & ita excreto Pure. Adeò ſemper in Puris poſt ruptum Abſceſſum evacuatione Naturæ ductum Medicus ſequatur, & ducat, quò illa vergit. Sub tali Puris evacuatione non tantùm Naturæ ductum Medicus ſequatur, ſed & ſimul ex Abſceſſu relictum *Ulcus mundificet & conſolidet.* Quò pertinent imprimis *Decocta Vulneraria* cum Lignis, item *Decoctum* Radicis *Chinæ vel Sarſæparillæ* ; iſta enim Decocta ſimul Urinam promovent. Inter *Vulneraria* iſta *Agrimonia*, & omnia ex hâc parata, ſunt optima. *Serum Lactis*, cui talia Vulneraria incocta ſint, pro Abſterſione & per Urinas Evacuatione eſt optimum : e. g.

℞. *Raſ. Ligni Juniper.* ʒij.
*Saſſaf.* ʒj.
Macerentur per noctem in ℔iv. *Aquæ comm.* mane
adde
*Herb. Veronic.*

*Heder.*

*Heder. terreſtr.*
*Alchimill.* ana M. j.
*C. C. raſpat.* ℥vj.

Coqu. invicem ad caſum tertiæ partis, vel medietatis :

Colaturæ adde
*Syr. de Symphyt. Fernel.*
*Hyſſopo* ana q. ſ.
M. pro gratiâ ſaporis : S.

Potio Hepatica Sanguinem mundificans.

Quibus ſubinde ſimul addenda venit *Terebinthina* cruda in Vitello Ovi ſoluta ; hæc enim mundificat & conſolidat, & reliquias Mali abſumit : Item *Balſamum Sulphuris terebinthinatum*, vel ſolitariè, vel cum Saccharo Saturni miſtum, eſt elegans. Verùm ex Abſceſſu & Ulcere Hepatis, niſi ſuperficiale aut leve fuerit, rari ſunt, qui evadere ſolent, *omnibuſque Inflammationibus ſuppuratis malè curatis ſupervenit Phthiſis.* Applicari aliàs poſſunt ea, quæ in Meſenterii Abſceſſibus & Ulceribus adhibet Martini *loco ſuprà citato.*

## ARTICULUS XI.

### *De Inflammatione Lienis.*

POſt Hepar interdum *Lien* etiam *Inflammatur*, utut rariſſimè contingere ſoleat, cùm pauca ejus proſtent Obſervata, quorum Exempla tamen videbitis in Foreſto *lib.* 20. *Obſerv.* 5. *&* 6. atque Loſſio *Cent.* 6. *Obſerv.* 45.

### CAUSÆ.

*Cauſæ ſunt* eædem cum reliquarum Partium Inflammationibus.

### DIAGNOSIS.

Quoad *Signa* & *Pathemata concomitantia* : ea ſunt *Calor*, *Fervor*, ac ferè *Tumor*, *& Pondus gravans* non nihil, ſeu *Dolor* gravativus in profundo ſiniſtri Hypochondrii. Cùm verò Ren ſiniſter ſit elatior dextro, & ibidem proximè adjaceat Spleni, ita ut Inflammatio Renum facilè poſſit confundi cum Inflammatione Lienis, ob id cautè hæ ipſæ diſcernendæ ſunt. *Diſtinctio* imprimis petenda eſt ex Dolore inſigniter pulſatorio, qui in Liene eſt ſatis ſenſilis propter Arterias quas Splen obtinet, copioſiſſimas, adeò ut à quibuſdam dicatur, quòd appoſitâ manu regioni Lienis Pulſatio ferè ſenſilis extrinſecùs percipi poſſit, de quo tamen meritò dubitatur ; cum econtra talis Pulſatio pauca, vel nulla ſit in Renum Inflammatione. Symptomata quoque in Renis Inflammatione magis poſteriora affligunt ; contrà eadem in Splene inflammato anteriora nonnihil, latera, & ſuperiora occupant. Inſuper in Renis Inflammatione Dolor eſt adeò ingens. *Febris* in Lienis Inflammatione adeſt continua, ſed non adeò intenſa ; Reſpiratio non nihil difficilis, propter Diaphragma Lieni vicinum & per conſenſum affectum, ſimul adeſt.

### PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin* : Lieni inflammato ſuperveniens Hæmorrhagia Narium, imprimis Naris ſiniſtræ, uti loquuntur Practici, aut Fluxus Alvi, aut Hæmorrhoidalis, idque præſertim die critico, & præcedentibus Coctionis ſignis, ſaluberrimum eſt ; vid. Foreſtus *lib.* 20. *Obſ.* 6. *in Scholio* : vel Urinæ profluvium, & tunc ſolvitur Lienis Inflammatio, vel quia diſcutitur, vel quia aliò transfertur. Quò facit ſententia Hippocratis : *Inflammationem Hepatis in Lienem converti melius eſt, quàm ſi Lienis ad Hepar deferatur ; vel ſuppuratur, vel ſcirrheſcit.*

### CURA.

*Cura* eſt eadem quæ reliquarum Partium internarum inflammatarum, eademque Remedia hîc locum habent. Opera enim danda eſt, ut quantocyùs diſcutiatur ac ſiſtatur Inflammatio, ne malè curata, quod aliàs facilè fit, in Scirrhum ejus contumaciſſimum degeneret. *Salvatellæ* ſectio, quam in *Lienis affectibus* & præcipuè ejus *Inflammatione*, commendant, Fundamento caret. Præter alia, imprimis Remedia *Saturnina* primariò convenire dicuntur in Liene inflammato, qualia ſunt Saturni Saccharum, Cryſtalli mineræ Saturni, Saturnus Diaphoreticus, ad imitationem Jovis Diaphoretici paratus, ac ſimilia internè cum reliquis Diaphoreticis in Aquâ appropriata propinata.

*Externè Emplaſtrum de Cicuta*, malaxatum cum pauco *Oleo Camphoræ* applicari ſolet. Equidem ſuadent non nulli, ut eidem addatur Saccharum Saturni : aſt meliùs Linimentis immiſcetur cum Oleo roſaceo & Vitello Ovorum. Poppius applicat *Theriacam*, aut ejus loco *Rob Sambuci*, cui *Saccharum Saturni* permiſcuit, & ſub formâ ſpiſſi Linimenti regioni Splenis illinat ; id quod pariter in Renum Inflammatione quoque locum habet.

Quòd ſi verò Inflammatio hæc *in Scirrhum* degeneret, conveniunt Unguenta, Linimenta & Emplaſtra incidentia & reſolventia, qualia *ſuprà Sect.* 8. *ubi de Curâ Morborum Chronicorum*, annotata ſunt : e. g.

℞. *Empl. de Melil.*
*Gummi Ammon. in Acet.* quocunque *ſubact.* an. ℥vj.
Liquefactis adde
*Fulig. pulveriſ.* ℥ß.
M. & malax. cum *Oleo deſtillat. Tartari.*
Inducatur ſuper Alutam in formâ uſitata.
D. S.
Emplaſtrum Reſolvens.

## ARTICULUS XII.

### *De Renum Inflammatione & Exulceratione.*

### CAUSÆ.

INflammantur etiam *Renes* ex iiſdem *Cauſis internis*, aliarum Partium Inflammationibus communibus, ſubinde Acido vitioſo, ex primis viis eò delapſo.

Quoad *Externas* : in ſpecie occaſionaliter ſubinde excitatur ex nimiâ Corporis *Succuſſione*, v. gr. Equitatione, dum Corpus Equitatione ſuccuſſum, facilè dat Renum Inflammationem. Interdum etiam ſupervenit *Calculo Renum* inſigniori, qui aut nimis magnus diſtendendo ac comprimendo, aut minor, nimis doloroſus pungendo, atterendo, & ad ſpaſmos irritando, Inflammatio interdum ſupervenit : uti etiam ex nimio *Veneris* exercitio ſubinde Renes ad Inflammationem diſponuntur. Excitant hanc quoque non rarò *Læſiones externæ*, ut Lapſus, Ictus & Vulnus, in Lumbis perpeſſa, item *Diureticorum* Medicamentorum abuſus. Quæ inflammatio Renum in ſpecie *Nephritis*, ſicuti Inflammatio Hepatis *Hepatitis* appellari ſolet.

DIA-

## DIAGNOSIS.

*Signa* Renum inflammatorum *& Symptomata concomitantia* ordinaria ſunt: *Mictio Ardens*, dum Urina exeundo plùs minùs fervere, & fervendo quaſi adurere partes percipitur, adeſtque etiam *Stranguria* & Mictio frequens, cum acerbo cruciatu, ita ut tales Ægri crebriùs quidem, ſed & parciùs mingant: Urina interdum ſupprimitur. Corporis flexio ferè eſt impoſſibilis, vel admodùm graviter fieri poteſt, dolet à retrò, & Decubitus in dorſo exacerbat Dolores. *Urinæ* ſunt paucæ & flammeæ, interdum etiam aquoſæ & claræ, ſed quæ ſemper ſine ullo impedimento in Veſicâ exeunt. Dolor interdum eſt pulſans, ſi nempe iſta Renum pars ſuperficialis inflammatur, in qua Arteriæ ſunt magis inſertæ; obtuſus, ſi centralis aut media quaſi carnoſa Renum ſubſtantia magis inflammata ſit. Calor & Dolor lumbaris gravativus, lancinans & tenſivus, qui ob partium continuitatem & conſenſum non rarò ſurſum Dorſum æquè & verſus Coſtas nothas, ut Ægri nec erigere ſe, nec commodè incedere poſſint, interdum deorſum ac ad inferiora, ſecundùm Ureterum ductum, ad Veſicam, item Coxendicem & Femora uſque extenditur. Combinatur huic Febris vehemens, continua ac inordinata. Stupor Cruris etiam è regione Renis inflammati percipitur. Supervenit interdum per conſenſum Vomitus bilioſus, iſque ſatis contumax. Interdum, licèt rarò, obſervante hoc Hippocrate, uno Rene inflammato, alter, licèt ſanus & non inflammatus, ceſſat agere officium Urinam ſecernendi, ut ſæpius omnimoda fiat *Iſchuria* ſeu *Urinæ Suppreſſio*: cujus rei cauſa & ratio videtur eſſe, quòd Ren etiam ſanus ex conſenſu cum inflammato ratione ſuarum fibrarum, aliquid convulſivi & quaſi ſpaſmodici patiatur, unde porulis conſtrictis Urinæ ceſſet tranſitus; vel videtur Cauſa eſſe, quòd Sanguis nimis copioſus ac univerſum Serum per Emulgentes ad Renem ſanum promotum, nimiâ ſua copiâ ſibi ipſi quodammodò viam præcludat, quo minùs ſuo tranſitu per Renes ſeparari queat. Symptomatis his interdum Alvi ſuppreſſio accedit, quod huic Morbo peculiare Foreſtus *lib.* 14. *Obſervat.* 30. ait, cum extremorum Frigore.

Cæterùm, ut ritè *Diſtinguatur Calculus à Nephritide* ſeu Renum Inflammatione, nec confundantur, præter Signa Inflammationis Renum Diagnoſtica, ulteriùs conſideranda ſunt *Signa diſtinctiva horum Affectuum à ſe invicem*; Unde *obſervetur*,

1. Quòd *Nephritidi* perpetuò ſit juncta Febris continua Synochus; *Calculo* verò minimè aut admodùm rarò adſit eadem.
2. Quòd *Dolor in Inflammatione* ſit magis continuus, & pulſanti plùs minùs ſimilis; *in Calculo* verò ſit magis interpolatus ſeu periodicus & gravativus.
3. Quòd plerumque *Renes inflammati* comitem habeant Urinam ardentem, ejuſque Stillicidium ſeu Mictionis difficultatem; contrà verò res ſe habet, ubi Renes *Calculo* ſunt obſeſſi, in quo Affectu Urina ſæpiùs admodùm libera fluere ſolet, & non ſemper Iſchuria ſe offert, ſed tunc demum, ubi Calculus ipſis Ureteribus firmiter fuerit impactus: vid. Unzerus & Charleton *Tr. de Calculo.*

## PROGNOSIS.

Inflammatio Renum periculoſum eſt malum, & in non adeò robuſtis, imprimis macilentis, & Viribus exhauſtis, frequentiùs lethale, præſertim ſi Febris acuta cum Delirio adſit.

*Urina* alba, tenuis, ac purulenta abſque Febris ac cæterorum Symptomatum remiſſione, & cum Crurum ac Femorum extenuatione, Mortem portendit.

Hæmorrhoidum Fluxus Renum Inflammationi ſuperveniens eſt ſalutaris.

Tandem, niſi Inflammatio Renum diſcutiatur, ſed ſuppuretur, dat Ulcera Renum difficulter curabilia, & quæ interdum ad Mictum cruentum diſponunt, vel in Phthiſin Renalem tranſeunt, de quibus inferiùs.

## CURA.

Pro hujus *Cura* ex eodem fundamento, quo de Inflammationibus in genere dictum, Remedia ferè ſunt deſumenda, & quæ ſunt reliquarum Inflammationum internarum. Cum omnibus Inflammationibus quoad *Externa* ſecundùm Curam Anginæ procedendum; quoad *Interna verò ſecundum Curam Pleuritidis.* Ante omnia Sanguinis ſtagnatio per Venæſectionem revulſoriam ac derivatoriam ſolvenda, poſt Clyſteris Emollientis injectionem inſtituenda. Pro *Revulſione* fiat *Venæſectio* in Brachio ſub principium Morbi, & ſi Plethora adſit; in progreſſu verò pro *Averſione* in Talo ſeu Malleolo: *vid.* Foreſtus *lib.* 24. *Obſ.* 30. *&* 31. & Riverius *Cent.* 2. *Obſerv.* 15. Forſan optimo cum ſucceſſu *Hæmorrhoides* per *Hirudines* poſſent aperiri. Imò in iis, qui Hæmorrhoidibus aſſueti, ac quibus tument, hæ omnino aperiri debent, cùm ſi Natura eas moveat, valdè proficuum hoc obſervetur. Quo facto, vel pro circumſtantiarum varietate omiſſo, notandum, quòd noceant *Purgantia* propriè dicta quæcunque, niſi pro Spaſmis dolorificis ſiſtendis *Clyſmata lactea* cum Terebinthinâ in Vitello Ovi ſolutâ interdum commodè injici poſſunt; aut etiam quæ fiunt ex Parietariâ, Malvâ, ſummitatibus Anethi, Floribus Sambuci, Violarum, Chamomillæ, Semine Lini: aut ex his parata Fomenta; item ex *Lacte* ejuſve *Sero* cum *Nitro* ſimplici vel *antimoniato.* Clyſteribus quoque ſecundùm Riverium *Cent.* 4. *Obſervat.* 7. addi poteſt Aqua Benedicta *Rulandi* ad ℥ii. vel iij. Sin Cruditates Ventriculi combinentur, conveniunt Laxantia mitiora ex Mannâ, Tamarindo, Syrupo Roſarum ſolutivo, aut Mercurio dulci, quem Hartmannus in Affectibus Nephriticis extollit. Nocent autem *Diuretica* in principio, utpote quæ nimis Urinæ fluxum promovent, & Inflammationem irritant, adeoque non niſi in declinatione Morbi, ubi Dolor remiſerit, & Materia cocta deprehenditur, pro reliquarum Abſterſione conducunt, & quidem temperatiora tantùm, & quæ ſimul vim anodynam, Sanguinemque congrumatum ſolvendi habent; vid. Foreſtus *l. a. Obſ.* 31. v. gr. ex Fructibus Alkekengi, Althæâ, Liquiritiâ, Terebinthinâ; item Emulſiones Seminum 4. Frigidorum majorum, Violarum, Lapilli Cancrorum &c., ſicut & Nitrum & *Nitrata* locum habent.

℞. *Aquæ Alkekeng.*
*Geniſtæ,*
*Hyperic.* ana ℥j.
*Acet. deſtill.* ℥vj.
*Spiritûs Sal. dulc.* ℥ß.
*Tartari vitriolat.* gr. xv.
*Syr. Hed. terreſtr.* ℥ß.
M. S.

Mixtura Renes refrigerans, cochleatim ſumpta. Doſis aliquot cochlearium.

In ipſo ergò Morbo conveniunt *Alterantia*, quæ ſint Nitrata quæcunque, ut Nitrum cryſtalliſatum, præſertim Nitrum cum Antimonio fixatum, item *Saccharum Saturni*: quibus adnumerandæ Emulſiones Seminum quatuòr Frigidorum majorum cum Semine Papaveris, Lactucæ, Portulacæ, Violariæ, junctis ſimul Seminibus Cardui benedicti, Cardui Mariæ, &c. *ad Pleuritidem laudatis*, cum Aquâ Equiſeti, Florum *Nymphææ*, *Portulacæ*, *Sempervivi*, *Lactucæ*; item *Syrupo Nymphææ*, *Portulacæ*, *Papaveris*, & ſimilibus. Aliàs *Succus Cancrorum fluviatilium ſeu Aſtacorum* recèns expreſſus, qui blandum Alcali in receſſu habet, tam cum Juſculo quàm *Decocto Nymphææ*, *Prunorum*, &c. exhibitus, tanquam ſingulare Remedium meritò ab Hartmanno *in Praxi Chymiatricâ* commendatur; & non abſurdum eſt, quia ad quaſvis Inflammationes Cancri internè mirè conveniunt, quorum Alcali macrum Inflammationes potenter reſolvere, & vi diureticâ ſimul Renibus ſpeciatim convenire videtur; non ſecus ac ipſi Lapilli Cancrorum Acidum Sanguinis abſorbendo conveniunt: Decoctum Florum Papaveris erratici & Acetoſæ; item Terrea, & Abſorbentia, cum Opiatis interdum miſcenda & propinanda ſunt.

Inter *Externa* cum his Internis ſedandæ & diſcutiendæ Inflammationi regioni Renum applicatur Succus Nymphææ, Sempervivi majoris, Succus Plantaginis ac Portulacæ cum Succo Cancrorum fluviatilium expreſſo, addendo iiſdem Camphoram; Oleum item Camphoræ illitum, eſt nobile: quibus etiam interdum parum de Opio pro ſiſtendo Dolore addi poteſt. In principio præ reliquis convenit Camphora cum Oleo Amygdalarum dulcium, vel Roſarum, vel Violarum, vel ſeptem Florum *Mynſichti* ſoluta, quod crebriùs illitum ad Inflammationem Renum eſt egregium; *in Camphorâ* enim *maximum eſt ſedatorium Inflammationum*, dicit Lindanus: vel dictis Oleum Hyoſcyami expreſſum, aut Oleum Papaveris expreſſum, pro illinitione externâ convenit: item *ex Succo Nymphææ*, *Sempervivi majoris* & Succo Cancrorum fluviatilium, vel cum Oleo Roſarum, aut aliis *Oleis*, vel cum *Unguentis* mediante Vitello Ovi mutuò in Mortario plumbeo mixtis fiat *Litus*, externè egregius; cui urgentibus Doloribus tantillum Opii crudi addi poteſt: vel Unguentum ex Succo Sempervivi majoris & Succo Cancrorum fluviatilium cum *Oleo roſaceo* ad humiditatis phlegmaticæ evaporationem ebullitis, hinc in Mortario plumbeo diuturnâ agitatione, ut ramenta Saturni ſe inſinuare poſſint, miſtis, fit *Unguentum Refrigerans*, quod applicatum conducit, quia abſorbet Acidum Inflammationem excitans. Huc ſpectat & Unguentum Renale *Mynſichti*. Denique Unguentum ex Alumine crudo pulveriſato, & cum Albumine Ovi miſto, frigidè applicatum laudatur à Langio *in Fabrum cap. de Renum Inflammatione*.

His verò irritis, dum reſolvi nequit Inflammatio, *Renum Suppuratio* expectanda, eaque debitis Externis promovenda eſt; *Interne* per Temperata ex *Decocto Hordei*, *Glycyrrhizæ*, *Malvæ*, *Parietariæ*; *Externè* verò *Cataplaſmata* ex *Emollientibus*, in Lacte coctis, applicanda. Ulcere rupto, Mictus fit purulentus. Exinde non rarum eſt

## *ULCUS RENUM.*

### CAUSÆ.

*Ulceris Renum* frequentiſſima *Cauſa* eſt eorum *Abſceſſus* & *Inflammatio*, utut etiam *Calculi* aſperiores, Renes atterentes, ſucceſſivè eos ad Ulcerationem diſponant. Sicut etiam quodvis *Acre*, vehiculo Seri per Renes tranſcolatum, eoſdem erodere & hinc exulcerare poteſt: quò pertinet etiam *Pus* aut *Sanies acris*, ex aliis locis ad Renes fluens. Eoſdem *Lues Venerea* quoque ſubinde exulcerat, teſte Horſtio *lib.* 4. *Obſ.* 43. ſicut & *Gonorrhœam Veneream* inconſultò ſuppreſſam Renum inſignis ardor, & hinc non rarò Exulceratio, inſequi ſolet.

### DIAGNOSIS.

*Exulceratio Renum* præter Dolorem in Lumbis rodentem, plùs minùs ſimul gravantem, *Urinæ purulentæ excretio* oſtendit. Hinc *Sect.* 4. *Aphoriſm.* 75. Hippocratis; *Si quis Sanguinem aut Pus mejat, Renum aut Veſicæ Exulceratio ſignificatur.* Sic *Aph.* 76. *Quibus cum Urinâ craſsâ exiguæ Carunculæ & veluti Pili exeunt, ii à Renibus excernuntur*: quod etſi Galenus *in Comm.* ſe vidiſſe neget, ab aliis tamen obſervatum eſt.

*Cauſas Antecedentes* Antecedentia ferè oſtendunt. In ſpecie *ſi Ulcus eſt ex Inflammatione*, multum Puris apparet in Lotio, & cùm mingitur, apparet album, ſed cùm ſteterit, deponitur Pus: quod ſi benè eſt coctum, & Urina ſanorum ſimilis, Suppurationem ſubeſſe indicat.

*Si* verò *eroſio eſt à Calculo*, mingitur Urina alba inſtar Lactis ebutyrati, ſtatim ſubſidet, & planè alius eſt conſiſtentiæ inſtar Cinerum, quos etiam colore refert, & minore gravitate excernitur.

Præterea Dolor morſicans & rodens in Lumbis ſentitur, à Sero acri & nitroſo, quod in tranſitu irritat & rodit, una cum Caloris ſenſu.

### PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: Ulcera Renum ſunt difficulter ſanabilia, & ſatis periculoſa, ſæpiùs lethalia.

*Quæ ſunt ab Inflammatione* ſuppuratâ, minùs ſunt periculoſa, faciliora curatu: *quæ verò ſunt à Calculo* in Renibus, periculoſiora ſunt, & non rarò in totius Renis conſumptionem degenerant.

*Sic quæ ab Eroſione ſunt* Ulcera, etiam periculoſiora iis, quæ ab Inflammatione.

Quò magis inveterata quoque fuerint, eò difficiliùs curabilia exiſtunt.

Alioquin *Ulcus Renum Lumbos perforaſſe*, ibique *in Fiſtulam degeneraſſe*, curioſo Exemplo notavit Willis *de Urin. pag.* 364.

Dejectiones fœtentes ſunt bonæ; innuunt enim ruptum Abſceſſum, & evacuationem Puris per inferiora.

### CURA.

Quoad *Curam*: *Mundificantia* & hinc *Conſolidantia* utramque faciunt paginam, ubi priùs univerſo Corpori ejuſque Contentis proſpectum fuerit, partim *evacuando*, partim *temperando* hæc ipſa, ne occaſione horum magis exaſperetur Ulcus: in quem finem *Vomitus* à pluribus laudatur. *vid.* Riverius *in Praxi pag.* 146. Horatius Augenius *lib.* 12. *Epiſtol. pag.* 693. Valeriola *lib.* 6. *Obſervat. pag.* 453. Hinc *Mercurius dulcis* pro mundificando Renum & Veſicæ Ulcere cum Terebinthinâ in formâ Pilularum uſurpatus, admodùm laudatur ab Hartmanno; *Pilulas* in Ulceribus & Vulneribus Renum proficuas *videb. in* Barbette *Chirur. Part.* 2. *Cap.* 7. *Lib.* 3. *pag.* 336. & Pilulas *Quercetani*, quæ in Dyſuriâ occurrent. Lac Terebinthinatum Plateri *in Obſ. lib.* 3. *pag.* 304. *uſque ad* 850. ex Terebinthinâ cum Vitello Ovi agitatâ benè, & in quovis Liquore appropriato ſolutâ: Vel

℥. *Reſin.*

℞. *Resin. Abiet.* vel *Laric.* ʒß.
*Vitell. Ovi* No. 1.
*Mell.* (quod absergit) ʒß.
c. s. q. *Aquæ Flor. Fabar.* s. Potio lactea.
D. S.

Lac Renes Purgans.

Hinc *Serum Lactis* vel *Hydromel* copiosè potum, item *Decoctum Herbæ & Radicis Fragariæ*, sed imprimis *Hypericon*, proficuum est ad Ulcera Renum; unde ex Semine Hyperici Electuarium ad Ulcera Renum Timæus *von Guldenklee in Casib. pag.* 422. & Dœringius *in Tr. de Mithridat.* Decoctum Radicis Petroselini commendat: quò etiam pertinet Decoctum Chærefolii & Decoctum Cicerum rubrorum pro purificatione Ulcerum, quod Sebizius *in Tr. de Facult. Medicam.* laudat. Præmissis Mundificantibus pro Consolidatione *Decoctum Lignorum cum Agrimoniâ, Hyperico, Chærefolio*; Decoctum Agrimoniæ cum Hyperico in Vino, quod Poterius etiam, uti & D. Michaelis *in Colleg. Jonstoniano* singulariter commendant; & Decoctum Hederæ terrestris cum Chærefolio in Vino, vel Chærefolii in Vino vel Cerevisia, &c. sunt optima. Quò etiam pertinet *Electuarium Hartmanni ex Conservâ Rosarum & Malvæ cum Semine Hyperici*:

Vel

℞. *Herb. Agrimon.*
*Flor. Hyperic.* ana M. j.
*Lign. Lentisc.* ʒi.
*Rad. Consol. maj.* ʒß.
*Sem. Hyper.* ʒij.
Incisa & contusa dentur pro Decocto: S.
Species ad Decoctum.

Pertinet huc *Decoctum ad Ulcera Renum Quercetani*, vel illud, quod dedi in *Colleg. Formular.* Vel.

℞. *Rad. Chinæ* ʒj.
*Liquirit. raf.* ʒß.
It. *Agrimon.*
*Chærefol.*
*Heder. terrest.* ana M. j.
*Flor. Hyperic.* M. ß.
*Rasur. Cornu Cervi* ʒj.
Coqu. in s. q. *aquæ simpl.*
Colat. ℔ij. adde
*Syr. de Symphyt. Fernel.* ʒiß.
*Essent. Vulner. Mich.* ʒj.
M. D. S.

Potio Renes sanans, pro aliquot vicibus.

*Terebinthina Cypria* optimum est auxilium, detergit Renes, & per inferiora derivat. Dosis à ʒij. ad ʒß. In specie convenit, *si ex Abscessu* Exulceratio fuerit orta: quod etiam præstat Balsamus de Capaibe à gutt. x. ad xv. Ut Consolidantia eò melius operari possint, inter hæc eminent Remedia ex Cancris fluviatilibus, sive Succus, sive eorum in plenilunio exsiccatorum Pulvis.

℞. *Cancr. fluviat.*

Plenilunio ponantur in Vase terreo non vitreato ad os Furni, ut exsiccentur paulatim, ne crementur: postea contundantur in Mortario lapideo.

Renum & Vesicæ Ulcera egregiè curant; quibus dicta quædam Vulneraria appropriata, in specie ex iis simplicibus, quæ *suo loco infrà* ad Mictum cruentum laudabuntur, superaddenda sunt.

Nullum efficacius autem Remedium ad Renes exulceratos dari, quàm *Trochiscos de Alkekengi*, videb. *in* Augenio *lib.* 12. *Epist. pag.* 695. *Syrupum Magistralem* in Ulcere Renum, expertum videb. in Hildano *Cent.* 6. *Obs.* 44. Denique *Acidularum* usus non penitus contemnendus in Ulcere Renum de quibus vid. Hildanus *citato loco*, item Heer *Obs.* 1. Nempe mundificando optimè conveniunt, tum consolidando. *Decocta Vulneraria*, item *Electuaria ex Absorbentibus* cum *Bolo Armenâ, Terrâ sigillatâ, Lapillis Cancrorum, Cornu Cervi usto*, & similibus, imprimis conducunt.

Observetur tandem, quòd interdum Renes magis in parte extimâ Dorsum versus, suppurentur, & Apostema Musculos Dorsi circa Spinam simul cum tumore doloreve occupet: in quo casu ab extrà facta Abscesûs Apertio est optima, ut extrinsecùs in Lumbis eorum Pus queat evocari; de quo vid. Horstius *in Obs. pag.* 260. *lib.* 4.

## ARTICULUS XIII.

### *De Inflammatione, & Ulcere Vesicæ Urinariæ.*

### CAUSÆ.

INflammatur etiam *Vesica urinaria*, sed ex *Causâ Internâ* rarissimè, nisi *Calculus* huc referendus; vid. Forestus *l.* 25. *Obs.* 27. *in Schol.* frequentiùs verò Occasione *Externâ*, scilicet in specie à *Contusione*, aut *Ictu* violento in regione Pubis & Peritonæi accepto; vid. Boneti *Sepulchret. pag.* 1232. & Forestus *Obs.* 27. frequentiori *Equitatione.* Denique supervenit eadem etiam interdum *Sectioni Calculi* ineptæ, vel in Operatione, vel post Operationem, si nimirum hôc sectô non rectè tractetur Vesica, ejus corpus, quacunque etiam ex Causâ laceratur, aut alio modo læditur: sicut & Inflammatio Vesicæ accelerari solet, si Ægri post Sectionem Frigida potent, tunc enim subinde ad summum die quarto, interdum citiùs, supervenit ejus Inflammatio, quæ tunc temporis aut in Gangrænam lethalem, cui intra biduum Mors supervenit, aut si Malum est minus, in pessimum Ulcus fistulosum degenerat. Hoc unicum periculum ex Lithotomiâ imminet, aliàs ferè nullum; quod si præcaveatur, Operatio est securissima. Prætereà *Cantharides* quoque tam externo quàm interno usu inepto, acrimoniâ suâ rodendo, Vesicæ Inflammationi non nunquam occasionem præbent, quod observatum ex Vesicatorio ex Cantharidibus extrà apposito, conf. *Misc. A. N. C. Ann.* 2. *Observ.* 105. *pag.* 178.

### DIAGNOSIS.

Cæterùm Pathemata, quæ ordinariò Inflammationem Vesicæ comitantur, sunt *Tensio, Durities, Ardor, Tumor*, ac *Dolor* in regione Pubis & Vesicæ; & quidem admodùm is est sensibilis, ac leviissimo tactu exasperatur; cui accedit Urinæ in Vesicâ suppressio seu Urinam reddendi impotentia, & in specie, si inflammata est Vesica in loco infimo prope Collum: item supervenit propter connexionem cum Ano *Tenesmus*, interdum Alvi suppressio; adest simul *Febris* acuta, plùs tamen aut minùs, prout major vel minor fuerit Inflammatio, & vel partem membranosam, vel simul circa Collum carnosam, affecerit: quibus interdum Vigiliæ & Deliria superveniunt; unde rarum est, quod observavit Hildanus *Cent.* 3. *Obs.* 68. Abscessum Vesicæ ex Casu ab alto, sine Febre & sine Dolore.

### PROGNOSIS.

Utut rara sit Vesicæ Inflammatio, quoniam minuta admodùm & exilia Vasa habet; eadem tamen vera & perfecta juxta Forestum gravissimus & periculosissimus est Morbus, quia utplurimùm lethalis, ex facili superveniente Gangrænâ; In Partibus nempe nerveis faciliùs Gangræna producitur, adeò ut ex omnibus Vesicæ Affectibus nullus sit deterior Inflammatione; intereunt enim Ægri

quarto aut ad ſummum ſeptimo die; interdum, ſi Symptomata mitiora, evadunt, ſed rariùs, cum Metaſtaſi Materiæ morbificæ circa Hypogaſtrium & Perinæum, per Eryſipelas aut Urinæ fluxum copioſiorem, de quo Sennertus *Prax. lib. 4. Part. 8. Sect. 2. Cap. 4.*

Inflammatio & Abſceſſus, quæ fiunt circa Collum Veſicæ, ubi ſunt Fibræ muſculoſæ, interdum *ſuppurantur*, & in Pus mutantur, ſucceditque exinde Ulcus Veſicæ, curatu difficillimum.

Mutatam verò jam eſſe Inflammationem in Abſceſſum, innuit imprimis Doloris, Febris & Ardoris remiſſio, Hippocrate aſſerente.

Facto poſtmodùm Abſceſſu, ſi Ulcus rumpatur intra Veſicam, Pus cum Urinâ effluit; ſi verò ad exteriora tendat in cavum Abdominis aut Perinæum, ſupervenit Abſceſſus in Inguinibus, ibique ſibi viam parat.

## C U R A.

Remedia eadem ferè conveniunt, quæ in Pleuritide & Inflammatione Renum ſunt utilia: & in ſpecie, cùm Urinæ aut Alvi ſuppreſſio Malum ſæpiùs exaſperent, ob id, quantum poſſibile, removeantur. Hinc optimus eſt *Clyſter Anodynus* ex ſolo Lacte, aut ex Lacte, in quo Nitrum depuratum diſſolutum eſt, injectus, quibus etiam Terebinthina addi poteſt. *Internè à Purgantibus & Diureticis* omninò abſtinendum; ſaltim juxta *Sudorifera Decoctum Hordei* cum Nitro depurato aut antimoniato, cui interdum aliquid Sacchari Saturni addi poteſt, eſt optimum. Aliàs proſunt Emulſiones Seminum Portulacæ, Lactucæ, Papaveris albi, quatuor Frigidorum majorum, & *Inflammationi Renum dicatæ Emulſiones*, quibus ſemper Nitrum aut Saccharum Saturni addendum; hoc enim & omnia Saturnina internarum Inflammationum ſunt optima Remedia. Spiritus Nitri dulcis etiam hîc non negligendus. Denique Spiritus Vitrioli Philoſophicus (qui reverà eſt Spiritus Salis rectificatus) dulcificatus interdum aſſumptus ad compeſcendam Febrim conjunctam eſt optimus.

*Externè* quoque conveniunt imprimis *Balnea* ſeu *Inſeſſus*; item *Fomenta* humida ex Aquâ tepidâ cui incocta ſunt Radix & Folia Malvæ, Althææ, Parietariæ, Folia Salicis, Capita Papaverina, & ſimiles Herbæ Diaphoreticæ ſeu Carminantes, cum Linteis multiplicatis, ſed blandè, appoſita. Hinc poſt Inſeſſum vel Fotum blandiſſimè inungatur Pecten cum Oleo Anethino, Chamæmelino, Papaveris albi, Roſarum aut Nymphææ, & ſimilibus, in quibus aliquid Camphoræ diſſolutum ſit, ut ibi diſcutiatur Inflammatio, vel etiam Succus Cancrorum fluviatilium expreſſus cum Oleo Roſarum & Nymphææ in Mortario plumbeo ductus, addendo Saccharum Saturni, vel Oleum ejus per deliquium, extrà applicari poteſt, & in aſperitate Doloris additur ſimul Oleum Papaveris aut Hyoſcyami expreſſum.

Denique cùm interdum metus ſit ſupervenientis Gangrænæ in Inflammatione Veſicæ, hæc ut præcaveatur aut inhibeatur, imitemur conſilium Riverii *in Praxi*, jubentis, ut admoveantur Cataplaſmata roborantia ad Gangrænam aliàs uſitata (de quibus *in Chirurgiâ*) v. g. ex Radice Scorzoneræ, *ex Farinâ Fabarum & Lupinorum in Vino decoctis*, addendo ſimul *Aloën*, *Myrrham*, & poſtmodùm *Camphoram*, aut *Spiritum Vini camphoratum*, pro meliori penetrantiâ.

Hiſce modis, ſi poſſibile, detur opera, ut *diſcutiatur Inflammatio*; ſin minùs, *Suppuratio*, & hinc *Abſceſſus & Ulcus*, expectanda: *Illam* promovemus Emollientibus & Temperantibus, ſæpiùs hactenus recenſitis.

Quidam Veſicæ Inflammatæ Liquores refrigerantes, inepto ſatis conſilio, injicere jubent, cùm tamen Syringa non applicari, nec Liquor injici; aut ſi injiciatur, commodè rejici non poſſit: vid. Hercules Saxonia *loc. allegato.*

Quoad

## ULCUS VESICÆ.

Præter Inflammationem ſuppuratam, etiam *Calculi* acutiores Veſicam lædentes, item *Cantharides* interiùs propinatæ, interdum vel externè admotæ, item *Acria* acida ſub vehiculo Urinæ ad Veſicam delata, Veſicam nunc ad Scabiem, nunc Excoriationem & Exulcerationem, diſponunt: vid. M. A. N. C. *Ann. 8. Obſ. 88. pag. 148.*

## D I A G N O S I S.

Comitatur ulceratam Veſicam Urinæ purulentæ excretio, ita quidem, ut ſi Veſica incipiat exulcerari, primò Sanguis exit; ſi ſit perfecta, Pus; ſi magis adhuc, Squamæ & Ramenta, quæ Græcè ἐφελκίδες; *ſi gravis & conſummata eſt Exulceratio*, gravis Fœtor in Urinâ eſt. Dolor adeſt gravis in Pectine & Pube, quoties Ægri mingunt, Urinæ difficultas accedit; ſæpè & Teneſmus, & Membri virilis erectio.

*Ne autem confundatur Exulceratio Veſicæ cum Meatûs urinarii Exulceratione, obſervandum: Si Pus & Sanies præcedant* Urinam, aut ſtatim in primo exitu appareant, aut etiam ſine Urina affluant, in Pene vitium eſt: *ſi verò talia cum Urinâ permiſta ſint*, in Veſicâ Malum eſt. Propterea ſi in Pene vitium eſt, inter mejendum Dolor percipitur: quòd in Veſicæ Ulceribus non accidit, niſi juxta ejus Collum Ulcus conſiſtat.

## P R O G N O S I S.

*Sunt autem omnia Veſicæ Ulcera difficillimè curabilia*, utplurimùm incurabilia, periculoſiora quæ ex Eroſione; graviſſima, quæ à magno Calculo, quæ ſine extracto Calculo curari nequeunt.

## C U R A.

In *Curâ* præmiſſis *Internis Univerſalibus* conveniũt

1. Acrimoniam Humorũ *Temperantia* propter Urinam imprimis, Exulcerationem ſubinde exaſperantem.
2. Ulcus ſine morſu *Abſtergentia* ſeu mũdificantia, ob Fermentũ Ulceris acidũ & hinc Pus: vid. *Artic. 12. ubi de Renum exulceratorum Curâ.*
3. *Conſolidantia*, ob reſolutionem Partis exeſæ.
4. *Anodyna*, propter Dolorem imprimis urgentem.

Talia tam *internè* quàm *externè* adhiberi ſolent. Et quidem *Acre temperant Lac, Althæa, Liquiritia, Paſſulæ, Violæ, Violaria, Semina quatuor Frigida majora*: hinc *Decoctum Chamæpityos in Lacte* mirè laudatur à quibuſdam crebriùs uſurpatum: ſic experta Potio Thoneri, *in Obſ. p. 176.* quæ, ut ipſe ait, quaſi miraculoſum effectum præſtitit, & Exulcerationem cum Urinâ cruentâ ſuſtulit:

℞. *Herb. Agrimon.*
*Plantag.*
*Equiſet.* ana M. ß.
*Rad. Liquirit. mund.* ʒij.
Decoquantur in
*Aquæ Plantag.*
*Beton.* ana q. ſ. ad conſumptionem tertiæ partis:

In

*Mell. roſat.* ℥iß.
Miſceatur.

Simul Æger ſingulis horis per Syringam portionem in Veſicam injecit.

*Mundificant Terebinthina*, *Decocta Vulneraria* cum *Melle*, Balſamum Sulphuris terebinthinatum & ſuccinatum, Oleum Terebinthinæ, Mercurius dulcis, Trochiſci de Alkekengi, de Carabe, Trochiſci *Gordonii*, &c. quæ ſpecificè laudantur.

*Conſolidant Decocta Lignorum* cum Vulnerariis, uti Agrimonia, Hypericum, Plantago, Hedera terreſtris, &c. quibus addantur Corallia, Lapilli Cancrorum, Terra ſigillata, Bolus Armena, Succinum, Tinctura Sulphuris Vitrioli, Tinctura Antiphthiſica, &c.

*Dolorem leniunt Opiata*, *Papaverina*, *Lacticinia*, in ſpecie, ſi à Cantharidibus fuerit malum, &c. De Lacte ait Aetius, *neſcio an poſt ullum aliud remedium ſecundo ſaltem loco id ſit habendum? nam & aſperitatem lenit, & Exulcerationes eluit*: cui etiam Serum ſubſtitui poteſt.

Ex his variæ poſſunt fieri Formulæ;

Pro primâ & ſecundâ Indicatione.

℞. *Rad. Liquirit.* ℥j.
*Alth.* ℥ß.
*Saxifrag.*
*Herb. Agrimon.*
*Plantag.*
*Portulac.*
*Heder. terreſt.* ana M. j.
*Flor. Malv. arbor.*
*Nymph.*
*Violar.* ana M. ß.
*Sem. Alth.*
*Papav. alb.*
*Portulac.* ana ʒiij.
*Fruct. Alkekeng.* No. vj.
*Sem. Cicer. rub.* ℥ij.
*Hord. mund.* M. ß.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ ſimplicis*:
Colat. ℔iij. adde
*Syr. Violar. ſol.*
*Agrimon. ex Succo*,
*Capill. Veneris*,
*Mell. roſat.* ana ℥j.
M. D. S.
Potio Temperans.

De qua bis vel ter quotidie bonum hauſtum Æger capiat.

*Terebinthinata* imprimis conducunt, in ſpecie Platero uſitata fuit ſequens Miſtura terebinthinata:

℞. *Terebinth.* ʒvj.
*Mellis* ℥j.
*Vitell. Ovi.* No. j.
*Vini Malvat.* ℥iv.

Diluta ſervanda ad uſum.
Doſis ʒvj.
Vel

℞. *Terebinth.* ℥ß.
*Vitell. Ovi* No. j.
*Mellis* ℥ij.

Agitentur in Mortario, donec albeſcant:
adde
*Vini albi*,
*Aquæ Parietar.*
*Flor. Fabar.* ana ℥iß.
*Syr. Limon.* ℥j.
M. D. S.
Mixtura Mundificans.

Imò ſolum Lac, cui Terebinthina cum Vitello Ovi ſoluta, cum pauco Saccharo permiſta, ſufficit pro leniendi ſcilicet & temperandi ſcopo.

Nec *Acidulæ* ad Ulcera Veſicæ mundificanda re-



ciendæ ſunt; vid. Riverius *lib.* 14. *cap.* 5. Schelzius *Conſ.* 155. & 161. & Tulpius *lib.* 2. *Obſervat.* 53. ubi refertur Ulcus Veſicæ deſperatum, per *Fontis Spadani* uſum curatum.

Sic pro tertiâ Indicatione:

℞. *Raſur. Lign. ſanct.* ℥iij.
*Rad. Sarſæparill.*
*Liquirit.*
*Eryng.* ana ℥j.
*Herb. Agrimon.*
*Veronic.*
*Heder. terr.* ana M. ß.
*Flor. Roſar.*
*Violar.* ana p. iij.
*Paſſul. maj.* ℥iß.
Coqu. in ſ. q. Aquæ ad ℔ij.
Colatura capiatur crebriùs:
D. S.
Potio Reſolvens.

Nobilis eſt Obſervatio Thoneri *lib.* 3. *de Morb. veſ. Obſ.* 3. *pag.* 179. ubi refert Exulcerationem ingentem Veſicæ cum Urinâ retentâ, & intenſiſſimis doloribus, poſt Calculi per Sectionem extractionem, aliis omnibus fruſtrà adhibitis, Potu quodam ex Radice Liquiritiæ curatam:

℞. *Rad. Liquirit. raſ.* ℥j.
*Paſſul. min.* M. j.
*Jujub.*
*Sebeſt.* ana M. ß.
*Rad. Chinæ* ℥ß.
Inciſa & contuſa dentur.
℞. *De his* M. j.
*Hord.* M. ß.

Coquantur in Menſ. *Aquæ*, &c.
Hinc
℞. *Herb. Agrimon.*
*Equiſet.*
*Plant.* ana M. ß.
*Rad. Liquirit. mund.* ʒij. vel ℥ß.

Decoxit in Aquâ *Plantag.* & *Beton.* ana q. ſ. vel ſolâ *Aquâ Ferrariorum* ad conſumptionem tertiæ partis.

In Colaturæ ℔ß. diſſolvit
*Mell. roſ.* ℥j. ad ℥iß.
Miſc.

Et Æger ſingulis horis portionem per Syringam injiciet.

Interdum etiam Saniculam & Alchimillam addidit. Addi etiam poteſt Eſſentia Myrrhæ cum Spiritu Vini tartariſato parata, vel Reſinæ Aloës ʒij. ad ℥ß. Vid. *Colleg. Formul.* & *Idea Formular. Claſſ.* 4. §. 25.

Inter *Externa* injicienda ſunt varia; vel per Catheterem, vel per Syringam: quò pertinent Clyſmata Terebinthinata, *ſuprà Sect.* 9. *cap.* 3. *Artic.* 1. *ubi de Dyſenteriâ*, præſcripta. *Sumatur* etiam *Lac recens*, *Serum Lactis*, *Mulſum*, *Succus Equiſeti*, *vel Plantaginis*, *Aqua ferrata*, in qua *Radix Symphyti* modicè bullierit. Convenit *Aqua Calcis vivæ cum Sief albo Rhaſis* ſecundùm Barbette *in Chirurgiâ*, vel Injectiones Platero Abſterſivæ uſitatæ ſunt:

℞. *Rad. Liquirit.* ʒij.
*Cicer. rubr.* p. j.
*Cort. Fabar.* ℥j.
*Fol. Plantag.* M. j.
F. Decoctum in Aqua:
Adde parum *Lixivii*.
In Decocti hujus ℔j. diſſolve
*Terebinth. in Melle diſſol.* ℥ij.
Miſc.

In graviori Malo poteſt addi *Unguentũ Ægyptiacũ*.

Tandem fieri poteſt *Injectio Conſolidativa*.

℞. *Herb. Equiſet.*

*Plantag.*
*Summ. Hyperic.* ana M. j.
*Rad. Biſtort.*
*Conſol. maj.*
*Lil. alb.* ana ℥j.
*Cort. Granat.* ℥iij.
Coqu. in *Aquæ Ferrar.* ℔j.
In Colat. diſſolve
*Troch. alb. Rhaſ. ſ. Opio* ℥ß.
*Bol. Armen.* ℥j.
Miſc. S.
Inſperſio Sanans.
Vel
℞ *Herb. Equiſet.*
*Plantag.*
*Summ. Hyperic.* ana M. j.
*Rad. Biſtort.* ℥vj.
*Cort. Granat.* ℥ß.
Coqu. in Aqua *Chalybeatâ.*
Colat. ℔j.
adde
*Terebinth. Laric. cum Vitell. Ovi ſol.*
*Mell. crudi per tranſcol. depur. methodo*
*Zvvelff.* ana ℥j.
M. F. Injectio:
D. S. ut antè.

Quæ per Syringam in Veſicam injiciatur.

Huc pertinent Injectiones & Clyſmata Terebinthinata, propoſita in *Colleg. Formular.*

Vel

℞ *Herb. Alchimill.*
*Summ. Hyperic.* ana M. j.
Coq. in ſ. q. *Aquæ Calcis vivæ:*
Colat. ℥x. adde
*Syr. de Symph. Fernel.* ℥j.
*Eſſ. Vulnerar.* ℥iij. ad ℥ß.
M. pro Injectione. S.
Injectio Mundificans.

*Sic ad Ulcus in Collo Veſicæ,* & inde Sanguinis per Penem egreſſum, præter Interna convenit *Injectio:*

℞ *Vitrioli Roman.* ℥ij.
*Aquæ comm.* ℔j.
f. Decoctio.

Vid. Foreſtus *lib.* 26. *Obſ.* 1. *Schol. in fine.*

Nec *Thermarum* uſus ad Exulcerationes Veſicæ & Renum negligendus: *vid. Conſil.* Scholzii *pag.* 383. Sed de Veſicæ Exulceratione curandâ vid. in ſpecie Horſtius *Obſervat.* 478. & hinc Platerus *in Obſervationibus.*

## ARTICULUS XIV.

### *De Inflammatione Membranarum Cerebri,*

### *Seu Phrenitide.*

POrrò inflammantur interdum quoque partes ſuperioris Ventris, *Membrana* nempe *Cerebri,* & forſan, utut rariùs, ipſum *Cerebrum*: vid. Fontanus *Anat. c.* 1. Foreſtus *l.* 10. *Obſ.* 11. *in Schol.* Rhodius *Cent.* 1. *Obſ.* 39. & Williſius *de Anim. Brut. lib.* 2. *cap.* 10. Nam Cerebrum ipſum ſi inflammari contingat, brevi ad Corruptionem & hinc Mortificationem tendit, adeòque à Montano multiſque aliis dubitatur, an Cerebrum verè inflammari poſſit? vel ſi contingat, an ſub Curam Medici cadat? De ejus tamen Membranis, imprimis Matre tenui, res extra dubium eſt quoad Inflammationis poſſibilitatem, cùm copioſis reſperſæ ſint Arteriis, quibus reſpondent Venulæ in Sinus terminatæ, ſimulque perquàm ſenſiles ſint, in quarum Vaſis ſi contingat Sanguinis motum & circulum impediri, ſequitur *Inflammatio*: quæ *Membranarum Cerebri* vel *ſolitaria*, vel *cum parte quadam Cerebri ſociata Inflammatio*, Modernis vocatur *Phreneſis* ſive *Phrenitis*, ſed perperam, & perverſo Vocabulorum uſu. Hippocrati enim & Græcis Autoribus *Diaphragma vocatur* φρένες, quod ad intelligendam in lectione Veterum ἀκρίβειαν probè notandum; unde *Phrenitis* proprio ac genuino ſenſu *eſt Inflammatio Diaphragmatis*, quam ordinariò inſequitur *Delirium*. Dicitur autem φρένες *Diaphragma*, vel quia Antiquis Mentis ſedes fuit reputatum, vel quod in Diaphragmate affecto & inflammato Mens perturbetur: quam Veterum opinionem, quod obiter moneo, renovavit Bartholinus *in Examine Paradox. Med.* qui ſtatuit in centro Diaphragmatis nerveo ſedem eſſe fundamentalem Animæ: Cùm igitur Interpretes mentem Hippocratis non intellexerint, Phrenitidem interpretati ſunt per Delirium gravius, Febribus Ardentibus ſuperveniens, idque ob ignorantiam ſtyli *Hippocratici*: Adeòque *Phrenitis* proprio & genuino ſenſu erit *Diaphragmatis Inflammatio*, apud Veteres Græcos ſatis frequens, cùm & ejus in *ſcriptis Hippocraticis* crebra fiat mentio. Nam hoc obſervetur, quòd omnia Vocabula Græcorum Medica in ιτις terminantia ſemper ſignificent Inflammationem ejus Partis, cujus acceperunt denominationem, ut apparet in vocabulis *Nephritis*, *Hepaticis*, *Pleuritis*, & ſic per conſequens *Phrenitis*. Antiqui econtrà *Inflammationem Membranarum Cerebri, aut ipſius Cerebri* vocârunt *Sphacelum ſeu Sphaceliſmum*, uti patet ex Aphoriſmo Hippocratis 50. *Sect.* 7. ita ſonante: *Quibus Cerebrum ſideratum eſt, intra tres dies intereunt; ſi verò hos ſuperaverint, ſani fiunt*; Ubi per *Siderationem* ſeu *Sphacelum* Cerebrum inflammatum intelligitur. (F) Hinc malè Interpretes explicârunt Siderationem Cerebri, cùm potiùs explicandum ſit: *quibus Cerebrum inflammatum eſt.* Tanta confuſio Vocabulorum ab Hippocratis tempore orta fuit. Partium igitur Mortificationem totalem Hippocrates & Veteres vocarunt *Necroſin*, quæ hodie abuſivè *Sphacelus* dicitur: adeòque *Sphacelus* ſecundùm Hippocratem & Veteres proprio & genuino ſenſu eſt Inflammatio Membranarum Cerebri, *Necroſis* verò Antiquis *Mortificatio Partis,*

(F) Nota Cyrilli. *Quamquam vulgò* Sphacelus & Sphaceliſmus *à Practicis accipiatur pro integrâ & conſummatâ partis mortificatione, cujus primus gradus* Gangræna *dicitur; nihilominùs cum* Hippocrates *hâc voce utitur de Cerebro loquens, haud ſanè de illius mortificatione intelligendus: quis enim credat corrumpi & Sphaceliſmo affici poſſe Cerebrum, vitâ ſuperſtite? ait enim ille citato* Aph. 50. ſect. 7. *quòd ii quibus corruptum eſt, ſeu Sphacelo tentatum eſt Cerebrum, ſi tertium diem vivi ſuperaverint, convaleſcant*: & lib. 2. de Morbis (*ut* & lib. de Fracturis, & Articulis) *de hoc Cerebri Sphaceliſmo verba facit, ejuſque Signa & Symptomata fusè tradit. Notat autem* Mercurialis *Sphaceliſmi nomen nequaquam propriè hîc & alibi ab* Hippocrate *ſumi: quod & ille* à Galeno *deſumſit, qui in* Comm. cit. Aph. 50. Sect. 7. *fatetur propriam & genuinam verbi* σφακελίζεσθαι *ſignificationem eſſe* διαφθείρεσθαι, Corrumpi; *attamen advertit eo loco, verbum illud minimè pro Cerebri corruptione intelligendum eſſe; adjicit enim* Hippocrates *poſſe hôc morbo detentos mortem poſt triduum effugere: quod impoſſibile videtur in Cerebri Sphacelo, qui ab eodem* Galeno *definitur, Corruptio ſubſtantiæ uniuſcujuſque partis. Hinc fortaſſe factum eſt,*

*Partis*, quatenus ſcilicet Pars omninò erat extincta; ſerpens verò adhuc Extinctio, dum eſt in fieri, *Gangræna* vocabatur, quod Vocabulum adhuc in tali ſenſu in uſu habemus. Propriè ergò *Sphacelus* in genuino & proprio ſenſu eſt *Membranarum Cerebri Inflammatio*, utut idem adhuc ſignificet *Neroſin* ſeu Mortificationem, via ad quam eſt *Gangræna*; Phrenitis verò propriè eſt Inflammatio Diaphragmatis, ſicut Sphacelus eſt Inflammatio Cerebri & Membranarum ejus : Conf. Sennertus *Pr. lib.* 1. *Part.* 1. *cap.* 23. *p.* 203. *&* 205. Sed cùm Verba valeant ut Nummi, recepto uſu *Phrenitis*, Modernorum vocabulo, Veterum *Sphacelum*, id eſt *Inflammationem Cerebri*, ejuſque Membranarum & inde natam Febrem Acutam plùs minùs continuam, peracutumque ac graviſſimum Delirium, intelligamus.

In Phrenitide ergò Modernorum, ſeu iſtâ Inflammatione Cerebri Membranarum *Calor*, *Rubor*, *Dolor & Pulſus*, tanquam neceſſaria & quaſi *Pathognomonica omnis Inflammationis Signa*, ſunt obvia. *Dolor* ratione Partis affectæ, ex Inflammatione & impedito Sanguinis motu, eſt intenſiſſimus, quoniam inflammatæ Meninges intensè dolent, cùm certum ſit nullam Corporis partem ſenſiliorem eſſe, quàm ejus Membranas, & quidem Dolor acerbiſſimus, & horrendus lacerativus percipi ſolet. Hinc videmus veros Phreniticos (utplurimùm enim confunditur Phrenitis cum Delirio in Febribus Ardentibus ſuperveniente) avellere Capillos præ nimio dolore, & immenſo quaſi furore Caput immaniter concutere : propter quem etiam acerbiſſimum Dolorem Malum adeò eſt acutum, ut tertio die ſit lethale; quoniam propter Dolorem iſtum ſenſibiliſſimum Spiritus animales nimis diſſipantur, & facilè iſtarum Partium Inflammationem ſequitur Gangræna, & inde Neroſis. Prætereà hi Ægri propter Spiritus animales impetuosè & inordinatè motos mox delirant, adeò ut quæſiti de circumſtantiis Caloris vel Doloris, v. g. eas ſufficienter expromere nequeant : Unde talibus inſigniter delirantibus tandem graviſſima Symptomata, in ſpecie Convulſiones, ſuperveniunt, idque tunc præcipuè, quando jam Gangræna imminet. Prætereà *Pulſatio in Capite* adeſt vehementiſſima, de quo in primo principio conqueruntur Ægri, propter Arteriarum in Cerebro motum impeditum; & quanta talis Pulſatio & inde *Dolor Capitis pulſatorius* ſit, exinde poteſt colligi, ſi attentè aſpiciatur Collum; apparebit enim tunc, quòd vehementiſſimè pulſet Arteria Carotis, idque propter impeditum legitimum Sanguinis tranſitum in ſuis extremitatibus. Ex quo colligi poteſt, quantum impetum & quantam Pulſationem Sanguis affluens & in Cerebro vel loco Inflammationis ſub Cranio ſtagnans, inferre valeat.

Moderno ergò uſu *Phrenitis erit Delirium intenſiſſimum ex Membranarum Cerebri Inflammatione ortum, Febre Ardente & peracuta conjunctum*; & hoc, uti dixi, erit Veterum *Sphaceliſmus* ſeu *Sphacelus* Cerebri, utut jam adhuc majori abuſu ferè quodcunque Delirium grave, Febri Ardenti aut Malignæ ſuperveniens, ſimiliter vocari ſolea Phrenitis.

Patet ex his, veram ſeu Veterum *Phrenitidem* rariſſimum eſſe Affectum, & quem ferè intra biduum vel triduum inſequitur Mors.

## CAUSÆ.

*Cauſæ Phrenitidis Internæ* ſunt raræ, niſi forſan præcedens Sanguinis quædam Excretio ſuppreſſa, aut alius Inflammationis Metaſtaſis, occaſionem veræ Phrenitidi ſeu Sphacelo ſubminiſtret. Sic enim in Puerperâ propter ſuppreſſa nonnihil Lochia, Phrenitidem obſervavit Horſtius *lib.* 2. *Obſ.* 25. *&* 26. uti etiam idem obſervavit Phrenitidem ex ſuppreſſione Hæmorrhoidum, *cit. loc. Obſ.* 26. Fit etiam interdum, ut Peripneumoniæ ſeu Pleuritides non rarò per metaſtaſin Materiæ abeant in Phrenitidem veram, tunc temporis utplurimùm lethalem. Exempla ſubminiſtrat Schenckius *lib.* 1. *Obſ. pag.* 61. Et quidem Curam Phrenitidis ſupervenientis Pleuritidi elegantem deſcribit Bartholetus *in ſuo libro de Reſpiratione læsâ*. Inflammatio Cerebri per Abſceſſum ſoluta veram Phrenitidem repræſentans, videri poteſt in Loſſio *Obſ. p.* 18. à Vermibus verò Paracelſus *lib.* 2. §. 2.

## DIAGNOSIS.

Ex his *Signa Phrenitidis* per ſe patent. Nempe Phrenitidem imminere, concluditur ex Vigiliis pertinacibus, Somniis turbulentis, Sermone immodico, mutatione Morum, Urinâ primò craſsâ, mox tenui, imò diaphanâ, Capite tactu calidiore, Oculorum torvitate, item Dolore Capitis intenſo, præprimis circa Occiput, & Arteriarum Colli atque Capitis Pulſatione nimiâ.

*Delirium verò ſimplex à Phrenitide in hoc diſtinguitur* : quòd illud ſit levius cum intervallis; hæc vehementior & ferè continua cum intenſis Doloribus Capitis, quorum ratione hoc ſæpius fricant: Reſpiratione difficili, Febre continuâ & Siti nullâ, quamvis hujus Cauſæ adſint. Si Inflammatio quædam ſubſit, in Gangrænam degenerans, ferocia remittit, Oculis clauſis proſtrati decumbunt, & lethargici evadunt Ægri. (G)

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: *Vera Phrenitis* ſeu Inflammatio Cerebri ejuſque Membranarum utplurimùm



*eſt, ut quidam eam adduxerint* Hippocratis *verſionem* : Quibus Cerebrum ſideratum eſt *&c. pro ſideratione non conſummatam mortificationem intelligentes. Sed Textus Græcus habet* σφακελιζῃ, *h. e.* Sphacelo corripi. *Quamvis autem Plantarum* σφακελος *quòd Cœli & Siderum injuriâ accidere credatur*, Sideratio *appelletur*; *haud tamen Sideratio hæc, quæ Sphacelus eſt, aliud importat, quàm Plantarum corruptionem & mortificationem. Hæc ſunt quæ de Sphaceli ſignificatione ajunt Autores* : *neſcio autem quâ autoritate ductus Autor noſter omninò velit, Cerebri Sphacelum aliud non eſſe, niſi Membranarum Cerebri inflammationem.*

(G) * (Super Phrenitidis Diagnoſi, accuratè ſic pronunciat Cælius Aurelianus Acutor. lib. 1. cap. 3. In phreniticam paſſionem pronos ſequitur Febris acuta, pulſus humilior, denſior, vultus ſubinflatus, ſanguinis per nares deſtillatio, vigiliæ juges, aut turbatus ſomnus, et inſania turbulenta, mentis ſolicitudo, ac pravitas ſine ratione, frequens iacendi verſio, cum aſſiduâ capitis commutatione. Aliquando etiam ſine causâ hilaritas, oculorum rubor cum levi lachrymatione, & circumjectio manuum, articulorum frigus ſine tremore, abundantia urinæ flavæ, aquatæ, tenuis & paulatim excluſæ, aurium tinnitus, dolor capitis repente non quieſcens, nullâ ex manifeſtâ ratione præcordiorum tenſio, viſus attentus, vel frequenter palpebrans.)

Affectus est peracutus, utplurimùm lethalis, juxta Hippocratem *lib.* 7. *Aphor.* 50. & *lib.* 2. *Epidem. Sect.* 3. *Ægrot.* 4. *pag.* 733. & tertio vel quarto die, ad summum septimo finiens, ita ut brevi post superveniat Necrosis perfecta, Ægrique convulsi intereant. Nam & Prosper Alpinus *lib.* 1. *de Med. Ægypt. cap.* 13. refert: vidisse se in Ægypto Phrenitides planè lethales, ita ut tertio vel quarto die jugulaverint Ægros.

Aliàs in Inflammationis Cerebri incremento Dejectiones Alvi albicantes, & Urinæ crudæ albidæ & pallidæ existentes, pessimæ sunt; utplurimùm enim Ægri intereunt, teste Hippocrate *Sect.* 4. *Aphor.* 72. sicut etiam Galenus *lib.* 1. *Prædict. Comm.* 1. *tit.* 12. nullum Phreniticum, qui similes Urinas emiserit, servatum vidisse scribit; & cùm similes Urinas reddidisset *Philista* 2. *Epid.* 3. *Ægr.* 4. vehementer insanivit, & quinto die defunctus est. Hujusmodi Phrenitis fera est, & Convulsionem tandem accersere solet. 2. *Epid. Ægr.* 4. Urinas tenues ac pallidas habuit, circa meridiem vehementer insanivit.

Si quis in Phrenitide verâ Dentibus stridet, Delirium grave imminet; sin verò jam adsit Delirium, Convulsio lethalis est in procinctu.

In Inflammatione Cerebri Membranarum, quibus, ut loquitur Hippocrates, tremulæ aut obscuræ sunt Desipientiæ, id est, si Ægri sunt minùs furiosi, sunt periculosiores, quàm quibus sunt Desipientiæ tumultuosæ; id est, interdum Phrenetici apparent, quasi dormiant, aut quodammodò quieti sunt, utut nihil minùs faciant, quin variis hinc inde Insomniis conturbantur, & in se ipsis delirant, adeò ut interrogati licèt, ineptè respondeant: & tales Phrenetici cum talibus variis Insomniis & tremulâ Desipientiâ, ferè periculosiores sunt, quàm Phrenetici magis furiosi, cum Vociferationibus, Artuum Contorsionibus & similibus.

Lethalem Phrenitidem denuntiat Dyspnœa, Facies cadaverosa, Sudor syncopticus, Lingua & Manus tremulæ, Stridor Dentium, Rigor, si Floccos legant Ægri, Stillicidium Narium, Dejectiones, & Urinæ minùs tinctæ observantur. Sin verò Febre mitescente Delirium non cessat, utplurimùm in Lethargum, Maniam, aut Melancholiam mutatur; ita quidem, ut Affectus Soporosi ex Phrenitide rarò curentur; hinc notatu digna sit Observatio Zacuti Lusitani *lib.* 1. *Prax. Admir. Obs.* 15. quamvis in illo Subjecto Somnus non adeò profundus extiterit.

De cætero Phrenitis solvitur vel per Sudorem, vel per largam Narium Hæmorrhagiam, vel Diarrhœam, qualem etiam annotavit Foreſtus *libr.* 10. *Obs.* 1.

Quòd si Inflammatio hæc suppuretur, lethalis est; unde rarissimum est, quod Hercules Saxonia refert de quodam Phrenetico servato, cui Pus per Os & Aures eruperit.

## CURA.

Supereſt *Cura*, quæ tamen nil habet peculiare præ Curâ in Febribus Acutis cum Delirio conjunctis, & sub Deliriis commodiùs tractatur, cùm in Phrenitide curandâ ad duo respiciendum sit: nempè ad ipsam Febrim Ardentem Inflammatoriam, quæ non secus ac Pleuritis & aliæ similes curanda; & hinc ad urgentia Pathemata, imprimis Dolorem Capitis & Delirium. Adeòque convenit Venæsectio largissima in principio interdum repetenda: quin & præmissis *Clysmatibus*, & *Vomitorio* in omni Morbi principio mox *Sudorifera* adhibeantur, ut Sanguinis Stagnatio maturè primo vel secundo die discutiatur; nam nisi hoc maturè fiat, superveniente Necrosi Ægri intereunt. Inter *Alterantia* Julepus sequens est elegans.

℞. *Hord. mundat.* M. ij.
*Rad. Scorz.* ℥j.
*Liquirit.* ℥ß.
*Fol. Acetos.* M. *j.*
*Flor. Borrag.*
*Rosar. rubr.*
*Violar.* ana p. ij.
*Passul. min. cont.*
*Raf. Cor. Cer.* ana ℥j.
*Cran. human.* ℥ß.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ.*
Colat. ℔iv. acidulentur cum *Spiritu Vitrioli* q. ſ.

Reliquam Curam relegatam volo usque *ad Membrum* 5. *Articuli* 3. *Capit.* 4. *Sect.* 3. *lib.* 2. ubi suo tempore pluribus tractabitur.

## ARTICULUS XV.

### *De Oculorum Inflammatione, Vera & Notha.*

INflammantur subinde etiam *Oculi*, malum satis frequens & ubique cognitum, quod in specie vocatur *Ophthalmia*: Est vitium contradistinctum *Lippitudini*, *Epiphoræ*, & similibus.

*Ophthalmia* autem est vel *Vera*, vel *Notha*, seu *Sicca* etiam vocata: Illius *duæ* sunt *Species*, vel *Sanguinea*, vel *Serosa* seu *Lymphatica* proprio nomine *Epiphora* dicta, coincidens ferè cum Lippitudine, nisi quòd *Lippitudo & Epiphora* saltem *Subjecti* proximi *ratione* nonnihil *differant*. *Inflammatio Sanguinea* est Inflammatio Tunicæ Adnatæ, cum Rubore, Ardore, & Dolore, Tumore & Lachrymis, nunc plùs nunc minùs fluentibus: *Hæc* verò est Affectus suo modo Catarrhalis, nempe copiosa & continua Lachrymarum destillatio ex Oculo, quæ nunc acres sunt, adeòque Dolorem, Morsum, Ardorem, Ruborem junctum habent, & vulgò dicitur *Humor* seu *Catarrhus calidus*, nunc mitiores sunt, & sine Symptomatum talium syndrome affligunt, diciturque *Humor* sive *Catarrhus frigidus*; sicut *Lippitudo* est affectus similis Palpebrarum, in quo copiosissima Lympha lachrymalis, tam ex Glandulis Angularibus, quàm etiam Glandulis Palpebrarum à Stenone derectis, erumpit; ratione cujus notabilis cum Ophthalmiâ similitudinis Celsus *Ophthalmiam* Græcorum, Latinè *Lippitudinem* appellavit.

## SUBJECTUM.

*In Ophthalmiâ Verâ* afficitur Oculus quoad *Membranas* communes, in specie quoad Membranam externam, quam *Adnatam* appellant, subinde verò etiam *Cornea* & *Uvea* non leviter afficiuntur: quæ Membranæ, imprimis extimæ, contextæ sunt ex copiosissimorum Vasculorum texturâ, tam Venularum quàm Arteriolarum: Impedito ergò motu Sanguinis in his Vasculis sequitur Inflammatio, adeò ut Vascula hæc Sanguine stagnante distenta magis fiant conspicua, & subinde totus Oculi bulbus intensissimè rubeat. Cùm verò Membrana hæc Adnata intimè connectatur cum Tunicâ Sclerroticâ, à Dura Matre ortâ, & hac mediante etiam cum Uveâ à Piâ Matre natâ, ipsâ Adnatâ à Pericranio originem ducente, propter hanc Membranarum Oculorum connexionem cum Cerebri Membranis mutua partium dictarum conspiratio & plura Pathemata *per consensum* oriri solent. Nempe *ratione Pericranii* fit, quòd in gravi Ophthalmiâ simul

*Capitis*

*Capitis Dolor*, ſi non pulſatorius, tamen contractivus, præter gravativum, percipiatur. Patet etiam ratione conjunctionis cum internis Membranis Oculorum & hinc Membranis Cerebri, quare *Contuſionibus Cranii*, & læſionibus Membranarum Cerebri, interdum ſuperveniant Ophthalmiæ, eæque utplurimùm quarto aut ſeptimo die, interdum nono aut undecimo, accedant, aut ſaltem Fluxus Oculorum cum eorundem Rubedine; ut *in Noſodochio Patavino* aliquoties obſervavi: quæ ipſa fuerunt Signa periculoſa ac imminentis Mortis, quatenus oſtenderunt jam factam Cerebri Membranarum læſionem, aliqualem Inflammationem, & exinde Gangrænam & Necroſin. Certè ſi hæc ſponte ſequantur, periculoſum Signum eſt: Nam dum ſtagnat Sanguis in Cerebro ejuſque Membranis per Arterias Carotides affectis, fit ut uberiùs affluat ad Oculum, ubi impeditur in motu, & Ophthalmiam infert. In *Epiphorâ* ad Glandulas, ex quibus tale Stillicidium oritur, imprimis reſpiciendum, ſive ſint in Oculorum Angulis, ſive Palpebris: de quibus videatur Steno *in Obſerv. de Glandulis Oculorum & Narium.*

## CAUSÆ

## *OPHTHALMIÆ VERÆ.*

*Cauſa Ophthalmiæ in genere* eſt Spina Oculo alicui in externa ejus ſuperficie infixa, cujus occaſione oritur dolorofa Fibrarum ſtructura. Sanguinis remora in motu, Lymphæ ejus uberior per Glandulas infuſio; vel eſt *quodcunque hoſtile* aut inimicum, *Acidum* aut *Acre*, præſertim ſi Oculum affecerit, plus minùs irritaverit, ſicque ad Inflammationem occaſionem dederit: eſtque vel *Internum*, vel *Externum*.

*Cauſæ Externæ*, ut *Contuſio*, *Læſio*, *Vulneratio*, *Pulveres acres* in Oculum illapſi, ut & *Fumi* metallici ſe inſinuantes in Oculos, *Aura* aſperior, &c. ſatis ſunt cognitæ: Sic enim Pulveres afficiendo partes Oculi ſenſiles, & irritando, faciunt ut ſequatur contractura Fibrarum in Tunicis Oculi, & ita Sanguis ſtagnans Inflammationem inducit. Unde colligi poteſt, cur fiat, ut Inflammatio Oculorum ſemel facta, nec adeò rectè curata, ſubinde recidivet? nempe fit illud ob tantillum Fermenti remanentis.

*Cauſæ verò Internæ* ſunt omnes eæ, quæ quacunque ratione occaſionem dare poſſunt, ut Sanguis ſtagnet in Vaſculis minutiſſimis: ſic v. g. in ſpecie *Variolæ*, quarum Sanies acris & acido-ſalſa Oculis infenſiſſima, propter Fermenta acria relicta, ſæpiſſimè Ophthalmias, & quidem pertinaciſſimas aut ſæpiùs recurrentes poſt ſe relinquunt, ut *ſuprà ex* Lipſio *in eleganti Tr. de Variolis* monitum, ubi Exemplum habet ſæpiſſimè recidivantis Epiphoræ, modò in uno, modò in altero Oculo, ex malè curatis Variolis. Nam Oculus ſemel inflammatus facilè levi de causâ poſtmodùm denuò inflammatur, ita ut nunc in hôc, nunc in altero, nunc in utroque Oculo recurrat, idque propter Robur Partis tunc læſum, vel propter ejuſdem Tonum laxatum, & etiam propter Fermenta acria plùs minùs purulenta in Parte relicta. Nempe tantillum Fermenti remanens intra Tunicas Oculorum eſt inſtar Spinæ Digito infixæ, quod excitatum facillimè Inflammationem Oculorum infert &c. Imprimis ſi aliàs ſolennes Sanguinis in Corpore Evacuationes negligantur & ſupprimantur, ſi levis accidat in Oculo irritatio, Inflammationem inferunt; hinc ſuppreſſos Menſes, hinc Tineam Infantum, vel malè curatam vel ſponte evaneſcentem, propter relictum acre ſalſum (à Morbillis, Variolis,) ſequuntur non rarò Ophthalmiæ. Exempla habet Gabelchoverus *Cent. 4. Cur. 38.* de Inflammationibus Oculorum propter omiſſas ſolennes Scarificationes: item Ophthalmiam obſervat ex retentis Menſibus *Centur. 3. Cur. 61.* Infantes pariter ex *Aurium* purulentis *fluxionibus* ceſſantibus, ſubinde in Ophthalmias pertinaces & contumaces incidunt. Speciatim tamen Acre quodcunque ex Corpore excernendum, cum Sanguine aut Lymphâ lacrymali, aut quacunque occaſione ad Oculos delatum, irritando Oculum ad Inflammationem diſponit.

Ulteriùs *ratione modi afficiendi*, *Ophthalmia* interdum eſt *Epidemica*, & interdum *Contagioſa*, item *Periodica*. *Epidemica* eſt ex Aëre nempe inclementiori, & Effluviis acrioribus inquinato, quo Oculos feriente Inflammatio oborta: qualem *epidemicè graſſantem Ophthalmiam* obſervavit Amatus Luſitanus *Centur. 7. Cur. 80.* *Contagioſa* obſervata fuit, e. g. ſi quis Ophthalmicos intueretur, ſimul quoque eodem malo corriperetur ratione Atmoſphæræ, quæ ab alterius Oculo recepta hunc irritando & vellicando inſtar Pulveris acris ad Inflammationem diſponit, vid. Foreſtus *lib. 9. Obſerv. 4.* Zacutus Luſitanus *lib. 1. Prax. Hiſt. cap. 13.* Plempius *Ophthalmogr. lib. 5. cap. 12.* & Sennertus *lib. 1. Prax. ubi de Ophthalmiâ. Periodicam* denique, & modò in hôc, modò in alio loco recidivantem, a Variolis natam, videbitis in Lipſio *l. a. pag. 70.*

*Differentias* etiam habet *Ophthalmia Graduales*, & in *tres Gradus dividitur*: ſi enim Inflammationis ſaltem initium adſit, cùm nempe Oculus cum Rubore & Calore humidior fiat, & non nihil doleat, dicitur Τάραξις ſeu levior Oculi Inflammatio, utplurimùm terè Occaſione externâ nata: Quòd ſi Inflammatio ſupra dicta inſignior, præcipuè ex Cauſis Internis, oriatur, eſt *Ophthalmia* κατ' ἐξοχὴν dicta: Si verò facta ſit Inflammatio inteſtior, ut & Palpebræ afficiantur, & quaſi invertantur, cum inſigni tumore, nec claudi poſſint, Albumque ſupra Nigrum Oculi intumeſcat, ita ut Nigro quaſi ſubſidente hiatus velut in Oculo appareat, χάμωσις dicitur, utplurimùm ex Causâ Externâ nata. Conf. Sennertus, *ubi de Ophthalmiâ.*

## CAUSÆ

## *EPIPHORÆ & LIPPITUDINIS.*

*Quoad Cauſas Epiphoræ & Lippitudinis*, eæ ſunt triplices:

I. Eſt *nimia Glandularum Oculorum Laxitas*, quando eædem undecunque, præſertim ſub Nutritione propriâ, vitiatæ, aut aliàs irritatæ, flaccidæ & nimis ſpongioſæ redditæ, per patula nimis ac patentia Foramina Lympham copioſam continuò effluere aut potiùs elabi ſinunt, ipsâ Lymphâ aliàs naturaliter tunc conſtitutâ; unde hic Affectus nullo inſigniori Symptomati eſt adjunctus, niſi aliquali Oculorum Rubedini, ex ſanguineis Vaſis, ob copioſiorem & faciliorem ejus effluxum & obnatam ſemper Vaſa majorem turgeſcentiam. Malum hoc *Senibus* & *Morientibus* eſt familiare; hinc ſponte illacrymari in acutis Morbis periculoſum ex Hippocrate: Iſtud (in Senibus) ob nativam rationem Ætatis imbecillitatem, dum flaccidæ & quaſi detritæ ſunt Glandulæ: Hoc verò (in Morientibus) propter morboſam ſummam proſtrationem Virium, & hinc Spirituum animalium defectum, & Glandularum flaccidatē. Facit huc detectus Caruncułæ Lacrymalis

in

in Affectu Græcis ῥύας dicto, quæ Caruncula nihil aliud est, quàm substantia tenera carnea, juxta Glandulas Lacrymales sita, & se instar operculi Lymphæ & Glandularum Lacrymalium habens, unde ea vel resoluta, vel ferro ablata, vel à Lymphâ acri vel Ulcere exesa, vel imminuta, sui absentiâ successivè infert continuum & involuntarium Lacrymarum fluxum: quin & *Robur Oculi* læsum, seu quando Glandulæ Oculorum semel laborârunt Epiphorâ, & sæpiùs postmodùm ex imbecillitate hinc contractâ idem patiuntur Malum; unde Sordium, Puris, &c. proventus, quibus Oculus & vicinæ Glandulæ irritatæ continuò plorant: de qua Oculi Glandulâ majore, vulgò Caruncula Lacrymali dictâ, vid. Warthoni *Adenograph. cap.* 26. *pag.* 160. Hæc est prima Causa Epiphoræ.

II. *Causa Epiphoræ* est *Læsio & Irritatio Oculi* sensibilissima ab Externis Causis, quocunque modo Oculum continuò irritantibus, ut substantia ejus glandulosa laxetur. Quò pertinent Pulveres in Oculos illapsi, item Effluvia acria, v. g. cepacea, alliata & piperata, quæ salibus volatilibus turgida Oculos pungunt & mordent; etiam Aër externus nimis frigidus aut asper, qui Oculum lædit: ex quarum rerum læsione & irritatione copiosus, & continuus Lymphæ vitiosæ ad Oculum contingit affluxus, & sic Epiphora Catarrhalis. Durante effluxu diutiùs ex copiosè affluente Sanguine, & ob exhaustum Laticem ejus pro impendio Lacrymarum, Sanguis nonnihil spissescit, ut in angustissimis istis vasculis stagnans, Ophthalmiam tandem seu Oculi Inflammationem inferat, modò majorem, modò minorem, cum ejus Rubore, Dolore & Tumore, de *quibus jam dictum.*

III. *Epiphoræ Causa* propriè *Catarrhum* constituit, quando nempe ex vitio Lymphæ Catarrhalis habituali, ab Internâ Causâ profecto, per modum Catarrhi præternaturalis Lacrymarum fit effluxio; proprièque & frequentiùs Epiphoram constituit. *Vitium Lymphæ* est, quando eadem nimis acris & salsa-acida in Corpore existit, qua concurrente, Oculi debilis spongiosa magis substantia glandulosa effusionem Lacrymarum copiosam facilè excitare potest. Unde hæc Lympha acido-salsa continuò Oculos rodit & vellicat, unde eorum Pruritus, & interdum Palpebrarum Exulceratio. Ex Pruritu & Irritatione magis magisque Sanguinis & Lymphæ affluxus promovetur; Nam omnis Lympha sub se continet subtilem quendam acorem abstergentem & detergentem; hinc fit, ut in naturali statu Oculi tali Lymphâ Lacrymali humectati, sint facilè mobiles, & ab omnibus sordibus purificati; simul verò atque hæc Lympha Lacrymalis fit nimis acida, tunc non rarò varia oriuntur Oculorum Mala, imprimis externa, v. g. Dolor, Oculorum Rubedo, Pruritus, Tumor, Corrosiones, Lippitudines, Inflammatio Oculi periculosa, Pustulæ, Ulcera, Fistulæ Lacrymales &c. quin & in Cæcitatem interdum terminantur hæ Epiphoræ Catarrhales, quatenus ab acrimoniâ Lymphæ nonnihil corrosæ Membranæ Oculorum fiunt asperæ, ex asperitate crassæ, ex crassitie tandem opacæ minusque perspicuæ, ita ut exinde necessariò sequatur *Cæcitas.*

*Causæ* hujus Epiphoræ *Remotæ* sunt omnes eæ, de quibus *suo loco in Catarrhis* dicam. Inter has sunt Assumpta quædam ad eam disponentia, ut Nuclei Malorum Persicorum, de quibus vid. Rhodium *Cent.* 1. *Observat.* 80. *pag.* 43. in se ipso Epiphoram ex esu Malorum Persicorum notantem: Interdum specialiter concurrit Potus nimius Vini aciduli Oculis nocens: Interdum etiam Parentum concurrit vitium, cùm Hæreditate maternâ aut paternâ Oculi Infantũ disponantur, ut acceden e internæ Lymphæ vitio similem in Epiphoram incidant.

Cæterùm omnium horum Affectuum ordinarius comes est copiosissima *Lacrymarum* destillatio; quæ, si affectus est Oculus, degenerant à naturali more, & sunt *in duplici Differentiâ*, quæ adhuc observanda pro Curâ meliùs instituendâ, idque, si ex Causâ internâ oriatur Ophthalmia: Nam interdum *Lacrymæ* effluunt *acres, tenues, acido-salsæ*, vel quasi plùs minùs *corrosivæ*, Pruritum inferentes, & Cutim Malarum corrodentes, idque in Inflammatione periculosiore, utpote quæ tunc magis dolet, ardet, & instar Erysipelatis cujusdam infestat, idque tunc vocant *Catarrhum acrem*, licèt non semper vitium catarrhale adsit, sed innuunt Lympham Lacrymalem admodùm acrem salinam & rodentem, quibusdam *Ophthalmia Biliosa* dicitur: Interdum *Lacrymæ non sunt corrosivæ*, ac sine acrimoniâ ullâ, sed potiùs subdulces, simpliciter insipidæ, & in his Ophthalmiis subinde Oculi Palpebræ quasi conglutinantur & invisceantur, & tunc Lympha Lacrymalis magis crassa, magis viscida & tenax esse solet, Oculos incrustans & conglutinans, concurrente tamen tunc simul aliquali Nutrimenti proximi in Parte læsâ, vel in Glandulis, vel in superficie Oculi, alteratione, quod depravatum *Lema* ordinariò vocatur; unde hujus imprimis occasione invisceari Palpebræ solent; quæ Lympha tamen crassa melior est, quàm tenuis & salina.

Ex qua Lacrymarum Differentiâ *quatuor Ophthalmiæ Tempora distinguenda*: nempe *Principium* est, quando Humor tenuis ac plurimus defluit: *Augmentum*, quando Dolor augetur, Humorque fit crassior: *Status*, dum magis coctus videtur Humor, h. e. temperatus, adeòque crassus, ut etiam Palpebras conglutinet: *Declinatio* cùm Symptomata remittunt.

Licèt autem hæ Lacrymæ sint ordinarium Symptoma, tamen distinguuntur eædem: Nam interdum se *habent instar Causæ*, interdum *instar Producti.* Communiter dicunt: *esse Catarrhum*; sed malè, cùm etiam ex Rebus extrinsecùs illapsis copiosus Lacrymarum proventus obtingat, licèt Oculus sit insons. Ergò attendendum, an vitium sit à Causâ externâ? an verò internâ, à qua generantur Lacrymæ? Aliud namque est, quando fit Epiphora in Pueris ex Tineâ repressâ; aliud est, quando ex Irritatione quâdam externâ: Hinc posteriori in casu Adstringentia prosunt, in priori ea nocent.

*Quoad Ophthalmiam Notham*, seu, ut aliàs vocatur, *Siccam*, hæc est ista, in qua Lacrymæ ferè nullæ exstillant, utut plùs minùs noctu Palpebræ coagulari soleant. Talis Ophthalmia Sicca nil commune habet cum Verâ, præter Rubórem; Oculi enim rubent, plùs minùs tument, atque plùs minùs pruriunt: unde *tres* ejus sunt *Gradus.*

1. Quæ est *cum Pruritu*, & exiguam Fluxionem salsâ & acrẽ conjunctã habet, & dicitur ψωροφθαλμία.

2. *Quæ cum Pruritu & Dolore* levi & aliquali Gravitate sine Fluxione est, adeòque saltim rubri & tumidi sunt Oculi, & dicitur ξηροφθαλμία.

3. Denique *sine Pruritu*, Fluxione, & cum Duritie ac Asperitate Palpebrarum est, & dicitur σκληροφθαλμία seu dura Lippitudo.

Oriuntur ex subtili, salsâ vel acri Lymphâ, Oculos naturaliter humectante, alterante, & ita Oculos malè afficiente.

## DIAGNOSIS.

Manifesta fit Ophthalmia per se ex *Dolore, Ardore, Rubore, & Tumore* Oculorum, & ipsarum Palpebrarum; quæ omnia sunt Signa Inflammationũ communia;

munia; ſicuti etiam per ſe, & ex relatione Ægri manifeſtum erit, an Ophthalmia à Causâ internâ? an ab externâ originem ducat?

Sanguis Inflammationem excitans nunc per *Vaſa* Oculi *exteriora* movetur, nunc per *interiora*: *Si per exteriora*, Tumor, Dolor, Pulſus in Fronte ac Temporibus, percipiuntur: *Si verò* à Vaſis & Membranis *interioribus*, Dolor profundior & vehementior erit, Pruritusque in Palato ac Naribus ſentitur, ac Sternutatio frequens erit.

*Signa Diagnoſtica Epiphoræ* per ſe patent: Cauſæ tantùm diſtinguendæ ſunt, partim ex relatione Ægri, partim ex ſcientiâ Medici.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: Nulla Ophthalmia eſt negligenda, in ſpecie ſi eſt à Causâ internâ, quia ſemper Oculorum neceſſe eſt fiat læſio: interim tamen una major, altera minor exiſtere ſolet, hinc ſecundùm ſuprà monitos Gradus, magis vel minùs periculoſa ac curabilis eſt.

Ophthalmia vera pro *Subjectorum* ratione, in iiſque *Humorum*, præſertim Lymphæ ac Sanguinis, conſtitutione, faciliùs vel difficiliùs curatur.

Ophthalmia per *Conſenſum* à Membranis Cerebri internis, Durâ nempe & Piâ Matre, & à partibus circa Cranium contentis, ſæviora & periculoſiora habet Symptomata, & difficiliùs curatur, quàm ea, quæ fit per Eſſentiam affecto Oculo.

Dolor diu in Ophthalmiâ perſeverans peſſimum Signum eſt; Materiam enim aut corrodentem, aut diſſecandentem, aut ſuppurantem arguit.

*Ophthalmiam diuturnam*, aut ſæpiùs *recurrentem*, facilè Visûs hebetudo inſequi poteſt, partim ob Membranas incraſſatas, partim ob Humores impuros redditos.

Quando res eò devenit, ut Inflammatio non poſſit derivari, vel digeri, vel ſuppurari, ferè *perit Oculus*. Interdum ſuppuratur, & tunc periculum Cæcitatis & Gangrænæ pariter imminet; quòd ſi eò devenerit malum, melius eſt dimittere Oculum, quàm certò perire & mori, adeoque Oculus maturè extirpandus eſt, ne per conſenſum Cerebro Gangræna communicetur, & Mors ſuperveniat.

Ophthalmia *Diſcutientibus* aliàs curatur: ſin ſæpiùs recurrat, periculum Cæcitatis minatur, dum occaſionem ſuggerit, ut Nebulæ, Panni, aut Cicatrices in perforatione Uveæ & Corneæ enaſcantur, vel Nutrimentum proximum corruptum, & in Humore Aqueo ſucceſſivè conglutinatum, *Suffuſionem* inducat.

Ea Ophthalmia, quæ ſupervenit graviori *Capitis læſioni*, frequenter eſt funeſta & lethalis.

Ophthalmiâ laborantem, ſuperveniens *Alvi profluvium* liberat: vid. Hippocrates *Sect.* 6. *Aph.* 17. & Galenus *l. contra Julianum cap.* 1.

*Taraxis* à Causâ externâ nata, ſi maturè curatur, ſine periculo eſt; periculoſior autem eſt *Chemoſis*, ſeu Ophthalmia perfecta & conſummata.

*Notha* Ophthalmia non adeò periculoſa eſt, quàm *Vera*; diuturna tamen eſt, & admodùm chronica.

Quoad *Ophthalmiæ Seroſæ* ſive *Epiphoræ* Prognoſin: Infantes frequenter lacrymari ſolent, & quidem ſine inſigni periculo, quoniam Diætâ, & procedente Ætate ſponte hoc vitium corrigitur: Inveterata autem aut natu majoribus accidens, contumacior, facilè *Fiſtulam Lacrymalem* poteſt inferre.

Qui in Febribus aut aliis Morbis Acutis *voluntariè lacrymantur*, nec Oculi ſint affecti, aut Criſis per Hæmorrhagiam inſtet, inconveniens eſt: ſi verò citra & *præter voluntatem* hoc faciunt, malum Signum eſt; innuit ſiquidem affectum eſſe Cerebrum, & reſolutionem Facultatis, ut vocant, & periculum portendit, teſte Galeno & Hippocrate *Sect.* 4. *Aphor.* 52.

*Epiphora* verò, quæ fit *ex læſione Caruncuiæ Lacrymalis*, ferè eſt incurabilis; uti eſt peſſima, quæ à Caruncula, quacunque ex ratione ablatâ, oritur; uti facilior eſt curatu, quæ eſt ab illius eroſione, quàm exciſione.

## CURA OPHTHALMIÆ.

*Quoad Curam.*

I. *Cauſæ Externæ* quælibet, Oculum hoſtiliter afficientes, ſunt *removendæ*, hinc *Cauſis Internis proſpiciendum*; Et tandem

II. *Sanguis* in Oculo *ſtagnans reſolvendus*, & ad naturalem ſtatum & circulum reducendus, & inde orta *Inflammatio removenda eſt.*

Cum verò *Cauſæ Internæ* imprimis ſint duplices, ob id vel Sanguinis motui, qui Oculum tumefacit & inflammat, per Revulſoria remedia proſpiciendum, vel Acre quodcunque Oculum vellicans & irritans corrigendum.

*Inflammationi leviori*, imprimis ex Causâ Externâ natæ, & ubi non eſt tantum Ægri periculum, ut in Rubore, ac moderato Dolore, pauca *Externa* ſaltem ex *Pharmaceutico Fonte* ſufficiunt Remedia. Ubi verò *Tumor & Inflammatio ſunt magna*, aut gravius imminet periculum ſimul per Remedia *Interna* curatur, quibus & alia ex *Chirurgico Fonte* pro *Revulſione*, *Averſione*, & *Derivatione* adhibenda.

In *graviori ergò Ophthalmiâ*, imprimis *ex Causâ Internâ* natâ, ſi Corpus vel plethoricum, vel Sanguinis evacuandi ſuppreſſio fuerit, *Venæſectio* admodùm neceſſaria erit, cùm interdum factâ ſic Venæſectione ſenſibilis alteratio in Inflammatione obſervata fuerit. Convenit ergò pro ſcopo Revulſionis univerſalis quidem Venæſectio in *Pede*, pro ſcopo Averſionis verò in *Brachio*, pro ſcopo Derivationis, ſi fieri poterit, in *Fronte*. Et quidem quòd in Pede ſecanda ſit Vena, confirmat & illuſtrat egregium Exemplum Lindani *ſuper Hartmannum*, dum dixit, ſe vidiſſe, quantum valeat Venæſectio legitima in Ophthalmiâ in Chirurgo Amſtelodamenſi, cui dexter Oculus fuit inflammatus, ut patet ex Hiſtoriâ ſuperiùs *in Prolegomenis Cap.* 3. *Artic.* 1. allegatâ. Unde rectè dicit Lindanus: quòd in principio & gravi Ophthalmiâ primò Venæſectio ſit inſtituenda in Pede pro Revulſione, hinc in Brachio, loco contrario Oculo inflammato, pro Revulſione particulari, quæ vel ſola in leviori Ophthalmiâ ſufficit. In Pede ſecatur vel Vena Saphæna, vel, quod melius eſt, Vena Poplitea, utpote quæ ſatis conſpicua, & ſatis manifeſta eſt. Quod verò attinet Derivatoriam Venæſectionem; ſanè ad Derivationem nil melius eſt, quàm Venam Frontis incidere: ſed hocce habet incommodi, ut ſubinde pro ſecandâ Venâ Frontis Laqueus Collo injiciendus ſit, ut pro meliori illius intumeſcentiâ Venæ Jugulares conſtringantur, ubi periculum imminet, ne conſtrictis ita Venis Jugularibus ſimul inſigniter augeatur Oculorum Inflammatio: unde non aperienda eſt, niſi tundi poſſit Vena Frontis ſine hac adſtrictione, & per ſe pateat, & potiùs omninò eadem eſt relinquenda. Non tamen niſi præmiſſis præmittendis hæc Vena Frontis incidatur; ſiquidem poſt eam intempeſtivè ſectam Ophthalmiam graviſſimam, Visûs & Loquelæ perditionem obſervavit Hildanus *Cent.* 5. *Obſ.* 18. Interdum etiam pro Derivatione *Arteriotomia* Temporalis in Ophthalmiâ contumaciſſimâ

mâ inſtituitur : vid. Nicolaus Fontanus *in Reſponſ. & Curat. Med. l.* 1. *p.* 50. ubi habet Exemplum Ophthalmiæ per intervalla ſæpiùs recurrentis, idque cum periculo Viſûs, quæ tamen inciſione Arteriæ Temporalis curata, & *Fonticulo* in Brachio præſervata fuit. Nec in Caſu difficiliore Venarum Jugularium inciſio inepta & adeò, ut vulgò creditur, periculoſa eſt, teſtante Hildano *Cent.* 4. *Obſerv.* 14. ut taceam Nicolaum Fontanum *l. a.* Mercatum, & Riverium, qui omnes ex Galeno Arteriotomiam commendant. Primò igitur Venæſectio in parte remotiore, hinc propinquiore, ut Venâ Frontis, vel penè Aures adminiſtranda, nec auſcultandus Zacutus Luſitanus *lib.* 1. *Prax. Hiſt. cap.* 13. ubi in Ophthalmiâ magnâ & atrociore primùm à Parte affectâ Sanguinem mittere jubet.

Huc etiam pertinent *Cucurbitulæ ſcarificatæ* ponè Aures applicandæ, vid. Rhodius *Centur.* 1. *Obſ.* 79. qui felicem harum uſum habet, utut rarò in uſum vocentur. Quô etiam ſpectant *Veſicatoria* Nuchæ, in Cervice, loco Venæ Frontis ſecandæ, aut etiam ponè Aures applicata, ſub Pinnulâ ſive Lobo, quæ pro Averſione uſitatiſſima ac ſanè proficua ſunt; mirum eſt, quantum hæc juvent in Inflammatione Oculorum : vid. Ludovici *in Pharmac.* Utut enim hæc ſaltem ſint Remedium palliativum, & medeantur Ophthalmiæ à poſteriori, tamen veriſſimum eſt, quòd multum illa valeant. Neque ipſe credidiſſem horum fructum adeò inſignem eſſe, niſi ipſe eundem vidiſſem. Et quidem Nuchæ applicata juvant ſenſibiliter, ſi rectè fluant, quia ibidem Arteria Cervicalis ſe dividit in duas partes, in interiorem, etiam ad Oculum progredientem, & in exteriorem circa Nucham hinc inde diſſeminatam : unde Veſicatoria, dum in Nuchâ faciunt dolorem, auctiorem eô Sanguinis promovent fluxum, dum ex ramo hoc interiori fit derivatio quaſi ad ramum exteriorem, ut minori impetu ac copiâ Sanguis ad Oculum affluat. Quibus autem non eſt Cutis ſanabilis, facilè non conveniunt Veſicatoria, ut Hydropicis; nam ad Gangrænam diſponunt : vid. Rolfincius.

In contumaciſſimâ Ophthalmiâ, ubi non ſufficiunt Veſicatoria, cùm Ulcus ſuperficiale poſt aliquot dies denuò ſanetur, *Setaceum* applicetur Nuchæ, (quæ apud Veteres diverſis Membris applicata in uſu fuerunt,) perquàm moleſtum quidem, ſed potentiſſimum & ſummè proficuum in Oculorum Affectibus diuturnis Remedium, quod potentiùs & cum majori efficaciâ Serum eliminat, atque ejus ſtagnationem corrigit : tamdiu autem apertum ſervetur, quo uſque levamen æger inde ſentiat; de quorum egregiâ præſtantiâ in Ophthalmiâ vid. Gabelchoverus *Centur.* 4. *Obſervat.* 38. *in Schol.* Horſtius *Dec.* 7. *quæſt.* 1. Hildanus *Cent.* 1. *Obſerv.* 41. *&* 42. & *Cent.* 4. *Obſerv.* 6. 7. 14. 19. *&* 71. Glandorpius *Cap.* 7. *&* 24. & Sculetus *lib.* 1. *Tab.* 3. *Figur.* 2. *&* 3.

Loco cujus tamen adeò moleſti, in Ophthalmiis vel inveteratis contumacioribus, vel ex Causâ internâ crebriùs recurrentibus, quales in ſpecie *in Infantibus* obſervantur *Fonticuli* optimo conſilio non rarò in Brachio vel Pede illius lateris, ceu palliativum Remedium, excitandi ſunt, qui inuſti mirum eſt, quantum poſſint, in Infantibus etiam quinque vel ſex annorum, qui ſub Pubertatis annis, ſi ita viſum fuerit, denuò conſolidari poterunt. Rolfincius tamen *in Epith. Meth. Cogn. & Cur. partic. Corporis Affectus pag.* 91. Fonticulum in Cervice vel Bregmate excitat; Riolanus *Encheir. Pr. pag.* 255. in cavo Auris poſtico; & Riverius *Obſ. à Martino Comm.* 7. in Nuchâ ſive ſpatio interſcapulari; denique, & quidem commodiſſimè, in Brachio lateris Oculi affecti. Aut loco Setacei in Nuchâ Remedium eſt quaſi vicarium Fonticulus auricularis, *Auriculare* quaſi *Setaceum*, ex *Radice Thymelææ arboreſcentis* (eſt iſta *Thymelæa* in ſpecie, quam Tabernæmontanus *lib.* 3. nomine *Thymelææ grani cnidii* deſcribit, loco cujus & *Chamelæa vulgaris* ſeu *Mezereon*, item Cortex Radicis Eſulæ, & Hellebori nigri, poteſt ſubſtitui,) qualem Fonticulum Auricularem, ex Radice vel Hellebori, vel Laureolæ ſeu Mezerei confectum, ceu ſingulare nobis communicavit Dn. D. Michaelis : de quo etiam vid. Riverius *Cent.* 4. *Obſerv.* 100. item Velſchius *Mictomim. Cent.* 1. *Obſ.* 63. *annex. Appendici Miſcell.* A. N. C. *Ann.* 4. *p.* 39. Bartholinus *C.* 4. *Obſ.* 80. Timæus *lib.* 1. *Epiſt.* 22. *pag.* 52. & Tabernæmontanus *lib.* 3. *pag.* 10. Nempe Radicula diſſecatur in Fibrillas, quæ lobo Auris perforatæ immittuntur : nempe exſiccata in Orbiculos dividitur, poſtea maceratur in Lixivio ex Vitium Cineribus facto, vel in Aquâ, in qua Nitrum ſolutum ſit; ſine præparatione enim Aures corrodit & inflammat, quæ Acrimonia etiam Acidis obtundi poterit. Perforatâ Aure, Filo Butyro pingui trajecto, promotâ Suppuratione, ſecundâ vel tertiâ die Fibula Radicis vel Orbiculorum imponitur, quæ Humores potenter ex capite elicit : ſingulis diebus recens immittitur; prior tamen exſiccata & purgata ſecundâ & tertiâ vice uſum eundem præſtat. Confert non ſaltim in graviori Ophthalmiâ, ſed & *in Suffuſione* incipiente, aliiſque Malis Viſum hebetantibus; item in *Epiphorâ* magnum affert commodum. Hujus loco *Radicem Hellebori* recipit Timæus *von Guldenklee in Epiſt.* 20. *lib.* 1. *pag.* 52.

Cæterùm *Veſicatoria* dictis locis applicanda variè parantur, ordinariò quidem ex Fermento, Cantharidibus & Aceto; malè tamen; cùm excitent Veſicam doloroſam, & præter hanc id noxæ ſecum ferunt, quòd Veſicæ excitatæ non adeò commodè fluant. Potius fiant ſequenti modo:

℞. *Empl. Citrinum*:

Subigatur hoc cũ *Pulveris Cantharidum* quantitate debitâ, prout major vel minor excitanda eſt Veſica, & in formâ Emplaſtri applicetur Nuchæ, ita ſenſim excitat Veſicam.

Veſica ſemel facta aliquamdiu ſervetur aperta, pro quo ſcopo vulgò quidem Folium Braſſicæ rubræ calefactum applicant, quod quidem aliquid præſtat, brevi tamen iterum coaleſcit Veſica. Et peccant hîc Chirurgi : nam utut Folia illa cum Caule applicantur, tamen iterum coaleſcit Veſica. Præter hæc admovent quoque Emplaſtrum de Spermate Ranarum; ſed hoc adhuc pejus eſt; quin potiùs optimum pro apertione ſervanda eſt, ut applicetur Emplaſtrum Citrinum, vel Emplaſtrum de Ceruſâ, vel de Spermate Ranarum, cui pro ſtimulo tantillum Pulveris Cantharidum additum ſit, talis nempe quantitas hujus, quæ ſaltim irritet & pungat, non autem veſicet : Ita quidem Veſica ſemel excitata ad aliquot ſeptimanas optimè poteſt in continuo fluore conſervari. Pulveris hujus pro Subjectorum varietate plus vel minus ſumendum eſt, plus ſcilicet in iis, qui Cutim denſiorem, minus, qui molliorem obtinent. Aliàs ex Cantharidibus nil periculi imminet, niſi quòd excitent in quibuſdam Mictum cruentum, Exulcerationem Veſicæ, vel Stranguriam, quod tamen inter mille vix uni contingit. In delicatioribus Subjectis loco Setaceorum & Veſicatoriorum etiam Sacculus Hartmanni ſufficit, ex Pulvere ſeu Farinâ Seminis Erucæ vel Sinapi paratus, qui Nuchæ applicatus Cutim rubefacit, & Ophthalmiam inhibet : vid. *Pr. Chymiatr. pag.* 99.

Confert

Confert quoque *Sapphirus* in Ophthalmiis & nimiâ Oculorum Lippitudine, ſi Circulus circa Oculum ducatur.

Præter hæc & *Internè* ex *Fonte Pharmaceutico* Ophthalmiæ contumaciores, aut ex Lymphæ dyſcraſiâ ſæpiùs recidivantes curandæ veniunt, adeòque, præter *Purgationem* cum *Jalappâ* factam, *Decocta Lignorum*, Radicis Chinæ & Sarſæparillæ, præſertim Ligni Juniperi, & omnia Juniperina, ſunt optima, & à Zacuto Luſitano *lib.* 1. *Prax. Hiſtor. cap.* 13. commendantur. Sic Horſtius *lib.* 2. *Obſervat.* 32. obſervat Ophthalmiam contumacem aliis irritis *Decocto Saſſafras & Lignorum* curatam. Rulandus quoque in *Theſ. Pract. pag.* 61. refert de Muliere quadraginta annorum, quæ Oculi Rubore, Dolore, Lacrymis & Cæcitate diu affecta, poſt alia plurima tentata, decem dierum ſpatio hiſce convaluit. *Purgata* fuit priùs *Pilulis* hinc *Decocto Ligni Sancti* per decem dies uſa, poſt *Sudorem* impoſuit *Aquam Ophthalmicam ex Antimonio*, & ſic convaluit. Conf. Galenus *lib.* 13. *M. M. cap.* 11. & Rolfincius *lib.* 3. *Conſult. Med.* 3. Ac ſanè *Cauſarum Ophthalmiam Antecedentium* magna habenda eſt ratio: Nam *Ophthalmia ex Fumis metallicis*, fruſtraneis Externis, per Interna Mineralia curata fuit ab Horſtio *lib.* 7. *Obſervat.* 27. Sic Bartholinus Ophthalmiam in Prægnante, quoties Uterum gerit, pertinaciter recurrentem, *Sternutatoriis* & Venæſectione curavit, *Cent.* 6. *Hiſtor.* 31. Ophthalmiam Gallicam *Mercurii* ope curatam videbitis in Zacuto Luſitano *lib.* 1. *Prax. Obſerv.* 45. Denique *Cinnamomum* jejuno ſtomacho comeſtum Fluxiones in Oculum promovet, teſte Panarollo *Pent.* 2. *Obſerv.* 28. Quibus inſuper accedunt Alterantia Cephalica & Exſiccantia vulgò dicta, exempli gratiâ Fœniculum, Roſmarinus, Euphraſia, Betonica, Valeriana, & Ligna aromatica, horumque Decocta & Eſſentiæ.

Quoad *Remedia Externa* ſeu *Topica*, ipſis Oculis admovenda, ſunt varia: Practicis pluribus in uſu eſt communi, ut applicent *Lac*, imprimis *muliebre*, nunc ſolitarium, nunc aliis mixtum; ſed peſſimo conſilio: item interdum propter Dolorem quidam applicant *Opium*, ſed ſæpiſſimè periculoſo cum eventu; Opium enim demulcet quidem Dolorem, ſed ſimul in Ophthalmiâ illud & omnia Opiata ſunt nociva, quia facilè Inflammationem ad *Cæcitatem* & *Gangrænam* diſponunt, & inhibent inſenſibilem Tranſpirationem. Sic quoque *Lacticinia* nocent: *Lac* enim quodcunque *ſi recens* inſtilletur Oculis, incruſtat eos unctuoſitate ſuâ, & quaſi ſordibus inficit, unde impeditâ inſenſibili Tranſpiratione ejus, tunc maximè neceſſariâ, Inflammationem potiùs auget: *Si* verò *Lac non recens* applicetur, nocet ſubtili ſuo acore, quoniam Lac muliebre, ſicuti omnia alia Lacticinia, facilè acorem contrahit, & ita aceſcendo Oculum lædit, grumeſcit, & in Caſeum abit; qui Grumi Oculis incumbentes eos excitant maximè ſenſiles, adeoque Ophthalmiam majorem reddunt: unde caveamus nobis ab Opio & Lacte, niſi ſumma urgeat neceſſitas. Rectè igitur Lindanus dicit; ſe ſæpiſſimè vidiſſe Lac & Opium applicatum, nunquam tamen felicem uſum obſervaſſe. Quæ ergò conveniunt in Ophthalmiis *externè*, ſunt imprimis *Sperma Ranarū*, vel per ſe aſſervatum, vel ſecundùm Tachenium deſtillatū; item *Aqua Cancrorū fluviatiliū* ex iiſdē contuſis, & cum putreſcere incipiunt, maturè deſtillatis, elicita, in ſpecie *Aqua Cancrorum fluviatilium* cum *Chelidonio majori* aut Succo ejus deſtillata: de modo vid. Mynſicht *in Armam. Chymic. pag.* 296. item Crollius *in Baſil. Chym.* Item Oleum ſeu potiùs Liquor Florum Cyani, Liquor Florum Calcatrippæ aut Florum Cichorii per deliquium in Furno piſtorio parati, admodùm efficaces & nobiliſſimi ſunt, quos omnes Autores unanimiter commendant. Parandi modus vid. in Schroedero, *ubi de Cichorio*, & Hartmanno, *ubi de Ophthalm.* item in Sennerto, *ubi de Ophthalmiâ pag.* 786. Sed obſervandæ ſunt Encheireſes: Flores Rore matutino humidi Vitro includantur; (Vitra ſint craſſa, & quò craſſiore cruſtâ farinaceâ obducuntur, eò melius eſt;) materia ſinenda eſt aliquamdiu in Aëre ſiccari, ne diſrumpatur. Rarò unâ vice ſequitur Liquor, relinquatur donec bis coquatur Panis, & diutiùs. Nobile Remedium eſt, in quâcunque Ophthalmiâ egregium. Succus Baccarum Herbæ Paridis expreſſus excellens habetur Remedium ad Ophthalmias & Epiphoras; vid. Velſchius *Mictom.* 25. *cap.* 1. *annex. Anno* 4. M. A. N. C. Huc pertinet Phlegma Spiritûs Vitrioli epileptici, quod altera vice prodit, Oleum Sacchari per deliquium, Spongiæ Sambuci, Aquæ Florum Sambuci aut Calcatrippæ, infuſæ & applicatæ. Mucilagines etiam Seminis Pſyllii, Cydoniorum, Fœnugræci, Althææ, cum Aquâ Chelidonii majoris aut aliâ appropriatâ extractæ, addito Saccharo Saturni, & tantillo Camphoræ, etiam ſunt egregiæ, cum Linteis multiplicatis applicatæ, in ſpecie ſi à Cauſâ externâ oriantur Ophthalmiæ: ver. gr.

℞. *Aquæ Fl. hyani* ℥ij.
*Mucil. Sem. Cydon. cum Aquâ Sperm. Ranar. extr.* ℥j.
*Croci* gr. vj.
M. f. Epithema. D. S.

Epithema Refrigerans & Leniens. Vel

℞. *Mucil. Sem. Cydon.*
*Hormini,*
*Fœnugræc. cum Aquâ Chelidon, majvel Flor. Cyani extract.*
ana ℥ß.
*Sacch. Saturni* gr. vj. ix. ad xii.

Diluantur cum ſ. q. *Aquæ Chelidon. major.* vel *Euphraſ.*
uſurpetur pro Collyrio:
D. S. ut anteà.

Nam ipſum *Saccharum Saturni* cum Aquâ appropriatâ dilutum & Oculis impoſitum, eſt egregium Antiophthalmicum. Vel

℞. *Aquæ Euphraſ.*
*Fœnic.* ana ℥j.
*Album. Ovi* Num. j.

poſt conquaſſationem diſſolve
*Sacch. Saturni* ℈j.
M. S. ut ſuprà.

Applicatur tepidè cum Linteis.

*Saccharum Joviale*, ut vocat Lindanus, eſt præſtantiſſimum, quod ſequens eſt:

Teratur *Saccharum Candi* probè contritum, in *Cyatho* vel *Scutellâ ſtanneâ novâ*, *nec uſurpatâ*, cum *novo Cochleari ſtanneo*, idque tamdiu, donec Saccharum benè tritum & agitatū fiat inſtar Plumbi lividum, & quò magis livet, eò eſt melius. Nec poteſtis nimis diu terere, & ſic habebitis optimum Ophthalmicum, quod vel in formâ Pulveris ſeorſim poteſt Oculis inſuflari, vel cum aliis Appropriatis admiſceri; ver. gr.

℞. *Aquæ Plantag.*
*Roſar.* vel *Sperm. Ranar.*
*Fœnic.* ana ℥ß.
*Sacch. Candi Jovial.* ℥ij. vel ℥iij. ad ℥ß.
*Tutiæ præp.* ℈ß.
*Croci Or.* gr. ij. vel iij. ad iv.
M. f. exinde Collyrium.

De quo ter vel quater in die guttæ aliquot in Oculum

lum inſtillentur. Dicit eſſe Anodynum optimum, refrigerare & diſcutere Dolores. *In principio* enim Morbi, dum Dolor, Rubor, Fervor, & Lacrymarum acrium fluxus urget, *Abſorbentia* metallica appropriata imprimis conveniunt, qualia ſunt in ſpecie Tutia præparata, Rubrica, Ceruſſa, Creta, & hinc Flores Zinci, Flores Jovis à Barbette laudati, quæ ſunt appropriatiſſima abſorbentia & correctiva acris plùs minùs Acidi, Oculos inflammantis: quibus addatur *Mater Perlarum*, *Lapides Cancrorum*, *Lapis Calaminaris* exactiſſimè præparatus; verbi gratiâ.

℞. *Aquæ Flor. Cyani*
*Euphraſ.*
*Verben.* ana ʒß.
*Tutiæ præp.* ʒj.
*Matr. Perlar. præp.* ʒiß.
M. D. S.
Aqua Ophthalmica.

De qua Mixturâ inſtilla aliquantulum Oculis, & ſimul madentes Petias impone.

Vel

℞. *Aquæ Chelidon. maj.*
*Euphraſ.*
*Fœnic.*
*Rutæ* ana ʒj.
*Tut. præp.* ʒj.
*Margar. præp.* gr. vj.
*Camph.* gr. iij.
M. S.
Aqua Ophthalmica ſingularis.

Vel

℞. *Aquæ Plantag.*
*Fœnic.*
*Sperm. Ranar.* ana ʒj.
*Tut. præp.*
*Ceruſſ. puleriſ.* ana ʒß.
*Camph.* gr. vj.
*Croci* gr. ij.
ſtent in loco calido:
D. S.
Collyrium.

Facit huc *Collyrium Lipſii contra Ophthalmiam ex Variolis* ſæpiſſimè recurrentem. Caſus notabilis & curioſus: *Deſcriptio* rudis hæc eſt:

℞. *Tut. præp.* ʒj.
*Vitriol. alb.*
*Sarcocoll.*
*Nihil. alb.*
*Aloës lotæ* ana ℈j.
*Camph.* gr. xv.
*Aquæ Fœnicul.*
*Roſar.*
*Chelidon.*
*Pimpinell.* ana ʒiij.
*Album Ovi* Num. j.
*Oſſis Sep.* ʒj.
M. f. Collyrium.

Quo ipſo poſt Variolas ſecutam Oculi Ungulam ſeu Unguem etiam feliciter ſuſtulit.

Vel in eodem caſu convenit ſequens Formula, quam dedi in *Colleg. Formular.*

℞. *Aquæ Plantag.*
*Euphraſ.* ana ʒj.
*Tut. præp.* ℈ß.
*Camph.* gr. v.
*Croci* gr. ij.
M. pro Collyrio: S.
Collyrium.

Inſtilletur aut applicetur Oculo; Viſum præſervat à Variolis.

Porrò Phlegma Aluminis primò prodiens inſigniter laudatur à Poterio, & etiam aliis. Egregium etiam eſt Albumen Ovi cum Aquâ Spermatis Ranarum benè conquaſſatum, in principio applicatum. Egregiè etiam convenit Albumen Ovi cum *fruſto Aluminis* probè concuſſum & conquaſſatum in patinâ ſtanneâ tamdiu, donec *Unguenti* conſiſtentiam adeptum ſit, nunc ſolitariò, nunc ana, reſpectu Albuminis Ovi, vel parum *Aquæ Roſarum* aut *Fœniculi* addendo: Conf. Borellus *Cent.* 1. *Obſ.* 31. Hoc extenditur ſupra Linteum duplicatum, & tepidè Oculis applicatur, conducit in principio Ophthalmiæ.

Vel

℞. *Aquæ Tormentill.* vel *Roſar.* vel *Flor. Cyani*, *Plantag.* ana ʒj.
*Album. Ovi* Num. j.
*Alum.* gr. v. vj. ad viij. vel ℈ß.
Conquaſſentur probè:
D. S.
Mixtura Oculos refrigerans.

Cum quo coincidit, ſi recipiatur *Lithargyr. Aur. pulveriſ.* q. v. idque decoquatur in *Aceti Vini* q. ſ. ita ſurgit Liquor dulcis adſtrictorius, quaſi aluminoſus, qui filtratus per chartam, & cum Linteo Oculis impoſitus, egregiè prodeſt.

Infuſa etiam *Antimonialia* ſunt optima: nempe Aquæ deſtillatæ Florum Cyani & Calcatrippæ, Chelidonii majoris, Euphraſiæ, Fœniculi, &c. optimè infunduntur Croco Metallorum, Vitro Antimonii, aut, quod melius, Capiti mortuo Butyri Antimonii pulveriſato; quæ probè filtrantur. Siquidem ad hunc modum parantur *Aquæ Ophthalmicæ Crollii & Rulandi*, quæ Oculis inſtillatæ, vel cum Linteis multiplicatis, ſunt egregiæ, addendo ſimul, ubi Ardor urget, Saccharum Saturni aut parum Camphoræ, v. g.

℞. *Vitr. Antimonii pulveriſ.* ℈ß. ad ℈j.
Infund. in
*Aqua Flor. Cyani*
*Calcatripp.* vel *Euphraſ.*
*Sperm. Ranar.* an. ʒj.
Stent in loco calido per noctem; manè filtrentur;
adde
*Sacch. Saturni* ℈j. ad ʒß.
*Camph.* gr. iij. vel iv. ad vij.
M. D. S.
Collyrium.

Inſtillentur Oculo, & cum Linteis multiplicatis tepidè applicentur eidem.

Quòd ſi intenſus Æſtus ſimul adfuerit, addi poſſunt Sacchari Saturni ʒß. & Camphoræ gr. v. Vel

℞. *Vitr. Antimonii pulveriſ.* ℈ß. ad gr. xv.
Infunde in
*Aquæ Sperm. Ranar.* vel *Fragor.* ʒiij.
Stent in loco calido per noctem: mane filtrentur.
adde
*Ceruſſ.* vel *Sacch. Saturni ſubtiliſſimè pulver.* ℈j. ʒß. ad ʒj.
*Camph.* gr. vj.
M. S.
Collyrium.

Pertinet denique huc etiam *Vitriolum album*, Germanicè *Gallitz enſtein*, & hinc Vitriolum Cyprium, quæ egregia ad Oculorum Inflammationes ſunt Remedia, ſi ſcilicet horum unum Albumini Ovi indurato & excavato indatur, ut liqueſcat; ſic enim fit Collyrium Ophthalmicum magnæ commendationis: in ſpecie miſceri poſſunt cum Tutiâ præparatâ, ubi Lacrymæ acriores adfuerint.

Vel

℞. *Ov. gallinac. integrum* ad duritiem coctum, & dempto Vitello excavatum.
Cui immitte
*Sacch. Saturni* gr. vj.

*Vitriol.*

*Vitriol. alb.* gr. viij.
*Camph.* gr. ij.
*Mell. Roſar.* ʒß.
Hæc indantur Ovo, & fiat expreſſio fortis: expreſſus Liquor inſtilletur ſubinde Oculo:
D. S. ut ſuprà.

Ubi obſervetur, quòd tale Collyrium imprimis conveniat, ubi Lacrymæ non nihil ſunt craſſæ, & ubi inviſcantur Palpebræ Oculorum.

Quantum enim valeant Miſturæ ex Vitriolo albo in Ophthalmiis, vid. in Riverii *Praxi*, Barbette *Chirurg.* p. 150. & Thonero *in ejus Obſ. pag.* 116. ad cujus imitationem aliquoties præſcripſi:

℞. *Aquæ Roſar.*
*Plantag.* ana ʒij.
*Solan.* ʒj.
*Vitrioli albi* ϑj.
ſolve, filtra, & adde
*Tut. præp.* ϑj.
M. D. S.
Collyrium.

Hoc Collyrium benè agitatum cum Linteo imbuto & expreſſo tepidè applicatur Oculis, quod egregiè profuit: interdum aliquot grana Camphoræ addita fuere.

De Aquâ Roſarum vid. Tachenius *in Hippocr. Chym.* cujus loco potiùs Aqua Florum Cyani vel Spermatis Ranarum ſumi poſſet.

Aliam Formulam vid. in *Colleg. Form. l. a.*
Vel
℞. *Aquæ Chelid.*
*Fœnicul.* ana ʒvj. ad ʒiß.
*Vitriol. alb.* gr. iij. iv. vj. viij. ad ϑß.
diſſolutis & filtratis adde
*Tut. præp.* gr. iij. iv. v. vj. ad ϑß.
M. pro Collyrio, Oculis applicando.
D. S. ut ſuprà. Vel
℞. *Aquæ Chelid. maj.*
*Flor. Cyani*
*Calcatrippæ* ana ʒj.
*Vitrioli albi* gr. xij.
ſolutum filtratur per chartam: adde
*Tutiæ præp.* ϑʒ.
M. D. S.
Collyrium. Vel
℞ *Aquæ Fœnic.* vel *Rutæ*,
*Euphraſ.*
*Flor. Cyani* ana ʒß.
*Vitrioli albi* gr. iv. vel viij.
Solutionem filtra per Chartam emporeticam:
adde
*Sacch. Jovial.* ʒij.
M. f. Collyrium.
D. S. ut ſuprà. Vel
℞. *Vitrioli alb.* ϑß.
*Aquæ Chelidon. maj.*
*Fœnic.*
*Flor. Cyani* ana ʒvj. ad ʒj.
filtra & adde
*Tut. præp.* ϑß.
M. S. ut ſuprà.
Calidè inſtilletur Oculo. Vel
℞. *Aquæ Euphraſ.*
*Flor. Cyani* ana ʒiß.
*Vitrioli de Cypro* ϑß.
ſolve & filtra:
adde
*Tut. præp.* gr. xv.
M. S. ut ſuprà.

Ac ſanè *in Statu* Morbi mirabiliter conveniunt hæc *Collyria Vitriolacea*, quorum aliquot egregia Exempla videbitis in Barbette *Praxi*, *ubi de Catarrhis.*

Cum his tamen ſimul obſervetur differentia Lacrymarum aut Sordium in Oculis: ubi enim ſunt viſcidæ, glutinoſæ, ibi Dilutiora magis conveniunt; ubi ſunt nimis copioſæ, ſed non acres, moderatè Adſtrictoria, ſpeciatim Vitriolacea, conducunt; ubi verò acriores ſunt & corroſivæ, in tali caſu ſemper Remediis ſimul pro his temperandis Metallica fixa addenda ſunt, v. g. Tutia præparata, Ceruſſa, Saccharum Saturni, Lapilli Cancrorum præparati, Lapis Calaminaris, Margaritæ præparatæ, imprimis Flores Zynci, vel Flores Iovis, quos Barbette *l. a.* inſigniter commendat in corroſivis & acribus Lacrymis, & inde ortis Ophthalmiis. In Bartholini *Act. Med. Hafnienſ. Vol. 2. pag.* 302. ſequens laudatur Unguentum.

℞. *Ungu. Nihili*
*de Tut.* ana ʒij.
*Marg. præp.*
*Corall. rub. præp.*
*Lapill. Cancr. præp.*
*Tutiæ præp.*
*Sacch. Saturni* an. ϑj.
*Camph.* gr. xij.
*Fol. Auri*,
*Lunæ* ana Num. iv.
f. Unguentum.

Hora decubitûs Lentis magnitudine cantho Oculi majori indendum, & infra Palpebras illinendum.

Alias Sempervivum cum Foliis Fœniculi contuſum & applicatum etiam elegans Ophthalmicum eſt, incipiente Ophthalmiâ.

Quòd ſi verò Rubor & Tumor Oculi eſt ſaltim ſuperficialis ex Cauſis externis, in ſpecie ex rebus & Pulveribus incidentibus in Oculos, tunc conveniunt leviter Diſcutientia, præter Mucilagines ſuprà præſcriptas; egregium Remedium eſt *Fruſtum* recens *Carnis vitulinæ vel bovinæ crudæ*, magnitudine & craſſitie Thaleri, tempore decubitûs Oculis admotum; hoc enim Ardorem, Rubedinem & Tumorem Oculorum à Cauſâ externâ inſigniter diſcutit.

*Quòd ſi Malum ſit occaſione Aëris inclementioris, cùm Ventus aliquid adflaverit*, ſimiliter *Mucilagines* jam laudatæ ſunt optimæ.

Cæterùm ſæpiùs urget in Ophthalmiâ intenſiſſimus *Dolor* & *Ardor Oculi*, Malum exaſperans, pro quo, etiam illis in caſibus, compeſcendo nil melius eſt *Cataplaſmate ex Pomis dulcibus* & benè odoratis, ſub cineribus aut cum Aquâ appropriatâ coctis, parato; v. g.

℞. *Pom. Borſdorff. ſub ciner. aſſat.* vel *Poma recentia* Num. iij.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ Flor. Cyani*, vel *Euphraſ.* & *Roſar.* ad mollitiem, trajiciantur per Setaceum:
Pulpæ trajectæ adde
*Tutiæ præp.* vel *Sacchar. albiſſ.* vel *Jovial. Lind.* ʒij.
*Camph.* gr. x. vel xij.
*Croci* gr. iij. vel iv. vel v.
M. f. Cataplaſma: D. S.
Cataplaſma Leniens.

Applicetur tepidè cum Linteis multiplicatis. Experimentum eſt Timæi *von Guldenklee*, contra Dolorem partium, in ſpecie Ophthalmiam, *in Caſibus lib. 1. Caſ. 21. p.* 48. Barbette *in Chirurg.* item Sculteti *in Armam. Chir. Obſerv.* 25. & D. Michaelis *in Colleg. Jonſton.*

Quòd ſi *Ophthalmia ex ictu Apis*, curatur optimè *Collyrio* ex *Alumine & Albumine Ovi* ſuprà dicto.

Quoad *Ophthalmias Nothas* ſeu *Siccas*: eadem ferè conveniunt: Præcipuè tamen *Aquæ Cancrorum*, *Mucilaginis*, *Alumen* cum *Albumine Ovi* ſuprà laudatum; item Lithargyrium in Aceto coctum, modo ſupra laudato egregium eſt.

Vel

℞. *Butyr. rec. non salit.* ℥ß.
*Sacch. Saturni*
*Tut. præp.*
*Lap. Calamin. præp.* ana ℈j.
*Camphor.* gr. j.
M. f. Linimentum.
D. S.
Unguentum Ophthalmicum,
quo Palpebræ sæpè illinantur.

## CURA EPIPHORÆ.

In *Curâ Ophthalmiæ magis Serosæ* seu *Epiphoræ*, Causarum habenda est ratio: unde

1. Læsio & irritatio à *Causâ externâ* est *removenda*, & inducta læsio corrigenda.
2. *Lymphæ* interdum vitium, ejus scilicet *Aciditas & Acrimonia* Internis Catarrhalibus generalibus est corrigenda; unde quæ in genere in Catarrhis laudantur, hîc observanda: exteriùs verò Acrimoniam ejus temperantibus, & blandè adstringendo Humorum excretionem impedientibus, succurrendum, ubi ferè in genere ea conveniunt, quæ jam in Ophthalmiâ commendata fuerunt.
3. *Glandularum Tonus* laxus blandè *Adstringentibus est firmandus.*

De *Sternutatoriis* res est dubia, an in Affectibus Oculorum Lacrymalibus aut in quibusdam aliis conveniant? Et sanè unumquemque terrere debent Exempla ab experto Hildano adducta *Cent.* 1. *Observ.* 24. item *Cent.* 2. *Observ.* 13. item *Cent.* 4. *Observ.* 12. & 13. ubi inter alia Sternutatoriis, aut nimiis, aut in Affectibus Oculorum aliàs adhibitis, Cæcitatem inductam refert. Econtrà suadere eadem possunt ea, quæ habet Bartholinus *Cent.* 3. *Epistolarum pag.* 267. & *Cent.* 4. *pag.* 411. & 523. Et hæc ipsa roborari possunt ex Stenone, qui observat Vasculum quoddam excretorium ex utroque Oculo ad Nares tendere, & sub ejusdem Membrana intimâ per longum ejus protendi, & tandem in Narium cavum aperiri: ratione cujus Vasculi non rarò Collyria seu Medicamenta Ophthalmica externè Oculis applicata, subinde in Ore paulò post gustata fuerint, ratione istius Ductûs, quo in Nares, hinc in Os, Medicamenta Ophthalmica fuere translata. Sed quicquid horum sit, fateor, me esse admodùm timidum in applicandis Sternutatoriis in Oculorum Affectibus: Nam Hildani vestigia me terrent. Si tamen interdum eadem usurpanda, (1.) applicanda sunt eadem *non in principio*, sed in declinatione; (2.) *sedatâ* jam maxima ex parte *Inflammatione*, quæ ut plurimùm accedere solet; (3.) *moderata applicanda sunt Sternutatoria*, nullo verò modo acriora aut fortiora.

Quæ ergò conveniunt Remedia in Epiphorâ, blandè Adstringentia sunt.

Commendatur igitur sequens Experimentum non inelegans, quod laudat Timæus *von Guldenklee* in Epiphorâ:

℞. *Rad. Tormentill. grosso modo pulv.* ℥j.
*Alum.* gr. v.
*Aquæ Rosar.* vel *Flor. Cyani*,
*Plantag.* ana ℥j.

stent in loco calido per diem & noctem, filtrentur & reserventur ad usum: S.
Adstringens Ophthalmicum.

Tutia præparata, & cum Aquâ Fœniculi subacta, Oculis instillata est egregia. Valdè quoque prodest Decoctum Corticum Granatorum, quod habet Hartmannus *in Praxi Chymiatr. cap.* 36. & etiam commendatur ad præservandos Oculos in Variolis: si adest Tumor, parum de Floribus Chamomillæ potest addi; hoc enim vi suâ adstrictoriâ optimè eam sistit; sicut & illi, si Lacrymæ acriores affligant, Tutia addi potest.

Alii insigniter commendant Cortices Myrobalanorum citrinorum: hos infundunt in Aquâ Rosarum per tres dies, deinde exsiccant atque pulverisant; iterum infundunt, idque ter vel quater: Pulvis ita præparatus mirabiliter Oculorum Lacrymas consumere, & Oculos eleganter adstringere prædicatur.

Porrò Verno tempore, cùm floret Salix, inciso Cortice effluit Liquor, qui Oculis instillatus aut illitus mirabiliter superfluam humiditatem absumere, Lacrymas Oculorum sistere, & hebetem Visum confortare dicitur à Solenandro *Cons.* 8. *sect.* 2. Quidam *commendant etiam ad Lacrymas involuntarias Rutam siccam*, quam miscent cum Melle & Aceto, coquunt, colant per pannum lineum, & Colaturâ Oculos inungunt, & certò Lacrymas sistere dicunt. Thus alii cremare, & septies in Aquâ Rosarum extinguere jubent, & Aquam istam postmodùm Oculis instillant pro sistendâ Epiphorâ. Foreſtus *lib.* 11. *Observ.* 14. commendat hoc Collyrium, quod multis etiam Lacrymis emanantibus cum Oculorum Rubedine, ita ut etiam Ægylops impenderet, profuit, & convenit etiam in Epiphorâ Catarrhali:

℞. *Tutiæ præp.*
*Sarcocoll.* ana ℈j.
*Vitrioli Rom.*
*Sem. Sumach.* an. ℈ß.

Ligentur in Nodulo, qui imponatur huic Aquæ.

℞. *Aquæ Euphras.*
*Rosar.*
*Fœnic.* ana ℥j.

quæ agitata invicem pro Collyrio Oculis instilla, aut his Oculi fomententur.

Decoctum Ossium bubulorum & Palearum Tritici est secretum Burrhi in Epiphorâ, uti hoc videbitis in ejusdem *Epistol. de Humoribus Oculorum restituendis pag.* 54. Liquor seu Oleum Florum Cichorii & Cyani, uti & Liquor Fœniculi saccharatus ex Bartholeto, sunt egregii. Descriptionem communicavi *suprà in Curâ Ophthalmiæ veræ.* Quin Tutia præparata cum Aquâ Fœniculi Oculis instillata admodùm temperat aciditatem; item Saccharum Saturni, Cerussa, Mucilago Seminis Cydoniorum cum Saccharo Saturni, Florum Zynci, Lapilli Cancrorum minutissimè pulverisari, Succinum pulverisatum, & denique Lapis Calaminaris præparatus, qui singulare Remedium dicitur fuisse Paracelsi in talibus casibus. Modus præparandi est:

℞. *Lap. Calaminar.* ℥j.
Pulverisetur subtilissimè & superfund.
*Spiritûs Vini opt.* ℥ß.
Hinc incendatur & consumatur Spiritus:
Remanentia iterum pulverisetur, & superfundatur
*Vini albi clari*, aut loco Vini *Aquæ Rosar.* ℥ij. vel iij.
& ita f. Collyriũ, mane & vesperi applicandum.

Tandem potest etiam usurpari Decoctum Foliorum Cydoniorum, laudatum à Riverio *in Praxi* contra Ophthalmiam, quod exscripsit ex Solenandro: Nempe

℞. *Fol. Cydon.* primo Vere collect. integror. illæsor. & à corruptione diligenter præservator. M. j.
coqu. in *Aquâ puriss.*

quo Decocto subinde Oculi humectentur ac irrorentur. Insigniter commendat hoc ipsum ad discutiendum Ruborem, & etiam curandam Ophthalmiã.

Vel

Vel *Albumen Ovi* Num j. cum *Saccharo Joviali* & *Aqua Rosarum* misceatur, & vesperi Oculis applicetur. Vel *Albumen Ovi conquassatum* cum *Succo Sempervivi* & *Flor. Fabarum* impositum confert. Egregium est, si dimidium Pomi Borsdorffiani putrefacti Nuchæ alligatur: Vid. D. Langius *in Miscell.* Alia, ut Lapis Hæmatites, Aqua Sigilli Salomonis, Aqua Rosarum, Infusio Sumach, Aqua Ophthalmica *Maximiliani Imperatoris*, &c. ex Practicis sponte innotescunt.

Quòd si Pulveres in Oculos incidentes vel aliæ res inducant Epiphoras, tunc optimè retrahuntur hi ipsi beneficio Lapillorum Cancrorum, si scilicet hi imponuntur Oculis, ita, ut pars cava Oculi bulbum tangat, & ita clausis Palpebris agitetur hinc inde in Oculis, & inde subitò illapsa extrahantur. Vidi hoc probatum, Semen Sclareæ Oculis intrusum etiam ad extrahendas res alienas ex Oculis admodùm laudatur. Si incidat in Oculum Festuca vel Palea, extrahitur cum frustulo Succini, priùs panno benè affricti. Si scobs Ferri vel Chalybis in Oculos inciderit, *Magnes* Oculo aperto applicandus secundùm experimentum Hildani *Cent* 5. *Observ.* 21. Modum chirurgicum rem illapsam extrahendi per Instrumentum vos docebit Hildanus *Cent.* 2. *Obs.* 14. item *Cent.* 4. *Obs.* 18.

Denique si Lymphæ concurrat vitium, vel nimia Acrimonia, ea, quæ in Ophthalmiâ Verâ fuere laudata, conveniunt. In specie opera danda, ut Acrimonia salsa temperetur, & acida corrigatur.

## ARTICULUS XVI.

*De Inflammatione Aurium Earumque Ulcere.*

DEnique *inflammantur* etiam interdum *Aures*, nempe Auris interna, ejusque Membrana Meatum auditorium succingens eidem subjecta esse solet.

## CAUSÆ.

Præter *Externa* occasionaliter hæc inferentia, qualia sunt Vulnerantia, aut Contundentia, necnon Auribus intrusa, quorum Exempla videbitis in Foresto *lib.* 11. *cap.* 3. & Hildano *Cent.* 1. *Obs.* 45. subinde etiam sponte suâ ex *Causâ Internâ* eadem concitatur. Nam in Parotidibus Dolor Auris inflammatorius percipitur, qui tamen mox transit.

## DIAGNOSIS.

Cognoscitur ex insigni *Ardore* in Aure, ex Dolore continuo tensivo & pulsatili vehementissimo in Aure, & cernitur interdum *Rubor* quidam Auris externæ, quò magis nempe ad exteriora vergit Inflammatio; quæ ubi fuerit gravior, ad Malas, & Tempora usque se extendit; sicuti, ubi magis interiora inflammantur, pulsatorius Dolor gravior esse solet, in quo casu & *Febris* & subinde *Delirium* etiam, imò & interdum *Motus convulsivi* superveniunt, vid. Forestus *l. a. Obs.* 5.

## PROGNOSIS.

Interdum satis periculosum malum Inflammatio Aurium esse solet; in tantum lethale est, & graviora Symptomata conjuncta habet: nam hæc insensibiliter *discutitur*, aut *suppuratur*, & in *Abscessum* degenerat, qui *Ulcus* Aurium post se relinquit.

*Dum suppuratur*, res non caret periculo, propter Febrem & conjunctum Dolorem, quo interdum Cerebrum ejusque Membranæ periculosissimè afficiuntur, sicque Delirium supervenit.

Pueris & Juvenibus periculosius est, quàm Senibus; hi enim brevi & ante diem septimum mori solent: sin verò superveniat Suppuratio, & Materia in Pus laudabile convertatur, major spes reconvalescentiæ expectanda. Sic enim Epiphanius Ferdinandus *Histor. Med.* 14. *lib.* 1. refert Inflammationem Aurium & Dolorem intensum cum Febre acutâ, Delirio gravi, &c. per excretionem copiosam Puris die Morbi nono, Inflammationis septimo, criticè curatam. Mirabile Inflammationis Auris Exemplum est, quod Bartholinus *Cent.* 3. *Epist.* 17. *pag.* 67. refert, in Abscessu Aurium erumpens Pus & vehens simul secum Dentem, sine defectu Dentis ullius in Maxillis.

Subinde *Hemicraniæ* aliique similes chronici Affectus Capitis, per Abscessum Auris soluæ observantur; vid. Horstius *lib.* 2. *Obs.* 10. *pag.* 444. utut nec Auris Suppuratio propter erosionem Tympani, vel ipsius Nervi Auditorii, aut alia Symptomata graviora supervenientia, omni periculo, ad minimum Surditatis, careat; adeoque insensibilis Inflammationis Discussio tutior est, quàm Suppuratio. Unde si Auris Inflammatio *interiora* magis *occupaverit*, & suppuretur, superveniunt interdum *Ulcera diuturna*, Pus ab Aurium Abscessibus natum Tympani membranam exedit, quæ quandoque integra rejicitur, interdum Put edine absumitur: vid. Horstius *lib.* 9. *Observ.* 8. Cæterùm quòd dicat, Tympani hanc excretionem observatam fuisse citra Auditus læsionem, dubito, & suspendo hac in parte judicium.

## CURA.

In *Curâ Sudorifera* repetita, & *Venæsectio*, aliaque *Universalia* præmittenda sunt: loco verò Venæsectionis *Scarificationes* pone Aures institui, aut harum Venis *Hirudines* admoveri possunt, utpote quarum usu sævas & desperatas Aurium Inflammationes solutas Zacutus Lusitanus *lib.* 1. *Prax. Admir. Obs.* 64. *& lib.* 1. *Princ. Hist. cap.* 14. testatur.

*Externa* quoque nonnisi cautè & consideratis probè omnibus circumstantiis applicanda: Nam talia plus interdum nocent, quàm prosunt. Vid. *Miscellan. A. N. C. Ann.* 6. *Observ.* 82. *pag.* 117. Id quod in specie de actu *Frigidis* aut *Repellentibus* intelligendum venit, quæ etiam rejiciuntur à Riverio *lib.* 3. *Prax. cap.* 3. Schneidero *de Catarrh. specialiss. p.* 181. Septalio *Animadvers. lib.* 6. §. 103. & Hercule Saxonia *Prælect. P.* 1. *cap.* 22. Optimè curatur, vel quando maturè discutitur, vel quando suppuratur, & degenerat in Abscessum. Opera igitur danda est, ut discutiatur quantocyùs Tumor inflammatorius: quod si fieri nequeat, ad Suppurationem perducatur.

*Discutient* Tumorem Oleum Chamomillæ cum Balsamo Sulphuris mistum; Balsamum siquidem Sulphuris per se nobile est: interim si hoc paulò acriùs sit, misceatur cum Oleo Chamomillæ. Præterea etiam conducit Oleum Chamæmelinum, vel Oleum Rosaceum, in quo Millepedes vel Lumbrici bullierint, vel Oleum Scorpionum & Lini, Oleũ decoctionis Lumbricorum terrestriũ, vel Millepedũ. &c. tepidè Auribus instillatũ, vel Oleũ Rosaceũ cum Mucilagine Seminis Cydoniorũ applicatur aut

aut cum Bombace iisdem intincta immittitur; *Oleum Vitellorum Ovorum* egregium est remedium ad Inflammationem Aurium, & laudatur admodùm à Petro Johanne Fabro *Curat.* 53. & 54. & Zacuto Lusitano *Hist. Med. Prin. Histor.* 59. utpote quod non solùm anodynum est, sed etiam in principio Inflammationem discutit, factam verò Suppurationem subitò aperit. Nobilius est Oleum, in quo Cancri fluviatiles contusi bullierint, quippe tale ob Alcali susceptum laudatur à Theodato *in Panth. Hygiast.* tam ad Inflammationem Aurium discutiendam, quàm mitigandam, si instilletur; efficacissimum enim est ad Dolores & Ardores Aurium curandos. *Decoctum Absinthii, Centaurii minoris, Abrotani,* & alia *Aromatica* Auribus immissa, vel Spiritus Vini, vel Spiritus Salis Ammoniaci cum Micâ Panis calidâ Auribus applicetur. Videatur Sylvius *de Morbis Infantum cap. 9. paragr.* 87. Instillantur vel applicantur hæc ipsa cum Bombace Auribus. Item Succus Sempervivi majoris Auribus instillatus egregiè convenit in Inflammatione; nam etiam aperit: v. g.

℞. *Succ. Semperviv. maj.* ʒiß. ad ʒij.
*Ol. Rosar.* vel *Scorpion.*
*Lumbric. terrestr.*
*Chamomill.* ana ʒj.
M. D. S.
Mixtura Resolvens.

Applicentur cum Bombace Auribus, vel instillentur.

*Fomenta* Aurium ex Decocto Plantarum Emollientium & Discutientium externè applicata egregiè conducunt.

His & similibus si non discutiatur Inflammatio, sed ad Abscessum pergat, properemus *ad Suppurationem*, pro qua promovendâ speciatim convenit Cataplasma ex Medullâ Panis albi in Lacte coctâ; addendo Vitellum Ovorum, ut describitur à Riverio.

℞. *Medull. Panis alb.* ℔j.
Coqu. in *Lacte caprino* ad Pultis consistentiam:
deinde adde
*Vitell. Ovor.* Num. ij.
*Ol. Rosac.* ʒij.
*Croci* ℈j. vel ℈ij.
F. Cataplasma.

quod extrà applicatum Auri Suppurationem promovet.

Sicuti in specie Cataplasmata Cepacea, aut Capita Allii sub cineribus cocta, benè contusa & Auribus applicata, has Inflammationes & maturant, & Abscessum aperiunt: v. g.

℞. *Cepar. sub ciner. assat.* Num. j.
*Butyri* ʒß. ad ʒj.
*Olei Chamomill.*
*Amygd. dulc.* ana ʒß.
*Croci* ℈j.

Misceantur, pistentur, & calidè in forma Cataplasmatis Auribus inflammatis ad Suppurationem tendentibus applicentur. Conf. Riverius *lib.* 3. *Prax. pag.* 206. Forestus *lib.* 12. *Obs.* 4. Amatus Lusitanus *Cent.* 7. *Curat.* 92. & Hoeferus *in Herc. Medic. pag.* 62. Vel

℞. *Herb. Malv.*
*Alth.*
*Violar.*
*Flor. Chamomill.* ana M. j.
*Rad. Alth. pulveris.*
*Lil. alb.* ana ʒß.
*Caric. pingu.* num. vj.
Coqu. in s. q. *Aquæ* ad consistent. Cataplasmat.
adde
*Medull. Panis tritic.* ʒiß.
*Farin. Fœnugr.* ʒß.
*Olei Chamomill.*
*Lil. alb.* ana ʒj.
*Vitell. Ovor.* ʒß.
M. D. S.
Cataplasma Maturans.

Post Inflammationem Aurium sequitur subinde *Abscessus*, ad eoque

## *ULCUS AURIUM.*

*Ulcera Aurium* aliàs sunt vel *Vera* vel *Apparentia*: *Vera vel ex Abscessu* post Inflammationem nato, *vel ex acriori Lymphâ* eò delatâ, Meatum interiùs exulcerante; *Apparentia Ulcera* sunt, quando Sanies subinde multi formis ex Auribus effluit, nunc cum, nunc sine præcedente earundem Dolore, qui effluxus subinde diu durat, & quo cessante varia Capitis & Cerebri superveniunt Symptomata, quæ levantur sub Fluxûs continuatione; uti *in Infantibus* subinde observatum est, qui per hujusmodi Aurium Fluxus plùs minùs sordidos à pluribus Malis, tam externis quàm internis, levari solent.

## PROGNOSIS.

*Vera Aurium Ulcera*, si diuturna aut inveterata sunt, facilè *in Fistulam* degenerare solent, vel erodendo occasionem Membranis suggerunt, ut *Hypersarcoma* (Ger. *Wildfleisch*) succrescat; quod Auditum obturet.

*Pus* quod effluit, si sit album, æquale, substantiæ mediocris, melius est, quàm si inæquale, fœtens, sanioſum &c. fuerit.

## CURA.

In *Cura* observandum est, ne *Apparentia* hujusmodi *Ulcera* Aurium, seu effluxus eorundem plùs minùs sanioſi citò nimis sanentur, præsertim in Subjectis vel humidioribus, vel Excretionibus Capitis cutaneis, vel Affectibus Cerebri & Capitis internis obnoxiis, idque in Infantibus imprimis observandum, ne major noxa inde oriatur; sufficit, si modò mundus servetur Meatus Auditorius, id quod optimè mediante *Urinâ humanâ* assequimur.

*Quoad Ulcera Vera*: præmissis præmittendis *Internis*, v. g. *Purgantibus*, aut *Sudoriferis*, aut *Essentiâ Lignorum*, &c. Ulcus mundificandum, & hinc consolidandum venit. *Mundificat* optimè *Urina* humana infusa, aut Urina, in qua *Rasura Ligni Guajaci* maduerit; item Phlegma Urinæ spirituosum.

Vel

℞. *Vini alb. subtilis dulc.*
*Urinæ Pueror.* ana ʒj.
*Mellis* ʒß.
Ebulliant leviter.
D. S.
Mixtura Mundificans.

Quibus tepidè Meatui Auditorio instillatis, aut cum Turundulâ iisdem ebriâ immissis, ac mane & vesperi repetitis, Ulcus mundificabitur.

Item *Succus, vel Syrupus; vel Essentia Absinthii, aut Marrubii*, cum pauco *Melle rosato*, item *Syrupo Nicotianæ*, egregiè conveniunt. Lyserus *in Observ. pag.* 133. refert Ulcus periodicum Auris curatum per instillationem *Succi Marrubii*, misti cum *Melle*. Sic *Alumen ustum* cum Vino mistum, in Aurem si infundatur, potentissimè Ulcus exsiccat. Puer decem annorum Surdus ex Variolis permanens, & cui per tot annos Sanies ex Aure fluebat, liberatus fuit *Succo Cepæ & Rhodomelite* instillato, teste Foresto *lib.* 12. *Obs.* 7.

Deni-

Denique ſi *antiquum & ſordidum Ulcus* fuerit, applicanda venit *Urina Pueri* cum pauco *Unguento Ægyptiaco* imprægnata. Hiſce ſi mundificatum & abſterſum fuerit Ulcus, id quod ex eo patet, ſi minor Sordium ac Puris quantitas effluxerit, *pro Conſolidatione* iſtis modò dictis *Tutia & Pompholyx* addenda ſunt, pro ejuſmodi perfectâ Conſolidatione.

## CAPUT II.

*De Sanguinis Extravaſatione in Peculiarem Corporis Cavitatem.*

## ARTICULUS UNICUS.

## DE

## *EMPYEMATE.*

ABſolvimus doctrinam Inflammationum in genere, & etiam in ſpecie. Jam dictum fuit in principio hujus Sectionis, quòd præter Sanguinis impeditum Refluxum impediatur etiam ulterius ejus Circulus, quando is penitus extra ſua *Vaſa effunditur*, idque vel ex iiſdem *intra ſpatia*, partim intercutanea, in *Ecchymomate* ſeu *Suggillatione*, aut quando effunditur *intra Corpus* & inſigniores ejus Cavitates, vel quando penitus *extra Corpus* effunditur, ut fit in *Hæmorrhagiis*, & hæc conſtituunt alteram ſpeciem ſeu impedimentum Sanguinis circulationis. Quando verò *Sanguis* planè extra ſua Vaſa *in Cavitatem Corporis* quocunque modo *effuſus* mox ad Corruptionem tendit, Acorem contrahit, hinc coagulatur & congrumatur, tandem in loco calido ſucceſſivè fermentando *ſuppuratur*: hæc *Puris inde nati Collectio in quadam Corporis Cavitate inſigniori, Humoribus aliàs vacuâ*, *Empyema* dicitur, ab *Apoſtemate* ſeu *Vomicâ* diſtinctum, quæ eſt *Collectio Puris in quodam Viſcere ex Inflammatione partis cujuſdam inducta.* Ita dum Pus colligitur in Pulmone aut Renibus, eſt *Vomica Pulmonum* aut *Renum*: ſi verò colligitur Pus in quodam Corporis, Thoracis vel Abdominis, cavo, *Empyematis* nomine venit. Cæterùm *oritur Empyema duplici modo*: vel

1. Quando ex Sanguinis à *Causâ externâ* in quandam Cavitatem extravaſati *Corruptione*; v. g. quando quis ex Vulnere Thoracis patitur effuſionem Sanguinis in Thoracem; & ſi Sanguis tranſmutatur in Pus, eſt *Empyema primi generis*: vel
2. Ex *Vomicæ* ſive *Abſceſsûs* cujuſdam Viſceris inflammati interiora versùs *ruptione*, cujus Pus tandem ex parte in Cavum Corporis influit: v. g. quando ex Pleurâ ſuppuratâ ac tandem ruptâ Pus effunditur in Thoracis cavitatem, eſt *Empyema ſecundi generis.*

Veteribus alia horum vocabulorum fuit acceptio, dum propriè loquendo *Vomica* Latinis eſt id, quod Græcis *Empyema*, ſeu Collectio Puris in aliquâ parte, præſertim interiore, & *Empyici* propriè ſunt, quibus Pus in aliquo Viſcere oboritur: ſicut purulentum Hepar Hippocratis *Sect. 7. Aphoriſm.* 45. idem quod *Empyema*. Tale Malum Latinis dicebatur *Vomica*; Ita enim Celſus. Moderni ex ignoratione ſubſtituunt *Abſceſſum*, & in ſpecie *Pulmones purulentos κατ' ἐξοχὴν Vomicam* appellant. Quoniam verò frequentiſſimè poſt Pleuritidem Puris in cavitate *Thoracis* collectio, ruptâ Vomicâ, fieri ſolet, ob id *Empyema* primariò de Puris in Thorace collectione intelligitur, ſecundariò tamen etiam, ſi in aliis locis colligatur. Frequentiſſimè, dixi, quòd poſt Pleuritidem ſuppuratam ſequatur tale Empyema, quoniam Pus in cavitatem Thoracis tandem effunditur. Verùm ſingulare eſt Exemplum, quod refert Lindanus *ſuper Hartmannum*, ſe nempe obſervaſſe in quodam Puerulo, Pleuritide ſuppuratâ affecto, factâ Thoracis apertione pro extractione, & factâ exploratione cum Candelâ (ſecundùm leges Paracenteſeos Thoracis) cereâ; nil tamen Puris fuiſſe excretum: Mortuo tandem Puerulo Thorax pro ſcrutinio Viſcerum fuit apertus, & inventum fuit, quòd ſcilicet Membrana Coſtas ſuccingens, ſeu Pleura, dilatata fuerit in immenſum Saccum, in quo omnis purulenta Materia, tanquam in ſuo receptaculo fuerit comprehenſa, ita ut aperto Thorace nihil potuerit Puris evacuari: id quod ſæpiſſimè fieti arbitror.

## CAUSÆ.

*Cauſæ*, propter quas Sanguis aut Ecchymomata conſtituit, aut extra ſua Vaſa intrà Cavitates partium effundatur, congrumeſcat & ſuppuretur, rarò aut nunquam ſunt *Internæ*, ſed ſemper Læſiones, aut imprimis injuriæ *Externæ*, nempe *Vulnera* punctim facta, vel *Contuſio* partium internarum. De *Vulneribus* penetrantibus notum eſt, quòd non ſine Sanguinis ex Vaſis in Cavitatem Corporis ſingularem effuſione fiant: *Ex Contuſione*, ſi lacerantur Vaſa Intercutanea capillaria, & Sanguis in partibus ſubcutaneis externis hæreat, oritur ſanguinis *Suffuſio* ſeu *Ecchymoma*, ad Chirurgiam pertinens: ſin verò interiora loca occupet, hujus eſt conſiderationis.

*Ad Contuſionem* pertinet in ſpecie *Caſus ab alto*, in quo vel *Ruptione* Vaſorum, vel Partium violentâ *Contorſione*, aut earundem nimis validâ *Contuſione*, vel alia *Laceratione*, ex laceratis plùs minùs Vaſis Sanguis per Vaſa læſa effunditur, inque certam Corporis Cavitatem infunditur, ita ut hæc Contuſio ſit una ex primariis Cauſis. *Sanguis* ergò extra Vaſa effuſus ex his Læſionibus externis, *in Cavo collectus*, & ex vitali conſortio proſcriptus, mox ad Corruptionem tendit, hinc Sanguis ita coagulatus immediatè Acorem præternaturalem anteà occultatum contrahendo ſpiſſeſcit ſeu coagulatur, aut in Grumos abit. Similis hîc eſt ratio atque cum Lacte, quod facilè levi ex Corruptione aceſcit, & magis magiſque grumeſcit: id quod multò magis faciet Sanguis Lacte genitus, in quo particulæ ſalinæ copioſiores exiſtunt, dum nutritivæ temperatiores & oleoſæ in partium nutrimentum abeunt. *Sanguis* occulto tali Acore *grumefactus* ſucceſſivè incipit *fermentare*, dum Acidum in Sanguine coagulato cum Alcali volatili Maſſæ Sanguineæ ſatis copioſo concurrit, donec mutuâ Fermentatione tandem in Salſum tertium, nempe *Pus*, abeant. Omne autem Pus eſt ſaporis Salſi, quatenus nempe generatur ex Alcali & Acido; album & lacteum verò à præcipitatione Sulphuris Maſſæ Sanguineæ, ſoluti ab Alcali ejus volatili (quod anteà dabat colorem rubeum) factâ per Acidum præternaturale, unde, illuſtrante rem Chymiâ, emergit Puris Color albus, & tunc mutato nomine *Empyema* dicitur; cujus *duplicem fiendi Modum* ſuprà inſinuavi.

*Duobus ergò modis generatur Empyema*: vel *immediatè ex Sanguine* in Partis Cavum effuſo, corrupto & ſuppurato: vel *mediatè ex Sanguine Partem* quandam *priùs inflammante*, hinc Apoſtema faciente, cujus Pus ex parte in Cavum Corporis influens, Empyema conſtituit. *Prioris exemplum* ſuggerit Vulnus Thoracis penetrans cum copioſo Sanguinis interiora versùs influxu, hinc in Pus corruptione: *Poſterioris*

*rioris exemplum* dat Pleuritis suppurata, cujus Pus rupto Abscessu in Thoracem effluit. His modis generatur Pus ex Sanguinis effusione in Cavitates Corporis. (H)

DIA-

(H) Nota Cyrilli. *Puris ex Sanguine restagnante generationem hoc pacto accidere putat* Sylvius Deleboë: *cùm nempe ex Sanguine in partibus subsistente mox incipiunt evanescere partes spirituosæ magisque volatiles ac subtiles, tum acidas tum salinas temperare solitæ, unde utræque acriores factæ acriùs in se mutuò insurgunt, effervescentiamque, ob partes Sanguinis oleosas præsentes, calidam excitant, quin paulatim Sanguinem ita corrumpunt, ut in Pus vertatur. Hæc* Sylvius.

*Ego verò addiderim quòd ad motum effervescentiæ, quem concipiunt partes salinæ acidæque Sanguinis, non tam ipsæ ex seipsis cieantur, quòd tantùm compedibus partium spirituosarum jam sint extricatæ; sed etiam existimo ad illum concurrere, imò esse veluti causam efficientem, Spirituum animalium (qui multâ materiâ cœlesti, ad effervescentias concitandas necessariâ, turgent) ad partem inflammatam velociùs confluentium impetum atque nixum, quo scilicet particulæ acidæ salinæque concitæ effervescentiam concipiant. Idque vel ex eo verum esse existimaverim, quòd Sanguinem è corpore animalis eductum, grumefactum quidem observare possumus, nequaquam verò in Pus verti expectabimus, etiamsi ex illo particulæ spirituosæ, magis quàm ex Sanguine in parte corporis restagnante, evolent. Imò ausim dicere, nec Sanguinem effusum in ampliores corporis cavitates posse in Pus verti, sed tantùm grumefieri, quum ad illius jam effusi particulas Spirituum animalium actio pertingere commodè non possit: & si quandoque amplæ corporis cavitates Pure refertæ inveniuntur, illud non tam in ipsis cavitatibus genitum est, quàm ex circumjacentium Tuberculorum & Vomicarum disruptione, vicinorumque Ulcerum destillatione illuc confluxit.*

*Atque hinc reddi potest ratio, cur membra Gangrenâ affecta Sanguinem quidem congrumescentem etiam in ipsis vasis exhibeant, minimè verò in Pus versum; ad partem enim Gangrenâ prehensam Spiritus animales non perveniunt, atque adeò, quum non possint particulæ Sanguinis effervescentiam concipere ad Suppurationem necessariam, Pus non generatur. Ad hoc enim ut Gangræna in membro aliquo introducatur, non sufficit si Sanguis in illo motum circularem amittat; sed requiritur ut denegato influxu Spirituum, pereat quoque in Sanguine motus fermentationis & intestinus.*

*Huic igitur hypothesi insistentes pro vero habere possumus assertum Clariss. Viri* Caroli Drelincurtii; *qui referente* Dom. Guyot, *publicè sustinuit, Sanguinem intra Vasa subsistentem non posse putrefieri, & in Pus verti, sed tantùm grumosum, atrum, aridumque ex diutinâ morâ reddi. Idque & Ratione & Experimentis probat. Ait enim mixtorum putredinem, corruptionemque præcipuè ab Aëris actione pendere, quâ quidem illarum particularum integrantium solutio atque secessus promovetur: ita ut si quâcumque industriâ hæc Aëris actio arceatur impediaturque, mixta à corruptione diutissimè præserventur. Sic si cerâ, arenâ, sale, conditurâ quâcumque impetum declinemus ambientis, quamplurima mixta putredini obnoxia ad longum tempus conservabimus, quemadmodum videmus flores, fructusque in Recipiente Boyliæo clausos diù intactos conservari.*

*Hoc supposito ait, Sanguinem effusum in partium interstitia stagnare, & in Pus converti posse; verùm si in suis Canalibus contineatur, etiamsi per plures dies subsistat, putrescere nequit. Nam in partium poros effusus in globulos præcipitatur (ut ipse loquitur) atque sic meatus sibi anteà ad refluxum pervios, impervios habet; stagnat igitur inibi concretus, atque adeò injurias patitur ambientis, cujus mobilissimæ partes inspiratæ & transpiratæ grumulos illos ita impetunt, ut ex iis paucos difflent, atque discutiant, plurimos autem putrefaciant atque in Pus vertant. At cum Sanguis intra sua Vasa subsistit, horum membranæ densæ, atque exiguis aut incorrespondentibus præditæ porulis, ingressum denegant particulis Aëris, ne in illius particulas vim faciant, eumque corrumpant.*

*Rationi addit Experimenta quamplurima, & præcipuè quia Sanguinis in Varicibus, in Aneurismatibus, atque in Hæmorrhoidibus ad longum tempus remoram patitur, nec tamen in Pus vertitur: quemadmodùm & in membrorum amputationibus, Sanguis in Vasis transversim cæsis necessariò subsistit, attamen sine putrefactione. Quin & Clarissimus Autor in Canibus Sanguinem intercepit inter duo ligamina trunci Caroticarum, & post hebdomadas aliquot Sanguinem nequaquam putridum, sed grumefactum toti Academiæ sæpe-sæpiùs ostendit. His igitur argumentis putat* Drelincurtius *Sanguinem intra Vasa subsistentem in Pus verti non posse, sed tantùm cùm extra Vasa effunditur.*

*Quamquàm autem id verum esse concedamus, præcipuè in Vasis majoribus remorato Sanguine; verùm si remora fiat in Vasis capillaribus, qui ex Sanguinis infarctu præter naturam dilatentur, ac aliquantulùm dilacerentur, excitato inibi dolore, atque, ex confluxu Spirituum, fermentatione; haud video quare Sanguis ille ex fermentatione præternaturali non possit in Pus mutari. Quod si Sanguis in Caroticis ligaturâ utrinque factâ detentus non putrescit, fit quia Sanguis ibi subsistens nequaquam Vas turgere facit, sed hoc suam servat amplitudinem: dilatatio verò in Varicibus, Aneurismate, atque Hæmorrhoidibus observabilis sensim facta est absque dolore, adeoque absque violentâ fibrarum distractione, & absque Spirituum confluxu, ex quorum actione fermentatio suppuratoria oritur. Non negaverim tamen id nos vulgò in Praxi observare, quòd Suppurationes ferè semper Sanguis extra Vasa eruptionem sequantur.*

*Verum etsi id concedamus, haudquaquam autem id facimus Argumenti Drelincurtiani pondere coacti. Nam habet quidem vim Aër corpora mixta putrefaciendi, nequaquam tamen ille Putredinis adæquata causa est reputandus. Siquidem corpora in imis Terræ visceribus abscondita putrescunt quoque & corrumpuntur. Imò si hoc Argumentum aliquid probaret, nimis probaret, adeoque nihil; Nam si Sanguinis in Pus conversio ab Aëre penderet, Sanguis in scutellam effusus deberet in Pus verti, quod falsum est. Atque insuper si Sanguis in Vasis contentus putrescere nequit, quippe qui cum Aëre communionem non habet; nec Sanguis intra Viscerum cavitates effusus in Pus verti posset, nam Aëris externi impetum non pateretur. Hoc autem falsum est experientiâ teste, & fatetur idem* Drelincurtius, *qui* Hippocratem *citat dicentem 6.* Aph. 20. Si in ventrem Sanguis præter naturam effusus fuerit, is suppuretur necesse est. *At notandum quod principio diximus, Pus in cavitatibus corporis contentum, potiùs ex Ulceribus circumjacentium partium, depluere, quàm ex Sanguine in ipsas cavitates effuso genitum esse.*

## DIAGNOSIS.

*Signa Causarum* ipsarum per se patent, cognoscendum saltim est, *an Sanguis grumosus in quodam loco colligatur? aut etiam Pus in quodam loco coërceatur?* Cognoscitur hoc imprimis ex antecedentibus Causis, nempe Læsione externâ, & ex Symptomatibus junctis.

Cavitates autem Corporis insigniores, in quibus Sanguis effusus corrumpitur, imprimis sunt tres: vel *Abdominis*, vel *Pectoris*, vel *Capitis*.

In specie ergo 1. *Sanguinem collectum & congrumatum in Abdomine hærere*, non rarum est, quod fit per Vulnera Abdominis, in specie Contusione & Casu ab alto. Hoc, præter *Vulnus* penetrans, imprimis ostendit Abdominis *Tumor*, hinc inde sparsus *Livor*, primùm per superficiem Abdominis, & quasi plumbea Nigredo: post Sanguinis effusi grumescentiam & suppurationem, *Durities* quædam & *Renisus* Abdominis ad tactum in superficie Abdominis, præsertim in loco, ubi est Sanguis grumosus, non simpliciter ex repletione, sed ex tensione Membranarum Peritonæi, quæ quasi Spasmo laborant, horrentibus Partibus viventibus Cadaver Sanguinis. Ad hoc non rarò superveniunt *Lipothymiæ* vagæ, ex consensu cum Stomacho affecto, item *Virium* defectiones insignes, *Respirationes* non nihil impeditæ, & interdum *Tumor* & *Abscessus* circa Inguina, per quos Sanguis effusus interdum felicissimè evacuatur, & similia Symptomata.

Quoad 2. *In Pectore esse collectum Sanguinem* ibique congrumatum & suppuratum, monstrant, præter Causas Antecedentes, insigniores *Respirationis læsiones*, *Tussis* admodùm molesta, *Dolores Pectoris* varii, imminens & frequens *Syncope*, *Virium* prostratio insignis, *Gravitas* ac Pondus circa Costas Nothas, extremorum *Frigus*, *Febris* plùs minùs acuta; quæ omninò comprobat modus læsionis; v. g. si quis cadit ab alto, & frangit Costas, consequenter propter ruptionem Vasorum Costis subjectorum necessariò sequitur Sanguinis in Pectus effusio: Item si quis fuerit punctim aut cæsim læsus, mox infra Costas, ubi sunt Venæ & Arteriæ, tunc est Signum effusi Sanguinis in Thoracem, & factæ ejusdem congrumationis, corruptionis, & sic Empyematis.

Denique, quoad 3. *In Capite & sub Calvariâ ejusdem collectum esse Sanguinem congrumatum*, monstrat, præter *læsionem* externam, *Dolor* ejus gravativus, item *Sensus* insignis *Pulsationis* in Capite hinc inde perceptibilis, propter motum Arteriarum impeditum, *Oculi* nonnihil sponte lacrymantes, uti *Artic.* 15. *Capit.* 1. de Ophthalmiâ dictum, & *Rubor Faciei*, superveniunt etiam Symptomata Stomachi, imprimis *Vomitus* bilioši, *Nausea*, ac interdum, sed rarò, *Singultus* &c. quæ Pathemata si superveniunt Læsionibus Capitis, Signum sunt, Sanguinem in Caput esse effusum & grumosum. *Sanguis* nunc per Os, nunc per Nares, nunc per Aures, *exitum molitur*, quæ magis Sanguinem intra Meninges cerebri effusum & congrumatum indicant: Quibus septimo vel octavo die accedunt *Vigiliæ* pertinaces, *Aphonia*, & similia, quæ gravius Malum portendunt; Interdum Ægri obstupescunt, aut brevi post Læsionem *stupidi* redduntur: Accedunt denique Causæ Antecedentes, aut validâ Contusione Cranium affligentes, aut forti Incisione Cranium dividentes. *Sanguinem* verò *intra Calvariam effusum ac congrumatum suppurari*, testantur *Febris* superveniens intensior, plùs minùs acuta, pro varietate circumstantarum; item *Ardor* in ultâ parte, in qua fit Suppuratio: accedunt insigniter *Præcordiorum Anxietates*, *Vigiliæ*, & interdum *Deliria*, &c. In specie ex *Rigore & Febri* Suppuratio se manifestat.

Hæc ipsa posteriùs enarrata Signa etiam ostendunt *Sanguinem in alio loco congrumatum ad Suppurationem tendere*, quia interim in loco quodam externo, v. g. si Sanguis coagulatus in Abdomine hæreat, circa Inguina oritur *Abscessus*, in quo & per quem Sanguis congrumatus & suppuratus postmodùm feliciter evacuatur.

*Empyema jam factum*, seu Pus collectum facilè ex eo cognoscitur, quòd remittat Febris, Æstus ac reliqua Symptomata, quin potiùs *Fluctuatio* quædam *Puris* hinc inde percipitur.

*Quod attinet alteram speciem Empyematis*: ea est, quando Abscessus suppurati ex Inflammationibus nati aperiuntur, & ex iis apertis Pus in Corporis quandam Cavitatem effunditur, inter quæ istud gravissimum est, quod fit post Pleuritidem & Peripneumoniâ suppuratam; quæ uti sunt altioris indaginis, ita & difficilioris cognitionis & Curationis.

Cùm ergò frequens sit *Empyema Thoracis*, ex *suppuratâ Peripneumoniâ* notum, specialiter probè cognoscendum est; hinc loco omnium proponam, ut de reliquis simile fieri queat judicium. *Signa ejus*, sive fiant à Vulnere, sive Inflammatione aut Pleuritide (præter ea, quæ Pleuritidem suppuratam comitantur, si Materia intra quatuordecim dies Sputo non rejiciatur, vid. Hippocrates *lib.* 5. *Aphor.* 8.) *Rumpitur* autem Vomica circa vigesimum, interdum trigesimum, aut quadragesimum diem. *Dum verò rumpitur* Vomica, *Rigor* fit, & *Febris* intensior supervenit: vid. Hippocrates *lib.* 5. *Aphor.* 5. adest *Tussis continua* & frequens, item obscura; & quasi è profundo cavoque producta, Sonus est obscurus, quia tota hæc Tussis actio est à Diaphragmate, non verò Pulmonum: Illud enim gravatur ab incumbente Pure. Porrò inter tussiendum sentiunt Ægri in cavo Pectoris *Concussionem* aliquam & fluiditatem, ac imprimis in eo Thoracis medio, ubi est Pus effusum, quia Materia Diaphragmati incumbens, per Tussim agitata & sublata, denuò recedit, adeò ut sæpè nihil excernatur; In progressu verò post multos demum tussiendi conatus Materia plùs minùs purulenta excernitur, & tandem etiam aliquid sanioši. *Febris* adest, quæ in principio magis *acuta* esse videtur, in progressu verò mitior & *lenta* magis redditur, ad Hecticarum ferè naturam accedens, quæ vesperi præsertim exacerbatur, & circa noctem vehementior est. *Respiratio* semper est gravis ac difficilis, unà cum sensu gravativo Pectoris, quando Patientes stant aut sedent. Si verò decumbunt, in specie in Dorso sentiunt aliqualem *Fluctuationem*, & decumbendo optimè se habent, & sine molestiâ ferè respirant. Quando verò inclinant, v. g. Calceos aut solvere aut ligare volunt, videntur *suffocari*; hinc enim à pondere Puris incumbentis Diaphragmati, & Pulmones inundantis, Diaphragmatis motus ferè antrorsum versus impeditur. *Anxietates* subinde vexant, superveniunt interdum *Palpitationes Cordis*, item *Sudores colliquativi nocturni*; ulteriùs sentiunt frequentissimè *Evaporationes* ex Pectoris cavo ad Os adscendentes instar Aquæ calidæ ac in specie *Mala* è regione partis affectæ subinde Phlogosi quâdam, nunc apparente, nunc transeunte, *rubet*, ita ut quando Empyema sinistrum latus occupat, Mala quoque sinistra Phlogosin patitur. Tandem in ulteriori Mali progressu percipiunt frequenter *Saporem* quendam tetrum cinereum & quasi putridum continuò in Ore. *In Pulsu* talium hoc est singulare, quòd creberrimis vicibus in unâ aut alterâ

Pulsa-

Pulsatione intermittat, idque in specie, si tangatur in Carpo Lateris affecti, in altero Carpo Pulsu subinde se ritè habente; ita ut intra quatuor Pulsationes semel penitus cesset, quod etiam in Pleuriticis fit gravioribus. *Pustulæ* in Thorace erumpunt cum reliquis Phthiseos aut Tabis phænomenis; vid *Sect.* 5. *Aph.* 15. *Prognost. Tex.* 16. §. 11. 12. Ac denique, si in dextro Latere est Empyema, tunc decumbentes in eodem benè habent; Sin verò decumbunt in sinistro Latere, malè habent, & contrà. *Tumor* Intercostalis mollior comparet, vid. Platerus *Obs. p.* 734. aut potiùs, annotante Riverio *Prax. lib.* 7. *cap.* 4. Latus affectum Tumorem œdematosum monstrat à tenuioris Materiæ aliquali transudatione. Plura videbitis in Hippocrate *Progn.* 16. §. 6. 7. &c.

## PROGNOSIS.

*Prognosis variat* in his Affectibus pro quantitate Sanguinis effusi, & pro qualitate Loci in quem effusus est, quod etiam intelligendum est de Pure. Nam Sanguinem collectum plùs minùs congrumatum subitò evacuari, aut si hoc non citò fiat, suppuratum facilè per vias Naturæ consuetas, vel per factum & apertum quovis in loco Abscessum excerni, optimum est. Si hoc non fiat periculosum est; nam ex Pure retento interdum Gangræna & Partium Corruptio lethalis infertur.

*Casui ab alto*, Percussionibus & Læsionibus Capitis si superveniunt Vomitus, funestum est Signum; innuit enim gravem læsionem Cerebri, Cranii & Meningum, & nisi tempestivè instituatur Trepanatio, Mors sequitur.

*Febres* interdum periculosæ his Affectibus superveniunt, interdum *Ulcera* internarum Partium, adeoque Phthisis & Tabes accedunt, interdum Gangrænæ, & consequenter Mors sequuntur.

Ac in specie *Empyema Pectoris*, ut plurimùm ex læsione Pulmonum, nisi maturè curetur, Phthisin Pulmonalem & Tabem infert; si verò Sanguis in cavitatem Abdominis effusus suppuretur, frequenter Apostemata circa Inguina infert, eaque salutariter.

Sanguis in Capite infra Cranium collectus est Malum peracutum, & ut plurimùm lethale, quia citiùs Ægrum Morti tradit, antequàm ad Suppurationem veniat, proin ei maturè exitus procuretur.

*Urinæ* rubræ, turbidæ, cum Sedimento multo in lateribus Matulæ, indicant communiter læsionem Visceris cujusdam interni, præprimis à Causâ externâ, à Verbere, vel Casu; hinc Natura malum à bono segregat, & pro levamine Ægri instituit. Præcipuè autem illud Sedimentum in lateribus indicat Pinguedinem renalem dissolutam, & cum Urinâ excretam.

(*Tunc temporis Dn. D. Ettmullerus nobis monstrabat Urinam talem Civis cujusdam Lipsiensis, ab Ictu fortiori læsi.*)

*Prognosin in Empyemate Pectoris Hippocrates* 2. *Progn. tex.* 17. §. 9. 10. &c. innuit, *evasuros* scilicet, *quos Febris aut ruptura deserit, qui cibum citiùs appetunt, non ampliùs sitiunt, nec Diarrhœâ laborant, & Pus leve, album, & æquale exspuunt; econtrà morituros, quibus Symptomata illa permanent, aut recrudescunt, cum Puris flavi, viridis, lividi, fœtidi, viscidi & spumosi exspuitione: quibus accedit Dyspnœa major minorve, quorum illa ob Puris copiam celeriter suffocat, hæc salutem promittit*: Item *Sect.* 5. *Aphor.* 15. *si Empyema intra quadraginta dies & noctes sputando, aut aliâ ratione,* v.g. per Urinam, *non expurgetur, in Tabem degenerat.*

Suppuratio, quæ utramque Thoracis partem occupat, periculosior est, quàm quæ unicam.

Quibus robustis viribus Pus per Alvum aut Vias urinarias copiosè excernitur, evadunt.

Quicunque suppurati uruntur aut secantur, si Pus purum & album fluat, evadunt; secus quibus subcruentum, fœtidum, &c. vid. Hippocrates *lib.* 7. *Aphor.* 45. item quorum Pus specillum argenteum velut ignis tingit: vid. Willisius *Pharm. Rat. P.* 2. *pag.* 193.

## CURA.

In *Curâ* considerandus est Sanguis effusus, & postmodùm Pus ex eo genitum. Sanguinem effusum & congrumatum quod attinet, sive illud sit à Vulnere, sive Casu ab alto acciderit, eô primariò est incumbendum, ut

1. Sanguinis *Grumi resolvantur*. Et hinc
2. Per convenientes vias quantocyùs *evacuentur*.
3. Quòd si Sanguis affusus vel dissolvi ante Suppurationem commodèque evacuari nequeat, *Suppuratio promovenda* & *Febris* adjuncta tunc nonnihil *mitiganda* est.
4. *Pus* factum per debitas vias quantocyùs *evacuandum*.
5. *Læsio Partis à Pure curanda*, & in integrum restituenda, quod in omni Empyemate æqualiter obtinet.

*Viæ* istæ *convenientes*, per quas tam Sanguis grumosus, quàm Pus exinde genitum, ex Corporis Cavitatibus evacuatur, sunt eæ, ad quas vel sponte vergit *Natura*, & monstratur nobis imprimis à Loco, in quo Sanguis congrumatus hæret, quando interdum evacuatur per vias consuetas, *Alvum*, *Sudorem*, *Urinam*: interdum per alia Loca, vel quas docet *Ars* per vias inconsuetas Arte Chirurgicâ factas, dum Sanguis in Cavitatibus collectus, vel grumosus, vel omnes exinde genitæ Purulentiæ, optimè evacuantur earum *Perforatione*: v. g. si in *Abdomine* hæreat Sanguis vel Pus, factâ debitâ *Paracentesi*, aut Vulneris majori dilatatione, si punctim factum est illud, dictis via aperienda, vel alio modo infra Umbilicum cum Lancettâ vel Scalpello fiat apertura. *Thoracis apertio*, seu intra quintam vel sextam Costam (à supremis numerando) Sectio, optimè evacuat Sanguinem & Empyema Thoracis. Ac denique, si facienda apertio *in Capite*, optimum remedium est ejus *Trepanatio*, seu Cranii Perterebratio. Hi sanè modi sunt optimi, qui citò & tutò satis curant, modò, quoad legitimum usum, maturè instituantur hæ Operationes Chirurgicæ, & Temporis habeatur ratio, & non perverso nostro more, aut nunquam, aut tardè nimis instituantur, quando vel Vires sunt prostratæ, vel Sanguis jam tum firmiter congrumatus est, vel quando Pus ita est alteratum, ut commodè evacuari nequeat; quin potiùs, quò celeriùs instituuntur tales Operationes & Perforationes, eò promptior & optatior est successus: de quibus tamen Cautelis & Requisitis aliis videantur Rerum Chirurgicarum Scriptores, in specie Scultetus *in Armam. Chirurg.* Hornius *in Microtechne*, & imprimis Thomas Fienus *in lib.* 12. *Chirurgiæ*, ubi insignes Operationes describuntur, ac denique Guillemeau *Gallus*, *de Operat. Chirurgicis*.

Quò si verò *mediis Pharmaceuticis* agendum sit *post Casum ab alto*, vel etiam alio Casu, pro Sanguine plùs minùs grumoso, in quodam Corporis loco existente, dissolvendo & dissoluto evacuando; subinde necesse est, ut in gravioribus Vulneribus & his supervenientibus Stagnationibus & Extravasationibus Sanguinis, in primo principio *Venæsectio* instituatur, idque in specie aut in Corpore Plethorico, aut Ebrio, aut Subjecto, cujus Sanguis

aliàs est aptus ad suscipiendas turgescentias febriles. His in Casibus convenientissima est Sanguinis missio ad certum pondus, pro circumstantiarum ratione, ut ita imminuatur aliqualiter Sanguinis quantum, & impetus ejus per Vasa se effundens impediatur, ne in Vasis uberiùs turgescens, confertim nimis, & nimis copiosè per vias læsum in Corporis Cavitatem irrumpat; observando tamen semper circumstantias & regulas Revulsionum quoad locum Venæsectionis, in quem influit Sanguis, ut nempe in contrario seu oppositò loco Vena secetur vel aperiatur: v. g. dum suspicio est Sanguinem fluere in Abdomen, aut per inferiora Thoracis Vasa in Thoracem, secetur in Brachio; sin verò ex superioribus Thoracis Vasis, secetur in Pede; sin in Capite, Venæsectio Brachii ferè sufficit.

Factâ vel omissâ Venæ apertione maturè *Sanguis omnis grumosus resolvendus est*, & resolutus, uti dixi, vel ductu Naturæ per convenientes vias *evacuandus*, vel per Meatus Arte apertos arte *exhauriendus*. *Resolvunt grumosum Sanguinem* omnia ea, quæ absorbent Acidum plùs minùs, qualia sunt *Vulneraria* plurima, ratione Alcali plùs minùs occulti, vi cujus absorbendi Acidi cessat coagulatio. Equidem latus campus horum patet, quæ inter in specie eminent Rubia Tinctorum, & hinc Artificiale illud Tinctoribus usuale paratum, Germ. *Crapp*, quod in specie Aceto ebullitum & potum egregiè dissolvit Grumos: e. g.

℞. *Rad. Rubiæ tinct. præp.* ʒß.
Ebull. in s. q. *Aceti*:
Colat. capiatur pro duabus dosibus.
D. S.
Potio Dissolvens pro duabus dosibus.

Æger in lecto se probè contegat, Sudoremque expectet.

Sic quoque laudanda sunt Radix Tormentillæ, Bardanæ, Symphyti majoris, Bistortæ, Caryophyllatæ, Polygonati, Scabiosa, Absinthium, Abrotanum, Hypericum, *Bellis minor*, quam singulariter tanquàm Secretum commendat Hartmannus; Chærefolium, Carduus benedictus, Fœniculum, Hyssopus, & in specie Hedera terrestris; item Sabina, Verbascum, Geranium Robertianum cum Vino decoctum, Succus Geranii, Arnica, de cujus usu egregio vid. *Misc. A. N. C. Ann. 9. Obs.* 2. nempe Radix ejus, Folia & Flores à pug. j. ad ij. in Robustis decoquuntur in Cerevisiâ, Decoctum calidè propinatur imperando Sudorem; Semen Cardui benedicti & Mariæ, Chærefolii, Hyperici, &c. item conveniunt Rhabarbarum, Radix Angelicæ, Vincetoxici, Pimpinellæ, Aristolochiæ rotundæ: Aquæ horum Simplicium, in specie Chærefolii, Scabiosæ, Alkekengi & Cinnamomi, Syrupus acetositatis Citri, Scabiosæ, Hyssopi, &c. Reliquis tamen omnibus palmam præfert Acetum Vini, in quo Lapilli Cancrorum sunt soluti, ubi evadet Liquor urinosus egregiè diureticus & sudoriferus, qui Sanguinem congrumatum dissolvit, & dissolutum per convenientes vias evacuat. Huc pertinet *Sperma Ceti* à ʒß. ad ʒj. in Cerevisiâ vel alio Vehiculo calido propinandum, quod nobilissimum & expertissimum est Remedium & mirabilis efficaciæ; in specie si Sanguis congrumatus sit in Pectore, cum Respiratione difficili, Expectorationem promovet: Vid. *Diss. de Sperm. Ceti Cap.* 2. §. 8. Porrò Castoreum, *Sanguis Hirci* secundum Helmontium *Tr. Pleura Furens*, ritè collectus ad ʒj. propinatus. *Mumia* ad ʒj. hîc etiam communiter laudatur, sed nihil valet, quia non habemus genuinam; Vulgaris enim est liquamen ex Corporibus Bitumine & Asphaltho conditis, unde tutiùs ab eo abstinemus deficiente genuinâ. Hisce adduntur Bezoar Orientale, Lapilli Cancrorum, Lapides Percarum, Carpionum, Bovini è Felle, Album Græcum, Dens Apri cum Aceto, Corallia rubra, & Marina quæcunque seu ex Piscibus parata, egregia sunt; Maxilla Lucii piscis, Succinum album præparatum, Carbones Tiliæ ad ʒj. vel ʒij. in Aquâ Chærefolii propinati commendantur ab Hartmanno, Osteocolla cum Aceto destillato propinata, Marga Saxorum, Terra Hibernica, Terra Sigillata, Bolus Armena, Terebinthina, Fuligo; vel Pulvis factus ex Carbonibus Tiliæ, Lapillis Cancrorum, & Herbâ Chærefolii; cujus ʒj. datur in Aceto. Hinc Pulvis Augustanorum ad Casum in Aceto Vini, vel destillato, Species Diamumiæ *Mynsichti*, Stercus Passeris in Aceto dissolutum & propinatum, &c. in Sanguine concreto sunt singulare: Item his adnumeratur *Pinguedo humana & canina*, quæ ad ʒß. ad ʒj. liquefacta, & in potu Cerevisiæ assumpta, est egregia in Casu ab alto; item Antimonium Diaphoreticum, Bezoardicum Minerale, & reliqua consueta Sulphurea Antimonialia fixa, &c. Acidum plùs minùs absorbentia; Essentia Myrrhæ, Florum Hyperici, in specie Essentiæ quæcunque Vulnerariæ, Tinctura, Succus & Extractum Florum Bellidis, Tinctura Coralliorum *Mynsichti*, Spiritus Theriacalis camphoratus, Spiritus Tartari, Liquor Cornu Cervi succinatus, Mixtura Simplex, Tinctura Bezoardica, & similia, quæ in genere ad Sanguinis Grumos, adeoque in Casu ab alto in Casibus Chirurgicis post Vulnera adhibentur.

Cæterùm in propinandis his Remediis contra Casum ab alto, seu contra Sanguinis Grumos resolvendos, sive Causa externa sive interna occasionem dederit Malo, observetur necessariò hæc *Cautela*: ut nempe cum his Sanguinis Grumos Resolventibus semper talia misceantur, quæ Sanguinem congrumatum resolutum simul per convenientes vias evacuare queant, adeoque simul, vel ut Alvus laxior, vel Urina aut Sudor uberius fluant, opera danda est; quid enim confert, ut dissolutus Cruor in Corpore hæreat? Unde si Sanguis dissolutus hæreat *in Abdomine*, aut locis Alvo vicinis, & adfuerit hujus inclinatio ad secessum, aut Natura per Alvum ejicere inclinet, simul *Laxantia* Remediis istis v. g. Folia Sennæ, vel, quod melius, Rhabarbarum, aliaque similia blanda Abstergentia addenda erunt; mam & ipsum Rhabarbarum, simul Sanguinem resolvit: e. g.

℞. *Herbæ Chærefol.* M. j.
*Rhabarb. elect.* ʒij.
*Fol. Senn. sine stipit.* ʒi. vel ʒiß.
*Sal. Tartari* ϑj.
Coqu. in s. q. *Aquæ simpl.* leniter:
Colat. adde
*Lapill. Cancr. præp.* ʒj.
*Sperm. Ceti* ʒß. ad ϑij.
*Pulv. contra Cas. Aug.* ϑj. ad ʒʃ.
*Syr. Scabios.* q. s. pro edulcoratione.
Misc. pro binâ dosi:

Idque quando simul blandè evacuandum est per inferiora. D. S.

Potio Resolvens bene agitanda pro duabus vicibus. Vel

℞. *Decoct. Chærefol.* aut, quod melius, *Heder. terrestr.* ℔j.

Infunde huic tepido adhuc per noctẽ in loco calido.

*Rhabarb. elect.* ʒj.
*Fol. Senn. sine stipit.* ʒß.
*Sal. Tartari* ʒß.
Mane adde Expressioni
*Lapill. Cancr. præp.* ʒj. vel ʒiß.
*Pulv. contr. Cas.* ʒß. ad ʒiß.
*Syr. Heder. terr.* q. s. pro grato sapore.
M. D. S.

M. D. S.

Potio Diſſolvens pro aliquot vicibus.

De hoc ſubinde Æger capiat hauſtum; ita enim Sanguis ſolvitur, & per inferiora excernitur.

*Si* verò *in Pectore*, vel locis vicinis & remotioribus Sanguis congrumatus hæreat, & Natura inclinet evacuare per Urinam, *Diuretica* ſunt addenda, quæ Sanguinem reſolutum per vias urinarias amandent. Sin ad Sudorem Natura Ægri vergat, & in Partibus aut Vaſis magis exterioribus hæreat Sanguis, tunc *Sudorifera* præſertim ſunt optima, quò reſolutus ita Sanguis extramittatur.

Facit huc etiam egregia Cura Lindani, qui curavit aliquando Fabrum quendam lignarium, è ſummo tecto decidentem, dum ipſi ædes ædificaret, & duas Coſtas frangentem, ſimulque Sanguinem multum exſpuentem cum Suffocationis metu, unde collegit, Sanguinem in ipſum Cavum Pectoris effuſum eſſe. Paravit ergo Decoctum ex Braſſicâ rubrâ, Artemiſiâ, Conſolidâ Saracenicâ, & Floribus Bellidis minoris: cui *Decocto* infudit aliquid Rhabarbari, & hinc poſt infuſionem addidit aliquid *Spermatis Ceti*: tunc ſumſit ſeorſim *Lapillos Cancrorum*, & illis ad eminentiam tranſverſi digiti affudit *Acetum* Vini, & cum fervor deferbuiſſet, dedit Aceti hujus benè agitati cochlear unum, & miſcuit cum unciis quatuor vel quinque prioris Decocti, & ita hauriendum dedit, ex quo Potu Sanguinem congrumatum anteà, poſteà reſolutum protinus mejere cœpit, & quidem integras Matulas, cum magno levamine, & tertio die continuato Potu venit viſum, quid agerent cæteri Operarii: Vid. *Comment. in Prax. Chymiatr. Hartmanni.*

Ac ſanè potiùs præſtat à *Diureticis* incipere; in fine autem non incommodum eſt, aliquod *Sudoriferum* ſubnectere. Adeoque convenit in dictis caſibus *Mixtura Polychreſta ex Lapidibus Cancrorum cum Aceto deſtillato*, Diaphoretica & Diuretica; e. g. confici poſſunt tales Formulæ:

℞. *Lapill. Canc. præp.* ʒß.
*Acet. Vini* ʒj. M. D. S.
Mixturâ Reſolvens pro unâ vice. Vel

℞. *Lapill. Cancr. præp.*
*Sperm. Ceti*,
*Sang. Hircin.* legitimè coll. vel *Antimonii Diaphor.* an. à ϑj. ad ʒß.
M. pro 2. doſibus in Aceto aſſumendis:
D. S.
Pulvis Diſſolvens. Vel

℞. *Sang. Hircin. præp. ſecundùm Helmont.* ʒj.
*Terræ Sigill.* vel *Marg. Saxor.*
*Antimonii Diaphor.* ana ʒß.
M. D. in 2. part. æqu.
D. S. ut ſuprà.

Vel præſcribatur talis *Pulvis contra Caſu ab alto.*

℞. *Lapill. Cancr. præp.* ʒj.
(cum Aceto fiunt magis diuretici)
*Rhabarb. el.*
*Sperm. Ceti*,
*Caſtor.* vel *Myrrhæ*,
*Sang. Hirci. leg. præp.* ana ʒß.
M. f. Pulvis: S.

Pulvis Diſſolvens pro aliquot vicibus.

Doſis ʒj. *in decocto Chærefolii* vel *Fœniculi.* Item

℞. *Lapill. Cancr. præp.*
*Oſteocoll. præp.* ana ʒj.
*Nuc Moſchat.* ʒß.
M. D. S.
Pulvis Conſolidans.

Aliàs convenienter etiam pro Scopo ſudorifero & diuretico præſcribuntur Potiones *ſuprà Art.* 1. *Cap.* 1. *ubi de Inflammatione in genere* commendatæ, vel Mixtura Polychreſta *Sylvii*, quæ eſt:

℞. *Aquæ Flor. Papav. errat.*
*Scabioſ.* ana ℥iß.
*Spiritûs Theriac. camph.* ʒiij. ad ʒvj.
*Acet. Vini* ℥ß. ad ʒvj.
*Lapill. Cancr. præp.* ʒj. vel *horum & Maxill. Lucii piſcis* ana ʒß.
*Syr. Flor. Pap. errat.* vel *Scabioſ.* ʒiij.
Miſceantur.

Capiatur cochleatim.

℞. *Aquæ Menth.* vel *Scabioſ. Chærefol.* ana ℥iß.
*Acet. Vini ſimpl. deſtillat.* ℥j.
*Corall. rub. præp.* ϑj.
*Lapill. Cancr. præp.* ϑj.
*Laud. Opiat.* gr. ij. vel iij.
*Syr. Card. bened.* ʒvj. vel ℥j.
M. D. S.

Mixtura Diſſolvens cochleatim ſumenda.

Hæc eſt Potio generalis; uſurpari poteſt cochlear unum, vel pro binis aut tribus doſibus, & partim per Sudorem, partim per Urinam operatur.

*Notandum*: Quando hæc miſcentur, fieri effervescentiâ, & ita ex his prodire concretũ novũ. Vel

℞. *Aquæ Ceraſ. nigr. Lil. convall. Meliſſ.* ana ℥j.
*Acet. Rutac.* ʒvj.
*Lapill. Cancr. præp.* ʒj.
*Cinn. Antimonii* ϑj.
*Sal. volat. Succin.* gr. xij.
*Syr. Flor. Tunic.* ʒvj.
M. pro aliquot doſibus. D. S.

Potio Reſolvens pro 3. doſibus.

Item juxta Clyſmata repetita etiam:

℞. *Aquæ Chærefol.* ℥j. *Ceraſ. nigr. Lil. convall.* ana ʒvj.
*Eſſ. Hyperici* ℥ß.
*Spiritûs Sal. Ammoniaci* ʒj.
*Lapill. Cancr. præp.* ʒß.
*Syr. de Beton.* ℥j.
M. D. S. ut ſuprà.

Capiatur cochleatim.

℞. *Aquæ Menthæ*, *Chærefol.* ana ℥iß.
*Acet. Vini* ℥j.
*Lapill. Cancr. præp.* ʒß.
*Corall. rub. præp.* ϑj.
*Cinnab. Antimonii* ʒß.
*Laud. Opiat.* gr. iij.
*Syr. Card. bened.* ʒvj.
M. pro 3. doſibus.
D. S. ut ſuprà. Vel

℞. *Aquæ Chærefol.* ℥ij. vel iij.
*Acet. Vini* ʒiij. ʒvj. ad ℥j.
*Lapill. Cancr. præp.* ϑij. ad ʒj.
*Terræ Lemn.* vel *Corall. rubr. præp.* vel *Antimonii Diaphor.* ϑj.
*Syr. Hederæ terreſtr.* vel *de Beton.* vel *Card. ben.* ʒij. ad ʒvj. M. S.
Potio Alterativa.

Capiatur pro duabus doſibus, vel cochleatim.

Quòd ſi *Caput* ſimul læſum fuerit, & metus adſit Convulſionum, in his caſibus loco Coralliorum ϑj. vel ʒß. *Cinnabaris Antimonii* addi poteſt commodè, quæ utiliſſima eſt, ſi ſudet confertim Æger. Vel

℞. *Lapill. Cancr. præp.* ʒj. *Antimonii Diaphor.* ϑj. *Myrrh. el.* gr. xij.
M. pro 2. doſibus.

poſſunt etiam gr. ij. *Laudani Opiati* addi: D. S.

Pulvis Caput confortans.

Si

Si gravius ſit Malum, neceſſe erit, ut præſcribatur *Decoctum Vulnerarium*, cui addi poteſt Mixtura ex Lapillis Cancrorum cum Aceto parata.

*In Victu* Æger utatur crebriùs Chærefolio minutim inciſo in Juſculis pro multiplici ſcopo.

Sanguis ita extravaſatus ſuppuratur & fit Empyema. *Empyema verò quod attinet, ejuſque Curam*, ſive quando Pus factum eſt, & in Cavitate quædam fluctuat & ſtagnat, præſertim *Thoracis*, tribus ſcopis abſolvenda venit:

1. Ante omnia *evacuatio Puris*, ſive mediatè, ſive immediatè, per convenientes vias eſt neceſſaria.
2. Dum hoc fit, ſimul *Acrimonia ejus noxia corrigenda* ſeu temperanda.
3. *Læſio Partis* vel à Pure vel ab Abſceſſu *inducta*, debitis Remediis *reſtituenda*, ad quod in quolibet obſervandum eſt Empyemate.

Cùm verò præ cæteris Empyemata Thoracis ſint frequentia, hujus Curationem proponemus, ubi quæ de hoc dicentur, de aliis ſimul intelligenda ſunt.

I. Pro *primo Scopo* eadem obſervanda ſunt, quæ *ſuprà in Caſu ab alto* pro Sanguine grumoſo diſſolvendo, nempe per convenientes vias inſtituenda venit Puris evacuatio. Viæ evacuationi Puris dicatæ, pro varietate Partium & ipſæ variant, ſuntque vel *Naturales*, vel *Artificiales*: *Illæ*, quibus *Natura* molitur Evacuationes, & quæ ſubinde per varia loca inimitabili arte Purulentias evacuat; ut dum v. g. Pleuriticorum, vel alias in Thorace ſuppuratorum Purulentias, nunc per *Urinas*, nunc per *Alvum*, nunc frequentiſſimè per *Sputum* evacuat, imò *per purulentam in toto Corpore Sanie m* (de quo *vid. Miſcellan. A. N. C. Ann.* 2. *Obſervat.* 146. *pag.* 230.) ſolvi obſervatum fuit. Sanè *Pus Empyici* per *Urinam* excretum cum Dolore quaſi Nephritico & Stranguriâ refert Horſtius *lib.* 3. *Obſervat.* 10. ſimile *videb. apud* Panarollum, item Borellum *Cent.* 1. *Obſervat.* 17. & Rhodium *Cent.* 2. *Obſerv.* 13. & 15. Schenckium *Obſerv. pag.* 243. & 252. Ipſemet *curavi Mulierem* gravi Pleuritide correptam, cui ſuppuratæ ſupervenit fœtidiſſima Materiæ purulentæ Urina, quâ per decem vel pluries dies continuante cum ſenſibili allevatione ipſa ſanabatur. *Præcavebam ſimul Phthiſin ac Tabem* per Pulveres ex Antihectico *Poterii*, Myrrhâ, Lapillis Cancrorum, Antimonio Diaphoretico, Balſamo Sulphuris terebinthinato, &c. Elixir Proprietatis rarò propinabam, quia hoc ſemper Alvi fluxum ſiſtebat, ut neceſſe eſſet, eam denuò provocare Clyſmate. Sicut jam *ſuprà Artic.* 10. & 11. *capit.* 1. hujuſmodi variæ Excretiones *circa Hepatis & Lienis Abſceſſus* inſinuatæ fuerunt. Facit huc quod refert Hildanus *Centur.* 3. *Hiſtor.* 39. nempe Ulcus diuturnum in Brachio ex ictu Sclopeti, quod quia per *Urinam* Pus excernebatur, Ulcus ſiccabatur; quamprimùm verò Ulcus recenter fluebat, tum Patiens rurſus Urinas laudabiles nullo Pure permiſtas reddebat. *Per quas vias Materia Empyematis in Pectore v. g. deferatur ad Urinam, aut Alvum, aut etiam ad Os pro Exſpuitione*, plures Autores litigant: Conf. Sennertus *lib.* 2. *Prax. ubi de Pleuritide Quæſt.* 3., Willis *Pharm. Rational. Part.* 2. *pag.* 150. & 201. *Miſcellan. A. N. C. Ann.* 3. *Obſerv.* 213. *pag.* 393. & *Ann.* 6. *Obſ.* 41. *pag.* 75. His in Caſibus, ſi moliatur aliquid Natura, ſemper Miniſter ejus eſt Medicus, dum, quò illam vergere videt, eò ſimul motum illius promoveat: v. g. quando in Pleuritide ſuppuratâ redditur Urina purulenta, dentur Diuretica. ſin verò in Empyemate Pectoris Diarrhœa purulenta appareat, Alvum ſtimulantia & laxantia; ſi Natura inclinet ad Os mediante Tuſſi, propinentur Vomitoria vel blandè Temperata, Expectorantia vulgò dicta; *ſi verò rupto Abſceſſu & collecto jam Empyemate* Pectoris, Naturam nil moliri obſervat, pro copiâ Puris, dum Vires adhuc conſtant, evacuandâ, ſimiliter Vomitus convenit, cujus inſignes utilitates pluribus Piſo *de Colluvie ſerosâ* declarat, quippe qui mirabiliter contenta & Pectoris purulenta evacuat, ita ut unicus Vomitus plus excernat, quàm ſeptem diebus Tuſſi rejicitur; modò abſit periculum Sputi Sanguinis, in quo Medicus horreat Vomitoria; contrà ſi illud abſit, tutò ſuadeat Vomitum. Quòd ſi tamen, ſub metu licèt Sputi cruenti, Natura inclinet evacuare per Os, ſubſtituat Medicus Fauces lubricitantia & expectorantia; hinc *Sputum* imprimis promovendum, ut hujus medio, ceu per proximas vias, modumque magis ordinarium, Puris fiat evacuatio. Pro quibus ſcopis convenit Secretum Freitagii ad Aſthma, *Artic.* 1. *Capit.* 2. *Section.* 14. deſcriptum; item Nicotiana eſt egregia, cujus uſum *ſuprà l. a.* ex Ferdinando declaravi.

*In Sputo hoc promovendo* habenda ſimul ratio *qualitatum Materiæ purulentæ* evacuandæ: quæ quò acrior fuerit, ac tenuior, eò magis *Temperantia*, ſimul uſurpanda ſunt; quòd ſi verò non acre, ſed craſſius ſit Pus evacuandum, *Incidentia & Abſtergentia* magis in uſum vocanda. In ſpecie *Mel* & ex eo paratum Hydromel ſeu Aqua Mulſa, *Oxymel Squilliticum*, &c. inter Expectorantia primatum ducunt: in qua *Mulsâ* Hyſſopus, Scabioſa, Parietaria, Helenium, Iris Florentina, Marrubium, Liquiritia, Jujubæ, Paſſulæ, &c. pro Indicantium varietate ſimul incoqui & propinari poſſunt: ſicut etiam Decoctum ex Scordio & Scabioſâ totâ, cum Oxymelle Squillitico edulcoratum & calidè hauſtum, egregiè convenit: Vel fiat *Mixtura Expectorans*.

℞. *Aquæ Hyſſop.* ℥iij.
*Aſthmat.* ℥ij.
*Oxym. Squillit.* ℥vj.
*Syr. Nicotian.* ℥ß.
*Emetic.* ℥ß.
M. D. S.

Mixtura Expectorans cochleatim ſumenda.

Capiatur pro lubitu.

*Artificiales viæ* pro evacuando Pure ſunt *Paracenteſis*, quæ ubi priores illæ Naturales vel non ſuffecerint, vel non ſuffecturas ſuſcipio eſt, in tempore inſtitui poteſt. Vid. Sylvius *lib. Prax. cap.* 20. §. 18. *In tempore* dico; ut quando Natura Empyema non expurgat per Urinam, ſtatim inſtituenda Paracenteſis, ne Pus in Saniem convertatur, nec Vires frangantur, aut Pulmo à Sanie corrumpatur. *Fonticuli* etiam à quibuſdam intra Coſtas inuruntur. Volckamerus *in M. A. N. C. Ann.* 9. & 10. *Obſ.* 19. *in Schol.* mentionem facit *Emplaſtri Norimbergenſis Ehrnſingeri*, ſeu potiùs *Galeni*, cujus in educendo Pure in Abdominis Cavitate contenti vires inſignes expertus eſt, adjunctis intùs Potionibus Traumaticis.

II. Pro *ſecundo verò Scopo*, quæ *Acrimoniã Puris & ejus noxam corrigunt*, h. e. ut alias dicunt, Ulcus *abſtergunt & mundificant*, optima ſunt *Sulphurea* Remedia, pinguedine ſuâ quodcunque Acre, in ſpecie Pus ſalſum, temperantia & *balſamicâ* quaſi ſuâ vi læſionem Partium à Pure orundam corrigentia ac præcaventia, & ulteriorem progreſſum *Apoſtematis & Puris* inhibentia; & ſanè Sulphurea optima ſunt in omnibus Empyematum Purulentiis temperandis. Talia ſunt *Sulphur & Antimonialia fixa*, ut Flores Sulphuris, Antimonium Diaphoreticum, Antihecticum *Poterii*, Bezoardica Mineralia, Myrrha, Pulvis Pectoralis *Lindani*, cum Antimonio Diaphoretico, Balſamum Peruvianũ, Balſamũ Sulphuris.

III. *Ea verò, quæ læſionem Partis* poſt Abſceſſum ſuppuratum & Empyema *reſtituunt*, & eam quaſi conſolidant, ſunt *Vulneraria*: quæ inter eminet *Hedera terreſtris*, quæ nobile Simplex eſt, imprimis in Empyemate Pectoris poſt Pleuropneumoniam ſuppuratam orto: ſic pertinet huc *Scabioſa* & *Chærefolium*; quod Trifolium Simplicium, ut ita dicam, in Viſcerum læſionibus ex Empyemate contractis multum valet: item *Lignorum* & *Radicum* ſudoriferarum *Decocta*, in ſpecie Ligni Saſſafras, Radicis Chinæ & Ligni Guajaci, quæ hîc ſunt optima, partim Purulentias corrigunt, partim labem Partibus inductam corrigunt: vid. Arcæus *Cap. de Capitis Vulner.* & Sylvius *Prax. lib. 1. cap. 24. §. 22. pag. 196.*

Cæterùm dum hi tres Scopi intenduntur, obſervandum, ut ſemper ſimul habeatur ratio (1.) *Puris*, ut hoc vel priùs vel ſimul evacuetur, adeòque cum Vulnerariis Pus promoventia adhibenda erunt: (2.) *Adjunctæ Febris*, ne hæc plùs minùs intenſa magis intendatur; Nam ſemper conjuncta eſt Febris Lenta, plùs minùs ad Hecticam inclinans. Hinc præmiſſâ Puris evacuatione quacunque,

℞. *Aquæ Hyſſop.*
*Scabioſ.* an. ℥iß.
*Fl. Sulphuris* ʒß.
*Antimon. Diaphor.* ϑj.
*Bezoard. Jovial.* ϑß.
*Syr. de Nicotian.* vel *Hyſſop.* ℥j.
M. f. Potio.
D. S.
Mixtura Mundificans cochleatim uſurpanda.

Uſurpatur vel pro duabus doſibus vel cochleatim ad corrigendam partim Purulentiam in Empyemate, partim ad corrigendam noxam à Pure inductam Partibus: cui, ſi intenſior fuerit Febris, ſimul non nihil Spiritus Nitri dulcis addi poterit.

Vel

℞. *Aquæ Papav. errat.* ℥iij.
*Acet. deſtillat. Vini* ʒuj. ℥ß. ad ʒvj.
*Lapill. Cancr. præp.* ʒj.
*Antimonii Diaphor.* ʒß.
*Syr. Flor. Papav. errat.* ʒvj.
M. S. ut anteà.

Capiatur cochleatim, præprimis tempore Æſtûs.

Vel

℞. *Amygd. dulc. excort.* ʒiij.
*Sem. Melon.*
*Papav. alb.* an. ʒß.
cum ſ. q. *Aquæ Papav. errat.* f. Emulſio.
Cui adde
*Maxill. Lucii piſc.* ʒß.
*Antimonii Diaphor.* vel *Antihect. Pot.* ϑj.
Edulcoretur cum pauco *Saccharo*:
D. S.
Emulſio Mundificans.

Capiatur ſæpiùs, & quando placuerit, imprimis in Æſtu.

℞. *Conſ. Roſar. rub.* ℥ij.
*Elect. Diaſcord. Frac.* ʒij.
*Conſ. Alcherm.* ʒj.
*Corall. rub. præp.* ϑij.
*Antihect. Poter.* ʒß.
*Syr. Borrag.* vel *Flor. Tunicæ*, vel *Roſar. rub.* q. ſ.
M. f. Electuarium.

De quo uſurpetur ter in die, mane, à meridie, & veſperi, quantitas Caſtaneæ, vel Nucis Juglandis.

Nec inelegans eſt *Liquor Betulæ recens collectus*, ſæpiùs in die, etiam in ipsâ Febre, hauſtus, tam ſolus, quàm cum Potu ordinario miſtus; vel in menſurâ unâ *Potûs ordinarii* diſſolvantur ℥ij. vel ℥iij. *Gelatinæ Cornu Cervi*, vel *Raſuræ Oſſium bovinorum*, &c. Egregiè proſunt, ubi juncta eſt æſtuatio Corporis & defectus Virium.

Decoctum Chærefolii, item Hederæ terreſtris, certè egregium eſt, & præ cæteris Vulnerariis excellit, præmiſsâ Puris evacuatione, in Empyemate quocunque curando, omnibus cæteris præferendum; aut ex hoc Succo paratus *Syrupus*; item Eſſentia, quæ aliis addita, aut cum *Antimonio Diaphoretico* aſſumpta, ſunt nobiliſſima; aut denique, ſi ejus Succus ſemper cũ Decocto Guajaci permiſceatur. Certum eſt, quòd Hedera terreſtris ſit inæſtimabilis in hoc caſu; hinc ſunt, qui maximè æſtimant.

℞. *Succ. Heder. terr.* ℥iv.
*Praſſii* ℥ij.
c. ſ. q. *Sacchari* f. Syrupus,
addendo
*Thuris*,
*Myrrh. el.* ana ʒj.
M. D. S.
Succus ſanans.
Et ſubinde uſurpetur.

Uti etiam Decoctum Radicis Chinæ, propinando cum omni ejus hauſtu ʒß. ad ʒj. *Antimoni Diaphoretici*; hoc enim mirabiliter Suppurationes quaſcunque abſtergit & corrigit, Sanguinem grumoſum, & Empyema, imprimis Pectoris, tollit, & cum *Radice Chinæ* vel *Ligno Guajaci* aut *Saſſafras* ſimul coquenda ſunt Hedera terreſtris, Marrubium, Tuſſilago, Conſolida major, Capillus Veneris, Hyſſopus & ſimiles, præſertim ſi viſcidi aliquid adeſt, & ſimiles aliæ Plantæ pectorales. Non opus eſt multa addere, ſimplex ſufficiat *Decoctum*, cum quo propinetur *Antimonium Diaphoreticum*, aliaque Sulphurea, ſumendo Decocti bonum hauſtum, quotidie bis, mane & veſperi. Arcæus *loco allegato* egregium modum docet curandi Empyemata & Vomicas Pulmonum beneficio Decocti Ligni Guajaci, cujus methodus eſt optima, & quâ ipsâ aliquot Empyematici fuere curati.

Nec incommodè *Ligna Santala* hîc recipiuntur: e.g.

℞. *Rad. Chinæ in taleol. inciſ.* ℥iß.
*Rad. Liquirit.* ʒvj.
*Santali rubri* ʒiij.
Infunde in *Aquæ comm.* ℔vj.
Macerentur in Balneô Mariæ per 24. horas:
mane adde
*Paſſul. min. conquaſſ.* ℥iij.
Coquantur blando igne ad remanentiam ℔iv.
Colatura D. S.
Potio Pectus mundificans.

Vel

℞. *Raſ. Lign. Guajac.* ℥j.
*Saſſafras* ℥ß.
Macera per 2. horas in *Aquæ comm.* ℔vij.
Coq. ad conſumpt. ℔iß.
adde
*Herb. Heder. terr.*
*Com. Flor. Hyperic.*
*Herb. Veronic.* ana M. j. ad M. ij.
*Rad. Liquirit.* ℥ß.
*Sem. Fœnicul.* ʒvj.
*Paſſul. min. conquaſſ.* ℥iij.
Coq. ad remanent. ℔iv.
Colatura D. S. ut ſuprà.

De quo Decocto Æger ad mininum ter in die, etiam tempore Paſtûs, capiat, ſubjungendo & alia Remedia, ut Myrrham, Elixir Proprietatis, ob Aloën & Myrrham.

*Sulphur* pariter ejuſque *Flores*, item *Balſamus Sulphuris*, tam *terebinthinatus*, quàm pro ratione Partis affectæ *juniperinus* cum Oleo juniperino; *aniſatus* cum Oleo Aniſi pectoralis; aut cum Oleo Succini ad guttas xv. *ſuccinatus*, ſive fiat etiam

ex

ex Sulphure communi, sive ex Sulphure Aurato antimoniali ex Polemanno, quod nobilissimum: cui non incommodè potest substitui *Balsamus Peruvianus*, *de* Capaibe, item *Tinctura Sulphuris*, &c. Egregia sunt ad quamcunque Suppurationem, & internarum Partium ac Viscerum corruptionem curandam: propinentur ad aliquot guttas in vehiculo Decocti Hederæ terrestris, mundificant Ulcera, & ulteriorem corruptionis progressum præcavent. Sed hæc posteriora sunt volatilia, acria & nimis calida, unde ratione Febrium minùs conveniunt, sed saltem temperata aut fixa Antimonialia optimè conveniunt: si autem Volatilia usurpanda, & igneus eorum, imprimis Balsami Sulphuris, Calor pertimescatur, convenienter miscentur cum Saccharo Saturni vel Antihectico *Poterii*, quæ dictis in Casibus etiam sunt egregia, & inhibent noxam aliàs inducendam vel metuendam; vel fiat *Decoctum Brassicæ capitatæ rubræ*, vulgaris quidem, sed nobilis Plantæ, cum tantillo Sacchari temperatum, quod perquàm egregium est Remedium, promovendo simul Materiæ purulentæ effluxum per Urinam, in quo usurpetur Antihecticum *Poterii*, vel Flores Sulphuris & similia. *Lac* quoque *caprillum* cum *Saccharo rosato* usurpatum pro ultimo hoc Scopo est egregium: vid. M. A. N. C. *Ann.* 1. *Obs.* 19. *pag.* 78. Conferatur cum his Willis. *Pharmac. Ration. P.* 2. ubi *de Phthisi & Empyem. Terebinthina* denique & quæcunque ex eâ parata, imprimis Emulsio Terebinthinata cum Vitello Ovi, Melle, Succo Citri, & Aquâ Fragorum vel Vino, suam etiam hîc laudem merentur.

## CAPUT III.

### *De Sanguinis Extra Vasa Effluxu.*

## ARTICULUS I.

## DE

## *HÆMORRHAGIA IN GENERE.*

TAndem etiam vitiatur Sanguinis motus, quando hic ex suis Vasis & receptaculis penitus *extra Corpus effunditur*; idque in *Hæmorrhagiis*: quæ vox, dum derivatur ab αἷμα *Sanguis*, & ῥέω *fluo*, generaliter quamcunque Sanguinis effusionem præternaturalem extra Corpus innuit, utut ratione loci, per quem fluit, & ratione modi, quo effluit, distinctas habeat rationes, ac in specie postmodùm varias sortiatur appellationes: ex Naribus enim *Hæmorrhagia Narium*; ex Pectore *Hæmoptysis*; & per Vomitum *Vomitus cruentus*; ex alvo *Fluxus Alvi cruentus*; ex Vasis Ani *Fluxus Hæmorrhoidum*; ex Vesicâ *Mictus cruentus*; & in Fœminis ex Vasis Uteri, *Menses*, *Hæmorrhagia Uteri*, & *Lochia nimia*, &c. dicitur, utpote ex unius generis Causis dependentes.

## CAUSÆ.

*Causæ Hæmorrhagiæ* cujuscunque in genere sunt; vel (1.) ipsorum extimorum Osculorum in Venis & Arteriis apertio quasi spontanea & hiscentia, & dicitur aliàs communiter *Anastomosis*: vel (2.) est ipsorum Vasorum violenta læsio & soluta unitas, sive hæc fiat à Causâ externâ per instrumenta acuta, quæ pungendo, incidendo, contundendo, vel quovis alio vulnerandi modo lædant, sive fiat à Causâ internâ per Humores acidos & acres extremitates Osculorum Vasorum erodentes, aut ipsas Tunicas Vasorum tenuiores penitus perforantes, quæ posterior species vocatur *Diæresis*, item Διάβρωσις. Quidam addunt (3.) Διαπήδησιν, quæ tamen admitti nequit; siquidem intelligitur talis Sanguinis tenuitas, quæ per Vasorum Tunicas transudare possit, quod tamen citra Osculorum apertionem, vel ipsarum Tunicarum Vulnus vix est credibile; cùm scilicet non in Vasis juxta Veteres, sed in Substantiâ Partium tantùm concipere licet: sunt enim satis densæ satisque validæ & tenaces Venarum, multò magis Arteriarum Tunicæ, ut impossibile sit, per easdem tantillum transudare posse de ipsâ Massâ Sanguineâ, integrâ utut Sero transitus per easdem non denegandus sit.

Cæterùm locus seu *Vasa*, per quæ effluit in Hæmorrhagiâ Sanguis, sunt imprimis *Arteriolæ*; nam ex Venis vix & nunquam effluit, nisi his ipsis simul *incisis* aut *erosis*, ut in Vulneribus; aliàs maximè Arteriarum per Anastomosin fit apertio. Sanguinem autem, qui sponte effluit, stillare ex Arteriolis, patet ex eo, quòd omnes Hæmorrhagiæ, v. g. *Narium*, fiant stillatim guttatimque & subinde notabile spatium temporis inter unam vel alteram guttam cadentem observetur; id quod liquidissimè patet venire ex Arteriolis nunc dilatatis, nunc subsidentibus, non autem ex Venis, ratione Pulsûs. Nam dum Cor Sanguinem per Arterias impellit, eo ipso etiam idem per Arterias apertas expellitur; subsidente verò Arteriâ in Systole, Sanguis non amplius adeò confertim effluit, & ita successivè Sanguis stillatim erumpit: Id quod simili modo etiam patet in Arteriotomiis, sive erroneis sive studiosè administratis, in quibus etiam subsaltim tantùm & repetitis vicibus pro Pulsûs ratione Sanguis erumpit: ex Venis verò uno ductu effluit. Ut prorsus probabile sit, nisi promiscuè Vasa aperiantur in Hæmorrhagiis Arterias solùm Sanguinem stillare.

I. Quoad *Causas* Hæmorrhagiarum *Remotas*, *Anastomosis* seu Osculorum Vasorum apertio fit vel *vitio Sanguinis*, vel *vitio Vasorum*, vel *utriusque*. *Vitio Sanguinis* fit propter eundem vel abundantem, vel turgescentem, vel fervescentem seu aquescentem; *vitio Vasorum* verò propter hæc inæqualiter stricta aut laxa.

Adeòque *Anastomosis Vasorum est quadruplex* 1. Nimia *Sanguinis abundantia* seu *Plethora vera aut absoluta*, eaque rarior: unde annuæ Sanguinis missiones Plethoricis solennes neglectæ frequentiùs Hæmorrhagias excitare solent: unde e. g. Suppressionibus Mensium superveniunt Hæmorrhagiæ Narium, Sputum cruentum, & quidem sine damno ac cum euphoriâ.

2. Est *Plethora respectiva seu apparens*, eaque frequentior, propter nimiam Sanguinis turgescentiam vel auctam Fermentationem in Vasis, dum Sanguis vehementiori Motu intestino, aut majori vel minori Motu & Exercitio Corporis, vel Potu generoso, vel Alimentis aromaticis, magis incalescit & turgescit, aut etiam quando Effervescentiâ febrili nimis ebullit; sic enim Sanguis turgescens mole quasi auctus ordinariis Vasis & receptaculis contineri amplius nequit, quin per Orificia Vasorum capillarium dilenta erumpat: quod fit frequenter in principio & incremento *Febrium Continuarum*, tam Benignarum quàm Malignarum, item *Variolarum* ac *Morbillorum*, in quibus spumescens Sanguis & extraordinariè ebulliens Orificia Vasorum aperit & erumpit; quod in specie contingit melius, & facilius, si accedat suppressa quædam Sanguinis Evacuatio ordinaria:

quod teſtatur Fluor ille Menſium nimius ab Irâ, Terrore &c., de quo vid. Loſſius *lib.* 4. *Obſ.* 6. Simul tamen in his & ad ſtatum Vaſorum à Sanguine pertranſeunte plùs minùs irritatorum, hinc ad Sanguinis motûs variationem, reſpectus habendus: hinc & Obeſi frequenter Hæmorrhagiæ Narium ſunt obnoxii, propter Vaſa compreſſa ab habitu Corporis pingui, quia Vaſa non poſſunt cedere, unde patet Apertio: item Vini potatores, Exercitiis nimis dediti, ad Hæmorrhagias frequentiùs inclinant; quod illa Hæmorrhagia Narium teſtatur, quam à Muſti & Vini Hiſpanici ingurgitatione Foreſtus *lib.* 1. *Obſerv.* 12. obſervavit.

3. Eſt *Sanguinis nimia tenuitas & fluxilitas*, ob abundantiam maximam Seri ejuſque nimiam aquoſitatem; unde fit, ut in tali conſtitutione & Fibrarum & Membranarum Tonus laxetur, & ipſe etiam Sanguis ſuâ tenuitate facilè orificia Venarum permeet, eademque ita aperiat. Unde hiſce ambobus concurrentibus, dum nempe à nimio Sero Fibræ flaccidæ ſunt, & ita Tonus à Sanguinis fluxibilitate læſus, unde conſequenter Sanguis tunc effluens minùs tinctus & minùs in debitâ conſiſtentiâ conſpicitur, quin potiùs liquidus & loturæ Carnium ſimilis; ſicuti contrà in prioribus duobus Caſibus, quando nempe nimia Sanguinis copia Hæmorrhagiam infert, ipſe Sanguis craſſus, turgeſcens, floridus & copioſus ſolet effundi, idque cum impetu, cùm tamen aliàs Sanguis tenuis exiſtens pedetentim effluat, & quaſi per Vaſorum Orificia hiantia ſudet; ut plurimùm tamen & hîc *Acrimonia Sanguinis* plùs minùs *ſalſa*, aut *acidoſalſa*, adeòque occultè *roſiva* accedere ſolet. Vulgò *vitio Hepatis* Hæmorrhagia hæc, in quâ ſeroſa effunduntur, contingere dicitur, unde ex defectu hujus Sanguificationis Sanguis ſeroſus generetur, qui inferat talem Hæmorrhagiam: Sed falſum eſt: ſicut enim error alter alterum tradit, ita & Cucurbitulæ & Epithemata regioni Hepatis applicanda malè ſuadentur. Reverà autem vitium hôc in caſu hæret *in primis viis*, & læsâ inde Digeſtione primâ, ejuſque deficiente perfectione in Duodeno, & inde natâ vel *ſeroſitate* vel *acrimoniâ Sanguinis*, ac in ſpecie ſi Alimenta nimis colliqueſcant. *Diſpoſitivè* ſimul concurrunt nimius Potus, Urinæ deficiens excretio, aut Sudoris paucitas & conſueti ſuppreſſio.

4. *Vitio* denique *Vaſorum* Anaſtomoſis oritur, quando per hæc æquabilis *Sanguinis circulus* per Arterias in Venas *interrumpitur*, ita ut æqualis vel per Arterias diſtributio, vel ex Arteriis in Venas tranſvaſatio impediatur; idque ferè *ob Spaſmum Fibrarum nervoſarum*, tam (1) ipſorum *Vaſorum* ſanguifluorum, quàm (2) *Partium*, Vaſa recipientium. Adeòque *ſi ex priori modo* contingat, uti in uno alterove Surculo cujuſdam Arteriæ fiat conſtrictio, & quaſi per eundem liberior Sanguinis motus impeditus, unde Surculus vicinus majori Sanguinis mole diſtentus, neceſſariò in extremitate aperitur, & factâ ita Anaſtomoſi Sanguis effunditur. *Spleneticis* hoc videtur familiare, quibus interdum *ſuperveniunt Sanguinis Vomitus*, ita tamen, ut percipiant priùs fortes *Pulſationes* circa Splenem, locaque vicina, quæ Pulſationes innuunt motum Sanguinis non nihil impeditum per Arteriolas in Splene; unde ſi ſunt turgidæ, Ramuli arterioſi vi aperiuntur in Stomachum, & ita Vomitum Sanguinis inferunt. Hinc quando cum inſigni Capitis Pulſu fit Hæmorrhagia Narium, ſignum eſt impediti Sanguinis per Vaſa vicina: unde Vaſa Narium aperit, & Hæmorrhagiam infert. *Virum novi, Hæmorrhagiæ narium obnoxium*, qui ut plurimùm moleſtiam quandam in ſiniſtrâ Thoracis parte percipit, antequam Hæmorrhagia Narium ſuperveniat. *Quòd ſi poſteriori modo* accidat, ut Fibræ nerveæ Partium recipientium quacunque ex Causâ irritatæ ſe fortiùs ſtringant, & ita ſanguiflua Vaſa plùs minùs coarctent, ex impetu Sanguinis per Arterias ejus influxus adhuc continget, ſed non refluxus, qui plùs minùs impeditus per Venarum magis flaccidarum aut molliorum Ora conſtricta, per vicina loca, quâ data porta, ruit, Arteriolarum Anaſtomoſin facit, ſicque Hæmorrhagiam infert. Sic nempe nimia Narium irritatio ab Euphorbio &c. Hæmorrhagias ſæpè graviſſimas inducit: vid. Kerkringius *Spicileg. pag.* 100.

*Pertinent ad Anaſtomoſes has Scorbuticorum Hæmorrhagiæ* inſignes admodùm, & crebriùs ingruentes, per quæcunque loca fiant; Partim ob Sanguinis Craſin plùs minùs vitiatam, & ad Diatheſin acidam plùs minùs declinantem; imprimis Sanguis tenuis ſimul eſt ſalſus acris, adeòque faciliori Apertioni occaſionem præbens; Partim propter Tonum laxatum, quo reſoluto Vaſa eorumque Fibræ debilitantur, & admodùm flacceſcunt, unde Vaſorum oſtiis minùs conſtrictis hæc hiſcunt; hinc fit, ut *Hypochondriaci*, *Scorbutici*, & *Cachectici* variis & ſtupendis Hæmorrhagiis non rarò ſint obnoxii, ita ut Sanguis non unciatim, ſed libratim, effluat: vid. Meara *in Diatrib. contra Pyretolog. Williſii*, Loweri *Reſp. contra Mearam*, & M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obſervat.* 48. *&* *Anno* 3. *Obſervat.* 22. 24. *&* 243. item *Ann.* 6. *&* 7. *Obſervat.* 90. *pag.* 130. quia ob Tonum fibroſarum Partium vitiatum & reſolutum paralyticis Affectibus obnoxii ſunt, quo reſoluto Fibrarum Tono è Vaſis Sanguis effluit, iſque ſeroſus, cùmque acrior ſit Scorbuticorum Sanguis, hinc in Hæmorrhagias recidivantes incidere ſolent; hinc Mulieres Scorbuticæ etiam nimio Menſium Fluxu laborant, item Viri Scorbutici enormes Hæmorrhoidum Fluxus patiuntur: Partim denique quòd Scorbuticorum nervoſum Syſtema Pathematis convulſivis obnoxium admodùm ſit, unde irritatum quodam in loco, è Spinis ſalinis ſcorbuticis alicubi infixis mox tendi Fibræ, Pulſationis aut Tenſionis ſenſus, hinc Hæmorrhagiæ oriri ſolent. Comprobat hoc notabili Obſervatione Williſius *Pharm. Ration. Part.* 2. Quô etiam referendum *Sputum cruentum ab Ulcere Pedis* diuturno coaleſcente, quale Rhodius *Centur.* 2. *Obſerv.* 35. annotavit.

In hactenus enim dictis Anaſtomoſeos Cauſis, tam *ad Sanguinem*, quàm *Vaſa* utplurimùm reſpiciendum venit, ita quidem, ut frequentiſſimè *Acidum*, conſuetum Sanguinis motum ad Orgaſmum præternaturalem concitans, aut itidem *Acidum plùs minùs ſalſum* Vaſa, eorumque aut Partium vicinarum Fibras vellicans, conſiderandum veniat. Hæc de Anaſtomoſi.

II. *Diæreſin* & *Diabroſin* inducunt omnia Externa, quæ aut *Inciſione*, aut *Punctură*, aut *Contuſione*, Vaſa aperiunt; uno verbo: omnia Externa, de *quibus in Chirurgiâ*. Ex *Cauſis Internis* eſt quodcunque Acre, imprimis Acidum aut Acidoſalſum Orificia Vaſculorum corrodens: quæ interdum *Lympha acrior* nimis & *acido-ſalſa* multum habet in receſſu, aut etiam ipſa Craſis Maſſæ Sanguineæ acido-ſalſa redditur. Pertinent huc ſuo modo quæcunque nimis *Acria inſpirata*. Nam hæc, ut Narium Vaſa irritare, ita & Pulmonum Vaſcula erodere valent, unde dictarum partium *Hæmorrhagiæ* facilè poſtmodùm ſuperveniunt.

*Cauſæ Occaſionales* plures etiam ſunt: nempe (1.) *Motus Corporis* nimius, e. g. Sternutatio, Tuſſis, Vociferatio, Vomitus, & Ponderum incongrua elevatio, unde v. g. Menſes nimii; vid. Foreſtus *l.* 28.

*Obſer.*

*Obſerv.* 14. & 16. (2.) *Animi motus* vehementiores, ut Ira, Gaudium; hincque Menſes nimii ex Loſſio *ſupra allegato.* (3.) *Acria* ineptè applicata, ut Helleborus albus in Sternutatoriis, Suppoſitoria, & Enemata acriora, Hæmorrhoides concitantia: vid. Foreſtus *lib.* 23. *Obſerv.* 4. necnon Purgantia acriora, e. g. Scammonium, de quo vid. Monardes *lib.* 12. *Epiſt.* 3.

## DIAGNOSIS.

Quod attinet *Signa Diagnoſtica*: *Diagnoſis* ipſius Hæmorrhagiæ per ſe patet; Differentiæ ſaltem Cauſarum obſervandæ ſunt, pro quarum varietate *varius* etiam eſt Sanguinis effluentis *Modus*; dum Sanguis, qui effluit, floridus, rubicundus, copioſus, &c. innuit factam *Anaſtomoſin* propter aliqualem Sanguinis abundantiam & turgeſcentiam: obſervandus tamen ſimul cum his eſt Cauſarum Antecedentium impetus.

Sanguis effluens in loco, cum ſorti regionis plùs minùs vicinæ Pulſatione, innuit impeditum plùs minùs Sanguinis motum, per unum alterumve Arteriolæ ſurculum.

Sanguis effluens tenuis, aquoſus, & inſtar loturæ Carnium, ut loquuntur, plùs minùs Signum eſt nimiæ Sanguinis ſeroſitatis & aquoſitatis.

Denique Humores acres excedentes ubi præceſſerint, non poſſunt Cauſæ latere, obſervatis ſimul cæteris concurrentibus Signis; manifeſtò plùs minùs acris ſalſus Sanguis effluens guſtari ſolet.

In genere adhuc notandum, Sanguinis fluxum futurum interdum prædicere *Hypochondriorum* tenſionem atque pulſationem, & difficultatem ſpirandi; imprimis ſi ſolennior quædam Sanguinis Evacuatio ſuppreſſa fuerit, aut Cauſa quædam Sanguinem exagitans præceſſerit, vel Symptomatis dictis combinetur; quamvis etiam ſine his frequentiùs ille fluxus contingat.

Ex qua parte autem Hæmorrhagia expectanda præter *Conſuetudinem*, quâ quidam ad Narium Hæmorrhagiam, vel Hæmorrhoidum fluxum proclives ſunt, læſiones & Symptomata Partium, & Morbi præſentis idea, v. g. Variolarum, quæ Narium Hæmorrhagiam adjunctam ſæpè habent, monſtrant.

In ſpecie *Hæmorrhagiam per Nares* imminentem indicant Dolor Capitis & Cervicis, Pulſus Arteriarum Capitis & Colli auctus, Vertigo, Oculorum rubor, Aurium tinnitus, ac Narium pruritus: per *Aſperam Arteriam* difficilis Reſpiratio & Tuſſis: *Hæmorrhagiam Uteri* imminentem, præter tempus Menſium conſuetum, monſtrant tenſio in regione Hypogaſtricâ & Lumbis, eorum gravitas & æſtus; *Hæmorrhoidum fluxum nimium* innuit præter tempus conſuetum, Pulſus in Hypochondriis, Lumbis & Dorſo, Venarum Ani dolor & tumor, atque Teneſmus.

Pertinent huc præ cæteris *Hæmorrhagiarum Differentiæ* probè dignoſcendæ: Hæmorrhagia enim eſt vel *Spontanea*, vel *non Spontanea*; *Spontaneæ* fiunt operâ Naturæ exonerantis Corpus, ut in fluxu Menſium patet, aut Hæmorrhoidum, aut Hæmorrhagiis Narium periodicis, &c. Spontanea iterum vel *Critica* eſt, vel *Symptomatica*: *Critica* Hæmorrhagia fit in fine Morbi cum euphoriâ Ægri, quam poſt Materiæ coctionem Natura in Morbo facit, ut unà per illam curet: *Symptomaticæ* ſunt, quæ in principio aut incremento Febrium Ardentium & Variolarum ſuperveniunt, fiuntque ex Orgaſmo Sanguinis, molientis effuſionem. *Non Spontaneæ* ſunt, quæ ſubinde in curſu Morbi accidunt, citra euphoriam, vi, aut errato aliquo externo. Unde *Spontanea Critica* non eſt curanda, quia eſt laudabilis Naturæ conatus, quin potiùs promovenda, niſi nimia ſit, & cum inſigni Virium proſtratione fiat, juxta *Aphoriſmum* Hippocratis, 2. *Sect.* 1. *Spontanea Symptomatica* cautè tractanda eſt, niſi ſit immodica, ac niſi impediat alium Naturæ conatum, relinquenda: ſic e. g. ſi ſupervenerit in incremento Variolarum aut Petechiarum, ne retrocedant, ſupprimatur: ſimiliter *Critica*, ſi nimia ſit, maturè compeſcatur. *Non Spontanea* quæcunque *Symptomatica*, cùm Morbus ſit, aut procedat ex habitu Corporis morboſo, neceſſariò eſt ſiſtenda & præcavenda. Deinde Hæmorrhagia eſt vel *Habitualis*, vel *Accidentalis*: *Habitualis* crebriùs, & vel brevi vel nullâ præcedente occaſione, redit & affligit: *Accidentalis* verò rarò, nec niſi magnâ datâ occaſione, contingit & affligit. *Accidentalis* eſt vel *cum Febre*, vel *ſine Febre*; ibi ad turgeſcentem & ebullientem Sanguinem ſimul plùs minùs reſpiciendum; item, an Critica magis? an Symptomatica fuerit?

Abſoluta fuit Theoria Hæmorrhagiæ in genere unà cum Signis Diagnoſticis. Superſunt *Signa Prognoſtica.*

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin* in genere obſervandum, quòd *omnis Hæmorrhagia ſit excretio* planè *præternaturalis*, ita quidem, ut etiam *Critica* ſuo modo *aliquid præternaturale ſit*; nulla enim, præter Menſes & Lochia, naturalis eſt: vid. Foreſtus *lib.* 6. *Obſerv.* 11. *in Schol.* Adeòque omnis, niſi tempeſtivè ſupprimatur, periculoſa, & aliquid mali portendit, præter illam, quæ Morbis aliis, præprimis cum Febre junctis, criticè ſupervenit, illoſque ſolvit, aut certè notabiliter imminuit; *optima enim Criſis ſit per Hæmorrhagiam*: vid. Zacutus Luſitanus *Prax. Admir.*

Minus quoque periculi portendit Hæmorrhagia Plethoricis adſuetis, quibuſve Evacuatio ſolennior ſuppreſſa, aut Membrum aliquod detruncatum fuit, cui Sanguis deſtinatus, nunc verò cohibitus, Plethoram facit.

*Moderata & conſueta* & plùs minùs *periodica Hæmorrhagia*, quocunque in loco fiat, ſi Subjecti conditio reſpondeat, & hoc facilè ferat, *ſalubris*, cùm deficientem varia Mala, non ſecus ac excedentem, inſequi ſoleant. Moderata igitur talis non ſiſtenda eſt.

Hæmorrhagiæ quæcunque *à Cauſâ internâ* cæteris paribus & periculoſiores & cautiùs tractandæ, quàm quæ ab externis.

*Hæmorrhagiæ nimiæ* quæcunque, uti ad Animi deliquia, *ἀσφυξίας*, & Virium proſtrationes immediatè diſponunt, ita mediatè Cachexias & Hydropes ſucceſſivè inferunt.

Periculoſior eſt, quæ copioſior, quæ Faciem citrinam, plumbeam aut fuſcam reddit, cui Convulſiones ſuperveniunt, quæ Pituitoſos & Melancholicos, aut à quacunque Cauſâ emaciatos corripit, quæ Morbum, cui accedit, non ſedat, quam Rigor excipit, utpote qui de Spiritibus exhauſtis teſtatur: unde Morbos chronicos, ſcilicet Tabem, Hydropem &c. Hæmorrhagias immodicas ſequi non adeò infrequens eſt.

In ſpecie, ubi Sanguinis fluxui ſupervenit *extremorum Refrigeratio*, propinqua eſt Syncope.

*Diæreſis* Arteriæ & Venæ inſignis & plurium, aut ejus *Diabroſis*, periculoſiſſimæ & curatu difficiles ſunt, niſi harum Vulneribus Remedia immediatè applicari poſſint.

*Quæ ab Anaſtomoſi vitio Sanguinis*, vel abſolutè vel reſpectivè *abundantis*, naſcitur, curatur facilimè.

*Quæ verò vitio Sanguinis ſereſcentis*, tardè & quaſi medio modo ſe habet.

Quæ eſt *ab acrimoniâ Sanguinis*, hujuſque fluxu impedito, difficulter ſedatur, potiſſimùm ſi poſterior Caſus Cauſam pertinaciorem, v. g. Scirrhum Hepatis, agnoſcat.

Quæ *vitio Vaſorum* contingit, pro ratione Morbi primarii plùs minùs curabilis eſſe ſolet.

Difficiliores ſunt Hæmorrhagiæ, quæ fiunt *læſis Arteriis*, quàm Venis; item quæ *à Venis majoribus*, quàm quæ à minoribus ruptis, contingunt.

## CURA.

Quod ergò attinet *Curam*: in eâ ante omnia conſiderandum eſt, *an curanda ſit Hæmorrhagia, an verò ſinenda?* de quibus ſuprà. Deinde *in Habituali* diſtinguenda eſt Cura in eam, quæ fit *tempore Paroxyſmi*, adeòque eſt *Curatoria*, & eam, quæ eſt *extra Paroxyſmum*, adeòque *Præſervatoria*. Tertiò probè conſiderandum, *an ipſa Hæmorrhagia* ſit *Morbus ſolitarius & primarius?* an verò *ſecundarius?* & ſi hoc, *an ſit cum Febre*; an *ſine Febre?* Hinc omnis *Hæmorrhagia Spontanea & Critica*, per quæcunque loca fiat, item quæ Naturæ ſolennis eſt, & cui adſueta, ſimiliter in iis, quibus ejuſmodi ſolennes Sanguinis Evacuationes ſuppreſſæ, nunquam curandæ, niſi forſan modum excedant, Vireſque notabiliter exſolvant, nec ipſi Evacuatio quaſi ſuccedanea inſtituatur. *Symptomaticæ* verò Hæmorrhagiæ quæcunque ſiſtendæ ſunt.

Conſiſtit autem Cura hæc vel in proximarum *Cauſarum remotione*, vel Affluxûs inhibitione, vel *Sanguinis* averſione, per Venæſectionem, Cucurbitulas, Hirudines, & Fonticulos; vel in *Vaſorum* præter naturam apertorum ſibrarumque partium conſtipatione atque obturatione, per Interna Sanguinis impetum coërcentia, & Externa, quæ Vaſorum ora adſtringunt, & Sanguinem profluentem incraſſant. *Diæreſes verò Vaſorum* per *Interna*, acre quodvis temperantia, & *Externa*, Vaſa plùs minùs arroſa *adſtringentia*, *conſolidantia*, *conglutinantia*, &c. ſunt reſtituendæ. *Externa* iſta, eorumque adminiſtrandi rationem, *in ſequentibus*, ubi *de Hæmorrhagiis in ſpecie*, pluribus explicabo. Hac vice *Interna* cuivis Hæmorrhagiæ ſpeciei plùs minùs applicabilia conſideranda veniunt.

Quoad *Anaſtomoſin*:

(1.) *Sanguis nimius Vaſorum ora* aperiens imminuendus lentè per pauciorem Diætam Victumque tenuem; confeſtim verò magis per Sanguinis miſſiones quaſvis, nunc Venæſectiones, nunc Scarificationes.

(2.) *Item turgeſcens*, ut in Plethorâ, vel *Præcipitantibus*, vel *Abſorbentibus* Fermenta iſta acida volatilia, vel Acidis, aut blandis, aut fortioribus, volatile Acidum figentibus & coërcentibus, compeſcendus: qualia ſunt v. gr. Acetum, Tinctura Florum Bellidis, *Spiritus Vitrioli*, Hæmorrhagias Narium ſcorbuticas ſubinde figens: Conf. M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obſervat.* 196. *pag.* 176. Nitrum in Aquâ fontanâ ſolutum atque propinatum: vid. Riverius *Cent.* 1. *Obſervat.* 48. & Agricola *Chirurg. parv. pag.* 190. Pulvis Hepaticus rubeus, Tinctura Lapidis Hæmatitis, Saccharum Saturni, hincque cum Vitriolo Martis parata Tinctura Antiphthiſica, Corallia, Unicornu foſſile, Terra ſigillata, Lapis Hæmatites, Uſnea, Camphora, & Opiata. Huc etiam pertinent Vegetabilia Nitroſa & moderatè Adſtringentia ſeu Vulneraria, nempe Portulaca, Plantago, Sedum ſeu Sempervivum, &c. Opiata, Camphorata.

(3.) *Idem aquoſus & nimis ſeroſus* & tenuis maturè corrigendus, temperandus, & in debitam conſiſtentiam revocandus, vel *Exſiccantibus* aut *Imbibentibus*, aut *Incraſſantibus*, & deinde *Evacuantibus* Serum ſuperfluum per Alvum, vel Veſicam, vel per habitum Corporis, & Digeſtioni primæ proſpiciendum.

(4.) *In Anaſtomoſi verò vitio Vaſorum*, Acidum iſtud, Nervorum Spaſmos, necnon aliqualem Obſtructionem inducens, corrigendum per vulgò nota *Aperientia*, in ſpecie Martialia, in Morbis Convulſivis & Hæmorrhagiis habitualibus pro eradicandâ radice optima; de quibus alio loco dictum.

(5.) *Quoad Cauſas Remotas Diæreſeos*; ſi hæc fiat *vitio Sanguinis acriorîs*, Succi acres falſi erodentes obtundantur per blanda Temperantia, & Sanguinis craſin corrigentia, ut Paſſulata, Lacticinia, Martialia & ſimilia. *Si vitio Vaſorum oneroſorum*, *Vulneraria* adſtringentia & incraſſantia ſunt convenientiſſima.

(6.) *Laxitas* denique atque *poroſitas Partium* præternaturalis Condenſantibus atque Roborantibus, quorum hæc *Repellentia* dicere liceret, corrigitur; qualia ſunt, præter Alterantia dicta & mox dicenda, Stercus Aſininum, Lichenes Equorum, de quibus vid. *du* Hamel *Tractat. de Affect. Corp. pag.* 312. Talus Suis, vid. Bartholinus *Cent.* 5. *Hiſt.* 97. Aqua ex Typhis Cervinis, Pulvis Sperniolæ *Crollii*: quibus demum accedant *Narcotica*, v. g. Semen Hyoſcyami, Laudanum Opiatum, Electuarium Diaſcordii &c. item Crocus Martis cum Aceto paratus; Vitriolum Martis, Acidulæ Artificiales, & Tinctura Antiphthiſica *Michaëlis*.

Pro his Scopis obtinendis,

*Obſerv.* I. Convenit *interdum*, ut dixi, *Venæſectio*, ſeu alia Sanguinis evacuatio. Dico *interdum*: nam perverſa Chirurgorum eſt conſuetudo, ut in omni Hæmorrhagiâ Sanguinem mittere velint. Verùm hoc ſtultum eſt, licèt Sanguis non abundet, & jam tum effluat, eundem velle ulteriùs evacuare; ſcilicet in quavis Hæmorrhagiâ Sanguis purè paſſivè ſe habet, movetur nempe eô, quô Spirituum moventium & Organorum impetu pellitur, & effluit ubicunque Vaſorum ora aperta ſunt, utut Occaſionalis Cauſa interdum in Sanguine hæreat. *Non ergò Sanguinem evacuando*, *ſed Cauſas Occaſionales*, ſive in Sanguine ſive in Parte, per quam fit effluxus, hæreant, removendo corrigendæ ſunt. Unica ergò *abundantia Sanguinis*, ſive *Plethora vera*, & quibuſdam in caſibus *apparens*, ſive Turgeſcentia, aut inde natus Impetus ad locum, per quem effluit, poſtulat Venæſectionem. Ideòque etiam in ſolenni Evacuatione Sanguinis ſuppreſsâ Sanguinis detractio locum habet, necnon in Hæmorrhagiâ præternaturali periodicâ, paulò ante hujus invaſionem; vid. Foreſtus *lib.* 24. *Obſervat.* 9. *in Schol.* Hæmorrhagia verò à fluxilitate aut acrimoniâ corrodente Sanguinis, & reliquis omnibus Caſibus, quæ oritur, ibi vana & inſulſa eſt Venæſectio. Ubi verò ſecanda, ibi ſtudiosè *leges Revulſionis*, *Derivationis* & *Averſionis* obſervandæ, quas Venæſectio parcior & aliquoties reiterata, item *Scarificatio* atque *Cucurbitulæ* præſtant. Sanguis quoque à Parte affectâ avertitur per *Intercipientia*, in ſpecie per Ligaturas & Cucurbitulas, tam ſcarificatas quàm non ſcarificatas, Partibus tamen potiùs remotioribus quàm vicinis applicandas.

II. *Purgationes* ipſæ *etiam ſunt ridiculæ*, & quâ tales non conveniunt, niſi interdum nimia abundan-

tia

tia Laticis aquoſi, nimis fluxilem aut acrem faciens Sanguinem, ſui excretionem urgeat: in tali enim caſu utique Purgantia blanda per inferiora conveniunt, uti in tali caſu rectè eadem commendat Foreſtus *lib.* 24. *Obſerv.* 12. Fortis *Cent.* 1. *Conſ.* 92. & Riverius *in ſua Prax. lib.* 4. *cap.* 8. & confirmatur etiam hoc ipſum per Experientiam Rondeletii, qui curavit quendam ſingulis diebus duas vel tres libras Sanguinis rejicientem, ſolis Syrupis ſeroſos Humores evacuantibus; Seri enim copia, quod vehiculum Sanguinis eſt, ſubinde Fluxûs hujus eſt Cauſa, præſertim ſi acrius idem fuerit; Quin & per *Sudores* vel *Diuretica* aquoſum Laticem uberiorem cum Salibus heterogeneis emittentia hoc commodè fieri poteſt. Utut enim *Sudor*, dum actu fluit, diſſolvat Maſſam Sanguineam, eamque ita fluxiliorem reddat, poſtmodùm tamen ubi ceſſavit Sudor, Sanguis Sero depauperatus nonnihil craſſeſcit, ſpiſſeſcit, & Salibus ſuperfluis aut heterogeneis liberatus, mitior evadit aut dulceſcit, & ita Hæmorrhagia plùs minùs ſufflaminatur & ceſſabit. In ſpecie, ubi cum Febre fuerit Hæmorrhagia Symptomatica, per Sudorifera non quidem volatilia, ſed additis Opiatis compeſcenda venit. *Confer. hic* Williſius *Pharm. Rational. Part.* 2. *pag.* 418.

III. *Opiata generalia ſunt Hæmorrhagiarum Remedia*, dum & *Irritationis* ſenſum in hac vel illâ parte undecunque excitatum ſopiunt, & *Spirituum* moventium *Impetum* plùs minùs refrænant, adeòque quoſvis rapidiores Sanguinis inde concitatos motus quietiores reddunt, quô ipſa *catholicum* ἴοχαιμον, id eſt, Sanguinem ſiſtens, meritò habentur, internè & externè adhibenda. Experimenta hujus rei noviſſimè retulit Medicus quidam Haſſiacus, Michael Bernhardus Valentini, *in Epiſt. ad D. Doct. Widtium*, *Archiatrum Spirenſem*, *de Nova Matricis & Morbonæ Muliebris Anatome*, ubi fusè oſtendit, quantum *Opiata* in *Narium* æquè ac *Uteri Hæmorrhagiâ* valeant. Vid. etiam Horſtius *in Obſer.* ubi Arteria loco Venæ ſectæ admotione Opii fuit ſedata.

Ex dictis patet, *Remedia ad Hæmorrhagias* uſitata eſſe

(1.) *Vulneraria & Adſtringentia*, Sanguinem partim inſpiſſantia, partim vi alcalinâ, Acida vitioſa abſorbentia, partim Vaſorum læſiones reſtituentia, ut *Plantago*, *Portulaca*, *Piloſella*, *Bellis minor*, *Roſæ*, *&c.* Vel

(2.) *Abſorbentia*, tam *Martialia*, hiſque cognata *Corallia*, *Hæmatites*, *Terræ*, *Boli*, &c. quàm *Animalia*, ut *Cornu Cervi ſine igne*, *Ebur ſine igne*, *Unicornu verum*, *Dens Hippopotami*, &c. Sanè *Martialia* plurimis ſcopis in Curis Hæmorrhagiarum ſatisfaciunt; in ſpecie Hæmorrhagias ex nimiâ Sanguinis Acrimoniâ, item ex Obſtructione Vaſorum ſanguiferorum, item Hæmorrhagias Habituales Hypochondriacorum, Scorbuticorum & Spleneticorum, quæ ſubinde ſunt ſtupendæ, Vomitu Sanguinis ſplenetico ſæpiùs recurrente, (ſive ſit reverà talis ſive non, loquor cum vulgo) optimè ſiſtunt Martialia. Hujus rei ſingulare Exemplum habet Lowerus *contra Mearam cap.* 3. *pag.* 19. ubi habet Hæmorrhagiam ſtupendam Chalybeatorum uſu curatam: Conf. M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obſervat.* 223. *pag.* 324. & *Ann.* 3. *Obſerv.* 106. *pag.* 176. Sunt præſtantiſſima, partim quòd Acidum vitioſum, Hæmorrhagiæ Occaſionalem Cauſam, abſorbeant, partim quòd radicem in primis viis, unde Affectus ſpaſmodici Hæmorrhagiarum ſuperveniunt, exſcindant; quin etiam in Sanguinis Seroſitate tenui & ſalsâ optimè conferunt. *Martialia* nempe Remedia per ſe ſemper *adſtringunt*, per accidens verò *aperiunt*; unde perinde eſt interdum, ſi in Hæmorrhagiis *Martialia* dicta *Aperientia* ſive *Adſtringentia* uſurpentur, modò Acida vitioſa primarum viarum, & inde dependens Sanguinis craſis vitiata corrigantur, & Affectus convulſivi hinc producti in radice emendentur. *Obſervavi hoc aliquoties*, in ſpecie in Mulieribus menſtruantibus, in quibus Liquor Martis Solaris ritè uſurpatus & ciet Menſes deficientes, & ſupprimit eoſdem nimis fluentes; quod etiam circa *Tincturam Vitrioli Martis Zvvelfferi* obſervavi, quæ aperit Menſium Obſtructiones, & tamen in inordinato & ſæpiùs recurrente Fluxu cum fructu, pro eodem ſiſtendo, obſervavi. Adeoque in Cachecticis, Hypochondriacis, Scorbuticis, &c. cum Sanguinis Fluxibus præternaturalibus, vel cum iiſdem naturalibus, ſed vitiosè aut inordinatè contingentibus, aut deficientibus, aut excedentibus *Martialia* pro Curatione utramque faciunt paginam, quippe quæ (ut & Animalium Partes pariter) nonniſi abſorbendo, aut acida vitioſa Fermenta & inquinatam Maſſam Sanguineam ſalſam corrigendo, operari ſolent: Vel

(3.) In *Hæmorrhagiis Seroſis Serum imbibentia & incraſſantia*, ut Uſta Terrea, aut aliunde Evacuantia, ut *Purgantia Diuretica*, præſertim ex Claſſe Vulnerariorum. Vel

(4.) *Sanguinem attemperantia* & quaſi *edulcorantia*, ut Paſſulæ & Paſſulata, quæ planè ſingulare ſunt Remedium in curandis Hæmorrhagiis nimiis, in ſpecie Cachecticis & Scorbuticis; quatenus temperant Acre quodcunque, & Sanguinem dulcem & minùs roſivum reddunt. Sic ipſe novi Exempla Infantum, imò & Adultorum, frequenter Hæmorrhagiis Narium obnoxiorum, ſolo frequenti Paſſularum eſu curatorum. Hinc quoque Lac & Lacticinia uti curant Scorbutum, ita eorum uſus Hæmorrhagiam corrigit.

Ex his patent facilè *Remediorum Formulæ*: v. g. in *Hæmorrhagiis* ex *turgeſcente* nimis *Sanguine* cum *impetu febrili & Phlogoſi* vagâ, convenit Potio ex Alumine & Spiritu Vitrioli ſuperiùs præſcripta, Apozema Sylvii *in Prax. lib.* 1. *cap.* 23. §. 34. *pag.* 187.

Vel

℞. *Aquæ Plantag.*
*Semperviv. maj.* ana ℥jß.
*Syr. Papav. alb.* ℥j.
*Tinct. Flor. Bellid.* cum *Phlegm. Vitrioli par.* ʒiij.
*Spiritûs Vitrioli* q. ſ. ad gratam aciditatem.
M. D. S.

Mixtura Sanguinem ſiſtens pro aliquot vicibus. Capiatur cochleatim pro lubitu ad ſiſtendam Sanguinis turgeſcentiam.

In *Hæmorrhagiis Habitualibus* ex eodem *Sanguine turgeſcente* ex Acido volatili, v. g. in Vini potatoribus, &c. adeòque in iis, qui vulgò ex Sanguine bilioſo & Hepate nimis calido Hæmorrhagias pati dicuntur,

℞. *Dent. Hippopot. præp.* ʒjß.
*Corall. rub. præp.* ʒj.
*Lap. Hæmat.* ʒß.
*Sacch. Saturni* ϑij.
*Laud. Opiat.* ϑß.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis Vaporans.

Capiatur ſubinde mane quantitas Cultelli cuſpidis.

Item

℞. *Extr. Flor.* ʒiij.
*Ebor. ſine igne*,
*Dent. Hippopot.* ana ʒß.
*Corall. rub. præp.* ʒj.

*Hæmat. præp.* ℈ij.
Cum ſ. q. *Syr. Roſ. rubr.* & *Papav. errat.* f. Electuarium.
D. S.
Electuarium Sanguinem ſiſtens.

Extractum Florum paratur ſequenti modo:

℞. *Flor. Roſ. rub.* p. ij.
*Papav. errat.*
*Bellid. rub.* ana p. j.

Per multiplicem infuſionem in Aquâ ſimplici, hinc expreſſionem & inſpiſſationem, f. l. a. Extractum.

Sic parabitis *Extractum ſuccoſum* ad imitationem Angeli Salæ, *ubi de Extractis Vegetabilium.*

*In Hæmorrhagiis Habitualibus ex Sanguinis tenuitate ſerosâ*

℞. *Paſſul. min. conquaſſat.* aut *earūdē Pulpæ* ℔ß.
*Rhabarb. el.* ʒij. vel ʒiij. pro lubitu.
*Tartari vitriolati Tach.* ʒj.
Cum ſ. q. *Syr. Pomor.* f. Electuarium.
D. S.
Electuarium Sanguinem temperanter ſiſtens.

Capiatur mane & veſperi duabus horis ante cœnam quantitate Caſtaneæ; Vel

℞. *Paſſul. min.* vel *Conſerv. Roſar. rub.* ℥iij.
*Rhabarb. el.*
*Corall. rub. præp.* ana ʒiß.
*Ebor. ſine igne* ʒj.
*Dent. Equi mar.* ʒß.
*Extr. Mart.* cum *Succ. Pom.* ʒij. vel ʒiij.
Cum ſ. q. *Syr. Roſ. rub.* f. Electuarium.
D. S. ut ſuprà.

Utile eſt & per Sudorem occurrere tali Hæmorrhagiæ:

℞. *Cornu Cervi uſt.* ʒj.
*Terræ ſigillat.* ʒß.
*Laud. Opiat.* gr. iij.
M. pro 2. doſibus.
Cum Sudore uſurpandis.
D. S.
Pulvis Sanguinem ſiſtens.

In *Hæmorrhagiâ ab acriori Sanguine, à Lymphâ* aut *Eroſione*, omnibuſve modis concitatâ, ſanè polychreſta eſt *Mixtura* Sylvii *lib. 1. Prax. cap. 9. §. 20.* Ad cujus imitationem ſequentes, omnes reliquas Compoſitiones ſuperare videntur:

℞. *Aquæ Plantag.* ℥iij.
*Cinnam.* ʒij. ad ʒiij.
*Acet. Vini* ʒiij. ad ℥ß.
*Corall. rub. præp.* ℈ij. aut loco horum *Croci Martis adſtr.* ʒ℈.
*Terræ ſigillat.* ℈j. vel ʒß.
*Laud. Opiat.* gr. iij.
*Syr. Myrtin.* vel *Portulac.* ʒiij.
M. D. S.
Potio Sanguinem ſiſtens.

Capiatur pro aliquot doſibus. Vel

℞. *Aquæ Portulac.*
*Plantag.* ana ℥iß.
*Cinnam.* ʒiij.
*Acet. deſtill.* ℥ß.
*Trochiſc. de Carabe*, vel *Terræ ſigill.* vel *Boli Arm.* ℈ij. ad ʒi.
*Corall. rub. præp.*
*Unicorn. foſſil.* ana ℈j.
*Laud. Opiat.* gr. ij. ad iv.
*Syr. Corall. Querc.* vel *Myrtin.* vel *de Roſis ſicc.* ʒvj. vel ℥j.
M. D. S. ut antè.

Capiantur cochleatim, cohibent enim Fluxum Hæmorrhoidum nimium & ſymptomaticum.

Huc quoque pertinet *Electuarium Helidæi Paduani*, de quo *infrà, ubi de Hæmoptyſi.*

In *Hæmorrhagiâ Symptomaticâ*, e. g. Febrium Malignarum, præſcribi poteſt ſequens:

℞. *Aquæ Scorzoner.* ℥ij.
*Tenell. Cornu Cervi* ℥j.
*Acet. deſtill.* vel *ſimpl.* ʒvj. vel *Succ. Citri* ℥j.
*El. Diaſcord. Frac.* ʒij. ad ʒiij.
*Antimonii Diaphor.* ʒj.
*Syr. Rubi Idæi* ℥j.
M. pro tribus doſibus.
D. S.
Mixtura Sanguinem ſiſtens, pro tribus doſibus.

His obſervatis, *in genere ad Hæmorrhagiam quamcunque*, pluribus Indicationibus, nempe *adſtringendo, conſolidando, Vaſa claudendo, & Sanguinem temperando* ſatisfacientia, imprimis ſequentia, & quidem *ex Regno Vegetabili*, ſunt: Portulaca, Plantago, Symphytum majus, & ex his paratus Syrupus compoſitus, quem videb. *ſuprà Sect. 6. cap. 2.* Polygonum, Millefolium, Folia tenella Quercûs, Roſæ rubræ inodoræ, Semen Sumach, Cortices Granatorum, Lyſimachia, Burſa Paſtoris, Flores Balauſtii, Sanicula, Pyrola, Polygonum, Bellis minor, Ruta, Vinca pervinca, Hedera terreſtris, Urtica minor & *Radices* Urticæ majoris, (vid. Rodericus *à Caſtro de Morb. Mul. lib. 1. cap. 5.* & Riverius *Pr. lib. 4. cap. 8.*) Symphyti majoris, Tormentillæ, Pimpinellæ, Sanguiſorbæ, Millefolii, Biſtortæ, Folia Quercûs teneriora, Muſcus terreſtris, quercinus, &c. *Fructus* Myrtilli, Acacia noſtras, Gallæ, Rubi; horumque Simplicium Decocta & Syrupi, Aqua & Syrupus Portulacæ, Plantaginis Syrupus de Symphyto, Syrupus Coralliorum, Myrtillorum, de Hederâ terreſtri, &c. quæ omnia adſtringunt, & Sanguinem quodammodò incraſſant: item Semen Portulacæ, Lactucæ, Urticæ; item Papaver & Papaverina, Semen Hyoſcyami, Opium, & quælibet alia hujus generis Anodyna certo experimento Hæmorrhagias ſiſtunt. Pertinet huc Radix Acori aquatici ſeu Pſeudoacori, & ex hoc paratum *Nectar Adſtringens D. Langii*, ex Succo nempe cum Saccharo in conſiſtentiam Syrupi inſpiſſato; & ſanè egregium eſt Remedium adſtringens, & quodammodò Sanguinem inſpiſſans, indeque in quocunque tam Sanguinis, quàm aliorum Humorum Fluxu commendo; item Syrupus Coralliorum, Syrupus Myrtinus: in ſpecie, Succus Urticæ majoris recèns expreſſus ad uncias aliquot internè aſſumptus contra quamcunque Hæmorrhagiam Narium, Sputum Sanguinis, Vomitum cruentum, ab omnibus laudatum Experimentum exiſtit; in ſpecie vid. Riverius *in Praxi*, Zacutus Luſitanus, & Amatus Luſitanus, qui non poſſunt ſatis commendare hunc ipſum, utpote quo variæ Hæmorrhagiæ & Hæmoptyſes curatæ fuerunt. Datur hic Succus ad ℥iß. ad ℥ij. vel ℥iij. Quidam *Syrupum ex Succo Urticæ* in promptu habere ſolent, quem ad recurrentes Hæmorrhagias ſolent ſubinde propinare: ſic Urticam majorem vulgarem contuſam plantis Pedum & volis Manuum, item Membro virili, applicatam maximè commendat Borellus *Cent. 1. Obſerv. 95.* ſic Fungi Betulæ ramenta ad miraculum Hæmorrhagiam externam ſiſtunt, teſte Crollio *Baſil. Chym. pag. 308.* Tachenio *Morb. Princ. pag. 187.* Porrò *Muſcus ſeu Uſnea Cranii humani* ex Cranio violenter interempti deſumpta, nobilis & mirabilis eſt in ſiſtendis Hæmorrhagiis, quatenus per Mumiam Microcoſmi imprægnata eſt, doſi à gr. xij. ad ℈j. vel ʒß. propinatur in Aqua Burſæ Paſtoris cum Syrupo Coralliorum &c.; externo & interno uſu

periculo-

periculosissimas sistit Hæmorrhagias, & divinum vocatur Remedium à Langio; Prostant enim Exempla Hæmorrhagiarum desperatarum beneficio hujus Usneæ feliciter curatarum: vid. Beckeri *Medicus Microcosm.* & Hildanus *Epist.* 27. Lindanus refert, se Comitissam, cui nullis Remediis sedari potuit Hæmorrhagia, restituisse per solam Cranii humani Usneam; unde & Hillerus *in Cent.* 1. *Cura* 20. confirmat, se periculosissimam Hæmorrhagiam Narium ex potu Vini excitatam, per ʒß. Cranii humani, & ϑß. Usneæ, cum Aquâ Bursæ Pastoris sedasse. Externè inditur Naribus, aut ubi Sanguis aliàs effluit, compescit insigniter Fluxum hunc. De variis ex hoc paratis Medicamentis, tum internis tum externis, vid. M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obs.* 53. *pag.* 100. Loco hujus tamen solet substitui Muscus Prunorum sylvestrium & quercinus, qui tamen minoris est pretii. Hisce accensetur Sanguis Draconis: verùm cùm genuinus rarò apud nos habeatur, caveamus ab usu ejus, & potiùs exhibeantur Mastiche, Sarcocolla, Thus, Myrrha, Aloë, Gummi Arabicum, Mumia, Succinum, & similia Sanguinem temperantia & incrassantia. *Passulæ* suprà laudatæ fuerunt, & conducunt in specie Hæmorrhagiis ex vitio Sanguinis acrioris, serosioris, acido-salsioris &c.: Nam tali ex Causâ Hæmorrhagias Habituales natas crebrior Passularum minorum comestio sublevat. *Rhabarbarum* denique non tam pro Sero evacuando, quàm Sanguine alterando, & crasi ejus restituendâ, in Hæmorrhagiis & serosiore Sanguine confert. *Camphora* non negligenda, quæ Spiritus afficit, & Fermēta peregrina acida Sanguinis mirificè corrigit.

*Ex Regno Minerali* reliqua Remedia superat *Mars*, omniaque *Martialia* suprà laudata, & Subjecta reliqua Martialia: qualia sunt Lapis Hæmatites, qui virtute Martiali confert ad Hæmorrhagiam, tam in substantiâ præparatus, quàm ejus Tinctura; Terræ Martiales, Bolus rubra, item Armena, Terra Sigillata, Terra Vitrioli dulcis, &, quæ huc suo modo pertinent, Corallia, eorumque Tincturæ, Vitriolum Martis, & *Acidularum* potus, &c. Ex omnibus convenit *Tinctura Sulphuris Vitrioli*, quæ reverà est saltem Tinctura Martis adstringens, ad omnes & quascunque Sanguinis Hæmorrhagias expertissima. Equidem paratur vulgò ex Capite mortuo Vitrioli Martis benè edulcorato, sed meliorem modum docebo:

℞. *Vitriolum Martis nativum*, & si non habetur genuinum (nam nihil debet participare de Venere, aliàs si tantillum Veneris adsit, loco facultatis adstringentis facit vomitus) solve Vitriolum in Aquâ, & injice *Limaturam Ferri*, sic præcipitabitur omnis Venus, & præcipitata in formâ Crustæ cupreæ supernatat solutioni, quæ filtrata inspissetur & dabit *Vitriolum Martis genuinum.*

Hoc facto:

℞. *Solutionem Vitrioli hujus Martis*, & instilla eidem guttatim *Lixivium Salis Tartari*, vel *Oleum Tartari per deliquium*, sic cadit Crocus Martis in fundum; hocque fiat tamdiu, donec fiat saturationis punctum: filtretur: (liquor blando igne evaporatus seu crystallisatus dat *Tartarum vitriolatum Tachenii*:) Crocus verò præcipitatus edulcoretur probè copiosâ *Aquâ simplici*, lotusque exsiccetur, sic habebitur Pulvis flavus instar Croci, qui præferendus est omni alii Croco Martis adstringenti, & est egregius in erosione Capitis, & Ulceribus manantibus.

Porrò *Crocus* hic *præcipitatus* solvatur in *Spiritu Nitri*, vel *Spiritu Salis compositio*, ita fiet insignis effervescentia & incalescentia; Solutio filtretur, abstrahatur per Retortam ad consistentiam Mellis, massa remanens postmodùm ponatur in locum calidum cum *Spiritu Vini probè rectificato*, & digeratur, ac habetur *Tinctura Martis*, quæ filtrando separetur; & hæc Tinctura vulgò *Tinctura Sulphuris Vitrioli*, rectiùs tamen *Tinctura Martis* appellatur.

Hæc Tinctura adstringit, & est nobilis & egregia in omni Hæmorrhagiâ, ritè parata, datur ad guttas xx. xxx. & xl. in quocunque vehiculo usurpata.

Facit hoc quoque *Extractum Martis* adstringens Hartmanni, quod habet *in Praxi Chymiatr. cap.* 50. *de Hæmorrhag. Narium*, estque compositum corpus ex Terrâ & Marte; confert tam externè, quàm internè, in Manibus detentum. Est experimentum Lindani, cui instar omnium Remediorum est; utpote quo Puerum desperatâ Hæmorrhagiâ Narium laborantem curavit. Datur ad gr. v. vel ix. cum Conservâ quadam adstringente in formâ Boli. Item Saccharum Saturni & ipsum Hæmorrhagias compescit. Similiter facit huc Hæmatites artificialis ex Vitriolo Martis & Saccharo Saturni. Modum habet Glauberus *in P.* 3. *Teutschlandes Wohifartb.* Processus est legitimus, utut non rarò dictus Autor mentiatur. Item loco Acidularum *Liquor Martis Solaris* ad Hæmorrhagias chronicas aut sæpiùs recurrentes conducit, præternaturales nimios Fluxus Sanguinis sistendo, & econtrà naturales aut deficientes aut inordinatos restituendo; item Pulvis Hæmatitis cum Aceto aut Succo Granatorum acidorum propinatus; item Liquor Stypticus ex Terra Sigillatâ cum Spiritu Vitrioli vel Nitri paratus; item *Tinctura Antiphthisica* ex Saccharo Saturni & Vitriolo Martis parata, egregiè convenit in quacunque Hæmorrhagiâ. Quibus Essentiæ & Extracta Martialia quæcunque commodè annumerari possunt: Spiritus Vitrioli suprà laudatus coagulando blandè Sanguinem, Hæmorrhagiam sistit, in specie quæ ex turgescentiâ aut nimiâ ebullitione Sanguinis oritur, quatenus orgasmum ejus sistit & blandè coagulat. In quo casu etiam Nitrum depuratum, & omnia Nitrata, interno & externo usu, in specie interno, cum fructu usurpari possunt, etiamsi Hæmorrhagiæ per iracundiam excitatæ fuerint, & à Felice Würzio tanquam speciale Arcanum contra Hæmorrhagias commendatur. Pertinet huc *Pulvis Sympatheticus ex Vitriolo Veneris* benè depurato, & radiis solaribus, Sole in Leone versante, expositio & calcinato paratus, pro usu externo, qui Sanguini effluenti, sive ex Utero, sive è Naribus, sive Pectore (de omnibus habeo experientiam) inspersus, aut saltem, si Linteum Sanguine isto adhuc madidum eo saltem adspergatur, aut Linteum Cruore effuso ebrium solutioni dicti Pulveris immergatur & applicetur, certo & mirabili Experimento ad Hæmorrhagias quascunque sistendas maximè proficuus est, quæ ita sympathetice curantur: vid Digby *in Orat. eleg. de pulv. Sympathetico.*

*Ex Animali Regno* conveniunt in genere ad Hæmorrhagias, Animalium Partes duræ, in specie *Ebur sine igne*, *Unicornu verum*, *Dens Hippopotami*, *Cornu Cervi ustum*, &c. absorbentia vitiosa Acida, & incrassantia Sanguinem; item Remedia ex Ranis, *Sperma Ranarum*, cujus Aqua destillata internè hausta, & externè convenit, quod solitariò cum pauco *Aceto rosato* applicatum, singularem vim obtinet Hæmorrhagias compescendi; inde etiam ex hoc paratus Pulvis Sperniolæ *Grollii* est admodùm commendatus ad Hæmorrhagias, dosi

dosi ℈ß. ad gr. xv. vid. Schrœderus. Permiscetur cum aliis in quacunque formâ: aut etiam Pulvis *Agricolæ* sequens:

℞. *Sacch. Saturni.*
*Thuris*,
*Myrrh.* ana ʒij.
*Croci*,
*Camphor.* ana ʒj.
M. F. Pulvis.

Qui cum *Aquâ Spermatis Ranarum* imbibitur, & lentè exsiccatur. Nam licèt *Myrrham* contineat, quæ aliàs facilè Hæmorrhagias resuscitat, nihilominùs tamen *Sperniola* innocenter usurpari potest, nunc solitaria, nunc aliis mixta: v. g. ad coërcendam Hæmorrhagiam:

℞. *Lap. Hæmat. pulveris.* ʒß.
*Sperniol. Croll.* gr. xv.
*Laud. Opiat.* gr. iij.
M. f. Pulvis:
divid. in 2. part. æquales.
D. S.

Pulvis contra Hæmorrhagiam in duabus dosibus.

Nam Papaverina & Opiata quævis semper Remediis contra Hæmorrhagias nimias addenda sunt, imprimis si Dolor adjunctus sit. Vehiculum horum Pulverum potest esse:

℞. *Aquæ Portulac.*
*Semperviv. maj.* ana ℥j.
*Syr. Plantag.* vel *Portulac.* q. s.
M. S.
Aqua ad Pulverem.

Porrò Excrementa quorundam Animalium singularem vim habent ad Hæmorrhagiam sistendam. Cætera omnia antecellit Stercus Asininum, Suillum, & Stercus Canis ossa rodentis, quæ tria utut apparenter fœtida, sunt tamen reverà expertissima contra quascunque Hæmorrhagias, externo pariter & interno usu. Sanè, præter *Pulverem* ex his paratum, ex *Stercoribus* Suillo & Asinino exprimitur Succus, qui ab ʒß. ad ℥j. vel ʒiß. in convenienti Vehiculo propinatus, est efficacissimus; aut ex horum Succo cum Saccharo fiat Syrupus ad Hæmorrhagias, qui vid. in Prævotio, & in Joelis *Praxi*. Hi ipsi Syrupi admodùm egregii sunt in compescendâ Hæmorrhagiâ: item permiscentur hi Succi Stercorum cum Succo Urticæ, & ita internè propinantur. Conf. Rodericus à Castro *de Morb. Mul. lib.* 1. *cap.* 5. *pag.* 48. & Zacutus Lusitanus *lib.* 1. *Prax. Histor. Cap.* 2. *num.* 4. Vel, quod alii faciunt:

℞. *Succ. Sterc. Asinin. rec.*
*Syr. Myrtill.* vel *Myrtin.*
*Portulac.* ana ℥ß.
*Aquæ Plantag.* ʒvj. *ad* ℥j.
M. pro Haustu.
D. S.

Potio Hæmorrhagiam sistens pro uno haustu.

Vel

℞. *Succ. Sterc. Asinin.* ʒiß.
*Syr. Myrtin.*
*Aquæ Plantag.* ana ℥j.
M. S. ut suprà.

Stercus Canis verò pulverisatum in substantiâ convenienter admodùm propinatur, loco quorum quidam pro Secreto commendant ipsum Sanguinem proprium per quæcunque loca excretum, arefactum, & à ʒß. ad ʒj. ipsi Ægro in Liquore appropriato propinatum, item externè, si fieri potest, loco Hæmorrhagiæ applicatum istam mirificè sistere dicunt: vid. Schmuck *in Curat. Magico-Magnetic.* De Lacte suprà dictum.

Supereſt adhuc *Bufo*, menſe Julio, aut Sole in Leone exiſtente captus, per caput transfoſſus, & ita enecatus, atque ſiccatus, & in Sindone rubrâ appenſus, quamcunque Hæmorrhagiam ex nimio Spirituum fervore & impetuoſo motu concitatam, ob Pavoris Ideam ex Hominis præſentiâ contractam, feliciter ſiſtit; vel etiam ſi tantùm ſub Axillis lateris iſtius, quô Sanguis fluit, applicetur, ut probè incaleſcat, vel etiam, ſi tantummodò Bufo exſiccatus in Manu detineatur, donec incaleſcat. Speciatim convenit ita *Bufo* in *Hæmorrhagiis Narium Symptomaticis* in *principio Febrium Malignarum*, in ſpecie Variolarum admodùm periculoſis: In his Bufo dicto modo præparatus, aut etiam recens contuſus ſub Axillis applicatus, aut etiam regioni Cordis appenſus, perquàm egregiùs eſt, tam ratione Malignitatis, quàm ratione urgentis Symptomatis. Juxta Bufones & *Ranæ*, in ſpecie virides, exſiccatæ, & omnia ex Ranis, earumque Pulvis in Vino rubro propinatus mirificè Hæmorrhagias ſiſtit; quæ vivæ contuſæ, earumque Sperma, pariter applicari poſſunt ad quamcunque, tam virilem quàm muliebrem, Hæmorrhagiam compeſcendam.

Unum adhuc *de Partium*, *præprimis internarum*, *Hæmorrhagiis curandis* notetur, ut his ſedatis Medicamenta *Grumos Sanguinis Diſſolventia* propinentur atque applicentur, in principio tamen moderata, v. g. Sperma Ceti, Marga Saxorum, Lapilli Cancrorum, Terra Hibernica, & cum Adſtringentibus, v. g. Pulvere Sperniolæ & *Agricolæ* modò commendato, temperanda. Progreſſu temporis & potentiora ſola & cum Sudoris aliqualis provocatione exhibenda, qualia, præter Diaphoretica, ſunt Radix Polygonati, Caryophyllatæ, Rubiæ Tinctorum, Chærefolium, Sabina, Verbaſcum, Geranium Robertianum cum Vino Decoctum, Terebinthina, Fuligo, Sanguis Hirci, &c. Niſi enim talia applicentur, metuendum, ne Grumi putreſcentes acrimoniam contrahant, hincque, erodendo, novam Hæmorrhagiam aut Ulcus, aut ſimile quid Corpori detrimentoſum parent.

In *Hæmorrhagiâ à Cantharidibus* convenit Lac, Decoctum Nucum Pineæ cum Viſco quercino, Paſſulæ, Ichthyocolla, Gummi Arabicum & Tragacantha: vid. Joel *Prax. lib.* 3. *pag.* 280. quæ omnia acrimoniam hanc vel illam corrigunt.

Reſtant tandem *ipſa Orificia Vaſorum* atque *Pori Partium conſtringendi ac conſtipandi*. Quibus medemur Emplaſticis, ſive Conglutinantibus ſive Adſtringentibus. Utraque ſaltem Externa ſunt; & priora quidem Albumen Ovi, Thus, Sarcocolla, Sanguis Draconis, Maſtiche, Aloë, Farina Fabarum; unde Paræus *pag.* 384. dimidium Fabæ in Hæmorrhagiâ ab Hirudinum tactu commendat, Parti affectæ applicandum: Item hujus loci eſt Gallina ſeu Columba per medium diſſecta, & calidè applicata, quatenus harum Sanguis grumeſcens Orificia Vaſorum obturat. Poſterioris generis iterum *duplicia ſunt*: Scilicet eadem vel auſteritate notabili pollent, nempe Vitriolum, hujus Spiritus, Tinctura Sulphuris Vitrioli, Crocus Martis adſtringens, Tinctura Lapidis Hæmatitis, Acetum ſimplex & roſaceum, Lac Virginis, Fructus & Succus Acaciæ, Succus Hypociſtidos, Biſtorta, Millefolium, Muſcus terreſtris, potiſſimùm quercinus, de Tegulâ & Cranio humano; vid. Hildanus *Centur.* 2. *Obſervat.* 5. Flores Roſarum, Balauſtiorum, Cortices Granatorum, Myrtilli: Vel Sanguinem conſtringentia, huncque imbibentia, quæ Vaſorum extremitatibus firmiùs adhæreſcunt, adeoque hos obturant, ſcilicet Bolus Armena, Terra Sigillata, Gypſum, Alumen uſtum,

ustum, Pili Leporini, & Crepitus Lupi. De Argillâ cum Aceto in Cataplasma redactâ, & Fumo Succini albi, vid. Rulandus *lib.* 1. *Observ.* 15. *pag.* 73. Stercore Porcino ac Asinino, vid. Foresius *l. a. Observ.* 13. de Spiritu Vini rectificato, Spiritu Terebinthinæ & Opio, Horstius *lib.* 9. *Observ.* 12.

Atque ex his varia commendantur *Composita*, e. g. *Liquor* ille *Stypticus Gallorum*, qui ceu Secretum ad quascunque Hæmorrhagias, etiam ex Vasorum sectione, laudatur. Liquorem hunc mihi transmissum examinavi, expertusque sum, quòd sit nihil aliud, quàm solutio Aluminis, cui dimidium præter propter de Vitriolo Martis fuit additum: Nempe binæ Aluminis partes una Vitrioli Martis mista & soluta in Liquore appropriato, dant hunc Liquorem. Hoc probavi ita: Infudi Decoctum Gallarum huic Liquori, & ecce! præcipitatus est in Liquorem nigrum, deditque distinctos Aluminis crystallos. Liquor hic externè, cuicunque loco admotus, ubi effluit Sanguis, ceu certissimum Remedium fuit deprehensus. (I) Ad imitationem hujus facilè alius Liquor potest parari; vid. Weberus *Tr. de Liq. Styptico*: Item

℞. *Limat. Martis* part. j.
*Spiritus Vitrioli* part. iv.
Digerantur in loco tepido, affundendo
*Phlegm. Vitrioli*, vel *Aquæ pluvial. destillatæ* q. s. pro solutione & dilutione, ut commodè filtrari possit.
Filtrato Liquori addatur.
*Solut. Alum. crudi* in refractâ dosi, & usui servetur.

Vid. Bartholinus *Act. Haffnienf. Vol.* 2. *Obser.* 133.

Huc quoque pertinet Pulvis ille Chirurgis Hollandicis familiaris, quem Tulpius *lib.* 1. *Observat.* 40. describit; scilicet

℞. *Bol. Armen.* ℥ij.
*Calcis vivæ*,
*Vitrioli usti*,
*Alum. usti* ana ʒvj.
*Lap. Hæmat.*
*Aloës lucid.*
*Sang. Draconis.*
*Terræ Lemn.*
*Croci Martis*,
*Mumiæ* ana ʒij.
*Mastich.*
*Thuris*, ana ʒj.
M. f. Pulvis subtilissimus. (K)

ARTI-

(I) Nota Cyrilli. *Probatissimus est Liquor iste.* ℞. Aq. Plantag. ℥ij. Rosar. ℥ß. Aluminis usti ʒß. Sacchari candi ʒj. Vitrioli opt. ʒ ß. Urinæ pueri ℥j. *M. filtra & serva*: *imbibantur petiæ & applicentur. Internè exhibeatur* ℥ß. *cui adde* Spir. Vitrioli *gutt.* iv.

(K) * (Capitibus de Vomitu Sanguinis, de Dysenteriâ, & Hæmorrhoidibus, usum radicis Ypecacuanhæ pro infallibili Specificô commendavimus. Hic ubi de Hæmorrhagiis in genere agitur, fusiùs paulò, quæ inibi compendiò enarrata sunt, repetenda veniunt, nostraque experientia super virtutibus nobilis hujus radicis revelanda. Postquam itaque istius plantæ descriptiones ex Joh. Raiô, Guilielmô Pisone, Joh. de Laët, Petrô Pomet, Nicolao Lemery tradiderimus, ad nostra in hôc argumentô propria, tum olim in Bibliothecâ Pharmaceuticâ, tum postea per longum annorum decursum, accuratissimè adnotata, deveniemus. Sit itaque 1°. Clariss. Joh. Rajus.

*Nomina* Ypecacoanna *Brasilienfibus*; *Marggravio* Herba paris Brasiliana polycoccos. Maggr.

Ex radice spithamæ longitudine & ampliori, flexuosa, nodosâ seu geniculatâ, multis filamentis lateralibus præditâ, quæque corticem habet subruffum instar Tormentillæ, interius autem alba est & in medio habens medullam, à qua reliqua substantia viridis radicis detrahi potest, medullaque removeri, progeneratur unus aut alter caulis, sempedalis aut paulò longior, teres, lignosus, lentus, coloris cinerescentis, partim terræ incumbens aliasque radices agens, partim surrectus. In uniuscujusque hujus summitate sex, septem aut octo ut plurimùm folia inlident modo herbæ paris, superius saturatè viridia, inferiùs dilutiora, nervo uno secundum longitudinem, & multis venis transversis prædita instar foliorum lupini, ad tactum ut folia Asari sed molliora. E medio horum in proprio pediculo enascuntur decem, duodecim, aut quindecim flosculi, in capitulum congesti, parvuli, albi, pentapetali, cum totidem staminulis albis. Post flores sequuntur totidem baccæ brunnæ seu saturatè laccæ coloris, magnitudine cerasi sylvestris: bacca intus continet pulpam albam succulentam, cum duobus granis seminis duris, fiscescentibus, lenticularis figuræ.

Amat planta humidas sylvas, & in hortos translata nullum sumit incrementum.

Radix contusa, & drachmæ unius pondere in poculo vini aquâ mixti macerata, deinde leviter bullita, si bibatur, per vomitum & secessum purgat, & non solum in dysenteria, sed etiam in affectibus ventriculi datur optimo successu. Raius.

*Hypecacuanha* præter facultatem purgatricem per superiora & inferiora, omni veneno eximiè adversatur. Nec credo præstantius remedium adversus plurimos morbos ex longâ obstructione ortos, in primis in ventris fluxibus medendis in hisce terris reperiri facilè.

Duæ existunt species, neutra à nemine quod sciam, descripta. Utraque eidem usui dicata, sed gradibus facultatum, & facie, & natali solô differunt. Una enim earum humi depressa exiguior in pratis crescit, pulegio non admodum dissimilis; nam caulis foliis lanuginosis exsurgit multis, albisque flosculis cingitur: radix illius est crassa, filosa, albicans, à Lusitanis dicta *Ipecacuanha bianca*; quæ quòd minùs turbet corpus, & venenis validissimè resistat æquè pueris ac gravidis exhibetur. Altera est longitudinis semicubitalis, trinis vel quinis tantùm foliis ornata. Gaudet locis opacis, & tantùm in densioribus reperitur nemoribus. In summitate caulis baccas producit nigras, sed paucas. Radice est tenui, tortuosâ, nodosâ, fusci coloris, saporis ingrati, amari, calidi & acris. Exsiccata in multos annos reservatur, nec facilè vires deponit antidotales, sudoriferas; sed quidem vomitivas. Ejus in pulverem redactæ dosis est ʒj. in infusô ʒ. plûs minùs duæ. Facultatem habet abstergendi, meatus reserandi, ac infarctus exsolvendi. Utriusque quotidianus est usus, malunt tamen dilutum, quod vel unius noctis sub diô macerationc, aut coctione in aquâ, medicam suam virtutem abundè liquoribus communicet. Postea caput mortuum reservatum, denuóque eôdem modô præparatum, in eundem usum exhibetur; minùs quidem efficax ad purgandum, vel vomendum, sed magis adstringens. Ita ut radix hæc non solùm materiam morbificam, licèt tenacissimam, à parte affectâ revellat, eamque per superiora expellat; sed & adstringendo viscerum tonum restituat. Præterquàm enim quòd fluxibus ventris aliisque

morbis

morbis medeatur, venenis adverſatur, viruſque, tum occultâ quantate, tum manifeſtâ, per vomitum ſtatim expellit. Quamobrem religiosè à Braſilienſibus reſervatur, qui illius vires primi nobis revelârunt. *Hæc ex Guilielmo Piſone.*

*Igpecaya*, vel *Pigaya*, optimè, ut dicunt, dyſenterias ſanat: Ejus caulis ſemicubitum eſt altus, radixque ejuſdem eſt longitudinis: quatuor, aut ad ſummum quinque folia peſſimi odoris promit. Radix pulverata, & per noctem ſub diô in aquâ macerata, ac poſt trajectionem per ſetaceum mane ab ægrô epota, eum ità ex purgat ut identidem alvi fluxum ſiſtat, *Joh. de Lâet in Indiæ Occidentalis Hiſtoriâ, ubi de Braſiliâ.*

*Ipecacuanha* quæ itidem vocatur *Beguquella*, *Specacuanha*, *Cagoſanga*, *Beculo*, *Beloculo*, & *Radix Auri*, eſt radix puſilla quam Batavi ac Luſitani ad nos deportant è Braſiliæ regione quæ *Rio de Genecyro* dicitur, & quæ non alibi quàm in mineris auri, à quibus nomen mutuata eſt, reperitur. Colligitur ab iis qui minerarum, ſeu fodinarum labori ſunt adjudicati, & ea propter majoris eſt pretii, quòd diligentiſſimus ejus collector unô annô quantitatem duodecim librarum excedere non valeat, & ni cum aliis mercibus commutaretur, carior multò foret.

Batavi autem, aut alii, tres Ipecacuanhæ ſpecies ad nos dimittunt, nempe *fuſcam*, quæ prima eſt & optima, ac propterea carior, *griſeam*, quæ minùs vehemens eſt quàm fuſca, & *albam*, de quâ in ſequentibus.

Ipecacuanhæ tum fuſcæ, tum griſeæ, plantæ ſunt mediocris altitudinis, partimque repunt, partim ad dimidii pedis altitudinem elevantur. Folia gerunt parietariæ foliis non multùm abſimilia, è quorum medio flores pronaſcuntur albi, pentapetali, parvulis capitibus innixi, quibus ſuccedunt baccæ fuſcæ, quæ cùm maturuerunt ceraſorum Sylveſtrium magnitudinem æquant. Hiſce baccis concluditur pulpa albida, ſucculenta, in quâ reperiuntur arilli duo duri, ſubflavi, lentis figuram non malè repræſentantes.

Seligatur hæc radix recens, bene nutrita, fuſca, fractu difficilis, reſinoſa, ac nervum in ſui medio habens, advertendumque ne ipſi admiſceatur caulis, ac varia præterea filamenta; & inſuper videndum ut ſit ſaporis acris, amari, ac ingrati. Quidam amici quos Lisbonæ, Maſſiliæ & in Batavia habeo, mihi aſſeruere; Quòd Ipecacuanha fuſca ſit aliis efficacior, quódque hæc præcipuè in auri mineris reperiatur, dum aliæ ſpecies in montium radicibus, ac ipſis pratis & locis humidioribus colliguntur.

Inſervit hæc radix dyſenteriis curandis, alii præterea credunt vires poſſidere alexiterias, verùm nemini autor fuerim ut eâ, niſi maximis cautionibus adhibitis, utatur, atque ex conſilio prudentiorum medicorum, quia vehementioris eſt effectus, ſive in infusô, ſive in ſubſtantiâ præbeatur.

Doſis hujus radicis eſt à ʒß. ad ʒj. exhibetur autem pulverata in liquore convenienti, manè, jejunô ſtomachô; hauſtô, duabus poſt horis, juſculô pingui, vel lacte. Vomitum autem ciet, priuſquam facultatem ſuam exerat adſtrictoriam.

*Ipecacuanha alba* ab aliis duabus ſpeciebus differt in eô quòd radicem habeat albam *behen albi*, vel *dictamni albi* radici prorſus ſimilem. Folia profert foliis acetoſæ rotundæ non abſimilia, ſeu ut aliis placet ad polii folia proximè accedentia.

Hiſpani & Luſitani Ipecacuanham albam aliis præferunt, præcipuè pro mulieribus gravidis ac pro pueruli, quia ſcilicet cum minori agit vehementiâ, eam autem in ſubſtantia ad drachmæ dimidium, in infusô verò ad ʒij. præſcribunt. *Hæc Petrus Pomet in ſuâ Aromatum Hiſtoriâ univerſali Gallicè conſcriptâ.* Quibus quædam in ejuſdem operis *Appendice* præterea addit, quæ hic conſultò reticemus, quia ſimilia ex *Nicolao Lemery* jam ſumus allaturi.

Etiamſi *Ipecacuanha* inter præſtantiſſima reponi mereatur medicamenta pro dyſenteriâ curandâ, exhibetur tamen aliquando ſine exoptatô effectû, ac propterea poſtquam bis, vel ter propinata fuerit, ſi morbum non ſiſtat, ab ulteriori exhibitione abſtinendum & ad alia remedia, confugiendum. Eam in enematibus ſæpius immiſcui pro dyſenteriarum curâ, ſed ſemper cum mediocri admodùm effectu, vim enim ſuam non exerit ni vomitus ciet. Vidi interim aliquos quos ſine vomitibus ſanavit; verùm in iis alvum impetuoſiùs movit.

Primus qui Ipecacuanham in Galliam adduxit fuit Dominus le Gras, Medicus qui ter anno 1672. Americam viſitaverat. Eam nobis commonſtravit apud D. Abbatem Bourdelot, dum Chymicum Curſum perageremus, & in meô Aromatario aliquid ejuſmodi radicis ab eô tempore concluſum habeo, ipſius virium tum interim neſcius. Poſt Domini le Gras obitum bona iſtiuſmodi radicis quantitas ad me ex illius domô adſportata fuit, verùm quandoquidem de eâ experimenta nulla ſumpſeram, nolui illam coëmere; ac propterea ad Dominum Craquenel Pharmacopolam delata fuit, qui eam tamquam vilis pretii mercem in proximâ tegulis contignatione repoſuit ac per plures annos aſſervavit, donec ſcilicet Domino Helvetio ipſam venderet qui medicamentum in magnô ſecretô habuit, donec à Rege vulgatum ſit. *Hæc Nicolaus Lemery in ſuâ Aromatum ſimplicium univerſali Hiſtoriâ, Gallicè conſcriptâ.*

*Hactenus multos audivimus Doctos Autores de Ypecacuanha, tum ex propriâ experientiâ, tum ex aliorum relatione ſcribentes, quibus quid nos ipſi de hâc plantâ ac ejus effectibus adnotaverimus, paucis ſubjungemus.*

Triplicem *Ypecacuanham* vidimus, Albam ſcilicet, Nigram, & aliam quæ coloris eſt griſei aliquatenus ſordidi, ad cinnamomeum accedentis; in hâc ultima, quæ Domino Pomet *Fuſca* dicitur, experimenta noſtra ſumpſimus. Eſt autem ſaporis in primâ manducatione ſubdulcis ac nauſeoſi, poſtmodùm verò, & quando dentibus optimè contrita fuit, amari ac aliquatenus auſteri & vitriolici. Eam ut plurimum ad ʒi. in pollinem redactam in aq. plantaginis ℥vj. cum paucô ſyr. roſar. rubr. & maſtich. puræ pulver. ʒß. vel ſimul & ſemel, vel partitis vicibus, ſcilicet in duas diſtinctam doſes, duobus diebus continuis exhibuimus, vidimuſque ſic curatas dyſenterias; etiam eas in quibus ſanguis plenô erumpebat fluentô, & diarrhœas aliquatenus coërcitas fuiſſe. Vomitus præterea ſanguineos, hæmoptiſes horrendas, urinas cruentas, fluxus hæmorrhoidales; imò hæmorrhagias narium abundantiſſimas & pertinaciſſimas, ſic vidimus ſanatas; dum ſcilicet vel plenâ doſi pulverem in prædictis aquis cum adjecta maſtiche propinavimus, vel in pilulis ex eo cum balſamo Judaicô, vel etiam de Copaiba confectis, ut ſenſim vaſa occluderentur, ſanguiniſque impetus reprimeretur, prout ſcilicet natura morbi, vel circumſtantiæ concomitantes exigebant, vorandam, tradidimus Ypecacuanham. At nunquam de facultate

hujus

*cutis*, & quidem præprimis in Statu, funeſta eſt.

## ARTICULUS II.

### *De Hæmorrhagia Narium.*

COnſiderabimus jam ſpeciales rationes diverſarum Hæmorrhagiarum, inter quas in principio *Hæmorrhagia Narium* ſe offert, ſeu Sanguinis fluxus præternaturalis ex Naribus, in quarum intimam ſuperficiem terminantes *Arteriolæ* Hæmorrhagias iſtas excitant. Subinde copioſiſſimus Sanguis eſt, & qui per plures poros ex Naribus effluit, quem tunc ex Sinu Cerebri Falciformi aut ejus Vaſis apertis ad Nares pervenire multi aſſerunt, quod tamen falſum, ſicuti ſufficienter hoc dogma rejicit Schneiderus *Tr. de Oſſe Cribriform. pag.* 411. *& ſeq.* ubi ſufficienter demonſtrat, nullo modo ex Sinu Falciformi decidere quamcunque Sanguinis guttulam. Quin potiùs *Vaſa*, ex quibus in Hæmorrhagiâ Narium effluit, ſunt *propagines Rami arterialis à Carotide internâ*, qui juxta Proceſſus Mamillares, plures inter, Surculos quoſdam per Foramina Oſſis Cribroſi, tranſmittit ad Membranam Narium ſuperiorem glanduloſam, per quæ Vaſa, ſeu per quas Arteriolas & Lymphæ ſimul affertur materia, per glanduloſam iſſam texturam excernenda, ita ut ex orificiis iſtis apertis, & propter continuam à Lymphâ humectationem naturaliter laxioribus, Narium Hæmorrhagiæ accidant: Conf. Williſius *Pharmac. Ration. Part.* 2. *pag.* 40.

## CAUSÆ.

Præter *Cauſas Internas* cum aliis Hæmorrhagiis communes, *Externas* inter, Motus Animi vehementiores, ut Ira, Gaudium, &c. Hæmorrhagiam hanc interdum excitant: quò pertinet etiam illa Hæmorrhagia Narium, quam cuidam ex vitulino Boatu, & Carnis vitulinæ conſpectu contigiſſe Rhodius *Centur* 1. *Obſ.* 89. refert; item *Pulveres Sternutatorii* fortiores inſpirati, aut alia quævis inſpirata acriora ineptè applicata. Hujus Exemplum habet Kerkringius *in Spicil. Obſ.* 52. ubi lethalem obſervat Hæmorrhagiam Narium ex Helleboro albo in Sternutatorio natam.

## DIAGNOSIS.

Quoad *Signa Diagnoſtica*. *Imminentem* eam oſtendit motus Sanguinis ſurſum versùs, cujus *Indicia* ſunt *Dolor Capitis & Colli* tenſivus, *Temporum* verò Dolor gravis plùs minùs pulſans, *Oculorum caligo vel ſplendor*, *Lacrymæ* copioſæ involuntariæ, *Rubor Malarum*, *Oculorum Pruritus*, *Tinnitus Aurium*, *Titillatio Narium* &c. quin & interdum aliqualis *Manuum Tremor* accedit.

Hæc Signa tam in quàm extra Morbum Hæmorrhagiam Narium pronunciant.

Imò & Pulſus in Carpo durus & quaſi vibrans, Arteriarum Colli & Capitis auctus, *Hæmorrhagiarum recurrentium*, & quidem vitio Vaſorum, Signum eſſe ſolet.

An autem Sanguis ex Vaſis Narium an Cerebri promanet, dignoſcitur ex hoc, quòd Sanguis ex Narium Vaſis parcè & ſtillatim ferè; ex Vaſis Cerebri autem majori fluxu & impetu effluat: ſicut ex his libras viginti quatuor Sanguinis profluxiſſe Bauhinus *Theatr. Anatom. lib.* 3. *cap.* 8. notat.

Si in Febribus Acutis & Ardentibus Lacrymæ involuntariò profluunt, his Sanguinis eruptionem ex Naribus expectare convenit, ut loquitur Hippocrates.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*; ea inſtituenda eſt, tam de imminente, quàm præſente.

Hæmorrhagia Narium, quæ fit *in Morbis Acutis*, & quidem præprimis in Statu, funeſta eſt. Si hujus radicis in ſiſtendis hæmorrhagiis nobis pleniùs conſtitit quam ubi profluvia uterina ejus ope aggreſſi ſumus, quô in morbô unicum caſum adducemus, unde ſatis ſuperque efficacia medicamenti patebit. Honeſtiſſima Matrona annos præterpropter 35. nata, jamque quartâ vice prægnans, quartô, vel potiùs quintô graviditatis ejus menſe in hæmorrhagiam incidebat uterinam tam horrendam, ut ſubinde de ejus vitâ conclamatum crederetur: Sanguis etenim plenô excidebat torrente, nec ejus ſatis in venis pro vita protrahendâ ampliùs ſupereſſe videbatur. Cùm tamen Medicus Doctus curæ prædictæ Matronæ præfectus, fætum contentum pro hæmorrhagiæ causâ genuinâ agnoſcens, illius expulſionem per trochiſcos de Myrrhâ, aliaque in id adhibenda methodica auxilia omnino ſuadebat. Verùm ego regerebam per expulſiva non tam fætum quàm ſanguinis ac vitæ debiles reliquias ejectum iri, propterea que autor potiùs eram ut hæmorrhagia quâcunque demùm ſiſteretur arte; perſuaſus quòd etiam ſi, non ut in noſtrô caſu vires prorſus attritæ forent, ſanguiniſque maſſa penitùs prope exhauſta, nihil tamen durantibus turbis ab impetuoſiſſimô profluviô commotis, à naturæ etiam exquiſitioribus remediis adjutæ conaminibus expectari poterat. Propoſui itaque radicem Ypecacuanhæ ad drachmam integram in aq. plantag. cum maſtiche &c. modo prædictô hauriendam. Quid fit? Sic vomitus continuò ciebatur, ut in aliis omnibus qui doſim integram, vel etiam dimidiam, unâ vice ſumunt, evenit; ſed qui ægræ, ut ipſa referebat, levamini tantùm, moleſtiæ nullatenus fuit, ipsôque vomitûs momentô ſanguis parciùs erupit, ac ſub finem diei ſubſequentis cum excluſione fætus prorſus ceſſavit: Unde mulier ab orci faucibus verè erepta, recuperatis in dies virbus adhuc dum plena fruitur valetudine, quintoque prægnans; imò hodie propè ſeptuagenaria, vegeta vivit. Ex iis itaque quæ hactenus enarravimus, & aliis innumeris quæ per 56. & quod excurrit, annos experti ſumus, abunde nobis conſtat, radicem hanc contra omnes prorsùs hæmorrhagias remedium eſſe ſpecificum: Si ſcilicet eas exceperis hæmorrhagias quæ à vaſis exciſis aut laceratis in vulneribus exoriuntur, quæque tantùm per hujuſce vaſis, poſt ſtyptica applicata, diligentem compreſſionem, aut etiam per colligationem cohiberi poſſunt. Sed etiam adiicimus quòd metus quem ſibi effingit celeberrimus Aromatarius Pariſienſis D. Pomet ſuper imaginaria hujus remedii vehementiâ, nullius eſt momenti: quodque præterea contra D. Nicolaum Lemery aſſerentem enemata cum iſta radice parata parum admodum eſſe efficacia; affirmare poſſumus ea ſecundum methodum à nobis in Notâ ad Hæmorrhoides fluentes deſcripta, compoſita, atque bis aut ter iniecta, certiſſimi nobis fuere ſucceſsûs, in narium & hæmorrhoidum hæmorrhagiis; imò in Uterinis illis, ubi uterus profundè ulceratus non fuit. Nulli dubitantes quin in aliis omnibus hamorrhagus eadem methodus adhibita ſucceſſum non minùs proſperum habuiſſet. Ubi tamen ſic licet, ſemper præferimus remedii per os aſſumptionem.

Si fiat confertim cum euphoriâ Ægri, eſt ſalutaris: *Stillicidium* verò Sanguinis, id eſt, exigua Sanguinis & ſtillatim facta ex Naribus eruptio & fluxus in Morbo Acuto, præſertim Maligno & die quarto, malum Signum eſt, niſi forſan Cauſa externa vel excitaverit, vel ejuſdem incipientem fluxum inſpiſſando vel retinendo impediverit.

Notabile eſt, quod Hippocrates jam olim monuit in Affectibus Hepatis & Lienis, dum dicit: *Fluxus Sanguinis è Naribus non è directo factus*, (id eſt, qui in Nare diversâ eſt, h. e. in dextrâ, ſi Lien laborat, & è ſiniſtrâ, ſi Hepar) *malum; nam tales Hæmorrhagiæ, ſi debent eſſe proficuæ*, κατ' ἴξιν, id eſt *rectitudinem, fieri debent.*

*Quibus in Febribus Ardentibus Aures obſurduerunt*, his non ſolutâ Febre, delirare neceſſe eſt: ſolvit autem inter alia & *Sanguinis è Naribus eruptio.*

Interdum in Morbis Acutis Ægri *contrectant Nares*, quod peſſimum Signum eſt; innuit enim Naturam moliri aliquam Hæmorrhagiam, quæ tamen propter imbecillitatem & imminutum Sanguinis circulum non procedit.

In *Febribus Hungaricis* aliiſque Malignis Ægros ſanat Critica Hæmorrhagia, quam imminentem indicat Surditas in ſtatu veniens.

Si in principio *Variolarum* larga Narium Hæmorrhagia advenerit, & ſponte ceſſet, bonum eſt, & facilè evadent Ægri.

Eruptiones Sanguinis è Naribus ſæpiùs ſunt *admodùm copioſæ*, ad aliquot librarum pondus accedentes, adeò ut etiam ad libras quatuor Sanguis effluxerit, hoc tamen citra Ægri Virium lapſum. Item obſervatum fuit ad libras octo vel decem excretum fuiſſe Sanguinem non citra periculum, utut abſque Vitæ jacturâ.

Aliàs nimis copioſa Hæmorrhagia Narium ſi affligat, eadem Prognoſis facienda, quam *heri in genere de Hæmorrhagiâ nimiâ* indicavi. Tam largiores enim Sanguinis evacuationes, quàm ejuſdem plùs minùs, aut etiam planè non conſuetæ, ſaltem intempeſtivæ *Suppreſſiones* Morbos excitant: hæ quidem Pathemata Cerebri & Nervoſi generis epileptica, ſoporoſa, &c. illæ, abſumendo Spiritus vitales, Syncopas, Cachexias, Singultum & Convulſionem.

## C U R A.

In *Curâ* Hæmorrhagiæ Narium imprimis attendenda eſt Cauſa proxima, an ſit nimirum effectus Anaſtomoſeos? quæ frequentior; an verò eroſionis Vaſorum ſeu Diæreſeos? quæ rarior. *Interna* ſunt eadem, quæ de *Hæmorrhagiâ in genere Artic. præcedente* hactenus dixi; ſaltem in Hæmorrhagiâ Narium ex nimiâ turgeſcentiâ & fervore Sanguinis conveniunt *blanda Acida*, Sanguinem, & hujus impetum ad Nares, quantum poſſibile, cohibentia, & quodammodò coagulantia: qualia ſunt Spiritus acidi ex Mineralibus, Eſſentia Martis Adſtringens, Tinctura Sulphuris Vitrioli, Liquor Stypticus, Syrupus factus ex Succo Stercoris aſſini, miſtus cum Syrupo Myrtillorum; item Opium & Opiata, quorum Formulas, uti & Abſorbentia, *ſuprà Artic.* 1.

Vel

℞. *Ebor. ſine igne*,
*Terræ ſigill.*
*Corall. rub. præp.* ana ʒj.
M. f. Pulvis.
D. S.
Pulvis contra Hæmorrhagiam.

Si verò Narium Hæmorrhagia ſæpè recurrat ex nimiâ tenuitate ſerosâ, conveniunt Paſſulata crebrò uſurpata, in ſpecie ſub formâ Electuarii *Artic. anteced.* præſcripti, de quo mane jejuno ſtomacho, & veſperi duabus horis ante cœnam capiatur quantitas Caſtaneæ, vel Nucis juglandis, vel quantum placet, ut corrigatur Sanguis. Convenit in genere in quocunque Sanguinis vitio, & quod Veteres aliàs derivârunt ex Hæmatoſi læsâ vitioſi Hepatis; Moderni verò deducunt ex vitio Fermentationis Sanguinis. Ubi adeſt Lymphæ acrimonia, præter ea, quæ *ſuprà in Hæmorrhagiâ in genere* dixi, convenit & Potio ſequens:

℞. *Aquæ Portulac.*
*Plantag.* ana ʒiß.
*Acet. deſtill.* ʒvj.
*Terræ ſigillat.* ϑij.
*Corall. rub. præp.* ϑj.
*Sperniol. Croll.* gr. xv.
*Laud. Opiat.* gr. iij.
*Syr. Portulac.*
*de Symph. Fernel.* ana ʒß.
M. pro aliquot vicibus:
D. S.
Potio Hæmorrhagiam ſiſtens.

Quales Mixturæ in omnibus caſibus applicari poſſunt.

In Hæmorrhagiâ Narium Habituali Experimentum eſt Herba *Menthæ* recens cum Pane & Butyro comeſta, vel ejus Succus frequentiùs aſſumptus.

Præter hactenus enarrata *Interna*, eaque reſpectu Cauſarum varia, *in Paroxyſmo* per *Externa* Sanguinis impetus ad Nares, quantum poſſibile, avocandus, vel *Spirituum impetum ſopiendo*, vel *Sanguinis* ὀργασμὸν aut *turgeſcentiam refrænando*, & deinde *Orificia Vaſorum* aperta *occludendo.*

*Quoad priorem Scopum*: *Ligaturæ* extremorum, doloriſicæ, *Sanguinis miſſio* in Brachio, pro ſcopo Averſionis, vel in Pede pro ſcopo Revulſionis, *Frigidorum* & *Adſtringentium* Nuchæ, Fronti, item Scroto, Manibus, Mammis in Mulieribus, interdum & Hepati applicationes; item *Terror* inſperſione Aquæ frigidæ in Faciem & Nucham, aut quovis modo inductus, (vid. Rolfincius *Ord. & Meth. Comment. lib.* 14. *Sect.* 3. *Cap.* 12.) *Dolores* graviores circa remotiora loca excitati, aut *Lipothymiæ* inductæ, Spirituum & hinc Sanguinis motum partim ſiſtendo, partim aliunde derivando, ſubinde proficuæ exiſtunt. Sic ſunt, qui ceu Remedium revulſorium proponunt *Incurvationem minimi Digiti*, cum enim vehemens illa compreſſio intenſum Dolorem pariat, hujus occaſione forſan Hæmorrhagiæ medela erit. Nec alia ratio videtur, quare contumax Hæmorrhagia per *Cauteria actualia* plantis Pedum admota curata fuerit à Zacuto Luſitano *lib.* 1. *Prax. admir. Obſ.* 66. Quibus & *Specifica* quædam, quæ ſingulari & ſympatheticâ plùs minùs vi Sanguinem cohibent, ſimul ſocientur, inter quæ primarium locum habet *Bufo*, cujus jam aliquoties facta fuit mentio, diebus canicularibus transfoſſus, & ita exſiccatus, ſub Axillam alligatus, aut Fronti admotus, mirè ſiſtit Hæmorrhagiam Narium: quod etiam facit Pulvis Bufonum Naribus inſperſus: hinc & *Emplaſtrum Magneticum* Cnœffelii *ex Bufone* locum habebit: *M.A.N.C. Ann.* 6. *Append. pag.* 33. item Bufonis ſub dio ſuſpenſi, donec caro univerſa ſit abſumpta, os femoris denudatum, Nari inditum Hæmorrhagiam ſubitò & continuò compeſcere aſſerunt. *Lignum Fraxini*, Sympatheticum dictum, certo tempore deciſum, reverà nobile Experimentum eſt, quippe quod Naribus admotum graviſſimas Hæmorrhagias ſiſtit, ut Experientia teſtatur, ſicut felicem ſucceſſum

aliquo-

aliquoties ſtupens obſervavi ; licèt & hoc interdum, ſicut alia, fallat : Sufficit tamen quòd plurimum profit, non ſecus ac Pulvis Sympatheticus. *Hæmatites* in Manu detentus interdum, aliis irritis, egregiè juvat, ut vulgò notum ; ſi nempe tamdiu detineatur in Manibus, donec incaleſcat. Eſt autem differentia obſervanda inter Hæmatitem, cùm non omnis hoc præſtare ſoleat : Egregiam hinc Obſervationem, quoad ejus electionem, *videbitis in* Boyle *de Gemmis*. Idem facit & *Burſa Paſtoris* in Manu detenta : vid. Langius *lib.* 3. *Epiſt.* 1. *pagina* 941. *Jaſpis genuinus*, cujus rubedo venulis herbaceis eſt diſtincta, argento cinctus inſigniter ſiſtit Hæmorrhagias, in iſtâ Manu ſub Pollice, ex cujus lateris foramine Narium Sanguis fluit, detentus, vel Naribus admotus, quod obſervavit Schmuckius *in Curat. ſuis Magico- Magnet. pag.* 16. *Caſu* 3. *Medicorum deſperato*, qui hoc modo Hæmorrhagiam Narium deſperatam curavit tenendo hunc Jaſpidem in palmâ Manûs. Confirmatur hoc etiam à Bootio *Tr. de Gemm. & Lap. pag.* 202. Videatur etiam Hildanus *Cent.* 3. *Obſerv.* 2. item Boyle *de Gemmis*. Verùm cum Jaſpis non ubique proſtet, ſubſtituunt hunc ſuccedaneum, *Umbilicum* nempe *marinum* in formâ Cochlearis conformatum, qui in parte planâ & aversâ leviter humectetur cum Salivâ, & applicetur circa interſtitium Oculorum, ubi decurrit Vena Frontis ; ita ſiſtere eum Hæmorrhagiam Narium obſervatum eſt, ac confirmat hoc Boot *loc. all.* uti & hujus effectum probavit Gabelchoverus *Cent.* 4. *Obſ.* 3. Verùm non credo, vim Umbilicum hunc ſpecialem obtinere, quin potiùs convenit, quatenus ab eo validè applicato comprimuntur Vena & Surculi ibidem deſcendentes ; quia etiam *Moneta argentea* ſive Thalerus frigidæ aquæ immerſus, poſtmodum eidem firmâ compreſſione applicatus, compeſcit Hæmorrhagiam Narium. Unde probabile eſt, Umbilicum dictum juvare ratione firmæ compreſſionis factæ in Venâ Frontis, aut etiam ratione refrigerationis productæ in Sanguine, per dicta Vaſa diſtributo. Æger nunc in Aëre libero ac frigido, nunc clauſo ac calido detineatur &c. : prout enim Sanguis & Corporis habitus magis vel minùs tranſpirabiles exiſtunt, tales, ſi magis tranſpirent, in Lecto, ſin minùs extra Lectum continendi ſunt ; vid. Williſius *loco cit.* Nam omnia hæc vel Spirituum plùs minùs irritatorum impetum, vel Sanguinis orgaſmum & fluxibilitatem coërcendo, operationes ſuas exerunt.

*Quoad ſecundum Scopum* : ea quæ Naribus eorumque apertis Vaſis applicantur, ſunt *Alumen*, *Vitriolum*, *Stercora*, *Fuligo*, *Thus*, ac quælibet *Adſtringentia*, de quibus omnibus in ſpecie jam agendum. Confer. Williſius *Pharm. Rational. pag.* 2. Prætereà cum Externis his *Venæſectiones* interdum locum habent, utut rarò, non ſecus ac *Cucurbitulæ*, nunc cum nunc ſine Scarificatione ; obſervandæ tamen ubique Revulſionis & Derivationis leges. Horum loco *Frigida* & *Adſtringentia*, Sanguinem plùs minùs coagulantia, ejuſque nimium motum inteſtinum fermentativum, tam naturalem, quàm præternaturalem, refrænantia, adeoque ab effectu *Refrigerantia* dicta, externè applicantur. Aliàs applicatur etiam Cataplaſma *Galeni* ex Aloë, Myrrhâ, Pilis Leporinis combuſtis, & Albumine Ovorum, quod Oſcula Vaſorum aperta reſtringendo occludit. Imò hîc inter alia convenit imprimis ſolum *Cataplaſma*, vulgare quidem, ſed egregium, *ex Argillâ calcinatâ*, quæ ipſa cum *Aceto* ſubacta, vel *ex furno piſtorio*, aut *Bolo Armenâ*, *cum Aceto* invicem permiſtis, ac Fronti tum Temporibus ac Nuchæ immediatè applicatum & ſubinde remotum, Medicamentum eſt egregium, quod ſine interpoſitione Lintei Hæmorrhagias egregiè cohibet ; Nam omnia ex Aceto externè conveniunt. Item *Cataplaſma* Scroto & Teſtibus in Maribus applicatum ceu expertiſſimum habetur à Riverio, quod in Mulieribus Mammis applicari poteſt ; potenter enim Hæmorrhagias tam Narium, quàm Uteri, cohibet. Si verò Cataplaſma tale applicatum non ſatisfecerit, interdum neceſſe eſt, ut prætereà Vertici Capitis, item Collo admoveatur, pro Sanguine ad Caput adſcendente in mediâ quaſi viâ alterando. Loco tamen Argillæ poteſt etiam ſimul Bolus communis, Martialis naturæ exiſtens, & eodem Aceto ſubigi, & Fronti applicari. Alii *Gypſum cum Aceto* dictis modis applicant. Item *Epithema ex Aceto* ſimplici vel roſaceo, aut ſolo, aut cum *Succo Sempervivi majoris* miſto, *& Sale* vel *Nitro*, addito plùs minùs *Camphoræ*, Teſtibus & Scroto applicatum mirabiliter Hæmorrhagiam Narium ſiſtit. Mulieribus applicatur Mammis eodem pariter cum ſucceſſu, præſertim in Narium Hæmorrhagiâ ex turgeſcentiâ Sanguinis, ortâ ab Irâ aut nimiâ commotione, item in Febribus. Nam ſicut aliàs Scrotum frigidæ Aquæ immerſum Ebrietatem & Furorem Mentis diſcutit, ita frigida ſimiliter ejuſmodi laudantur in Hæmorrhagiâ Narium ; ac obſervatum fuit, talia Mammis Mulierum applicata nunc Narium, nunc verò Uteri Hæmorrhagiam ſedaſſe :

℞. *Succ. Semperviv. maj. rec. expreſſ.* ℥vj.
*Acet. Vini acerr.* ℥j. ad ℥iß.
*Nitri* ʒij.
*Camph.* ʒß.
M. f. Epithema.
Fronti, Collo applicandum.
D. S.
Epithema Hæmorrhagiam ſiſtens.
Vel
℞. *Aquæ Fl. Papav. errat.*
*Sperm. Ran.* ana ℥iv.
*Acet. Roſac.* ℥j.
*Opii cum Acet. ſolut.* ℈j.
*Boli comm. pulveriſ.* ℈iv.
M. D. S. ut antè.

Sunt qui talia etiam *regioni Hepatis* applicant ex Aquâ appropriatâ, v. g. Aquâ Portulacæ, Plantaginis, Spermatis Ranarum, Sempervivi majoris, addendo hujus Succum cum Aceto, Camphorâ, Nitro & ſimilibus, ac deſperatis Narium Hæmorrhagiis conſulunt, & curioſa admodum eſt Obſervatio Horſtii *lib.* 4. *Obſ.* 46. ubi notabile occurrit Exemplum ſuppreſſæ Hæmorrhagiæ Narium deſperatæ ex tali Epithemate Hepati applicato, ſed inſequente Diarrhœâ biliosâ ; e. g.

℞. *Aquæ Hyoſcyami*,
*Nymph.*
*Plantag.*
*Semperviv.* ana ℥ß.
*Sperm. Ranar.* ℥iij.
*Nitri* ʒj.
*Camph. cum Spiritu Vini ſol.* ℈j.
M. f. Epithema,
D. S. ut ſuprà.

Cum Pannis multiplicatis tepidè regioni Hepatis applicandum.

Porrò ex *Fuligine*, *Albumine Ovi & Aceto* deſtillato miſtis *Frontale* parant, quod egregiè conferre, & rarò in graviori Hæmorrhagiâ fallere dicitur : vid. *du* Hamel *de Affect. Corp. pag.* 312. Convenit etiam Albumen Ovi probè ſubactum cum Alumine ; nempe Fruſtulum Aluminis recipi-

tur, agitaturque cum Albumine Ovi, additur parum Aquæ Rosarum, quæ invicem subacta, in formâ Emulsionis cujusdam spissæ imponatur cum Linteis multiplicatis Fronti & Temporibus ad sistendam Hæmorrhagiam. Succus Urinæ etiam cum Linteis Naribus inditus Sanguinem fluentem sistit. Sic *Sperma Ranarum* cum pauco *Alumine*, vel cum Aceto subactum, Fronti ac Temporibus applicatum, vel Linteum in eo aliquoties intinctum, iterumque exsiccatum, idque repetitis vicibus, tempore usûs Fronti ac Temporibus impositum, egregiè Hæmorrhagias deprimit.

℞. *Aquæ Sperm. Ranar.* ℥iv.
*Acet. Rosac.* ℥iß.
*Sperniol. Croll.* ℈j.
D. S.
Epithema Externum.

Applicetur tepidè Fronti.

Vel

℞. *Sperm. Ran. cum Nitro & Alum. asserv.* ʒvj.
*Sacch. Saturni* ʒj. ad ʒij.
*Camph.* ℈j. ad ʒß.
M. pro Epithemate,
D. S. ut antè.

Applicetur ut suprà.

Ut suprà *Venæsectiones* & *Cucurbitulas scarificatas* Revulsionis gratiâ usurpari assertum fuit, ita pro eodem scopo non pauci applicant *Cucurbitulas non scarificatas* Hypochondriis, Hepatis nempe & Lienis regionibus, ratione lateris, ubi per Nares Sanguis effluit, ita quidem, ut stillante Nare dextrâ applicandas Cucurbitulas cum flammâ suadeant regioni Hepatis, Nare sinistrâ verò affectâ regioni Lienis. Prostant Observationes apud Veteres; sic Amatus Lusitanus *Cent.* 2. *Curat.* 100. mediante *Cucurbitulâ* Splenis regionis admotâ, & Epithemate frigido Testibus applicato, ingentem Hæmerrhagiam Narium sedavit. Veruntamen frustranea & nociva sæpe fuit ejus applicatio, quatenus hoc Remedium falsam sapit Hypothesin, quòd ex Hepate & Splene mittatur Sanguis ad Nares; unde hîc cautos nos esse debere monet Riverius, aliique Practici, cùm interdum *Cucurbitulas* tales admotas sequatur gravis *Inflammatio Viscerum* sub Cucurbitulis sitorum; quale Exemplum refert Riverius & Hildanus *in suis Obs.* adeòque cauti in applicatione harum simus. Potiùs *Nuchæ Ventosæ magnæ* impositæ locum interdum inveniunt: Conf. *M.A.N.C. Ann.* 6. *Observat.* 90. *pag.* 130. Quò pertinent *Cucurbitulæ supra Pedes*, in superiori puta Surarum parte, admotæ, vel Scarificationes institutæ, quæ miraculi instar Hæmorrhagiam Narium sistunt, Autore Foresto *lib.* 13. *Observat.* 14. coërcetur enim Sanguinis fluxus sursum, & coërcetur impetus ad loca superiora. Ad dicta Epithemata pertinet *Frontale* Poterii *Cent.* 1. *Cur.* 67. ex *Croco Martis*, *Bolo Armenâ*, *& Opio*, *cum Oleo Rosarum* mistis, & Temporibus applicatis; quo ipso contumacem Hæmorrhagiam curavit.

*Quoad Auxilia & Remedia tertii Scopi*, eminet *Alumen*. Hoc vel ita integrum Naribus infunditur, vel Pulveris formâ insufflatur: e. g.

℞. *Alum. pulveris.* q. pl.
adde
*Laccæ Pictor. quæ Germanis vacatur Kugellack* (est compositum ex Cretâ)
q. s. pro Coloris suavitate.
M. f. Pulvis.
D. S.
Pulvis Sanguinem sistens.

In Hæmorrhagiâ Narium nimiâ Naribus insufflatus, vel cum Turundâ in Aquâ vel Albumine Ovi humectatâ, vel aliâ ratione Naribus applicatus, efficacissimè graves Narium Hæmorrhagias sistit: vid. *M.A.N.C. Ann.* 1. *Obs.* 24. *pag.* 90. *Ann.* 2. *Annot. ad Obs.* 223. *pag.* 403. & 404. Item Borellus *Cent.* 4. *Obs.* 7. & 50. Par ratio est *Vitrioli*: Hujus *Solutio*, vel ad albedinem calcinati *Pulvis*, dictis modis applicatus, coagulando Sanguinem, & adstrigendo Orificia Vasorum, egregium est; item Caput mortuum Vitrioli, si in istud aliquot guttæ Sanguinis incidant; item Caput mortuum Vitrioli cum Albumine Ovi missum, & instar Turundæ Naribus applicatum. A Riverio *Cent.* 1. *Obs.* 23. Oxycratum, ab aliis Pulvis Lichenum equinorum Naribus insufflatus, aut Fumus & Vapor Stercoris Suilli commendatur; de quo vid. Rulandus *pag.* 74. *Stercora* enim *Animalium*, in specie Suis aut Asini egregii usûs sunt in Hæmorrhagiâ Narium, vel Naribus insufflata sub formâ Pulveris, vel cum Succo Plantaginis missus eorum Succus expressus, cum Bombace vel Turundâ Naribus immissus, potenter Sanguinem sistit; imò, ut Joel refert, *Stercus Suillum* etiam recens excretum, & Naribus admotum, solo Odore Hæmorrhagias Narium sistit, quod ipsum unum est ex Externis Remediis: Vid. *M.A.N.C. Ann.* 9. *Obs.* 56. Unde quidam in capsulâ gerunt Pulverem Stercoris Suilli, ut in casu necessitatis eundem olfaciant, aut Naribus intrudendo Sanguinem sistant & compescant. De Pulvere Eusonum vid. Hartmannus *pag.* 114. & Hœferus *Herc. Med. lib.* 1. *cap.* 10. Et *Tinctura Sulphuris Vitrioli*, paucâ Aquâ Plantaginis diluta & Naribus immissa, virium magnarum deprehenditur. Sic *Phlegma Vitrioli acidulum*, cum potentissimè Sanguinem inspisset & coagulet, Naribus immissum fluxum reprimit. Facit huc etiam decantatus *Liquor Stypticus* seu Essentia Styptica recentissima *Galli* hactenus in secretis habita, quæ tamen reverà ex Vitriolo Martis & Alumine solutis & mistis principaliter constat: si enim in hunc Liquorem Gallæ injiciuntur, nigrescit. Autor est *Gallus* Vivient: vid. in specie Bartholinus *in Act. Med. Hafniens. Vol.* 2. *Observat.* 41. *pag.* 116. & *Observ.* 133. *pag.* 352. nec non *Vol.* 3. *Obs.* 2. *M.A.N.C. Ann.* 9. & 10. *Observat.* 152. & Willisius *citato loco*: quo ipso, uti in genere quæcunque Hæmorrhagiæ quibuscunque in locis externè usurpato sistuntur, ita in specie & Narium Hæmorrhagia supprimitur. Scilicet ex hac ipsâ ratione *Atramentum* laudatur, quod quocunque modo Naribus applicatum & intrusum, præsertim *Gossypium Atramento* scriptorio imbutum, aliquantulum expressum, & in Turundæ forma Naribus immissum, ratione Vitrioli Sanguinem cohibet.

Vel

℞. *Aquæ Plantag.*
*Bursæ pastor.* ana ℥iß.
In quibus dissolve
*Vitrioli Martis* ʒij.
*Alum.* ʒj.
M. D. S.
Externè applicandum, vel in Nares attrahendum, vel inspergendum.

Vel

℞. *Alum.*
*Vitrioli* ana ʒj.
*Phlegm. Vitrioli* ℥j. ad ℥iß.
Ebulliant ad dissolutionem Contentorum; Liquor filtratus *Spiritûs Vitrioli* aliquot guttulis adhuc aciduletur.
D. S.
Aqua Sanguinem sistens.

Vel

Vel

℞. *Alum. crud.* ʒß.
*Terræ Vitrioli dulc.* gr. xv. ad ʒj.
*Phlegm. Vitrioli Spiritu Vitrioli non nihil acidul.* ʒiß. ad ʒiij.
M. S. ut antè,

Injiciantur Naribus.

Sed forſan Spiritus Vini per ſe rectificatus, Naribus paulò profundiùs injectus, omnibus his præſtat: ſiquidem ab illo quivis Sanguis fluidus, etiam calidus & adhuc recens, citiſſimè mirabili cum ſpectaculo coagulari ſolet.

*Fuligo Furni* ſuprà laudata cum *Albumine Ovi* miſta, Turundæ illita & Naribus immiſſa, egregiè ſiſtit Hæmorrhagiam; vel ſimpliciter de *Cataplaſmate* ex Aceto cum Argillâ combuſtâ ſuprà dicto Naribus non nihil immiſſum fluxum Sanguinis ſiſtit; aut etiam *Albumen Ovi cum Alumine ſubactum* dicto modo applicatum. Nempe eſt in Fuligine acidum cum terreis particulis admiſtum, à quibus vis adſtrictoria. Præſtantiſſima Fuligo eſt iſta, quæ è fundo Vaſorum & Cacaborum æneorum, quæ in Culinâ uſurpantur, colligitur: Fuligo cultello ſeparata ac Naribus intruſa, vel pulveriſata cum Sanguine Patientis miſta, & Turundarum formâ Naribus immiſſa, Sanguinem ſiſtit; Remedium etiam à Williſio *citato loco* tanquam expertum commendatum. Sic dedique *Decocta Adſtringentia* Naribus immiſſa Hæmorrhagias ſubinde periculoſas ſiſtere valent: *Conf. M.A.N.C. Ann.* 2. *Obſervat.* 223. *pag.* 324. & *in Annotat. ad hanc Obſervat. p.* 403.

Præter dicta adhuc obſervandum, *Topica* hoc in caſu non Naribus ſaltem eſſe attrahenda, iiſve injicienda, aut cum Penicillis lineis adaptanda, ſed *Vertici etiam quædam imponenda*, v. g. Muſcus de Tegulâ Aceto impregnatus, de quo vid. Bartholinus *Cent.* 5. *Hiſtor.* 97. Ut illos taceam, qui certa Remedia Dentibus atterendo aut Linguæ ſubdendo fluxus Narium ſanguinolentos ſiſti poſſe ſibi perſuadent, v. g. Radicem Cichorii albi circa feſtum S. Jacobi in meridie collectam, aut Radicem Nigellaſtri ſeu Nigellæ, quam inter ſimiles Plantas maſticatam, & Naribus inditam, primatum hoc in paſſu obtinere Sennertus & Simon Pauli perhibent. (L)

## ARTICULUS III.

### *De Gingivarum Hæmorrhagia.*

POſt Nares etiam ſubinde *Gingivæ* gravem *Hæmorrhagiam* patiuntur, eamque ſatis copioſam, adeò ut obſervaverit Schenckius *lib.* 1. *Obſer.* Hollerius *Comment.* 2. *ad Aph.* 18. *Lib.* 2. *Sect.* 2. *Coac. Hipp.* 1180. lethalem Sanguinis *ex Gingivis* fluxum. Fluxus hic ex Gingivis, ſi eſt ſpontaneus, nunc eſt *Criticus*, de quo præter Schenckium vid. Zacutus Luſitanus *lib.* 1. *Prax. Admir. Obſ.* 86.: nunc *Periodicus* de quo Schenckius *lib.* 1. *Obſ.* Zacutus Luſitanus *Cent.* 5. *Cur.* 3. Arnoldus Boot *cap.* 7. nunc *Vagus*. Criticæ Hæmorrhagiæ Gingivarum Morbum ſolvunt: *Periodicæ* affligunt, quando aliàs conſuetæ Sanguinis in certo loco Evacuationes ſunt ſuppreſſæ: tunc enim non rarò periodicè per Gingivas ſolet effluere. Vagæ verò ſunt, quando ex variis Cauſis effluit Sanguis per Gingivas, & præter ſuprà nominatas *Cauſas*, cum aliis Hæmorrhagiis communes, in ſpecie ſubinde eſt vel *Gingivarum laxitas ſcorbutica*, & conjuncta cum aliquali earundem *eroſione Vaſculorum* à Saliva nimis acri, aut Sale ſcorbutico ſalſo-acri factâ, de quo aliquid *Sect.* 17. *Cap.* 3. *Artic.* 6. *ubi de Scorbuto*: vel eſt Naturæ Conſuetudo, quæ certo & ſtatuto tempore per iſtas vias ſolet ſe exonerare. Sequitur tamen etiam, quod frequentiſſimum eſt, Hæmorrhagia frequenter ex Gingivis poſt ineptas *Dentium evulſiones*, quando Arteria radicalis in Dente laceratur, quam ſubinde deſperata ferè Hæmorrhagia Gingivarum ſubſequitur.

### CURA.

*Hæmorrhagia Gingivarum*, quæ eſt Spontanea, ut *Critica*, aut *Periodica*, non eſt curanda, ſed ceu ſalutaris relinquenda, niſi ſuccedanea ſubſtituatur Evacuatio. *Iſta* verò, quæ eſt non Spontanea, ſed eſt à *Scorbuto*, ex laxitate nempe Gingivarum, vel ex eroſione Vaſculorum ex Salivâ acri, curatur imprimis optimè per *Antiſcorbutica*, in quibus primatum obtinet Tinctura Laccæ *Mynſichti*, item Linimentum illud, quod habet Deckers *in ſuo Comment. ſuper Prax. Barbett. ubi de Scorbuto pag.* 156. *in edit.* 12. illud enim eſt egregium in hac Scorbuticâ Hæmorrhagiâ Gingivarum: item *Decoctum Radicis Tormentillæ cum Alumine*. Si verò oritur Gingivarum Hæmorrhagia ex Dente evulſo, curatur eadem optimè vel cum *Bombace* intincto *Tincturâ Sulphuris Vitrioli*, ut aliàs vocatur, & Alveo ita applicato, hinc enim ſubitò ceſſabit Sanguinis fluxus, uti id per Experientiam obſervavi; Vel hujus defectu applicetur *Solutio Vitrioli*, quæ Sanguinem ſiſtit: vel imponatur *Gummi Arabicum*, quod ipſum glutinoſitate ſuâ Sanguinem ex Arteriis ob Dentem evulſum emanantem inſpiſſando, conſequenter fluxum ejus ſiſtit: vel applicetur decantatum Emplaſtrum *Galeni*, ex Aloë, Thure & Pilis Leporinis, contritis & cum Albumine Ovi exceptis, Gingivis impoſitum. Tale Zacutus Luſitanus *loc. cit. Obſ.* 85. uſurpavit feliciter, & ingentem Sanguinis ex Gingivâ eruptionem curavit. Quocunque in caſu convenit Decoctum gargariſandum, quo coaguletur Sanguis, hærens circa radices Dentis evulſi: vel fiat *Decoctum ad gargariſandum*:

℞. *Rad. Tormentill.*
*Biſtort.* an. ʒiij.
*Gall. contuſ.* ʒß.
*Sem. Papav. alb.* ʒij. vel ʒiij.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ ſimpl.*
Colatur. adde
*Boli Armen.* vel *vulg.* ʒij.
*Alum.* vel *Tartari*, aut *Aceti* parum.
M. in formâ Gargariſmatis: in Ore aliquamdiu detineatur, donec ceſſet Hæmorrhagia Gingivarum:
D. S.
Gargariſma Sanguinem ſiſtens.

Convenit etiam ſuo modo Aqua Spiritu Salis ebria pro eluendo Ore. Conf. *M.A.N.C. Ann.* 3. *Obſ.* 316. *pag.* 534.

Aliis irritis *Cauterium actuale* admoveri poteſt: Conf. *M.A.N.C. Ann.* 2. *Obſ.* 48. *pag.* 87.

## ARTICULUS IV.

### *De Sputo Sanguinis.*

POſt Sanguinis ex Gingivis fluxum non rarò per Os etiam rejicitur ille in Affectu, qui vocatur *Sputum Sanguinis*, ſeu *Hæmoptyſis* appellata, idque ad differentiam *Vomitûs Sanguinis*, *de quo ſuprà*



(L)* (Super Hæmorrhagiæ Narium Curâ Specificâ, vid. Notam quæ in Articuli præcedentis fine.)

*suprà Sect. 6. Cap. 2.* actum fuit. Jam verò Sanguis iste, qui spuendo seu *αἱμοπτύσει* rejicitur, *ex variis locis* promanare, & hinc in Os derivari solet; nempe nunc *ex summitate Narium* emanat, nunc saltem ex *Palato*, nunc *Gingivis*, nunc *Faucibus*, nunc *Oesophago*, nunc ex *Larynge*, nunc ex *Pectore*, nunc ex *Pulmonibus*, omnibusque aliis vicinis locis. *In specie* autem istud Sanguinis Sputum in considerationem venit Medicam, & etiam speciali nomine *Hæmoptysis* vocatur, quando Sanguis cum Tussi ex Respirationis Organis, speciatim *ex Pulmonibus*, per Os tussiendo rejicitur, & est consideratione dignum. Manat Sanguis tunc ex Arteriis, vel Pulmonalibus, vel ex Arteriis Trachealibus, ex Arteriâ nempe Aortâ oriundis, ut rectè & accuratè has distinguit Willisius *Pharmac. Rational. P. 2. pag.* 151. Nam ordinariò quidem *cum Tussi fit Hæmoptysis*, nempe quando Pulmo affectus est, aut profundiores Tracheæ rami: Rarissimum etiam est, Hæmoptysin veram vitio Pectoris contingentem absque Tussi observari, quando nempe saltim superior Tracheæ pars affecta est; qualia Exempla Hæmoptyseos ex vitio Pulmonum ortæ sine Tussi videb. *M.A.N.C. Ann. 2. Observ. 45. pag.* 83. *Anno 9. & 10. obs.* 135. *pag.* 309. Willisio *loc. cit.* & Rhodio *Cent. 2. pag.* 83. *&* 84. in quo Casu cum aliquali plùs minùs *Screatu* prævio, Sanguis erumpit: sicuti è contrario non omnis Sanguis, qui Tussi rejicitur, præcisè ex Thorace est. Interim frequentissimè eidem Tussis adjungi solet.

## PARS AFFECTA.

*Pars Affecta in Hæmoptysi nunc* est superior Larynx, ejusque cavitas, *nunc* intermedii Ductus Tracheales, *nunc* eorum ultimæ Extremitates orbiculares, adeòque ipse Pulmo. Quæ *Partis affectæ Differentiæ* probè attendendæ sunt ad explicandos diversos Hæmoptyseos Modos.

## CAUSÆ.

*Causæ* Hæmoptyseos sunt *vel in Sanguine*, *vel in Vasis*, sive hæc *Anastomosi*, sive *Diæresi*, aperiantur. *Generales* istæ *Causæ suprà Artic.* 1. ex generali Hæmorrhagiarum Theoriâ patent: In specie tamen frequentiores sunt duæ. Nempe frequentior est

(I.) *Ruptio* insignis cujusdam *Vasis* in Pectore aut Pulmonibus, quod fit ex Clamore nimio & forti Corporis Nisu & Tensione Pulmonum sub Gestatione graviori cujusdam oneris, quâ Spiritus cohibetur; item ex Casu ab alto, Plagis Pectori inflictis, ex Tussi nimis concitatâ agitante Pulmones: item ex copioso effusioreque Risu, de quo vid. Zacutus Lusitanus *in lib. 2. Prax. Hist. cap.* 6. dum ex hoc Hæmoptysin lethalem observavit; Saltatione nimiâ Rolfincius *Meth. Comm. lib. 2. sect. 3. cap.* 53. *pag. m.* 122. quæ omnia Ruptionem Vasorum in Pectore & Pulmonibus inferre queunt. Disponunt ad faciliorem talem Hæmoptysin ex hac Causâ imprimis solennis cujusdam *Sanguinis Evacuationis Suppressio*, præsertim in partibus Corporis inferioribus: Sic enim nihil frequentius est, quàm quòd *Suppressionem Mensium & Hæmorrhoidum* subsequatur Sanguinis Sputum, ex Sanguine nempe circa Præcordia plùs minùs coacervato, stagnante in Pulmonibus, & *Anastomosin* Vasorum inferente; qualis Hæmoptoë Periodica ex Menstrui Fluxûs imminutione observata est in M.A.N.C. *Ann. 9. & 10. Obs.* 27. Pertinet huc, quod observavit Deodatus *in Valetud. pag.* 219. de Hæmoptysi insigni cum Pleuritide suppuratâ, oriundâ ex nimis citâ Mensium emanatione. Plura Exempla videb. in Schenckio *Obs. lib. 2.* & Borello *Cent. 1. Obs.* 24.

(II.) Causa frequentior *Vasorum*, imprimis in Pulmonibus, *Erosio*, facta aut *ab Externis* inspiratis, v. g. Fumo Sulphuris incensi, Halitu Aquæ Fortis sub laboribus chymicis, &c. vel *ab Internis*, iisque omninò frequentissimis in Variolis, *Lymphâ* in specie nimis acri & acido-salsâ, scorbuticâ, aut aliâ simili labe inquinatâ, successivè Vasa tenuia Pulmonum erodente, & ita Hæmoptysin procurante, quam subinde solet præcedere Tussis quædam sicca nocturna ferina; quam Hæmoptysin, quia ab acriori Lymphâ oritur, frequentissimè Ulcus & Vomica Pulmonum, & Phthisis Pulmonalis insequi solet. Præterea pertinet huc, quod observatum narrat Rhodius *Cent. 2. Obs.* 35. quòd post sanatum Pedum Ulcus supervenerit Sanguinis Sputum, dubio procul ex retrogresso Fermento Ulceris acri & corrosivo, mediante Massâ Sanguineâ ad Pulmones delato, & Massam Sanguineam inquinante, ac Partes pulmonales erodente.

Hæ sunt *ordinariæ Sputi Sanguinis Causæ*. Rarum est, quod *Hirudines* cum Potu assumptæ, & in Faucibus hærentes, ibique Sanguinem emulgentes, Sputum cruentum induxerint. *Exemplum* hujus rei *videb. in* Schenckio *lib. 2. Observ. &* Borello *Cent. 1. Observ.* 24. Sic non minùs curiosum est, quòd *Thermarum* usus in quibusdam hoc Malum excitaverit, Autore Willisio *Pharm. Rational. P. 2. pag.* 155.

Observandæ ulteriùs sunt *Hæmoptyseos Differentiæ*, dum nempe (1.) Sanguis, qui rejicitur, vel est floridus, vel semigrumosus: (2.) est vel copiosus, vel parcus & paucus, prout nempe conditio vel Vasis aperti, vel impetus Sanguinis undecunque concitati tulerit: (3.) vel facilè vel difficulter ejicitur: (4.) quod Hæmoptysis nunc sit *Recens*, nunc *Inveterata*; & hæc (5.) vel *Vaga* vel *Periodica*. Sanè *Hæmoptysium inveteratarum periodicarum* innocuarum, quin potiùs cum euphoriâ Ægrorum contingentium, plura hinc inde prostant Exempla: *conf.* Bartholinus *Act. Med. Hafnienf. Vol. 1. pag.* 146. & Thiermayer *Conf. lib. 2. pag.* 24. Sic *anniversariam Hæmoptysin* observavit Rhodius *Cent. 2. Obs.* 34. sic diurnam *Periodicam* Sanguinis Spuitionem notat Amatus Lusitanus *Cent. 6. Cur.* 49. Casus reverà est singularis, cùm Æger singulis horis interdiu exspuit Sanguinem, noctu verò, licèt vigilet, non. *Indolens* subinde est *Hæmoptysis*; nunc verò *cum Dolore* plùs minùs conjuncta, vel constrictivo Pulmonum, vel gravativo obtuso eorundem, vel rodente & plùs minùs irritante in Asperâ Arteriâ, &c. pro Causarum nempe varietate.

## DIAGNOSIS.

Quod attinet *Signa*: Hæmoptysis per se patet. Cùm autem ex tam variis locis, Naribus, Palato, Oesophago, Larynge, &c. possit ejici Sanguis cum Sputo, necesse est, ut imprimis attentus sit Medicus ad cognoscendum *Locum*, in quo sit Vas læsum Sanguinem fundens: quod ut cognoscatur, *Partis affectæ Differentiæ* probè attendendæ, & artificiali conjecturâ Causæ Antecedentes, & excretionis Modus, examinanda sunt.

*Causas Antecedentes* quod attinet: considerandum, an ex suppressâ consuetâ Evacuatione Sanguinis, vel ex prægresso Clamore, vel Tussi ferinâ, vel Casu ab alto, vel Contusione Pectoris, vel Capitis;

Capitis ; vel ex Eſu rerum acrium & ſimilium , ſupervenerit Sputum cruentum , ut conſideret , quamnam Partem Cauſa Antecedens primariò afflixerit. Ubi enim ex ſuppreſsâ conſuetâ Evacuatione Sanguinis , vel ex prægreſſo Clamore , vel Tuſſi ferinâ , &c. ſemper eſt ſuſpicio læſionis Vaſorum in Pulmonibus ; ſecus , ſi aliæ præceſſerint Cauſæ.

Quoad autem *excretionis Modum* : attendatur , an Sputum cruentum ejiciatur cum Conatu & Screatu levi ? an cum Tuſſi plùs minùs laboriosâ ? item an Sanguis ejiciatur plùs minùs floridus ? vel obſervetur , an ſpumeſcat , vel non ſpumeſcat ? an paucus , vel multus ? an periodicè recurrat , vel non ? & quæ ſunt aliæ ſimiles Circumſtantiæ & concurrentia Pathemata obſervanda. Sanguis nempe , qui *Exſpuitione* levi abſque Tuſſi , ex Ore ejicitur , eſt ſaltem ex Partibus ſuperioribus Palatinis , Naribus aut vicinis ſuperioribus ; qui verò levi *Screatu* , exſpuitur , eſt ex Naribus , Capite & Faucibus , Oeſophago , ſummitate Aſperæ Arteriæ , ac in ſpecie ſi paucus fuerit , ex vicinis locis , iis ſcilicet , qui ad Thoracem præcisè non ſpectant , & congrumatus prodit. Confirmabit hoc Cauſa Antecedens Laryngem aut Oeſophagum afficiens. Qui verò copioſus & *Tuſſi* , præſertim reiteratâ , profundâ , & accedente Conatu , rejicitur Sanguis , utplurimùm ferè eſt ex Thorace , & læſis in ſpecie Pulmonibus ; ubi tamen hæc Cautela attendatur , ut Tuſſis præcedat Sanguinis Sputum. Non tamen ſemper omnis Sanguis , qui Tuſſi rejicitur , præcisè ex Thorace eſt ; propterea & alia concurrentia Signa ſimul perpendenda erunt : nam Sanguis confertim ex Oeſophago & Faucibus erumpens , & Laryngem plùs minùs affligens , Sputum Sanguinis cum Tuſſi inferre poteſt , utut Malum non ſit in Aſperâ Arteriâ vel Thorace , ſed tunc Tuſſis aut ſequitur , aut conjuncta eſt cum Sanguinis Sputo. Quòd ſi tamen Tuſſis præcedat , & poſt hanc ſequatur Sputum Sanguinis , Signum eſt , Sanguinem provenire ex Pectore , aut Pulmonibus , aut Aſperâ Arteriâ ; unde *Spuma* in Sanguine excreto apparens utplurimùm Sanguinis ex Pectore , & ſpecialiter ex Pulmonibus erumpentis , Signum eſt , idque imprimis , ſi cum Tuſſi præcedente & floridus evacuetur , idque imprimis , ſi ſimul *Dolor Pectoris* in ejus profundo concurrat , ſi *Reſpiratio* plùs minùs difficilis , aut alia Symptomata Affectum Pectoris indicantia adſint. Spuma fit , quando Sanguis aliquamdiu cum Aëre quaſi concutitur , quo commodè in Spumam abit. Quòd ſi Sanguis , qui ejicitur per Sputum , ſit *floridus* , coccineus , & magis rubicundus , tenuis , ex Arteriis emanare indicio eſt ; ſi verò *nigricans* , craſſus , grumoſus plùs minùs , aut obſcurus , ex Venis effluit , neque tam ex Pulmonibus quàm Pectore ibidem extravaſatus prodit.

Pari modo Sanguis *copioſè rejectus* , magis eſt ex Pulmonibus & Pectore ; minùs copioſè excretus ex Faucibus eſſe videtur. Qui quò diutiùs in Pulmone , Thorace , aut loco vicino hæſerit , & ita demum ejicitur , niger , obſcurus , plùs minùs grumoſus obſervatur. Sic quoque Sanguis periodicè qui cum Sputo ejicitur , utplurimùm eſt ex Pectore , rarò ex alio loco promanat.

Qui ex *Thoracis* cavo , minimè ſpumoſus , ſed grumoſus eſt.

Qui ex *Gutture* & *Aſpera Arteriâ* , eſt floridus ac paucus.

Qui denique à *Membris remotioribus* , nigricans & paucus cum horum Symptomatis rejicitur.

In his ergò artificioſo ſtochaſmo utatur Medicus , ac conſideret Partem affectam , ut eam ad Curam dirigere poſſit.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin* : Omnis in genere Hæmoptyſis eſt ſuſpecta & periculoſa. Ex læſis Pulmonum Venis Sputum Sanguinis oriundum , ſæpiùs *Ulcus* & *Vomicam* Pulmonum vel *Empyema* Pectoris , ( ſi enim Sanguis non ejicitur , in Pus mutatur , ) hinc *Phthiſin Pulmonalem & Tabem* , interdum *Peripneumoniam* , poſt ſe trahit , præſertim ſi præcedentem inſequatur Eroſionem.

Quod verò ex Vaſis Pectoris læſis & aliis locis eſt Sputum cruentum , minùs periculoſum eſſe ſolet.

Intempeſtivè nimis *ſuppreſſa Hæmoptyſis* , in ſpecie , quæ ſubſequitur vel Sanguinis Turgeſcentiam vel ſuppreſſam Evacuationem Sanguinis , interdum non rarò inferre ſolet Tabem periculoſam, & Peripneumoniam.

Hæmoptyſis , quæ fit ex Pulmonibus , periculoſior eſt eâ , quæ fit ex Pectore , h. e. majus periculum ſubeſt , ſi læſa ſint Pulmonum Vaſa , quàm Vaſa Intercoſtalia.

Denique Sputum cruentum ſi eſt *primarius Morbus* , periculoſius eſt , quàm ſi eſt *Morbus ſecundarius* , h. e. qui Pleuritidem , Peripneumoniam , aut alios Pulmonum Affectus , inſequitur.

Sputum Sanguinis Periodicum , ſi ſine Pulmonum ſingulari noxâ contigerit , minùs periculoſum eſt , quàm ſi cum Pulmonum vitio junctum fuerit.

Prognoſin ſpecialem videb. in Bartholini *Act. Med. Haffn. Volum* 2. *pag.* 10.

## CURA.

Quoad *Curam* Hæmoptyſeos ; *hæc in Paroxyſmo* , vel *extra Paroxyſmum* inſtituatur.

*In Paroxyſmo*

1. *Cauſa* , Hæmorrhagiam in Pectore vel Pulmonibus vel vicinis locis excitans , maturè *removeatur & corrigatur.*
2. *Vaſorum læſio tollenda.*
3. *Sanguis effluens* , ejuſque impetus ad Partem affectam , & hinc dependens Hæmoptyſis , Sanguinem Coagulantibus & Condenſantibus, ejuſque Motum nimium inhibentibus , maturè *ſupprimatur & ſiſtatur.*

*Cauſa removetur* , vel ſaltim *ſuſpenſione* & Sanguinis motûs certâ *determinatione* , h. e. vel Spirituum impetum , vel Sanguinis turgeſcentiam , vel copiam , &c. *revellendo* , *derivando* , Papaverinis &c. *cohibendo.*

Poſteriores Scopi peraguntur *Vulnerariis & Adſtringentibus.*

*Cura extra Paroxyſmum præſervatoria* conſiſtit in eo , ut *Recidiva præcaveatur.*

1. *Cauſam* ex toto *removendo.*
2. Ut , Sputo deſinente , ſi quid reſtitat *Sanguinis grumoſi* in Pectore , vel locis vicinis , *reſolvatur* , & reſolutus maturè *expectoretur vel diſcutiatur* , ne aliquando relictus acrimoniam concipiat , ichoreſcat , Vomicam & Empyema , & conſequenter Phthiſin inducat.
3. *Læſio Pulmonum* , vel Partis Vulnerariis Vegetabilibus , Succino & Succinatis Remediis, *reſtituatur* :

Quæ Indicationes ſemper probè ſunt obſervandæ.

Pro his Scopis obtinendis ſubinde neceſſe eſt in Paroxyſmo , ut præmittatur

I. *Venæſectio* in principio Curæ , in Caſu nempe , quo Sanguis nonnihil abundat , obſervatis tamen ſimul Revulſionis & Averſionis regulis , ut

imminuto Sanguinis quanto ſub liberiori circulo minùs confertim per Venam læſam effluat ; ita quidem , ut Venæſectio non inſtituatur in Pede , ſi Ramis ſuperioribus læſis oriatur Hæmoptyſis. Hinc v. g. ubi Sanguinis Sputum eſt ex Menſibus vel Hæmorrhoidibus ſuppreſſis , ſecetur Vena in Pede ; ubi ex Hæmorrhagiâ Narium ſolenni ſuppreſsâ , ſecetur in Fronte aut ſub Linguâ , aut in Brachio. *Non tamen hoc in omnibus* æquè obtinet , cùm in quibuſdam Phlebotomia Malum exaſperare ſoleat ; *conf.* Williſius *Pharm. Rational. Part.* 2. *pag.* 167. adeòque Circumſtantiæ *ſuprà Artic.* 1. *circa Venæſectionem in Hæmorrhagiis inſtituendam* in genere inſinuatæ , probè notandæ. In iſta autem *Hæmoptyſi* , quæ eſt *ex Corroſione* ab acrimoniâ Contentorum , inepta penitus & fruſtranea eſt Venæſectio.

II. *Purgantia* vitentur. *Diuretica & Diaphoretica* potiùs ſunt optima : vid. Benedictus *Theatr. Tabidor. Exerc.* 30. Nam Hæmoptoici minùs ferunt Catharſin , utpote à qua facilè in Tabem conjiciuntur. Ac ſanè ipſi , uti & alii , cognatis Pectoris Affectibus ad Phthiſin facilè terminabilibus affecti , copioſiſſimè , etiam à levi Purgante , adeoque non ſine noxa , purgantur.

III. *Interna Adſtringentia* ante & ſine Avertentium adminiſtratione non facilè uſurpanda , ne Sanguinis inconcinnam Suppreſſionem Suffocatio aut Peripneumonia excipiat.

IV. Nec *Adſtringentia Externa* , multo minùs *actu Frigida* , Pectori admoveantur ; cùm ab his Sputum cruentum augeri poſſe illud ſuadeat , quòd ſola Partium pneumaticarum ab Aëre refrigeratio Hæmoptoën non rarò excitet ; illorum verò incommodum Platerus *Pr. Tom.* 3. *pag.* 715. & Schenckius *pag.* 241. teſtetur.

V. Præ aliis Hæmorrhagiarum ſpeciebus , præſertim in Hæmoptoë , *Opiata* ſunt perquàm proficua & ſatis efficacia , qualia ſunt Pilulæ de Cynogloſsâ , Laudanum Opiatum , Confectio Narcotica *Mynſichti*, Pulvis *Helidæi* , &c. & inter hæc ipſa in ſpecie Hyoſcyamus ejuſque Semen nobile Specificum , præſertim ſi Malum eſt ab acrimoniâ corrodente. Sanè ab omnibus Practicis , tam Veteribus quàm Modernis , ad Hæmoptyſin commendatur : imò jam ab ipſius Hippocratis temporibus decantatum eſt Remedium : unde Specificum *Heurnii* contra Sanguinis Sputum eſt *Electuarium* ex Conſervâ Roſarum & Violarum cum Semine Hyoſcyami , Coralliis , Bolo , Lapide Hæmatite &c. , de quo vid. *Commentar.* Heurnii *in aphor.* 13. *Sect.* 5. *Hipp. pag.* 103. vel quod Helidæus Paduanus , Medicus olim Bononienſis , felici cum Experimento ad Hæmoptyſin , omneſque tales Affectus adhibuit. Alii

℞. *Sem. Hyoſcyam. alb.*
*Papav. alb.* ana ʒx.
*Terræ ſigillat.* vel *Hæmatit. præp.*
*Corall. rub. præp.* ana ʒv.
*Conſ. Roſar. veter.* ( quia eſt magis adſtringens , quàm recens ) q. ſ.
M. f. Electuarium.

Capiatur crebriùs. Vid. Riverius *lib.* 7. *Pr. Cap.* 6. *pag.* 348. Quod Semen quoque detur cum Lapillis Cancrorum , ut & ſiſtatur Sputum cruentum , & temperetur Acre , & diſſolvantur Grumi Sanguinis , quod imprimis faciunt Lapilli Cancrorum , ſi vel ſoli , vel cum Aceto deſtillato propinentur. Platerus *Obſ. pag.* 789. & 793. habet Tabellas & Trochiſcos de Hyoſcyamo :

Vel

℞. *Conſ. Rad. Conſol. maj.*
*Roſar. rub.* ana ℥j.
*Troch. de Terrâ ſigill.* ʒj.
*Pulv. Sem. Hyoſcyam.* ϑij.
c. ſ. q. *Syr. Heder. terreſtr.* f. Electuarium :
D. S.
Electuarium Sanguinem ſiſtens.

Simus tamen cauti in uſu Hyoſcyami propter vim narcoticam , quâ pollet , ac proin non in nimiâ doſi exhibeatur , ſed repetitis vicibus , quod melius eſt quàm ſemel in doſi excedere ; Maniam enim induxit : vid. Helmontius. Cavendum etiam ab Acrioribus ſeu Calidioribus monente Platero *Prax. tom.* 3. *pag.* 715. v. g. Theriacâ & Mithridatio.

VI. Quoad *Remedia* cætera , quæ internè conveniunt , ſunt omnia ea , quæ ſuprà *Artic.* 1. *de Hæmorrhagiâ in genere* fuerunt inſinuata ; in ſpecie ſemper ſimul *ad Acrimoniam* Sanguinis Vaſa erodentem, quæ frequentiſſima eſt ex Hæmoptyſeos Cauſis internis , reſpiciendum : pro quo Scopo conveniunt *Pliulæ* Sylvii *lib.* 1. *Pr. p.* 48. *ſ.* 20.

Vel

℞. *Aquæ Plantag.*
*Portulac.* ana ℥j.
*Acet. Vini* ʒij.
*Corall. rub. præp.* ϑj.
*Terræ Sigill.* ϑß.
*Syr. Papav. err.* ʒiij.
M. pro 2. doſibus
D. S.
Potio Sanguinem ſiſtens.

Vel

℞. *Aquæ Burſæ Paſt.*
*Portul.* ana ℥iß.
*Corall. rub. præp.*
*Terræ Sigillat.* ana ʒß.
*Lapill. Cancr. præp.* gr. xv.
*Laud. Opiat.* gr. iij.
*Syr. de Symph. Fern.* ℥ß.
M. D. S.
Potiuncula Adſtringens.

De hac Miſturâ cochl. j. per intervalla aſſumi poteſt.

℞. *Conſ. Heder. terr.*
*Roſar. rub.* ana ℥iß.
*Hæmat. præp.* ʒii.
*Corall. rub. præp.* ʒj.
*Terræ Sigillat.* ϑij.
*Laud. ferm.* gr. iij.

Cum *Syr. Papav. ſimpl.* vel *Diacod. Mont.* f. Electuar.
D. S.
Electuarium Sanguinem ſiſtens.

Capiatur pro lubitu.

Item

℞. *Conſ. Roſ. rubr.* ℥ij.
*Sem. Papav. alb.* ʒiß.
*Ebor. ſine igne* ʒj.
*Hæmat. præp.*
*Sacch. Saturni* ana ʒß.

Cum *Syr. de Symph. Fern.* f. Electuarium :
D. S.
Electuarium Adſtringens cochleatim ſumendum.

Præ cæteris tamen *Portulaca* & *Plantago* ſunt inſignis commendationis : Nam *Portulaca* quocunque modo uſurpata , ejus etiam Succus & Syrupus ad uncias aliquot propinatus , inſigniter commendatur , imprimis ſi iiſdem aliquid de Opio admiſceatur : nam & Sanguinis motum ſiſtit , & ſimul acrimoniam corroſivam , ſi quæ ſubeſt , temperat , ſicuti dictis ſcopis *Succus* & *Syrupus* Plantaginis ſuo modo ſufficit , de quo *ſuperiùs Sect.* 6. *Cap.* 2. *de Vomitu Sanguinis* dixi, quod nempe Succus Symphyti

phyti majoris & Plantaginis sint Remedium egregium in Fluxibus Sanguinis. Quidam insigniter commendant *Decoctum Portulacæ cum Radice Symphyti & Herbâ Prunellæ in Vino rubro* si propinetur ; quorum etiam Succi aut Syrupi unciatim propinati commendantur ; Aquæ verò horum Simplicium nihil valent, cùm vis specifica Alembicum adscendere nequeat. Fonseca *lib.* 1. *Cons.* 8. dicit, quòd Sanguis non erumpat, si manducet quis in Venæsectione Portulacæ Semen, de quo Experientia consulenda. Præter has *Symphytum majus* specificè medetur Hæmoptysi, sive blandè decoquatur, sive Syrupus *Fernelii* propinetur. Post hæc est imprimis *Hedera terrestris*, quæ in Sputo Sanguinis est planè mirabilis, idque imprimis post Paroxysmum ; nam temperat acria, consolidat Vasa rupta exesaque, & Sanguinem dissolvit congrumatum : hinc ejus *Syrupus*, *Decoctum*, vel *Conserva* egregia. Fiat ergò ex Conservâ Hederæ terrestris, additis aliis appropriatis, tale Electuarium non inelegans ; v. g.

℞. *Cons. Hed. terr.* ℥iß. vel ℥ij.
( vel *hujus* & *Cons. Rad. Symphyt. maj.* an. ℥j. )
*Rosar.* ℥j.
*Terræ Sigillat. c. Spiritu Vitrioli imprægn.* ( si circumstantiæ id patiantur ; sin suspicio erosionis, abstineamus ab ejus usu ) ʒß. ad ℈ij.
*Hæmat. præp.* ℈j.
*Trochisc. de Carabe* ( qui sistunt Sanguinem, resolvuntque ejus grumos, & temperant acria ) ℈ij. ad ʒj.
*Laud. Opiat.* gr. iij. ad vj.
Cum *Syr. de Symph. Fernel.* vel *Portulac.* f. Electuarium.
M. D. S.
Electuarium Adstringens.

De quo subinde in die magnitudo Nucis Castaneæ vel Juglandis capiatur.

℞. *Cons. Heder. terrestr.* ℥j.
*Rad. Symph. maj.* ℥ß.
*Extr. succos. Plantag.* ʒiij.
*Hæmatit. præp.* ʒiß.
*Boli Armen. præp.* ℈ij.
*Mastich.* ℈j.
*Laud. Opiat.* gr. vj.
Cum s. q. *Syr. de Symph. Fernel.* f. Electuarium.
M. D. S. ut antè.

*Appropriata* magis hîc sunt Trochisci de Carabe, vel Trochisci quoque de Terrâ Sigillatâ, de Spodio, Pulvis *Scaligeri*, quem Schenckius *Observ. pag.* 241. & Petræus *in Nosolog. lib.* 1. *Dissert.* 10. describunt, Terra Catechu, Centumnodium, Chamædrys, & Decoctum Foliorum Aristolochiæ rotundæ ; Succus Urticæ ab Amato Lusitano *Cent.* 6. *Hist.* 4. Foresto *lib.* 6. *Observ.* 16. Riverio, & omnibus ferè Authoribus plenis buccis laudatus, Species Diaplantaginis *Mynsichti*. Cum Festucis fecalinis, quæ vulgò ineptè Mater Siliginis dicuntur, in Aquâ Plantaginis propinatis, Hæmoptoën diuturnam curavit Empiricus : Vid. Velschius *Mictom. Observ.* 27. *Cent.* 1. *annex. Anno* 4. & 5. M.A.N.C. Porro Trochisci certè de Carabe multis scopis satisfaciunt : hinc in quacunque Hæmoptysi ex quacunque Causâ acri sufficit hæc Formula :

℞. *Aquæ Burs. Pastor. Plantag.* ana ℥ij.
*Acet. Vini acerr.* vel *destillati* ʒvj.
*Troch. de Carabe* ʒj.
*Sperniol. Croll.* gr. xv.
*Hæmat. præp.* ʒß.
*Lapill. Cancr. præp.* gr. xv.
*Syr. Portulac.* ℥j.
M. D. S.
Potio Adstringens.

Detur pro aliquot dosibus. Vel

℞. *Aquæ Plantag. Portulac. Chærefol.* ana ℥j.
*Tinctur. Sulphuris Vitrioli* ʒj.
*Trochisch. de Carabe* ℈ij.
*Laud. Opiat.* gr. v.
*Syr. de Symph. Fernel. Portul.* ana ℥ß.
M. f. Potio.
D. S.
Potio Adstringens pro aliquot dosibus.

Ubi tamen loco Trochiscorum de Carabe *Electuarium Diascordii Fracastorii* etiam in similibus Misturis usurpari potest. Obiter moneo, Aquas ex Plantis Adstringentibus non adhiberi, ut adstringant, quia nullam vim adstringentem obtinent, sed loco Vehiculi.

Hinc pariter *Conserva Rosarum* rubrarum antiqua, item *Pulvis summitatum & pilosarum excrescentiarum Cynosbati*, Ger. *Scalauff- Kuntzen*, egregia Specifica sunt in hoc Malo ; ( LL ) non secus ac *Oleum Lini* cochleatim usurpatum mira præstat : Confer. M.A.N.C. *Ann.* 6. & 7. *Observ.* 269. *pag.* 308. De Succo Urticæ superiùs locutus sum. Sic & Spiritum Vitrioli commendat Castellus, seu potiùs Oleum Vitrioli *in suis Epistolis*, in Aquâ Plantaginis, vel aliâ appropriatâ, quia coagulando Sanguinem, eundem condensat, ejusdem eruptionem sistit, & ita in Paroxysmo Hæmoptyseos nimiæ optimè convenit, quod ex Experientiâ propriâ confirmat Hoffmannus, & Thonerus *in Consilio* 37.

℞. *Aquæ Plantag.* ℥vj.
*Syr. de Ros. sicc.* ℥j.
*Spirit. Vitr. rectif.* vel *ejus Ol.* ℈j.
M. f. Mixtura.

De qua subinde aliquot cochlearia ab Ægro capiantur : tam in Sputo, quàm Vomitu Sanguinis admodùm convenit, in specie ubi simul ebullit nimis aut effervescit Sanguis. Vel

℞. *Herb. Centumnod. Vincæ pervinc. Plantag. Bellid.* ana M. j.
*Flor. Rosar. rub.* M. ß.
*Rad. Tormentill. Urticæ* ana ℥j.
Coqu. in s. q. *Aquæ Ferrar.*

Colat.

( LL ) Nota Cyrilli. *Pulvis* Fungi Melitensis *aliquoties ad* ℈j. *& ampliùs in Vino vel Jusculo dilutus exhibitus, contumaces Hæmoptyses sæpenumerò compescuit. De eo verba facit* Paul. Boccone Icon. rar. Plant. pag. 80. *& Tabulam exhibet* num. 43. *vocatque* Fungum Typhoidem coccineum Melitensem : *palmaris est, interdum majoris, altitudinis, Fungum nondum explicato capituli disco planè referens : Pediculus crassus est, longus, scaber, & fungosus : Capitulum Pediculo paulò crassius, & ipsum fungosum, sanguineum succum fundens, si viresceus digitis premas, ac minoris Typhæ palustris clavam aliquatenus refert, unde nomen. Per maturitatem granis minimis innumeris, Panico non absimilibus, exasperatur, undique Cocci colore splendentibus. Æstate in Scopulo Melitæ Insulæ adjacente*, Scoglio del Generale *dicto, invenire est.*

Colat. ℥viij. adde
*Syr. de Symph. Fernel.*
*Flor. Hyperic.* ana ℥vj.
*Spiritûs Vitrioli* q. ſ. ad aliqualem acorem:
D. S.
Potio Adſtringens.

Conf. ſimul Hartmannus, *ubi de Sanguinis Sputo. Sed in uſu hujus Acidi vitriolacei, cave, dicit* Lindanus, *ne propines, ſi aliqua Ulceris in Faucibus ſit ſuſpicio, aut aliqualis metus Phthiſeos, aliàs nocemus hîc magis Pulmonibus.* Prodeſt aliàs ad fervorem Sanguinis reſtinguendum, quatenus acre Serum præcipitat, & ducit ad Vias urinarias. Aliàs, ſi copiosè fluat Sanguis, addatur adhuc Euporiſton *Lindani*, quod nobile eſt Remedium ſimplex, familiari uſu ipſi expertum contra Hæmoptyſin, paratum ex Pomo Cotoneo:

℞. *Poma Cydonia*, ſive *matura* ſive *immatura*, quocunque modo haberi queant.

Eaque diſcinde minutim in tenues Lamellas, quas coque diu in Diplomate in *Aquâ communi*, donec penitus molleſcant; quo facto ſepara Aquam Decoctionis largiter; & Laminas Pomorum bene mollitas fortiter exprime.

Hujus Succi expreſſi cochlearia ij. vel iij. ter quaterve in die propinat, quod ipſum egregiè in Hæmoptyſi conducere aſſerit præmiſsâ Venæ ſectione, utut etiam corroſi fuerint Pulmones: Aquæ verò iſti, in qua decocta Poma, per reſidentiam clarificatæ, addit tantillum *Sacchari candi*, vel *Decoctum Hordei*, in quo *Paſſulæ Corinthiacæ* coctæ fuerunt, & propinat ſimul abſque *Saccharo* pro Potu ordinario: quo ipſo ſe graviſſimas Hæmoptyſes, etiam ex eroſione Pulmonum ortas, curaſſe, & nunquam ſine ſucceſſu uſum fuiſſe, aſſerit.

Geſnerus *in Epiſt. pag.* 105. commendat Malum Cydonium excavatum, drachmâ unâ Thuris impletum, aſſatum & propinatum, quo ipſo egregiè aliquot Hemoptoicos reſtituiſſe aſſerit. De Succo, Syrupo & Pulvere *Stercoris Aſinini* & Suilli ſuprà actum fuit; vid. quoque Ballonius *lib.* 1. *Epid. & Ephemer. Conſil.* 22. *pag.* 62. Ad Hæmoptyſin in ſpecie *Stercus Muris* à ℈ß. vel ℈ij. ad ʒj. cum *Succo Plantaginis* commendatur in Sputo Sanguinis, addito *Saccharo* pauco pro gratiâ ſaporis, ſubinde mane ſtomacho jejuno, & veſperi in introitu lecti, dandum per aliquot dies. Convenit in ſpecie, ſi fuerit Hæmoptyſis ob ruptum Pulmonum Vas. Cætera, ut *Lapis Hæmatites, Bolus Armena, Martialia*, in ſpecie *Tinctura Sulphuris Vitrioli* à guttul. xx. xxv. ad xxx. in Vehiculo appropriato, & *Tinctura Antiphthiſica*, ex *ſuprà dictis* jam nota ſunt. *In Malo graviori* autem ex Cauſis externis ſæpè *recidivante*, *Decocta Pectoralia ex Lignis* ſunt egregia, de quibus confer. Williſius *Pharm. Rational. Part.* 2. *pag.* 167. & 171. Ex quibus facilè variæ poſſunt fieri Formulæ; e.g.

℞. *Tincturæ Antiphthiſ.* ℥ij.
D. S.
Tinctura Conſolidans 30. guttæ, ſero ac mane ſumendæ.
Vel
℞. *Tincturæ Lap. Hemat.* ℥ij.
D. S. ut antè.
Dentur guttæ 20. ad 30.
℞. *Tincturæ Sulphuris Vitrioli* ℥iſ.
D. S.
Tinctura Adſtringens.
Dentur gutt. 30.
℞. *Aquæ Plantag.* ℥ij.
*Tincturæ Martis adſtring.* ʒj. ad ℥iß.
*Syr. Papav. alb.* ℥vj.
M. D. S.
Potio Adſtringens.
Detur cochleatim.
℞. *Terræ Sigill.* ℈j. ad ʒß.
*Lapill. Cancr. præp.* ℈ß.
*Laud. Opiat.* gr. j. vel ij.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis Adſtringens.
Vel
℞. *Conſ. Roſar. rub.*
*Rad. Symph. maj.* ana ʒj.
*Terræ Sigillat.*
*Hæmat. præp.*
*Corall. rubr. præp.* ana ℈j.
*Pulv. Hepat. rub.* ʒß.
*Laud. Opiat.* gr. iij.
Cum *Syr. de Symph. Fern.* & *de Corall. Quercetan.*
f. Electuarium.
D. S.
Electuarium Adſtringens. Vel
℞. *Conſ. Heder. terr.* ℔j.
*Corall. rub. præp.* ʒvj.
*Antihect. Poter.*
*Hæmat. præp.* ana ʒß.
*Pulv. Sem. Hyoſcyam.* ʒx.
Cum ſ. q. *Syr. Portulac.* f. Electuarium.
D. S.
Electuarium Adſtringens.
℞. *Conſ. Roſar.* ana ℥iß.
*Violar.* ʒvj.
*Hæmat. præp.* ʒiij.
*Sem. Papav. alb.* ℥iß.
Cum *Syr. de Symph. Fernel.* f. Electuarium.
D. S. ut antè.
Vel
℞. *Conſ. Roſar.*
*Heder. Terreſtr.* ana ʒvj.
*Hæmat. præp.* ʒij.
*Corall. rub. præp.* ʒj.
*Terræ Sigillat.* ℈ij.
Cum *Syr. Papav. ſimpl.* f. Electuarium.
D. S. ut ſuprà.

*Externè* quæ dixi applicanda eſſe Teſtibus in Hæmorrhagiâ Narium, commodè poſſunt applicari iiſdem in Hæmorrhagiâ Pulmonum, ſeu Sputo Sanguinis.

VII. Hic potiſſimùm obſervetur, quod *ſuperiùs Artic.* 1. *de Hæmorrhagiâ in genere* dictum, ſcilicet Excretione aliquantum ſedatâ *Reſolventia & Expectorantia* leniora eſſe jungenda, ne Sanguis extravaſatus Ulcus creet; qualia ſunt Sperma Ceti, Cornu Cervi, Antimonium Diaphoreticum, Lapilli Cancrorum, Unguentum Potabile rubrum, Syrupus de Scabiosâ, Oxymel Squilliticum, Oleum Succini, quod ex Cæſalpino Riverius commendat.

Tandem & VIII. Pulmonibus læſis *Vulnerariis & Balſamicis* proſpiciendum, v. g.

℞. *Herb. Scabioſ.*
*Hed. terreſtr.* ana M. iß.
*Rad. Torment.* ʒj.
*Sem. Aniſi* ʒß.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ & Cereviſ.* ana p. æqu.
Colat. ℔j. adde
*Syr. Heder. terr.*
*de Symph. Fern.* ana ℥ß.
M. F. Potio, S.
Potio Conſolidans.
De qua pro lubitu hauriatur.

*Curavi Anno* 1678. Jurium *Studioſum gravi Hæmoptoë laborantem*, ipſo ex aliquot annorum Tuſſi humidâ, Spiritu minùs libero, nativâ Corporis conſti-

constitutione, aliisque similibus supervenientibus ad Phthisim dispositò; cui in Paroxysmo propinavi *Misturam istam Polychrestam suprà Artic. 1. in Hæmorrhagiâ, ab acriori Sanguine, à Lymphâ, aut erosione, &c. concitatâ*, laudatam, cujus usu & Sputum cessavit. Hinc pro reliquiis grumosis resolvendis præscripsi:

℞. *Aquæ Chærefol.* ℥iij.
*Acet. Vini* ʒiij.
*Lap. Cancr. præp.* ʒj.
*Antimonii Diaphor.* gr. xv.
*Syr. Scabios.* ℥ß.
Misc.

His præmissis, ad imitationem Sylvii præscripsi *Decoctum Pectorale ex Lignis.*

℞. *Ras. Santal. rub.* ʒj.
*Lign. Sassafr.* ℥ß.

Macerentur per 12. horas in *Aquæ comm.* ℔viij. Coqu. ad consumpt. ℔iß. adde

*Herb. Heder. terr.*
*Veronic.*
*Com. Hyperic.* ana M. ij.
*Sem. Fœnic.* ʒvj.
*Passul. min. conquass.* ℥ij.

Coqu. ad remanent. ℔iv. circa finem Decocti adde

*Rad. Liquirit.* ʒiij.

De Colaturâ capiebatur bonus haustus mane, meridie & sub introitu lecti.

Usu horum Remediorum contumax Malum sævire desiit, ipso Ægro cætera commodè habente, saltem quòd Calor quasi hecticus ab omni pastu, cum Tussi moderatè humidâ, & copiosissimis Sudoribus nocturnis, etiam sub primis Somni horis, supereressent. Intereà ad demulcendum Calorem hecticum ordinavi sequentem Pulverem:

℞. *Lap. Cancr. præp.*
*Antihect. Poter.* ana ʒß.
*Corall. rub. præp.* ϑj.
M. pro 2. vel 3. dosibus.

Item ob *Sudores nocturnos*, debilitantes & emaciantes, coërcendos optimè contulit Pulvis sequens:

℞. *Lap. Cancr. præp.*
*Antihect. Poter.* ana ʒß.
*Arcan. duplic.* ϑij.
*Laud. Opiat. ferm.* gr. iv. vel v.

M. pro 4. vel 5. dosibus vespertinis, hora 5. præterpropter à meridie assumendis.

Vid. *Diss. de Opii virtute diaphoreticâ cap.* 3. §. 8.

Aliam Hæmoptysin ex orgasmo Massæ Sanguineæ curavi *in Muliere quadam juvene*, hilari, vegetâ, & gracili, cujus Vasa Sanguine turgescebant. Hæc septimâ vice gravida erat, ultimumque Gestationis tempus agebat, cùm ante Menses quatuor vel quinque tempore æstivo ex Cursu & Motu in Horto in Sputum cruentum incidisset, breviter quidem cessavit, sed antecedente septimanâ ex improviso vesperi cum Tussi siccâ copiosum Sanguinem floridum spumosum emisit, cessante Tussi lectum petens, suaviter dormit, Mane vocatur Medicus ordinarius, qui, præter Pulveres Confortantes ratione Fœtûs, ordinat, ut Cucurbitulæ Scarificatæ applicentur Scapulis & Brachiis pro Aversione Sanguinis: sed Ego vocatus non probavi Consilium; parum enim evacuant, & tamen Sanguinem versùs Pectus alliciunt, & metus est, ne circa vesperam Hæmoptysis major recurrat; quod etiam factum fuit. Quapropter altero die jussi Venam secare in Brachio ad ℥iij. vel iv. simul ordinando sequentem Misturam:

℞. *Aquæ Plantag.*
*Portulac.* ana ℥j.
*Acet. Vini* ʒij.
*Corall. rub. præp.* ϑj.
*Terræ Sigillat.* ϑß.
*Syr. Flor. Papav. errat.* ʒvj.
Misc. pro 2. dosibus

Interim nullum Sanguinem rejecit, sed saltem subinde screavit, & quoties screavit, toties Sputum cruentum rejecit, quod saltem ex capite Laryngis derivatum fuit; nam levi Screatu ex Pulmonibus non potest rejici, unde judicavi, læsionem saltem esse in Larynge. Vesperi Sanguinis Sputum recurrebat, eodem impetu, unde Ægra delassabatur, Fœtu fortiùs se movente; Unde ordinabam Quietem, prohibebam Vinum Rhenanum, sed imperando dulce, simul quoque præscribebam sequens Electuarium:

℞. *Conf. Heder. terr.*
*Ros. rub.*
*Costæ* ana ʒvi.
*Hæmatit. præp.* ʒij.
*Corall. rub. præp.* ʒj.
*Terræ Sigillat.* ϑj.
Cum *Syr. Papav. alb.* f. Electuarium.

Libenter ordinassem Trochiscos de Carabe: sed quoniam eos ingreditur Opium crudum, propter Fœtum timui. Electuarium sæpè sumpsit, & multos dies fuit sine Sputo cruento.

In Hæmoptysi aliàs ex orgasmo Sanguinis & Spirituum egregiè convenit *Camphora*: vid. Joel *pag.* 279.

Præservativè conveniunt Lac & Acidulæ cum Medicamentis Traumaticis.

Inter *Exter a* convenit Pulvis Sympatheticus. Bufo tempore balsamico, Junio & Julio, per caput transfossus Axillis subjicitur: vid. Faber & Helmontius *Tum. Pest.* Conducit etiam immersio Testium in Acetum rosatum, vel Linteum in Aceto immersum & circa Testiculos obvolutum.

## ARTICULUS XIX.

### *De Motu Sanguinis ad Viscera Læso.*

SEquitur *Motus Sanguinis ad Viscera*: quæ Sanguis sub Circulo inferiore per Arterias Descendentes alluit, sunt Lien, Hepar, & Renes. Interim *de Lienis & Hepatis Morbis* pauca monenda restant, quæ non suprà fuerunt monita.

## CAPUT I.

### *De Lienis Affectibus.*

S*Anguis in totum Corpus distribuitur ex Corde*; ut istud nutriat, & beneficio Spiritûs Vitalis in esse vitali conservet. Verùm præter hunc usum etiam in singulis Partibus ac Visceribus internis idem Sanguis aliquid partitur, non tantummodò quatenùs in quibusdam singularem & determinatam patitur *Alterationem*, sed etiam, quatenus fit *Separatio* quædam *singularis cujusdam Liquoris* ab eodem, utpote cùm videamus, *in Hepate & Folliculo Fellis Bilem* separari, *in Renibus Urinam*, in *Glandulis* partem *Materiæ lymphaticæ* ex Sanguine unà expurgari, & sic in reliquis Partibus. Speciatim pro varietate Partium distinctim distribuitur, & quidem, pars altera deorsum per Arteriæ Aortæ

(M) * Super Hæmoptysis Curâ Specificâ, v. d. Notam ad calcem hujus capitis, articuli primi, appositam.)

Portæ truncum defertur, cujus insignis portio per Ramum Splenicum, aliàs dictum Cœliacum, Lieni infertur, qui omnis per Venam Splenicam in truncum Venæ Portæ, & ita in Hepar defertur, sicuti simul omnis Sanguis ab Intestinis etiam refluus per Venam Portæ Hepati infunditur, quæ quoad hunc usum Arteriæ ferè officio fungitur: qui Sanguis omnis per surculos Venæ Portæ in Hepar distributus, Venæ Cavæ tandem infertur. Exilis est Arteria, quæ ex Ramo Arteriæ Splenico, seu potiùs ex Arteria Cœliacâ, ad Pancreas, item ad Hepar, uti etiam ad Folliculum felleum defertur, quæ Arteria Hepatica, unà cum Vasis Choledochis & Nervis Hepaticis paucis, intra Capsulam communem coërcetur. *Conspiratio Lienis cum Hepate*, quâ omnis Sanguis ex Liene immediatè in Hepar abit, ostendit peculiarem in Officio consensum, ita ut probabile sit disponi in Liene Sanguinem, ut eò facilius in Hepate alterari, & Bilis ex eodem confici ac transcolari queat. Præter quæ Vasa etiam copiosi admodùm Nervi ex Pari Nervorum Vago Lieni inferuntur, sicuti Lymphatica quædam Vasa non tantùm adeò copiosa ex Liene ad Receptaculum Commune pergunt, ipso Hepate & Folliculo felleo copiosis admodùm Lymphæ ductibus instructis, in Receptaculum Commune se insinuantibus. An in Liene Vasa Lymphatica, vid. Ruyschius & Blasius: Copiosa Lymphatica Hepatis minutissima apud Rudbeckium.

Lienis Viscus est *substantia potiùs nervea*, quàm propriè dicta sanguinea: nempe constitit ex congerie Membranarum, in Cellulas & multiplices Concamerationes efformatarum, per quas Glandularum minimarum copiosi Racemi Uvæ Botrum æmulantes dispersi sunt; uti hoc ipsum eleganter describit Malpighius *tract. de Structurâ Viscerum*, *ubi de Liene*: id quod etiam mediante Flatu circa Lienem demonstrari potest. Veteres dixerunt, Lienis substantiam esse tantùm *Parenchyma*.

Lienis Viscus *quoad suum Usum* non est simpliciter *ad esse* vitale Animalium necessarium, cùm Canibus & Suibus sine ullâ sensibili Functionum læsione excindi queat; sed tantùm *ad benè esse* confert, ita, ut ad majorem saltem Sanguinis perfectionem, sed accidentalem tantùm, facere videatur (vid. M.A.N.C. *Ann.* 1. *Obs.* 29. *p.* 101. Deckers *in Barbette*. Generationes habent communes post exscissionem Lienis Bartholinus *ex* Fioravanto: idem notat ex excisso Liene humano; sed Experientia una est nulla: vid. Major *in Chirurg. Infus.*) Quô ipso etiam convincitur, quòd ea, quæ Helmontius de Usu Lienis statuit, deque ejus cum Ventriculo Duumviratu profert, de Fermenti inspiratione à Liene, de primorum Conceptuum formatione, Somni & Vigiliarum sede, Virtute generativâ ex Splene, in *Tract. Sedes Animæ*, item *Jus Duumviratus* &c. omnia falsa, nec minùs veritati congrua esse.

Pro Usu Lienis meliùs cognoscendo observandum est, quòd Lien *omni Cavo singulari sit destitutus*, adeòque nec recipiendo nec digerendo cuidam Humori aut Excremento sit destinatus: unde etiam receptio Succi Melancholici, & ejus in Stomachum eructatio per Vas Breve, ex Veterum Sententiâ, etiam sponte corruit, & præter Anatomen, eam sufficienter destruit Conringius *Tr. de Gener. & usu Sanguinis cap.* 12. & 14.

Modernorum quod attinet Sententias: tot ferè de Usu Lienis sunt Sententiæ, quot Medicorum capita. Plures Veterum Sententiam, sed suo modo correctam & magis castigatam arripiunt, quatenus nunc Sanguinem crassum melancholicum in eo magis fermentari, nunc Sanguinem plusquàm perfici, nunc Chylum crudum in eo alterari, nunc Excrementa tartarea in eo fermentari, & ad promptiorem separationem disponi asserunt. Confer. hìc Mœbius *in suis Fundamentis pag.*381. Velthusius *de usu Lienis*, item Sylvius *Disser.* 5. *de usu Lienis.*

Frustra reverà Lien non est conditus, quin ad Sanguinis laudabilem & naturalem statum, pro universi Corporis Oeconomiæ salute, & conservandum & restaurandum, multum conferre, & structura ejus & connexio demonstrant: sed *quod hoc sit*, *quod conferat*, quæritur? Probabilissimum videtur, in Liene ratione copiosissimarum Glandularum, uti & ratione multiplicium Nervorum ad Lienem distributorum, & Sensui ac Motui minimè inservientium, *præparari certum quoddam Fermentum subacidum*, insigniter tamen volatile, quod Sanguinem, ipsi infusum, imprægnet & disponat, ad promptiorem Fermentationem ac Spirituascentiam, simulque hoc ipso partes Sanguinis heterogeneas nec ritè miscibiles faciliùs separari faciat, ut commodiùs per convenientia loca, in specie Renes evacuari possint.

Illustrant hæc: quòd observetur iis, quibus Lien benè constitutus est, eorum Corpus florere; quorum verò Lien vitiosè augetur, eorum Corpus imminui. Ad hæc omnes Splenetici reverà tales, seu in quibus Lien malè affectus aut tumidus deprehenditur, hi omnes sunt Salivatores, teste Hippocrate, & tales Ægri optimè per Medicamenta Salina Urinam provocantia curantur, teste Laurentio *in Controvers. Anatom.* ubi Experientiâ testatur, Urinas, quæ sub ipso Morbo fuerunt crudæ, tenues, restituto Liene prodire turbidas, obscuras, & cum copioso sedimento coctas, tandem sensim clarescere, & ad naturalem colorem redire. Ad hæc Lien Animalium, vel assatus, vel coctus, vel alio modo præparatus, si gustetur, deprehensus est austeri, pontici, & plùs minùs acerrimi saporis, teste Walæo *in Epist. de motu Sanguinis*, item Highmoro *in Disquis. Anatomicâ de Splene.* Hoc insuper notabile est, quòd Splenes Animalium, in specie Cervi & Bovis, præparati, aut in Decocto vel Essentiâ usurpati, Affectibus Spleneticis & imprimis Cachexiæ Virginum & Mensibus suppressis, specificè conducant.

Quoad *Affectus Lienis* præternaturales; ejus *Actio læditur*, quando vitiatur Viscus vel

(1.) *Intemperie*, ratione Spiritûs insiti.

(2.) Quando læditur in *Conformatione* suâ, ex ejus Infarctu & Obstructionibus, indeque nato Tumore inflammatorio, & tandem Scirrhescentiâ.

(3.) Denique, quando læditur *in Functione*, ratione specifici ejus Fermenti plùs nimùs alterati, aut deficientis, vitio præsertim Spirituum Animalium, copiosiùs aliàs ad Lienem distributorum.

*Vitia* tamen hæc *Lienis* non sunt adeò frequentia; & si tamen adsunt, sunt nunc *Hæreditaria*, nunc, idque frequentiùs, *aliis superveniunt Morbis Chronicis*, in quibus vulgò, ceu asylum ignorantiæ, Lien accusari solet.

## ARTICULUS I.

### *De Lienis Intemperie.*

NOn levis quidem abusus circa *Affectus Spleneticos* occurrit, dum *Punctiones & Rosiones in Hypochondrio sinistro* occurrentes, & nescio quæ mala

mala alia, ſubinde *Spleni*, licèt *inſonti*, attribuuntur; quod tamen falſum eſt, cùm Splenis ſubſtantia ferè inſenſilis inepta ſit tali Dolori. Interim non penitus rejiciendi ſunt, ſed ferè ſe produnt, imprimis *Intemperies* ejus per *Symptomata convulſiva*, ſeu Spaſmos ratione conſenſûs Nervorum, & hinc *perturbationem Mentis*. Prætereà ſe produnt ordinariò *Dolore gravi obtuſo*, quaſi contundente, (minimè omnium punctorio, quem apud nullum Spleneticum obſervare potui) tenſivo, ex ejus Inflammatione, aut gravativo ejus Pondere, & ſubſequentibus Spaſmis.

## CURA.

*Lienis Intemperiem* corrigere difficile eſt, niſi Acidum ejus præternaturale alteretur, reſolvatur, & eliminetur.

Pro *Scopo Evacuatorio*:

℞. *Mercurii dulc.*
*Extr. Helleb. nigr.* an. gr. xv.
*Troch. Alh.* gr. j. vel ij.

Cum *Solut. Martis cum Succ. Pom.* f. Pilulæ.

Pro *Scopo Alterativo* uſurpantur Martialia, veſperi & ſub introitum lecti, Volatilia plùs minùs aromatica.

*Externè* Lieni imponatur Emplaſtrum de Ranis cum duplo Mercurii, vel ſolum, vel cum Emplaſtro Splenetico uſitato, vel cum Gummi Ammoniaco: malaxetur cum Galbaneto *Paracelſi*, vel Oleo deſtillato Succini:

Vel

℞. *Empl. de Nicot.*
*Ran. cum duplo Mercurii* an. q. ſ.

Malax. cum ſ. q. *Olei Tartari fœtidi*, aliquoties ſuper Cornu Cervi uſtum *rectificati*.

Applicetur ſine ſindone.

Hactenus dicta Exemplis illuſtrabo: *Studioſus quidam* repentino Dolore Hypochondrii ſiniſtri profundo corripiebatur, ſuperveniente Lipothymiâ gravi cum Aphoniâ ferè, & Spaſmis, Motibus convulſivis, ac Doloribus lancinantibus in omnibus Artubus, præſertim Manibus. Malum radicitùs erat ex *Splene*.

*Mercator quidam* conqueritur de continuo Dolore in Hypochondrio ſiniſtro, quaſi compreſſivo, levamen ſentit egregium ex applicatione *Emplaſtri de Nicotianâ cum ana Tacamahacæ* (vel iſtis Emplaſtris in *Colleg. Formul.* & *Id. Form. Claſſ.* 5. §. 5. præſcriptis) ſed corripitur hinc *Hemicraniâ* gravi partis ſiniſtræ, urgente præſertim circa regionem Temporum iſtius lateris Dolore, turbante ſimul Caput inſigniter. Remoto verò *Emplaſtro*, in iſto latere evaneſcit Hemicrania, redeunte Hypochondrii moleſtiâ. Totus Affectus erat ex *Splene*.

*Mulier* Dolore Hypochondriaco ſiniſtro profundo & quaſi lacerante afficiebatur, ſentiebat exinde Dolores lancinantes & lacerantes, univerſum Abdomen torqueri, & totum Inteſtinorum ſitum recurrentibus creberrimis Doloribus affligi. *Affectus* revera erat *Spaſmodicus*, *ob Plexum Lienarem* nerveum, ex malè habente Splene in Spaſmos actum.

*Studioſus Nobilis* in pueritiâ, diuturnâ Quartanâ, & hinc Hydrope affectus, tandem ab hoc, mediante copioſo Urinæ fluxu, curatus, redditus erat ſummè *Spleneticus*, cum Mentis perturbatione & Melancholiâ. Nempe quoties inſignior Tempeſtatis, in ſpecie verno aut autumnali tempore, immineret mutatio, toties ſenſum *Palpitationis* in imo ſeu profundo Hypochondrii ſiniſtri prope Spinam Dorſi ferè percipit, quam *Dolor gravativus & obſcurus Lienis* in iſto loco comitatur: hinc Caput turbari, anxius ipſi reddi, &c. incipit, adeò, ut uno alterove die, antequam contingeret, Tempeſtatis mutationem imminere, dictis in locis & modis ipſe perciperet, cùm alias in dictâ regione nullam Pulſationem perciperet, animoſus & hilaris, optimè Animo & Corpore valens eſſet. Adeòque & hîc *Quartanæ confirmatæ* Splenem ſimul afficientes, & hujus malè affecti *Pulſatio hypochondriaca*, quam Helmontius urget, & hanc ſequentia *Melancholica Pathemata*, conſideranda veniunt.

*Vir quidam* per aliquot dies nocteſque laboraverat ſequentibus Pathematis: Ante meridiem ſanus & vegetus erat, horâ verò primâ præter propter à meridie Dolorem obtuſum gravantem, vellicantem, quaſi contundentem in Hypochondrii ſiniſtri profundo percipiebat; ex quo loco brevi pòſt inſignes Dolores lancinantes & contorquentes univerſum Abdomen cum inſigni hujus quaſi tympaniticâ Inflatione occupabant, unde miſerè affligebatur Æger; Dolores & cruciatus iſti ſurſum versùs ad Pectoris regionem etiam protendebantur; hinc ſubinde Vomitus ſuperveniebat, tandem ſenſu & motu voluntario deſtitutus, Brachia cum Digitis tendebat, & ità cum dictis Symptomatis uſque ad ingruentem noctem torquebatur; nulla Febris aderat, nocte moderatè dormiebat, mane commodè ſe habebat. In Paroxyſmo à Vomitu levamen ſentiebat, injectum fuerat Clyſma, inde poſt ternam evacuationem in Paroxyſmo etiam meliùs habuit. Vocatus ego dixi, eſſe Affectum Convulſivum, eſſeque Dolores Spaſmodicos, natos ob Plexum Lienarem nerveum ex malè habente Splene in Spaſmos actum, undè per conſenſum quælibet reliqua Symptomata nata: malè habebat Splen, ut ſuſpicabar, ex Acido vitioſo, Oeconomiam ejus turbante.

Pro *Curâ* ergo paulò ante meridiem dedi Liquoris Martis Solaris gutt. xxx. Externè regioni Splenis applicandum juſſi Emplaſtrum de Nicotianâ, ordinando ſimul Clyſma, tempore, quo rediit Paroxyſmus, injiciendum. His adminiſtratis nullus Paroxyſmus rediit. Altero mane dedi gr. iij. Tartari Emetici, & ſequentibus diebus omni mane Liquorem Martis Solaris continuandum juſſi; & ſic penitus nullo ampliùs redeunte Paroxyſmo, convaluit.

*Virgo* annorum 13. ex hæreditate maternâ Splenetica, & hinc nonnihil Melancholica, ſub primo Somno Inſultibus epilepticis corripiebatur, levioribus quidem, omni nocte tantùm recurrentibus: præmittebam Tincturam Vitrioli Martis *Zvvelferi*, ejus 3ß. ad 3j. omni mane capiendam, hinc pro abſtergendis primis viis præſcripſi:

℞. *Tartari vitriolat.* gr. xv.
*Scamm. ſulphurat.* gr. j.
*Troch. Alhand.* gr. j.
Miſceantur pro Pulvere.

Hinc Vomitorium ex Syrupo Emetico.

Sub uſu horum ſub ingreſſu lecti juſſi capere Pulveris Epileptici antimonialis gr. iiß. ad iij. idque omni veſperâ.

Quibus ita adhibitis, & ſedato Paroxyſmo, pro radice Morbi in Splene evellendâ præſcripſi:

℞. *Liquoris Martis Solar.* ℥ß.

Capiebat 15. guttas omni mane.

Externè Emplaſtrum de Ranis cum Mercurio, malaxatum cum ſ. q. Olei deſtillati Tartari fœtidi, applicabatur regioni Splenis. Quibus continuatis non ampliùs rediit Malum, idque eò tutiùs, quòd aliquo temporis ſpatio interjecto Menſes primi ſupervenirent.

## ARTICULUS II.

*De Lienis Conformatione Læsa, & inde Natis Tumore, & Scirrho.*

&

## ARTICULUS III.

*De Fermenti Splenetici Læsione.*

QUod attinet *vitium ex Conformatione læsâ*, ut Tumores, Scirrhos & similia, &c. Magnitudo & Color Lienis uti singulis Animalibus est proprius, ita & Homini etiam sano *Magnitudo* ejus multum variat, *Color* verò, qui in Fœtu est ruber, in Adulto semper deprehenditur obscurior & nigricans. In se & ratione sui usûs ad Chronicos saltem Affectus disponit Lien, inde & *Affectuum* dictorum *Melancholicorum Sedes* ordinariò dicitur. Interim tamen, Autore Sylvio aliisque, in Melancholicis Affectibus mortuis sæpissimè salvus & sanus Lien quoad sui Structuram repertus fuit; ex quo tamen non statim concludi debet, planè insontem esse Lienem in talibus Morbis, cùm quoad *Fermentum ejusdem specificum*, aberratio fieri possit multivaria, ipsâ Structurâ materiali adhuc salvâ. Utut ergò Chronicorum Affectuum, speciatim Hypochondriacorum, Scorbuti, Quartanæ, Melancholiarum, &c. primum fontem Stomachum existimo; certum tamen est in dictis Affectibus, in specie confirmatis, simul vitium Splenis subesse, à quo ipso hujusmodi Affectus sanè longè contumaciores, curatu difficiliores, & Ægris propter multiplicia vaga Symptomata molestiores esse solent. Ob id studiosè moneo, ut dictis in Affectibus, in specie inveteratis, semper simul ad Splenem ratio habeatur pro meliore Curâ, & hujus vitia quæcunque maturè præcaveantur, aut simul curentur.

## CURA.

Lienis *Inflammatio Art.* 11. *Cap.* 1. *Sect. præcedentis* transacta est.

*Infarctus* verò, *Tumores*, *& Scirrhos* leviores aut incipientes, emendant omnia dicta *Aperientia*, item *Gummata*, uti *superiùs Sect.* 8. *ubi de Morbis Chronicis in genere*, egimus.

Quoad *Fermenti Lienis restaurationem*: hanc vix, nisi talibus, quæ Spirituum Animalium defectus restaurare valent, curare possumus; qualia sunt omnia Volatilia assumpta, de quibus *infrà l.* 2. *Sect.* 1. *cap.* 1. plura, *ubi de Spirituum Animalium vitiis.*

Conveniunt ergò pro Splene curando imprimis *Martialia*, *& Saturnina*, Acidum nimium absorbentia, & ita per accidens læsioni Fermenti Splenetici occurrentia; hinc *Alcalia volatilia*, præ reliquis omnibus *Tartarea volatilia*, imprimis Spiritus Carminativus de Tribus, & similia Carminantia, præprimis ubi adest Dolor tensivus: Dolori verò gravativo Spiritus Salis Ammoniaci penetrans & aperiens, uti universo Corpori in Morbis Chronicis, ita imprimis Spleni confert; item aperitiva Martialia. Cum quibus simul *Diuretica* imprimis Tartarus vitriolatus, Sal Digestivum hypochondriacum, Tinctura Tartari, Liquor Terræ foliatæ Tartari, Sal Martis compositum, ex ana Vitrioli Martis cum Terra foliatâ Tartari, sedulò jungenda, & crebriùs repetenda erunt. Refert enim Schenckius *lib.* 3. *Observ. de Liene*, quendam Lienis Tumore laborantem per 15. annos annuatim bis vel ter per Urinæ profluvium instar Atramenti convaluisse.

## CAPUT II.

*De Hepatis Læsionibus.*

ALterum *Viscus*, cui occurrit Sanguis, est *Hepar* cum annexo *Folliculo Felleo*, quæ invicem sibi intertexta & connexa conspirant circa *Bilis generationem*, *separationem & distributionem.* Hepatis quod attinet Viscus, & Usum: hujus Parenchyma ex Glandularum globulis copioso Sanguine suffusis & irrigatis compositum, eleganter demonstratum est à Malpighio *in suprà citato Tractatu de structurâ Viscerum.* Huic cùm in Sanguificationis negotio dictæ fuissent Exequiæ, omnes statim Hepar *Colatorium esse Bilis* asseruere: id quod jam Structura ejus glandulosa ulteriùs confirmat, quòd Bilis in Hepate secreta à Sanguine derivetur partim immediatè per Ductus Choledochos in Intestinum, partim verò in Folliculo Fellis priùs collecta exinde etiam ad Intestinum per Ramum Cysticum abeat. Jam verò certum est, eam Bilem, quæ per Ductus Hepaticos excernitur, ex Hepate oriri, in eoque secerni ex Sanguine, per Venam Portæ vecto: id quod Experimenta Malpighii & Fracassati confirmant, cùm etiam Canibus Fel cum suo Folliculo excindi possit, salvis Ductibus Choledochis, & jugi adhuc Bilis ad Intestina motu per Ductus Hepaticos durante: quæ ipsa contra Hypothesin Sylvii notanda sunt. Helmontius dicit, Vulnera Folliculi esse lethalia, sed non tam Folliculi, quàm propter Hepatis copiosa Vasa, unde Sanguinis effusio maxima.

Utut autem certum sit omnem Bilem, quæ ex Ductibus Hepaticis oritur, reverà elici ex Hepate; dubium tamen supereſt *de Bile*, *quæ in Folliculo Fellis continetur.* Hanc non in Hepate, sed in ipso Folliculo ex Sanguine, per Arteriam propriam in eum transmisso, produci, vult Sylvius *Diss.* 6. §. 53. & Schwammerdammius *de Respir. Sect.* 3. *c.* 1. *pag.* 86. Unde Sanguis eô delatus per Fermentationem à Bile jam præsente in similem Bilem mutetur: ex quo etiam potiùs ingressus ex Folliculo in Hepar ex eo innotescet, quàm contrà, quia Folliculo injectum Atramentum denigret Hepatis Parenchyma, ut vult Fracassatus. Huic verò Hypothesi obstant Experimenta Malpighii, qui ligatis Arteriis Hepaticis, & abscisso pariter Folliculo Felleo, nihilominùs continuum Bilis proventum ex Sanguine Venæ Portæ observat.

Hepatis ergò officium versatur simpliciter *circa Bilis elaborationem*: secreta nempe in Hepatis Glandulis materia ex Sanguine, ibique certo modo alterata & mutata in Bilem, partim immediatè per Porum Choledochum Hepaticum ad Intestina derivatur, partim mediatè in Vesiculam priùs collectam per Ductum hujus Cysticum ad Intestina pariter ablegatur. Plura huc pertinentia videb. *in Colleg. Institut. P.* 1. *cap.* 13.

Quoad *Læsiones Hepatis præternaturales*: non sunt adeò frequentes, ut specialem considerationem mereantur: Vel

I. Communes sunt reliquis Partibus, quales sunt *Conformationis vitia*, ut Obstructiones, Tumores, Inflammationes, Abscessus, Scirrhi, &c. de quibus in superioribus suo loco dictum.

II. Læditur Hepatis Functio, læso Spiritu insito, seu, ut vocant, *in Morbo Intemperiei*, dum Intemperies excedit, vel occasione Acidi vitiosi ad instar Spinæ infixæ Spiritū lacessentis, vel dum deficit

In-

Intemperies occasione Spiritûs deficientis, aut exhausti: Vel

III. Sunt Hepati proprii, & omnes *læsam Bilis generationem* constituunt, quando nempe *Sanguinis vitio* læditur Functio Hepatis circa secretionem Bilis; aut Pori ejus sunt vitiati, quando nempe Hepar ineptum est, ut in eodem aut generetur aut transcoletur Materia Bilis, unde Bilis aut nimis salsa, aut nimis pinguis, aut nimis aquosa, aut impura, aut planè non generatur, ita ut potiùs ipsius Bilis præternaturalis vitia, quàm Hepatis morbosa Pathemata dici debeant.

*Bilis autem vel defectus, vel inertia*, utplurimùm fovet Morbos Chronicos, Cachecticos & Hydropicos, ut suprà monitum; item vitia Bilis ad Ictérum suo etiam modo disponunt; sicuti Bilis degener facta à statu naturali Scorbuticos admodùm fovere, & Malum gravius reddere solet: Sicuti eadem depravata & vitiosâ acrimoniâ prædita, indeque vitiosè cum Acido effervescens, Phlogoses vagas solet efficere; de quibus videri possunt ea, quæ *suprà Sect. 17. C. 3. Art. 4. ubi de Ictero* egimus: Conf. etiam Sylvius *l. 1. Pr. c. 44. & seq.* Vulgò Morbi Chronici, tantum non omnes Febres Intermittentes, Malum Hypochondriacum, & similes Morbi, Obstructionibus Hepatis, Lienis & Mesenterii adscribuntur, ex quibus Obstructionibus, tanquam Causis remotis, postmodùm tales Affectus contumaces oriantur; quibus ipsis etiam postmodùm per Medicamenta, Aperientia dicta, mederi volunt. Verùm *tales fictitiæ Obstructiones revera sunt sæpissimè asylum ignorantiæ*, cùm à nullis unquàm demonstratæ sint, aut explicatum, quomodò tales Morbi exinde oriantur? Interim tamen non nego, subinde in his Affectibus subesse Intumescentias Hepatis & Lienis, non rarò etiam deprehendi Scirrhos in his Visceribus: sed hi Tumores non sunt Causa istorum Affectuum, sed potiùs ex illegitimâ Curâ istis Affectibus superveniunt, dum nempe ex vitiatâ Sanguinis Crasi, indeque deficiente Hæmatosi coacervati Succi crudi, & cum Sanguine circulati, hinc inde in Viscerum porulis stagnant, donec densiùs agglomerati Visceris Tumorem inferant, & tandem proprio Acido coagulati in Scirrhos indurentur; suntque tales Viscerum Affectus Producta potiùs morbosa, quàm talium Morborum radices. Oriuntur potiùs hi Affectus Chronici ut plurimùm ex vitio Diætæ, & depravatâ Digestione primâ, seu Chylosi, quâ Chylus vitiatus, utplurimùm vitiosè acidus Sanguini infusus, ejusdem Crasin naturalem pervertit, Fermentationem ejusdem depravat, Corporis Nutritionem inquinat, & reliquos Corporis Succos, tam Lympham, in specie Pancreatis, quàm Bilem, vitiosis qualitatibus & saporibus tingit, unde & consequens vitiosa Fæcum alvinarum à Chylo separatio, & Chyli in primis viis ab istis Succis vitiosis inquinatio, contingit, unde exinde postmodùm tot ac tanta Symptomata oriantur. Vitiosam istam Succorum constitutionem per Salia definiendam Veteres *Antipraxiam* seu *contrarietatem Viscerum* appellârunt; intelligentes hoc ipso imprimis Hepar & Stomachum læsum: id quod Moderni potiùs per Facultates Salinas, à statu naturali degenerantes, indeque depravatas Succorum Crases explicant.

Curantur autem Hepatis vitia vera, *Conformationis* quidem, per *Aperientia suprà dicta.*

*Intemperiei* vitia curantur, *corrigendo Acidum* vitiosum istud, Spiritum afficiens, & confortando Tonum Hepatis per *Amara* & moderatè *Styptica*, ut sunt *Rhabarbarum, Absinthium, &c.*

*Sanguinis & Bilis errata*, defectus nempe & depravationes, & reliqui Morbi Chronici, Visceribus læsis dicati, præmisso Vomitorio nunc per Martialia, quæ Acidum vitiosum primarum viarum & alios Sapores vitiosos absorbent & præcipitant, nunc per Remedia Sale volatili oleoso prædita, primariò *Amara* Hepati dicata, secundariò *Aromatica*, nunc plùs nunc minùs *acria*, prout vitium Bilis requisiverit. Verissimum enim est istud Practicum effatum: *ut Acida Stomacho sunt amica, ita Amara sunt Hepatis balsama*; & ob id Rhabarbarum *Anima Hepatis* etiam dici solet, non tam evacuans quàm corrigens Bilem. Imò Cochlearia, Absinthium, Rosmarinus, Centaurium minus, Chelidonium majus, Marrubium aut umilia, vulgò *Febrifuga* aut *Aperientia* appellata, & quæ suprà *Sect. 8.* ubi de vitiis separationis Fæcum in Intestinis, item in Ictero laudata, in Affectibus, ubi subsunt vitia Bilis, adeòque in Affectibus Chronicis, sunt optima Bilem restaurantia: sicuti etiam Aromatica, ut Cardamomum, Cubebæ, Galanga, Piperata, Crocus, &c. etiam acuunt Bilem, eamque volatilem & acriorem reddunt, nunc parando Nodulos, Vino infundendos, nunc Decocta, nunc Essentias aperitivas, &c. quorum virtute salinâ imprimis de Alcali volatili participante, vitiosa, Crasis Massæ Sanguineæ, & inde vitiatorum Succorum, corriguntur, ut Stomachi tonus & Fermentum emendetur, & ita Æger restituatur. Quô pertinent non incommodè Salia volatilia plùs minùs aromatica, Spiritus Salis Ammoniaci oleosus, Spiritus Tartari volatilis, Spiritus Carminativus, Spiritus Cornu Cervi, qui omnes habent Oleum secum: item Fixa, ut Sal Digestivum hypochondriacum, Arcanum duplicatum, &c. Bilem econtrà luxuriantem nimis pinguem, in specie acrem, indeque vitiosè effervescere aptam, corrigunt imprimis Acida, primario Spiritus Nitri dulcis, & Spiritus Sulphuris per campanam. Tandem in statu quasi naturali conservant, aut vitiatam blandè corrigunt Passulæ & Passulata; unde Pulpa Passularum cum Pulvere Rhabarbari impræguata tam nobile Hepaticum dicitur, seu potiùs Bilis correctivum.

## SECTIO XX.

*De Seri Superflui Salibus Recrementosis Impræguati per Renes Excluſione Læsa.*

TErtium *Viscus*, cui occurrit Massa Sanguinea, sunt *Renes*, in quibus secernitur *Lixivium volatile*, seu Latex aquosus, Sale volatili salso oleoso, seu composito ex Acido & Urinoso, impræguatus. Sanguis enim ulteriùs per Arterias Emulgentes distribuitur ad Renes, ex quibus per Venas Emulgentes redit, ut ibidem Serum Salibus partim superfluis, partim recrementosis, aliisque Sanguinis impuritatibus, impræguatum transcoletur & separetur. Est enim Latex aquosus aliàs Serum commune, tam Succorum nutritivorum quàm Excrementorum, vehiculum, cujus medio illi per universum distribuuntur Corpus, hi verò in certis Colatoriis separantur & amandantur: quod si fiat per Renes, *Urina* appellatur, sin verò per Cutis poros, *Sudoris* nomine venit: vid. Piso *de Colluv. serosâ*; Barbatus & Schenckius *de Sero & Sanguine.*

Est autem *Urina duplex*, ut rectè distinguitur ab Helmontio, *Urinâ Potûs* & *Urina Sanguinis. Urina Sanguinis* est Lixivium quoddam volatile, Aqua nempe Sale salso volatili quasi ammoniacali im-

imprægnata; aliàs Lixivia ſunt Salia fixa. Sal hoc volatile ſalſum conſtat ex Acido & Alcali, ambobus volatilibus, quæ tamen temperata ſunt partibus ſulphureis, ſeu oleoſis ſatis copioſis, uti hoc ipſum demonſtrat Anatome Urinæ Spagyrica, quâ patet, quòd per ſe det Phlegma, & remaneat Magma flavum; cui verò, tam Urinæ quàm Magmati, ſi additur Alcali, ab hoc abſorbetur Acidum & prodit Spiritus urinoſus: ſi à Calce vivâ abſtrahitur, puriſſimum colligitur Sal alcali, de quo vid. Helmontius *de Lithiaſi c.* 3. Williſius *Tr. de Urinis*, ex quo ſua habet Moebius *in Inſtit.* quæ fideliter exſcripſit. Spiritus Urinæ ſemper habet contagium ſulphureum, unde ſe colorat; Spiritus Salis Ammoniaci autem eſt purus. *Urina Potûs* eſt, quæ mox ſub labore Digeſtionis primæ in primis viis ſecernitur, de qua *ſuprà*, *ubi de Motu Chyli, Sect.* 13. Hæc Urina, utut pallida, tamen & ipſa eſt ſalſa: quæ Salſedo partim volatilis eſt, tum ex Aſſumptis in ſalſum mutatis, tum ex Pancreatis Succo & Bile in ſalſum volatile abeuntibus; partim verò, & quidem maximâ ex parte, hæc Salſedo eſt fixa, ex Sale communi cum Alimentis aſſumpto, quod hoc modo immutatum ferè denuò excernitur, & poſt Urinæ deſtillationem in Capite mortuo reperitur, ex quo ſimiliter Spiritus acidus tanquam ex Sale communi deſtillari poteſt, vid. Helmontius *de Lithiaſi* §. 21. & *Colleg. Inſtitut. p.* 1. *c.* 14. Sed cum hac Urinâ Potûs nihil hìc nobis negotii.

In omni Urinâ Sanguinis, à Medico obſervanda, *tres Conditiones* probè ſunt attendendæ, nempe

1. Urinæ *Color*,
2. Ejuſdem *Conſiſtentia*,
3. Ejuſdem varia *Contenta*.

Omnes has proprietates habet Urina ratione particularum in ejuſdem Latice aquoſo diſſolutarum, inſtar nempe Lixivii communis à Salibus imbutis diverſimodè affecti: Lixivium, quò plura habet Salia, eò magis rubeſcit; Nam Salia ſemper de Oleo adhuc aliquid habent. Quòd ſi Contenta Salia oleoſa porulis Laticis continentis ſint probè unita, ut Radii luminoſi æqualiter maximâ ex parte tranſeant, fit Urina *clara*, ſeu perſpicua: ſin verò particulæ contentæ Liquoris porulis non ſint æquè unitæ, ut impediatur Radiorum progreſſus, Urina fit *turbida*: Quòd ſi Radii luminoſi tranſeuntes ex parte quâdam ſui refringantur, & ita modificentur, Urina fit *colorata*, plùs minùs intensè, prout magis minuſve à Salibus contentis copioſioribus vel parcioribus talis Radiorum refractio contingit: Quòd ſi Contenta iſta in vehiculo aquoſo ſint pauca, Urina quoad *Conſiſtentiam* eſt *tenuis*: Quòd ſi eadem ſint copioſa, Urina eſt *craſſa*.

Quoad *Contenta*; hæc vel Naturalia ſunt, vel Præternaturalia. *Naturalia* hæc Contenta ſunt nulla, ſiquidem, ubi ritè fiunt Digeſtiones, in ſpecie prima, abſque Contentis Urina excerni ſolet: Quòd ſi verò errore primæ Digeſtionis, imprimis propter errorem externum læſæ, non ritè digeratur totus Chylus, & ita conſequenter in ſecundâ Digeſtione non ritè totus aſſimiletur, pars hæc crudior à parte aquosâ imbibita unà cum Urinâ excernitur, & *Sedimentum Sanorum* conſtituit. *Præternaturalia* verò Contenta ſunt Recrementa ſalino-ſulphurea, aliaque vitio Chyloſeos & Hæmatoſeos ſucceſſivè in Maſsâ Sanguineâ congeſta, quæ ubi ad ſaturitatem ferè Sanguinem impleverint, per Fermentationis motum ſeparata, & inſtar Fæcum præcipitata, à Latice aquoſo imbibita cum Urinâ unà excernuntur.

Prout ergò ſe habent Chyli & Sanguinis Digeſtiones, ita etiam ſe habent in ſuis attributis Urinæ. Hinc ſi Salia reliquæque Urinam conſtituentes partes, per Fermentationem benè ſubactæ, & à Latice aquoſo ritè imbibitæ fuerint, Urina eſt *clara*; ſin verò hæc non ritè inter ſe ſint unita, Urina fit *turbida*. Quòd ſi verò Fermentatio Sanguinis vitietur, & partes ejus ſalinæ depravatæ factæ, nec inter ſe, nec cum reliquis ritè uniantur, nec ſubigantur, id quod ordinariò fit ex Salium, tum inter ſe, tum cum aliis particulis intermiſtis, proportione & ametriâ læsâ, ex Chylo præcipuè & primæ Digeſtionis vitio ortâ, Urinæ fiunt *opacæ & turbidæ*, donec fermentando ſe mutuò ſubigant Sanguinem conſtituentes partes ſalinæ, & heterogeneas, nec ritè miſcibiles portiones, extrudant, & quaſi præcipitent: quo facto, æquabilis Sanguinis redit Fermentatio, ac tales Urinæ *copioſum Sedimentum* ſeponendo ſeparatas Fæces ſucceſſivè deponunt, adeòque ad naturalem Colorem & Conſiſtentiam denuò redeunt; prout etiam ipſa Salia Lixivium hoc conſtituentia copioſiùs hinc Liquorem imprægnârint, & in ſpecie, prout magis vel minùs cum particulis pinguibus, ac oleoſis unita ac ſubacta fuerint, eò plus vel minùs *tinctæ* apparebunt. Speciatim in Morbis, *Coctionis & Cruditatis* Materiæ, ut vocant, morboſæ Signa æſtimanda ſunt: Nam Urina, quæ excernitur tenuis aut pallida, aut intensè tincta, ſed clara, *Cruda* dicitur, in qua nempe nulla Salium heterogeneorum jam facta eſt ſeparatio in Sanguine; econtrà Urinæ craſſæ turbidæ, copioſum Sedimentum deponentes, aut multiplicibus Contentis ſaturatæ, *Coctionis* Signa exhibent, ſeu Recrementa vitioſa & Salia heterogenea copioſè ex Sanguine extrudi, & inſtar Fæcum præcipitari oſtendunt: Conferatur hìc Sylvius *l.* 1. *Prax. c.* 55. *Nubecula* in Urina, in Morbis tam Chronicis quàm Acutis, eſt Signum redeuntis in Stomacho Fermenti, & recuperatæ plùs minùs Digeſtionis: & omnis turbida Urina latens plùs minùs Acidum continet: Vid. *ſuprà Sect.* 15. *cap.* 1. *ubi de Febribus, in genere.*

Sanguis ergò ad Renes per Arterias Emulgentes delatus patitur ibidem *Seri Salibus turgidi Separationem*, hujuſque ſimul certam *Alterationem*, ita, ut materialiter quidem Urina in Sanguine exiſtat, ſed non formaliter. Teſtantur hoc attributa, & proprietates Urinæ ſingulares in Colore, Odore, Sapore, &c. diſtinctæ admodùm à Latice Sanguinis ſeroſo, & in nullo alio Corporis Succo reperibiles: adeòque *Medium Separationis*, ſeu Secretionis Urinæ mechanicum *ſunt Renes*, quorum Structuram mechanicam Tranſcolationi ſpeciali accommodatiſſimam eleganter docet Bellinus *Tract. de Uſu & Structurâ Renum*, & Malpighius *in Scrutin. Viſcerum*; quòd nempe per Fibras, quas obtinent fiſtuloſas, certo modo conformatas, Renum Parenchyma maximam partem conſtituentes, tanquam per minutiſſima Filtra & Spongiolas anguſtas trajiciatur Serum pro Urinæ materiâ. *Medium* verò *Alterationis*, & à quo Sanguis ſui tranſitu per Renes diſponitur, ut uberiùs dimittat Serum, & à quo ſimul Serum determinatam pro Urina proprietatem acquirit, eſt *Fermentum* quoddam peculiare, Renibus inſitum, naturæ ſalinæ volatilis urinoſæ, ab effectu & proprietatibus ſtercoreum & Lotii putrefactivum dictum Helmontio, de quo vid. *Tract. de Lithiaſi*, impr. *cap.* 4. (in Renibus coctis Odor fracidus urinoſus deprehenditur à relicto Fermento urinario.)

Quoad *Tranſcolationem* ergò mechanicâ, Sanguis ad Renes per Arterias Emulgentes delatus ad Membranam

branam usque extimam tendit, ubi Fibræ occurrunt tenues & perforatæ, quas ceu Filtrum subintrat liquidior ac fluidior Sanguinis pars seu Serum, parte Sanguinis crassiore à Venis Emulgentibus absorptâ, & denuò Venæ Cavæ infusâ. Serum jam Fibras illas seu Canaliculos intrans ad Corpus usque Papillare tortuosum promovetur, per cujus porulos transudat in expansam interiùs Membranam, Pelvim dictam, ex qua tandem per continuatum Ureteris ductum in Vesicam destillat.

Quod verò attinet *Alterationem fermentativam*, quam patitur Urinæ substantia sub isto per Renes transitu, fit eadem beneficio Fermenti Renum salini fracidi, de naturâ, ut probabilissimum videtur, lixiviali seu alcalinâ, à quo & Sanguinis fusio, & ita copiosior Seri separatio promovetur, simul ipsa Urinæ Materia peculiarem Odorem & quodammodò Saporem acquirit, talemque simul Consistentiam, ut promptiùs ac faciliùs per Renes transcolari possit: vid. de hoc imprimis Willisius *Phar. Rational. P. 1. pag.* 138. 139. *& sequ. de Diuresi.* &c. Helmontius *de Lithiasi cap.* 4. §. 30. Tachenius *in Clave Medicinæ Hippocr. cap.* 9. Quæ enim olim credita est Urinæ per Transcolationem in Renibus facta Secretio, jam insufficiens, imò minùs subtilis videtur, nisi lixiviale accedat Fermentum.

Urinam per Ureteres stillantem excipit *Vesica*, ob id *Urinaria* dicta, quæ moderatè plena nil sentit incommodi; sin verò Urina sit nimis copiosa, nimia & dolorifica ejus sit distensio; vel si sit nimis acris, Vesicæ fit vellicatio, ut in Strangurià, tunc excretionem urget; hinc Urina ceu liquidum sponte effluit, adjuvantibus Fibris circularibus musculosis Membranæ Vesicæ secundæ, quarum contractione angustatâ Vesicâ Urina expellitur. In subsidium etiam veniunt Musculi Abdominis recti, & horum Appendices pyramidales, qui se contrahendo subjacentem Vesicam ita premunt, & ita Urinam unà expellunt.

## CAPUT I.

### *De Læsa Urinæ in Renibus Secretione.*

His præmissis, *Læditur hæc Urinæ Secretio in Renibus quatuor modis*:

1. Quando nulla fit, & est *Abolita.*
2. Quando eadem est *Imminuta*, & non sufficiens pro necessitate naturali.
3. Quando est *Nimia* seu *Aucta*, ita, ut continuus & excessivus adsit Urinæ Fluxus, cujus extremus gradus vocatur *Diabetes.*
4. Quando eadem est *Depravata*, ut quando v. g. aliô, quàm fieri debet, modô, Urina excreta conspicitur; quod accidit, quando aberrat Natura à naturali modo, vel Colore, vel Consistentiâ, vel Contentis, vel aliis proprietatibus, dum excernitur cruenta, purulenta, nimis pinguis, & similiter: de quibus Willisius *de Urinâ*, item Sylvius *in Praxi.*

*Urinam* dixi *Lixivium*, constans duabus partibus, aquosâ nempe, & Salibus superfluis salsis oleosis, seu compositis ex Acido volatili, & ex Urinoso seu Alcali volatili, imprægnatâ. Hi duo Sapores in Urinis omnium inveniuntur, & mutuâ unione Sal volatile salsum constituunt. Et quidem hæc de *Urinâ Sanguinis* imprimis intelligenda; nam de *Urinâ Potûs* hîc nihil nobis negotii. Jam verò *in istis Urinæ Secretionibus utraque* hæc *pars* constituens *Urinam* probè attendenda, & nunc *hæc*, nunc *ista* consideranda, cùm juxta utramque constituentem partem lædi possit ejus *Secretio. Interdum enim v. g. læditur Secretio juxta Laticem aquosum*, qui nimis copiosus, paucis Contentis salinis saturatus, & tunc Urina utplurimùm est pallida & tenuis, alio nomine *Cruda* dicta, qualis Urina excerni solet in Scirrhis Hepatis & Lienis in Morbis Chronicis, uti etiam in principio Febrium. *Econtrà interdum Contenta salina sunt nimis copiosa*; vel propter defectum Laticis aquosi exhausti per Inediam, aut absumpti per Sudores &c. vel propter copiam Salium vitiosorum in Massâ Sanguineâ cum Urinâ excernendorum, ut fit in Hypochondriacis, in Scorbuticis, & similibus, ubi Urinæ rutilæ & rutilantes copiosissimis Contentis sunt imprægnatæ. Hæc *in genere* de læsâ Secretione Urinæ. Jam *in specie*

## ARTICULUS I. ET II.

### *De Urinæ Secretione Imminuta & Abolita.*

*Imminuta Urinæ Secretio* est, quando minus ejus transcolatur, quàm decet, *ratione nempe Proportionis ad Serum in Massâ Sanguineâ*: quando enim parum inest Seri, ut in iis, qui parum potant, aut copiosioribus Sudoribus diffluunt, aut Serum alibi colligitur, ut in Ascite, in his casibus Urina pauca emissa non potest dici præternaturaliter imminuta, quia in his Serum non nimis abundat, sed proportionaliter Sero in Sanguine residuo Urina respondet. Tunc ergò est *imminuta Urinæ Secretio*, quando tàm parcè emittitur, ut debitâ *Proportione* non respondeat Assumptis, & inde collecto Sero in Massâ Sanguineâ; Sicuti *Abolita* vocari debet, quando nihil excernitur, id quod aliàs dicitur *Ischuria* seu *Urinæ Suppressio* (differunt saltem gradu & proin ubique eadem applicari poterunt.) Hic defectus Urinæ in genere consideratus, fit *vel vitio* Renũ Urinam non secernentium; *vel vitio Vesicæ* Urinam non excernentis. Multi cum Aetio *Tetr. 3. Ser. 3. c. 21.* Ischuriam habent pro Affectu Vesicæ proprio, quandocunque scilicet Urinam hæc ipsa colligat, nec reddat: quo sensu Gorræus *in Defin. Med. pag.* 199. apertè docet, Ischuriam propriè dici Urinæ in Vesicâ retentionem. Communiter autem ejus significatio ampliatur, ut istam quoque Urinæ compressionem comprehendat, quæ vitio Renum contingit, vacuâ omninò Vesicâ.

*Ischuria* ergò communiter statuitur duplex: *Vera*, seu quæ fit Vesicâ plenâ existente; & *Notha*, seu ubi hæc Urinâ vacua est, quatenus hujus nihil à Renibus adducitur: Quarum hanc *Urinæ Secretionem*; istam ejusdem *Excretionem læsam*, pronunciare liceret. Dignoscuntur ambæ, ac distinguuntur à se invicem, quòd in illâ præter Renum & Ureterum pathemata, de quibus hactenus, nulla Tensio, nullus Dolor ac urinandi Stimulus, simileve quid circa Vesicæ regionem, & in Hypogastrio observetur, nec Cathetere immisso Urina profluat; dum contrà in hâc Æger, quamdiu sensus & mens integra, de Tensione ac Dolore molestissimo dictæ regionis, simulque insigni & frustraneo Conatu conqueratur, imò hæc ad tactum tumida cum molestiâ quoque insigni deprehendatur. Hoc loco saltem Ischuria vitio Renum non secernentium consideranda est, cujus leviores Causæ imminutam & deficientem Urinæ Secretionem efficiunt. De Ischuriâ verò vitio Vesicæ *in sequ. Cap.* agetur.

## MEMBRUM I.

### *De Ischuria Renali*, seu *Urinæ Secretione Abolita.*

### CAUSÆ.

*Causa Proxima*, propter quam non secernunt Renes Urinas, est vel *in ipso Sanguine* in-

septo, ut ab hoc separetur Materia Urinæ, vel, idque ut plurimùm, *in ipsis Renibus* redditis ineptis ad Urinæ Secretionem. *In ipso Sanguine* frequenter *Vitium* hæret, vel *in qualitate*, vel etiam certò modo *in quanto*. *In Quali* quidem, quando Massa Sanguinea tota, ejusque Serum seu Latex aquosus, adeoque omnes ejus partes, ex læsâ *Crasi* ita sunt dispositæ, ac firmiter inter sese connexæ & contextæ, seu, ut loquitur Willisius *Phar. Rat. Part.* 1. *pag.* 166. quando Sanguinis compages ita est serrata ut amplexibus his arctioribus se extricare, & Serum per angustos Renum porulos & tubulos commodè transire, & in iis ex reliquo Sanguine legitimè Urina secerni nequeat. Vitium hoc nunc à Lymphæ Austeritate seu Acore præternaturali, nunc Visciditate, oriri videtur: vid. Platerus *l. a.* & Sylvius *Tract. de Cach.* §. 29. & 295. & *l.* 1. *Prax. c.* 55. §. 8. & 9. Observari hoc solet sæpiùs in Febrium statu Cruditatis, imprimis in Morbis Chronicis, Cacochymiâ, Cachexiâ, &c. ad Hydropem inclinantibus, Leucophlegmatiâ, Hydrope, Affectibus Hypochondriacis, Scorbuto confirmato, &c. vitio aut Scirrho Hepatis aut Lienis conjunctis: in talibus enim *pauca Urinæ* ut plurimùm *est Secretio*, ejusque simul Crudæ, seu paucis Contentis in Latice aquoso saturatæ, utut tales Ægri alias sint copiosi salivatores, aliosque Affectus à Seri abundantiâ patiantur. (Pedes tumidos). Verùm post Medicamenta appropriata, imprimis Salina, vitiosam Sanguinis Crasin alterantia, & Scirrhos Viscerum resolventia, ubi anteà pauca & cruda fuit excreta Urina, evenit, ut Urina successivè copiosa & diversimodè affecta, crassa, turbida, interdùm nigra excernatur. Fieri hoc videtur ex eo, quòd ex læsâ Viscerum circa Sanguinis perfectionem functione & vitiatâ Sanguinis Crasi, talis hujus mistura fiat & compositio, ut nihil aut parum per angustos poros Renum fibrosos secerni aut separari possit; unde postmodùm alterata per Remedia Salina, maximè Alcalina istâ Sanguineâ Massâ, & renovatâ ejusdem miscelâ, tunc heterogeneæ particulæ ab aliis separatæ & præcipitatæ à Latice aquoso uberiùs imbibuntur, & ita figuratæ redduntur, ut facillimè Renum meatus ingredi, & ita sub formâ Urinæ copiosæ, turbidæ, crassæ, &c. excerni possint. Imò huc referri poterit Riverius *Cent.* 1. *Obs.* 1. & 89. ubi quidem Ischuriæ Causam Vasis Emulgentibus tribuit, quasi hæc ob Plethoram nimis distenta se contrahere nequiverint: Item forsan M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obs.* 212. & *Ann.* 4. *Obs.* 159. Cujus tamen Symptomatis Ætiologiam Willisius *Pharm. Ration. P.* 1. *Sect.* 4. *cap* 3. tam per propriam, quàm Loweri Experientiam ab Humorũ strictiore combinatione deducit. Præter dicta, Urinæ Secretio imminuitur, *si Serũ Sanguinis aliorsũ ablegetur*, & à viis urinariis avertatur, v. g. in Catarrhis, Sudore nimio, Diarrhœâ, Hydrope, &c. quibus præsentibus Urina parcior, remotis verò uberior, secernitur atque excernitur.

In *Quanto* Sanguis peccat, quando is propter nimiam Abundantiam, aut propter ejus Crassitiem, aut quamcunque aliam rationem, legitimè licèt circulatus, parum tamen aut nil in Renibus ex se dimittit; simul verò ac secatur *Vena Brachii*, & ejus Quantum ita imminuitur, copiosus Urinæ fit effluxus: quale Exemplum admodùm curiosum habet Tulpius *lib.* 2. *Obs.* 2. *c.* 43. ubi quidam Ecclesiastes singulis Pleniluniis Urinæ Suppressione affligebatur, quæ non excernebatur, nisi vel declinante Lunâ, vel per Venæsectionem in Brachio; quoties enim Vena Brachii secabatur, toties Urina liberè mittebatur. In Anatome postmodùm defuncti reperta fuit Pelvis Renis sinistri admodùm distenta, ut ferè Vesicæ vicem & magnitudinem expleverit. Ratio ex qua factum fuit, ut sectâ Venâ flueret Urina, vid. apud Tulpium, qui egregium habet de hoc Casu Discursum.

Raræ autem sunt hæ Secretiones Urinæ imminutæ, quæ fiunt ex vitio Sanguinis: frequentiores sunt Ischuriæ, quæ *vitio Renum fiunt*, quarum *triplex* ferè subest *Causa*.

(1.) Quando *Renum Caruncula*, id est *Meatus Fibrarum renalium Pori & Canales*, sunt admodùm *angusti*, *obstructi*, *aut infarcti*, ita, ut per illos nihil Seri possit transudare. Vel

(2.) Hi ipsi inepti sint redditi, quò minùs secerni possit Urina; idque vel ob *Tonum earum resolutum*, ut in ἀτονίᾳ; ita ut sit *Paralysis*; sive sit nimis quasi *firmus*, ut in Spasmodicâ earum constitutione vel Convulsione. Vel

(3.) Denique *vitio ipsius Fermenti* renalis Urina supprimitur, quando illud deficiens, aut iners, aut alteratum, plùs minùsque corruptum, non sufficit negotio, uti subinde in Affectibus Cachecticis, Hydropicis, aut ad Hydropem inclinantibus, quibusdam Hypochondriacis, aliisque Chronicis Affectibus, &c. manifestum est, in quibus deficientem renalis Fermenti acrimoniam urinosam volatilem potissimam Causam existimo.

I. *Quoad* ergò *Primum vitium*: inter ea, quæ *obstruunt* Canales fibrosos Renum, sunt (1.) interdum *Sanguis grumosus*, vel ex Casu ab alto circa Renes collectus, vel ex aliis partibus, in quibus Sanguis grumosus hæret, per Sanguinis circulum ad Renes derivatus, & ibi collectus, id quod Causæ Antecedentes confirmabunt; sicut & ex Sanguine in Pectore extravasato, si is scilicet resolutus, fit Mictus cruentus. (2.) Est etiam *Pus* vel ex Ulcere Renum, vel ex aliis partibus Abscessu laborantibus, cum Sanguine ad Renes derivatum, quo ipso sæpè Urina supprimitur; id quod pariter ex Antecedentibus, vel Renum vel aliarum partium Vomicis aut Suppurationibus suspicari licebit; sicut etiam Peripneumoniæ suppuratæ per Urinæ fluxum purulentum feliciter solvuntur. Circa Pus ejusmodi notandum, lethalem interdum Urinæ Suppressionem intulisse: vid. Sanchez *in suis Obs. p.* 374. de omnimodâ Urinæ Suppressione lethali, post cujus Corporis sectionem Renes exulcerati & purulenti reperti sunt. (3.) Obstruunt *Renes Humores* pituitosi, crassi ac viscidi, vitio Digestionis primæ, tam cum Urinâ Potus ad Renes delati, quàm etiã cũ Sanguine ad eosdẽ distributi, qui obruentes Renum porulos eosque obturantes, ineptos reddunt pro Urinæ Secretione: (N) Tale Exem-

(N) Nota Cyrilli. *Hanc vuto Causam fuisse Ischuriæ Renalis, quæ charissimum fratrem jam septuagenarium hoc anno* 1721, *iterum ac tertiò, mensis fere spatio, afficiens, tandem extinxit, cujusque Obitum adhuc lugeo. Præcesserat (post quamplurima in Victûs ratione errata) copiosum crudarum Urinarum profluvium, quæ quandoque insolentem, & ad Sapæ naturam accedentem, calorem exhibuere: hinc substitere per quatuor dies: fluxerunt posteà, sed aqueæ & percolatæ: post biduum iterum suppressæ, & quamvis sextâ die denuò apparere cœperint, exiguâ tamen quantitate excernebantur, donec penitus subsistentes, undecimo tandem die, post immensam respirandi difficultatem, Ægrum ad mortem perduxerunt. Copiosa enim Urina Potûs, plurimâ & crassâ mucilagine scatens, ad Renes delata, quemadmodùm primùm Spurium Diabetem, & variam Urinæ apparentiam produxerat, sic demum Renum caniculos obstruens insuperabilem Ischuriam excitavit.*

Exemplum eſt, quod recenſet Amatus Luſitanus *Cent.* 6. *Cur.* 12. de Puero contumaci Iſchuriâ laborante, ob nimiam craſſitiem & viſciditatem Lactis Nutricis. Aſſumpſerat pro jentaculo Vir quidam de cætero ſanus Caſeum, quem vocant Hollandicum, ad ſatietatem, Cereviſiam tenuem ac diureticam ſuperbibendo: Elapſis aliquot horis Urina citra ullum Veſicæ Renumve dolorem ſupprimitur, ut ne guttam quidem excernere ad tertium uſque diem potuerit. Innoteſcit hoc vitium, quando talium Humorum præſentia in Corpore obſervatur, qui nempe Inteſtina & primas vias obſident, aut quando Urina anteà effluit ſolida, excernitur turbida ac craſſa, cum Sedimento copioſo mucilaginoſo, poſtmodùm tale Contentum in Urinâ deficit præſente ſimul Gravitate in Lumbis. (4.) Frequentiſſima Cauſa eſt *Calculus* Renes obſidens, & eorum Meatus ac Tubulos obſtruens, Renes irritans, & ad Inflammationem diſponens, indeque frequenter Urinam ſupprimens: quale Exemplum habet Lotichius *in Obſ. lib.* 4. *fol.* 376. ubi refert omnimodam Urinæ per 12. dies Suppreſſionem, eamque lethalem, in qua Ren dexter ex Ulcere omnimodè abſumptus, ſiniſter verò copioſiſſimis Calculis fuit refertus: Sic Bartholinus *Cent.* 4. *Epiſt. pag.* 92. obſervat Urinæ Suppreſſionem ex Calculo Renum lethalem undecim dierum, &c. quorum admodùm frequentium omnium Practicorum Obſervationes ſunt plenæ. Plura infrà. (5.) Hiſce annumeranda ſunt comprimentia, nempe Tumores, v. g. Nephritis; & (6.) Conſtringentia, v. g. Frigus externum, ſi Lumborum regio præprimis æſtuans magis ipſi exponatur.

II. *Quoad ſecundum Renum Vitium* conferens ad Iſchuriam, dixi eſſe *Tonum eorum plùs minùs vitiatum*: Notum eſt, quòd Renes conſtent copioſis Fibris & Tubulis excavatis quaſi, per quas fit Urinæ tranſitus. Hinc præter Obſtructiones & Infarctus imprimis Tonus Fibrarum renalium obſervandus eſt, ſive laxus is ſit *in Atoniâ*, ſive nimis ſtrictus *in Spaſmo*. Quando ergò Fibræ renales laborant Atoniâ, ſeu quaſi reſolutæ ſunt, fiunt flaccidæ & connivent, unde ſupervenit Suppreſſio Urinæ: Nempe hæc Atonia eſt iſtud vitium, quod vulgò vocârunt *Imbecillitatem Renum* ex Facultate Secretrice aut Attractrice læsâ natum. Jam verò, cùm omnes iſtæ Partes agant per Structuram partium mechanicam, linquamus has Facultates illis, qui attrahere poſſunt, & dicamus, conſiſtere has reverà in *Atoniâ Renum*, id eſt tali Nervorum renalium & Canaliculorum fibroſorum laxitate ſeu flacciditate, ut defectu imprimis Spirituum animalium non ſuſtineantur in debitâ Tenſione, quin potiùs & Nervi & ipſi Canaliculi fibroſi poſtmodùm quaſi reſoluti & flaccidi concidant, indeque Orificia conniveant, ita, ut propterea parum vel nihil de Sero Sanguinis tranſmeari, ac ex Sanguine ſecerni poſſit. Exemplum ſiquidem aliud illuſtre *videb.* in Bartholino *Centur.* 4. *Epiſt.* 18. 38. & 39. qui ex Paralyſi Scorbuticâ omnium Partium Corporis inferiorum, ſeu infra Diaphragma talem relaxationem & Iſchuriam refert. Pertinet huc obſervatio Hoechſtetteri *in Obſ. Decad.* 5. *caſ.* 10. ubi Iſchuria longior ex externâ Renum Refrigeratione in Marmore Nive frigefacto, unde poſtmodùm Epilepſia & Mors; & *Decad.* 6. *Caſ.* 1. ab abuſu Narcoticorum. Quibus inſuper accedunt alii Renum Morbi, e. g. Eroſio, Scirrhus (O) Ulcus, Vulnus, &c. Quò pertinent Morbi Acuti, Febres Ardentes, Variolæ, &c. ſubinde Iſchuriam conjunctam habentes; unde Iſchuriam talem abſque omni dolore, ſupervenientem aliis Morbis Acutis, ceu Signum ſingulare lethale, ob extinctam Facultatem Attractricem, ſeu Atoniam Renum, habet Horſtius *l.* 4. *Obſ.* 45. vid. etiam Schenckius *l.* 4. *Obſ. p.* 464. *& ſequ.* ubi aliquot talia ſunt Exempla Iſchuriarum lethalium vitio Renum, non potentium tranſcolare Serum, utut nulla adfuerit Obſtructio, ſed quia potiùs molles & reſoluti apparuerunt. Pertinent huc Suppreſſiones iſtæ Urinæ, quæ ob *Dorſi Vertebrarum Luxationem*, *aut Ictum*, *aut Lapſum*, *aut Vulnus Spinalis Medullæ* accidunt, ac in genere quævis alia Iſchuria, vitio Nervorum plùs minùs reſolutorum eveniens, utpote quæ ipſa non minùs à Paralyſi aut Laxitate Fibrarum renalium ac Veſicæ interdum contingere, non impoſſibile eſt. Huic Atoniæ contrarium interdum obſervatur vitium, nempe *Strictura Pororum*, & *nimia Fibrarum perforatarum* & *Glandularum renalium Anguſtia*, quaſi Spaſmo quodam contractarum, qualem nonnunquam in Colica Renes pati videntur, & qualia fit interdum in Affectibus Calculoſis, dum uno Rene læſo à Calculo, grumiſve Sanguinis irritato, alter ab omni Obſtructione ſalvus, ſubinde ceſſat agere; quod fit ex criſpaturâ & ſtricturâ Fibrarum, quatenus unius Renis Fibris convulſis, & ita ex nimiâ ſtricturâ & criſpaturâ Poris clauſis, clauduntur etiam alterius Pori, ob ramificationis nervoſæ communicationem, & ita Iſchuria inducitur: vid. Foreſtus *l.* 24. *Obſ.* 26. *in Schol. item* Bartholinus *Act. Med. Haffn. Vol.* 4. *p.* 102.

III. *Tertia* denique *Cauſa* erat ex parte *Fermentum Renum* plùs minùs deficiens, nec ſatis acre, aut alio modo vitiatum ac depravatum, unde etiam deficit plùs minùs tranſmiſſio, ut *ſuprà* inſinuavi: ſi nempe deficit Fermentum in ſuâ Acrimoniâ ſalina volatili urinoſâ, ſub cujus defectu ceſſat operatio Secretionis Urinæ, quam tale Fermentum promovere ſolet; ſicut hoc ipſum in Hydropicis patet, in quibus ex defectu aut alteratione Fermenti Renalis adeſt Iſchuria. Plura videbitis in Williſii *Pharm. Ration. pag.* 165.

Hujus etiam loci ſunt, quæ Urinæ ſecretæ defluxum ad Veſicam turbant, *Ureterum nempe anguſtia*. Urinam non tranſmittens horumque *Vulnera* atque *Ulcera*, Urinam ad cavitatem Abdominis deponentia; quæ quidem rariora ſunt: vid. Platerus *Prax. Tom.* 3. *c.* 3. *Anguſtia* hæc oritur vel obſtruentibus, e. g. Calculo, vid. Salmuth *Cent.* 2.



(O) Nota Cyrilli. *Cadaver* Eminentiſſimi Vincentii Card. Grimani *in hoc Regno Proregis, anno* 1710. *Renali Iſchuriâ demortui, exhibuit utrumque Renem ſcirrhoſâ duritie adeò notabilem, ut anatomici cultri vim ferè eluderet: illorum ſuperficies inæqualis erat, & prorſus tuberoſa, ac quamplurimas Hydatides purulentâ Urinâ repletas, lividiſque maculis interſperſas, exhibebat. Pelvis exiguam purulentæ item Urinæ quantitatem continebat. Renum Pinguedo firmiſſimè illorum adhæreſcebat ſubſtantiæ. In Veſicâ paucæ Urinæ guttulæ continebantur, atque in ejus collo levis inflammatio: fortaſſe ex frequenti, ſed non neceſſariâ Catheteris immiſſione. Quomodò igitur Urina ſecerni poterat, Glandulis, imò & Tubulis, Renum in ſcirrhoſam naturam faceſſentibus?*

*Obſ.* 82. & Tulpius *l.* 2. *Obſ.* 45. (P) Sanguinis Grumo, vid. Salmuth *l. a.* Muco viſcido, vid. Bauhinus *Theatr. Anat. l.* 1. *c.* 22. Foreſtus *l.* 24. *Obſ.* 15. & Sulzmannus *Obſ. Anat. pag.* 64. *l. a.* Nervorum renalium Affectibus ſpaſmodicis, e. g. in Nephritide nothâ, vid. Drawizius *de Scorbuto Tit.* 9. aut Colicâ convulſivâ, vid. Williſius *de Anat. Brut. l.* 2. *c.* 15.

Hæ ſunt Cauſæ, propter quas fit Iſchuria Renum vitio. Sequitur

## DIAGNOSIS.

Hæc Iſchuria, quæ fit vitio Renum, cautè conſideranda eſt, ne confundatur cum Iſchuriâ vitio Veſicæ urinariæ obveniente; ideoque Cauſæ Antecedentes & Symptomata probè penſitanda ſunt.

Signa *Urinam eſſe ſuppreſſam vitio Renum*, ſunt ea, quando nulla Urina adeſt in Veſicâ, adeò ut immiſſo licèt *Cathetere*, ſeu intruſione cujuſdam Cannulæ argenteæ, & factâ etiam *Suctione*, exploratio inſtituatur, nihil tamen excernatur Urinæ. Accedit, quòd nullus *Veſicæ Tumor* circa regionem Pubis, nulla *Gravitas Perinæi*, aliave ſimilia Symptomata Veſicæ, Urinam aliàs ſupprimentia, adſunt.

Quòd ſi accedant Signa Renum calculoſorum res eò eſt clarior, ortam tunc eſſe ex Calculis obſidentibus obſtructionem Urinæ.

Quòd ſi extra Calculi ſuſpicionem Gravitas circa Lumbos, variaque Symptomata Corporis ex Sero regreſſo & repulſo contingant res eò eſt clarior.

Superveniunt autem Suppreſſioni Urinæ Symptomata varia, prout nempe Seri urinarii in Renibus plùs minùs alterati Metaſtaſis ac Tranſcolatio in Partes ſolidas varia, vel Sanguinis aliorumve Contentorum alteratio & immutatio plùs minùs gravida facta fuerit. *Symptomata* iſta ſunt Anguſtiæ & Anxietates Præcordiorum, Sudor fœtidus, urinoſus, item Halitus fœtidus, Torpor Senſuum & omnium Facultatum internarum animalium, non rarò Epileptica Pathemata, interdum Aſcites, & Pedum Tumores œdematoſi, Vomitus, aliaque ſimilia Symptomata adſunt. Sudor fœtidus interdum plùs interdum minùs urinoſus eſt; qui urinoſus Sudor præſupponit jam alterationem quandam à Fermento renali factam, ita ut Urinæ per Pelvim tranſitus ſit intercluſus, & ulteriùs pergere non potuerit.

Quòd ſi vitium *ſit ex Obſtructione Renum* Cauſæ Antecedentes imprimis eam oſtendunt. Si enim adſint craſſi & viſcidi Humores obſtruentes, apparet ex ſimilibus vitiis, nempe quæ monſtrant craſſos Humores, ſi nempe Inteſtina & primas vias obſideant; item quando Urina anteà excreta fuerit turbida & craſſa cum Sedimento copioſo & mucilaginoſo, ſuperveniat Urinæ Suppreſſio cum Gravitate Lumborum, Signum eſt Renum à tali Materiâ obſtructorum. Sin verò *Sanguis grumoſus* obſtruat Renes, monſtrant illud imprimis Antecedentes Cauſæ, vel Caſus ab alto, vel ſi Urina cruenta anteà emiſſa fuerit, & Iſchuria ſuperveniat, aut Equitatio, aut fortis circa Renes Percuſſio, aut ſimilia Signa & Cauſæ, etiam Cauſa obſtruens clara eſt.

*Pus* denique infarcire Renes, colligitur ex Abſceſſibus aut Ulcere Renum aliàs conſuetis; item quando eſt Empyema aut Vomica ex Viſcere nobiliore, ubi per Sanguinis circulum eò defertur Pus, vel quando aliàs obſervata fuit Purulentia cum Urinâ excreta, Atonia Renum, Affectus paralytici, vel univerſales, vel plus minùs particulares Nervorum innuuntur; Spaſmum verò Dolores circa regionem Renum utplurimùm excitant.

*Fermenti* vitium pateſcit, ſi aliis Cauſis ferè abſentibus ſine debito ac conſueto Odore & Sapore Urina excernatur; unde ex collatione ac ſyndrome Symptomatum judicandum eſt de Iſchuriâ Renum & Veſicæ.

*Calculi* Signa ſuo loco habebimus.

## PROGNOSIS.

*Prognoſin* quod concernit: eſt vel generalior & omnibus Iſchuriæ ſpeciebus communis, vel ſpecialior, ſeu ad certos caſus reſtricta.

In genere grave ac periculoſum Malum eſt Urinæ Suppreſſio, & quidem hæc, quæ *Renum fit vitio*, periculoſior eâ, quæ fit *vitio Veſicæ*: vid. M. A. N. C. *Ann.* 4. *Obſerv.* 159. *pag.* 201.

Item *Urinæ Suppreſſio, quæ fit vitio Renum*, ſi ſine Dolore, magis periculoſa eſt, quàm quæ eſt cum Dolore tenſivo, cujus Phænomeni rationem Antonius Santorellus *de Sanitatis naturâ lib.* 23. *c.* 15. reddit.

Quòd ſi *Symptomata ſuprà dicta* adſint, utpote Anguſtiæ & Anxietates Præcordiorum, &c. ne introëuntes quidem Seri in Renum parenchyma, indicium erit, adeòque ſæpè lethalis eſt Iſchuria.

Et quidem quibus Urina ſuppreſſa eſt Renum vitio, *ſi denuò Æger ſeptimum ante diem mejere incipiat*, ſervari poſſunt; *ſin minùs*, ut plurimùm intereunt; quæ communis Practicorum eſt Sententia: quod tamen non ſemper contingit, ſed ferè ut plurimùm ad 10. aut 11. diem ſupprimi poteſt, antequàm Mors ſuperveniat.

Licèt tamen poſt ſeptimum diem Urina denuò profluere incipiat, copioſa etiam & varia; tamen partim ob infectam Febre Maſſam Sanguineam, partim ob vitium Partibus ſolidis affrictum, poſtmodùm intereunt: vid. Tulpius *l.* 4. *Obſ.* 29. & Rodericus à Fonſeca *T. I. Conſil.* 87. Adeòque rarum eſt, quòd Iſchuria 11. dierum curata fuerit: vid. M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obſ.* 30. *pag.* 58. *Ann.* 4. *Obſ.* 159. item *Ann.* 6. *Obſ.* 112. *pag.* 149. *Ann.* 9. *Obſ.* 78. *pag.* 209. de Iſchuriâ 10. dierum curata vid. *Ann.* 3. *Obſ.* 39. Inte-

(P) Nota Cyrilli. *Iſchuria, quæ præmaturè nimis decem dierum ſpatio nobis abſtulit Excellentiſſimum* Matalunenſium Ducem, *dum Viennæ ineunte anno* 1717. *iter Neapolim redux pararet*, (*ut anatomicâ diſſectione patuit Clariſ. Viris* Pio Nicolao Garelli *S. C. & C. M. Cubiculario Med.* Gabrieli Longobardo *ejuſdem Maj. Med. & Conſil.* Franciſco Ceſtaro *Excellentiſſimi Defuncti Ducis Medico, aliiſque Facultatis Medicæ Viennenſis Profeſſoribus & Chirurgis*) *ortum habuit à duplici Calculo, quorum unus dextrum Ureterem, digiti à Pelvi diſtantiâ, alter ſiniſtrum Ureterem, diſtantiâ duorum digitorum à Rene ejuſdem lateris, exactiſſimè obſtruebant, ut ne guttula quidem Urinæ è Renibus in Veſicam deſcendere potuerit: Urina autem adeò utramque Pelvim ſuâ copiâ diſtenderat, ut vel levi factâ à ferro in Rene inciſione, maximo cum impetu reſiliret. Dextri Renis Pelvis, Ovi gallinacei magnitudinem exæquans, tres alios continebat Calculos, quorum duo minores, tertius pondere gran.* 250. *acutiori ſui parte in Ureteris Orificium vergebat. Antequàm Urina ſupprimeretur, quatuor alios Calculos diverſæ magnitudinis, Nephriticis doloribus variè infeſtantibus, & ſemel quoque obſervatâ Urinâ cruentâ, Nobiliſſimus Æger excreverat. Notatu dignum eſt, Iſchuriæ huic præfocantem Anginam ſeptimâ die ſuperveniſſe: non infrequens hujus Morbi Symptoma.*

Interim tamen quidam diutiùs, quidam minùs diu Urinæ ſuppreſſæ ſupervivere poſſunt; teſtantur enim Obſervationes, Urinam per plures dies ſuppreſſam ex vitio Renum, tamen curatam eſſe. Sic Riverius *C.* 4. *Obſ.* 45. & Tulpius *l.* 4. *Obſ.* 26. obſervat Iſchuriam 11. dierum: item Horſtius *l.* 4. *Obſ.* 45. quatuordecim dierum Iſchuriam ex Calculo Renum, & nihilominùs tamen tandem curatam: Foreſtus *l.* 26. decem ac 18. dierum, ac Cornarius *Obſ.* 21. Urinam etiam 14. dierum ſuppreſſam obſervat: Iſchuriam 22. dierum propter Tumorem ſeu Abſceſſum in Collo Veſicæ non lethalem, vid. in M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obſ.* 176.

Ferè tamen intra 14. dies jugulantur Ægri, rarò ad 20. vivunt: Et quidem ſi cum Urinâ ita ſuppreſsâ aut *Sudor* copioſus, aut *Vomitus* crebrior, aut uberior Seri per alium locum effluxus concurrat, diutiùs ſupervivere poſſunt Ægri, & minùs periculoſum eſt malum. Sic Fonſeca *l.* 1. *Conſ.* 87. ad 17. dies noctesque, ac per multos menſes; item *lib.* 2. *Conſil.* 96. refert Monialem Patavinam, quæ ſupervixit, licèt per 6. menſes Urina fuerit ſuppreſſa, quia ſudabat quotidie circa Ventrem & Umbilicum. *Exemplum* notatu dignum refert Piſo *de Morbis ex ſerosâ Colluvie Sect.* 4. *Cap.* 6. *pag.* 95. Iſchuriæ in Moniali 19. dierum, ſed tamen conjunctæ cum Sudore perpetuo, adeò ut poſtmodùm etiam curata fuerit: Sic obſervata fuit deſperata Iſchuria vitio Renum orta, in qua per Umbilicum copioſus Sudor fuit ejectus; vid. M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obſ.* 208. *p.* 394. Ipſemet aliquando obſervavi Iſchuriam vitio Renum 17. dierum in Muliere, quæ in decimâ ſeptimâ die ex uſu Emulſionis Seminis Violarum ſolvebatur, ſed cum gravibus Inſultibus epilepticis, ſine tamen interitu Ægræ, quæ tamen poſt aliquot ſeptimanas recidivans lethalis erat; Alii econtrà citiùs & ante ſeptimum diem ex Iſchuriâ Renali pereunt; e. g. intra triginta horas, vid. Hoechſtedterus *Dec.* 6. *Caſ.* 1. Aliàs optimam Prognoſin ſuggerit Foreſtus, nempe Suppreſſio Urinæ, ad decimum vel undecimum diem durans, plerumque Mortem ſolet inferre, ac rara proin Exempla in contrarium proſtantia non denegant huic Effato veritatem.

Inſuper Urinæ Suppreſſio, quæ eſt à *Calculis Renum* majoribus, ſi vel diſſolvi, vel emitti nequeunt, ut plurimùm eſt lethalis, quia vix poteſt curari.

De cætero, *ſi à Reſolutione ſeu Atoniâ Renum* evenerit Iſchuria, ſempe ferè obſervata fuit lethalis, adeòque ab Horſtio, Schenckio, & ſimilibus Autoribus, Retentio totalis Urinæ in Morbo, ſine Doloris ſenſu, inſtantis Mortis Signum eſſe aſſeritur.

Denique Suppreſſio Urinæ, cui *Singultus* ſupervenit, & ubi *Odor Urinæ* in Ægri ore ac naribus percipitur; item à Spinali Medullâ inſigniter læsâ, incurabilis ac lethalis eſt. De hac Hippocrates *lib.* 2. *Prorrhet. Medullâ Spinæ ſi quis laboraverit ex lapſu, ſeu alia de causâ, Homo & Cruribus impotens ſit, ut neque, ſi tangatur, percipiat, & Ventre ac Veſicâ, ut primis temporibus neque Stercus neque Urinam excernat, niſi coactè inveterato Morbo, non urgente Homine, Stercus & Urina prodeunt, moritur poſteà non multo interpoſito tempore.*

## CURA.

Quoad *Curam* ut ſuppreſſa Urina revocetur, removenda eſt imprimis Suppreſſionis Cauſa Renes obſtruens; adeòque quoad Cauſas proximas, vel *corrigendum Sanguinis vitium, vel Renum præternaturalis diſpoſitio.* Nempe *Impedimenta* in his removenda, *Tonus* debitus conſervandus *Fermentum* renale acuendum.

Quod attinet *Sanguinis vitium*, hiſce ſuccurrimus vel in Plethoricis per levem *Venæſectionem*, prout Obſervationes ſuperiùs ex Riverio *Cent.* 1. *Obſ.* 1. & 89. item ex Tulpio *lib.* 2. *Obſ.* 43. allegatæ, confirmant: vel cùm ut plurimùm occurrant in Morbis Chronicis, & Iſchuria tunc ſit Productum morboſum, per Dyſcraſiæ Sanguinis correctionem, pro Affectûs primarii varietate, *Alterantibus* aliiſque *appropriatis*, Methodo in Morbis Chronicis conſuetâ, de qua *vid. ſuprà Sect.* 17. *Cap.* 3. *Art.* 1. *de Cachexiâ*, eadem curabitur. Hinc Diureticorum quoque ſelectus erit habendus, ita ut nunc Acida, nunc Urinoſa, nunc Nitroſa, nunc Terrea, nunc Sulphurea, propinentur.

Quod verò attinet *Renum diſpoſitionem præternaturalem* removendam, hæc immutari debet pariter pro hujus varietate: ſubinde neceſſe eſt ac ſæpè fructuoſum, præmittere levem Alvi ſolutionem per aſſumpta *Laxativa* in formâ Pulveris quæ primas vias laxant, ac blandè evacuant; cùm ſæpè obſervatum ſit, Alvo irritatâ ſimul in fluxum concitari Urinam; e. g. Tartarum vitriolatum, Terram Foliatam Tartari, &c. (quæ ſunt blanda Diuretica ſimul) cum blando ſtimulo acuata; uti de vi Laxativorum ad Urinæ fluxum promovendum vid. Barbette *in Praxi Cap. de Suppreſſione Urinæ*, ubi Viro, Ulcere Renum laboranti, cum ſuperveniente per biduum Urinæ Suppreſſione, præſcripſit hunc Hauſtum:

℞. *Syrup. de Cichor. cum Rhabarb.*
*Roſar. ſolut.*
*de Cnico*, ſeu *de Cartham.* ana ℥j.
*Lapill. Cancr. præp.* ʒj.
*Aquæ Gram.* q. ſ. Miſc.

Vulgatiſſima hæc eſt Miſtura, & tamen blandè Alvum & copioſam Urinam provocavit.

His Internis adduntur *Clyſmata Terebinthinata* injecta, cum Oleo Terebinthinæ aut Succini parata, *de quibus in Curâ Calculi Renum agetur*, utpote cùm his ipſis ſæpè promoveatur uberior Urinæ ſecretio. In ſpecie, ſi adſit vitium Renum obſtructorum, idque fiat à Sanguinis Grumo, curanda venit per Sanguinem grumoſum reſolventia, *Diuretica*, quæ inter in ſpecie *Rubia Tinctorum* ejuſque Radix, & inde paratum *Crapp*, Sperma Ceti, Succinum, & Succinata quælibet, quæ à multis ſingulariter commendantur in Retentione Urinæ. Omnis enim vis diuretica à Sale volatili Succini cum Helmontio derivanda. Sive Malum ſit à craſſis Humoribus, ſive Sanguine congrumato, ſive Pure, Lapilli Cancrorum cum Aceto aſſumpti, & alia Simplicia *Vulneraria* ſelecta, Chærefolium, Agrimonia, Hedera terreſtris, quæ per ſe ſunt Diuretica, ac Fœniculum; item Hypericon, ejus Flores & Semen, & ſimilia plùs minùs Diuretica, quæ ſuperiùs *Sect.* 18. *Cap.* 2. *de Sanguine congrumato* habui, conducunt. Hypericon enim potenter Urinam movet; unde etiam internè, cùm ſit Vulnerarium, in Purulentiis & Sanguinis Grumis convenit, inungendo ſimul externè regioni Renum & Lumborum Oleum Scorpionum, Oleum Ceræ, item Petroleum, & ſimilia. Sin verò Obſtructio Renum ſit à Pure, Terebinthinata, Simplicia Vulneraria, in ſpecie Balſamus Sulphuris terebinthinatus aut juniperinus, Succus aut Syrupus de Hederâ terreſtri, Eſſentia & Extractum Agrimoniæ, Hyperici, &c. proſunt. Quòd ſi Pituita tenax & glutinoſa Renũ meatus ac tubulos obſtruxerit, *præmiſſis Laxantibus*, Cruditates pituitoſas per Alvum evacuantibus, (quod probè obſervandum eſt, ne intempeſtivo Incidentium

Diure-

Diureticorum usu copiosior Cruditatum pituitosarum ad Renes fiat delatio, sicque Malum potiùs augeatur, quàm imminuatur) conveniunt hanc *Dissolventia*, pro varietate scilicet Causarum, Diuretica blanda, imprimis Raphanacea quælibet, Alkekengi, Succus Limonum, vel solus, vel cum Vino, Succus Parietariæ cum Oxymelite, in specie *Salina*, ut Tartarus vitriolatus, Tinctura Tartari, Sal volatile Succini, *Spiritus urinosi*, *Saliaque volatilia*, Spiritus Urinæ, seu Sal ejus volatile, itē Sal volatile Ammoniacale, & similis generis Remedia, hinc Mixtura Sylvii *in Praxi lib.* 1. *cap.* 55. §. 62. sunt proficua. Radix Raphani, in specie ejus Succus, item Armoraciæ. Radix in Vino infusa & pota, ubi vel Arena, vel Sabulum, vel Mucus viscidus obsederit Renum tubulos, in specie conducunt, & Urinam promovent. *Succus Limonum & Citri* admodùm egregius est in hoc casu, egregiè incîdens & dissolvens Mucum viscidum in Renibus, si ad ℥ij. vel iij. usque ad iv. in Aquâ appropriatâ assumatur, multùm laudatur ab Amato Lusitano *Cent.* 5. *Obs.* 71. sicut & Helidæus Paduanus Succum Limonum cum Oxymelite propinat, ubi Renes à sordibus viscidis, quas removet, obsidentur: in quo casu etiam Spiritus Salis dulcis non est incongruus in Decocto Diuretico, v. g. Radicis Petroselini in Jure Ciceris rubri, præsertim *Spiritus Vitrioli Philosophicus*; unde Apozema Sylvii *lib.* 1. *Prax. cap.* 55. §. 61. non inconveniens erit. Cnoefelius *Ann.* 3. M. A. N. C. *Obs.* 208. extollit Spiritum Salis Ammoniaci acidum per se præparatum in omnibus Obstructionibus exilium Vasorum, tanquam præsentissimum Remedium, imprimis in hoc casu: in quo casu *ex Vegetabilibus* conveniunt Fructus Alkekengi, qui sunt egregium Diureticum, Radix Rubiæ Tinctorum, quæ est admodùm efficax. Herba Parietariæ, ejusque Succus recens expressus cum Oxymelite assumptus, Experimentum est Helidæi Paduani. Sed necesse est, sit Parietaria non tamen quælibet, sed ea, quæ in ruderibus parietum antiquorum crescit: ratio, quia hæc sub nutrimento secum Sal nitrosum in parietibus ratione Calcis vivæ latitans attrahit, ratione cujus Salis nitrosi hæc Parietaria adeò insigne est Diureticum, quacunque ratione data imprimis Succus ejus expressus, & cum Saccharo in Syrupum redactus, ut eam propterea quidam in suppressâ Urinâ, aut imminutâ Hydropicorum, ceu singulare Secretum habeant. Quòd *si à Calculo* sit Renum Obstructio, conveniunt vel hunc maturè pellentia *Diuretica*, vel eundem *Diffringentia*, utut rara, &c. Methodo inferiùs suo loco explicandâ. Abrotani Comæ pulveriſatæ ad ʒj. cum tantillo Nitri iis commendantur, quibus ob Calculum Urina supprimitur: vid. Simon Pauli *in Quadrip. Botan.*

Quòd si Ischuria oriatur *vitio Renum in Tono suo vitiatorum*, tunc in Atoniâ *Nervina Aromatica*, imprimis Terebinthinata, Baccæ Juniperi & Juniperina, nobilia sunt; unde & Malvaticum Juniperinum, quod est egregium Remedium, speciatim commendandum; item Spiritus Baccarum Juniperi & Oleum destillatum, cùm Juniperina ratione virtutis aromaticæ sint Nervina; item Decoctum & Infusum Diureticum in *Colleg. Form.* stimulans Urinam. Cinnabarina & Succinata, specificè conducunt. Primatum obtinet Sal volatile Succini excellentissimum Diureticum quod Helmontio meritò audit *Apex Remediorum Diureticorum*, si à gr. vj. vel xij. in Aquâ appropriata usurpetur.

Sin verò *ex Contracturâ spasmodicâ* Fibrarum renalium vitium oriatur, curanda est per *Opiata*, item *Cinnabarina*, imprimis Cinnabarin Antimonii cum Sale volutili Succini: Quò forsan quoque facit quod Deckerus *in Prax.* refert, *Mithridatium* cum Decoctione quâdam diureticâ datum mirificè Urinam provocare. Huc spectat Vitrum in pollinem redactum, à nemine hactenus, nisi à Gesnero *lib.* 3. *Obs.* 4. 5. & 6. commendatum.

Quòd si *Fermentum renale* hebetatum, aut iners plùs minùs factum fuerit, hocque in Causâ sit, tunc semper conveniunt propriè sic dicta *Diuretica*; nunc Acria salina urinosa, tam volatilia quàm fixa, dictum Fermentum renale acuentia, & acrimoniâ suâ quasi stimulantia, & Secretionem promoventia; nunc simul Oleosa temperata: v. g. conducunt *Radix Raphani*, tam orbicularis quàm Armoraciæ, Succus Raphanorum, & quæcunque ex Raphano præparata Remedia; item Radix Armoraciæ Vino infusa & pota, quæ multùm valent in stimulandâ Urinâ. Quibus meritò addenda *Capita Allii* & *Cepæ*, Sal & Spiritus Urinæ per fermentationem, Spiritus Salis Ammoniaci, Spiritus Lumbricorum per putrefactionem, Infusum Cantharidum, Salia fixa salsa ex Simplicibus Diureticis, ac tandem Terebinthina, Juniperus, Semen Violarum. In specie quod attinet *Capita Allii*, hæc Sale volatili acri insigniter sunt turgida, quæ ipsa singulariter Fermentum Renum acuunt, & minutim concisa cum Vino assumpta, vel cum Aquâ Vitæ juniperinâ propinata, egregiè proritant Urinam. Hisce jungi debet *Semen Erysimi*; quod Germ. dicitur *Wilder Senff*, salinum, & acre gustui, ad ʒj. in formâ Pulveris assumptum in Vino albo, quibusdam singulare ad Retentionem Urinæ est Experimentum. Vid. Fonseca *lib.* 1. *Cons.* 10. & *lib.* 1. *Consil.* 96. De Parietaria suprà dictum. Flores Tunicæ, & in specie *Cyani*, *Calcatrippæ*, præsertim juncti, in Vino cocti, vel Conservæ formâ Spiritu Salis acidulati & propinati, blandè Urinam cient. Sunt Remedium Agricolæ usitatum. Ulterius *Folia Ribes nigræ*, Urinæ odorem spirantia, egregiè Urinam pellunt: item Hedera arborea, ejusque Baccæ, sunt usitatæ: Glomi Cynosbati, & eorum Pulvis, & ex his paratus Spiritus *Hartmanni*, sunt satis decantati. Herbæ Ononidis & Hederæ terrestris sunt satis utiles. Denique *Succus Pastinacæ luteæ*, seu *Siseris alterius Mathioli* perquam egregiè Urinam promovet, etiam aliis Remediis irritis, in specie Puerorum Urinas suppressas miro effectu hic Succus stimulat. *Salia volatilia*, Spiritus & Sal Tartari, item Tinctura Nephritica diuretica *Ammelungii* clysmiformis, parata ex Antimonio, Nitro, Tartaro & Silicibus Solaribus (sunt Silices certi, Germ. *sehen roth invvendig*, quos putant imprægnatos occulto Auri semine) invicem mistis; *Spiritus* etiam *Carminativus*, quæ omnia Spiritu volatili Tartari maximam partem participant, optima sunt Diuretica, Urinas pellentia; idque imprimis in locis, ubi copiosiùs Vinum hauritur. Imprimis Spiritus Tartari, si eo usque volatilisetur Arte, ut fiat instar Spiritûs Salis Ammoniaci, habetur potentissimum Diureticum, in specie Calculorum Præservativum. In specie inter alia Diuretica eminet *Sal volatile Succini*, quod nobile est, & Helmontio commodè Diureticorum Apex vocatur, loco ejus tamen Oleum destillatum est egregium, imprimis in Sanguine grumoso ratione ejus Salis acris commodè adhiberi potest. Pertinent huc *Insecta*, in specie *Lumbrici*, *Scarabæi Lucanici*, *Coccionella*, *Aselli*, ac imprimis *Cantharides*. Hæc Insecta Sale volatili acri subtilissimo perquàm diu-

diuretico insigniter pollent, adeòque perquàm in Ischuriâ conveniunt: ex Lumbricis nempe terrestribus Spiritus per fermentationem seu putredinem paratus & rectè rectificatus, vel recentes Vino contriti & expressi, egregiè prosunt. *Pulvis Aselorum*, aut hi ipsi Vino infusi & expressi & potati, multùm conveniunt ad proliciendam Urinam. *Cantharides*, multis videntur suspectæ, quia non tantùm internè propinatæ, sed etiam extrà applicatæ, imò etiam in manu detentæ, ac in bursâ gestatæ, Vesicam & vias urinarias exulcerant, ut Mictio cruenta subsequatur. Vid. Langius *Tom.* 1. *Ep.* 47. Solenander *Conf. Med.* 2. *p.* 13. Smetius *Obs. Misc. p.* 44. & Schenckius *lib.* 7. *Obs. Med. p.* 873. Nihilominùs tamen non semper contingit, teste Sennerto *Tract. de Dysur. cap.* 2. *p.* 14. sed Vino ritè infusæ & maceratæ ita corriguntur, ut potentissimum Diureticum submini-strent, si Vinum filtretur, & aliquot Cochlearia propinentur, observatis observandis cautelis. Modum salutarem infundendi videbitis in Bartholino *Cent.* 5. *Hist. Anat.* 82. Usum verò eorum felicem in *Cent.* 4. *Epist.* 21. *pag.* 93. *Epist.* 53. *pag.* 343. *Epist.* 54. *pag.* 346. *Epist.* 65. *p.* 400. Willisio *Pharm. Ration. pag.* 154. quibus jungantur M. A. N. C. *Ann.* 1. *Obs.* 133. *pag.* 296. Zacutus Lusitanus *Prax. Admir. lib.* 1. *Obs.* 32. Welschius *Schol. in Obs.* 89. Rumleri. Quòd si præter spem Mictus cruentus superveniret, tunc huic convenire potest liberior Lactis haustus, Sale Tartari imprægnatus. Quidam *Magisterium ex Cantharidibus* cum Spiritu Nitri præparant, quod cum Oleo Tartari præcipitatur; sed vis diuretica potiùs pervertitur, vid. Ludovici *Pharm.* hinc potiùs laudatur *Essentia Diuretica ex Cantharidibus* per Tincturam Tartari parata, de qua vid. Willisius *Pharm. Rat. P.* 2. *p.* 158. Loco horum Spiritus Lumbricorum, vel ipsi Lumbrici v. vel vi. aut Aselli benè loti, linteo inclusi, contriti, Vino infusi, expressi & potati, promptè Urinam eliciunt, de quorum efficaciâ vid. Hildanus *Cent.* 6. *Obs.* 50.

Hisce Animalibus acrioribus addendum quoque vile illud quidem, sed optimum remedium, *Fimus* nempe *Equinus*; observavit enim Forestus, Urinam ad quatuordecim dies noctesque in Rustico suppressam, aliis irritis, Fimo Equino curatam, infundendo hujus ℥ij. in Vino Rhenano, exprimendo & exhibendo, & ecce! Urinæ largior secutus est fluxus, ratione Salis ammoniacalis, quo est imprægnatum. De *Hirco* res nota est, quòd sicut Cervus totus est alexipharmacus, ita Hircus est diureticus; unde Urina Hirci calida pota, Omento & Intestinis hircinis ad Ventrem applicatis, in desperatis Casibus admodùm laudatur. Juxta hæc, *Salia fixa urinosa acria & salsa diuretica*, aut his similia, aut cognata *Concreta fixiora terrea*, *Animalium partes duræ*, præ cæteris *Marina*, conveniunt: v. g. Lapides Cancrorum, qui egregium temperatissimum in se habent Sal Alcali, Vino aut Aceto infusi, & ita simul potati, pro Urinâ eliciendâ nobilissimi sunt; nam cum Acido fiunt egregiè Diuretici, in specie ubi Sanguinis Grumi adsunt, in quo casu cum Decocto Chærefolii, vel Rubiæ Tinctorum, vel Hyperici, ceu Vulnerariorum, exhibeantur. De Ciceribus rubris, eorumque Decocto diuretico, res est nota. Post Lapides Cancrorum sunt Testæ Ovorum, in specie eæ, ex quibus jam excluſi sunt Pulli; quæ vel crudæ, vel calcinatæ, quod melius, ut quibusdam placet, ad ℥j. assumptæ, omnia reliqua superare dicuntur à Barbette; calcinatæ sunt instar cujusdam Calcis vivæ, quæ per se, vel Vino infusæ assumptæ potenter Urinam pellunt. Potentioris tamen adhuc efficaciæ sunt Testæ Ovorum Struthiocameli, quæ vel crudæ assumptæ, vel in Spiritu Salis dissolutæ, ita Liquorem egregiè diureticum constituunt. In Operculis Cochlearum, quæ sponte suâ Vere novo erumpentes removent, singularem prædicant virtutem diureticam, & instar Arcani summi in Urinæ Suppressione & Calculo commendant nonnulli, si Pulvis ejus cum tantillo Spiritûs Salis mistus, sive per se part. ij. cum parte unâ Lapillorum Cancrorum, propinetur: Vid. M. A. N. C. *Ann.* 9. *Obs.* 79. Pertinent huc Salia fixa cineritia ex Plantis Diureticis & Nephriticis debitè calcinatis prolicita, ita nempe, ut non perfectè alcalisentur, sed potiùs salsa permaneant: Nam omnia Vulneraria & omnia Diuretica in se habent Sal Salsum, & etiam istud in Cineribus relinquunt. Verùm si nimis calcinentur, abeunt in Sal Alcali, de quibus Tachenius *in Hippocr. Chym.* unde etiam Tartarus vitriolatus potentius est diureticum, quàm ipsum Sal Tartari fixum; adeoque *Sal Fimi columbini*, *Stipitum Fabarum*, *Sal Genistæ* ritè secundùm Tachenium paratum, *Sal Prunellæ*, &c. Urinas egregiè cient. Sali Fimi columbini non cedit ipse *Fimus columbinus* nitrosus, Vino infusus, solutus, expressus & propinatus; blanda enim Vini Aciditas concurrens cum Alcali Stercoris dat tertium Salsum, aliàs vix esset diureticum. Huc faciunt Tartarea Remedia, ut Spiritus Tartari volatilis, & Sal ejus volatile, quæ in Ischuriâ ex Vini potu ortâ multa præstant: Sal Tartari, Tartarus vitriolatus, Tinctura Tartari, omniaque Tartarea. Cremor Tartari cum Sale Tartari junctus, Tartarus tartarisatus dictus, sequenti modo præparandus;

℞. *Sal. Tartari* ℥ij.

Solve in s. q. *Aquæ comm.* copiosâ:

Filtrato Liquori ebullienti blando igne inspergе succesſivè

*Crem. Tartari pulveris.* ℥iij.

Inspissentur leni igne & pulverisa: Huic affunde *Spiritûs Vini simpl.* q. s. ad extractionem vel solutionem:

Stent in loco calido, & filtra pro Tincturâ Tartari tartarisatâ.

In *Silicibus calcinatis*, & subinde in Vino extinctis, latet etiam vis diuretica non vulgaris; Nam Vinum istud extinctionis Silicum Urinam remoratam provocat.

Omnibus his annumerandus *Succus Betulæ*, seu Aqua betulina ex Arbore incisa profluens, egregium scilicet Diureticum: Vid. Helmontius *de Lithiasi*, de qua cras Deo volente, *ubi de Calculo Renum*, plura.

Tandem *Terebinthina* quacunque ratione usurpata, est egregia in Urinæ defectu, singulariter Renibus & Affectibus Urinariis dicata: Nam Terebinthina est singulare Remedium ad Urinam suppressam, ad detergendos & abstergendos Renes, eorumque corrigenda vitia; in specie Oleum destillatum Terebinthinæ, & Balsamus Sulphuris terebinthinatus, item Pilulæ de Terebinthina apprimè hîc conducunt, vel ipsa *Terebinthina Veneta* à ʒiij. ad ℥ß. cum s. q. *Vitelli Ovi* n. j. vel q. s. & *Aquæ Graminis* vel *appropriatæ* q. s. addendo nonnihil *Succi Limonum*, fiat Mixtura instar Emulsionis, quæ egregiè Urinam promovet, & Renes mundificat. Conf. Platerus *in Obs. ubi de Affect. urinariis p.* 810. 814. & 820. item Timæus *in Epist. p.* 242. Addendum est nonnunquam *Mel*, præsertim in Pure Renum, utut non omnibus æquè conveniat, cùm Mulieribus quibusdam propter Mellis societatem hysterica Pathemata excitare solet: e. g.

℞. *Te-*

℞. *Terebinth. Venet.* ʒß.
cum ſ. q. *Vitell. Ovor.* & *Aquæ Gram.* vel *Fragor.*
F. Emulſio. *Sed eſt ingrata.*
D. S.
Emulſio Urinam promovens.
Vel
℞. *Terebinth. Venet.*
*Mellis* an. ʒß. ad ʒvj.
*Vitell. Ovi* Num. j.
*Succ. Limon.* ʒj.
*Aquæ Gram.* q. ſ.
M. in conſiſtentiam Emulſionis.
D. S.

Emulſio Urinam promovens pro aliquot vicibus.

Eſt egregium Remedium: nam Succus Limonum per ſe eſt egregius, ubi Renes ſunt infarcti à craſsâ Materiâ & Humoribus, ſi ʒiij. vel iv. aſſumantur.

℞. *Terebinth. opt.* ʒvj.
*Vitell. Ovi* Num. j.
*Mell. roſac.* ʒß.
*Vini opt.* vel *Rhenan.* ʒvj. ad ʒiß.
*Aquæ Parietar.*
*Flor. Fabar.* an. ʒiß.
*Succ.* vel *Syrup. acetoſ. Citr.* vel *Dialth. Fern.* ʒj.
M. D. S.

Singularis Emulſio pro aliquot vicibus.
Doſis ʒj. ad ʒß.

Item Emulſio ex ſolâ Terebinthina cum Aquâ Fragorum, mediante Ovi Vitello.

*Semen* tandem *Violarum purpurearum*, & inde cum Aquâ Veronicæ, vel appropriatâ, parata Emulſio, euporiſton eſt optimum, & Hartmanno & Cratoni inſigniter commendatum, Urinam, imprimis vitio Renum ſuppreſſam, blandè ſimulque Alvum laxat. Vocatur *Emulſio Nephrocathartica*, e. g.

℞. *Sem. Violar. purp.* ʒiij.
*Lithoſperm.* ʒj.
Cum ſ. q. *Aqu. Petroſel.* vel *Fragor.* f. Emulſio pro aliquot doſibus: addi ſimul poteſt *Teſtar. Ovorum pulveriſatar.* vel *calcinatar.* vel *Teſtarum Ovorum Struthiocameli*, vel *alius Pulveris*, ſed *candidi*, ʒj. Edulcoretur parum:
D. S. ut ſuprà.

Conf. *Idea Form. Claſſ.* 3. §. 6. & *Coll. Form.*

Præter hanc in uſu etiam ſunt Emulſiones ex Nucleis Perſicorum & Sem. Geniſtæ, ut & ſimibus; e. g.

℞. *Sem. Violar.* ʒiij.
*Nucl. Perſic.* ʒij.
Cum ſ. q. *Aquæ Petroſel.* & *Fragor.* f. Emulſio.
D. S. ut ſuprà.
Item
℞. *Aquæ Ononid.* vel *Alkekengi*, *Petroſel.* an. ʒj. ad ʒiß.
*Malvat. juniperin.* ʒvj. ad ʒj.
*Spiritûs Lumbr. terr. per putr.* ʒij. ad ʒß.
*Tartari volat.* vel *Carminat.* ʒi.
*Olei deſtillat. Terebinth.* gutt. iij.
*Syr. Heder. terreſtr.* ʒii. ad ʒvi.
M. D. S.
Potio Urinam promovens.
Capiatur cochleatim.
Item
℞. *Tartari vitriolat.* ʒj.
*Salis Stip. Fabar.*
*Fimi columb.* an. g. xv.
*volat. Succini* gr. xij.
M. pro Pulvere:
Div. in 3. part. æqual. S.
Pulvis Urinam promovens.

*Externè* promovet Urinæ fluxum Inunctio cum Oleo Scorpionum & Unguento Dialthææ; ſicut & Petroleum hoc in Caſu externè illitum nobile eſt: quibus addendum eſt Oleum deſtillatum Terebinthinæ, Cumini, & Camphoræ:

Vel
℞. *Unguent. Dialth.* ʒiij.
*Olei Scorpion.* ʒij.
*deſtillat. Terebinth.* ʒj.
M. f. Linimentum: S.
Linimentum Urinam promovens.
Vel
℞. *Petrol. alb.* ʒiij.
*Olei Scorpion.* ʒij.
*deſtillat. Bacc. Junip.* vel *Terebinth.* ʒj.
Miſc. pro Litu blando.
D. S. ut antè.

## MEMBRUM II.

### *De Calculo Renum.*

CAuſas inter, quæ Meatus renales obſtruendo Urinæ Secretionem impediunt, crebrior eſt *Calculus Renum*, qui præterea etiam Urinæ Excretionem per Veſicam non rarò tollit. In Renibus quidem quando hæret, Secretionem & Diſtributionem; quando verò in Veſicâ ſubſiſtit, aut ejus Collum & Meatum obſtruit, urinæ Excretionem impedit. Calculus ſeu Lapis ille frequenter Renes & Veſicam affligens, Iſchuriam interdum infert, unde pergimus ad Generationem & Curam Calculi, tam Renum, quàm Veſicæ. Equidem *Calculus in ſe non eſt Morbus*, ſed ſaltim *Productum morboſum*, effectus ſcilicet illius renalis Affectûs, qui aliàs propriè *Lithiaſis* dicitur, & ſignificat *Diſpoſitionem* talem *Renum & Veſicæ calculoſam*, à qua facilè Urina mutatur, & ſucceſſivè generatur Calculus. Productum verò hoc morboſum Calculus ipſe, à Paracelſo propriè *Duelech*, nomine Lapidi humano proprio (Calculi nomen tantùm eſt metaphoricum) vocatur, quaſi diceret Concrementum quoddam ex duobus Contrariis mutuò coagulatis & arctè junctis. Quod attinet Calculum Renum & Veſicæ ſub uno conceptu conſiderantur, quia ſe mutuò ſubſequuntur ſæpiùs. Notum autem aliàs eſt, obſervatos eſſe Calculos ubique in univerſo Corpore, tam partibus Solidis, ut Renibus, Linguâ & Cerebro, quàm Liquidis, ut in Folliculi Fellis Liquore, & in Maſsâ Sanguineâ (ubi obſervatum quòd in Venæſectione Calculus cum Sanguine proſilierit) genitos; frequentiſſimus tamen & ordinarius eorundem nidus ſunt Renes, Veſica urinaria, & hinc Veſicula fellea, nempe propter Sal alcali copioſius ibidem hærens: & ſi in aliis partibus obſervati fuerunt, rariùs tamen hoc factum fuit. Iſti verò *Calculi*, quando Veſicæ incumbunt, utplurimùm ex Renibus, utpote in quibus Acidum manifeſtum cum Alcali volatili & terreâ Urinæ ſubſtantiâ coagulantur, (vid. Tachenius *Hipp. Chym. c.* 14.) vel Calculi minuti formâ, vel Arenarum majuſcularum facie, ſucceſſivè in Veſicam illapſi ſunt, utut ibidem retenti ſucceſſivè augmententur; adeò ut credam, rariſſimum eſſe Veſicæ Calculum, qui in eâdē prima rudimenta concretionis ponat; utut omnes majores Calculi, qui amplitudinem Ureterum, tam naturalem, quàm morbosè auctam, ſuperant, omne ſuum incrementum in Veſicâ acquiſiverint. *Dico morbosè auctam*: Obſervatum enim, quòd quò ſæpiùs Calculi per

eos

eos transierint, eò magis soleant distendi : In iis enim, qui sæpiùs Calculo laborant, ex crebriori Calculorum majorum transitu Ureteres interdum ad Digiti amplitudinem distenti reperiuntur; unde quò sæpius Calculo afficiuntur Ægri, eò mitiùs solent habere, ratione dilationis Ureterum. Quando igitur in Vesicâ hærent Calculi majores his Ureteribus, infallibile est, acquisivisse illos augmentum in Vesicâ.

## C A U S A.

Hi Lapides sunt Concretum tertium salsum, ex Sale volatili Urinæ cum Acido stomachali oberrante coagulatum. Quod attinet *Modum generandi*, seu *Causam Efficientem Calculi Renalis* : *materialiter* & *formaliter* ex Urinâ oritur. Non confundendus est Modus, quo generantur Lapides veri in Macrocosmo cum hujusmodi Concretione arenosâ Calculi in Microcosmo; dispar enim ubicunque est ratio. Nam quod plures de *Succo petroso*, *Spiritu lapidifico* aut *Gorgonio* proferunt, qui vel sponte in Petras abeunt, vel alias res in Petras transmutant, saltem nuda sunt nomina, nil explicantia; quin potiùs Causa Efficiens, quæ cum Materiali coincidit, fieri videtur per modum *Coagulationis duorum Salium* contrariorum & præternaturalium, *Acidi* præternaturalis & *Alcali* volatilis urinosi. Nempe Calculos generari puto, dum *Acidum* manifestum, adeoque vitiosum, in specie digestionis primæ errore ex Stomacho dilapsum, occurrit sibi contrario *Alcali volatili* seu urinoso puriori in Renibus vel reliquis partibus, cum quo promptissimè & necessitate Naturæ concurrendo coagulantur invicem in Concrementum arenosum. Hoc ipso in concursu si simul *levem terrestrem Substantiam*, in omni Urinâ reperibilem, & quicquid coagulationi aptum, simul apprehenderint, id cum Urina Potûs ad vias urinarias delatum cum his duobus unà Coagulum suscipit, & ita Arenulas, ut majores & diversas ita & firmiores constituit, & in siliceum Concretum abeunt. Hinc adeò duræ evadunt exinde Arenulæ calculosæ, quarum firmitudinem seu duritiem mirandam in poliendo & corrodendo Vitro exploratam videre possumus in Panarollo *Pent.* 4. *Obs.* 25. qui pariter *Pent.* 1. *Obs.* 35. Arenularum, tam albarum quàm rubrarum, diversitatem cum Microscopio examinavit in *Pent.* 1. *Obs.* 33. Nempe *Triplex Calculorum est Diversitas*, ut plurimùm nunc *Alborum*, nunc *Rubrorum*, nunc *Ruforum* seu Flavorum, qui frequentissimi : *Flavedo* est simpliciter Urinæ solius progenies, ex Sale nempe Urinæ coagulato : Calculus *Albus* fit, quando sub coagulatione duorum horum Salium simul concurrit Mucilago quædam viscida, ex vitio Nutritionis renalis oriunda, aut ex attritis Membranulis Renis transudans; quæ unà cum Salibus istis concreta Calculos Albos constituit : *Rubescentes* econtrà & obscuri Calculi fiunt dum minutissimæ Sanguinis guttæ ex uno vel altero Vasculo, aut eroso aut lacerato, transudantes, simul coagulantur, & concrescunt : hinc Calculi Candidi sunt longè duriores, quàm Rubri & Rufi. Plura de Generatione Calculorum *vid. in M. A. N. C. Ann.* 4. & 5. *Obs.* 167. *pag.* 220.

Hæc duo Elementa salina Calculos componentia confirmantur *ex examine Calculorum Chymico* : Hi enim quando destillantur, Oleum fœtidum & empyreumaticum, Spiritum urinosum, instar Urinæ, & Sal volatile in notabili quantitate præbent, remanente Capite mortuo instar Calcis vivæ : vid. Tachenius *l. a.* & Helmontius *Tract. Tartarus non in potu* §. 7. An verò Alcali hoc urinosum, frustulis Calculi à destillatione relictis & friabilibus planè denuò affusum, eadem solidissima iterum reddat, prout Tachenius perhibet : ejus Asserti fides sit penes Autorem. Ex hoc interim patet adesse

1. *Sal volatile* oleosum urinosum.
2. Simul subesse *Acidum* propter effervescentiam in fusione Salis alcali.

Ex hoc habemus *binos Coagulatores*, duo Salia, Acidum & Alcali, quæ duo invicem coëundo se uniunt, & quidquid simultaneæ Coagulationi aptum, arripiunt & coagulant in consortium Lapidis. Idem Calculus per Calcinationem quoque alcalisatur; si cum duplâ portione Carbonum mixtus igne Reverberii per quinque aut sex horas calcinetur, postmodùm cum Aquâ calidâ solvatur, filtretur, & crystallisetur. (2.) Confirmat id *Odor* & *Sapor* Calculorum; omnes enim Calculi, etiam per aliquot annos asservati, Urinam spirant; sicuti triti aut affricti, item pulverisati. Nec (3.) aliud volunt, v. g. Helmontius *Tract. de Lithiasi*, qui aliam producunt Mechanico-chymicam rationem generandi, si nempe Coagulum fieri volunt *à Spiritu quodam vinoso*, concurrente *cum Spiritu Urinæ*; non secus ac Spiritus Vini rectificatissimus subitò coagulatur in consistentiam opacam seu Offam albam, cum permisto Spiritu Urinæ volatili per fermentationem parato, aut, loco hujus, Spiritu Salis Ammoniaci cum Sale Tartari parato. Id quod fieri putant ratione subtilis Acidi in Spiritu Vini adhuc reperibilis, Alcali volatile in Spiritum Urinæ arripientis; utut integrum Experimentum adhuc claudicet, cùm non propriè dicta Coagulatio, sed saltim apparens, & Pinguedinis ex Spiritu Vini Præcipitatio fit : Nihil crystalliforme apparet in Offâ hac Helmontii, est ergò Præcipitatio Pinguedinis ex Spiritu Vini; Spiritus Salis Ammoniaci enim Phlegma Spiritûs Vini statim assumit, unde ratio patet, quare idem Spiritûs urinosus à Calce vivâ abstractus non amplius cum Spiritu Vini ita concrescere soleat.

Ut ista duo *Elementa Calculi*, Acidum & Urinosum, melius cognoscantur, *quoad Acidum* observandum est, quòd ordinariò ferè *Arthritici* confirmati *sint etiam Calculosi seu Nephritici*, & contrà; aut Calculosi etiam utplurimùm sint, aut evadant etiam Arthritici : quatenus hi duo Morbi dependent ab Acido præternaturali in Stomacho genito, quod pro varietate Partium quas affligit, varias dat turbas, & quod Articulis Dolorem infert, in Renibus coagulat Calculum. Porrò utrumque Malum Commune & Endemium videtur in Locis, in quibus *Vina* bibuntur copiosiora & acidiora pro Potu ordinario, ut fit in Regionibus ad Danubium sitis, e. g. *Franconiâ*, *Moraviâ*, *Austriâ*, & similibus locis. Nempe idem videtur esse *efficiens Acidum*, quod Artuum nervosas partes pungens & rodens, *Synoviam* in iisdem coagulat in *Nodos*, quod in Renibus similibusque in locis Alcali urinario occurrens, istud in *Calculum* cogit. Adeòque in talibus *Acidum* copiosius sub *Salso* Urinæ sapore occultatum oritur ex primis viis, v. g. ex Vino copiosiùs ingurgitato, indeque citra Vomitum retento, hinc vitiosè digesto : quod Acidum vitiosum ex Stomacho dilapsum, uti suo isto acore universo Corpori est hostile, & ubique Dolores ac Punctiones infert; ita copiosiorem salinis Urinæ Contentis materiam suggerens, seu illuc pertingens, sub formâ Spiritûs seu Acidi paulò fixioris sub Urinâ Potûs, & in eâdem reperiens Alcali quoddam volatile,

volatile, ab Acido debito non ritè ſaturatum, ſubitò hoc aggreditur, & in Calculum cum eo coit. Experimentum etiam habemus elegans, *Vinum in Tophos & Calculum coagulari*: recipiatur nempe Nitrum per Carbones perfectè fixatum, miſceatur cum parte Silicum, fundantur igne forti, coëunt in Vitrum; hoc effuſum in Laminam aurichalceam, citò pulveriſetur: hinc affundatur Spiritus Vini, & brevi poſt tingetur Colore rubro hyacinthino; effundatur, & novus Spiritus affundatur, tandem menſtruo ſpatio ſit Oleum rubicundiſſimum, cujus aliquot guttæ in Vitrum Vini inſtillatæ mox coagulant Vinum in ſubſtantiam gypſeam, ſimilem Calculo ſeu Topho in Articulis Podagricorum. *Ratio eſt*, quia Alcali Nitri urinoſum cum Spiritu Vini exaltatum arripit Acidum Vini, quod coagulat in Calculum ſeu ſubſtantiam tophaceam. *Propter hoc Acidum* vitioſum *Vini* tales Incolæ etiam affecti ſunt *Pareſi*, præcipuè ex Colicâ, ſeu Artuum poſt Colicam contracturâ, Affectu apud nos raro, ac reverà Colicarum Convulſivarum graviſſimâ ſpecie, ab Acido in Inteſtinis torminoſo, in Artubus verò ſtupefactivo. Facit huc imprimis *exenteratio Calculoſi* cujuſdam, cujus omnia Contenta liquida Acidum intensè ſpirabant: Conf. M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obſerv.* 243. *p.* 344. Hinc eſt, quòd Thonerus *in Obſ.* dicat Melancholicos eſſe diſpoſitos ad Calculum, minùs Bilioſos; quia in Melancholicis abundat Fermentum ſeu Succus calculoſus. Ratio, quæ confirmat, hæc eſt, quòd in Bilioſis prædominetur Sal volatile Alcali, in Melancholicis verò primas obtineat Acidum. Facilè ergò videmus, Thonerum eſſe in noſtrâ Sententiâ.

*Efficientis* igitur locum *Acidum* obtinet, nunc ipſius Urinæ, nunc verò *ex primis viis* elapſum copioſiùs, inde Urinam magis imprægnans & ſalſiorem reddens, & ita copioſiorem aut firmiorem Calculorum geneſin promovens. Unde etiam *Vomitoria* ſubinde à Calculo præſervant, Contenta primarum viarum eliminando: id quod etiam faciunt vel *Terrea lapidea* fixa, *aut Calcinata*, quatenus Acidum abſorbent, vel per Alcalia, tam fixa quàm volatilia, Acidum in Salſum mutantia, & per Urinam evacuantia.

Præter hoc Acidum, *Alcali præſentia in Calculi geneſi* illuſtrat, quod frequentiſſimè Calculi, imò in totâ Oeconomiâ animali humanâ frequentiores non, quàm in Renibus, & hinc in Veſicâ felleâ, reperiantur; quia in his locis manifeſtius reperitur Alcali volatile urinoſum, quod promptè poteſt corripi ab Acido vitioſo, cùm naturaliter conſtituta Urina ſit ſalſa, & conſequenter Alcali jam ab Acido ſit ſaturatum, & vix ex eodem, quà tali generari poterunt Calculi; Nam cùm *Salſus Sapor ex Acido & Alcali volatilibus*, debitâ proportione & coagulatione unitis, originem ducat, tam cum Acido quàm cum Alcali permiſcibilis eſt, ſine ulteriore immutatione; Unde in cætera ſanis, utut Urinæ inſtillentur Acida, aut licèt Urinæ in Corpore permiſceatur Acidum, v. g. in Stranguriâ, quæ oritur ab Acido inſenſibili ex primis viis præternaturaliter Urinæ permiſto, tunc tamen non generantur Calculi, quoniam Acidum per ſe ſolum non ſufficit, & Sal Urinæ tunc temporis naturaliter conſtitutum eſt, h. e. Sal volatile Urinæ ſalſum, ſeu à compari ſuo Acido debitè ſaturatum exiſtit, unde non poteſt coagulari ab eodem, vel alio quovis vitioſo Acido, ac pallida quidem ac turbida non nihil, non verò in Arenulas ſpiſſata excernitur Urina. Aliud quid ergò ſubeſt: nempe ut coaguletur Alcali Urinæ ab Acido ex primis viis delapſo in Lapidem, neceſſe eſt, ut Sapor Urinæ ſalſus dividatur, i. e. ut iſtud Alcali volatile Urinæ per ſe exiſtere incipiat, & purius ac manifeſtius fiat; Dum enim ita Urina facilè ſuſcipit putredinale Fermentum, ab Acido proprio nonnihil ſeparatum, nec debitè ſaturatum exiſtat, ut ita promptiùs ab Acido plùs minùs naturali aut vitioſo corripi, & ita in Calculum conſtringi poſſit. Fit hoc, quando Urina in Renibus *Alterationem* præternaturalem; uno nomine, aliqualem *Putredinis* præternaturalis notam, incurrit; qua levi Putredine diſſolvitur non nihil ejus Miſtura, & ita Sapor ejus ſalſus dividitur iſtâ Alteratione, ut abundans Sal Alcali, & proprio prædominans Acido, ab eo nonnihil ſeparetur, & utraque Salia hæc activa manifeſtiora fiant, donec novo & planè heterogeneo Coagulationis modo ſocietur, aut præternaturali Acido vitioſo, Alcali denuò ſub Coagulationis jugum mittatur, & demum in Calculum coëat: v. g. videmus, quòd Urina ſanorum Hominum clara & perſpicua excreta, ſi ad tempus in Matulâ, præſertim ſtanneâ, aut Vaſe vitreo ſteterit, imprimis tempore æſtivo, aut in loco calidiore, ut corrumpi & leviter putreſcere inchoët, cujus indicium Fœtor exiſtit; quòd tunc *Arenulæ*, & ſucceſſivè *calculoſa Cruſta*, parietibus ſeſe affigant, quod fit per Putredinem, ſeparatis ſalibus, proprium Urinæ Acidum, debile licèt & paucum, Sal tamen volatile proprium aliquali Putredine ſeparatum ac reſolutum, denuò novo Coagulo ſpiſſat, & ita in novum Concretum, Arenulas, cogit, quæ inſtar Tartari lateribus Matulæ adhærent; nempe nunquam Urina, niſi cum *Alcali fixo præcipitata* aut putrefacta, ſuum *Sal volatile* promit, ubi ſimul etiam *terreſtrem* & quaſi *fabuloſam* ſaburram putreſcendo de ſe reddit. Hæc Mechanica ſubminiſtrat viam indagandi, quomodò Alteratio hæc Urinæ putredinalis in Renibus, ſeu *Lithiaſis* aut diſpoſitio ad Calculum, fiat? nempe adeſt in Renibus Fermentum putredinoſum, præternaturale, quo diſponitur Urina in Renibus ad aliquam ſui Putredinem, & conſequenter propriæ texturæ diſſolutionem, unde Sal volatile quodammodò liberius factum, ab Acido præternaturali Digeſtionis primæ cum Particulis his terreſtribus (ſub Putreſcentiâ potiùs genitis, quàm formaliter præexiſtentibus) ſimul facilè coagulatur in Arenulas & Calculos.

Illuſtratur & confirmatur hoc negotium imprimis *Hiſtoriâ* Helmontii *Tract. de Lithiaſi* de Juriſperito, qui ex eſu Aſparagi copioſioris contraxit Nephritidem. *Aſparagus* enim eo ipſo, quo intensè fœtidam reddit Urinam, qui Fœtor nota eſt certa inchoatæ in Urinâ Putredinis, eo ipſo eam ad aliqualem *Putredinem*, & ita Salium diviſionem diſponit, unde vitiato Sale Alcali oleoſo, ſeparatoque ab occurrente vitioſo Acido, facilè fiunt Calculi, ſicut econtrà *Macis*, *Juniperus & Terebinthina*, dum balſamicâ vi Renibus amiciſſimâ Urinam à Corruptione præſervant, & ſuaveolentem reddunt, etiam Lithiaſeos ſuo modo ſunt Remedia.

*Alteratio* verò hæc Urinæ *Putredinalis* fit in *Renibus* ab horum *Fermento alterato*, plùſque minùs enervato ſeu inerti reddito; quod ſicuti in ſtatu naturali conſtitutum promovet Urinæ Secretionem & eam certo modo alterat; ita, ſi Fermentum hoc in Renibus fuerit præternaturaliter alteratum & corruptum, ut deficiat in debitâ Alteratione Urinæ, & ſic degeneret & diſponatur per Renes colata Urina ad præternaturalem ſui Putredinem

in

in Renibus, fit, ut Corruptione ejus Sal volatile oleosum separetur, & cum Acido præternaturali concurrendo tales Affectus Calculosi oriantur. *Lithiasis* ergò seu dispositio Renum ad Calculos *consistit in Fermento Renum corrupto*: ipsum verò ejus Productum seu *Calculus fit ex Sale volatili Urinæ, coagulato ab Acido Urinæ, mediante Alteratione Urinæ putredinali*: unde quia difficulter corrigibile est hoc vitium difficilis etiam est Lithiaseos eradicatio. Cæterum Fermentum hocce Renum vitiosum in quo *Fundamentum Lithiaseos* consistit, est primitùs acquisitum, nunc *vitio Diætæ*, ut ab Asparago, aut similibus Simplicibus Diureticis, quæ omnia Urinam reddunt fœtidam; unde Fermentum Renum labefactatur, atque, ut probabile videtur, occasione vitiosi Acidi fermentativi ex primis viis, adeoque vitio Fermenti Ventriculi sub Urinâ Potûs, aut quocunque alio modo, ad Renes transmissi, enervatur; nunc *communicata Lithiasis*, seu transplantata, idque vel à Parentibus ad Liberos, vel etiam cum *Lacte* Nutricis, quale Exemplum *Lithiaseos ex Nutrice* contractæ habet Helmontius *Tract. Infantis Nutritio ad Vitam longam*; Sicut aliàs in vulgus notum est, *Hæreditarium Malum esse Lithiasim*.

Ex his patet *Dispositionem quandam certam inesse Renibus ad generandum Calculum*, falsumque esse Dogma, quasi hi ex his vel aliis alteratis præcisè generarentur; sub quacunque enim Diætâ in prædispositis oriuntur Calculi, in non dispositis verò nulli, licèt eodem nutriantur Victu. Ponamus enim septem Individua, unum idemque Alimentum & Potum assumentia, ubi Sanus ex Alimento non generabit Calculum; cujus autem Renes in Fermento debili corrupti sunt, ex omni alimento in Lithiasin incidet. Interim tamen *in dispositis est ratione Alimentorum quædam Differentia*; prout scilicet

1. Eadem *plùs minùs in primis viis acescunt*, plùs vel minùs disponunt ad Calculi generationem.
1. Prout *magis vel minùs eadem glutinosa sunt*, eatenus quoque in dispositis plùs minùs duri generantur iidem.

Hinc *post Lacticinia* & *Caseosa*, similiaque Assumpta, sæpiùs renascuntur Calculi, non quòd Materiam, quæ facilè in Calculos abit, in se contineant; sed quoniam hæc partim Acido vitioso in primis viis facilè corrumpuntur, partim Alcali terreo promptè in Calculum coagulabili sunt imprægnata, & postmodùm cum Urinâ Potûs ad Renes delata promptissimè cum reliquis Salibus coagulantur: vid. Salmuth *Cent.* 2. *Obs.* 97. qui Exemplum habet, ex abusu Casei, Calculi Vesicæ lethalis ad magnitudinem Ovi gallinacei concreti. Vina ratione Salis acidi fixi magis prædisponunt ad Calculum, quatenus magis Acidum coagulabile continent.

Hoc modo *producuntur ex iis Causis occasionalibus* ut plurimùm nunc *parvulæ tantùm Arenulæ & Granula in Renibus*, in specie in Pelvi; rariùs massulas majusculas compingi arbitror: Salia enim dum coëunt, minutissima Granula constituunt, quæ facilè sunt solubilia, quæ læsione Membranarum & Pelvis, & transudatione Succi nutritii aut Sanguinis, accessione novarum invicem conglutinatæ, tandem *in majores Lapillos*, nunc verò mox in majora & durissima saxea Monstra & Tophos concrescunt: adeò ut in confirmato etiam Malo totum Renum Parenchyma his ipsis in Lapidem mutatum observatum fuerit, quin & non rarò tota Pelvis, omnesque hinc producti Tubuli, lapideo tali Concremento sparsim infarcti & repleti reperiuntur. Notatu dignum talis rei Exemplum subministrat idem Salmuth *Cent.* 3. *Obs.* 30. de Calculo totam Renum amborum cavitatem replente, & Urinâ per orbitam quandam in lateribus Calculi excavatam prodeunte. (Q). Arenulæ autem istæ seu Calculi minores geniti velociter augmentum capiunt per Ureteres in Vesicam urinariam delapsi; vix enim continetur Calculus primariò in Vesicâ; læsâ autem plùs minùs Pelvi, aut Ureterum Tunicâ nerveâ; item ipsâ etiam Vesicâ attritu Calculi nonnihil vitiatâ plorant hæ partes læsæ Nutrimentum suum proprium chylosum sub formâ *Mucilaginis* crassæ ac spissæ, quæ ipsa Mucilago postmodùm unà cum Urina Calculosorum excreta, interdum admodùm copiosa, habetur vulgò pro Pituitâ, ex qua per calorem arefactâ Calculi generantur. Ast falsò, cùm, uti dixi, reverà sit Alimentum Vesicæ proprium & Ureterum, ex eorum læsione in Vesicæ cavum destillans, & ita excretum; quod præter Helmontium jam olim demonstravit Joubertus *in Praxi*, ubi dicit, istum Mucum esse Partium Nutrimentum, quod ipsum læsæ dimittant. Jam verò hæc ipsa Mucilago, uti aliquantum ejus subinde adhæret Calculo, ita sæpè circa Calculos parvos in Vesicâ coacervatur, unde postmodùm successivè supervenientibus Salibus coagulabilibus, simul in Coaguli consortium rapitur, & exinde Calculi primùm minimi oritur augmentum insigne. Nam isti Vesicæ Calculi majores lamellatim concreti reperiuntur, seu in quibus instar Ceparum Corticis, vel Lapidis Bezoar, vel Lapidis ex Folliculo Bovis felleo, sibi mutuò incumbunt, qui ipsi Cortices nil aliud sunt, quàm talis Mucus pedetentim coagulatus à Salibus istis, Mucum in Coaguli consortium præcipitantibus. In centro parvus ordinariò Lapillus, vel invicem coagmentatæ Arenulæ, ex Renibus per Ureteres eò delapsæ reperiuntur, quæ per Succum nutritium, & alia ad Calculi seu Tophi apta accidentia successivè augentur & coagulantur; quod eleganter declarat Boyle *in Philos. Experiment. Part.* 2. *p.* 29. Simile reperietis in Borello *Cent.* 2. *Obs.* 62. qui etiam observavit Calculum Vesicæ, in quo distracto Nucleus lapideus inventus est, qui, Arenulæ instar ex Renibus descendens, in Vesicâ exinde augmenta lamellatim acquisivit.

(Q) Nota Cyrilli. *Monstrosorum sanè Lapidum, in Renibus* Ven. Servi Dei Innocentii XI. Pont. Max. *repertorum, Historiam à* Cl. Lancisio *communicatam, illorumque Iconem, videre est in* Lithotomiâ Th. Alghisii, *atque apud* Mercati Metallothecam *in notis Cl. Viri & amici suavissimi* Petri Asalti *ad* Armar. 8. Cap. 2. *Lapis in dextro Rene contentus sex unicas, qui in sinistro novem pependit: per utriusque superficiem Canaliculi quidam excavati erant, per quos Urina è Renum substantiâ (seù potiùs è Renum cortice glanduloso, in quem substantia Renum omninò facesserat) in exiguam & anfractuosam Pelvis cavitatem depluebat. Hinc jure infert* Cl. Lancisius *ad Urinæ secretionem, glanduloſum tantummodò Renum corticem esse necessarium: in hoc enim Cadavere Renum substantia prorsus absumta erat, Urina tamen secernebatur. Quod quidem cum* Malpighii *sententiâ exactè consonat, qui eandem confirmat simili Observatione in Rene sinistro* Excell. Ducis d'Etrée *factâ*.

## DIAGNOSIS.

Quod attinet *Signa Calculi Renum*, aut etiam *Vesicæ*: Calculi Renalis aut Vesicæ Signa saltim sunt à posteriori, nempe Symptomata, quæ ejus occasione superveniunt; in se enim non est Morbus, licèt morbosa Symptomata inferat. Propterea Autores Practici *duo etiam distinguunt Tempora* in Calculo, nempe *in Paroxysmo, & extra Paroxysmū.*

Adeoque *Symptomata* sunt pauca vel nulla, dum Calculus seu Arenulæ sunt quietæ in Pelvi vel Ureteribus, nisi quòd Dolor aliquis gravativus, si Calculus major subsit, afficiat; siquidem Calculi etiam insigniores subinde in Renibus latent, absque ullo præternaturali Symptomate; Confer. M. A. N. C. *Ann.* 4. *Observ.* 29. *pag.* 31. & 23. *Observ. pag.* 33. Adeoque tunc tolerabile est tempus extra Paroxysmum. Gravia verò & varia tunc sunt Symptomata, dum Calculus & Arenulæ moventur, & ex Renibus ad Pelvim & Ureteres, & hinc ad Vesicam truduntur, & tunc tempus est Paroxysmi.

*Symptomata* omnia oriuntur *ex attritu doloroso Calculi* ad Membranas Pelvis & Ureteris, unde hæ *Spasmo* correptæ & alias Partes *per Consensum* simili Spasmo affici faciunt: propter quem Consensum ratione Nervorum renalium ex Plexibus Mesentericis derivatorum, & Vomitus & colica Tormina supervenire solent; sicuti in Mulieribus hysterici excitantur Paroxysmi. Adeoque plurima illa & sæpè mira Symptomata, quæ Calculi aliosque Dolores Nephriticos insequuntur, partim ex Spasmis variarum Partium, partim ex retentâ plùs minùs, & per Metastasin aliorsum translatâ Urinâ, oriuntur.

Omnia autem hæc *Symptomata*, quæ saltem ex dolorosâ impressione dictarum Partium originem ducunt, *non sunt propria Calculo*, sed etiam aliis Doloribus Nephriticis ab aliâ Causâ & non præcisè à Calculo natis, v. g. *Doloribus Nephriticis Scorbuticorum*, per acriora Salia istas Partes arrodentia natis, communia, ut & eandem originem habere solent: vid. & Riverius *Praxi lib.* 14. *cap.* 1. & Drawizius *de Scorbuto cap.* 9. Quin imò post multiplicia per consensum Pathemata tam facilè *Symptomata Nephritica*, *Colica*, *Hysterica*, &c. *confundi solent*, adeò ut non pauca prostent Exempla Calculosorum pro Colicis perverso modo curatorum, ut inde cauti & accurati simus in Signis.

*Symptomata* ergò, quæ *in Paroxysmo* affligunt, sunt varia, ut etiam satis exercitatus Medicus fallatur. Imprimis quando Calculus incipit moveri, oritur Dolor acutus, modò intensior, modò remissior, in regione Lumbari, minùs tamen pungens; isque modò sinistrorsum, modò dextrorsum vergens, prout Ren dexter vel sinister est affectus, ac proin rarò Dolor punctorius sentitur: simul & Sensus & Dolor gravativus, plùs minùs obtusus, seu Sensus Ponderis gravantis & prementis in dictis locis adesse solet, adeò tamen molestus & cum tantis anxietatibus junctus, ut nec interdiu, nec noctu quiescere queant, dicantque Ægri, *esse ipsis, ac si centum pondo Plumbi essent in tergo*; quo ipso explicant Dolorem istum. Ubi verò movetur Calculus ex Renum Pelvi ampliori in Ureteres angustos, tunc Dolor lancinans, lacerans, & molestissimè tensivus, & pungens magis, excitatur, neque cessat, donec Calculus ex Uretere denuò ad Vesicæ cavum descenderit, aut ad Renis cavum remearit. Simul notabile est quod refert Bartholinus *Cent.* 4. *Epist.* 6. *p.* 27. quòd in Lithiasi interdum adsit Hemicrania, istius in specie lateris, cujus Ren Calculo est affectus.

*Urina* subinde variat, cùm sub Paroxysmo ingruente, Urinæ paucæ, acres tamen seu admodùm stimulantes, & aquosæ minguntur. Subinde perfecta ejus *Suppressio* sequitur, si sc. uterque Ren simul afficiatur. Interdum, imò sæpiùs, Urina apparet intensè rubra, crassa, ferè subcruenta & quasi Sanguine esset diluta, & quidem interdum revera est ex permisto pauco Cruore & Vulnere partium, seu laceratis Vasculis, à Calculi asperitate emanante, &c. Interdum tamen talis Urina subrubra & quasi sanguinea, perspicua tamen est, absque Sanguinis consortio; quin talis Urina interdum subrubra, crassa sæpè fit à copiosis Salibus resolutis, & cum Urinâ unà excretis, leni, ut alii vocant, Tartaro resoluto (ex quorum coagulatione colliguntur Arenulæ) quod frequenter fit in Scorbuto ac Malo Hypochondriaco. Non igitur terreatur Medicus, quòd sit sanguinea, monente Horstio *in Obs.* Subinde imprimis, ubi Calculus est in motu, aut etiam in Calculo Vesicæ, Urina excernitur pallida, aut saltim parùm tincta, cum copiosâ Materiâ crassâ, viscidâ & glutinosâ, in fundo Matulæ hærente, & mediam Urinæ partem subinde replente, quæ Materia est nil aliud, quàm Nutrimentum proprium Partium membranosarum, Pelvis, Ureterum & Vesicæ, à Calculo læsarum plùs minùs, & sic cum Urina extravasatum: de quo vid. imprimis Willisius *de Urinis Cap.* 5. *pag.* 364. & 365.

Interdum *Arenulæ* quoque in Calculosis cum Urinâ excernuntur, quæ fundum Matulæ petunt. Verùm subinde excernuntur etiam Arenulæ similes in non Calculosis, quæ frequentissimè sunt Coloris rufi & sunt friabiles; non sunt Arenulæ Renales, sed sunt Arenulæ Hypochondriorum, seu *Salia coagulata scorbutica*: si verò non sunt friabiles, sed duræ, & subinde grandiores, & quæ fundum saltem occupant Matulæ, sunt Arenulæ Renales, & ad Calculum disponentes.

Ulteriùs in Paroxysmo Calculosi *non possunt se erigere*, nec Corpus incurvare; sub talibus Symptomatibus *Stupor Cruris*, ex istius sc. regione affecti Renis, frequenter est perceptibilis, ita ut si Ren dexter foveat Calculum, dextrum quoque Crus stupeat, & contrà. Hoc tamen non fit semper, sed in primo saltem Calculi Paroxysmo: qui enim frequentiùs Calculo laborant, minùs solent Crurum Pathematis affligi. Percipitur etiam *Dolor tensivus*, & quasi contractivus, ex regione Lumborum per longitudinem Ossis Sacri deorsum usque, juxta Os Ilium, secundùm Ureterum ductum deorsum in regionem Pubis & Vesicæ terminans; unde etiam in Viris similiter *Testiculus* istius lateris, cujus Ren est affectus, Spasmo quodam correptus *retrahitur* sursum ad Os Pubis molestè & dolorosè, quod ipsum observetur pro dilucidando Spasmo.

Interdum quoque *Tenesmus* simul corripit Ægros Calculo Renum laborantes; idque observavi in Fœminâ, ac notat quoque Timæus *von Guldenklee in Epist. pag.* 242.

Præterea superveniunt simul sub Calculo Renum *Anxietates Præcordiorum*, Nausea, Appetitus dejectus, non rarò difficilis Respiratio, quasi cingulo constringerentur Costæ inferiores, ita ut quidam Asthmate videantur laborare, cùm tamen Affectus Nephriticus hoc Symptoma inducat; idque in consensum Renum & Diaphragmatis non immeritò videtur rejicere Sanctorius *in Comment. in Art. parv. Galeni P.* 2. *Digress.* 85. *p.* 994. Item *Vomitus* enormes subinde insequuntur

motum

motum Calculi Renalis. Imò *Convulsiones* Digitorum, Brachiorum, Pavores dormientium &c. subinde Calculo Renum supervenire observantur; *Dolorem* quoque *titillantem* sentiunt *in extremitate Glandis Penis*: vid. *Act. Med. Haffn. Vol. 4. p. 103.*

Frequentissima omnium Symptomatum sunt *Tormina colica* acerbissima, cum *Nauseâ* & *Vomitu*, ac similibus cognatis Symptomatibus juncta, quæ sunt nil aliud, quàm Tormina convulsiva, propter Nervos in Plexu Mesenterico Spasmo correptos, ad dictas partes, nempe Renes, Intestina & Stomachum derivatos. A *Nervulis* enim *Renalibus*, qui in Renibus Dolorum sunt organa, ex Dolore Spasmo correptis, continuatur idem Spasmus ad Plexus Mesenterii usque, qui simili Spasmo affecti; Plexus enim Mesenterii Surculos derivant ad Stomachum & Intestina, unde per consensum afficiuntur propter Spasmum. Adeoque Calculus Renum in Viris Colicam Convulsivam, in Mulieribus Pathemata Hysterica dicta, inferre solet, ut etiam hæc Nephritica Colica exercitatissimos fallat Medicos. Imò in Gravidis calculosis interdum *Dolores Partûs* mentiri solet: vid. Hœferus: semper tanta patiuntur Tormina, ut non recusent decies Dolores Partûs sustinere. Pulsus est durus propter Spasmum, aut convulsivam contractionem Fibrarum Arteriarum.

Interim hæc Symptomata non reperiuntur promiscuè in omnibus Calculosis, sed modò hæc in hoc, alia in aliis, ac interdum urgent talia *Symptomata per consensum*, nempe Vomitus, Dolores colici, Passiones hystericæ, &c. antequàm percipiant Ægri ullum Dolorem circa Renes. Interdum Colicam patiuntur, antequàm Calculus in Renibus sentiatur: vid. Sennertus *de Calculo Renum*. In specie Stupor Crurum innuit Calculum.

Cæterùm origo tam variorum Symptomatum est saltem ex consensu, ratione connexionis Renum cum aliis partibus per Nervos & Plexus. Notum enim est ex Anatomiâ Nervorum, Nervos Renum oriri ex Plexu Mesenterii, qui oriuntur ex Nervo Paris Vagi, & Intercostali, unde vel uno Nervulo Renum Spasmo convulso à Calculo, alterius Renis Nervi Spasmo convelluntur, qui semper continuantur ad Plexum usque: hinc omnes Nervi ex istis Plexibus similiter convelluntur, adeoque Colica illa convulsiva in Calculo, frequens Vomitus, retractiones Testiculorum, Tenesmus, Dolor quasi parturientium, qui sunt Spasmi Uteri & Intestinorum: similiter ex hoc Spasmo difficilis Respiratio, & omnia reliqua Symptomata spasmodica, per consensum nempe Nervulorum deducenda sunt. Sic v. g. Punctura Nervi in Brachio dat Convulsionem & Spasmum Brachii. Dum verò, quando Calculus est quietus, nec irritatur Ren, nec convelluntur Nervi Renum, & omnia hæc Symptomata, modò Calculus sit in Vesicam delapsus, vel excretus, cessant.

Probè ergo *distinguenda Pathemata Calculi ab Affectibus cognatis*, in specie à Colicâ per essentiam, & Colicâ Nephriticâ. Hoc ut ritè fiat, observandum est, quòd in Colicâ nullus adsit Pedis Stupor; item quòd in tali Colicâ Ægri se possint erigere, cùm ii, qui Calculo Renum laborant, utplurimùm incurvati sint, quasi Palus per Vertebras esset transfixus, & non sine Doloris exacerbatione Spinam rectâ extendere, & in rectam lineam flectere possint: id quod quasi primarium Diagnosticum. Colicus Dolor fit subitò, modò remittit, modò succedit, cùm Calculi Renalis Dolor ferè sit continuus. Et quidem imprimis locus Doloris manifestat, an ex Calculo, an ex aliâ Causâ sit? Nam junctus fixus Dolor in Dorso, Calculum innuit, licèt alia simul concurrant Symptomata: nec in Nephriticis talia murmura aut agitationes in Intestinis concipiuntur, atque in Colicis. Alia quoque Urinarum est conditio. Dolor quoque vagus in Abdomine modò antrorsum, modò retrorsum, modò à dextris, modò à sinistris, Colicam innuit. Plura huc facientia *vid.* in Sennerto *lib. 3. Prax. ubi de Calculo Renum*, Riverio, & Drawizio *de Scorbuto pag. 9.*

## PROGNOSIS.

Quod *Prognosin* concernit: Calculus Renum *Morbus est gravis*, & non tantùm molestissimus ratione Doloris atrocis, sed etiam admodùm periculosus ratione Symptomatum variorum, in specie quando Inflammationes, interdum Exulcerationes Renum, Vigiliæ, Febres, Ischuriæ lethales, & gravissimi Morbi nervosi generis, supervenire solent.

Et *Fœminæ* Calculo Renum frequenter laborantes, si Gravidæ reddantur, facilè moriuntur, aut Abortum patiuntur, vid. Fanarollus *Pentec. 3. Obs.* 8.

Certè, quò majores aut asperiores Calculi, eò res periculosior; & contrà quò minor & glabrior, eò minùs periculosus. Pertinaciter Renibus impactus, subinde Ischuriam lethalem, aut Epilepsiam tandem lethalem excitat.

Calculus Renum *si crebrò* affligit Ægrum, Inflammationes certè, & has ordinariò sequentes Exulcerationes Renum infert: vid. M. A. N. C. *Ann. 1. Obs. 16. & Ann. 2. Obs. 81.*

Calculo Renum, si ad plures dies nocteque perseveret, neque ullis Medicamentis cedat, superveniens *Frigus Extremorum*, aut *Sudores frigidi*, idque imprimis cum omnimodâ Urinæ Suppressione, Mortem in propinquo innuunt.

Econtra si *Urinæ* tenues anteà excretæ, emittuntur crassæ & turbidæ, ac in specie cum Sabulo, Arenulis, & quasi Frustulis lapideis, bonum Signum est comminuti quasi Calculi & minùs solidi.

Interdum *certas* quasi *Periodos* observat Calculus Renum, cùm, teste Helidæo Paduano *in Observat. pag. 156.* si est motus in quarto, in septimo ut plurimùm soleat prodire, cæteris nempe paribus; si enim sit magnus, non valet. Sic *Typum tertianarum* aliquando observavi in Viro ex Calculo Nephritico, dum tertiâ quâque die à meridie Dolores Abdominis & Lumborum spasmodici reverterentur, & per noctem durarent, donec sponte successivè remitterent.

*Lethargus* ex Nephritide ut plurimùm lethalis est.

An unquam curabilis sit illa ad *Calculum producendum Dispositio*, quam Lithiasin vocant, meritò dubitatur, nisi forsan in primo statim Principio eam observare contingat, qui tamen Casus vix dabilis videtur. Minùs tamen adhuc spei superesse illis, quibus Affectus hic *Hæreditarius*, aut *cum Ulcere Renum* contingit: vid. Hippocrates *Aphorism. 6. Sect. 6.*

## CURA.

*Cura* Calculi Renum est vel *in* vel *extra Paroxysmum*: *In Paroxysmo* habetur saltem respectus ad Motum Calculi præsentis, & inde nata Symptomata spasmodica dolorosissima. Ergò ante omnia *Dolores* & Partium inde nati *Spasmi*, & hinc Ureterum *Contracturæ* sistendæ; hinc quantum possibile Calculus præsens *Diureticis* blandis & appro-

priatis promovendus, (vid. Ludovici *Pharm. p.* 449.) vel *Specificis* confringendus : idque quò citius, eò meliùs, ne ſub morâ intra Corpus Calculus incrementum nimium capiat. *Sectionem Renalem* à quibuſdam jactatam habeo pro Non-Ente.

*Extra Paroxyſmum* verò *ſi abſint Calculi*, reſpiciendum, ut præcaveantur, ne denuò regenerentur; *Si verò novi jam incipiant generari*, ii maturè Diureticorum ope ejiciendi, antequàm Dolorem pariant, ne nimium incrementum capiant.

Ea autem, quæ in genere Calculos ejiciunt, ſunt *Diuretica* quæcunque: Nam ſpecialia Calculum pellentia, ut ſic, non dantur. Quæ enim pellunt, id faciunt vi diureticâ, quatenùs promovent Urinæ fluxum: aliud ſiquidem eſt pellere Calculum, aliud comminuere Calculum.

Pro his Scopis obſervandum

I. Ut *Diuretica*, aut *Lithontriptica* dicta, quocunque modo pellentia, imprimis fortiora, *in Principio fugiantur*, dum urgent Dolores & Spaſmi partium Abdominis; quoniam Malum exaſperant; nec priùs applicentur, antequàm omnes Dolores & Spaſmi ceſsârint, quia aliàs viæ attritu Calculi irritatæ dolorificâ criſpatione vel contractione ſe anguſtant, & hinc Malum exaſperant: Si *in Statu* fortioribus Diureticis violentiùs protruditur Calculus, Crabrones irritantur; adeòque quò gravior Dolor in Paroxyſmo eſt, eò minùs aut mitiora abhibenda Diuretica. Saltem ergò *in Declinatione*, ſedato Dolore, primis viis repurgatis, & acrimoniâ Humorum non nihil temperatâ, Diuretica, ſed nonniſi temperata, nec ſola, ſed cum Opiatis miſta, uſurpanda ſunt, ne Calculus validè nimis commotus exacerbet Paroxyſmum. Simul, quantum poſſibile, artificiosè conjecturetur ex collectione Circumſtantiarum *Calculi Magnitudo*, an ſit hîc major Ureterum ductu, aut æqualis, aut minor? Si minor, tunc tutò in tantis Symptomatis poſſumus uſurpare Diuretica Opiatis miſta, ut citò ejiciatur: ſin æqualis, ſedentur Symptomata, & idoneis Pellentibus maturè promoveantur, ne majus capiant incrementum, & poſtmodùm difficilè per Ureteres tranſeant. *Quòd ſi Calculus major ſit viis urinariis*, ita ut ejicere eundem ſit impoſſibile, tunc ceſſandum ab omnibus Pellentibus, quia impoſſibile eſt promovere, niſi priùs confringatur. Ergò infringendum, vel à re, ceu impoſſibili, deſiſtendum, cùm *Apertio per Ferrum Chirurgica*, ſi non impoſſibilis, ſaltem periculi pleniſſima ſit. Verùm cùm non ſemper conjecturando poſſit Medicus aſſequi, an parvus an magnus deliteſcat Calculus? cùm non rarò variis formis aut aſperitatibus ludat; hinc tutiſſimum eſt, ut ſedato Dolore tam *Internis* quàm *Externis*, præſens Calculus per Diuretica, quantum poſſibile, promoveatur, cùm quamdiu Dolores continuant, tamdiu Membranarum ac Ureterum major contractura ac ſpaſmus vigeat, à quo penitus Calculo via intercluditur.

II. Quia præſente Calculo, ac Doloribus Nephriticis urgentibus, Urina ſubinde acrior ac ſalſior obſervatur, à quo Dolores exaſperantur; ob id in Paroxyſmo ſimul talia adminiſtranda, quæ iſtam *Urinæ acrimoniam tollere*, & ita *Dolorem* nonnihil *imminuere* poſſunt. Id quod faciunt omnia ea, quæ vulgò dicuntur *emollire*, *viaſque laxare* in Calculo; quod tamen per ſe eſt ridiculum: Nam ſi talia aſſumpta deberent laxare Renes ac Meatus urinarios, neceſſum eſſet laxarent priùs Stomachum & Inteſtina, utpote quæ propiùs attingunt. Talia autem ſunt *Emulſiones Oleoſæ*, non quatenus laxant vias Calculi, ut Veteres dixerunt, quos Helmontius meritò ridet, ſed potiùs, quatenus acrimoniam Urinæ temperant & tollunt, inde natos Dolores leniunt; quibus ſopitis, criſpationes & dolorifici ſpaſmi Meatuum tolluntur, ac ita vel ſponte ad debitam amplitudinem viæ anteà arctatæ redeunt.

III. Cùm Symptomata Colica, Flatulentiæ & Borborygmi, Alvi obſtructio plùs minùs, ſimiliaque Symptomata, in Paroxyſmis Ægros admodùm crucient, ob id opera danda eſt, ut *primæ viæ à ſordibus quibuſcunque ſint liberæ*, ne hæ ipſæ coacervatæ Malum exaſperent, adeòque Diuretica ſtent poſt principia. Ergò ſemper in principio & fine Paroxyſmi opera eſt danda, ut Alvus laxa ſit; aliàs Colica & alia dicta Pathemata Abdominis inſigniter exaſperantur. Præſente ergò Calculo, & urgente Paroxyſmo doloroſo nephritico, pro Alvo aperiendâ nil æquè convenit, quam blandus *Clyſter*, aut *Emolliens* aut *Anodynus*, injectus, qui certè tempeſtivè adhibitus multùm ad leniendum Dolorem confert, & ſæpè totum Curationis negotium abſolvit: vid. Schenckius *Obſerv. pag.* 475. Et quidem parantur ex Lacte, Urinâ, Radicibus Liliorum alborum, Althææ, Liquiritiæ, Herbâ Malvæ, Violariæ, Parietariæ, de qua vid. Simon Pauli, *Quadripart. Botan. pag.* 109. Veronicâ, Summitatibus Anethi, Floribus Chamomillæ, Meliloti, Sambuci, Semine Fœnugræci, Oleo Violarum, Liliorum alborum, Amygdalarum dulcium, Unguento Clyſmatico, Pinguedine Caponis, Cuniculi, Butyro recenti, &c. Ubi

(1.) *Decocta ſimpliciora* compoſitis magis præferenda; Decoctum v. g. Chamomillæ, Malvæ, Parietariæ, Violariæ, aut juxta Cratonem Veronicæ.

(2.) *Ex Lacte paratis* malè varia Simplicia, præter dictam Veronicam, aut Flores Chamomillæ noſtratis, Radicem Althææ, &c. incoqui.

(3.) *Clyſteres in minori quantitate* eſſe injiciendos, præprimis in Prægnantibus ne mole ſuâ premant, & Dolorem augeant, diutiùs verò retineantur: vid. Zechius *Conſ.* 50.

(4.) *Si contumacior ſit Alvi obſtructio*, Oleum Dia-Colocynthidis, & Electuaria Purgantia addere conveniet: item Terebinthinata, Renibus & Ureteribus grata; & ſi Dolor aliquantum deferbuerit, Baccæ Juniperi, Sal volatile Succini, ſimiliaque Diuretica. Quin nudus Clyſter ex Urinâ ſaltem Pueri conducit, vel cui Semina Carminativa incocta ſunt, qui lenit Dolorem & Calculi motum blandè promovet. Exempli gratiâ :

℞. *Herb. Parietar.* M. j.
*Malvæ*,
*Violar.* ana M. ß. ad M. j.
*Flor. Chamom.*
*Samb.* ana P. ij. vel iij.
*Rad. Alth.* ʒvj. ad ʒiß.
Coqu. in ſ. q. *Urinæ Puer.* vel *Seri Lactis* :
Colaturæ ʒviij. adde
*Terebinth.* cum *Vitello Ovi ſol.* ʒij. ʒiij. vel ʒß.
*Olei Lil. alb.* ʒß. ad ʒvj. & ʒj.
*Scorpion.* ʒj. ad ʒij.
M. pro Clyſmate : S.
Clyſma Leniens.

Cui etiam *Nitri antimoniati* ʒij. addi poſſunt: Blandè abſtergit, ſimulque nonnihil ſtimulat Renes acrimoniâ volatili, ut ſub ejectione Clyſmatis irritetur Calculus propter contiguum ſitum: Vel

℞. *Herb. Violar.*
*Malvæ*,
*Parietar.*
*Flor. Chamom.* ana M. j.

Coqu.

Coqu. in ſ. q. *Urinæ humanæ*:
Colaturæ adde
*Olei Lil. alb.* ʒß.
*deſtillat. Succini* gutt. x.
M. pro Clyſmate:
D. S. ut ſuprà.
Vel
℞. *Flor. Chamomill.* M. ij.
*Herb. Veron.* M. j.
*Rad. Alth.* ʒvj.
*Liquirit.* ʒß.
Coqu. in *Lacte vaccino*;
In Colaturæ ʒvj. vel vij. diſſolve
*Elect. lenitiv.* ʒj.
*Terebinth.* cum *Vitell. Ovi ſolut.* ʒß.
*Olei Lil. alb.* ʒvj.
M. f. Enema Emolliens. S.
Clyſter Emolliens.
Vel
℞. *Flor. Chamomill.* M. ij.
*Herb. Veron.*
*Chærefol.* ana M. j.
*Bacc. Junip.* ʒj.
*Sem. Dauci* ʒß.
Coqu. in ſ. q. *Urinæ Pueri*;
In Colaturæ ℔ß. diſſolve
*Terebinth.* cum *Vitell. Ovor. ſol.* ʒß.
*Olei Scorpion.* ʒiß.
*deſtillat. Bacc. Junip.* ʒß.
M. f. Enema magis diureticum. S.
Clyſter Calculum promovens.
Vel
℞. *Decoct. Emollient.*
*Carminat.* ana ʒiij.
*Terebinth.* cum *Vitell. Ovi diſſ.* ʒß.
*Olei deſtillat. Terebinth.* ʒß.
Miſceantur pro Clyſmate:
D. S. ut ſuprà.
Vel
℞. *Spec. Emoll.* M. iij.
*Sal. Tartari* ʒj.
Coqu. in ſ. q. Aquæ;
Colaturæ ʒix. adde
*Terebinth.* cum *Vitell. Ovi ſol.* ʒß.
M. f. Clyſma:
D. S. ut ſuprà.
℞. *Spec. Emoll.* M. j.
*Bacc. Junip.* ʒj.
*Rad. Liquirit.* ʒß.
Coqu. cum ſ. q. *Aquæ*;
Colaturæ ʒvij. adde
*Elect. Lenitivi* ʒß.
*Terebinth.* cum *Vitell. Ovi ſol.* ʒij.
M. pro Clyſmate:
D. S. ut ſuprà.
Vel
℞. *Decocti Fl. Chamom.* ʒvi.
*Urinæ hum.* ʒiij. adde
*Olei deſtillat. Terebinth.* aliquot guttas.
M. f. Enema.

Aut ſi contumacior ſit Alvi obſtructio:
℞. *Lact. bubul.* vel *Decoct. Flor. Sambuci* aut *Chamom.* cum *Lacte* par. ʒviij. ad ℔j. adde
*Terebinth.* cum *Vitell. Ovi ſol.* ʒij. vel ʒiij. ad ʒß.
*Mell. violat.* vel *roſac.* ʒvj.
Miſc. f. Enema pro unâ vel duabus vicibus applicandum.
D. S.

Clyſter Aperiens & Calculum promovens.
Vel
℞. *Spec. Carmin.* M. ij.
Coqu. in *Urinæ hum.* q. ſ.
Colaturæ ʒviij. adde
*Ol. deſtill. Terebinth.* ʒj.
Miſc. fiat Clyſter:
S. ut anteà.
Vel
℞. *Spec. Emollient.* M. iij.
*Sem. quatuor. Calid. maj.*
*Sal. Tartari* an. ʒj.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ ſimplic.*
Colaturæ ʒix. adde
*Electuar. Hieræ cum Agar.* ʒj.
*Olei deſtillat. Terebinth.* ʒj.
*Vitelli Ov.* Num. j.
M. pro Clyſtere;
D. S. ut ſuprà.
Vel
℞. *Olei Lini*,
*Rapar.* an. ʒv.
M. pro Clyſtere:
D. S. ut ſuprà.

Addi etiam poteſt *Elect. Dia-Colocynth.* ʒvj.

Poſt Clyſmata Dolorem & ſpaſmum partium internarum inſigniter leniunt *Inſeſſus & Fomenta*, ſi nempe iiſdem inſideat Æger, ex Vegetabilibus Emollientibus, Carminantibus, Nervinis, nonnihil Diureticis, vel ſic dictis Lithontripticis parata. Sic quoque ſufficere poſſunt Balnea Aquæ tepidæ, quibus inſideat aliquandiu Æger; loco eorum tamen fieri poteſt Balneum Medicatum ita;

℞. *Herb. Malvæ*,
*Alth.*
*Parietar.*
*Mercurial.* an. M. ij. vel iij.
*Flor. Chamom.*
*Sambuc.* an. M. iij.
*Bacc. Junip.* ʒij. iij. ad ʒvj.
*Sem. Lini*,
*Fœnugræci* an. ʒiij.

Incluſa omnia *duobus Sacculis lineis* decoqu. in Aquâ; Cui Æger uſque ad Diaphragmatis regionem inſideat. Dum verò inſidet, obſervetur, ut dicti Sacculi Balneo incocti admoveantur regioni Lumborum, & anteriori Umbilicali regioni.
Vel
℞. *Herb. Malvæ*,
*Alth.*
*Parietar.* ana M. iij.
*Summit. Chamom.* M. iv.
*Sem. Fœnugræci* ʒiv.
*Bacc. Juniper.* ℔iß.
Inciſ. & contuſ. D. S.
Herbæ contra Dolores Calculi.
Decocto tepido inſideat Æger.
Vel
℞. *Herb. Malvæ*,
*Parietar.* ana M. iij.
*Summit. Aneth.*
*Flor. Chamom.*
*Melilot.* an. M. ij.
*Rad. Alth.*
*Lil. alb.* an. ʒvj.
*Sem. Lini*
*Fœnugr.* an. ʒiij.
D. S.
Species pro Balneo.
Vel
℞. *Herb. Malvæ*,
*Meliloti*,
*Flor. Chamom.*
*Sambuc.* an. M. j. ad M. ij.
*Sem. Lini*,
*Fœnugr.* an. ʒj. vel ʒij.

*quatuor Calid. maj.* an. ℥ß.
Inciſa & contuſa M. f. *Sacculi* Num. ij.
D. S. ut antè.
Qui calidi, vel ſicci, vel in Lacte cocti, applicandi Lumbis pro Doloris ſedatione.
Vel
℞. *Herb. Malvæ,*
*Alth.*
*Parietar.*
*Flor. Chamom.*
*Sambuci* an. M. ij.
*Bacc. Juniper.* ℥vj.
Inciſa & contuſa includ. *duobus Sacculis.*
D. S. ut antè.
Coquantur in Aquâ pro Balneo; Sacculi admoveantur regioni Lumborum & regioni anteriori Umbilici, ut Dolores, & Spaſmi remittant.
Quibus verò diſplicent Balnea, iis ſufficiunt *Fotus humidi cum Sacculis* inſtituti: e. gr.
℞. *Herb. & Flor. Chamom.*
*Salv.*
*Serpilli*, ana M. j.
*Bacc. Juniper.* ℥ij.
*Sem. Aniſi,*
*Anethi* an. ℥j.
Inciſ. includ. *Saccul.* No. j. D. S.
Fotus Leniens.
Vel
℞. *Herb. Chærefol.*
*Parietar.*
*Flor. Sambuc.*
*Chamom.* ana M. j.
*Sem. Lini* ℥j.
Fiant Sacculi aut Fotus.
D. S. ut antè.
Præterea cum his Fotibus & Balneis blanda Diuretica, interdum Calculum nonnihil ſtimulantia, uſurpanda, ut ſcilicet ſub iſtis Fomentationibus Calculus ſimul promoveatur per Ureterem nonnihil flaccidum.

Poſt Balnea, vel etiam ſine his, conducunt *Inunctiones externæ* ad emolliendas Partes & Spaſmos Ureterum ſiſtendos, Doloreſque leniendos, quæ fiunt ex Emollientibus ſuaviter Laxantibus & Lenientibus: quibus interdum penetrationis gratiâ addenda ſunt Olea quædam deſtillata, partim Nervina, propter Partes membranaceas in & circa Renes Spaſmo affectas, partim Diuretica, ut blandè promoveantur Urina & Calculus, cum Oleo Amygdalarum dulcium, Papaveris, Hyoſcyami, Chamomillæ, Scorpionum, Liliorum alborum, Unguento Dialthææ, Medullâ cervinâ, Pinguedine anſerinâ, Oleo Spicæ, Petræ albo, Baccarum Juniperi, Succini, Terebinthinæ, Camphoræ. Sic v. gr. fiat Linimentum Emolliens:
℞. *Ungu. Dialth.*
*Olei Scorp. vel expreſſ. Sem. Hyoſc.* ℥ij.
M. pro Linimento: S.
Unguentum Leniens.
Vel
℞. *Ungu. Dialth.* ℥iij.
*Olei Amygd. amar.*
*Scorpion.* an. ℥iß.
*Petrol.* ℥ij.
M. pro Linimento.
D. S. ut antè.
Cum his crebriùs locus dolens circa Lumbos, regionem Umbilici, Abdomen, & ductum Ureterum illinatur; poteſt etiam illiniri regioni Umbilicali. Additur huic Compoſitioni meritò *Petroleum*, quod meritò à Panarollo *Part.* 2. *Obſ.* 2. ceu externum Remedium nobile mirè commendatur, & Calculum imminuere creditur, ubi tamen ſufficit, ſi modò promoveat eum: e. gr.
℞. *Petrol. alb.* ℥j.
*Olei Juniperini* vel *Terebinth.* ℥j.
M. D. S.
Oleum Calculum promovens.
Vel
℞. *Ungu. Dialth.* ℥ij.
*Olei Scorpion.* ℥ij.
*Terebinth.* ℥j.
M. pro Linimento. S.
Unguentum Calculum promovens.
Vel
℞. *Ungu. Dialth.* ℥j.
*Olei Petræ alb.* ℥ij.
Miſc. pro Linimento:
D. S. ut antè.
Etiam ℥ß. *Olei Spicæ* addi poteſt.
Vel
℞. *Unguent. Popul.* ℥j.
*Olei Scorpion.* ℥ij.
M. D. S. ut antè.
Vel
℞. *Olei Lil. alb.*
*Chamom.* ar. ℥ij.
*Petrol. alb.* ℥ß.
*Ol. deſtillat. Spicæ,*
*Bacc. Junip.* an. ℥j.
M. pro uſu externo: S.
Oleum Leniens, & Promovens.
Vel
℞. *Ungu. Dialth.* vel *Anodyn.* ℥ß.
*Olei Amygdal. dulc.* ℥ij. (vel *hujus & Lil. alb.* ana ℥j.)
*Scorpion.* ℥ß.
*Petrol. alb.* ℥j.
M. pro Linimento: S.
Unguentum Leniens, & Promovens.
Addi pro lubitu poteſt
*Olei deſtillat. Bacc. Juniper.* ℥ß.
Vel
℞. *Ol. Amygd. amar.*
*Chamom.*
*Lil. alb.*
*Scorpion.* ana ℥ij.
*Petræ alb.* ℥iij.
*deſtillat. Spicæ.*
*Bacc. Junip.* an ℥ß.
M. D. S.
Oleum ut anteà.
Vel
℞. *Olei Amygd. amar.* ℥j.
*Pingued. Gallin.* ℥vj.
*Petrol. alb.* ℥j.
*Ol. deſtillat. Bacc. Juniperi* ℥ß.
M. f. Linimentum: S.
Unguentum ut ſuprà.
Vel
℞. *Olei Petræ alb.* ℥iij.
*Papav. expr.* ℥iß.
*Hyoſcyam. expr.* ℥ß.
M. pro Linimento anodyno:
D. S. ut antè.
Vel
℞. *Ol. Papav. rec. expreſſ.* ℥ß.
*Hyoſc. expr.* ℥j.
*deſtillat. Succin.*
*Macis* an. ℥ß.
M. S.
Oleum Dolores ſedans.
Vel
℞. *Ol. Petræ alb.* ℥iß.
*Sem. Papav. vel Hyoſc. expr.* ℥j.
*deſtillat.*

*deſtillat. Succini* ʒß.
M. D. S.
Oleum Leniens.
Vel

℞. *Ungu. Dialth.* ℥j.
*Ol. Petræ alb.* ʒiij.
*Juniperi* ʒj.
*Eſſ. Opii* ʒß.
M. S.
Unguentum Leniens.
Vel

℞. *Ungu. Dialth.* vel *Sevi Cerv.* ℥j.
*Olei Petr. alb.* ʒiij.
*deſtillat. Junip.*
*Camphoræ* an. gutt. xx.
*Opii* ℈j.
M. D. S.
Unguentum Leniens & Calculum promovens.
Vel

℞. *Ungu. Nervin.* ʒiij.
*Olei expreſſ. Hyoſcyami* ʒj.
*deſtillat. Terebinth.*
*Juniperi* an. ʒß.
M. S. ut antè.
Vel

℞. *Ungu. Dialth.* ℥iß.
*Olei Lil. alb.*
*Amygd. dulc.* an. ℥ß.
*Scorpion.* ʒiij.
*Petræ alb.* ʒiß.
*deſtillat. Juniperi* ʒß.
M. D. S.
Unguentum Dolores ſedans.

Scharfio *lib.* 1. *de Uſu Juniperi pag.* 272. in uſu fuit ſequens:

℞. *Olei Scorp.*
*Melilot.*
*Chamom.* an. ℥ij.
*Amygd. amar.*
*Arill. Cynosbati* an. ℥ß.
*deſtill. Terebinth.*
*Juniper.* an. ℥j.
*Petrol. alb.* ℥ß.
Miſc.
Vel

℞. *Ol. Amygd. dulc.* ℥ß.
*deſtillat. Succini* ʒß.
M. D. S.
Oleum Leniens.
Vel

℞. *Picis communis* ℥ß.

Subige cum ſ. q. *Butyri non ſaliti* in conſiſtentiam Unguenti. S.
Unguentum Leniens.
Vel

℞. *Ungu. Dialth.* ℥j.
*Ol. Lil. alb.*
*Amygd. dulc.*
*Hyoſcyami expr.* an. ℥ij.
*Scorpion.* ʒiß.
*deſtill. Succini* ʒß.
M. f. Linimentum.
D. S. ut antè.

Pertinent etiam huc *Linimenta Memb. anteced. ubi de Iſchuriâ Renali*, præſcripta: Vel

℞. *Ungu. Roſat. camph.* q. v.
adde
*Laud. Opiati* q. ſ.
M. f. Linimentum:
D. S. ut ſupra.

Pertinet huc Unguentum Nephriticum *Mynſichti*, & ejus Anodynum; item Unguentum hoc, quod commendat Crato.

℞. *Unguent. Roſac.* ℥iß.
*Ol. Amygd. amar.*
*Scorpion. ſimpl.* an. ʒvj.
*Amygd. dulc.* ℥ß.
M. f. Unguentum.

Quin etiam dictis Unguentis Oleum Camphoræ convenienter addi poteſt, vel genuinum, vel per diſſolutionem Camphoræ in Oleo Amygdalarum dulcium paratum, quod eſt egregium: Nam Camphora peculiarem vim diureticam, paucis notam, obtinet. Addi etiam poteſt Oleum deſtillatum Cumini, Oleum deſtillatum Baccarum Juniperi, Oleum Terebinthinæ, ceu Remedia Nervina, admodùm grata: Item Oleum deſtillatum Succini quòque addi ſolet; ſed quia eſt nimis penetrans & diureticum, metus eſt, ne exaſperet Dolorem. Similia ergò Linimenta crebriùs uſurpentur, illinendo regioni Lumbari vel Umbilicali. Juxta hæc conducit Emplaſtrum de Meliloto, cum Oleo Chamomillæ, & Anethi malaxatum, addendo Oleum Cumini, & Petroleum regioni Lumborum applicatum benè confert:

Vel

℞. *Empl. Nervin.*
*Tacamah.* an. ℥j.
*Balſ. Peruv.* ʒij.
M. pro Emplaſtro.

Extendatur ſuper *Alutam in formâ quadratâ*:
D. S.
Emplaſtrum Leniens.

Item ſi *Renum Calor intenſior*, præparatur Cataplaſma *Cratonis*, quod hic maximè commendant, ex Cancris fluviatilibus eorumque Succo, ſubactis cum Oleis blandè emollientibus: vid. Crato *lib.* 5. *Conſ.* 17. Nempe

℞. *Cancr. fluviat.* nu. x.

quos contuſos coquit in Lacte, & Succum fortiter exprimit:

addit

*Medullæ Panis albi* ℥iij.
*Vitell. Ovor.* No. ij.
*Butyri rec.*
*Olei Chamom.* an. ℥j.
*Croci* ℈ß.

Miſc. pro Cataplaſmate applicando.

Sicuti & Brunnerus ſimile Cataplaſma ex Cancris contuſis cum Malvâ, Raphano & Parietariâ, pro leniendo Dolore, & eodem non nihil moderando, ſubactum, regioni Renum applicatum, admodùm commendant in Paroxyſmo nephritico, de quo vid. Sennertus *pag.* 814. Item Cataplaſma ex Medullâ Panis albi cum Lacte. Hujuſmodi Lintea crebrò renoventur calidi ſuperimponendo poſtmodum Sacculos, aut etiam poſt Balnea eadem illiniri ſolent.

Cum his & ſimilibus Externis, etiam *Internis* Malo proſpiciendum: & quidem, ubi Dolor eſt remiſſior, aut nonnihil placatur, (haud citiùs, videat. Riverius *Pr. lib.* 14. *cap.* 1.) primæ viæ repurgatæ, & acrimonia Humorum temperata, blanda tunc *Diuretica* conveniunt, qualia ſunt Tinctura Nephritica, Spiritus Carminativus de Tribus, Spiritus Nitri dulcis, &c. de quibus *infrà*, cum aliis Internis uſurpentur. Interdum ergò in principio convenit blanda aliqua *Laxatio*, primas vias abſtergens, reſpiciendo tamen ſimul nonnihil Renes, & modicè Calculi excretionem irritando: e. g.

℞. *Tartari vitriolat.* gr. xij. ad xv.
*Salis Geniſt.* gr. iij. iv. v. vel vi.
*Scamm. roſat.* gr. iij. vel iv.
*Olei deſtillat. Juniperi*, vel *Terebinth.* gutt. i.

M. f. Pulvis in principio Paroxyſmi aſſumendus: S.

Pulvis

Pulvis Aperitivus.
Vel
℞. *Arcan. dupl.* gr. xii.
*Samm. præp.* gr. iij.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis Laxativus.
Vel
℞. *Corall. rub. præp.*
*Maxill. Lucii piſc.* an. ℈ß.
*Auri fulm.* gr. v.
M. f. Pulvis.
M. S. ut antè.
Detur in Juſculo calido.
℞. *Rad. Alth.* ʒiij.
*Helleb. nigr.* ʒj.
*Zingib.* gr. xii.
*Tartar. vitriolat.* gr. xvi.
Coqu. in ſ. q. Aquæ;
Colaturæ adhuc calidæ infundatur per noctem in loco calido
*Rhabarb. elect.* ʒiß. ad ʒij.
Mane iterum colet. & addantur
*Syrupi Domeſt.* ʒij.
M. D. S.
Potio Laxativa.
Vel
℞. *Paſſ. min. conquaſſ.* ℥ij.
Ebull. in ſ. q. *Aquæ ſimpl.*
Colaturæ ferventi infunde per noctem
*Fol. Sen. ſine ſtip.* ℥ß.
*Crem. Tartar.* ʒiß.
Mane ebulliat paulatim.
Colatura D. S.
Potio Laxans aperitiva.
Vel
℞ *Syr. de Cichor.* cum *Rhab.*
*Spina cerv.* an. ℥ß.
*Scamm. præp.* gr. iv.
*Aquæ Ononid.* ʒij.
M. D. S.
Succus Laxans aperitivus.
Vel
℞. *Paſſul. min. laxat.* ℥ß.
*Lapil. Cancr. præp.*
*Arcan. dupl.* an. gr. v.
M. S.
Paſſulæ Laxativæ.

In ſpecie etiam pro tali ſcopo conveniunt imprimis *Terebinthinata* in principio, Alvum ſimul moderatè laxantia, & ſimul Renibus calculoſis inſigniter conducentia: hinc Pilulæ ex Terebinthinâ cum Rhabarbaro uſitatiſſimè in principio Affectûs præſcribuntur; Rhabarbarum enim a Paracelſo ſingulariter æſtimatur. Item fiunt Emulſiones ex Terebinthinâ, de quibus heri dixi, aut fiant Pilulæ de Terebinthinâ *Mynſichti* præſcribendo ʒß. ad ℈ij. pro doſi: item Catharticum Terebinthinatum *Mynſichti*. Nam certum eſt, quòd Terebinthinata inſigniter conveniant in Nephritide: ſic enim Foreſtus *lib.* 24. *Obſervat.* 20. obſervat Matronam Calculo Renum & Morbo Articulari affectam, quæ imprimis Terebinthinæ uſu fuit curata: item Fontanus *in Conſil. & Reſponſ. pag.* 116. refert Septuagenarium Dolore Nephritico diu excruciatum, qui tandem uſu Terebinthinæ Venetæ ejectione quatuor Lapidum fuit curatus. In quem finem Terebinthina leniter inſpiſſata in Pilulas redigi poteſt, ita ut ſingulo ℈j. vel ʒß. gr. iij. vel iv. *Scammonii* ſimul permiſceantur; quæ ipſæ ita paratæ pro doſi in Vehiculo aſſumptæ, in principio Paroxyſmi ſunt egregiæ: e. g.

℞. *Terebinth. cocl.* ℈j.
*Tartari vitriolat.* gr. vi.
*Scamm. præp.* gr. iij.
M. f. Pilulæ: S.
Pilulæ Laxativæ.

Vel fiant Pilulæ ex Terebinthina, Succino & Rhabarbaro à Paracelſo laudatæ: vid. Hœferus in *Herc. Med. pag.* 175.

℞. *Terebinth. pur.* ʒj.
*Rhabarb. pulveriſ.* ℈ij. ad ʒi.
*Succini præp.* ʒß.
*Cinnam.* ℈ß.
Cum ſ. q. *Olei Terebinth.* f. Pilulæ pro aliquot doſibus.
Vel
℞. *Maſſæ Pilular. de Tereb.* cum *Rhabarb.* gr. xvj.
*Tartari vitriolat.* gr. vi.
*Troch. Alhand.* gr. ii.
F. Pilulæ:
D. S. ut ſuprà.
Vel
℞. *Maſſæ Pilular. de Amm.* gr. xv.
*Tartari vitriolat.* gr. v.
*Extracti Troch. Alhand.* gr. i.
Cum *Eſſent. Menth.* f. Pilulæ.
D. S.
Pilulæ Laxativæ.

Nam purgantia fortiora nullo modo conveniunt in principio Affectûs Calculoſi.

Sic etiam convenit *Emulſio* Seminis Violarum *Nephrocathartica*, cum Aquâ Veronicæ, aut cum aliâ Aquâ appropriatâ, in ſpecie Hederæ terreſtris, cujus *ſuprà Membro Antec. de Iſchuriâ* mentio facta; quæ ipſa reverà poteſt dici Nephrocathartica: præſcribitur à ʒiij. ad ℥ß. in principio Paroxyſmi Nephritici: Cui propter Doloris rationem & *Papaverina* ſimul addi poſſunt; e. g.

℞. *Sem. Violar.* ʒiii. vel ℥ß.
*Milii Solis*,
*Papav. albi* an. ʒi. ad ʒiß.
Cum ſ. q. *Aquæ Alkekeng.* vel *Menthæ*, vel *Fragor.* vel *Veron.*
f. Emulſio ad ℥iii. vel iv.
adde
*Aquæ Cinnamom.* ʒiß. vel ʒii. ad ʒiii.
*Lapill. Percar. præp.* vel *Cancror. præp.* ℈ß. vel ℈ii. ad ʒi.
*Sacchari* parum.
M. D. S.
Emulſio Nephrocathartica.
Vel
℞. *Amygd. dulc. Ambroſ.*
*Sem. Melon.* an. ʒii.
*Violar. purp.* ℥ß.
Cum ſ. q. *Aquæ Menthæ & Fragor.* f. Emulſio ad ℥vi.
adde
*Lap. Percar. præp.* ʒi.
*Sacch.* parum.
M. S.
Emulſio Aperitiva pro aliquot vicibus.

Conf. M. A. N. C. *Ann.* 6. *Obſ.* 102.

*Evacuatis ita primis viis*, & ſublatis impedimentis, dum adhuc urget *Dolor*, & hæret *Calculus*, propinanda talia, quæ quantum poſſibile eſt, Dolorem tollere poſſunt: Vel

℞. *Olei Amygd. dulc. rec. expreſſ.* ℥ii.
*deſtillat. Macis* ℈ß.
M. S.
Oleum Lenitivum.

Cum quibus tamen ſimul ad acrimoniam Humorum temperandam reſpectus habendus. *Opiata* ergò conducunt, ſed Appropriatis miſta, in ſpecie ubi urgent graviora Symptomata ac proinde proſtat

*Eſſentia*

*Essentia Urinaria Anodyna D. Michaël.* ex Vegetabilibus scilicet diureticis cum ana Opii & Salis Tartari, quibus Aqua affunditur: stent in digestione, deinde evaporatur & superfunditur Spiritus Vini: Item accipiatur *Malvaticum Juniperinum cum Essentiâ Opii* mistum, de quo cochleatim hauriatur ad sistendos Dolores, & mitigandum Paroxysmum.

Vel

℞. *Lapill. Cancr. præp.* ℈j.
*Cinnab. Antimonii* vel *nat.* (propter spasmos partium internarum) ℈ß.
*Laud. Opiat.* gr. i. vel ii. (vel *Pulv. Anodyn. Ludov.* gr. iii.)
M. f. Pulvis: S.
Pulvis Lenitivus.

Detur pro dosi in graviore Paroxysmo.

De his vid. in specie Ludovici *in Pharm. pag.* 449. & *Colleg. Pharmaceut. in Ludovic.* Vel ad imitationem Wedelii:

℞. *Lapill. Cancr. præp.*
*Sperm. Ceti* an. ℈j.
*Sal. volat. Succin.* gr. v.
*Laud. Opiat.* gr. j. vel ij.
M. f. Pulvis;
D. S. ut suprà.

Vel

℞. *Lapill. Percar. præp.* ʒß.
*Cinnab. Antimonii*,
*Sal. volat. Succ.* an. gr. xij.
*Laud. Opiati* gr. iij. ad v.
Misc. pro 3. dosibus.
D. S. ut suprà.

Vel

℞. *Aquæ Petrosel.*
*Alkekeng.* an. ʒj.
*Ess. Opii* ℈j.
*Syr. de Alth. Fernelii* ʒiij.
M. S.
Mistura Dolorem sedans.

In usu Opiatorum simus cauti, ne iisdem abutamur.

℞. *Tincturæ Balsam. Peruv.* vel *Capaibe* cum *Tincturâ Tartari par.* ʒiij.
*Essent. Opii* ʒß.
M. D. S.
Tinctura Calculum leniens.
Dentur 40. guttæ pro dosi.

Vel

℞. *Tincturæ Tartari acerr.* vel *compos.* vel *Rhabarb. tartaris.*
*Spiritûs Carminat. de Trib.* an. ʒiij.
*Essent. Opii tartaris.* ʒj.
M. S. ut antè.

Vel

℞. *Milleped. viv.* No. xij.
Contunde cum *Tinct. Tart. acerr.* ʒij. filtratæ adde
*Ess. Opii* ℈j.
M. S. ut suprà.
Dosis 30. vel 40. guttæ.

Vel

℞. *Olei destillat. Terebinth.*
*Bacc. Junip.*
*Ess. Opii* an. ʒß.
M. S.
Oleum Calculum promovens pro aliquot vicibus.

Ubi *Vomitus* simul & *Singultus*:

℞. *Extr. Acori veri* gr. xvi.
*Castor.* vel *Zedoar.* gr. iv.
*Laud. Hyster.* gr. v. vel vi.
Cum *Oleo Terebinth.* f. Pilulæ: S.
Pilulæ Stomachales & Calculum lenientes.

Vel

℞. *Aquæ Menth.*
*Meliss. cum Vino*,
*Cinnam.*
*Carbunc.* an. ʒß.
*Spiritûs Cochlear.* ʒj.
*Tartari vitriolat.* ℈j.
*Laud. Opiati* gr. ii. vel iii.
*Syrup. Cort. Aurant.*
M. D. S.
Mixtura Stomachalis & Calculum lenien cochleatim sumenda.

Vel

℞. *Aquæ Fragor.*
*Alkekengi* an. ʒiß.
*Cinnam.*
*Lap. Canc.* ℈ij.
*Test. Ovor. calcin.* ℈j.
*Nitri depur.* ʒß.
*Laud. Opiati* gr. ii. vel iii.
*Syr. de Alth. Fern.* ʒvj.
M. S. ut suprà.

Vel

℞. *Lap. Percar. præp.* ℈j.
*Pulv. Epilept. antimonial.* gr. iii.
M. pro Pulvere:
Div. in 2. part. æqual. S.
Pulvis Leniens.

Vel

℞. *Lap. Canc. præp.* vel *Corall. rub. præp.* ℈ii.
*Auri Diaphor.* gr. xv.
*Camph.* gr. ii.
M. pro *Pulvere.*
Divid. in 2. part. æqual. S.
Pulvis Leniens contra Calculum.

Vel

℞. *Corall. rub. præp.*
*Lap. Percar. præp.* an. gr. xiv.
*Auri Diaphor.* gr. xii.
*Camph.* gr. iij.
Misc. pro Pulvere:
Div. in 2. part. æqu. S. ut anteà.

Vel

℞. *Corall. rubr. præp.*
*Lap. Percar. præp.* an. ℈ß.
*Salis Genist.* gr. iv.
M. S.
Pulvis Sedans.

Vel

℞. *Tacamahac.* part. ij.
*Balsam. Peruv.* part. j.

F. Emplastrum Stomachale in formâ usitatâ absque

Sindone: S.
Emplastrum Stomachale.

*Mulier quædam*, aliàs Nephritica, conquerebatur aliquandiu de Appetitu prostrato, cum carnis nausea & potûs cõsueti fastidio, adeò ut spem Conceptionis conceperit: sed post supervenientem Mensium fluxum prehendunt eam acerbi Dolores in Lumbis lancinantes, & ad Pubem usque excurrentes, cum tali Crurum tremore, qualis aliàs Puerperis sub Partûs labore accidere solet, & ita summo quasi parturiendi conatu nihil aliud, quàm Mucosa viscida summo cum Dolore, unà cum Urinâ, excernebat, ita ut quoties Urinam emitteret, Muscosum tale quid unà eliminaret: stimulus pro Urinâ admodùm erat frequens; dum excernebat, Dolorem dictum percipiebat, & etiam dum non excernebat, subinde excretorios istos quasi puerperiales experiebatur Conatus; Urina emissa erat minùs tincta, aliquantisper turbida cum Sedimento copioso, viscido, albido, non tamen purulento. Judicabam, Malum esse Nephriticum,

phriticum, natum primitùs occaſione Calculi Renalis, & inde productæ Eroſionis in Pelvi membranaceâ; unde idem Calculus ulteriùs progrediendo affrictu ſuo læſerit plùs minùs Veſicæ collum; quò factum fuit, ut non ſolùm dictarum partium degener Nutrimentum chyloſum tam copioſi Muci ſpeciem ſuggeſſerit, ſed etiam imprimis ex irritatione Veſicæ doloroſi excretorii Conatus ſupervenerint: ob id pro abſtergendis his locis & mitigandis Symptomatis, præmiſſo Clyſmate:

℞. *Aquæ Chærefol.*
*Alkekeng.* an. ℥iß.
*Aceti Vini* ℥iij. ad ℥ß.
*Lapill. Cancr. præp.* ʒj.
*Laud. Opiat.* gr. iii.
*Syr. Heder. terr.* ʒvj.
Miſc.

Capiebat cochleatim, quod factum cum euphoriâ, & Symptomata Lumborum maximam partem levata fuerunt. Hinc pro iſtis ſcopis præſcripſi:

℞. *Maſſæ Pilular. de Terebinth. ſimpl.* ʒij.
Div. in 2. part. æqu.

Cepit, benè habuit, Symptomata pleraque evanuerunt: ſed Nixus Veſicæ excretorius ſubinde rediit, Calculo nempe in Veſicâ exiſtente, utut mucoſa Materia multùm imminueretur; ne tamen forſan Exulceratio colli Veſicæ ſuperveniret, præſcripſi:

℞. *Eſſent. Hyper.* ʒij.
Dabam pro unâ Doſi.

A qua tamen nullam utilitatem percepit. Ob id Balſamo Sulphuris terebinthinato uti jubebam: ſed antequàm hunc aſſumeret Calculus oblongus cum Urinâ unà emittebatur, unde levamen inſigne in omnibus. Pariter tribus ab hinc diebus cùm continuatus fuiſſet Balſami uſus, adhuc alius, ſed minor, Calculus prodiit, poſt cujus excretionem adhuc Muci aliquantulum rejectum fuit, ſed quod brevi ceſſavit. Pro reliquis ergò nephriticis removendis Spiritum Salis Ammoniaci aliquandiu continuavit, qui ipſi optimè contulit.

*Oleum Amygdalarum dulcium*, vel cum vel ſine Lapide Percarum, & Syrupo de Althæâ *Fernelii*, (quod non nulli etiam cum Succo Citri aut Limonum miſcent) ſimiliter in uſu eſt. Emulſio ex Amygdalis dulcibus, & Seminibus dictis quatuor Frigidis majoribus, Violarum, Nucleis Perſicorum, & ſimilibus, quibus Lapides Percarum, aut Lapilli Cancrorum addi ſolent, ſubinde in hoc caſu in uſu ſunt, quæ hauriuntur ad Dolorem leniendum, & blandè Urinam ciendam; potiſſimùm ſi hujus Emulſioni aliquid Papaveris albi, hujus Syrupi, aut Laudani Opiati addatur; Nam hæc Narcotica Spaſmis Renum horumque Meatuum non tantùm medentur, ſed Somnum inducendo Spiritibus robur addunt, hinc excretionem Calculi inſigniter juvant: vid. Hoffmanni M. M. *pag.* 437. & Deckers *Exerc. Pract. pag.* 636. Item Decocta Emollientia, ſimulque Anodyna, blandè Temperantia, & Urinam pellentia, quorum Formulam vid. in Barbette *Praxi*, *ubi de Dolore Nephrit.* Ad imitationem hujus

℞. *Rad. Alth.* ℥j.
*Liquirit.* ʒij. vel ℥ß.
*Herb. Malvæ* M. j.
*Sem. Violar.* ʒß. vel ʒvj. ad ℥iß.
Coqu. in ſ. q. *Decoct. Hord.*
Colaturæ ℔iß. ad ℔ij. adde
*Syrup. Papav. albi* vel *errat.* ℥ß. ad ℥ij.
(vel *de Jujub.*
*Violar.* an. ℥ß.)
*Lapill. Cancr. præp.* ʒj.
M. D. S.
Potio Lenitiva Urinam pellens.

Inſtar omnium etiam hîc convenit Decoctum expertum Foreſti, quod præſcribit *lib.* 24. *Obſ.* 26. 28. & 29. & deſcriptum proſtat in Sennerto *lib.* 3. *Prax. ubi de Calculo Renum*, *pag.* 812. quo Decocto curavit Virum deſperatâ *Suppreſſione Urinæ ex Calculo* Renis ſiniſtri Ureteri impacto laborantem cum intenſiſſimis Doloribus, ſummâ virium proſtratione, & cùm jam per ſex dies ne guttulam quidem Urinæ emiſiſſet, uſurpato hoc Decocto *Foreſti*, Urina confeſtim emanavit, Lapilli cum impetu protruſi, & Æger curatus fuit. Præſcriptio eſt hæc:

℞. *Sem. Malvæ*,
*Alth.* an. ʒij. ad ʒiij.
*Cicer. rub.* ℥iij.
*quatuor Frigid. maj.* an. ʒij.
*Hordei* ʒij.
*Caric. pingu.* No. viij.
*Sebeſten.* No. vij.
*Rad. Liquirit. raſ.* ʒvj.
Coqu. *in Aquæ* ℔iij. ad dimidiæ partis conſumptionem.

Sicuti Decoctum non incongruum à Zwelffero correctum *videb. in Pharmacop. Reg. pag.* 89.

Ad imitationem ergò hujus ſimilia compoſita poſſunt parari.

Addi ſimul poſſunt Decocto huic certâ proportione vel *Baccæ Juniperi*, vel *Semen Hyperici*, aut *Semen Dauci*, vel ſimilia, quæ iſtud magis appropriatum reddere valent. *Decoctum Florum Chamomillæ* ſingulariter excellit in Paroxyſmo nephritico (vid. Simon Pauli *Quadr. Botan. pag.* 255.) & *Veronicæ*, quod Crato *l. a.* extollit. Item hujus loci eſt *Decoctum Nymphææ*, quo nihil promptius ad Ureterum contracturam laxandam, & Dolorem placandum in Paroxyſmo nephritico à Tachenio *Hippoc. Chym. cap.* 14. *pag.* 97. *Edit.* 2. extollitur. Prætereà non inconſultum eſt Conſilium Timæi *von Gulden-klee*, jubentis, ut omni hauſtui Decocti cujuſdam addantur aliquot guttæ *Spiritûs Salis dulcis* communis, cùm hujus vis egregiè ſit diuretica. Sanè Spiritus Salis extremo igne prolectus, adeòque acido-ſalſus, ſingularis eſt ad promovendum & refringendum Calculum: vid. Tachenius *l. a.* niſi Inflammatio atque Eroſio partium ſubſit; loco eius tamen & Spiritum Nitri à Sylvio tanti æſtimatum, utrumque vel ſimplicem, vel dulcem, commodè potiùs uſurparem, qui magis eſt diureticus. Rhumelius recipit Spiritum Salis, miſcet cum Sale volatili Succini, coagulati in formam cryſtallinam, & potentiſſimum eſt Nephriticum diureticum.

Quibus ita peractis, ſi imminuatur Dolor, & Calculus ulteriùs promoveatur, res benè eſt: Ubi verò, licèt Doloribus aliiſque Pathematis plùs minùs placatis, Calculus vel in Renibus, Ureteribus, vel Veſicâ, adhuc hæret, fiat acceſſus ad ea, quæ *Diureſi blandâ & ſpecificâ* Urinam promovere poſſunt, aut, ſi grandior, propinanda ea erunt, quæ *Lapillum*, quantum poſſibile, *diffringere* valent, ut ita confractus & comminutus eò commodiùs poſſit propelli.

Subſtitimus heri in Curâ, quæ pertinet ad Calculum, & dictum fuit, in Paroxyſmo eſſe efficiendum, ut Calculus promoveatur, minimâ tamen moleſtiâ, unde tam Internis quàm Externis Dolor demulcendus: Et his factis propinanda, quæ vi diureticâ pollent, & ſimul cum Urinâ pellunt Calculum;

Calculum; aut loco horum dentur ſimul Lithontriptica ſeu Calculum frangentia. *In horum tamen uſu hoc obſervandum*, ut ubi ad tempus fruſtrà adhibita fuerint Medicamenta, ſubſiſtatur, & quaſi feriæ permittantur Naturæ, ne illo uſu nimio plùs, quàm par eſt, ad Renes moveantur Cruditates. Curioſa eſt hoc in loco *Obſerv.* Epiphanii Ferdinandi *Hiſt.* 54. ubi dicit, inviolabili lege obſervandum eſſe, ut quandoque à Remediis abſtineamus, dum refert Exemplum Doloris Nephritici, pro quo poſt novem dies & noctes plura Remedia propinata & applicata abſque ullo uſu & effectu: ſed cùm poſtmodùm per 10. & 11. quies Naturæ fuiſſet relicta, hæc ipſa ſponte ſuâ ſub fine undecimi plures Calculos rejiciendo, Ægrum liberavit. *Diuretica* hujuſmodi uſurpantur in ſpecie *in Paroxyſmo calculoſo*, ſub introitu Balnei: vid. Riverius *l. a.*; ut dum hujus uſu relaxantur viæ & demulcentur Dolores, illorum ratione meliùs promoveatur Calculus: Sicut etiam *blandus Motus Corporis* Calculi deſcenſum ex Renibus promovet, qui aliàs *à Gaudio* in exitu promovetur, *à Metu* verò vel *Terrore* retardatur: Conf. *Act. Med. Haffnienſ. Vol.* 3. *pag.* 33. Sunt qui *Vomitum* eundem in finem commendant, ſed non ſine notabili moleſtiâ & periculo: vid. Bartholinus *Epiſt.* 55. Cautiùs quoque Diureticis utendum, ſi Mictus cruentus combinetur, præprimis calidioribus & aromaticis, habebuntque tunc potiùs locum Terrea & Emollentia blandiora: Commendat eundem in finem Fortis *C.* 3. *Conſ.* 95. Thermas vitriolatas adſtringentes æquè ac Calculum promoventes: Aſt non ubique terrarum hæc præſto ſunt.

Diureticis tamen talibus longè præferenda ſunt *Lithontriptica* propriè dicta, ſeu Calculos ipſos confringentia Remedia, de quorum exiſtentiâ multi dubitant, ſpeciatim Sylvaticus *in Conſ.* & Panarollus *in Obſervat.* aliique magni nominis Medici: ſed ordinariò Chymiæ ignari, ſanè rident eos, qui dicunt Calculum in Corpore humano ſimul compactum iterum poſſe diſſolvi, vel in minores particulas diffringi. Et ſanè res non caret ſcrupulo, utut ſimpliciter non neganda, licèt rara ſint, ſublimiora talia Remedia, quæ reverà Calculum confringunt.

*Difficultatis Ratio prima*, ob quam impoſſibilis videtur Calculi ſolutio, eſt: *quia eſt Concretum Terreo-ſalſum*, ex duobus Salibus, Alcali & Acido volatilibus, firmiſſimo tamen nexu junctis, oriundum, intercedente ſubſtantiâ quâdam Terreâ firmiter coagulante, adeòque nec *Acida* nec *Alcalia* eum diſſolvere poſſunt, quia Calculus ex utriſque eſt ſaturatus, & tanquam ex ambobus compoſitus, unde difficile videtur reperiri tale Menſtruum, quod Concretum tale ſalſum adeò firmum, æqualiter de Acido & Urinoſo participans, in Corpore comminuat & diſſolvat, utpote cùm talia Concreta ſe æqualiter miſceant Menſtruis Acidis & Urinoſis, neque tamen ab ullo poſſint perfectè diſſolvi. Neceſſe ergò eſt, ut Remedium Calculum frangens ita ſit conſtitutum, ut ferè de utroque, Acido nempe & Alcali, participet, ut ita Concretum tale ſalſum penetrare, & iſtud amicâ ſuâ vi denuò blandè, & ita quaſi liquefaciendo, reſolvere poſſit.

*Secunda Difficultas* eſt, quòd poſitô, talia Remedia & Menſtrua reperiri, quæ extra Corpus ſolvunt Calculum; hæc ipſa tamen longo iſto tranſitu, donec ad Calculum perveniant *in vi ſuâ lithontripticâ non parum infringantur.* Unde errant, qui Calculos humanos excretos certis & variis Liquoribus injiciunt, expectaturi, quis Liquor citiùs & feliciùs Calculum diſſolvat, ut poſtmodùm eodem Liquore & intùs propinato eundem effectum in Renibus & Veſicâ obtineant. Hæc enim præconcepta Hypotheſis eſt removenda, quia eſt falſiſſima. Nam longè aliud eſt diſſolvere Calculum extra Corpus, quàm in Corpore. Et utut talia extra Corpus in Calculum operentur, in Corpore tamen fiunt languida; quia talia Lithontriptica in primis viis, in Stomacho & Inteſtinis, Bilis & Succi Pancreatici ſubſalſi, vel acidi attactu, ut & intermediis locis, ac denique in Renibus ab Urinâ inſigniter alterantur, neceſſariò alteram novam acquirunt naturam ſeu texturam, indeque alterata & imbecilla vim diffringendi Calculum omninò exuunt, quod ipſum interdum veriſſimum eſt Experientiâ comprobante. Ut taceam, non ejuſdem duritiei compaginis in omnibus Nephriticis videri Calculos, quin ſubinde multum variant duritie, firmitate, ac ſimilibus plùs minùs proprietatibus. Cæterùm expertum eſt ex omnibus vulgaribus Menſtruis hactenus tentatis, Spiritum Nitri maximam habere vim in Calculo, vel comminuendo, vel friabilem reddendo, & quaſi mollificando. Ergò Remedium illud Lithontripticum, neceſſe ſit tale, quod iſtâ inſigni alteratione in primis viis intactum, adhuc maximam partem integrum tranſeat ad vias urinarias, ibidemque Calculum concretum imminuat.

*Tertia Difficultas* eſt, quòd Remedium Lithontripticum, quod Calculum, utpote Concretum durum, diſſolvere valet, *non debeat eſſe corroſivum*, ſed quod citra Stomachi, Inteſtinorum, & aliorum locorum noxam poſſit propinari; cùm hæ ipſæ partes ſint longè molliores, & faciliùs diſſolvantur, quàm Concretum Calculi, parteſque attritu Calculi anteà plùs minùs læſæ ab acrioribus Remediis admodùm lædantur, indeque Dolores aliaque Pathemata exaſperentur. Verùm hoc Ingenii Phantaſma eſt nullius momenti, cùm nitatur falsâ hypotheſi, quaſi Calculus non eſſet diſſolubilis, niſi per Corroſionem, adeòque unum ex Menſtruorum requiſitis ſit, ut corroſivitate gaudeant. Malè autem ad corroſivitatem in Calculum frangentibus reſpicitur; Corroſio enim eſt reſpectus ſaltem tributus rebus ratione guſtûs, adeòque planè accidentarium conſequens; ſiquidem etiam reverà dantur *Menſtrua* plùs minùs *inſipida*, aut planè non aut parùm corroſiva, quæ tamen validiſſima etiam Concreta diffringunt. Nil dicam de *Rore Majali*, & ex hoc ritè parato Menſtruo minùs acri, quod tamen magnam vim habet reſolvendi & infringendi Corpora. Notum eſt de *Aquâ Laurembergii*, in qua Aurum injectum ita ſolvebatur, ut penitus inſtar Ceræ liqueſceret. Similiter de Menſtruis Solventibus Chymiatrorum res clara eſt, quæ licèt ferè inſipida ſint, efficaciam tamen ſuam in Mineralium ſolutione probant. Et *Dominus* Boyle *in Philoſophiâ Experimentali, & de Origine Formarum* refert, ſe habere tale Menſtruum ferè inſipidum, æqualiter tam cum Acidis, quàm Liquoribus Alcalinis, ſine effervescentiâ & ullâ alteratione ac immutatione miſcibile; id quod innuit, quòd de utroque participet: quod ipſum tamen Menſtruum inſipidum, etiam *Aquas Fortes* ſubinde virtute ſuperat (ſcilicet ex baſi *Viridis Æris, & Sale Ammoniaco* conficitur) ut taceam *Mercurium vivum* ſub amalgamatione Auri & Argenti, hæc ipſa aliaque Metalla in minimas partes diſſolvere, utut ipſe ſit inſipidus: adeô, ut *Corroſivitas Menſtrui naturam non definiat.*

Quid igitur eſt, quod maximè conſiderandum in Menſtruis Diſſolventibus? Reſpondetur: conſideretur *Proportio* iſta *formalis*, quæ eſt inter Par-

riculas Menſtrui ſolventis, & Particulas, ac Poros Corporis ſolvendi, ut hinc utriuſque Corporis Particulæ mutuo nexu ſe invicem jungere valeant: ſi enim Particulæ iſtæ Menſtrui ita ſunt figuratæ ſeu conformatæ, ut exactè reſpondeant Porulis Corporis, prompta & cita fit Solutio; ſin verò hæc duo nullo modo conveniunt, aut nullam habeant convenientiam aut proportionem requiſitam, fruſtrà eſt ſpes Solutionis.

*Proportio* iſta materialiter originem ducit ex convenientiâ ſeu identitate in Radice & Eſſentiâ: hinc dicunt: *Menſtrua debent eſſe homogenea cum rebus diſſolvendis.* Hinc *Concreta Sulphurea per Menſtrua Sulphurea, Salina per Menſtrua Salina & Aquea*, optimè ſolvuntur; id eſt, requiritur in Menſtruis particularibus certa quædam habitudo ad ipſam rem ſolvendam: vid. Becherus *in Phyſ. ſubterr. lib.* 1. *pag.* 399. Williſius *de Fermentatione pag.* 63. Hinc v. g. Aqua ſolvit Saccharum, Alumen, Vitriolum, & ſimilia, quæ non diſſolvit Spiritus Vini; econtrà Sevum, Ceram, Bitumen, Succinum, Terebinthinam, & ſimilia ſubjecta, licèt molliora quàm vel Alumen vel Vitriolum & ſimilia, Aqua non diſſolvit. Spiritus Vini probè rectificatus diſſolvit Succinum & omnia Corpora reſinoſa, quæ non reſolvuntur ab Aquâ; nihilominùs tamen Spiritus Vini hic probè rectificatus non attingit Saccharum, neque Sal commune. Porrò Aqua Fortis, ſeu Spiritus Nitri rectificatus, diſſolvit Lunam aliaque Metalla, ſed non Aurum, aut Lignum, aut Ceram aut Picem: Huic Aquæ Forti ſi injiciatur aliquid Salis Ammoniaci, tunc promptè ſolvet Aurum, ſed non attingit ampliùs Lunam. Hinc videmus, quòd Aqua v. g. quoniam ejus Particulæ facillimè ſe inſinuant in Porulos Corporum Salinorum, etiam promptè eadem Corpora Salina diſſolvit; jam verò, quoniam Pinguium Poruli rotundi & cavernoſi in Cerâ, Bitumine, Succino, &c. ita ſunt conformati, ut Particulæ aqueæ extrinſecùs quidem lambere, ſed ipſos Poros intrare nequeant, propterea etiam Corpora talia Oleoſa Pinguia non diſſolvuntur ab Aqueis. Minutiſſimæ econtrà Spiritûs Vini Particulæ etiam durum Succinum intrare, ac in iſtud ſe inſinuare poſſunt, adeòque etiam in elegantiſſimam Tincturam diſſolvere; quæ Particulæ Spiritûs Vini improportionatæ Saccharo molli, idem relinquunt. Hinc eſt, quòd ſolius Salis communis aut Salis Ammoniaci miſturâ cum Aquâ Forti fiat Aqua Regia, ſeu Menſtruum pro ſolvendo Auro, ita ut non ampliùs attingat Lunam, ob diſcrepantiam ſcilicet radicalem cum Menſtruis; iſtâ enim adjectione Salis Particulæ menſtruæ ita fuerunt immutatæ, & ex adhæſione & conjunctione mutuâ taliter redditæ figuratæ, ut promptè Aurum ingredi, nullo verò modo Lunam ſubintrare poſſint.

Ex his patet, omninò dari Menſtrua, quæ intactis Stomacho & Inteſtinis Calculum in Renibus attingunt, & eundem diſſolvunt; diſpar enim eſt ratio: ut taceam, *Guſtum malè corroſivitatis judicium exhibere.* Multa enim nobis inſipida & dulcia videntur, quæ in ſe admodùm acria, & plùs minùs corroſiva, ut Arſenicum, Mercurius vitæ, Sulphur Antimonii, Mercurius vivus, &c. Lingua ergò ineptus judex eſt Menſtruorum. Ut taceam Acria, reſpectu certorum Corporum acerrima, nobis & Ventriculo noſtro eſſe innocua, nec in Objectum appropriatum agere: v. g. ſicut videmus in Aceto, quod ſolvit Corticem teſtaceum lapideum Ovorum durum, ſubſtratam verò Membranam tenuem aut mollem non attingit, copiosè à nobis etiam aſſumptum in Stomacho eſt innocuum. Si itaque iſta Concreta terrea, nempe Corallia & Teſta Ovi, diſſolvuntur ab Aceto, integrâ tenui Membranâ manente, quidni etiam poſſit diſſolvi à medicamentoſo Menſtruo Calculus, utut illud Stomachum non attingat? Sic Cantharides acrimoniam ſuam circa Renes & Veſicam ſaltem explicant, ea exulcerando, quæ tamen Stomacho, quem immediatè ingrediuntur, Inteſtinis & aliis partibus ſunt innocuæ. Ergò præter hoc, quòd dentur Menſtrua inſipida, attendenda etiam eſt varietas Menſtruorum, quæ non ſimpliciter in corroſivitate, ſed in particularum ejus texturâ, materiâ & conformatione mechanicâ conſiſtit. Unde nullum dubium eſt, *dari poſſe talia Remedia*, quæ inſtar Menſtrui, citra notabilem Guſtûs acerbitatem, partim ex ſui texturâ, partim ex admiſtione variorum Succorum noſtri Corporis promptè Calculos Renales in Corpore aggredi, eorum Poros penetrare, & Particulas unitas diffringere aut comminuere poſſint; eaque imprimis ex proſapiâ ſalinâ, ut *in Concretum Calculi ſalinum ſubtiliter penetrent & diſſolvant.* Unde non ad Corroſivitatem in ſpecie reſpiciendum eſt in Remediis Calculum frangentibus.

Confirmant hoc *Obſervationes* quædam Calculorum in Corpore diſſolutorum. Nihil dicam de Paracelſi & Helmontii *Ludo*, quia, cùm rarus ſit, & neuter poſſit oſtendi, apud incredulos non merebitur fidem. Sed urgeo ſaltem, quod *Perſicaria & Succus Betulæ*, item *Semen Dauci* ſint ad Calculum frangendum deſtinata, quorum frequenti ac continuato uſu Calculum comminui obſervatum fuerit. Hinc enim Dn. Boyle *in Philoſophiâ experimentali* aliquot Exempla refert, per ſolum Dauci Semen fractum fuiſſe Renum Calculum. Sic Perſicaria quoque Secretum eſt quorundam Anglorum, Augenii, & Laurembergii, contra Renum Calculum, quòd ejus Aqua diutiùs continuata Calculum ita comminuerit, ut fruſtulatim ipſe fuerit ejectus. Experimentum etiam ad Calculum Veſicæ imminuendum ſunt *Millepedes*, de quibus infrà dicam. Hæc nullo modo ſunt corroſiva, tantùm acria volatilia. Sic ipſe quoque amicum, Medicinæ Doctorem, Dreſdæ, novi, qui Spiritum inſtar Salis Ammoniaci ex Tartaro habet volatilem inſignem, mediante quo crebrò uſurpato, aliquoties Renum Calculos felici Experimento intra Corpus comminutos, fruſtulorum parvorum formâ ſucceſſivè expulit. *Sal Fimi columbini* benè præparatum, uti poſtmodùm habebimus, & ipſum obſervatum fuit, aliquando diſſolviſſe Calculum, & fruſtulatim eundem ejeciſſe. Reverà ergò dantur Lithontriptica, modò præparare ſtudeamus tales Liquores, vel talia Menſtrua, quæ aſſumpta citra violentiam, Calculi poris ſe inſinuare, eosdem permeare, & ita Coagulum ejus ſubtiliter ſolvere poſſint. Obſervanda tamen hîc eſt ſedulò diverſitas Calculorum in duritie, de quâ *ſuprà*; unde & aliqualis varietas tam in ipſis Remediis, quàm eorumdem effectibus circà Calculi diſſolutionem, obſervanda erit. Quædam enim ſunt potentiora & magis univerſalia, quædam verò magis particularia & imbecilliora, quæ ſaltem quoſdam Calculos, & in quibuſdam tantum Subjectis, poſſunt diſſolvere, quos in aliis Subjectis intactos relinquunt.

Sed talia *vera Lithontriptica reverà ſunt rara & pauca.*

Sufficit, ut loco horum in Paroxyſmo Calculi, ſedatis maximam partem Paroxyſmi Doloribus & gravioribus Symptomatis, *Diuretica* plùs minùs acria, aut fortia Appropriata, ſed malè *Lithontriptica* dicta quibuſdam, in uſum adhibeantur, quæ

quæ partim in Paroxysmo, partim extra Paroxysmum ad Præservationem possunt inservire; sive in Præservationis negotio operentur Acidum absorbendo, ut Testacea, Lapides minerales & animales; sive vi diureticâ Renes & loca urinaria abstergendo, ut omnia Raphanacea, Liquor Betulæ, &c. seu balsamicâ vi Fermentum Renum conservando, ut Juniperina, Terebinthinata, &c. *Diuretica* talia à quibusdam, malè licèt, *Lithontriptica* dicta, sunt multiplicia: & quidem *ex Vegetabilibus* Herba & Radix Liquiritiæ, Radix Fœniculi, Petroselini, Pimpinellæ, Lapathi majoris, Apii, Baccæ Juniperi, Radix Rubiæ tinctorum, Eryngii, Bardanæ majoris, *Ononidis*, cujus *Essentiam* egregiè *Lithontripticam* vid. in *Colleg. Pharmaceut. in Schrœderi Pharmacop. Medico-chym. P.* 1. *in Regno Vegetab. pag.* 86. De Semine Bardanæ in M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obs.* 122. *& Ann.* 6. *Obs.* 102. Imprimis omnia Raphanorum genera, Sale acri diuretico prædita, conveniunt: Nam *Raphanacea* non tantùm præservant à Calculo abstergendo Renes, sed etiam Calculi geniti excretionem Diuresi forti promovent; hinc Infusum eorum cum Spiritu Vini Tachenius *l. a.* commendat: ac præ cæteris Raphanus orbicularis prodest. Certè decantatus *Succus Raphani* ad ʒij. missus cum ana *Vini Malvatici* à Timæo *von Gulden-klee* laudatur. Eminet hæc inter *Radix Armoraciæ*, quæ *Vino infusa* recens, & aliquoties hausta, volatili suo Sale Renes abstergendo à Calculo præservat, eundem verò præsentem fortiter pellit. Alii insuper Armoraciam, tam Radicem quàm Folia incisa, infundunt Vino, & Vase clauso per quatuordecim dies in cellâ relinquunt, quem *Liquorem* per Alembicum *destillatum* ad Calculum promovendum hinc mirè commendant. Interim tamen ejusmodi Remedia Alliata acriora non semper æquè tuta sunt, cùm ardores Renum in illis soleant intendere, qui aliàs iisdem vexantur. Usurpentur autem talia Diuretica præmissis, ut dixi, præmittendis, tam Internis primas vias respicientibus, & Symptomata mitigantibus, quàm Externis Anodynis emollientibus. Commodè etiam propinantur sub introitum Balnei, ut eò commodiùs tunc operari queant. Pertinet huc porrò Hedera terrestris, item Capillus Veneris, Chærefolium, Parietaria, Fragaria, & Veronica, de cujus Decocto & Aquâ destillatâ vid. M. A. N. C. *Ann.* 1. *Obs.* 107. *p.* 245. & Crato *in Consil.* Folia Quercûs tenella, Agrimonia, &c. Conveniunt etiam Cepæ & Allium, præsertim ejus Capita, quæ Sale volatili acri penetrante diuretico, tam Acidum, Calculi coagulatorem, corrigunt, quàm Renes abstergunt, eorumque Fermentum ad Calculum disponens suo modo alterant. Hinc multis non incongruè in usu positum est singulis noviluniis Capitulum, vel aliquot saltem Allii Dentes, 6. 7. 8. 9. &c. minutim conscindere, & in Aquæ seu Spiritûs Baccarum Juniperi cochleari uno vel altero, vel Spiritu Vini haurire, ad Præservationem & Curationem Calculi, cujus Remedii efficaciam laudat Bartholinus *in Epist. Medicinalibus*. Medicus quidam ceu optimum *Experimentum contra Calculum* venditavit sequens.

℞. *Herb. Heder. terr. sicc.* M. j. vel ij.
*Capitul. Allii* No. j. ij. vel iij.
Discerpantur in frustula, affundatur
*Spiritûs Vini* ℔j.
Stet per dies & noctes aliquot probè clausa, deinde agitati & probè colati Liquoris detur Cochlear j. vel ij. pro Præservatione singulis pleniluniis & noviluniis; hoc enim certissimè præservare, & cõtinuato usu Calculũ curare asserit.

Cortices Avellanarum interiores etiam laudantur. Abrotani Pulverem cum Nitro Simon Pauli *Quadrip. Botan. pag.* 183. extollit. Huc pertinet & *Fraxinus*, in quo, imprimis Semine, non contemnenda est vis contra Calculum, præsertim in Oleo destillato ac *Sale volatili Seminis Fraxini*; hinc etiam in ejusdem Cortice interiore; quæ singulariter laudantur à Glaubero Conf. *Act. Anglic. No.* 43. Hinc non inelegans est hoc *Oleum* Lithontripticum admodùm balsamicum & potens, quod contra Lithiasin alii conficiunt, & tanquam Secretum in Calculo Renum commendant.

℞. *Cort. Rad. Frax. inter.* ℔ij.
*Bacc. Junip. rec.* ℔iij.
*Terebinth.* ℔iß. ad ℔iiß.
Terenda terantur, & cum *Terebinthinâ* misceantur, & in ℔xij. *Aquæ* in Vase obturato in digestionem vel putredinem ponantur per tres menses, postmodùm destillentur leni igne, ut dent *Oleum* potentissimum, cujus guttæ viij. vel x. in *Vino albo* capiendæ, mirè conducere dicuntur, tam præservando quàm curando Calculo.

Porrò laudantur Baccæ Juniperi, Hederæ arboreæ, Ciceres rubri, Fructus Alkekengi & Avellanæ, quarum egregiam efficaciam expertus est Amatus Lusitanus *in Cent.* Cynosbati cocti seu condîti commendantur: vid. Unzerus *de Calc. pag.* 965. & Borellus *Cent.* 3. *Observ.* 22. Item horum Arilli & Oleum inde expressum, & Spongia, quæ simul anodyna est: vid. Crato *lib.* 6. *Conf.* 83. & Simon Pauli *Quadrip. Botan. pag.* 65. & 57. Præter dicta *Flores Genistæ, Virgæ aureæ*, item Flores Cyani & Calcatrippæ, *Semen Milii Solis*, in specie Semina Hyperici, Dauci & Cumini, vulgaria quidem Remedia, sed optima Nephritica, & plus habent in recessu. In Hyperici Semine res est clara, quòd manu contritum & contusum Terebinthinam spiret & sapiat; jam autem nota est vis Terebinthinæ contra Calculum. Convenit ergò cum eâ, tam vi balsamicâ, quàm diureticâ; unde Zapata in *Clave Med. cap.* 10. mirabiliter extollit ad præservandum Calculum sequens *Electuarium*:

℞. *Pulv. Hyperic. ex Sem.* in Julio vel Autumno collect. & exsiccat. ʒiii.
*Succ.* vel *Conf. Ros.* vel *Viol.* vel *Rob. Junip.* ℔i. ad ℔ii.
Misc. fiat Electuarium.

Dosis est ʒß. omni septimanâ semel vel bis pro circumstantiarum ratione, tribus ante prandium horis usurpandum.

Laudatur quoque hoc ipsum tam Præservationis quàm Curationis tempore ab Epiphanio Ferdinando tanquàm expertissimum, *Hist. Med.* 54. De *Dauco & Semine* ejus quantum in Calculo valeat, imprimis vid. Helmontius *Tract. de Lithiasi*, ubi Experimentis, & Rationibus comprobat ejus vim antinephriticam; & *Angli* partim ad Præservationem, partim ad Curationem Paroxysmi nephritici frequenter utuntur hoc Semine, tam in substantiâ, quàm, ut moris est, in Cerevisiâ medicatâ, addendo Cerevisiæ, dum fermentare incipit, Dauci Semen contusum, ita ut fermentando recludatur à Cerevisiâ, & vi lithontripticâ imbibatur; hac enim ratione per talem Cerevisiam Nephriticam multum præstant in curando & præcavendo Calculo, quod ipse novi, Conf. Boyle *In Philos. Experiment. De Junipero*, ejusque Baccis & Lignis, item *de Ligno Nephritico* Indiæ Orientalis, res per se nota est, quid hoc in casu præstent? ex quibus paratum Decoctum

vel Infusum potenter Calculosos restituit, uti videre potestis in Sennerto, *ubi de Calculo*, item in Scriptoribus iis, qui scripserunt de Exoticis, in specie in Bauhino. *Gummi Cerasorum* solutum in Vino, vel sub formâ Pilularum instar Terebinthinæ propinatum egregiè præservat & pellit Calculum. Item in *Persicariâ* acris saporis multa latitare contra Calculum, apud omnes in confesso est, cujus Aqua destillata in Balneo Mariæ, & aliquoties à recenti Plantâ cohobata, Experimentum est quorundam Anglorum contra Renum Calculum, cujus Potu se præservant, quod pluribus explicat Boyle *l. a. Succus Citri* aut *Limonum* ad ʒij. cum Vini Malvatici ʒvj. ad exturbandum Calculum non injuriâ à Timæo *von Gulden-klee*, aliisque laudatur; sicut Succus Parietariæ & Veronicæ, item Rob Juniperi, Rob Cynosbati; & ex his paratum Malvaticum Juniperinum, aut Cynosbatinum; non secus ac *Succus* seu Aqua *Betulæ*, mense Martio collecta ex ramis tenellis Betulæ, non trunco, & instar Acidularum gradatim potata, elegantissimum & decantatissimum est contra Calculi Pathemata Remedium: de quo vid. Helmontius *Tract. de Lithiasi cap.* 8. ubi videbitis egregia de Succo Betulæ, & egregiam Cerevisiam medicatam contra Calculum. Post Helmontium eum etiam commendant Charleton *de Spiritu Gorgonio seu Calculo pag.* 179. Bartholinus *in Act. Med. Hafniens. P.* 1. *Observ.* 19. *pag.* 49. Boyle *Philos. Experim. Tom.* 1. *pag.* 102. Item de Cerevisia medicatâ cum Betulâ vid. *Colleg. Pharm. in* Schroederi, *Pharmacop. Medico-Chym. Part.* 1. *Sect.* 1. *pag.* 21. Kergerus *de Ferment. pag.* 178. *M. A. N. C. Ann.* 3. *Observ.* 155. *pag.* 278. *& Ann.* 4. *Observ.* 201. *pag.* 276. Ex his aliisque quamplurimis *Vegetabilibus* fiunt vulgò *Essentiæ*, & *Extracta*, *Nephritica* dicta, composita, imprimis ex Hyperico, Baccis Alkekengi, Parietariâ, Cynosbato, Allio, Hederâ terrestri, Baccis Juniperi, Veronicâ & similibus, cum Spiritu Baccarum Alkekengi, Glomorum Cynosbati, vel Spiritu Vini tartarisato parata: quibus pro lubitu *Opium* addendum venit, ut eò majorem vim anodynam possideant.

Nec prætereundum est Arcanum contra Calculũ Timæi *von Gulden-klee, in l.* 3. *Epist.* 32. tale:

℞. *Nenasira* (h. e. *Anserin.*)
Calendis Maji ante Solis exortum
collect. M. viij.
*Lesace* (*Secale*) *virid.* M. iv.
Exprime ex his Succum;
adde
*Vini rubri* ad pondus omnium:
Misce, & filtra.

Exhibeantur quotannis primo, secundo & tertio die Maji in aurorâ ʒvij. purgato priùs Corpore. Agit ob Sal volatile nitrosum Anserinæ, & Sal volatile Roris majalis, quo ante Solis ortum Herbæ imprægnantur.

Porrò pertinent huc etiam *Salia*, tam Alcalia quàm Salsa, in specie Nitrum & quæ nitrosæ sunt prosapiæ, ad Calculos solvendos, & vi diureticâ promovendos, optima: speciatim tamen excellunt hîc Salia ex dictis Vegetabilibus Diureticis parata, ut Sal Genistæ, Sal Stipitum Fabarum, Sal Ononidis, Stercoris Columbini; & in specie omnibus his meliora *Sal volatile Succini*, & *Sal Urinæ* egregia sunt Diuretica Antinephritica, Nitrum fixum, & omnium maximè Spiritus Nitri dulcis, nobilia sunt Remedia, quæ multum obtinent in Curâ Calculi: & imprimis Stercus Columbinum Nitro feraciissimum; item Lac Caprinum, Lotium Capræ, ut & aliorum Animalium *Stercora & Lotia* propter Sal nitrosum in ipsis contentum, ad calculosos Affectus sunt perquàm usitata. De qua vi, vel efficaciâ Stercoris Columbini, præter communem Autorum consensum, in specie vid. Forestus *lib.* 24. *Obs.* 25. *in Schol.* Hinc recipiunt quidam *Stercus Columbinum*, moderatè calcinant, & Sal exinde nitrosum in Vino acidulo propinant ceu nobile Diureticum; uti & alii recipiunt Stercus Columbinum; istudque macerant in Aceto per diem, & noctem, postea filtrant: *Aceti* hujus p. ij. addunt *Mellis* depur. part. j. miscent & propinant ceu probatissimum Remedium contra Calculum. Polemanni *Sal Lithontripticum* recipit etiam Nitrum; cujus præscriptio est hæc:

℞. *Nitri purissimi* ℔j.
Fluat in igne, injiciendo desuper frustum *Sulphuris communis* magnitudine Fabæ, quo deflagrato aliud superinjice, donec hujus *Sulphuris* ʒß. absumpta sit: Ubi omnia refrixerint, ac denuò pulverisata fuerint, denuò eodem modo procedatur, atque hoc tertiâ vice repetatur, semper successivè *Sulphuris* ad ʒß. adjiciendo. Jam
℞. *Nitri ita præp.*
*Salis Absinth.* an. ʒj.
*Succini* ʒß.
*Sacch. albi* ʒvj.
*Olei destillat. Succin.* ℥iv.
Misc. pro Pulvere.

De hôc dosis, quantum tres cultelli cuspides capiunt, propinetur unâ vice, bis ter vel quater in die, pro circumstantiarum variatione. Omnem saburram ex partibus urinariis evertit, & Calculum recentem comminuit.

Hisce etiam addatur *Sal Compositum*, quod in Paroxysmo Nephritico ad sistendum Dolorem Nephriticum & promovendum Calculum est egregium, cujus præparatio hæc est:

Fiat *Sal fixum ex Nitro mediantibus Carbonibus*:
Hoc Nitrum exponatur aëri, ut liquescat ad Pultis consistentiam saltim: Huic affundatur
*Olei Vitrioli rubri* ana;
Et factâ ebullitione, & eâdem cessante abstrahatur Liquor ex Retortâ forti igne, & remanebit Sal candidum subacidum; quod ipsum præter usum singularem Nephriticum etiam aliquid singulare obtinebit in usu Pharmaceutico & Alchymistico in puncto solutionis Corporum.

Porrò præter dicta Salia Nitrosa, vi nephriticâ etiam innotuerunt hactenus ipsi *Lapides* tam Minerales, quàm Animales, ad pellendos & præservandos Calculos, unde v. g. Lapis *Judaicus*, Lapis *Lyncis*, Lapis *Spongiæ*, Lapis *Nephriticus*; Lapides seu Oculi *Cancrorum*, Lapis in Vesicâ *Apri* sive *Bovis* repertus, Mandibulæ *Lucii* piscis, Dentes *Truttarum*, Lapides *Percarum*, *Carpionum*, *Aquilæ*, item Testæ *Ovorum*, maximè *Struthionis*, &c. præcellunt in Calculo curando. Verùm hæc ipsa rarò per se solent convenire, sed Acidum, Calculi coagulatorem, in Corpore peccans saltem absorbendo, acrimoniam Seri urinarii in Paroxysmo temperant, ac mutatione sui saporis in Salsum tertium, vim diureticam egregiè acquirunt. Melius est, si dissolvantur cum Spiritu Salis compositi, ex Sale Communi & Sale Ammoniaco parato. De Ovis Struthionum cum *Spiritu Salis* solutis, vid. Tachenius *l. a.* Dant *Liquorem Nephriticum* salsum præstantem. In Pelliculas mucilaginosas Spiritûs Salis Testas Ovorum solvit, quæ Pelliculæ urinosi saporis sunt. Si his autem Pelliculis

additu

additur Sal fixum, præcipitat se Pulvis, quod probat, Pelliculis his adhuc Acidum adfuisse. Faciunt huc *Liquores Nephritici* dicti, ex hisce Lapidibus parati, quibusdam in usu, pro varietate Autorum varii: v. g.

℞. *Lapill. Cancr.*
*Lapid. Judaic.*
*Lyncis*,
*Spongiæ*,
*Aquilæ*,
*Glac. Mariæ* an. qu. v.

Solvantur in *Spiritu Salis decrepitati ritè destillato* (id est, ultimo ignis gradu elicito) vel *Spiritu Salis compos.* Solutio saporis adstrictorii decantatur, filtratur, coagulatur leni calore in Vitro ad siccitatem. Materia hæc siccata iterum pulverisanda, & hinc in Cellâ per deliquium dissolvenda, filtranda, & ita pro usu asservanda.

*Liquor* hic *salsus elegans diureticus* ad 20. vel 30. guttulas in declinatione Paroxysmi Nephritici ad eliminandum Calculum in Vino frequenter propinatur, pellit Calculum per Urinam instar massæ coagulatæ, seu massæ crassioris. Aliàs Calculus ex Felle Bovis desumptus & pulverisatus, ad gr. v. assumptus, admodùm probatum contra Calculum dicitur Remedium; nam Spiritu Salis fit ita diureticus, & insigniter expellens. In *Cancris fluviatilibus* singularis latitat vis antinephritica ratione virtutis diureticæ, quæ in Alcali eorum latet, unde Decoctum Cancrorum fluviatilium Ovulis prægnantium egregiè ad curandum & præservandum commendatur Calculum. Item

℞. *Cancr. fluviat.*

Coqu. in *Vino* in Ollâ probè obturatâ tamdiu, donec pulverisari possint.

Hujus Pulveris ʒj. propinata aliquot desperato Calculo laborantes, & incredibiliter ejulantes restituit, atque hoc certum est.

De *Calculo Humano* vid. *Colleg. Pharmaceut. in Schrœderi Pharmacop. Part.* 1. *Sect.* 3. *cap.* 8. Dosis ℈j. ad ʒj. Urinam pellit. Quibusdam hinc accedit Superstitio, quòd proprios Calculos devoratos præservare à Calculo dicunt. Promovent quidam Urinam, sed curativè & præservativè nil valent.

Dictis modò Lapidibus vicariæ sunt *Testæ Ovorum*, & quidem Testis Ovorum communibus meliores sunt Testæ Ovorum, ex quibus excluſi sunt Pulli: omnium optima sunt Ova Struthionum. Unde etiam *Testæ Ovorum Struthionum* ingredi simul solent Liquorem Nephriticum. Aliàs etiam *Testæ Ovorum calcinatæ* à multis laudantur. In specie Bartholinus multa habet de virtute Testarum Ovorum calcinatarum contra Calculum *in Hist. Anatom.* imprimis *in Cent.* 4. *Epist. pag.* 451. & 526. refert. *Aquam Nephriticam* Decoctionis talis Calcis Testarum Ovorum mirè prodesse, & in specie *Aquam Calcis Ostreorum* ad Calculum in mucilaginem dissolvendum, multum prodesse refert. Nam Ovorum Testæ, uti & Marina testacea, calcinando in Corpus instar Calcis vivæ abeunt, cujus Calcis vivæ Lixivium ad Calculum in Paroxysmo promovendum est laudatum. Sanè in ipsâ *Calce vivâ* vulgari singularis vis antinephritica residet, unde & Spiritus Calcis vivæ *Basilii* ritè paratus ceu singularissimum Calculum frangens laudatur; loco cujus Sal ex Calce vivâ cum Sale Ammoniaco calcinando & elixiviando paratum commodè substitui potest. Unde etiam ex Calce vivâ cum Tartaro Tincturæ Nephriticæ parari solent non inelegantes: Sic famosus aliquando Medicus *Tincturam Nephriticum* habuit talem: v. g.

℞. *Calcis vivæ* p. iv.
*Tartari crud.* part. ii.

Coqu. in Ollâ cum *Aquâ font.* (Tartarus enim alcalisatur.) Liquor filtratur, coagulatur, & emergit Sal fixum planè singularis naturæ: quod ipsum vel crudum usurpari potest; vel fundatur, hinc extrahatur cum *Spiritu Vini probè rectificato*, donec rubescat, & saporem urinosum & fortiter penetrantem acquirat. Hinc sub nomine Tincturæ Nephriticæ, quæ est egregium Remedium in Calculo in & extra Paroxysmum, similibusque Morbis Tartareis, à ℈j. vel ʒß. ad ʒj. usurpatur.

Quò pertinet *Antinephriticum* D. Helvetii, qui scripsit de Vitriolo aureo ex Calce vivâ.

℞. *Calcis vivæ* q. v. affunde
*Aceti destillati* optimi ad eminent. trium, vel quatuor digitor.

Coque, frigefac, decanta, inspissa, seu ad siccitatem evapora: Sal candefac in Crucibulo, & extrahe vel cum *Spiritu Vini*, vel cum *Vino Hispanico.*

Dosis gutt. 10. ad 20. in Calculo.

*Externè contra Podagram* ℥j. infunditur in Vinum aut Urinam propriam, & eò laventur partes Podagrâ affectæ.

Tandem *Lumbrici*, & horum Spiritus per putrefactionem paratus, egregium sunt Nephriticum, quī adhuc superantur ab *Asellis* ritè præparatis, de quibus infrà *Membr.* 2. *Art.* 1. *c.* 2. *ubi de Calculo Vesicæ.* Speciatim *Scarabæi Majales* præ cæteris insigniter conveniunt: imprimis *Alæ* horum *superiores* ac duræ pulverisatæ propinatæ in Vino usurpatæ egregium dant Antinephriticum. Vel

℞. *Scarab. Majal.* mense Majo, vel medio Junii captos, & absque attactu manûs contectos: Suffoca in spiritu Vini, suffocati ita blandè exsiccantur: exsiccati discinduntur, & in eorum medio reperitur istud Liquidum viscosum, quod eximitur & asservatur. Dehinc ipsum Corpus pulverisa, misce cum proprio Liquore unctuoso, ut acquirat consistentiam debitam. Post

℞. *Hujus Balsami* ʒj.
*Olei destillat. Anisi*,
*Caryoph.* à gutt. iij. M. f. Pilulæ.

Harum Pilularum ℞. gr. ij. & propina Nephriticis & Arthriticis, mane jejuno stomacho, in Aquâ Flor. Sambuci, vel Rosarum. Æger moderatè vivat in Diætâ, sic brevi pòst excitabitur Stranguria, quæ per 30. dies durabit. Si autem non statim superveniat Stranguria, reiteretur secundo die, & optatum habebis eventum in curando Calculo. Conf. *Colleg. Pharmac. in Schrœderi in Pharmacop. Part.* 1. *Sect.* 2.

Huc pariter pertinent *Scorpiones*, si nempe Pulvis factus ex quatuor, quinque, vel sex Scorpionibus lavatis, sicque vivis per 24. horas in Vino Malvatico relictis, postmodùm in Ollâ supra Folia Salviæ positis in Furno blandè crematis. Dosis gr. iij. iv. aut v. in Ovo sorbili vel Vino propinata, Calculum promovet.

*Grilli* domestici, in Rusticorum Hypocaustis familiares, egregium sunt Lithontripticum, si nempe unus alterve, abjectis capitibus, alis ac pedibus, in Aquâ Petroselini vel aliâ appropriatâ macerentur, idque tamdiu, donec in Liquorem lacteum facessant, Liquorque propinetur: multoties Experimentum hoc factum, & ad miraculum in Urinæ retentione fluxus secutus; quin etiam vel integer vel resolutus Calculus prodire coactus fuit: vid. M. A. N. C. *Ann.* 9. & 10. *Obs.* 71. Huc etiam facit *Essentia Reguli* avis Gœrlicensium,

quam *vid. in Diſpenſat.* quæ valdè commendatur in Calculo: Nam Regulus avis ſingulariter convenit in Affectibus urinariis, in ſpecie in promovendâ Urina, & pellendo Calculo.

Ex dictis Diureticis ſequentes *Formulæ* concinnandæ:

℞. *Aquæ Heder. terreſtr.*
*Petroſel.*
*Alkekeng.* an. ℥j.
*Malvat. Juniper.* ℥iß.
*Spiritûs Lumbric. terreſtr.* ℥ij.
*Salis Ammoniaci*, vel *Urinæ* ℥iß.
*Syrup. Heder. terreſtr.* ℥j.
M. f. Potio: S.
Mixtura Diuretica cochleatim ſumenda.
Vel

℞. *Radic. Alth.*
*Petroſel.* an. ℥j.
*Rubiæ tinct.* ℥vj.
*Liquirit.*
*Bacc. Junip.* an. ℥ß.
*Ficuum ping.* Num. viij.
*Fruct. Alkekeng.* Num. vj.
*Sem. Malvæ.*
*Violar.*
*Urticæ* an. ℥iij.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ comm.*
In Colaturæ ℔ij. diſſolve
*Syrup. de quinque Rad.* ℥j.
*Spiritûs Salis dulc.*
M. D. S.
Potio Diuretica.
Vel

℞. *Malvat. Juniper.* ℥iij.
*Spiritûs Salis* ℈j.
M. D. S.
Elixir Diureticum.
Doſis ℥j. ad ℥ij.

℞. *Tincturæ Tartari,*
*Antimonii* an. ℥j.
M. D. S.
Tinctura Diuretica.
Vel

℞. *Liqu. Terræ fol. Tartari* ℥ij.
*Tincturæ Tartari* ℥j.
M. S. ut antè.
Doſis 40. vel 50. guttulæ.

℞. *Liquor. Tartari tartariſat.* vel *Tincturæ Tartari acerr.* ℥iij.
Doſis 40. guttulæ.

℞. *Tincturæ Nephrit.* ℥ij.
S.
Tinctura Diuretica.
Vel

℞. *Pulv. Coccionellæ* ℈ij.
*Salis Fimi Columb.* gr. xvi.
M. pro Pulvere.
Div. in 2. part. æquales.
Vel

℞. *Tartari vitriolati* ℈j.
*Lap. Cancrorum præp.* ℥ß.
*Sal. Sterc. Columbin.* gr. xv.
*volat. Succini* ℥ß.
Miſc. pro tribus doſibus, capiendis in Vino.
Vel

℞. *Lap. Cancr. præp.* ℥ß.
*Salis volat. Succin.* ℈ß.
Miſc. f. Pulvis. S.
Pulvis Diureticus.

Huc quoque pertinent Emulſiones Terebinthinatæ cum Melle, Vitello Ovi, Aquâ Petroſelini vel appropriatâ quâdam, & Succo Citri.

## CURA PRÆSERVATORIA.

Cæterùm & ea, quæ extra Paroxyſmum Nephriticos curant, ſunt *Præſervativa*, ſeu talia, quæ præcavent, ne generetur de novo Calculus. Talia in quatuor Scopos diſtinguuntur; ſcilicet

1. Sunt ea, quæ *primas vias* frequentiùs abſtergunt, & expurgant.
2. *Acidum coagulans* primarum viarum, & hinc viarum urinariarum vitioſum corrigunt aut abſorbent, aut cum Urinâ evehunt.
3. Quæ *Renes* moderatis Diureticis abſtergunt, & ita Arenulas & rudimenta Calculi maturè tollunt, & ulteriùs Arenularum concrementum, & Calculorum coagmentationem, ſucceſſivè prohibent.
4. Ea, quæ in ſpecie *Renibus, eorumque Fermento appropriata* ſunt, illudque conſervant ejuſdem Alterationem præternaturalem corrigunt, Putredinis præternaturalis notam Urinæ imprimendæ tollunt, id eſt, vi ſuâ balſamicâ, in Sale volatili oleoſo fundatâ, putredinalem diſpoſitionem in Renibus removent.

I. Ratione *primarum viarum* conveniet, harum Cruditates ſingulis tribus vel quatuor menſibus *Purgatione* ſolenniore, ſingulis verò ſeptimanis *Laxante*, evacuari: Quarum tamen nec illa fortiora ſint, id eſt quæ Humores nimis exagitant, & ad Renes commovent: (vid. Nicolaus Piſo *lib. 3. Pract. cap. 35.* & Unzerus *de Nephritide lib. 1. pag. 972.*) ſed mitiora, qualia præter ſuperiùs recenſita ſunt Helleborus niger, Folia Sennæ: vid. Montanus *Conſil. 267. & 268.*) Pulvis *Solenandri* ex Sennâ, Rhabarbaro, Turpetho; Syrupus Roſarum ſolutivus, &c. Hinc quotidie etiam aſſumantur Juſcula, in quibus Radix Liquiritiæ, Polypodii, Flores Violarum, &c. ebullierint, aut Decoctum Prunorum ſimplex, vel cum Foliis Sennæ; item Cremor, & Cryſtalli Tartari, &c. Imò hujus loci imprimis quoque erunt *Vomitoria*, quæ ipſa ſubinde repetita multum conferunt in præſervando Calculo, teſte Hildano *Cent. 5. Obſ. 61. & Epiſt. 55.* & Unzero *l. a. pag. 973.* & quidem modò mitiora, modò potentiora, pro circumſtantiarum varietate.

II. *Acidum coagulans*, temperant ac abſorbent *Terrea abſorbentia*, vel Mineralia, vel Animalia, Lapides nempe ſuprà memorati, & Teſtacea, v. g. Lapis Spongiæ, Cancrorum, Corallia, Silices, & Alcalia fixa ex Diureticis parata; item Lixivium tale, in quo Silices candefacti extincti ſunt. His Salia volatilia & Spiritus urinoſos addere licet, frequentiùs cum paſtu aut poſt paſtum aſſumptos, quæ omnia Acidum præternaturale in primis viis imbibunt & deſtruunt, hinc Calculi coagulationem prohibent.
Vel

℞. *Arcan. dupl.* ℈j.
*Corall. rubr. præp.*
*Matr. Perlar. præp.* an. ℈ß.
Miſc. pro Pulvere:
Div. in 2. part. æqual. S.
Pulvis Digeſtivus.

III. Tertio Scopo ſatisfaciunt *Diuretica volatilia*, ut Salia volatilia quæcunque, in ſpecie Spiritus & Sal volatile Tartari, Spiritus Carminativus de Tribus, quadraginta gutt. Spiritus Salis Ammoniaci & Urinæ, Tinctura Nephritica *Ammelungii*, Spiritus Lumbricorum, Elixir Proprietatis.

℞. *Tincturæ Tartari acerr.*
*Compoſ.* an. ℥iß.

M. S.

M. S.
Mixtura Stomachalis.
Vel

℞. *Aquæ Alkek.*
*Ceraſ. nigr.* cum *Nucl.* an. ℥iß.
*Malv. Juniperin.* ℥vj. ad ℥j.
*Tincturæ Nephrit.* ℥uj.
*Lapill. Cancr. præp.* ʒß.
*Laud. Opiati* gr. ij.
*Syrup. Fragor.* ℥ß.
M. D. S.

Mixtura Renes purgans cochleatim ſumenda.

Addunt his nonnulli *Lac & Lacticinia*, excepto Caſeo. Verùm cùm omne Lac plùs minùs ſubſtantiæ caſeoſæ in ſe habeat, de ejus uſu in Lithiaſi meritò dubitatur: Vid. Horatius Augenius T. I. *lib.* 1. *Epiſt.* 1. *cap.* 8. 9. &c. & Unzerus *l. a. pag.* 963.

Renes quoque abſtergunt Serum Lactis, Acidulæ, Aquea quævis, & Pinguia frequentiùs hauſta: Hinc Zechius *Conſult.* 13. & 17. Juſcula Pulli gallinacei, vitulinæ aut vervecinæ Carnis, item Aquam tepidam ſimplicem immediatè ante paſtum quemlibet commendat, tanquam Renes ſingulariter purgantia ac temperantia. Aſt potentiùs agunt hæc *Diuretica*, quamvis non nulli ſint, qui eorum uſum in Præſervatione à Calculo planè interdicunt, ſcilicet Crato apud Scholzium *Conſ.* 246. Henricus *Methodo ad Praxin lib.* 2. *cap.* 12. & Rubæus *in Celſum lib.* 4. *cap.* 10. Ab aliis tamen ea maximè commendatur, v. g. Unzero, Riverio, &c. Sed Controverſia hæc facilè componi poteſt, modò obſervetur in eorum uſu, ut

1. *Mitiora* ſint.
2. *Jejuno Stomacho*, & longè ante paſtum;
3. Et non niſi *purgatis prius primis viis*, propinentur.

Talia ſunt Terebinthinata, Juniperina, de quibus vid. Amatus Luſitanus; Radix Bardanæ, Raphanorum genera cuncta, v. g. Armoraciæ Radix & Folia, ſi Vinum ab his deſtilletur, Liquor Betulæ, de quo heri dictum; Semen Dauci, quod cum Cereviſiâ fermentatum contra Calculum commendat Bartholinus *Cent.* 3. *Epiſt.* 30. & Bartholinus *Act. Haffnienſ. Part.* 1. *Obſervat.* 15. Succus Veronicæ in Saccharo inſpiſſatus, & cum Semine Violarum mixtus: vid. Crato *l. a.* Ex Scarabæis ſubcœruleis combuſtis Borellus *Centur.* 4. *Obſervat.* 73. addendo tantillum Caryophyllorum, Pulverem parat: Alii Pulverem Scorpionum exhibent: Ab aliis verò Acidulæ non ſine ratione laudantur: Sicut autem ſuperiùs dictum de uſu Diureticorum non nullos Practicos dubitare, ita non adeò frequens is eſſe debet, & ſufficiet bis tantùm in menſe, aut vix intra tres ſeptimanas illa aſſumere; quamvis Obſervatio, cujus Amatus Luſitanus *Cent.* 2. *Obſer.* 68. mentionem facit, Terebinthinæ uſum frequentiorem concedere videatur.

IV. Pro quartò Scopo conducunt ea, *quæ præſervant à Putredine renali*, qualia ſant Balſamica, Terebinthinata, Juniperina, Balſamus Sulphuris terebinthinatus ad quindecim guttas, Hypericata, Remedia ex Dauco, Aniſata, Moſchata, in ſpecie Crocus, Macis, Allium, & Alliata, Succus Betulæ, Rhabarbarum, & ſimilia Renibus dicata. (R)

## ARTICULUS III.

### *De Urinæ Secretione Nimis Aucta.*

HActenus de Calculo Renum occaſione Suppreſſionis Urinæ. *Contrarium huic vitium eſt immodica & nimia Urinæ Excretio*, dum plus effluit ex Corpore, quàm aut aſſumpta potulenta Materia, aut Serum in Maſsâ Sanguineâ proportionaliter ſuggerere poſſunt, in Affectu qui aliàs dicitur *Diabetes*.

## MEMBRUM UNICUM.

### *De Diabete.*

ALiàs *Diabetis* nomine *duo vitia* inſigniuntur, idque promiſcuè, adeòque nec abſque confuſione. Nam *primò* eſt Diabetes, (*mingere nimium*) quando immodicè Urina effluit, & plus quidem, quàm bibendo Homo aſſumit: cujus rei Exemplum ſtupendum ſuppeditat Digby *in Oratione de Pulvere Sympathetico*; ſicuti etiam Schenckius *in Obſerv. lib.* 3. *ubi de Diabete*, aliquot profuſi hujus Urinæ Profluvii habet Exempla: Inter alia refert quendam, qui quotidie ſupra quatuor Cantharos minxit, utut vix Quadrantem biberit: Idem notat Exemplum Puellæ plus paucis diebus mingentis, quàm ut tota ponderaret: Item Bartholinus *in Actis Haffnienſ. Volum.* 1. *Obſerv.* 5. *pag.* 14. refert Virum, qui per aliquot

(R) Nota Cyrilli. *Experto crede: Securiſſimè à Calulo præſervantur, qui in Ventriculi cruditates non incidunt: primus enim Calculorum faber Ventriculus eſt, in crudum viſcidumque ſuccum cibos convertens. Quare huic morbo obnoxii optimè ſibi conſulunt, ſi ea vitent cibaria, eoſque potus, ex quibus crudum Chylum gigni experti fuerint. Quòd ſi craſſi hi viſcidique ſucci congeri cœperint, optimum erit illos Rhabarbaro vel Aloë opportunè per intervalla eliminare: ad quorum quoque extenuationem, atque versùs Inteſtina deturbationem, quam maximè conducit copioſus Aquæ tepidæ jejuno ſtomacho ſumtæ uſus, ac Corporis nunquam intermiſſum exercitium. Hoc vivendi genere ſi utantur ad Calculum proni, faciliùs & ſecuriùs ab illo præſervabuntur, quàm ſi tot Medicamentis Diureticis aſſiduò adhibitis ſe ingurgitent. Diureticorum enim Medicamentorum uſu tantum abeſt ut Calculo liberentur, quin potiùs illorum vi, maxima crudorum humorum ſaburra è primis viis ad Renes ducta, promtiſſimam Renum fermento pro Arenularum & Calculorum generatione ſuppeditent materiam. Falsò igitur ſibi gaudent, qui Arenulas in fundo Matulæ conſpicientes exultant, credentes à Diureticis illas eductas, neceſſariò in Calculum abituras niſi eductæ fuiſſent: ignari quòd illæ non aliâ ex ratione in Renibus ſint genitæ, niſi quia ope Diureticorum ad Renes earundem materia tranſducta ſit. Commodior ergò eſt pro hujus Morbi Prophylaxi Adſtringentium Medicamentorum uſus, quorum ope canales à primis viis ad Renes tendentes anguſtiores potiùs reddi poſſint, quàm apertiores: ut ſcilicet crudis humoribus in Ventriculo ejuſque appendice ſtabulantibus via ad Renes præcludatur, atque adeò materia pro Calculorum geneſi ſubtrahatur, præſertim ſi per patentiores Inteſtinorum ductus extra corporis conſinia ea deturbetur. Equidem ſi efficaciorum Remediorum pro præſervatione à Calculo dinumerationem facias, illa Adſtringentia & Reſinoſa invenies.*

aliquot ſeptimanas quotidie ad lbxxiv. Urinæ emiſit: Vid. etiam M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obſ.* 162. *pag.* 260. & *Obſervat.* 167. *pag.* 265. uti etiam Tulpius, qui *l.* 2. *Obſ.* 86. Diabetem refert cujuſdam, qui quotidie ſex libras mingeret, utut parum vel nihil biberet. Cum modò dicta copioſâ nimis Urinæ Excretione ſimul intenſiſſima *Sitis*, *debilitas Virium*, *Macies* totius Corporis, *Febris continua* lenta, *Ardor* in & circa regionem Dorſi lumbarem, & ſimilia *Symptomata*; uno nomine Symptomata inſtar *Hecticæ* confirmatæ, aut inſtar *Tabis Dorſalis*, ſicuti etiam cum Urinâ copioſâ *aliquid pingue* excerni, & tandem ut plurimùm Mors ſubſequi ſolet. Equidem non rarum eſt, copioſiores Urinæ Excretiones Naturæ opus eſſe, quæ e. g. in Febre acutâ *motu critico* aut huic ſimili ſe ipſam à Morbis liberat, unde cum Ægri euphoriâ contingit, nec adeò diu durare ſolet. *Si verò Excretio talis Urinæ ſit Diabetes morboſus*, paulatim & inſenſibiliter creſcere ſolet, ita ut Æger in principio haud adeò curet, ſed ſucceſſivè uberior quantitas prodit, & quia *tenuis*, *aquoſa*, uno nomine ſic dicta *cruda*, quam & Oris ſiccitas & Sitis, Virium inſignis defectus, & Viſcerum internorum Ardoris quidam ſenſus, &c. comitantur. Quòd ſi Urinam aliquando contineant Ægri, Lumbi, Coxæ & Teſtes cum gravitate intumeſcunt. *Alio autem ſenſu* etiam *Diabetes* dicitu *cita nimis Potulentorum & Liquidorum aſſumptorum, aut planè non, aut parum admodùm mutatorum per vias urinarias Excretio*, ita ut non rarò Forma, h. e. Color, Odor & Sapor aſſumptorum Liquidorum in Excretis per Urinam adhuc ſint ſenſibiles, quem Cœliacæ & Lienteriæ ſimilem Galenus *lib.* 6. *de Loc. aff. cap.* 3. pronunciat. Exempla hujus rei non ſunt pauca: Sic Bartholinus *Cent.* 1. *Hiſtor.* 68. talem Diabetem Calculoſi recenſet, Vinum rubrum aſſumptum mox per vias urinarias eâdem formâ demum reddentis; uti etiam Hoeferus *in Her. Med. pag.* 171. Vinum rubrum immutatum per Veſicam excretum refert, adeò, ut decepti Medici quidam iſtud Vinum pro Urinâ ſanguinolentâ habuerint: ſic Hildanus *Cent.* 5. *Obſervat.* 53. refert Diabeten ex uſu Acidularum, in quo Lac Amygdalarum aſſumptum non immutatum tantùm cum Urinâ excretum: ſicut Horſtius quoque in *Obſervat. pag.* 307. obſervat Diabeten mirum, in quo Vinum & Emulſio Seminis Violarum & Amygdalarum dulcium eodem modo, ut aſſumpta fuerunt per Urinam denuò excreta. Imò obſervatum fuit, *Grana Aniſi*, *Semina Coriandri* integra, Semina Ficuum comeſtorum, & denique Radiculas Apii inciſas, & ſimilia unà cum Urinâ fuiſſe reddita: vid. Sennertus *in Praxi ubi de Diabete.* Quoad Semen Coriandri legi in Chirurgo Gallo Pigræy, qui dicit, quòd viderit Grana Coriandri poſt paſtum aſſumpta pro Stomacho roborando, poſtmodùm cum Urinâ reddita: De Semine Ficuum ipſe vidi Exemplum, quod poſt Decoctum Ficuum, in quo Semina inerant, potum, unà Semina cum Urinâ reddebantur: Mirabilia Urinæ excreta vid. in M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obſerv.* 157. *p.* 248. *Obſ.* 168. *pag.* 266. & *Annotat. ad Obſ.* 157. *pag.* 401.

Cæterùm *hi duo Affectus diſtinctiſſimi*, uno nomine Diabetis vulgò veniunt, quæ tamen Vox *propriè*, & ſecundùm Vocabuli vim *poſteriori Affectui*, nempe *imminutæ Aſſumptorum Excretioni*, convenit. Dicitur enim *Diabetes* à διαβαίνω, quod eſt *citò tranſeo*, ita ut prior ſpecies, nempe *copioſior Urinæ Excretio*, *impropriè Diabetes* dicatur, & *Diabetes propriè ſit Affectus, in quo Potulenta citò per Corpus tranſeunt*, & propterea melioris doctrinæ gratiâ, *Diabeten in Verum & Nothum* ſeu *Spurium diſtinguo.*

*Verus* eſt iſte poſterior, cujus typum hîc dedimus, nempe immutata ingeſtorum Potulentorum per Urinam Excretio. Exempla videb. in Bartholini *Cent.* 1. *Hiſt.* 68. Hoeferi *Herc. Med. pag.* 171. & Hildani *Cent.* 5. *Obſerv.* 33. *Nothus* ſeu *Spurius* erit copioſa ſaltem & colliquativa Urinæ Excretio, excedens longè Potulentorum quantitatem, cum Tabe, Siti, Febre & ſimilibus affligens. Exempla videb. in citato Digby, *Orat. de Pulvere Sympathet.* & Schenckio *Obſervat.* item Tulpio *lib.* 2. *Obſ. c.* 46.

His quoque tertius, & quaſi intermedius gradus addi poteſt, *Cœliaca* nempe *Urinalis ſeu ad Matulam*, quando nempe Chylus cum Urinâ aut loco Urinæ prodit, qualem Timæus *von Guldenklee*, *lib.* 3. *Caſu* 43. ſub *pultaceæ Mictionis* termino annotavit.

## CAUSÆ.

Quoad *Cauſas*, de his diſtinctis diſtinctas Cauſas narrabo.

*Quod* ergò *attinet Diabeten Nothum* ſeu *Spurium*, id eſt nimiam, ſeu copioſiſſimam Urinæ Excretionem, hujus Cauſa inveſtigatu perquàm eſt difficilis. Et quidem *duo conſideranda* veniunt.

1. *Unde tanta Materiæ Quantitas*, quæ excernitur?
2. *Quare in ſpecie eadem per vias urinarias amandetur?*

I. Quoad *Quantitatem Urinæ excretæ*, quæ ſepties, interdum duodecies, excedit Potulentorum quantitatem, ſicut Exemplum *ſuprà allegatum* Bartholini *in Actis Haffnienſibus* teſtatur, hic quæritur: unde Urinæ tantæ Quantitatis origo? Aliquid lucis afferunt eorum Exempla, qui inſigniter, licèt corpulenti, per uſum tamen Remediorum *Diureticorum* admodùm emaciati fuerunt, mediante nempe copioſo hinc per Diuretica concitato Urinæ Profluvio. Exemplum habet Helmontius *Tractat. Jus Duumvir.* §. 59. item *Aſthma & Tuſſis* §. 44. item *Latex Hum. Neglect.* §. 44. item Schenckius *Obſervat. lib.* 3. *ubi de Diabete*, qui etiam refert, Obeſos crebrâ Mictione ſubitò extenuatos; ſicut aliàs nimia Corpulentia per Salivationem Mercurialem curata fuit; uti à Borello *Cent.* 2. *Obſervat.* 12. refertur, continuâ Maſticatione Foliorum Tabaci Craſſitiem & Pinguedinem Corporis inſigniter fuiſſe immutatam. In omnibus his *per Colliquationis modum*, tam Contentorum Corporis, quàm ipſius Pinguedinis, hæc ipſa in texturam ſeroſam reſoluta iſtis modis fuerunt excreta: ſicut *Purgantia acriora* ſimili *colliquativâ vi* ratione Alcali acris Humores alterare, & flaccidam Seri texturam mutare ſolent, ut Succi colliquefacti formâ Liquaminis exeant. Hoc poſito, arbitror, Maſſam Sanguineam, & hinc reliquos Corporis Succos liquidos, primariò ipſam partem ejuſdem chyloſam nutritivam, ipſum etiam Rorem & Succum Corporis nutritivum, ipſamque adeò tandem Pinguedinem reſolvi & colliquefieri, atque ita fatiſcere in conſiſtentiam ac formam aquoſi Laticis, ac ita ſub ejus formâ per loca urinaria excerni. Hinc enim *Urinæ Diabeticorum* horum excretæ mira *Dulcedo*, ex Pinguedinis aut Roris chyloſi liquefacti cum Salibus urinariis miſti, mutuâ temperaturâ, & in Dulcedinem vergente texturâ: *Confer.* Williſius *Pharm. Rat. Part.* 1. *pag.* 164. & 172. *Hujus Colliqueſcentiæ Cauſa*, & inde genita copioſa Urina ſubminiſtratur nobis, dum Fluxus hic ita diſpoſitus eſt, ut præcisè per Renes, non verò per alia loca tranſeat; unde Cauſa ſimul inveſtiganda eſt

*in*

*in Renum Fermento* nimis acri, quod ex naturâ falsâ degenerat in succeſſivam urinoſam *Acrimoniam* inſignem volatilem Seri Sanguinis, ſimilem acri inſti volatili Sali, quod in Cantharidibus, Aſellis, Scarabæis minoribus, ac his cognatis Inſectulis, deprehenditur, quæ ex primis viis derivata, mediante Chylo Sanguini, & hinc univerſo Corpori, communicata eſt; quæ *Acrimonia urinoſa* reſolvit, attenuat, colliquat, & ita *Acidum pingue* talia coagulans diſſolvendo, fatiſcere cogit Sanguinem & Nutrimentum Corporis chyloſum, & ex eo productam Pinguedinem. Patet hæc Acrimonia colliquefactiva urinoſa ex eo, quòd in *Diabete incipiente Urina ſemper acris*, & ob ejus roſionem cum Ardoris inſignioris ſenſu excernatur: item quòd hic Nothus Diabetes ferè curetur à Practicis eodem modo atque *Febris Hectica*, per ea nempe quæ Acrimoniam Seri ſalſam nimiam temperare valent, qualia ſunt verb. grat. *Lacticinia*: & denique, quòd hic Diabetes Nothus inter alias Cauſas remotas ex abuſu *Remediorum Diureticorum*, Contenta Corporis attenuantium, ac Renes ſtimulantium excitari ſoleat, quod patet ex *Obſervatione* Tulpii *loco ſuprà citato*, & Helmontio *l. a.* & *ex* Amato Luſitano *Cent. 2. Obſervat. 49.* ubi natus fuit Diabetes ex uſu Vini meracioris, & Muriâ Fœniculi marini, quæ potens eſt Diureticum; item Schenckius in *Obſervat. pag. 455.* ex Diureticorum uſu Diabeten natum memorat: à nimio Succi Beutlæ, cujus vis diuretica nota, uſu, Diabetes lethalis obſervatus fuit in M. A. N. C. *Ann. 2. Obſ. 198. pag. 300.* item à Potu Spermatis Ranarum inſignem Diabetem Loſſius habet *in Obſervat. pag. 314.* & ex abuſu Thee Grimmius *in Compend. Medico-Chym. pag. 255.* Nam omnia Diuretica hæc Alcali ſubtili plùs minùs prædita in Acre ſalſum volatile in primis viis abeundo, hinc acriorem reddunt Maſſam Sanguineam, cæteraque Contenta, hincque liquefactum Humorem nutritium, ſtimulando ſimul Renes, ſub formâ Urinæ excerni faciunt. Hinc eſt, quòd Acida volatilia potulenta ob vim diureticam, quam in primis viis acquirunt, etiam Diabeten excitant: ſic ex Cydoniorum uſu Diabeten notat Schenckius *in Obſerv.* Item ex Pomaceis; item ex abuſu Vini Rhenani, unde incurabilem Diabeten notat Williſius *Pharm. Rat. P. 1. cap. 3. pag. 171.* (S)

Acrimonia autem hæc Sanguinis ejuſque Seri, colliquans Fermentum Renum, dependet *à Fermento* ex primis viis, nempe *Ventriculi digeſtivo*, quavis ratione vitiato aut alterato, adeòque prout Ventriculi prima Digeſtio baſis eſt reliquarum omnium, ita & hujus ratione vel macri vel pingues reddimur; & conſequenter ex alterato eodem pingues emaciari denuò poſſunt, prout ſcilicet Fermentum ejus ſpirituoſum plùs minùs acre vel temperatum fuerit, indeque ſimilis notæ Chylus Corpori undique diſtribuatur, quo tota Maſſa Sanguinea, hinc & alia liquida, & tandem etiam ſolida afficiuntur, ita ut ab Acrimoniâ alcalinâ, deſtructo Acido pingui, ceu miſtionis in Sanguine ſeminali Vinculo, liqueſcant in talia ſeroſa Liquamina; ſicut crebriùs ex primæ Digeſtionis errato, indeque acri colliquativo Fermento enato, Fluxus Alvi colliquativus exoritur, cum inſigni, ex Corporis Macie, Virium debilitate; vel ſicut Remedia Purgantia ferè ſimili Colliqueſcentiâ operantur; ita pariter ſimili ex origine aliud acre volatile Fermentum, Contentorum Corporis colliquefactivum, & in ſeroſam conſiſtentiam reſolutivum, renaſci poteſt, quo facto fatiſcit Maſſa Sanguinea in ſubſtantiam aquoſam. Quod etiam intelligendum de Pinguedine, antequàm coagulata ſit ab Acido blando: hoc itaque deſtructo, neceſſariò illa degenerat in Liquamen ſeroſum, utut Bartholinus *Act. Haffnienſ. Vol. 1. Obſervat. 5.* Diabetis Spurii periodici mentionem faciat, qui ſine ullâ Corporis conſumptione evidente contigerit.

Dubium adhuc eſt ſaltem, *unde tanta Quantitas Urinæ excretæ* per tam longum tempus, quæ aliàs non æquivalet toti Maſſæ Sanguineæ, & omnibus ejus Succis? Non incongruum eſt, quod nonnulli exiſtimant, nempe cum Aëris Inſpiratione Effluvia aquea cum Maſsâ Sanguineâ eſſe abſorpta, & in Urinam tranſmutata. Sicuti enim omnia Alcalia fixa & volatilia ſunt vacua, unde Humidum ex Aëre attrahunt, & promptè liqueſcunt; ita forſan Acre hoc alcalinum in Maſsâ Sanguineâ, ad inſtar reliquorum Alcalium, imbibitione Humiditatis ex Aëre ambiente ſub Inſpiratione, copiam urinarii Laticis augeat. Sed non eſt adeò probabile. Certum tamen eſt, Salia Alcalia, quò magis acria, eò magis Aëri expoſita, copioſum Phlegma attrahere.

II. Quoad poſterius, *Quare colliquati ita Succi ac Pinguedo in ſpecie per Renes, Urinæ ſub formâ, expurgentur?* Non eſt ſolùm textura reſoluti & ſereſcentis Fluidi, facilè per poros Renum tranſeuntis, ſed quandoque ipſi Renes ſimul affecti, & *ab acri iſto volatili acido-ſalſo Fermento* ſenſibiliter vellicari & irritari videntur, cujus occaſione Dolor, Ardor, &c. circa Renes in Lumborum regione percipitur. Spirituum quoque impetus eò magis hinc concitatur, adeòque & Maſſa Sanguinea eò uberiùs quaſi movetur, non ſecus ac ex ſtimulo Purgantium ad Inteſtina, ex ſtimulo Mercurialium ad Glandulas Gingivarum, uberiùs moventur & excernuntur Contenta Corporis.

Alteram *Diabetis ſpeciem*, nempe *genuinam*, quod attinet: oritur hæc ipſa *ex nimiâ Laxitate & aperturâ viarum iſtarum*, licèt nondum ſufficienter detectarum, per quas *Urina Potus* ex primis viis ad Renes vel loca urinaria mandatur, concurrente forſan ſimul *Pyloro* nimis *laxo*, elabi ſinente Potulenta ceu fluidiora, antequam perfectè ſint alterata. Equidem fateor, vias has pro Urinâ Potûs nondum detectas eſſe: Nihilominùs autem plures rationes firmiter perſuadent, ob quas eam exiſtentiam affirmo, conſiderando impoſſibile eſſe, ut ex primis viis Potulenta ſine alteratione, his negatis, deferantur. Fieri enim nequit, ut Semina integra Coriandri & Aniſi, fruſtula Radicis Apii, excreta cum Sanguine rapi, & hinc inde per Vaſa capillaria circulari potuerint; Item, quia Vinum rubrum, aut Emulſio Amygdalarum dulcium & Sanguini permiſceri & circulari cum eodem, ſine inſigniore alteratione nequeant; adeòque quâ data proxima via & occaſione ex primis ad loca urinaria tranſeunt. *Confirmatur* hoc ex eo, quòd inter *Cauſas Remotas* ad hunc Diabeten verum, ſeu viarum laxitatem diſponentes imprimis ſint *Acidulæ*. Jam verò, uti rectè aſſerit Helmontius, Acidulæ vix aſcendunt ſupra Diaphragma. Nam eædem vix hauſtæ, imprimis continuato eorum

(S) Nota Cyrilli. *Spurium Diabetem ferè inductum ſcimus in* Illuſtriſſimo Archiepiſcopo N. N. *ex immoderato Frigidæ uſu: inerti nempe reddito Ventriculi fermento, ac ſummè hiantibus, ob frequentem aquoſæ materiæ tranſitum, Renum canaliculis.*

rum usu, subitò per Urinam denuò transeunt limpidæ & claræ in eodem quanto, & in eâdem ferè formâ, quâ fuerunt assumptæ. Ab hoc ergò subito ac sæpiùs repetito Acidularum haustarum transitu laxatæ istæ viæ, ex primariis viis ad urinarias tendentes, etiam Potulentis liberiorem concedunt transitum, & sic talis Diabetes supervenit. Willisius quidem Diabeten hunc verum *in Pharm. Rat. P.* 1. *Sect.* 4. *cap.* 3. omninò negat; sed contra Experientiam, quatenus Galenus *l. a.* bis eum vidisse dicit, & Bartholinus *cap.* 1. *Hist.* 68. refert, Urinam Vino in Paroxysmo nephritico epoto adeò similem redditam fuisse, ut ignaris pro ipso Vino propinari potuerit; sicut à B. Sylvatico sibi narratum fuisse dicit, de quodam, qui Curis & Marasmo senili emaciatus post Emulsiones & Consummata mox Urinam illorum odore tinctam excreverit.

Sic etiam Hildanus *in suis Observat. Cap.* 5. *Observat.* 53. ex usu Acidularum observat Diabeten, in quo *Lac* Amygdalarum immutatum transiit: pariter Zacutus Lusitanus *Prax. Admir. Observat.* 80. quinquies tale quid se observasse; sicut & Lossius Cerevisiam immutatam redditam refert. Et Johannes Pigræy, Chirurgus quidam Gallus, *in sua Chirurgiâ* refert, se vidisse Grana Coriandri, durante Acidularum usu post pastum pro roborando Stomacho assumpta, immutata cum Urinâ reddita. Unde etiam Petrus Paw *in Observat. pag.* 5. *quartæ Centur. Histor. Bartholinianarum annexis*, in Diabete mortuo Renes admodùm flaccidos à frequenti Liquidorum transitu observavit. Verùm, ut existimo, non flacciditate Resolutionis seu paralyticæ, aliàs enim potiùs supprimeretur Urina; sed flacciditate nimiæ Apertionis, qua Res es instar Spongiæ porosæ molles & flaccidi, Fibræque admodùm permeabiles redditæ fuerint. Post Acidulas etiam frequens Calculus disponit ad hunc Diabetem. Denique rarum est, quod Salmuth *Cent.* 2. *Observat.* 53. observavit talem Diabeten Potûs planè immutati in Febre Malignâ.

## DIAGNOSIS.

*Signa Diagnostica* quod attinet: *Signa Diabetis Veri*, seu immutati Potûs transitus, facilè patent, modò conferantur Assumpta potulenta cum excretâ Urinâ.

*Diabetes* verò *Nothus*, seu copiosum Urinæ Profluvium, cùm paulatim insensibiliter crescat, in principio vix percipitur. Interdum enim fit, ut copiosa Urinæ Excretio sit Naturæ opus, conjunctum cum aperto Ægri levamine: verùm ubi copiosam Mictionem continuatam debilitas Virium, Corporis Macies cum Pinguedine Urinæ supernatante, Oris siccitas & Sitis intensissima, unde etiam Diabetes *Dipsacos* audit, Ardor ac Calor in Dorso, & similia Symptomata sequuntur, Signum est Diabetis periculosi. Interdum Urina talis est tenuis, aquosa, & pallida, uno nomine admodùm cruda. Curiosum est, quod observavit Willisius *in Pharm. Rat. pag.* 164. & 172. quòd Urina Diabeticorum admodùm dulcescat, propter Alcali urinosum acre solvens pinguia, unde Sapor mutatur. Particulæ enim acriores salinæ, v. g. Diureticorum, Menstrui instar nutritivam Gelatinam, & spissiorem Sanguinis consistentiam, quin & Acrimoniâ particularum suarum Cuneorum instar findunt, & affrictu suo alterant Pinguedinis & Carnis musculosæ texturam molliorem, nec adeò tenacem, adeoque hoc modo resolvunt denuò easdem. Ex hoc Urinarum Diabeticorum mira Dulcedo derivanda videtur.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: *Diabetes Verus* parum habet periculi, quia interdum sponte cessat, estque partim facilis curatu, partim non adeò nocivus.

Rarum est, quòd duret per totum Vitæ cursum, quod sine noxâ observatum in M. A. N. C. *Ann.* 2. *Observat.* 175. *pag.* 274.

*Diabetes* verò *Nothus*, seu copiosum Urinæ Profluvium est periculosum malum, & sæpe lethale, imprimis nisi in principio, maturè nempe cognitum, curetur; deducit enim successivè ad Tabem lethalem Homines.

Idem quoque post immodicum Laborem, post nimium Veneris Exercitium, post Chronicas denique Febres, plerumque incurabilis est.

## CURA.

Quoad medendi rationem: In *Diabete Notho* tres observandæ sunt *Indicationes*.

I. Ante omnia *temperanda est Acrimonia* nimia alcalina volatilis Seri, tam per Remedia ex Fonte Pharmaceutico, quàm Diætetico.
Unde ratione Fontis Diætetici

II. *Alimenta* chylosa succulenta temperata & subpinguia subministranda.

III. *Narcoticorum* moderatorum interpolato usu nimia Succorum *Colliquefactio*, & Urinæ Secretio nonnihil *impedienda*, additis simul blandis *Adstringentibus*, & Renes ac Partes *Corroborantibus*.

Ea quæ *primo Scopo* conveniunt, in specie sunt *Sulphurea*, quippe quæ ab Alcali dissoluta illud temperant, & hinc præcipitando compescunt; & *Absorbentia*; hinc *Acida* moderatè austera eadem Alterantia quasi figentia, & plùs minùs *Adstringentia*. Quæ verò ex Fonte *Diætetico*, sunt Alimenta succulenta, imprimis *Lacticinia*. In genere rectè asserere videtur Zacutus Lusitanus *lib.* 18. *Med. Princ. Hist. cap.* 17. Hujus Affectûs Curationem in quamplurimis convenire cum Hecticâ Febre; quia tam in sex Rebus Nonnaturalibus, quàm etiam in medendi ratione, is ordo servandus, ut Corpus refrigeretur & humectetur, firmentur Renes, & eorum exuberans Caliditas attemperetur, ut loquitur Zacutus Lusitanus *l. a.* imprimis secundùm ea, quæ circa sex Res Nonnaturales, ac in specie Alimenta & Potulenta observanda sunt.

Ante omnia ergò quoad *Pharmaciam Vomitus* commendatur in hoc Notho Diabete: Apertè enim Brendelius *in Conf.* 83. cui alii consentiunt, ex Platero asserit, principium Curationis esse Vomitum, jubendo, ut, dum maximâ Æger torquetur Siti, copiosam deglutiat Frigidam, hancque repentè revomat, quod fit singulis quatuor diebus. Certum hoc est auxilium pro Revulsione. Item Zacutus Lusitanus dicit: *prodest Vomitus iis præsertim quibus salsa vel viscida Pituita in Ventriculo abundat.* Conf. etiam Epiphanius Ferdinandus *Consil.* 37. item Horatius Augenius *Tom.* 1. *lib.* 12. *Epist.* 3. & Riverius *Pr. lib.* 14. *cap.* 6.

Hôc ergò præmissô ad ea, *quæ corrigunt Acrimoniam dicti Fermenti*, est accedendum, quæ inter appropriata imprimis sunt Remedia, quæ præparantur ex *Plantagine* & *Portulacâ*, *Nymphæâ*, *Papavere*, sive eorundem *Succi*, sive *Syrupi*, aut *Decocta* usurpentur; vi enim suâ styptica aliquali simul nonnihil incrassant Corporis Succos, eorumque Colliquefactionem impediunt: Item *Lapis Hæmatites*,

tam

tam *Naturalis* & ejus præparata varia, quàm *Artificialis* ex Vitriolo Martis & Saturni Saccharo paratus: ſublimat enim ſe Hæmatites quaſi verus primitus à Glaubero edoctus, tandem contra Diabetem Nothum deſcriptus in M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obſervat.* 143. *p.* 227. deſcriptus ſub nomine *Lapis Chymicus*, qui reverà nil aliud eſt, quàm Lapis Hæmatites Artificialis. Proceſſus eſt legitimus, & nobile Remedium per experientiam probatum. Loco hujus etiam Saccharum Saturni cum Vitriolo Martis miſtum; hinc etiam Tinctura ſic dicta Sulphuris Vitrioli aut Martis adſtringens, ex Croco Martis & Spiritu Nitri parata, Tinctura Martis Solaris, Saccharum Saturni, & ex eo & Vitriolo Martis parata *Tinctura Antiphthyſica* uſurpari poſſunt. Hæmatites naturalis quoque in Vehiculo acido eſt uſurpandus, operatur vi acido-auſterâ. Conveniunt etiam *Corallia*, & varia ex his parata, imprimis eorum Solutiones & Tincturæ cum Succo Citri, vel Limonum, *Magiſterium Coralliorum* cum *Succo Citri*, vel Mixtura ex *Corallis cum Aceto* polychreſta Sylvio uſitata, de qua vid. *lib.* 1. *Prax. cap.* 30. §. 183. *p.* 573. & M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obſervat.* 183. *pag.* 345. qualis in Curâ Diabetis ſæpe experta fuit; Vel

℞. *Aquæ Plantag.* ℥iij.
*Aceti Vini ſimpl.* vel *deſtillati* ℥vj.
*Corall. rub. pulver.* (præparata enim magis diſcontinuata ſunt, unde non danda) vel *Terræ Sigill.* ℈j.
*Laud. Opiati* gr. ij.
*Syr. Portulac.* ℥j.
M. D. S.

Mixtura Adſtringens circumagitanda. Capiatur cochleatim.

Porrò *Alumen*, & ut alii volunt, Spiritus Aluminis, cum convenienti Vehiculo eſt egregium Remedium. Et hæc ſunt ſelectiora, præter quæ tamen etiam *Succinum* & *Succinata* pinguedine ſuâ ſulphureâ temperatâ imprægnata, locum inveniunt; item *Trochiſci de Carabe, de Terrâ Sigillatâ*, Vehiculo ſubacido aſſumpti proſunt optimè. Quibus ſpeciatim veſpertino tempore *Opiata* ſunt intermiſcenda, ſuaſu, Brendelii & Riverii *l. a. Antihecticum Poterii*, *Bezoardicum Joviale* imprimis quando urgent Febres, item Ardores in regione Lumborum, item *Bezoardicum Saturninum* & ſimilia, ſunt optima. Tandem *Aqua Calcis vivæ*, ſive *ſimplex* ſive *compoſita*, ſubinde hauſta nobile & ſingulare eſt Experimentum contra hunc Diabetem: vid. Williſius *in Pharm. Rat. Part.* 1. *p.* 174. & 177. doſis ℥iij. iv. ad v. & vj. ter in die. Alia, ut *Cornu Cervi uſtum*, *Crocus Martis adſtringens*, &c. vel ſponte ex dictis manifeſta evadunt.

Et hæc ſufficientia ſunt primo & tertio Indicato.

Cum his quoad *ſecundam Indicationem*, ea, quæ temperant, & Nutrimentum ſuggerunt, ſimul in auxilium vocanda: inter quæ eminent *Lacticinia*, quæ temperant, ac præſertim Lac Chalybeatum: Hinc Itali ac Veteres commendant Lac Aſininum, in quo imprimis Ferrum candens extinctum, & ita Chalybeatum factum, quod cum *Philonio Perſico* permiſtum Zacutus Luſitanus *l.* 2. *Prax. Admir. Obſervat.* 7. commendat, qua ratione Diabetem deſperatum curavit. Loco Aſinini aut Caprini Lactis Lac Bubulum commodè etiam uſurpatur, imprimis cum Chalybe probè imprægnatum; Item *Emulſiones* factæ ex *Amygdalis dulcibus*, *Seminibus* quatuor *Frigidis* majoribus (quæ ipſa tamen in paucâ doſi addenda) & minoribus, *cum Semine Papaveris albi*, &c. eæque crebriùs & copioſiùs hauſtæ ſubinde uſurpandæ ſunt: vid. Grimm. *l. a.* qui Diabetem cum Macie ex abuſu Potûs Thee curavit cum Diætâ ex Lacte, & Emulſione Seminum quatuor Frigidorum majorum, quibus Syrupus de Nymphæâ, & Syrupus de Papavere eſt intermiſcendus. Lac Chalybeatum ſemper Cibis eſt adjungendum ſeu permiſcendum, & tempore nocturno ſeu veſpertino Opiata non negligenda.

*Externè Sacculi & Fomenta* ex Plantagine, Foliis Quercûs &c. in Aquâ Chalybeatâ cocti, ſubinde regioni Renum applicentur: Item Cancri fluviatiles aut recentes contuſi, eorumque Succus recèns expreſſus, dicto loco admoveantur.

*Diabetes propriè dictus* & *Verus*, ſeu Potulentorum nihil immutatorum tranſitus, convenienter curandus venit per *Adſtringentia* talia, quæ Stomachum nempe & primas vias blandè adſtringendo roborant, qualia ſunt in ſpecie *Martialia*, & *Vegetabilia Adſtringentia Aromatica*: Nempe par ratio eſt, atque quando in Potu Acidularum ſubinde uſurpanda ſunt omni paſtu blanda Aromatica & Adſtringentia, quæ Stomachum nempe & Viſcera firmant. Fugienda autem ſunt in hoc Diabete *Cydonia* & Cydoniata, aut ſaltem non crebrò nimis uſurpanda; utut enim ſint Adſtringentia, ſummè tamen ſunt Diuretica, uti hoc non tantùm obſervat Bartholinus *Cent.* 5. *Hiſt.* 22. ſed etiam Schenckius *in Obſervat.* Ergò *Martialia* & Adſtringentia cum Aromaticis & alia Vegetabilia Adſtringentia, quæ ex Plantagine, Tormentillâ, ex Conſolidâ majore, Menthâ, & ſimilibus parantur; item *Decoctum Prunorum ſylveſtrium*, Decoctum Corticum Aurantiorum, Quercuum & ſimilia uſurpanda veniunt. Crocus Martis adſtringens, etiam Tinctura Sulphuris Vitrioli, Bolus Armena, Terra Sigillata, cum Conſervâ Roſarum vitriolatâ, & Conſervâ Radicis Symphyti conducunt. Potus ſit Plantago in Aquâ Chalybeatâ cocta. Tandem ceu ſingulare Experimentum commendatur, ſi recipiatur Criſta Galli, calcinatur, eaque mane & veſperi Ægro in propriâ ejus Urinâ propinatur, quod ceu probabile Secretum contra Diabeten venditant, & eâ fide, quâ accepi, communico.

Qui plura de his cupit, adeat præter Moebium & Williſium *de Urinis*, Sylvium *in Praxi c.* 55. qui tres Autores ſufficient.

## ARTICULUS IV.

### *De Urinæ Depravata in Renibus Secretione.*

VErſamur adhuc in vitiis Urinæ Secretionis, & ſupereſt *Depravata Urinæ in Renibus Secretio*, cujus Modi non tantùm ferè ſunt innumerabiles, dum ſcilicet diverſimodè affecta Urina *in Colore*, *Conſiſtentiâ*, & *Contentis* excernitur; ſpeciatim tamen ſub Praxin Medicam cadit

1. Urina nimis *Pinguis*, & *Oleaginoſa*.
2. Urina *Rubra Sanguinolenta*.

## MEMBRUM I.

### *De Urina Pingui & Oleaginoſa.*

QUod attinet *Urinam Pinguem* ſeu, ut aliàs vocant, *Oleaginoſam*, diverſimodè accipi poteſt. Nempe hîc ante omnia diſtinguendum inter Urinam Pinguem, quæ eſt talis ſaltem ratione *Superficiei*, & ratione *Conſiſtentiæ*. Quoad *Conſiſtentiam*: an ſcilicet ita exactè tota Urinæ Materia excreta Oleum quoddam repræſentet, vix credo, niſi forſan in Diabete Vero pinguia & oleoſa Aſſumpta ſub formâ propriâ demum excernantur,

tur, quod tamen unquam me legiſſe non memini. Aliàs etiam Urina talis, perfectè ſcilicet Oleaginoſa, fieri nequit, ob incompatibilem Aquæ cum Oleo miſcelam, quæ nullo modo poſſunt conjungi, niſi ſit Sal Alcali fixum in Urinâ, Pinguedinem ſolvens, ut videmus in Saponibus. Cùm verò in Urinâ tantùm Sal Salſum volatile, non verò purum Alcali inſit, ideò nec Urinæ Pinguis & Oleaginoſæ excretio quoad Conſiſtentiam concedi poteſt. Pinguis ergò ſæpè excernitur Urina, quando nempe *in Superficie* ejus quaſi Cruſta aut Pellicula pinguis ſupernatat; quæ ipſa tamen Cruſta, probè diſtinguenda, an ſit vera Pinguedo? an verò ſit ſaltem Cruſta ſalina, Pinguedinem ſaltem mentiens? uti in Scorbuticis & Hypochondriacis uſu venire ſolet. *Differentiæ ratio* in eo conſiſtit, quòd talis Cruſta ſupernatans, ſi conſtet ex Concrementis ſalinis in Pelliculam inſpiſſatis, quòd tunc ad latus juxta lucem aſpecta varios Colores inſtar Caudæ Pavonum, vel inſtar Iridis in ſuâ Superficie repræſentet; Id quod infallibile ſignum eſt Cruſtæ ſalinæ ex Malo Hypochondriaco aut Scorbuto, in quibus Salia heterogenea abundant. Teſtantur hoc omnes Solutiones Salium ad Pelliculam inſpiſſatæ, quæ pingues videntur. Ubi autem *vera eſt Pinguedo*, quæ Urinæ ſupernatat, ſine ullo Colore ſolet eſſe conſpicua, & etiam ſubinde quaſi Guttulas repræſentat, quæ & ipſæ deficiunt in Cruſtâ Urinæ ſalinâ. Pinguis autem fit talis Urina ex Colliquatione partis pinguioris Maſſæ Sanguineæ, in ſpecie Pinguedinis Corporis, unde Pinguedo talis frequenter apparet in Urinis, Febre Ardente colliquativâ, aut etiam Hecticâ, Tabe, Ulceribus Renum, & ſimilibus afflictorum. Et hæc ipſa Colliquatio oriri videtur ex defectu Acidi debiti in Maſſâ Sanguineâ, quod ipſum aliàs ſpiſſat & blandè coagulat Pinguedinem nutritivam, cujus defectu ipſa denuò liqueſcit Pinguedo, & ita cum Urinâ denuò excernitur; quæ tamen cùm non poſſit intimè Urinæ miſceri, ſupernatat, & ſub formâ Olei conſpicitur.

## C U R A.

*Quoad Curam*: curatur hæc *Cruſta ſalina*, Pinguedinem in Urinâ mentiens, facilè, curato Morbo primario; ac in ſpecie conducunt *Martialia*, Acidum peccans abſorbentia, & hinc *Volatilia*, illud ad vias urinarias deducentia, ac per Cutim emittentia. Urina verò, cui *Pinguedo vera* ſupernatat, curatur ſponte, modò primarius curatus fuerit Morbus, in ſpecie per *Acida blanda*, Pinguedinis liquefactionem impedientia, eamque coagulantia, ut Spiritum Salis dulcem.

## M E M B R U M II.

### *De Mictu Cruento.*

POrrò *Urina Cruenta* ſeu *Sanguinolenta* excernitur, quando ipſi permiſcetur Sanguis, nunc copioſus, nunc parcus quidem; unde interdum minùs tincta loturæ Carnium ſimilis apparet Urina, interdum verò intenſiùs rubet: ſi magis tincta, ſpiſſa ac craſſa apparet, vel potiùs ex opaco nigreſcit, ita ut etiam Linteum immerſum ſuo rubore ſanguineo inficiat, & interdum cum Sanguine in fundo Matulæ ſubſidente apparet. *Sanguis iſte, qui tingit Urinam*, utplurimùm *ex Renibus* effluit, ſeu in Renibus ipſi permiſcetur, interdum tamen etiam *in Ureteribus*, interdum etiam in *Veſicâ*, interdum ex læſis Arteriolis *in Pene*, quale Exemplum vid. in Graefio *lib. de Organis Generat. Viror. pag.* 151. Rariùs verò *ex aliis Partibus* ad loca urinaria eò defertur, ut cum Urinâ ſimul excernatur, ver. gr. in Caſu ab alto, aut ſi Grumi Sanguinis in Pectore, vel alio quodam loco hæreant, qui ſucceſſivè ad vias urinarias deferuntur. Id quod tamen fit rariùs, ac citra ullum viarum urinariarum incommodum; ſicuti rarum eſt, quòd propter Inflammationem aut Contuſionem Hepatis Urina Cruenta interdum emittatur. Ex Cauſis etiam Antecedentibus facilè cognoſcitur.

## C A U S Æ.

*Cauſæ Urinæ Cruentæ*, non ſecus atque aliarum Hæmorrhagiarum (eſt enim Mictus Cruentus ſpecies Hæmorrhagiæ) in genere oriuntur interdum *ex Anaſtomoſi* Vaſorum Sanguiferorum in viis urinariis, interdum, idque frequentiùs & crebriùs, ex eorum *Diæreſi*, vel *Diabroſi*, ſeu ruptura Vaſorum Sanguiferorum in locis urinariis. Quoad *Anaſtomoſin*, ſeu aperturam Vaſorum: hæc frequenter fit nunc *vitio Contentorum*, in ſpecie Impetu Sanguinis, aperientis ſuâ irruptione concitatiore Oſcula Vaſorum; nunc *vitio ipſorum Vaſculorum* renalium, quando Poruli Renum ſunt nimis aperti cum eorum Tubulis, unde Sanguis per hiantes Poros unà cum Lotio variè tranſmittitur; adeoque à Tubulis Renum nimis apertis Mictionem Cruentam interdum accidere rectè aſſerit Williſius *Pharm. Rat. pag.* 166. quod vitium Veteres vocant *Imbecillitatem Renum*, eſtque hujuſmodi Mictus ferè indolens, minùſque intenſa Tinctura Urinæ, minùſque craſſa. Quoad *Sanguinis Impetum*, inferentem Vaſorum Anaſtomoſin, ſequitur interdum Mictus Cruentus poſt Equitationem nimiam, item poſt nimium Motum Corporis, Saltum nimium; & facilè in Renibus, Impetu in Sanguine concitato, Orificia aperiri, & ita Mictus Cruentus inferri poteſt: vid. Hildanus *Cent. 6. Obſervat.* 46. In ſpecie *Mictus Cruentus* per *Anaſtomoſin* nunc eſt *Spontaneus*, nunc *non Spontaneus* ſeu *Symptomaticus*: Ille nunc *Criticus*, nunc *Periodicus*, nunc *Vagus*, &c. eſt. Præcedere autem ſolet *Dolor gravativus & tenſivus*, uti & comitari ſolet hujuſmodi Cruentam Mictionem perceptibilis in iſto loco, in quo Sanguis ſuo Impetu Anaſtomoſin infert: ſequitur enim interdum ſolennes Excretiones Sanguinis ſuppreſſas Mictus Cruentus; hinc etiam Foreſtus *lib.* 24. *Obſervat.* 7. inquit: *Urinam Cruentam ex alto delapſis ſtatim emitti videmus, idque ſæpius etiam ex nimiâ Venere in Adoleſcente nobili, in Mulieribus etiam Menſibus ſuppreſſis, & in Viris Hæmorrhoidibus fluere conſuetis & retentis.* Truncatâ etiam Manu vel Pede, aut pleno Corpore, ex Abſceſſibus Ulcereque cruento, Urinam Cruentam emictam fuiſſe ſcio: id quod ulteriori Obſervatione confirmat de Mictu Sanguinis, ex ſuppreſſis Hæmorrhoidibus per intervalla oriundo, Hildanus *Cent.* 1. *Obſervat.* 11. Quin & *Periodica* quibuſdam Urinæ Cruentæ Mictio obſervatur: Vid. præter Schenckium *in Obſervat.* Salmuth *cap.* 3. *Hiſt.* 47. de Mictu Sanguineo Periodico & quaſi Menſtruo, qui cohibitus Mortem intulit. Criticus obſervatur Sanguinis Mictus, dum Morbi ſolvuntur Urinæ Sanguinolentæ Excretione: Sic Zacutus Luſitanus *lib.* 2. *Prax. Admir. Obſervat.* 69. Mictum Cruentum *Criticum* in Febre Ardente obſervavit; ſicut etiam *Pleuritides* interdum per Sanguinis Mictum judicatæ obſervantur ab Hildano *Cent.* 2. *Obſervat.* 31. & Schenckio *lib.* 2. *Obſervat.* 20. ex Marcello Donato.

Pertinet

Pertinet huc *Vini abuſus* ad Mictum Cruentum diſponens, de quo vid. Zacutus Luſitanus *Med. Princ. Hiſt.* 139. Item *Diuretica* fortiora aut acriora, v. gr. poſt Spiritûs Terebinthinæ nimiam doſin, Mictionem Cruentam refert Hildanus *Cent.* 5. *Obſervat.* 52. Tandem *Abuſus Veneris* Anaſtomoſin Vaſorum, & ita etiam Urinam Cruentam infert, dum in actu Venereo nimio præcipuè circa Veſicam & Partes genitales Vaſa Sanguifera nimis turgida hiſcunt & aperiuntur, quæ aperta Sanguinem fundunt: Talia Exempla non ſunt rara: inter alia refert Foreſtus *lib. Obſervat.* 10. & 13. Mictum Sanguineum ex nimiâ Venere, qui *Spongiâ Aceto calido* infusâ, & Lumbis ac Partibus genitalibus circumpoſitâ, curatus eſt; Acetum enim temperando temperat Æſtum, & blandè Vaſculorum ruptorum Oſcula adſtringit.

Hæc de Anaſtomoſi.

Quoad *Diæreſin*, & in ſpecie *Diabroſin*; hæ frequentior Cauſa Urinæ Sanguinolentæ exiſtunt, *vitio Contentorum* acrium, aut erodentium, aut alio modo lædentium Vaſcula dictorum locorum, dum nempe à Sero nimis acri Vaſcula Sanguifera circa vias urinarias eroduntur: vid. Foreſtus *lib.* 8. *Obſervat.* 6. 11. 12. & 13. Quô etiam pertinent *Exulcerationes & Excoriationes Renum & Veſicæ*, quas ipſas partim propter Eroſiones Vaſculorum non rarò Mictus Cruentus, partim ſenſus Doloris plùs minùs rodentis, aut etiam alius in Parte affectâ moleſtus comitatur. Tali ex Causâ Mictus Cruenti Scorbuticis, Catarrhoſis, & Sero acido-ſalſiori, aut aliàs plùs minùs corroſivo præditis, accidere ſolent: *Calculus* itidem aſperitate ſuâ lædens & lacerans Renum, Ureterum aut Veſicæ Membranulas, ſubinde talem Mictum infert. Faciunt etiam huc imprimis *Cantharides*, de quibus notum eſt, quòd aut ineptè aſſumptæ, aut etiam extrinſecùs cùm Veſicatoriis ſine judicio applicatæ, imprimis abſque Acidis, Mictum Cruentum ſubinde admodùm doloroſum, & Veſicæ excoriationem inferunt, in quo ſimul Penis erectio, & ſimul ad Venerem excitatio adeſſe ſolet: Vid. Foreſtus *lib.* 24. *Obſervat.* 7. Dico, *ſi applicantur abſque Acidis*: Communiter enim ex Pulvere Cantharidum, Fermento & Aceto Veſicatoria parantur. Ubi tamen obſervandum eſt, quòd talia vim veſicatoriam imminuant, & eorum corroſivitatem & Sal volatile nitroſum temperent, quò minùs potenter quidem poſſunt veſicare, ſed minùs etiam hac ratione interioribus nocent. Cantharides enim habent Sal volatile nitroſum, quod cum Acidis deſtruitur; abſque Acido verò applicatæ Cantharides Mictum Cruentum inferunt, quod quotidiana loquitur Experientia. Mictum *à Vermibus* Cruentum habet Schenckius *Obſervat. lib.* 3. *Obſervat.* 294. Pertinet huc curioſa iſta Obſervatio & Hiſtoria, quam habet Horſtius *lib.* 4. *Obſervat.* 42. Mictionis Purulentæ & Sanguineæ ex *Ulcere Colli Veſicæ*, propter Carunculam ibidem loci ex Acidularum uſu ſuppuratam. Præter Cantharides etiam obſervatus fuit Mictus Cruentus ex *abuſu Allii*, teſte Schenckio *in Obſervat.* Item ex nimio *Aloës* uſu Urina Cruenta enata refertur in Bartholini *Act. Med. Haffn. Volum.* 2. *pag.* 167. Tandem in Morbis Malignis, ac ſpeciatim in *Variolis*, ſupervenit ſubinde Mictus Cruentus, qui, quando oritur eroſione Vaſculorum aut Veſicæ, eſt peſſimus & admodùm funeſtus, cùm ordinariò intereant. Ægri Exempla in Schenckio, Hœchſtedtero, item in Salmuth, aliiſque ſimilibus inveniuntur, quòd nempe Sanguinis Mictus in Variolis ferè ſemper fuerit lethalis. Forſan & iſti Mictus Cruenti, qui in aliis *Febribus Malignis* obſervantur, huc pertinent, ut quando Hæmorrhagia Penis nimia in Febre Malignâ, aut Hæmorrhagiâ Narium lethalis: Vid. Hœchſtedterus *Decad.* 1. *Caſu* 3. Quin & in *Peſte* obſervata fuit Urina Sanguinolenta, quæ inter peſſima tunc temporis recenſetur Signa. Tandem *Urethram* vulneratam, exulceratam; &c. etiam Mictum Cruentum intuliſſe, Græfius *de Organis Viril. p.* 150. *refert.*

Hæc quoad Cauſas Mictûs Cruenti Internas.

Quoad *Cauſas Externas*: quilibet *violentus Motus* ruptioni circa loca urinaria occaſionem ſuggerens, Mictum Cruentum inferre valet. Talia ſunt Saltus nimius, Caſus ab alto in Dorſum aut Lumbos, Thorax vulneratus: Vid. Rhodius *Cent.* 2. *Obſervat.* 19. Item Contuſio vehemens circa loca inferiora facta.

## DIAGNOSIS.

Sequuntur *Signa*, quæ ſatis ſunt clara, quoad *Diagnoſin*: Nam Urinam eſſe Cruore tinctam, facilè per ſe patet, modò *probè diſtinguatur Rubor Urinæ Sanguineus* à *Rubedine Salinâ*, quando nempe Contentis copioſioribus ſalinis oleoſis probè unitis cum Liquore continente, idque ferè vi Acidi, Rubeus repræſentatur Color; quæ Urinæ Differentia facilè cognoſcitur. Urina enim Rubra interdum emittitur, cui nihil Sanguinis eſt admixtum, ubi Urinæ rutilantes & quaſi ſanguineæ excerni ſolent. Rubedo hæc ex contentis Salibus ordinariò eſt perſpicua clara & quaſi fulgida, ac non adeò craſſa, aut quæ præcipitata Sedimentum vel intensè croceum, vel inſtar Cinnabaris, vel incarnati non nihil Coloris, ſuggerit: econtrà quæ eſt à Sanguine rubra, ſemper eſt opaca, turbida & craſſiuſcula plùs minùs, prout plus minus Sanguinis eſt permiſtum. Unde & à Salibus contentis orta Rubedo ſplendet quaſi: ſimili namque ratione ac Lixivium lotricum, quò magis eſt Alcalibus impræguatum, eò magis ad Rubedinem vergit; ita & Urina quò magis Salibus turget, eò magis flaveſcit aut rubeſcit: quæ verò eſt à Sanguine, abſque ſplendore obſcura minùſque clara obſervatur. Illa interdum in Febribus, interdum in Scorbuto, Malo Hypochondriaco & ſimilibus, ſubinde accidere ſolet: Hæc etiam in aliis Ægris deprehenditur.

Et Urina Cruenta, ſi ex Sanguine conſtat, ſi aliquandiu ſteterit, uno alterove die *Craſſamentum* ſeponere ſolet ex intensè rubro quaſi nigreſcens, & Sanguinem grumoſum exactè referens.

Verùm cognoſcendum ulteriùs, *ex quo loco affecto Sanguis profluat*? Si enim eſt ex Affectu Renum aut Veſicæ, ſemper Dolor aut gravativus, aut acutus rodens percipitur circa locum affectum: Quorum Ille quoque dignoſcitur, ſi Sanguis copioſior fuerit, & Urinæ intimiùs permiſceatur; item liquidus, ac non grumoſus ſubſideat. Hic, ſi Sanguis parcior Urinæ non æqualiter perfundatur, cum grumeſcentiâ ſubſideat, ac cum Dolore Urina prodeat.

Interdum tamen *culpâ Meatûs urinarii* tale quid contingit, cujus læſi Signa præceſſerunt, Sanguis ſine Urinâ effluit, & mox concretus ſubſidet.

Si eſt ex alio loco Sanguis, aliûs Partis affectæ Signa & Symptomata concurrent.

*Ex quibus verò Cauſis* oriatur Urina Cruenta, oſtendunt Antecedentia & Adjuncta. Hinc de omnibus Mictûs Cruenti Differentiis Medicus ſit curioſus, quoad indagandas Cauſas, an nempe ſit ex Anaſtomoſi? an ex Diæreſi? & ſi eſt à Causâ externâ, Saltu, Cantharidibus, &c. patet ex

Ægri relatione ; ſin à Causâ internâ , examinandus eſt Æger , an ſit Scorbuticus ? an ordinariò aliàs Sanguinis evacuationis ſuppreſſione laboret ? an percipiat Dolores circa Renes aut Veſicam ? Nam ſi Caſus ab alto præceſſerit , Loca læſa , & circa quæ Sanguis extravaſatus hæret , non poſſunt eſſe incognita , in quibus ſuſpicatur Sanguinem devehi ex aliis locis ad Renes.

Si aliàs adſunt Symptomata Calculi , ſemper de Renibus , aut de Veſicâ affectis , horumque laceratione , ſuſpicio ingruit : vid. Foreſtus *lib.* 8. *Obſervat.* 6. 11. 12. & 13. item Ulcera Veſicæ aut Renum antecedentia aut concomitantia ex Diæreſi Mictum Cruentum oſtendunt ; ſimul adeſſe ſolet Dolor acutus rodens , morſicans , in ſpecie moleſtus circa Pubem , aut Veſicam ; item ſi præceſſerit Stranguria , Dyſuriâ , &c. manifeſtum Signum eſt , Mictum Cruentum oriri ex excoriatione & eroſione Vaſculorum.

Obſervandus ſimul *Motus Naturæ* , ſive Criticus , ſive Periodicus , qui ferè citra ullius Partis urinariæ Affectum contingit , ne impediatur , & pro morboſo habeatur , qui tamen ſalutaris.

Quòd ſi Malum ſit à Cauſis externis , à Cantharidibus , à Radice Rubiæ Tinctorum , quæ Colore rubro inficit Urinas ; item ſi ab eſu Fructus Indici majoris , ſeu Opuntiæ oriatur , quæ ipſa etiam tingit Urinas , ex relatione Ægri cognoſcendum.

In ſpecie ſi ſit à Cantharidibus , adeſſe ſimul ſolet intenſus Stimulus Veneris , ita ut Penis ſit tenſus & rigidus , & Ægri ad Venerem inſigniter ſtimulentur , & ſi quæ ſunt aliæ ſimiles Circumſtantiæ.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin* : omnis Mictus Cruentus , imprimis copioſius ac ſæpiùs recurrens , *periculoſum Malum eſt* , invehens eadem Veriaque Symptomata , quæ Hæmorrhagias nimias inſequi ſolent : Nam verb. grat. ex Mictu Sanguinis diuturno *Hydropem* obſervavit Schenckius *lib.* 3. *Obſervat.*

Minùs periculoſus eſt Sanguinis Mictus *ex Pudendis, & à Calculo* ; magis periculoſus, qui ab eroſione ac exulceratione *Veſicæ*, cùm metuendum ſit, ne in Veſicâ ſubſiſtens periculoſam Urinæ Suppreſſionem, aut ſui corruptelâ varia Symptomata inferat.

*Omnium maximè periculoſus eſt , qui ex Renibus* , præſertim *eroſis* , aut eorum , ut vocant , *Imbecillitate* , Malum ortum fuerit.

## CURA.

I. Quod ergò attinet *Curam* : in hac primariò multiplex Cauſarum Remotarum varietas attendenda , & hinc Cura non nihil varianda : unde Cauſa removenda , adeoque *Anaſtomoſis* tam *Venæſectione* quàm Remediis *Adſtringentibus* curanda , *Diæreſis* autem vel *Diabroſis Vulnerariis Conſolidantibus & Appropriatis* corrigenda , hinc in ſpecie *Acrimonia Seri* erodens aut exulcerans temperanda , & *Vas apertum* vel eroſum Vulnerariis & Adſtringentibus conſolidandum ; ſpeciatim tamen , cùm frequentiſſima Cauſa Interna ſoleat eſſe Acrimonia Seri erodentis , & plùs minùs exulcerantis , hanc imprimis *Acrimoniam temperantia* , adeòque maximam partem ad Hæmoptyſin dicata Remedia, conducunt. Imò cum Serum urinarium plùs minùs acre omnem Mictum Cruentum undecunque ortum exaſperare ſoleat, ſemper una attemperandi Scopus probè attendendus venit ; unde *Papaverina* ac *Opiata*, item *quæ ſuprà Sect.* 18 *cap.* 1. *Art.* 12. & 13. *circa Exulcerationẽ Renum & Veſicæ fuerunt monita*, locum invenient.

II. *Venæ ſectio* interdum locum habet. Nempe pro *Scopo* vel *Revulſorio* vel *Derivatorio* , quando nempe occaſione ſolennis cujuſdam Sanguinis Excretionis ſuppreſſæ Mictus Cruentus ortus fuerit ; qua ratione per *Phlebotomiam* Mictum Cruentum ex Meri nimiâ potione in Plethoricis curavit Zacutus Luſitanus *cit. loco.*

III. *Purgantia* , quà talia , non conveniunt , cùm facilè acrimoniâ ſuâ exaſperare Malum queant. Saltim *Rhabarbarum* eſt , quod convenit , & magis pro Scopo *alterativo*, quàm *laxativo* , adeòque in ſeroſiore Corporis Habitu , aut in acriori Sanguinis Craſi , item in *Renum Imbecillitate* Rhabarbarum eſt optimum. Hinc *Pilulæ ex Rhabarbaro cum Succo Plantaginis* ; item *Pulvis Rhabarbari* parùm *torrefacti* , & in ſpecie *Pilulæ ex Terebinthinâ cum Rhabarbaro* aliquandiu continuatæ, nobile ſunt Experimentum Hœferi *Herc. Med. pag.* 172.

His ita præmiſſis , *Remedia* vel ſponte patent.

*In genere* ergò quæcunque Remedia *ſuprà Sect.* 18. *Cap.* 3. *Art.* 1. *de Hæmorrhagiâ in genere* dicta , & inter has in ſpecie *Mixtura iſta Polychreſta* Sylvii *in Ideâ Prax.* ubi de Cruento Vomitu, locum habet:

℞. *Aquæ Plantag.* ℥ij.
*Cinnam.* ℥vj.
*Aceti deſtillati* ℥ß.
*Corall. rub. præp.* ʒß.
*Sangu. Dracon.* ℈ß.
*Laud. Opiat.* gr. ij.
*Syr. Myrtin.* ℥ß. Miſc.

Hæc Miſtura cochleatim ſæpiùs aſſumpta curabit pleraſque Vaſorum rupturas, & ſupra multorum expectationem Sanguinis Effluxum brevi tollet, ſecundùm Experientiam Graeffii *Tract. de Organ. Gener. Virorum pag.* 154. ubi Exemplum habet Mictûs Cruenti periculoſiſſimi ex læſis Penis Arteriis propter Caſum ; quem aliis irritis iſta Miſtura Sylviana egregiè curavit. Item *Martialia & Opiata* conducunt.

Cùm verò ſemper ad *Acrimoniam* Seri urinarii aciduli plùs minùs reſpectus ſit habendus , præ cæteris ob id convenit *Portulaca* quovis modo uſurpata ; item *Plantago* , & ſpeciatim ejus *Succus* ad ℥ij. vel iv. hauſtus , & omnia ex his parata Remedia , quò ſimpliciùs, eò meliùs : Vid. Riverius. Syrupus item compoſitus ex Succo Radicis Symphyti , & Succo Foliorum Plantaginis , quem communicavi *ſuprà Sect.* 6. *cap.* 2. *ubi de Vomitu Cruento.* Poſt hanc eſt *Equiſetum*, ejuſque *Decoctum*, quod & ipſum egregiè conducit. Hinc *Conſolida major* , *Millefolium flore albo* , ejuſque *Decoctum* , quod egregiè commendatur ad Conſolidationem. Convenit quoque Burſa paſtoris , Hedera terreſtris in Cereviſiâ cocta. Decoctum Auriculæ Muris & Pimpinellæ Italicæ in Lacte caprino commendatur ab Horſtio *lib.* 4. *Obſervat.* 52. Hiſce in ſpecie addatur *Agrimonia* , *ſeu Eupatorium vulgare* , quod imprimis eſt Remedium ab omnibus Practicis expertum contra Mictum Cruentum quocunque modo uſurpetur , tam internè quàm externè , adeò ut etiam in ipsâ Renum & Veſicæ Exulceratione probè conducat, ſive Agrimonia ſola , ſive eadem cum Hyperico miſta , uſurpetur ; Unde Lindanus Agrimoniam miſcet cum Quinquefolio , & Millefolio , ceu ſelecta Simplicia contra Mictum Cruentum. Hiſce imprimis ſociandum *Hypericon* , tam *Planta* quàm ejus *Semen* ; ſiquidem hoc etiam Specificum eſt ad Ulcera Renum , ratione odoris ſui & ſaporis terebinthinati ; unde etiam cum hôc Timæus *von Guldenklee* parat *Electuarium* elegans *contra Exulcerationem Renum*, quod proſtat in Caſibus , ubi *Medicamentor. Deſcriptiones pag.* 421.

Vel

Vel

℞. *Herb. Agrimon.*
*Millefol.*
*Summ. Hyper. flor.*
*Muſci Prun. ſylveſtr.* an. M. j.
*Rad. Symph. maj.* ℥ij.
*Sem. Hyper.* ʒij. vel iij. ad ℥ß.

Inciſ. & contuſ. coqu. vel in *Vino* ( cui tempore usûs addatur parum de *Lap. Cancr.* ) vel in *Aqu. Ferrar. vel* in *Lacte*, vel *in Sero Lactis chalybeato.*

Colatura edulcoretur cum *Syr. de Symph. Fernel.*

D. S.

Potio Adſtringens.

De Decocto hôc bibatur ſubinde Hauſtus, addendo ſimul, ſi Decoctio facta fuerit in Lacte vel Sero Lactis, *Lapill. Cancr. in Aceto ſolutos.* Egregium eſt ad compeſcendum Mictum Cruentum. Vid. etiam *Sect.* 18. *cap.* 1. *Artic.* 12. *Decoctum in Ulcere Renum præſcriptum.*

Egregiè quoque conducit tam præſervativè quàm curativè *Hedera terreſtris*, ſive in Decocto cum Aquæ & Cereviſiæ ana, ſive in Extracto, ebulliendo nempe eam in Aquâ, vel in Succum exprimendo, & colatum Saccharo condiendo.

A quibuſdam etiam inſigniter laudatur *Bellis minor* ac tota ejuſdem Planta. Porrò Chamæpitys ſeu Iva arthetica commune eſt Experimentum Poterii, cujus Decoctum in Juſculo Carnis paratum in Mictu Cruento & Ulceribus Renum optimum, & *Specificum* Sulzbergeri eſt. Item pertinet huc *Decoctum ad Mictum Cruentum Mynſichtii in ſuo Armanent.*, quod eſt egregium. In ſpecie Lac Ovillum ad ℥iv. cum ʒj. *Boli Armenæ* aſſumptum omni mane Experimentum eſt, aliquoties comprobatum, uti hoc videre eſt in Forreſto *lib.* 24. *Obſervat.* 13. quod etiam experimentum eſt cum ſucceſſu; item Timæo *Von Guldenklee in Caſ. lib.* 3. *Caſ.* 40. *pag.* 180. qui ſæpè hanc Bolum Armenam cum Lacte Ovillo feliciter propinavit; Imprimis conducit, ſi ab Acrimoniâ Seri & Exulceratione partium, ſive etiam Caſu ab alto, Cruentus Mictus oriatur. Adhuc *Succinum* & omnia *Succinata*, in ſpecie ex hoc parati *Trochiſci de Carabe*, etiam in hoc caſu cum fructu uſurpari poſſunt, ſi cum vel ſine Terrâ Sigillatâ ſumantur in Aquâ Plantaginis, unà cum pauco Aceto acidulatâ; ſic enim meliùs operantur. Conferatur Timæus *Von Guldenklee Epiſt.* 23. *pag.* 248. ubi *Trochiſci de Carabe* ad ʒj. cum *Boli Armenæ* ʒß. in *Aqu. Plantaginis*, ceu ſæpiùs probatum Remedium laudantur: Quibus in Malo contumaciori *Opiata* addenda. Huc quoque Trochiſci *Gordonii*, & Species Dia-Plantaginis *Mynſichtii* pertinent.

*Curavi aliquando Virum*, Mictu Cruento laborantem, ex Acrimoniâ Seri ſcorbuticâ nato, propinando *Trochiſcos de Carabe cum Lapillis Cancrorum* & pauco *Sacchari Saturni.* Sed utut hæc juvarent, conſtantiam tamen ſanitatis conciliavit *Liquor Martis Solaris*, doſi guttul. decem ad quindecim omni mane ad aliquot dies continuatus.

Hinc & *Tincturæ iſtæ Polychreſtæ*, Tinctura Sulphuris Vitrioli, & Tinctura Antiphthiſica ex Saccharo Saturni, in quolibet Mictu Cruento ſunt proficuæ: iſta quidem, ubi magis eſt adſtringendum; hæc verò, ubi magis eſt temperandum. In ſpecie ratione Martis *Hæmatites* inter ea, quæ in genere ad Hæmorrhagias nimias conducunt, & ex eo parata Remedia conveniunt, ita ut aſſumptus cum copioſo Lacte etiam ad Mictum Cruentum à Cantharidibus exortum proſit: loco hujus commodè etiam *Terra Sigillata* & quæcunque pingues, item *Bolus Armena*, in uſum vocantur; Acrimoniam enim inſigniter temperant. Quò etiam pertinet Hæmatites Artificialis. *Emulſiones* etiam ex Seminibus lactiferis cum Liquoribus adſtringentibus parari poſſunt: e. g.

℞. *Sem. quatuor. Frigid. maj.* an. ʒj.
*Papav. albi* ʒiij.
*Aquæ Plantag.* vel *Urticæ*,
*Millefol.* an. ℥iß.
*Roſar.* ℥ß.

F. Emulſio; cui adde

*Corall. rub. præp.*
*Unic. foſſil.* vel *Terræ Sigill.* an. ʒj. vel ʒij.

Edulcora cum parum *Syr. Agrimoniæ.*

D. S.

Emulſio Adſtringens & Temperans.

*Opiata* autem per ſe nota ſunt: in ſpecie *Electuarium Helidæi Paduani ad Sputum Sanguinis* ex Conſervâ Violarum & Semine Hyoſcyami, *ſuprà Sect.* 18. *Cap.* 3. *Artic.* 4. laudatum, commodè hîc applicari poteſt.

Ut *pro Scopo Vulnerario* hæc Conſolidantia eò meliùs operari poſſint, inter hæc eminent *Remedia ex Cancris fluviatilibus*, ſive Succus, ſive eorum in plenilunio exſiccatorum Pulvis uſurpetur: quibus dicta quædam Vulneraria appropriata, in ſpecie ex jam dictis Simplicibus ad Mictum Cruentum laudatis, ſuperaddenda ſunt. Ultra Cancrina & Vegetabilia hactenus dicta, præ cæteris expertus eſt continuatus *Terebinthinæ* uſus crudus, abſtergendo & conſolidando omnibus Scopis ſatisfaciens, ac in ſpecie, ubi Mictus Cruentus ex Diæreſi Vaſorum fuerit; Unde vel *Potio Plateri Terebinthinata*, quæ vid. *in Obſervat. ejus*, e. g.

℞. *Terebinth.* ʒvj.
*Mellis* ʒj.
*Vini Malvat.* ℥iv.
*Vitell. Ovi* No. j.

Diluantur, ſerventur ad uſum.

Doſis ʒvj. Optimè conducit in mictu cruento & purulento.

Vel

℞. *Terebinth.* ℥ß.
*Vitell. Ovi* No. j.
*Mellis* ʒj.

Agitentur in mortario, donec probè miſceantur; adde

*Vini albi*,
*Aqu. Parietar.*
*Flor. Fabar.* an. ℥iß.
*Syr. Limonum* ʒi.

Miſc. F. Lac.

Confer. *Colleg. Formular.*

Vel *Pilulæ ex Terebinthinâ* cum Rhabarbaro torrefacto paratæ, quas continuo uſu ad Mictum Cruentum deſperatum ſingulariter commendat Hœferus *l. a.* Quibus Rhabarbarum additur ob vim ſuam nephriticam Renibus dicatam; ſicuti ad Acrimoniam Sanguinis & Seri, & inde ortum Mictum Cruentum, Succus Plantaginis cum Rhabarbaro aſſumptus commendari ſolet ad Exulcerationem Renum & Veſicæ; Vel *Pilulæ Barbette in Chirurgiâ lib.* 2. *cap.* 11. ſunt optima Remedia; Oleum verò & Spiritus Terebinthinæ, & Balſamus Sulphuris terebinthinatus, ſunt nimis acria. Unde potiùs Terebinthina recens, vel cum Vitello Ovi ſoluta, vel cum Ovo ſorbili, aut cum Vitello Ovi, & Aquâ Fragorum in formam Emulſionis aut Miſturam lacteam redacta.

Denique hiſce *externè* ſubjungatur uſus Pulveris Sympathetici, vel Caput mortuum Vitrioli non adeò exactè calcinatum.

Quòd *ſi ex Renum & Veſicæ vitio eroſæ aut exulceratæ* Mictus Cruentus oriatur, præter ea Interna, quæ hactenus ſuo loco fuerunt recenſita, ſpeciatim conducunt *Injectiones* ſimiles in Veſicam, quales *ſuprà Sect. 18. Cap. 1. Artic. 13. in Veſicæ Exulceratione* laudavi. In ſpecie

℞. *Aquæ Plantag.* ℥ij.
*Trochiſ. de Carabe* ʒj.
Miſc. f. Injectio : S.
Injectio Adſtringens.

Vel fiat *Injectio* etiam in Exulceratione Veſicæ non incongrua.

℞. *Herb. Agrimon.*
*Equiſeti.*
*Plantag.* an. Mß.
*Rad. Liquirit. mund.* ʒij.

Decoqu. in *Aquâ Beton.* vel potiùs in *Aquâ chalyb. Ferrar.* (fit etiam Aqua vitriolica)

In Colat. ℔ß. diſſolve
*Mell. Roſat.* ℥j. vel ℥iß.
*Eſſ. reſin. Aloës* cum *Spiritu Vini* extr. ℥iß
M. S.
Injectio Purificans.

De quo Æger ſingulis horis portionem per Syringam injiciat.

Huc etiam referendi Clyſteres Terebinthinati pro injectione in Veſicam, quos deſcriptos reperietis *ſuprà Sect. 9. cap. 3. Artic. 1. ubi de Dyſenteriâ* : Imò ſolum Lac, cui Terebinthina cum Vitello Ovi ſoluta, permiſta cum pauco Saccharo, pro temperandi & leniendi ſcopo ſufficit. *Fortior* eſt *Injectio* ex *Emulſione Papaveris albi cum Lapide Hæmatite præparata, vel Succus Plantaginis cum Pulvere Lapidis Hæmatitis* per Syringam injectus. Si à Calculis & Arenulis fit Sanguinis Mictus, quomodò curandus, vid. Riverius *in Praxi.*

Quod ſi fiat, ut ſedato Mictu Cruento, ac etiam purificato Ulcere Renum vel Veſicæ, *Sanguis congrumatus adhuc hæreat in Veſicâ*, tunc, ne hic ipſe Suppreſſionem Urinæ inferat, diſſolvendus eſt per Remedia Appropriata, quæ tamen non nimis citò danda, ne aperiantur denuò Vaſa. In quo caſu imprimis *Succinum*, quod Sanguinem coagulatum diſſolvit, & cruentum cohibet, & omnia Succinata, præ cæteris ſunt egregia, quæ Sanguinem reſolvunt, & eundem fluentem ſiſtunt.

Cætera *vid. ſuprà, Sect. 18. cap. 3. Artic. 1. ubi de Hæmorrhagiâ.* (T)

## CAPUT II.

### *De Urinæ Per Veſicam Excretione Læſa.*

*Urina ex Renibus* ſecreta & alterata *in Veſicam per Ureteres deſtillans*, tamdiu ibi continetur, donec vel *nimiâ copiâ* Veſicam diſtendens, vel *acrimoniâ* ſua eandem irritans, ſui Excretionem urgeat, unde aperto Sphincțere in Collo Veſicæ hæc ſui conſtrictione Urinam expellit, idque ſecundùm liberum voluntatis arbitrium.

*Læditur* autem hæc *Urinæ per Veſicam Excretio* juxta læſam Urinæ in Renibus Secretionem *tribus* præterpropter *Modis.*

1. Quando omninò Urinæ Excretio *aboletur*, & Urina ſupprimitur : id quod fit in *Iſchuriâ, vitio Veſicæ* contracta.
2. Vitiatur Urinæ Excretio, quando eadem *augetur* certo ſenſu, id eſt, quando à Dormientibus aut Vigilantibus Urina involuntariè effluit, ut in *Urinæ Incontinentiâ.*
3. Denique, quando *depravatur* Urinæ Excretio ita, ut hæc ipſa cum Doloris & Ardoris ſenſu, non abſque Ægri niſu & conatu fiat, ut in *Stranguriâ* & *Dyſuriâ*, & ſimilibus Affectibus.

## ARTICULUS I.

### *De Urinæ Excretione Abolita.*

## MEMBRUM I.

### *De Iſchuria Veſicali.*

## CAUSÆ.

Quoad *ſuppreſſam Urinæ Excretionem* ſeu Iſchuriam Veſicalem : hanc ſuprà nunc *ex vitio Renum*, nunc *ex vitio Veſicæ*, oriri aſſertum fuit.

Supprimitur Urinæ Excretio, ſeu fit *Iſchuria vitio Veſicæ*, vel *vitio Veſicæ* Urinam non emittentis, vel *vitio Canalis urinarii*, Urinam non tranſmittentis. Requiritur autem ad naturalem Urinæ Excretionem

1. *Urinæ Conſiſtentia*, de qua in Iſchuriâ vitio Renum jam actum.
2. *Urinæ* præſentis *Stimulus.*
3. *Veſicæ* ab Urinâ ſtimulatæ *Contractio.*
4. *Relaxatio Muſculi Sphincteris* orificium Veſicæ ſtringentis.
5. *Meatus patulus*, per quem Urina excernitur.

*Veſicæ* non emittit Urinam, vel quia ipſa ſe non ſtringit pro illius Excretione, vel quia Sphincter ejus pertinaciùs ſe claudit. *Non ſtringit ſe Veſica*, vel vitio quaſi paralytico, vel vitio relaxati Fibrarum toni, quando nempe eſt nimis diſtenta : *Canalis* verò non emittit, quando eſt obſtructus ab intrà, aut quando eſt compreſſus ab extrà.

*Veſica fit* quaſi *paralytica*, quando Senſus & Motus ejus conſtrictivus eſt torpidus, ita, ut quamvis Veſica plena ac Urinæ copiâ diſtenta ſit, non tamen ſentiat Stimulum Urinæ ; aut quando Veſica ſe contrahere, & ita Urinam expellere nequit. Nam notum eſt, quòd media Membrana ſit fibroſa, & gaudeat Motu periſtaltico naturali. Quòd ſi ergò Fibræ fiant ineptæ Contractioni, tunc Veſica non poteſt exprimere Urinam, utut aliàs ſe Sphincter laxet. Id quod fit vel univerſaliter, verb. grat. in Moribundis ; vel particulariter, verb. grat. à Medullæ oblongatæ parte inferiore, aut Nervis læſis, iis nempe, ad Veſicam qui derivantur. Sic enim Amatus Luſitanus *Cent. 4. Obſervat.* 10. obſervat Suppreſſionem Urinæ propter Veſicæ reſolutionem ſeu Paralyſin ex diuturnâ morâ in Aquâ frigidâ contractam. Facit etiam huc *læſio Nervorum* Veſicæ conſtrictioni inſervientium, ſub ineptâ Teſtis extractione, unde dolorosa Mictio, & ferè Urinæ Suppreſſio inducta fuit, teſte Hildano *Cent. 4. Obſer.* 61. Sic pariter Zacutus Luſitanus *lib. 2. Med. Princ. Hiſtor. pag.* 146. ex torpido Veſicæ ſenſu Urinæ Suppreſſionem notat. Quô etiam pertinent *Vertebrarum Luxationes*, aut *Ictus*, aut *Lapſus*, aut *Spinalis medullæ Vulnera* iſto in loco circa Os Sacrum, unde Nervi ad Veſicam diſtributi maximam partem prodeunt, quibus compreſſis vel laceratis, non percipitur Urina ſtimulans, & ſic non emittitur Urina : vid. Galenus *l. 6. de Loc. aff. cap. 4.* Facit huc, quod aliquando

(T) * (De Ypecacuanhâ in omnibus Hæmorrhagiis Specificâ, vid. in noſtrâ ad Hæmorrhagias in genere, adiectâ Notâ.

aliquando obſervavi in Viro, qui non aut ſaltim difficulter Urinam poterat emittere, priuſquàm Manu regionem Oſſis Sacri probè fricaret, tunc Urinæ ſequebatur fluxus. Forſan *uſus Flagrorum in re Venereâ* negotium hoc illuſtrat.

Quoad *Diſtenſionem nimiam Veſicæ* : lædit hæc neceſſariò Fibrarum ejus muſculoſarum tonum, propter quem eadem ſe ampliùs contrahere nequit ; ſiquidem diſtentæ nimis, & ita quodammodò laceratæ Fibræ muſculoſæ, propter Urinam copioſiorem diutiùs retentam, ita in ſuo Tono læduntur, ut nimis diſtentæ Fibræ ampliùs Veſicam contrahere nequeant, & quamvis tota repleatur Veſica, nil tamen omninò excernere valet : ex. gr. quando pudibundi nolunt juſto tempore emittere Urinam, fit, ut poſthinc Veſica in Tono debilitata ſe nequeant contrahere, & ita Urina ſupprimatur : qualia Exempla refert Schenckius *lib.* 3. *Obſervat.* 5. *pag.* 484. ubi notat Iſchuriam periculoſam ex eâdem Causâ Urinâ nimis diu in Veſicâ cohibitâ ; ſicut ſimilem Obſervationem habet Foreſtus *lib.* 25. *Obſervat.* 14. Unde Æger, quoties volebat Urinam emittere, toties Manibus calefactis Abdomen comprimebat, & ita Urinam exprimebat. Quod Malum, utut apparenter leve videatur, nihilominùs tamen ordinariè ferè *Inflammatio Veſicæ*, & hinc *Gangræna* lethalis ſupervenit. Videatur Foreſtus *l. a. Obſervat.* 2. *in Schol.* Galenus *l. a.* Panarollus *Pentec.* 1. *Obſervat.* 72. Hildanus *de Lithiaſi cap.* 3. Paræus *l.* 16. *cap.* 48. & Riolanus *Encheirid. Anat. Pathol. lib.* 2. *cap.* 3.

Huc quoque faciunt *Vermes* in Veſicâ ſtabulantes, lancinando & pungendo Fibras Veſicæ irritantes, hincque Suppreſſionis Urinæ autores : vid. Schenckius *lib.* 3. *Obſervat.* 312.

Pertinent etiam huc *Veſicæ Ulcera & Vulnera*, ejuſque *Laceratio & Eroſio*, item *Inflammatio* ( vid. Foreſtus *l.* 25. *Obſerv.* 27. & 28. ) quæ vim ejus conſtrictoriam turbant ; *Tunicarum* Veſicam conſtituentium *Induratio* ſeu *Soliditas* præternaturalis ( vid. Boneti *Sepulchretum lib.* 3. *Sect.* 24. *Obſervat.* 16. ) & *Paralyſis* ſeu laxitas *Involucri* ejus carnoſi, ver. gr. à Coitu nimio ; vid. Ballonius *Epidem. & Ephem. lib.* 2. *pag.* 156.

*Muſculos* quoque *Abdominis*, dum quacunque de causâ non ſufficienter contrahuntur, & Veſicam comprimunt, Iſchuriam excitare poſſe non improbabile eſt ; quod de Tumoribus eorumdem Hildanus *Epiſt.* 56. ſuſpicatur.

*Quoad Sphincteris vitium* ; hujus debita *Relaxatio* atque Colli Veſicæ apertura deficit, quando hic *Spaſmo* quaſi affectus, pertinaciùs ſe ſtringit : Id quod interdum obſervare datur in Doloribus Abdominis ſpaſmodicis, quorum occaſione ſubinde Sphincter ſtringi, & Urina ſupprimi poteſt, uti hoc *in Colicis Convulſivis* ſubinde obſervavi, atque imprimis *in Dolore Abdominis Scorbutico* : Item *in Dolore Nephritico*, ceu non rarum Pathema pluribus deducitur à Drawizio *Tract. de Scorbuto cap.* 9. *pag.* 354. & Williſio *de Anat. Brutorum lib.* 2. *cap.* 15. Iſchuriam, qua Cervix Veſicæ obturatur à *Calculo*, Bartholinus *Cent.* 2. *Epiſt.* 86. annotavit. Forſan huc *Cantharides* pertinent, utpote de quibus refert Dn. D. Fehr *de Scorzonerâ pag.* 88. & 133. quòd ex Veſicatoriis, Suris admotis, Urinæ Suppreſſio nata fuerit : nempe ſtimulo continuo & irritatione Sphincteris Veſicæ, adeoque ſuperveniente convulſivâ ejuſdem ſtricturâ, vel ex nato irritationis vicinarum partium Tumore, & hinc Colli Veſicæ & Meatûs urinarii compreſſione, Iſchuria talis originem traxiſſe videtur.

*Quoad vitia Canalis* ſeu *Meatûs urinarii*, Urinam non tranſmittentis, ea ſunt varia : imprimis ſe offert ejus *Anguſtia* variis ex Cauſis enata. Eſt enim anguſtatus vel obſtructus *ab intrà*, idque frequentiùs à Calculo Veſicæ eandem infarciente, quod frequentiùs : vid. Zacutus Luſitanus *Prax. Admir. lib.* 2. *Obſervat.* 75. 76. & 77. Item *Caruncula* ſeu Verruca poſt exeſam in aliquo loco Urethram, ex quo eroſionis loco Caro parva, Verrucæ inſtar, plùs minùs dura & ſenſilis, enaſcitur, Urethram penitus occludens ; quæ Caruncula frequentiſſimè Gonorrhœam diuturnam virulentam inſequitur, & per *Catheteris vel Candelæ* impoſitionem, ubi ſita ſit, optimè cognoſcitur : qualem ex Veſicæ fundo ad Urethram exſurgentem, hancque conſtipantem, in Fœminâ quâdam Sylvius *Pr. lib.* 1. *cap.* 57. §. 7. annotavit : Iſchuriam quoque à Carunculis Urethræ cavitatem occupantibus refert Riverius *Cent.* 1. *Obſervat.* 81. Referatur etiam huc *Scirrhus* Ovi gallinacei magnitudine Collum Veſicæ obturans, quem Hildanus *Cent.* 2. *Obſervat.* 65. deſcribit : vid. Bartholinus *Cent.* 2. *Hiſt.* 52. Foreſtus *lib.* 25. *Obſervat.* 10. Riolanus *Anthropogr. lib.* 2. *cap.* 28. aut alter ille, cujus *de Lithiaſi cap.* 3. meminit. Item *Pituitæ viſcida* & glutinoſa, quod recèns natis ſolemne ; ſive colligatur in Veſicâ ex Renibus & Ureteribus à Calculo læſis, ſive cum Urina eô deferatur vitio digeſtionis primæ ; obſtruit Meatum urinarium, & Iſchuriam infert. Quò facit nimia *craſſities Lactis* Nutricis, Iſchuriam in Puero quodam inducens ; vid. Amatus Luſitanus *Cent.* 6. *Obſervat.* 12. *ſic* Zacutus Luſitanus *lib.* 2. *Pr. Admir. Obſervat.* 64. Urinæ Suppreſſionem lethalem *à Filamentis craſſis* inſtar Calami ſcriptorii inductam refert. Et ſanè, quicunque Humor viſcidus in Veſicam delapſus, anguſtat Meatum, Obſtructionem infert : Inter quos Humores ſæpè etiam *Sanguinis Grumi* in Veſicâ urinariâ reſtitantes, ( vid. Galenus *lib.* 6. *cap.* 4. *de Loc. aff.* ) : item *Pus* craſſum ex Veſicæ Ulcere, vel Renum, vel aliarum partium eô delatum, & circa Veſicæ Collum collectum, obſtruendo Urethram inferunt Iſchuriam periculoſam. Quin & quæcunque comeſta, quæ promptè cum *Urinâ Potûs* ad loca urinaria moventur, aut *validiora Diuretica* intempeſtivè aſſumpta, nempe vel mox poſt Alimenta, vel antequàm primas vias abſtergentia præmiſſa ſint, ſubinde Iſchuriam inferunt, dum occaſione celerioris & copioſioris Seri urinarii Secretionis, tanquam vehiculi Nutrimenti & Excrementi, unà chyloſa cruda, aut etiam alia Contenta viſcoſa ſeu pituitoſa, ad loca urinaria rapiuntur, ibique mediante Obſtructione Urinam ſupprimunt. Sic etiam *ex potu Vini recentis*, nec ritè defæcati, partim Renes, partim Ureteres infarcientis Urinæ ſuppreſſionem obſervavit Hildanus *Cent.* 4. *Obſervat.* 52. qui etiam obſervat periculoſiſſimam Urinæ Suppreſſionem *ex uſu Terebinthinæ* poſt Cibos crudos & viſcidos aſſumptæ *Cent.* 5. *Obſervat.* 59.

*Ab extrà* verò compreſſus eſt Meatus urinarius propter *Tumores* in ejuſdem radice obortos, quos inter eminent *Tumores Proſtatarum glanduloſarum* in Collo Veſicæ collocatarum ſeu ſitarum : Fit nempe non nunquam, ut poſt nimium Exercitium Venereum ſupprimatur Urina, quale Exemplum habet Foreſtus, Platerus *in Obſerv. pag.* 261. Hillerius *Cent.* 1. *cap.* 17. & Riolanus *l. a.* nec non Rhodius *Cent.* 3. *Obſerv.* 37. Nam tumefactæ ſpongioſæ Proſtatæ ſeu glanduloſæ, ſi diutiùs ſubſiſtat Tumor, neceſſariò comprimunt

Urethram, & ita impediunt Urinæ tranſitum. Sic, cùm eſſem Romæ, mortuus eſt Princeps Tuſcianus ex contumaciſſimâ Urinæ in Veſicâ ſuppreſſione, cum gravi dolore, quam neque Catheter, neque Candela cerea, neque res ulla alia prolicere poterat, poſt mortem, Cadavere aperto, nihil vitii in Meatu urinario aut Veſicâ inventum fuit, præterquam Inflammatio, & Tumor durus Proſtatarum ad radicem Penis ſitarum, obſervatus fuit, à quo Tumore lethalis Urinæ Suppreſſio exorta fuit. A *Fœcibus nimiùm induratis* Schenckius Iſchuriam obſervavit *lib.* 3. *Obſervat.* 8. *pag.* 485. Tandem *Inflammatio Colli Veſicæ*, vel Inflammatio etiam *Perinæi*, quatenus anguſtat Meatum urinarium, etiam Urinæ ſuppreſſionem infert. Exemplum tale legitur in Zacuto Luſitano *lib.* 7. *Med. Princ. Hiſtor. pag.* 149. & 150. Iſchuriam de Tumoribus Veſicæ Cervici adnatis habet M. A. Severinus *de Abſceſſ. pag.* 276. Bartholinus *Cent.* 1. *Epiſt.* 23. & Riverius *Pr. lib.* 14. *cap.* 8. Item, dum Urethræ Canalis poſt Vulnera aut Ulcera coaleſcit; aut, quod Hildanus *Centur.* 6. *Obſervat.* 49. addit, quando idem Canalis in decrepitis concidit, ut anfractuoſitates & obſtacula talia per Catheterem ſe interdum deprehendiſſe teſtetur, Iſchuria fieri ſolet. Platerus *lib.* 3. *Obſervat. pag.* 564. refert, *Glandem Penis à Præputio* ita fuiſſe occluſam in recèns nato Infante, ut ne quidem guttulam Lotii reddere potuerit. Similes Hiſtorias videb. in Boneti *Sepulchreto pag.* 1237. Nec dubium eſt, ſimili Urinæ Suppreſſione urgeri Fœminas, quas *atretas* vocant, ſi vel à nativitate vel alio errore Vulva occludatur in totum.

Hæc de Cauſis.

## DIAGNOSIS.

Quod attinet *Signa*: Iſchuria Veſicalis à Renali diſtinguitur, quòd in hac, aut vitio Ureterum, nulla Gravitas, nulla Tenſio, nullus Dolor circa Pubem percipitur, adſuntque potiùs Renum & Ureterum afflictorum Pathemata. Contrà, *ſi vitium in Veſicâ* hæreat, atque ea urinâ repleta ſit, quam excernere non poſſit, Tumor & Protuberantia circa Veſicam contingit; Æger quoque, quamdiu Veſicæ ſenſus ſalvus eſt, de Tenſione & Dolore moleſtiſſimo, & inſigni Urinam emittendi nixu, fruſtraneo tamen, conqueritur; ac Medicus, ſi regionem Veſicæ contrectet, tumidam eandem, ſed non abſque inſigni Dolore, percipit. Iſchuria hæc ex vitio Veſicæ eveniens, Malum eſt per ſe facile cognitu, ſaltem Cauſarum primarum perſcrutatio neceſſaria eſt, ac imprimis Cauſæ Antecedentis, unà cum Modo afficiendi, quomodò nempe talis Cauſa prima Iſchuriam inferre queat.

*Cauſas* has dignoſcimus partim ex Veſicæ aut aliarum partium vicinarum Affectuum Signis, partim ex Rebus prægreſſis & concomitantibus. Attentus ergò ſit Medicus ad inveſtigandam Cauſam Proximam Iſchuriæ: e. g. *Vitium Veſicæ* paralyticæ latere nequit ex indolentiâ & inſenſibilitate Veſicæ, vel regionis Veſicæ, licèt diſtentæ.

*Vitium Fibrarum* diſtentarum latere nequit ex eo, quòd Urina anteà fuit nimis diu retenta, & quòd admotâ licet Syringâ nihil effluxit, poſtmodùm verò, compreſsâ regione Pubis Manu, Urina profluxerit.

Cauſam veram verò eſſe in occluſo plùs minùs *Meatu urinario* ſeu Urethrâ, ex eo patet, quòd ingens Tumor in Pube, ubi ſita eſt Veſica, iſque admodùm dolorificus, in eâ percipiatur & quòd ex levi loci tumentis compreſſione hic Dolor inſigniter exaſperetur.

Si adeſt inſenſibilitas Veſicæ, vel Dolores circa Os Sacrum, Signum eſt oriri *ex Veſicâ læsâ*: ſi præceſſerit nimia Veſicæ Diſtenſio à retentione Urinæ, hærebit vitium in Veſicâ *ab Atoniâ* contractum. Unde verò ſit *anguſtatio Meatus urinarii*, ex Adjunctis & Antecedentibus conjecturare licet: nempe ex Signis Calculi Veſicæ, ex Mictu cruento antecedente, ex Caſu ab alto, Vulnere, Rupturâ partium vicinarum, &c. quæ ſuſpicionem de Sanguine congrumato & extravaſato inferre poſſunt. Materia viſcida ſæpiùs cum Urinâ excreta, aut etiam Pus, obſtruere Meatum oſtenditur, ſi Æger ſolitus ſit cum Urina ſubinde talem Materiam rejicere, quòd Malum hoc ſubinde ſoleat recurrere. *Indicium* hujuſmodi Suppreſſionum, præter Tumorem & Dolorem Veſicæ ex retentâ Urina optimè ſuggerit *Catheter*, qui intruſus per Sphincterem Veſicæ penetrat, & ita aperiendo Meatum urinarium, & removendo impedimenta, Urinæ fluxum promovet: Vid. Riverius *Pr. lib.* 14. *cap.* 8.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: *Suppreſſio omnis Urinæ* Malum eſt periculoſum, & quò diutiùs durat, eò eſt gravius, quia acutum Dolorem, ſæpè Inflammationes, & interdum ex nimiis Doloribus epilepticas Convulſiones infert, ut plurimùm die 11. necat.

Melius tamen eſt, ſi Ægri ex Urinæ Suppreſſione percipiunt Dolorem: Nam Retentio Urinæ totalis in Morbo *ſine Dolore*, inſtantis Mortis ſolet eſſe Signum; innuit enim jam deficientem vim ſenſibilitatis Corporis.

Iſta, quæ fit *ex Veſicæ Paralyſi* Iſchuria, item, quæ *ex nimiâ Corporis ejus Diſtenſione* oritur, contumaciſſima, & ſæpiùs periculoſiſſima eſſe ſolet: vid. Panarollus, & Hildanus *l.a.*

Pari ratione ſe habet, quæ à *Scirrho Cervicis*, aut partis cujuſdam vicinæ Tumore incurabili oritur, Collum ſc. & Meatum urinarium conſtipante aut comprimente.

Breviùs morituros denotat Teneſmus & Singultus.

Contrà ſequentiùs ſolvitur ea, quæ à Grumo Calculove minore inducitur.

## CURA.

Quod ergò attinet *Curam*: in hac *varietatis Cauſarum* imprimis habenda eſt ratio: Unde

1. *Hæ ipſæ*, impedientes tranſitum Urinæ, imprimis *removendæ*.
2. *Interna Diuretica*, præſertim Salina, ſeu Urinam acrimoniâ ſuâ promoventia, *propinanda*.
3. *Externis* Veſica ſubinde *ſtimulanda*.

Sin ergò Malum eſt *à vitio Nervorum*, vel *Veſicæ minùs ſenſilis*, vel aliàs *quaſi paralyticæ*, conveniunt *Nervina* intrinſecè æquè propinanda, ac exteriùs admovenda: internè e. gr. Malvaticum Juniperinum, Oleum deſtillatum Baccarum Juniperi, Succini, aut Terebinthinæ conveniunt, idque ad imitationem Thoneri *in Obſer. pag.* 175. qui Iſchuriam & Stranguriam graviſſimam ab Intemperie frigidâ & humidâ cum Humoribus phlegmaticis, præmiſſis Internis, curavit per Oleum deſtillatum Succini ad gutt. vj. cum Aquâ Petroſelini. Item conveniunt Aſelli. Quò etiam ſpectat Cerebrum Picarum à Riverio *Obſer. communic. pag.* 340. laudatum. Injiciendi ſunt *Clyſteres*, primò quidem blandè *Emollientes*, ex Parietariâ, &c. quale dedi *in Curâ Calculi Renalis Cap.* 1. *Membr.* 1. poſtmodùm etiam *Acres* ex Centaurio minori, Colocynthide

thide & ſimilibus; autadminiſtranda blanda *Purgantia*, quæ Alvum ſtimulare, & per conſenſum ſimul Veſicam ad excretionem Urinæ plùs minùs irritare ſimul valent: Videb. Langius *in Miſc. Med. Gymnaſm. 6. pag.* 14. ubi laudat Autor hic Clyſma in caſu ſuppreſſæ Urinæ vitio Veſicæ. Item comprimatur Abdomen, detineatur Anhelitus, ut ita vi quaſi Urina proliciatur: quòd niſi Urina ſponte ſequatur, *Catheter* uſurpetur, ut ejus medio Urinæ patefiat exitus. Sed quoniam gravia & periculoſa ſubinde Symptomata vel ineptè vel crebriùs uſurpatus Catheter inferre poteſt, de quo videb. Lyſerus *in Obſervat. pagin.* 250. item Panarollus *Pent. 2. Obſervat.* 20. tutior eſt *Candela cerea*, Melle aut Oleo Amygdalarum dulcium illita, ſi immittatur ad imitationem Sylvii *Tract. de Cachexiâ §.* 275. vel uſurpetur *Fiſtula membranacea, ſeu coriacea* ad imitationem Helmontii *Tract. de Lithiaſi cap.* 7. §. 34. mediante quâ ſimul per *Siphonem* applicati Liquores commodè poſſunt injici, ut ita iſtis mediis retenta proliciatur Urina. Prolectâ ſic Urinâ, injiciatur Veſicæ Liquor Decoctionis Salviæ, Origani, Pulegii, Calaminthæ, Rutæ, Florum Tiliæ, Roſarum, Caſtorei, ac ſimilium Nervinarum, Antiparalyticarum, ut ſenſus & motus Veſicæ redeat: Item applicanda ſunt Fomenta ex Decocto ſimilium Nervinorum cum Anetho, Chamomilla, Abrotano, Parietariâ & ſimilibus in Aquâ vel Vino cocta: vel fiat *Fotus ex Decocto.*

℞. *Herb. Parietar.* M. iv.
*Sem. Aniſi*,
*Petroſel.* an. ℥j.
*Herb. Filipend. rubr.* M. j.
*Zedoar.* ʒij.
*Bacc. Lauri* ʒj.

Decoq. omnia in *Vino* vel *Aqu.* & vel inſtar *Fotûs* applicantur *cum Spongiâ* aut linteolis multiplicatis, vel infunduntur in Veſicam.

Proficuum eſt in quavis ferè Iſchuriâ Veſicali. Vel etiam *Folia Tiliæ* in Vino cocta, & ſuper Pectinem impoſita ſubitò Urinam proliciunt. Vel apponitur *Cataplaſma ex Parietariâ* cum *Oleo Scorpionum*, quod ipſum aliàs eſt egregium in quacunque Urinæ Suppreſſione. *Litus* item ex Oleo Scorpionum, Caſtorei, Nardino, Rutaceo, Hyperici, Oleo deſtillato Juniperi, Terebinthinæ & ſimilibus regioni Pubis & Perinæi commodè illiniri poteſt, etiam circa Os Sacrum: Item *Unguentum Dialthææ cum Oleo Scorpionum* miſtum Pubi, vel Lumbis illinatur, addito Petroleo. Denique *Oleum Maſtiches deſtillatum* Umbilico inunctum remorantem Urinam promovet; e. gr.

℞. *Ungu. Dialth.* ℥ß.
*Olei Scorpion.* ʒij.

M. D. S.

Unguentum Urinam promovens.
Illinatur Pubi ac Pectini.

Vel

℞. *Ungu. Dialth.* ℥ß.
*Olei Scorpion.* ʒij.
*deſtill. Bacc. Junip.* ʒß.

M. S. ut antè.

Quo illinatur regio Pubis;

Item conveniens eſt Emplaſtrum Nervinum applicatum regioni Oſſis Sacri & Pubis, malaxatum priùs cum Oleo deſtillato Succini.

Tandem, ubi in graviori vel pertinaciori Malo nec hæc ſucceſſerint, *Inſeſſus & Semicupia* ex *Emollientibus* & *Nervinis* appropriatis, ex Materiâ Medicâ notis, inſtituantur, quibus inſideat Æger, exhibendo paulò ante Inſeſſum blanda *Diuretica*, v. gr. aliquot guttas Olei deſtillati Succini, vel Terebinthinæ, aut aliquot grana Salis volatilis Succini in Aquâ ſeu Spiritu Juniperi, vel alio Liquore appropriato.

In *Ardentibus aut Malignis Febribus* ſi Suppreſſio ſit Urinæ, vel Ægri aliquandiu circumducendi ſunt deambulando (conf. Sydenham *in Obſerv. de Morbis acutis pag.* 212.) vel illinatur regio Pubis cum *Unguento jam dicto*, vel imponantur Fomenta & Cataplaſmata.

*Si fiat Suppreſſio Urinæ ex extenſione Veſicæ* nimiâ, præter blandiorem compreſſionem cum Manu, in ſpecie conveniunt externi ſimiles *Fotus* Nervini ex Parietariâ, Anetho, Floribus Chamomillæ, Millefolio, Origano, Pulegio, Meliloto, Semine Lini, Fœnugræci, & ſimilibus: Item *Cataplaſma* ex Chærefolio, Parietariâ & Petroſelino, in Butyro frixis; quod expertum eſt à Simone Pauli *in Quadrip. Botan. pag.* 175. Vel Cataplaſma ex Parietariâ, & Cepâ cum Oleo Scorpionum Pectini impoſitum egregiè prodeſt: item Cataplaſmata ex Cepis, vel Parietariâ, de quibus infrà, applicari poſſunt, ſi priùs *modis ſuprà dictis* per *Catheterem*, &c. Urina fuerit evacuata. Fiat quoque *Litus* ex Oleis deſtillatis aromaticis, Cumini, Terebinthinæ & Juniperi; vel *Emplaſtrum* de Meliloto, malaxatum Oleo dicto, applicetur regioni Pubis.

*Quod ſi vitio Sphincteris* ſupprimatur Urina, *Litus* in Perinæo & Pubis regione ex *Unguento* Nervino, Dialthææ cum Oleo Papaveris, Caſtorei ac Succini confert, & applicetur Fotus ex Nervinis recenſitis. *Internè* verò ſimul propinantur Volatilia *Antiſpaſmodica cum Opiatis* miſta: ſed modò primarius curatus fuerit Morbus, ſecundarium hoc Symptoma ſponte evaneſcit. Sic v. g. *ſi à Cantharidibus* ortum fuerit, *Lac*, & *Emulſiones* lacteæ, ſunt optimæ.

Si ab *Hæmorrhoidum intumeſcentiâ, aut Prolapſu Sinûs pudoris, Herniâ, Inflammatione* Veſicæ, partiumque vicinarum, ſimilibuſque Tumoribus diſſolubilibus, *Fotibus* appropriatis removeri debent.

Quòd ſi *obſtructa ſit Urethra*, tunc pro diverſitate Cauſarum vel Materiæ effluentis, varianda Remedia. Nam ſi ſit à *Grumo Sanguinis*, dentur internè hunc Reſolventia, ac in ſpecie Solutio Lapillorum Cancrorum in Aceto, cum Decocto Radicis Rubiæ Tinctorum, aut *Krapp*: item dandum Decoctum Artemiſiæ cum Decocto Chærefolii, Hyperici; vel Mumia, Myrrha, Trochiſci de Carabe, Sperma Ceti, Eſſentia Chærefolii, Eſſentia Hyperici, Eſſentiæ Traumaticæ. Cum quibus jungatur Inſeſſus aut Fotus ex Decocto Simplicium Emollientium & Reſolventium Sanguinis Grumos, ſicut propriâ experientiâ docet Timæus *von Guldenklee lib. 3. Caſ.* 41. quales ſunt optimi in Sanguinis Grumis, vel aliis irritis in Sanguinis Grumoſitate Veſicam obſtruente. *Externè* expertum Remedium eſt in Grumis Sanguinis Stercus Bovinum, quàm recentiſſimè adhuc excretum, Pectini, Pudendo, & Perinæo applicatum; hoc ipſum enim euporiſton diſcutit & emollit Sanguinem, quò reſolutò emanabit Urina; ſi deſit recens Stercus, adhibeatur ſiccum, Oleis appropriatis ad ignem permiſtum: Vid. Zacutus Luſitanus *lib. 2. Prax. Adm. Obſer.* 65.

Quòd ſi Malum ſit ab *Urethræ Obſtructione à Materiâ viſcidâ & mucilaginoſâ*, poſt Purgans blandum conveniunt internè *Raphanacea* ex Armoraciâ, Raphano communi, Terebinthina cum pulvere Liquiritiæ frequentiùs exhibita, Decoctum Aperiens & Diureticum ſuperbibendo; item Succus Parietariæ,

rietariæ, & ſimilia Incidentia; item Spiritus Gummi Ammoniaci compoſitus, qui eſt optimus; aut etiam Spiritus Salis dulcis, qui etiam eſt egregius: Nam ſimul Urinam ſtimulat. Imprimis *Succus Limonum vel Citri* ad ℥iij. vel iv. uſurpatus: appropriatiſſimum eſt Remedium: Vid. Amatus Luſitanus *Centur.* 5. *Cur.* 71. Vel ad imitationem Riverii *in Obſervat.* 42. *à* Fomio *communicata.*

℞. *Vini albi dulc.* ℥iij. vel iv.
*Succ. Limon.* ℥i. vel ℥iß. ad ℥ij.
*Spiritûs Terebinth.* ʒi. ad ʒij.
Miſc.

Mucilaginem diſſolvit: & Urinæ tranſitum parat.

Item *Succus Parietariæ cum Oxymelite* Experimentum eſt Helidæi Paduani &c. Foreſtus ceu ſingulare Experimentum commendat Folia Ribes nigræ, ut nempe Decoctis Urinam cientibus debeat addi: Hæc enim Folia adeò pellere Urinam, ut etiam Sanguinem proliciant, res eſt probabilis; Nam ipſa Folia odorem Urinæ fœtidiſſimum obtinent, ita, ut nulla Matula ſit adeò fœtida, quàm hæc Folia.

Si Malum *ſit ex Tumoribus Proſtatarum circa Radicem Urethræ*, præter Cataplaſmata Cepacea & Alliata, prodeſt Beccabunga cum Floribus Chamomillæ, inſtar Fomenti aut Cataplaſmatis, regioni Perinæi & Veſicæ applicata.

*Si Pus tenacius* obſtiterit, Succinum cum Vino propinatum eſt egregium Remedium; item Succinata, Balſamus Sulphuris ſuccinatus, terebinthinatus, & Oleum Juniperinum, Succini, & ſimilia ferè, quæ modò circa Grumos Sanguinis fuerunt inſinuata, ſunt egregia: imò etiam Veſicæ injicienda: cum quibus ſimul debitus Catheterum uſus non negligendus, qui tamen, ubi Veſica ſimul, aut aliàs, inflammata, locum non habet.

Quòd ſi ſupprimatur Urina *à Caruncula* inter Meatum urinarium genitâ, hæc quantocyùs removenda eſt; illius Eroſio & Ablatio tentanda, Methodo ab Amato Luſitano *Centur.* 4. *Obſer.* 14. delineata. Convenit in ſpecie ſequens:

℞. *Merc. Præcipit.* ʒij.
*Ungu. de Ceruſſ.* ℥iß.
Miſc. pro Linimento.

Pro magnitudine Affectûs aliquid *Olei Vitrioli* addi poteſt.

Supra *ceream Candelam* ponitur, & hoc ipſo Caruncula aliquoties, ſed modeſtè, in die attingitur: vel *Mercurius Præcipitatus dulcificatus*, *ſeu Turbith Minerale cum Emplaſtro Triapharmaco* Candelæ cereæ apponitur, & dicto modo uſurpatur: Vid. Velſchius *Mictomim. Cent.* 1. *Obſ.* 54. *annex. M.A.N.C. Ann.* 4.

In Malo leviori *Candela ex Cerâ albâ*, cui admiſcetur *Antimonium crudum pulveriſatum*, vel, qui melior, *Crocus Metallorum*, leviter aufert Carunculam. Quòd ſi gravius aut pertinacius fuerit, Magma *ex Mercurio Sublimato & Viridi Æris* cum Cereo applicetur: Conf. *M.A.N.C. Ann.* 8. *Obſer.* 92. *pag.* 152.

Obſervandum autem, ne Virgæ aut Candelæ ſint ex purâ Cerâ, quia facilè nimis franguntur, ſed admiſcenda eſt *Terebinthina.*

℞. *Ceræ albæ* ℔j.
*Terebinth. Venet.* ℥j.
Liquefiat *Cera*, poſt addatur *Terebinthina*: quibus liquatis tingantur *Ellychnia*, fiantque *Candelæ.*

*Unguentum* de Calce vivâ, *Fuſcum Felicis Wurzii*, *cum Melle roſato* etiam Carunculam abſumit: Conf. Barbette *in Chirurg. pag.* 269.

Quòd ſi exeſa fuerit Caruncula, *pro Conſolidatione* relicti Ulcuſculi *Unguentum Album camphoratum* immiſſum conſolidat.

Applicentur tamen *Candelæ Corroſivis imbutæ* cautè, ne ex nimiâ corroſione Gangræna oboriatur, cujus Exempla videb. in Luſitani *Obſerv. pag.* 259. Cætera pro hoc Scopo uſitata Remedia videb. in Sennerto *lib.* 3. *Prax.* item Borello *Cent.* 2. *Obſ.* 79.

*Externè* in quacunque Iſchuriâ convenientiſſimus eſt Fotus ſuprà laudatus ex Semine Aniſi, Petroſelini, & ſimilibus in Vino coctis, hinc remedia ex *Alliis* & *Cepis* cum Oleis, coctis aut frixis, Pubi aut Pectini applicatis, Iſchuriam Veſicæ optimè tollunt. Cepæ albæ conciſæ in Vino decoctæ, inſtar Fomenti applicentur;

Vel

℞. *Cepa ſub ciner. cocta*:
adde
*Pingued. Anſer.* ℥ß.
Miſc. ſub formâ Linimenti: S.
Unguentum Urinam promovens.

Illinatur hoc ipſum Umbilico & Pubi; ſubitò enim promovet Urinam. Probatum hoc eſt in multis Caſibus, & aliis nil juvantibus. Conveniens etiam eſt Perinæo applicatum, ſi *à Veneris abuſu* ſuppreſſa ſit Urina, prout in tali Caſu expertus eſt Hillerius *Cent.* 1. *Cur.* 17. Vel

℞. *Cepar. alb. crud.* Num. vj.
*Cap. Allii* Num. ij. vel iv.
Contuſis in Mortario adde
*Pingu. Anſer.* q. ſ.
*Olei Scorpion.* parum.

Adſpergantur aliquot guttulæ *Olei deſtillati Juniperi.*
Miſc. pro Cataplaſmate.
D. S.
Cataplaſma Urinam promovens.

Applicetur regioni Renum & Pubis.

Poſt hæc egregium etiam eſt *Cataplaſma ex Parietariâ* (intelligo ſemper eam, quæ creſcit in Parietibus antiquis propter rationes ſuprà dictas) contuſâ, coctâ cum Cepis & cum *Oleo Scorpionum*, inſtar Cataplaſmatis Pectini impoſitâ, quod Experimentum ſingulare Helidæi Paduani. *Me rarò fefellit*, dicit Foreſtus *lib.* 25. *Obſ.* 8. Vel decoquatur Parietaria, cum Vino, & ſubigatur cum Cepis in formam Cataplaſmatis;

Vel

℞. *Herb. Parietar.* M. ij.
*Chærefol.* M. iß.
*Flor. Chamom.* M. j.

Inciſa coqu. ad mollitiem, adde
*Butyri rec.* ℥ij. vel ℥iv.
*Olei Scorpion.* ℥ß. ad ℥iß.
M. f. Cataplaſma.
D. S. ut ſuprà.

Applicetur calidè Pubi, & deſuper operculum calidum. Hoc ipſo Iſchuriam Puerperæ ex *Frigore ſubitaneo* deſperatam curavit Foreſtus: vid. l. a. Notabilis eſt Caſus.

Tandem etiam in Iſchuriâ ex vitio Veſicæ convenit *Litus* externus cum Oleo Amygdalarum amararum; item cum Oleo Nucleorum Perſicorum; item fiat Linimentum cum Unguento Dialthææ, & Oleo Nucleorum Perſicorum, Oleo Scorpionum, acuato cum aliquot guttis Olei deſtillati Terebinthinæ, Succini & ſimilibus, regioni Pubis, Perinæo & Umbilico inungendum, de quo *ſuprà dictum.* Vel

℞. *Olei Petræ alb.* ʒiß.
*deſtill. Bacc. Junip.* ʒß.

Excip. cum ſ. q. *Unguent. Dialth.* pro Litu externo;
D. S.

D. S.

Unguentum Urinam promovens.

Denique *Oleum Maſtiches deſtillatum* inunctum Umbilico, remorantem Urinam egregiè pellit. Tandem quorundam dicitur Experimentum, ut Ægro inſcio immittantur Pedes in Aquam fervidam, ſeu benè calentem; ſic enim perterrefactum Ægrum ſubitò Urinam reddere aſſerunt. Quod etiam prodeſſe dicunt in Tuſſi. (V)

## MEMBRUM II.

### *De Calculo Veſicæ.*

QUòd ſi *Calculus Veſicæ* Meatum urinarium obturaverit, hic removendus venit. An unquam aliquis in Veſicâ Calculus producatur, dubitat Fernelius, omnemque, qui in eâ reperitur, rudimentum ſuum in Renibus traxiſſe; in Veſicâ verò poſtmodùm incrementum ſumpſiſſe, putat, ideò, quòd in contritis Veſicæ Calculis Nuclei ſæpiùs reperiantur, diverſi à reliquâ eorum cruſtâ coloris ac ſubſtantiæ, nullúſque obſervetur Calculo laborans, niſi qui Nephriticis Doloribus vexatus fuerit. Et quidem *Calculi Veſicæ* frequentiſſimè ex Calculo Renum primariam ſui originem ducunt: conf. *M.A.N.C. Ann.* 6. *Obſervat.* 109. *pag.* 147. Læsâ enim Ureterum Tunicâ nervosâ, ipsâ etiam Veſicâ Calculi motu non nihil attritâ, plorant hæ partes læſæ Nutrimentum proprium ſub formâ *Mucilaginis craſſæ & ſpiſſæ*; quæ Mucilago unà cum Urinâ Calculoſorum excreta habetur vulgò pro Pituita, ex qua per Calorem arefactâ genereitur Calculus, cùm tamen reverà ſit Alimentum proprium Utererum ac Veſicæ, in Veſicæ cavum deſtillans, & ita concretum. Hæc ipſa tamen Mucilago, ubi aliquantulum ejus ſubinde adhæret Calculo Renali eò delapſo, in hujus augmentum cedit. Accreſcentibus enim plurimis Arenulis, aut advenientibus Salibus coagulabilibus ex Urinâ, ſimùl in Calculi conſortium rapiuntur, & exinde *Calculi Veſicæ* augmentum oritur. Hinc Veſicæ Calculi majores lamellatim concreti reperiuntur, inſtar nempe Ceparum, Cortice uno ſupra alterum concreto, facilè tamen à ſe invicem ſeparabili. Si quis unquam vidit *Lapidem Bezoar*, vel *Lapidem ex Folliculo felleo Bovis*, is tales Lamellas pariter in Calculo Veſicæ inveniet, ita, ut in centro parvus Lapillus, vel compactæ Arenulæ reperiantur, quod eleganter declarat Boyle *in Phil. Experiment. Confer. &* Borellus *Centur.* 2. *Obſer.* 62. *&* Velſchius *Hecat.* 2. *pag.* 32.

Nihilominùs autem, utut frequentiſſimè rem ita ſe habere concedi debeat, id eſt quòd plurimi Calculi rudimenta ſua prima Renibus debeant, in Veſicâ verò morboſum incrementum recipiant; contrarium tamen quoque, id eſt quamplurimos Calculos *ipſam etiam Veſicam* pro primâ Minerâ agnoſcere diverſa perſuadent.

1. Quòd multi *Pueri* ſine Nephriticis Symptomatis antecedaneis Calculo laborent.
2. Plures etiam Calculi è Veſicâ protracti, quoad Nucleum & Corticem *eundem ſubſtantiæ modum*, quoad interiora & exteriora, habeant.
3. Calculus Veſicæ non rarò *adnaſcatur* per Tunicam quandam: vid. Riverius *lib.* 14. *cap.* 2. (X)

## DIAGNOSIS.

*Signa Diagnoſtica* Calculi Veſicæ ſunt ferè difficillima, potiſſimùm in principio Morbi; grandior autem redditus Signa ferè faciliora præ ſe fert: vid. Salmuth

(V) Nota Cyrilli. *Cùm Catheter in Veſicam nullo pacto immitti poteſt, adeoque nec Urina per Urethram educi, ſolent induſtrii Chirurgi Paracenteſim in Perinæo inſtituere, ac Siphone in Veſicam uſque introducto, Urinam elicere. Verum Cl.* Mery *propriâ & repetitâ Experientiâ edoctus ait, Punctura hanc ſecuriorem eſſe ſi in regione Pubis celebretur, quàm ſi in Perinæo. Ipſe primùm illam inſtituit ad latus partis inferioris Muſculi Recti Abdominis (ut nempe vitaret Arteriam & Venam Epigaſtricam, quæ per internam ſuperficiem hujus Muſculi repunt) atque ad Veſicam pervênit, è quâ Urinam bono cum ſucceſſu eduxit. Attamen idem fatetur, commodiorem & omnis periculi expertem eſſe Paracenteſim hanc, ſi ſupra Symphyſim Oſſium Pubis, inter duos Muſculos Pyramidales inſtituatur: quod ſe ſæpiùs feliciter expertum eſſe fatetur.*

(X) Nota Cyrilli. *Calculos Veſicæ adhærentes, ac propriâ cyſti incluſos, jure negant quamplurimi Practici: haud enim vero ſimile eſt, Calculos è Renibus per Ureteres in Veſicam delapſos, poſſe hujus ſuperficiei ita adhærere, ut liberum in illâ ſimul cum Urinâ motum non obtineant. Minimè autem concipere poſſumus (quod Autores quidam hujus ſententiæ patroni imaginati ſunt), Succum craſſum viſcidumque ex Veſicæ ulcere extillantem, partis calore majorem ſemper ſpiſſitudinem adeptum, in Membranam tandem faceſſere, quæ primò Calculum complectatur, mox illum Veſicæ ſuperficiei ita adglutinet, ut illius internæ Membranæ veram partem conſtituat. Quomodò, inquam, id concipere poſſumus, ſi animadvertamus in varios Corporis motus & ſitus, in frequentes Muſculorum Abdominis & Diaphragmatis, ac fibrarum carnoſarum Veſicæ contractiones, in mollem Veſicæ ipſius ſubſtantiam, in aſſiduum Urinæ per eandem fluxum, ſimileſque cauſſas, quibus impoſſibilis redditur hæc Calculorum Veſicæ parietibus adhæreſcentia? Præterquàm quòd quis unquam credit poſſe ſaniem & pus ex ulcere extillans aptum eſſe ad veræ Membranæ formationem? Tandem illud pro compertiſſimo habent accuratiores Anatomici, in Cyſticorum Tumorum geneſi haud novas formari Membranas, ſed priùs exiſtentes, & quandoque inconſpicuas à ſucco quodam extraneo firmiores & craſſiores reddi, adeoque magnitudine nobiles.*

*Ut igitur rationem reddamus Obſervationum Anatomicarum, quibus Calculi Veſicæ adhærentes & propriâ Membranâ incluſi innotuerunt, manibus pedibusque ibimus in Cl.* Littre *ſententiam, qui ait Calculos hos haud propriâ Membranâ contineri, ſed potiùs inter Veſicæ ipſius tunicas latêre. Quum enim Ureteres ſatis obliquè Veſicam perforent, ut aliquantiſper inter illius Membranas perreptent, antequàm in internam hient ſuperficiem; fieri facilè poterit ut Calculi, præſertim aſperiores, in hac obliquâ Ureterum in Veſicam inſertione remoram nacti, ibi hæreant, nec in Veſicæ cavitatem delabantur: imò novâ accedente è Renibus materiâ lapideâ, inibi incrementum ſumant. Addit inſuper citatus A. ſe vidiſſe geminos Calculos, qui ex hâc Ureterum inſertione, foramen ſibi excavaverant inter Veſicæ Membranas, ibique augmentum ſuſceperant. Calculi igitur hi inter membranas Veſicæ ſubſiſtentes, ibique incrementum nacti, tanquàm Veſicæ adhærentes, propriâque Membranâ incluſi, Anatomicis videri potuerunt.*

(X) *Tradit*

Salmuth *Cent.* 1. *Obſ.* 25. Riolanus *Anthropogr. lib.* 2. *cap.* 24. Hildanus *de Lithiaſi Veſicæ cap.* 3. & *Scholiographus* Hollerii *lib.* 1. *de Morb. Intemperiei cap.* 50.

Conjecturari interim licet Calculum in Veſicâ ex ſequentibus. Nam percipitur imprimis *Impedimentum quodcunque in Veſicâ*, ita ut ſentiant Ægri quaſi aliquod obſtaculum, quod ſe opponit Meatui urinario ſub Urinæ excretione, & in medio ſui curſu Urina ſubitò ſupprimatur, unde aſſiduus ad Urinam mittendam ſtimulus, & ſumma mejendi Difficultas & Urinæ Stillicidium.

Item *Anus in conſenſum trahitur*, & unà Teneſmo affligitur, quod unum ex potiſſimis eſt Signis: Imò Teneſmus hic interdum eſt tantus, ut ex crebriori egerendi conatu ſæpiùs Procidentiam Inteſtini Recti comitari ſoleat.

Ulteriùs Ægri Calculo Veſicæ correpti percipiunt *obtuſum Dolorem Perinæi* ſeu Colli Veſicæ, qui circa finem Mictionis exaſperatur; & ſi Calculus majorem molem contraxerit, *Pondus* in Perinæo & totâ Pectinis regione.

*In Penis Glande* ſeu Balano eſt *Dolor & Pruritus* ex continuatione Membranæ internæ Veſicæ ad Glandem Penis, ita ut Ægri interdum putent, Calculum hærere in Balano ſeu Glande: vid. Hildanus *Cent.* 6. *Obſerv.* 49. ut hinc Urinam redditurі Glandem fricent, comprimant & protrahant.

Subinde *continuam Erectionem* atque Tenſionem *Penis* patiuntur, idque ex irritatione Membranæ Veſicæ internæ cum Membranâ Meatûs urinarii circa Radicem Penis.

Sanè Helidæus Paduanus ceu expertiſſima Calculi Signa Veſicæ habet, præter Urinæ difficultatem, ſi poſt mingendi deſiderium etiam adſit *deſiderium excernendi Fæces Inteſtinorum*, & ſi Ægri, dum aliquem Palum, & ſimile quid humo attollere volunt, *dum ſe inclinant*, in parte Veſicæ anteriori circa regionem Pubis *Dolorem & quaſi Puncturam ſentiunt.*

Præterea ſub vehementi Corporis Saltu, vel Motu *Motum Calculi in Veſicâ* Ægri percipiunt, modò non ſit adnatus: Nam interdum per Membranam poſt laceratam Veſicam ita ei adnaſcitur, ut tanquam in Capſulâ videatur contentus, quo in caſu eſt difficillimus cognitu.

Porrò *immiſſo in Veſicam Cathetere*, aut immiſſo *Digito in Podicem* ab Experto, facilè reſidens Calculus in Collo Veſicæ fluctuet. Nam obſervârunt quidam, quòd Calculus quaſi conglutinatus hæſerit Membranæ Veſicæ, unde tunc Cathetere opus eſt, quia gravior docimaſia Calculi.

Item *ſi inter mingendum ſupprimatur Urina*, Signum eſt ſatis certum, ſuppreſſam eſſe Urinam à Calculo Veſicæ.

*Corporis Inquietudo* varia adeſt, quâ Ægri præprimis Crura exagitant, & tranſverſim complicant, Coxas & Pubem comprimunt, Abdomen ad humum flectunt, imò ſi Calculus major fuerit, vix recti ſtare, equitare, aut per ſalebroſa loca ambulare poſſunt.

Et denique in Malo diuturno *Mucilago* iſta, cujus anteà mentio facta fuit, nec non lutoſa ac argilloſa, copiosè cum Urinâ excerni ſolent, quæ non ut Materia, ſed ut Productum quoque Calculi erunt agnoſcenda: Vid. Lindanus *de Lithiaſi Veſicæ cap.* 3. & Riverius *Pr. lib.* 14. *cap.* 2.

## PROGNOSIS.

In *Prognoſi* Calculus Veſicæ Malum eſt difficillimum curatu.

*Facilius* tamen *in Fœminis* propter brevitatem & ſimul amplitudinem Colli Veſicæ in Matrice, *difficiliùs* & periculoſiùs *in Viris*, quorum Urethra eſt longior & anguſtior.

Calculus Veſicæ *propriâ Membranâ incluſus*, & firmiùs adhærens, ferè incurabilis eſt: vid. Tulpius *lib.* 3. *Obſ.* 5.

Calculus Veſicæ ſubinde *nonniſi Sectione*, tolli poteſt; quæ, niſi ritè tractetur, nec ſic periculo caret, quia ſectis aut extractis licèt, ſæpiùs tamen aut Veſicæ *Inflammatio* lethalis *cum Gangrænâ*, aut certè *Fiſtula* ſupervenire poteſt, & ſic Ægri tædioſam agunt vitam. Imò nec feliciter ſecti à Recidivâ planè immunes: vid. Hildanus *l. a. cap* 4. & 8. (*Y*)

## CURA.

Calculi Veſicæ *Curam* quod attinet, hæc eoſdem, quos Renum Calculus, Scopos habet, ſcilicet ut Materia antecedens tempeſtivè evacuetur, Calculique generatio inhibeatur, ipſeque Calculus maturè extrà Corpus ejiciatur. Quòd *ſi nequeat expelli ob Magnitudinem, comminuatur*, vel Medicamentis aſſumptis, vel injectis, Dolorque ſedetur: *Si nec hoc procedat exſcinditur.*

Quoad *Interna*: præter Laxativa, Acidum abſorbentia, & Dolore urgente, Diuretica validiora, & ea ipſa, quæ *Cap.* 1. *Artic.* 1. & 2. *Membro* 2. *in Calculo Renum* fuerunt laudata, etiam in Veſicæ Calculo promovendo ſunt convenientia; diutiùs tamen continuanda, quia longiore morâ vis eorum

(*X*) *Tradit deinceps modum, quo Calculi iſti in Membranis Veſicæ intercepti deprehendi in homine poſſint: ſimplici enim fiſtulâ ſeu Cathetere in Veſicam immiſſo, minimè de illorum exiſtentiâ certi eſſe poſſumus, quum Calculi Membranâ contecti, ſi à Catheteris apice tangantur, nequaquam ſonum (evidens Calculi Veſicæ indicium) edere queunt. Quare* Dom. Littre *indice digito ſiniſtræ manûs in Anum vel vaginam Uteri immiſſo, durum Calculi corpus, ſemper circa Veſicæ collum ſtabulans offendit: demiſſo verò per iter Urinæ in Veſicam Cathetere, hujus ac digiti apice Calculi locum & ſitum certo certiùs deprehendit. Unde audaciſſimam Curationis methodum deducit, ut ſcilicet digito & Cathetere comprimatur jam deprehenſus in Membranis Veſicæ Calculus, deinde iterato itu redituque Catheteris, ſenſim extenuetur ad lacerationem uſque Membrana Calculum obtegens, uſque quò hic liber factus in Veſicam cadat, Lithotomiâ & vulgari apparatu extrahendus. Audax ſanè facinus, ſed ut ipſe A. ſubdit*, Audaces fortuna juvat, timidoſque repellit.

(*Y*) Nota Cyrilli. *Clariſſimus Vir* Nicolaus Capaſſus *in Regiâ Univerſitate Neapolitanâ Prim. Juris Civilis Profeſſor, multijugâ eruditione, atque acri judicio celeberrimus, municeps, æquævus, atque amicus meus ex animo, poſtquàm Lithotomiam Romæ paſſus fuit, quâ Lapis Ovum anſerinum magnitudine æquans eductus, quartum ferè poſt annum iterum Neapoli eandem ſectionem forti & conſtanti animo ſuſtinuit, ut ſecundo & moleſtiori Lapide, ad Renis hædini molem & figuram accedente, exoneraretur. Juſta ſuſpicio fuit prioris Lapidis fragmentum à primâ ſectione in Veſicâ relictum, novâ lapideæ materiæ acceſſione in ſecundum Calculum evaſiſſe. Nunc Superis grates, amicorum delicium, optimâ fruitur valetudine.*

rum non nihil infringitur : vid. Fortis *C.* 4. *Conſult.* 3. Præ cæteris internè *Agrimonia* commendatur à Foreſto *l.* 5. *Obſ. Chirurg. Obſ.* 3. & omnia reliqua, quæ ſuperiùs *Cap.* 1. *Artic.* 1. & 2. *Memb.* 2. habuimus de Calculo Renum. In ſpecie Aqua & Decoctum *Perſicariæ* in Calculo Renum & Veſicæ ab *Anglis* laudatur, & Succus Betulæ, imprimis ex Ramis mediocris craſſitiei prolectus, aut ipſius Betulæ Frondes exiliores ſeu Virgulæ conquaſſatæ, & cum Semine Dauci, vel Beccabungâ Cereviſiæ parandæ incoctæ; de quibus vid. Helmontius *de Lithiaſi*, *c.* 8. & 27. item Hartmannus *Praxi Chymiat. p.* 252. Item *Aqua ex Cepis deſtillata*, cujus efficaciam ſingularem Riverius *l. a.* & *l.* 4. *Obſ.* 14. confirmat : item *Sanguis & Urina Hirci ac Tauri* utriuſque embryonis, vel etiam Urina Hirci recenter mactati pota admodùm commendatur in Calculo : vid. Helmontius *l. a.* & Hartmannus *p.* 252. & 270. *Herniaria* & *Betonica* in Juſculo Carnium cocta, & quotidie ebibita, expertum eſt in Calculo à Poterio *Cent.* 3. *c.* 73. ſicut veſperi Lapilli Cancrorum ad ʒß. cum Succo Limonum aſſumpti : vid. Poterius *Cent.* 3. *c.* 74. *Decoctum Malvæ cum Butyro & Melle* uſurpatum fuit ab Horſtio *in Obſ. p.* 462. A Turriano *in Jatr. lib.* 4. *c.* 6. commendatur *Cryſtallus* & hujus liquor. Specialiſſimè *Aſelli* vel *Millepedes præparati*, vel potiùs conquaſſati in Vino Rhenano expreſſi, continuato uſu mirabiles ſunt ad comminuendum & quaſi labefactandum Veſicæ Calculum, ſecundùm Horſtii, Augenii, & Laurembergii Experientiam; quorum uſum & compoſitionem, cùm ipſe Autor rarus ſit, vid. in Sennerto *lib.* 3. *Prax. ubi de Calculo Veſicæ p.* 848. Laurembergius, qui hujus medio ſe curavit, ſingularem *de Calculo Veſicæ cum Aſellis curato* edidit *Tractatum*, & ante eum primus hujus Experimenti mentionem fecit Horatius Augenius *T.* 2. *l.* 9. *Ep.* 8. V. g. cum Spiritu Baccarum Juniperi aut Tincturâ Tartari conquaſſentur, hincque Succus expreſſus per plures dies & noctes porrigatur, e. g. num. xx. vel xxx. cum Spiritu Baccarum Juniperi ʒij. ad ʒiij. pro doſi; aut ſub formâ Pulveris aſſumuntur, &c. Et ſanè præter iſta Experimenta paria refert Boyle *in Philoſ. Exper.* quod etiam in Angliâ curatus fuerit Veſicæ Calculus per talem uſum Millepedum, qualem ipſe deſcribit Augenius : & ipſe Lindanus *ſuper Hartmannum* teſtatur, ſe bis Calculum Renum & Veſicæ iſto Aſellorum uſu curaſſe. Spectant huc Pilulæ ex Salibus Baccarum Hederæ & Naſturtii aquatici, Cryſtallis Tartari ac Nitri an. part. æqu. cum Terebinthinâ paratæ, quarum Riverius *Obſ. alleg.* meminit : Item Calculus humanus ejuſque Spiritus & Sal volatile, vid. Hartmannus *Prax. pag.* 250. & Hœferus *Herc. Med. l.* 3. *c.* 4. Item Electuarium, quod Montagnana *Conſ.* 182. deſcribit : Vel Succi ex Succo Parietariæ ℥ij. Vini ℥j. Succi Limonum, Olei Amygdalarum dulcium an. ʒiß. vel Succus Cancrorum duorum cum Vino expreſſorum, vel cum Syrupo Violarum & Althææ temperatus, à Mayerne laudatur. Interdum, ubi Calculus eſt in motu, & tamen non benè procedit, malumque deſperatum, *Vomitus* convenit, in ſpecie in Mulieribus : cujus egregium Exemplum videb. in Borello *Cent.* 3. *Cur.* 74. & Poterio *Cent.* 3. *c.* 74. ubi in Caſu deſperato Calculi Veſicæ propinavit Sal Vitrioli depuratum in Juſculo Carnium, & ita excitato Vomitu cum impetu Calculus Veſicæ prorupit. Sed certos nos eſſe convenit de illius mole, ne major aut acutus laceret. Hæc de Internis.

*Externa* in Veſicæ Calculo tollendo primaria ſunt ea, quæ in Veſicam *injiciuntur*, ut alteretur ab iis, & conſumatur Calculus, quæ tamen admodùm rara ſunt, imò hactenus nulla cognita. Nam ſi fuerit acidus, eam corrugabit; ſi urinoſus, ſoluturus eum in Mucaginem mutabit. Verùm dico, Liquorem illum debere eſſe temperatum : Nam quòd non impoſſibile ſit, ut per Urethram ſolvatur Calculus, confirmant *M.A.N.C. Ann.* 2. *Obſ.* 158. *in Schol. p.* 350. quòd Pariſiis quidam Empiricus talem Liquorem habuerit, & beneficio talis aliquot Calculos Veſicæ comminuerit, & fruſtulatim ejici curaverit; & Zechius *Conſult.* 31. Sanguinem Vulpis & Hirci calidè injectum eundem in finem laudat, quod etiam Monconys *Voyage l.* 1. *p.* 3. teſtatur. Sunt, qui *Solutionem Stercoris Columbini calcinati*, cum Parietariâ decocti, vel ejus Aquam pro hoc ſcopo commendant. Aliàs etiam *Balnea* ex Emollientibus, item *Fomenta* & *Cataplaſmata* ex Anodynis, & moderatè pellentibus, ſimilibuſque in uſu eſſe ſolent.

Fomentorum & Balneorum præſcribendi Formulas ex Materiâ Medicâ præſuppono.

Item *Inunctiones* fiant cum Pinguedine Hircinâ, Cuniculi, Petroleo, Oleo Scorpionum, Amygdalarum amararum, Succini, Ceræ, & ſimilibus, circa regionem Pubis & Perinæi : nam Petroleum etiam Renibus externè inunctum, eorum Calculum promovet; & ob id maximum Remedium vocatur à Panarollo *Pent.* 2. *Obſ.* 2. Unde etiam externè, & regioni Pubis commodè etiam poteſt inungi. Vel

℞. *Petrol. albi* ʒiij.
*Olei expr. Papav.* ʒiß.
*Hyoſc.* ʒß. M. D. S.

Oleum Leniens contra Dolores dorſales.

Singulariſſimum eſt *Cataplaſma* factum ex *albâ Cepâ*, coctâ in *Vino decoctionis Parietariæ*, & *Oleo Scorpionum*, quod ipſum Pubi & Perinæo admovendum, quàm calidè fieri poteſt. Cataplaſmate hoc uſus quidam fuit duabus vicibus, quibus ſe curavit à Calculo Veſicæ, quem ſibi jam exſcindendum decreverat : Vid. Hœferus *Hercul. Med. pag.* 175. item Horſtius *in Obſ. pag.* 460. Injiciantur quoque *Clyſteres*, quorum Formulas dedi *ſupra Membro* 2. *Artic.* 1. & 2. *Capit.* 1. ubi *de Calculo Renum*. Tandem ſi hæc irrita fuerint, opera danda erit, ut *Sectione* removeatur Calculus. Sectio hæc ut peragatur, ex Chirurgicis petatur : cui addenda illa Veſicæ Cervicis perforatio, quam in deſperatis Riolanus *Encheir. Anatomico-pathol. lib.* 2. *cap.* 30. & Zechius *Conſult.* 58. deſcribunt & commendant. Facilè verò exſcinditur Calculus Veſicæ, & nullum ſubeſt periculum, niſi fuerit admodùm ingens (Z) aut

(Z) Nota Cyrilli. *Calculus non ſolùm magnitudine notabilis periculoſam facit Lithotomiam, ſed etiam ſi ſcabritie & aſperitate inſignis ſit. Imo ſi magnus, ſed tamen lævis ſit, minus periculi minatur, quàm ſi aſper & acutis angulis horrens : aſperitate enim magis vulnus dilacerat quàm magnitudine. Hinc lætum vel triſte ex Lithotomiâ prognoſticum ferre poſſumus, haud Ægro inſpecto, ſed Calculo : ſi enim hunc mox è Veſicâ eductum lævem, & non monſtroſæ magnitudinis obſervemus, bonum prædicere poterimus; contra verò ſi aſperum, & præſertim carunculis è ſubſtantiâ Veſicæ divulſis contectum, illum deprehendamus.*

aut metuenda vel *Veſicæ Inflammatio*, vel ſuperveniens *Gangræna* lethalis, vel *Fiſtula* poſt Sectionem relicta.

Hactenus de Calculo, occaſione Suppreſſionis Urinæ.

## ARTICULUS II.

### *De Urinæ Excretione Aucta.*

## MEMBRUM UNUM.

### *De Urinæ Incontinentia.*

IN Affectibus, qui in Urinæ Excretione læsâ conveniunt, adhuc verſamur, & abſolvimus jam Abolitam Veſicæ vitio. Contrarium huic vitium eſt *Aucta ſeu frequens nimis Urinæ Excretio*, ſeu quando Urina ad voluntatis imperium & arbitrium diu ſatis retineri nequit, & præter voluntatem effluit, quod vitium communiter aliàs dicitur *Urinæ Incontinentia*, ſeu *Involuntarium Urinæ Profluvium*.

Vitium hoc *duplici modo* affligit Ægros: aut enim *dormientes* ſolummodò Urinam continere nequeunt, ut in Lectimingis, ſeu iis, qui ſtragula perminguntur: aut vitium hoc *diurno pariter ac nocturno* tempore infeſtum eſt, ita ut *vigilantibus* ac *dormientibus* æqualiter Urina involuntariò effluat: Quò etiam ſpectat, ſi Urina ſatis diu retinere nequeat, ſed ad Mictionem frequentiorem urgeat.

## PARS AFFECTA & CAUSÆ.

*Subjectum* & *Cauſa* hujus Affectûs *Proxima*, quam Veteres *Retentricem læſam* ajebant, eſt deficiens Conſtrictio Sphincteris Veſicæ: Sphincter enim Muſculus Veſicæ eſt, qui Fibris ſuis circularibus Collum ejus inveſtit, fortiter conſtringit, arcteque claudit, ita ut non niſi voluntatis imperio relaxatus, Urinæ tranſitum permittat; quando verò vis hujus conſtrictoria in Fibrarum legitimo Tono reſidens tollitur, vel vitiatur, eo ipſo etiam Urinæ Incontinentia adeſt. *Cauſa ergò proxima erit deficiens Sphincteris Veſicæ Conſtrictio.*

*Cauſa Remota*, per quam debita Sphincteris hujus Conſtrictio, modò ſympathicè modò idiopathicè, deficit, eſt I. *Paralyſis*, vel *Reſolutio vitio Nervorum* eveniens, ſive univerſalis totius Corporis, ſive partialis, ſolam Veſicam & Sphincterem afficiens, dum nempe ex impedimento Nervis injectio Spirituum animalium irradiatio debita fieri nequit. Si ergò ex quacunque Causâ, vel internâ vel externâ, læduntur Nervi ad Sphincterem abeuntes, eumque ſtringentes, Spiritibus reſolutis Fibræ relaxatæ ſe minùs ſtringunt, & Incontinentia Urinæ infertur. Similiter quoque contingit hæc Sphincteris Reſolutio interdum *à Caſu ab alto*, ſi quis ad regionem Lumborum, Oſſis Pubis, aut Oſſis Sacri impingat, ubi nempe Nervi ex Spinali Medullâ derivantur ad Veſicam: ſic *Luxatio* etiam *Vertebrarum* in locis iſtis ſubinde Urinæ Incontinentiam infert, qualia Exempla videb. apud Schenckium *in Obſ. lib. 3. ex* Benivenio *in Obſ. lib. 3.* Zacutum Luſitanum *l. 2. Med. Princ. Hiſtor.* 143. item refert Amatus Luſitanus *Cent. 2. Cur. 11.* de quodam, qui ex Lapſu in Dorſum Urinam retinere non potuit, ex ultimâ Vertebrâ affectâ. Imò *diuturnior Mora in Aquâ frigidâ* & ipſa reſolvere Sphincterem Veſicæ, & ſic Urinæ Incontinentiam inferre valet. Pertinet huc, dum *Morbis Acutis*, Ægriſque ſummè debilitatis, ſupervenit Urinæ Incontinentia ex defectu Spirituum animalium, adeòque Viribus penè exhauſtis: id quod & *Apoplecticis* ordinariò ferè accidere ſolet, in quibus involuntariò & Fæces Alvi & Veſicæ effluunt.

Deficit etiam II. Sphincteris Veſicæ Conſtrictio *ob Fibrarum Sphincteris etiam nimiam Relaxationem*, ſive *Tonum omninò læſum*, idque ſæpiùs propter nimiam Diſtenſionem, ſi nimiùm diſtendatur Sphincter, ut non poſſit iterum in ſitum naturalem redigi. Cauſa hæc ſubinde affligit in ſpecie Mulieres primiparas in Partu difficili, facto propter *nimiam Fœtus magnitudinem*; hinc enim, dum Fœtus eluctari nititur per iſtas anguſtias, Vaginam Uteri, & ſimul Collum Veſicæ, ejuſque Sphincterem, Vaginæ Uteri implantatum, nimis dilatando in causâ eſt, ut ſæpiùs poſtmodùm Urinam retinere nequeant. Exemplum tale recenſet Platerus *in Obſervat. pag.* 256. de Mictu involuntario, ob Cervicis Veſicæ in Partu dilacerationem, & quaſi ſciſſionem.

Tandem III. Quando *Fibræ Sphincteris conſtrictoriæ omninò lacerantur*, ac plùs minùs intensè læduntur, etiam ceſſat Urinæ Retentio. Fit hoc non tantùm in *Vulneribus* iſtarum partium fortuitis, ſed etiam imprimis in *Lithotomiâ*, ſeu Sectione Calculi Veſicæ, incautè inſtitutâ, Fibriſque Sphincteris in Collo Veſicæ plùs minùs diſciſſis, ut ob id poſtmodùm retineri nequeant: Exemplum vid. in Sculteti *Armament. Chirurg. Obſ.* 63. Pertinet huc etiam *Obſtetricum ineptitudo*, quæ Veſicæ Collum aut Carunculam Myrtiformem majorem, orificio Veſicæ præpoſitam, in Parturientibus ſubinde digitis aut unguibus lacerant, & inde non rarò graviſſimam Incontinentiam Urinæ inferunt: Ut taceam *in difficiliori Partu* rumpi quaſi Veſicæ Sphincterem; vid. Heinricus *ab Heer. in Obſervat.* 14. item Salmuth *in Obſervat. C.* 1. *Hiſtor.* 39. Fit hoc interdum etiam in Mulieribus propter *Prolapſum Sinûs pudoris*, in quo caſu etiam ex dilatatione & relaxatione Fibrarum Membranæ Vaginæ, ſimulque Relaxatione Fibrarum Sphincteris, ſubinde Urinæ Incontinentia oriri ſolet: Vid. Bartholinus *Cent. 4. Hiſtor. Anat. 2. pag.* 213. ubi Urinæ Incontinentiam refert *ex Ulcere Veſicæ* cum *Prolapſu Uteri.*

Cæterùm pertinet huc ſuo modo vitium iſtud, *quando Urina ſatis diu retineri nequit*, cum quidem poteſt retineri Urina, ſed non ſatis diu, & ſubinde emittatur neceſſe eſt, atque niſi hoc fiat, ſponte effluit: id quod ferè propter continuum ac ſenſiliorem in Veſicâ ſtimulum contingit, ita ut & ſæpè & parùm excernatur, abſque tamen Dolore in Excretione, aut abſque ullâ moleſtiâ; ſin verò retineri debeat diutiùs Urina, tunc Veſica doleat, aut irritata Excretionem ſtimulet. Contingit hoc interdum in Calculo Veſicæ, qui incumbens Collo Veſicæ clauſo, ſuâ mole aut aſperitate, aliâve ratione continuò irritando, Mictionem urget: item contingit hoc etiam interdum Gravidis ultimis Geſtationis menſibus, dum Moles uterina premit Veſicam, aut ſubſidendo diſtendit Vaginam Uteri, ſicque per conſequens Orificium Veſicæ ſimul dilatat, unde continuus percipitur Stimulus, nec ſufficienter Urina retineri poteſt.

Facit huc etiam vitium, quando excoriata aut exulcerata eſt Veſica, in ſpecie ejus Orificium; ſic enim ab Excoriatione ad Excretionem ſtimulata Veſica Urinam mittit, ut propterea frequentiùs & ſæpiùs mingatur.

Denique etiam *Riſus & Tuſſis* diuturnior & gravior ad hoc vitium diſponit, dum Ægri crebriùs tuſſientes

ſimul

ſimul Urinam emittunt, quod etiam obſervavit Salmuth *Cent.* 2. *Obſervat.* 30. item Platerus *lib.* 2. *ſuarum Obſervat.* in ſpecie in Mulieribus corpore magis obeſo aut habitiori præditis: nempe concutiuntur in Tuſſi cum Diaphragmate quælibet Abdominis partes internæ, quibus concuſſis etiam Veſica concutitur, & Sphincter ſe laxat, idque eò magis, quò minùs in obeſiori Corporis habitu partes externæ cedunt, ut ita quaſi impetu protrudatur tanquam ex Siphone Urina. Fit denique hoc etiam Malum in caſu, quando Veſica ob ſuam anguſtiam, & nativam parvitatem, Urinam multam, aut diu, retinere nequit, tam nativam ſub primâ Generatione, quàm aſcititiam propter Tumorem vel proprium vel partium vicinarum, ex quarum compreſſione anguſtatur, ut Urinam diu ſatis retinere nequeat, v. g. in Inflammatione Muſculorum Rectorum Abdominis in Pubis regione Veſicæ ſuperjacentium: vid. Timæus *von Guldenklee lib.* 3. *Caſ.* 45.

Hæc fuit vera & propriè dicta Urinæ Incontinentia, vigilantibus pariter ac dormientibus conveniens.

Verùm, quoad *impropriè dictam Incontinentiam Urinæ*, ſeu quando interdiu optimè retinetur Urina, noctu verò *dormientes* ſaltem ſtragula permingunt, vitium iſtud aut eſt *ex debilitate Facultatis Retentricis*, ut vulgò loquuntur, rectiùs vero *Facultatis Animalis*, i. e. vel ex deficiente activitate, & ita torpore Spirituum animalium, aut ex eorundem defectu, dum ſc. hi aut deficientes aut torpidi non ſatis firmant Tonum Fibrarum Sphincteris Veſicæ conſtrictoriarum. Unde videmus, quòd in ſpecie *Infantibus aut tenellis* propter Spirituum torporem aut ſegnitiem vitium hoc frequens ſit, dum nempe Spiritus animales nequeunt validè per Nervos ac Fibras nocturno tempore irruere. Interdum etiam *Senibus* in ultimo Senio obvenit nocturna Incontinentia Urinæ; quin & interdum *Morbis Acutis* ſupervenit, ex proſtratione nempe Facultatis Animalis, ſeu ex defectu Spirituum animalium. Frequenter autem ſolet affligere Senes propter Muſculum Sphincteris ſemiparalyticum, & propter Spirituum animalium vigorem deficientem. Imprimis & his familiaris eſt Urinæ Incontinentia, qui ſub conſiſtente Ætate nimis indulſerunt Potui, & qui obnoxii fuerunt Calculo. Interdum etiam *Conſuetudo* hîc ſupervenit; ita ut Pueri, interdum etiam Adulti, ex pravâ Conſuetudine ſtragula largiter permingant. Facit etiam huc *Imaginationis vis*, quatenus non nulli à nimio Potu, acriore Urinâ, aut ſenſibilitate Veſicæ majori ſtimulati, lectum permingunt, ſomniantes ſe Matulam tenere: Utrumque non tam Medicamentis, quàm Flagris aliiſque fraudibus cedens.

## DIAGNOSIS.

Quoad *Signa Diagnoſtica*, Affectus hîc facillimus eſt cognitu; Nam ſi Ægri tacent, loquuntur ſtragula & veſtimenta: Saltim Cauſarum diverſitas partim ex relatione Ægri, partim ex antecedentibus Circumſtantiis expiſcanda venit, vid. Riverii *Praxis lib.* 14. *cap.* 7. & Timæus *von Guldenklee l. a.*

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin* verò, iſtud Urinæ Profluvium, quod *Dormientibus* ſaltem obvenit, levius eſt, quàm quòd *Vigilantibus* contingit.

Quòd ſi adſit talis Urinæ Incontinentia *ex vitio Nervorum* paralyticorum, & in ſpecie vitio Cerebri, aut Spinalis Medullæ, difficilis curatu & periculoſus eſt Affectus, nempe ex vitio Sphincteris exortus: Vid. Platerus *Obſerv. pag.* 805.

*In Senibus* Urinæ Incontinentia eſt ut plurimùm immedicabilis, niſi quòd interdum forſan Thermæ iiſdem ſuccurrant.

*In Febribus Acutis* aut aliis Morbis Acutis, ſive à Delirio, ſive Spirituum reſolutione proveniant, ſuperveniens Urinæ Incontinentia, ſummum periculum innuit, & Mortem ut plurimùm portendit: indicat enim deficientem penitus vim Animalem, & deficientes Spiritus Animales, tonumque Nervorum jam fatiſcentem.

*Puerperis* ex læſione violentâ ſuperveniens Urinæ Profluvium rarò curatur.

*In Pueris* interdum per incrementum annorum ſubinde ſponte ceſſat, ſc. intra annum vigeſimum quintum: Nam ubi tunc non ceſſat, metus eſt, ne ex Hippocratis mente ſit immedicabilis. Obſervat tale Exemplum Timæus *von Guldenklee in caſibus lib.* 5. *Conſ.* 22. *pag.* 258. de Puero Incontinentiâ Urinæ laborante incompeſcibili, quæ ipſa tamen ſuccedente ætate ſponte Naturæ curata fuit.

## CURA.

Quod attinet *Curam* Incontinentiæ Urinæ; in hac imprimis Cauſæ Remotæ corrigendæ, hinc frequentiſſimè in Malo hoc *Muſculus Sphincter* Adſtringentibus & Nervinis aromaticis roborandus, ſive internè propinentur, ſive externè admoveantur. Pro quo Scopo in genere conveniunt omnia *Adſtringentia*, *Nervina Simplicia Antiparalytica*: Et quidem ſi Malum adſit à Paralyſi ſeu Reſolutione, Remedia Externa non tantùm Veſicæ, ſed etiam Lumbis, Oſſique Sacro, ubi ſc. Nervorum Veſicæ eſt exortus, imò ipſi Cerebro, applicanda erunt. Purgantibus aliiſque Evacuantibus hoc in caſu vix videtur opus, niſi Humores pituitoſos ac ſeroſos abundare conſtet, ubi Decocta Sudorifera ex Lignis ſingularis efficaciæ à Riverio *l. a.* proclamantur.

In genere ergò ad quamcumque ferè Urinæ Incontinentiam laudantur quædam Euporiſta, per uſum *Appropriata* obſervata, ut *Calamintha* & *Mentha*, & omnes his cognatæ Simplicium ſpecies cum Vino coctæ, & ante paſtum hauſtæ. Deinde Alchimillæ & Agrimoniæ uſus, Calaminthæ additæ, ſpecificè quocunque modo conveniunt ob vim adſtringentem vulnerariam. Hiſce accenſetur Caſtoreum, quod imprimis in Affectu nervino paralytico egregium eſt Remedium. Galanga non ſecus atque Lignum Aloës reſinoſum ſubtiliſſimè pulveriſatum ad ʒj. cum cyatho dimidio Vini albi generoſi, aut etiam in Ovo ſorbili aſſumptum, mane & tempore ſomni inſigniter in hoc prodeſt. Item Plantago, Radix Conſolidæ majoris, Cyperi, Nuces Cupreſſi, Equiſetum, Succinum, Flores & Semen Hyperici, Semen Agrimoniæ, Glandes & Medulla Glandium, Maſtiche, &c. Certè Pulvis *Maſtiches* ad ʒj. crebrius hauſtus in Vini hauſtu admodùm etiam confert; uti etiam Myrrha, ſi propinetur in Vino Decoctionis ſeu Infuſionis Calaminthæ. Ulterius *Thus* ejuſque Pulvis, item *Gummi Arabicum* ad ʒj. in Vino aſſumptum, laudantur, præſertim quando occaſione ſtimuli præternaturalis non benè retinetur Urina. Unde Joel ſequentem commendat Pulverem ad Incontinentiam Urinæ paralyticam; v. g.

℞. *Calaminth.*
*Myrrhæ*,
*Coſtor* an. ʒiij.
*Gland.* ʒv.

Hæc pulveriſata ſubtiliſſimè propinentur ad ʒj. cum *Vino Enulato.*

Glandes ſingulare ſunt Adſtringens. *Specifica* inter talia convenit *Guttur Galli* toſtum, tritum, & cum Vino propinatum ad ʒj. eſt unum ex optimis Specificis, tam in diurnâ quàm in nocturnâ Urinæ Incontinentiâ, quod mirè laudatur à Solenandro *Sect.* 4. *Conſ.* 11. vid. Sennertus *l.* 3. *Prax. ubi de Incontinentiâ Urinæ*, ac Horſtius *in Problem.*, item Hartmannus *in Praxi Chym.* & Lindanus. Comendat etiam hoc Puerperis, ſi à Partu difficili Malum ortum fuerit, Hoeferus in *Herc. Med. pag.* 340. Porrò *Pulvis Erinacei* combuſti vel calcinati, inter alia etiam Specificum optimum & certiſſimum eſt ad omnem Incontinentiam Urinæ, quod B. D. Michaelis frequenter, felici aliquoties cum ſucceſſu, adhibuit; qui retulit etiam, quendam Medicum, qui 20. annos hoc Affectu laboraverat, poſtmodum ſolo hoc Medicamento feliciter curatum fuiſſe. Ipſe etiam in Puero 12. annorum, poſt Morbum acutum Urinæ Incontinentiâ laborante, hunc Pulverem Erinacei cum *Medullâ Saxorum* miſtum, cum ſucceſſu adhibui. Hinc Bartholetus *in Encyclop. cap.* 104. contra Urinæ Incontinentiam adhibet *Pulverem* compoſitum *interioris Tunicæ Ventriculi Gallinarum* (quæ exſiccata eſt inſtar Cornu pulveriſabilis) part. j. & *Cineris Erinacei* (qui tanquam ſingulare Specificum in Vehiculo calido uſurpatur) part. iij. quæ duo pulveriſata inſigniter commendantur ab eodem. Unde etiam Erinaceus eſt baſis *Pulveris* experti *Montagnanæ* pro iis, qui lectum perminguntur. Compoſitio eſt hæc.

℞. *Tunic. Stomach. Gallin. pulv.* ʒß.
*Herb. Agrimon.* ℥j.
*Erinac. combuſt.* ℥iij.
Miſc. f. Pulvis.

Doſis ʒj. cum Jure, vel Vino propinatur.

Porrò Veſica Suis vel Apri toſta, item Veſica Capræ exſiccata ad ʒj. data valdoperè commendatur ab Hartmanno *Praxi pag.* 269. Præ cæteris Veſica Capræ præ Veſicâ Suis & Apri commendatur. Hiſce addatur Medulla Lapidis, Germ. *das Stein-Marck*, quæ apud Jenenſes & Rochlicenſes invenitur; eſt etiam expertum Specificum contra Incontinentiam Urinæ doſi ℈j. ad ʒß. in Vino generoſo propinatum, quo Tachenius Nobilem quendam Urinæ Incontinentiâ laborantem citra ſpem & expectationem curavit. Unde quidam admodùm commendant hunc Pulverem compoſitum in Urinæ Incontinentiâ:

℞. *Pulv. Medull. Lapid.* ʒiij.
*gran. Maſtich.* ʒij.
*Ligni Aloës reſinoſi exactè pulveriſ.* ʒiß.
M. fiat Pulvis pro aliquot doſibus.

Propinetur pro doſi ʒj. in quocunque Vehiculo.

Item huc ſpectat *Pulvis pro Lectimingis*, quam Officinis ſuis uſualem Hoechſtedterus *Dec.* 2. *Hiſt.* 2. deſcribit. Piſcis in ventre Lucii inventus & propinatus commendatur ab Hartmanno; ſicut etiam ſunt alii, qui hunc ipſum pro ſingulari venditant Arcano. Porrò *Pudendum Suis* ſeu *Vulva ſuilla*, quocunque modo præparata, tam in Pulvere propinata exſiccata, quàm ex eadem paratum Farcimen Ægro offerendum, ſingulare eſt Experimentum: non tantùm commendatur à Schenckio *in Theſ. Med. c.* 1. ceu Remedium, ſæpiùs ſibi obſervatum in Praxi, ſed etiam D. Michaelis aliis irritis in uſu fuit in Urinæ Incontinentiâ, tam vigilantium, quàm dormientium. Hoc tamen obſervat Schmuckius, quòd Farcimen ex Pudendo Maſculi ſit pro Maſculo remedium faciendum, & Fœmellæ pro Fœminâ. Aliàs *Cinis Pudendi ſuilli* convenit, & loco Farciminis ſubſtituitur, quo ipſo Puer 18. annorum, ab ineunte ætate hoc Malo affectus, curatus dicitur: conf. *M. A. N. C. Ann.* 2. *Obſ.* 21. *pag.* 36. ac *Ann.* 9. & 10. *Obſ.* 150. Alii loco Vulvæ ſuiliæ Ungulas Porci caſtrati ſiccatas & ſubtiliſſimè pulveriſatas in hauſtu Vini, vel Potu communi propinant, ad ſiſtendam Urinæ Incontinentiam. *Mures* exſiccati & pulveriſati, vel Mures in Butyro elixi & ita propinati, ſæpiùs expertum ſunt Specificum contrà Urinæ Incontinentiam, tam vigilantium, quàm dormientium. Conf. *M. A. N. C. Ann.* 6. *Obſ.* 88. *pag.* 124. Foreſtus *lib.* 25. *Obſ.* 22. Item Cineres eorum. A Galeno laudantur Cerebrum & Teſticuli *Leporis* exſiccati aut combuſti: item *Cochleæ* cum Teſtis combuſtæ: alii Stercus Leporis propinant, item *Stercus capræ*: vid. Brunſchweig *pag.* 67. & hæc ipſa promiſcuè ad quamcunque Urinæ Incontinentiam, tam diurnam, quàm nocturnam, ſunt proficua. In ſpecie verò, ſi Dormientibus ſaltem contingat hoc Malum, tunc ex Experientiâ Helidæi Paduani convenit Pulvis cupularum Glandium in Aquâ, vel Vino chalybeatis. Item Terra Sigillata cum Pulvere Caſtorei in Junioribus ad ℈j. Adultis in ʒj. in hauſtu Vini, vel Aquæ Parietariæ ſub introitum lecti propinetur: item Pulvis Pulmonis Hædi toſti, & ad ʒj. exhibiti, ceu Specificum commendatur. Facit etiam huc *Pulvis Auguſtanorum pro Lectimingis*, quem etiam commendat Hoechſtedterus *Decad.* 6. *Caſ.* 2. *in Schol.* ubi habet Mixturam contra Incontinentiam Urinæ nocturnam. Pulvis eſt hic:

℞. *Pell. Stomach. Gallin.*
*Maſtich.*
*Galang.* an. ʒj.
*Agrimon.*
*Lap. Cancr.*
*Alchimill.* an. ℈ij.
*Cupul. Gland.* ʒij.
*Nuc. Myriſt.* ʒj.
*Erinac. comb.* ℥j.
*Sacch.* ℥ij.
Miſc. f. Pulvis.

Detur ʒj. ad ʒij. in Aquâ Plantaginis.

Denique cuidam ceu ſingulare Experimentum venditur Rana viridis per medium ſciſſa, & Renibus applicata. Nutrices & Mulieres interdum Pueris Penem conſtringunt cum quodam vinculo, ne lectulos perminguant; ſed fit hoc cum ſummo periculo. Exemplum vid. in Bartholino *Cent.* 3. *Hiſt. Anat.* 52. *pag.* 103. Ubi ex Penis conſtrictione periculoſa ſecuta notat Symptomata.

Laceratio & diſtenſio Sphincteris Veſicæ *à Partu difficili* curatur, per Trochiſcos de Carabe, Glandes quernas, Bolum Armenam, Guttur Galli toſtum, &c.

His occurrunt etiam *Externa*, inter quæ imprimis *Balnea & Fomenta* laudantur, facta ex incoctis Plantis Nervinis atque Adſtringentibus, ut Menthâ, Abſinthio, Floribus Roſarum, Balauſtiorum, Radice Tormentillæ, Biſtortæ, Foliis Quercûs, imprimis Radice Symphyti; qua etiam defloratæ utuntur Virgines; vid. Hoechſtedterus; & ſimilibus, ut ex Horſtio *lib.* 5. *Obſ.* 20. conſtare poteſt. *Balnea* hæc fiunt cum Aquâ Ferrariorum, quæ vitriolaceæ proſapiæ, adeoque adſtrictoria eſt. Loco horum Artificialium ſpeciatim *Thermæ* ſunt profi-

proficuæ in Malo contumaciori, idque primariò Senibus. Harum enim inſeſſione Vir 72. annorum ab Incontinentiâ Urinæ fuit levatus. Novi ſanè qui à Potu, mox atque unicum Potum hauriret, continuo eoque perquàm doloroſo Veſicæ cruciatu, & ad continuum Mictum ſtimulo, afficiebatur: aliis multis irritis profuerunt internè *Juſcula* Decoctionis Carnium & Gallinarum calida, loco Potûs aſſumpta; externè verò *Thermæ*. Juxta hos Inſeſſus convenit etiam *Inunctio* Lumborum & regionis Pubis cum Oleo Abſinthii, Maſtiches, Menthæ, Rutaceo, Caſtorei, Unguento Nervino Auguſtanorum, item Styrace liquido, Balſamo Peruviano, Oleis Nervinis deſtillatis, Oleo deſtillato Macis, Terebinthinæ, Juniperi, Succini, Semine Dauci vel Carvi. Item *Emplaſtrum* Oxycroceum vel Nervinum, vertebris Lumborum applicatum, malaxatum cum Balſamo Peruviano & Oleo Succini, commendari ſolet à Joele *Pr. lib. 6. pag.* 134. item à Timæo *von Guldenklee in Caſ. pag.* 338. Tandem ſingulare Remedium eſt *Pulvis Buſonis vivi* in novâ ollâ uſti, & in ſacculo Collo appenſi; quod eſt Veterum Experimentum ad quamcunque Urinæ Incontinentiam à quâcunque causâ: vid. Heinricus *ab* Heer *Obſ.* 14. Putabam primitus falſam hanc eſſe relationem; tamen confirmatur ſimile Exemplum à Digby & Boyle *in Philoſ. Exper. pag.* 217. ubi refert, in Angliâ fuiſſe reiteratum hoc Experimentum, idque felici cum ſucceſſu in Incontinentiâ Urinæ ex læſione Veſicæ in Partu difficili, cujus Curationem videb. in *M. A. N. C. Ann.* 3. *Obſerv.* 225. Sennerto *lib.* 4. *Prax. P.* 2. *cap.* 9. *pag.* 466. qui eandem curat Balneo & Unguento ex Catellis. Quidam hoc *Unguentum* ceu ſingulare commendant contra Profluvium Urinæ muliebre, ſeu potiùs Urinæ Stillicidium, quo ſubinde Mulieres poſt Partum difficilem affligi ſolent:

℞. *Lap. Calaminar. in Aceto deſtillato & Aquâ Roſar. bis vel ter loti & ſubtiliſſ. pulveriſati* ℥iv.
*Lithargyr. Argent.* ℥ij.
*Ceruſſ. præp.* ℥j.
*Olei Roſar.*
*Chamomill.* an. ℥v.

Agitentur ſimul per horas duas & cum *Axungiæ Hirci* ℥iij. f. l. a. Unguentum, benè agitando ad horæ quadrantem, donec conſiſtentiam debitam acquirat.

Hôc ipsô leniter inungenda eſt Pars affecta, ac linteo cooperienda; miræ dicitur efficaciæ, vidique ſæpiùs comprobatum.

*Puerperis* poſt Partum, à laceratione & diſtenſione Sphincteris, conveniunt Inſeſſus & Fotus ex Radice Conſolidæ, Foliis Quercûs, Hederæ, Gypſo uſto, Bolo & Vitriolo, Suffumigia ex Pice, Thure & Maſtiche: vid. Platerus *l. a.* Unguenta ex Catullis *Sennerti*: Item, ubi Incontinentia Urinæ *ex Veſicæ Exulceratione*:

℞. *Aquæ Roſar.*
*Plantag.* an. ℥ij.
*Sacc. cand.* ℥ß.
*Ceruſſ.*
*Litharg.*
*Alum. crudi*
*Plumoſi* an. ℈ij.
*Camph.* gr. v.
*Ungu. Ægypt.* ℥ß. M. S.
Aquula.

Quòd ſi dictis modis non ceſſat Malum, pro *Curâ palliativâ Vaſcula* quædam arte applicanda veniunt in Maribus, quibus Urina continuò depluens colligatur, ut cum minore faſtidio vivant: quale Inſtrumentum videb. in Hildano *Cent. 6. Obſ.* 54. & 55. Fœminis verò inſerviet, quale ab Heer *l. a.* fuit explicatum.

Habuimus ita Imminutam & Auctam etiam Excretionem Urinæ ex Veſicâ: Nunc ſequitur

## ARTICULUS III.

### *De Urinæ Excretione Depravata.*

*Depravata* denique *Urinæ* eſt *Excretio*, quando Urina cum *Dolore*, *Ardore*, inſigni *Difficultate*, vel alio modo præternaturali excernitur: quæ inter vitia communiſſimum ferè eſt *Stranguria*.

## MEMBRUM I.

### *De Stranguria.*

*Stranguria* dicitur ἀπὸ τῦ στράγγος, *à Guttâ*, Latinè *Urinæ Stillicidium*, qui in eâdem Urina guttatim excernitur, idque cum acerbo Dolore Colli Veſicæ, & Urethræ, tam in quàm poſt Mictionem, remanente nihilominùs continuâ ad mingendum Stimulatione. Et quidem in ſuo genere ſimillimus Stranguria eſt Affectus cum *Teneſmo*, ubi continuus eſt Conatus excernendi Excrementa, unà cum gravi Dolore ſub Excretione. Nam ſicuti ſe habet Teneſmus in Podice ejuſque Sphincterе, ita ſe habet Stranguria in Veſicâ, ejuſque Muſculo Conſtrictore, dum uterque continuò irritatur; & ſicut in Teneſmo peccat Acidum in Subjecto viſcido, ita in Stranguriâ peccat Acidum in Subjecto aqueo, quod ad Veſicam delatum Stranguriam inducit. Equidem communiter hoc Malum oriri volunt ex Refrigeratione Abdominis & partium urinariarum, in ſpecie Veſicæ, vel à Potu etiam frigido internè aſſumpto; Unde *Germanis* vocatur *die Kalte Seiche oder piſſe*, quod ſc. oriatur Refrigeratione præſuppoſita. Aſt hæc Theoria falſa eſt.

### CAUSÆ.

Potiùs *Cauſa Proxima* hujus Stranguriæ eſt vitioſa *Urinæ Aciditas*, quæ Acore ſuo, fibris nerveis inimico, ſtimulando Veſicam, in ſpecie circa Collum, ubi admodùm ſenſilis exiſtit, & rodendo ſuo tranſitu Meatum urinarium, continuum ferè mingendi Conatum acerbumque Dolorem diu permanentem infert. Urina verò guttatim prodit, quia, dum Veſicæ Sphincter ſe laxat, ut Urina effluat, ab Urinæ Acrimoniâ acidâ vellicante ſubitò denuò ſe ſtringit, poſt denuò ſe laxat, & iterum ſtringit, & ſic porrò, unde guttatim prodit. *Dolor* iſte primariò percipitur tam in Urethrâ, quàm in Veſicæ Collo, idque poſt Mictionem; iſte tamen, qui Urethram affligit, acerbior eſt illô, qui Veſicam & ejus Collum afficit. Ratio eſt; licèt enim Urethra & interior Veſicæ Membrana ſit continuata & una eademque ſubſtantia; tamen Veſica interiùs eſt oblita Muco craſſo, non nihil viſcido, qui eam ad inſtar Inteſtinorum oblinens ab Acrimoniâ Urinæ plùs minùs roſivæ defendit, ita ut minor ex Acido in Veſicâ oriatur dolor; & nil aliud eſt, quàm ſuperfluum Nutrimentum Membranæ Veſicariæ tranſudans in cavum proprium; quô cùm careat Urethra, eò acerbiùs à tranſeunte cruciatur Urinâ acidâ, qui Acor Urinæ eſt ex parte Urinæ unica Cauſa Stranguriã inferens. Hunc Urinæ Acorẽ peccantem confirmat Helmontius *in Tract. Pleura Furens*, qui demonſtraturus

in Urinâ Stranguriosorum peccare Acidum, sumere jubet Urinam naturalem, i. e. constantem ex Sale volatili salso, seu composito ex Acido & Alcali volatilibus, & huic addere tantillum Vini acidi, & injicere in Vesicam urinariam; sic enim subitò percipi Dolorem Stranguriæ simillimum: item quod in *Nosocomio Lugdunensi* taliter affectorum Urina gustata manifestum Acorem linguæ repræsentârit. Confirmatur hoc ulteriùs per *Curam*, quæ per talia, quæ Acidum corrigunt in primis viis, istudque destruunt aut obtundendo demulcent, peragitur: hinc etiam Urinæ opacæ & turbidæ, albicantes & plùs minùs lacteæ, & hoc in specie in Senibus, excernuntur, qui vitio Digest onis primæ laborant; innuunt enim Urinæ tales Digestionis Cruditatem acidam.

*Acor hic in Urinâ vitiosus*, Stranguriæ autor, natales habet suos primis in viis, seu in *Stomachi Digestione*, ejusque in Duodeno perfectione vitiatâ, ex Cruditate acidâ, eâque utplurimum vitio Assumptorum. *Causa dispositiva est inertia Fermenti Bilis*, non debitè perficientis in Duodeno Chylum: dum nempe Assumpta, imprimis Potulenta, non digesta ritè, sed Acore, aut Stomachi aut proprio adhuc tincta & inquinata, è Stomacho elapsa rapiuntur ad Intestina sine transmutatione in Salsum, & ita rapiuntur cum Urinâ Potûs ad vias urinarias, unde postmodùm in Vesicâ collecta hanc suo Acore stimulant, & Stranguriam inferunt.

Confirmat hoc quotidiana *Experientia*, dum unusquisque observare potest, quòd Potus non ritè fermentati, sed facilè adhuc fermentescibiles, indeque acescentes, ut *Vinum meracum*, vel *Mustum*, vel *Cerevisia* nova non ritè defæcata, aut copiosiùs, aut intempestivè assumpta, & similia subinde inferant Stranguriam: Vid. Hoeferus *Herc. Med. lib.* 3. *pag.* 155. item Guilielmus Faber *fol.* 574. Talia enim facillimè præternaturaliter in primis viis acescunt, & Acorem conceptum pertinaciter retinent; unde nec adeò facilè, nec in Stomacho, nec in Duodeno à Bilis Sale volatili oleoso temperari possunt, quin ulteriùs Acor pergat ad loca urinaria, ibi Urinam inquinet, & suo Acore inficiat; quæ Urina exin acida facta hostilitate suâ continuum Stimulum infert in Vesicâ, & exinde Malum Stranguriam excitat: Unde Urina in Senibus simul crassa observatur, quia oritur ex Cruditate acidâ ex primis viis eô delata, interdum quoque ex Vesicâ excoriatâ, Nutrimentum proximum plorante.

Aliàs undecunque natæ *Excoriationes*, *Exulcerationes*, item *Attritiones* à Calculo, ita Vesicam disponunt, ejus interiorem superficiem adeò irritabilem reddunt, ut nullius rei accedentis contactum, etiam Urinæ naturaliter constitutæ, nisi cum summo Dolore ac molestiâ, adeòque continuâ Irritatione perferre queat, quin continua adsit Stranguria: unde & *Ulcus Vesicæ* aut *Renum*, occasione acrioris Puris, Stranguriam molestissimam infert, sed rarum est, quia talia potiùs ad Dysuriam disponunt.

*Causa* ergò *Proxima* Stranguriæ est continua Irritatio Vesicæ, ab Acido præternaturali in Urinâ, unde continuus mingentium Conatus cum ingenti Dolore inter mingendum oritur. *Causa Remota* est Digestio prima non ritè peracta, in specie vitio Assumptorum. *Causa* verò *Dispositiva* est inertia Fermenti Fellis. Et hæc quidem est Stranguria ordinaria.

Præter hanc ordinariam Stranguriam datur etiam *Virulenta Stranguria*, utut hæc magis ad Dysuriam referenda sit, us frequens, qui laborant Lue Venereâ, ac quæ difficillima est curatu, ac subinde in Ulcus Penis & Prostatarum ejus terminatur; quin & hæc Stranguria Virulenta cum quibusdam consenescit ac commoritur, observante Schenckio *lib.* 3. *Obs.* Originem habet ex Frostatis glandulosis circa radicem Penis inquinamento Venereo infectis, & ita Lympham acrem plùs minùs corrosivam plorantibus. Interim rarum est, quòd oriatur Stranguria admodùm pertinax ac torminosa *ex Incantatione*; quale exemplum Stranguriæ Incantatoriæ singulare refert Helmontius *Tract. de Lithiasi*, quam per Succum Betulæ, seu Cerevisiam betulinam curatam refert, cùm ipsa Betula ad Incantationes sit singularis.

## DIAGNOSIS.

*Stranguria per se patet* ex relatione Ægrorum, quibus Malum hoc insigniter est molestum. *Causarum Differentia* ex Circumstantiis antecedentibus est cognoscenda: ideò interrogandus est Æger de usu Externorum, cùm sæpissimè ex Causis Externis oriatur.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Stranguria, si *ex vitio Urinæ*, periculosa non est, utut admodùm molesta.

*In Senibus* autem Malum curatu perquàm difficile, propter deficientem Digestionem primam, & inertiam Fellis.

Cæterùm diuturniorem aut contumaciorem Stranguriam, *Ulcus Vesicæ* interdum pedetentim insequi solet.

Quæ *ex vitio Vesicæ est*, curatu difficillima, ac subinde periculosa existit.

## CURA.

*Curam* Stranguriæ quod attinet: in hac imprimis
1. *Acre Acidum* urinæ corrigendum ac temperandum.
2. *Vesicæ* qualiscunque læsio restituenda.

*Quoad priùs*: ante omnia imprimis *Ventriculus* est rectificandus, inter quæ in Malo contumaciori primatum obtinent *Vomitoria*, quorum utilitatem in Stranguria & aliis urinariis Affectibus multis commendat Riverius *in Pr. lib.* 14. *cap.* 9. & confirmat per Experientiam Hildanus *Cent.* 6. *Obs.* 52. Porrò ad rectificandum Stomachum præter Vomitoria etiam pro Scopo aversorio *Purgantia* blanda interdum propinantur; quæ inter sunt imprimis Pilulæ de Terebinthinâ cum Rhabarbaro, præter vim laxativam simul acrimoniam Urinæ temperantes, Jalappa cum Terebinthinâ; item Spiritus Dia-Turbith cum Rhabarbaro, ac denique Extractum Panchymagogum cum Mercurio dulci, idque imprimis in Virulentâ Stranguriâ ex Lue Venereâ, vel quæ ad aliquam Exulcerationem vult terminare. Sunt qui Cassiam quoque hîc commendant; Experientia tamen multorum Practicotum docet, illam non rarò Dolores augere: vid. Horstius *lib.* 4. *Obs.* 4. Pigræus *Chirurg. lib.* 7. *cap.* 4. & Hildanus *l. a.*

*Quoad posterius*, ea, quæ in Vesicæ Exulceratione suprà fuerunt posita, locum obtinent.

Inter *Remedia pro corrigendo acri Acido* egregiè convenit Radix Glycyrrhizæ, ejusque Decoctum, ac Radix Malvæ cum Nummulariâ in Jure Pulli: vid. Gabelchoverus: Portulaca, Sonchus lævis, Glandes pulverisatæ, aut etiam in specie Gallæ, Flores Violarum, Nymphææ, Chamomillæ:

Fructus

Fructus etiam Alkekengi, & Trochiſci de Alkekengi, cum & ſine Opio, optimè conveniunt in Stranguriâ. Præ cæteris quoque *Cortices Aurantiorum* pulveriſati, aut etiam Tinctura ſeu Eſſentia Corticum Aurantiorum cum Spiritu Vini tartariſato parata, aut etiam, idque primariò, Oleum deſtillatum Corticum Aurantiorum ad aliquot guttas aſſumptum, optimum ſunt ad Stranguriam Experimentum. Convenit præſertim ſi à Causâ externâ Aſſumptorum Malum ortum fuerit: Horum enim Sal volatile oleoſum, Acidum potenter deſtruit, & acuit Bilem eâdem ex ratione. Pulvis *Nucis Moſchatæ* curat Stranguriam ab uſu Cereviſiæ crudæ vel novellæ enatam, Cereviſiæ immiſſus: Vid. de hoc ſucceſſu Foreſtus *lib.* 25. *Obſ.* 2. Inſuper *Ribes*, quæ ſpirant Urinæ odorem, in uſu ſunt, & tam Baccæ, quàm Folia: item Gemmæ Ribes nigræ ad ʒß. cum *Semine Dauci* in Vino rubro decoctæ, ſingulariter commendantur à Foreſto *lib.* 28. *Obſ.* 4. quô gravem Stranguriam curatam refert. Porrò *Decoctum Raparum* domeſticum fermè ſine pari Remedium eſt, atque Specificum Gabelchoveri *Cent.* 3. *Cur.* 2. *p.* 6. utpote qui hoc Decoctum in Affectu Urinæ, præſertim in Stranguriâ & Dyſuriâ, feliciter adhibet, & in quâcumque Acrimoniâ acido-ſalsâ eſt optimum: Conf. Crato & Sylvius *in Praxi.* Conveniunt quoque *Semen* Cannabis, quatuor Semina Frigida majora, ex iiſque cum Papavere albo paratæ Emulſiones: Nam hujuſmodi oleoſa Semina Acrimoniam Urinæ obtundunt. Quô pertinet Oleum Amygdalarum dulcium cum Syrupo de Althæâ, additis Lapillis Cancrorum ita aſſumptum: Lac ipſum hujuſque Serum incoctis præprimis Floribus Cyani & Calcatrippæ, Malvæ Radix & Flores: unde horum Conſervam Riverius & Amatus Luſitanus *Cent.* 6. *Hiſtor.* 58. & Foliorum Decoctum Foreſtus *l.* 25. *Obſ.* 4. & Gabelchoverus *Cent.* 1. *Obſ.* 21. in Stranguriâ mirè extollunt. Pariter Pulvis Radicis Althææ cum Saccharo, aut hujus cum Jujubis Decoctum, item *Semina Mucilaginoſa*, & exinde parata Decocta & Syrupus: vid. Hartmannus *Prax. pag.* 271. Item hujus loci eſt Albumen Ovi cum Aquâ Roſarum conquaſſatum, Decoctum Florum Chamomillæ cum Lacte, ac Decoctum Braſſicæ rubræ, de quibus idem Foreſtus *l. a. Obſerv.* 3. Decoctum item Herbæ & Baccarum Alkekengi cum Paſſulis non immeritò laudatur ab Amato Luſitano *Cent* 6. *Cur.* 92. qui miras virtutes habere dicit. *Balſamum Peruvianum* ſunt, qui exhibent à guttis x. xv. vel xx. ad ſummum ʒj. interiùs aſſumptum n Vehiculo appropriato, miras in contumaci Stranguriâ habere dicunt vires; cui tamen à Lindano meritò præfertur & ſpecificè commendatur Balſamus ille Indicus *de Capaibe* dictus, ad guttas aliquot in *Decocto Petroſelini* aſſumptus, utpote quod nobile etiam Experimentum in Stranguriâ contumaci, in ſpecie, quæ comitatur Gonorrhœam Virulentam, vel Luem Veneream: non ſecus ac Balſamus Sulphuris, Oleum Ceræ, Succini, Macis, ſi ab eroſione Veſicæ Malum, in Aquâ aut Decocto appropriato, v. g. *Cicerum rubrorum*, propinatum, locum invenit.

*Quòd ſi pertinacius fuerit Malum*, & vitio Digeſtionis ſolo à Cruditatibus ibidem detentis ſit Stranguria, id quod v. g. *in Senibus* frequentiùs venit, conveniunt *Aromatica*, & horum Olea Stomacho grata hujuſque Digeſtioni faventia, v. gr. Galanga, Zedoaria, Nuces Moſchatæ, Crocus, Cortices Aurantiorum, Species Diacumini; item *Potus Vini Hiſpanici*, aut *Malvatici*, aut *Malvaticum Juniperinum* uſurpentur; vel etiam convenit *Vinum*, *in quo Silices candefacti* aliquoties ſunt extincti; Fit enim ſic Vinum Diureticum, omnis Acidi abſorptivum: propter quam rationem in Stranguriâ etiam conveniunt *Subjecta alcaliſata*, v. g. Lapilli Cancrorum, qui imprimis Acidum Stranguriæ abſorbent. Ac ſanè in Cancris abſoluta eſt Stranguriæ Cura, vi alcalinâ diuretica pluribus ſcopis ſatisfaciens. Hinc ſunt, qui recipiunt duos Cancros fluviatiles, quibus Cancris in mortario contuſis affundunt Aquæ appropriatæ vel Cereviſiæ q. ſ. Succum exprimunt, & contra Stranguriam propinant.

Quibuſdam in uſu eſt, ut propinent Oleum Amygdalarum dulcium cum Syrupo Althææ *Fernelii*, quibus adduntur Lapilli Cancrorum: *Lixivium ex Teſtis Ovorum calcinatis* cum Vino paratum; item *Nitrum* in Vino datum, Spiritus Nitri dulcis, Spiritus Salis marini dulcis, qui ab Helmontio in Stranguriâ Senum laudatur, &c. Pariter hujus loci ſunt *fortiora Abſorbentia*, ſcilicet Lapides Percarum, Teſtæ Ovorum, Cornu Cervi uſtum, Creta, Sal Tartari, Sal Silicum, Stipitum Fabarum, Tinctura Tartari, Spiritus Tartari, Spiritus Carminativus ex tribus, ex Nitro, Tartaro & Spiritu Vini, qui inſigniter laudatur: item, ubi alia incaſſum ſunt adhibita, *Boracis* ʒj. exhibeatur: Item Spiritus Vini bibitus, dum cubitum itur, præſervat à Stranguriâ. Spectat huc quoque Succinum & Succinata, v. g. Trochiſci de Carabe: item Veſica Capreoli ſeu Capellæ præparata, hicque Pulvis ſimplex vel compoſitus, quem Hoechſtedterus *Decad.* 6. *Caſ.* 2. deſcribit. Faciunt huc etiam Pilulæ *Quercetani*; quibus utitur in omni Stranguriâ, in omni Dyſuriâ & Renum Exulceratione. Earum Compoſitio hæc:

℞. *Thuris*
*Myrrhæ*,
*Maſtich.* an. ʒij.
*Succini*,
*Croci* an. ʒß.
*Camph.* ʒj.
*Antimonii Diaph.* ad pondus omnium.
Cum *Terebinthinâ diſſol.* f. Pilulæ.

quarum doſis ſit ʒj. utendo aliquandiu.

Tandem *Cepæ* non ultimum ſunt Stranguriæ Remedium: Nempe Cepa minutim inciſa infundatur in Aquam ſimplicem vel Althææ, per 24. horas, Aqua Infuſionis hauſta Stranguriam ſiſtit. Nam Sal volatile Cepæ egregium eſt Remedium diureticum, & ſimul abſorbet Acidum. Ratione Calculi & Ulceris Veſicæ, quomodò hæc tollenda, petatur ex ſuis locis.

Ratione *Diætæ* breviter monendum, cuncta Acria, Motuſque Corporis vehementiores, v. gr. Equitationes eſſe vitandas; vid. Gabelchoverus *l. a.* item Frigus, hinc Potulenta cuncta calidè aſſumantur. Hinc variè fieri poſſunt Formulæ; v. g. in principio:

℞. *Terebinth. Cypr.* ʒij.
*Mag. Jalapp.* gr. vj.
f. Pilulæ: S.
Pilulæ Evacuantes.
Vel
℞. *Maſſæ Pilular. Terebinth. cum Rhab.* gr. xv.
*Mercurii dulc.* ʒß.
*Extr. Troch. Alh.* gr. j.
M. f. Pilulæ.
D. S. ut antè.
Vel
℞. *Extr. Panch. Crollii*,
*Mercurii dulc.* an. g. xv.
*Extr. Troch. Alh.* gr. j.

Cum *Tincturâ Tartari* f. Pilulæ.
D. S. ut antè.
Vel
℞. *Conſervæ Malvæ*, vel *Violar.* ʒj.
*Reſ. Jalapp.* gr. xij. ad xv.
*Tartari vitriolat.* gr. viij.
M. f. Bolus, in fine uſurpandus: S.
Saccharum Evacuans.
Vel
℞. *Tincturæ Tartari acerr.* ʒij.
*Olei deſtillat. Cort. Aurant.*
*Mac.* an. gutt. xij.
M. D. S.
Tinctura Leniens.
Doſis 20. guttæ.
Vel
℞. *Eſſent. Cort. Aurant.*
*Zedoar.* an. ʒiß.
M. f. ut antè.
Dentur 40. guttæ pro doſi.
Vel
℞. *Olei deſtillati Cort. Aurant.* ℈j.
*Zedoar.* ℈ß.
M. S.
Oleum ſingulare contra Stranguriam.
Vel
℞. *Olei deſtillat. Mac.* gutt. iv.
*Galangæ.*
*Bacc. Junip.* an. gutt. iij.
*Sacch. albiſſ.* ʒiß.
M. f. Elæoſaccharum pro 2. vel 3. doſib.
D. S.
Saccharum Leniens.
Vel
℞. *Spec. Dia-Cum.* ʒiß.
*Pulv. Nuc. Moſch.*
*Lapill. Cancr. præp.* an. ʒj.
Cum *Sacch.* in ſ. q. *Aquæ ſimpl.* ſol. f. Rotulæ, aſpergendæ *cum Oleo deſtill. Cort. Aurant.*
D. S.
Rotulæ Lenitivæ.
Doſis No. v. vj. viij. &c.
Vel
℞. *Mithridat.* ʒj.
*Ol. deſtill. Rutæ.*
*Cort. Aurant.* an. gutt. ij.
M. D. S.
Saccharum Sedans.
Opiata tamen minùs conveniunt in his malis.
Vel
℞. *Conſ. Flor. Malvæ* ℥ij.
*Calam. arom. condit.* ʒvj.
*Spec. Diagalang.*
*Diacumin.* an. ℈ij.
*Lap. Cancr. præp.*
*Succin. præpar.*
*Nuc. Moſch. pulv.* an. ʒß.
Cum *Syr. Violar.* vel *de Althæa Fern.* f. Electuarium: S. Electuarium Leniens.
Convenit quoque Pulvis *ſuprà Sect.* 11. *ubi de Colicâ* deſcriptus.
℞. *Malv. Juniper.* ℥iv.
*Spiritûs Carm. de Tribus* ʒj.
*Syr Cort. Aurant.* vel *de Jujubis* ℥j.
M. S.
Succus contra Stranguriam pro aliquot vicibus.
Vel
℞. *Ol. Amygd. dulc.*
*Syr. de Alth. Fernel.* ana ʒvj.
*Succ. Cancr. fluv. cum Aquâ Malv. extr.* ℥ß.
*Lap. Cancr. præp.* ʒj.
Miſc. Vel
℞. *Sem.* 4. *Frigid. maj.* ana ʒiß.
*Pap. alb.* ʒij.
Cum ſ. q. *Decoct. Rad. Alth.* f. Emulſio: adde
*Aquæ Cinnam. temperat.* ℥ß.
*Lapill. Cancr. præp.* ʒj.
*Syr. de Alth. Fernel.* q. ſ.
M. D. S.
Emulſio Leniens.
Vel
℞. *Rad. Alth.* ʒj.
*Liquirit.* ℥ß.
*Fol. Alkekengi*,
*Malvæ*,
*Nummular.* ana M. j.
*Fruct. Sebeſten*,
*Alkekeng.* an. No. x.
Coqu. in ſ. q. *Aqu. ſimpl.*
Colaturæ ℔iß. ab ℔ij. adde
*Syrup. de Jujub.* ℥iß. vel ℥ij.
D. S.
Potio Leniens.
Vel
℞. *Terebinth. vulg.* vel *Cypr.* ℥ß.
Diſſolv. cum ſ. q. *Vitelli Ovi*: adde paulatim
*Vini Malvat.* ʒvj.
*Syr. de Alth. Fern.* ℥iß.
M. D. S.
Emulſio Leniens.
Doſis ℥i. ad ℥iß.

*Vir* ætatis conſiſtentis, nephriticis & podagricis affectibus crebriùs obnoxius, urgente intenſo hyemis frigore *Tuſſi* ſiccâ ingenti & validâ, crebriùs pectus concutiente, affligebatur, quâ quidem pauca ſaltem & viſcida ejiciebat. Locum, ubi Tuſſis excitabatur, monſtrabat anteriùs in collo Aſperæ Arteriæ: accedebat levior invaſio podagrica circa manum dextram & cubitum ſiniſtrum. Ego vocatus, pro urgente Tuſſi ſiccâ, motâ propter acrimoniam Lymphæ, cum veſtigiis hinc inde *Podagræ*, præſcripſi ſequentem Potionem:

℞. *Aquæ Scabioſ.*
*Menth.* ana ℥iß.
*Spiritûs Sal. Ammoniaci aniſ.* ʒiij.
*Flor. Sulphuris* ʒß.
*Syr. Scabioſ.* ʒvj.
Miſc.

Interdum etiam gr. j. ad gr. iß. de *Laudano Opiato* tempore veſpertino addidi. Hinc Tuſſis quidem evaneſcebat, ſed Podagra exaſperabatur; Unde iterum præſcripſi:

℞. *Spiritûs. Sal. Ammoniaci* ʒij.
*Cochlear.* ʒj.
Miſc.

De quo ter, mane, à meridie & veſperi ſub introitum lecti 40. guttas ſumebat, imperato ſimul aliquali Sudore; ſed ſudare non poterat propter pororum conſtrictionem: Hinc continuato Spiritu ceſſavit quidem affectus podagricus ſine ſenſibili ſupervenientes evacuatione, ſed ſecundâ vel tertiâ die ſuperveniebat *Stranguria* cum gravi dolore in Lumbis & Veſicâ. Alcali enim volatile Spiritûs Salis Ammoniaci deſtruxit quidem Acidum; unde paroxyſmus podagricus ceſſavit. Sed quia Acidum hoc non in totum correctum, ſed partibus nerveis infuſum, ope hujus Spiritûs tantùm reſolutum, & in motum concitatum fuit, & à Sero abſumptum, Stranguriam intulit. Pro Acido ergò temperando & Urinâ promovendâ præſcripſi:

℞. *Amygd dulc. Ambr.* ℥ß.

*Sem.*

*Sem. Violar.* ʒiij.
*Papav. albi* ʒiß.
Cum ſ. q. *Aqu. Alkekeng.* ſ. Emulſio ad ℥viij.
adde
*Lap. Percar. præp.* ʒj.
Miſce & parum edulcora.

Optimè conferebat hæc Potio, unde ter vel quater repetita fuit cum plenariâ ſanitate.

Tandem ad derivandum acrius Serum per Alvum, blandum Laxativum præſcripſi:

℞. *Conſ. Roſar.* ʒß.
*Tartari vitriolat.* gr. viij.
*Reſ. Jalapp.* gr. v.
M. f. Bolus.

Unde 6. vel 7. per Alvum excrevit, & ita penitus convaluit. Hinc

℞. *Cort. Aurant.* ʒiß.
*Lap. Percar. præp.* vel *Teſt. Ovor. cal.* ʒß.
*Olei deſtillat. Cort. Aurant.* gutt. ix.
Cum pauco *Saccharo* ſ. Pulvis pro 3. doſibus:

Vehiculum erat Vinum dulce, vel in quo Silices candefacti extincti.

*Externa* ea ſunt pauca: v. gr. *Sevum commune* ſeu Candelæ liquefactum, Umbilico calidè largiter inunctum convenit, quatenus nempe ex Veſicâ ad Umbilicum uſque Urachus continuatur. Loco iſtius tamen Sevum Hircinum cum aliquot guttis *Olei deſtillati Macis, Ceræ*, Corticum Aurantiorum, Maſtiches, & optimè confert, Umbilico illita: v. g.

℞. *Sevi Hirc.* ʒij.
*Olei deſtillat. Ceræ*,
*Cort. Aurant.* an. gutt. v.
Miſc. pro Litu.

Solum quoque Oleum deſtillatum Corticum Aurantiorum Umbilico illitum optimum præſtat levamen. Item non inconveniens erit inter mingendum, Penem in Aquam vel Lac tepidum aut Decoctum Anodynum demergere. Non incongruum etiam eſt, ſi inſtituatur *Suffumigium* ad imitationem Rulandi, quod habet in *Theſauro Pract.* ſeu *Curat. Empir. lib.* 3. *pag.* 291. nempe

℞. *Raphanus*:
Incidatur & decoquatur in *Vino*, Vaſe benè obturato; quibus probè ebullientibus imponatur Vas ſellæ benè perforatæ, cui Æger inſideat, & Veſicæ regionem ſuffumiget, ac ita hôc ipsô euporiſtô meatus referari, Stranguriam demulceri, & Urinam defluere & temperari, affirmat allegatus Autor.

Confert etiam hoc ipſum in Suppreſſione Urinæ ex vitio Veſicæ.

Aliàs uſitatum eſt quaſi *Sympatheticè & Magneticè* curari Stranguriam: Scilicet adſcendunt Focum Cineribus calidis adhuc repletum: hinc abſtergunt iſtos Cineres, & largiter permingunt adhuc Focum calidum: ſic enim exſuſcitatur vel elicitur Fumus, qui largiter excipiendus eſt circa locum Veſicæ, ſeu à partibus genitalibus, ſicque curari Stranguriam aſſerunt. (*Satius eſſet, ſi Vinum colaretur per ſetaceum Pecten Puerorum, ut largius extenſum majorem de ſe dare poſſit vaporem.*)

Conveniunt *Clyſteres*, nunc *Acriores*, ſi Alvus fuerit contumacior, nunc *Emollientes* & *Anodyni* magis, in ſpecie *ex Lacte*, vel ſolo, vel cum Serpillo, Malvâ, Althæâ, Rutâ, Parietariâ, &c. cocti & injecti. Ex quibus etiam fieri poſſunt *Balnea*, item *Cataplaſmata* ex Parietariâ & Rutâ, cum Lacte & Oleo Scorpionum cocta & applicata: Vid. Amatus Luſitanus *Cent.* 2. *Cur.* 92. Quin imò & ipſa *Injectio Lactis* in Veſicam, imprimis *Lactis Chalybeati*, eſt egregia in Stranguriâ. Quæ ſunt optima ad Acrimoniam Urinæ temperandam; vel loco hujus Oleum Amygdalarum dulcium recens expreſſum ſimili modo uſurpatur, quod ipſum temperat Acrimoniam Acidam Urinæ; Item *Emulſiones* Seminum 4. Frigidorum, Albumina Ovorum conquaſſata, & Trochiſci Alkekengi Syringâ Veſicæ immiſſa. Sanquez *in Obſervat. ſuis* Lac cum quibuſdam Pediculis vivis per Syringam Veſicæ immiſſum efficax reperit. Venter verò totus inferior Oleo Roſarum, Nymphææ, Unguento Refrigerante *Galeni*, Roſaceo & Oleo Scorpionum inungatur.

*Senibus*, & quibus tonus Fibrarum veſicalium læſus, conveniunt *Thermæ*, quarum Inſeſſus vitia urinaria optimè corrigunt: id quod in Syndico Dreſdenſi ante aliquot annos expertum audivi. Hic quoties fuit jejuno ſtomacho, toties optimè ſe habuit; ſimul ac in prandio vel cœnâ tantillum bibit, intenſum Dolorem in Cervice ſenſit, cum Stranguriâ continuâ & diuturnâ. Urina ejus erat non lactea, nec purulenta, ſed in ſuperficie blandè pinguis: tandem Thermis curatus fuit, & per biennium ſe benè exinde habuit. Audivi tamen, Malum voluiſſe recrudeſcere, quod propter inertiam Bilis in Senibus facilè fit; hinc in iis Stranguria difficilis eſt curatu.

## MEMBRUM II.

### *De Dyſuria.*

HAbuimus Stranguriam, tanquam effectum concernentem vitia Urinæ excretionis: ſed præter Stranguriam vitiatur etiam Urinæ Excretio in Affectu Stranguriæ admodùm cognato, nempe in *Dyſuriâ* ſeu *Urinæ Difficultate*, quando nempe cum magno mingendi Conatu & Labore Ægri, accedente non levi Dolore, Urina effluit. *Dolor* iſte concurrens, cùm inter mingendum quaſi *Ardoris ſenſum* inferat ſeu exprimat, ob id exinde malum hoc alio nomine etiam *Ardor Urinæ* venire ſolet. Conqueruntur enim Ægri in tali Affectu: *urit, ac ſi aqua calida curreret*, uti ſolent exprimere hoc Urinæ Malum. *Cognatus eſt hic Affectus cum Stranguriâ, differunt* tamen ambo à ſe invicem in eo:

1. Quòd *in Dyſuriâ* Urina non guttatim, ſed ſine interruptione, & ſæpiùs in debitâ quantitate, utut cum Conatu & Labore, *in Stranguriâ* verò guttatim, effluat.
2. Quòd etiam *Dyſuriæ Dolor* tantùm inter mingendum percipiatur, non verò ante, aut rarò etiam poſt Mictionem, uti in *Stranguriâ*, ubi poſt Mictionem Dolor adhuc urget; qui Dolor quoque alterius planè generis eſt, quàm qui in Dyſuriâ afficit, cùm hîc Ardoris quidam ſenſus ſubſit.
3. Quòd rariùs ex propria Urinæ acrimoniâ, ſæpiùs verò Partium urinoſarum, Veſicæ puta, aut vicinarum Partium Affectus, in ſpecie quidem Læſio vel Eroſio, plùs minùs Excoriatio, aut Exulceratio orificii Veſicæ ſeu principii Meatûs urinarii *Dyſuriam* inferant. *Stranguria* verò ſaltem à ſolâ Urinæ acrimoniâ nimiâ acidâ originem ducat.
4. Quòd *in Stranguriâ* Urina cum continuo ad mingendum Stimulo, Teneſmo Podicis non abſimili, excernatur; *Dyſuria* nihil horum ſentiat.

### CAUSÆ.

*Cauſæ* horum Symptomatum quomodò differant,

non nulli equidem, & inter hos Sennertus *Pr. lib. 3. P. 8. Sect. 2. cap. 4. & 5.* eruere conati fuerunt; ſed multis Contradictionibus ſe immerſerunt. Cauſa ergò talis Urinæ Difficultatis ac Ardoris ſeu Dyſuriæ eſt *aut in ipsâ Urinâ*, quæ excernitur, *aut* eſt, idque frequentiùs, *in Partibus urinariis*, Veſicâ nempe & Partibus vicinis, per quas eadem excernitur. *Hæ ipſæ* enim præternaturaliter affectæ, etiam ab Urinâ naturaliter conſtitutâ præterfluente lædunturr, & hinc Doloris ſenſum concipiunt.

Quod ergò attinet primò *Urinam*: hæc quidem, licèt rariùs, Dyſuriam gravem aut Habitualem infert, quando nempe *acris* nimiſque *ſalſa*, *acido-ſalſa*, aliâve ratione mutata exiſtit; ſive hoc fiat *à Salibus* copioſis imbibitis, ut fit in Hypochondriacis & Scorbuticis, qualem Dyſuriam lethalem ex acrimoniâ Seri ſcorbutici cum mirâ Penis retractione obſervârunt M. A. N. C. *Ann. 4. Obſervat. 155. pag. 197.* ſive eadem fiat *à Pure* acriore nimiſque ſalſo permiſto, quod Pus aut Exulcerationem Renum aut Veſicæ, aut aliarum partium exulcerationem inſequi, & cum Urinâ permiſceri, & acrimoniâ ſuâ Veſicam affligere ſolet. Pertinent huc *Cantharides* Veſicam ulcerantes, & corroſivo ſuo Veneno Urinam imprægnando Dyſuriam inducentes, aut applicatæ externè, aut perperam propinatæ internè. Pertinent huc quoque *Mercurialia*, imprimis Præcipitata non ritè præparata, quæ aliàs ad Gonorrhœam virulentam adhiberi ſolent; nam & hæc ad Dyſuriam diſponere, obſervavit Foreſtus, qui vid. *lib. 25. Obſer. 37.* de quodam Nautâ, qui Gonorrhœâ laborans & mingendi difficultate, cùm uſurpaſſet Pilulas ex Mercurio præcipitato paratas, exinde in Urinæ Ardorem duplò majorem incurrit.

Sed rarum eſt, uti dixi, quòd Urina præcisè affecta Dyſuriam inferat; frequentius eſt, ut aut ipſæ *Partes urinariæ* aut vicinæ *malè affectæ* Dyſuriam inferant, ſive *per Eſſentiam*, ſive *per Conſenſum* fiat; ut plurimùm Veſica aut ejus Collum, aut etiam Meatus urinarius excoriata, aut exulcerata, ingentem & acerbum concipiunt Dolorem, dum Urina tranſit, & ſi quæ alia, certè hæc eſt frequentiſſima Cauſa. Hinc etiam *non rarò Veſicæ Calculus* eandem attritu ſuo ſucceſſivo non nihil excorians, aut alio modo circa Collum, quò continuò incumbit, lædens, Urinâ etiam naturaliter conſtitutâ, nunc Stranguriam, nunc Dyſuriam pertinacem, inducere ſolet. Præter Calculum etiam *Exulceratio Colli Veſicæ* Dyſuriam gravem infert, ita, ut etiam mitiſſima Urina non ſine Dolore laboriosè emittatur. Pertinent hunc *Proſtatæ malè affectæ*, ſeu Glandulæ iſtæ, quæ in radice Penis juxta Collum Veſicæ ſunt ſitæ, imprimis à *Contagio Venereo* per congreſſum impurum affectæ, unde & Gonorrhœæ virulentæ ſunt ſubjectum, & ſubinde etiam exulcerantur, quibus exulceratis ab Urinâ præterfluente, immenſum dolent. Quin & ita affectæ, loco Lymphæ blandioris elaborant Succum acrem, & Virulentiâ corroſivâ Venereâ infectum, qui ipſe Succus, dum Urethram, per quam fluit, excoriat & lædit, & hôc ipſô Dyſuriam admodùm crudelem inferre ſolet. Difficillimæ Curæ tunc eſt talis Dyſuria, aut interdum in *Ulcus Penis* terminatur, quando & hæc ipſa virulenta cum quibuſdam conſeneſcit & moritur, uti obſervat Johannes Schenck *l. 3. Obſ.* Verùm præter Affectus *per Eſſentiam*, etiam *per Conſenſum* vicinarum Partium affectarum Dyſuria interdum infertur: Sic enim *affecto Utero* in Mulieribus, aut affecto *Inteſtino Recto* in Viris, nil frequentius eſt, quàm ſupervenire ſimul Dyſuriam. Hinc propter *Inflammationem Inteſtini Recti*, & Teneſmum & Dyſuriam moleſtam obſervavit Amatus Luſitanus *Cent. 6. Cur. 84.* item ex conſenſu *cum Hæmorrhoidibus* dolentibus Urinæ Ardorem & Stillicidium, curatum poſtmodùm per Clyſma ex Oleo Violarum, annotat Schenckius *lib. 3. Obſerv. ubi de Hæmorrhoidibus.*

Obſervandum ſimul eſt, ſubinde in modò dictis Affectibus, Stranguriâ & Dyſuriâ, excerni *Materiam craſſam*, mucilaginoſam & pituitoſam, quæ ipſa, ut dixi, nihil aliud eſt, quàm Nutrimentum Veſicæ ſpermaticum, aut Partium illarum urinariarum proximum, quod ex Partibus iſtis læſis & non nihil excoriatis continuò exſtillans, ſub formâ talis Mucilaginis craſſæ aut lacteæ unà cum Urinâ excernitur; à qua Mucilagine Urinæ Ardor magis augeri ſolet, quatenus Meatum urinarium non nihil obſtruendo Difficultatem affert in mejendo, ut non abſque Conatu, & non abſque Labore, Urinæ fiat Excretio. Hinc eſt, quod refert Veſſingius *in Obſer. Anat. à Bartholino editis pag. 146.* quòd in demortuis ex Dyſuriâ Veſica mucosâ & lentâ albicante Materiâ plena obſervatur.

## DIAGNOSIS.

*Signa* hujus Dyſuriæ *Diagnoſtica*, per ſe & ex ſe facilè patent, cùm relatio Ægri eadem inſinuet.

Imprimis autem Cauſæ Antecedentes conſiderandæ, & ſpeciatim ad Excoriationem vel Exulcerationem Veſicæ reſpiciendum, quæ ex Excretis cum Urinâ & Circumſtantiis antecedentibus facilè patet.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: Dyſuria variam habet per ſe, *pro varietate Cauſarum.*

In genere *Malum eſt perquàm moleſtum* quidem Dyſuria, *non* tamen per ſe *lethale*, utut ſubinde *contumax* admodùm & *diuturnum* ſit, ſub qua diuturnitate, ex quacunque ſit Causâ, periculum eſt, ne exulceretur tandem Veſica, aut facta jam ejus Exulceratio inſigniter exaſperetur, aut etiam, ſi diutiùs affligat, Urinæ Incontinentia ſuperveniat.

In *Senibus*, cùm ſequatur ordinariò aliquam Veſicæ Exulcerationem, difficilè & rariſſimè curatur, niſi forſan Potus Vini Malvatici, aut frequentior uſus Juſculorum gallinaceorum eandem ſublevet; ſicuti idem Vinum Malvaticum, uti etiam Pulvis Stomachalis Quercetani, optimè convenit, ſi conjuncta cum iſtâ Mucilagine Materia craſſa & alba, &c.

Quæ eſt cum Excretione *Mucilaginis viſcidæ*, eſt periculoſior eà, quæ eſt ſine tali Mucagine.

Si à Mucilagine craſsâ, quæ interdum in Dyſuriâ effluit, oriatur *Suppreſſio Urinæ* ex Obſtructione Canalis, per quem fluit, Malum eſt periculoſum, aut ſaltem moleſtum.

## CURA.

Quod attinet *Curam*: in hac attendatur ante omnia *ad Cauſas*, adeòque

1. *Acrimonia Urinæ* lædens temperetur;
   Et hinc
2. *Partes urinariæ* quocunque modo læſæ, in ſpecie Veſica exulcerata aut excoriata, conſolidentur.

Ac

Ac denique

3. *Vicinarũ Partiũ* Affectus maturè removeantur. Conveniunt ergò in Dyſuriâ *temperantia Acrimoniam Urinæ*, & hinc *Balſamica*, Veſicam excoriatam conſolidantia; adeoque omnia, *quæ in Stranguriâ conveniunt*, etiam mutatis mutandis, huc applicari poſſunt. Pluribus ſcopis in Dyſuriâ ſatisfacit Oleum Amygdalarum dulcium, quod perquàm egregium eſt ſæpiùs uſurpatum; item Oleum Amygdalarum dulcium cum Syrupo de Althæâ permiſtum, additis Lapillis Percarum, & Pulvere Lapillorum Cancrorum in formâ Potionis miſta & crebriùs uſurpata. Malva etiam, ejuſque Conſerva Florum, aliaque Malvacea, ſpecificè commendantur, quatenus egregiè Urinæ aut Puris acrimoniam obtundunt, ſenſum Veſicæ irritatæ demulcent, & Loca læſa quaſi Mucilagine temperante oblinunt. Hinc *Conſervam Florum Malvæ* per Experientiam comprobatam mirè laudat Amatus Luſitanus *Cent.* 6. *Cur.* 58. ubi Ardorem Urinæ cum Caruncularum mictione beneficio Conſervæ ex Floribus Malvæ curavit. Conferatur & Hochſtedterus *Decad.* 6. *Caſ.* 2. *Schol.* Ut & *Syrupus de Malva*: Exemplum videb. *in* Horſtio *Juniore Epiſt. & Obſervat. pag.* 50. Item *Mucilagines Seminum cum Decocto Althææ* paratæ, & cum hoc ipſo propinatæ, ſunt euporiſton Hartmanni *in Praxi Chymiatr.* Potiùs ex his *Decoctum* fiat, quod vel ita, addendo *Lapides Cancrorum*, uſurpetur; vel addatur Nitrum, & Potus erit gratus. *Decoctum* pariter *Foreſti ſuprà, Membro* 2. *Articuli* 1. *&* 2. *ubi de Calculo Renum*, laudatum confert. *Decoctum Herbæ & Baccarum Alkekengi*, ſi æſtas eſt, & haberi poſſunt, cum Paſſulis itidem in Dyſuriâ ſingulariter eſt laudatum: Vel *Decoctum Florum Nymphææ, Petroſelini, Sonchi lævis cum Saccharo & Nitro* adhibeatur. Similiter *Decoctum Florum & Herbæ Malvæ cum Paſſulis, Jujubis & Sebeſten*, pro uſu interno admodùm commendatur: Nam, ſi quid aliud, certè *Decoctum Granorum Sebeſten* cum Aquâ Sempervivi omni mane ad ℥j. aſſumptum, à Gabelchovero ad Dyſuriam laudatur. Alii Grana Sebeſten inciſa decoquunt vel in Aquâ Sempervivi majoris, vel Hordei; quod Decoctum ad ℥v. omni mane uſurpatum inſigniter Ardorem & Dolorem Urinæ lenire dicitur, idque imprimis, ſi tantillum de *Croco* fuerit additum, uti hoc commendat Gabelchoverus *Cent.* 1. *Cur.* 21. Stoeckerus *in Praxi* laudat Decoctum Hordei, Sebeſten & Glycyrrhizæ, mane veſperique hauſtum, unà cum Syrupo Papaveris. Commune euporiſton eſt *Pulvis Radicis Althææ cum Saccharo* miſtus & uſurpatus: *Emulſiones ex Amygdalis dulcibus, Semine Melonum, Nucleis Perſicorum*, additis *Lapillis Percarum*, ſunt egregia. Porrò *Lac, Serum Lactis*, & omnia *Lacticinia*, uti in omni Dyſuriâ ſingulariter conveniunt, ita in ſpecie proſunt in eâ, quæ eſt *à Cantharidibus*, quarum corroſivi Veneni appropriata medela & alexipharmacum eſt in Lacte: in quo caſu Lac copioſum aſſumatur, vel decocti ſint in eo Flores Chamomillæ, qui ſunt Anodyni; ſic enim illud magis Anodynum fit; loco Florum Chamomillæ non inconveniens etiam eſt, ſi cum Lacte ebullierint, aut Flores Cyani vel Calcatrippæ, qui egregiè ſunt diuretici; ſic enim Lac fit magis abſterſivum. Hauriantur autem *Lacticinia* copioſè & calidè: Id quod pariter de omnibus Potulentis intelligendum, ut, quantum poſſibile, calidè hauriantur; cùm certè *Potus frigidus* aſſumptus, aut Aër frigidus extrà ſuſceptus, inſigniter Stranguriam & Iſchuriam ſoleant exaſperare. Ulterius *Terebinthina* & omnia *Terebinthinata*, uti in aliis Affectibus urinariis, ita & in Dyſuriâ, vitio Veſicæ enata, optimè conveniunt, quocùnque modo uſurpentur; Excoriationes enim & Exulcerationes inchoatas ſiſtunt, & maturè tollunt. Cautè tamen *Spiritus ſeu Oleum Terebinthinæ* adhibeatur, quia nimis acria ſunt. Potiùs *Pulveres* convenientes, v. g. Olibani, Myrrhæ, Maſtiches, Succini, Boli Armenæ, Sanguinis Draconis, & præ omnibus Antimonium Diaphoreticum excipiantur cum *Terebinthinâ*, ſicque redigantur in *Pilulas*, ver. gr. *Pilulas Quercetani contra Dyſuriam & Stranguriam, ſupra Membro* 1. *laudatas.*

Faciunt huc ſequentes Pilulæ ad Ardorem Urinæ expertæ *Ellenbergeri*, Medici olim Halenſis. Compoſitio eſt hæc:

℞. *Succi Liquirit. depur.*
*Succini*,
*Thuris* an. q. v.

Incorporentur cum *Terebinthinâ Cypria*, f. Pilulæ. Dentur mane & veſperi, jejuno ventriculo. Doſis ʒß. ad ʒij.

Facit etiam huc *Pulvis Joëlis ad Dyſuriam* admodùm commendatus, compoſitus ex Teſtis Ovorum, Semine Urticæ & Succino; nam *Succinum & Succinata* omnia admodùm proſunt. Unde etiam *Trochiſci de Carabe*, item Trochiſci de Terrâ Sigillatâ, uti etiam Trochiſci de Alkekengi, in Officinis uſurpantur ad Dyſuriam, idque in ſpecie, ubi Exulceratio aut Excoriatio Locorum urinariorum ſubeſt. Remedia quoque ex Myrrhâ & Maſtiche ſunt optima. *Veſica Capræ præparata*, item *Veſica Apri ſylveſtris maſculi* ſiccata & pulveriſata, ad Stranguriam & Dyſuriam præſtantiſſima dicuntur Remedia, ita ut Ægri miraculi inſtar levamen ſentiant, uti loquitur Hoechſtedterus *Decad.* 6. *Caſ.* 2. ubi etiam habet quædam de Malvâ. (A) Hiſce etiam addatur Oleum deſtillatum Carvi, quo Thonerus *in Obſer.* aliquot Dyſurias graves ſubitò curavit, guttulas v. propinando. Pulegium quovis modo aſſumptum ad Dyſuriam commendari ſolet. Pulvis Nucleorum Perſicorum cum calicibus, inſigniter conducit in Dyſuriâ pertinaci, etiam ſenili, uti hoc per Experientiam refert Gabelchoverus *Cent.* 1. *Cur. pag.* 39. Loco hujus Dactyli ſunt ferè ſalubriores; ex his enim tale quorundam euporiſton paratur:

℞. *Dactyl.* qu. v.
*Oſſa* limâ redigantur in Pulverem tenuiſſimum; *Caro* verò ſcindatur in particulas, & in clibano exſiccetur, pulveriſetur in mortario, & miſc. cum *Pulvere Oſſium* addendo
*Sacchar. albiſſ.* part. æqu.

Hujus *Pulveris* mane & veſperi capiatur tantum, quantum mucrone Cultri ſemel aut bis accipi poteſt; continuetur aliquandiu, idque in Miſturâ ſequenti:

℞. *Syr. de Alth. Fern.* vel *de Jujub.* ʒiij.
*Cichor. cum Rhabar.* ʒj.
*Aquæ Nymph.*
*Lactuc.*
*Chamom.* an. ʒiv.
*Cinnam. lacteſc.* ʒß.

M. pro Vehiculo iſtius pulveris.

Hoc expertum commendatur in Dyſuriâ. Item

℞. *Lap. Percar. præp.* *Oſſ.*

(A) Nota Cyrilli. *Ad ſedandum atrociſſimum in mictione ardorem, etiam à Calculo Veſicæ ortum efficaciſſimum experti ſumus Gummi Arabicum, vel integrum ad aliquot grana deglutitum, vel in Aquâ florum Sambuci diſſolutum, addito tantillo Maceris, ad plures dies jejuno Stomacho.*

*Oſſ. Sep.*
*Cancr. calcin.*
*Pulv. Nuc. Moſch.* an. ʒß.
*Extr. Opii* ϑj.
M. F. Pulvis.
Vel
℞. *Conſerv. Violar.* ʒiß.
*Rob Juniperi* ʒvj.
*Pulv. Sem. Hyper.* ʒiij.
*Lapill. Cancr. præp.* ʒj.
*Percar. præp.* ϑß.
*Laud. Op.* gr. iß.
Cum ſ. q. *Syr. Scabioſæ* f. Electuarium.
D. S.
Electuarium Leniens.
Vel
℞. *Conſ. Hederæ terreſtr.* ʒiß.
*Rob Juniperi* ʒj.
*Sem. Violar. purp.*
*Hyperici*, an. ʒij.
*Lapill. Percar. præp.* ʒj.
*Eſſent. Opii* ϑij.
Cum ſ. q. *Syr. de Alth. Fern.* f. Electuarium.

*Externè Serpillum* calefactum, & Partibus urinariis applicatum, Dolorem ſedat, & Urinam promovet, quod expertum à ſe eſſe dicit Montagnana *Conſ.* 187. *Cataplaſma ex Althæâ, Malvâ, Meliloto, Parietaria, cum Lacte aut Oleo Scorpionum* Pubi imponatur; aut ſaltim *Ruta & Parietaria in Oleo Scorpionum* cocta, & appoſita præſentiſſimè juvant, dicit Amatus Luſitanus *Cent.* 6. *Cur.* 92.

Vel
℞. *Herb. Parietar.* M. ij.
*Chærefol.*
*Flor. Chamom.* an. M. j.
Inciſ. coqu. in *Lacte* ad mollitiem:
Pulpæ per ſetaceum trajectæ adde
*Butyr. rec.* ʒj.
*Olei Scorpion.* ʒß.
Miſc. pro Cataplaſmate:
Imponatur calidè regioni Pubis, & deſuper Operculum calefactum.

Porrò *Clyſteres* crebrò in uſum ſunt vocandi, nunc blandè *Stimulantes*, nunc *Lenientes*, ex Lacte, aut ſimiles Clyſteres Anodyni, qui Dolorem & Calorem mingendi admodùm levant; nam quò contumacior eſt Alvus, eò intenſior eſt Dyſuria. Unde uſitatiſſimus eſt eorum uſus, de quibus, ut & Balneis, vid. *ſuprà*.

Tandem Injectiones ex Lacte vel ſimplici, vel Decoctionis Anodynorum, item ex Oleo Amygdalarum dulcium conveniunt: loco quarum in Exulceratione Veſicæ *Injectiones* primò Mundificantes, hinc Conſolidantes inſtituantur: V. g. Injectio Mundificans in Exulceratione Veſicæ:
℞. *Rad. Liquirit.* ʒj.
*Cort. Fabar.* ʒj.
*Sem. Cicer. rubr.* Pug. j.
*Fol. Plantag.* M. j.
F. Decoct. in Aquâ, addendo parum *Lixivii*. In Colat. ℔. j. diſſolve
*Tereb. Lar.* vel *vulgar. in Mell. diſſol.* ʒvj.
*Unguent. Ægyptiac.* tantum, quantum ferre poteſt.
Idque ſaltem quantum neceſſitas urget, miſc. pro Injectione.
D. S.
Injectio Mundificans.
Vel
Injectio Conſolidativa.
℞. *Ramul. Equiſeti*,
*Fol. Plantag.*
*Sem. Hyper.* an. M. j.
*Rad. Chærefol. maj.*
*Biſtortæ*,
*Tormentillæ* an. ʒj.
*Cort. Granat.* ʒiij.
Coq. in ℔. j. *Aquæ Ferrarior.* vel *Martiatæ*:
In Colaturâ diſſolve
*Trochiſc. Alb. Rhaſis ſine Opio* ʒß.
*Boli Armen.* ʒj.
Miſc. pro Injectione.
D. S. ut ſuprà.

Anteà commendavi Lacticinia internè & externè: Quò etiam pertinet Experimentum Sanquez de Pediculis vivis cum Lacte injectis, *ſuprà, Membro* 1. *ubi de Stranguriâ*, allegatum; quod etiam laudari audivi à D. Michaelis.

Item præter Injecta convenit hoc *Unguentum* expertum ad Urinæ Difficultatem:
℞. *Unguenti Martiat.*
*Agrippæ*,
*Olei laurin.* an. ʒj.
Miſceantur optimè: S.
Unguentum Singulare.
Hoc blandè calidè ungatur regio Pubis, & ſubitò fluet Urina, idque abſque Dolore.

Hæc de Affectibus Urinariis, & qui ad illas pertinent.

## SECTIO XXI.

*De Glandularum uſu, & Natura Lymphæ, Ejuſque in Glandulis Separatione, & Motu Debito Læſis, Indeque Ortis Catarrhis in Genere & in Specie.*

VT pateat Connexio cum ſuperioribus, notandum: quòd Sanguis (de quo jam *ſuperiùs Sect.* 19. etiam dictum) ad omnes partes moveatur æquali Circulo, in quarum quibuſdam (uti etiam dixi) aliquid patitur, imprimis quidem in Viſceribus; quò pertinent ſolennes quædam Secretiones ab iiſdem factæ: Quô etiam facit, dum poſt Renes Sanguis per Arterias movetur etiam in particularia Viſcera, ad *Glandulas* per univerſum Corpus diſſeminatas (de quibus vid. concinnè agens Steno *Tract. Obſervat. de Glandulis & Muſculis*, ſicut de iiſdem ſpecialiter quoad ſtructuram agit Warthonus *in Adenographiâ*) ut in iiſdem ex Sanguine & Spiritibus animalibus aliquid ſeparetur, quod ad conſtitutionem & elaborationem *Lymphæ* requiritur, idque tam in Glandulis Conglobatis, quàm Conglomeratis. Utræque hæ Glandulæ verſantur in elaborando peculiari quodam Humore, *Lympha* à Bartholino appellato, qui etiam pro varietate Glandularum diſtribuitur diverſimodè. Et quidem omnis Lympha infra Cor per Ductum Thoracicum infunditur in Venam Axillarem ſiniſtram, ſicut Lympha in regione ſupra Cor tandem etiam per Axillarem ſiniſtram infunditur & admiſcetur Sanguini. E Glandulis Conglomeratis per ſingulares Ductus in certam quandam Corporis Cavitatem effuſus, peculiaria obtinet nomina & officia, ut ſunt *Saliva, Succus Pancreaticus, Lacrymæ*, &c.: è Glandulis verò Conglobatis, tam regionis inferioris quàm ſuperioris, per peculiaria Vaſa, *Lymphatica* dicta, Sanguini in Venâ Axillari ſiniſtrâ infunditur: Vid. de his in ſpecie Sylvius *Diſſ.* 5. & 8. item Bartholinus *de Vaſis Lymphaticis*, item Rudbecgius *Tract. de Vaſis Hepatis & Glandularum ſeroſis*. Ubi enim ſunt Glandulæ Conglobatæ, neceſſariò oriuntur Lymphatica Vaſa. Omnibus autem Glandulis Conglomeratis inſeritur Nervus.

Glan-

Glandulæ ergò omnes, cùm habeant cum Lymphaticis commercium, ita ut nuspiam reperiatur Vas Lymphaticum, quod non ex Glandulis ducat originem, patet *Glandularum hunc esse usum*, ut præparent Lympham, eamque præparatam per Ductus certos aliorsum derivent; & quidem per Ductus Lymphaticos ex Glandulis Conglobatis in Venam Axillarem sinistram; per Ductus verò peculiares Excretorios ex Glandulis Conglomeratis in certam Cavitatem quandam. Similis Glandularum structura similem in genere Humorem ab iis emulgeri demonstrat, ita quidem, ut Lympha omnium Glandularum in hoc conveniat, quòd sit Liquor aquosus spirituosus, ut plurimùm acidulus. Conglomeratarum verò diversitas etiam certam quandam in Humore inde elaborato innuit diversitatem non essentialem, sed accidentalem, diversis nempe usibus destinatam: Sic essentialiter quidem convenit Lympha quæcunque cum Salvâ verbi gratiâ, & Succo Pancreatico, accidentaliter tamen pro diversitate Glandularum in texturâ, in quibus elaborantur, differunt. Unde etiam diversas functiones administrare apti nati sunt, verbi gratiâ dum alius usus est Salivæ, alius Lacrymarum, alius Succi Pancreatici, & sic porrò, prout variant non nihil dicti Liquores ex distinctis Glandulis oriundi.

*Materia ex qua componitur Lympha*, maximam partem hauritur ex Massâ Sanguineâ: idque in specie in Glandulis *Conglomeratis*, quæ spongiarum instar ex Sanguine Arteriarum emulgent Liquorem serosum limpidum, & ut probabilissimè putatur, occultè acidulum, quibus se sociare videntur Spiritus animales per Nervos ad Glandulas derivati: *Conglobatarum* verò Glandularum Lympha eodem modo ex Sanguine elaboratur. Interim tamen admodùm probabilis videtur ista Hypothesis, qui Spiritus animales in partes per Nervos allatos, condensatos simul maximam partem, cum hâc Lymphâ constituere asserit, ita quidem, ut hi ipsi, dum laboribus non absumantur, omnes cum Alimento partium aquosiori se jungant, & ita subtilitatem suam spirituosam amittant, ac denuò in aquosam substantiam condensentur. Hic ergò limpidus Liquor à Glandulis imbibitus, & Humori ex Sanguine emulcto permistus, Lympham Glandularum Conglobatarum constituere videtur; de qua Hypothesi vid. Sylvius *in suprà cit. Dyss.* 5. item Segerus *in Dyss. de Quidditate & Materiâ Lymphæ*. Dixi verò, quòd ex Sanguine in Glandulis elaboretur Succus vel Liquor quidam acidulus, qui temperetur à Spiritu isto volatili condensato, hoc Gustus Lymphæ subacidus interdum observatus confirmat: vid. Bartholinus *Cent.* 2. *Epist.* 55. & 69. *Cent.* 3. *Epist.* 93.

*Usus Lymphæ in Glandulis Conglomeratis est*, ut excreta per Ductus Excretorios in determinatas Cavitates vel loca, certis functionibus & alterationibus prosit, de quibus sub speciali partium usu. Quod verò attinet *Lymphæ usum in Glandulis Conglobatis* elaboratæ, & in Venam Axillarem sinistram infusæ, hic non adeò est evidens. In genere tamen ejus prope Cor cum Sanguine commistio, & immediata Cordis Ventriculo dextro infusio cum Sanguine, certum quendam pro Sanguificatione atque renovatione Sanguinis in Corde & Pulmonibus adjuvandâ usum hujus Lymphæ arguit; quod Lymphæ ascendentis ab inferioribus cum Chylo in Ductum Thoracicum miscela ulteriùs confirmat. Unde dicendum videtur cum Sylvio *Exerc.* 8. Lympham, quatenus est Succus subtilis spirituosus volatilis, disponere Sanguinem certo modo ad eam Fermentationem & Spirituascentiam, quam in suo transitu per Cor & Pulmones patitur: Ubi nec negligendum puto, quòd Chylus, dum à Lymphâ diluitur, hôc ipsô facilius cum Sanguine permisceatur, & ab eodem subigatur & assimiletur.

Considerată Theoriâ, nobis jam incumbit *vitia Lymphæ* evolvere. Jam ergò vitiatur & læditur hæc Lymphæ *Secretio*, & debita ejus in partes *Distributio*, *tribus* imprimis *modis*.

1. *Dum ipsa vitiosè generatur.* Degenerat nempe à naturali crasi & texturâ, tam in quanto quàm in quali, quatenus generatur aut nimis copiosa, aut nimis acida, aut nimis salsa, aut alio modo vitiata.
2. *Dum eadem* vel naturaliter vel præternaturaliter constituta *vitiosè distribuitur*, & ex Glandulis Conglomeratis in Partes & Cavitates infunditur.
3. *Dum eadem* tam naturaliter quàm præternaturaliter constituta *impeditur in suo Motu* ex Glandulis Conglobatis per vasa Lymphatica.

A prioribus duobus vitiis Lymphæ oriuntur *Catarrhi* dicti, seu omnes *Catarrhales Affectus*. Et quidem prius vitium hinc varia & distincta producit Pathemata, pro Glandularum & partium vicinarum varietate; cum Glandulæ sint fontes, ex quibus omnes *Catarrhi* originem ducunt. Quando enim ex vitiatis Glandulis vitiatur Lymphæ Generatio, ita ut hæc exinde fiat acida, aut etiam nimis salsa, aut alio peregrino sapore infecta, indeque distribuitur in Partes, in specie ex Glandulis Conglomeratis, tunc oriuntur Catarrhi. Alterum dat *Affectus Catarrhales* propriè sic dictos. Tertio verò Lymphæ vitio, nempe in Motu impeditæ, oriuntur omnes *Hydropes particulares*, & *Tumores Serosi* particulares.

## CAPUT I.

### *De Lymphæ Vitiosa Generatione.*

*Vitiatur Lymphæ generatio* tam in quanto, quàm in quali, vel *Objecti*, vel *Subjecti* vitio. *Objecti* seu Materiæ ex qua (quæ maximam partem est Serum Sanguinis) vitio vitiata generatur Lympha, quando hoc *Serum parcius* vel *copiosius*, *tenuius*, vel à contento chylosô Rore *crassius*, *dulcius* vel vitiosè *acrius* fuerit; nam & hinc necessariò Lympha varia vitia contrahit. *Subjecti* denique *vel Glandularum* vitio vitiatur Lymphæ Generatio, quando earundem Tonus & Textura secretoria, & alia requisita ad Lymphæ Genesin necessaria non ritè se habent.

*Frequentissimum vitium est, quando obstruuntur*, hincque plùs minùs intumescunt, ut plurimùm à Materiâ Lymphæ generandæ viscidiore, vel gelatinâ chylosâ magis turgidâ, quæ undecunque coagulata aut inspissata, tam à Frigore aliâve Causâ externâ, quàm internâ, sicque in Pituitam abiens, *Tumores Glandularum* majores aut minores, molliores aut duriores, benigniores, & cum sensu punctorio maligniores, constituit. Circa quorum Affectuum Theoriam & Praxin consulendus venit Sylvius *lib.* 1. *Prax. cap.* 49. 50. 51. 52. 53. & 54. Ubi saltem hoc simul addidero *pro his Affectibus curandis*, illis præsertim, qui ex obstructis Glandulis originem ducunt, præter *Mercurium dulcem* pro Purgatione optima Remedia esse *Sudorifera ex Lignis*, præsertim *Juniperino*, parata; verbi grat.

℞. *Rasur. Ligni Juniperin.* ℥ij.
*Sassafr.* ℥iß.

*Cort.*

*Cort. Lign. Guajaci* ʒj.
*Herbæ Roriſmar.* M. iij.
*Bacc. Junip.* ʒiſs.
Infund. in ſ. q. *Aqu.* & *Vini* ad ℔ij.
Macerata per 24. horas, coqu. in Balneo Mariæ in Cucurbitâ cum ſuo Alembico juncto ad medias;
Colatum & Deſtillatum miſce, & adde
*Spiritûs Sal. Ammoniaci* ʒiij.
*Syr. Flor. Calend.* ʒiſs. ad iij.
M. D. S.
Potio Catarrhum diſſolvens.

Hôc ipſô, *præmiſſâ Purgatione Mercuriali*, nuper Fœminam cum Menſium ſuppreſſione, Tumores Parotidum & Glandularum in Collo habentem, cum Capitis Gravedine, Narium Obſtructione, Oris ſiccitate & difficili Anhelitu, & Pectoris ac Pulmonum quaſi repletione, interdum Suffocationem quandam minante, reſtitui, capiendo omni mane bonum hauſtum calidè, & expectando hinc in lecto Sudorem.

## CAPUT II.

### *De Lymphæ Vitioſa Diſtributione.*

### ARTICULUS I.

### *De Affectibus Catarrhalibus.*

*Catarrhi vocem quod attinet*: in ſenſu *Hippocratico quemcumque Decubitum ſeu Depoſitionem alicujus Humoris*, ut plurimùm acrioris, in quodam loco vel parte innuit, adeò ut ratione hujus ſub generali Catarrhorum nomine etiam Diarrhœa, Diabetes, & alii ſimiles Morbi Hippocrati *Catarrhi* audiant. Verum tamen in ſpecie, & nunc uſitato Catarrhi ſeu *Defluxionis* nomine, innuitur κατ' ἐξοχὴν Decubitus ſeu Effuſio Lymphæ aut Ichoris tenuis, ſive jam Serum hoc ſit mite & inſipidum, ſive acre, aſperum, ſalinum, ad aliquam certam & determinatam partem. Et hoc eſt *propriè Catarrhus*; nempe *præternaturalis à Sero plùs minùs vitiato in quacumque parte facta Alteratio, ſeu Functionum læſio.* Vocatur Catarrhus à ῥέω, *fluo.*

Ulteriùs *Veterum de Catarrhis Hypotheſis*, quòd nempe ex Intemperie Stomachi frigidâ & Jecoris calidâ exhalent copioſi Vapores ſurſum, qui in Capite, tanquam Alembico, à loci frigiditate denuò condenſati in Liquores ſeu Aquas ſeroſas, cumulati, poſtmodùm exinde per foramina Oſſis Cribriformis, tanquam per roſtrum Alembici, ſucceſſivè in partes inferiores, eaſque interiores, Nares, Fauces, Oculos, Aures, Gulam, Aſperam Arteriam, Pulmones, &c. defluant, & ita *Catarrhos Internos* conſtituant: Vel quòd per loca intercutanea externa, inter Membranas nempe Cranii extimas deriventur in totam Corporis peripheriam, etiam ultimos Artus uſque, à quibus *Deſtillationibus*, ſeu, ut vocant, *Defluxionibus* varia Mala, in ſpecie Arthritici Affectus & ſimilia oriantur, ſatis notum eſt; Nam *Stomachum* ex Intemperie frigidâ copioſum Phlegma generare; *Jecur* verò ex Intemperie calidâ incumbens Stomacho iſtud Phlegma in Vapores & Fumos reſolvere, qui copioſè ex Ventriculo exhalantes, & evaporantes *Catarrhos Externos* conſtituant, dixerunt. Et hæc eſt Veterum Hypotheſis adeò decantata, & à multis adhuc recepta.

Sed hanc Theoriam Veterum ſufficienter diſcuſſit tam Helmontius *in eleganti Tra. Catarrhorum Deliram.* vocato, quàm etiam Schneiderus *in Operibus ſuis prolixis de Catarrhis*: cujus prolixa Volumina hunc nucleum continent, quòd aſſerat & defendat, *non à Capite ſeu Cerebro depluere Serum pro Catarrhis, ſed iſtud ex Arteriarum vaſculis* à Maſsâ Sanguineâ Facultate Expultrice apertis, ſeponi, & per Membranas tranſudando excerni; unde pro varietate Membranarum, per quas fit iſta Tranſudatio, & pro varietate Seri, ex Sanguine per Arterias ita excluſi, & hinc inde ſepoſiti, varii etiam oriantur Catarrhi. Et totum hoc eſt, quod habet Schneiderus in omnibus ſuis Libris; correxit tamen ſuam ſententiam, & loco Membranarum Glandulas ſuppoſuit. In quâ doctrinâ glaciem priùs fregerunt Schneidero tam Helmontius, quàm etiam Carolus Piſo *in erudito Scripto de Colluvie ſeroſâ*, cui Schneiderus multum debet; ſic & Piſoni multum debet Williſius, quoad Pathologiam Cerebri.

Sed, ut propiùs ad rem accedamus, equidem in hoc non culpandi ſunt Veteres, quòd *Serum* ſtatuerint *Materiam Catarrhorum*, utut *Lymphæ vitioſæ* Moderni hoc adſcribant: Nam *Serum Veterum* collectum, quod Helmontio dicitur *Latex aquoſus* ſeu *Humor neglectus*, propriè loquendo, Modernorum eſt *Lympha*, & reverà in radice conveniunt; utut in explicandâ Causâ & fiendi Modo Catarrhorum errârint, Glandularum Vaſorumque Lymphaticorum naturâ & uſu nondum cognitis: Vid. Sylvius *lib. 1. in Praxi* de læsâ Tranſcolatione Lymphæ. *Serum autem Catarrhorum eſt Materia*, quoties nunc *immediatè* ex Arteriis cum Sanguine excretum, & motu ſuo plùs minùs impeditum, & in ſpatiola partium mollium effuſum, etiam varios Affectus, quos vulgò pariter *Catarrhos* vocant, infert; nunc verò, idque primariò *mediatè*, mediante nempe ſui in Lympham mutatione, & hinc ex Glandulis Conglomeratis in certa loca effuſione, *Catarrhos propriè dictos* ſeu *Defluxiones*, aut rectiùs loquendo cum Modernis, *Influxionem* conſtituit, *Materia ergò propriè dictorum Catarrhorum eſt Lympha Glandularum Conglomeratarum*; tam *naturaliter*, quàm *præternaturaliter* conſtituta, copioſè, & imprimis uberiùs, in partes effuſa. *Fontes* verò, unde ſcaturiat hæc, dictum, quòd Glandulæ circa Lympham elaborandam & diſtribuendam ſint occupatæ, dum ſecundùm Stenonem *in Obſervat. de Glandulis & Muſculis* nullum detur Vas Lymphaticum in Corpore, quod non oriatur à Glandulâ quâdam, vel in Glandulam non terminetur. *Fontes* ergò *Catarrhorum ſunt* meritò *Glandulæ Conglomeratæ*; unde glanduloſa ſaltem vel iis vicina loca, vel quæ cum Glandulis habent correſpondentiam, propriè dicti Catarrhi affligunt. *Scaturigo prima* Catarrhorum denique eſt Maſſa Sanguinea. Cùm ergò frequentiſſima *Glandularum Conglobatarum & Conglomeratarum* textura circa Cerebrum cohæreat (nam totus ejus Cortex ſeu ſubſtantia Cerebri corticalis minutiſſimarum Glandularum eſt textura, demonſtrante hoc Malpighio *in Scrutinio Viſcerum*,) cùm itidem in Cerebri Medullâ copioſæ Glandulæ ſint compoſitæ, vel etiam in locis Cerebro vicinis, *Oculis*, *Faucibus*, *Laryngе*, *Auribus*, &c. copioſæ & inſigniores ſint Glandulæ, ac denique *Collo & Aſperæ Arteriæ* copioſæ adhæreant Glandulæ, & hinc Caput & partes Reſpirationi inſervientes præ reliquis externi Aëris injuriis & læſionibus ſint expoſitæ; ob id non mirum erit, *ſi propriè dicti Catarrhales Affectus* frequentiùs *Capiti*, ipſiuſque partibus vicinis, hinc *Faucibus* ac *Aſperæ Arteriæ*, ac conſequenter *Pulmonibus & Pectori*, ſint moleſti, i. e. ratione Cauſæ Efficientis Externæ & Materialis proximè ad Catarrhos hæ par-

partes sint dispositæ, idque eò magis, quò magis externis injuriis, in specie Aëris, modò dictæ partes sunt expositæ.

Dixi modò, Catarrhorum Materiam esse Lympham; Fontes verò Glandulas. Quod verò attinet *Membranas* Schneideri, in specie binas *Pituitarias*, *anteriorem & posteriorem*, ab eo *lib.* 3. *de Catarrhis* accuratè delineatas, per quas Materia Catarrhorum ab eodem transudare dicitur (ut ut *in ultimo Tomo de Catarrhis* addat his ipsis etiam *Glandulas*, tanquam opercula Vasorum) observandum est, quòd rectiùs alii his *Glandulis*, ceu Cribris aut Transcolatoriis, originem Catarrhorum adscribant; imprimis cùm hæ ipsæ *Membranæ Schneideri* à parte posteriore texturam copiosarum Glandularum habeant adhærentem, ex quibus Glandulis, ceu fontibus, per Vasa minuta Excretoria Membranas istas perforantia, omnes Catarrhi excernuntur, sicuti naturaliter per hæc Vasa Lympha, Fauces & Nares aliasque partes oblinens, hoc modo excernitur: Vid. Steno *in Obs. de Glandulis & Musculis.*

*Per has igitur Glandulas Conglomeratas* Lympha aut nimis *abundanter* per loca exclusa, aut *vitiosè* simul præparata, & ita excreta, Catarrhos constituit, i. e. defluit Lympha aut copiosa, aut vitiata ex Glandulis, imprimis Conglomeratis circa *Caput*, *Fauces*, *Collum*, *Laryngem*, *Asperam Arteriam*, aliasque similes vicinas partes, & proximè constituit Catarrhos. Unde huic Lymphæ dispositioni non tantummodò *Functionum istarum partium læsiones*, sed pro vario Lymphæ vitio varia etiam simul *Symptomata* superveniunt. Et sanè hoc sensu nil obstat, quin *Gonorrhœæ Virorum*, *Fluor albus Mulierum*, *Salivationes* quælibet, quin & interdum *Diarrhœæ*, *ad Catarrhos* referri queant.

## CAUSÆ.

Vidimus *Catarrhorum Materiam*, nempe Lympham vitiatam; vidimus *Fontes*, nempe Glandulas sub Membranarum tegmine reconditas: quare pergo ad *Causas*, à quibus ita movetur *Lympha* vitiosè, aut generatur vitiata, & consequenter Catarrhi. Equidem ipsa, ceu Humor sui generis, spontaneo impetu nonnisi fluidi gravis ratione, deorsum movebitur, adeòque purè successivè sese habebit ad hoc, ut *copiosior*, aut plùs minùs *vitiata*, per Glandulas Conglomeratas moveatur, & ita Spirituum influxum moventem, & Organorum seu Instrumentorum dispositionem *Catarrhalis Influxio* imitabitur. Ut igitur per Glandulas quasvis Conglomeratas catarrhalis Lymphæ fiat excretio, *Causa Proxima*, propter quam Lympha vel naturaliter vel præternaturaliter constituta effunditur, & ita vitiosè distribuitur, semper est *Irritatio & Læsio* quædam in Parte quâdam plùs minùs sensili, in qua vel cujus viciniâ sunt Glandulæ copiosæ. Hujus enim Irritationis seu Læsionis occasione Lympha ob Fibrarum stricturam ex Glandulis vicinis uberiùs exprimitur, & ita semper restaurata continuus quasi rivus eô derivatur; quæ ipsa, quò plùs vel minùs à statu naturali recesserit, eò magis vel minùs gravem *Affectum Catarrhalem* constituit: v. g. sicut Spina Digito infixa Causa est Sanguinis effusionis & Inflammationis in loco, ubi plura sunt Vasa sanguifera, ita similis Spina, v. g. *Acidum* inspiratum, aut inspiratus Fumus Sulphuris, ibidem Lymphæ uberiorem effusionem, indeque *Raucedinem* aut *Tussim* subinde chronicam, & Materiæ mucosæ copiosam ejectionem facit; aut si cuidam Pulvis incidit in Oculum, mox ex Irritatione dolorosâ effunduntur copiosæ Lacrymæ; qualis Lacrymatio est quasi Catarrhus à Causâ Externâ ortus. Quòd si verò ab Internâ oriatur talis copiosa Lacrymatio, tunc rectè dicitur Catarrhus. *Læsio ista*, prout *nunc magis superficialis*, adeoque Irritatio quædam saltim partis fuerit, vel prout *nunc gravior*, quæque non Sensum saltem Partis afficiat, sed etiam Texturam ejus & Spiritum Insitum simul alterare valeat, etiam *Catarrhum*, *nunc graviorem nunc leviorem*, infert. *In quo posteriore*, loco laudabilis Alimenti vitio Spiritûs Insiti ex propriæ Digestionis & Coctionis læsione vitiosum continuò excrescit Excrementum, quod similiter nondum Alimentum corrumpendo, Partem magis magisque lædet, unde *Catarrhus Habitualis*, seu perennis Catarrhi scaturigo, ut in *Phthisi* manifestum est, *de quo infrà*.

*Causa* ergò *Proxima* est Irritatio quædam molesta, ubi sunt Glandulæ; sive Irritatio *ista* fiat à *Fermento* exotico, sive ab aliâ Causâ, perinde est: v. g. si Fermentum aliquod exoticum in Parte relictum eandem affligit; nam mox in Glandulis vicinis copiosæ Lymphæ effusio, & consequenter Catarrhus, producitur.

*Causa Remota*, & quidem *Materialis irritans*, & *nunc* saltim Sensum, *nunc* Spiritum Insitum magis afficiens, utut sit varia, tam *Externa*, quàm *Interna*, speciatim tamen est *Acidum acre*, vel *Salso-acidum acre*, quod Occasionem dictæ catarrhali Defluxioni subministrat atque infert. Non est excludenda hîc *Causa Efficiens Formalis*, quæ est Spiritus impetum faciens, & occasione istius Irritationis catarrhalem Lymphæ Excretionem efficiens.

*Causæ Externæ*, quæ irritant Partes & Loca glanduloſa, Occasionemque subministrant Catarrhis, sunt speciatim *Aëris injuriæ*, inspirati nempe vitia, ratione cujus evenit subinde, ut *Epidemici* fiant *Catarrhi*, iique nunc cum, nunc absque *Malignitate*; sicut ex eâdem ratione Febres Malignæ Catarrhales Epidemicæ observatæ frequentiùs fuerunt, hyberno tempore communissimæ. Epidemici hi Catarrhi ab Aëre inspirato originem ducunt duplici modo; quatenus *Externa* Inspirata *partem* Lympham ac Serum *inquinant*, & præternaturali ejus Alterationi occasionem præbent; *partim* quoque, quatenus *irritant* Loca, per quæ transeunt, Nares, Fauces, &c. unde ibidem Lymphæ vitiatæ, seu catarrhalis uberior in dictis locis fit Excretio. Sæpiùs tamen sine vitio Aëris epidemico etiam ex aliâ ratione Aër vitiosus Catarrhis Occasionem præbet. Quô ii pertinent, quando cum Aëre *Fumi acres metallici & mercuriales* inspirantur in Laboratoriis Chymicorum & Aurifabrorum, quorum acidum Gas & Particulæ acres acidæ Membranas Narium, Faucium, Laryngis, & sub his reconditas Glandulas copiosas, continuâ irritatione ad Fibrarum contracturam & copiosam Lymphæ Excretionem stimulant, quin & ipsam Lympham non rarò vitiant, ut acrimoniam acidam, spissiorem, aut alio modo vitiatam qualitatem, acquirat: Sic *Frigus* pariter *externum* Aëre mediante vehementiùs aut diutiùs hausſtum similiter has Partes lædit, easque ad Catarrhales Defluxiones disponit: Similiter, quando nos ex inclementiâ Aëris autumnalis & hyberni, Raucedo, Tussis & Coryza affligit, qua ab Aëre extrinsecùs inspirato dicta loca irritantur, unde Sternutationes, Tusses &c. non secus atque in Sternutatione acrimoniâ Inspiratorum irritantur Narium Membranæ & Vasa Lymphatica excretoria, ut exinde Lympha copiosa, subinde Muco crasso impregnata, profluat. Imò si Nares vel vicina loca ab aliâ præternaturali Causâ irritentur, idem omninò evenire solet; sive enim Aër

inſpiratus, ſive Pulveres Sternutatorii vellicent Nares, idem eſt: v. gr. ſi Solutionis Vitrioli, in ſpecie Veneris, aliquot guttæ inſpirentur Naribus, ſic Lympha copioſa deſtillabit, & habetur Coryza Artificialis, Hemicrania iſtius lateris &c., acrimoniâ autem illius Solutionis roduntur Membranæ Narium ſuperiores, unde Lympha copioſa deſtillare ſolet. Jam Læſio hæc & Irritatio interdum eò uſque procedit, ut etiam *Alimentum*, ſeu *Nutrimentum* Partis læſæ proximum exinde vitiosè alteratum appoſitioni fiat ineptum, adeò ut ſub formâ Muci craſſi, ſpiſſi, varii coloris & conſiſtentiæ, unà cum Lymphâ non rarò excernatur. Porrò non rarò Frigus externum etiam poſt Corporis inſignem Æſtum aut nimium Motum nudo Capite exceptum, aut pleno Ore hauſtum, promptiſſimè ad Catarrhos diſponit; Tunc enim ex improviſo ſiſtitur *inſenſibilis Tranſpiratio*, quia ſubitò clauſis Poris Tranſpiratio coërcetur, & id, quod inſenſibiliter aliàs exhalare deberet, in Lymphâm quodammodò ſpiſſatur; Unde cùm Salibus acribus ſit præditum omne id, quod tranſpirare debet, (uti patet ex Sudore) talis Lympha aſperior ſeu acrior & ſalſior redditur, quæ copioſiùs per Glandulas Capitis imprimis, emulcta, aut hinc inde depoſita, Catarrhos hinc ſuggerit.

Hæc de Cauſis Externis.

*Cauſæ Efficientes Internæ*, quæ Loca glanduloſa irritando, & Partem quandam lædendo, & ita ad Catarrhos diſponunt, ſunt duæ:

1. Eſt *in ipsâ Parte*.
2. Eſt *in ipſo Sero* ſeu *Lymphâ effusâ*, quæ acrior irritando Partes facit, ut ſucceſſivo efflux[u] Catarrhus fiat.

Quoad *priorem*; *in ipsâ Parte* quidem Cauſa Catarrhorum hæret, quando aliquid præternaturale, utplurimùm *Acre*, ex Digeſtione privatâ læsâ in Parte quâdam enatum, & ſucceſſivè congeſtum, pertinaciùs in eâdem hæſerit, & quaſi *Fermentum*, in ſpecie acidum ſalſum, Senſum moleſtum Parti intulerit, unde occaſione talis Irritationis ſub Digeſtione particulari copioſior ex Loco vicino Lympha eò effunditur, & ita conſequenter Catarrhus excitatur. *Hujus Exemplum* ſit *Character Phthiſeos hæreditarius*, ſucceſſivè *Phthiſin Catarrhalem* inferens; vel acidum illud Fermentum circa Dentium vitiatorum radices hærens, Dolori, Tumori, ac ſimilibus Pathematibus Catarrhalibus occaſionem præbens. *Lympha* ipſa verò Cauſa Catarrhi eſt, quando eadem præternaturali *Acrimoniâ acido-ſalsâ* affecta eſt, dum per Partes diſtribuitur, eas irritat, ac neceſſariò Dolorem commovet, & ita ad uberiorem ſui Excretionem ſtimulat. Ut res per Exemplum ſit evidens, obſervandum eſt, quòd ſub Laboribus Chymicis Gas acidum Sulphuris vel Antimonii inſpiratum irritet Laryngem, ac *Tuſſim*, & ex Lymphæ præternaturalis effuſione *Raucedinem*, tandem *Screatum* copioſum, inferat, & hoc eſt, quod *Catarrhus à Causâ Externâ* dicitur. Quòd ſi ex iſtâ occaſione Larynx & Pulmo graviter læſi fuerint, ita ut ſub Nutritione, ex deficientiâ Spiritûs Inſiti, Alimentum proximum debitè aſſimilari nequeat, ſed iſtud plùs minùs ſubinde depravetur, occaſione natæ inde moleſtiæ & Irritationis ſæpiùs recidivans Tuſſis aut Raucedo excitatur, & ſic Catarrhus ex *Causâ Internâ*, Digeſtionis nempe depravatæ errato, excitabitur. Facilè enim fit, ut evaneſcente licèt Malo, in dictis locis remaneant reliquiæ ex dictâ Digeſtione depravatâ, quæ ſucceſſivè evigilando Irritationem faciunt, ut ſuperveniat nova Effluxio Lymphæ catarrhalis: ſicuti v. gr. poſt Curam Ulcerum tantillum Fermenti Ulceris relicti infert novum Ulcus; ita etiam, ſi in Glanduloſis partibus ex Catarrhis remaneat tantillum Fermenti, quo depravatur Digeſtio, fit deinde gravis Lymphæ Effluxus; unde dicuntur *Catarrhi Accidentales & Habituales*. Quòd ſi verò Lympha, naturaliter aliàs humectans Laryngem, citra occaſionem talem datam, in ſe acrior, ſalſior & acidior fuerit, hoc ipſo Laryngem vellicando ſucceſſivè Tuſſim, Raucedinem, Sputum copioſum, & tandem *Phthiſin Catarrhalem* ſic dictam inferet. Par ratio eſt cum Oculo: Feſtuca Oculo illapſa Dolorem, Calorem, Tumorem, & copioſæ Lymphæ continuam Effuſionem infert, quæ Mala à Causâ Externâ nata, quaſi *Catarrhum Oculi* repræſentant. Quæ Pathemata ſi ab Internâ oriantur Causâ, ſeu ſponte ſuperveniant, dicuntur Catarrhi, ſi ſcilicet talis quaſi quædam Feſtuca à Variolis Oculis infixa manſerit, cujus occaſione crebrior *Recidiva Catarrhi* excitabitur: v. gr. ſi in Scorbuticis acrior Lympha Oculum, utpote teneriorem, forſan læſerit, dicta ſuperveniunt Symptomata, quæ conſtituunt Catarrhum vitio Lymphæ enatum. Quòd ſi verò talia Pathemata poſt Variolas in Oculis ſuperveniant, ex Fermento præternaturali in Palpebris hærente, & ibidem Digeſtionem propriam vitiante, & hinc Oculi continuâ Irritatione, iſta Symptomata cum crebriori Recidivâ inficiente, eſt Catarrhus natus *ex particulari Partis vitio*.

Ut preſſiùs examinemus has *Cauſas*, Catarrhus, qui ex ipſius Partis, ejuſque privatæ Digeſtionis læſione oritur, ſupervenire ſolet, quando Pars quædam vel à Violentiâ Externâ, vel à quacumque Causâ Interna lædatur, ut ita Spiritus Inſitus ſeu Archeus debilitetur; ex tali enim occaſione, Digeſtione particulari deficiente, Catharri crebriùs recidivantes ſuperveniunt: vid. hîc præter Helmontium *Tractatu Catarrh. Deliramenta*, imprimis Petrus Johannes Faber *in ſuâ Patholog.* Inter *Cauſas* aliàs ad Lymphæ vitia *diſponentes* imprimis conſideranda vitiata *Stomachi Digeſtio*, dum nempe Ventriculus impotens non ſufficiens eſt digerendis & coquendis Ingeſtis (propterea Senes imprimis obnoxii ſunt Catarrhis propter Digeſtionem primam ſucceſſivè deficientem), ſive quòd ejus *Fermentum* ſit nimis iners & debilitatum, ſive quòd ipſa *Aſſumpta*, imprimis potulenta copioſè nimis aſſumpta, ejus vim infringant; unde locum invenit hîc vulgatum illud: *Potulenta generant fluenta*. Idque tunc imprimis, quando accedit *pauca Urinæ excretio*, aut imminuitur inſenſibilis *Tranſpiratio*, vel ſenſilis *Sudatio*: Hinc etiam propter *Frigus Aëris* ambientis, & imminutâ inſenſibili Tranſpiratione, *frequentiores in Hyeme ſunt Catarrhi*, quàm aliis Anni temporibus. Ventriculus ergò in iſto caſu colliquat potiùs, quàm reverà concoquit Aſſumpta, Chylum facit aquoſum nimis & vitioſè acidum, aut etiam vitioſè ſalſum; unde Sanguis aut ipſe aquoſior & acrior generatur, inde & neceſſariò etiam tandem Lympha in quibuſvis Glandulis elaborata ſimul vitiatur. Unde & *Tabem* ex acrimoniâ Sanguinis ordinariò aut præcedunt aut concomitantur *Raucedines*, *Tuſſes*, *Coryzæ*, ſimileſque ex acrimoniâ Lymphæ orti Affectus; unde Veteres erroneè *Tabes iſtas à Deſtillationibus à Capite* oriri voluerunt ob falſum fundamentum, Raucedinem, Tuſſim & Coryzam ex Capite originem habere, cùm reverà ex Glandulis particularibus Locorum affectorum, & Lymphâ acri ſalsâ ſuâ acrimoniâ dicta Loca irritante, aut exulcerante & ad Phthiſin diſponente, Tabes & dicti Catharri derivandi ſint. Sed quoad alia Subjecta, in ſpecie

*Scorbu-*

*Scorbutici* obnoxii sunt acribus & corrosivis Catarrhis vitio Stomachi, & inde inquinatione totius Massæ Sanguineæ & Seri ortis, unde etiam Lympha Salivalis Scorbuticorum adeò salsa, acris & acida est, ut Gingivarum Fibras erodere, eas flaccidas reddere, & hinc omninò exedere soleat. Unde & aliarum Glandularum, tam Conglomeratarum quàm Conglobatarum, Lympha similiter malè affecta necessariò non rarò Catarrhos ac *Febres* dabit *Catarrhales*, plùs minùs lentas, & plùs minùs intensas; quæ originem ducunt à Lymphæ vitio, quæ Sanguini infusa naturalem Fermentationem turbat, & ad præternaturalem Effervescentiam disponit.

Jam quoad *Differentias Catarrhorum*: Catarrhus omnis ratione modi affligendi potest distingui in *Accidentalem* & *Habitualem*. Ille est, qui ex improviso, & quasi fortuito casu, vel ex incidentiâ, Parti supervenit, & ejus Spiritum Insitum afficit, adeòque facilè delebilis existit, & ferè Occasione externâ propullulat, verbi gratiâ Raucedo & Tussis ex nimis diuturnâ Concione; Lympha enim, quæ naturaliter Fauces irrorat, si sit acrior, acida & similis, & acrimoniâ suâ Fauces dolorosè irritat, tunc majoris Lymphæ sequitur Effluxus & major Catarrhus. Hinc ex tali Causâ supervenit Phthisis Catarrhalis, quatenus sc. talis Lympha Fauces ad Tussim, & ex hac Phlogoses &c. disponit, donec tandem Phthisis Catarrhalis inferatur. *Habitualis* est, qui sæpiùs in eodem Loco graviùs recrudescit seu recidivat, & successivè Spiritum Insitum graviter labefactat, ac vel levi Occasione datâ repetit, & nunc ex vitio Hæreditario, nunc Contentorum notabili Dyscrasiâ supervenit, & ita firmiter in Parte radicatam Causam aut Occasionem innuit. *Causa crebrioris Catarrhi Recidivantis, seu Habitualis* est partim Loci semel affecti *læsus Tonus*, ex Spiritûs Insiti deficientiâ, unde Fibræ ex læso Tono laxantur, adeòque ex læso Tono facilis Lymphæ copiosioris quocunque modo restitutæ receptio: quibus accedit & Glandularum læsus Tonus, quæ exinde spongiosiores & tumidiores factæ faciliùs Lympham præternaturali modo effundi faciunt: partim verò est *remanens Fermentum* præternaturale in Glandulis & Locis plùs minùs vicinis ex Digestione privatâ læsâ enatum, quod plùs minùs commotum & exasperatum, irritando istas Partes sensiles, Catarrhum in eodem Loco sæpiùs provocat, & recrudescere facit. Non secus enim ac simile tale Fermentum in Loco quodam exulcerato relictum crebriùs Ulcus recidivare facit; ita simili ratione Fermentum præternaturale acido-acre in quâdam Parte relictum, ob id Topicum dictum, crebriùs Ulcus recidivare facit; Unde & Vulgus per experientiam edoctus dicit: *Catarrhi ubi semel alicui obveniunt, sæpiùs redire solent*; idque, ut dixi, propter Partis Robur læsum aut inæquale, ut Helmontius scitè explicat, idque aut propter Atoniam ejus, aut propter Spiritûs Insiti aliqualem defectum, indeque Digestionem læsam.

Porrò etiam Catarrhus, qui *cum sensibili Materiæ cujusdam Excretione* est conjunctus, sub duplici substantiâ Lymphæ extra Corpus solet fieri Excretio; nunc *tenuis aquosa* plùs minùs acris; nunc *crassiuscula, viscida*: Sub priori Schemate incedens dicitur *Catarrhus Tenuis, Salsus, Acris*, sub posteriori *Catarrhus Coctus & Crassus*. Hinc *Tempora Paroxysmi Catarrhalis* probè distinguenda sunt, pro quorum ratione Catarrhus nunc Tenuis, nunc Crassus dicitur: Nempe *in Principio* omnis Catarrhus, qua talis, solet esse plùs minùs Tenuis, seu Crudus, Salsus, Acris, successivè tandem evadit Crassus, Coctusque. Lympha nempe, quamdiu sincera fluxerit, eadem Tenuem seu Crudum pro Lymphæ ratione constituit Catarrhum. Dum verò diuturniore aut copiosiore Lymphæ Irritatione laxatur Pars, & successivè exasperatur, adeòque superficietenùs excoriatur, tunc Nutrimentum Partis læsæ proprium se associat, quæ Lympham anteà tenuem spissiorem, anteà acrem temperatam, dulcem, & quasi insipidam reddit: id quod fit *in Incremento & Statu Paroxysmi*: atque hoc *Materiam Coctam & incrassatam* appellare solent, cujus Excretione, & Partis læsæ spontaneâ restitutione, *Declinatio Paroxysmi* absolvitur.

Tandem *ratione Qualitatis ipsius Lymphæ* effusæ, & Catarrhum inferentis hoc observatur, quod nunc *sit mitior*, seu insipida, dulcis, &c. idque rariùs; interdum, idque frequentiùs, eadem est *acris*, in specie acida, nunc acido salsa plùs minùs corrosiva, à qua Acrimonia Partes membranosæ Catarrho affectæ lædi & non nihil excoriari solent; unde mox dolent, insigniter rubent, & aliquid Inflammationis, plùs minùs tamen, patiuntur, ut v. g. in *Epiphorâ*, *Oculorumque Catharris* subinde est manifestum; Imò Partes affectæ perfectè exulcerantur, ut v. g. in Coryzâ diuturnâ, aut in Tussi diuturnâ observari solet; unde aut Narium Ozænæ aut Oris Exulcerationes Catarrhis aut diuturnioribus, aut frequentioribus succedunt.

Ab his ergò Symptomatibus seu Productis Catarrhi morbosis, nempè à Dolore, Rubore, Inflammatione &c. Differentia inter *Catarrhum* vulgò appellatum *Calidum* vel *Frigidum* explicanda; qui Catarrhi propriè non sunt tales, sed ab iisdem talia Symptomata inducuntur. Nam in Catarrhis à Lymphâ insipidâ, seu dulci, sæpiùs insimul præternaturaliter crassâ, uberiùs effusâ, aut cui mox copiosus Mucus adjungitur, *Catarrhus Frigidus* appellari solet; à Lymphâ verò acriori & corrosivâ Catarrhus si excitatus fuerit, propter excitatam Partium affectarum Phlogosin, *Catarrhus Calidus* dicitur.

Hæc ipsa, tantum non omnia, mutatis paucis mutandis, applicari etiam possunt ad *Catarrhum minùs propriè dictum*, ex Seri cum Sanguine infusione per Arterias, nunc *immediatè*, nunc *mediatè*, in *Lympham* mutati, sed ob Fibrarum aliqualem, ob Irritationem undecunque factam, strictiuram aliquali remorâ & in Parte plùs minùs coacervatione enatam, hincque Partis variam, tam ex læsione plùs minùs sensili, quàm Seri plùs minùs insipidi aut acris, parcioris vel copiosioris effusi Alterationem & Functionem læsam. Sic enim *ex Refrigeratione* Partis cujusdam *nocturnâ* post aliqualem Sudationem, mane in variis Partibus musculosis, in Scapulis, Brachiis, circa Femora & similia, &c. Dolor plùs minùs sensilis, Catarrho adscriptus percipitur. Vulgò dicitur Catarrhus, quod non verum est, sed, ut sæpissimè evenit, quòd sub quiete noctu Membra denudantur, aut Aëri externo exponuntur, aut non nihil madido Aëri liberiori committuntur, tunc ex impeditâ Transpiratione Dolor talis solet percipi: Nempe *subito clausis Poris*, id quod insensibiliter aliàs exhalare deberet, in Lympham acrem spissatur; unde interstitiis Musculorum dissentis talia Pathemata ex Partis irritatione varia superveniunt. Sic *ex Seri scorbutici* in Loco quodam, speciatim in Pedibus, factâ Irritatione, & hinc dolorosâ Alteratione, *Dolores Lancinantes & Lacerantes*, præsertim *nocturni*, qui Catarrhis tribuuntur, oriuntur: Sic pariter *ex Dentium Irritatione & Dolore*, & hinc Fibrarum strictiirâ natus Tumor Maxillæ Serosus, itidem Catarrho tribuitur: Ex Sero parlò acriori

acriori *Pleuram* fortuitò irritante natus *Dolor in Pleureſi Nothâ*, Catarrhis quoque tribuitur.

*Cauſas hi Catarrhi Nothi* agnoſcunt eaſdem, quas illi ſuprà dicti Catarrhi: Nam quoad *Materialem*, Serum *vel immediatè* ex Arteriis cum Sanguine elapſum, *vel mediatè* in Lympham priùs commutatum, hanc conſtituit: Quoad *Cauſam Efficientem Occaſionalem*, inſequuntur Læſionem irritatam; *vel ex Occaſione externâ*, præſertim Refrigeratione Partis, v. g. poſt Sudorem; *vel ex ipſius Seri* pro materiâ Lymphæ diſtributæ acrioris, in ſpecie acido-ſalſi, partes nervoſas aut membranoſas vellicantis; *vel Habituali in Malo ex vitioſo Fermento* ob læſam Digeſtionem privatam, Spiritûs Inſiti vitio collabefactatam, nato, quod datâ occaſione quâvis excitatum, ex Irritatione tanquam Spinâ inſixâ *Catarrhales Affectus* infert. Per Catarrhales tales Defluxiones ipſæ Glandulæ, per quas fit Lymphæ vitiatæ tranſitus, non leviter læduntur, quia earum Tonus interdum inſigniter laxatur, ipſæque exinde promtiores fiunt, ut ſæpiùs & copioſiùs Lympham vitiatam tranſmittant. Unde ex robore Glandularum læſarum ad alias Glandulas inæquali, faciliùs & ſæpiùs ex internâ Cauſâ natâ Catarrhi unam eandemque Partem poſtmodùm afficiunt, adeò ut ſæpiùs recurrere, & unam eandemque Partem afficere deprehendantur.

Tandem *pro varietate Partium affectarum*, in quibus fit Lymphæ Effuſio & inepta Diſtributio, etiam Catarrhus variis ſpecialibus Nominibus inſigniri ſolet: Nam qui per Nares erumpit, ipſiſque vicinas partes infeſtat, dicitur *Coryza*; qui infeſtat Oculos, *Lippitudo* aut *Epiphora*, qui infeſtat Laryngem, ipſique annexam Aſperam Arteriam, eamque nimis humectat, *Branchus* ſeu *Raucedo*; qui acrimoniâ ſuâ nimiâ Membranam ejus continuò irritat & pungit, quaſique titillat, *Tuſſis Catarrhalis*, ut plurimùm tempore veſpertino affligens; qui verò alias partes, generali *Catarrhi* ſeu *Rheumatiſmi* à ῥέω *fluo*, vel *Defluxionis* nomine venire ſolet: Si Artus infeſtat Lympha vitiata, communiter dicitur *Catarrhus Frigidus*, *Catarrhus Externus*, &c. quo ipſo citra ſenſibilem Partis mutationem Dolor acerbus eandem excruciat, aut etiam Senſus ac Motus Partis hebeſcit, aut omninò tollitur, aut etiam Senſus quidam Formicationis percipitur. Quæ Symptomata ex tali Lymphâ acri nimis, ſæpiſſimè nimis acidâ, originem ducunt.

Denique interdum conjuncta eſſe ſolet cum Catarrhis *Febris plùs minùs acuta*, *Catarrhalis* ob id dicta, de qua *ſuprà Sect. 15. ubi de Febribus*, non tantùm in Catarrhis epidemicè affligentibus, ſed etiam in Catarrhis cæteris, inter unam alteramve perſonam obſervabilis; & eadem Febris nunc lenta plùs minùs, nunc magis vel minùs intenſa eſſe ſolet, prout magis vel minùs vitium Lymphæ, præſertim Glandularum Conglobatarum, Sanguini in Venâ Axillari ſiniſtrâ infuſæ, junctum fuerit; unde etiam ipſa *febrilis Efferveſcentia* aut major aut minor excitatur, & veſpertino tempore, aut nocturno præſertim, hæ ipſæ Febres exaſperantur & incrementum capiunt, & præcedentibus leviſſimis Horroribus & Dorſi Refrigerationibus momentaneis, ſubinde moleſtæ eſſe ſolent. In Senibus propter Spiritum Inſitum nimis deficientem difficillimè curantur.

Abſolvimus ſuperiùs Theoriam Catarrhorum, dicendo, quòd Materia ſit Lympha, Fontes ſint Glandulæ, Cauſa modò Interna Stomachi & Maſſæ Sanguineæ, modò externæ Læſiones. Sed ſi omnia hæc rectè conſideremus, manifeſtum evadit, omnem Catarrhi hactenus traditam doctrinam non tam *Morbum* ipſum, quàm *Productum morboſum* reſpicere, adeòque à poſteriori ſaltem rem declarare: Siquidem tam Lymphæ iſta ex Glandulis Conglomeratis Effuſio, quàm Seri plùs minùs vitioſi à Sanguine refluo ſeparati, aliqualis in Parte retentio, non niſi *Effectus ſunt ex conſequentiâ Læſionis* ejuſdem morboſæ in Parte iſta Catarrho obſeſsâ; ita ut & *in Theoriâ* ſeu fiendi modo primariò ad Læſionem iſtam & irritationem, ejuſque Cauſam, quam ſequitur Catarrhalis Influxio, & *in Praxi* ad Irritationis illius mitigationem & Læſionis correctionem, harumque Cauſarum remotionem, reſpiciendum ſit potiùs, quàm ad Catarrhi iſtius exſiccationem & diſcuſſionem. Iſtis enim deficientibus nunquam ruent Catarrhi; ſicut iiſdem ſublatis ſponte hi ipſi langueſcent & evaneſcent.

## DIAGNOSIS.

*Symptomata*, quæ inſequuntur Catarrhos, & inſtar Signorum Diagnoſticorum inſervire poſſunt, variant pro particulari Catarrhorum varietate.

*In genere* tamen frequentiùs Catarrhos præcedunt *gravitas Capitis*, *Senſuum* & Actionum animalium *torpor*, *Artuum laſſitudo*, ſupervenit ſucceſſivè *Refrigeratio* quædam in ſuperficie Corporis, in ſpecie & *Horripilatio Dorſi* levis, vaga tamen (*ac ſi Aquâ calidâ perfunderentur*:) Quin etiam obſervatum fuit in talibus, quòd imminente Catarrho *Urina* ſpumoſa, Circulum faciens, ſoleat emitti, quæ pro Signo imminentis Catarrhi habetur ab Hoefero *in Herc. Med. pag.* 30. ſicut aliàs *Corona in Urinis* apparens, quanquàm falsò, à Bartholino *in Hiſtor. Anatomicis* habetur pro Signo Capitis affecti.

Accedit à graviori Catarrho *Febricula* lenta, plùs minùs ſubinde, eaque imprimis veſpertino ac nocturno tempore, quo exacerbatur, & ad diluculum perdurat, cum qua noctu affligente Corpus inſigniter incaleſcit, interdiu autem Febre ſilente nunc Coryza & Lippitudo, *Tuſſis*, *Raucedo*, *Sputum copioſum*, nunc Dolores Artuum lancinantes, aliaque Symptomata pro ſpeciali Catarrhorum varietate varia, ſimul cum Febriculâ incrementum capiunt.

*Antecedentes Cauſæ* & ipſæ Catarrhi præſentiam facilè perſuadent, Frigus nempe exteriùs ſuſceptum, Refrigeratio Corporis poſt Exercitia, Tempus autumnale aut hyemale, & ſimiles Cauſæ Antecedentes appropinquantem Catarrhum Medico curioſo perſuadent.

Tandem ipſe *Catarrhus facilè ſenſibus obvius eſt*, idque imprimis, dum ſupervenientibus variis Excretis per Nares, Os, Fauces, & ſimilia loca ſecretis ſe prodit, vel quando horum defectu Dolor in quodam loco plùs minùs acerbus, utplurimùm interdiu intermittens, veſperi & noctu magis affligens, Ægrum cruciat: quibus ſpecialia, pro Catarrhorum ſpeciali Differentiâ, Signa accedunt, de quibus, ubi *de Speciebus Catarrhorum*. Huc pertinent Signa Tuſſis, Raucedinis.

Ante omnia autem conſideretur: *an nempe Catarrhus adſit ex Lymphâ tenui & acri? an verò inſipidâ & craſsâ?* qui per Excreta ſe ipſum prodit. Si enim peccaverit Lympha tenuis, acris, acido-ſalſa, tempore veſpertino & nocturno, dum pori Corporis magis connivent, magis affligit cum gravibus Symptomatibus; itemque parum vel nihil in Catarrho Tenui ſolet excerni per Emunctoria. Catarrhus verò ex Lymphâ craſsâ aut viſcidiore, aut cui Nutrimentum proximum in Mucum degenerans ſimul permiſtum eſt, æqualiter ferè omni tempore affligere,

affligere, & varia pro varietate translitûs Lymphæ ejici solent.

Intensiora porrò omnia sunt Symptomata *in Calido Catarrho*, contrà remissiora in eodem *Frigido* dicto: Robur, Ardor, Tumor, Dolor rodens plùs minùs, imprimis lancinans, cum majori vel minori corporis Phlogosi, quin & Excoriatio, aut tandem etiam superveniens Exulceratio Catarrhum Tenuem & Corrosivum, aliàs Calidum, seu ex Lymphâ acido-salsâ oriundum innuunt: si verò talia Symptomata deficiant, Lympha est mitis, & simul excernuntur Mucosa, Viscida & Crassa, vocatur Catarrhus Frigidus.

*Catarrhi Scorbuticorum* contumaces sunt, & præ cæteris crudeles, & licèt correcti videantur in uno loco, superstite tamen fomite in Massâ Sanguineâ, Lymphâ & Ventriculo, subinde in alio loco denuò scaturiunt.

In specie, quæ dicta sunt, magis Catarrhum ex Lymphæ vitio oriundum respiciunt; si verò Catarrhus est *ex proprio Partis vitio*, ejusque vitiatâ plùs minùs Digestione privatâ, hanc insinuat imprimis crebrior ejusdem in eodem Loco eodem modo Recidiva, levi etiam ex Causâ excitabilis. Item tales Tempestatum mutationes persentire, & aliquâ molestiâ, quam in Loco Catarrhis obnoxio persentiscunt, manifestari solent: id quod fit ob Partis debilitatem propter Spiritûs Insiti aliqualem defectum, qualis Pars debilis longè promptiùs alteratur ab Impressionibus externis, quàm Pars alia robusta iisdem magis resistens.

Cognoscendum est ulteriùs: *an ex Internâ sit Causâ Catarrhus*? an verò ab Externâ Partis Læsione originem Malum duxerit? *Externa Læsio* facilè patet, & ab ipso Ægro observari potest; sive ille versetur in Aëre frigido, sive hauriat copiosa Frigida, sive hauriat Fumos metallicos in Laboratoriis, sive ex aliâ sit Causâ; Hæc enim non latent Ægrum, nec postmodùm Medicum.

*Internè* verò Ventriculi Cruditas præcedens, & hanc insequens Sanguinis & Lymphæ vitium ferè ex eo cognoscitur, quòd Catarrhi sæpiùs recurrant: idque aut in eodem Loco, ubi Pars læsa ob vitiatum Tonum seu Robur inæquale faciliùs recipit & receptam promptiùs transmittit Lympham vitiatam; ut certè si non in eodem semper recurrunt Loco, saltem ex uno remoti Catarrhi promptè in vicino, aut Loco priori connexo, denuò se manifestant, & ita subinde repetitim accedunt.

Tandem quòd *Digestio Stomachi vitiata* Catarrhos ex Lymphæ & Sanguinis vitio natos foveat, patet non tantùm ex Urinis, quæ subinde pallidæ ac tenues conspici solent, sed etiam, quòd Ægri tales frequenter sint *sputatores*; id quod etiam observat Hoeferus *in Herc. Med. pag.* 30. & etiam, quòd non rarò multum & facilè sudare soleant, simulque de vitiis Stomachi subinde sint queruli, & quæ sunt similia Signa Antecedentia, quoad Causas: Vid. Helmontius *Tract. Catarrhor. Deliram. & Tract. Tussis & Asthma.* Membranæ per universum Corpus consentiunt, hinc ex Læsione Capitis totum Corpus Horripilationibus afficitur.

*Catarrhi Speciales* suo loco specialiter cognoscuntur.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: *Catarrhus à Causâ & læsione Externâ* proveniens adhuc recens minùs periculosus est, quàm qui *Internum* habet Fomitem, aut in quo propter Læsionem à Causâ Externâ Pars affecta ita est debilitata, ut particulari ejus vitio crebrò Catarrhus recidivare soleat, ac imprimis contumacissimi, facillimè recidivantes & pessimi ferè isti esse solent, qui à Scorbuto.

Deinde Catarrhus *sæpiùs in eodem loco recidivans* haud contemnendum Malum est, & crebriori Recidivâ Spiritus Insitus debilitatur, hinc propter Atoniam Partis & Robur inæquale facilè Malum habituale contrahere queat; hinc enim facilè illa Pars ad alios Morbos dilabi poterit.

In specie *si Laryngem* aut Asperam affligat Arteriam, ex eodem varii Pectoris Morbi, subinde etiam in Pulmonibus Phthises, ex Lymphâ acri in Catarrhosis in Pulmones derivatâ, oriri solent.

Si *crebrò Tussis* affligit à Causâ internâ Ægrotum, metus est, ne Mala Pulmoniaca, ver. gr. Vomica, vel Excoriatio Pulmonum, ac tandem Phthises Pulmonales superveniant.

Ulteriùs quò magis ingravescunt Catarrhi, *accedente Ætatis incremento*, eò periculosiores solent affligere.

Catarrhi seu Destillationes & Raucedines *peculiares magis sunt Senibus*, unde & ab Hippocrate *Sect.* 3. *Aphor.* 12. item *Sect.* 2. *Aphor.* 40. & Fontano *lib.* 2. *Cap.* 2. *Meth. cognoscendi Morbos p.* 43. inter Morbos Senum recensentur, in iisque graviores ac difficulter curabiles sunt, undecunque orti fuerint; partim quòd Digestiones quæcunque, imprimis prima Digestio in Stomacho, non ritè perficiantur; partim verò etiam eorum Glandulæ laxiores admodùm dispositæ sint ad Catarrhorum copiosas Recidivas; partim propter Partium Solidarum deficiens Robur ex Languore Spiritûs Insiti; partim propter Serum & Lympham in talibus acriorem & ferè acidiorem, ratione cujus acrimoniæ Regionum quarundam Incolis Catarrhi præ aliis graviores observantur, Tussesque ver. gr. Catarrhales frequentiùs in Erosionem Pulmonum & Phthisin degenerant, ut de Belgis Sylvius *Pr. l.* 1. *cap.* 49. §. 3. & 4. annotavit.

Catarrhi, qui ex Lymphæ motu non nihil impedito, vel aliâ ratione *Cerebrum inundant*, periculosi sunt; & uti Senibus sunt familiares, ita varia & funesta iis inferunt Symptomata, nempe Lethargica aut Paralytica aut alios Systematis nervosi Morbos. Nam Glandulas minutas Cerebri, in specie Plexum Choroideum, circa Lympham esse occupatas, & Structura earum, & Locus seu Situs sufficienter demonstrat; quin & reliquæ Cerebri Glandulæ, Pinealis, Pituitaria, &c. simile omninò officium obire videntur. Ab his ergò Lympha non ritè secreta, tam in quanto quàm in quali, & non ritè distributa, sed in Cerebrum deposita, istud inundat, & ita periculosa Capitis Symptomata infert.

Porrò minùs periculosus est Catarrhus, qui fluit per Nares, vel patulum Os; magis suspectus verò *qui Asperam Arteriam aut Laryngem* infestat.

In Catarrhis *cum sensibili Materiæ Excretione* conjunctis, quò citius in iis Materia cocta rejicitur, eò tutiores sunt, quia periculum est, ne ex graviore Læsione Partis, gravius Malum ipsi immineat. Quò tardius, eò periculosiores, quia metus subest, ne subsistens acrimoniâ suâ Partes corrodat, aut etiam exulceret, hinc prava inferat Symptomata.

## CURA.

His ita præmissis pergo ad *Curam* Catarrhorum, in qua semper *tria Capita* primaria sunt consideranda: nempe

1. *Causa Efficiens* remota.
2. Ipsa *Materia catarrhalis*, seu Lymphæ effusæ conditio;

Et

3. *Locus catarrhalis* seu Pars affecta, & major vel minor ipsi inducta *Læsio*.

Quoad I. Ratione *Causæ Efficientis* plùs minùs irritantis considerandum: an sit Catarrhus à Causâ Externâ? an à Causâ Internâ? & hæc, an sit Lymphæ vitium? an verò topicum Partis affectæ vitium.

Quoad II. *Materiam* scilicet *catarrhalem*, observandum: an ea plùs vel minùs acris, aut mitis, insipida, tenuior aut crassior extiterit?

III. Ratione *Partis affectæ* consideretur Præservatio, ne recidivent Catarrhi, in specie roborandæ eædem, & à Recidivâ præservandæ.

Catarrhus, qui *à Causâ externâ*, & læsione in specie *Aëris*, curatur, si percipitur in suo principio, sensum Irritationis tollendo, & ita Lymphæ affluxum præcavendo. Ob id in principio commodè *Opiata*, cum *Salibus volatilibus oleosis*, imprimis Succinatis, mista usurpentur, expectando si fieri potest, Sudorem. Instituantur etiam Suffitus Capitis & Oris, aut Verticis Inunctiones cum Oleis destillatis aromaticis. Nam Opium sensum tollit, & hinc Humorum motum sufflaminat; Salia volatilia vitia Lymphæ corrigunt, & per Diaphoresin poros aperiunt, vitium Partis topicum quasi abluunt; Externa ab ulteriori noxâ præservant. Si verò jam incrementum sumpsit Affectus, Opiata minùs tuta sunt, nisi Universalia præmissa fuerint. Usurpentur ergò Salia volatilia oleosa, & ubi Indicatio aut præsentia Materiæ peccantis adest, evacuetur, speciatim in Tussi & Stertore, per Os: quô factô, tutò Opiata vel sola, vel Appropriatis mista, denuò usurpari possunt. Si verò Catarrhus oriatur ex vitio Lymphæ peccantis, ipsiusque vitiosæ constitutionis, hæc ipsa vitiosa acris, salsa & acida, partes nerveas vellicans & rodens *Aromaticis* & *Volatilibus*, in specie Salibus volatilibus oleosis temperatis corrigenda, & nunc *per Urinam*, nunc, idque optimè *per Sudores* eliminanda. Eadem verò Lympha crassa vel Nutrimento Partis in Mucilaginem degenerato imprægnata, attenuanda, incidenda & resolvenda; ubi tamen observetur, modò Pars affecta sit restituta, sponte hæc rejicitur. *Fontes* verò ejus, imprimis Digestionis primæ vitia, & hæc sequens totius Massæ Sanguineæ corruptela, in specie ab Acrimoniâ salsâ emendanda: hinc Juniperina, Sassafrata ac Myrrhata, ferè primatum ducunt cum Exercitio moderato, idque imprimis extra Paroxysmum. In Paroxysmo verò Salia volatilia oleosa, Opiatis mista, propinentur. Nimirum, uti rectè monet Schneiderus, Materiæ, Causæ, & Loci ratio sedulò in Curâ Catarrhorum habenda.

Quòd si Catarrhales Affectus crebriùs recidivantes oriantur *ex vitio Partis* & Glandularum, aut obstructarum, aut alio modo læsarum, propter Digestionis privatæ læsiones, & propter reliquias quasi fermentativas in Parte affectâ; hæc ipsa ex Parte removeantur, & hinc Pars firmetur. Tales Catarrhos curant imprimis *Sudorifera*, Partium Sudores eluentia & abstergentia, item *Vesicatoria*, Loco affecto aut huic vicino applicata; aut si fieri potest, leni Suppuratione factâ per Abscessum contumax vitium removendum: v. g. *Tumor Catarrhosus Malæ*, crebriùs recurrens vitio Dentis, ex privatâ Digestione læsâ carioso, hujus evulsione radicitùs curatur; sin minùs, inustis Fonticulis talis Catarrhus palliativè curandus: sic v. g. *Tonsillarum Tumores* sæpiùs recurrunt catarrhali vitio, qui vix radicitus curantur, nisi factâ aliquando *Suppuratione* perfectâ, & inde nati Abscessûs legitimâ mundificatione, & ita vitii particularis correctione; hoc enim modo, quicquid heterogenei fermentativi Partem obsederit, removetur.

Pro his Scopis ritè obtinendis *Observandum* est:

I. *Remedia*, quæ hîc conveniunt, in genere videntur esse *Evacuantia*, quæ primum locum obtinent. Attendendum igitur est: *an*, & *quando*, & *quibus in casibus*, conveniant? *Per Alvum* quidem talia minùs in Catarrhis sunt commoda, quin potiùs feliciori & promptiori successu *per Urinam*, & hinc *per Sudorem* evacuando, Lymphæ augmentum tollatur; Unde *Diuretica*, & imprimis *Sudorifera* ex *Salibus volatilibus* ver. gr. Succini, Cornu Cervi, & imprimis Salia volatilia aromatica ex Succino, Myrrhâ, &c. ac hinc ex *Lignis Sudoriferis*, in specie ex Ligno Sassafras, erunt optima; In Catarrhis enim si Sudor moveatur, ipsorum insultus desinit. Ubi tamen Catarrhus fuerit contumacior, si magis universaliter plures Partes Corporis affliguntur, aut idem *ex Stomachi vitio* graviore dependeat, vel etiam Corpus impurum ostendat, subinde necesse est ad *Purgantia* progredi; Imò interdum in recidivante & contumaciore Malo, ex vitio Stomachi & Lymphæ orto, etiam ad *Vomitoria* pergendum suadent Prosper Martianus *in l. 4. Acut. l. 202.* & Riverius *in suâ Praxi*: id quod confirmat per Experientiam in *Centur. 2. Observ. 90.* ibi enim refert Catarrhum in Pulmones cum asperâ Tussi defluentem, cum insequenti gravi Dolore Capitis, qui tandem curatus fuit per Vomitum, per Masticationem Foliorum Tabaci procuratum.

II. In Catarrhis Chronicis & sæpiùs recurrentibus v. g. in Senibus, aut similibus Affectibus Catarrhalibus Scorbuticis recurrentibus, imprimis quando ex Seri vitio accidat, ac Partes nerveas magis afflixerit, semper *ante Novilunia*, interdum & *ante Plenilunia*, vel *Evacuantia blanda appropriata*, vel à *Catarrhis* aliàs *Præservantia*, usurpanda sunt; cùm Affectus à Lymphâ oriundi, & Partes nervosas affligentes subinde Lunæ motibus auscultare soleant. Inter hæc Remedia eminent *Succinata*, *Myrrhata*, Sperma ceti, *Juniperina*, & similia temperata *Oleosa* quasi *Balsamica*, Lympham seu Serum corrigentia, & Partes læsas roborantia.

III. In *Catarrhis Calidis* dictis, aut à Lymphæ acrimoniâ vitiosâ, præsertim salsâ, vel acri, tenui, &c. à Causâ externâ, *Opiata* optimè prosunt præservativè, & in principio Morbi curativè; ac hinc Veteribus in tali casu, nempe Catarrho, ut vocant, Tenui, *Pilulæ de Cynoglossâ* fuerunt in usu, quas dixerunt inspissare Catarrhum Tenuem, edulcorare Catarrhum Acrem, ac refrigerare Catarrhum Calidum. Quarum Ingredientia cum nimis sint cruda, minùsque præparatis Narcoticis composita, v. g. Opio, Hyoscyamo crudo, & similibus, ob id in desuetudinem ferè abierunt, utut in Belgio adhuc usurpentur. Earum autem loco ferè Opiatis ritè paratis, ut Laudano Opiato & Hysterico, utimur, quibus Opiatis Catarrhus, *nocturnus* imprimis, optimè avertitur & curatur.

*Sola* tamen *Opiata* vix usurpanda: sed, uti jam monui, *Succinatis* & *Appropriatis* Catarrhalibus *Aromaticis* semper mista, nempe Succino, Sulphureis, Cephalicis, & similibus aliis, ut simul vitia Lymphæ corrigantur, & præsertim Diaphoresis auctior ab eorum usu expectetur. Decantat admodùm horum Opiatorum usum Helmontius *in Affect. Catarrhalibus Tract. Catarrhor. Deliram. Tussis & Asthma*; *Custos errans*, *& Jus Duumvirat.* §. 62. 64. 65. & inter alia felicem prædicat Ægrum, cujus auxiliator Medicus sciat lethalia à Papavere separare, retento auxilio excitatore potestatis in Duumviratu. Salutarem præterea quoque

que horum usum confirmat Experientia, cùm iisdem ex Modernorum consuetudine frequenter usus fuerit Riverius, qui *Cent.* 3. *Observat.* 15. observat Catarrhum contumacem cum Raucedine curatum per tria grana Laudani Opiati assumpta; item in eadem *Cent* 3. *Observat.* 60. refert Catarrhum diuturnum cum Tussi per duplicem usum gr. iij. Laudani Opiati curatum: & *eâdem Cent. Observat.* 74. Catarrhum ferinum cum variis Febrium complicationibus, præsertim per Laudanum Opiatum curatum, observat. Assumantur talia Opiata, cumprimis tempore vespertino sub introitum lecti, uti aliàs est consuetum; vel aliquot horis ante introitum lecti, aut etiam paulò antè, quando moveri solet Catarrhus; vel duabus horis ante cœnam, quod melius est, cum cœnâ parcâ & moderatâ. *Observandum tamen*, ne abutamur his ipsis suspendendo nempe & inhibendo catarrhalem motum, istis nempe in Casibus, quando catarrhali Influxione alius Morbus solvitur, vel quando Epidemius fuerit Affectus Catarrhalis, vel quando ad incrementum jam pervenerit Malum. In talibus Casibus non statim suspendenda Materia Catarrhi: Plus enim nocumenti aliàs contingit, nisi *Divertentibus*, *Sudoriferis*, *Diureticis* & similibus mista fuerint *Opiata*.

IV. *Chirurgia* in Catarrhorum Curâ ferè tacet, nisi in iis Corporibus interdum locum habeat, ubi Catarrhi à posteriori jam removendi, Causæ nempe ferè sunt incorrigibiles, aut ubi sunt admodùm contumaces, aut ubi sunt sæpiùs Recidivantes, aut ubi sunt similes Affectus vitio Lymphæ exorti admodùm contumaces. Tunc enim à posteriori, non à priori, radicem Catarrhi & Causam Efficientem non tollendo, sed Productum morbosum saltem removendo, deceptivum & palliativum *Fontanellarum* Remedium interdum est adhibendum, item *Vesicatoria*. Ista enim voluntaria Ulcera palliativè & à posteriori his tantùm Affectibus Catarrhalibus medentur, Aquam nempe exhauriunt, non autem Fontem ipsum, ne nimium Seri aut Lymphæ catarrhalis inundatio Partem debilitet, aut Tonum ejus nimiùm destruat. Productum morbosum eliminant, Causas verò ipsas radicales relinquunt. Ubi tamen à priori, vel Partis vitio topico, vel vitio Lymphæ, ex læsâ Digestione primâ dependente, Catarrhorum contumaciæ & crebriori Recidivæ semper Medicus Medicamentis occurrere nequit, per Fonticulum à posteriori ferociam ejus nonnihil mitigare intendat, subtrahendo scilicet hujus medio Laticem plùs minùs corruptum, & Cruorem in parvâ quidem, sed continuâ quantitate, quem cum vitioso Latice, nec non utili alimentitio Succo, in Pus corruptum emungit, & ita imminuendo Materiam catarrhalem, imprimis vitio cujusdam Partis sub Digestionis læsæ enatam, horum Insultus mitiores reddit. Per se enim totus Fonticulus ad eadem valet, ad quæ Vesicatoria; horumque Auxilia in Cruoris & Laticis seu Seri minutâ quidem, sed continuâ, exhaustione consistunt; adeòque à posteriori & palliativè tantùm iis propriè conferunt Affectibus, qui oriuntur à Scorbuto, qui à sordibus quibusdam vitio primæ Digestionis, aut vitio læsæ in Sanguine Fermentationis, aut vitio corrupti Seri in Massâ Sanguineâ enascuntur, aut vitio specialis cujusdam Partis sub Digestione propriâ deficientis, enascuntur, ita ut labes illa à priori propter Subjecti ineptitudinem radicitùs, v. g. vel ob Senium, vel in Mulieribus propter Mensium naturalem defectum, aut propter Characterem hæreditarium, fit incorrigibilis. *In talibus ergo Casibus* conveniunt Fonticuli in Nuchâ & Brachio, ut unà cum Sanguine & Nutrimento laudabili vel Sero, evacuetur simul id, quod est nocivum, & etiam, quia excrementitium omne per se Naturæ hostile ab OEconomia vitali est proscriptum, propterea istud facilè, imò faciliùs quàm utiles Succi, separatur, & ita per Fonticulos excernitur. Sicut interdum fit ut ipsa Natura hinc inde in quibusdam subjectis Cacochymicis *spontanea* facit in Partibus *Ulcera*, quæ clausa per Artem varios Morbos nec levia incommoda inferunt; denuò verò aperta ab aliis Malis se liberet, & Corpori sanitatem restituat: Vid. egregia hujus rei Exempla in Sculteto *in Observat.* 55. & 57. Et sanè id, quod Scultetus hîc observavit in Ulceribus spontaneis, interdum etiam in Fonticulis intempestivè occlusis observatum fuit. Præterea pertinent huc *Vesicatoria*, quando v. g. in Affectibus Catarrhalibus, in specie Oculorum, in Nuchâ excitantur Vesiculæ: ubi notum est, quòd hic Affectus in Oculo à priori non curetur, cùm non removeatur istud quod irritat Oculos. Jam verò cùm hoc à priori fieri nequeat, hinc ut saltem nimius Lymphæ affluxus inhibeatur, solemus applicare Vesicatoria in Nuchâ ac prope Aures, adeòque à posteriori mitigantur Symptomata: ac in specie conveniunt Fonticuli & Vesicatoria, quando oritur Catarrhus vitio Partis topico & Fermenti peregrini. Hactenus dicta declarabimms Exemplo: Notum est, qui patiuntur Cariem Dentium & crebriorem Odontalgiam facilè recidivantem, quòd simul patiantur sæpiùs Tumorem Malæ, tuncque dicunt: *Est catarrhus*: quod suo sensu verum est: Jam quicquid admovetur, sive sint Discutientia, Resolventia, Vesicatoria, &c. à posteriori saltem & palliativè medetur: Radicalis enim Cura consistit in Evulsione Dentis, quia Partis adest vitium topicum, quo evulso omnia Symptomata cessant. Quòd si ergò Dens evellatur, à priori curatur; Sin verò hoc nequeam præstare in Oculo, palliativè saltem, & à posteriori Fonticulis & Vesicatoriis Ægro succurrendum est.

V. Quoad *Venæ sectionem*, negotium hoc per se locum non invenit: *Sin verò Subjectum sit Plethoricum*, aut consueta Sanguinis Evacuatio suppressa, &c. quibus & aliis similibus Occasionibus intenderetur Affectus Catarrhalis, consultum est, Venam secare observando *Revulsionum* & *Aversionum regulas*. Quin etiam, cùm confertim nimis fit Decubitus catarrhalis in quandam nobiliorem Partem, ad impetum istum refrenandum Venæ sectio in loco opposito, secundùm Revulsionem & Aversionem instituta, subinde solet in Praxi admodùm esse proficua: vid. Hercules Saxonia *Prælect. Pract. P.* 1. *pag.* 58. & 60. & Julius Cæsar Claudinus *de Catarrhis*. Si Tumor Capitis ex Odontalgia, oppositio in Brachio secatur Vena. Per se autem & primariò non convenit, sed tantùm pro Scopo Ventilatorio.

Jam pergo ad *Remedia Interna*: inter quæ (1.) primatum obtinent *Opiata*, Causæ Efficientis activitatem non nihil tollentia; hinc (2.) Remedia vel *Sudorifera*, in specie Aromatica & hinc Volatilia, quæ Partes eluunt, earundem sordes mediante Sero commodè abstergunt, ac ipsum Serum simul corrigunt ac minuunt; tandemque (3.) *Aromatica* vel *Balsamica* quæ tam fomitem ipsum Lymphæ vitiosæ in Stomacho corrigunt & emendant, quàm Partes solidas læsas denuò restituunt & roborant, sunt utilissima in Paroxysmis Catarrhalibus. Hæc ipsa enim Indicationibus suprà factis maximam partem satisfaciunt.

Observatâ ergò legitimâ Medendi Methodo, Remedia *Simplicia* in Affectibus Catarrhalibus usitatiora,

tiora, magiſque appropriata, & imprimis Catarrhis à Causâ Internâ enatis ſuccurrentia, ſunt *Serpillum*, quod eſt ſingulare Catarrhale, quodque ut dicit Lindanus ſimul corrigit Stomachum, & ita Antecedentes Cauſas removet; porrò *Satureja*, *Thymus*, *Majorana*, *Mentha*, *Hyſſopus*, *Betonica*, *Salvia*, præſertim *Roſmarinus*, horum Flores, & omnia ex eodem præparata Remedia, *Flores* Lavendulæ, Liliorum convallium, *Lignum* Saſſafras, & omnia Saſſafrata, Guajacum, Lignum Lentiſcinum, Lignum Juniperinum, & ſimilia Ligna, quæ communia Decocta Sudorifera ingrediuntur: Quin & *Baccæ Juniperi*, & omnia Juniperina, & ex earum Baccis paratum Rob, *Decoctum Ligni*, *Malvaticum Juniperinum &c.* Macis, Acorus verus & adulterinus, Zedoaria, Cinnamomum, &c. & ſimilia uſitatiſſimè uſurpantur: quibus *Succinum*, quod inſtar omnium eſt, in Affectibus Catarrhalibus; Succinum Catarrhale, & quælibet *Succinata*: *Myrrha* quoque, Extractum Myrrhæ, quæ egregia ſunt: Tandem *Sulphur*, & omnia Sulphurea temperata, *Cinnabaris* tam nativa, quàm antimonialis: *Salia volatilia*, tam *ſimplicia* quàm *oleoſa*, *Opiata*, &c. proſunt; & denique omnia ex & cum eo parata Remedia aliis addenda ſunt. Quoad *Saſſafras Lignum*, imprimis egregium præ omnibus eſt ad Catarrhos Remedium, adeò, ut etiam propterea à Brunnero *in ſuis Conſil.* proprium Catarrhorum vocetur Alexipharmacum; Sal enim aromaticum habet nobile, odorem & ſaporem fœniculatum, ideò vocatur & Lignum Fœniculare. Corrigit optimè Seri & Lymphæ vitia, tam acidam quàm ſalſam, propterea que eam ſimul per Urinam & Sudores evacuat, abſtergit vitia Partium topica, & noxas eis inductas eludit, ſimulque Digeſtioni primæ ſuccurrit; nobile enim eſt Stomachicum. Unde commune Decoctum Ligni Saſſafras & Eſſentia Ligni Saſſafras, vel Tinctura Saſſafras *Mynſichtii*, egregium eſt Remedium ad ſiſtendos & curandos Catarrhos, cochleatim uſurpata, expectato blando Sudore: vid. Mynſichtius *in Armam.* quoad Tincturam Ligni Saſſafras *pag.* 52. Pertinet huc etiam *Eſſentia Catarrhalis D. Michaëlis*, quæ paratur ex *Ligno Saſſafras* cum *Spiritu Serpilli*; ſiquidem *Serpillum* & ipſum decantatum Simplex eſt contra Catarrhales Affectus, unde etiam Aquam ſuam *Benedictam Serpilli* tantoperè commendat Mynſichtius *in Armament.* quæ nobilis Præparatio ejus eſt: nempe

℞. *Summ. Serpill. campeſtr. rec.* qu. pl.
Hiſque collectis ante ortum Solis dum nocturno rore adhuc madent, affundatur
*Vini Malv.* q. ſ. ut tres vel quatuor præterpr. digitos emineat. Digerantur per dies & noctes quatuordecim in Balneo Mariæ vel Arenâ; hinc deſtilletur per Balneum moderato igne *Aqua* ſaltē ſpirituoſa, quæ denuò affundatur *recentibus Serpelli Sumitatibus eodem modò collectis*, ac denuò dicto modo digerantur ac deſtillentur, quæ aliquoties ab alio *Serpillo* cohobetur, idque, quò fit ſæpiùs, eò Aqua fit efficacior, & magis ſpirituoſa evadit. Tandē hæc ipſa *Aqua ſeu Spiritus Serpilli* affunditur *Raſuræ Ligni Saſſafras*, & debitè digeruntur, donec egregiè imprægnetur à Saſſafras, & egregiè rubeſcat; hinc ad uſum ſervatur.

Doſis hujus Tincturæ, prout magis vel minùs ſpirituoſa fuerit Aqua Serpilli, ad gutt. vj. vel lx. aut ſi debilius fuerit Menſtruum, cochl. j. poteſt propinari, idque mane, meridie & veſperi, vel etiam urgente neceſſitate quocunque tempore.

Pertinet huc *Aqua iſta contra Catarrhos* deſcripta ab Hoffmanno *in Clave in annex. Theſ. pag.* 6. Cujus Aquæ, nec non Benedictæ, doſis cochl. j. ad ij. nunc mane, nunc meridie, nunc veſperi, vel quocunque alio tempore, propinari poteſt, eſtque egregium Præſervativum & Curativum in Catarrhis, quæ Lymphæ vitia quæcunque corrigit & emendat; ut taceam vim ejus præſervativam ab Apoplexiâ in Senibus, & Curationem in Vertigine.

*In Catarrho Scorbutico* miſcenda ſunt Remedia *Saſſafrata* cum *Summitatibus Pini* recentibus, ut unà decoquantur. In tali caſu commodè miſcetur hæc Tinctura Ligni Saſſafras cum Remediis ex Abiete albâ, Eſſentiâ Pini balſamicâ, & erit egregium Remedium contra Catarrhum Scorbuticum, imprimis ſi ſimul immineat Paralyſis Notha ſeu Scorbutica; aut *Decoctum utriuſque Simplicis* fructuosè uſurpatur. Eſſentia *Pini* cum Spiritu proprio paratur, quæ in Affectibus Catarrhalibus à Lymphâ ſcorbuticâ orundis inſtar omnium eſt, ſpeciatim ſi cum Catarrho Scorbutico Paralyſis Scorbutica vel Notha velit imminere, vel conjuncta ſit. Strobuli enim tenelli Pinaſtri, Germanicè *vonkuffern*, ſunt ſingulariſſimum in Catarrhis Scorbuticis. Colligantur Coni ſeu Strobuli dicti Pini, vel Abietis juniores in fine Martii, & initio Aprilis, & coqu. in Aqu. ſimpl. ſeu Cerevisiâ: Poſtmodùm ℥iij. vel iv. bibendæ ante paſtum. Juxta Remedia ex Ligno Saſſafras ſubinde & aliorum *Lignorum Decocta* fructuosè uſurpari poſſunt, uti videri poteſt *in Obſervat.* Lotichii *lib.* 2. *cap.* 3. *Obſervat.* 2. *& lib.* 3. *cap.* 1. *Obſerv.* 1. *&* 6. ſicut & admodùm fructuoſus Decoctorum Lignorum uſus in Affectibus Catarrhalibus in Poterio *Cent.* 2. *Obſerv.* 71. *& Pharm. Spag. lib.* 1. *pag.* 331. *& pag.* 655. item Gabelchovero *in Obſervat.* qui etiam ſingulis Catarrhoſis *Decoctum Radicis Chinæ* contra Catarrhos fructuosè præſcribit. Alii non ſine ratione commendant *Decoctum Ligni Lentiſcini*, ex quo deſtillat *Maſtiche*: cùm igitur *Maſtiche* ſit nobile contra Catarrhos, nullum dubium eſt, quin Ligni Lentiſcini Decoctum æquè ſit egregium atque Lignum Saſſafras ad curandos Catarrhos: Cui tamen Ligno, ceu raro, potiùs *Decoctum Ligni Juniperi* poteſt ſubſtitui. Pertinet huc *Decoctum Sarſæparillæ* & Lignorum, quod vid. in *Colleg. Formular.* nec non *Decoctum Lignorum Diaphoreticum* Antiſcorbuticum, de quibus in *Colleg. Pharmaceut. in Schrœderi Pharm. Part.* 2.

Item

℞. *Raſur. Ligni Saſſafr.* ℥j.
*Viſc. Quercin.*
*Lentiſcin.* an. ℥vj.
*Fol. Beton.* M. j.
*Antimonii in pet. ligat.* ℔ß.
Coqu. in *Aqu. pluv.* Menſ. iv. in Balneo Mariæ ad conſumpt. ℔jß.
Colatura D. S.
Potio ſingularis contra Catarrhos.

Pertinet quoque *Decoctum Catarrhale* Mynſichtii *in Arm. pag.* 376. quod ex ſimilibus paratur. Aliàs non minùs, quàm Lignum Saſſafras, *Cortex Tamariſci* ad Curam Catarrhorum laudari ſolet; ſi ſc.

℞. *Cort. Tamariſ.* ℥vj.
coq. in.
*Aqu. ſimpl.* Menſ. vj.
ad remanentiam dimidiæ partis.

Hoc enim Decoctum vel ſolum uſurpatum ſæpiùs eſt contra Lymphæ quamcunque abundantiam, indeque Affectus Catarrhales quoſcunque optimum Remedium.

Faciunt etiam huc *Vina Medicata* ex Infuſione aut Decoctione iſtorum Simplicium Vegetabiliū parata

contra

contra Catarrhos, in ſpecie ex Raſurâ Ligni Saſſafras, additis aliis Aromaticis, ver. gr. Junipero & Roremarino qualia Sennertus *Pr. lib.* 1. *pag.* 712. habet: quæ inter eſt decantatum illud Paracelſi, quod pro baſi agnoſcit Radicem Caryophyllatæ & Acori adulterini:

℞. *Rad. Caryophyll.*
*Acori adult.* an. ℔ß.
*Summ. Majoran.*
*Flor. Samb.* an. M. iij.
*Euphraſ.* M. ij.
Infund. in *Vini* menſ. aliquot;
Stent ita per octiduum.

De hoc Vino omni mane jejuno ſtomacho, & veſperi ſub introitum lecti, capiatur hauſtus.

Vid. Hartmannus *Praxi Chymiatr. cap.* 21. Nam Paracelſus *in Conſiliis*, ubi proſtat Vinum & Electuarium, Radicem Acori aquatici & Caryophyllatæ ſingulariter commendat ad roborandum Caput, & ad præſervandum à quibuſcunque Defluxionibus Catarrhalibus: vid. etiam Poterius *Cent.* 3. *cap.* 68. Sic v. g. ſequens *Vinum Medicatum* admodùm laudat Lindanus in Curâ Catarrhorum, & ad Affectus Catarrhales chronicos, ſpeciatim Lymphæ & Stomachi vitio genitos:

℞. *Ligni Guajac.*
*Cort. Tamariſ.* an. ʒiij.
*Ligni Rhodii,*
*Saſſafr. gumm.* an. ʒij.
*Herb. Abſinth. vulg.* M. j.
*Scolopendr.*
*Lupul.* vel *Eupator.*
*Menthæ,*
*Hyſſopi* an. M. ß.
*Rad. Enul.*
*Cent. maj.*
*Zedoar.*
*Galang.*
*Cinnam.* an. ʒj.
*Vini* Menſ. iv.

Stent in Infuſo, & de hoc Infuſo ſemper ſumatur bonus hauſtus horâ unâ vel alterâ ante paſtum, in caſu quando vitia Catarrhi oriuntur ex vitio Lymphæ, aut ex vitio Digeſtionis primæ & Maſſæ Sanguineæ fuerint orti.

*Roſmarinus* nobile eſt Simplex in Catarrhis curandis; unde egregium eſt ſequens *Decoctum Catarrhale* modò laudati Lindani:

℞. *Raſ. Ligni Saſſafr.* ʒij.
*Rad. Caryophyll.* ʒi.
*Herb. Roriſmar. rec.* M. i.
*Vini generoſi* Menſ. ij.

Coqu. leni igne Vaſe benè clauſo in Balneo Mariæ horis 6. 7. vel 8. Hinc removeantur ab igne, ut refrigeſcant, & Colatura amara uſurpetur eodem modo vel inter cibandum, vel in lecto calidè, expectando blandum Sudorem.

Vinum eſt vilis compoſitionis, ſed egregiarum virtutum, & expertum in chronicis Catarrhalibus Affectibus. Decoctum fiat ſecundùm modum Zwelfferi: Vid. etiam Hartmanni *Praxis de Decoctis. Caryophyllatæ Radix*, dicit Lindanus, *admirabilis eſt in emendando Sanguine & confortando Ventriculo; unde ſibi expertiſſimum eſſe hoc Vinum & magnarum virtutum in curandis Catarrhis, cùm & Ventriculo ſuccurrat, & Sanguinem emendet, & in ſpecie Lymphæ vitia egregiè corrigat.*

Huc pertinet *Decoctum Catarrhale Michaëlis*:

℞. *Decocti Ligni Saſſafr.* cum ʒj. *Rad. Caryoph. par.* ℔iß.
cui ferventi infunde
*Com. Roriſmar.* M. iß.
*Flor. Papav. errat.* M. i.
Stent in Balneo Mariæ per aliquot horas. In fine leniter in Vaſe benè clauſo ebulliant:
Colatura D. S.

Potio Catarrhalis.

Vel

℞. *Herb. Hyſſopi,*
*Veron.*
*Scabioſ.*
*Summ. Serpill. floreſc. rec.* an. M. i.
*Flor. Anthos* M. ß.
Inciſa ebulliant in ſ. q. *Aqu. ſimpl.*
adde in medio Decoctionis
*Rad. Glycyrrhiz. raſæ* ʒj.
*Caric. pingu.* No. iij.
Colaturæ ℔j. adde
*Syr. Flor. Tunic.*
*Beton.* an. ʒj.
M. S. ut ſuprà.

Pertinet huc *Vinum Hadriani Papæ* dictum *contra Catarrhos* aliàs admodùm decantatum: *Vid. lib.* 1. *Prax.* Sennerti, *ubi de Catarrh. pag.* 712. Aliàs etiam ſunt egregiæ Eſſentiæ Lignorum compoſitæ; item Tinctura Coralliorum ſaſſafrata, ſeu cum Spiritu Ligni Saſſafras parata; item Eſſentia Florum Anthos, Eſſentia Salviæ, Eſſentia Serpilli, præ cæteris Eſſentia Succini, de qua poſtmodùm, Spiritus Serpilli, Liliorum convallium, Ceraſorum nigrorum & ſimilium.

Præter dicta Vegetabilia, ex iiſque paratas Eſſentias & Tincturas, &c. ulteriùs conveniunt Baccæ Juniperi, Malvaticum Juniperinum, & *Electuarium Paracelſi*, quod videb. in *ejuſdem Conſiliis.* Corpus eſt Rob Juniperi cum Aromatibus, egregium Remedium Stomachale & Anticatarrhale, tam præſervativum quàm curativum. Ac novi hoc Electuarium ab Amico paratum inſignium virium fuiſſe. Compoſitio Paracelſi non æquè ſuccedit propter Zingiber crudum nimium ingrediens, & quia nimia quantitas Sacchari additur, quod tamen non omnibus convenit: Condîtum contrà Zingiber eſt enervatum, quia Radix hæc priùs coquitur in Aquâ, quæ abjicitur. Optimè ergò ſequenti modo parari poteſt.

℞. *Bacc. Junip. contuſ.* ℔j.
Coquantur probè in *Vino*:
Decoctum inſpiſſa uſque ad conſiſtentiam Rob ſeu
Mellis craſſioris: Tum
℞. *Hujus Rob* ʒvj.
adde
*Pulv. Zingib.* ʒß.
*Acori veri*
*Macis* an. ʒij.
*Cubebar.* ʒj.

Cum ſ. q. *Sacchari* redige in conſiſtent. Electuarii.

Hoc in Vitro probè clauſo exponatur Soli pro ulteriore digeſtione, & habebitur optimum Electuarium Stomachale, poſt ſingulos paſtus aſſumendum: continuatur per duos menſes.

Doſis ʒj. ad ʒij. Egregium eſt in Apoplexiâ, Catarrhis, & Senibus, qui carent Digeſtione in Stomacho, & ita Catarrhi fomitem abſumit.

*Succinum*, & omnia ex Succino parata Remedia, interna & externa, ſumma ſunt Specifica contra Catarrhos: Sic Succinum ſolito modo præparatum, ſeu, quod melius, *Succinum Catarrhale* ad modum *D. Michaëlis* cum *Aquâ Serpilli ſpirituoſâ*, vel *Eſſentiâ Serpilli*, vel ſolitariò, vel *hujus* part. ij. cum part. j. *Cinnab. nativæ* præparatum, & largiter imbutum: quin imò Eſſentia Succini parata cum Spiritu Vini rectificatiſſimo (niſi enim probè fuerit rectificatus, extrahit nihil ex Succino)

cino) est appropriatum Remedium ad quæcunque vitia Lymphæ, quæ à guttis 20. vel 25. plùs minùs, prout magis vel minùs est spirituosa, propinatur: Vel fiat cum Spiritu Serpilli *Essentia Catarrhalis D. Michaëlis.* Item *Olea destillata* v. gr. Oleum Majoranæ, Oleum Succini, Rorismarini, vel pura, vel ex iis cum Saccharo parata Elæosaccharа, internè crebrò usurpantur: quin & Balsamus Sulphuris anisatus ad aliquot guttulas, vel ex hoc paratum Elæosaccharum, admodùm conducit in Catarrhis: Sal volatile Succini à gr. xij. ad ℈j. & Sal volatile Cornu Cervi adeòque ex iis paratus *Liquor Cornu Cervi succinatus*, maximè egregia sunt in Catarrhis per Sudorem curandis: v. g.

℞. *Spiritûs Cornu Cervi benè rectif. & proprio Sale vol. impræg.* ℔ß. vel ℥viij.
cui addantur
*Salis vol. Succ.* probè ab Oleo proprio liber. ʒiij.

Hæc mista per reiterata cohobia uniuntur in Liquorem, qui vocatur *Liquor Cornu Cervi succinatus.*

Egregium est Catarrhale, cujus gutt. xx. vel xxx. assumi possunt: aliàs egregium est Antepilepticum, imprimis Infantibus exhibitus.

Item *Spiritus Salis Ammoniaci succinatus* ex Sale Ammoniaco, Calce vivâ, Spiritu Vini, & Rasurâ Succini, per retortam factus itidem est egregius: idque eò magis, si affundatur Myrrha, & ita Essentia Catarrhalis elegans paretur. Ex Succino & Myrrhâ quoque cum Spiritu Salis Ammoniaci Essentia fieri potest; loco quorum etiam & alia *Salia volatilia*, *Spiritus Salis Ammoniaci anisatus*, *Balsamum Nervinum D. D. Schefferi*, *Poliatri Francof. Celeberrimi*, ex Sale volatili Cornu Cervi, Sale Ammoniaco, Oleo Macis & Spiritu Vini, &c. egregia sunt in his Affectibus, tam curativè Sudorem movendo, quàm præservativè Contenta Corporis alterando. Post Succinum est *Myrrha*, tam in substantiâ ad ℈ß. quàm ejusdem Essentia cum Spiritu Vini tartarisato, vel Essentia Salutis cum Tincturâ Tartari, aut etiam cum Spiritu Salis Ammoniaci vinoso parata (*Vino cremato seu adusto confecta*) Catarrhorum præservativum & curativum optimum est. Post hæc est *Sperma Ceti*, quod acres Catarrhos egregiè temperat, modò habeatur recens, & non rancidum; hoc namque & corrigit acrimoniam Lymphæ catarrhalis, & simul Lympham crassam & viscidam incîdit, resolvit, & ad expectorationem disponit; & sic utrique scopo mirè convenit. Addi possunt Olibanum, Mastiche, Benzoë & similia, quæ Lymphæ acrimoniam temperant, & substantiâ pingui noxas tollunt. Formulas dedi *suprà Sect. 14. Cap. 3. Artic. 3. ubi de Tussi*, ex Olibano, Succino, Laudano Opiato, &c. nam his sulphureis Subjectis optimè permiscetur Laudanum Opiatum. Faciunt huc *Pilulæ Montagnanæ* ad Catarrhos curandos & sistendos egregiæ: Compositio est hæc:

℞. *Myrrhæ*,
*Stor. calam.*
*Croci* an. ℈j.
*Opii* gr. xiv.

Cum *Syr. Rosar.* f. Pilulæ majores.

De quibus tres aut quinque accipiantur duabus horis post assumptam cœnam.

Quin & ipsum *Sulphur*, & ex eo parata quæcunque Remedia, Flores Sulphuris ritè parati, optimè conveniunt in curandis Catarrhis, si tam simpliciter in formâ siccâ ad ℈i. usurpentur, vel cum aliis misceantur, imprimis cum Succino, aut si ex his cum Extracto Enulæ Campanæ fiant Pilulæ Catarrhales, quas insigniter commendat Rhumelius *in Iatrochymiâ*; quàm in formâ liquidâ cum Oleo destillato Terebinthinæ, aut Succini aut Anthos, aut Baccarum Juniperi, aut Anisi, &c. in Balsamum Sulphuris redacti, Affectibus Catarrhalibus mirè resistit: vel fiat extempore Elæosaccharum Sulphuratum compositum non inelegans:

℔. *Olei destillati Succini* ℈i.
*Anthos.* ℈ß.
C. f. q. *Sacchari* (pro ℈i. Sacchari sumantur gutt. iii. Olei)
f. Elæosaccharum: adde
*Flor. Sulphuris* ℈i.
M. S.
Saccharum Catarrhale.

De quo capiat Æger mane & vesperi, & sub introitum lecti.

Item *Benzoë*, Tinctura Sulphuris cum Spiritu Vini tartarisato elicita (priùs funde Sal Tartari cum Sulphure) & similia sunt optima: Item Tragea ex Balsamo Peruviano, Sulphure & Saccharo. Hæc sunt appropriata Remedia ad Catarrhos.

De *Opio & Opiatis*, eorumque usu in Catarrhis, ea sufficiunt, quæ *suprà de Tussi Catarrhali l. a.* monui. Speciatim si Febris Catarrhalis affligat, nil melius est volatilibus Sudoriferis, quibus subjungatur Opium. Ad Opiata pertinet *Theriaca*, à Veteribus imprimis ad præcavendam, item ad sistendam Excretionem Catarrhalem nimis ruentem usitata, tam *vetus*, quàm *recens*, in qua vis Opii fermentando non est nimis infracta. Assumitur vel sola, vel additur ipsi aliquid de Bolo Armenâ.

Ex his igitur variæ & innumerabiles ferè fieri possunt Formulæ: e. g.

℔. *Liqu. Cornu Cervi succin.* vel *Spiritûs Sal. Amm. anis.* vel *Essent. Succini* ʒiii. vel ℥ß. *Essent. Opii tartaris.* ʒi.
M. S.
Essentia Catarrhalis.

Dosis, gutt. 40. 50. 60. expectando Sudorem; vel misceantur in formam Potionis cum Aquis destillatis, & Syrupis appropriatis.

Item convenit Spiritus Salino-volatilis oleosus cum Essentiâ Opii: vid. *Dissert. de Præcipitant. usu & abusu.*

℞. *Aquæ Serpill.*
*Rorismar.*
*Fœniculi* an. ℥j.
*Ess. Ligni Sassafr.* ℥iii.
*Sal. vol. Succini* ℈i.
*Syrupi de Hyssop.* ℥ß.
M. S.
Potio Catarrhalis pro aliquot vicibus.
Vel
℔. *Aquæ Menth.*
*Hyssopi* an. ℥j.
*Cinnam.* ℥ß.
*Spiritûs Cornu Cervi essent.* ʒß.
*Salis volat. Succin.* gr. xv.
*Syrup. de Hyssopo* ʒvj.
M. D. S.
Potio Sudorifera pro aliquot vicibus.
Vel
℞. *Flor. Sulphuris* ʒj.
*Benzoës*,
*Succini præp.* an. ʒß.
*Myrrh. el.*
*Tragac.* an. ℈j.
*Extr. Croci* ℈ß.
*Laud. Opiati* gr. iij.

Cum *Sacch.* ℥ß. *in Aqu. Fœniculi sol.* f. Rotulæ, adspergendæ cum *Oleo destill. Anisi* vel *Succini.*
D. S.

Rotulæ

Rotulæ in Tussi Catarrhali.

Vel

℞. *Spec. Dia-Trag.* ʒiij.
*Gumm. Arab.* ʒj.
*Laud. Op.* gr. v.
Cum s. q. *Sacch. in Emuls. Papav. albi solut.* f. Rotulæ.
D. S. ut antè.

Monitum fuit superiùs, interdum opus esse pergere ad Purgantia; quæ tamen semper miscenda sunt cum Appropriatis Catarrhalibus: unde *Massa Pilularum de Succino Cratonis* ferè primatum obtinet; sunt blandè aromaticæ, & commodè Senibus Catarrhosis & debilibus præscribi possunt; ver. gr.

℞. *Massæ Pilular. de Succino Crat.* ℈ß. gr. xv. ad ℈j.
*Extracti Absinth.* vel *Card. bened.* gr. v. vj. *ad* ℈ß.
*Resin. Jalapp.* gr. ij. iij. vel iv. ad v.
*Scamm. sulphurat.* gr. j.
Cum *Oleo destillat. Succini* f. Pilulæ.
D. S.

Pilulæ Catarrhales pro unâ vice.
Blandè evacuant Lympham peccantem.

Vel

℞. *Massæ Pilular. de Succino Crat.* ℈j.
*Scamm. sulphurat.* gr. iij.
*Extracti Troch. Alh.* gr. iß.
Cum *Ess. Succini* f. Pilulæ:
S. ut antè.

Vel

℞. *Massæ Pilular. de Succino Crat.* gr. xvi. ad ℈j.
*Extr. Agar.* gr. viij.
*Troch. Alh.*
*Scamm. sulphurati* an. g. ij.
Cum *Essent. Ligni Sassafr.* vel *Succini* f. Pilulæ aspergendæ cum *Succino præp.*
S. ut antè.

Vel

℞. *Massæ Pilular. de Succino Crat.* gr. xv.
*Extr. Absinth.* ℈ß. ad ℈j.
*Troch. Alhand.* gr. j.
Cum *Oleo Succini*, vel *Essent. Sassafr.* f. Pilulæ.
D. S.

Pilulæ Catarrhales.

Et quidem in Catarrho à Lymphâ tenui, acri, salsâ, *Resina Jalappæ*; in Catarrho verò dicto Crasso, loco Jalappæ *Extractum Trochiscorum Alhandal* gr. ii. magis conveniunt.
In affectibus Senum etiam valent, imminutâ dosi stimuli.

Alias etiam *Jalappa* ordinariò præscribitur; sive solitariè dosi ℈j. addendo aliquid de Nitro, vel Arcano dupl. sic enim melius operatur; sive cum *Mercurio dulci* mixta propinetur. At si tenacior Mucus se junxerit, *Colocynthis* locum invenit. Riverio in usu est in graviore Malo instituere Purgationem ex *Mercurio dulci*, addito Scammonio sulphurato, vel Jalappâ, ita ut ad purgandos Catarrhosos recipiat *Mercurii dulcis* ℈. i. cum *Radicis Jalappæ* gr. viij. vel ℈ ß. uti videre potestis *Cent.* 3. *Obs.* 28. 31. 41. 46. ubi utitur hoc Pulvere pro Purgante Catarrhali, idque imprimis, uti dixi, in Catarrho Tenui. In Catarrho vero Spisso, seu ubi adest Mucilago crassa, Colocynthis convenit, sive Extractum ex Trochiscis, sive alio modo correcta. Correctio optima fit, quod obiter moneo, per Terram Foliatam Tartari, vel Sal Tartari. Porrò Magisterium Gummi de Peru, seu Resina Gummi Guttæ à gr. vij. ad ℈ß. Specificum dicitur purgans Catarrhosorum.

Aliis in usu est pro purgandis Catarrhosis usurpare *Helleborum nigrum*, imprimis mense Octobris collectum, ejusque Decoctum & Infusum; siquidem Thonero & Penotto *de Medicam.* Autoribus, perfecta Catarrhorum Cura consistit in Helleboro nigro. Unde etiam Poterius *in suis Observat.* Decocta Melanogoga, seu Remedia Melancholiam purgantia, unà cum Ligno Sassafras, & rectè, usurpare solet: Et credo, quòd in Affectibus Catarrhalibus penitus extirpandis multum valeant Helleborina, modò Virulentia laxativa corrigatur. Pilulæ Aloëphanginæ, aliæque similes usuales, si radix mali fuerit in Stomacho & primis viis, usurpari possunt, &c. Senibus autem Catarrhosis Vina Medicata Laxativa præscribi possunt; e. gr.

℞. *Bacc. Junip. rec.* ʒvj.
*Calam. arom. rec.*
*Fol. Senn. sine stip.* an. ʒß.
*Rad. Helleb. nigr. crud.* ʒij.
*Cinnam.*
*Galang.* an. ʒj.
*Zingib.* ʒj. ad ʒiß.
*Crem. Tartari* ʒij.
*Vini Rhenani* ℔iß.
Stent in loco calido per tres dies & noctes, ut dissolvatur Cremor Tartari, hinc coletur aliquoties per Manicam Hipp.
adde
*Sacch.* ℥iij.
S.

Potio ad Catarrhum Laxans.

Hæc de Internis.

Quod attinet *Medicamenta Externa* in Catarrhosis Affectibus usurpanda: applicanda sunt vel ipsis Partibus affectis, vel Locis glandulosis Catarrhos fundentibus vicinis; partim noxam inductam tollendo, partim præcavendo. Hæ ipsæ Glandulæ, quoniam nempe in Capite aut circa Caput parteque ipsis vicinas sunt consitæ aut locatæ, hinc in Affectibus Capitis Catarrhalibus Remedia imprimis Vertici, & hinc Temporibus admoventur sub formâ *Lituum* & *Emplastrorum*; in Affectibus verò Faucium & Asperæ Arteriæ *Suffituum* formâ, ut meliùs penetrent, conveniunt. *Suffitus* hi constare possunt ex Resinosis, v. g. ex Succino, quod primatum obtinet, Sandarachâ, Benzoë, Olibano, Mastiche & Gummi Animæ &c. carbonibus injectis: exspiratus Fumus excipitur Capite mediantibus Linteaminibus probè hujusmodi Suffitu imprægnatis: e. g. secundùm Deckers *in Praxi Barbette lib.* 1. *cap.* 4.

℞. *Succini* ʒj.
*Mastich.* ℈j.
M. f. Pulvis grossus.
Quo multos Catarrhosos restitutos perhibet.

Vel

℞. *Sandarach.* vel *Gummi Animæ*, vel *Ladani* ℥ß.
*Succini* ʒij.
*Thuris*,
*Mastich.* an. ʒj.
*Benzoës* ʒß.
*Ras. Ligni Rhod.* ʒj.
Misc. & contundantur grosso modo.
D. S.

Pulvis ad Suffitum contra Catarrhos.

Inter *Externa illinenda* primatum obtinet Oleum destillatum Succini, Bregmati, Vertici, lociscque vicinis illitum. Mirum est, quantum faciat ad præservandum & curandum Catarrhum, imprimis si adsit simul Gravitas Capitis, aut Lethargus, aut Torpor Sensuum. Huic, ubi acrius & fortius visum fuerit, substituatur Balsamus Peruvianus, qui magis temperatus, vel eum simpliciter illinendo,

do, vel in Vitello Ovi priùs diſſolutum, & cum Spiritu Juniperi miſtum, Parti læſæ ſubinde affricando: Vid. Timæus *von Guldenklee*: e. g.

℞. *Balſ. Peruv.* ℥j.
diſſolve cum
*Vitell. Ov.* No. i.
adde
*Spiritûs Bacc. Junip.* ℥iij.
D. S.

Aqua externa contra Dolores catarrhales.

Ceu expertum commendatur in Doloribus Partium muſculoſarum, qui fiunt à Defluxionibus ſeu Catarrhis Frigidis.

Juxtà hæc eſt Oleum Maſtiches, item Oleum deſtillatum Majoranæ, Menthæ, Oleum Macis, &c. Oleum deſtillatum Cornu Cervi potentiſſimum eſt, Vertici aut Temporibus illitum, modò ejuſdem fœtor non ſit adeò gravis; aliàs cùm hoc Oleum ſit turgidum ſale volatili, eſſet ſummum remedium. Obſervandum tamen, ut ſi ejuſmodi Olea penetrantiora & Membranas ſenſiles magis afficientia Partibus extus admovenda ſint, talia Subjecta vim eorum penetrantem ferre queant, cùm, qui Capitis ſunt debiliores, ab hujuſmodi fumoſis, lædantur, & vel ſolo Odore Sternutatio & incipiens Coryza iiſdem excitetur. Facit huc etiam Unguentum *Horſtii* ex Gummi Elemi, cum Oleo Succini malaxato, imprægnato; vel Emplaſtrum de Betonicâ, item Emplaſtrum de Bregmate uſitatum, item de Tacamahacâ, quæ ſunt optima Anticatarrhalia, ſi malaxata cum Oleo Succini vel Appropriatis, Emplaſtri formâ Bregmati applicentur: v. g.

℞. *Empl. de Beton. uſit.*
*Gum. Tacamach.* an. ſ. q.
Malax. cum ſ. q. *Ol. Succini* vel *Balſ. Peruviani*; Inducatur ſuper Alutam, & obducatur Sindone rubrâ, in formâ Orbis medii; f. Emplaſtrum pro Capite.
D. S.

Emplaſtrum pro Capite.

Vel applicetur Ceratum ex Ladano, Gummi Elemi, Sandarachâ, Olibano, Styrace liquidâ, &c. vel ex Aloë, Pulegio, Calaminthâ, Ladano, &c. utraque à Montagnana *Antidot. cap.* 3. deſcripta: Item Emplaſtrum ex Maſtiche, Gummi Juniperi, Caryophyllis, & *Ladano* Cratonis *lib.* 6. *Conſ.* 12. Pertinet etiam huc *Fumus Tabaci* ſeu Nicotianæ hauſtus, cujus moderatus uſus ſanè egregium eſt Remedium ad Catarrhos Capitis & Pectoris, imprimis ſi ex Lymphæ oriantur vitio, & omnibus hunc in finem debet eſſe commendatus. Sal enim ejus volatile acerrimùm penetrat, abſtergit & reſolvit hoſtile illud irritans, corrigit acrimoniam Lymphæ acidam, incîdit eandem craſſam & viſcidam atque fluxilem facit, abundantemque per Ductus Salivales evacuat: vid. Mayow *lib.* 1. *Cap.* 9. Ratione verò Olei ſui narcotici, quo Opiatorum virus æmulatur, inſigniter ſiſtit efferos Motus catarrhales, & Irritationis ſenſum ſopit & mitigat, ac vi Salivatoriâ nimium Lymphæ proventum imminuit. Concinnius eſt, ſi tali Nicotianæ, uſitatæ aliàs in Catarrho ad Brachia & Pulmones defluo, pro Fumo ſimul permiſceatur Semen Aniſi, Coriandri, vel Pulvis Succini, Maſtiches, Sandaracha, Styrax, vel Pulvis Cardamomi, aut Cubebarum; vel ſi irroretur aliquot guttis Olei Succini, aut Aniſi; ſic enim fit Remedium eò magis appropriatum. Certi ſitis, quòd in Affectibus Catarrhalibus vix habeatur par Remedium Fumo Tabaci; omnibus enim ſatisfacit ſcopis. Nec metuamus ab hoc Fumo exſiccationem Capitis: Falſum etiam eſt ab uſu hujus ſimul nigreſcere Cerebrum, utut ad ſubſidentiam diſponatur: Pulmones verò magis immediatè lædantur, qui aridi, ſqualidi, flaccidi, & hinc inde lividis Maculis conſperſi reddantur crebriori hujus Fumi hauſtu, cujus rei Experimentum videb. *in* Thoneri *Obſervationibus*. Hi ſunt Catarrhi propriè dicti.

Ulteriùs Lindanus *ſuper Hartmannum* mentionem facit *Catarrhi* quaſi *Nothi*, ita enim diſſerit. *Noctu ſæpè evenit* (ſunt verba Lindani) *ut ſurgentes Homines mane ſentiant Dolores, præſertim in Scapulis, interdum in Lumbis, nunc in Brachio, nunc in Femore aliiſque locis: id quod vulgò ſtatim* (inquit) *refertur ad Catarrhos, ubi tamen duo ſunt obſervanda.* (1.) *Non ſemper eſſe à Catarrho, nec videtur eſſe à Flatibus iis in locis, ubi Muſculi ſe invicem contingunt, concluſis, ut alii dicunt; Potiùs, dum Corpus noctu ſub ſtragulis ſatis eſt perſpirabile, adeò ut tunc Natura ſoleat liberaliter per habitum Corporis ſe evacuare; unde, ſi forſan Manus vel alia pars extra lectum denudata eximatur, concluditur iſte inſenſilis Vapor, qui exiturus erat, & ſic Dolor admodùm moleſtus ibidem excitatur, nunc fixus, nunc vagus, & qui ſubinde remittere, ac iterum ingraveſcere videtur.* (2.) *Interdum etiam fit, ut ſolummodò ſub formâ Flatulentiæ hæreat. Uterque Dolor ſatis moleſtus eſt: Is, qui a Flatu, eſt vagus, qui agitari, ſubinde remittere, ac denuò recrudeſcere, videtur: Si ibi hæreat Liquor, fixus eſt Dolor & continuus, interdum per aliquot dies.* Plura de hujus Catarrhi Nothi Theoriâ ac diviſtis *ſuprà*. Curantur tales Nothi Catarrhi, ſi ſint graviores, per *Sudorifera*, imprimis per Salia Volatilia, vel Spiritus Salino-volatiles, Opiatis miſta, qualia ſunt Spiritus Salis Ammoniaci, Spiritus Cornu Cervi, Cranii humani, & ſimilia. Hi enim Spiritus Urinoſi Acidum vitioſum abſorbent & præcipitant. Opiata verò Acorem temperant, & ſimul Dolorem imminuunt. *Externè* cavendum eſt ab omnibus Oleoſis unctuoſis: Hæc enim inuncta craſſam quaſi inducunt Cuti, poroſque conſtringunt & implent. Emplaſtra itidem hic nocent. Optimum in hoc Dolore & Caſu eſt *Emplaſtrum ex Gummi Tacamahacâ*, ſoluto in Vino, atque extenſo ſuper Alutam vel Linteum, & Parti dolenti impoſitum: ſi non benè hæreat, addi debet tantillum *Terebinthinæ*, quæ facit, ut adhærat. Hoc ipſum Emplaſtrum applicatum egregiè reſolvit iſtas Humiditates: id quod patet ex eo, quòd ſub illo utplurimùm Membra ſudent, & omnis Dolor promptè evaneſcit. Convenit etiam interdum cum hoc ipſo conjungere *Gummi Carannæ*, hujus part. j. ad illius part. ij. recipiendo, dùm duo iſta Gummata ita impoſita optimè reſolvant Lympham craſſam. Quòd ſi eveniat, ut Cutis non benè ferre queat Gummatum applicationem, ſed attollatur in Puſtulas, cum non omnis Cutis ferat Emplaſtra, quia mox in Excoriationem incurrunt; tunc notiùs Cura inſtituenda eſt per *Tincturas*, ſeu Eſſentias Spiritu Vini extractas, & ita inunctas; nempe infunduntur ea *Aromatica*, quæ potentem vim habent incidendi, attenuandi, penetrandi, reſolvendi, & ita ſimul calefaciendi, v. g. quatuor Semina Calida majora, Nigellæ, Erucæ, Allium, Sinapi, Majorana, Salvia, Serpillum, Origanum, Piper longum, & ſimilia. Ex quibus ipſis cum Spiritu Vini paratur *Eſſentia* ſeu Tinctura diluta, quâ Partes affectæ fricentur Manu, ſuperimpoſitis Linteis probè calidis. Sufficit quoque Spiritus Vini à Plantis Cephalicis nervinis abſtractus, ſeu Aqua Articularis ad extrà; nuncque ſolitariè, nunc miſta cum Spiritu Salis Ammoniaci cum Spiritu Vini parato, externè calidè illinendo, & Locum

cum doloroſum probè affricando; ita optimè Dolores ſiſtuntur. Sed rarum eſt, quòd Cutis non ferat Gummatum impoſitionem, quæ omnium ſunt optima.

Huc quoque pertinet *Sacculus* ex Succino cum Spiritu Vini irroratus, aut ex Chamæpityde cum Oleo Succini conſperſus: vid. Hartmannus *Pr. pag.* 93.

## ARTICULUS II.

### *De Coryza.*

SPecialiter inter Catarrhos frequentiſſimus eſt *Catarrhus Narium*, qui vulgo etiam *Coryza* Græcis, aut quia Caput gravat, latinis *Gravedo*, & Germanis, *der Schnupffen*, dicitur. Eſt, quando copioſa Lympha, tenuis & acris, in principio quidem per Nares, defluit, donec ſucceſſivè adjungente ſe Nutrimento inſtar Partium ex earum læſione corrupto, Liquor craſſus, ſpiſſus, tenax, varièque ſubinde coloratus, inſequitur. Simul percipitur in principio Titillatio quædam in Naribus, ſuperveniunt Sternutationes crebriores, pòſt incipit Caput dolere, & quidem Dolore gravativo. *Naturaliter* quidem à Lymphâ inſipidâ moderatè craſsâ intus oblinuntur Nares, cujus Vaſa & Fontes videb. in Stenone *de Glandulis Oculorum, Narium, Oris* &c. quæ ipſa Lympha blandè humectat non tantùm internam Narium Membranam, & defendit ab externis Inſpiratis, ſed etiam ſuo modo facilitat Odoratum. Ipſa tamen moderatè craſsa continuo Aëris inſpiratu attenuata craſſiores partes relinquit, ſpiſſioris ſub Muci formâ emulgendas. Quòd ſi verò *præternaturalis Lymphæ fiat excretio*, ita ut copioſa, tenuis, ſicque minùs temperata, ſed acrior & ſæpè acida effluat, vocatur *Catarrhus Narium* ſeu *Coryza*, dum Lympha iſta acrior, rodendo & irritando Membranam Narium, primitus *Sternutationes* frequentes (modum habuimus *Sect.* 14. *cap.* 3. *Art.* 1. ubi *de Sternutatione*) deinde ex Narium læſione *Dolorem*, hinc *Ruborem*; interdum etiam eorundem *Excoriationem & Exulcerationem* infert; id quod jam ſuo tempore obſervavit Foreſtus *lib.* 13. *Obſ.* 15. cujus Exulcerationis Remedium ſit Unguentum Pomatum ſeu de Ceruſsâ.

## CAUSA.

*Cauſa* hujus Coryzæ *præter Cauſas generales*, ſpeciatim *Internas*, communes omnibus Catarrhis, (vitium nempe Lymphæ & Maſſæ Sanguineæ internum, quæ interdum motu Naturæ ſpontaneo per hæc loca tanquam Emunctoria quædam auſpicatò expurgantur) ſæpiſſimè ſolet oriri *ex Errore Externo*, ut dubitem, an præciſè oriri poſſit à Causâ Internâ? imprimis vitio Aëris auſteri, vel inclementiâ hybernâ aut autumnali. Aër enim hybernus Effluviis acidis acutis videtur imprægnatus, unde talis Aër ſimul Partes ſibi expoſitas, Labia imprimis, Faciem, Manus, in ſpecie Nares & Laryngem, ſolet lædere: & ſicuti Facies, & Manus exinde finduntur, & quaſi corroduntur in Fiſſuras (quæ ipſæ Fiſſuræ optimè *curantur per Lotionem, aut ſaltem Humectationem, cum Urinâ propriâ*, tanquam Remedio Sale volatili prædito, quo alteratur Acidum; *vel per Illinctionem cum Medullâ vitulinâ vel Sevo candelæ*, vel *Unguento Pomato*, vel ſolo, vel miſto cum Ceruſsâ aut Cretâ, abſorbendo & temperando Acidum); ita à ſimili Aëre inclementiore, aut Effluviis acrioribus acidiſque imprægnato, Inſpiratione hauſto, læſa interiora Narium, ſimulque Fauces & Larynx, ex Irritatione iſtâ mox copioſam fundunt Lympham puram, tenuem, & ex læſione Partium inſigniter acidam, à qua *in Naribus* Coryza, *in Faucibus* Aſperitas & Dolor, (propter Membranam Pituitariam,) *in Larynge* Raucedo & Tuſſis ſuperveniunt: Hæc ipſa enim ut plurimùm in Coryzâ tempore hyberno ſolent concurrere.

*Subjectum patiens* Coryzæ eſt ſummitas interior Narium, ubi eſt Membrana, quæ alias ſolet eſſe Subjectum Olfactûs, cujus Structuram vid. in Schneidero *de Oſſe Cribriformi*, in quam etiam ex Oſſe Cribriformi inſeruntur multi Tubuli nervei. Quando ergò à dictâ Acrimoniâ vellicatur hæc Membrana, ſuperveniunt Sternutationes, quandò Tubuli aliquid convulſivi patiuntur; unde Tubulis his vellicatis, corrugatis, & convulſivis criſpaturis affectis, ſimiliter Membrana Cerebri dura, hiſce Tubulis continua, ſimili Spaſmo criſpatur, unde Dolor gravativus Capitis; qui Dolor ſimilis videtur, quaſi Caput interiùs ſtringatur: eſtque nunc in totò Capite, nunc in altero ſaltem Hemiſphærio, pro Nare dextrâ vel ſiniſtrâ affectâ. Notum autem eſt, quòd Membrana Narium naturaliter humectetur à Lymphâ temperatâ, pro facili Olfactu, & Inſpiratorum abluitione. Quando ergò irritatur hæc Membrana, ſive à Lymphâ acri, ſive ab Aëre inclementiore, excoriatur eadem, & copioſus fit Lymphæ effluxus ex Irritatione, & hæc effluens Lympha, abluendo Subjectum vellicans, eſt principium Coryzæ. Cæterùm, continuatur hic fluxus Lymphæ, nunc blandioris, nunc acrioris: in principio Morbi omnia ſaltem profluunt aquoſa & ſeroſa, ſucceſſivè magis magiſque acria, unde quamdiu durat, tamdiu Odoratus magis obtunditur; donec ab Aëris, ſimulque Lymphæ vitio læſæ, & nonnihil excoriatæ, Narium internæ partes doleant, rubeant & plorent Nutrimentum proprium, ſub formâ Mucilaginis craſſæ, quæ Narium ſuprema obſtruendo Inſpirationem tollit, uſque dum hæc ſponte effluat, & ita noxa inducta deleatur. In Faucibus hærens copioſum Screatum facit, & Laryngem incruſtans frequenti Tuſſi rejicitur: Quin & non rarò in ſaxeam duritiem in Naribus concreſcit, quale Exemplum obſervat Henricus ab Heer *in Obſerv.* 28. Omnia ergò hæc recenſita Symptomata, generatio Muci, Raucedo item ac Tuſſis, ordinariò ſupervenientia, ſemper oriuntur ex Irritatione Membranæ Narium & Tubulorum nerveorum ab Aëre inquinato Effluviis acidis, unde & Guſtus ceſſans, Inſpiratio læſa, & alia facilè derivanda ſunt.

Præter Aërem inclementem inſpiratum ſubinde etiam alia *Externa* poſſunt Coryzam inferre. Nam *Sternutatoria acriora*, nimiſque frequenter uſurpata, continuo ſtimulo Membranam irritando, copioſam Lympham effluere faciunt, & tandem Coryzam producunt pertinacem. Mihi enim hoc ipſum evenit tempore æſtivo (quò aliàs non ſunt frequentes Coryzæ) præparanti Clyſſum Antimonii: neſcio autem, quo facto frangebatur Retorta; quo facto copioſos attraxi Fumos, adeò ut poſtmodùm per aliquot ſeptimanas in Coryzam & Tuſſim moleſtiſſimam inciderem. Solutio Vitrioli in Aquâ ſimplici facta, Naribus attracta, gravem Coryzam cum Dolore & Æſtu Capitis admodùm moleſto ſolet inferre, quæ *Coryza Artificialis* ſimillima exiſtit Coryzæ Naturali graviſſimæ: id quod notandum contra eos, qui dicunt, Coryzam ſanitati conducere; ſunt etenim talia in Na-

ribus Recrementa, quæ ſub tali formâ ante non præexiſtebant in Sanguine vel Corpore.

Quando eſt à *Causâ Externâ*, ut Aëre externo, Coryza, ut plurimùm *frequentem Sputationem* ac *Tuſſim* ſupervenire videmus, Partibus ſcilicet ipſis, per quas Aër rigidus tranſit, quæ copioſis Glandulis hinc inde ſunt obſeſſæ, Naribus tamen læſis & irritatis, hinc Lympham copioſam & vitiatam ſub formâ Catarrhi plorantibus, imò ex Partibus iſtis ita læſis continua Aëris Expiratione exhalantia Miaſmata *Fermenti* quaſi obtinent naturam, unde *& Contagioſa* percipitur *Coryza*, ita ut iſta Effluvia aliorum Naribus inſpirando attracta, vel per Halitum, vel per Lintea, ſeu per Pocula communia communicata, irritativâ ſua acrimoniâ inſtar Pulveris Sternutatorii Membranam Narium vellicando, & hinc Narem lædendo, ac Lympham alterando, ſimilem etiam in altero Subjecto Coryzam inferant, ut adeò rariſſimè & parciſſimè Coryza à Causâ Internâ notetur. Adeò ſanè falſum eſt, quòd Coryza ſemper ſit ſalubris, ut vulgò dicunt, per Coryzam purificari Maſſam Sanguineam, quaſi exiſtat in Maſsâ Sanguineâ. Nam utut hoc verum ſit, ſi à Causâ Internâ oriatur, quæ tamen Coryza rariſſima eſt, non tamen ſemper procedit negotium, cùm ut plurimùm Occaſiones Externas agnoſcat, & talia potiùs fiant in Naribus, & Faucibus, quàm quòd aliò deferantur. Qui vult hæc magis dilucidata, conferat in ſpecie Helmontium *Tract. Tuſſis & Aſthma*, item *Catarrhor. Deliram.* ubi reperies ſatisfactionem ſuorum Dubiorum.

## DIAGNOSIS.

*Diagnoſis* Coryzæ facilis; etiam Aniculis nota eſt.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: Coryza per ſe eſt Malum inſons, quod caret periculo: ſaltem obſervetur

1. Quòd crebrior repetens *Olfactum magis obtundat*, & Nares ad facilem Coryzam diſponat.
2. Quòd Lympha effluens nimis gravis adeò graviter exulceret interiora Narium, & ita *Ozænas*, vel *Narium Ulcera* periculoſa producat. De quibus Ozænis alio tempore. Imò obſervatum fuit, ex Tubulis nerveis non nihil eroſis, ſupervenire Excreſcentiam carneo fibroſam, ſeu *Polypum.*

## CURA.

*Cura* communis eſt cum aliis Catarrhis: ſcilicet conveniunt ea, quæ *ſuperiùs Art.* 1. *de Catarrhis* dicta fuerunt. *Duo* autem *Tempora* ſunt obſervanda ad Coryzæ Curam:

I. Tempus *Coryzæ inchoatæ*, quando incipiunt ſternutare, & Caput dolere, & Lympha apparet tenuis.

II. Tempus *Coryzæ confirmatæ*, quando Mucus obſidet Narium ſummitatem.

Unde opera danda eſt, ut *ratione prioris* Irritatio Membranæ Narium Internæ ſuperioris, ejuſque inde oriunda Læſio, ſiſtatur maturè & corrigatur; ſic enim mox in principio ſupprimi poteſt Coryza; *ratione* verò *poſterioris* eſt attendendum, ut genitus Mucus nares obſidens craſſior & viſcidior in progreſſu Morbi maturè evacuetur. Quibus ipſis pro conditione *Subjecti patientis*, & ipſius *Catarrhi*, vel *Epidemici*, vel *non Epidemici*, copioſioris vel parcioris, nunc blandè *Laxantia*, nunc in ſpecie *Sudorifera*, ſocianda veniunt. Conveniunt ergò pro primo Scopo obtinendo in principio ad Irritationem ſiſtendam & Læſionem præcavendam Salia volatilia oleoſa odorata, quâcumque formâ adhibita, in ſpecie ſi à Causâ Internâ oriatur: maximè tamen conveniunt *Externa* vel *Naribus* applicanda, vel *Vertici* inungenda, vel *in Ore* maſticanda, vel inſpiranda; hinc *Suffitus*, *Inunctiones*, varia *Odoramenta*, &c. Coryzam inchoatam curant, & in prima herbâ ſuffocant, quatenus Læſionem inductam plùs minùs corrigunt, Acidum vellicans temperant, & Irritationem ſiſtunt. Imprimis Illinitio Narium cum Oleo deſtillato Aniſi, Succini, aut alio ſimili Oleo Aromatico. In ſpecie *Oleum deſtillatum Aniſi*, mox in principio illitum ante Excoriationem Narium, eſt egregium. *Oleum Succini* hæc ſuperat, in ſpecie ſi illinatur Vertici, mirum quantum levat Coryzam, quin & Naribus poteſt illini, idque eò præſentiori effectu, ſi aliquot guttæ Olei deſtillati Caryophyllorum ipſi addantur: ſed quoniam eſt acriuſculum hoc Oleum, ob id tantillum Bombacis ipſi intingatur, & inde ſubinde per Olfactum Naribus admoveatur; nam & ſic Coryza tollitur. Item *Balſamus Apoplecticus* Naribus illitus & præſervat à Coryzâ in inclementiore conſtitutione Aëris, (quô tempore hyberno metu Coryzæ Nares largiter inunguntur, ut inde interiùs Nares condiantur & loricentur, ut eædem per illius halitum quaſi præmuniantur, quò minùs ab Aëre exteriori lædi poſſint) & eandem etiam incipientem curat. Tandem ſolus *Odor* ex Cornibus & Ungulis raſpatis, v. g. Cornibus Bovinis, aut in præparatione Pectinum perceptus, etiam Coryzam recentem ſubitò ſiſtit; ſicut & proficuum eſt, ſi raſpentur hujuſmodi Cornua limâ ferreâ, quo facto Salibus volatilibus excitatis, & Nares penetrantibus, aufertur Coryza. Nec incommodum eſt, ſi fiant *Suffitus* pro Coryzâ Narium: ſicuti etiam in Catarrhis Aër attractus inſpirando infert aſperitatem Narium, Faucium & Laryngis; ſimiliter inſpirati Suffitus alterationem ab Aëre præ reliquis tollunt, & harum Partium impreſſas Læſiones denuò reſtituunt, & quaſi abſtergunt. Sunt iſti Suffitus imprimis ex Gummatibus, quorum accenſorum Salia volatilia oleoſa interiora Narium & Faucium penetrando, acrimoniam Lymphæ & corruptelam nimiam tollunt. Hæc inter excellit Suffitus, præſertim ex Succino: poſt Succinum Suffitus ex Maſtiche, Olibano, & ſimilibus eſt expertus. Experimentum videbitis *in* Barbette *Praxi*, ubi *de Catarrhis*. Denique *Suffitus ex Gummi Animæ* Experimentum eſt Hartmanni, inſigniter commendatum à Lindano. Hic & ſimilis Suffitus Naribus, Ore & totâ Facie, repetitis vicibus, exceptus, vitium Lymphæ corrigit, & Læſionem jam inductam mitigat, & perinde hos Affectus curat; v. g. *Suffitus ſuprà in Catarrhorum Curâ* præſcriptus: vel quoque præſcribatur *Suffitus* talis *Compoſitus Lindani*:

℞. *Gum. Juniperin.* ℥ß.
*Animæ*,
*Succini* an. ʒij.
*Thuris*,
*Maſtich.* an. ʒj.
*Benzoës* (in Affectibus Faucium & Laryngis, & hinc Pulmonum; eſt enim anima Pulmonum.) ℈ii.
M. f. Pulvis: S.

Pulvis ad Suffitum contra Catarrhos. Vel

℞. *Gummi Animæ* ʒvj.

*Succini*

*Succini* ʒß.
*Styrac. calam.* ʒij.
*Thuris*,
*Mastich.*
*Benz.* an. ʒij.
M. f. Pulvis:
D. S. ut antè.

Qui Carbonibus injectus successivè excitat Suffitum suavem, Naribus crebriùs excipiendum ad sistendam Coryzam, quæ ipsa etiam Capiti imponenda erunt. Semen Lini sive Storax Carbonibus impositus, cujus Suffitus in Nares attractus, aut Semen Anisi calefactum, Linteo inclusum & odoratum; item tenere Faciem super Vase Aquæ verè calidæ, à quibusdam laudatur. Pertinet & huc *Suffitus Tabaci*, aliquot guttis *Olei destill. Anisi* priùs imprægnati, si scilicèt ita præparatus Tabacus per Fistulam consuetè attrahatur, & Fumus inspiretur. Convenit etiam, si recipiatur Oleum Amygdalarum dulcium, in quo q. s. solutum sit Camphoræ, quod ipsum Oleum extrinsecùs Ossi Nasi, vel intrinsecùs superficiei ejus illitum, eleganter Coryzam sistit. Perhibetur esse Secretum Tackii.

Quòd si verò eô usque processerit Malum, ut sub incremento & statu ejus Pathemata graviora Capitis afflixerint, nec non copiosus, nimis crassus, nimisque viscidus Mucus Narium summitates occupaverit, & Nares obstruxerit, tunc *Attenuantia*, *Resolventia*, & *Excrementa eliminantia* locum habent; unde optimus est *Suffitus Aceti super Ferrum candens effusi*, & ex Gummi Animæ & Succino jam laudato: Sic etiam loco Suffitûs conveniens est Spiritus Salis Ammoniaci odoratus crebriùs, quæ penetrant ac incîdunt Mucum, Materiam resolutam fluxilem faciunt, & Nares aperiunt, ac Læsionem inductam corrigunt: item Oleum Camphoræ amygdalinum jam laudatum, quo illinantur summitates Narium extrinsecùs, vel internè earum superficies; sic Sal volatile Camphoræ optimè solvit Mucum latitantem. Ulteriùs pro simili Scopo optimè conducunt *Sternutatoria* appropriata, Lymphæ proritando fluxum, ejus beneficio Membranas Narium abstergentia, quin & dictum Mucum crassum & viscidum eliminantia. Fiant ordinariò ex Pulvere Tabaci, ex Floribus & Radice Liliorum convallium, Majoranâ, Euphorbio, & similibus.

℞. *Pulv. Tabaci Ind.* ʒß.
*Majoran.*
*Flor. Lil. convall.* an. ʒj. ad ʒij.
*Olei destillat. Sal.* vel *Rorismar.* vel *Anisi*, *Majoranæ* an. gutt. vj.
Misc. pro Pulvere Sternutatorio subinde Naribus hauriendo.
D. S.
Pulvis Sternutatorius Aperitivus.

Hinc, si placet, pro ditioribus subinde addi possunt

*Ambræ* gr. iii. ad v.
*Moschi* gr. vi. ad ℈ß.
Misce.

Ita hæc conjuncta dant Pulverem Sternutatorium gratum.

Vel etiam fit elegans Pulvis Sternutatorius ex *Pulvere Radicis Ireos Florentinæ*, cui tantummodò aliquot grana *Euphorbii* pulverisati adduntur; hoc enim potenter Materiam suâ fortiori irritatione, rivuli instar, profluere facit.

Pertinet huc etiam *Pulvis Sternutatorius Helmontii* in hoc Casu expertus, ex *Pulvere Radicis Hellebori nigri* cum ana *Sacchari* mistus, Naribus attractus, quibus aliquot guttæ *Olei destillati Caryophyllorum*, vel *Cinnamomi* addantur, quem etiam ceu egregium commendat Riverius *in suâ Praxi*, Vid. Helmontius *Tract. Tuss. & Asthma.* His ipsis enim corrigitur Mucus, & denuò liberantur Nares. Item Folia Nicotianæ irrorantur aliquot guttis Olei destillati Majoranæ, & ita odorantur; vel exsiccata pulverisantur, blanda, sed egregia sunt Sternutatoria. Conveniens etiam est Semen Nigellæ cum Majoranâ in formâ Pulveris, vel sola, vel cum Camphorâ: Semen Basilici pulverisatum Sternutatorium non incongruum est, in principio quoque Coryzæ usurpandum. Optima denique Sternutatoria fiunt ex *Vitriolo*; mitiora, si tantummodò ad albedinem calcinetur; potentiora, si ad aliqualem rubedinem uratur seu comburatur: quæ, inspirata potenter penetrant, omnesque Narium latebras emungunt. Cæterùm, ne nimis acre sit, solvatur tantillum Vitrioli albi, seu ad albedinem calcinati, in Aquâ Majoranæ seu Aquâ Liliorum convallium, aut in Aquâ Salviæ diluti, ita ut gr. v. vel vj. pro ʒj. Aquæ sufficiant. Liquor filtratus & Naribus attractus quasvis Narium latebras emungit, & insigniter convenit Coryzæ.

℞. *Flor. Lil. convall.*
*Herb. Major.* an. M. ij.
*Nicot.* M. ß.
Coqu. in s. q. *Aqu.* & *Vini* in Vase clauso:
Colaturæ ʒvi. adde
*Vitrioli albi* ℈j.
Colentur per pannum densum ob Vitriolum.
D. S.
Aqua Abstractiva ad Nasum.

Quæ optimè quoque Mucum Nares obstruentem resolvit in statu Coryzæ.

Quidam usurpant Olei Nicotianæ & Olei Nigellæ ana partes æquales cum aliquot guttis Olei destillati Majoranæ;

Vel

℞. *Olei Irini*,
*Nicotian.* an. ʒj.
*destill. Major.* gutt. iii. iv. vi. ad ℈ß. & ℈i.
(vel *hujus* & *Olei destillat. Succin.* an. p. æqu.)
M. S.
Oleum Aperitivum ad Nasum.

Subinde intra Nares attrahatur, vel cum Turundulâ Naribus immittatur, vel Naribus extrinsecùs illinatur: Mucum Narium insigniter solvit & elicit, sistitque ita Coryzam Narium confirmatam.

Melius est *Oleum Anisi*, si interiora Narium eodem illinantur; referat enim Nares obstructas, & si sit ab Effluviis inspiratis, Lympham temperat, ne Fauces & Sanguinem feriat attenuata: vel sumatur Oleum Anisi, & ita Naribus cum Bombace in parvâ Turundâ immittatur; ita enim egregiè resolvitur Mucus crassus, superiores Narium partes obstruens: vel Oleum Succini, vel Oleũ Caryophyllorum, quæ propter acredinẽ cum Oleo Amygdalarum dulcium temperentur. Tachenius Camphoram in duplo Olei Amygdalarum dulcium solvit. Sic conveniens est, ut Naribus admoveatur Nodulus cum stylo ex Semine Nigellæ contuso, qui Nodulus subinde olfactus admodùm corrigit, & emendat Coryzam, in specie Nares obstruentem; est remedium Tabernæmontani, quod insigniter commendat. Possunt addi Folia Majoranæ, aut præparata ex Majoranâ, in specie Oleum Majoranæ; nam & hoc ipsum curat Ozænam: v. g.

℞. *Fol. Majoran.* part. iij.
*Sem. Nigell. contus.* ʒii. vel ʒiii.
*Olei destill. Majoran.* gutt. iii. vel iv.

*Succini*,
*Aniſi* an. gutt. i. vel ii.
M. f. Nodulus: S.
Nodulus odorandus.

Quòd ſi Caput perturbatum ſit, grave & obnubilatum, convenit vel *Balſamum Peruvianum*, vel, ubi fortiùs agendum, *Oleum deſtillatum Succini*, aut ejuſdem *Balſamus* Vertici illitus; unde Dolor Capitis tenſivus, ejuſque perturbatio ſucceſſivè remittunt. Loco horum adhiberi etiam poſſunt *Cucuphæ* ſuprà laudatæ.

℞. *Flor. Anthos*,
*Lavend.*
*Stœch. Arab.*
*Roſar. rub.*
*Lil. convall.*
*Salv.* an. pug. ij.
*Sem. Nigellæ*,
*Raſ. Succini* an. ʒij.
*Styrac. calam.*
*Benz.* ana ʒj.
Conciſ. & contuſ. irrorentur cum guttis aliquot *Olei deſtillati Succini*: includ. *Sacculo quadrato ex Sindone rubrâ* interpaſſato.
D. S.
Sacculus Vertici imponendus.

Quòd ſi pro derivatione Lymphæ catarrhalis priùs pro præſervatione partium Oris aliquid agendum ſit, *Pilulæ* conveniunt vel *Trochiſci* parvi *ex Mithridatio*, *Maſtiche & Olibano* facti, & in Ore retenti: Catarrhum enim & læſionem partium ſiſtunt, Dolorem Oculorum, Dentium Fœtorem, & Gingivarum corruptelam, &c. tollunt, atque in principio imprimis conveniunt.

## ARTICULUS III.

*De Tuſſi, Raucedine, Aliiſque Affectibus Catarrhalibus.*

EX modò dictis etiam *Raucedo*, & *Tuſſis*, *Faucium Phlogoſis & Dolor*, *Guſtûs abolitio*, ſimileſque Faucium Affectus Catarrhales, tam cum quàm ſine Coryzâ, ordinariò affligentes curari poſſunt, cùm omnia mutuò invicem concurrant, & partim per Læſionem ex Causâ Externâ factam, partim per Lympham ex Glandulâ Pituitariâ ſuperiore in Coryzâ depluentem, & hinc ad Fauces dependentem, & ita Loca vicina magis magiſque irritantem, originem ducant. De qua Membranâ Pituitariâ, & per hanc tranſudante Coryzâ vid. Schneiderus, partim *Tract. de Oſſe Cribriformi*, partim *Tract. de Catarrhis.*

## CURA.

In ſpecie tamen quoad *Curam* horum, ſimiliter *duo Tempora* obſerventur: *inchoata* nempe Tuſſis & Raucedo, & *confirmata*. *In priori* præter *Suffitus* ſuprà inſinuatos, hîc etiam convenientiſſimos, ſpecialiter *Opiata*, additis Salibus oleoſis, tempore veſpertino in principio horum Affectuum adhibita, multùm conveniunt, idque ex Methodo Helmontianâ: Quibus in principio Mali, ubi Lymphâ adhuc exiſtente nimis acri & tenaci, aut nimis acidâ, aut corroſivâ, Partium affectarum Dolores, Rubores, Phlogoſes, &c. ſuperveniunt, ſubinde *Acrimoniam temperantia*, & demulcentia uſurpanda, quæ aliàs *Incraſſantia* dicuntur: qualia ſunt *Papaverina*, & quæ fiunt ex Jujubis, Glycyrrhizâ, Ficubus, Paſſulis, Sulphure; item Pilulis de Styrace, &c. *In ſtatu verò Morbi*, ubi Mucus craſſus & viſcidior genitus iſtas Partes obſideat, pro Expectoratione conveniunt *Expectorantia* vulgò dicta, ex Hyſſopo, Nicotiana, Oxymellibus, Spiritu Salis dulci, Spiritu Nitri dulci & ſimilibus uſurpanda, ſuprà *Sect.* 14. *Cap.* 5. *Art.* 2. *Membr.* 2. *& Art.* 3. ubi *de Tuſſi*, *& Raucedine* actum fuit, explicata Mulierculis noſtratibus præſentiſſimum Tuſſis & Raucedinis à Causâ Externâ, Aëre nempe frigido, Remedium ſunt *Paſſulæ majores*, maceratæ in Spiritu Aniſi, quarum quædam mane jejuno ſtomacho maſticatæ & deglutitæ Fauces & Aſperam Arteriam præſervant ab inſultu & læſionibus Aëris hyberni; ſicuti etiam Radix Zingiberis in Indiâ condîta aſſumpta mane & maſticata, eidem uſui confert. Inductos verò jam Catarrhos Faucium & Laryngis ferè curant per Caricas, quibus in fruſtula diſſectis Aquam Vitæ ſeu Spiritum Vini infundunt, & hunc deſuper accendunt, & ſic deflagrare ſinunt, continuò agitando; hinc fruſtula illa ſemiaſſata veſpertino tempore comedunt, & ſic Tuſſim & aſperitatem Faucium egregiè corrigunt, ſicque Lympham acrem & acidam temperant, & demulcent.

## ARTICULUS IV.

*De Epiphora.*

TAndem præter Nares, *Oculos* ſubinde affligunt Catarrhi, ex Lymphæ diluvio præternaturali orti. Naturaliter equidem humectantur Oculi à Lymphâ ſubtili, eâque tenui, moderatiſſimè ſalsâ, ut facilitetur eorum motus, & à ſalſedine Lymphæ, continuatâ abſterſione eorum nitor ac claritas, ad Viſum ſummè neceſſaria conſervetur; Hinc ſi nimiâ frequentiâ & copiâ excernatur hæc Lympha Oculorum, *Lacrymarum* nomine venit, quæ largiter manantes ſubinde in Os influunt, ubi ſenſibili, ſed ſubtili, ſalſedine imprægnatæ guſtantur.

Lacrymæ hæ aut naturaliter effluunt ſolo quanto excedentes in Animi Pathematis; aut præter naturam emanant in Statu morboſo, vitioque Catarrhali.

*Fontes* hujus Lymphæ, tam naturalis quàm præternaturalis, ſat manifeſti ſunt, *Glandulæ* tum iſtæ, quæ in utroque Cantho ſeu Angulo ſunt conſpicuæ, tum etiam eæ, quæ in interiore Palpebrarum facie ſunt ſitæ: de quibus imprimis conſulendus eſt Steno *Tract. ſuprà cit. de Vaſis Oculorum*; ubi etiam habet non nulla egregia de naturali Lacrymarum fluxu.

Lacrymarum ille nimius effluxus morboſus abuſivè aliàs vocatur *Epiphora*: abuſivè dico; legitimo enim uſu Epiphoræ vox in genere Humoris in quamcunque partem influentis impetum ſignificat; qua ratione & Uteri, & Ventriculi Epiphoræ apud Veteres obſervantur. In ſpecie tamen ex Modernorum abuſu *Epiphora nimium Lacrymarum fluxum*, ſeu *Catarrhum Oculorum* innuit, de qua egi, ubi *de Ophthalmiâ.*

## CAPUT III.

*De Lymphæ Motu Impedito, Indeque Orto Hydrope in Genere & in Specie.*

PRæter Affectus Catarrhales à Lymphâ, vel primariò vel ſecundariò peccante, enatos, Lympha etiam peccat *in Motu*, quando impeditur, ut in ſuo Motu *ſtagnet*, & hinc loca vicina occupet; unde oriuntur Tumores Aquoſi & Seu roſi, ſeu *Hydropes Particulares.*

*Hydro-*

*Hydropis* nomine ſub generali conceptu nil aliud intelligitur, quàm *Aquarum*, ſeu, uti loquuntur, *ſeroſorum Humorum præternaturalis collectio*; Latinis *Aqua Intercus* non ineptè dicta, quam neceſſariò Tumor & Diſtenſio Partis, cum ejus tamen Mollitie, & non rarò Fluctuatione comitantur, utut hôc ipsô Vocabulô certa Hydropis ſpecies determinetur. Aquâ hæc collecta vel totum impræguat Corpus ſeu tumefacit, vel ſaltem determinatam ejus Partem. Illud dat *Hydropem Univerſalem*, qui dicitur imprimis *Anaſarca* & *Leucophlegmatia*, cujus addatur Aſcites Cachecticus, à Pedibus ſucceſſivè aſcendens, uſque dum ſuffocentur Ægri: quos Hydropes Univerſales *ſuprà Sect. 17. Cap. 3. Art. 2. & 3.* diſcuſſi: hoc verò dat *Hydropem Particularem*, qui pro Partium varietate, in quibus Aqua colligitur, variat etiam, & ſpecialia ſortitur Nomina. Si enim Caput ſit hydropicum, ſeu quando Aqua colligitur in Capite, dicitur *Hydrocephalus*; ſi colligitur in Pectore, eodemque vel toto, vel unâ ſaltem ejus medietate, dicitur *Hydrops Pectoris* ſeu *Sternites*; ſi in Pericardio præternaturaliter abundet Lympha, eſt *Hydrops Pericardii*; ſi Aqua particulariter colligitur in Abdominis cavo, vocatur *Hydrops Aſcites* ab ἀσκὸς, *Uter*, quia Abdomen inſtar Utris repletum, tumefactum & diſtentum apparet: qui Hydrops Aſcites Abdominis Particularis non confundendus eſt cum Hydrope Aſcite magis Univerſali, qui Cachexiam comitatur, & præter Abdomen etiam Pedes univerſos ac Scrotum tumefacit, de quo jam *ſuprà l. a.* ſiquidem Cachexia confirmata vel in Hydropem Anaſarcam, vel in Aſcitem partium inferiorum Univerſalem terminari ſolet. In Utero collecta Aqua dat *Hyſteritidem*, ſeu *Hydropem Uteri*, ſi in Scroto, dicitur *Hydrops Scroti*; in Teſtibus dat *Hydrocelen*; ſi in Partibus vel Membris externis particulariter oriatur in uno alterove Membro, vulgò *Tumoris Aquoſi aut Seroſi* generali nomine appellatur. Imò in Omenti bursâ copioſæ Aquæ concluſæ in inſignem Tumorem Abdomen attollunt, qualia Exempla Horſtius *in Obſervat.* habet; & hic eſt Mulier, quæ videtur Gravida, & tamen tantùm eſt Aqua collecta in Omento: item in duplicaturâ Peritonæi concluſæ Aquæ ſpeciem Hydropis Abdominis mentiuntur, quale Exemplum habet Job à Meckern *in Obſerv. Chirurg. cap.* 52.

Ex quibus dictis patet: Hydropem ab *Aquâ*, ὕδωρ, dictum, non eſſe alium, quàm, ubi eſt Aqua. Hinc Hydrops dictus *Tympanites* impropriè eſt Hydrops, cum Flatuum tantùm, non verò Aquarum, in Abdomine ſit collectio; unde de eo videantur, quæ *ſuprà Sect. 5. c. 2.* dixi *de Ructibus & Flatibus Stomachi.* Unde tantùm propter aliqualem ſimilitudinem Tumoris cum Aſcite Particulari, & quia rarò abſque Aquarum aliquali colluvie contingat, Tympanitem eundem etiam ad Hydropes retulerunt.

Superiori ſeptimanâ incœpi diſcurrere de Hydrope, tam in genere quàm in ſpecie, & quidem tantùm Præliminaria præmiſi: pergo in his, & præmoneo, quòd cùm Aſcites ſit frequentiſſima Hydropis ſpecies, & omnium maximè occurrat in Praxi, quæ dicuntur de Aſcite, etiam de Hydrope in genere intelligenda ſunt.

De Hydrope Univerſali, tam Anaſarcâ quàm Aſcite, omnium Partium, Cachexias inſequente, *ſuprà l. a.* monitum fuit.

## ARTICULUS I.

### *De Hydropibus Particularibus in Genere.*

### CAUSA.

IN ſpecie quod attinet *Cauſas Hydropis Particularis*, ſeu collectionis Aquarum, aliter à Veteribus, aliter à Modernis derivantur. *Veteres Hepar* affectum accuſant, quod nempe, uti notum eſt, recenter advectum Sanguinem non ritè præparet, unde fiat, ut tandem Serum in Abdomen deſtillans Hydropem inferat.

Sed his contrariatur (1.) *Modernorum* de Sanguificationis Organo Hypotheſis, cùm, uti notum eſt, dejectum ſit ab imperio cruento Hepar, ipſique publice dictæ Exequiæ.

(2.) Adverſantur huic Sententiæ omnes, qui Obſervationes Anatomico-Practicas ſcripſerunt, v. gr. Bartholinus, Tulpius & ſimiles: Hi enim omnes aperto ore clamitant, ſæpiſſimè Hepar inſons in Hydropicis, in ſpecie Aſciticis, fuiſſe repertum: Hinc refert Lindanus *ſuper Hartmannum*, ſe aliquando vidiſſe Enchuſæ Virginem hydropicam, cujus Ventre diſſecto ingens Aquarum colluvies profluxit, internè nulla labes Viſcerum Abdominis fuit inventa, donec Cordis ſiniſter Ventriculus totus putridus, corruptus, & Liquore inſtar Atramenti fœtidiſſimi plenus fuerit inventus; unde origo iſtius Mali. Unde etiam Sennertus ſuo tempore rejecit, quòd ex Hepate ſemper oriatur Hydrops, imprimis Aſcites; quia potiùs ex quâcunque Causâ Viſcera debilitata in genere, modò Sanguificationem impediant, eſſe Hydropis Aſcitis origines: imò impugnat omnes, qui Hepar affectum defendunt, *lib. 3. Prax. cap. de Aſcite.* Unde in principio hujus ſeculi Sylvius Lanceanus, Medicus Romanus, peculiarem edidit libellum, cujus eſt Titulus: *Hydropem non ſemper à Jecore fieri*; excuſus eſt hic Tractatus *Romæ Anno* 1603.

Non nego equidem, *Hepatis & Lienis Scirrhos* fuiſſe ſubinde inventos in Hydrope demortuis: Sed hoc commune habent cum aliis Viſceribus, & etiam ſubinde reperiuntur Exempla Aſciticorum, in quibus poſt mortem aut Hepatis aut Lienis, aut alius Viſceris Scirrhus fuit inventus, qualia vid. in Foreſto *lib. 19. Obſ. 29.* & in Schenckio *Obſer. pag.* 433. Viſcerum enim quorumvis varia & multiplex in Hydropicis conſtitutio præternaturalis obſervata, ita ut hactenus nil certi de Parte ſolidâ, primariò in Hydrope affectâ, colligi queat. Imò fieri poteſt, ut ſine vitio alicujus Viſceris Hydrops naſcatur, quando *ab Errore externo*, à Potu frigido confertim ingeſto, Aqua in Abdomine colligitur, atque adeò non ſolius Hepatis, ſed & aliorum Viſcerum culpâ, imò interdum Viſceribus penitus illæſis, Hydropem generari conſtat.

Quæſtio autem ſupereſt: *an hi Tumores ſint Cauſa Hydropis?* an verò eum tantùm antecedant? aut ex labe Sanguinis eum comitentur? ſicut videmus v. g. Quartanas, Tertianas diuturnas, &c. ſæpè habere comites Scirrhos Lienis; qui Scirrhi Lienis aut Hepatis ſuperveniunt iſtis Morbis, adeoque ad morboſa Producta potiùs referendi, quàm quòd ſint radicales eorum Cauſæ. Id quod etiam de Hydrope Aſcite, qui ſuccedit poſt Morbos Chronicos, in ſpecie Quartanas & Icteros, obſervandum eſt.

(3.) Tertium, quod eſt contrariũ huic Opinioni,

est quòd explicanda restet *Ratio & Modus*, si ex Hepate oriri supponatur, *quo fiat collectio & destillatio Materiæ aquosæ in Abdominis cavum, aut alias Partes*, v. g. in Caput, Pectus, &c. Nam hæc est consueta Naturæ lex, per Experientiam quotidianam comprobata, simulque per insignia Experimenta, quòd nihil excernatur ex Massâ Sanguineâ purum, nisi per Cribra certa, seu per certos & determinatos Poros ac Meatus. Quæritur ergò: per quæ loca? quomodo? per quas vias destillentur Aquæ, & colligantur, nunc in Capite, nunc in Pectore, nunc in Abdomine, &c. *Transudatio* est leve effugium, ex Vasis nempe Sanguifluis. Tunicæ enim Venarum, ut taceam de Arteriis, tenaces admodùm ac densæ, non permittunt hos Succos effluere ad loca determinata. *Anastomosis* si adest, necessariò tantillum Sanguinis adesset, ut ob Serum instar loturæ carnium, & quasi sanguineum observaretur in Hydropicis: quod tamen non est. Necesse est ergò, ut Veterum assertis missis, aliter explicetur Hydrops generalis. Optimum autem & probabile *Inventum est Modernorum* nonnullorum, qui Particulares variorum Locorum Hydropes optimè dilucidant *per Vasa Lymphatica aut Lactea*, quorum læsorum occasione commodissimè ista Aquarum collectio deduci potest; Impedito enim Lymphæ Motu per hæc Vasa, quid aliud, nisi hujus in Partibus stagnantis collectio, indeque hydropica Intumescentia insequitur? Quòd si per totam Corporis peripheriam, ut in *Leucophlegmatiâ*, vitio Glandularum & Lymphæ ductuum obstructarum, aut alio modo infarctarum Lymphæ per Glandulas transcolatio, & ejus per Vasa ad Massam Sanguineam Motus impediatur, *Anasarca* aderit; sicuti, si in uno vel altero Membro particulari hoc contingat, *Anarsaca Particularis*, *Ascites Particularis* &c. supervenit. Primus, qui mentem huc direxit, fuit Bartholinus *in Tract. de Vasis Lymphat. c. 7. pag.* 245. quem tanquam Præceptorem sequitur ejus discipulus Simon Heinricus Pauli *in Anatomiâ Anatomiæ Bilsianæ pag.* 85. Causam *Hydrocephali* statuit esse Lympham, quæ ex obstructis Vasis Lymphaticis Jugularibus, aliisque Cephalicis inter Cutim & Pericranium, vel inter Cranium, & Meninges, colligatur. Terit eadem vestigia similiter Sylvius, tam in Scriptis Theoreticis quàm Practicis, in specie *lib.* 1. *Prax. cap.* 17. *& cap.* 50. qui in specie *Ascitem* ex hoc fonte derivat. Sanè ubique per totum Corpus & quælibet Viscera dispersa sunt Vasa Lymphatica, tamque per Partes internas, quàm per externas, quæ semper habent suam correspondentiam cum Glandulis. In his ergò Lympha contenta si impediatur moveri, sive sint Vasa rupta, sive erosa, cùm interim continuus ejus sit proventus, necessariò tamen Lymphæ collectio seu *Tumor Aquosus*, *seu Hydrops Particularis* in istâ Parte, ubi sit Lymphæ impeditus Motus, excitatur, *& tam in Partibus internis*, v. g. ex Lymphaticis Capitis, *Hydrocephalus*; ex Lymphaticis Pulmonum, aut ex Lymphaticis Glandularum Pectoris, *Hydrops Pectoris*, ex Lymphaticis Hepatis vel Lienis vel Testium, tam virilium quàm muliebrium, vel Lacteis Thoracicis &c. *Hydrops Ascites Particularis*, & *Hydrocele* inducitur; non secus ac *in Partibus externis* à Lymphaticis Artuum *Tumores Serosi* Partium externarum superveniunt.

*Causa* verò *Generalis*, propter quam non movetur Lympha, in ordinariis Vasis, est aut *Ruptio* aut *Erosio* Vasorum Lymphaticorum. Si enim in quodam loco Glandulæ, & ex his derivata Vasa Lymphatica obstruantur, necesse est, cùm Lymphæ fiat continuus proventus, ut exinde hujus fiat collectio in Glandulâ, aut ejus cursus in Vase ita impediatur, ut necessariò hinc Lympha in Parte colligatur. Et quidem *si obstructum sit Vas Lymphaticum* (præsuppono hîc exactam Vasorum Lymphaticorum notitiam) à Materiâ crassâ & viscidâ, seu, ut vocant, Pituitâ, hoc ipsum Vas obstructum à Lymphâ per istud distribuendâ insigniter distenditur, tandem rumpitur, & ita Lympha successivè effunditur; aut etiam si ipsa Lympha fuerit acidior, salsior, acriorque, aut alius quicunque Humor corrosivus Vasa Lymphatica tenella exeserit, necessariò etiam Lymphæ Motus naturalis in istâ Parte sic impeditur, ita ut Lympha exinde in quendam Locum præternaturaliter effusa & collecta *Tumores Aquosos Particulares*, aut *Hydropem Particularem*, inducat.

Confirmant hanc Hydropis Particularis, per Lymphaticorum Vasorum vitia, originem *Hydatides Viscerum*, (Bullæ aquosæ,) in specie *Hepatis & Lienis*, quæ subinde observatæ sunt, aut prodromi, aut comites Hydropis Particularis, ut in specie hoc rectè observat Schenckius *lib.* 3. *Observ. de Hydrope*, item Platerus *in Observat. pag.* 596. qui observat Hydropem ex Lienis & Hepatis Vesiculis, & Sennertus *in Praxi*, *ubi de Hydrope*. Equidem Hydatides hæ præ aliis Partibus frequenter in Pulmonibus, Hepate, ac Liene, & similibus Visceribus sunt observatæ. De Hydatidibus insignioribus Pulmonum vid. Carolus Piso *in Tract. de Colluvie serosâ pag.* 214. De Hydatidibus insignioribus Hepatis vid. Panarollus *Pentec.* 5. *Observ.* 16. qui quædam egregia habet: quia horum Viscerum Vasa Lymphatica magis exteriora ambiunt, unde Humorum horum seu Aquarum contentarum collectio magis fit conspicua. Scilicet dictis in locis Vesiculæ Aquâ turgidæ, nunc minores ac copiosiores, nunc grandiores conspiciuntur; quæ ipsæ sunt nihil aliud, quàm Vasa Lymphatica, in quibus Motus Lymphæ est impeditus. Hæc ergò Lympha in iis hæret propter interjectas crebriores in Vasis Lymphaticis *Valvulas*, eaque sensim distendit, & dum intercepta est Lympha distendens intra Valvulas, quibus plurima Vasa Lymphatica sunt instructa, spatiola ista intermedia distendendo tumefacit, & ita Vesicularum Aquosarū faciem repræsentant. Quòd si rumpatur una alteravę Valvularum, aut ipsorum Vasorum Lymphaticorum Lympha sub Membranâ Visceris tenui coërcita, & effusa, sensim majores Vesicas & grandiores, ad Nucis juglandis magnitudinem interdum observatas, exhibebit, donec tandem ruptis aut erosis Hydatidibus Lymphæ extravasatio, in cavo Corporis quodam collectio, & ita *Hydrops* postmodùm *Particularis* oritur.

Post Hydatides illustrant Hydropis ortum ex Lymphæ Motu impedito *Ascites seu Hydropes Abdominis Vesicales* dicti, h. e. in quibus Aqua Abdominis Tumorem quidem faciens, non in cavo ejus fluctuaverit, sed potiùs Viscera copiosis & innumeris Vesiculis Aquâ turgidis observata fuerint, ita ut post Abdominis apertionem nihil Aquæ effluxerit. Exempla aliquot enarrat hujusmodi Hydropis Vesicalis Sennertus *c. l. ubi de Hydrope*, item Tulpius, qui observat Hydropem Ascitem ex copiosis Vesicis Mesenterii *lib.* 2. *Obser.* 34. item vid. Hoeferus *in Herc. Med. pag.* 143. ubi similes Hydropes Vesicales refert, item Horstius *lib.* 10. *Observ. pag.* 513. *&* 579. similiter & Bartholinus *Cent.* 4. *Epist.* 58. *pag.* 370. observat Ascitem ex Glandulis vel Vesiculis in Omento Sero repletis, nec non in *Actis Med. Haffn.*

*Vo-*

*Volum.* 1. *pag.* 17. ſicut & in Valeriola. Hæ ipſæ Veſiculæ pariter nil aliud ſunt, quàm Vaſa Lymphatica, & hinc Partium interſtitia membranoſa, hinc inde ex Lymphâ in Motu impeditâ, ut ratione interjectarum Valvularum in Lymphaticis Vaſis tales Veſicas repræſentent, aut rumpantur licèt Vaſa, ſi tamen Lympha effluens in Membranis ambientibus ſuprà dicto modo coërceatur, ſucceſſivè in copioſas tales Veſiculas coacervatur & colligitur.

## ARTICULUS II.

### *De Aſcite Particulari.*

FRequentior autem præ cæteris Hydropis Particularis ſpecies eſt *Hydrops Abdominis* ſeu *Aſcites Particularis*, idque *duplici ex ratione*:

1. Quia copioſa & *inſignia continet Viſcera*, eaque omnia plùs minùs copioſis Vaſis Lymphaticis ſuis inſtructa, v. g. Hepatis, Lienis, Renum, Teſtium utriuſque ſexûs; quibus ſpeciatim accedunt Vaſa lymphatica ab inferioribus locis ad Receptaculum commune aſcendentia.
2. Ratio ſecunda eſt, *quia Meſenterium* etiam *inſtructum eſt copioſis Vaſis Lacteis*, Chylum in ſe tenuem & limpidum vehentibus; quibus plùs minùs ruptis aut exeſis ſimiliter Aſcites & eadem Pathemata in Abdomine ſequuntur, quæ aliàs Lymphaticis Vaſis Abdominis ruptis, nam quòd his Lacteis læſis, etiam ſequatur Aſcites, de hoc vid. Sylvius *cap.* 17. *Prax.*

## CAUSA.

Quoad *Cauſas*: equidem Lindanus Aſcitem Particularem ſemper à *Colliquatione* oriri aſſerit, quod tamen vix univerſale videtur. Plauſibiliſſima eſt Lymphæ chyloſæ alteriuſque Humoris impeditus motus per Vaſa Lactea, unde pariter omnia Symptomata hîc obvia derivari poſſunt. Adeoque *Cauſa Proxima* inveſtiganda eſt vel in *Vaſis Lymphaticis* quacumque causâ eroſis; vel *Vaſis Lacteis* obſtructis, ruptis, & conſequenter Lymphæ deſtillationem parientibus; vel *ex Sanguine*, quodam in loco coagulato, qui putreſcendo tranſit in Aquam, cujus occaſione ſupervenit interdum talis Hydrops Aſcites Particularis.

Res ut pateat exactiùs, obſervandum eſt, *Vaſa Lactea* ratione ſtructuræ & compoſitionis reverâ *eadem eſſe cum Vaſis Lymphaticis*; ſaltem Contenti ratione à ſe invicem differunt, dum nempe vehunt Chylum diſtinctum à Lymphâ. Hinc enim eſt, quòd Truncus Lacteorum & Lymphaticorum communis, nempe Ductus Thoracicus, utrique Liquori vehendo, tam Chylo quàm Lymphæ, ſit deſtinatus. Lacteæ ergò hæ Venæ tenuem & aquoſum Chylum vehunt, ſi aut ipſæ in Meſenterio obſtruuntur, aut Glandulæ Meſenterii, per quas Chylus mediantibus Vaſis Lymphaticis primi generis trajicitur, in Lacteas ſecundi generis, (de quibus imprimis videndus Warthonius) ſi inquam Glandulæ aut Vaſa Lymphatica obſtruantur, neceſſariò ſequitur exinde Chyli effuſio, & inde Tumor Aſciticus ſupervenit. Neceſſe eſt enim, ut Chylus, qui per ſe eſt admodùm tenuis & aquoſus, utpote per anguſtos Inteſtinorum poros percolatus, tunc ſubſiſtat, aut circa Glandulas infarctas, aut in Lacteis obſtructis, hinc Vaſa diſtendat, eademque tandem rumpat, iiſque ruptis in Abdomen influat, quod continuatâ congeſtione tandem diſtendit, & ita tandem Tumorem Aſciticum infert. Hanc Chyli in Abdomen per non nulla Vaſa Lactea ex occaſione quarundam Glandularum obſtructarum deſtillationem, unam ex communiſſimis Cauſis Aſcitis arbitratur Sylvius *cap.* 17. *lib.* 7. Hanc quoque Sententiam illuſtrat imprimis illud experimentum Boylei *Tract. de Uſu Philoſophiæ Experiment. P.* 2. *pag.* 38. in quo refert Aquam Hydropici cujuſdam per Paracenteſin evacuatam, fuiſſe ſpiſſam, craſſam, opacam, & albam, guſtu ſubdulcem, colore turbido; blando igne leniter inſpiſſatam dediſſe Materiam albam, albumini ovorum ſimilem, magis inſpiſſatam in Gelatinam planè craſſam concreviſſe, quæ aliàs Chylo & Liquoribus Chylo permiſtis propria eſſe ſolet: ſicuti hæc ipſa, quæ dico de vitiis Vaſorum Lacteorum & Glandularum Meſenterii, illuſtrant Exempla Aſciticorum eorum, in quibus, reliquis Viſceribus ſalvis Meſenterii tantum modò Glandes obſtructæ, hinc tumidæ aut ſcirrhoſæ, inventæ fuerunt; item quando *ex Ulcere Meſenterii*, in quo dubio procul exeſa fuerunt Vaſa Lactea, crebrò obſervatus fuit *Hydrops*: id quod confirmat Rondeletius *in ſuâ Praxi lib.* 3. *cap.* 35. ubi inquit, id notatu dignum eſſe, quòd ex frequenti diſſectione Corporum obſervaverit, omnes Hydropicos Glandulas Meſenterii induratas vel ſcirrhoſas habere: Sic Tulpius *lib.* 2. *Obſerv. cap.* 33. obſervat Hydropem Abdominis propter Glandulas Meſenterii œdematoſas; quod etiam Panarollus teſtatur, uti etiam Hoeferus *in Herc. Med. cap.* 143. Sic ex Ulcere Meſenterii quinquies Hydropem obſervavit Tulpius *lib.* 2. *Obſ.* 32. uti etiam Hoechſtedterus *Decad.* 6. *Caſ.* 6. ex Glandulis Meſenterii œdematoſis, ſcirrhoſis & exulceratis.

Ex his ergò frequentes ſunt Hydropes Particulares Abdominis, & ſanè ubique proſtant Obſervationes Aſcitis, orti *ex affectis Meſenterii Glandulis*; hinc enim deſtillat Serum plùs minùs chyloſum in Abdomen, ruptis Vaſis Lymphaticis aut Lacteis. Ex hoc fonte etiam Cauſa eſt Aſcitis Particularis, qui ſupervenit quibuſdam, quando copioſus Potus frigidus ingurgitatur in Æſtu, aut nimio Veneris ardore, frequenter enim obſervatum eſt, quòd ex ſolo Hauſtu frigido poſt Æſtum nimium, aut Corporis exercitium, Sudorem nimium aut Æſtum febrilem, aut nimium Calorem, interdum ſubitaneus ortus fuerit Hydrops Aſcites, qualium Exempla Piſo *Tract. de Colluvie ſerosâ* habet, dum refert Aſcitem, natum ex Hauſtu frigidæ in declinatione Tertianæ; Simile etiam Exemplum refert Sennertus *lib.* 3. *cap. de Hydrope Aſcite pag.* 711. Dicit nempe, ſe obſervaſſe in Puella, quòd cùm in Tertianâ vehementer ſitiens totam Menſuram Cereviſiæ ſecundariæ ebibiſſet, inde in Aſcitem inciderit. Item Fonſeca *lib.* 7. *Cur.* 29. obſervat Aſcitem ex Potu frigidi Vini poſt longum iter, dum Æger admodùm eſſet exæſtuatus. Obſervatum crebrò fuit, quòd Meſſores tempore Æſtatis ex hauſtu Cereviſiæ ſecundariæ in Æſtu reddantur Hydropici: Sic ex ingurgitatione Aquæ in Æſtu Tertianæ Febris obſervavit Hydropem Aſcitem Riverius *Cent.* 2. *Obſerv.* 65. Conf. M. A. N. C. *Ann.* 6. *Obſerv.* 52. *p.* 85. Nullus ergò Potus frigidus nimis, imprimis Febricitantibus, præſertim tempore Paroxyſmi porrigendus, utpote quamvis moderatè at intempeſtivè aſſumptus, coagulationi Lymphæ & Chyli intra Vaſa Lactea, hincque Aſciti, non rarò occaſionem ſubminiſtrat. Utut enim Hippo-

crates frigidæ Potum in Febribus paſſim concedat: hîc tamen noſtræ texturæ minùs, quàm Græcorum, aliorumque Regiones fervidiores inhabitantium, convenit: vid. Poterius *de Febribus lib.* 2. *cap.* 9. Sicut quoque rationem hujus effectûs, quòd nempe ex Potu Aquæ frigidæ ſequatur Hydrops, ex obſtructis Vaſis Lacteis, eleganter reddit Sylvius *lib.* 1. *Pr. cap.* 17. *&* *cap.* 50. §. 6. *&* 7. hanc, quòd Mucus ſeu Pituita Inteſtinorum naturalis à Calore vel Æſtu ſoluta, attenuata, & fluidior reddita, ex Inteſtinis in Vaſa Lactea penetret; quæ poſtmodùm à ſuperveniente Frigore, aut externo, aut ex Frigore Potûs ſeu Hauſtu frigido, denuò conſpiſſata & incraſſata Vaſa Lactea & Meſenterii Glandulas obſtruat & infarciat; unde Vaſis diſtentis & ruptis magis vel minùs, *Hydrops ſubitaneus* ſequatur, prout plures vel pauciores Lacteæ hoc modo fuerint affectæ: Vid. in ſpecie Sylvii *Tr. de Hydrope*, & Lowerus *pag.* 124. Bartholinus *Tract. de Vaſis Lymph. c.* 7. Simon Heinricus Pauli *Anat. Bilſ. pag.* 85.

*Aſcites* igitur hic ſeu Hydrops Abdominis Particularis in ſpecie eſt collectio Aquarum ſeu Colluviei ſeroſæ & aquoſæ ſaltem in Abdominis quâdam inſigniore cavitate, idque ſubitò intra octo fere dies, non nunquam intra tres, cùm Aſcites Univerſalis ſenſim accreſcat, Manus, Pedes & Artus omnes cum Manibus fiunt flaccidi, molles, & ſucceſſivè contabeſcunt, primùmque Tumor eſt mollis, pòſt durus? Et non ſolùm in ipſo Abdomine colligitur Aqua; ſed etiam infra duplicaturam Peritonæi, cujus Exemplum habet Job *van* Mechren *in ſuis Obſervat. Chirurg. Belgicè conſcriptis*; *vel* intra cavum Omenti; *vel* ſaltem Lympha ſtagnans intra Partium Veſiculas membranoſas in Meſenterio, aut locis vicinis, Hydropem talem Abdominis repræſentat: quorum modorum apud Practicos hinc inde leguntur Obſervationes.

Verùm præter Vaſa Lymphatica eroſa, & Lactea rupta, interdum *Liquores alii Hydropes Aſcites inferre poſſunt*: Unde in unâ Causâ Univerſali quoad Aſcitem vix ſubſiſtendum, ſed omnes Circumſtantiæ probè expendendæ: v.g. *ex Renibus* affectis ſæpiſſimè Hydropes generantur, adeò ut ex ſolo hoc fonte Hydropicorum Aquas deducat Helmontius *Tract. Hydrops ignotus*; quòd ſcilicet Renes non ſecernentes Serum, ab ejus in Abdomen ex Renibus deſtillatione tandem ſupervenit Hydrops. Unde notum eſt, non tantummodò parcam & imminutam Urinæ in quamplurimis Hydropicis eſſe excretionem, & etiam non rarò diſſectis Hydropicis ipſos Renes tumidos, & vitioſè turgidos eſſe repertos: ſic à Renibus turgidis & perforatis, item ex Renibus exulceratis, obortum Aſcitem obſervat Platerus *Prax. Tom.* 3. *pag.* 239. *&* *in Obſ. pag.* 622. 630. *&* 638.

Porrò *alia etiam Viſcera Abdominis* non rarò etiam dant Tumores ejuſmodi & Aſcites, utut non ſemper puros, ſed potiùs Aquoſo-purulentos. Sic ſuperiùs ex Lindano habui exemplum Hypropis Aſcitis pronati *ex uno Teſticulo*; &c. Sic & Hydropem *ex Teſtibus muliebribus* tumefactis oriri retulit Riverius *in Praxi de Hydrope*. Barbette *in Anat. Pract. p.* 154. dicit, quòd *Menſibus ſuppreſſis* interdum ſuperveniat Hydrops Aſcites, quatenus Materia vitioſa & aquoſa ex Tubulis uterinis in talibus Subjectis in duplicaturam Peritonæi influit, cujus rei ſe teſtem ocularem eſſe affirmat. Quô etiam facit Exemplum proſtans *in Obſervationibus*, *Cultro Anatom.* Lyſeri *annexis*, *pag.* 282. de Hydrope ex collectione Amurcæ fœtidæ intra Cutim & Abdominis muſculos, ob Menſes ſuppreſſos. Aſciten *à Veſicâ* obſervavit Dodonæus *Obſervat. cap.* 34. atque Platerus *Prax. Tom.* 3. *pag.* 244. *&* *ab Ureteribus* Platerus *l. a.* 1. uti & Bonetus *Sepulcr. pag.* 1075.

*Aſciten Particularem à Sanguine* quod attinet, hujus ſubitò facta *Suppreſſio*, vel etiam extrinſecùs facta in quodam loco *Contuſio*, & ita interna cujuſdam Partis læſio, ibique Sanguinis effuſi facta *Congrumeſcentia*, interdum ad hunc Hydropem diſponit. Equidem notum eſt, quod aſſerit Helmontius, dum derivat illum Hydropem ex Renibus, in quibus ac circa quos Sanguis congrumatus fuerit collectus; ſicuti etiam obſervavit Hydropem ex congrumato Sanguine. Interim hoc effatum non eſt univerſale, licèt interdum vitium ſit in Rene non ritè emulgente; proſtantque alia Exempla hoc confirmantia: v. g. *ex Suppreſſione Lochiorum* talem Aſciten particularem hîc Lipſiæ obſervavi, quæ nullâ arte potuerunt revocari, copioſiſſimæ Aquæ in Omento continebantur, quia Tumor circumſcriptus erat circa Umbilicum; brevi pòſt, intumeſcente Abdomine in immenſam molem, concepit ſecundâ vice, Partumque edidit, denuò Lochia ſupprimebantur, unde Abdomen magis intumeſcebat, Candelæ lumen admodùm tranſlucebat, & ſuffocatâ Ægrâ Abdomen ſponte rumpebatur, & incredibilis Aquæ copia evacuabatur. Prætereà hujus rei ſe aliud offert Exemplum, ubi *ex Contuſione* extrinſecâ in Hypochondrio dextro in Viro paupere, aliàs ſano & robuſto, Aſcitem cum Tympanite particularem obſervavi; brevi enim poſt Contuſionem, Abdomine & Scroto tumidis factis, tandem interiit. Forſan huc facit Loweri Experimentum *Tr. de Corde Centur.* 2. *pag.* 125. *&* 126. ubi ſimiliter ex Sanguinis Motu, ex Arteriis in Venas impedito, Hydrocephalum ortum recenſet.

In his Aſcitis ſpeciebus *Cauſa Remota* eſt notabile vitium, occurrens aut in Chyloſi, aut in Hæmatoſi. Nam Materia iſta, quæ cum Lymphâ ſimul colligitur, & ſtagnando Tumorem ex œdematoſo ſeroſum infert, *nihil eſt aliud*, *quàm Chylus crudus*, vitio depravatæ Hæmatoſeos collectus. Hic ergò Chylus, aut vitioſus aut Sanguini non aſſimilatus, Sero dilutus, ut in inferioribus locis ſucceſſivè ſubſiſtit, ac dum ſimul Lympham inquinat, Glandulas ac Vaſa Lymphatica ubique obſtruit, unde neceſſariò & Lymphæ ſtagnatio, & perfectus tandem Hydrops ſupervenit, progrediente ſucceſſivè Malo ulteriùs, & Abdominis ſuperiora petente. Hinc eſt, quòd *nimias Hæmorrhagias* talis inſequatur Hydrops: ſic obſervat Meara *in Exam. Febr. Williſian. pag.* 20. Hydropem ex Hæmorrhagiâ nimiâ: ſic Schenckius *l.* 3. *Obſervat.* aliquot obſervat Hydropes ex diuturnâ & copioſâ Narium Hæmorrhagiâ; item ex nimio Fluxu Hæmorrhoidum, & ſimilibus aliis nimiis Hæmorrhagiis; quia ſcilicet Maſſa Sanguinea nimiâ excretione depauperatur, aut etiam, quando hic Hydrops ſuccedit Morbis Chronicis, per curſum Morbi effœtâ hâc redditâ deficit in naturali Fermentatione; unde inepta eſt Chylum ut aſſimilet, idque eò magis, quod hic ipſe vitio Stomachi ſuggeritur vitiatus.

Hæc eſt Aſcites ordinaria ex Lymphâ ſæpiùs etiam ex Chylo crudo, nec non Sanguine congrumato collecto, orta.

Cæterùm præter dictas interdũ *Extraordinariæ* & planè ſingulares *Aſcitis* reperiũtur *Cauſæ*: Sic mirũ quod refert Bartholinus *Cent.* 2. *Hiſt.* 74. de Hydrope Aſcite ſubitaneo, ex geſtatione diuturnâ Oneris gravioris

oborto:

oborto: Item Borellus *Cent.* 2. *Obſ.* 24. obſervat Hydropem ex compreſſione nimiâ circa Os Stomachi; ſed ut dixi, hæ ſunt Cauſæ Extraordinariæ. Non poſſum, quin quæ de Aſcite Particulari habet Lindanus *ſuper Hartmannum*, proferam: *Hydrops*, inquit, *eſt duplex: Unus ex Cauſâ frigidâ, alter à Cauſâ calidâ.* (Linquimus Lindano has delicias, illumque ſuo ſenſu abundare permittimus) *Ille*, inquit, *eſt ab aquoſitate & nimiâ Sanguinis dilutione, quia nempe Chylus nimis aquoſus ſuppeditatur Sanguini, qui in Sanguinem bonum converti nequit: Altera ſpecies*, inquit, *eſt ab Intemperie calidâ, quando Sanguis colliquatur & uritur in Ichorem acrem, qualis eſt, qui immediatè poſt Febres Ardentes ſequitur. Hic poſterior*, inquit Lindanus, *vocatur Hydrops Siccus*; (videtur quidem contradictio, ſed ab explicatione ſuppeditatâ tollitur) *prior verò vocatur Hydrops Humidus, qualis eſt, quando omnia marceſcunt præter Abdomen. Nam*, inquit, *Quæritur hîc, quod ſit Hydrops Siccus* Hippocratis in Sect. 4. Aphor. 11. *Omnes Autores dicunt: hîc intelligendum eſſe Hydropem Tympanitidem, & ſequuntur præceſſorem* Galenum. *Ego ex* Hippocrate *& aliis monſtravi, eſſe intelligendum Aſcitem, qualis eſt, quando omnia marceſcunt præter Abdomen. Nam*, inquit, *quomodo? Sunt duæ Aſcitis ſpecies.. Una eſt, in qua ab Aquis collectis non tantùm Venter tumet, ſed etiam Scrotum & Pedes, ubi interdum Puſtulæ aperiuntur, & effluit Humor, & hæc ordinaria eſt ſpecies: ſed præter hanc videbitis & ſpeciem aliam, ubi nullus nempe in Scroto Tumor, neque etiã in Pede, ſed in Abdomine omnis Humor colligitur, Pedes autem & reliqua Membra contabeſcunt & marceſcunt, ut ſquamas concipiant. Cætera vix Oſſibus hærent, Facies eſt arida & ſqualida. Et hic eſt Hydrops Siccus* Hippocratis. *Dicitur igitur Siccus ab illâ ariditate ſqualore, & macie totius, & hydropica aquea ſunt lutea, quæ expurgantur: In Hydrope Sicco Urinæ ſunt ſplendidæ, inſtar aquæ planè croceæ, inſtar Ictericorum, ſed non habent illam craſſitiem, ſunt pauciſſimæ, & vix 2. vel 3. cochlearia, in ignem effuſæ ardent. In Aſcite verò Humido Urinæ ſunt albæ, pallidæ, & crudæ, interdum, ubi Renes non ſunt affecti, ſatis copioſæ.* Hæc Lindanus. Exempla hujuſmodi *Aſcitis Particularis* videb. in ſpecie in Hoechſtedtero *Decad.* 10. *Caſ.* 7. *Obſerv.* 78. Ex quibus patet, *Hydropem Siccum* eum appellari, qui fit ex vitio Meſenterii, & imprimis Vaſis lacteis; *Hydrops* verò *Humidus*, qui fit ex antecedente Hæmorrhagiâ, vitio Maſſæ Sanguineæ depravatæ.

Hæc de Cauſis & Origine Hydropis Aſcitis.

## DIAGNOSIS.

Sequuntur *Signa*: Aſcites Particularis facilè cognoſcitur; ſaltim in eo Medicus ſit cautus, ut artificiosâ conjecturâ, & conſideratione omnium Circumſtantiarum poſſit cognoſcere, an in cavo Peritonæi? an in Omento, aut Utero, aut aliis ſimilibus locis Aqua collecta contineatur?

*Duobus ferè modis inchoat.* Primam ejus invaſionem præter Signa Generalia *in Hydrope Univerſali ſuprà Sect.* 17. *Cap.* 3. *Art.* 3. recenſita, prodit Epigaſtricæ regionis Tenſio continua equidem, quam tamen Alimenta aſſumpta intendunt: Malo verò ingraveſcente aut Abdomen ſucceſſivè intumeſcit, hinc Pedes & Scrotum, quando vitium hæret in ruptis Vaſis Lymphaticis vel Lacteis Abdominis; aut verò frequentiſſimè inchoat Aſcites, ita ut priùs Pedes intumeſcant, & hinc Tumor ſucceſſivè adſcendat, & Abdomen occupet, tandemque perfectum Aſciten indicat. Et quidem, quando Pedes intumeſcunt, ut plurimùm non ſola Aqua, ſed ſimul Materia quædam craſſior, ac ſpiſſior concurrit, adeò ut non ſolùm Tumor Seroſus, & Aquoſus, ſed ſimul ſit Tumor Oedematoſus; uti ſit quando in Cachecticis vel diuturnis Morbis ſequitur Hydrops, & ita adſcendit ſenſim Tumor talis Oedematoſus, donec Abdomen occupet. Superiora econtrà, niſi Anaſarca adjuncta ſit, contabeſcunt, quamvis extrema Manuum ob Pulſũ debiliorem aliquantum influantur. Æger in latus converſus Fluctuationem quandam Aquæ inſtar, interdum etiam Murmur percipit, intumeſcente magis Latere, in quod incumbit; & quò magis intumeſcit Abdomen in Aſcite, eò magis contabeſcunt Partes ſuperiores, niſi quòd interdum ad extremum, ut modò dixi, etiam Manus inflentur, & tumeſiant.

Supervenit tandem *Difficultas reſpirandi* admodùm moleſta, præprimis ab Alimentis aſſumptis, propter Diaphragmatis liberum impeditum motum, imò interdum Orthopnœa, ita ut Æger non niſi Corpore erecto, quieſcere queat. Platerus *in Obſerv.* dicit, quòd Dyſpnœa nocturna prænunciet Hydropem Aſcitem; in ipſo verò Aſcite ſit Dyſpnœa continua.

Interdum & *Sitis* eſt admodùm intenſa, idque tunc imprimis, quando vitio Meſenterii ruptis Lacteis ſit Hydrops Aſcites: interdum Sitis eſt parva, quando Maſſa Sanguinea ex vitiatâ Hæmatoſi eſt gravata copioſis Succis crudis, (non enim omnes Hydropici ſitiunt:) *Tuſſis* etiam Sicca ſupervenit, aut, quæ in principio adfuit, notabiliter augetur.

Ad hæc attentus ſit Medicus, *ne confundat Aſcitem Particularem cum Graviditate*; nam quòd interdum cum hac confundantur, patet ex Exemplis; ſicuti hîc novi Medicum, & etiam Halæ Saxonum, qui Gravidas pro Hydropicis curârunt. Siquidem, & Mulieribus Gravidis ſubinde copioſæ Aquæ intra Uterum colliguntur, in quibus natat Fœtus, ſicut etiam iiſdem nunc ante nunc poſt medium Geſtationis tempus Crura non rarò tumefieri aſſolent, idque tamdiu, donec ſuperveniente Partu mediantibus Lochiis ſucceſſivè ſubſidant. Ne ergò fallamur, nec famæ & Arti detrimentum conciliemus, probè obſervantur *Signa quædam diſtinctiva*, quæ inter optima ſunt, quæ præponit Lindanus, qui dicit; quòd Hydrops diſcernatur à Graviditate

1. Ex *Colore Faciei* vivido & benè habito, qui eſt in ſpecie in Gravidis, & cæteris paribus ſanis, magis floridus, vividus; Hydropicæ verò malè ſe habeant, ſint ut plurimùm pallidæ, Colore livido.
2. Diſtinguuntur invicem *ex Tumoris ſpecie*: ſiquidem in Gravidis Tumor Abdominis magis ad Præcordia & ſurſum versùs prominet, Latera autem ſunt cava, eſtque inæqualis, niſi, quod tamen rarò, gerant Gemellos; tunc enim etiam Lumbi ſunt diſtenti; & in ſpecie Tumor magis ad Umbilicum & ſupra Umbilicum exſurgit primo Geſtationis tempore, ſicut ultimo versùs inferiora: Econtrà in Hydropicis totum Abdomen, etiam Latera, & Lumbi, tumidi ſunt, & magis inferunt acuminatum Tumorem poſt medium Geſtationis tempus.
3. Si *Motus percipitur* aliquis, nempe Fœtûs, Graviditatis præſumptio patet.
4. Denique certum & optimum Signum eſt *Fluctuatio*; ſic nempe interdum Hydropici, quando ſe movent & jactigant, percipiunt aliquam

quam Fluctuationem in cavitate Corporis, quæ deeſt in Graviditate. Interim tamen Fluctuatio non ſemper Hydropem Abdominis comitatur: quando enim Membrana Peritonæi ex ſpaſmo eſt diſtenta ſine Fluctuatione, ſolent ibidem Aquæ contineri.

5. *Oculi* in Gravidis, utut ipſæ malè ſe habeant, ut plurimùm tamen ſolent eſſe fulgidi & clari: In Hydropicis verò nitor Oculorum perit, ipſique Oculi apparent quaſi cornei, lividi, & ſic porrò. Vel ſi Hydrops eſt Siccus, Oculi interdum apparent ignei ſeu fulgidi.

6. Porrò *Urinæ* in Gravidis non ſunt aquei coloris, ut in Hydrope.

7. Hydrops admodùm *Naturam* ſeu *Membrum genitale Mulierum premit*, quod non fit in Geſtatione Fœtûs.

8. In Hydrope, quô ſe convertunt, eô *dilabitur Aqua*, & *Tumor*; quod non fit æquè in Graviditate.

9. In Hydrope *Menſes* interdum aquosè fluunt; in Gravidis non, aut rariùs.

10. In Hydrope *languet Appetitus*, in Geſtatione verò non eſt proſtratus Appetitus, ſed optimè vorant non rarò.

Plura Signa Prognoſtica diſtinctiva *ſuprà, ubi de Aſcite Univerſali* egimus, videri poſſunt. Quibus probè obſervatis, vix fallere poteſt Medicum Hydrops.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: levior & minùs periculoſus eſt *Aſcites Particularis*, quàm *Univerſalis*, & facillimus curatu, modò maturè Cura inſtituatur, ne occaſione retentæ Colluviei aquoſæ Viſcera interiora Abdominis inficiantur, & ad ſui Corruptelam diſponantur; tunc enim per accidens lethalis fieri poteſt Aſcites.

Aſcites *Anaſarcæ ſuperveniens* melioris ſpei habetur, quàm ſi iſte ſolitarius fuerit, id eſt, propter Tumores Viſcerum Abdominis, v. g. Hepatis aut Lienis, aut propter Vaſa Lactea, & Lymphatica rupta contigerit; cùm prioris Affectûs Cauſa Continens & Procatarctica ſæpè tollatur aut imminuatur, poſterioris verò utraque difficulter admodùm aut ut plurimum incurabilis exiſtat, aut licèt curatus ſemel, tamen ſubinde denuò renaſcitur, & talis Hydrops curatus denuò renaſcens lethalis eſt, uti habet Hippocrates *in Obſerv. Coacis*, item Deodatus *in Valetudin. pag.* 160.

In Hydrope poſt Cachexiam, & ſimiles Morbos diuturnos *Dejectionem nigram* lethalem pronunciat Platerus *l.* 3. *Obſerv. pag.* 670.

Hydrops *ex perverſo Purgantium uſu* admodùm periculoſus eſt, quia hæc admodùm inquinant Maſſam Sanguineam, uti hoc habet Poterius *Cent.* 2. *c.* 29.

Hydrops poſt Febrem leviorem ortus, non eſt adeò periculoſus, nec adeò curatu difficilis, quàm qui à ſeipſo invadit.

Hippocrates *Aphor.* 43. *Sect.* 6. hanc Obſervationem: *Qui Lienoſi Dyſenteriâ corripiuntur, iis Dyſenteriâ diutiùs durante Hydrops aut Lienteria ſupervenit, & moriuntur.* Expoſitionem hujus Aphoriſmi habet Sennertus *lib.* 3. *Prax. cap. de Hydrope*, quæ ſatis eſt accurata.

Porrò, quantò *minor Urinæ copia* excernitur, tantò deterior eſt Hydrops, quia Serum copioſum augmentatur; Unde etiam dicit Celſus, tunc demum in Hydrope ſecundam valetudinem ſperandam eſſe, cùm plus per Urinam excernitur, quàm ſuit aſſumptum per Os. Nam optimè Hydropici curantur per Diuretica.

Hydropi *ſuperveniens Tuſſis*, malum, inquit Hippocrates *Sect.* 6. *Aph.* 35. *Sect.* 7. *Aphor.* 47. & *M. A. N. C. Ann.* 4. & 5. *Obſerv.* 148. *p.* 168.

*Abſceſſus* vel *Maculæ in Cruribus* erumpentes lethales ſunt, obſervante etiam hoc Hippocrate *in Epidemicis.*

Hydrops, qui oritur *à Partium urinariarum*, Renum Ureterum, Veſicæ, &c. ruptura aut exulceratione, ut plurimùm lethalis eſt, niſi Partes hæ celeriùs coaleſcant, aut Urina per Ulcus Abdominis effluat.

Si Aſciticorum Aqua à propinatis *Medicamentis* copioſè, & cum euphoriâ *evacuetur*, ac Venter detumeſcat, aliqua Curationis ſpes eſt; ſin verò Medicamenta hæc nihil aut parum evacuent, ſed Viſcera inde irritata cum Abdomine magis intumeſcunt, omninò deſperandum erit.

Iſte Aſcites particularis, in quo Aquæ intra Corpus membranoſum, *Omentum*, *Peritonæum*, *Uterum* &c. collectæ, cum eo Ægri plures annos, cæteris paribus, ſani manere poſſunt.

*Tumores Seroſi Artuum* Particulares vix, niſi aliis ſupervenientibus Morbis, lethalitatem inferunt, utut eorum unus alteri difficiliùs, vel ratione Cauſæ, vel aliarum Circumſtantiarum, ſanetur.

Tadem *Viſcerum internorum* Hydrops nunquam periculo vocat, ſed ut plurimùm funeſtus exiſtit.

Hæc de Signis Diagnoſticis & Prognoſticis in genere & in ſpecie. Ubi adhuc obſervetur: in cognitione Aſcitis maximam haberi rationem *Cauſarum Antecedentium*, in quibus legitimè cognoſcendis cardo totius Curæ conſiſtit. Et hoc eſt, quod reddit Medicum eruditum, nempe Judicii vis in cognoſcendo Affectu & Cauſis: & hinc *in Medico præferrem Judicium Memoriæ.*

Habuimus Theoriam Hydropis in genere, & in ſpecie ſupereſt Praxis.

## CURA.

In *Curâ* Aſcitis hujus Particularis attendendum eſt

1. Ut *Aquoſitates collectæ*, quantum fieri poteſt, *evacuentur* per vias, per quas Evacuatio commodè, & cum majori Ægri euphoriâ fieri poteſt.

2. In Vaſis Lymphaticis, & Lacteis factæ *Obſtructiones* ſolvantur, vel *Eroſiones* illorum conſolidentur, ut & *Sanguis grumoſus*, ſi adeſt, maturè diſſolvatur.

*Prius* fit per *Purgantia*, hinc, utut rarò, *Sudorifera*, & ſpeciatim *Diuretica*; omnium optimè per Abdominis *Paracenteſim*, Modernorum more cum Acu argenteâ faciendam, de qua vid. Barbette *in Chirurg.* Utiliſſima, & tutiſſima eſt hæc Operatio, præſertim in hac Hydropis ſpecie, modò maturè inſtituatur, antequàm Colluvies excrementitia diuturnâ retentione corrumpatur, & Partes contentas ſolidas inquinet: unde etiam *Umbilicus ſponte apertus* talem Hydropem curat. Poſterius fit per *Salina Diuretica*, vel volatilia vel fixa, v. g. Arcanum Duplicatum *Mynſichtii.* Sudor vix in alio Hydrope quàm in Hydrope Univerſali ſeu Anaſarcâ convenit. Simul tamen etiam Cauſarum Antecedentium habenda eſt ratio, eæque variæ, prout ſcilicet eædem ſunt diverſæ; ut plurimùm tamen *Mucus viſcidus* Vaſa Lymphatica obſtruens, & Lympham incraſſans, incidendus, diſ-

diſſolvendus, & fluxilis reddendus. Ulteriùs promoveatur *Conſolidatio*, quæ ſponte ſuccedit, quia talia Vaſa, quæ Rore ſpermatico chyloſo nutriuntur, ſunt glutinoſa, & ſponte coëunt. Sed in ſpecie, quoad hanc Medendi Methodum, vid. Sylvius *l.* 1. *Prax. cap.* 17. cum quo conf. Sennertus. Quòd ſi vitium *Sanguinis congrumati*, aut aliâ ex Causâ collecti, Morbum intulerit, per *Appropriata* Naturæ ſuccurrendum, de *quibus jam ſuprà*.

Remedia, quæ huic ſcopo ſatisfaciunt, ubertim nota ſunt ex Aſcite Univerſali; Hinc enim ex Purgantibus convenit *Elaterium*: e. g.

℞. *Extr. Elater.* gr. xv.
*Reſ. Jalapp.* gr. v.
*Extr. Troch. Alband.* gr. j.
*Olei deſtillat. Bacc. Junip.* gutt. ij.
Cum ſ. q. *Malvat. Junip.* f. Pilulæ.
D. S.
Pilulæ Purgantes.
Vel
℞. *Succ. Ireos noſtr. per reſid. depur.* ℥ß. vel ʒvj. ad ℥j.
*Aquæ Cinnamom.* ʒij.
*Syr. Violar.* ʒß.
M. D. S.
Succus Purgans pro unâ vice.
Vel
℞. *Aquæ Fragor.* ℥j.
*Pulv. Jalapp.* ʒj.
*Tartari vitriolat.* ʒß.
*Syrup. Roſat. ſolut.* ℥ß.
M. S.
Potio Purgans pro unâ vice.

Ex *Diureticis* Sal Geniſtæ, Stipitum Fabarum, Spiritus Tartari volatilis eminent: in ſpecie in Hydrope ſeu Aſcite Particulari Nitrum & omnia Nitrata ſunt optima in tali caſu, imprimis quando poſt Febrem vel in Febre Aſcites talis ſupervenit ſubitò, optimum tunc eſt Nitrum crudum probè depuratum: in Potu quotidie aſſumitur in magnâ doſi ad ℥ß.

Ex *Sudoriferis* verò Volatilia quæcunque in juncto Tympanite. Præ cæteris Spiritus Nitri dulcis, & hinc Spiritus Carminativus de Tribus, miræ ſunt efficaciæ: Borellus *Cent.* 4. *Obſerv.* 16. Sanguinis humani Elixire Hydropicos bis curavit deſperatos & conclamatos intra tres dies, ʒß. qualibet vice propinando per tres vices.

Quoad *Externa*: habuimus hæc *ſuprà in Hydrope Univerſali*.

Fit etiam mentio apud Practicos Hydropis *per Colliquefactionem*, ſeu in quo Sanguis in Liquamina ſeroſa fatiſcit, de quo jam *ſuperiùs* ex Lindano quædam allegavi. Et eſt ille Hydrops, qui v. gr. Febres Ardentes immediatè ſequitur, in quo Extrema gracileſcunt, Abdomen contrà intumeſcit: Talem Hydropem nomine Hydropis Sicci ab Hippocr. *lib.* 4. *Aphor.* 11. inſignari aſſerunt. *Rarus eſt hic Hydrops, & in eo curando obſervandum, quòd nullæ Purgationes conducant, ſed uno & ſimplici Remedio, nempe Nitro probe depurato, tales Hydropici curandi ſunt, dando nempe quotidie ſolum Nitrum in Vino Rhenano, ita ut quotidie Nitri* ℥ß. *abſumatur, idque per* 24. *horas, nempe non ſimul & ſemel, ſed partitis vicibus, & quoties aliquid bibunt, Nitri depuratiſſimi* ʒj. *addi debet, & nil præterea agendum. A Purgatione abſtinendum: quantò enim magis expurgabis, tantò magis mox intumeſcunt, & Lotia eò magis indies ſplendeſcunt & inflammantur, ſicut in Diabete. Temperandus eſt Sanguis Nitro; hoc enim ſedat Sitim, temperat Æſtum, & ciet Urinam. Et quando hæ in tali Hydrope poſt Nitri uſum non amplius ſplendent, ſignum eſt propemodùm ſuperati Mali, & Æger in declinatione Morbi eſt conſtitutus, tuncque oportet dare bonum aliquod Conditum corroborans, & confortans.* Vid. Lindanus.

## ARTICULUS III.

### *De Hydrocephalo.*

Inter *Hydropes Particulares* eminet in ſpecie poſt Aſcitem *Hydrocephalus* ſeu *Hydrops Capitis*, quando nempe colligitur Aqua in ſphærâ Capitis. Interim Hydrocephalus hic ratione *Subjecti* immediati, in quo colligitur Aqua ordinariò ſolet eſſe *triplex*:

1. Prima ſpecies eſt, quando Aqua colligitur *inter Partes cutaneas & Cranium.*
2. Quando Aqua colligitur *inter Cranium* & ipſum *Cerebrum*, ſive ſit ſupra ſive infra Meninges, in ſpecie duram.
3. Tertia ſpecies eſt, quando Aqua colligitur *in ipſo Cerebro*, ſpeciatim in Ventriculis Cerebri, nimia copiâ Cerebrum & ipſam Calvariam diſtendens, & ita *Hydrocephalum* inferens.

*Priorum* Hydrocephalorum *Exempla* ſunt frequentiora: rariora autem iſta quæ Hydrocephalum talem demonſtrant, utut hujus primus mentionem fecerit Veſalius *de Structurâ Corp. Hum. lib.* 1. *cap.* 8. de Puellâ, in quâ Cerebrum à collectis Aquis omnimodè excavatum & ſingulariter diſtentum fuit. Præter hunc ſimile Exemplum refertur à Tulpio *lib.* 1. *Obſervat. cap.* 24. item *cap.* 25. de Puero quinquenni, *Hydrocephalo* mortuo, in quo ℔. v. Aquæ in Capite inventæ ſunt. Cerebrum autem amiſsâ figurâ globosâ, induit figuram convexi Fornicis, & ab exuberante Aquâ adeò fuit diſtenta Medulla ipſius Cerebri, ut inſtar Membranæ craſſiuſculæ adhæreſceret Cranio, manentibus tamen ſemper ſalvis operibus Naturæ: Id quod fit, ſive in utroque Ventriculo ſeu latere colligantur Aquæ, ſive in alterutrâ ſaltem medietate Cerebri Aquarum Hydrocephali collectio fiat; cujus Exemplum videb. in Tulpio *Cent.* 2. *Obſerv.* 25. Hydrocephali nempe dimidiati Capitis, in cujus Cerebri altero Ventriculo ultra ℔. ij. Aquarum tam ſtrictè incluſæ fuerunt, ut altera Cerebri pars planè illæſa & integra perſiſteret. Illuſtrat verò hoc Nicolaus Steno *in Anatome Capitis Vitulini Hydrocephalici inſtitutâ* vid. Bartholinum *Act. Med. Haffn. Vol.* 1. *pag.* 249. *& ſeq.* Cæterùm *Infantes* huic Hydrocephalo imprimis ſunt obnoxii, quia in illis Oſſa Capitis teneriora, quæ non ſunt Suturis firmiter juncta, facilius hiſcunt, & ob mollitiem talem obſequentiora facilius diſtenduntur, unde Aquis ſucceſſivè colligendis cedunt. Aliàs rarò obſervatur Hydrocephalus internus *in Adultis*, in quibus propter Oſſium Cranii firmiorem compagem Suturæ diſcedere nequeunt, adeò ut potiùs alios Morbos Aquæ in Cerebro collectæ inferant. Non tamen penitus deſunt: vid. Hildanus *Cent.* 3. *Obſerv.* 48. Nam Puellam Hydrocephalam notat Panarollus *Pent.* 5. *Obſervat.* 74. ſeptimo anno pereuntem, in quâ Aqua per quaſdam Suturas dilatatas, partim per Cranium perforatum egreſſa erat: ut externè extra Cranium partes in Adultis intumeſcere poſſe in Hydrocephalo extra dubium ſit: Sic Piſo in eleganti Scripto *de Colluvie ſerosâ* notat Hydrocephalum in Puellâ 22. annorum, ſemel atque iterum periodicè recurrentem:

Za

Zacutus Luſitanus *lib.* 3. *Prax. Admirand. Obſervat.* 12. ſtupendum refert Hydrocephalum curatum in Viro, cujus Caput Caput Bovis æquavit. In Infantibus etiam interdum vitiatus in Utero materno Situs (quando Embryo nimis citò ſe vertit) ad Hydrocephalum diſponit, quando nempe Infantes cum Capite diutiùs Oſſi Pubis inſident, in quo poſitu interdum ad aliquot ſeptimanas obſervantur; Ex hac enim occaſione interdum in ipſo Utero Matris, ex impedito Lymphæ reditu, in Capite Infantis collectæ Aquæ Hydrocephalum inferunt, qui propter molem Capitis neceſſariò Partum difficilem efficit: quam Cauſam urget Placentinus *in Obſervat.* ſicut talia Exempla duo obſervata fuerunt Uratiſlaviæ. Aliàs *Imaginatio materna* quoque ſignando Fœtum, Hydrocephalum infert, teſte Hildano *Centur.* 5. *Obſervat.* 3. uti etiam Marcellus Donatus *Hiſtor. Med. Mirab.* refert *l.* 2. *c.* 1. quod ipſum graviſſimum eſt Malum, quando Hydrocephalo laborant Infantes, dunt adhuc in Utero Matris conſtituti ſunt.

## CAUSÆ.

*Cauſam Proximam* quod attinet: ſolet eſſe *Lymphæ ſtagnatio* in præfatis locis, propter ejuſdem naturalem Diſtributionem impeditam, ex Obſtructione Vaſorum Lymphaticorum, nunc extra, nunc intra Cranium oriundâ. Adeoque hîc ad lymphæ Ductus reſpiciendum eſt, ut non tantùm vult Pauli *in Anat. Anatomiæ Bilſianæ pag.* 85. ſed vel maximè confirmat Heertodt *in Crocolog. cap.* 282. de Puero, Hydrocephalo mortuo, in quo Vaſa Lymphatica Cerebri partim turgida, partim rupta viſa. Interdum præter Aquas ſolas etiam *Flatus* ſimul colligi ſolent, qui cum Aquâ Caput diſtendentes Tumorem Hydrocephali inſigniter augent: ſed rarò oriuntur tales Hydrocephali. Interdum per Artem Agyrtæ inducunt *Hydrocephalum Artificioſum* per inſufflationem Aquæ juxta Nucham intra Cranium & Cutim Capitis.

## DIAGNOSIS.

*Signa* Hydrocephali ſunt ſatis manifeſta, quia *Conditiones & Circumſtantiæ Tumoris* facilè rem innuunt, ac vel viſui vel tactui Malum patet.

Diſcernendum autem imprimis: *an Flatus*, *an verò Humor ſolus* Tumorem Hydrocephali inferant? ſi enim Flatulentiæ ſeu Flatus peccant, nunc ſolùm, nunc conjunctæ cum Aquâ, ſolet adeſſe inſignis Cutis diſtenſio, ut Caput leviter pulſatum inſtar Tympani cujuſdam reſonet. Deinde ſi Digitio prematur Tumor, aut non recedit, aut ſi recedat non nihil, ad priſtinum tamen ſtatum illicò redit. Si verò eſt ab Humore ſolo, & quidem extra Cranium collecto, cognoſci poteſt ex conditione Tumoris; videtur enim Cutis mollior, Caput quaſi ſplendeſcens obſervatur, à Candelâ admotâ tranſlucet, percuſſum nullum edit ſonum, & facilè Digito prementi cedit, nec ſtatim ad ſtatum priſtinum revertitur.

Quòd ſi verò *intra Cranium & Cerebrum* contineatur Aqua, Tumor non eſt ad tactum adeò mollis, niſi valida fiat compreſſio, obſtantibus nempe Oſſibus; in ſpecie Frons ipſis quaſi extra protruſus eſt, Palpebrarum Tumor, Oculi tumidi extra orbitas quaſi prominere videntur, ſeu vix intra orbitas retinentur; ſimul etiam frequenter lacrymantur, concurrit inſignis omnium Senſuum hebetudo, & ad Somnolentiam inclinatio, cum Dolore Capitis tenſivo.

Quibus ſucceſſu temporis tam in Infantibus, quàm interdum in Adultis, accedit *Capitis intumeſcentia ac moles* reliquo Corpori minùs proportionata, & ſæpè vix credibilis, quale Exemplum Hildanus *Cent.* 1. *Obſerv.* 10. recenſet. His abſentibus Circumſtantiis, tumente nihilominùs inſigniter Capite, ſuſpicio eſt, in Cerebri Ventriculis radices egiſſe Hydrocephalum.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: difficile eſt Malum & periculoſum, minùs tamen periculoſus eſt *Hydrocephalus Externus*, ſeu ſupra Cranium, & facilè curatur. *Internus* verò, ſeu intra Cerebrum, periculoſus eſt, & plerumque Malum incurabile, quia ſuperveniente Lethargo, aut Apoplexiâ, aliiſque graviſſimis Affectibus, Ægri moriuntur. Intra Cranium, & Cerebrum collectæ Aquæ ſubinde, utut rarò & difficulter, curari ſolent.

## CURA.

In *Curâ*

1. Ante omnia *Aquæ* ſunt *evacuandæ*.
2. *Caput ac Cerebrum* Aromaticis volatilibus appropriatis *roboranda*.

Quoad *Evacuantia*: hæc ſunt vel *Interna*, ſenſibiliter id exhaurientia: vel *Externa*, inſenſibiliter diſcutientia; vel *Media Chirurgica* ſectâ Cute Humoris vias patefacientia.

*Interna* ergò, *quæ evacuant*, ſunt omnia Hydragoga dicta, in Hydrope quocunque uſitata, quæ pro robore Subjecti patientis determinanda, & præſertim in Infantibus, in quibus ſaltim mitiora & temperata uſurpantur: e. g. *Mercurius dulcis* gr. vj. cum Syrupo Roſarum ſolutivo, aut Syrupo de Rhabarbaro, aut de Spinâ cervinâ, aut Mannâ, cui tantillum Succi & Syrupi Ireos noſtratis admiſtum eſt; item prodeſt blandum Infuſum & Syrupus ex mediano Cortice Sambuci; ſicuti Adultis generoſiora *Laxativa*, & eadem quæ in Aſcite in uſu ſunt, conveniunt, v. g. Elaterium, vel poſt hoc Succus Radicis Ireos recens, &c. *Clyſteres* etiam tam Infantibus, quàm Adultis mirè conducunt; ſed ii ſint acres, & fortiter ſtimulantes, v. g. ex Radice Bryoniæ, Ireos, Soldanellâ, Gratiolâ, Cortice Sambuci, & ſimilibus. Sic D. Michaelis aliquando Famulum cujuſdam Mercatoris hujus loci Hydrocephalo laborantem Clyſmatibus factis ex fortiter ſtimulantibus, & Aquas potenter evacuantibus reſtituit. Laboraverat autem anteà Hydrope in partibus inferioribus, quô ſolutô Tumor quaſi ad Caput raptus fuit, ita ut non tantùm Cutim valdè diſtenderet, ſed & Oculos ex cavernulis foras protruderet, quin & Organa aliorum Senſuum læderet, & idem Bruti ad inſtar in lecto jaceret: Sed juſſu D. Michaelis *Clyſma* ſequens applicabatur.

℞. *Herb. Soldanell.*
*Gratiol.*
*Fol. Ebuli.*
*Aſari* an. M. ß.
*Flor. Sambuc.*
*Geniſt.*
*Perſicor.* an. p. ii.
*Cortic. inter. Samb.*
*Frangul.* an. ℥ß.
*Rad. Ireos noſtrat.*
*Bryon.*
*Eſulæ* an. ℥iii.

*Pulp.*

*Pulp. Colocynth.* ℥j.

In *Urinâ Pueri* coquebatur; quô applicatô, factis simul aliis faciendis, sanitati restitutus fuit.

In Infantibus Clysteres blandiores injiciendi sunt. Cum his simul internè vel Tinctura Tartari Infantibus ad guttas x. commodè propinatur pro stimulandâ Urinâ; aut Spiritus Tartari volatilis, & quæcunque Volatilia ex Tartaro propter vim diureticam & penetrantem ad promovendum Urinæ fluxum commodè misceri possunt; sicuti etiam *Spiritus Paracelsi ad Hydrocephalum* ex Tartaro, Vitriolo & Radice Vincetoxici (vid. Hartmannus) tanquam universale Remedium est in Hydrocephalo; quem egregiè commendat Poterius *Cent.* 1. *Observ.* 2. *cap.* 13.

Cæterùm cum his Internis simul usurpanda sunt *Externa*, eaque primariò *Discutientia*, & Tumorem insensibiliter *Resolventia*, vel sensibiliter *Evacuantia*. Inter illa sunt *Cataplasmata* & *Fomenta* ex Aromaticis discutientibus, facta ex *Chamomillâ*, *Melilloto*, *Artemisiâ*, *Stœchade Arabicâ*, *Calaminthâ montanâ*, *Roremarino*, *Absynthio*, *Origano*, *Pulegio*, *Cumino*, *Serpillo* & similibus, quibus Farina Fabarum, Farina Lupinorum, Stercus Columbinum, Caprillum, Semen Anisi, & Cumini, ac similia, commodè addi possunt.

Conveniunt etiam *Olea Discutientia*, ut Oleum Chamomillæ, Oleum Anethinum, Oleum Laurinum, & similia. Hinc usu expertum est præstans Oleum seu Linimentum Foresti *l.* 3. *Chirurg. Obs.* 7.

℞. *Olei Chamom. vulg.* ℥iv.
*Sulphuris pulveris.* ℥i.

Probè invicem mixus, & digestione unitis, constituitur Linimentum.

Hoc diu continuatum externè illitum, insensibiliter emollit & discutit Hydrocephalum: cui si addantur aliquot guttæ vel ʒj. *Olei destillati Cumini*, vel *Succini*; vel aliis *Unguentis* addatur *Balsamus Sulphuris therebinthinatus aut juniperinus*, erit Unguentum eò penetrantius. Imò nullum est dubium, quin ipsum Balsamum Sulphuris vulgare terebinthinatum, aut, hôc nobilius, anisatum, blandâ manu illitum, potentius sit Hydrocephali discussivum. Tandem Avicennæ & Roderici à Castro Remedium sunt Cochleæ recentes in Decocto quodam Cephalico, e. g. Stœchados Arabicæ, Calaminthæ montanæ, &c. contusæ, & in formâ Cataplasmatis Capiti applicatæ, quod & ipsum Remedium Modernorum Experientiâ compertum est, & in Scroti Tumore aliàs mirabile est; item Cataplasma ex Cochleis contusis cum Pulvere Stercoris Caprilli & Seminis Carvi. Conf. etiam M. A. N. C. *Ann.* 4. *Append. pag.* 46. Tandem quoque *Fotus ex Lixivio Calcis vivæ* egregium admodùm est Remedium in discutiendo Hydrocephalo, & quibuscunque Tumoribus Serosis in Partibus externis, quô feliciter in Puerorum Hydrocephalo Aquapendens usus fuit, & vix similem sibi habet. Facit huc illa Historia, quæ profiat in *Observationibus Cultro Anatomico* Lyseri *annexis*, ubi profiat Hydrops Vulvæ in Ancillâ quâdam curatus simpliciter per Lixivium Calcis vivæ; unde etiam in Hydrocephalo Lixivium hoc est egregium, & meritò à Sennerto commendatum Remedium; nunc quidem illud simpliciter & solum adhibitum; nunc verò, si in eo priùs ebulliat Sulphur & Nitrum, quô Decoctô percolatô Caput foveatur, ut dispareat Tumor. Quin & huic Aquæ Calcis vivæ quædam Aromatica Cephalica, ut Rosmarinus, &c. infundantur, & Fomentum magis appropriatum reddi potest. Denique *Essentia Rorismarini*, *Salviæ*, *Hyperici*, & pro externo Litu crebriùs repetendo, ad discutiendas Aquas à quibusdam adhibentur. Forestus *in loco suprà cit.* Pueris recens natis Hydrocephalo correptis solâ Olei Hyperici continuâ Inunctione, addito *Pulvere Myrtillorum*, auxilium attulit.

Hisce insensibiliter Discutientibus, & similibus Remediis irritis, ad *Sectionem Chirurgicam*, ut sensibiliter evacuentur Aquæ accedendum erit; idque in specie *in Hydrocephalo Externo*: id quod præstat imprimis Sectio, quæ fit in loco Tumoris maximè eminente, nunc per figuram Crucis, nunc literæ V, nunc literæ H, de qua variè hinc inde in Chirurgis, in specie Hildano *Centur.* 3. *Observat.* 17. annotata videntur, qui consulendi. *In Interno* verò, qui Cerebri Ventriculos occupat, & hinc extrorsum plùs minùs fertur, periculosissima est, teste Hildano *l. a.* ubi observat, & Experimentis testatur, non semper sine periculo istam Hydrocephali Sectionem, quia metus Gangrænæ, aut etiam Mors superveniat. Quia verò est intra Cranium, & Cerebrum, non nisi cautè, & perquàm circumspectâ Sectione, tractandus venit, observando Cautelam, ne unicâ vice nimium exhauriatur. Conf. hic Marcus Aurelius Severinus *in lib. de Efficaci Medicinâ.*

## ARTICULUS IV.

### *De Hydrope Pectoris.*

PRæter Caput, ut dixi, interdum etiam, sed rarò, *Hydrops Pectoris* observatur, quando nempe in cavo Pectoris fluctuat Aqua, vel Lympha plùs minùs copiosa, eaque Hydropem infert. Affectus quidem hic non semper est obvius, interim tamen hinc inde apud Practicos hujus Observationes prostant, in specie multa hujus *Exempla* egregia, & curiosa observavit Piso *Tract. de Colluvie serosâ*: Conferatur etiam Willisius *Pharm. Ration. Volum.* 2. *Sect.* 1. *cap.* 13.

## CAUSÆ.

Hydropis hujus Pectoris Particularis *Causæ* sunt eædem cum aliis Hydropis speciebus. Nempe nunc vitium est in Vasis Lymphaticis, & Lacteis, per quæ, impedito Lymphæ Motu, hujus ex Vasis ruptis ac exesis effusio in Thoracem, & hinc collectio, supervenit; unde frequenter ex *Hydatidibus in Pulmone* observatis Hydrops Pectoris natus fuit; Vid. Bartholinus *Cent.* 2. *Hist.* 66. Nam, & hîc *Lactea* pariter, & *Lymphatica* Pulmonum, tam quæ ad Pericardium tendunt, quàm Surculos quosdam ductos, subinde primariò consideranda esse, non saltim confirmatur à Bartholino *Cent.* 3. *Epist. pag.* 327. sed etiam imprimis à Willisio *Pharm. Rat. Vol.* 2. *pag.* 261. Vel vitium est in Massâ Sanguineâ, quando v. g. simul cum Hydrope Universali, vel cum Hydrope omnium Partium inferiorum, simul etiam conjungitur superveniens Hydrops Pectoris: quin etiam ad majorem Lymphæ copiam & Hydropis incrementum multum conferat Habitus Corporis magis vel minùs Cachecticus, ut & vitium Renum, & aliæ Causæ in Hydrope Universali observabiles, nullum est dubium. Curiosa, & singularis Observatio hoc in puncto est Mearæ *in suis Historiis Medicis rarioribus pag.* 153. Hydropis nempe Pectoris *ex discussâ Hydrocele* oborti. Sanè jam olim Laurentius *in suâ Anatome* observat singularem quendam consensum Pulmonum

& Pectoris cum Teſtibus; adeò ut ipſe notaverit à Tuſſi diuturnâ & vehementi ortam *Hydrocelen*; unde hanc Controverſiam de conſenſu Pulmonum, & Teſtium decidit *l. a. lib. 7. Quæſt. 5. pag. 532.* Aqua hæc in Hydrope Pectoris *nunc in utraque Thoracis parte, nunc*, utut rariùs, *in alterâ ejus medietate* hærere obſervatur.

## DIAGNOSIS.

Quoad *Signa* Hydropis Pectoris: percipitur in hôc ut plurimùm in cavo Thoracis *Dolor gravans* ob Materiæ aquoſæ abundantiam, & plerumque illud cum Empyemate commune Signum, nempe Aquæ fluctuantis *ſonitus* obſcurus, in imo Pectoris, dum Æger Corpus movet: Quæ tamen Materia fluctuans in hôc à Pure diſtinguitur, quòd hoc Inflammatio præcedat, illam verò non: hoc quoque breviùs, illa diutiùs ut plurimùm, obſervatur. Cum Empyemate hoc quoque commune Hydrops Pectoris habet, quòd ab Epithematum, aut Cataplaſmatum Calidorum applicatione Anguſtiæ Pectoris intendantur, uti Williſius *Pharm. Rat. P. 2. pag. 335.* confirmat; quæ tamen Anguſtiæ Hydropis ab Empyematis per Signa jam recenſita diſtingui poſſunt.

*Tuſſis* eſt *ſicca*, cùm nil excerni queat, *Reſpiratio difficilis* & frequens, ſubinde urget *Orthopnœa* (quod Signum Pathognomonicum cum Piſone *de Morbis ex Colluvie ſerosâ lib. 1. Sect. 3. cap. 7.* Riverius *Praxi lib. 7. cap. 5.* refert), ita ut Ægri non poſſint decumbendo reſpirare, & imprimis veſperi ac noctu, ut & primo Morbi tempore intendi, poſt mediam verò noctem denuò remitti obſervatur: Vid. Bartholinus *Act. Med. Haſſniens. Vol. 2. pag. 298.* quin etiam, dum in Somnum inclinant, ſubitaneo quaſi *Terrore* correpti denuò evigilant.

Pathemata hæc nunc *in toto Pectore*, quando totum ejus cavum impletur, nunc *in alterâ* ſaltem medietate percipiuntur.

Interim *Tumor Pedum* ſupervenit, & ſi Tumor ceſſat, Mors: *Appetitus proſternitur*, inde Tumor Pedum & *Palpitatio Cordis* ſupervenit, & imprimis, quando Corpus anteriora versùs movetur, Anguſtias inſignes Præcordiorum percipiunt, ſubinde quoque *Febricula* accedit; vid. in ſpecie Piſo *c. l.*

Tandem his interdum jungitur unius vel alterius *Brachii Dolor* atque Debilitas ſeu Reſolutio, cujus Phænomeni Cauſas idem Piſo *l. a. pag. 293. & 297.* explicare conatur.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: Hydrops Pectoris & Pulmonum, quia non niſi à ruptis Vaſis Lymphaticis ac Viſcerum hujus Ventris induratione dependet, Organa Vitalia & Reſpiratoria immediatè afficit, periculoſior eſt Aſcite; imò breviùs ſuffocat, præprimis cùm Pulmones Cordi agglutinet, & *Polypum Cordis*, vel ut Cauſum, vel ut Productum morboſum, comitem habeat. Hinc grave & periculoſum Malum eſt, & rarò felicis & fauſti ominis, quin ſæpiùs ad Mortem deducit Ægros.

Et licèt idem Affectus, ſive Medicamentis quibuſdam curatus fuerit, ſive poſt Apertionem Thoracis Æger levamen ſenſerit, non tamen eſt adeò diuturna allevatio, quin *recidivante Malo Ægri ſuffocati* intereant: Vid. Tulpius *lib. 2. Obſerv. 16.* Riverius *Cent. 1. Obſer. 88.* & Salmuth *Cent. 1. Obſer. 4. & 16.* niſi ſaltem laceratis Vaſis Lymphaticis minoribus, ac Viſceribus integris contingat, & Materia peccans per Ulcus Thoracis ſenſim effluat, qualem Obſervationem Williſius *Pharm. Ration. P. 2. Sect. 1. cap. 13.* perhibet.

Aſt magis lethalis eſt Hydrops Pectoris, *qui Anaſarcæ aut Aſciti* ſupervenit.

## CURA.

In *Curâ* facillimæ ſunt *Indicationes*, & ante omnia *evacuandæ & reſolvendæ ſunt Aquæ, & firmandæ ſeu roborandæ Partes interiores Pectoris.*

*Pro Evacuatione* conveniunt eadem, quæ in Aſcite, tam Pharmaceutica quàm Chirurgica. Quoad *Pharmaceutica* evacuatur Aqua per *Purgantia*, *Diuretica*, & imprimis per *Sudorifera*. Pro *Scopo Purgante* conveniunt ea, quæ in Aſcite Univerſali & Particulari curando fuerunt laudata; imprimis *Succus Bryoniæ*, & hinc *Succus Ireos noſtratis* laudari ſolet: Vid. Hartmannus *in Prax. Chym.* Riverius *cum Succo Bryoniæ* curavit aliquot Hydropes Pectoris, nec non *Calomelano* ſuo, i. e. Mercurio dulci & Scammonio ſulphurato miſtis: vid. *Centur. 4. Obſervat. 3. Conf.* & Williſius *c. l. pag. 269.* Poſſunt etiam dictæ Aquæ *per Sudorem aut Urinam*, quantum fieri poteſt, evacuari; hinc ea quæ Sudorem movent, ſunt optima; ſic enim beneficio *Decocti Sudoriferi* in Sene Hydropem Pectoris curavit Riverius *Centur. 4. Obſervat. 71.*

Quoad *Media Chirurgica*: omnium optima eſt *Paracenteſis Thoracis*, quæ maximè ſalutaris, ſimillima iſti, quæ debet inſtitui pro evacuatione Empyematis. Et hæc quidem Operatio eſt facilis, tuta, & ſine ullo periculo; de qua vid. Williſii *Pharm. Ration. Volum. 2. pag. 163. ubi de Sanguinis Sputo.*

Et hæc de Hydropis ſpeciebus. Hydrocele & Hydrops Uteri ad Sexuum Affectus pertinent; Tumores Partium externarum ad Chirurgiam.

## SECTIO XXII.

### *De Sanguinis Motu ad Corporis Circumferentiam Læſo, Læſaque Ibidem in Inſenſibili Tranſpiratione.*

CUtis noſtra eſt Rete ſeu Naſſa, ex triplici minutiſſimorum Vaſculorum capillarium ceu Fibrarum genere tanquam tot Filamentis, artificiosè conſtructa, ex Vaſculis nempe capillaribus, Venarum, Arteriarum, & in ſpecie Filamentis Nervorum, ex quibus contexitur Naſſa Cutis. Spatiola intermedia replent Glandulæ parvæ Excretoriis ſuis Vaſis, exteriora versùs ſpectantibus, inſtructæ, quæ Poros Cutis conſtituere videntur: Videatur Steno *Tract. Myologiæ Specim. ubi in Piſcis Anatome*; item Malpighius *Tract. de externo Tactûs Organo pag. 32. & 39.* Bartholinus *Cent. 3. Epiſt. 65. 67. & 97.* Pechlinus tandem *de Purgantibus, & in Collegio noſtro Inſtitut. Part. 1. cap. 16.* Cutis eſt naturæ tendinoſæ: In Cute propterea videntur in tranſverſum fibræ.

*Glandulæ hæ Conglomeratæ* ex Sanguine Vaſorum capillarium emulgent copiosè partem ejus Aqueam, Salibus oleoſis ſuperfluis acido-ſalſis, aliiſque Particulis inutilibus imprægnatam, quæ ipſa ſub formâ *Halituum* per ſe inviſibilium per Vaſcula Excretoria exſpirat, adjuvante non parùm Calore, tam ipſius Corporis exſpirantis, quàm

Corporis

Corporis ambientis, & *Inſenſibilis Tranſpiratio* appellatur; cujus inſignem copiam, ſimulque pro varietate Circumſtantiarum varietatem, & conſequenter ſummam neceſſitatem, videb. in Sanctorii *Medicinâ Staticâ, & ſuprà Sect. 17. ubi de Nutritione.*

In Materiâ hac inſenſibiliter tranſpirante conſiderandum eſt & *Continens* & *Contentum*. *Continens* eſt Latex Sanguinis aquoſus. *Contentum* verò ſunt Partes Sanguinis inutiles, id eſt, tam ſuperfluæ, quàm diuturniori cum Sanguine circuitu effœtæ factæ, quæ ſufficienter pro omnimodâ Tranſpiratione, adjuvante ſimul Inſpiratione, attenuatæ & volatiliſatæ, Salinæ volatiles oleoſæ, quæ iſtum liquorem imprægnant. Hujus maxima pars, uti cum Urinâ Sanguinis ablegatur, ita reſidua portio in Sanguine à Sero ejus diſſoluta, dum cum eo circulatur per Partes Continentes ſeu Solidas, Sapore ſuo ſalſo inſtar Saponis abſtergit & abluit Nutrimentum harum roridum, non perfectè poſt ceſſantem Accretionem aſſimilatum aut coagulatum. (Vid. *Sect. 17. de Nutritione*, & *Cap. 3. Prolegom. Artic. 2. ubi de Sudore*) ſed jam diuturniore morâ inutile aut quodammodò excrementitium redditum. Hoc ergò ſimul abſterſum, ne aliquid ſordium à Nutritione remaneat, ſecundariò inſenſibiliter ſimul exhalat. Tachenius *in Hippocrate Chymico* Sal volatile ex Halitu inſenſibili facit ex Induſiis Lixivio maceratis, Lixivium abſorbet Acidum inſenſibile tranſpirans, & Sal volatile liberatur: vid. *Collegium Inſtit. l. a.* Non nulli carent Inſenſibili Tranſpiratione, ut Induſia per tres ſeptimanas tam pura permaneant: vid. *Acta Societ. Reg. Angl. pag.* 103. ubi ex deficiente Tranſpiratione Inſenſibili Anaſarca & Induſium per quinque & ſex ſeptimanas tritum puritate non ceſſerit Induſio unum diem trito.

Quod ſi Maſſa Sanguinea ex quacunque causâ diſſolvatur, & quaſi liqueſcat, indeque majorem concipiat Calorem, uti vel in Exercitiis Corporis, vel poſt Aſſumpta volatilia ſalina contingit, *Sudor* oboritur, dum Tranſpiratio in tantum augetur, ut copia Materiæ à Glandulis imbibitæ confertim ſub Guttularum minutiſſimarum formâ erumpat, quæ unitæ Rivulorum ſpecie promanant. *Materia ſenſilis* hujus Tranſudationis *in Statu naturali* eſt eadem, quæ Inſenſibilis Tranſpirationis, ſaltim quòd copiâ majori excedat; ſed tum ſi ſæpiùs contingat Sudatio, ex Maſsâ Sanguineâ nimis attenuatâ copioſæ etiam Partes utiles, ipſumque Nutrimentum Partium Solidarum roridum attenuatum & liquefactum, ſimul foraſque educuntur. Ut nihil dicam de Partibus Spirituoſis in omni Sudore evolantibus; hinc enim eſt, quòd nimius Sudor debilitet, ſimulque Corpus emaciet, & exſuccum reddat. Sed *in Statu præternaturali* quæcumque Sanguinis, uti & Partium Continentium heterogeneitates auſpicatiſſimè & copioſiſſimè cum Sudore excernuntur, quando ſcilicet eædem priùs à Sanguinis arctiori miſcelâ ſeparatæ & quaſi præcipitatæ ſunt; tunc enim ab aquoſis Partibus imbibitæ, vel ſpontaneo Naturæ motu in declinatione Morbi criticè excernuntur, ut etiam in fine Paroxyſmorum Febrilium in Intermittentibus contingit, vel Medicamento Diaphoretico attenuata & liquefacta Maſſa Sanguinea caſdem excludit.

*Uſus ergò Inſenſibilis Tranſpirationis & Sudoris* primarius eſt, ut purificetur Maſſa ſanguinea, ſingulæque Partes ab Excrementis ſalinis aliiſque, neceſſitate Materiæ in Sanguificatione & Nutritione pronatis; unde his Excrementis retentis turbatur Sanguinis Fermentatio, & progignuntur immediatè Febres: ſecundarii ſunt, ut acceleretur per Sudorem Maſſæ Sanguineæ motus, Sanguis ſpiſſus attenuetur & reſolvatur, ne fiat ejus Stagnatio, ſed promoveatur potiùs ejuſdem Ventilatio.

*Atmoſphæram* unuſquiſque Homo circa ſe habet, quam propter raritatem Materiæ non videmus; hinc ſub tegmine Calor, uti Pelles propter copioſos Pilos, ubi Tranſpiratum quaſi impeditur, Calorem faciunt.

An autem ex Præcordiis vel interioribus Viſceribus immediatè interdum Sudor prorumpat, ut acutè hoc urget Deuſingius *Exercit. de Depur. Alim. pag.* 157. & *Append. pag.* 345. item *in Diſſ. de Lact. Sect. 2. §. 63.* id ſanè valde probabile, licèt ob Modi, quo fiat, & Viarum, per quas fiat, latentiam, res obſcuriſſima ſit. Salmuth obſervavit Sudorem Cereviſiæ: poſt Juſcula calida Sudor eſt in tergo, poſt Potum etiam frigidum Sudor in toto Corpore. In Calore autem Sanguis diſſolvitur; ſi Frigus advenit, Serum quaſi coagulatur & condenſatur, & eò magis Serum etiam ſeparatur propter condenſationem.

*Sudor Frigidus* in omnibus Morbis funeſtus eſt. In Acutis, quando Ægri non poſſunt ſudare, & tandem Sudor ſpontaneus, Viribus proſtratis, ſupervenit, malum Signum eſt; fit enim ob defectum Virium, Sudorque hic nil aliud eſt, quàm Ros nutritivus Partium Solidarum per Poros Cutis ſub formâ Sudoris emanans; hinc etiam talis Sudor glutinoſus, non nihil viſcidus, percipitur, & eſt Signum lethale. *Sudor Particularis* circa Caput rectè ab Hippocrate malus dicitur; hinc rariſſimum eſt, quod obſervavit Schneiderus, quòd Sudor Capitis aliquando fuerit Criticus, & Morbum ſolvens.

In Praxi obſervatur Sudor vel *Excedens*, vel *Depravatus*, rarò *Deficiens*.

## CAPUT I.

### *De Sudore Nimio.*

*Excedens Sudor* frequens ſolet eſſe Scorbuticis, qui copioſo Sudore tantumnon diſluunt, interdiu pariter ac noctu: Hinc etiam *Phthiſici confirmati tempore nocturno Sudores copioſiſſimos* ſolent effundere. Rationem non incongruam ſuggerit Williſius in *Pharm. Ration.* quòd nempe tales Sudores exceſſivi eveniant propter deficientem Aſſimilationem Nutrimenti aſſumpti & Chyli cum Maſsâ Sanguineâ, ita ut tales Sudores ſint *Colliquativi*, & per quos Succus nutritivus, qui aſſimilari nequit, foras emittitur.

## CURA.

Hinc *in Curâ* reſpiciendum imprimis *ad corrigendam Sanguinis Craſin.* Id quod fit in Scorbuticis per uſum *Martialium, & Salium volatilium oleoſorum*, nempe partitis vicibus, tandem per Uſum *Lactis & Lacticiniorum*. In Phthiſicis imprimis Lac ad tales Sudores compeſcendos conveniens eſt: ſicut Phthiſicorum Sudores & inde natas debilitates palliativè ſiſtit Antihecticum *Poterii* cum Laudano Opiato, veſpertino tempore aſſumptum; quod eſt optimum Sudores nimios ſufflaminans: vid *Diſſert. de Opii Virt. Diaphor. cap. 3. §. 8. Idea Formul. Claſſ. 2. §. 2. Colleg. Formular. & ſuprà Sect. 17. cap. 1. Art. 2. ubi de Phthiſi*, item Sylvius *ubi de Febre Sudator*. Convenit etiam Tinctura Antiphthiſica, Tinctura Solis. In Scorbuticis:

℞. *Solut. Martis cum Succo Pom.* ℥ij.
*Spiritûs Cochlear.* ℥j.

M. S.

Tinctura Scorbutica.

Poſt Sudorem nimium in Morbis Acutis & Malignis:

℞. *Aquæ Ceraſ. nigr.* ℥iv.
*Phlegm. Vitrioli* ℥ß. vel hujus loco *Clyſſ. Antimonii* ʒij. vel ℥ß.
*Syr. Rub. Idæi* ℥j. ad ℥iß.
M. D. S.

Potio Confortativa cochleatim ſumenda.

## CAPUT II.

### *De Sudore Depravato.*

*Sudor Depravatus* fit in ſpecie ex ratione *Seri ejuſque Contentorum*; quæ prout plùs vel minùs à ſtatu naturali deficiunt, ita etiam plùs vel minùs Sudores Depravatos reddunt; hinc pro varietate Depravationis Sudoris varia etiam ſubinde *Cura* inſtituenda venit.

## CAPUT III.

### *De Sudore Deficiente.*

*Deficiens Sudor* contingere ſolet, vel vitio *Pororum*, vel vitio *Sanguinis ejuſque Seri*: *Vitio Pororum*, dum hi arctè plùs minùs clauſi, infarcti aut obſtructi ſunt, unde Lotiones Corporis, Frictiones rerum calidarum, Laterum calidorum applicationes, &c. Sudorem promovent. *Vitio Sanguinis* verò deficit Sudor, quando tam arctè ſubſtantia ſeroſa cum Maſsâ Sanguineâ unita eſt, ut conveniens Seri Secretio per Glandulas fieri nequeat: id quod interdum in Febribus Continuis, ſpeciatim Malignis, uſu venire ſolet. In tali caſu Remediis Sudores moventibus, tam poſitivè, ut *Alcalibus* fixis vel volatilibus, quàm privativè talibus, ut ſunt Lapilli Cancrorum, Cornu Cervi, &c. ſimul Acida blanda addenda erunt, in ſpecie Acetum; hujus enim medio deficiens Sudor commodè poteſt excludi.

# PRAXEOS MEDICÆ
# LIBER II.
## De Morbis Functiones Animales Lædentibus.

## SECTIO I.

### *De Spirituum Animalium Generatione ac Diſtributione Læſa*

in genere, indeque

### SENSUS ET MOTUS LÆSIONIBUS.

POſt Sanguinis ad Corporis circumferentiam Motum, cùm non ampliùs ſuperſit Affectus in Regione Inferiori, pergo *ad Regionem Corporis Superiorem*, ſcilicet ad Caput, & ibidem reconditum Cerebrum, & Syſtema Nervoſum. Nempe uti movetur Sanguis ad omnes partes imprimis internas, in quibus præter hoc, quòd eaſdem ſuſtentet nutriendo, & vegetet Spiritu vitali perfundendo, etiam in quamplurimis ſingulare quid patitur; ita per Arterias Carotides & Vertebrales diſtribuitur etiam ad Caput, Cerebrum ac Cerebellum, in cujus Medullam hæ Arteriæ ramos quoſdam hinc inde ſpargunt, maxima verò pars in Capillaria diſtributa Vaſa ubique ſuperficiem ejus densè irrorat; ita quidem ut extimam Cerebri & Cerebelli ſuperficiem, *Cortex Cerebri* appellatam, ubique copioſiſſimæ Arteriolæ inveſtiant, Sanguinem ita ibi infundant, qui in Sinus Duræ Matris reſorbetur, & ita per Venas Jugulares, iſtis Sinubus continuas, tandem in Venam Cavam refunditur: Vid. Highmorus. Arteriolæ dictæ ubique inveſtientes Cerebri ſuperficiem, eidem *certum Motum* tribuere videntur, qui tamen non Cerebro eſt proprius, ſed ſaltim ab Arteriarum motu communicatus. *Motus Cerebri* obſervatur *Depreſſorius & Subſultorius*: Vid. Sperlingius *Anthrophol. Phyſ.* Probatur: ſi nempe inflantur Arteriæ Carotides, nunc attollitur, nunc deprimitur Cerebrum. In ipſo Cerebro ac Cerebello duplex obſervabilis eſt Subſtantiæ diverſitas; Corticalis nempe ſubcineritia, & Medullaris eleganter candida: Illa ex copioſiſſimis Glandulis minutulis ovalis figuræ conſtat, in quas ſe inſinuant dicta Vaſa Sanguifera: Hæc ex Filamentis & Ductibus nerveis delicatiſſimis invicem certo ordine convolutis, ex iſtis Glandulis oriundi, eſt conſtructa: quæ ipſa poſtmodùm à ſe invicem ſeparata ac diviſa, duplici tamen adhuc Meningum Membranâ inveſtita, Spinalem Medullam & Nervos hinc inde diſtributos conſtituunt; de quo vid. Malpighius *Tr. de Structur. Viſcerum, ubi de Cerebri Cortice*, item *in Epiſt. ejus de Cerebro.*

*Subſtantiæ talis diverſitas diverſum itidem Uſum innuit*; qui tamen in hôc conſpirat, quòd nempe earum Uſus ſit, ex Sanguine ſubtiliſſimam ſubſtantiam, *Spiritum Animalem*, ſuo modo conficere & ſeparare. Dari autem quendam *Spiritum*, ab officio *Animalem* dictum, ex hôc ferè illuſtratur, v. gr. quòd Nervo diſſecto, & ita Spiritûs Animalis fluxu ſeu irradiatione læsâ, Partis infra ſectionem Senſus ac Motus perire ſoleat. Objectiones contra hujus exiſtentiam diſcuſſas videb. in Rolfinckio *Exerc. Anatom.* Optimum ejus ſcriptum eſt. Speciatim verò Cortice mediante Spiritus volatiles Sanguinis, *Vitales* dicti, ſeparantur à Sanguine, & per ſubtiliſſimæ agillimæque Filtrationis modam penetrando, tranſeunt in Cerebri Medullum, Sanguine ipſo ceu craſſiore Corpore ob Pororum anguſtiam, Vehiculo ejus aqueo ob pinguem & oleoſam quaſi Cerebri Subſtantiam, excluſis, ita quidem, ut *Spiritus Vitalis in Cerebro fiat Animalis*, non per modum novæ cujuſdam Elaborationis aut Fermentationis in Cerebro perficiendæ, ſed per nudam ac ſimplicem Separationem,

rationem, & quasi per Filtrationem: vel per subtilem Irradiationem, sine novâ ejusdem Elaboratione aut in Cerebro Fermentatione, aut in Cerebro Transmutatione; de quo vid. Willis. *in Anat. cerebri cap.* 9. item Sylvius *in Diss.* 4. Spiritus hi, Animalis & Vitalis, *Essentiâ non differunt*, sed paucis Accidentibus. Qui jam separatus existit, aliàs simul in Massâ Sanguineâ erat. Differunt tantùm Loco & Nomine; adeoque sine formali Alteratione Spiritus Animalis existit.

Separatus ita in Cortice Cerebri glanduloso Spiritus Vitalis, & agillimè penetrans in ipsam Substantiam medullarem, in hâc ipsâ, ceu regio Palatio, Spiritus isti volatiles luminosi debitis motionibus, expansionibus & agitationibus, & inde per Nervos in omnes partes radiosis excursionibus, Operationes Animalibus proprias, *Sensus* nempe, in specie Internos, & *Motus* perficiunt.

*Determinatur* autem modò dictus *Spiritus Animalis* numero & essentiâ unus, adeoque ex se indifferens, ad diversas adeò Actiones obeundas à Partium organicarum dispositione & proprietate, ratione cujus nunc in hac Parte hanc Functionem, in aliâ aliam perficit; Nam is ipse, qui v. gr. per Musculum movet Pedem, is conferret suo modo ad Visum, si esset in Oculo. Et sicuti unus Aër diversos Sonos pro varietate & formatione Fistularum efficit, ac ab unâ Aquâ variæ Machinæ moventur; ita & unus Spiritus pro Organi varietate diversas edit Functiones. In Operationibus quidem Externis, nempe *in Instrumentis Sensuum*, magis passivè se habet, quatenus Fibras in Tensione conservat. Sed quoad Internos, & inde dependentem Motum animalem, magis activè se exhibere solet.

Ab hoc Spiritu Animali, & *sentiendi* habemus potestatem, & simul *movendi* activitatem, cum *Ratiocinationis* sublimiori actione: in qua uti Spiritus Animalis veræ & soli Animæ, nempe *Rationali*, tanquam principaliori Agenti, instrumentaliter inservit; ita pro ejus Spiritûs Animalis variâ constitutione non tantùm in latitudine Sanitatis diversitas *Operationum Animalium* in singulis Individuis observatur multiplex, sed etiam in Constitutione morbosâ variæ in *Sensu* & *Motu*, quin & divini *Intellectûs Operationibus*, læsiones oriuntur.

*Naturalis Spirituum Animalium*, hinc *Operationum Animalium*, & inde dependens *Ingeniorum Diversitas*, ex varia Crasi & Mistura Massæ Sanguineæ, & hinc diversâ constitutione Cerebri, ratione Compositionis materialis, ratione Pororum & Meatuum, &c. dependet. *Prout enim diversa est Massa Sanguinea, ipsumque Cerebrum*, diversi etiam emergunt Spiritus, tam Vitales quàm Animales, qui diversimodè in Cerebro moventur & agitantur. *Quoad Cerebrum*: variat hujus Constitutio, tam *secundùm Compositionem* seu Texturam naturalem, quàm *Conformationem mechanicam*. *Quoad Compositionem naturalem*: præter Constitutionem Seminalem, sub Generationis primordiis natam, multùm varietas ejus dependet à Sanguine & Spiritu Influo; variatâ enim hîc ejus Nutritione & naturali Texturâ, plures aliæ Proprietates, *Qualitates* dictæ, & inde emergens *Temperatura* in Caliditate & Humiditate, Siccitate & Mollitie, &c. variant. Sicuti in ipsâ *Conformatione mechanicâ* ratione Pororum, Meatuum & Ductuum diversitas deprehenditur, quæ omnia & Spiritum Animalem, ejusdem Constitutionem, Generationem, Distributionem & Motum variant. Hinc ista *in Actionibus Animalibus insignis Differentia* Cholericorum, Melancholicorum &c. ex quibus *Ingeniorum Diversitas* deducenda. Ergò Spiritus Insiti Animales plùs minùs vitiosè geniti, præter naturam alterati, unà cum Organorum corporeorum, tam Cerebri, quàm aliorum, variâ Constitutione, quasvis *Læsiones in Sensu & Motu* inducunt.

Quòd si dicti *Spiritus* in debitâ quantitate & subtilitate, *blando & moderato, eoque ordinato, Motu agitentur*, indeque Cerebrum implendo proprio Motu quodammodò expandant, & ita ex eodem secundùm Filamentorum, Cerebri medullarem substantiam constituentium, ductum, continuato quasi rivulo aut radio in Corpus ejusque Partes influant, omnium Actionum Animalium sequitur Exercitium, h. e. *Vigiliæ*: Vigiliæ enim sunt Exercitium Sensûs ac Motûs. In *Somno* autem respectivè quieti tantùm sunt Spiritus Animales, quia si Acu pungitur Membrum, Sensus Spirituum præsentiam & aliqualem operationem ostendit. Sin verò quacunque ex Causâ perturbati inordinato, vago, & subinde impetuoso Motu cieantur, in Cerebro exinde *Deliria* varia, speciatim Phrenetica, in Partibus verò reliquis *Spasmi & Motus Convulsivi* subinde mirabiles producuntur.

Dixi, *Deliria fieri in Hominibus ex perverso ac inordinato Spirituum Animalium Motu*: Nam Functiones Ratiocinationis dependent suo modo à Spirituum Animalium Motu, quatenus nempe hujus occasione Anima Rationalis diversos Conceptus & Ideas sibi fingit. Prout ergò fit iste Spirituum Motus vel ordinatus vel inordinatus, etiam ipsæ Mentis Ideæ seu Conceptus vel ordinati erunt vel confusi & vagi; unde ibi legitima Ratiocinatio, hîc confusa Mentis perturbatio, h. e. Delirium, superveniet. Bruta enim non deliranr; est enim Delirium læsio Ratiocinationis. Et quidem *Ingeniorum diversitas* primariò ab his Animalibus Spiritibus, & hinc à Cerebri Constitutione variâ, tum quoad Conformationem non tam externam sensilem, quàm quoad internos Meatus insensilem, tum quoad materialem Texturam, aliàs Temperiem dictam, dependere videtur. Hinc etiam his Circumstantiis plùs minùs Ætate vel Morbo mutatis, plùs minùs etiam in eodem Subjecto variat Ingenii Habitudo: de qua Ingeniorum Varietate videndi sunt imprimis, qui ex professo de Ingeniis scripserunt, quos inter quatuor primatum obtinent, Janus Huardus, Medicus Hispanus, qui scripsit *de Scrutinio Ingeniorum*, Johannes Barclajus Politicus Gallus, qui scripsit *Iconem Animorum*, Æschacius Major, & Neuhusius, Philosophus Belga, qui scripsit *Theatrum Ingenii humani* secundùm constitutiones annorum. Omnes per diversas vias unam materiam tractant, & ad unum scopum collimant. Janus Huardus *in Scrutinio Ingeniorum* in genere varietatem ad Studia varia inclinantium ex Fundamentis Physicis Aristotelico-Galenicis scrutatus fuit. Autor est, si quis alius, elegans, tantummodò hoc observetur, ut scilicet ea, quæ is tribuit Cerebro ratione Caliditatis, Humiditatis, & Siccitatis, potiùs certo modo applicanda sint Spiritibus Animalibus, eorundemque variæ Constitutioni, subtilitati, agilitati, torpori, & aliis similibus proprietatibus. Nam quod attinet *Temperaturam Cerebri*: Temperatura ista tam Capitis (uti etiam aliàs monui) quàm omnium Partium, à Massâ Sanguineâ dependet, quæ quando est Calida, vel quando est Humida, etiam omnes Partes, per quas transit, similes proprietates acquirunt; quæ ipsæ tamen parum ad Actiones faciunt, quia tantum modò leviter easdem modificant: Sicut videmus in Cho-

lericis ita dictis, in quibus Massa Sanguinea turget Salibus volatilibus oleosis, eos videmus promptos in actionibus, videmus agiles, & quâdam cum ferociâ & audaciâ conjunctos. In his enim Partes subtiliores & facilè mobiles blandâ in orbem circulatione in Spiritus Animales volatilisantur; qui in Cerebro promptè moti & agitati, & à Massâ Sanguineâ calidiore non nihil fervidi, in istam audacem actionem erumpunt, ex mente Huardi: ergò Caliditas & Siccitas hîc accusata potius est Agilitas & Subtilitas Spirituum. Barclajus *in Icone Animorum* scripsit Politica & Historica magis quàm Physica; lectio tamen ejus hoc habet commodi, ut videamus, quantum varient Ingenia pro Climatum diversitate, pro vario Regionum situ, & pro Consuetudinis diversâ ratione. Denique Neuhusius Philosophus, scripsit *in suo Theatro Ingeniorum* simul Politica & Physica, sed minùs profundè rem scrutatus fuit, quin potiùs generaliter, non nihil fusè tamen, ea tractat. Hi tres simul conjungendi sunt, & præmeditatè legendi; sic enim magna lux in hac Materiâ effulgebit.

Hinc si Spiritus isti volatiliores celeriùs & agiliùs moveantur, *Subtilitatem* seu *Acumen Ingenii* (quatenus nempe hoc in Corpore humano à Spirituum Animalium Motu dependet) Alacritatemque singularem actionibus conciliat; cui si Constitutio Cerebri mollior vel durior, indeque vel flexilior vel rigidior accesserit, ibi *Inconstantiam*, hîc verò majorem *Pertinaciam* efficiet, uti v. g. in Gallorum Ingeniis patet. Quòd si his Spiritus purus quidem, non tamen adeò subtilis ac agilis sit, indeque tardiùs, ordinatè tamen, moveatur, *Acuta & Accurata, non tamen nimis Velocia*, conciliat Ingenia, cum actionum quadam *Maturitate*, ut in Italis & Hispanis, & in iis, qui dicuntur esse Naturæ aliqualiter Melancholicæ naturalis, manifestum est. Sin verò torpescant Spiritus, minùs sint agiles, aut propter Filamenta Cerebri duriora nimis implicata, Motus Spirituum minùs fit agilis aut ordinatus, *Stupor & Ingenii Hebetudo* cum reliquarum Actionum Torpore obvia est, ut in Phlegmaticis sic dictis, item in Rusticis, manifestum est. Ingenium quasi *Ingenitum*, id est, ratio judicandi de rebus, est primò à puritate Spirituum, & deinde Conformatione externâ & internâ.

Quòd *si Animalium Spirituum vigor naturaliter non nihil torpeat*, vel ob deficientem quantitatem, vel ob deficientem subtilitatem, indeque parciùs ac tardiùs influant, Sensus quiescunt, & alta Quies occupat membra, h. e. *Somnus* obrepit: non quòd non sint præsentes Spiritus Animales in partibus Corporis, sed quòd non sint sufficientes.

*Causa* ergò *Somni est*:

1. Quando *Spiritus deficiunt*, exhausti v. g. ob Labores.
2. Quando sunt *torpidi & tardiùs mobiles*: quod fit (α) ob *Cerebri aliqualem humectationem* sub ejusdem Nutritione, vel quòd ex continuâ Spirituum sub Vigiliis actione aliquid Aquosi simul in Cerebrum destillet: (β) ob *eorum Fixationem* sive condensationem ex Assumptis sive Applicatis Medicamentis Narcoticis.

Dupliciter Cerebrum humectatur; primò à Succo nutritio; deinde à Sero.

Sed his & similibus Physiologicis omissis, ad Pathologica revertor, & Practica, in quibus considerantur *vitia imprimis Spirituum Animalium morbosa*; Spiritus enim isti Animales vitiosè geniti, & præter naturam alterati, læsiones in Sensu & Motu inducunt.

Quod attinet horum *Spirituum Animalium Generationem vitiatam*; *tria sunt vitia*, quæ in Praxi occurrunt.

1. Quando *deficiunt*, & nimis pauci sunt, unde hebetudo Sensuum, imbecillitas Corporis, defectus in Motu, &c. apparent; uti videre est v. gr. in Senibus, aut in iis, qui gravi ex Morbo sensim convalescunt. In his enim talis Debilitas & Impotentia Actionum omnium adest propter Defectum Spirituum Animalium.
2. Quando *abundant*.
3. Quando *depravantur*, & plùs minùs à debitâ Crasi degenerant.

*Deficiunt* hi *Spiritus, vel propter sui Consumptionem*, Labore, Venere, Studiis: quibus omnibus nimis agitati in Cerebro adeò subtilisantur, ut promptissimè dissipabiles existant; *vel propter deficientem debitam Sanguinis Spirituascentiam*, in Constitutione præsertim ejus Cacochymico-cachecticâ, ac primariò ex *vitio Digestionis primæ*, dum non ritè Chylus spirituascit in primis viis: quô faciunt Inediæ, ac Alimenta mali succi, & minùs spirituascentia, & similia; vel *vitio Cerebri* & ejusdem Corticis, inepti ad separationem Spirituum Vitalium ex Sanguine, propter vitium Conformationis & læsionem Cerebri, Contusionem aut Concussionem in Casu ab alto, Meatuum Obstructionem, & similia. In quibus Casibus Poruli ac insensiles Meatus Cerebri aut subsidentes, aut compressi, aut omninò aboliti, & Sanguinis debitum Circulum, ac Spirituum Animalium ex eo separationem impediunt. His ergò deficientibus *Sensus & Motus deficit*, minùs vel plus, prout ii vel magis vel minùs deficiunt.

Interim *Defectus hic Spirituum* facilè & optimè *curatur* per *Medicamenta Spirituosa* assumpta, ob id *Analeptica* dicta, ut Vinum generosum, Spiritum Liliorum convallium, Cerasorum nigrorum, Aquam Apoplecticam, Quintam Essentiam Matthioli, Essentiam Ambræ cum Spiritu Rosarum paratam, Spiritum Liliorum convallium cum Sale volatili Cornu Cervi circulatum, aut Sale volatili Succini mistum, *Spiritus volatiles*, *Olea destillata*, aut ex his paratos Spiritus vel Salia volatilia oleosa, aliasque Aquas spirituosas aromaticas & similia, & quæ aliàs in Lipothymiis adhiberi solent. Sicut *si vitium est in Conformatione Cerebri & Læsione externâ*, curatâ hac externò Læsione, sponte Defectus Spirituum curatur.

*Secundum vitium* Spirituum Animalium est, quando *abundant*, & hinc Impetum quendam extraordinarium Actionibus Animalibus, & ex nimiâ eorum agilitate insignem promptitudinem Actionum, tam in Sensibus quàm Motibus, conciliant. Id quod videmus in iis, qui Alimenta laudabiliora usurpant, potuique Vini generosi moderatè indulgent, ut agiliores & hilariores fiant, accedente simul blando Corporis Motu, & Vitâ curis vacuâ.

Abundantia hæc Spirituum *rarò Curationi offertur*, quia sponte vel per Inediam, vel per Somnum, Naturâ aut Arte provocatum, aut denique per Motum vehementiorem Corporis aut Animæ in Studiis severioribus cessat.

Denique *tertiò vitiosè generantur Spiritus Animales*, quando *depravantur* iidem plùs minùs in suâ Crasi, unde *Motûs* eorundem variæ *Exorbitantiæ* & *Anomaliæ*, unde Crasèos vitiatæ ratione iidem vel *stupidi* vel *torpidi*, vel *fixi*, imò quasi immobiles, vel econtrà nimis *agiles* vel *confusè & inordinatè mobiles*, minùs *subtiles*, plùs minùs *acres & intemperati*, generantur, aut alio vix intelligibili modo vitiosi & depravati. Unde varii *in Sensibus* Defectus,

&

& *in Motu* Exorbitantiæ, & Anomaliæ dependent. Spiritus Animales enim ſunt naturæ ſulphureæ volatilis, ſeu nihil aliud, niſi Subſtantia oleoſa volatilis, adeòque pingues, & in receſſu acidi, inſtar ſubtiliſſimi cujuſdam Spiritûs Vini. Equidem Paradoxon dicere videor: Dico tamen adhuc, eſſe eos inſtar (ad meliùs illuſtrandam eorum naturam) ſubtiliſſimi rectificati Spiritûs Vini. Hôc præſuppoſitô, depravatè Spiritus Animales generabuntur, quando vel *in Motu*, vel *in ſuâ Subſtantiâ*, & hinc conſequenter in Motu vitioſi reddunturur. *In Subſtantiâ* quidem, quando degenerant à ſuâ Subſtantiâ volatili, quando degenerant à ſubtilitate, volatilitate & ſpirituoſitate, evaduntque quaſi phlegmatici; vel à ſua puritate, ita ut Spirituoſa heterogenea eorum naturam vitient, unde in Naturâ & Craſi defectus ſequitur. Deficiunt *in Motu*, quia per Motum regunt totum Corpus Spiritus Animales, unde quando vel in Motu deficiunt, dant Torpores, vel quando nimiâ agilitate excedunt, vel quando vitiatur ac depravatur Motus eorum debitus in confuſâ agitatione, vel quaſi exploduntur, læditur Spirituum Animalium natura & officium. Vitia hæc, pro ſpecialium hinc dependentium Affectuum ratione, diverſimodè ſunt curabilia, quorum Cura in ſequentibus patebit.

## CAPUT I.

### *De Facultatis Animalis Affectibus in Genere.*

ANtequàm autem in ſpecie *Affectus Facultatis Animalis* conſideremus, notanda in genere quædam Univerſalia pro iis, quæ in poſterioribus dicentur.

I. *Totum Syſtema nervoſum* Cerebri, Cerebelli, Spinalis Medullæ, Nervorum inde natorum, & quarumcunque Partium nervoſarum, Membranarum, tandem & Ligamentorum, non niſi ex *Fibris, nunc delicatiſſimis, nunc minùs delicatis, ſed paulò firmioribus, conſtare.* Quæ Fibræ ſunt Stamina fundamentalia, ex quibus pro majori vel minori, arctiore aut laxiore, unione, variæ Partes nervoſæ compinguntur; & quidem Fibræ maximè delicatæ conſtituunt Subſtantiam levem Cerebri & Cerebelli, ejus Subſtantiam medullarem; denſiores verò conſtituunt Nervos maximè quidem firmiores, & quò magis hi à Cerebro in Spinalem Medullam prodeunt, eò firmiores ſunt & magis robuſti; & Fibræ hæ pro explicandis Phænomenis paulò ſenſibilibus, ratione ſuæ texturæ in naturali ſtatu *tenſæ* quidem ſunt, ſed ſimul continuum quaſi Nixum, aut Impetum aut *Vim quaſi elaſticam* obtinent *ad Motum*, quæ Vis, modò impetu interno Spirituum Animalium roboretur, *Motum Animalem* quemvis, tam *Spontaneum* quàm *Naturalem*, infert; ſicuti tenſæ hæ Fibræ, ſi ab Objecto quodam externo commoveantur, conſtituunt *Paſſionem*, ſcilicet *Senſum Externum*, dicimuſque *ſentire*; & contrà, ſi moveatur Nixus ille elaſticus ab impetu Spirituum interno, fit *Motus Membrorum*, ſive Voluntarius ſive Involuntarius, ita ut Spirituum diversè conſtitutorum diverſi Motus, & Fibrarum nervearum diverſa Textura & Conſtitutio, baſin conſtituat omnium Phænomenorum, quæ aliàs Facultatis Animalis nomine veniunt, & totam ſic dictam *Animam Senſitivam* abſolvant.

II. *Cerebrum & Nervos ſingularem quaſi Conſenſum habere ad extrà cum Motu Lunæ*: cùm Obſervationibus conſtet, ſecundùm Phaſes Lunæ Affectus Cerebri, Nervorum, & Partium nervoſarum, in Senſu ac Motu conſiſtentes, plùs minùs exacerbari, plùs minùs remitti; Itemque quòd quæcunque Symptomata Cerebri & Nervorum, in ſpecie Epilepſia, pro Stationibus Lunæ decreſcentis vel accreſcentis, habeant ſuum augmentum & decrementum. Unde tales ſecundùm Lunæ Stationes mutabiles Affectus non niſi Partibus nerveis contingunt, & propriè *Ephemerides Ægrorum* dicuntur, ubi ex læſione Partium fibroſarum remanet talis peculiaris Senſus in Parte, ut Ægri percipiant mutationes Temporum, Sanis non perceptiles. Ratio, *cur fiat, quòd Syſtema nervoſum magis alteretur à Lunâ quàm à Sole?* difficilis videtur: Interim, ſi indulgendum eſt Speculationibus, inde videtur hauriendа. Quidem Philoſophi ſublimiores ex Sole, ratione ejuſdem Radiorum, & exinde nati Caloris, & ratione Spiritûs Univerſalis ex eo prodeuntis, vim Vegetativam univerſæ Naturæ derivant. Quod ipſum etiam exactè patet in Regno Vegetabili, cùm virtuti Vegetativæ vis noſtra Vitalis quodammodò reſpondeat: unde dicimus; Uti ratione Solaris Luminis Sulphur ejuſdem ac Univerſalis Spiritus & Calor dependet, & certâ ratione alteratio virtutis Vegetativæ in Naturâ, & conſequenter major vel minor Vegetatio noſtræ Vitalitatis oritur; ita è contrario ex modificato Solis Lumine etiam Luna magis afficit Facultatem Animalem & Cerebrum; unde mutatâ Lunâ in ejus Phaſibus, & mutato motu Solis, ſubitò etiam mutatur Cerebrum, Genus nervoſum & ſimilia.

III. Obſervandum ante omnia, *mirabilem Conſenſum habere Cerebrum & Partes eidem connexas cum Viſceribus Abdominis*, in ſpecie cum *Ventriculo*, ita ut quoque propter hanc continuam Conſpirationem ſæpè contingat, ut Origines Morborum ſubinde invicem confundantur, Cerebrique Morbi Cauſam proximam ac fomitem habeant in Ventriculo & primis viis, ſicut contrà Stomachi Affectus in Cerebro fomitem obtinent. Sanè mirabilis eſt inter has ambas Partes Conſenſus, idque Exemplis confirmari poteſt: verbi gratiâ ex læſo Cerebro ſuperveniunt ſubinde ordinariò Vomitus, idque ex Capite aut Cerebro graviùs percuſſo, ſæpè Nauſea, Appetitus dejectus, & ſimilia, ex imminente Vomitu Vertigo, &c. Hæc ipſa Helmontium admodùm turbârunt, hinc Obſervata ejus Practica *in Tract. Duumviratus, Jus Duumviratûs, Sedes Animæ, Demens Idea, Ignota Actio Regiminis*, &c. ſunt optima, ſed Theoriæ & Reflexiones ſpeculativæ nil valent, & nullo modo admitti poſſunt: *Conſenſus* interim notiſſimus eſt, ut monitum. Similiter ex Imaginatione, verbi grat. ex Auditu rei horridæ ſupervenit Nauſea, ſubverſio Stomachi, Appetitus dejectus, & quæ ſunt alia Symptomata, ſimpliciter ex Cerebro & Spiritibus in Cerebro, certo motu motis, enata.

Qui difficulter concoquunt aut digerunt, ex Stomacho ſubinde patiuntur Vigilias, Vertiginem, &c. *Vertigines ferè ſemper ex Stomacho oriuntur*: Nã Hypochondriaci ſi non omnes, de quo adhuc dubitamus, certè quamplurimi, dum jejuni ſunt, Vertigine corripiuntur; quòd ſi verò aliquid & vel buccellam Panis aſſumant, ceſſat Vertigo. Vir quidam ſexaginta quatuor annorum gravi corripiebatur Vertigine, veſperi quidem ſanus lectum petens mane evigilabat, & de lecto ſurgens in cubiculo præcedebat vertiginoſus, hæcque Vertigo uſque ad meridiem durabat, aſſumpto autem Juſculo vomebat, unde Vertigo ceſſabat. Hanc ergò Vertiginem ſimpliciter ex Stomacho fuiſſe, indè perſuaſum habeo, quia quæſitus dicebat, urgente Vertigine ſimul affligere Anxietates præcordiorum; factâ autem Materiæ morboſæ excretione ſolvi Virtiginem.

Quin puto, *ipsum Imaginationem & Sensus Externos suo modo dependere ex Stomacho & Hypochondriis affectis*; hinc enim, quando Mulieres ex Mensium suppressione Picâ laborant, Phantasiam pravam & Imaginationem læsam obtinent, cujus fomes tamen est in Stomacho; unde ex affecto Stomacho læditur Phantasia, secundùm quam non nunquam supervenit Appetitus rerum ridicularum: Sic Hypochondriaci ex Hypochondriis affectis fiunt Melancholici, unde curato vitio in Hypochondriis, cessat & Melancholia. Præterea Motus Convulsivos universales radicaliter fieri ex affecto Abdomine probo, quia Mulieres Hystericæ sæpiùs superveniente Epilepsiâ corripiuntur: Sic in Partu difficili ex Abdomine affecto supervenit Epilepsia universalis, unde excluso Fœtu cessat etiam hæc Epilepsia. Ut ideò certum sit, in omnibus Operationibus in Sensu & Motu, nempe Internis, dependere Cerebrum à Stomacho & Hypochondriis, adeòque in Praxi semper uno Oculo considerandum Cerebrum & Nervosum genus, altero verò conspiciatur Stomachus & Hypochondria. Confirmat hoc, quòd Remedia excitent aut etiam sistant Symptomata Capitis & Cerebri, dum adhuc existunt in Stomacho: Sic *Vomitoriis* assumptis, dum incipiunt operari, Ægri corripiuntur Vertigine, utut ipsum Remedium corporaliter in Stomacho sit, & simpliciter in Stomacho operetur. Pariter manifestum est, quòd *Opiata* omnia vix assumpta, ver. grat. Hyoscyami Semen, Opium &c. dum adhuc in Stomacho hærent, Facultatem Animalem afficiant, & certas alterationes inducant, ac in specie ad Somnolentiam disponant: Vid. Exemplum Helmontii *Tract. Jus Duumviratûs* §. 22. de Causidico, pro Oleo Seminis Anethi sumente Seminis Hyoscyami drachmas duas, qui deliravit & planè stupidus factus est; Semine autem hôc per Vomitorium rejectô, cessavit Delirium & Stupiditas. Hæc & similia Exempla observari debent, ac injecerunt ejusmodi Phænomena jamdudum ingentem scrupulum Helmontio, qui videre est *Tract. Jus Duumviratûs*, item *Ignota Actio Regim.* item *Sedes Animæ.* In his Tractatibus mirabilia introducit Exempla Affectuum Cerebri ex affecto Stomacho & Hypochondriis. Cæterùm hic ipse Autor in hoc puncto est planè paradoxus, quia primos Conceptus fieri in Splene putat, quorum Conceptuum executivum sit Cerebrum; Canis autem exsecto Splene vigilat & somniat. Equidem quoad observata Exempla, est elegantissimus; quoad superstructam verò Theoriam, & quidem officium Splenis, nullo modo admitti potest. Cæterùm si dicendum aliquid, *unde nam oriatur hic firmus Consensus Cerebri cum Stomacho & Hypochondriis*? simpliciter per Nervos, ad has Partes ex Cerebro derivatos, fieri statuo. Quòd verò hæ Partes magis conspirent cum Cerebro & Cerebello, quàm aliis Partibus, id explicare conatur quidam Scriptor Gallus, nomine Cordemoy, *Tr. de Discrimine Animæ & Corporis*, ubi rationem ex prima Fœtûs formatione in Utero derivat: *Nam* inquit, *Embryo sentire incipiens vix alibi, nec ulla pars in Homine vel in Utero adhuc recondita, vel extra Uterum exclusa, priùs sentit, quàm Orificium Stomachi, dum ratione Nutrimenti per Os affectus diversas patitur alterationes. Dum ergò ibidem fit prima Sensatio, omnes alterationes Mater imprimit Alimentis, quæ impressionem faciunt in Fœtu, in ejus Orificio Stomachi sinistro. Hinc accedit, ut etiam primò ex Cerebro eô alliciantur Spiritus Animales & alterentur, unde fit semita maximè patula, unde levi motu paratur via Spirituum Animalium ex Cerebro ad Stomachum, ita ut in universo Corpore non detur pars magis sensilis, quàm Orificium Stomachi sinistrum.* Unde tam facilis fit consensus inter Cerebrum, Cerebellum & Stomachum Partesque vicinas, ratione Nervorum.

IV. *Spiritus Animales ceu Materiam admodùm subtilem Conditiones etiam subire certo modo materiales.* Jam verò notum est, quòd ex Sanguine materialiter fiant, sive illorum particulæ sulphureo-salinæ, sive lucidæ, sive opacæ, sive aliùs sint naturæ & conditionis, necessariò pro varia Sanguinis Crasi patiuntur diversas Conditiones materiales, id est, ut, crassè loquendo, nunc sint asperi, nunc mites, nunc dulces, nunc acres, nunc lucidi, nunc opaci: &c. unde pro varietate suæ Constitutionis, & inde natarum Proprietatum, variant etiam *eorum Attributa*, & consequenter nunc plùs nunc minùs appropriati, amici, vel hostiles Nervis totique eorum Systemati in Medullâ Cerebri & Cerebelli, itemque reliquis Fibris per totum Corpus dispersis, existunt. Unde pro variis Constitutionibus & Texturis, materialiter ex Texturâ Sanguinis enatis, etiam varia Pathemata secundùm Sensus Internos & Motus Corporis, secundùm Vigilias & Somnum, erunt derivanda.

## CAPUT II.

### *De Facultatis Animalis Affectibus in Specie,*

### *SEU MORBIS CAPITIS.*

IN *specie* quod *Affectus Facultatis Animalis*, seu Sensitivæ & Motivæ Virtutis, attinet; de iis optimè agit Willisius *Tr. de Animâ Brutor. lib.* 2. Spiritus nempè Vitales, dum per corticalem Cerebri Substantiam scaturiunt, ac transudant in Cerebri Medullam fibrosam, ulteriùs derivantur in Nervos, & inde in universum Corpus, ac ita Motu suo extra Cerebrum Vim Motivam distribuunt in Organa Sensuum, inde in naturali subtilitate ordinatè moti majorem Vim conciliando Fibris eas sic disponunt, ut fortiùs tensæ facilè mobiles reddantur, & ab Objectis externis recipiant impressiones, per quas fit *Motus.* Uti ergò, dum hoc modo continuò influunt Animantibus Spiritus Animales in Organa Sensuum, ut promptè excipiant Objectorum externorum impressiones, & sic *Sensuum Passiones* sustinent, ita promptè varios Motus excitant & obeunt, quo in statu Animal *vigilare* dicitur; ita quidem ut Vigiliæ dependeant à continuo Motu Spirituum Animalium extra Cerebri & Cerebelli orbitas in Organa Sensuum externorum, quorum privatio est *Somnus*: quæ duo necessariâ vicissitudine se mutuò insequuntur naturaliter. Ac ideò radices Vigiliarum primariò in Cerebro, minùs verò in Cerebello investigandæ sunt; sicut & Somni ipsius. Unde dum Sensibus Externis feriamur, feriatur etiam Sensus Internus, unde Animal dicitur dormire, Vicissitudo hæc mutua si tollatur, ita ut Somnus vel penitus deficiat, vel saltim paucior sit, & *continuæ sint Vigiliæ*, vitium hoc vulgò vocatur *Agrypnia* Græcis, Latinis *Pervigilium*, seu Vigiliæ nimiæ.

## ARTICULUS I.

### *De Vigiliis Nimiis.*

SIcut Somnum naturalem in moderatâ Spirituum Animalium Quiete, hinc ad Sensoria Externa influxu cessante consistere, ex hactenus dictis supponimus; ita quicquid Quietem hanc interrum-

interrumpere, illoſque ad Motum conciliare poteſt, *Vigilias* ſeu *Pervigilium* inducit. Atque hoc iterum vel aliorum Morborum Symptoma eſt, v. g. Febrium, Dolorum, Diſpnœæ, Tuſſis, &c. vel ſine aliâ Ægritudine evidente, & ut Morbus ſolitarius, afficit, ita tamen, ut non nulli hoc ſine moleſtiâ ſingulari ferant, alii verò mox Languorem & Appetitum proſtratum inde percipiant.

## CAUSÆ.

Quæritur: *quænam ſit Cauſa nimiarum Vigiliarum?* Reſpondeo: omnis ſeu nimiarum Vigiliarum *Cauſa Proxima* eſt *Motus Spirituum Animalium*, aut *nimius* aut ſaltim *continuatus in Organa* Machinæ corporeæ, vel *Interna* vel *Externa*, cujus Influxûs, ut vocant, ſeu Motûs ratione, promptè ſenſilium Objectorum impreſſiones recipiunt, & poſtmodùm pro ratione Motionis in Organo impreſſæ ſimiliter ipſi in Cerebro commoti varias Animæ Rationali Diſcurſuum occaſiones ſubminiſtrant. Ubi verò in Senſibus Externis nil percipitur, neceſſariò Animal dormit, adeoque ſaltem ratione Externorum Senſuum, & hinc conſequenter Sensûs Communis, Vigiliæ vel Somnus oriuntur.

*Cauſa* verò *perpetui aut nimii Spirituum Influxûs* ſeu *Remota* eſt duplex:

1. *Objectum ſenſile* externum, fortiùs Organon quoddam, tam *intra* quàm *extra* Corpus, afficiens; adeoque tunc per modum Symptomatis ſaltem ſe habent Vigiliæ.
2. Eſt *ipſum vitium morboſum* aut *Spirituum Animalium* aut *Cerebri*, quô iidem mobiliores fiunt.

*Spirituum Animalium vitium* eſt, quando quâvis ex Cauſâ mobiliores & quaſi magis elaſtici redduntur iidem. *Cerebri vitium*, cujus occaſione iſti in continuo Motu conſervantur, eſt *aut Pororum* ejus *nimia Apertio* atque hiatus ex aliquali ejus Ariditate ſeu Siccitate, commodique Nutrimenti defectu, unde etiam Cerebri Poris patulis Spiritus in continuo ſunt Motu, unde tandem urgentur Vigiliæ; *aut Irritatio* quædam ipſarum Fibrarum Cerebri aut Membranarum ejus propter Nutrimentum acrius aut ſalſius, aut propter Serum acrius, undecunque Cerebro communicatum.

*Primam Cauſam* quod attinet: quando *Objectum* quoddam fortiùs Organa Senſuum afficit, neceſſariò Spiritus agitantur & fortiùs moventur, quæ Motiones ſecundùm Nervi ductum ad Cerebrum uſque continuatæ cæteros Spiritus in Cerebro ſimiliter movent, unde neceſſariò vigilat Animal. Hinc videmus, quòd *Clamor fortior*, *Dolor* quicunque, tam *externus*, v. g. Capitis, quàm *internus*, v. g. Colicus, Nephriticus aut Iliacus, &c. in Senſoriis Externis Spiritus in Motus inordinatos cogant, Somnum tollant, & Vigilias continuas inducant: item *Tuſſis*, quatenus concutitur ſubinde totum Pectus & totum nervoſum Syſtema, neceſſariò in Vigilias deducit. Quin & *Dyſpnœa*, *Orthopnœa*, &c. ordinariò Vigilias infert, ſed ſaltem ſymptomaticas, ob ſenſibilem illam moleſtiam, quam in Pulmonibus & Præcordiis excitat.

Præterea *Objectum* Spiritus afficiens ſæpiùs *in primis viis* inveſtigandum. Sanè in omnibus Agrypniis pertinacioribus vel *vitium eſt in Spiritibus Animalibus & Cerebro*, vel *per Conſenſum eſt*, ex vitio primarum viarum, Digeſtioniſque plùs minùs vitiatæ ratione, & undecunque præternaturalis, quæ oritur *vel* ex Aſſumptis vitioſis, *vel* malè digeſtis, *vel* vitioſè alteratis, *vel* perversè diſtributis, quæ irritando partes ſenſiles in illis locis, etiam nobis non ſentientibus, Agrypnias inferunt: ver. gr. *qui largiùs vœnant*, inſomnes noctes ducunt; *quibus Alvus clauſa* eſt nimis, Somnum interruptum habent. *Agrypniæ Infantum*, item *Pavores* in Somno, ex primis viis, præſertim circa Stomachum, radicem habent.

Hæc de primâ Cauſâ ſeu Objecto quod inducit Vigilias.

Quoad *ſecundam Cauſam*: eſt ipſum *vitium Spirituum Animalium* varium, à quo iidem ad concitatiores & pertinaciores diſponuntur Motus: quod fit in junioribus & vegetioribus Subjectis, laudabili & generoſo Victu & Potu, moderatiùs tamen, utentibus, quibus Spiritus nimis mobiles ac nimis agiles generantur, in his namque ſubinde Vigiliæ ſolent urgere. Pertinet huc totius *Cerebri Fervor* & Incaleſcentia *in Febribus Ardentibus* & ſimilibus, cujus occaſione velociùs Spiritus moti neceſſariò inducunt pertinaces Vigilias: unde etiam in *Æſtate*, item in *Juventute*, *& Ætate Virili*, in genere in *Cholericis*, promptiores ſunt Agrypniæ, Somnique minùs profundi. Hinc in Æſtate ab Aëre æſtivo & fervidiore, item ſub Climate æſtuante Sanguis, & ab hoc Spiritus Animales, quaſi commoventur, hinc Vigiliæ excitantur. In ſpecie Miaſmata peregrina & maligna, aut Spiritus Animales irritando & corrumpendo, & inordinatè agitando, aut Cerebrum ejuſve Membranas præternaturali ſenſu afficiendo, pertinaces Vigilias inducunt in Febribus Malignis, quas Delria & variæ Phreneſes excipiunt; quia Spiritibus Animalibus vinoſis quaſi minùs ſociabilia ſunt hæc Miaſmata, unde eosdem turbant. Similia Miaſmata Spiritus exagitantia & *in Herbâ Thee ac Coffee* Potione quoque concipere convenit. Quô etiam facit eſus Carnium ferinarum, in quodam Vigilias movens: Vid. Rhodius *Cent.* 1. *Obſ.* 35. Ad hunc Cauſarum fontem pertinet etiam ipſa *Anima Rationalis*, Curis intenſis vel Meditationibus & ſimilibus occupata. Cùm enim hæc ipſa utatur, ceu Inſtrumento, miniſterio Spirituum Animalium, quorum Motum *graves Curæ aut* anxiæ *Meditationes* intenſiorem reddunt, neceſſariò Vigilias nimias inferunt. Pertinent huc tandem *Animi Affectus*, ut Amor, Ira, inſignis Terror, Pavor, Metus in gradu intenſo, &c. in quibus ob velociores & inordinatos Motus nimis coacti Spiritus haud facilè ceſſant, quin continuato Motu Agrypnias inducant.

*Quod verò attinet Cerebri vitia*: hoc Vigiliarum Cauſa evadit, ſi Meatus ejus patuli magis & laxiores exiſtunt, adeòque Spiritibus Animalibus nulla repagula imponuntur. In quo caſu hoc peculiare obſervatur, quòd ejuſmodi Ægri nullum Torporem, nullam ad Somnum propenſionem, nullamque aliam moleſtiam inde percipiant; cujus Cauſa aliqualis Cerebri & Fibrarum Medullæ Ariditas, & Squalor, ex defectu Humoris nutritii (vel quatenus hic non generatur, vel quatenus abſumitur) Cerebrum humectantis, & ſub Nutritione Poros anguſtantis, ratione cujus inanè quoddam tractibus illis medullaribus contingit; hinc *Inedia* diuturnior Pervigilium inducit, de quo vid. Marcus Marci *Phil. Veterum Reſt. pag.* 392. Nempe Alimentis, imprimis temperatis roridis, humectatur Cerebrum, & blandè irroratur, ipſique adeò Spiritus quaſi aquoſiores facti placidiore Motu ſomnum inferunt; ſed ſub Inediâ, Cerebro minùs humectato, ſed magis arido & poroſo facto, ipſique Spiritus Animales ſubtiliores redditi Vigilias inducunt. Et hoc modo intelligenda eſt illa locutio plebeja; *Æger non edit, ideoque non poteſt dormire.* Faciunt huc etiâ *Alimenta* acriora & ſpirituoſa aſſumpta, & oleoſa volatilia,

tam

tam *Aromata*, *ut Piperata*, *Cinnamomum*, &c. quàm alia, ut *Alliata*, *Cepæ*, *Eruca* &c. à talibus enim Spiritus Animales fiunt insigniter volatiles, acuti & quasi acres, unde ex velociori Motu irritatum quodammodò Cerebrum, & Genus nervosum alteratum, Vigilias inducit. Hinc *Venus nimia*, abusivè instituta, causat Vigilias nimias, partim quatenus eâ Spiritus Animales insigniter commoventur, partim quatenus Venus exhaurit Rorem nutritium Cerebri ac Partium spermaticarum Nutritioni dicatum. Quô etiam facit Agrypnia à *Sudore nimio & Lienteriâ*, item ab intempestivo *Purgantis usu*, dum quidam sub fervore caniculari ex hausiu Purgantis factus fuit agrypnus per tres septimanas; vid. M. A. N. C. *Ann. 6. Obser.* 185. *p.* 346. & *Tabaci abusu*; dum quidam ex nimio abusu Tabaci inciderit in Agrypniam septendecim dierum. Equidem Tabacum per se est Narcoticum, interim ex nimio usu prævalet Sal ejus volatile acre, quod Salivam excitat, & simul Rorem Corporis chylosum evacuat, Cerebrumque ita porosius reddit: conf. *Miscell. Acad. Nat. Cur. loc. alleg.* In specie *Senibus* imprimis *frequens Symptoma est Agrypnia*, idque non tam ex Spirituum vitio, quàm partim Cerebri texturâ alteratâ, partim Digestionis primæ vitio. Nempe Cerebri Pori, Nutritione in Senibus non nihil naturaliter deficiente, nimis aperti ac nimis patuli liberrimum Spiritibus commeatum undique continuò permittunt, quorum placidâ quidem, sed continuatâ Motione, Somnus deficit. *Quoad Digestionis primæ vitium* verò, non saltim circa primas vias insensiles molestiæ Spiritus turbant, dum minùs commodè ea procedit, sed etiam deficientis Chyli nutritivi causâ, Cerebrum parteſque nerveæ aridiores ac sicciores ferè redduntur: quare etiam his Calefacientia, v. g. Vinum, aliaque Spirituosa, Somnum conciliant, Ventriculi Digestionem juvando; minimè verò Humectantia & Refrigerantia communiter dicta. Modò etiam Agrypniam infert Succi chylosi *Acrimonia*, qualem *Scorbutus* interdum inducere solet: quô etiam spectat, quæ de Thee & Coffee suprà adducta. Accedit hîc Senum ad rem attentio; Senum enim continua sedulitas, & continuæ Curæ circa rem familiarem, quibus senilis Ætas est exposita, calcar addunt Spirituum Animalium contumaci & magis continuo Motui, unde Vigiliæ.

Denique *Melancholici*, *Maniaci* & similes, præ aliis molestissima patiuntur Pervigilia, ita ut quidam Melancholicus per quatuordecim menses fuerit vigil & insomnis: & tales Melancholici, utut etiam per aliquot dies, imò menses, in continuis sint Vigiliis, continuato cursu hoc Malum *sine Virium debilitate* perferunt; ac quidem multiplici ex fonte. Nam præter *Phantasmatis* melancholici continuatam speculationem suprà insinuatam, eorum Massa Sanguinea acrior, & vitio Digestionis primæ acidior esse videtur, unde Spiritus Animales & ipsi minùs volatiles degenerant à debitâ Crasi, & acriores & asperiores, quodammodò acidiores & fixiores generantur ita inquinati, qui Fibras Cerebri medullares impetuosiùs vellicant, quæ commotæ Motum novum & extraordinarium ipsis Spiritibus denuò imprimunt: Unde ex pertinaci Spirituum per eosdem Poros Motu, præter alia Pathemata continuæ oriuntur Vigiliæ, quæ & Camphorâ curantur: in quo continuo Motu Spiritus Animales ne fortissimis etiam Opiatis auscultant, & Somnum capiunt. Interim *Meticulositas & Meditatio* suum pensum huc conferunt.

## DIAGNOSIS.

*Signa Diagnostica* per se sunt nota; Æger enim si non dormit, satis manifestat se vigilare.

Præ cæteris tamen cognoscendæ *Causæ Vigiliæ*, quæ sunt faciles, quando Æger fatetur se affligi Curis, Affectibus indulgere. In Febribus Ardentibus & Malignis facilè patet, unde sint Vigiliæ.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Vigiliæ nimiæ non sunt contemnendæ, cùm necessariò omnes Vigiliæ notabilem *Virium debilitatem* inferant, quæ in Somno reficiuntur, ac præsertim non rarò in Febribus Acutis *Deliria ac Motus convulsivos* post se trahunt. Hinc Hippocrates *Sect. 7. Aphor.* 18. à Vigiliis Convulsio aut Delirium, malum pronunciat.

Deinde Vigiliæ *in Ætate consistente aut in Sexu muliebri* plùs nocent, quàm *in Ætate juvenili aut Sexu virili.*

Interim Vigiliæ *in Morbis Acutis* diu nequeunt durare, imprimis in Febribus Puerperarum, juxta Canonem; *quod caret alternâ requie, durabile non est*: sed vel ad Salutem vel ad Mortem terminantur. *In Chronicis* verò *Morbis*, speciatim in Affectibus Melancholicis, interdum satis diu citra noxam continuantur Vigiliæ; ver. gr. in Puellâ illâ, cujus modò ex Marco Marci mentio facta fuit. Sic enim observatæ sunt eædem quadraginta quinque dierum continuæ. Fernelius *Patholog. lib.* 5. *cap.* 2. & Schenckius *lib.* 1. *Observat.* refert Vigilias quatuordecim mensium in mente capto.

Sed utut minùs malæ sint in Chronicis talibus Vigiliæ, quàm in Acutis; tamen *quò diuturniores*, eò tamen pejora Symptomata tandem post se trahunt, ac non nunquam in Delirium & Fatuitatem terminantur & Stupidos reddunt, ut Experientia testatur: sic Panarollus *Pent.* 5. *Observat.* 40. refert Puerum biennem sex menses insomnem, posteà Fatuum redditum: Aliquibus tamen minùs exitiosæ existunt: vid. M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obser.* 185.

## CURA.

In *Curâ* Vigiliarum, Agrypniæ *Causarum Remotarum seu Antecedentium* imprimis habenda est ratio, adeòque vel

1. *Objectum externum*, quôcunque modô Systema Nervosum afficiens, Partes sensiles plùs minùs irritans, & consequenter Spiritus Animales in Vigilias Symptomaticas commovens, removendum & sistendum; aut
2. Nimia *Spirituum Animalium* Agilitas & Impetus blandis Anodynis, aut benè correctis Narcoticis moderatè sistenda, iique ad Motum blandiorem & torpidiorem quasi disponendi; aut
3. Blandis Temperatis & Nutritivis & moderatis Oleosis, *Cerebro, ipsorumque Spirituum Animalium* Dyscrasiæ, prospiciendum, ut Spirituum Acrimonia temperetur, & Cerebri Siccitas, hujusque Meatuum Amplitudo, per Alimenta boni succi, & Humectantia seu Oleosa corrigatur; *Ventriculi autem Digestio* vitiosa, si in culpâ fuerit, emendetur.

*Laccessentia exteriora*, quomodò removenda, ex hactenus dictis partim constat, partim in vulgus innotescit. *Causæ Internæ* quia sunt vel *Acrimonia*, vel

vel *Motus Sanguinis* impetuoſior, vel *Miaſmata* heterogenea, patet, quòd *Univerſalia* vulgò dicta, nempe *Venæ ſectiones*, aut *Purgationes*, etiam *Digeſtiva*, &c. in Vigiliis per ſe nil conferant, ſed vel prioris Indicati tantùm intuitu alicujus usûs ſunt, ut nempe per accidens Cauſam Occaſionalem auferant: ſcilicet quamvis v. g. Venæ ſectio interdum, ubi Vigiliæ urgent, poſtulatur, ſit tamen hoc propter Morbum adjunctum, ſive Cauſa Vigiliarum exiſtat ſive ſecus: v. g. ubi peccat Acrimonia ſcorbutica, Catharſis aut Evacuatio per Sudorem; ubi Exæſtuatio Sanguinis, Inflammatio dolorifica, &c. Venæ ſectio locum habet: vid. Foreſtus *lib.* 10. *Obſer.* 36. Sic etiam refert Deodatus *in Valetud. pag.* 25. Vigilias pertinaces aliis irritis per *Catharticum Melanogogum* fuiſſe curatas, quodque per accidens tantùm, nempe Ventriculi Cruditatibus evacuatis, Vigiliis aliquid contuliſſe, probabile videtur.

*Pro ſecundo verò Scopo* ſatisfaciunt *Medicamenta Hypnotica, & Narcotica* dicta, quæ figere ſolent Spiritus potenter, & promptè Vigilias ſiſtunt. Nam utut ſint maligna, tamen interdum coactus Medicus iiſdem utitur, ſed ſint probè correcta. Hæc ipſa Narcotica ſunt imprimis *Papaverina*, uſitatiſſima jam Antiquis, exque Papavere inſpiſſatus Succus, aut expreſſione elicitus, dictus Meconium, quod eſt noſtrum *Opium*; aut Succus inciſione ſponte exſtillans, quod eſt genuinum Opium, quod correctum Vigilias compeſcit; quia unum eſt ex genere Solanorum exoticorum: ſicut etiam omnes Solanorum ſpecies narcoticam vim obtinent, Nicotiana, Radix, Folia & Semen Hyoſcyami, Mandragora ejuſque Radix, Flores Liguſtri, item Stramonium ejuſque Semen à Bartholeto commendatum tanquam ſingulare Narcoticum, & quod ſimul hilaritatem inducat; uti & ſpecies ejus nobilior, *Datura Indorum* dicta. Hiſce etiam *Crocus* ejuſque Præparata, & ſuo modo *Abſinthium* addenda ſunt; quæ duo cum Papaverinis & Opiatis frequentiùs uſurpantur, reliquorum enim uſus non adeò tutus eſt; quemadmodùm ex Radicis Hyoſcyami eſu Borellus *Cent.* 4. *Obſer.* 45. Dementiam annotavit. Aliàs notum eſt, quòd Opium aſſumptum ab incolis Orientalibus, præter Somnum, inferat Somnia jucunda; contrà verò Septentrionalibus turbulenta, gravia, ac viſiones Cacodæmonum, &c. producat. Ex his ipſis Hypnoticis *varia ſunt Compoſita*, & Veterum & Modernorum. Veteribus in uſu ſunt Philonium Romanum, Philonium Perſicum, Requies *Nicolai*, Pilulæ de Cynogloſſâ, &c. quæ tamen ipſa Remedia, cùm cruda Narcotica recipiant, jam propemodùm in deſuetudinem abierunt. Loco eorumdem à Modernis Theriaca, Mithridatium, Syrupus de Papavere ſimplex & compoſitus, Diacodium, Electuarium Diaſcordii, ac Laudana Opiata infinita, & ſimilia imprimis uſurpari ſolent, inter quæ Extractum Opii cum Tinctura Tartari, aut per fermentationem *Langelotti*, aut per digeſtionem cum Sale Tartari aut aliis Salibus lixivialibus, item Fermentum Narcoticum *Conerdingii* excellunt. Et ſanè egregium eſt Laudanum Opiatum, ſi rectè præparatum fuerit. Permiſcetur cum Pulveribus, verbi gratiâ cum Alexipharmacis miſtum, fit Pulvis Anodynus Alexiterius; cum Confortantibus, fit Pulvis Anodynus Confortans; item cum Alexipharmacis liquidis fit Eſſentia Theriacalis Anodyna. Nam rarò Opium adhibetur, quin Appropriatis addatur. Quibus etiam accenſemus Aquam Hypnoticam *Dornerellii*, Aquam Somniferam *Langii*, Extractum & Pilulas de Stramonio, quæ eadem habent virtutes cum Opio. Bartholetus *Liquorem Somniferum* quendam præparat hoc modo:

℞. *Sem. Papav.*
*Cucumer.*
*Stramon. noſtr.*

Contuſa cum ſ. q. *Aquæ* ponit in digeſtionem fimi equini per quatuor horas, poſtmodùm filtrat, & ex retortâ deſtillat lento igne.

Doſis eſt ʒß. ad ʒj. tanquam blandum Somniferum.

*Pilulas* verò *ex Stramonio* hoc modo præparat.

℞. *Fruct. Stramon.* ℔. vj.

Contundit & bullit in
*Aqu. lactucæ* ℔. xij.
ad tertiæ partis conſumptionem:

Decoctum exprimit & digerit in Sole, poſtmodùm imbibit cum *Aqu. Ardente* ſeu *Spiritu Vini*, & exſiccat. Iterum Spiritu Vini humectat, & denuò ſiccat; hinc Succi ſiccati vel inſpiſſati ʒj. addit
*Croci* ʒß.
*Olei Cort. Citri* ♃j.

Miſcet pro Paſtâ pilulari.

Doſis à gr. j. ad gr. ij. quæ Pilulæ præter Somnum blandum, etiam quoſcunque Fluxus ſiſtunt.

Loco hujus convenit *Eſſentia ſeu Pharmacum Phantaſticum Bartholeti*, ac Laudanum ſine Opio, ſive ex Fructibus Daturæ Turcarum ſive Indorum ejuſdem, quod Bartholetus *in ſuo Tract. de Reſpirat. lib.* 5. *cap.* 1. deſcribit; ſcilicet ex Daturæ hujus Pomorum Succo expreſſo inſpiſſato cum Spiritu Vini conficit Tincturam; cui ad conſiſtentiam Extracti inſpiſſatæ addit Crocum & Nucem Moſchatam. Ac ſanè Datura infert Somnum cum quâdam lætitiâ conjunctum. Commendat etiam Bartholetus Eſſentiam Opii cum Spiritu Vitrioli volatili paratam, & Spiritum Lotii, quem omnium præſtantiſſimum proclamat. Spectat huc etiam Primum Ens Veneris ex Vitriolo cum Sale Ammoniaco parandum; item Sulphur Vitrioli Anodynum; quamvis huic poſteriori nihil ejuſmodi virium concedat Bartholetus *l. a.*

Sed de Opiatorum uſu in Agrypniâ benè obſervandum quod monet Winclerus *Tr. de Opio pag.* 244. nempe quòd *Opiata licèt in Vigiliis ſingulariter utilia ſint, tamen iis nec ſemper, nec in omnibus utendum ſit. Eſt enim, quando Vigiliæ ſunt inſtantis Criſeos ſignum; ubi ferè ſunt omittenda Opiata, nec Naturæ labor impediendus. Eſt etiam, ubi Senes diuturnis Vigiliis torquentur, ubi potiùs Analeptica conducunt, ut Spiritus Dia-Moſchi dulcis, Diambræ, Ambra, & ſimilia. Eſt tandem etiam, ubi Vigiliæ ſunt ex anguſtiâ Pectoris, ex Dyſpnœâ, in Hydrope, ubi Opiata vix tuto uſurpantur; metus enim eſt ne Somno fortiori provocato ſuffocentur Ægri. Eſt etiam, ubi Vires exhauſtæ ſunt, Spirituſque deficiunt, ubi quoque minus Opiata conveniunt.* Hæc Winclerus. Et ſi quando uſurpanda ſunt, uſurpentur eâdem in quantitate parvâ, paritis vicibus, ut rectè monet Septalius, adeòque repetito crebriùs in parvâ doſi eorum uſu, quoniam eorum Animam labefactant, & eos ſtupidi Ingenii reddunt. In Agrypniis Melancholicis nihil faciunt, ſed ſaltem Temperata adhibenda ſunt ex Paſſulis, Liquiritiâ, Borragine, & ſimilibus. Ex. gr.

℞. *Conſ. Flor. Papav. err.* ʒj.
*Theriac.* vel *Elect. Diaſcord.* ʒß.
*Laud. Opiat.* gr. j.
M. f. Bolus. S.

Electuarium ſerotinum pro unâ vice.

Vel

Vel

℞. *Cinnab. nativ.* vel *Antimonii* , vel *Mag. Corall.* gr. xv.
*Sacch. Saturni* gr. viij.
*Laud. Opiat.* gr. j. vel ij.
Cum *Eſſ. Croci.* f. Pil.
D. S.

Pilulæ veſpertinæ ad quietem.
Sumantur veſperi horâ ante paſtum.

*Pro tertio Scopo*, ut nempe temperatis Nutritivis *Cerebro & Dyſcraſiæ Spirituum Animalium* proſpiciatur, ad Vigilias proſunt vulgò ſic dicta *Refrigerantia & Humectantia*. Hinc *Temperata* plùs minùs oleaginoſa, & quaſi lacteſcentia chyloſa blandè nutrientia, ut *Lactuca*, & totus Lactucarum exercitus, ejuſque eſus : hæc ipſa etiam jam à Galeni temporibus eſt in uſu contra Vigilias nimias. Videatur Zacutus Luſitanus *lib. 1. Med. Princ. Hiſt.* 14. ubi refert, Vigilias ex nimiis Meditationibus, aliis fruſtrà adhibitis, per eſum Lactucarum, & per Oleum Nymphææ Naribus inunctum, curatas fuiſſe : Ubi etiam refert de Galeno, quòd ipſi Lactuca fuerit Alexipharmacum Vigiliarum, &c. Item *Nymphæa*, ejus Folia & Flores, imprimis externo uſu. Papaver rhœas & ipſum hîc convenit, item Sonchi, Chondrillæ, Flores Verbaſci, & plura inde parata Remedia ; In ſpecie Fructus ſeu Nuclei & Semina lacteſcentia ; ſcilicet *Semina quatuor Frigida majora & minora*, Hordeum, Amygdalæ dulces, Pineæ, Piſtacia, Nuclei Perſicorum, ut & ex iiſdem, nunc ſolitariis nunc cum Semine Papaveris & Portulacæ, factæ *Emulſiones* ſunt uſitatæ & in ſpecie cum Semine Stramonii, cujus gr. j. vel ij. addita mira faciunt, de quo *ſuprà*. Hæ Emulſiones humectant blandè, temperant Acrimoniam turgeſcentium Humorum, blandè nutriunt, & ſucceſſivè Somnum inferunt : vid. Sylvius *Pr. pag.* 122. *§.* 25.

Vel

℞. *Sem. 4. Frig. major.* ℥ß.
*Papav. alb.* ʒij.
*Amygd. dulc.* ʒij. ad ℥ß.
Cum ſ. q. *Aquæ Nymph.* f. Emulſio :
cui adde
*Aquæ Cinnam.* ℥ß.
Edulcor. cum *Syr. Nymph.* vel *Papav.* vel cum *Rot. Manûs Chriſti perlat.*
M. D. S.

Emulſio Confortans ad quietem.

Vel

℞. *Sem. Papav. alb.* ℥ß.
*Melon.*
*Amygd. dulc.* an. ʒij.
*Aquæ Flor. Sambuc.*
*Acac.*
*Hypnot. Dorncr.* an. ℥ii.
F. Emulſio.
Edulcor. cum *Syr. Nymph.*
S. ut anteà.

His Emulſionibus poſtmodùm pro Affectuum ratione, imprimis in Acutis Morbis, & alia Morbis *Appropriata* ulteriùs addi poſſunt : Verbi gratiâ ponam *Agrypniam in Febre Malignâ*, tunc

℞. *Amygd. dulc. Amb.*
*Sem. Papav. albi* an. ʒij.
*quatuor Frig. maj.* an. ʒj.
Cum ſ. q. *Aquæ Scorzon.* & *Nymph.* f. l. a. Emulſio:
Cui adde
*Aquæ Cinnam.* (ratione virium) ℥ß.
*Bezoard. Mineral.* ϑj.
Edulcoretur *Rotulis Man. Chriſt. perlat.*
D. S.

Emulſio veſpertina pro unâ vice.

Hauriatur ſubinde. Hîc enim Bezoardicum Minerale reſiſtit Malignitati, in Febre, quam ſuppono, obviæ.

*Decoctum Hordei* factum cum Papavere & Radice Liquiritiæ commendatur à Lindano in Agrypniâ propter Inediam vel defectu Roris nutritii humectantis Cerebrum ; ſicuti *Hordeaceorum* temperatum uſum proficuum expertus eſt Borellus *Cent. 4. Obſer.* 89. in Agrypniâ, Tuſſi & Macie. Summatim, quæcumque *Diæta Nutritiva* & quaſi *Semilactea* ad talem Agrypniam eſt optima.

Hæc de Internis & Opiatis. Sed, uti dixi, imprimis *habenda eſt ratio Cauſarum* : in ſpecie *ex Inediâ* vel deficiente Rore nutritio & Succitate, ubi conveniunt Humectantia, Hordeum, Paſſulæ & Glycyrrhiza ; item Emulſiones.

Quoad *Externa* ; ad Agrypniam in genere uſitata ſunt vel *Anodyna Narcotica Opiata*, vel *blanda Humectantia*, nunc Temporibus ac Fronti, nunc Manibus ac Pedibus in formâ *Pediluviorum* applicanda, quamvis eorum uſum Sanctorius *Meth. lib. 13. Cap. 2.* & Primeroſius *de Error. vulgi lib. 4. Cap. 45.* nullius efficaciæ judicent : ſcilicet *Epithemata* aut *Lotiones* ex Decoctis Vegetabilium Emollientium & Anodynorum, Florum Liguſtri, Violarum, Paralyſeos, Jaceæ, Chamomillæ, Nymphææ, Herbæ Lactucæ, Foliorum Nymphææ, Solani, Summitatum Anethi, Foliorum Salicis, Vitis, Violariæ, Corticis Mandragoræ, Capitum & Seminis Papaveris albi contuſi, & ſimilium. *Emulſiones* pariter ex Nucleis Perſicorum, Semine Papaveris albi, quatuor Frigidis majoribus & minoribus, Hyoſcyami, Lactucæ & Stramonii (quibus Hartmannus Semen Anthos, Fœniculi, & Aniſi addit) cum Aquâ Nymphææ vel aliâ quâdam ſpecifica, vel Lacte mulierbri paratæ, Fronti ac Temporibus cum Linteis multiplicatis applicatæ ; ſicuti & Linteola Lacte tepido madida Fronti impoſita inſigniter conveniunt. Hujus etiam loci ſunt Spongiæ Cynosbati, Ger. *die Schlaff - Kunzen*, & Liquor Vermiculorum in his repertorum menſe Auguſto collectorum. Vermiculi hi conquaſſentur ſeu contundantur inter duos lapides, ut Liquor exeat, qui colligatur in Vitro & aſſervetur, quo Liquore illinantur Tempora ; eſt enim ſuave & blandum Hypnoticum ſine omni periculo Narcoſeos. Item *Spongia Somnifera* ab Heurnio *Meth. lib. 2. cap. 7.* deſcripta, ex *Succorum Hyoſcyami*, *Papaveris albi*, *Mandragoræ*, *Mororum immaturorum*, *Coriandri*, *Lactucæ* ana ℥j. *Opii* ʒj. Spongia ita humida facta vel imprægnata his Succis, poſtmodùm leni calore exſiccatur, & Naribus admovetur pro conciliando Somno. Hinc fiunt *Inunctiones* ex Medullâ Crurum Vituli & Cervi recenti, quæ Temporibus aliquoties tempore Somni illitæ blandum Somnum inducunt ; vel accipiatur Axungia ex Cruribus bovinis elixando in Aquâ ſimplici elicita, quæ ſeparata aſſervetur in Vitro, & radiis ſolaribus vel alii blando calori exponatur, ut depuretur & pòſt Temporibus illinatur. Item ſuavem infert Somnum Pinguedo Lucii piſcis, vel Leporis, Oleum Nymphææ, Anethinum, Papaveris albi, Nucis Moſchatæ expreſſum, Hyoſcyami, Nucleorum Perſicorum, & ſimilia. Quô etiam pertinet Unguentum Populeum recens, de Alabaſtro & Hypnoticum uſitatum, quibus aliquot guttæ Olei Hyoſcyami, interdum aliquantulum Croci, interdum aliquot grana Opii, addi poſſunt, imprimis ubi cum Vigiliis infeſtant Dolores Capitis. Denique pertinet huc Balſamus Hypnoticus *Mynſichti*, & Cerumē ex Auribus

Aſini

Aſini quantitate Piſi Temporibus illitum, in Agrypniâ Febrium Ardentium potens dicitur Narcoticum. Sed obſervetur, ne augeatur doſis; aliàs nimis profundus & diuturnus Somnus inducitur. Sunt qui *Odorem* quoque ejuſmodi Odoriferorum commendant, v. gr. Florum Liguſtri Sennertus *Pr. lib.* 1. *pag.* 231. item Zacutus Luſitanus *Prax. Hiſt. l.* 1. *p.* 165. Odorem Decocti ex Radice Mandragoræ, Hyoſcyami, Semine Lactucæ, Opio, &c. commendat. Quô etiam Odor Croci ſpectat, cujus gratiâ Sacculus, in quo hic aſſervatus fuit, à vulgo culcitræ ſupponitur. In M. A. N. C. *Ann.* 6. *Obſerv.* 171. aliquot proſtant Euporiſta Somnum conciliantia, qualia ſunt: Aures Leporinæ abſciſſæ & pulvinari ſuppoſitæ: Unguen illud ſeu Craſſamentum unctuoſum, quod Rotis molaribus agglutinatur, Temporibus illitum; Cranium Humanum Ægro inſcio ſubditum; Succus Naſturtii aquatici cum Aceto Naribus illitus; Pinguedo item Lucii piſcis eodem modo adhibita; Pulvis ex Foliis & Semine Hyoſcyami albi Sacculo Capiti dormituri vel pulvinari ſuppoſitus, quod habet Langius *Epiſt. lib.* 3. *cap.* 6. qui etiam aliquando Hirudines poſt Aures applicuit, & remotis eis gr. j. Opii Vulneribus imponere ſolitus eſt; ſicut etiam *Turundam* ex grano uno & altero *Laudani Opiati* cum aliis miſti Naribus efficaciſſimè inditam videbitis in Timæi *von Gulden - klee Caſib. pag.* 94. Præterea ſpecificè hîc prodeſt Sanguis calidus Animalium timidorum: v. gr. recipiatur Pullus gallinaceus trium vel quatuor ſeptimanarum, ſubitòque diſrumpatur, quô Sanguis calidus in Frontem patientis decidat.

Cæterùm apud Practicos etiam *Clyſmata & Suppoſitoria* magno cum fructu interdum ad Somnum conciliandum injiciuntur, quibus gr. v. vel vj. Opii adduntur, ubi tutò internè uſurpari nequit Opium: ſed hæc vix adhibeantur, niſi Vigiliæ oriuntur ex Inteſtinorum Dolore aut Fluxu Alvi; ſecus violentem ſunt Remedium; Zacutus enim Luſitanus habet aliquot Exempla mortuorum ex Suppoſitoriis Opiatis. Probatum Clyſterem habet Schmucx ex Cortice Radicis Mandragoræ, & Capitibus Papaveris cum Semine, in Lacte coctis, & applicatis.

*Formulæ Somniferorum Externorum* ſequentes eſſe poſſunt:

℞. *Fol. Vitis*,
*Salicis*,
*Nymph.*
*Herb. Chamomill. cum Flor.* an. M. j. vel ij.
*Rad. Rhod.* ℥j.
*Caryophyllat.*
*Ireos Florent.* an. ℥ß.
*Cap. Papav. albi cum Sem. contuſ.* No. iv. vj. vel viij.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ ſimpl.*

Quo Decocto primò benè foveantur Tempora, hinc laventur Manus & Pedes, ac Linteis tandem involuti ſponte exſiccentur.

Vel

℞. *Fol. Lactuc.*
*Salic.*
*Viol.* an. M. j.
*Fl. Liguſtri*,
*Nymph.*
*Chamomill.* an. M. j.



*Cort. Mandrag.* ℥vj.
*Cap. Papav.* No. x. vel xij.
Inciſ. D. pro Pediluvio:
S.
Species ad Pediluvium.

Vel

℞. *Olei Nymph.* ℥j.
*Anethi* ʒß.
*expr. Papav.* ℈j.
M. S.
Oleum ad Somnum.

Vel

℞. *Ol. Papav. expr.* ʒj. vel ʒij.
*Nuciſt. expr.* ʒß.
M. S.
Unguentum Somniferum.

Vel

℞. *Ol. Papav. expr.* ʒiß.
*Hyoſcyam. expr.*
*Nuc. moſch.* ana ʒj.
M. S. ut anteà.

Vel

℞. *Olei Hyoſcyam. cum Ol. Pap. compoſ. Lud.* ℈j.
*Nuciſt. expr.* q. ſ.
M. S. ut ſuprà.

Vel

℞. *Ol. expr. Papav.* ʒij.
*Hyoſc.* ʒß.
M. S.
Oeum Externum ad Somnum.

Vel

℞. *Ungu. Popul.* vel *Hypnot. Off.* ʒij.
*Ext. Opii cum Spir. Vini par.* gr. iv. ad viij. vel loco hujus *Olei expr. Sem. Hyoſc.* ʒß.
M. S.
Unguentem Somniferum.

Vel

℞. *Ungu. Popul.* ℥ß.
*Ol. expr. Nuciſt.* ʒß.
*deſtill. Aneth.* gutt. xij.
*Extr. Opii* ℈ß.
M. D. S. ut antè.

Vel

℞. *Ungu. Alabaſtr.* ʒij.
*Extr. Opii* ℈ß.
*Ol. deſtill. Aneth.*
*Aniſ.* an. ℈j.
M. S. ut ſuprà.

Vel

℞. *Ungu. Alabaſtr.* ʒij.
*Ol. expr. Hyoſcyam.*
*Papav.* an. ℈ij.
*deſtill. Aneth.* gutt. vj.
M. S. ut ſuprà.

Vel

℞. *Nucl. Perſic.* ℥ij.
*Sem. Papav. alb.* ʒj.
*Aquæ Hypnot. Dornicr. vel Lact. muliebr.*
℥vj. F. Emulſio :
adde
*Opii* gr. vj.
*Croci* gr. v.

M. S.

Emulſio Externa ad Somnum.

Vel

℞. *Nucl. Perſic.* ℥ß.
*Sem. Papav. albi* ʒiij.
*Anethi*,
*Hyoſcyami*,
*Lactucæ* an. ʒij.
Cum *Aquâ Hypnot. Lang.* f. Emulſio :
D. S. ut antè.
Temporibus ac Fronti applicentur.

Vel

℞. *Aquæ Hypnot. Lang.* ℥iv.
*Philon. Rom.* ʒij.
*Camph.* ℈j.

M. S.

Mixtura Externa ad Somnum.

Vel ad imitationem Rulandi in pertinaciori Malo, imprimis quando ſimul adſunt Deliria :

℞. *Aquæ Roſar.* ℥vj. vel viij.
*Opii* ℈ij. ad ʒj.
*Croci* ℈ß. ad ℈ij.
Miſceantur.

Mixturâ hâc imbuta Lintea tepidè applicentur Temporibus, donec Somnus accedat.

*De Senum Vigiliis*, aut etiam in Vigiliis, quæ inſequuntur *diuturnas Curas & Meditationes*, jam monitum fuit, non tam *Anodyna* quàm *Confortantia* plùs minùs *aromatica*, Ventriculi Digeſtionem primam promoventia convenire, vixque locum habent Humectantia illa aut Opiata, & quæcunque Narcotica, quæ ſunt peſſima, adeòque talia Remedia ſic dicta *Calida*, Potus *Vini* Malvatici, aut alius dulcis, item *Aquæ Vitæ* Apoplectica & *Aromata*, *Eſſentia Abſinthii*, & ſimilia Somnum inducentia. In ſpecie verò *Vinum dulce & Spiritus Vini* à paſtu Senibus convenit, in Vigiliis ex vitio Cerebri dependentibus. Conferatur hic Exemplum elegans Heinrici *ab* Heer, qui *Obſerv.* 2. & 5. aliquot granis Piperis albi conditi, Nuce Moſchatâ, Zingibere, Acoro vero & Ambrâ griſeâ Vigilias ſedatas teſtatur; ſicut etiam Schenckius *lib.* 2. *Obſerv.* refert Mulierem Patavinam quindecim diebus inſomnem, tandem uſu Panis cum Vino Malvatico macerati Somnum recuperaſſe; pariter Remedia *Ambrata* & *Moſchata* laudantur in Wedelii *Opiolog. pag.* 38. Sic quoque Agrypniæ *in Affectibus* ſic dictis *Frigidis*, v. gr. in Catarrhis, per uſum *Piperis albi*, item per *Electuaria ex Aromatibus & calidis* optimè ſopiuntur. Spectat huc etiam Conſilium Rondeletii *Meth. curandi lib.* 1. *cap.* 17. ubi Ventriculo refrigerato, pro Vigiliis tollendis Olea & Unguenta Calida; illis autem, qui ob Mœrorem & Curas vigilant, Vinum meraciſſimum aut Hippocraticum commendat. Alii in Vigiliis nimis à Cruditate Ventriculi Spiritûs Vini uſum poſt cœnam commendare ſolent : Siquidem omnia hæc promovent Digeſtionem, & ad Somnum blandum diſponunt. Sic pariter in Agrypniis cum Virium exhauſtione, Spirituumque abſumptione *Analeptica* talia *ex Vino dulci* ſunt optima : aut ſi propinanda Papaverina aut Opiata, eadem *Aromaticis*, in exiguâ admodùm doſi, ſocianda, & ſub Analepticis ſemper Vehiculis propinanda ſunt : quem morem Veteres in *Philoniorum* compoſitionibus obſervârunt. Jure-Conſultus quidam ex diuturno literarum ſtudio quatuor menſes ſine Somno fuit, ita ut jam putaretur planè fatuus, nullis præſidiis proficientibus, *Philonii Perſici* drachma una cum Vino *Malvatico* exhibita bis vel ter, ad Somnum rediit, Autore Zacuto Luſitano *lib.* 1. *Med. Princ. Hiſtor.* 13. (B)

## ARTICULUS II.

### *De Somno nimio.*

ABſolvimus Vigilias nimias, quibus ipſis contrarium vitium eſt *Somnus*, & *Sopor nimius*, dum Ægri aut nimium in Somnum ſunt propenſi, aut actu nimis dormiunt. Multi autem Affectus ſub nomine *Affectuum Soporoſorum* ſolent circumferri : ſed cum inſigni confuſione & errore. Fit hoc, judicante ſic Lindano, quòd propter neglectos Fontes Hippocraticos alios Autores promiſcuè ſcrutantur, indeque in confuſos errores promiſcuè lapſi fuerunt : quô non parum facit garrulitas Galeni, ejuſque fallax autoritas, cujus veſtigiis alii inſiſtentes, confuſè admodùm de Affectibus Soporoſis egerunt. Interim optimè diſtinxit hos Affectus Lindanus

(B) Nota Cyrilli. *Adde ad Somnum conciliandum non nunquam non mediocriter valere muſicorum Inſtrumentorum harmoniam, ſuavem cantum, leniter decurrentis aquæ ſuſurrum, joco-ſeriorum narrationem, vel lectionem, & ſimilia : Imò è contrario quandoque ſtrepitus & vociferationes, præſertim ſi ad certam temporis normam & rhythmum moderentur, Somnum accerſunt : ut experimur in Infantibus, qui Cunarum violentâ oſcillatione, & inconcinnis Nutricum clamoribus, in Somnum labuntur : novi qui non niſi Tympani bellici vehementi percuſſione, atque univerſæ domûs ruinoſo fragore, non ſine maximo viciniæ incommodo, Somnum capiebat. Illud autem verum eſt, maximam in hâc re (ut in quamplurimis) vim habere Conſuetudinem, ut ſcilicet iis circumſtantiis, ſive commodis ſive incommodis, Somnus obrepere ſoleat, quibus obdormire ſæpiùs conſueverimus.*

*Notandum quoque ad Somnum & Vigiliam quam maximè facere Aërem quem reſpiramus : ita ut in hoc placidiùs dormiamus, in illo verò Somnum capere non poſſimus. Quis enim neget, non parum pro Spirituum geneſi, eorumque ἀνταναβολισμῷ, facere Aëris ſubſtantiam reſpiratione hauſtam? Ut plurimùm craſſior Aër magis facit ad Somnum, tenuior ad Vigiliam : ſic Hypochondriacus, qui in tenuiori Aëre per menſem noctes omnes traduxerat inſomnes, meo conſilio in craſſiorem tranſlatus, extemplò placidiſſimè dormivit. Verùm & in hoc etiam ſtandum Conſuetudini.*

(C) Nota

danus *in Melet. Med. & Chym. pag.* 282. cujus veſtigia nos terimus. Cæterùm antequàm ulteriùs in explicatione Soporoſorum Affectuum progrediamur, *diſtinguendus* ante omnia eſt *Somnus præternaturalis* & *nimius* ab *Impotentiâ vigilandi*, Ægris quibuſdam ex nimiâ Virium proſtratione familiaris. *Nimius Somnus* eſt Propenſio in Somnum, ita ut Ægri in Somnum inclinantes reverà dormiant. *Impotentia vigilandi* verò eſt, dum ſcilicet Ægri ex nimiâ Virium proſtratione & Operationum Animalium imbecillitate Oculos apertos non ampliùs tenere, nec Membra alia movere queunt, ſed inſtar dormientium quieti jacent, utut reverà Oculis ſaltem clauſis & conniventibus vigilent, nec perfectum Somnum capiant. Quod patet ex eo, quòd acceſſu Perſonæ cujuſdam inconſuetæ, aut ad ejus auditam loquelam Oculos non nihil aperiant, geſtus faciant, & ſe non nihil moveant, ſed mox collabi Oculos ſinant, & quòd interrogati præ imbecillitate reſpondere vix poſſint, omnia tamen audire indicant, & ſi Oculos haberent apertos, omnia viderent, utut impotentes ſint ad obeundas actiones Vigiliarum. Hic Somnus non eſt præternaturalis, ſed ſaltem Impotentia ad vigilandum, Germ. *es iſt ein Matter Schlaff*; ubi nullo modo uſurpanda talia, quæ aliàs in Affectibus Soporoſis conveniunt, ſed potiùs Reſtaurantia, Confortantia ſpirituoſa, in ſpecie Ambrata, ſunt optima.

*Obſervandum* porrò eſt, *Somnum nimium* eſſe alium *Naturalem*, alium *Præternaturalem*, alium *Non naturalem*. Somnus nimius *Naturalis* eſt, quando quis ex Habitu, Conſuetudine, aut aliâ Causâ nimium dormit, *Nonnaturalis* fit, quando quis ex Errore externo quodam ad nimium Somnum quaſi diſponitur, v. gr. ſi quis ex abuſu Opii (C) vel Vini, vel poſt diuturnas Vigilias, poſt Exercitia, nimium Motum, nimias Laſſitudines aut Labores graviores: qualis Somnus trium dierum & noctium contingens ob prægreſſam Laſſitudinem, in Plateri *lib.* 1. *Obſervat. pag.* 5. Conferatur etiam Salmuth *Cent.* 3. *Obſerv.* 66. de Virgine quâdam Saltationibus defatigatâ, adeò ut per biduum ſine Somno eſſet, poſtmodùm quatuor dies & noctes integras Somno conſumpſit. Sic refert alium ex Itinere feſſum, qui octodecim horas profundiſſimè dormivit. Hic & ſimiles Somni Nonnaturales ſunt, minùſque ad Affectus Præternaturales ſunt referendi. Quô etiam facit, quando poſt Sanguinis Excretiones, Alvi Profluvia, Dolores magnos, Animi pathemata graviora aliquandiu continuata, adeòque in genere in omni Spirituum, præſertim ſubitò exhauſtorum defectu, Somnus imminet. *Obſervandum* quoque, quòd *imminentes Lipothymiæ ſub ſpecie Somnolentiæ* ſeu Propenſionis in Somnum interdum imponant, ex Spirituum Animalium defectu oriundæ: v. g. Hyſtericæ in graviori Paroxyſmo ſubinde admodùm ſomnolentæ ſunt, quibus tamen Lipothymiæ imminent. Mulieres quædam poſt Partum debiliores ſomnolentæ fiunt, ſed reverà Lipothymiæ imminent. Poſt largiores Venæſectiones aliaſque Sanguinis effuſiones Somnolentia obſervatur, ſed quæ reverà Lipothymiam minatur.

*Sed quoad Somnum Præternaturalem nimium*, adeoque *Affectus Soporoſos*, Affectus multi huc pertinent, qui cadunt ſub conſiderationem Medici, variis Nominibus, iiſque confusè admodùm inſigniti, utut parum referat. Genuinam Affectuum Soporoſorum explicationem nominalem videbitis in Lindani *Meletematibus Phyſicis & Medicis pag.* 282. *ſeq.* Placet hîc Sylvii terere veſtigia: adeoque præternaturalis Somnolentia & inde dependens Somnus vel *ſolitarium* Malum eſt, vel eadem Somnolentia *Delirium ferè comitem habet.*

Uti verò Somnus Naturalis ex imminuto Spirituum in Organa externa influxu dependet, propter aliqualem eorumdem Torporem, dum minùs volatiles minùſque ſubtiles, ſed potiùs quaſi Phlegmatici redditi, minùs prompti ſint ad obeundas Animales Functiones per ſolitas expanſiones & excurſiones; ita etiam in Statu Præternaturali Somnoque Præternaturali nimio nimius Spirituum Torpor conſiderandus venit. Dictum autem fuit, in Somno Naturali eſſe imminutum Spirituum influxum in Organa externa, nempe reſpectu Motûs eorum in Vigiliis; non tamen penitus eſt abolitus: id quòd ex eo eſt manifeſtum, quia etiam in Somno Partes externæ moveri poſſunt. Dictum etiam fuit ad Organa externa influere Spiritus: nam in Somno internè Spiritus in Cerebro velociter ſatis moveri & agitari poſſunt; qua ratione in Somno Occaſiones Animæ Rationali pro variis Inſomniis ſubminiſtrantur. Somnia ſunt vel *Aemantica*, nihil ſignificantia; vel *Semantica*, aliquid ſignificantia, ut Pollutio nocturna à copiâ Genituræ.

Hos inter Affectus Soporoſos in ſpecie horum *quinque primariæ Species* conſiderentur: nempe (1.) *Carus*, (2.) *Coma*, *Somnolentum & Vigil.* (3.) *Lethargus*, 4. *Noctambulones*, & (5.) *Catalepſis.*

## MEMBRUM I.

### *De Caro.*

*Carus* eſt *Somnus adeò profundus, ut Æger vix aut nulla ratione denuò excitari queat, quin ſtertendo profundè admodùm dormiat, ſalvâ tamen manente & integrâ Reſpiratione*; & licèt à fortiori Subjecto, e. g. punctură aciculæ, fortiùs commotus excitatus, unum vel alterum membrum moveat, & loquatur, perfectè tamen excitari non poteſt; ſed jacet talis Æger Senſu & Motu deſtitutus, ſalvâ ſaltem Reſpiratione, quæſita enim non intelligit, multò minùs ad hæc reſpondet: Uno nomine: *Carus proximus ad Apoplexiam gradus*, proprièque eſt Sopor gravis *à Vino*, & hinc dicuntur Carotici, qui poſt Vini nimium abuſum ita profundè dormiunt inſtar Caroticorum, hinc tradućta eſt Appellatio. Propriè ergò *Carus*



(C) Nota Cyrilli. Somnus ex Opii abuſu *factus potiùs eſſet* Præternaturalis *quàm* Nonnaturalis: Opium *enim minimè inter Cauſſas Nonnaturales numeratur ut* Vinum. *Quâ occaſione notandum, quòd ex Obſervatione Cl.* Geoffroi, *Opii Tincturam Spiritu Vini elicitam atque Phrenitico exhibitam, potiùs delirium exacerbâſſe; Aquâ verò extractam, placidum ad aliquot horas Somnum induxiſſe.*

*ris* non tam Morbus est, sed ex illo Symptomatum genere, quæ ex quocunque *Errore externo* manifestò fiunt, v. gr. *ex nimiâ Ebrietate*; Nam si ab internâ Causâ repente talis oriatur Somnus, reverà ad Apoplexias pertinebit, eritque primus Apoplexiæ gradus, seu Apoplexia levior. Hinc Carus est, qui abusum Vini & Spiritûs Vini insequitur; Spiritus enim Vini sulphureus non ritè cum Spiritibus Corporis humani junctus, iis tam confusè permistus continuum Somnum infert. Præter tamen Ebriositatem vinosam etiam *abusus Opii & Narcoticorum* Carum pertinacem infert, quacumque ratione applicentur: Exemplum videb. in Salmuth *Cent.* 2. *Observat.* 97. ubi talis Affectus fuit inductus à drachmâ unâ Opii per Clysterem injecti, & curatus per aliud Clysma ex Vino Malvatico injectum. Pertinent huc *Fumi & Gas Carbonum* incensorum hausti; nam Carbones Sulphure narcotico sunt imprægnati, quod ipsum figendo Spiritus Carum infert: Exemplum videb. in Foresto *lib.* 10. *Observ.* 39. ubi refert Carum à Fumo Carbonum ad expugnandum Frigus in Paroxysmo Quartanæ. Ita Sulphura Mineralia immatura inspirata disponunt ad Carum. Facit huc *Gas & Halitus Potuum nimis fermentescentium*, Vinorum, Cerevisiarum & similium expirantes, qui ut Suffocationis inferunt metum, ita etiam Respiratione attracti Somno profundo quasi obruunt Ægros pariter & Sanos. Facit huc etiam *Halitus Calcis vivæ*, parietibus recenter incrustatæ, unde in tali Cubiculo dormientes Ægri fiunt Carotici. Item facit huc nimius *Odor Croci*, qui vi narcoticâ ad gravem Carum disponit, ut observavit Borellus *in Observat.* in Famulo Aromatarii, qui dormiens super Sacculum Croci semimortuus repertus fuit. Aliud Exemplum videb. *in Colleg. Pharm. in Schræd. P.* 1. *p.* 43. *ubi de Croco.* Pertinet huc abusus *Fumi Nicotianæ*, cujus Oleum, ut ipsum est admodùm narcoticum, & vi narcoticâ suâ Caroticos reddit nimiùm haurientes: Vid. Oswaldus Grembs *in Arbore integrâ & corruptâ Hominis lib.* 3. *cap.* 1. *§.* 37. Item *Nux Juglans*, vel potiùs, qui sub Arbore Juglandis diutiùs versantur aut dormiunt, Caro corripiuntur, hinc etiam à Græcis Veteribus Nuces καρύαι dicuntur, quòd Somnum Caroticum sive Capitis Gravedinem inducant: vid. Hildesheim *in Spicileg.* 4. *pag.* 394. *de Affect. Capitis.* Denique *Hydrargyri* seu *Mercurii Vapor* introhausus, uti varia infert Symptomata Facultatis Animalis, ita pariter interdum Carum infert, Autore Palmario *de Morb. Contagios.* dum Vapore Hydrargyri Naribus excepto Faber quidam aurarius statim gravi Somno coreptus concidit, & difficillimè postmodùm curari potuit. Adeòque hi sunt *propriè Carotici*, qui *ex Errore quodam externo* in talem profundum Somnum incidunt. Quô referendi etiam sunt ii, qui post graves *Purgationes*, *Concussiones Capitis*, ejusque *Contusiones*, sive Casu ab alto sive quacunque læsione externâ, profundo Somno sepulti, & quasi Apoplectici, jacent. Carus ergò pertinet ad Affectus, qui oriuntur Errore externo, narcoticâ nempe alicujus rei vi, aut alia Causâ extrinsecùs in Corpus, sive assumendo sive inspirando illatâ, & omnes hi Affectus Carotici proximè ad naturam Apoplexiæ accedunt.

## MEMBRUM II.

*De Comate Somnolento, & Vigili, Seu Cataphora.*

QUoad *Coma*, illud est duplex; vel *Somnolentum*, vel *Vigil.* Si enim Somnolentia jungatur *cum Delirio* tali, in quo excitati Ægri fere delira loquuntur, ac denuò in Somnum relabuntur, vocatur *Coma Somnolentum*, & *Cataphora* ab aliis dicta; hæc enim duo Hippocrati sunt unum idemque. Insignem Ægri habent ad Somnum propensionem, ita ut etiam actu dormiant, similiter tamen propter varia Insomnia sub Somno delirent, facilè excitentur, & excitati ad quæsita respondeant, simul quoque in profundum Somnum relabantur. *Coma* hoc propriè non est Morbus, sed est Symptoma tantùm Morbi; est enim Sopor præternaturalis, qui Febrientibus interdum accidit, tam in Febribus Continuis quàm Intermittentibus, uti Ægri admodùm in Somnum inclinant, imò etiam sæpè profundè dormiunt. In *Intermittentibus* quidem rariùs, imprimis in Principio Paroxysmi, sed potiùs Incremento, quando Frigus in Æstum mutari incipit; tunc enim Febricitantes tales tali Symptomate corripi solent, in specie si Febres diuturnæ fuerint. In *Continuis* verò observatur sæpiùs Coma Somnolentum, vel in Principio Morbi, vel Cursu, vel Declinatione: In Principio quidem, quando Ægri gravi Morbo sepulti jacent: in Declinatione, quando per mataslasin Materiæ morbificæ factô raptu defertur ad Caput. Si autem cum tali Somno adsunt Vigiliæ internæ seu Insomnia, dicitur *Coma Vigil*, in quo Ægri habitu Corporis externo, & Organis Sensuum externis, id est clausis & in Somnum propensis Oculis, atque Torpore, in Somnum propendent, ac etiam dormiunt, licèt quoad internas Operationes Animales reverà Vigiliæ, seu potiùs fortiora adsunt Insomnia, dum tales somniando delirant, subinde Faucibus apertis clamitant, interdum Membra inordinatè movent, excitati verò facilè Oculos aperiunt, ineptè respondent & delirant. Uno nomine, adest, quoad externa Sensuum Organa, Somnolentia summa; quoad interna, perpetuæ Vigiliæ cum Delirio. Talis Coma Vigil, quod alias etiam dicitur τυφομανία seu τυφομανία, ita ut hoc & Coma Vigil pro uno habeantur, rarò est Affectus solitarius, sed ut plurimùm aliis, v. grat. Phrenitidi, Lethargo, speciatim in Febribus Malignis, solet esse obvius, in quibus tamen potissimùm Signum esse solet imminentium Phrenitidum & Convulsionum, uti rectè observat Forestus *lib.* 6. *Observ.* 38. *in Schol.* adeò vix ab aliis peculiarem Curam postulat, modò illorum Remediis adjungantur Cephalica resolventia, aut potiùs modò Vigiliis, modò Sopori, medela fiat, prout scilicet hunc aut illas prævalere observamus, id est, aut perfectus Somnus, aut perfectæ Vigiliæ inducantur, in quo posteriore casu postmodum Opiata totum negotium absolvunt. Conveniunt Cataplasmata, qualia dabo *Sect.* 2. *Cap.* 3. *Art.* 6. *ubi de Cephalalgia febrili. Comata* hæc observantur interdum, sed rarò, *sine Febri*: observatum enim fuit Coma ex crudis Julis Sambuci

buci comeſtis abſque Febri, in Bartholini *Act. Med. Haffn. Volum.* 1. *pag.* 64. Sanè, ut rectè dicit Wedelius *de Opio pag.* 46. rariſſimos eſſe Affectus Soporoſos, in quibus non ſimul Calor præternaturalis percipiatur; ita Comata ut plurimùm ſunt Symptomata Febris, ſiquidem in *Intermittentibus*, præſertim chronicis, non quidem in Principio, ſed ſub Incremento, quando mutatur Frigus in Æſtum, Statu & Declinatione Paroxyſmi, Ægri profundè dormiunt; quin & in *Continuis* ſubinde Comata obſervata fuerunt, in quibus Delirium vehementius ſubinde Convulſiones imminentes præſagit. Non ſolùm obſervantur in Principio & Curſu Morbi, ſed ſuperveniunt etiam in Declinatione, quando per metaſtaſin Materia morbifica defertur ad Caput, & ibidem Coma infert.

## MEMBRUM III.

### *De Lethargo.*

PErtinet ad hos Soporoſos Affectus tertiò *Lethargus*, ſeu *Veternus* Latinis, Veteribus Arabibus *Subeth*, dictus qui propriè eſt Sopor profundus ejuſdem generis cum Comate Somnolento, *cum Delirio & inſigni Oblivione* omnium rerum conjunctus, in quo Affectu Ægri profundè dormiunt, & excitati licèt, ſubitò tamen in Somnum denuò relabuntur, ſtupidi ſimul ſunt & admodùm oblivioſi, ita ut Lethargici excitati, ſi interrogantur, reſpondeant quidem, aliquid autem poſtulantes, e. g. Matulam aut aliud quid petentes, dum illam adhuc in manu tenent, Mictionis tamen aut actionis perficiendæ obliviſcantur, ita ut neſciant, quid cum re petitâ facere velint, ac in Somnum relabuntur. Adeſt præterea *Delirium*; excitati enim Lethargici reſpondent quidem, ſed inconditè & inconvenienter; non ſecus ac ii, qui naturaliter ex Somno profundo excitati non adeò ſubitò vel appoſitè reſpondent, ſed inordinatè & ridiculè loquuntur. Cum hoc Lethargo *Febricula lenta* eſt conjuncta, eaque *Continua*, quæ tamen ferè veſpertino ac matutino tempore exacerbatur; *Calor* nec acris nec mordax eſt, *Pulſus* ſunt frequentes & magni, *Urina* ut Jumentorum redditur turbida. Primariam eſſentiam Lethargi conſtituit Sopor oblivioſus.

## MEMBRUM IV.

### *De Noctambulis.*

PErtinet quartò ad hos Affectus etiam quando cum Somno *Inſomnia* juncta ſunt, ut in Incubo & Noctambulis, utut reverà propriè loquendo non ſit Affectus morboſus. Eſt enim revera res maximam partem naturalis, dum clauſis Organis Senſuum externorum Ægri tales dormiunt; validâ verò Animæ Rationalis, cum Imaginatione, actione per Spiritus paulò fixiores agitatos vigilent, à quo poſteriori etiam moveri quidam ſolent, neſcientes tamen quorſum, adeoque eſt quaſi *Somnus vigilans*, & *Vigilia ſomnians*. Uno nomine: eſt *validum Somnium*, quod non ſecus atque nos ipſi interdum in Somno ea loquimur, quæ ſomniamus, movendo Linguam, Laryngem & Maxillam inferiorem, interdum quoque Pedes aut Brachia movemus; ita hi *Noctambulones* moventur ad iſtas actiones, ad quas Somnium dirigit, dum dormiendo ſurgunt, ambulant, & varia opera pro exercendis ipſis vigilantibus aliàs inſueta & horribilia, vel formidantia, vel impoſſibilia exercent, idque nunc clauſis nunc apertis ſeu potiùs ſemiconniventibus Oculis. *Clauſis quidem Oculis* in iis locis, quæ interdiù ſæpius peragrare ſolent; in locis verò minùs conſuetis, in quibus etiam non ſine nocumento verſantur, *Oculis* ſubinde *conniventibus* ſolent verſari; idque interdum cum damno, dum cadunt ab alto, interdum ſine nocumento. *Symptoma hoc Hypochondriacis eſt familiare*, iiſque, qui ſimul ad Pathemata Melancholica non nihil inclinant, adeoque ſuo modo eſt quaſi Affectus mixtus ex Affectibus Melancholicis & Soporoſis, & quaſi gradus quidam levior *Delirii* aut *Melancholiæ Hypochondriacæ*, ac ſimili etiam ratione curandus venit. *Auſcultat* verò ſubinde *Lunæ phaſibus*, unde nunc plus nunc minùs affligit; unde etiam à quibuſdam tales vocantur *Lunatici*, utut hoc nomine interdum etiam intelligatur Epilepſia inveterata ſecundum Lunæ phaſes plus minùs affligens, uſitatiùs tamen hoc nomine Noctambulonum affectus venit.

Hos inter Affectus primariam conſiderationem meretur *Lethargus* (nam cæteri aut ſunt rari, aut a Causâ oriuntur externâ, aut alios comitantur Morbos) qui reverà eſt Morbus primarius, nec adeò rarus, imulque periculoſus, & ſubinde in Praxi occurrit.

## CAUSÆ LETHARGI,

### *& reliquorum Affectuum Soporoſorum.*

*Quoad Cauſas Somni Præternaturalis*, ejuſque variorum Modorum: ſicut *Somnus Naturalis* dependet ex imminuto Spirituum in Organa externa influxu, ex aliquali eorundem Torpore, dum minùs volatiles, minùſque ſubtiles, ſed potiùs Phlegmatici facti, minùs prompti ſunt ad obeundas Functiones Animales per ſolitas expanſiones & excurſiones; ita pariter *Cauſa Proxima* & ratio formalis *Lethargi*, & aliorum Affectuum Soporoſorum in genere, eſt Spirituum Animalium nimius Torpor ſeu Elaſticitas fracta, & plus minùs impeditus Motus intra Cerebrum, quo inepti fiant motionibus, & expanſionibus debitis ad obeundos Senſus & Functiones neceſſarias, unde conſequenter Somnus ſupervenit.

*Cauſam Remotam*, propter quam torpidi redduntur & deficiunt in Motu Spiritus, ſuggerunt ea, quæ naturaliter Somnolentiam & nimium Somnum inferre valent: nempe Cauſa eſt vel

1. *Spirituum Paucitas & Hebetudo.*
2. Nimia *Aquoſitas ac Pituitoſitas Maſſæ Sanguineæ*, & in ſpecie hinc *Cerebri*, indeque *phlegmatica Spirituum Animalium conſtitutio*, quâ inſtar Spiritûs Vini non ritè dephlegmati deficiunt in debitâ volatilitate & mobilitate, & torpidi redditi faciunt tales Affectus.
3. *Virulentia ſtupefactoria* quædam, quæ ſpeciali virtute Spirituum Animalium impetum ſiſtere, adeoque *Narcoſi* ſeu Stupore eos inquinare & afficere valet.
4. Quæ *Cerebrum mole ſuâ comprimant*, v. g. Sanguis tam intra Vaſa ſtagnans, quàm extravaſatus, Cranium depreſſum, & Cerebri Tumores.

Quòd verò Cauſæ hæ modò *Comam*, modò *Lethargum*, modò *Carum* producant, v. he mentiâ

distinctos Affectus, partim ex earum potentiâ majore, partim quòd exteriores, & corticalis magis, quàm interiores, & medullaris Cerebri tractus horumque Spiritus afficiant dependere: vid. Riverius *Pr.lib.*1. *cap.*2. & Willisius *de Anim. Brut. P.* 2. *c.* 3. & 4.

I. Primò ergò *Spirituum Paucitatem & Hebetudinem* Somnolentiæ ejusmodi autorem existere posse colligitur, quòd quæ Spiritus enervant ac dissipant, scilicet Hæmorrhagiæ, Coitus nimius, Vigiliæ, Lassitudo, &c. talem non rarò producant: vid. Platerus *Observ. pag.* 6. & 7. quò etiam Catalepsis ex Amore pertinet, de qua vid. Tulpius *lib.* 1. *Observ.* 22.

II. De secundâ Causâ Remotâ, quod sæpè oriantur Affectus Soporosi *à nimiâ Humiditate & Inundatione Cerebri*, factâ à Sero & Lymphâ, & ita à Spiritibus Animalibus quasi phlegmaticis constitutis, res minùs dubia est. Nam quod attinet *Aquositatem* & *Inundationem*, *ac Pituitositatem Sanguinis & Cerebri*, indeque oriundum Torporem Spirituum Animalium, notum est ex structurâ Cerebri, quòd in hujus Substantiâ corticali separentur Spiritus ex Sanguine, ita ut depuratissimi ab omni Phlegmate aquoso, seu ab omni Latice in Cerebrum scaturiant; hinc non tantummodò Substantia Cerebri medullaris pinguis & quasi oleosa percipitur, nihil aut parum Aquositatis admittens, sed etiam ob id Receptacula in Cerebro hinc inde pro recipiendo Sero sunt excavata, nempe Ventriculi. Præterea reperiuntur etiam hinc inde consitæ Glandulæ copiosæ, quæ, quicquid superfluum est Aquæ, absorbent, & sub Lymphæ nomine aliorsum derivant, cùm & ipsa tota corticalis Cerebri Substantia, per quam imprimis fit Spiritûs Animalis Filtratio & quasi Destillatio, glandulosa sit, Lympham & Laticem uberiùs absorbens, & volatiles exinde generans Spiritus Animales. Quòd si ergò fiat, ut nimis humectetur aut irrigetur præternaturaliter Cerebrum à tali seroso Latice aut Lymphâ, sive in istud influente, sive in Ventriculis ejus, & per consequentiam etiam Substantiâ, stagnante, vel etiam ex Massâ Sanguineâ, mediante *Colluvie serosâ* variis recrementis onustâ, in Cerebrum destillet, qua ratione *loco Crisεos Lethargum subnatum*, per decubitum Materiæ morbosæ in Cerebro observat Willis *cit. loc.* qui ipse tam *in Anatom. Cerebri*, quàm *P.* 2. *de Anim. Brutorum cap.* 3. in Lethargicis quoque alia Loca Sero inundata observat. A tali Causâ Spiritus volatiles Animales in Porulis Cerebri hinc inde refertis, propter impedimenta Motûs debitæque expansionis, minùs mobiles, torpidiores & quasi phlegmatici ac minùs mobiles redduntur, & hinc in Nervos Radiatio admodùm impeditur, unde Pathemata Soporosa Lethargica, item Oblivionitas, & ex perturbato Spirituum Motu, Delirium supervenit. Vid. quoad hanc Materiam Willisius *in Anatom. Cerebri*, qui sæpiùs in Lethargicis Ventriculos Cerebri Aquâ seu copioso Sero repletos invenit; item *Tract. De Animâ Brutorum P.* 2. *ubi de Lethargo pag.*309. quod idem confirmat Carolus Piso *de Morbis Serosis Sect.* 2. *Part.* 2. *cap.* 3. & 6. His ergò repletis, id quod superest Laticis aquosi, necessariò Cerebrum inundat, & ita necessariò occasionem Lethargo præbet. Hinc est, quòd subinde *ex Hydrocephalo oriatur Lethargus*, teste Hildano *Cent.* 1. *Observ.* 10. item *Cent.* 4. *Observ.* 10. sicuti etiam Severinus observat Infantem Hydrocephalo laborantem, in eleganti *Tr. de Occultâ Abscessuum naturâ.* Hinc isti, qui Constitutionis sunt phlegmaticæ, naturaliter Somnolenti esse magis solent, non secus ac naturaliter Infantes propter eorum Cerebrum fluidius, mollius & humidius, copioso Sero rorido inundatum, & Spiritus Animales ob id torpidiores minùsque subtiles, admodùm soleant esse somnolenti. Hinc observatum fuit, quòd *à crebriore Capitis lotione* Coma Somnolentum enatum in Nobili Polono refertur in M. A. N. C. *Annot.* 3. *Observ. p.* 541. Sic quando incipiunt affligere Catarrhi, & similes Affectus Capitis, serosa Lympha in Cerebri partibus copiosiùs congesta, ante sui excretionem nimis humectando Cerebrum, utplurimùm ad gravitatem Capitis, & extraordinariam quandam in Somnum propensionem solet disponere. Hinc est, quòd *Suppressio Urinæ* à Calculo Renum subinde insignem Soporem soleat inferre: Sic Coma Vigil *à Sero* enatum in Sene refert Piso *Tr. de Colluvie serosâ pag.* 78. & Sanchez *in Observat. pag.* 380. refert, quendam, qui cum laborasset Comate Vigili cum Febre continuâ, in Capite ejus inventi sint Cerebri Ventriculi multâ Aquâ pleni. Unde etiam petenda ratio, quare Lethargicis Facies sit pallida & tumida, Oculique tumidi, ut ferè iis evenire solet, qui Crapulam nondum edormiverunt, vel Lethargici quoad Faciei habitum quasi Leucophlegmatici videntur. Facit huc Observatio Deckeri *in Barbette pag.* 36. de Lethargo gravi, *Sternutatorio* curato, copiosissimum Pus per Nares alliciente. Sic *Lethargum periodicè repetentem* cum Arthritide ex vitio Seri observat Piso, *cit.loco*: sicuti similem Lethargum Periodicum singulis annis eodem die recurrentem notat Borellus *Cent.* 4. *Observat.* 67.

III. De tertiâ Causâ quæritur: an citra Externa inspirata, assumta aut admota, etiam *Humores* in nostro Corpore ita præternaturaliter alterari queant, ut *Vim anodynam & plus minùs narcoticam acquirere*, & ejusmodi Narcosis ex causis internis generari possit? Id quod affirmatur à Sennerto *Pr. lib.* 1. *P.*2. *cap.* 32. & 33. ac Willisio *de Anim. Brutor. P.* 2. *c.* 3. 8. & 9. Quia extra Corpus res non narcoticæ per certam mutationem secundùm minima fiunt stupefactoriæ, quod videmus in Musto, quod ante Fermentationem nullam possidet Vim inebriativam seu stupefactivam; quando verò Mustum incipit fermentare, exhalat Gas insigniter stupefactivum; Vinum fermentatum pariter fit narcoticum, propter Spiritus Fermentatione in eo genitos. Sicut enim ex Musto per Fermentationem & secundùm minima Alterationem, sicut quoque ex Ligno & Carbonibus per Combustionem natis & incensis, emergit de novo Virulentia talis narcotica, quæ antea formaliter in iis non præexistebat; ita simili ratione nostro in Corpore Humores diversimodè alterari, ac similem Virulentiam stupefactivam induere ac acquirere possunt. Simili modo ac Morsus Hominis irati venenosus est: vid. Rhedi *de Viperâ*, Archiater Florentinus, contra quem quidem scripsit Charas, natione Gallus. Hinc Helmont. *Venenum inebriativum* Soporosos Affectus producere ait. Et talem *vim anodynam* etiam subinde in Affectibus Soporosis, præsertim Lethargo, pro Causâ similiter agnoscit Willis *de Anim. Brutor. P.*2.*cap.*3.

Quòd ergò attinet *Vim narcoticam* Succorum Corporis ex eorundem præternaturali degeneratione enatam, Spiritus Animales figentem, hanc inexpugnabilis ista *dormiendi necessitas* & junctum *Delirium*, effectus *Opiatorum* effectibus simillimi confirmant. *Vis* quidem *Narcoticorum quomodò operetur?*

tur ? admodùm eſt intricatum ; nullum tamen dubium eſt , eſſe conſtitutam *in Sulphure acri* , in ſpecie in Opio in Sale volatili acri oleoſo : Nihilominùs tamen , cùm dentur etiam Salia volatilia maximè amaricantia , quæ talem vim non poſſident , dubium eſt, unde hæc prærogativa Opii? Propter Analogiam tamen Sal hoc volatile acre oleoſum cum Bile in noſtro Corpore , certo modo afficiens , ceu Subjectum hujus virtutis , ſuſpicatur Sylvius *lib. 2. Prax. ubi de Soporoſis Affectibus.* In quo tamen conſiſtat hæc vis ? nos latet : Experientia enim teſtatur , ſubinde in nobis tale Virus ſtupefactivum generari. Sed obſervandum hìc ſedulò non neceſſe eſſe , ut præcisè ad Caput feratur ipſa Virulentia narcotica ; ſufficit enim ſi ſaltem in primis viis hæreat ad inſtar Herbarum Gas inſpirati , aut Opii aſſumpti , ad inſtar Fumi Carbonum vix inſpirati vim narcoticam exercentium , & Stuporem ſomnolentum inferentium ; Nam & Virus in Hypochondriis exiſtens & adhuc deliteſcens , Caput tentare ſolet. Facere huc videtur , quod *in Peſte* quidem perquàm ſomnolenti evadant. De tali Vi narcoticâ in Corpore genitâ facit huc Exemplum Borelli *in Obſ. 96. Cent. 1.* de quodam, qui ſæpiùs Lethargo fuit correptus propter Auram venenatam ex Pollice emiſſam , per Cauterium actuale Pollici admotum , ſucceſſivè curatum : Sic non rarò in Affectibus Hyſtericis ſupervenit talis Somnolentia , & ſi relinquerentur dormientes , denuò nunquam evigilarent. Facere huc videtur curioſa Obſervatio Riverii *Cent. 1. Obſerv. 26.* talis Soporis gravis , cum Paſſione Hyſtericâ conjuncti , cujus Paroxyſmum inhibuit propinando Laudanum Opiatum. Præter modò dictos Affectus Soporoſos ſubinde obſervantur adhuc alii Sopores Præternaturales , qui ad Comata in genere referri ſolent , ſed confusè. Unde forſan pertinet huc *Lethargus à Lumbricis* oriundus obſervatus , de quo Hollerius *Cent. 1. Cur. 35.* qui notat , Soporem quendam certum , Lethargo ſimilem , cum præcedente Dolore circa Oppoſitionem Lunæ recurrentem , à Lumbricis natum : Idem Hollerius *Cent. 1. Obſerv. 84.* Cataphoram notat ex Lumbricis : Sic refert Piſo *de Colluvie ſerosâ pag. 93.* Affectum Lethargicum periodicè repetentem cum Arthritide , idque probabiliter à Sero. Nullum ergò eſt dubium , quin ex Virulentiâ narcoticâ in Corpore noſtro genitâ obſervetur Affectus Comatoſus. Narcoſin autem id agere , teſtantur Inebriantia , Opiata ſimiliaque incautiùs aſſumpta vel admiſſa ( vid. Sennertus *loc. all.* nec non Williſius *de Anim. Brutor. lib. 2. pag. 3. 8. & 9.* ) ac Somnolentiam modò intenſiorem , modò remiſſiorem inducentia : v. g. ex Vino & Spiritu Vini , vid. Platerus *Obſ. pag. 17.* ex Opio *loc. all.* Coma ex drachmâ unâ Opii per Clyſterem injecti , videb. in Salmuth *Cent. 1. Obſ. 20.* & Lethargum ex eſu incauto Radicis Hyoſcyami apud Williſium *de Anima Brut. lib. 2. cap. 3. pag. 324.* item ex Muſti exhalationibus ac Carbonum accenſorum fumis in Plateri *Obſerv. pag. 18. & 19.*

IV. *Comprimentium* Exempla varia obſervamus : v. g. Sanguinis extravaſati in læſionibus Capitis cum Affectibus Soporoſis frequentiùs combinatis ; Tumoris Glanduloſi ſuper Corpus calloſum Stuporem inducentis , obſervante Platero *Obſ. pag. 13.* & Calculi in dextro Cerebri Ventriculo , obſervante Kerckringio *Spicil. Obſ. 37.*

Quoad *Febrim lentam* , quæ Lethargo ſemper eſt juncta, videtur hæc eſſe ex genere earum, quas *Lymphaticas*, ſeu vitio Lymphæ oriri, *ſuprà Sect. 15.* dixi *ubi de Febribus.* In Comate ſeu Sopore Febrili eædem ferè cauſæ cum Lethargo obtinere ſolent. Verùm in Comate Vigili præter dicta *Malignitatis narcoticæ* imprimis habenda eſt ratio , dum nihil eſt , quod impediat , quò minùs etiam Malignitas conjuncta Delirium & Somnum inferre valeat , non ſecus ac quælibet Venena ac Narcotica virulentiora præſtare ſolent.

## DIAGNOSIS.

Pergendum eſt ad *Signa* : Affectus Soporoſi per ſe facilè patent , ſaltim Signa diſtinctiva eorundem inter ſe invicem ſunt attendenda.

Qui *Lethargo* laborant , obliviſcuntur omnium , delirant cum perpetuâ in Somnum propenſione , excitati rurſum feruntur in Somnum , interrogati vix reſpondent : videantur quæ antèa dixi. Febricula lenta adeſt , cujus Calor tamen lentus , acris & mordax eſt , eaque continua ; habet tamen continuò veſpertino & nocturno tempore ſuas Exacerbationes , Alvi excrementa plerumque ſunt liquida , Urina redditur ut Jumentorum turbida , Pulſus ſunt varii ac inordinati , Facies & Oculi tumidi & pallidi apparent , & quæ ſunt ſimilia Signa.

A *Caro diſtinguitur Lethargus* , quòd non oriatur à Causâ externâ , & quòd non adſit Febris Lenta , aut ſi adeſt Febris in Caro , hæc ſolet præcedere aut ſaltim eſt Febris vehementior , aut ex genere Intermittentium , aut Continuarum Ardentium.

A *Catalepſi* facilè diſtinguitur *Lethargus* , quòd Ægri non retineant Membra quaſi rigida in eodem ſitu , ſed dormientium inſtar eadem collapſa habeant.

A *Typhomaniâ* ſeu Comate Vigili diſtinguitur in hoc , quòd in hoc adſit quædam Febris gravis , eaque Ardens Maligna ; item quòd quidam Ægri in Comate facilè excitentur , nec tam facilè denuò obdormiſcant, ſecus ac in Lethargicis fieri ſolet.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin* : in genere rectè pronunciat Hippocrates *Sect. 2. Aphoriſm. 3. Somnus & Vigiliæ , ſi modum exceſſerint , eſt malum.*

Porrò *in quo Morbo Somnus laborem facit , malum* ; idem dicit *Sect. 2. Aphor. 1.* Ita tamen , ut quò intenſior Somnolentiæ gradus , eò periculum majus ſit : vid. Galenus *lib. 3. Aph. 24.* & *l. 2. de Sympt. Different. cap. 3.*

Somnus , ubi in Acutis intenditur , ut malus cum diſtinctione eſt animadvertendus , quando in hôc ſua malitia latitudinem habeat effatu dignam : ſi quis enim præter naturam & conſuetudinem dormit , malum deterius ; ſi autem tertiâ diei parte ad reliquam dormiat , ut in Hippocratis *Progn. l. 11.* non nocebit.

In ſpecie *Coma* , quod oritur *in Febribus Ardentibus* acutis , periculoſum eſſe ſolet , in Statu ſemper lethale , cùm , uti ſuperiùs monui , ut plurimùm ſubſit Malignitas : minùs tamen periculoſum , ſi per conſenſum partium inferiorum & *in Febribus Intermittentibus* contingat ; item cui Evacuatio aliqua , v. g. Fluxus Alvi , Hæmorrhagia Narium , &c. accedit : periculoſum autem in Incremento.

Evigilandi impotentia , & Somnus nimius , qui advenit Vigiliis *in Delirantibus* , peſſimum Signum eſt.

*Lethargus* præ reliquis Malum eſt magis acutum, ut plurimùm , *non ſemper lethale* , ſeptem diebus ſæpiùs interficiens ; quos ſi Ægri effugiant , ſananturʃ: vid. Hippocrates *lib. 2. de Morb. Text. 63.*

Sanantur autem hi Affectus, vel evacuatâ tam ſponte & criticè, quàm artificialiter Materiâ vitiosâ per Alvum, vel per copioſam per Nares emunctionem aut Sternutationem, vel per Parotidum eruptionem, vel Salivationem, vel Puris ex Auribus profluxum.

His *ſi adjungatur Febris* & reliquorum Symptomatum remiſſio, ſpes eſt, Ægrum convaliturum: quòd verò Senibus minùs quàm Juvenibus periculoſus exiſtat, rectè à Platero per Experientiam & Rationem negatur.

Lethargus *ſuperveniens aliis Morbis gravioribus*, in ſpecie Cephalicis, ut Cephalalgiæ, vel Melancholiæ, vel Maniæ, vel Epilepſiæ, Plagis Capitis vehementioribus, & in Corpore cacochymico, valetudinario, aut ſenili, item Nephriticis, Puerperis & ſimilibus, lethalis eſſe ſolet. Item quò gravior mox in principio fuerit, eò ſolet eſſe periculoſior.

De cætero quò plura & atrociora ſibi combinata gerit Lethargus *Symptomata*, ſcilicet Torporem immanem, difficillimam & inæqualem Reſpirationem, Tremores, Spaſmos, &c. eò periculum majus; contrà, ſi leviora & pauciora, aut remittant.

Exigua autem *Salutis ſpes*, ſi Fluxus ſuperveniat. Item accreſcentibus lethargicis Symptomatibus, *ſi erumpat Sudor frigidus*, imprimis in Capite, lethale eſt.

*Tremor Lethargo ſuperveniens* periculoſus eſt; Econtrà *ſuperveniens Phrenitis* ſalutare cæteris paribus eſt; ſuperveniens verò Phrenitidi Lethargus lethalis.

Lethargus, qui *occaſione Cauſæ Externæ* ſupervenit, in Corpore aliàs ſano, ſcilicet Crapulæ & Ictui non adeò vehementi, minus periculi fovet, quàm qui ſub contrariis circumſtantiis corripit: vid. Hippocrates *lib. 3. de Morb. text. 5.* Qui ſponte *à Cauſa Internâ*, lethalis eſt.

Si per Purgantia, Veſicatoria, & Sternutatoria fiat copioſæ *Materiæ effluxus* cum Ægri levamine, Spes affulget; utut adhuc cum Timore conjuncta: quod etiam intelligendum eſt de aliis.

*Cari Prognoſis* ſemper eſt mala, præſertim ſi Febribus continuis aliiſque Morbis cephalicis & Plagis ſuccedat: ſive autem ad Salutem ſive Mortem terminetur, abit non rarò vel in Apoplexiam, vel in Paralyſin & Spaſmum; Vid. Williſius *loc. all. cap. 4.*

## CURA.

In *Curâ* Lethargi reſpectus habendus eſt imprimis *ad Cauſas Remotas* ſuprà deductas, adeòque vel

1. Nimium *Phlegma*, Maſſam Sanguineam ac imprimis Cerebrum inundans, *eſt evacuandum*; nunc per Alvum, nunc per Sudorem, nunc per Veſicatoria, nunc per Sternutatoria & ſimilia;

Vel

2. *Spiritus torpidi excitandi*; nunc Acidis, ſi Virulentia narcotica peccaverit; nunc Volatilibus acrioribus plùs minùs aromaticis, & ita Virulentia narcotica corrigatur: ubi à nimiâ Humiditate Cerebri Malum originem duxerit, internè Acribus, Senſuum Organa vellicantibus, Somnus nimius impediendus.
3. *Cerebrum* Aromatibus, & *Spiritus Animales* in Motu deficientes *reſtituendi*, & in ſtatum naturalem redigendi ſunt.
4. *Læſiones externæ*, ſi adfuerint, per Chirurgiam *curandæ*.

Quoad *primam Indicationem*: inter *Evacuantia Venæ ſectio* in Lethargo à ſolâ Narcoſi internâ vix convenit; aſt ubi à Colluvie recrementorum, mediante Sanguine & Sero Cerebrum inundante, Malum ortum fuerit, Venæ ſectio ferè ſemper neceſſaria eſt pro Scopo *Averſorio* aut *Derivatorio*: & quidem primò in Brachio, vel ſecundùm quoſdam Recentiores in Venis Jugularibus (vid. Williſius *loc. cit. pag.* 319. Riverius *loco all.* & Riolanus *Enchirid. Anatom. Patholog. lib. 3. cap. 93.*); poſtmodùm, ſi opus fuerit, in Crure: ſive Sanguis Cauſæ principalis, ſive adjuvantis rationem habeat, modò Ætas & Vires illam ferant, quæ non tam ex Actionibus nunc deficientibus, quàm quales ante Inſultum fuerint, æſtimandæ. Quem in finem, & quò Sanguinis eductio repeti queat, non unâ vice tantum, quantum opus eſt, ſtatim Sanguinis emittatur, cùm per iteratam Sanguinis miſſionem Revulſio commodiùs fiat, Vireſque magis conſerventur. Quibus non ſufficientibus altero die *Cucurbitulæ Scarificatæ* intra Scapulas, aut *Hirudines* Fronti, Temporibus, prope Aures applicari poſſunt.

Simul verò mox in principio acria & fortiter ſtimulantia *Clyſmata* injecta, & *Suppoſitoria* optimo cum ſucceſſu conveniunt, præprimis ſi Purgantia non poſſint convenienter adhiberi; quibus imprimis addenda Salia volatilia: v. g. fiunt tales Clyſteres ex Centaurio minori, Majoranâ, Salviâ, Origano, Abſinthio, Serpillo, Rutâ, Pyrethro, Felle Tauri inſpiſſato, Pulpâ Colocynthidos in petiâ ligatâ, cum Electuario de Hierâ picrâ cum Agarico, cum Electuario Indo, & ſimilibus: v. g.

℞. *Herb. Abſinth.*
*Centaur. min.*
*Fol. Rutæ* an. M. j.
*Rad. Pyrethr.* ʒiij.
*Pulp. Colocynth. in pet. lig.* (aliàs exulcerat Inteſtina) ʒß. ad ʒi.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ commun.*
*Colat.* ℥ix. adde
*Elect. Hier. cum Agar.* ʒj.
*Fellis Tauri inſpiſſ.* ʒj.
*Salis vol. Succini* ʒß.
*Vitell. Ovi* No. i.
(Vel ubi fortius ſtimulandum
*Salis Gemm.* ʒß.)
M. f. Clyſma; S.
Clyſter Abſtergens.

Aut

℞. *Fol. Aſari* vel *Nicot.*
*Herb. Rutæ*,
*Flor. Centaur. min.*
*Stœchad. Arab.* an. M. ß.
*Rad. Bryon.*
*Gentian.* an. ℥ß.
*Pulp. Colocynth. in pet. lig.* ʒiß.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ comm.* vel *Urinæ hum.*
In *Colat.* ℥vii. diſſolve
*Elect. Hier. picr. cum Agar.* ʒj.
*Fel. Tauri inſpiſſ.* ʒi.
*Eſſ. Caſtor.* ℈ii.
M. f. Enema.
D. S. ut ſuprà.

Vel ad imitationem Plateri *Pr. Tom. 1. pag.* 322.

℞. *Succ. Betæ* ℥ij.
*Rutæ.*
*Saturejæ* an. ʒj.
*Mell. Rutac.* ʒiß.
*Ol. Nucum* ʒij. vel *Diacolocynth.* ʒj.
M. f. Enema.

Item

Item ſubinde applicentur *Suppoſitoria*, eaque etiam acutiora; nunc ſcilicet Suppoſitoria acuta uſitata, illita cum Felle Tauri, aut illita cum Oleo Dia-Colocynthidos *Quercetani*; vel præparentur de novo ex Melle inſpiſſato cum Sale Gemmæ, aut ex Felle Tauri inſpiſſato, cum Speciebus Hieræ picræ, & ſimilibus, quæ Melle conjunguntur in formam Suppoſitoriorum applicanda:

℞. *Spec. Hier. cum Agar.* ʒiß.
*Sterc. Mur.*
*Fell. Tauri inſpiſſ.* an. ʒj.

Cum ſ. q. *Mell. Anthoſat.* vel *Rutac.* f. Suppoſitorium,

Cum *Oleo Dia-Colocynth.* aut *Myrrhæ* illinendum.

Quòd ſi nec reſuſcitari videtur Æger, præmiſſis talibus, *Veſicatoria* largiora & paulò acriora, item *Sternutatoria*, ſummo cum ſucceſſu uſurpantur in Lethargo, & tunc i primis, quando oriuntur Affectus Comatoſi in declinatione cujuſdam Morbi; tunc enim propter metaſtaſin Materiæ uſurpatur: illa quidem *pro Scopo Averſorio*; hæc autem *pro Scopo Excitatorio*, ac ſimul *Evacuatorio*, ſed non niſi iſtis priùs præmiſſis: v. g.

℞. *Pulv. Cantharid.* ʒj. ad ʒij.
*Euphorb.* ʒß. ad gr. xij.
*Caſtor.* gr. xv. ad ʒj.
*Ferment. acerr.* ℥ß. ad ℥j.
M. f. Cataplaſma Veſicatorium,
D. S.
Emplaſtrum Veſicatorium.

Nam acria ac dolentia in talibus Ægris omninò requiruntur.

Vel

℞. *Empl. Citrin.* vel *Diachyl. ireat.* p. iij.
*Pulv. Cantharid.* p. j.
Miſc. & malax. cum *Ol. Euphorb.* pro Veſicatorio.
D. S. ut antè.

Applicari nunc poſſunt ordinario modo Nuchæ, id eſt loco circa Aures vel Collum, nunc Vertici, nunc ad imitationem Williſii Syncipiti, nunc Occipiti, nunc Brachiis, nunc Scapulis, pro Scopo Derivatorio; nunc Cruribus pro Scopo Revulſorio: vid. Williſius *de Animâ Brutor. cap. de Lethargo.* Imò etiam applicentur Parotidibus, præprimis ſi has in Tumorem attolli obſervatur, cùm interdùm Soporoſi Affectus per has reſolvantur, & Lethargum Surditate ſolutum Zacutus Luſitanus *l.* 1. *Prax. Admir. Obſerv.* 18. annotavit. Quantæ autem efficaciæ in his caſibus Veſicatoria ſint, Williſius *l. a.* duobus Exemplis notabilibus teſtatur.

Curavi *Puellam quatuor annorum*, quæ laborabat Tineâ Capitis, quâ evaneſcente ſuperveniebat Epiphora Oculi dextri cum ſenſibili Oculi Atrophiâ. Hac ceſſante, ſuperveniebat Febricula lenta, omni veſpere exacerbabatur cum continuâ in Somnum propenſione, quæ omninò ſuperveniebat ex Tineâ Capitis & ejuſdem Fermento acri, mediante Lymphâ ad interiora rapto: Puella erat intractabilis, omniaque Remedia reſpuebat, unde defectu aliorum Remediorum applicabam *Veſicatorium Nuchæ* ex Emplaſtro Citrino, liquefacto cum Cantharidibus, quod ingentem Veſicam efficiebat cum copioſiſſimo Seri profluvio: unde alterâ die omnis Febris & Somnolentia evaneſcebat, Epiphora ceſſabat, & tandem tertiâ die reſtituebatur.

Quòd ſi ab his affluxum aliquantùm ſedatum eſſe dignoſcas, maturè adhibeantur *Purgantia*. Inter ea autem primatum obtinet *Vomitus*, qui ſi commodè poteſt inſtitui (ſtatim enim in principio, niſi à Causâ externâ, aut à Virulentiâ narcoticâ internâ fuerit, obeſſe potiùs quàm prodeſſe videtur, prout contra communem agendi modum teſtatur Williſius *loc. all.*) admodùm proficuus eſt, ut vel Virulentia narcotica, vel copioſi Succi evacuentur: ſic enim Riverius *Cent.* 4. *Obſervat.* 28. Puerum quinque annorum Veterno correptum acri Clyſtere & Vomitu curavit. Hæc inter, uti notum eſt, eminent Emetica Antimonialia, ſeu Vina Emetica: Item Tinctura Nicotianæ cum Spiritu Vini extracta, ad ʒij. propinata. Loco Vomitoriorum ſi non ſufficiant illa, aut fortè nequeant Vomitus inſtitui, *Purgatio per Alvum* inſtituatur citò, neglectâ Temporum electione; Neque enim timidus aut cunctabundus Medicus in purgandis Lethargicis debet eſſe, & quidem forti Medicamento fiat, aliàs enim eventu fruſtrabitur. Inter Purgantia imprimis eſt Purgans ex Scammonio, cui ſemper Caſtoreum, quod Affectuum Soporoſorum appropriatum eſt Alexipharmacum, commiſceatur, & jam à Tralliani ætate fuit celebratum: v. g.

℞. *Caſtor.* ʒij.
*Scamm. præp.* ʒj.
M. pro 2. doſibus, & detur in Vehiculo Oxymellis.

Quô curavit Borellus Virum quinquaginta quinque annorum, uti videre eſt in *Cent.* 1. *Obſerv.* 52. Conf. Zacutus Luſitanus *lib.* 1. *de Med. Princ. Hiſt.* 16. ac Foreſtus *lib.* 10. *Obſ.* 33. qui curavit Lethargum beneficio Pilularum Cochiarum, cum Caſtoreo propinatarum. Aliàs *Extractum Melanagogum Quercetani* à ʒj. ad ʒß. item *Extract. Eſulæ aut Trochiſcor. Alhandal* à gr. vj. ad xij. uſurpatur, aut aliis addita pro ſtimulo conveniunt. E. g.

℞. *Extr. Phlegmag. Querc.* ʒß. ad ʒj.
*Caſtor.* vel *Caſtor. pulveriſ.* ʒß.
*Troch. Alhand.* gr. ij.
*Reſin. Jalapp.* gr. j. ij. ad v.
Cum *Eſſ. Caſtor.* f. Pilulæ.
D. S.
Pilulæ Purgantes.

Vel

℞. *Maſſæ Pilular. Cochiar.*
*Hier. cum Agar.* an. gr. ix.
*Mag. Jalap.*
*Extr. Caſtor.* an. gr. iij.
*Troch. Alhand.* gr. ij.
M. f. Pilul.
D. S. ut antè.

Dictis Pilulis commodè etiam *Mercurius dulcis* addi poteſt, cùm hic in ſimilibus Affectibus aliàs ſit egregius.

Vel

℞. *Cryſtall. Tartari* gr. xv.
*Scamm. præp.* ʒß.
*Mag. Gum. de Peru.* gr. iij.
M. f. Pulvis. S.
Pulvis Purgans.

Vel

℞. *Eſſ. Jalapp.* ʒiß.
*Scamm.* ʒj.
*Caſtor.* ʒß.
*Syr. Dia-Cartham.* ʒii.
M. S.
Eſſentia Purgans.

Præmiſſis hiſce modò narratis Univerſalibus, idque imprimis in caſu, quòd oriantur Affectus Soporoſi à Colluvie ſerosâ (nam ſi Virulentia narcotica hos Affectus induxerit, Vomitus ſufficit), progreſſus faciendus eſt ad ea *Appropriata*, quæ aut Spiritus Animales excitant, volatiliſant,

ſant, & agiles reddunt, eorum Torporem excutiunt, & ita Somnolentiam nimiam compeſcunt, acrimoniâ ſuâ ſubtili penetrando, & Senſuum Organa vellicando; aut eoſdem plùs minùs reſtituunt & augent, aut Virulentiæ narcoticæ reſiſtunt.

In Caſu ergò *Colluviei ſeroſæ* peccantis Alcalia acria volatilia plùs minùs aromatica, ex Plantis acribus Cephalicis deſumpta, ſunt optima; ſicuti, quando *Virulentia narcotica* peccat, Acida, imprimis Acetum, ſunt optima. Utroque in caſu primatum ducit *Caſtoreum*, reliquis Remediis ſemper ſociandum: ſingulare eſt Remedium contra Affectus Soporoſos; hinc quævis inde parata interna & externa, vel ſola, vel cum Acidis, vel Alcalibus mixta, præſertim ejus *Eſſentia cum Spiritu Salis Ammoniaci urinoſo* parata, in largiori doſi propinata, eſt egregia. Conveniunt ergò in priori Caſu Ruta, Serpillum, Pulegium, Origanum, Satureja, Salvia, Calamus aromaticus, Raphanus, Cubebæ, Semen Sinapi, Erucæ, Naſturtii, &c. quæ ipſa inſigniter laudantur ad curandum Lethargum; Scilla & ſimilia acria volatilia, exque his parata Remedia, Spirituum Animalium Torporem corrigentia: Hinc & *Salia volatilia* quæcunque, tam acria, quàm oleoſa facta, in Lethargo, Apoplexiâ & Caro, ſalubriter uſurpantur: nempe *Spiritus Salis Ammoniaci*, *Spiritus Formicarum volatilis*, *Spiritus Seminis Sinapi*, *Sal volatile Urinæ*, *Succini*, & quæcunque alia, quò acriora, eò meliora, cum vehiculo *Aquæ Liliorum convallium ſpirituoſæ* propinata, ſunt optima, quibus Wedelius plus præſtitit in Affectibus Soporoſis, quàm Spiritibus aromaticis ſulphureis: Videatur *Opiologia ejus pag.* 46. 47. *&* 52. Quibus Spiritibus *Olea & Eſſentiæ Vegetabilium* adjungenda, v. g. Eſſentia Anthos, Majoranæ, Liliorum convallium, Rutæ, Croci, Spiritus & Elixir Citri, Eſſentia Ambræ cum Spiritu Roſarum, vel Spiritu Liliorum convallium, Ceraſorum nigrorum, Oleum Anthos, Majoranæ, Rutæ, Caryophyllorum, Salviæ, Saturejæ; ſimiliaque, tam Simplicia quàm Compoſita, per ſe nota, adduntur. Decoctum *Herbæ Theæ* à Modernis admodùm decantatum optimè convenit, Somnolentiam nimiam naturaliter diſcutiens citra virium diſpendium; hinc commodè cum aliis Appropriatis, in ſpecie poſt Crapulam, uſurpari poteſt. Eſt Plantula Sinenſis & Japonenſis foliis myrtinis: hæc collecta coquitur in Aquâ, iſtiuſque Decocti, quod ſaporem acquirit aromaticum, hauſtus interius aſſumptus mirum eſt quàm arceat omnem Somnum, ita ut quis etiam per triduum ſine Somno continuò perſiſtere poſſit: hinc etiam acuit admodùm Ingenium. Venetiis, ni fallor, in Germanicâ Domo, *in Emporio Germanorum*, eſt in uſu. Præparandi modus & deſcriptio hujus Herbæ videatur in Tulpio *lib.* 4. *Obſervat. cap. ult.* item in Wormii *Mus. pag.* 165. item Borello *Cent.* 3. *Obſervat.* 39. item Schrœdero in *Pharm. Append.* item Deodati *Valetudinar. pag.* 169. Denique eſt Radix Indica, quæ vocatur Radix *Cuſei*, quam mirificam externo uſu eſſe ad curandum Lethargum refert Kircherus *in Regno Naturæ Magnet. pag.* 45. De his acribus Remediis torporem Spirituum excutientibus, vid. Sylvius *lib.* 2. *Prax. cap.* 26. E. g.

℞. *Aquæ Majoran.*
*Rutæ* an. ℥iß.
*Apopl.* ʒvi.
*Eſſ. Caſtor.* ʒiß.
*Spirit. Fulig.* ℈ij.
*Syr. de Beton.* ℥j.

M. S.

Mixtura Emolliens cochleatim ſumenda.

Vel

℞. *Spiritûs Serpill.*
*Cort. Citri* an. ʒiß.
*Sangu. hum.* ʒj.

M. D. S.

Spiritus Emolliens.

Vel

℞. *Conſ. Salviæ*,
*Anthos*
*Lavend.* an. ℥j.
*Spec. Di-Anthos* ʒiß.
*Pulv. Cubebar.* ʒj.
*Sem. Sinapi*,
*Caſtor.* an. ℈ij.
Cum *Syr. Flor. Pæon.* f. Electuarium:

M. S.

Electuarium Emolliens ad Caput.

De reliquis *infrà Sect.* 3. *Cap.* 3. *Artic.* 1. *ubi de Apoplexiâ*, dicetur.

Quòd verò *Virulentia narcotica*, vel ab externâ vel ab internâ excitata Causâ, Affectus Soporoſos induxerit, conveniunt *Acida volatilia* internè & externè: qualia ſunt Acetum Vini, Aceta medicata diverſa, in ſpecie Acetum Hyſſopicum *Mynſichti*, Acetum cui Caſtoreum infuſum, Acetum & Oxymel ſquilliticum, Spiritus Sulphuris per campanam. Veteres *Oxymelle ſquillitico* fuerunt contenti; hodie *Spiritu* imprimis *Vitrioli volatili* utimur, cujus legitimum ſignum eſt, quòd non guttatim, ſed in formâ ſtriarum in Alembico appareat. Paratur ex Vitriolo artificiosè calcinato, ita ut Phlegma ſaltem evaporet, remanente Spiritu volatili, qui poſtmodùm per rectificationem à Spiritu fixiore ſeparandus; ſic enim fit Spiritus Vitrioli volatilis excellens in Curâ Lethragi. Excellit hîc etiam *Spiritus Æris viridis volatilis*, vel per ſe adjectâ Arenâ, vel cum Aceto præparatus, qui loco Spiritus Vitrioli volatilis poteſt commodè uſurpari. *Spiritus Vitrioli regeneratus*, ſeu ex Capite mortuo, Aëri expoſito, denuò deſtillatus (qui non tam eſt vitriolaceus quàm potiùs nitroſus) & ipſe commendatur ad Curam Lethargi; vel adhibetur *Spiritus Vitrioli Cephalicus Doctoris Michaëlis*, paratus ex eodem Capite mortuo auræ expoſito, quod irroratur largiter cum Spiritibus Vegetabilibus Cephalicis, Ceraſorum nigrorum, Florum Tiliæ, Liliorum convallium, Majoranæ, Salviæ: Hoc deſtillatum more ſolito, & poſt rectificatum, dat Spirituum Cephalicum admodùm penetrantem & volatilem, qui in Curâ Lethargi mirabilis eſt. Propinatur ad gutt. 20. vel 30. in *Aquis appropriatis*, Liliorum convallium, Rutæ, Majoranæ, Roriſmarini, Ceraſorum nigrorum, Serpilli, Aquâ quâdam Apoplecticâ, & ſimilibus. Admodùm convenit, & egregiè reſtituit Ægros, *Spiritus Vitrioli Epilepticus Quercetani* cum Urinâ Pueri paratus, loco cujus Spiritus Æris viridis jam dictus uſurpatur. His præ cæteris addatur *Acetum Vitriolatum benedictum*, D. Langio in Secretis poſitum, Remedium quidem ſingulare in Affectibus Catarrhoſis, & etiam in Affectibus Soporoſis. Modus præparandi eſt hic:

*Vitriolum* in Crucibulo leniter calcinatur ad abſumptionem Phlegmatis: exhauſto autem Phlegmate Crucibulum tegitur operculo, & hoc contegitur *Carbonibus vivis*, ita ut per quadrantem horæ calcinatum exactè rubeſcat: hoc modo *calcinatum pulveriſatum*, per Setaceum ſubtiliter trajiciatur: poſtmodùm

℞. *Carbon.*

℞. *Carbon. faginor. durior. benè pulveriſat. ac per Setaceum traject.*
*Vitrioli iſtius præp.* an. ʒij.

Benè miſta indantur Vaſi pleno & ſatis patulo terreo, quodque Igni tamen reſiſtere valeat, imponatur Carbonibus in Furno venti, benè calcinentur, continuò agitando cum ratibulo ferreo tam diu, donec nulla amplius ſcintilla in Miſturâ appareat : Hinc

℞. *Vitriol. hoc modo præparatum* :

Affundatur *Acetum deſtillatum acerrimum*, ponantur in Digeſtionem in loco calido, aut ſaltem Vaſe benè contecto, exponantur Radiis ſolaribus, idque per quatuordecim dies & noctes, hinc filtretur Acetum per chartam, eritque ſic paratum *Acetum Vitriolatum benedictum* :

Doſis eſt à gut. x. ad xij. in Aquâ appropriatâ aſſumendum : In omnibus Catarrhis Frigidis, ut vocant, item in Affectibus Soporoſis, admodùm commendatum.

Hæc ipſa internè & externè in Lethargo Narcotico ſunt optima ; quibus omnibus ſemper *Caſtoreum* addendum eſt, ſummum Specificum in his Affectibus, tam in formâ Pulveris, quàm Eſſentiæ, Extracti ; vel Aqua Hirundinum cum Caſtoreo, vel aliis modis, uſurpetur : e. gr.

℞. *Aquæ Ceraſ. nigr.*
*Serpill.* an. ʒiß.
*Aceti Hyſter. Mynſ.* vel *Squillit.* ʒß.
*Eſſ. Caſtor.* ʒij.
*Oxymell. Squillit.* ʒvj.
M. S.

Mixtura Emolliens ad Caput, cochleatim ſumenda.

Vel

℞. *Succin. præparat.* vel *Catarrhal. Mich.* ʒi.
*Cinnab. Antimonii* ʒß.
*Caſtor.* ℈ij.
M. f. Pulvis :
Divid. in 4. part. æqu. S.
Pulvis Caput confortans.

Quibus ac ſimilibus ritè adminiſtratis in fine Cura *Sudorifera*, ex *Lignis* imprimis parata, curam claudat.

Poſt hæc & *Sternutatoria* & *Apophlegmatiſmi* applicentur. Illa, eaque acria, facienda ſunt ex Radicibus & Floribus Liliorum convallium, Caſtoreo, Turpetho Minerali, & pauco Radicis Hellebori albi, & Euphorbii ; item ex Pulvere Nicotianæ cum Euphorbio, utut cautè, quibus pro meliori penetrantiâ grana quædam Salis volatilis Urinæ, vel Salis Ammoniaci volatilis, &c. addi poſſunt, in ſpecie in Apoplecticis : aut Spiritus Salis Ammoniaci cum Calce vivâ paratus. Nam hæc Salia volatilia commodè permiſcentur cum talibus Sternutatoriis acrioribus, cùm fortiter penetrent cæteris addita, dum interea alia acria Sternutatoria vellicant. *Vitriolum ad albedinem calcinatum* ad ʒj. ſolutum cum *Aquæ Majoranæ* ʒj. conſtituit Liquorem, qui Naribus attrahendus ſubinde, pro Sternutatorio ſatis eleganti. Ad tertium autem diem, & poſt Purgantis operationem, differantur, ne Materiam peccantem ad Cerebrum magis commoveant. Apophlegmatiſmi ex Semine Nigellæ, Radice Pyrethri, Confectione Anacardinâ, Theriacâ, &c. Sternutatoria per pennam Naribus inſufflanda ſunt : v. g.

℞. *Pulv. Nicotian.*
*Lil. convall.* an. ʒj.
*Rad. Helleb. albi* ℈j.
*Caſtor.* gr. xii. ad xv. vel ℈i.
*Olei deſtill. Major.* gutt. vi.
M. f. Pulvis : S.
Pulvis Sternutatorius.

Vel

℞. *Spec. Dia-Tabac. Mynſ.*
*Caſtor.* an. ℈i.
M. f. Pulvis :
D. S. ut antè.

Vel

℞. *Spec. Dia-Major.* ʒi.
*Pulv. Rad. Helleb. alb.* ℈i.
*Caſtor.* gr. xii.
*Olei deſtill. Rutæ* gutt. vi.
M. f. Pulv.
D. S. ut antè.

Vel Sternutatorium Timæi *von Guldenkleev* in Affectibus Soporoſis expertum, quod habet *in Caſ. pag.* 20.

℞. *Helleb. alb.*
*Caſtor.*
*Piper. alb.* an. ℈i.
*Olei deſtill. Rutæ*,
*Majoran.*
*Salv.* an. gutt. ii.
M. f. Pulvis.

Sternutatorium ex Turbith cum Pulvere Glycyrrhizæ videb. in Barbette *Praxi cum comment. Deckeri*, *pag.* 76.

℞. *Theriac. Androm.* ʒij.
*Extr. Caſtor.* ℈ß.
*Pulv. Rad. Pyrethri* ℈i.
*Olei deſtill. Succin.* gutt. vi.
M. pro Apophlegmatiſmo, Palato illinendo : S.

Electuarium Abſterſivum ad Palatum.

Cum his & *externo* uſu ſimul uſurpanda, quæ aut Spiritus excitare, eorumque Torporem diſcutere valent, acria, penetrantia, & Senſuum Organa plùs minùs vellicantia. Admoveatur igitur crebrùs Naribus Spiritus Salis Ammoniaci acris, Sal Urinæ, vel Oleum Tartari cum Sale Ammoniaco, &c. in Vitro anguſti ſed longi colli, potenter Lethargicos & Apoplecticos ac alios Soporoſos, non ſecus ac Mulieres Hyſtericas, excitans. Poſt hunc alias non inelegans Experimentum eſt Hartmanni ex Aceto Caſtoreo imprægnato cum Linteo vel Spongiâ Naribus admoto, & Epithematis loco Fronti & Temporibus applicato. Hartmannus commendat Spongiam cum Succo Apii, Fœniculi, & Aceto roſaceo vel rutaceo, cui adſpergit Pulverem Caſtorei, & ita crebrò Naribus admovendam ; vel Succus Fœniculi, aut etiam Succus Rutæ recèns expreſſus cum Aceto & Caſtoreo Naribus admotus, vel cum Linteis multiplicatis Temporibus, Fronti & Plantis Pedum applicatus, admodùm laudatur. Quô etiam facit *Acetum Radicatum Riverii*, ſimili modo uſurpatum ; nam Acetum admodùm convenit ad arcendum Somnum & adducendas Vigilias. Hæc Aceta potentiùs penetrabunt, ſi cum Semine Nigellæ, Rutæ, Caſtoreo &c. cocta, Laminæ ferreæ candenti affundantur, quò Vapor Nares Ægri ſubeat : Vid. Hœferus *Herc. Med. Part.* 1. *lib.* 1. *pag.* 82. Interim & ſimul Tempora, Frons, Nares ac Facies Aquis Apoplecticis ac Spirituoſis, Oleis deſtillatis Succini, Majoranæ, Anthos, Rutæ, Saturejæ, Serpilli, Nigellæ &c. horumque Balſamis, aliiſque Cephalicis illinantur, quæ ipſa etiam Linguæ affricentur. Curavit Wedelius *loc. alleg.* Affectum Soporoſum in Puellâ Spiritu Salis Ammoniaci volatili, cum Aquâ Liliorum convallium ſpirituoſâ propinato : externè inunxit Tempora, Nares & Præcordia Oleo Succini, & Camphoræ cum Pinguedine

guedine Caſtorei, & in Sacculo appendit Camphoram, Nigellam & Caſtoreum. Capiti quoque admoveantur *Fomenta Nervina*, v. gr. Decoctum Saturejæ, cujus etiam aliquot guttæ Auribus inſtillentur : vid. Schenckius *pag.* 60. Artus nihilominùs *Frictionibus* aſperioribus tractentur. Sinapi etiam cum Aceto ſubactum, ſi hoc ipſo fricentur plantæ Pedum, vel inſtar Epithematis applicetur, excitat Lethargicos &c. Item Epithema ex Semine Sinapi, Piperis, &c. cum Spiritu Vini & Aceto : Vel fiat Acetum Aromaticum acre ex Infuſo & Decocto Baccarum Lauri, Juniperi, Zedoariæ, Herbæ Roriſmarini, Seminis Sinapi & Naſturtii, & ſimilium e. gr.

℞. *Olei deſtillat. Salv.* ʒß.
*Caſtor.*
*Succin.* an. ʒi.
M. pro Oleo, Temporibus & Faciei illinendo. S.
Oleum Expergefaciens.
Vel
℞. *Olei deſtill. Rutæ*,
*Saturejæ*,
*Serpill.* an. ʒj.
*Caſtor.* ʒß.
Cum ſ. q. *Balſami pro corp.* Miſc.
D. S.
Balſamus Caput expergefaciens..
Vel
℞. *Herb. Apii* M. ß.
*Sem. Nigell.* ʒiß.
*Caſtor.* ʒj.
Ex inciſis & contuſis f. Nodulus, *Aceto rutaceo* irrorandus : S.
Nodulus odorandus.
Vel
℞. *Aqua Hirund. cum Caſtor.* ℥ij.
*Spiritûs Cryſtall. Virid. Æris* ʒij.
M. pro Temporibus & Facie irrorandis : S.
Aqua externè applicanda.
Vel
℞. *Aquæ Hirund. cum Caſtor.* ℥j.
*Carbunc.* ʒß.
*Spiritûs Serpilli*,
*Virid. Æris* an. ʒij.
M. S. ut antè.
Vel
℞. *Aceti rutac.* ℥ij.
*Eſſ. Caſtor.* ʒiß.
M. S. ut antè.
Vel
℞. *Succ. Rutæ rec. expr.* ℥iij.
*Spiritûs Virid. Æris* ʒij.
*Sem. Erucæ pulveriſ.* ʒiß.
*Pulv. Caſtor.* ʒj.
M. f. Epithema : S.
Epithema Externum.
Vel
℞. *Herb. Saturejæ*,
*Rutæ* an. M. ß.
*Zedoar.* ℥ß.
*Bacc. Junip.* ʒvj.
*Lauri* ℥ß.
*Sem. Naſturt.*
*Sinapi* an. ʒij.
Coqu. in ſ. q. *Aceti* pro Epithemate.
D. S. ut antè.

Quòd ſi à *Sanguine extravaſato*, *Cranio depreſſo*, ſimilive tale quid contigerit, hæc per Remedia Appropriata removeantur : de quibus in Chirurgicis videri poteſt, *Elevatorium* ſcilicet, *Trepanum*, &c.

*Comata Febrilia* quæcunque optimè curat Acetum Naribus applicatum, quò validius, eò melius ; unde & Spiritus Vitrioli reliquis præfertur.

*Comata Vigilia*, præter modò allegata, curat Cataplaſma ex Raphano recenti cum Rutâ, Aceto, Fermenti ſ. q. & Sale communi ſubactâ, plantis Pedum applicata, & ſubinde reiterata : vel ex Ranunculo cum *Sapone nigro*, *Sale marino*, & Fimo columbino, ſimilibuſque acribus invicem miſtis paratum *Cataplaſma* dicto modo Pedibus applicetur.

Quòd ſi *Carus ex Narcoticorum externo inſultu*, aut Vaporibus venenatis Mercurialibus, aut ex eſu Nucum Juglandium contractus ; item qui inſpiratum Gas Liquorum fermenteſcentium ſequitur &c. curatur, ſi *Vomitus* maturè inſtituitur, hinc *Acetum*, præſertim cum *Caſtoreo* imprægnatum, Naribus eſt applicandum, & etiam internè cum Caſtoreo propinandum, ac poſtmodùm Spirituoſis internis Spiritus Animales denuò volatiliſandi. V. gr. ex Fumo Carbonum, Vaporibus venenatis, &c. ſi oriantur talia Mala, Vomitus præmittatur, cum Pars affecta ſoleat eſſe circa Orificium Stomachi, & tales Ægri conquerantur de anguſtiâ circa Præcordia : In talibus enim apparet Suffocatio, unde mox inſtituatur Vomitus per valida Vomitoria, pòſt propinentur internè Acida cum Caſtoreo probè ſubacta, eaque in largâ doſi, e. gr.

℞. *Aquæ Menth.*
*Rutæ*,
*Aceti rutac.* an. ℥j.
*Eſſ. Caſtor.* ʒvj.
*Syr. acetoſ. Citri* ℥ß. vel *Menthæ* ʒj.
M. D. S.
Mixtura Spiritus excitans.
Capiatur crebrò cochleatim.

Naribus verò ſubinde admoveatur Caſtorei fruſtum Aceto intinctum. Eadem valent, ſi malum ſit à Croco.

Quòd ſi quis *ex abuſu Opii* vel ſimilium Carum aut Soporoſos inciderit Affectus, præmiſſo vel omiſſo *Vomitu*, accipiatur Acetum Vini vel Rutaceum, Acetum Vitriolatum benedictum, vel Scilliticum, in quo diſſolvatur Caſtoreum ; quod eſt optimum. Hoc etiam figit Opium, & Opii Sal volatile oleoſum omninò deſtruit. Unde etiam Acetum aſſumitur à quibuſdam ad præparationem Laudani Opiati. *Famulus cujuſdam Materialiſtæ* cum aliquando ʒj. crudi Opii pro reconciliando Somno recepiſſet, binas noctes & dies continuò dormivit : tertiâ die vocatus Medicus recipere jubet *Acetum Squilliticum*, in quo *Extractum Caſtorei* diſſolutum fuit, quod infudit copioſè ori, hâcque Mixturâ Frontem ac Tempora, pulſus etiam Manuum ac plantas Pedum, & imprimis Genitalia, irroravit largiter, & ſedulò fricanda juſſit, ſicque ſucceſſivè denuò evigilavit, & ex Mortis faucibus ereptus fuit. Si Affectus Soporoſus ex Opio contractus his corrigi non poteſt, præſcribuntur Sinapi, Eruca &c. Salia quippe volatilia languentia illa Organa excitant, Clyſter etiam ex Vino Hiſpanico curat Narcoſin ex Opio.

Quòd ſi *ex Ebrietate*, abuſu Vini, Spiritu Vini ac ſimili Potu generoſo Carus aut ejuſmodi Affectus Soporoſus oriatur, præmiſſo *Vomitorio*, ſi non ſponte ſequatur, Acetum Fronti ac Temporibus applicandum, vel ſolum vel cum Succo Apii miſtum. *Epithema* verò *ex Succo Sempervivi majoris*, cum *Aceto & Nitro* Scroto aut Teſtibus admovendum, ac ſubinde removendum ; Potenter enim Ebrietatem diſcutit. Sic Wedelius Affectum

Sopo-

Soporoſum à Spiritu Vini inductum curavit, applicando Teſtibus Lintea Oxycrato imbuta, ubi ſtatim Natura ſponte ſe liberavit Vomitu, ubi poſteà propinavit Elixir Cephalicum, cum Spiritu urinoſo Salis Ammoniaci fortiùs acuatum: Videb. *Opiol. pag.* 37. *Spiritus* enim *Salis Ammoniaci* volatilis, aut Fuliginis, corrigunt & deſtruunt Acidum volatile Vini, & inde natam Ebrietatem, ſi Sudor expectetur; ſicuti & ille ante Vinum aſſumptus, facit ut non inebriemur: ſi poſt potum aſſumitur, Crapulam ſtatim diſcutit.

In Genere ut meliùs obſervetur Methodus medendi Affectuum Soporoſorum, conſiderandum, quòd Affectus Soporoſi vel à Causâ Externa, vel à Causâ Internâ originem ducant. *Si à Causâ Externâ*, Aſſumptis vel Inſpiratis, poſt *Vomitum* convenit *Acetum & Caſtoreum*: *Si à Causâ Internâ*, habenda eſt ratio, an per ſe & primariò Morbum conſtituant? v. g. Lethargus: an verò Febribus, aut aliis Morbis in ſtatu demum aut declinatione denuò ſuperveniant? *Si per ſe Morbum conſtituant*, attendendum, an Vis narcotica in Succis noſtris enata, an verò Colluvies recrementoſa, in ſpecie ſeroſa vel alia in Cerebri ſubſtantiam effuſa, eum inducat. Quòd ſi ergò *per ſe ex Colluvie recrementorum* originem duxerit, vel aliis Morbis ſuperveniant, & Metaſtaſeos Materiæ morboſæ ſuſpicio fuerit, Vomitoria, Purgantia, & Clyſteres, item Venæ ſectio averſoria & derivatoria, hinc Sternutatoria & Veſicatoria ſunt optima; quibus tandem Acria volatilia, Spirituum torporem excutientia, optimè ſubjungantur. Hinc enim & Comati Vigili, item Comati Soporoſo Malignarum, Veſicatoria Nuchæ vel Parotidibus, & Cataplaſmata Pedibus applicata conveniunt: *Si verò ex Causâ internâ*, ſive *Vi narcoticâ plùs minùs malignâ*, originem ducant Affectus Soporoſi, poſt *Vomitum*, vel præmiſſum vel omiſſum, *Acria* excitantia conducunt, ſeu quæcunque Acria volatilia, Senſuum Organa fortiùs vellicantia, & Spirituum torporem ac immobilitatem corrigentia, vel in ſpecie *Acida*, *Acria*, *Volatilia*, Virulentiæ narcoticæ ſpeciatim contraria.

## MEMBRUM V.

### *De Catalepſi.*

PErtinet ultimò ad hos Affectus etiam *Catoche* ſeu *Catalepſis*, Affectus rariſſimus & ſummè mirabilis, qui eſt, quando in Ægro ceſſat omnis Senſus internus & externus, unà cum ceſſante Motu, ita ut Ægrorum Membra rigida & inſtar Statuarum in ſuâ poſiturâ, quâ Ægros corripit Affectus, pertinaciter perſiſtant, impulſa tamen moveantur, ſed tamen denuò in iſtâ per Motum acquiſitâ figurâ fixa perſtent, Oculis pertinaciter hiantibus, torvi vident, in eodem quô ponuntur ſeu collocantur, Membrorum poſitu permanent. *Non dormiunt tales Ægri*, ſed videntur dormire, dum nihil ſentiunt, & tamen moventur, non ab intrinſeco, ſed ſaltim ab Impulſu externo, inſtar Machinæ cujuſdam. Quamvis autem in gradu ejus remiſſiore interdum non nihil audiant, videant, ac ſublato Paroxyſmo referant, immoti tamen ut plurimùm ſine Voce ac Tactu manent; hinc vulgò pro *Ecſtaticis* habentur.

## CAUSÆ.

In hoc Affectu, *quomodò verè conſtituti ſint Spiritus Animales*? vel quodnam ſpeciale eorum vitium? adhuc inexplicabile eſt. *Fixatos* eorum Spiritus eſſe, minùſque mobiles, quàm naturaliter eſſe debent, certum eſt. Simul tamen etiam eoſdem continuâ ſuâ præſentiâ Membra actuare, & in Tono debito conſervare & animare, ex eo confirmatur, quòd tales ſtent, ſedeant, impulſi progrediantur, Oculos apertos ſervent, adeoque utut ipſi etiam hoc neſciant, ſemper figuram antiquam retineant. Unde ad *Convulſiones refert Catalepſin* Valentini *Diſp. Inaugural. de Convulſionibus*, ejuſque *Cauſam* dicit eſſe nimium Spirituum Motum, quatenus uno impetu Cerebrum relinquentes, in utrumque Muſculum Antagoniſtam irruunt, nec inde ſtatim retrocedere poſſunt, unde Rigor ille notabilis. Hoc fusè confirmat ex *Antecedentibus*, *Concomitantibus*, *Juvantibus*, & *Nocentibus*: Hinc D. D. Dolæus Catalepſin, *Apoplexiam inverſam*, haud inconcinnè vocat *in Encyclopæd. Med. Tit. de Catalepſi.* Chymici derivant ex *Fumis* quibuſdam vitriolaceis acidis, Spiritus Animales coagulantibus: Sylvius *Pr. lib. 2. cap.* 24. Spirituum Animalium *Coagulationem* quandam, à Spiritu quodam quaſi Urinoſo volatili acri, qui ſit ſimilis Spiritui Urinæ per Fermentationem parato, coagulante Spiritum vinoſum rectificatum in quoddam Coloſtrum candidum & ſpiſſum: Sed rem dubiam relinquit. Scriptores in hoc conveniunt, ineſſe certam quandam *Spirituum Animalium Coagulationem*, tam in Toto quàm in Partibus, id eſt, ut in illâ Spiritus non tantùm in Cerebro, ſed intra Nervos quoque & Muſculos quaſi coagulentur: *qualis verò ſit Coagulator ille*? difficile dictu; cùm nec Spiritum illum Vitriolicum ſeu Acidum, quem nonnulli in hôc Morbo ſibi concipiunt, nec Spiritum illum Urinoſum atque volatilem, Spiritus Animales inſtar Spiritûs Vini coagulantem, ut Sylvius ſuſpicatur, concipere liceat. Rariſſimus aliàs eſt Affectus, & qui varias habet *Antecedentes Cauſas*: Vid. imprimis Heinricus *ab* Heer *Obſerv.* 3. ubi duo ſingularia Catalepticorum Exempla habet, Rondeletius *Meth. Med. lib. 1. c.* 20. Fernelius *Pathol. lib. 5. c. 2.* Sic Foreſtus *lib.* 10. *Obſervat.* 44. *in Schol.* refert, Puellam, cùm nubere cogeretur, hoc Affectu fuiſſe correptam: *Item lib. cit. Obſervat.* 41. *à Frigore* quoſdam rigidos inſtar Catalepticorum fuiſſe redditos Item Fonſeca *lib. 2. Conſultat. 92.* refert Catalepſin ſingulis ſeptimanis recurrentem, ſex horas tantùm durantem, in Muliere *poſt Menſium Suppreſſionem* obortam. Hildesheim *in Spicil. Affectuum Capitis pag.* 224. meminit cujuſdam Hypochondriaci Catalepſi correpti, idque, uti ipſe affirmat, ex Vaporibus ex Liene adſcendentibus. *A Vermibus* quoque aliquoties Catoche obſervata eſt, qualia Exempla refert Marcellus Donatus *lib. 2. Hiſt. Mirab. c. 2.* & Schenckius *in Obſervat.* ubi aliquot Hiſtorias mirabiles Catalepticorum habet. *In Paroxyſmis Febris Intermittentis* Catochen obſervavit Dodonæus *obſerv.* 44. A *Fumo & Vapore Carbonum* accenſorum ſimillimum Catalepſi Affectum refert Platerus *lib. 1. Obſ. pag.* 28. Jucundum hujus Catalepſeos Exemplum eſt, quod refert Tulpius *lib. 1. c.* 22. Juvenis Britannus impenſiùs Amori indulgens, ex *inopinato repudio Matrimonii* Catalepticus factus eſt: cùm verò illi acclamaretur, deſideratam eum habiturum Amicam, quaſi excitatus ex profundiore Somno actutùm ad ſe rediit, & proſiliit.

## PROGNOSIS.

(D) Catalepſis Morbus admodùm *periculoſus eſt*; periculoſior tamen, ſi graviora ipſi combinentur Symptomata, ſcilicet Dyſpnœa, Excrementorum ſuppreſſio, Virium que imbecillitas.

## CURA.

*Remedia* hactenus proficua ſunt *Vomitoria Antimonialia*, *Spiritus Vini rectificatus*, ſive internè ſive externè uſurpatus: Item *Cataplaſmata acria*. Sic Henricus *ab* Heer refert Capuccinum Catochicum factum, per *acre Suppoſitorium* excitatum.

Locutus ſum ſuperiùs de vitiis Spirituum Animalium ac eorum Generatione, à quorum legitimo motu & expanſione, aut auctâ, aut imminutâ, ſequuntur vel Vigiliæ vel Somnus: Pergo nunc ad *Paſſiones Animales*, ſive ad *Senſus Externos*, & ad impreſſiones in iiſdem factas, prout hi ipſi (nempe Senſus) ex impreſſione Objectorum ſenſibilium in Organis particularibus Machinæ corporeæ variè alterantur & læduntur.

# SECTIO II.

*De Senſibus Externis, Eorumque læſionibus.*

OFficia quibus præſunt Animales Spiritus, ſunt *Senſus & Motus*, utrique vel *Interni* vel *Externi*.

*Externos* quod attinet *Senſus*, cùm hi reverà conſiſtant in Paſſione ſeu Motione Organi, inductâ ab Objecto Externo ſenſili, per certum ab hoc factum Motum ſeu Impreſſionem, adeoque ſaltem in Motione Filamentorum nerveorum Organi, *Spiritus Animales* in his hoc ſaltem præſtare videntur, ut ſuo influxu *Filamenta nervea* Organum Sensûs proximè conſtituentia, *in debito Tono & Tenſione* conſervent, quò faciliùs ab Externis Objectis moveri, & ita *Senſatio Externa* fieri poſſit.

Expoſita ſcilicet corporea noſtra Machina eſt quorumcunque Corporum ambientium activitati & inſultui: Hæc ergò Ambientia, dum in Partem quandam agunt, id eſt Motionem certam inducunt in ejus Nervis, quæ Motio, ſeu ab Objecto Externo facta Impreſſio, continuato Nervi ductu, ad Cerebrum uſque ſeu ad Nervi originem continuatur, quem Nervi ab Externâ Causâ Motum ibidem circa ejus radicem inſequitur determinatus Spirituum Animalium in vicinâ Cerebri Medullâ Motus ab iſto excitatus, qui conſtituit *Senſum Internum*; occaſione cujus determinati Spirituum Animalium Motûs Anima Rationalis format in nobis Conceptum ſeu Ideam, repræſentantem exactè rationem externæ Impreſſionis, ſitque tunc formalis Cognitio ſeu *Senſuum Externorum* mediantibus Internis *Perceptio*: id quod Dolor imaginarius eorum, quorum Membra fuerunt amputata, illuſtrare videtur; poſt Membrum enim amputatum obſervatur tamen Dolor in Digito majori.

Vires iſtæ Objectorum Externorum, quæ vulgò *Qualitates Senſiles* dicuntur, quibus ambientia Corpora agunt in certas Corporis Partes, Organa Senſoria dictas, conſiſtunt ſaltem in certâ talium Corporum, quoad minimas ſui particulas, *Texturâ vel Conformatione*: quæ prout hoc modo nunc in hanc, nunc alio modo in aliam Corporis Partem agit, & certum Motum inducit, tam varias Qualitates Senſiles, ſeu in Organa Senſus agendi poteſtates habere dicitur: vid. hic Digby *in Tr. de Natura Corporum Tr.* 1. *c.* 1. *p.* 3. Boyle *in egregio Scripto de Orig. Formarum & Qualit.* Rem Exemplo declarabo: Suppono me Corticis Aurantiorum Fruſtulum in manu tenere; hoc Fruſtulum in ſe reverà eſt tantùm Ens unicum, ex Particulis minutiſſimis in unum corpus coalitum, & tamen diverſos in meis Senſibus Effectus producit: Viſus in eo *Colorem* aureum; Olfactus *Odorem* ſuaveolentem; Guſtus *Saporem* amaricantem; Tactus denique *Frigus*, *Scabritiem*, *Mollitiem*, &c. deligit: Senſus diverſimodè ita affecti ſeu moti, Nuntios, ratione continuati Ductûs nervei, ad Phantaſiam mittunt, tanquam certiores facturi, quid quiſque in Fruſtulo illo deprehenderit; ita ut Ratio poſtmodùm Flavedinem, Suaveolentiam, Amaritiem, Frigus, Scabritiem, Mollitiem, &c. ſeparatim conſideret; unde diverſæ Notiones in Mente quaſi

* (D) *Notâ Cyrilli.* Catalepſeos Diagnoſin tam accuratè, per omnes illius morbi caracteres depingit, ſtylô ſuô barbarô, Cælius Aurelianus, ut eam hìc exſcribere utile reputemus. Sic autem Medicus iſte inter Methodicos verè eximius; Chronicor. lib. 2. cap. 5. Sequitur Patientes, febricula, & vocis amputatio, cum oculis patentibus, atque impalpebratione (h. e. palpebrarum immobilitate) difficilior eô tempore quô ſtatum ſumpſerit acceſſio, cum horrenti palpebrarum poſitione, quæ poſtea declinatione factâ, aliquâ ex parte accipiat motum. Etenim admotâ manû ac digitis circumtractis (h. e. circumductis) oculis, palpebra ægrotantis in quamlibet partem declinata ſequetur converſô vultu. De hinc inclamati oculos intendunt, lachrymantes ſine ullâ reſponſione: Et ſi odoramenta jucunda fuerint admota, delectatione quâdam moveri intelliguntur, frequenter adducentes ſpiritum, hauriendæ exhalationis causâ. At ſi tetra odoramenta fuerint admota, recuſare videntur ac fugere. Item dulcia atque amara ori admota, labiis vel linguæ illita, ſentiunt: non aliter ſi aliquâ fuerint punctione vexati, tentam manum ſubitò replicant vel colligunt. Item laceſſiti collugent, ingemunt, atteſtante vultûs rubore, cum pulſû magnô, & vehementibus ac fortioribus ſaltibus confectô. In declinatione verò plurimus ſæpe ſudor ſequitur, & in dimiſſione limpidæ ſinceritati proximi efficiuntur (h. e. morbi veſtigia vix apparent) At rurſùm in acceſſionem ſi redeunt, peiorante paſſione plurimus fervor accedit cutis, & ſpiratio celerrima, oculorum converſio, manuum contractio, ſudoris ignei defluxio, maculis emergentibus in thoracem atque vultum. Ab apoplecticis hæc diſcernitur paſſio, quòd in ipſis parvus atque creber pulſus inveniatur, & non ut in catalepticis major atque percuſſibilis, & neque jucundum aut tetrum odorem accipiant, neque dulcia aut amara ſapiant. Item ab iis qui ex paſſione cardiaca obmuteſcunt; ſiquidem in his rurſùm pulſus parvus atque imbecillis invenitur, atteſtante ſingultû, cum manifeſtô tumore in ſtomachô apparente.

ſi tot diverſorum Entium oriuntur, quæ tamen reverà in illo Fruſtulo nullatenus diſtinguuntur, nec aliud ſunt, quàm ipſa illa Materia, pro variâ Organorum diſpoſitione diverſimodè me afficiens: v. g. eædem Particulæ Fruſtulum Corticis Aurantiorum contexentes, quatenus peculiari modo ſituatæ Lucem reflectunt, coloratæ nobis apparent; quatenus certo modo figuratæ Papillas Linguæ vel Membranam Narium afficiunt, ſapidæ & odoratæ ſunt; quatenus denique inæqualiter contextæ, multæ eminent, multæ depreſſæ ſunt, Scabritiem quandam ſeu Superficiei inæqualitatem Tactui repræſentant.

Modus ergò quo Objectum Senſile afficit Organon Senſationis, non fit per talem Qualitatis ex Objecto emanantis in Organo receptionem, ut *Facultas Sentiens* (hujus Qualitatis quaſi intuitu) ſentiat, ſed fit *per certum Motum*, in quem Inſtrumentum Sensûs proximum cietur, eumque varium pro diversâ Objecti materiali texturâ, & hinc aliâ atque aliâ ad Organum movendum aptitudine; & in hac Organi Motione formaliter Senſus Externus, ſeu Impreſſio ab Objecto in Organo facta conſiſtit. Conſtant autem Senſuum Organa variis & diſtinctis Partibus, ita tamen ſubordinatis, ut una ſit primaria, & cujus per Objectum Externum Motione fit Senſatio Externa, & hæc ſemper ſolet eſſe *Nervus*, cujus Filamenta nunc in Membranam expanſa, nunc in Capitula papillaria ſunt conglobata, reliquis Partibus ſaltem certum uſum, eumque varium, habentibus.

# CAPUT I.

## *De Viſus Læſionibus.*

OMnes *Senſus Externi quinario numero* rectè comprehenduntur, quos inter eminet *Viſus*, nobiliſſimus præ omnibus reliquis, cujus *Objectum eſt Lux*, primariò Solis & Ignis, & inde diffuſum in orbem *Lumen*, quod nihil aliud eſt, quàm Ignis rarefactus. Lumen tale vel immediatè in rectâ lineâ, vel mediatè, mediante nempe, à Corporis Opaci ſuperficie, Reflexione tali, tranſit per Tunicam Oculi Corneam & Humorem Cryſtallinum, donec impingat in Tunicam Retinam ſeu expanſionem Filamentorum Nervi Optici, ubi talem facit Motionem ſeu Impreſſionem, quæ ad Cerebrum uſque continuata à nobis dicitur *Viſio*.

Eſt ſcilicet Oculus reverà Camera obſcura Opticorum, in quo Humor Cryſtallinus eſt Vitrum lenticulare, in quo ut plurimùm fieri ſolet Decuſſatio Radiorum luminoſorum, donec impingant in Tunicam Retinam, ubi Objectum Externum exactiſſimè, inverſo licèt ſitu, repræſentatur, & prout hi Interſectionis Anguli majores vel minores, etiam Res viſa major vel minor in Tunicâ Retinâ depingitur, & conſequenter ita judicatur.

Quacunque ratione *Radii luminoſi* ad Oculum deveniant, pro Medii, per quod tranſeunt, diverſitate, vel rarioris vel ſpiſſioris, *refringuntur* diverſimodè, unde Res non præcisè in eo loco, in quo reverà exiſtit, apparet, nam Radii tranſeundo ex Medio rariori in denſius, ex Aëre in Aquam, refringuntur ad perpendicularem, tranſeundo verò ex denſiori in rarius, ex Aquâ in Aërem, refringuntur à perpendiculari.

Quòd ſi Radii iſti luminoſi, qui ſunt ſubtiliſſima & tenuiſſima quædam Materia, ſub ſuâ in orbem diffuſione impingant in Corpora Opaca, *reſiliunt* propter denegatum tranſitum, plùs minùs exactè ad eos Angulos, ad quos inciderant, ita ut Incidentiæ & Reflexionis Anguli perpetuò ſint æquales: id quod in omnibus Speculis Concavis manifeſtum eſt, quando ex Radiorum reflexorum in uno puncto concurſu *Vis Cauſtica* emergit.

*Corpus Opacum*, à quo reflectuntur Radii, eſt vel *Politum*, vel ex particularum in ſuperficie inæquali ſitu *Aſperum*: Unde Radios eodem ferè modo atque incidunt reflectit, & ſic tale Corpus ſecundariò quaſi Luminoſum, *ſplendere* dicitur: Hoc verò Radios intra iſtas inæqualitates Superficiei ſeu porulos & meatulos plùs minùs partim abſcondit, & ita cum Umbris miſcet, partim verò certâ ratione, plùs minùs tamen, à primitivâ figurâ mutatos, ad Oculum reflectit; unde taliter modificatum Lumen *Color* dicitur.

Ita ut *Color* nihil aliud ſit, quàm *Luminis pro Corporis Opaci diversâ in Superficie texturâ Modificatio, & modificati ad Oculum reflexio*; Unde Colores ex Luce & Umbrâ oriri non ineptè dicuntur. Hinc prout textura Particularum Concreti mutatur imprimis per Solutiones & Præcipitationes, immutantur Colores, dum v. gr. Solutio Vitrioli perſpicua, cum Decocto Gallarum tantillum flaveſcente permiſta, Atramentum conſtituit: de qua Colorum geneſi vid. Boyle *Tr. de Coloribus*.

*Viſus hic læditur quatuor Modis.*

I. Quando penitus *aboletur*, ut in *Cæcitate*; aut

II. Quando ſaltem *imminuitur*, ut in *Visûs Hebetudine* variâ, quæ propriè eſt, quando Objecta remota obſcurè, aut Objecta minuta, licèt propinqua, difficulter, & non niſi magna etiam Objecta, in diſtantiâ non adeò remotâ, clarè & diſtinctè cernuntur.

Quô etiam pertinet *Nyctalopia*, id eſt iſtud vitium, quando Homines interdiù rectè, veſperi parum, noctu etiam accenſis candelis nihil videre poſſunt.

Vitia hæc aboliti aut imminuti Visûs fiunt, quando unum alterumve illorum requiſitorum ad Viſum ritè peragendum plùs minùs deficit. Ad *naturale autem Visûs exercitium* neceſſe eſt:

(1) Ut Radii poſſint ritè per Foramen Pupillæ & per Corneam tranſire, adeoque *Pupilla* pateat.

(2) Ut ipſa *Cornea*, Pupillæ Foramen obducens, ſatis perſpicua & exactiſſimè tranſlucida ſit.

(3) Ut poſt hanc tres *Humores Oculi* reliqui, ſpeciatim Cryſtallinus, in quo fit Specierum decuſſatio, ſatis ſint puri, & abſque ullo Excremento heterogeneo perſpicui & puri.

(4) Ut expanſio Nervi Optici, *Tunicam Retinam* efformans, tenſa, fortiter expanſa, ac à Spiritibus Animalibus debitè imprægnata ſit, quò vel leniſſimo Luminis, aut puri, aut colorati, impulſu moveri, & ſic per Spirituum Animalium Motum firmati Viſio fieri queat.

III. *Depravatur* Viſus, idque variè.

(1) Quando *Res vel dexterior, vel ſiniſterior*, quàm eſt; item *Res una apparet duplex*: id quod fit ex diviſo Pupillæ ſitu, & ex diverſo ſitu Humoris Cryſtallini; quâdo nempe v. g.

in iis, qui Strabiſmo laborant, in quibus Res omnis apparet geminata propter diviſam Pupillam; ſiquidem hic mutantur planè Oculi, quibus mutatis etiam Axes viſivi moventur; ſic etiam fit propter diverſum ſitum Humoris Cryſtallini, ſi in uno loco magis ſuperiora versùs, in altero versùs inferiora & ſimiliter pergat, Viſus geminatur, & Res geminata apparet.

(2) Quando *Res integræ dimidiatæ* apparent, ex Re extraneâ dimidium Pupillæ occupante.

(3) Quando Res videtur perforata, dum Pupilla à Materiâ opacâ in aliquo ſui loco obſcuratur, ſeu quando Tunica Cornea à Materiâ heterogeneâ incruſtatur, ut Foramen Pupillæ non ubique in Circulo ſit pervium & perſpicuum: Unde in quocumque loco eſt impedimentum, vitium in Objecto judicatur: Sic ſi eſt in medio, Res in medio perforata apparet; ſi in ſuperiori vel inferiore Pupillæ regione, Res alterâ ſuâ parte truncata videtur; ſi per medium ſui ſit obtecta, Res dimidia apparet.

(4) *Depravatur* Viſus, quando *Res videntur apparere, quæ non ſunt*; v. g. quando Splendores, Coruſcationes & Scintillationes Latinis, Hippocrati verò *Marmarygæ* dictæ, ante Oculos veſperi videntur; item quando Flocculi, Muſcæ, Filamenta, Feſtucæ, Pulviſculi & ſimilia ante Oculos verſantur.

*Prius* fit ex Motu Convulſivo inſigni Fibrarum Tunicæ Retinæ præternaturali, ſimili iſti Motui, in quem citantur ab Objectis Externis & Radiis viſivis: propter ſimilem enim Motum internè excitatum, fit idem judicium quaſi tales Colores ante Oculos verſentur. *Poſterius* vitium eſt, in Humore Aqueo, in quo collectæ ſunt quædam Sordes; nempe in varias figuras extenſæ, faciunt ut talia Objecta videantur ante Oculos verſari; & ſolent eſſe prodromi Suffuſionis talia Filamenta.

Pertinet huc *duplex* illa *Visûs læſio*.

(1) Quando *Objecta remota optimè, proxima verò* vel omninò non, vel *difficillimè videntur*, & vocatur *Senum Viſio*. Fit quando Cryſtallinus Humor poſteriora versùs propiùs ad Tunicam Retinam recedit; quod interdum Senibus quibuſdam, item Literatis accidit. Huic

(2) Contrarium vitium eſt, quando interdum *propinqua* ſeu potiùs admota, etiam minutiſſima, *acutè & benè videmus, paulò remotiora vero difficulter*, aut planè non, qui Affectus vocatur *Myopia*. Fit quando Humor Cryſtallinus magis anteriora versùs tendit, & magis in anterioribus Radiorum viſivorum ſit Interſectio.

IV. Denique vitiatur Viſio, quando eadem quaſi videtur *augeri*: quod fit, quando Objecta etiam naturaliter conſtituta, vel nimis *colorata*, & nimis *ſplendida ac lucida* apparent, ita ut Viſus omnibus quaſi majorem gradum tribuat, & Objectum Visûs intenſius reddatur: unde fieri ſolet, ut talis Viſio non abſque moleſtiâ aut dolore & Oculorum læſione percipiatur; verbi gratiâ, quando Oculus Inflammatione laborat, aut quando Oculi ex Percuſſione non nihil tument; tunc enim levis Candelæ Splendor inſtar Luminis Solis intenſus ac nimis lucidus apparet. Cauſa eſt: quando Partes Oculorum membranoſæ ſunt non-nihil læſæ, ex quacunque fiat Causâ, in ſpecie Tunica Retina; unde factâ Irritatione fit admodùm mobilis: hinc etiam ordinaria Objecta impingentia in Tunicam Retinam, eandem nimis movent, & ſic ex Impreſſione tunc fortiore graduatâ, Objecta nimis colorata, aut quaſi ſplendida apparent.

Pertinet huc ille Affectus, quando quidam *noctu cernunt*, quorum quædam leguntur Exempla, utut talis Viſio nocturna non ſit continua, ſed tantùm, quando evigilant, vident, quod tamen Visûs acumen pedetentim imminuitur & tollitur.

Hæc *in genere* de Visûs læſionibus: *In ſpecie* jam conſiderabimus *Affectus Oculorum* frequentiores, & quidem eo ordine, quo Radii viſivi, à quibus primariò dependet Viſio, Oculi Membranas & Humores trajicere ſolent.

## ARTICULUS I.

### *De Viſu Abolito.*

### MEMBRUM I.

### *De Impedito Radiorum Viſualium per Pupillam Ingreſſu.*

### *PUNCTUM I.*

### *De Palpebrarum Paralyſi.*

UT ergò dictum ordinem obſervemus, neceſſe eſt priùs, ut Oculi Palpebræ pateant, adeoque Oculi aperti ſint. Vitiatur hoc in *Paralyſi Palpebrarum* undecumque natâ, quæ, dum attolli nequeunt, Oculum obſtinatè claudunt.

### CURA.

In hoc caſu convenit Emplaſtrum ex Tacamahacâ, & Carannâ in regione Frontis infimâ applicatum; vel Oleum deſtillatum Tartari nigrum cum paucâ Cerâ in formâ Emplaſtri admoveatur: Conf. M. A. N. C. *Ann.* 4. *Obſervat.* 210. *pag.* 296. Vel imitemur Zacutum Luſitanum *lib.* 1. *Prax. Admir. Obſervat.* 56. cui in Paralyſi Palpebræ poſt multa fruſtrà tentata ex uſu fuit Unguentum ex Balſamo Peruviano, cum Aquâ Vitæ commiſtum.

### *PUNCTUM II.*

### *De Ungue ſeu Panno Oculi.*

INgreſſus Radiorum per Pupillam impeditur propter *Corneæ perſpicuitatem* ablatam: quod fit in ſpecie ob *Tunicam* quandam præternaturalem, ab uno Oculi Angulo, & ut plurimùm à Cantho majore circa Naſum, frequentiùs enatam; quæ ipſa ſucceſſivè accreſcendo tandem ad Pupillam pervenit, & Corneam obtegit, qua obtectione Oculi feneſtra, foramen Pupillæ, foras clauditur, & nullus Radio viſivo luminoſo tranſitus conceditur. Græcis Malum id dicitur πτερύγιον, quaſi dicere velint *Alam*, quoniam inſtar Alæ obtegit Pupillam; Latinis verò *Ungula* ſeu *Unguis* aut *Pannus* appellatur.

*Tunica* hæc non ſemper uniformis exiſtit, ſed habet ſuas *Differentias*, nunc eſt *Plana*, nunc *Tenuis*, & *Albida* circa Solem & Lunam apparere ſolet, & propriè *Tunica* appellatur & *Unguicula*: interdum verò eſt *Craſſior* & *Carnoſior*, veſtigiis rubicundis Venularum & Arteriarum non nihil conſperſa, & tunc alio nomine dicitur *Pannus*, Germanis *ein Fel uber dem Auge* nuncupatur.

CAU-

## CAUSÆ.

*Causa* hujus Tunicæ est eadem cum reliquorum locorum Nerveorum Excrescentiis in Corpore: Nerveæ enim partes propriè saltem crescunt & excrescunt, quibus Sanguineæ portiones demum accrescunt, quod in Chirurgiâ ad peculiare *Caput de Excrescentiis* pertinet. Præcedit nempe semper aliqualis læsio Carnis istius, hoc est, *Glandulæ in Oculi Angulo sitæ*, unà cum aliquali læsione *Membranæ Adnatæ* illius loci, talis quidem, ut dissolvatur continuitas Carnis in isto Angulo, unde successivè Membranæ dictæ accrescit. *Modus* est hic: quando in Ophthalmia, v. g. Variolis seu aliis similibus nocumentis, Lacrymæ salino-acidæ aut acres Carnem in Angulo majore sitam non nihil arrodunt, hujusque simul Membranam Oculi Adnatam lædunt, occasione subtilissimæ saltem talis Erosionis, Nutrimentum Glandulæ istius in Angulo majore, & imprimis Nutrimentum istud Membranæ Adnatæ proprium, utrumque chylosum, per Porulos, ubi fit subtilissima Corrosio, dum non ampliùs à Tono Fibrarum læsarum coërcetur, successivè transudat & foras emanat, secundùm Membranæ læsæ determinationem ab illius Spiritu Insito pariter in Concretum ejusmodi membraneum coagulatur & ita successivè augetur, & juxta Oculi extensionem, ubicumque spatium invenerit se applicat, & ita continuato augmento in tantum accrescit, donec integer Oculus obtegatur.

Prout igitur ratione Læsionis Nutrimentum istarum partium læsarum, & in Membranam coagulatum, nunc plùs nunc minùs degenerat à statu naturali, & Acido præternaturali imprægnatum est, etiam *Tunicarum diversitas* oritur; ut alia dicatur nunc *Simplex* & *Benigna*; alia verò *Maligna*, & plùs minùs *Cancerosa*: *Hæc* quidem, quando Pannus est non nihil lividus, nigricans & dolorosus: quin imò prout antecedens Læsio Membranæ & Glandulæ in Angulo majore fuerit major vel minor, ita ut etiam minutissima Vascula Sanguifera simul læserit, ut hinc & Sanguis cum Nutrimento transudans sese admiscеat & suo motu Vascula nova, antiquis unà excrescentibus, continuò efformet, & Vasis Sanguiferis respersus Pannus hic generari solet: *Benigna* verò est, si Pannus est candidus, clarus, tenuis, nec adeò crassus & indolens; quando enim est nimis crassa aspera, obscura & dolorosa, tunc talis Pannus est Cancerosus.

## DIAGNOSIS.

Quod attinet *Signa*: Malum hoc per se Oculis patet. Conditiones Unguis vel Tunicæ Adnatæ ejus naturam repræsentant. Tunica enim alba, indolens & tensa, est naturalissima; sin verò sit crassa, dura, nigricans & non nihil dolorosa, Unguis est periculosus, nempe Cancerosus, prout Nutrimentum fuerit magis vel minùs corruptum.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Unguis hic aggravescens, Pupillam obtegendo, tandem *Cæcitatem* infert. Malum recens uti facilè Medicamentis curatur, ita *inveteratum* difficulter, & vix sine Chirurgo potest removeri: neque hoc fit facilè, quia nimis pertinaciter adhæret.

Si Tunica est *Cancerosa*, non attingenda, ne exasperetur, quia curato minore Malo, majus succedit, & subinde in Cancrum exulceratum degenerat.

Si cum Panno incipiente observetur, quòd simul adsit principium quoddam *Suffusionis* in Oculo, uti fit post Variolas, Tunica hæc non attingatur, sublato enim Ungue Suffusio citiùs perficitur.

## CURA.

Ante *Curam* Specialem, in genere, *quæ in Oculorum Curationibus observanda sunt*, præmittam.

I. Oculi, cùm partes sint perquàm sensibiles, adeòque facilè irritabiles, ac texturæ admodùm delicatæ, minimè fortia, sed levia, ac quantum possibile, *Temperata*, minusque acria ferunt Remedia. Conf. Forestus *lib.* 2. *Obs.* 17. *in schol.*

II. Inter Interna Ophthalmica in Oculorum Affectibus felicissimè exhibetur *Decoctum Sassafras*; *longâ enim Experientiâ didici plurimum facere in Oculorum Malis à Causâ frigidâ & humidâ provenientibus*, dicit Ferdinandus *Histor.* 51. Hinc *Fœniculum*, & omnia inde parata, item *Euphrasia*, ac similia internè conducunt. Facit huc *Vinum Ophthalmicum* egregium descriptum in *M. A. N. C. Ann.* 6. *App. pag.* 71.

III. *Vinum* aliàs in Oculorum Morbis non semper æquè convenit, præsertim si cum Phlogosi aut Lacrymarum acrium influxu juncti sint, aut ab acrimoniâ Humorum ortum duxerint: interdum tamen, ubi opus est discussione, resolutione & attenuatione adhiberi potest. Conf. Borellus *Cent.* 1. *Obs.* 77.

IV. *Frigida nimis* Oculis admota iisdem perquàm nociva sunt; sicut etiam *Fervida & Calida nimis* admota, iidem ferre minùs possunt. Temperata ergò & Tepida ut plurimùm sint, quæ Oculis admovenda veniunt.

V. Ex *Acidularum* usu Oculi primò lædi videntur, cùm tamen solummodò repurgentur, & confestim clarescant. Scio equidem quosdam ex Acidularum Potu quasi occæcatos fuisse, qui tamen secundâ vel tertiâ die longè, quàm anteà habebant, clariorem lucidioremque Visum sunt adepti: protruduntur nempe ex Oculis Fæces & Purulentiæ quædam per Angulum Lacrymalem. Conf. Mindererus *de Vitriolo cap.* 11.

VI. *Alcalia* ergò & his cognata sunt optima Remedia, ac Oculis imprimis proficua: hinc Aquæ ex Cancris tantillum putrescentibus destillatæ, item Aquæ Ophthalmicæ *Mynsichti* ex Cancris & Chelidonio majori. Facit huc polychrestus Liquor, nempe ex Floribus Cyani aut Cichorii, per deliquium in Furno pistorio paratus (vid. Sennertus & Hartmannus) in quamplurimis Oculorum Affectibus convenit: item Sperma Ranarum, de quo & exinde paratis Aquis Ophthalmicis vid. M. A. N. C. *Ann.* 6. *Append. pag.* 83. Hinc ablutio Oculorum cum Lotio proprio matutino multum iisdem conferre solet: Conf. Bartholini *Act. Med. Hafniens. Volum.* 2. *pag.* 252. Item Phlegma ex Urinæ & Vitrioli destillatione in Aquâ Epilepticâ *Quercetani*, item Phlegma Spiritûs Urinæ per putrefactionem parati, egregia sunt; Unde etiam Aqua Stercoris humani destillata ad Oculorum Affectus multùm est commendata: Hinc Quercetanus magnifacit sequentem Aquam:

℞. *Urinæ Pueror.*
*Vitrioli albi*,
*Tutiæ* an. ℥iv.
*Succ. Chelid.* ℔ij.

Stent in digestione per aliquot dies & noctes, postea destillentur & asserventur.

Tutiæ tamen frustraneam additionem arbitror.

Alii

℞. *Rad. Chelidon. m. j.*
*Valerian.* an. ℔j.
*Herb. Rutæ,*
*Siler. mont.*
*Euphrag.* an. M. iv.
*Sem. Aniſi.*
*Fœnic.*
*Leviſt.* an. ℥ij.
*Flor. Calend.*
*Roſar.*
*Borrag.*
*Conſol. maj.* an. M. iv.
*Cancror. fluv.* No. xv.

Omnia incîde minutiſſimè, & ſuperfunde

*Phlegm. Vitrioli,*
*Succ. Chelid.* an. q. ſ.

Digerantur per menſem: poſteà deſtillentur, & in Alembico ponatur

*Camph.* ʒj.

Liquor prolatus dividatur in duas partes æquales: Una pars per ſe aſſervetur; alteri parti infundantur

*Croci metall.* ʒij.

Stent ita per duas horas, poſteà filtretur, & reſervetur uſui.

*Aqua Ocularis* Hartmanno familiaris fuit talis:

℞. *Aquæ Fœnic.*
*Aniſi* an. ℔j.

In quibus ſolve

*Vitrioli alb. purif.* ʒß.

Ac poſteà *Rad. Enulæ Campanæ pulveriſatam* cum iiſdem digere: tandem Colatura in Vitro mundo ſervetur.

Valet ad Unguem, Albuginem, Cicatricem, Maculam, item ad Rubedinem & Caliginem & quamplurima Oculorum vitia.

Vel

℞. *Aquæ Flor. Calcatr.*
*Cyani,*
*Solani* an. ℥j.
*Vitrioli albi* ϑß. ad gr. xii.

Solutio filtretur per chartam:

adde

*Tutiæ præp.* ʒß.

Applicetur tepidè cum Linteolis, vel inſtilletur Canthis, eſt optimum in Ophthalmiâ.

Extat etiam in Thoneri *Obſ. pag.* 116. Ad ℥j. *Aquæ* ſufficiunt *Vitrioli* gr. iij.

Denique Remedium pro Affectibus Oculorum *inæſtimabile* vocatur Lindano *Miſtura* iſta, quam habet Hartmannus *Prax. Chymiatr. c.* 43. §. 3. *pag.* 304. qua ſe in quamplurimis Oculorum Affectibus cum feliciſſimo ſucceſſu uſum fuiſſe, refert.

VII. Optimus *utendi Modus* hujuſmodi Collyriis Humidis eſt iſte, ut Æger vel in dorſo decumbat, vel ſtans aut ſedens Caput probè retineat, ut uterque Oculus perpendiculariter Cœlum versùs tendat, & ita guttatim Liquor aliquoties in die inſtilletur in Canthum Oculi majorem; hinc Oculus tegatur, ut ita Liquor undique per Oculi peripheriam externam diffundi queat; ſic enim paucæ guttulæ plus commodi habebunt ex binâ tali applicatione, quàm ſi decies drachmâ unâ Corpore erecto Oculi ſaltem abſtergantur.

VIII. In quibuſvis verò Oculorum vitiis *Veſicatoria* & *Fonticuli*, ſunt optimi: Veſicatoria quidem in Nuchâ aut ponè Aures in Morbis recentibus adhuc increſcentibus ſunt optima: Fonticuli verò in Collo & hinc in Brachio ad eoſdem inveteratos, & jam in ſtatu perfecto conſtitutos, admodùm proficui obſervantur: ſicut etiam moderatus *Errhinorum* uſus iiſdem multum conferre ſolet. Conf. Bartholini *Acta Med. Haffn. Vol.* 2. *pag.* 64. & *Vol.* 3. *pag.* 21.

In ſpecie autem in *Unguis Oculi Curâ* Tunica hæc præternaturalis ante omnia eſt removenda, aut *Medicamentis Abſtergentibus* & ſubtili acrimoniâ blandè erodentibus & reſolventibus, aut *operâ Manuum chirurgicâ* ſucceſſivè cum Acu detrahatur, vel cum Inſtrumento ſeparetur. Hinc remotâ Tunicâ, blandè *Adſtringentibus* Fibræ ac hinc Poruli circa radicem Partis læſæ claudendi & firmandi ſunt, ne revertatur denuò Malum.

Pro his ergò Scopis obtinendis, *pro removendo hoc Ungue* conveniunt Saccharum candum, Mel, Os Sepiæ, Cornu Cervi uſtum, Teſtæ Ovorum calcinatæ, aut Teſtæ in Aceto acerrimo ſolutæ, ſiccatæ, & in ſubtiliſſimum Pulverem redactæ, qui Pulveres Oculis inſperguntur, & ſimilia blandè abſtergentia ſubtiliter erodentia & detergentia *Unguenta*, item *Collyria* extrinſecùs applicanda, quæ inter uſitata eſt *Aqua Ophthalmica Quercetani* blandè detergens.

℞. *Aquæ Euphraſ.*
*Chelidon. maj.*
*Fœnic.* ana ℥j.
*Croci Metallor.* vel *Vitri Antimonii* (quorum loco etiam optimè *Butyrum Antimonii* recipi poteſt) ϑj.

Stent per aliquot ſeptimanas loco calido; filtretur & uſurpetur.

Experta eſt in Ungue non adeò inveterato, & calidè inſtilletur: Frigida enim maximè Oculis nocent.

Vel

℞. *Vitr. Antimonii pulveriſ.* ϑß. ad gr. xv. infunde in
*Aquæ Flor. Cyani,*
*Euphraſ.*
*Fœnic.* ana ℥j.

ſtent in loco calido per noctem, mane filtra, & adde

*Camph.* gr. vj.

M. S.

Collyrium.

Hujus aliquot guttæ inſtillandæ ſunt Oculo, Ægro ſupinatim jacente, & hoc interdum repetendum, prout opus fuerit. His ſi addatur ſimul parum Camphoræ & Croci, ut meliùs penetrent, conveniunt etiam in Suffuſione ſive Cataractâ:

℞. *Salis Gemm.* ʒj.
diſſolve in
*Aquæ Roſar.*
*Fœnic.* ana ℥j.
M. pro Collyrio.
D. S. ut antè.

Quo attingatur Pannus cum Pennâ, vel gutta una vel altera immittatur in Oculum ſuper Unguem. In ſpecie conveniunt *Fella Piſcium*, ſpeciatim Fel Muſtelæ & Lucii piſcis, hujuſque *Aqua deſtillata*, item hujus *Eſſentia*, mirè conveniunt in reſolvendâ hâc Tunicâ, in extimo Oculi adnatâ. Præparandi modum videb. in Sennerto *Pr. lib.* 1. *ubi de Vitiis Oculorum pag.* 796. item in Hartmanni *Praxi Chym. cap.* 39. *pag.* 99.

Vel in hujus defectu, dum non ſemper poteſt eſſe ad manum,

℞. *Aquæ Leucoii bulboſi* vel *Sperm. Ranar.* ℥ß. ad ℥ij.
*Fell. Lucii piſc.* ʒj.

Miſta ſtent in loco calido per noctem; mane filtrentur, & ita inſtar Collyrii applicentur.

D. S.

D. S.

Aqua singularis.

Loco hujus Fellis Lucii Secretum Burrhi in his casibus est *Fel humanum* destillatum ex Cucurbitâ vitreâ humili per Alembicum æneum seu cupreum, uti videre potestis in *ejus Epist. ad* Bartholinum *de Humoribus Oculorum restituendis p.* 55. Aliàs ex *Stercore Anserum juniorum*, mense Aprili collecto, etiam Aqua per Alembicum destillatur egregia, quæ olim dicitur fuisse usitata *Maximiliano Imperatori* ad obscuritatem Visûs, Tunicas Oculorum detergendas & alia Oculorum vitia, imprimis si superficies Oculi post Variolas læsa sit. Si pertinacior fuerit Pannus, ad *Aquam Sapphiream Chirurgorum* progrediendum, quam videbitis descriptam in Schroederi *Part.* 2. *Pharmacop. cap.* 29. *de Aquis*, mox post Aquas destillatas, *num.* 5. *pag.* 151. Nempe

℞. *Vas Æneum*,
cui injiciatur
*Aquæ Calcis vivæ* cum *Aquâ Calcatr.*
par. ℔ß.
*Sal. Ammoniaci* ʒß.
Relinquantur donec coloretur.

Vel extemporè recipi potest *Aqua Fœniculi* vel *Chelidonii majoris*, & in eâ solvi *Sal. Ammoniaci* tantillum, ut moderatissimè Linguam feriat, infundendo in *Pelvim æneam*, donec coloretur; sic variè dilui, & ita ejus acrimonia pro lubitu infringi potest: filtretur & sic Oculis instilletur. Optimum est in detergendo Ungue, Albugine, Maculis à Variolis relictis, & Ulceribus Oculorum. Conf. Tachenius *Hippocr. Chym. Edit.* 2. *pag.* 11. item Riverius *Centur.* 3. *Obs.* 45. item *Collegium in Schrœderi Pharmac. Part.* 2. *Idem Formular. Class.* 4. §. 19. Ulteriùs de Chelidonio majori nota est ejusdem egregia vis ophthalmica; unde ipse Succus ejus expressus, dilutus cum *Rore Fœniculo* insidente, & matutino tempore collecto, vel cum Aquâ Euphrasiæ aut aliâ appropriatâ, præstans est Collyrium, quod absumit Tunicas & Pannos Oculorum, illitum aut instillatum.

Præter dicta etiam *Pulveres* quidam in formâ siccâ Oculis insufflentur, aut diluti cum Aquis, applicari possunt. *Vitriolum album* etiam est egregium, quod laudat Poterius. Imprimis observatu digna est ejus Curatio Ungulæ Oculi post gravem Ophthalmiam relictæ, *lib.* 2. *cap.* 8. contra Inflammationem & Dolorem.

℞. *Vitrioli Cypr.* ʒj.
*Tutiæ præpar.*
*Sacch. candi*,
*Collyr. albi Rhas.* an. ʒiv.
*Camph.* gr. vj.
*Aquæ Verben.*
*Flor. Euphras.*
*Rosar.* an. ℥iv.
Misc. pro Collyrio:

Quo Inflammatio & Inflatio curata fuit. Hinc pro Ungulâ, tunc apparente, removendâ:

℞. *Oss. Sepiæ* ʒj.
*Sacch. candi* ʒj.
*Vitrioli alb.* ʒß.
*Tutiæ præp.* ʒß.
Misc. in formâ Pulveris subtilissimi, qui vocatur Sief:

S.

Pulvis ad Oculos.

Inspergendus vel potius insufflandus in Oculum, applicando desuper Linteum Aquâ Florum Cyani vel Chelidonii majoris imbibitum; & Pulvere hôc, quem ex Poterio suppresso Autoris nomine abstulit Riverius *Pr. lib.* 2. *cap.* 18. *pag.* 184. optimè detersit Ungulam, eamque absumpsit;

Vel adde huic Pulveri:
*Aquæ Chelidon.*
*Calcatripp.* an. ʒj.
Misc. probè & agita.
D. S.

Collyrium.

Beneficio cujus Unguis Oculi aliquando perfectè fuit curatus.

℞. *Vitrioli albi* ʒj.
*Aquæ Fœnic.* vel *Chelid. maj.*
*Euphras.* an. ℥iij.
M. S. ut suprà.

Ad Pelles Oculorum, pro Pueris in specie, convenit Pondus Vitrioli, quod est augendum vel minuendum pro tolerantiâ Ægri. Sanè Vitriolum album aliis permistum blandè detergit, & Excrescentias istas præternaturales absumit.

Facit huc Collyrium Lotichii *in Obs. pag.* 208. quo Unguem seu Pannum secundùm Lunæ motum nunc accrescentem nunc decrescentem delevit:

℞. *Aquæ Rosar.*
*Euphras.*
*Fœnicul.* an. q. v.

In dictis Aquis misce sequentem Pulverem, quæ Mistura cum Plumâ Tunicæ illinatur, cavendo Pupillam, ne acrimonia Vitrioli eandem exasperet:

℞. *Lap. Hæmatit.* ʒß.
*Vitrioli alb. leviter calc.* gr. xv.
*Myrrhæ*,
*Croci* an. gr. v.
*Sacc. cand. alb.* ʒj.
M. in formâ Pulveris subtilissimi, cum Aquâ suprà dictâ vel aliâ appropriatâ subigendi; & sic cum Plumâ Pterygio illinatur, cavendo Pupillam.

Facit huc etiam Aqua Ophthalmica familiaris *Hartmanni*, utilis ad Ungues, Maculas & Albugines Oculorum, ad Cicatrices & similia vitia, quam suprà dedi.

Tandem aliis irritis in Malo pertinaciori ad *Mercurium sublimatum* tutò confugiendum est, imitando hoc in puncto Plempium *in Ophthalmogr.* qui ceu Secretum mirabile & expertum in Puellâ, quæ per aliquot annos ex Ungue Oculorum fuerat cæca, laudat.

Nempe

℞. *Mercurii Sublimati* gr. v. vj. usque ad ʒß. Dissolvantur in ℥iij. ad ℔ß. *Aquarum Ophthalmicarum*, e. g.
*Aquæ Rosar.* vel *Chelidon.*
*Euphras.*
*Fœnic.* an. ʒj. ad ℥ij.
Misce & filtra,
D. S.

Collyrium Clarificans.

Et de tali Misturâ & solutione omni mane, item vesperi, gutt. j. vel ij. infundantur Oculo in loco Panni, donec removeatur, & sic sensim absumitur Ungula: quin etiam curabuntur hoc pacto Suffusiones, Germ. *die Staare*, de quibus postmodùm.

De cætero, si aliquid est, quod confert ad delendas Oculorum Membranas & Tunicas, est sanè *Succus Formicarum rubrarum*, in Arboribus resiniferis habitantium, expressus, qui per Pannum depuratus, & ita vel crudus, vel cum Aquâ appropriatâ dilutus, Oculo instillatus, removet has Tunicas. Quô pertinent etiam Rulandi duæ *Aquæ Ophthalmicæ* mirabiles, quarum una parata ex Formicis artificialibus, & altera Aqua Ophthal-

mica ex infusione Vitri Antimonii, quæ *vid. in ejus Remed.* & sunt stupendæ in quibuscunque ferè Oculorum Vitiis.

Superiùs locutus sum de Felle Lucii piscis: ceu Experimentum commendantur omnia *Exta Lucii piscis* cum Felle, Hepate & omnibus reliquis Visceribus, quæ dissecta in minutas partes, adjecto M. j. *Herbæ Fœniculi, ejusque Seminis* contusi, & conquassati, & ita destillentur. Liquor, qui prodit, utilis est ad absumendos Pannos & Oculorum Tunicas.

Quòd si delicatius sit Subjectum, aut sint Pueri hoc Malo correpti, qui non possunt ferre acriuscula, & qui lacrymantur, aut Tunica sit recens, adeoque nondum inveterata aut tenax, in tali casu sufficit *Mel* illitum Pelvi æneæ, & suppositis Carbonibus ignitis lentè calefiat Pelvis, donec Mel lenem viriditatem contraxerit, corroditur sic Pelvis à Melle.

Tunc isto Melle calido in loco Tunicæ blandè illinatur Oculus, donec deleatur Tunica. Fuit Experimentum Foresti *lib.* 1. *Obs.* 7. *in Scholio.*

## MEMBRUM II.

### *De Tunicæ Corneæ Vitiis.*

HActenus de impedito Radiorum visualium ingressu per Pupillam. Sed præter hunc etiam evenit sæpè, ut *pars Corneæ perspicua*, foramini Pupillæ obtensa, Visum obscuret, quando *crassescit* aut vitiosum *Colorem* contrahit: dum enim obscuratur aut crassescit, Radios impedit; aut si penetrent, omnia vitiosum Colorem repræsentant. Fit hoc imprimis in *Leucomate* seu *Albugine*, quæ est Macula alba in Corneâ, ob quam Visio læditur.

### *PUNCTUM I.*

### *De Nubecula, Albugine, & Suggillatione.*

### CAUSÆ.

*Vitium prius* fit, quando in Nutritione Corneæ perspicuæ vitiatâ Alimentum chylosum, Seri subtilioris vehiculo distributum, successivè non nihil crassius & viscidius suggeritur; hinc tollitur politura & Pororum æqualis situs in Corneâ, unde fit, ut obscuratâ non nihil Corneâ Ægris omnia obscura & quasi per Nubeculam appareant; imò si densior fuerit hæc Cornea, planè Visus pereat; unde vitium hoc Latinis communiter *Nubecula Oculi* appellatur, propter quam impeditur Radiorum transitus.

*Vitium secundum* fit, quando *Cicatricula* ab aliquâ Erosione vel Læsione consolidatâ Tunicæ Corneæ, v. g. in Variolis, aut in ejus Ulcusculis, aut post ejus Vulnus, remanet. Talis enim Cicatricula, non secus ac aliæ Cicatrices, cum crassior sit ac spissior, minùsque polita, quàm reliqua Corneæ pars, Albedinem repræsentat, quæ non ritè permittit transitus Radiorum visualium, tuncque *Albugo* seu *Leucoma* specialiter appellatur.

*Vitium tertium* fit, quando post Ictum vel Casum, item post Plagas Oculo illatas, vel similes injurias externas, læduntur Vasa Oculorum, ex quibus effunditur *Sanguis, qui effusus & congrumatus*, si in albo Oculi seu Corneâ hæreat, ita vitiosos *Colores*, Cœruleum, Lividum & Sanguineum inducit, Visûsque impedimentum infert, quod malum *Suggillatio* Oculi dicitur.

### DIAGNOSIS.

*Signa* horum Malorum Oculis patent; Nam *Cicatrix* instar parvæ cujusdam Maculæ albæ apparere solet (unde etiam vocatur *Macula*): In *Nubeculâ* verò Cornea nonnihil albicans & spissa cernitur: Et in *Suggillatione* Color Cœruleus, Lividus, &c. etiam sponte patet.

*Causæ Antecedentes*, nempe Contusiones, Plagæ, &c. ex relatione Ægrorum patent.

### PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Vitia hæc Corneæ per se patent, &, in specie *Cicatrix*, difficillima sunt curatu, propter summam subtilitatem, simulque exquisitissimum sensum Corneæ Oculi Tunicæ, idque eò magis, quò crassior vel magis inveterata fuerit vel *Nubecula* vel *Cicatricula.*

*Suggillatio* verò, nisi sit nimia, facilè removeri potest. In Pueris tenellis, modò tractabiles sint, faciliùs potest abstergi Macula, & ipsa tenuis, quàm in Ætate consistente, ubi spissior & contumacior esse solet.

Post *Variolas*, Oculos infestantes, imprimis observetur, ut insequens Macula vel Cicatricula citò amoveatur, antequàm in perfectam abeat spissitudinem.

### CURA.

In *Curâ Nubeculæ* Materia crassa, inquinans perspicuitatem Tunicæ Corneæ, attenuanda, & discutienda aut removenda: *Leucomatis* Macula & *Cicatricula* abstergenda & detergenda. In *Suggillatione* Sanguis congrumatus resolvendus & discutiendus. Propterea in duobus prioribus conveniunt subtilia non nihil acria & fortiter penetrantia; mitiora quidem in Nubeculâ, fortiora in Cicatrice.

Pro Nubeculâ ergò & Cicatrice delendâ conveniunt sequentia *Remedia*: *Semen Hormini sylvestris* seu *Sclareæ*, Germ. *der Scharlach*, in incipiente Nubeculâ tempore Somni Oculo impositum purificat Oculum à sordibus, eumque abstergit, & multum in Macularum & Albuginis Curâ conducit: Vid. de hoc Riverius *in Praxi*, & etiam *in Observ.* Unde etiam ad Fomenta Oculorum hæc Semina & Folia adhiberi solent à Poterio, qui etiam Folia Hormini sylvestris in Oculorum Fomentis præscribit. Effectus hujus ratio est, quòd hoc Semen Oculis impositum à Lymphâ, Oculos continuò humectante, extrahatur in Mucilaginem, quæ istum effectum abstergendæ Albuginis præstat. Aqua Fellis bubuli destillata Cicatrices Oculorum delet: Aqua Ophthalmica *Imperatoris Maximiliani*, & *Quercetani*, nec non Fel Lucii piscis, Perdicis, Bovis, &c. cum Aquâ Spermatis Ranarum temperatum, vel eorum Aquæ destillatæ, item Essentiæ. Forestus *in lib.* 11. *Observ.* 29. habet Exemplum Pueri, qui ex Variolis incidit in Pustulas Oculorum, quæ Pustulæ tandem fuerunt exulceratæ, & exinde oborta est Nebula Oculorum: hinc profuit sequens Collyrium:

℞. *Aquæ Fœnicul.* ℥iij.
*Fell. Anguill.* ʒj. ad ʒiß.
*Sacch. candi pulverisat. subt.* ʒj.
M. stent in loco calido per noctem.
D. S.
Collyrium.

Spi-

Spiritus Urinæ cum Vitriolo deſtillatus egregius eſt. Convenit etiam Succus Euphraſiæ aut Fœniculi recèns extractus, cui tantillum Balſami Peruviani admiſtum ſit; potenter enim Albuginem diſcutit, Pennâ blandè Oculis illitus: vid. Riverius *Prax. lib. 2. cap. 7.* Vel loco hujus magis penetrat & detergit Liquor Fœniculi ſaccharatus, qui colligitur ex Saccharo, Caulibus Fœniculi excavatis indito & relicto, ut liqueſcat: *vid. ſuprà, ubi de Ophthalmiâ ſeu Inflammat. Oculor.* Liquor hic eſt egregium remedium ad hujuſmodi externos Corneæ defectus delendos; Vel recipiatur *Succus Fœniculi* per reſidentiam non nihil depuratus, & addatur *Saccharum Joviale*; ſic magis appropriatum redditur Remedium ad dictam hebetudinem Corneæ, & Cicatriculam.

Præ reliquis optimum Specificum eſt Liquor Oleoſus ex Hepate Muſtelæ piſcis in Malo leviori ſaltem Palpebris illitus, acris enim admodùm & penetrans exiſtit: vid. Hartmannus *Prax. Chym. cap. 27. pag. 98.* & Sennertus *Pr. lib. 1. Part. 3. Sect. 2. cap. 16.*

In graviori verò Malo, in ſpecie Cicatriculâ magis tensâ, etiam cum Pennâ ſubtiliſſimè poteſt illiniri, quod etiam Unguibus, item Suffuſioni, conveniens admodùm exiſtit. Oleum Papyri, aut Panni ſeu Linteorum combuſtorum, cum Pennâ ſubtiliſſimè Oculo illitum loco Cicatriculæ, eſt optimum Remedium. Ubi validiùs agendum eſt, recipiatur Aqua Mellis vel Simplex, & quidem prima, aut acuata cum ſecundâ flavâ, vel Compoſita *Amati Luſitani.* Simplicem quod attinet: Mel deſtillatum dat primò Aquam albam, ſecundò flavam: Prima eſt mitior, ſecunda acris: In incipiente Maculâ prima eſt optima, in graviori ſumatur ſecunda: vid. Schroederi *Pharmac. ubi de Melle*: cum Pennâ illita ad delendas Maculas & Cicatrices Oculorum eſt commendata. Hinc etiam convenit Aqua Mellis Compoſita à Fonſeca *Tom. 2. Conſil. 55.* & Amato Luſitano *Centur. 3. Cur. 53. ubi Nubeculam* graviorem diſcuſſit.

℞. *Mellis in fav.* ℔ij.
*Summit. & Flor. Sambuc.*
*Euphraſ.*
*Fœnicul.* an. Mß.
*Sach. cand.* ℥iv.

Deſtillentur in Balneo Mariæ igne fortiori non nihil.

Liquor prodiens ad Oculorum Nubeculam & Cicatricem ipſi Amato Luſitano per Experientiam comprobatus eſt. Mel enim abſtergit & reſolvit Leucomata, præſertim ſi miſceatur cum Succo Chelidonii majoris exactè, & ita blandè illinatur. Succus Anagallidis Flore cœruleo, imprimis Florum ejus, expreſſus: item Succus Chelidonii majoris expreſſus, vel ſolus Oculo inſtillatus, vel cum Melle Roſaceo miſtus & applicatus, tollit Maculas; unde & hîc commendari ſolet Anagallidis cœrulea deſtillata, non minùs quàm Aqua Leucoii bulboſi deſtillata; ſicut etiam integra Herba eſt ſingularis Ophthalmica: qui Succus illitus egregiè confert, quamvis mordeat: Si diſcerpitur Caulis, Liquor intensè flaveſcens tranſudat: tali Caule attingenda eſt moderatè Nubecula vel Cicatricula. Sic diluitur Succus à Lacrymis ſupervenientibus, & tandem deletur Nubecula & Cicatricula. Vel Fella Animalium cum Mellis modico ſubacta exactè Litûs formâ Oculis applicantur: Vid. Hartmannus *Pr. Chymiatr. cap. 37. & Miſc. Acad. Nat. Cur. Ann. 2. Obſerv. 126. pag.* 208. de Felle Serpentum. Loco Succi Chelidonii Succus Rutæ etiam capi poteſt, qui inſtillatus ſimili pollet efficaciâ. Tandem, gravia ſi fuerint Mala, Aqua Sapphirea Chirurgorum ſuprà laudata, vel cum Aquâ Calcis vivæ in Pelvi æneâ, vel ſine Calce vivâ cum ſolo Sale Ammoniaco, & Aquâ ſimplici aut appropriatâ, ut leniſſimè Linguam feriat, in Vaſe æneo vel orichalceo, donec cæruleum acquirat Colorem, etiam egregia eſt ad dicta Oculorum vitia detergenda; hâc enim ſublatæ ſunt Maculæ denſiſſimæ in Oculo ex diuturnâ Ophthalmiâ progenitæ: Vid. Riverius *Cent. 3. Obſerv. 45.* Tandem egregium eſt Experimentum Plateri, quô omnes Albugines & Cicatriculas feliciter curavit, *lib. 1. Obſ. p. 112. & 382.*

℞. *Pulp. Pomor. odorat. acidul.* Quartarium iß. (idem quod ℔ß.)

Incidantur minutim, & in *Aqua Roſar. & Fœnicul.* coquantur, donec in Pultem redigantur: cui contuſæ permiſc.

*Mucil. Sem. Fœnugr.* ℥ii. vel iij.
*Album. Ov.* Num ii. vel iij.
*Lap. Hæmat. minutiſſ. trit.* vel *præparat.* 3ß. ad 3j.
*Cort. Granat.* pulveriſ. 3ij.
M. f. Cataplaſma.

Oculo clauſo imponendum, continuò geſtandum, & bis in die removendum.

Convenit, ſi imprimis Malum obveniat cum Inflammatione, & inſigni Lacrymarum acriuſcularum fluxione, in Albugine, & Cicatriculâ. Pariter & Horſtius *lib. 2. Obſerv. 39.* Leucomata ex Variolis nata ſimili Cataplaſmate reſolvente feliciter curavit; applicatis ſimul in tali caſu poſt Aurem Veſicatoriis.

℞. *Pulp. Pom. dulc.* ℥vj.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ Fœnic. & Roſar.* ad conſiſtentiam Pultis:
adde
*Mucil. Sem. Fœnugr.* ℥ii.
Miſc.

Applicetur per dies aliquot, imprimis Somni tempore. Poſt hujus Cataplaſmatis uſum:

℞. *Aquæ Roſar.*
*Fœnic.* an. ℥iij.
*Margar. præp.* 3j.
Miſc.

Cujus ſolius uſu continuato frequenter Maculas & Suffuſiones omninò curatas refert. Conf. Platerus *lib. 5.* Timæus *von Guldenklee Caſ. lib. 1. Caſ. 21. pag. 48. Idea Form. Claſſ. 4. §. 23. & Colleg. Formular.*

Tandem *Liquores ex Floribus Cichorii* cœruleis, aut *Flor. Cyani*, per deliquium ſeu colliquationem, in Furno piſtorio parati (deſcriptionem videbitis in Schroederi Pharmaciâ, & Hoffmanni *Clave*, Hartmanno, & Sennerti *Praxi, ubi de Ophthalmiâ*) ſpecifici ſunt ſingulariter ad Nubeculas, & Albugines delendas. Porrò curavit aliquando Foreſtus Puerum, qui ex Variolis in Phlyctænas incidit, quæ exulceratæ in Oculorum Cicatrices abierunt, cum Collyrio ex Aquâ Fœniculi, adjecto Felle Anguillæ vel pauco Saccharo. Tandem Pulvis ex Oſſe Sepiæ, imprimis calcinato, vel ſolitario, vel cum Saccharo albiſſimo, in paucâ quantitate Oculis inſufflatus prodeſt; uti etiam Cnoeffelii Pulvis compoſitus ex Exuviis Serpentum, & Lapillis Cancrorum minutiſſimè tritis & invicem miſtis ita uſurpatus, vel cum Melle illitus, vel cum Aquâ appropriatâ applicatus, Cicatriculas egregiè delet; qui Pulvis etiam Experimentum egregium eſt in Vulneribus, & in Ulceribus, item in Cancro Oculorum,

rum, in quibus Oculorum Malis ſingulariſſimus eſt. His etiam in caſibus peculiariter convenit Aqua Ophthalmica ex Chelidonio majori & Cancris fluviatilibus deſtillata, ſecundùm Methodum Mynſichti & Crollii *in Baſil.*

Omnium fortiſſimum Medicamentum eſt *Mercurius Sublimatus*, quem ſolutum in Aquâ appropriatâ, uti ad Unguem laudavi, ita & ipſius uſus caſu ad Nubeculam & Cicatriculas inventus; ſic enim in Platero *lib.* 1. proſtat Obſervatio de quodam Chirurgo, qui curaturus Nubeculam, neſcio quo errore ſeductus, loco Sacchari pulveriſati inſufflavit Oculo Patientis Mercurium Sublimatum, unde gravis quidem nata fuit Oculi Inflammatio; ſed hâc ſublatâ mox Nubecula ſimul omninò diſparuit, unde ad hujus imitationem leviſſima Solutio Mercurii Sublimati in graviori caſu commendari, &, cum judicio tamen, applicari poteſt.

Cæterùm *Infantes* tenellos ſæpè etiam affligunt hæ Nubeculæ & Cicatriculæ, *poſt Variolas* præſertim, vel etiam ſi Ophthalmiam patiantur: quos ut curemus, non incommodum eſt, ſi Mater vel Nutrix maſticet Semen Fœniculi aut ipſum Fœniculum, & halitum Oris mox immittat in Oculum Infantis, idque frequenter; ita enim ſæpè Nubeculam incipientem diſcuſſam obſervârunt. Fortuus erit, ſi poſt Maſticationem etiam Linguâ tangat Albuginem, ut ipſa Saliva Fœniculo tincta blandè eam irriget.

Quòd ſi verò *ſuggillati ſint Oculi*, ſeu Sanguis in Oculis & in Tunicam Corneam effuſus & coagulatus, indeque Viſus impediatur, ad reſolvendum & diſcutiendum Sanguinem grumoſum convenit *Fotus* ex Aquâ Chærefolii, Florum Cyani & Hyſſopi, quæ cum Linteis multiplicatis calidè crebrò Oculis applicatæ & inſtillatæ Suggillationem auferunt. In gravioribus Malis Semen Cumini vel Caryophylli terantur intra dentes, probèque maſticentur, hinc halitus Oris in Oculum ſuggillatum frequenter immittatur, & mirè confert; & hinc eſt, quod Burrhus *in Epiſt. ad Bartholinum* laudet halitum Oris ſimplicem: magis appropriatum redditur cum Semine Fœniculi. Vel in Malo contumaciori ſumatur Coma Hyſſopi, eaque contuſa ebulliat in Vino vel Aquâ calidâ; Decocto iſto in formâ Fotûs poſtmodùm calidè largiter foveatur Oculus, idque crebriùs, donec ſucceſſivè Sanguis extrafuſus diſcutiatur, & reſolvatur; Nam apertè Sanguinem extrahere congrumatum aſſerunt, & confirmat hoc Riolanus *in Tract. de Affect. Oculorum.* Tandem ultimum eſt & quaſi Anchora ſacra *Decoctum Radicis Symphyti majoris*, vel, quod melius, conjunctæ cum dimidio Radicis Sigilli Salomonis, pro Fotu uſurpatum certiſſimè Suggillationem Oculi tollit; e. g.

℞. *Rad. Conſol. maj.* ℥vj.
*Sigill. Salom.* ℥ij.
*Flor. Sambuc.* ℥jß.
*Farin. Fabar.* ℥j.

Inciſa & contuſa hæc vel in formâ Decocti vel Cataplaſmatis, adeòque ſub formâ Fotûs humidi, applicentur; vel trita excipiantur Butyro recenti, & in formam Linimenti redigantur, quod extrinſecùs Oculis imponatur.

In graviori Oculorum Contuſione:

℞. *Rad. Conſol. maj. minor.* an. ℥ß.
*Flor. Chamomill. Melilot.* an. ℥ij.
*Farin. Fabar.* ℥iv.
*Butyri rec.* ℥iij.
*Sem. Fœnugr.* ℥j.
*Croci* ʒß.

Coqu. benè ſecundùm artem pro Cataplaſmate.

D. S.

Puls Reſolvens.

Reſolvit & diſcutit potenter, ac Dolorem ſimul inſigniter mitigat. Melius tamen eſt, ſi ſub formâ Fotûs adhibeatur; *Pinguia enim Oculis ſunt nociva*: quod etiam de Unguento Nihili notandum.

Aut

℞. *Flor. Chamomill. Summ. Hyſſopi* an. p. ij.
*Rad. Symph. Sigill. Salomon.* an. ʒij.

N. f. Nodulus, inſtar Fotûs humidi applicandus.

D. S.

Sacculus diſcutiens ad Fotum.

Vel

℞. *Flor. Cyani Calcatripp.* an. p. j.
*Summ. Hyſſopi* M. ß.
*Rad. Conſol. maj.* ʒiij.
*Sigill. Salom.* ʒiß.

Inciſ. & contuſ. coqu. in ſ. q. *Spiritus Vini* Colaturæ ℥ij. vel iij.

adde

*Spiritûs Vini camph.* ʒij. vel ʒiij.

M. D. S.

Fotus Externus ad Oculos.

Tandem egregium eſt *Linimentum Mynſichti contra Livorem Faciei in Armam. Chym. pag.* 503. quod, uti quaſcunque faciei Contuſiones & Livores curat, ita ſpeciatim Oculis ſuggillatis convenit.

## *PUNCTUM II.*

### *De Hypopyo.*

LÆditur quoque Tunicæ Corneæ pelluciditas ab *Hypopyo* ſeu Pure ſub Corneâ, dum ab hoc nunc tota Pupilla, nunc ejuſdem Limbus ſeu Circuitus tantùm tegitur.

### DIAGNOSIS.

Suppurationi huic quia ordinariè occaſionem præbent Ophthalmiæ enormiores & Suggillationes, commodè ex Morbis præcedentibus dignoſcitur, & ad motum Oculi movetur eadem Materia, imò Oculus ſuppuratus altero interdum prominentior apparet.

### CURA.

In *Curâ* Pus educendum, præmittendo huic, ſi reliquiæ Inflammationis ſubſint, *Remedia in Ophthalmiâ ſuperiùs commendata.* Eductio autem illa à Diſcutientibus, quæ vulgò commendantur, nunquam ſperanda, ſed ex Chirurgiâ petenda erit.

## *PUNCTUM III.*

### *De Phlyctænis ſeu Oculorum Puſtulis.*

PErtinent ferè huc *Puſtulæ* in Adnatâ & Corneâ Tunica ſubinde obſervabiles, grani Milii magnitudinis, cum Pruritu, Ardore, &c. Græcis *Phlyctænæ* dictæ; quæ, ſi juxta Pupillam ſint, poſt ſui ruptionem Cicatricem relinquunt, Viſum abolen-

abolentem; ſin verò Tunicam Corneam occupent, eamque exedant, Humoris Aquei profluvium facere poſſunt.

## CAUSÆ.

Oriuntur ex retentis Acribus tranſpirandis, ſed ad Tranſpirationem ineptis, adeoque retentis; hinc in Puſtulam collectis, quæ ſucceſſivè rumpuntur & nunc exilia Corpuſcula, nunc Cicatrices poſt ſe relinquunt, ſuntque quaſi particularis *Oculorum Scabies*.

## CURA.

Unde in *Curâ* ad Acrimoniam acido-ſalſam temperandam reſpiciendum, cætera ſatagente Naturâ. Convenit ergò Aqua Vitriolata *Hartmanni*, quæ vid. in ejus *Praxi cap.* 25. §. 3. *& cap.* 28. Imò ſimplex Vitrioli albi ſolutio cum additâ Tutiâ ſufficit: Saccharum Saturni, item Ceruſſa cum appropriatis Aquis inſtillata, conducit.

Vel

℞. *Lapid. Calamin. præp.* ʒß.
*Tutiæ præp.* ƷB.
*Sacchari Saturni* ƷB.
M. f. Sief.
Oculo pedetentim inſufflandum.
D. S.
Pulvis leniens ad Oculos.

Aqua Albuminis Ovorum egregia eſt, ſi Phlyctænæ aperiantur & exulcerentur, detergit & conſolidat.

## MEMBRUM III.

### *De Humoris Aquei Vitiis.*

PORrò per Pupillam tranſiens Radius viſivus ulteriùs penetrat per *Humorem Aqueum*, qui propterea tenuis, purus, & exactè limpidus eſſe debet. Poſito jam, quòd nunc Pupilla ſit aperta & perforata, niſi tamen permittatur liberior tranſitus Radiis viſoriis per Pupillam ad Tunicam Retinam, ſolet etiam impediri Viſus. Si ergò in Humore Aqueo, inter Pupillam Uveæ & Humorem Cryſtallinum impedimentum aliquod ſe offerat, quod Radiis tranſitum neget, Viſio tollitur. Fit hoc, quando Materia quædam, reliquo Humore Aqueo paulò craſſior & ſpiſſior, ſenſim in eodem colligitur, quæ primò minutiſſimorum *Pulviſculorum* formâ, ſenſim in *Filamenta* tenuiſſima, Texturæ Aranearum ſimillima, concreſcit, donec hæc ipſa Textura tandem in tantum augeatur, ita ut perfectè craſſeſcat & ſpiſſeſcat, & in *Membranæ* conſiſtentiam conglutinetur & coaleſcat. Membrana hæc vulgò *Cataracta* Oculi dicitur: Malum verò ipſum *Suffuſio* Oculi, Græcis ὑπόχυμα vel ὑπόχυσις, Germanis *der Staar*, appellata.

### *PUNCTUM I.*

#### *De Cataracta & Glaucomate.*

CAtaracta eſt nil aliud, quàm Membrana quædam ſucceſſivè intra Humorem Aqueum, vel in eo intra Pupillam & Cryſtallinum Humorem obducta, quam vocant Germ. *der Staar*.

Non autem confundenda ſunt Mala plura hoc nomine inſignita: ſic enim dicitur Germ. *der ſchwartze Staar*, id eſt, *Cataracta Nigra*, quando anterior Oculi pars feneſtrata, ſerena & diaphana apparet, ita ut nihil vitii in Oculo appareat in illo Malo, quod vulgò *Gutta Serena* dicitur. Speciatim verò Cataracta propriè dicta ingraveſcens, Germ. *der grune Staar*, id eſt, *Cataracta Viridis*, appellatur, eò quòd Pupilla ob Nubeculam ſubtus enatam Colorem velut marinum & virideſcentem exhibet. Perfecta verò Cataracta, Germ. *der Weiſſe oder Milch Staar*, id eſt, *Cataracta Alba*, ſive *Lactea*: dicitur ob Pupillam ab albeſcente viſcidoque Humore exactiùs obſtructam: hinc increſcens illa Cataracta reſpectu depoſitionis cum Acu faciendæ etiam dicitur Germ. *der unreiffe Staar*, id eſt, *Cataracta Immatura*, cùm ſubtiliſſima iſta & quaſi araneacea Filamenta nondum firmiter adeò cohæſerint, ut Acu mediante abſque divulſione poſſint ſubtrahi. *Cataracta* verò *Perfecta*, in qua Filamenta iſta in membranaceam tenacitatem coaluerunt, adeoque ab Acu ſemoveri patiantur, Germ. *der reiffe Staar*, id eſt, *Cataracta Matura*, dicitur. Cataracta hæc nunc ſita eſt poſt Membranam Uveam, inter hanc & Humorem Cryſtallinum, nunc ſita eſt ante Uveam inter hanc & Corneam, utrobique in Humore Aqueo: quædam Corneæ vel Uveæ accreſcit, quædam non: imò ſuſpicor, omnem adhærere iiſdem, atque reverà ex Filamentis Uvæ membranaceis, præternaturaliter oblongatis & excreſcentibus, originem habere.

#### CAUSA.

Communiter *Cauſa* hujus Suffuſionis vel *Cataractæ* eſt Materia iſta quaſi nutritiva, ex qua in ſuo eſſe conſervatur ille Humor Aqueus; ſive ex Arteriis derivetur, ſive ex quibuſdam Glandulis Conglomeratis vicinis, earumque Lymphâ ſubtiliſſimâ originem ducat; ſive, quod alii putant (quæ Sententia tamen minùs placet) Aqueus Humor ſit tantùm ſimpliciter Spiritus Animalis, vel Opticus, in Aquam condenſatus. Hæc ipſa Materia reddita impura, & inquinata Particulis craſſioribus vel excrementoſis, uti puritatem Humoris Aquei tollit, ita ſi tales Particulæ vitioſæ plùs minùs glutinoſæ ſucceſſivè invicem connectantur, & magis magiſque cohæreant, tandem talem Subſtantiam membranaceam, *Cataractam*, efformant; ita ut in principio ſaltem ſubtiliſſima Filamenta inſtar Telarum Aranearum ſoleant hinc inde in Oculo vagari, poſtmodùm verò ſucceſſivè videntur uniri, & varias figuras repræſentare, donec tandem magis magiſque compacta obſcurent Oculum, & Membranulam incipiant conſtituere. Sed, ut monui, probabilius omninò videtur *Membranarum*, Uveæ aut alterius cujuſdam, *Fibras præternaturaliter excreſcentes* Suffuſioni occaſionem ſubminiſtrare. Hinc ſi poſtmodùm Membrana talis ſucceſſivè coagmentata totam Pupillam obtegat, Viſus planè aboletur, plùs minùs, prout nempe denſior vel rarior fuerit: ſi verò tantum modò dimidiam Pupillam obvelet, omnia *dimidiata* ſaltem apparent: ſin tandem parva ſaltem incipiens Cataracta medium exactæ Pupillæ occupet, omnia quaſi *perforata* apparent, & hæc eſt *Suffuſio Vera*.

Nam datur præterea etiam alia, quæ vocetur *Suffuſio Notha*, ſed minùs propriè ita dicta, qualis interdum quibuſdam, imprimis Hypochondriacis, & quibus jejunis varia circa Oculos Filamenta verſari videntur, accidit, quæ etiam iis, qui diutiùs Crapulâ & Stomachi vitio laborant, dum aut *Pulviſculi*, aut *Floſculi*, aut *Muſcæ*, *Filamenta* aut ſimilia ante Oculos verſari videntur; aut quando Oculi penitus occæcantur, id quod in ſpecie in ſtatu Febrium & Morborum Oculorum, inſtante Criſi per Hæmorrhagiam Narium, aut etiam

in

in vitiis Cerebri, & hinc ex vitiis Stomachi, oritur. Curiosum hujus Suffusionis Nothæ Exemplum refert Timæus *von Guldenklee*, *in Cas. pag.* 60. in Paroxysmo Febris Tertianæ tantùm affligens, in quo Æger omninò cæcus redditus extra Paroxysmum optimè videns Cœlum.

Malum hoc subitò transit, iterum redit, & sic porrò, & in aliàs Sanis sæpissimè *Stomachum vitiosum* pro fomite agnoscit, quoque etiam modo exinde ad Oculum fiat transitus, exceptis saltem Febribus Ardentibus, vel ex Lymphâ etiam subtilissimè coagulatâ; hinc etiam Notha hæc Suffusio post Crapulam in Hypochondriacis assumpto Jentaculo cessat: unde probabile est, eam per qualemcumque consensum ex Stomacho dependere. Quæ aliis Morbis supervenit, his curatis ferè cessat. In specie, qui ex vitio Stomachi hâc laborare solent, optimè Aloëticis Ventriculum purgantibus, in specie Pilulis usualibus Aloëticis, item Mastichinis & Aloëphanginis, omni menstruali tempore purgentur, sicuti etiam per usum Zingiberis, aut crudi aut in Indiâ condîti, mane jejuno Stomacho masticati aut esitati curantur. Hypochondriacis Malum familiare est; quando verò edunt, cessat.

*Distinguendum* autem est *inter Suffusionem Veram*, & inter *Glaucoma*; quippe qui Affectus sunt distinctissimi, utut apud Borellium *Append. Centur.* 3. *Observ. pag.* 279. aliosque Practicos, sæpè confusio fiat. Origo verò confusionis est, quia Veteres Græci non distinxerunt *Glaucoma & Suffusionem*, sed subinde, eodemque nomine, ambos Affectus comprehenderunt, quia quædam Suffusiones se simili Colore offerunt; & quod Veteres Græci *Hypochyma* vocarunt, Juniores *Glaucoma* dixerunt. Res tamen ut pateat, dico; *Hypochyma* denotare *Suffusionem*; *Glaucoma* verò nil aliud esse, quàm tale *Humoris Crystallini* vitium, quando hic debitâ Perspicuitate, qua se habet instar Vitri clarissimi, fit non nihil opacus, & consequenter obscurè coloratus, adeòque Albedine fuscâ seu obscurâ, h. e. glauco Colore, suffunditur & inquinatur, unde & Perspicuitas ejus læditur. Hinc enim in tali Humoris Crystallini constitutione evenit, ut neque Radii visorii rectè possint transire, & Color rerum pertransientium vitietur. Simili enim ratione, quò magis obscuratur Vitrum, per quod artificialis fit Visio, ita etiam, si Vitrum lenticulare Crystallini Humoris fuerit opacum, sed vitiosè coloratum, Glaucoma provenit.

Vitium hoc *Senibus* tandem naturaliter ferè supervenit, aliàs præternaturaliter, & quidem simpliciter ex mutatâ Humoris Crystallini Consistentiâ, & majori ejus Siccitate, Densitate & Impuritate originem ducit; sic enim minùs perspicuus, sed opacus & non nihil coloratus redditur. Confirmat hoc Mechanica Anatomica; si nempe Humor Crystallinus extra Oculum sumatur, per eum instar Lentis constitutum omnia Objecta majora videntur, quod elegans est Spectaculum; sin verò idem exiccetur, vel in Aquâ fervidâ ebulliat, fit opacus, densior, & non nihil albus. Hinc est, quòd in Senibus sit naturale vitium hoc Glaucoma, ob vitiatum in iisdem Humorem Crystallinum. Quòd si vitio Ætatis decrepitæ accidat, incurabile est, utut possint præservari.

Quòd si in Junioribus oriatur *ex nimio Veneris usu*, sive Crystallini sive Aquei Humoris vitio, convenit in specie, præmissis præmittendis, Fomentatio Oculi cum Spiritu Vini, mediante Linteo duplicato Oculis sub introitum lecti impositio, & per noctem ibidem contento, qua ratione Glaucoma etiam præservari potest. Melius est, si recipiantur Flores Borraginis vel Buglossæ, infundantur cum Spiritu Vini, quæ Tinctura applicata præservat aut curat in Junioribus imminens Glaucoma. Alii laudant Tincturam Buglossæ cum Phlegmate Aluminis, additâ Aquâ Albuminis Ovorum destillatâ, paratam.

*Causæ Remotæ*, quarum occasione Humor Aqueus Particulis excrementitiis inquinatur, & cum iis quasi congelatur, sunt intempestivæ Lacrymationes, ex qua Bartisch *Part.* 1. *cap.* 3. & Hildanus *Cent.* 4. *Obs.* 15. Cataractam observârunt; Oculorum Inflammatio, & Venus, tam intermissa quàm nimia; Frigidæ Potus, de quo vid. Bartisch *l. a.* & Panarollus *Pent.* 3. *Obs.* 6. ac *Pentec.* 3. *Obs.* 32. Contusio item & Vulnera, vid. Hildanus *Cent.* 5. *Obser.* 13. Repellentium fortiorum, v. gr. in Ophthalmiâ, abusus, nec non externa Corrosivorum applicatio, vid. Bartisch *Part.* 5. *cap.* 1. *pag.* 57. & 59.

His quoque accedit Cataracta connata, qualem Boyle *de Util. Philosoph. Experim. Tom.* 2. *Part.* 2. *pag.* 72. sanatam refert.

## DIAGNOSIS.

*Signa* in Suffusione Verâ facilè se manifestant, & in Incipiente rarò fallunt: Nam conqueruntur Ægri in Cataractâ Incipiente de variis Punctis, Filamentis, Flosculis, Fumis, Aranearum Telis, Rete vel Cribro, & similibus ante Oculos obversantibus, Muscis Oculos circumvolitantibus, Objectis sub alieno Colore, aut duplicibus, multiplicibus, dimidiatis, fissis, &c. id quod ut plurimùm Rudimenti primi pro Cataractâ est indicium, utut non æquè semper in Perfectam Suffusionem terminentur: Conf. Bartholini *Acta Haffnienf. Volum.* 2. *pag.* 244. Hinc Visus sensim plùs minùs obscuratur, & Color Pupillæ non nihil glaucus, quasi marinus, aut Vitro nebuloso similis, apparet.

Quamvis interdum Signa hæc planè desint, & ex improviso & subitò satis Cataractæ oriantur, & quidem non tantùm occasione Causarum Externarum apud Hildanum *l. a.* sed Internarum quoque, ita ut Experientia testetur, aliquos Oculis sanis obdormientes, Cæcos vigilasse, & ad humum Lynceos flexos itidem Cæcos se erexisse, quemadmodùm Fernelius *Pathol. lib.* 5. *cap.* 5. Hildanus *Cent.* 5. *Obs.* 14. & Bartisch *Augendienst*, sive *Oculorum servitium*, *Part.* 4. *cap.* 2. *pag.* 44. perhibent.

Quòd si *Cataracta sit Perfecta*, Visus omninò tollitur, & Pupilla Oculum inspicienti nunc similis Vitro contaminato aut saltim obscuro aut minùs perspicuo similis, nunc Gypsi, nunc Argenti vivi, nunc viridiusculus, nunc lividus, nunc alius Color in eo apparet.

Tandem perfectus Color albus, aut etiam alii post Pupillam, se exhibentes, jam *Perfectam Suffusionem* innuunt. Imò Suffusionem quoque Completam connasci per Experientiam constat.

Cum verò hæc modò Vera, modò Notha sit, sciendum, *in Nothâ* rerum circumvolitantium & obversantium Phænomena crescere ac decrescere, imò interdum planè evanescere, majora atque frequentiora observari Ventriculo repleto, vel Digestione primâ peractâ, item in Plenilunio & Aëre turbulento. Omnia, tunc per Fumum & Nebulam videri videntur, interdum penius Cæcitas inducitur, & si attentè inspiciatur Oculus, insignis & profunda Albedo circa Pupillam apparere solet: Econtrà si *Vera* fuerit, Coruscationes & Apparitiones illæ sunt continuæ, semper augentur, adeò-

adeòque Viſus magis magiſque obſcuratur, ut plurimùm unum ſaltem Oculum occupat, quemadmodùm Notha ob Cauſam communem utrumque, aut ſi & Vera Oculum utrumque afficiat, contingit tamen hoc non ſimul, nec ſimpliciter.

Ipſe *Humor Aqueus* itidem craſſeſcere, & ita Viſum plùs minùs impedire obſervatus fuit in Affectu Anonymo, utut ad Suffuſiones à quibuſdam itidem referri ſoleat.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin* horum Pathematum: omnis Suffuſio Malum eſt difficulter curabile.

*Recens*, & in qua Ægri Objecta omnia ſecundùm Magnitudinem, Figuram, Numerum, Motum &c. adhuc diſcernunt, Medicamentis diſcuti poteſt; quæ verò magis *Confirmata* eſt Cataracta, ac denſiùs concrevit, in qua Æger Lumen aut Solis ſplendorem propiùs admotum etiam vix aut non videt, Medicamentis nunquam, Chirurgiâ difficulter curatur, licèt etiam Oculo ſano clauſo Pupilla ægra dilatetur.

*Quò magis Recens* Suffuſio, ſive in fieri, ſive in facto, eò facilius curatur; *Diuturna verò & Confirmata* difficilius. Unde Suffuſio ſeu Cataracta *Imperfecta & Incipiens* in Corpore aliàs bonæ Conſtitutionis & mediæ Ætatis facilius & per ſola Medicamenta curatur; *Facta* verò non curatur Medicamento, ſed ſemper Chirurgiam poſtulat, quamvis Schenckius *Obſ. lib.* 1. *pag.* 159. & Boyle *de Util. Philoſ. Experim. Part.* 2. *Sect.* 1. *pag.* 72. hanc ſolis quoque Medicamentis interdum curatam perhibeant.

Vulgò multa *de Pupillæ Amplitudine & Nigredine* in Prognoſi habentur, ſed ſunt fallacia. Nempe dicunt: quibus altero Oculo conniventibus & Palpebrâ fricatâ, unà alterius Pupillam dilatari contingat, ſi Punctio admittatur, recipiendi Viſum ſpem eſſe, aut per Medicamenta aut per Chirurgiam; quando verò Pupilla non dilatetur, nec conſtringatur, ea incurabilis ſit: item quæ *Suffuſio Nigra* eſt, & quæcunque Splendoris Nitoriſque expers, nullo modo curari poſſe. Sed tamen hæc ipſa non adeò univerſalia ſunt, quin reverà ſubinde fallant. Diſtinguantur ergò Exercitii gratiâ *tria Tempora Suffuſionis*, ita ut *primum Tempus ſit*, quando varia ſaltem Filamenta ante Oculos verſantur, & hæc eſt Incipiens: *ſecundum Tempus*, quando Filamenta coëunt in Membranam, quæ Viſum impedit: *tertium Tempus* eſt, quando Membrana iſta eſt adeò denſa & firma, ut nullo modo poſſit videri. Prius Tempus Suffuſionis curatur facilè Medicamentis Appropriatis: ſecundum vix Medicamento; non deſperandum tamen eſt, quia optimè mediante Acu tolli poteſt: tertium Medicamentis planè non, Chirurgia difficulter admodùm, interdùm fruſtrà Cura ſuſcipitur.

Porrò Membrana hæc in qua Æger *Lucem claram* admotam adhuc obſcurè *videt*, poteſt optimè Acu Chirurgicâ curari; ſin ea autem fuerit denſa, ut Lumen, clarum licèt, nullo modo alterationem faciat in Oculo, aut percipiatur, talis etiam per Chirurgiam incurabilis eſt.

Item ſi Oculo Suffuſione affecto, alter Oculus comprimitur, & inde *Oculus æger non nihil humidus fit, & Pupilla in eo dilatetur*, Signum adhuc habetur, curabilem eſſe per Chirurgiam; ſi non, eſt Malum deſperatum: ſi enim debet per Chirurgiam curari, Suffuſio ſit in ſecundo & tertio gradu, & Membrana jam ſit facta, non in fieri. Hinc diſtinguunt Chirurgi inter *Suffuſionem Maturam & Immaturam*: Matura eſt, quando, compreſſo Oculo Ægri, Membrana intùs obtenſa in eodem ſitu permanet, atque erat ante Compreſſionem; ſin verò poſt Compreſſionem incipit moveri & fluctuat, eſt adhuc Immatura.

Hoc confirmant etiam *Colores Membranæ*, ratione cujus diſtinctæ diverſæ & *quinque primariæ ſunt Species*, nimirum Suffuſio *Alba* ſeu *Argentea*, *Cinerea*, *Cærulea*, *Viridis*, & *Flava* ſeu *Buxea*. In ſpecie *Color Albidus aut Glaucus*, & inſtar Cœli, ſignum eſt, Cataractam Maturam & aptam eſſe pro Depoſitione Chirurgicâ: quando verò Color Membranæ eſt *Albicans*, ſicut Ger. *Wie Schnee*, ac etiam planè *Obſcurus & Lividus*, ſignum eſt denſiſſimæ Cataractæ. Suffuſio *Cærulea & Viridis* Inſtrumentorum vim eludunt; dum *Argentea*, *Cinerea*, *& Flava* per Chirurgiam interdum ſanantur; modò hæc poſterior nondum valdè inveterata ſit, utpote quæ Uveæ Tunicæ firmiùs adhæreſcit, & corneam atque oſſeam Duritiem contrahit, unde vulgò *Cataracta Vitrea*, ſive *Felina*, audit. Cataracta autem, Germanis *Nigra*, planè non eſt loci hujus, utpote cujus formalitas non in Craſſitie, aut Heterogeneitate Humoris Aquei, ſed Spirituum Animalium per Nervos Opticos denegato Influxu conſiſtit, ut *infrà Puncto* 1. *Membri* 4. patebit, & ſpeciali termino *Gutta Serena* audit. Ea ferè nunquam curatur, quamvis eam curatam Hildanus *Cent.* 5. *Obſerv.* 20. & Bartiſch *l. a. pag.* 88. teſtentur.

Sicut autem *Inveterata nimis* Cataracta nec Chirurgiæ cedit, propter tenacitatem, qua Corneæ aut Uveæ Tunicæ arctiùs connectitur, ut ſine harum laceratione vix detrahi queat; ita minùs incraſſata ſeu *non ſufficienter maturata* Inſtrumentis contingere haud licet, ne diſcontinuata totum Humorem Aqueum turbet, aut mox iterùm concreſcens magis calloſa evadat, utrâque autem ratione Viſum enormiter lædat.

*Adnatam eſſe Tunicis dictis Pelliculam* dignoſcitur: ſi (1.) acriorum & rodentium Externorum uſus præceſſerit; (2.) ſi Lineolæ albicantes, corneæ, flavæ, &c. Iridem Oculi, obliquè ſpectati, tranſeant; vel & jam (3.) in ipsâ Corneâ, ſi hæc rectè inſpiciatur, Punctula albicantia, id eſt, ipsâ Suffuſione ſplendidiora, appareant: imò Uveæ etiam cohærere concluditur, ſi poſt Oculi compreſſionem atque frictionem Pupilla non dilatetur.

*Maturationem* verò convenientem ante ſextum vel ſeptimum Annum olim vix expectabant, hinc ad illud uſque Tempus Operationem differebant, cùm tamen *ſolâ Temporis menſurâ* Cataractæ Craſſities ac Maturitas ſufficiens determinari nequeat, eò quòd Suffuſionum alia citiùs alia tardiùs, vel pro diversâ Materiæ quantitate, vel Coagulatoris v. g. Caloris, majore aut minore vi, eam acquirat: ita *Alba* vix ante ſextum Annum Chirurgiam admittit, & ſi citiùs Inſtrumento tractetur, ab hoc inſtar Lactis diſſolvitur. Pariter ſi Operatio diutiùs differatur, per eandem in Lamellas tenuiores inſtar Glaciei frangitur. *Cinerea* verò citiùs matureſcit, id eſt, ſæpiùs intra quinque vel ſex Menſes.

*Cærulea* minùs frequens & curatu difficillima eſt, cùm tardiùs ad ſoliditatem decentem pertingat, Spiritus interim valdè debilitet, vel potiùs Humorum pelluciditatem deſtruat, ita ut Pellicula licèt ſeparatâ, Viſûs tamen obſcuritas & imbecillitas remaneat.

*Viridis & Flava* citiùs matureſcunt; poſterior tamen, prout ſuperiùs dictum, niſi mox detrahatur, inſtar Cornu dureſcit, hinc Chirurgiam reſpuit.

Porrò Cataracta *in Junioribus* poteſt facilius de-

poni, & ſine Recidivæ periculo: *in Ætate autem ſenili* ſponte ſuborta Suffuſio unius Oculi, ſucceſſivè, ubi confirmata fuerit, etiam alterum Oculum infeſtat, & ita Ægri perfectè cæcutiunt: non poteſt deponi, & ſi deponitur, recidivat, vel regeneratur, vel Senes non adeò perſpicuum Viſum recuperant.

Quæ *cum Dolore Capitis* præcedente vel præſente, difficilioris Curationis eſt.

## CURA.

In *Curâ* Suffuſionis, in primo & ſecundo gradu exiſtentis, *Subſtantia iſta heterogenea*, in Humore Aqueo adhuc fluctuans, ante ſui concretionem *diſcutienda*, & concreta jam, quantum poſſibile, *attenuanda*, *reſolvenda* aut *diſſipanda*, idque ſaltem in Incipiente; ſicuti firmiùs concreta mediante Acu deorſum versùs ex ſitu ſuo removenda eſt.

*Remedia* ergò, quæ hîc conveniunt *internè*, ſunt ea, quæ Oculis in ſpecie dicata ſunt, *Remedia Ophthalmica*, qualiacunque fuerint: quæ inter eminent Millepedes, quorum uſus internus pro curandis Suffuſionibus mirabiliter extollitur à Boyle *in Philoſ. Experim. pag.* 55. Laudatur etiam Euphraſia, cujus uſu ſeptuagenarios Viſum recuperaſſe teſtatur Hildanus *Epiſt.* 59. Item Decoctum Viperarum cum Aquis Ophthalmicis paratum videb. in Claudino *Conſult.* 56. A plurimis laudantur Decocta Lignorum Sudorifera cum Euphraſiâ, Chelidonio, Verbenâ, Fœniculo, & Betonicâ parata: vid Claudinus & Zechius.

Quoad *Remedia Externa*: neceſſe eſt ſubtilia, & quantum poſſibile, penetrantia ſint, quæ Oculis inſtillanda veniunt, fruſtra aliàs laborabitis. Ut igitur meliùs penetrare queant, conveniens eſt, ut priùs fomentetur Oculus vel Sacculo Emolliente, vid. Hartmannus *cap.* 41. §. 3. vel uſurpetur Fotus *Plempii*, deſcriptus à Timæo *von Guldenklee lib.* 1. *Epiſt.* 24. Quibus ſubjungantur ea, quæ Oculis inſtillanda ſunt ſubtilia: quæ inter præ cæteris eminent *Aquæ Ophthalmicæ Antimoniales*, quæ nobiliſſimæ ſunt in quamplurimis Oculorum Affectibus, & in ſpecie Suffuſionibus: vid. *ſuprà Sect.* 18. *cap.* 1. *Artic.* 15. *ubi de Ophthalm. & Puncto* 2. *hujus Sect. Membr.* 1. *ubi de Ungue Oculi.* Antimonium enim in ſe habet ſubtile Sulphur acidulum & penetrantiſſimum. Ergò propter tale ſubtile Sulphur ſunt optima Infuſa Antimonialia, quatenus Tunicam Oculi penetrant, & ibidem Suggillationem delent.

Convenit ergò Infuſum Vitri Antimonii pulveriſati; loco cujus Vitri non immeritò alii Caput mortuum Butyri Antimonii, vel Crocum Metallorum pulveriſatum, pro Infuſione in Aquis Ophthalmicis, v. g. Aquâ Fœniculi, Euphraſiæ, Chelidonii majoris, &c. ſuadent: quæ Infuſa in loco calido aliquandiu digeſta, & hinc filtrata, additis aliquot granis Camphoræ & Croci, in formâ Collyriorum crebriùs quotidie Oculis inſtillata, & aliquandiu continuata, ſunt optima: v. g.

℞. *Vitr. Antimonii pulveriſ.* ʒß. vel gr. xv.
Infund. in
*Aquæ flor. Cyani*,
*Euphraſ.*
*Fœnic.* ana ʒj.
Stent in loco calido per noctem:
Mane filtr. adde
*Camph.* gr. vj.
M. S.
Collyrium.

Hujus aliquot guttæ inſtillandæ ſunt Oculo, Ægro ſupinatim jacente, & hoc interdum repetendum; hac enim ratione proſtant Exempla curatarum Suffuſionum. Riverius pro ſimili Infuſione commendat Vinum album. Poſt hæc conveniunt etiam egregiè Aquæ compoſitæ ex Formicarum Ovis cum Felle Muſtelæ piſcis præparatæ, quæ mirè à quibuſdam laudantur. Nempe

℞. *Ovor. Formic.* ʒiv.
*Fell. Muſt. piſc.* No. xxx.

Miſta omnia lento igne deſtillanda ſunt, exit enim ſic Aqua turbida, quæ filtrata ſervetur ad uſum, & tempore veſpertino pro Collyrio ad Cataractam delendam Oculis applicanda.

Et ſanè credo, hoc non fore fruſtraneum: Notum enim eſt, quàm mirabilis, & ſingulari Foreſti Experientiâ confirmatus, ſit *Liquor Hepatis Muſtelæ piſcis*, qui extrinſecùs ſaltem Palpebris clauſis illitus (penetrantiſſimus enim eſt) eſt nobilis in Suffuſione vel præcavendâ vel etiam confirmatâ curandâ: vid. Foreſtus qui à ſe expertum commendat. Hepar Muſtelæ piſcis (Germ. *Aalraupe*) affigatur Ligno, poſtmodùm imponatur in Vitrum, & exponatur Radiis ſolaribus tempore æſtivo, ſic enim deſtillat & reſolvitur in Oleum aurei coloris acre. Tempore hyberno non ſuccedit, & dicunt hoc quidem fieri, quia Muſtela hoc tempore Veneri indulget & generat: At verò hæc nos relinquimus. Ferdinandus verò *in Hiſtor. Med. mirab.* 25. laudat pro Collyrio *Aquam deſtillatam ex Stercore humano*, in qua diſſolutum ſit *Fel Muſtelæ piſcis*, aut etiam *Leporis*, cum tantillo *Sacchari candi*, *& Margaritis* ſubtiliſſimè præparatis: Liquorem hunc Oculis inſtillare crebriùs jubent, eſt egregius ad curandas Cataractas Incipientes. Nec omittenda venit Axungia Viperarum, vel inſtillata vel inuncta ſaltem. Chelidonium majus ſemiputrefactum, item Cancri fluviatiles dum incipiunt putreſcere, deſtillata ſuggerunt Aquam Alcali ſubtiliſſimo ebriam, inſigniter penetrantem, & contra Suffuſiones utilem. Quòd ſi non videntur ſufficere hæc, confugiatur ad Aquam iſtam Ophthalmicam *Quercetani*, quæ ſub deſtillatione Spiritûs ſeu Aquæ Epilepticæ ex Vitriolo, & Urinâ Pueri, aliquandiu digeſtis, hinc deſtillatis, primò prodit: ubi duplex Phlegma colligitur, utrumque penetrantiſſimum, ſalſum volatile, quod ſine ſenſu Oculum penetrat, & confert egregiè in Suffuſionibus etiam jam factis reſolvendis. Vid. Schroederus *in Pharm. ubi de Vitriolo*, & Tachenius: vel loco hujus paratur extemporè ſequens ad modum Quercetani, ex Urinâ Puerorum & Vitriolo. Phlegma hinc elicitum eſt ſubtiliſſimum, & quod penetrando fortiter diſcutit Suffuſiones: v. g.

℞. *Urinæ Pueror.* ℔ß.
*Vitrioli alb.* ʒiv.

Stent per aliquot dies in digeſtione, & poſtmodùm deſtilletur exinde Aqua Ophthalmica volatilis fortiſſimæ penetrationis, Oculis inſtillando, egregia ad Suffuſionem.

Poteſt etiam ipſis Succi Chelidonii majoris libra una admiſceri, & ita invicem deſtillari.

Nec minùs penetrans eſt ille *Liquor*, quando vel Albumen Ovi induratum interiùs excavatum perforatur & repletur Saccharo cando & Vitriolo albo, & ita ſuſpenditur in cellam; ſic enim deſtillat per deliquium Liquor, diluendus cum Aquâ Euphraſiæ, qui egregiam dat Aquam Ophthalmicam.

Pertinet huc etiam Aqua *Hartmanni* ex Lapide ſciſſili & Sale, *Praxi ſuâ Chymiatr. pag.* 206. deſcripta, Extractum Chelidonii majoris, Succus nempe inſpiſſatus, magnitudine aciculæ capitis Oculo

impositum, multum laudatur in incipiente Suffusione ab Hildano *Epist.* 59.

De Anagallide flore purpureo, ejusque Aquâ vid. Hollerius *lib.* 1. *de Morb. Intern. cap.* 21. Liquorem ex Pane, cum Semine Fœniculi & Rutæ, cum modico Mellis mixto, & recenter ex furno protracto, atque intra duas patinas stanneas conclusо, prolectum, commendant Mercurialis *Tom.* 1. *Consil.* 87. & Zechius *Consult.* 27. Spiritus Vinini cum Linteis multiplicatis Oculo impositus extollitur à Timæo *von Guldenklee*, *Epist.* 26. Forsan Spiritus Salis Ammoniaci cum Calcis vivæ tantillo acuatus, præstantioris erit usûs; quin vix aliquid subtilius noverim hoc ipso Spiritu, qui pariter quoque cum Aquis appropriatis vel applicari vel instillari poterit.

Denique Hartmannus *loc. all. cap.* 43. §. 3. habet Aquam Ophthalmicam Zingiberatam, quam non potest sufficienter laudare Lindanus in Affectibus Oculorum ferè quibuscunque, in specie ad Suffusiones; testatur enim Lindanus, quòd aliquoties dicta Aqua Ophthalmica Zingiberata Suffusiones etiam factas curaverit, in specie quandam Mulierem, quæ in utroque Oculo Suffusiones habuerit.

*In præservandis & curandis Suffusionibus his*, observandum simul, quòd subinde etiam cum fructu & felici successu in principio seu Incipiente Suffusione, adhibeantur *Vesicatoria* in Nuchâ aut prope Aures; quæ multum faciunt in Affectibus Oculorum, teste Hildano *Epist.* 67. sicut in Senibus *Fontanellæ* feliciter inuruntur; talibus enim solis contumacissimæ subinde & confirmatæ Suffusiones curatæ fuerunt: sed in Confirmatâ parùm valent. Conveniunt quoque *Setaceæ* & hujus farinæ alia: vid. Hildanus *Cent.* 1. *Observ.* 41. & 42. *Cent.* 4. *Observat.* 6. 7. 19. & 17. Glandorpius *cap.* 24. & Scultetus *lib.* 1. *Tab.* 3. *fig.* 2. 3. &c. Quòd si hæc nimis molesta videantur, loco horum egregium quoque & singulare Remedium est *Secretum Schlegeri*, nempe Radix Thymelææ arborescentis, seu Mezerei, vel Laureolæ majoris, (Germ. *Kellershals*) in Aquâ Solutionis Nitri, vel Lixivio ex Cineribus Vitium, macerata & siccata (aliàs enim nimiâ acrimoniâ corrodit Aures) Lobo Auris priùs Acu perforato immissâ, instar Fonticuli successivè Phlegma copiosum eliciens, adeoque in quibusvis Affectibus Capitis Catarrhalibus, imprimis in Affectibus Oculorum, & incipiente Suffusione, singulare est Remedium. Hujus Thymelææ Radicis mentionem facit Riverius *Cent.* 4. *Obs.* 100. item Timæus *von Guldenklee in Epist. pag.* 52. *de Perforatione Aurium.* Conf. etiam Bartholinus *in Oculorum Affectibus.*

In Subjectis habitioribus aut copiosiore Sero turgentibus in principio Mali Fumus Nicotianæ laudandus venit.

Denique si alia irrita, ipsa verò Cataracta in perfectam firmamque nondum coaluerit Membranam, dubium, an non *Salivatio Mercurialis* simili modo, atque in Venereâ Lue instituta, penetrante intimè Mercurio, instituenda veniat? idque eò magis, si ex Lue Venereâ oriatur. Inclinat ad hanc affirmativam Fonseca *lib.* 1. *Cas.* 29. Per Experientiam verò felicem hoc illustrat Boyle *Philos. Experim. pag.* 65. Conf. etiam Schenckius *Obs. ubi de Lue Venereâ pag.* 159. (E)

MEM-

(E) Nota Cyrilli. *Quamvis notissimi morbi sint* Cataracta & Glaucoma, *atque illorum Causæ apud AA. Practicos inter notissimas connumerentur; facturos tamen nos esse operæpretium existimavimus, si brevem de his Oculorum affectibus Dissertationem, quam frequentibus Auditoribus in publico Lycæo olim prælegimus, hic interseramus: in eâ enim breviter congessimus, quæ nuper à Clarissimis Medicis & Geometris de naturâ horum Morborum in medium invecta sunt & disputata, quammaximè à Veterum receptissimâ opinione abhorrentia.*

## *DE CATARACTA ET GLAUCOMATE.*

### *ARTICULUS I.* Quid sit Cataracta & Glaucoma.

CAtaractæ *nomine utitur* Livius, *ut locum abruptum & præcipitem in flumine designet, quo aqua cum impetu ruit potiùs quàm fluit, ut sunt Nili Cataractæ: quâ ratione Nubes cum impetu imbrem profundentes* Cataractas Cœli *apertas dicimus.* Cataractas *quoque appellant aggeres vel obices, quibus aquæ irruentis cursus temperatur & sustinetur, quæ frequentissimæ sunt apud Belgas:* Insuper Cataractas *Architecti vocant ferreas quasdam vel ligneas valvas in munimentorum portis, quæ ad hostium incursiones arcendas, vel ad milites educendos, nunc dimittuntur nunc attolluntur.*

*Apud Medicos autem idem sonat* Cataracta *ac* Hypochyma *vel* Hypochysis, *quòd Latinè vertitur* Suffusio. *Estque Morbus ille Oculorum, quo ex Corpore opaco intra Corneam genito, ac radiorum per Pupillam transitum intercipiente, Cæcitas suboritur. Differt igitur Morbus hic à* Gutta Serenâ, *quæ Cæcitas est absque ullo sensibili vitio in Oculo apparente: Differt quoque à* Leucomate *seu* Albugine, *quæ est Visûs privatio ab opacitate ipsius Corneæ tunicæ.*

Glaucomatis *vocabulum si latè sumatur significat omnem coloris naturalis in Oculo mutationem in præternaturalem & glaucum, cum Visûs læsione: glaucus autem color, qui & cæsius, est color mistus ex viridi & albo. Imò qui talem colorem ex naturâ habent, etiam absque læsione Visûs* γλαυκῶπες *dicuntur, quemadmodùm ab* Homero *appellatur sæpissimè* Minerva γλαυκῶπις *cæsios oculos habens. Propriè autem* Glaucoma *à Medicis dicitur Cæcitatis illa species, in quâ Pupillæ color, qui niger in sanis est, videtur glaucus & cæsius, vel margaritæ aut aquæ transmarinæ colorem æmulans.*

### *ARTICULUS II.* Antiquorum de utroque Morbo Sententia.

*Quamvis* Oribasius lib. 8. cap. 47. Synopseos Medicinæ, & Paulus lib. 3. cap. 22. *indicent,* Glaucoma & Hypochyma, *h. e.* Cataractam, *Veteres unum quoddam Mali genus esse existimasse, unde* Galenus 3. aph. 1. *scribit Glaucomata speciem esse Hypochymatôn,* τὰ γλαυκώματα εἶδός ἐστιν ὑποχυμάτων; *nihilominùs posteriores Græci, Arabes, atque alii duas distinctas esse Ægritudines existimârunt.* Cataractam *enim seu* Suffusionem *dixerunt opaci Humoris, in Pelliculam vel Pelliculas, è regione Pupillæ, concretionem, quâ Visio impeditur ob impeditum transitum radiorum Luminis.* Glaucomatis *verò nomine appellaverunt haud novi corporis ante Pupillæ foramen concretionem, sed ipsius Crystallini humoris abolitam transparentiam, ut scilicet ex diaphano in opacum corpus immutatus omninò radiis Luminis ingressum denegaret. Quare* Suffusionem *Aquei humoris,* Glaucoma *verò Crystallinæ lentis*

*Morbum esse crediderunt: imò* Aristoteles 5. de gener. animal. *ait, Glaucoma esse siccitatem Oculi universi, quâ ratione senescentibus maximè eveniat;* Galenus *autem* 10. de usu part. *docet Glaucosin esse siccitatem & concretionem humoris Crystallini.*

*Ubi autem opacus Humor in Suffusione concrescat, non convenit apud Antiquos: nam quidam inter Crystallinum & Uveam illius sedem esse putaverunt, ut Arabes plerique, alii inter Crystallinum & Corneam ut Græci.* Celsus lib. 7. cap. 7. *post crassè præmissam Oculi anatomen, ait concrescere Humorem sub duabus Tunicis, quâ locum vacuum esse proposuerat. Magis tamen recepta opinio est, ut* Suffusionis sedes *sit humor Aqueus: quumque humor Aqueus occupet omne spatium, quod interjacet Crystallinum & concavam Corneæ superficiem; Cataractæ locus erit universum hoc spatium, sive ante sive post Pupillam, dummodò ab eâ Pupillæ foramen claudatur, & Luminis transitus intercipiatur. Ante Pupillam concretio vel rara est, vel Pupillæ circinatam rotunditatem cooperiens, vulgò nomine* Leucomatis *seu* Albuginis *appellari solet. Quæ post Pupillam fit frequentior est, ac Pupilla exactè rotunda conspicitur, etsi cæsio colore infecta. Non nunquam & Pupillæ ipsius foramen adeò exactè à Cataractâ obsidetur, ut hæc interiori ipsius limbo firmiter agglutinata impedimento sit, ne dilatari vel constringi Pupilla possit.*

*Receptissimam per tot sæcula opinionem eo præcipuè argumento veram esse Medici omnes ad nostra ferè usque tempora reputârunt, quòd præcipuus & fortassè unicus Cataractam curandi modus esset Chirurgica operatio, quâ nempe Oculi latus Acu transfigeretur, atque aduncâ cuspide Cataracta arrepta circumvolutaretur, ac in exiguum volumen redacta versùs infernam Oculi partem deprimeretur, ut sic libero remanente radiorum Luminis per Pupillam transitu, Visionis opus iterum absolveretur. Sufficiens sanè argumentum ab Autopsiâ petitum (Acûs enim cuspis Cataractam arripiens à Chirurgo & omnibus spectatoribus in Ægri Pupillâ clarè conspicitur) ad probandum Cataractam aliud non esse, nisi Opaci corporis post Pupillam concretionem.*

## *ARTICULUS III.* Recentiorum quorundam de Cataractâ Opinio.

*Tametsi autem recensita de Cataractâ Opinio per multa secula viguerit, & ab omnibus recepta fuerit; nihilo tamen minùs non multis ab hinc annis nova invaluit de eâ re Sententia, Cataractam scilicet non esse Pelliculam aliquam inter Uveam & Crystallinum humorem subnatam, sed* ipsum esse Crystallinum, *qui temporis tractu* opacus *ex Morbo redditus, transitum radiorum Luminis impediret: ac proinde Chirurgicam Operationem in deprimendâ Cataractâ, haud consistere in depressione Membranulæ opacæ, quæ nusquam est; sed potiùs in eo, quòd Crystallinus humor opacus redditus Acûs cuspide emoveatur, deprimaturque in ipsum Vitrei humoris fundum, tantâ interim parte Vitrei invadente locum ab ipso relictum.*

*Quamquàm autem hæc Opinio nuper in Scholis Medicorum & Philosophorum obstrepuerit; de eâ tamen mentionem fecerunt* Mariottus libello Nouvelle decouverte touchant la Veuë, Rohaultius tract. physico p. 1. c. 35. Gassendus Phys. sect. 3. membr. post lib. 7. pag. 371. Tom. 2. *qui sanè illam ex* Lasniero *Chirurgo Parisiensi hausisse videntur: imò ante ipsum Lasnierum* Garnerus Rolfincius *Medicus Germanus hanc eandem Sententiam fovit, ac citat* Franciscum Quareum *Medicum & Chirurgum Parisiensem: ut præteream* Blegny in Zodiaco Medico-Gallico, *&* Petrum Borellum in Observat.

*Publici demum juris, ut ita dicam, facta est hæc Opinio, cùm* Antonius Maitre-jean Traitè des maladies d'œil, *&* Dom. Brisseau Traitè de la Cataracte & du Glaucoma *peculiaribus Dissertationibus ornârunt & curiosis Experimentis fulcierunt; imò citatus Brissæus* Regiæ Scientiarum Academiæ *anno* 1705. *publicè examinandam illam proposuit. Ad eam autem probandam illud præcipuè Argumentum adduxit, quòd ii quibus Cataracta ademta est, non videant nisi ope* Lentis convexæ: *si ergò Cataracta non esset nisi Pellicula inter Pupillam & Crystallinum posita, factâ illius depressione, Crystallino humori solitas Luminis refractiones facienti nulla addenda esset Lens convexa: Lens igitur convexa requiritur, ut vicem præstet Crystallini jam depressi.*

*At* Regiæ Scientiæ Academiæ Socii *propositam insolentem Opinionem recipere primùm noluerunt, fortè ex eo, quòd si eam recepissent nullum fore pro Visione Crystallini humoris usum fatendum simul esset, quod omnem superat fidem: præterquàm quòd pro certo habuerunt quosdam esse, qui post depressam Cataractam, etsi per exiguum temporis intervallum, absque ullâ Lente viderunt: quod ut notabat* Dñus de la Hire *sufficit ad probandum in Operatione illâ Crystallinum humorem minimè deprimi, ut patet.*

*Verùm enimverò, quum anno* 1707. *novis Observationibus nova de Cataractâ Opinio à cit.* Dño Antonio *corroboraretur; negotium accuratiùs expensum, & ventilatum fuit, institutis hinc inde à* Dñis Littre, Mery, Woolhouse, & de la Hire F. *variis Experimentis: ac ad examen revocatum fuit, num humor Aqueus & Vitreus locum Crystallini depressi subeuntes, possent & illius refractionum vices quoque subire. Sententia igitur non adhuc pro falsâ, sed pro dubiâ primùm habita posteà innumeris factis Observationibus, præsertim à* Dño Mery, *illam evidenter confirmantibus, pro verissimâ recepta fuit. Imò non omninò necessarium esse usum humoris Crystallini pro Refractione radiorum probatum fuit à* Dño de la Hire F., *qui calculò instituto, demonstrat gradum illum Refractionis, qui in reliquis Oculi Humoribus, & in convexitate Corneæ transparentis desideratur, posse sufficienter suppleri à Lente convexâ ante Oculos positâ.*

*Quæ si verà sint, jam videtis* Glaucoma & Cataractam haud duos esse Morbos, *quemadmodùm ex Antiquis priùs notavimus: sed unam Crystallini humoris opacitatem, quam* Glaucoma *Antiqui vocabant, esse simul &* Cataractam *Recentiorum. Nisi forte in* Brissæi *ire velis sententiam, qui ait Cataractam esse Morbum humoris Crystallini, ut dictum,* Glaucoma verò opacitatem humoris Vitrei, *morbum prorsus desperatum & insanabilem: opacitas hæc Vitrei humoris per intermedium Crystallinum translucens, potest quoque sub formâ Corporis glauci seu cæsii, per Pupillæ foramen extrinsecùs conspici, ac quandoque pro Cataractâ haberi. Sed Argumenta novam de Cataractâ Opinionem probantia perpendamus.*

## *ARTICULUS IV.* Observationes novam de Cataractâ sententiam confirmantes.

*Prima Observatio est* Dñi Brissæi, *qui Militis in Nosocomio Tornacensi demortui Cataractam, omnibus signis pro verâ habitam, depressit, postmodùm sectò Oculò, haud Pelliculam ullam invênit, sed Crystallinum humorem*

*humorem opacum redditum, sub humore Vitreo depressam. Hanc Observationem variis argumentis & ratiociniis illustratam* Regiæ Scientiarum Academiæ *anno* 1705. *proposuit; sed pro nihilo habita præsertim à* Dño de la Hire, *ut dictum. Multas similes refert Observationes citatus* Brissæus, *tum in Cadaveribus, tum in viventibus Hominibus: sed elegans est illa, cùm Acu duram & remittentem Cataractam deprimere tentans, illam in quatuor frustula divisit, quorum duo per Pupillam in Cameram anteriorem Oculi nempe in spatium inter Iridem & Corneam transierunt; unum tamen Acu in posteriorem cameram per Pupillam retractum fuit, altero remanente in parte inferiori & exteriori Iridis, ubi extrinsecùs conspiciebatur: quâ Observatione innotuit manifestissimè, Crystallinum humorem durum redditum in quatuor frustula divisum fuisse, non Pelliculam.*

*Prætereo Observationem* Dñi Marescalli, Cl. Fagonio *Christianissimi Regis Archiatro exhibitam: ut & aliam in Oculis* Dñi Bourdelotii *ejusdem Regis Medici factum, in quorum uno opacitas non solum Crystallinum, sed & Vitreum quoque humorem ad lineæ profunditatem occupaverat: quem affectum propriè* Glaucoma *appellat* Brissæus. *Prætereo quoque Observationes* de Cataractis irregularibus, *quas vocat cit. A. cùm scilicet veluti granum Sinapi in medio Pupillæ conspiceretur, cùm fluctuans seu vacillans in humore Vitreo, cùm portio humoris Crystallini, vel illius tria puncta obscurata essent, & similes. Prætereo insuper Observationes.* Dñ. Petiti *Medici Namurcensis*, Aubrieti, *atque aliorum, quos recenset* Laurentius Heisterus tract. de Cataractâ, Glaucomate, & Amaurosi.

*Illustris tamen est & minimè prætereunda, quam recenset, cuique ad publicum rei testimonium subscribit* Dñus Petit *Chirurgus Parisiensis, qui in Sacerdote sexagenario ter depressam Cataractam, ac iterum semper assurgentem, tandem deprehendit illam per foramen Pupillæ, fortassè tempore Somni dilatatum, in anteriorem oculi Cameram pertransisse, non sine Ægri dolore, ut à Chirurgis pro Hypopyo haberetur: factâ incisione in parte inferiori Corneæ transparentis, Cataractam h. e. humorem Crystallinum durum & opacum extraxit, ac* Dño Mery, *aliisque Medicis & Chirurgis ostendit: ipse* Dñus Mery *id ipsum fatetur* in Commentariis Academiæ anno 1708. *ubi alias refert Observationes, & à seipso, & ab aliis factas, novam de Cataractâ sententiam confirmantes; ita ut quum ipse priùs pro Antiquorum Opinione acriter pugnasset, postmodum veritate detectâ ingenuè palinodiam cecinerit.*

*ARTICULUS V.* Recentiorum Argumenta ex Caussis & Phænomenis Cataractæ desumta.

*Præter adductas Observationes & clarissima Experimenta ad novam de Cataractâ Opinionem confirmandam proposita, probare quoque eandem conantur Recentiores ex ejusdem Morbi Ætiologiâ, nempe ex recensione* Caussarum, *quæ illum producere aptæ natæ sunt. Et quidem sæpissimè oritur Cataracta* ab Oculorum Inflammatione, *non quâcumque, sed quæ cum maximo dolore & ardore conjuncta est, quamque* Xerophthalmiam *vocant: Ulteriùs* Aqua fervens, & Pulvis pyrius, *vel* Fulgur *aut* Fulmen *Oculum lædens sæpenumerò Cataractam momento temporis creavit. His autem ex Caussis haud Pelliculam opacam in Oculo concrescere putabimus, sed potiùs ex Caloris excedentis actione, Crystallini humoris diaphaneitatem periisse credemus: quemadmodùm nos videmus in excoctis Animalium Oculis Lentem Crystallinam opacam & albam reddi.*

*Prætereà Cataracta sæpè Oculos invasit* ex Concussione, *vel* Ictu *rudiore*, ex Alapâ, *vel ex quacumque forti* Compressione. *Item* Epilepticis & Senibus *supervenire solet morbus hic. Hoc autem rationabiliùs læsioni aut rupturæ tenuissimorum Vasculorum, atque Fibrillarum, ex quibus componitur Crystallinus humor, aut crassitiei vel acrimoniæ Humorum in Epilepticis & Senibus excedenti, tribuenda sunt, quàm concretioni Pelliculæ opacæ. Facilè enim ex mutatâ structurâ Crystallini, atque ex impedito Liquorum per illum motu, opacitas suboriri potest: sic enim videmus in demortuis Animalibus, altero post mortem die, Oculos fulgorem non solùm amittere, sed Cataractam in iis apparere, absque ullâ Pelliculæ generatione, sed tantùm ex incipiente opacitate Crystallini.*

*Suadere insuper propositam Opinionem Recentiores conantur* ex Phænomenis, *quæ Lens ipsa Crystallina exhibet, deinde*, ex iis quæ ante, in, & post Operationem Chirurgicam *observantur. Et quidem color lentis Crystallinæ opacæ redditæ exactè convenit cum colore Cataractæ. Ulteriùs Crystallinus humor vel minimo præternaturali calore opacus redditur, Aqueus autem humor calore quocumque potiùs in auras abit, quàm opacitatem acquirit, tantum abest ut possit in Pelliculam opacam concrescere.*

Phænomena ante Operationem *præcipua sunt, quòd Cataracta constantem semper servet locum, Crystallinus enim immobilis est; nec imaginari facilè possumus Pelliculam in Aqueo humore concretam, non debere semper situm mutare. Imò opacitas in centro tantum Crystallini producta Nyctalopiæ caussa quandoque fuit; quòd scilicet centrum Crystallini opacum totam Pupillæ aperturam, interdiù satis exiguam, occupabat, adeoque transitum radiorum Luminis impediebat; noctu verò, quum maximè dilataretur Pupilla, locus præbebatur radiis Luminis, illius hiatum subeuntibus, ut per limbum humoris Crystallini adhuc transparentem transire possent ad fundum Oculi. Prætereà locus Perforationis in Oculo faciendæ designat exactè locum Crystallini, haud sedem humoris Aquei.*

Quæ in Operatione *verò* & post ipsam *notantur Phænomena, potiùs Recentiorum quàm Antiquorum Opinionem confirmant; nam ut ex Anatome patet, & fatetur expressè* Hier. Fabricius ab Aquapendente, *qui Antiquorum de Cataractâ Opinionem sectabatur, nequit Acu Oculus perforari, ut Cataractæ depressio fiat, absque eo quòd Crystallinus humor perforetur & lædatur. Insuper Oculi illorum, quibus depressa est Cataracta, vivacitatem amittunt, & omninò languidi veluti morientium observantur: ob defectum nempe Crystallini; quòd si Pellicula tantùm depressa esset, antiquum colorem & lumen Oculi non amisissent. Ulteriùs sæpenumerò Cataracta depressa denuò assurgit, & quidem integra ut priùs erat: ergò est Crystallinus opacus; nam si Pellicula esset, hæc semel depressa, vel non assurgeret, vel convoluta, & inæqualis superficiei appareret. Ut taceam denique quod à principio notatum est, eos quibus Cataracta depressa est, ut clarè videant, Lente artificiali valdè convexâ indigere, quæ deficientis humoris Crystallini vicem gerat.*

*ARTICULUS VI.* Pro Antiquorum Opinione pugnantium Argumenta solvuntur.

Primum Argumentum *petitur ex* Dño Littre, *qui, referente* Dño Mery, *publicè* 28. *Maji* 1707.

oſtendit in Scientiarum Academiâ *Pupillæ foramen integrè clauſum à Cataractâ, ſeu Pelliculâ, illius circumferentiæ adhærente, affirmavitque ex eodem Oculo Cryſtallinum humorem prorſus ſanum extractum fuiſſe. At* Briſſæus Littrium *impoſturæ inſimulat; Oculum enim domo ad Conſeſſum Academicum jam præparatum adduxit, ſubditque lamellam humoris Cryſtallini obdureſcentis poſſe è parte poſticâ Oculi versùs Pupillam propelli, ut illi adhæreat, & falſam Cataractam repræſentet. Verùm etſi* Littrio *fides præſtetur, Membranula illa Pupillæ obducta eique adhærens, haud pro verâ Cataracta habenda, quippe quæ deprimi haud poterat, ſaltem abſque Iridis læſione: quod de veris Cataractis nemo concedit.*

Secundum Argumentum *eruitur ex teſtimonio* Dñi de la Hire F. *qui teſtatur ſe vidiſſe Celeberrimum Medicum Ocularium Anglum* Dñum Woolhuſium *Cataractam deprimentem, atque cum aliis evidenter obſervâſſe, Pelliculam duram, albam, elaſticâ vi præditam, ac rugis quibuſdam aſperam Acu depelli: quod quidem haudquaquàm Cryſtallino humori convenire poteſt.* Reſpondet Briſſæus *in hâc Operatione viſum facilè falli, quemadmodùm per tot ſecula Antiquos omnes hæc Operatio fefellit, qui quidem crediderunt Pelliculam deprimere, cum Cryſtallinum humorem loco moverent. Verùm cur non poterat Cryſtallinus humor opacus jam factus duritiem, albedinem, & elaſticam vim præſe ferre, quin & plicas quaſdam in illius ſuperficie, ex Acûs comprimentis preſſione exhibere?*

Tertiò objiciunt: *remanente foveâ ex depreſſione humoris Cryſtallini, tunc radii incidentes in concavam ſuperficiem humoris Vitrei, potiùs ex Refractione divergerent, quàm convergerent, adeoque in Retinâ pro viſionis opere non unirentur.* Reſpondet Briſſæus *foveam non relinqui, nam ſtatim ac Cryſtallinus deprimitur, portio Vitrei illius locum ſubit, & ſpatium relictum invadit.*

Quartò objiciunt: *ſi vera eſſet Recentiorum de Cataractâ Opinio, Antiquos, diligentiſſimos cæteroqui Chirurgos, haudquaquàm per tot ſecula latuiſſet.* Verùm *nonne per tot ſecula Sanguinis Circulatio latuit, quæ nunc nulli non obvia eſt?*

Quintò objiciunt: *Cryſtallinus humor firmiùs Vitreo, & Choroideæ tunicæ per Ligamentum Ciliare connectitur, quàm ut poſſit tam facilè, Acu in Oculum immiſsâ, loco moveri.* Reſpondetur, *Cryſtallinum humorem tenuiſſimâ membranulâ veluti ſacculo contineri, quâ diſciſsâ facilis eſt illius depreſſio, vel versùs quamcumque plagam elocatio.*

Sextò opponunt: *Ex depreſſione humoris Cryſtallini, atque ex mutatione ſitûs Vitrei, neceſſariò Vaſa quamplurima Sanguinea diſrumpi debent, adeoque ex iis Sanguis effuſus Oculum univerſum turbaret, quod Viſum neceſſario deſtrueret.* Verùm *quamvis Vaſcula in hâc Operatione diſrumpantur, quum hæc & exigua ſint & non Sanguinem rubrum, ſed liquorem ſimilem ſubſtantiæ Humorum Oculi contineant, nulla fieri poterit illorum perturbatio: quòd ſi reverà Acus ad Uveæ Vaſa Sanguinea ex Operatoris negligentiâ pertingat, tunc certè ex Sanguinis effuſione Oculi Humores turbabuntur. Præterquàm quòd eadem Objectionem reſpondere debent & ii, qui Antiquorum favent ſententiæ, ut patet.*

Septimò inſtant: *Si rumpuntur Vaſcula, cujuſcumque ſint ſpeciei, ſaltem turbari deberet nutritio Humorum Oculi, & præcipuè Vitrei, in quo major laceratio.* Reſponderi *autem poteſt, quòd etſi aliqua rumpantur, remanent tamen quamplurima, ex innumeris quæ Cl.* Ruyſchius *demonſtravit, quorum ope Humorum nutritio peragi poſſit. In Vulneribus enim partium omnium, etſi quamplurima Vaſa læduntur; quæ remanent tamen læſorum vicem ſubeunt, ut partes nutriantur & conſolidentur. Quin ſi talis fiat in Oculo Vaſculorum laceratio; turbari reverà poterit, non ſolùm Humorum nutritio, ſed impediri radiorum Luminis tranſitus: quemadmodùm quandoque accidit, ut poſt depreſſam Cataractam, minimè Viſus redierit.*

Objiciunt octavò, & ultimò *varias Antiquorum Obſervationes, & præcipuè* Jo. Rhodii, Wepferi, C. Hofmanni, Thomaſii, Braſavoli, Plateri, *& aliorum, atque inter Recentiores,* Boneti, Nuckii, & Woolhuſii *Ocularii Medici Angli, qui directè ſæpiùs citatum* Briſſæum, *tum Rationibus tum Experimentis adductis, impugnat. His omnibus Obſervationibus evincere conantur Antiquorum Opinionis Sectatores, Cataractam non eſſe, niſi Pelliculam ante Cryſtallinum concretam, nequaquam verò ipſum Cryſtallinum opacum redditum. At* Laurentius Heiſterus tract. peculiari de Cataractâ & Glaucomate, *poſtquàm horum AA. Obſervationes retulit, reſpondet illas dubias admodùm & incertas, imò ſæpiſſimè falſas & fictitias eſſe, quippe quæ ab iis inſtitutæ ſunt, qui mentem Antiquorum Opinione præoccupatam habebant, adeoque ea ſe videre credebant, quæ nuſquam erant, hoc eſt Pelliculam deprimere, cùm Cryſtallinum depellerent. Ad hoc autem ut Obſervationes Autorum recipi poſſint, ad Recentiorum Hypotheſin evertendam, has debent habere* Conditiones; *ut notat cit. A. 1. ut Cataractæ depoſitio priùs fuerit peracta: 2. ut Æger poſteà viderit: 3. ut poſt mortem in Oculis diſſectis inventa ſit Membranula depreſſa: 4. ut humor Cryſtallinus in ſuo loco ſit repertus: ac 5. ut nulla mutatio in Oculo ſit deprehenſa. Sanè has conditiones in citatis Obſervationibus non reperies: fruſtrà ergò adversùs Recentiorum Opinionem opponuntur.*

*ARTICULUS VII.* Præcipuum Argumentum ex uſu Cryſtallini deſumtum expenditur.

*Sed Achilles* Argumentorum, *quæ contra novam de Cataractâ Sententiam proponi ſolent, illud eſt, quod deſumitur* ab Uſu Cryſtallini humoris: *quum enim vulgò receptum ſit Cryſtallinum humorem ad Viſionis ſenſationem perficiendam omninò neceſſarium eſſe; quumque videamus eos, quibus Cataracta depreſſa eſt Oculis quomodocumque uti; quis erit, qui credat pro Cataractâ Cryſtallinum ipſum humorem depreſſum eſſe? Imo præjudicium de neceſſario pro Viſione Cryſtallini uſu cauſſa eſt, cur haud facilè Philoſophi & & Medici in Recentiorum de Cataractâ Sententiam veniant.*

*Verùm hujus Argumenti vis facilè diſſabitur, ſi notemus Cryſtallinum humorem ad Viſionem maximè facere nequaquàm autem ad illam omninò neceſſarium eſſe; imò magis neceſſarios ad Viſionem eſſe Vitreum & Aqueum humorem, quàm ipſum Cryſtallinum ex eo evidens eſt, quòd demto Cryſtallino non aboleatur Viſio, aboleatur verò, ſi vel Vitreus vel Aqueus deficiat humor.*

*Hæc Veritas ſuaderi primò poteſt exemplo* Cameræ obſcuræ, *in quâ obſervamus Imagines in chartâ depictas à radiis per feneſtræ foramen tranſeuntibus, abſque ullâ Lente foramini appoſitâ: etſi fateamur Lente appoſitâ diſtinctiorem fieri Imaginum picturam. Suadetur inſuper exemplo* Microſcopiorum

piorum compositorum, *quorum ope objecta majora videmus adhuc unâ demtâ Lente, etsi minùs accuratè; accuratissimè tamen illa contemplamur omnibus Lentibus appositis. Eâdem igitur ratione perfectior reddi poterit Visio, adminiculante humore Crystallino, illô tamen remotô, videre quoque etsi minùs perfectè possumus.*

*Sed ut negotium vobis prorsus perspectum sit, consideremus primò Oculum Crystallino secundùm naturam præditum. Supponimus ex Dioptricis, Radios venientes ex puncto Objecti, incidentes in Corneæ superficiem, atque in subjectum humorem Aqueum, refrangi versùs perpendicularem, adeoque convergere: mox in superficie Crystallini ex nova Refractione versùs perpendicularem factâ magis convergere: postmodùm quum iidem Radii in alteram superficiem humoris Crystallini incidant, novam patiuntur à perpendiculari Refractionem, ex qua magis convergentes, tandem uniuntur in fundo Oculi, seu Retinæ ad Visûs sensationem excitandam.*

*Consideremus modò Oculum, in quo Cataractæ, hoc est Crystallini humoris depressio facta sit, qui scilicet Acu Chirurgi è sede suâ sit deturbatus: in hoc inquam Oculo notabimus, Radios venientes ex puncto Objecti, in superficie quidem Corneæ & in subjecto Aqueo humore refrangi, ut in Oculo sano, adeoque convergere: quoniam autem non Crystallinum humorem suo in loco, sed Vitreum offendant, qui Crystallini locum & figuram convexam acquisivit; in hâc convexâ Vitrei superficie refrangentur quidem Radii versùs perpendicularem, & ad convergentiam: Verùm quoniam Refractio hæc in Vitreo facta illam æquare non potest, quæ fiebat in Crystallino, (est enim Crystallinus humor Vitreo solidior); hinc Radii minùs refracti non tam convergent ac in sano Oculo, adeoque non exactè in fundo Retinæ unientur, sed in ulteriori puncto: hinc Visûs confusio. Quòd si ante hunc Oculum Lens convexa apponatur, quum ex novâ in ipsâ factâ Radiorum Refractione hi magis convergant; fieri facilè potest, ut hi magis refracti, adeoque magis convergentes, præcisè in puncto Retinæ uniantur ad exactam visionem.*

*Hæc autem adeò vera sunt, ut fieri possit,* ex depressione Crystallini Visum reddi quandoque meliorem: *Si scilicet quis ex nimiâ Crystallini convexitate, vel ex excedenti Oculi longitudine, Myopiâ laboret, propterea nempe quòd ex nimiâ factâ in Crystallino Refractione, vel ex nimiâ Oculi longitudine, Radiorum unio fiat, antequàm ad Retinam pertingant, quare necesse sit ut objecta quantò propiùs Oculis admoveantur; quemadmodùm Myopes faciunt. Hoc casu Crystallini depressio opem ferre ad perfectiorem Visionem poterit; imminutâ enim Radiorum, ob Crystallini defectum, Refractione, coibunt hi in ulteriori sede, nempe præcisè in fundo Oculi, adeoque Visio exactissimè peragetur.*

*Hinc facile colligere possumus* (*ut notat cit.* Heisterus c. l.) *haud jure decrevisse* Dñum de la Hire, *quòd si unus tantùm fuerit, qui depressa Cataractâ semel viderit. hinc inferri necessariò debeat; nequaquàm in Cataractæ Operatione Crystallinum deprimi. Nam ut modò dictum ex Crystallini depressione, Visus perfici poterit, qui priùs mancus erat: ita ut quandoque pro Visûs impedimento Crystallinus etiam transparens sit reputandus, si scilicet nimium convexus sit.*

*Ad rem quoque facit elegans Cl.* Hugenii *excogitatum, qui* Dioptricæ prop. 31. *exponit* modum Oculum construendi absque Crystallino, *quo & distinctè Visio peragi possit. Fiat hemisphærium pellucidum, quod repræsentet partem anteriorem Oculi, fundum verò ejusdem repræsentetur ab altero hemisphærio priori opposito, quod habeat idem centrum cum priori, sed illius semidiameter tripla sit semidiametri prioris: tota denique cavitas utriusque hemisphærii aquâ repleatur. Hoc pacto juxta regulas Dioptricæ, Radii venientes ex puncto Objecti, refracti in superficie anterioris hemisphærii, coibunt in uno puncto hemisphærii posterioris, quemadmodùm & radii venientes ex aliis punctis circa primum positis, eâdem ratione refracti in superficie anterioris hemisphærii, coincident in totidem puncta hemisphærii posterioris circa primum punctum posita: quod eò distinctiùs fiet, si Spatium utriusque hemisphærii cavitates conjungens non omninò pervium & apertum relinquatur: sed aliqua ratione coarctetur, relicto tantùm inter eas cavitates foramine. Vides igitur in hâc machinâ* Hugenii, *quomodò Oculus, qui solâ Corneâ, Pupillâ, & Fundo aqueâ substantiâ repleto constaret, ad Visionem sufficiens esse possit, nullo adhibito Crystallino, imò nec Vitreo humore: hemisphærium enim anterius & minus Corneam repræsentat; foramen cavitates conjungens, Pupillam; atque hemisphærium majus & posterius Oculi fundum exhibet.*

*Hanc machinam Hugenianam corrigere tentavit* Jo. Henricus Mullerus, *ut scilicet apta esse posset ad radios colligendos, tum ex Objectis remotis, tum proximis provenientes, eosque in fundo præcisè Oculi excipiendos: ingeniosum est Machinamentum, quod videre est apud* Heisterum loco citato num. 52. & seqq. *Verùm hîc notandum quod accuratè notat Cl.* Hugenius, *non ex eo quòd simplicior videatur hic suus Oculus, esse ea propter præferendum Oculo à Sapientissimo rerum Conditore creato; nam sua Machina multa habet incommoda, quæ ipse recenset, præcipuè quòd haud aptè moveri posset in Orbitâ osseâ, ubi Oculus collocatus est: quibus incommodis obviam itum est à D. O. M. variis Oculum complendo Humoribus, quorum ope Refractio Radiorum ad Visum necessaria peragi possit. Sed hæc mittamus.*

*Adeò autem menti Cl.* Dñi de la Hire *insederat Sententia de necessitate Crystallini ad Visionem, ac proinde in Cataractæ depressione Crystallinum non deprimi; ut objicientibus necessitatem Perspicillorum iis, quibus Cataracta depressa est, responderit,* Perspicillorum in iis usum esse *ad emendandum aliquod vitium humoris Aquei, qui fortasse ob morbum turbidus redditus fuerit, adeoque minùs aptus ad tantum numerum Radiorum excipiendum, quantus ad visionem requiritur; Perspicilli autem ope quum majori numero Radii colligantur, fit ut visio illius auxilio perfectior reddatur. At reponit* Brissæus, *turbulentiam hanc humoris Aquei falsò adstrui, quum nulla sit; imò si illam aliquo modo deprehendant Chirurgi, Cataractam deprimere minimè aggrediuntur. Præterquàm quòd si radii Luminis transitum non inveniunt ex eo, quòd Aqueus humor turbidus existit, haud apparet quid opis præstare possint centum Perspicilla, cujuscumque construantur figuræ: Perspicillis enim utimur, non tam ut plures radios excipiamus, quàm ut collectos in fundo Oculi distinctè colligamus.*

Urget *citatus* de la Hire *Crystallini humoris ad Visum necessitatem etiam ex eo, quòd* summè difficile sit Crystallinum Acu loco movere, (*ut in Oculo bovino ipse ostendit, quum ab Aqueo humore, & magis à Vitrei tenaciori substantiâ fulciatur; saltem absque læsione tenuissimæ Membranulæ, quâ*

*Cryſtallinus ipſe circumtegitur. Atque hujus Membranulæ læſione fieri poteſt, ut quamquàm immediatè poſt Operationem, per eam humidam exiſtentem Radii Luminis tranſeant, ac Viſionis opus promoveant; attamen temporis tractu aliquatenus corrugata, Radiorum tranſitui impedimento ſit, adeoque qui ſemel poſt Cataractæ depreſſionem viderunt, poſſint deinceps ampliùs non videre.* Verùm reſpondent *contrariæ Sententiæ fautores, Operationis difficultatem quam* de la Hire *oſtendit, non eſſe niſi in Oculo ſano, cujus Cryſtallinus ob teneritudinem Acûs vim minimè pati poteſt; ſecus verò cùm jam ob morbum obduruit: tunc enim facilè ſimul cum ſuâ Membranulâ arripitur, & versùs infimam Oculi ſedem deturbatur.*

*Quamquam denique ſuæ firmiter hæſiſſet Opinioni* Dñus de la Hire, *Cl. tamen ejus* Filius, *qui Patri priùs adhæſerat, anno* 1708. *ingenuè faſſus fuit,* Cryſtallini humoris nullam eſſe pro Viſione omnimodam neceſſitatem; *nam quum humor Vitreus (ut innuerat quoque* Des-Cartes) *eâdem gaudeat Refractione ac Aqueus, poterunt Radii per hos Humores tranſeuntes, veluti per ſphærulam aquâ plenam, poſt fundum Oculi colligi: accedente autem majori convexitate Corneæ tranſparentis, & novâ Refractione Cryſtallini, tunc radii exactè in Retinâ colligentur: quid mirum ergò ſi remoto & depreſſo Cryſtallino, Lens vitrea Oculo oppoſita, vicem illius præſtet, & radios in eâdem Retinâ coire faciat?*

## *ARTICULUS VIII.* Noſtra de Cataractâ & Glaucomate Opinio.

*Ut verum fatear, ea eſt Obſervationum, atque Argumentorum evidentia & vis, ad Recentiorum de Cataractâ & Glaucomate Opinionem confirmandam, ut in illorum eundum eſſe Sententiam facile judicaverim. At tametſi credam Obſervationum accuratiſſimarum non exiguum numerum concurrere, ad probandum in Operatione Cataractæ Cryſtallinum deprimi, non Pelliculam Aqueo humori ingenitam; nihilo tamen minùs haud credo impoſſibile eſſe, ut in ſpatio inter Pupillam & Cryſtallinum humorem, novum Corpus opacum radios Luminis intercipiens generetur, quod vera ſit Antiquorum Cataracta, Morbus ab eorundem Glaucomate, ſeu opacitate Cryſtallini, omninò diverſus. Quid enim vetat quin particulæ, ex quibus Aqueus humor in eo ſpatio contentus conſtat, novum acquirant, & irregularem ſitum, ex quo in opacum Corpus evadant, ac tranſitum radiis Luminis, quem priùs permittebant, impediant? Vel quid vetat quin particulæ nutrimenti, quæ ipſi humori Aqueo addiuntur, à naturali figurâ, motu & magnitudine degenerantes, ſimul concreſcentes, Corpus opacum eo loci creent, & Cataractam Antiquorum producant? Quemadmodùm enim ſimilibus ex cauſſis Cryſtallinus humor, vel totus vel ex parte opacus reddi poteſt; ita quoque & Aqueus humor, & Vitreus, & quodcunque tranſparens Corpus tranſparentiam ſuam amittere poterit.*

*Quæ ſi vera ſint, etſi facilè credamus vulgò exiſtimatam Cataractam frequentiſſimè non eſſe niſi verum Glaucoma, h. e. opacitatem humoris Cryſtallini; non ex hoc tamen vera Cataracta, ſeu generatio Pelliculæ opacæ ante Cryſtallinum, è Morborum cenſu omninò expungenda erit: præſertim quum illam non ſolùm poſſibilem ex ſuperius dictis crediderim; verùm etiam exiſtimo illam fortaſsè extitiſſe, quum non deſint Obſervationes eandem aſſerentes. Et præter Obſervationem* Dñi Littre, *de quâ ſuprà, illuſtris eſt quam recenſet* Bonetus in Sepulchreto Anatomico de Oculorum affectibus, Obſ. 22. *ubi ait in Oculo Cataracta laborante à Chirurgo* Bailly *diſſecto, inventum fuiſſe foramen Uveæ Muco quodam obſtructum, & obtenſam Cryſtallino humori Pelliculam candicantem & lucidam, humores verò Cryſtallinum, Aqueum, & Vitreum omni labe immunes deprehenſos.*

*Quoniam autem haud de poſſibilibus Medicina tractat, ſed de iis quæ accidere ſolent; pro hujus Quæſtionis reſolutione, Obſervationibus in demortuorum Oculis inſtitutis omninò ſtandum eſſe puto, ut quid reverà fiat potiùs notemus, quàm quid fieri poſſit. Argumenta enim potiſſima pro alterutrâ Sententiâ allata, ſuas patiuntur difficultates. Nam ſi* pro Antiquis *dixeris, quoſdam poſt Cataractæ depreſſionem vidiſſe: Reſpondent Neoterici, ex eo non probari Cryſtallinum minimè depreſſum eſſe; etenim, ut priùs dictum, Cryſtallini remotio ad perfectiorem Viſionem facere quandoque poteſt. Præterquàm quod ii quibus nuper Cataracta depreſſa eſt, ſi quid tunc temporis vident, ſatis confusè vident, etſi magnum quid ſibi videre videantur, quippe qui ex Cæcitatis tenebris in aliquam Lucem tranſierint.*

*Si verò* pro Neotericis *objicias neceſſitatem Lentis Cryſtallinæ iis, quibus Cataracta depreſſa eſt: Reſpondere poſſent, qui pro Antiquis pugnant, non inde inferri depreſſum eſſe Cryſtallinum humorem, ſed tantùm mutatam eſſe illius figuram: etenim fieri facilè poteſt, ut ex veræ Cataractæ ſeu Pelliculæ opacæ generatione, ſi hæc ſuperficiei Cryſtallini adhæreat atque incumbat, poſſit hujus figuram ex compreſſione & adhæſu immutare, ita ut Cryſtallini humoris ſuperficies minùs convexa reddatur. Hinc fieri neceſſariò debet, ut etiam depreſsâ Pelliculâ opacâ ante Cryſtallinum reſidente, non poſſit homo videre abſque Lente, quæ ſuâ convexitate deficienti Cryſtallini convexitati ſupplementum præſtet. Non valet igitur Argumentum à neceſſitate Lentis cryſtallinæ deductum, ad probandum Cryſtallinum humorem in Operatione depreſſum fuiſſe. Omninò igitur Obſervationibus in Cadaveribus factis ſtandum eſt.*

## *ARTICULUS IX.* Differentiæ, Cauſſæ, Signa, & Curatio Cataractæ & Glaucomatis.

*Innumeras* Cataractæ Differentias *invenies apud Antiquos: præcipuæ autem ſunt quæ à majori vel minori opacitate humoris Cryſtallini, aut ſi mavis à majori vel minori craſſitie Pelliculæ opacæ deſumuntur: quæ quidem ad Curationem faciunt. Diſtinguunt itaque Chirurgi inter* Incipientem & Immaturam *Cataractam, atque* Confirmatam & Maturam. *Maturam vocant, quæ tantam ſoliditatem acquiſivit, ut vim Acûs ſuſtinere facilè poſſit; Immaturam verò quæ quum ſolida non ſit, poteſt ab Acu lacerari potiùs quàm deprimi. Alias Cataractæ Differentias deſumtas à* Colore, *à* Tempore *aliiſque adjunctis prorsùs negligunt Oculiſtæ.*

*Quoad* Cauſſam Cataractæ, *miſſam facimus Antiquorum Opinionem reputantium Cataractam gigni ex Vaporibus è Ventriculo elevatis, ac in Oculo condenſatis: innuimus tantùm Sententiam* Joſephi de la Char-

Charriere, *qui ait Cataractam formari à* Lamellâ humoris Cryſtallini, *ab aliis Lamellis (ex multis enim Lamellis ſibi mutuò incumbentibus conſtare ait Cryſtallinum humorem) ſecedente atque opacâ redditâ, dein in Aqueo humore fluctuante: atque hinc factum eſſe putat, ut mutatâ Cryſtallini figurâ, poſt depoſitionem Cataractæ, Viſus ſummè hebeteſcat. Hanc autem ingenioſam Hypotheſin refutat* Heiſterus num. 82. *notans, illam Cadaverum diſſectione minimè comprobari, Lamellas haud facilè ab aliis ſecedere poſſe, ſaltem abſque diſruptione Membranulæ Araneæ, & abſque eo, quòd aſpera remaneat ſuperficies humoris Cryſtallini, unde Lamella educta eſt; quod quidem neceſſarium pareret Visûs impedimentum.*

Cauſſam igitur genuinam Cataractæ *exiſtimamus eam, cujus vi Cryſtallini humoris opacitas gigni poteſt; hæc autem eſt vel ruptio aut obſtructio* Vaſculorum, *vel concretio* Humoris *per illa trajecti; ita ut mutatâ correſpondentiâ pororum, impediatur tranſitus radiorum Luminis.* Corpora *enim* Tranſparentia *ſunt, quæ poros habent non quidem rectos, ut notat* Des-Cartes, *ſed rectis æquivalentes, ut ſcilicet per illos Luminis radii trajici poſſint: ſi ergò vel obſtructis, vel omninò diſruptis Vaſculis Cryſtallini, aut quacunque ex cauſsâ Humores præterfluentes concreſcant, mutatâ pororum diſpoſitione, tranſparentia peribit, & Cataracta orietur.*

*Hinc* Cauſſæ remotæ Cataractæ *erunt, vel quæ calorem & exſiccationem in Oculo vehementem pariunt, unde Vaſorum conſtrictio & obſtructio; vel quæ circulationem Liquidorum in Cryſtallino impedire poſſunt. Unde patet non ſolum* Acidum *eſſe remotam Cataractæ cauſſam, ut putabat* Antonius Maitre-jean; *nam Cryſtallinus humor opacitatem acquirit, non ſolum ex immerſione in acidum Liquorem; ſed & in Aquam fervidam, Spiritum Vini, Spiritum Salis Ammoniaci, Oleum Tartari, Muriam &c.*

Signa Diagnoſtica incipientis Cataractæ *ſunt, ſi Æger veluti per fumum vel nebulam videre fateatur, ſi quandoque filamenta quædam, vel muſcas volitantes, quæ nuſquam ſunt, ante Oculos obverſari referat: inſuper Pupillæ Color ex nigro ad alium Colorem vergere incipit. Quò magis autem Color hic ad glaucum, cæruleum vel cæſium accedat, atque opaci corporis ſpeciem referat, eò Cataracta ad maturitatem magis accedere dicitur, quo tempore ſicuti matura glans à ſuo calyce facilè dimoveri poteſt.* Signa Glaucomatis *propriè dicti juxta ſententiam* Briſſæi *erunt ſi Opacitas profundiùs retro Pupillam conſpiciatur, in loco nempe Vitrei humoris, qui in vero Glaucomate opacus redditur: item ſi ſplendor quidam cum opacitate conjunctus in Pupillâ obſervetur.*

Falſam Cataractam, *ſeu Corpus opacum foramini Uveæ adhærens deprehendemus ex abolito motu Pupillæ. Difficile ſanè eſt, ne dicam impoſſibile, ante Operationem judicare, num in Cataractâ ſit humor Cryſtallinus opacus redditus, an verò Corpus aliud opacum. Illud pro argumento habent, ſed peractâ Operatione: ſi nempe homo Lente Cryſtallinâ opus habeat, ſignum eſt ei depreſſum eſſe Cryſtallinum; ſi abſque Lente videat, Corpus opacum, quod Oculum obſidebat deturbatum eſſe arguunt. Verùm quum ſuprà notatum ſit, poſſe Cryſtallini figuram ad adhærente Corpore opaco immutari, poterit quis Lentis neceſſitatem habere, etſi non Cryſtallinus, ſed Corpus aliud opacum depreſſum fuerit.*

*Quoad* Prognoſticum *hujus Morbi attinet, illud primò notandum Glaucoma, ſeu opacitatem Vitrei, eſſe prorsùs inſanabilem, Cryſtallini verò opacitatem, ſeu Cataractam Recentiorum, non poſſe, niſi Chirurgicâ Operatione, h. e. depreſſione ſanari. Recens & immatura Cataracta facilem Curationem non ſuſcipit, quòd nempe Acûs vim difficulter ferat. Valdè vetuſta nec etiam Operatione curari ſolet, ob alia mala in Oculo ex temporis diuturnitate inducta. Iridi & Pupillæ adhærens haud facilè deprimi poteſt. Nec Pueri nec valdè Senes Operationem ferunt. Ex Corporis infirmitate, vel ex Chirurgi errore, ſolent Febres & Inflammationes Oculis ſupervenire.*

De Curatione *denique Cataractæ præſtat nihil quàm pauca dicere. Sufficiat tantùm animadvertere, Cataractam* nullis Medicamentis, *ſive internis ſive externis, curari poſſe: ſi curabilis ſit,* ſolâ Acûs Operatione *curabitur. Ingenioſum eſt, quod proponit* Dom. Mery, *per ſectam in parte inferiore Corneam tranſparentem, Cryſtallinum opacum, per Pupillæ foramen priùs tranſmiſſum, extra Oculum educere, ut in Sacerdote quodam factum fuiſſe priùs notavimus: verùm quomodò trajectio Criſtallini per Pupillam in Cameram anteriorem Oculi facienda ſit, non clarè explicat, etſi innuat Pupillæ foramen facilè dilatabile eſſe. De vulgari autem Acus Operatione, & de requiſitis ad eam, præter innumeros, fusè loquitur* Laur. Heiſterus tit. tract. de Cataractâ & Glaucomate à num. 95. ad finem uſque, *qui accuratus ſanè eſt, quicquid dixerint* Woolhuſius & Ephemeridum Gallicarum Collectores, *adverſus quos idem* Heiſterus anno 1717. *Apologiam & luculentiorem Syſtematis illuſtrationem publici juris fecit. Et hæc de Cataractâ & Glaucomate.*

## MEMBRUM IV.

### *De Vitio Nervi Optici.*

### *PUNCTUM I.*

### *De Gutta Serena.*

VItiatur etiam Viſio, quando, licèt rectè Radii viſivi extrinſecùs illapſi pertingant per totum Oculum uſque ad Tunicam Retinam, eamque feriant, nulla verò ſequatur Viſio, utut nulla aperta aut ſenſibilis in Oculo appareat Læſio aut Alteratio, tunc vitium hoc dicitur Græcis *Amauroſis*, Latinis *Gutta Serena*, Germanis *der Schwartze Staar*, ſive *Cataracta Nigra*, & eſt omnimoda *Cæcitas*, uti uſitatiùs in ſpecie vocatur.

### CAUSÆ.

Cæcitatis hujus *Cauſa* quærenda eſt ferè ſemper, cùm præſupponitur Oculus ſalvus, vel in *Nervo Optico*, vel ejus *Expanſione*, quæ *Tunicam Retinam* conſtituit. In *Nervo Optico* quidem contingit Gutta Serena, quando hic vel obſtruitur, vel comprimitur, vel alio modo læditur, tam circa radicem, quàm progreſſum, ita ut impediatur propterea Spirituum Animalium influxus & tranſitus, unde neceſſariò *Cæcitas* ſupervenit: vid. Bartisch augen dienſt *Part. 6. cap. 1.* Loſſius *lib. 1. Obſerv. 27.* Platerus *Obſerv. pag. 108. & 100.* & Riverius *Pr. lib. 2. cap. 1.* quibus à Sculteto *Obſervat. 26.* etiam *Contabeſcentia* dictorum Nervorum accenſetur. Sic Guttam Serenam à Tumore globoſo in Cerebro, Nervos Opticos premente, provenientem notat Platerus

*lib.*

*lib.* 1. *Obſerv. pag.* 101. non minùs ac Paw *Obſerv. Anatom.* 2. (quæ additæ ſunt Bartholini *Obſervationibus*) notat Cæcitatem ex improviſo ortam in Diabeticâ, ob Veſicam ingentem Aquâ copiosâ plenam circa conjunctionem Nervorum Opticorum inventam. Sternutatio nimia etiam Cæcitatem induxit autore Hildano *Centur.* 1. *Obſerv.* 24. vid. etiam M.A.N.C. *Ann.* 1. *Obſ.*71.*pag.* 174. A fortiori Cerebri Commotione, v. g. poſt Caſum, obſervavit Hildanus *Cent.* 5. *Obſerv.* 8. ab Alapâ Zacutus Luſitanus *lib.* 1. *Prax. Admir. Obſerv.* 52. & Amatus Luſitanus *Centur.* 7. *Obſervat. Med.* 44. Pariter interdum *poſt alios Morbos* plùs minùs acutos curatos ſupervenit talis Gutta Serena, nunc per Metaſtaſin, nunc alio modo commotâ Causâ Materiali occaſionali, obſtruente vel vitiante Nervum Opticum: Sic enim *ex Scabie* ſcorbuticâ *retropulsâ* Cæcitatem obſervat Sennertus *lib.* 1. *Prax. pag.* 886. item *ex ſublatâ Nattâ* ex Nuchâ Guttam Serenam obſervavit Horſtius *in Obſerv. pag.* 574. item *ex Ulcere Pedis* intempeſtivè clauſo ſimilem Guttam Serenam notat Timæus *von Guldenklee lib.* 2. *Caſ.* 28. *pag.* 60. ex uſu Decocti Guajaci in Lue Venereâ, non purgato Corpore, Amauroſin notat Henricus *ab* Heer *Obſerv.* 4. non ſecus ac Rhodius ab intempeſtivo Sudorifero notat *Cent.* 1. *Obſ.* 37. à Venæ ſectione Fontanus *Exempl.* 10. *f.* 48. ex Veneno Tulpius *lib.* 1. *cap.* 32. à Purgatione fortiore Ammanus *Med. Crit. Caſ.* 79. *pag.* 530. &c. Ubi nulla alia hujus Phænomeni poteſt inveniri Cauſa, niſi quòd lædatur exinde Nervus Opticus, & vel obſtruatur vel comprimatur. Aliàs curioſum eſt, quod refert Bartholinus *Cent.* 3. *Epiſt. pag.* 275. de Monacho, qui quoties Barbam raſerit, Viſum amiſit; quando verò ea iterum crevit, Viſum recuperavit: quod fuit factum vitio Nervi Optici quocunque modo læſi.

Sed præter *Nervum* hunc *Opticum vitiatum* interdum etiam hujus *Nervi Expanſio* membranacea in Bulbum Oculi, quæ *Tunicam Retinam* conſtituit, interdum Cauſa primaria eſt Guttæ Serenæ, quando nempe hujus Tonus, Tunicæ Retinæ nimirum, & legitima Tenſio, quæ fortiter expanſa in Oculo, à quovis viſualium Radiorum illapſu movetur. Unde ſi hæc ipſa Membrana redditur vel Paralytica, & deficiat in debito Tono, vel quando læduntur Fibræ, & vel contunduntur, vel lacerantur, vel alio modo remittunt à debito Tono, relaxetur, & ita flaccida ac molliuſcula evadat, ita ut non niſi à forti, aut etiam à nullo Radio viſivo moveatur, neceſſariò omninò Cæcitas plùs minùs intenſa ſequitur.

Quô etiam facit, quando ex *Cauſis Externis*, forti Percuſſione Oculi, vel ex Caſu in Occiput, vel ex forti Sternutatione (vid. Hildanus *Cent.* 1. *Obſ.* 24.) aut etiam ex nixu nimio Epileptico, laceratur quaſi, aut aliâ etiam ratione vitiatur Membrana Tunicæ Retinæ. Hinc obſervatum, poſt Epilepſiam gravem Cæcitatem incurabilem ortam fuiſſe, quatenus nempe à nimiis Convulſionibus Tunica Retina plùs minùs lacerata vel læſa Guttam Serenam infert. Porrò ad iſtas Cauſas, quæ poſſunt inferre læſionem Tunicæ Retinæ, & inde Guttam Serenam, accenſendus venit Objecti nimis ſplendentis, v. g. Solis, diutinus nimis aſpectus, aut etiam diuturnior & continuata Lunæ Plenæ inſpectio, cujus Exemplum habet Heinricus ab Heer *loc. all.* item Salmuth *Cent.* 2. *Hiſt.* 83. quatenus ab horum Radiis violenter impreſſis, propter nimium talem motum Fibræ ipſius Tunicæ reſolvuntur, & quaſi Paralyticæ evadunt, unde Gutta Serena.

Quô etiam facit, quod ex Bombardarum horribili coruſcatione & impetu Viſus ſine externâ notâ ſubitò amiſſus fuerit, teſte Schenckio in *Obſ.* Quô etiam facit, ſi ex Percuſſione Oculi, ex Caſu in Occiput vitietur hujuſmodi Membrana, ut exinde deficiat Viſus. Pertinere huc videntur Convulſiones, quæ ſubinde in Cæcitatem terminaſſe viſæ ſunt, item Epilepſiæ, item Dolores Colici. Platerus nempe *lib.* 1. *Obſerv. pag.* 102. obſervat Dolores Colicos cum Convulſione & Cæcitate quotannis recurrentes; item *Obſ. pag.*100. & 102. alia Exempla refert ejuſmodi Cæcitatum poſt Convulſiones natarum; non ſecus ac Schenckius *in Obſ.* ex Colicis Doloribus excæcatam Mulierem refert: Sic Hildanus *Cent.* 5. *Obſ.* 5. Cæcitatem ortam refert poſt curatam Epilepſiam per Vomitum. Hæ in ſpecie ad Guttam Serenam diſponentes fuerunt Cauſæ. In genere obſervandum nil magis nocere Oculis, quàm nimium *Veneris Exercitium*, adeò, ut hujus ſolius occaſione quoſdam Guttâ Serenâ affectos meminerim.

Sunt porrò, quorum Oculi ex Idioſyncraſiâ à quibuſdam *Aſſumptis* notabiliter alterantur. Novi Virum, qui ex Variolis à Pueritiâ Oculos habet debiliores, qui, quoties Cancros comedit fluviatiles, toties exaſperantur Pathemata Oculorum: id quod & ex Milio ipſi evenit: Sic alium novi Virum, ex Cancris idem Malum contraxiſſe: Aromatarium novi, qui ex Vegetabilium acrium, Armoraciæ, Cochleariæ, Sinapi, &c. abuſu notabilem Oculorum hebetudinem incurrit; hinc communiter ſæpè Oculis hoſtiles dicuntur: Novi Virum jam ſeneſcentem Vertiginoſum, qui ex uſu Spiritûs Salis Ammoniaci notabilem Visûs hebetudinem percipit.

Singularem Guttam Serenam *Gravidis* ſolemnem, quæ ſtatim ab Imprægnatione invadit, & ad aliquot menſes, imò per totum Geſtationis tempus, moleſta eſt, & poſt Partum ſponte remittit, videbitis in Bartisch Augendienſt; qualem etiam iiſdem, quæ Menſium Suppreſſione laborant, evenire, neque, niſi his reſtitutis, evaneſcere teſtatur.

## DIAGNOSIS.

Cæterùm Guttam Serenam in Cæcitate adeſſe, *non ſemper manifeſtum eſt*; nam poſſunt etiam occulta Oculi vitia Cæcitatem inferre. Hinc ut vitii Retinæ conjecturam probabilem hauriamus, attendatur: quando nullo vitio ſenſili aut notabili in Oculo præſente, Homo nihilominùs cæcus evadit, & quidem Cæcitas iſta ſi fiat paulatim ſuſpicio eſt, quòd ex vitio Partium quarundam in Oculo non apparente fiat Cæcitas: quæ verò confeſtim fit, aut breviter ſua incrementa capit, citra ſenſilem læſionem, ex vitio Nervi Optici quòd fiat, probabiliſſimum eſt, ſi præceſſerit læſio Cerebri aut Capitis, Nervos plùs minùs afficiens. Aliàs quæ *de Amplitudine, Dilatatione Pupillæ* &c. feruntur Indicia, ferè fallacia ſunt, quibus ſolis non fidendum, dicit Platerus *in Praxi.* Dicunt enim, ſi fricando Oculum unum, & alterum comprimendo, in Pupillâ ejus, qui fricatur, appareat Dilatatio & Conſtrictio, Nervum Opticum eſſe illæſum, Spiritumque liberum habere commeatum, atque tunc cæteris paribus vitium hærere in Tunicâ Retinâ, vel in alio Oculi loco. Si nulla planè ſit Dilatatio, vitiatos eſſe Nervos Opticos: nam Amplitudinem Pupillæ etiam in Hominibus ſanis, ad loca tenebroſiora

ſe

se convertentibus, naturaliter dari; in casu verò allabentis Luminis excellentioris Pupillam arctiùs constringi, ne Oculus nimiâ Radiorum ubertate obruatur, certissimum est. Parilis subest error quoad Dilatationem: nam dum Æger Luci obvertitur, ut Pupilla tantò clariùs videri possit, Pupilla identidem ad Luminis excessum connivet, quod etiam cuivis Sano accidit.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: *Senes naturaliter quoad Visum hebescunt*, & interdum ex relaxatâ Tunicâ Retinâ omninò excæcantur, unde Guttâ Serenâ laborantes non restituuntur, sive dependeat eadem ex vitio Nervi Optici, vel Retinæ.

In genere enim *omnis Gutta Serena difficulter curatur*, in specie quæ subitò fit, exem. grat. ob fortem Capitis Plagam, aut Casum ab alto; quia ejusmodi Affectus est talis, ut Remedia, antequàm ad Oculos penetrent, suam vim amittant.

Difficilis etiam Curationis est Gutta Serena, quæ fit à Tumore, qualem Platerus *Obser. pag.* 108. describit; à Nervorum laceratione, eorumdem labe, quæ Visum penitùs abolet, utut hanc, modò Causa mobilis fuerit, interdum curatam Platerus *loc. allegat. pagin.* 110. testetur. In Imperfectâ verò Guttâ Serenâ major salutis spes est, videb. Bartisch *loco allegat. in præf. & cap.* 3. Riverius *loco allegat.*

## CURA.

Sicut quicumque Oculorum Affectus sunt difficiles curatu, ob nimiam nempe Organi sensibilitatem & delicatam structuram, ita præ cæteris Gutta Serena perquam difficulter curatur, sive ea jam Tunicæ Retinæ, sive Nervi Optici vitio accidat, perinde est. Si tamen adsit Cæcitas ex Guttâ Serenâ, curatur ea partim Internis, partim Externis. *Internè* quidem conveniunt *Evacuantia* per Sudorem & Alvum, & *Alterantia*, quæ per Experientiam *Visum confortare*, tam internè quàm externè, hactenus observata fuerunt. Imprimis *Diæta* exquisita summoperè necessaria est. De cætero quoad Remedia Evacuantia, *Vomitoria* cautè usurpentur, cùm Hildanus *Centur.* 5. *Observat.* 19. referat, exhibito Vomitorio Ægrum Visum amisisse, ejusdemque beneficio eundem recuperasse; sicuti *idem Centur.* 5. *Observat.* 5. post curatam Epilepsiam per Vomitum Cæcitatem ortam esse refert. Tutius ergò est, *Alvum stimulare* per inferiora, cùm Alvi Profluvio restitui interdum observati sint Oculi. Quæ Alvum evacuant, temperata sint; utut enim à Veteribus Pilulæ Lucis, ut vocant, & quidem majores pro Senibus, & minores pro Juvenibus, præscribi soleant, minùs tamen ipsis fidendum est, cum Scammoniata & quæcumque Purgantia acria in Oculorum Affectibus magis noceant, quàm prosint, secundùm Panarollum *Pentec.* 4. *Observat.* 9. Magis ergò temperata, & minùs resinosa, sed moderatè acria usurpentur. *Pilulæ Aloëphanginæ* singulis Noviluniis ad ʒß. assumptæ, & deinde continuatæ, ad Oculos nebulosos mirè commendantur. Aliàs etiam *Infusum* Sennæ & Agarici cum Sale Tartari in Aquâ Euphrasiæ & Fœniculi pro Purgatione in Oculorum Affectibus adhibetur; aut *Pilulæ* ex Extracto Panchymagogo cum Oleo destillato Fœniculi subactæ conveniunt. *Hermodactylorum* genuinorum *Pulvis* singulariter etiam ad Oculorum Affectus pro scopo purgante laudatur à Theodato *in Valetud. pag.* 153. Potest etiam fieri *Vinum Medicatum* alterativum & laxativum ita:

℞. *Herb. Euphras.* M. j.
*Flor. Beton.*
*Calcatripp.*
*Cyani* an. P. ij.
*Fol. Sennæ sine stip.* ʒj.
*Rad. Helleb. nigr.*
*Esul. præp.* an. ʒij.
*Sem. Fœnicul.*
*Cubebar.*
*Cardam.* an. ʒiij.
*Sal. Tartari* ʒj.
Incis. & contus. includ. Nodulo:
D. S.
Nodulus Laxativus ad Oculos.

Infundatur in Vinum, hocque hauriat Æger mane, & vesperi dum cubitum eundum est; & sanè hujusmodi Noduli ad Guttam Serenam non contemnendi sunt. Moderata ergò sint Laxativa ad Guttam Serenam.

Inter *Sudorifera* excellunt, quæ ex Lignis parantur, & imprimis Sassafrasata conveniunt. De cætero inter *Alterantia Appropriata Aromatica* blandè oleosa, & non nihil amara, Oculis singulariter conveniunt: sed *Acria & Volatilia* manifesta, v. g. Cepa, & quæcunque Alliata, Armoracia, Spiritus Salis Ammoniaci etiam, internè Oculis nocent; sic novi Viros, qui quoties Armoraciâ utuntur, semper in obscuritatem Visûs incidunt: hinc cùm aliquando cuidam Seni adhuc Veneri & Vino indulgenti, & aliis Affectibus Nervorum, & Oculorum Affectibus obnoxio, ordinâssem cum aliis Spiritum Salis Ammoniaci, ex hoc maximum percepit Cæcitatis periculum, utut aliàs hoc Remedium sit insons. Cæterùm palmam ducit *Euphrasia*, indeque parata *Conserva*, *Vinum* Euphrasiatum, *Essentia* Euphrasiæ & similia, quæ ab omnibus Practicis laudata sunt. Gabelchoverus *Centur.* 3. *Curat.* 100. non sufficienter commendare potest Euphrasiam. Post Euphrasiam est *Valeriana*, ejusque *Radix*, mirè laudata à Tabernæmontano, *ubi de Valerianâ*, ad Visûs restaurationem. Post hanc *Chelidonium majus* singulariſſimum est Ophthalmicum, item *Levisticum* ac *Fœniculum*, omniaque horum Præparata, hinc etiam *Lignum Sassafras*, omniaque *Sassafrasata*, Fœniculi odorem spirantia, egregia sunt virtute ophthalmicâ in Guttâ Serenâ: unde etiam Lignum Sassafras ad Nyctalopiam admodùm commendat Ferdinandus *in Histor. Medic. Mirab. pag.* 51. Porrò hisce addantur *Baccæ Juniperi*, & omnia ex iis parata, Carduus benedictus, Ruta, Semina quatuor Calida majora, Helenium, Rosmarinus, & omnia ex Roremarino parata, Oculis & Cæcitati optimè conducunt; ex quibus Spiritus, Essentiæ, Vina Medicata, &c. parari possunt.

Hinc conveniunt *Noduli* ex hujusmodi Simplicibus Vino infusis, in & ante pastum subinde hauriendo, quorum Descriptiones videb. in *Centur.* 2. Kesleri *Processuum pag.* 69. & Hartmanni *Prax. Chymiatr. cap.* 15. §. 2. *pag.* 94. ubi Vinum Medicatum prostat, cujus usum admodùm in hebetudine Visûs commendat. Simili ratione parantur etiam *Essentiæ Ophthalmicæ* ad intrà, qualis fuit D. Michaelis, similibus ex Speciebus paratæ. Vinum Enulatum & Rorismarini etiam Oculos confortare dicuntur.

Facit huc *Pulvis* pro conservatione Visûs laudatus:

℞. *Herb. Beton.*
*Rutæ*,
*Chelid. maj.*

Eu-

*Euphraſ.*
*Le viſt.*
*Sem. Aniſi,*
*Rad. Leviſt.*
*Valerian.*
*Cinnam.* an. ʒj.
*Cardam.*
*Zingib.*
*Galang.*
*Sem. Fœnic.*
*Petroſel.*
*Siler. mont.*
*Herb. Origani* an. ʒß.
*Sacch.* ʒj.

Ex quibus f. *Pulvis*, qui aliquandiu ante paſtum & in paſtu ſumatur.

*Sereniſſimus Elector Fridericus* magnifecit Pulverem hunc, qui Viſum reſtituit uni, per ſeptem annos cæco, poſtquàm eò uſus eſt quindecim dierum ſpatio.

*Electuario ex Seminibus* ad Visûs imbecillitatem ſimplici, ſed efficaciſſimo, uſus olim Innocentius III. ex Semine Fœniculi, Sileris montani, Apii, Anethi, & Petroſelini, cum Melle, quo Viro centum annorum Viſum amiſſum reſtitutum fuiſſe dicitur; quod ex Manuſcripto antiquo *Sereniſs. Principis Mantuani* 1448. adnotatur: Vid. Velſchius *Mictom. Centur.* 2. *Obſervation.* 97. Solenander *Section.* 2. *Conſil.* 9. ad imbecillitatem Visûs mirè commendat hunc Pulverem:

℞. *Sterc. Falcon. ſicc.* ʒij.
*Sem. Fœnic.* ʒj.

Subtiliſſimè trita miſceantur, & partim quotidie uſurpetur internè; partim tantillum caligantibus Oculis imponendum.

Hinc & Quinta Eſſentia Roriſmarini, & Quinta Eſſentia Fœniculi, pro Viſu corroborando pluribus in uſu ſunt.

Excellunt etiam *ex Regno Animali* ex *Formicis* quævis parata Remedia, quæ ad roborandum Viſum internè mirificè conducunt, ut Aqua Magnanimitatis, item Lumbricalia, & tandem ex Millepedibus parata. Nam quantum valeant Millepedes Vino infuſi ad Viſum reſtituendum & Suffuſionem curandam, de quo omni mane aſſumatur hauſtus. Hujus rei ſingularia Exempla refert Boyle *in Util. Philoſophiæ Experimentalis pagin.* 154. & 155. ubi obſervat, quòd Mulier Cataractâ confirmatâ unius Oculi decenta, per uſum Millepedum, adſcendendo à pauco numero ad numerum majorem uſque ad 60. cum Vino albo aſſumendo ſingulis mane, perfectè curata fuerit à Suffuſione, ſicuti etiam alia curata fuit à Suffuſione utriuſque Oculi, qui ipſi etiam Millepedes interno uſu ad alia Oculorum vitia erunt proficui.

In Guttâ Serenâ à ſolo *Spirituum Opticorum defectu*, propter Evacuationes nimias, e. gr. Venerem nimiam &c. diſſipatorum, ſola Alimenta eupepta & Aromatica analeptica conveniunt; conf. Panarollus *Pent.* 3. *Obſerv.* 46. Sicuti aliàs cum hactenus dictis, ritè & prudenter adminiſtratis, Diæta tenuis obſervanda, vitando ſimul Alimenta craſſiora & flatulenta, quatenus Riverius *Obſervat.* 29. à Fomio *communic.* teſtatur, Guttam Serenam caſu per Inediam ſolutam fuiſſe.

Hiſce Internis etiam addenda ſunt *Externa*: quæ inter ad Oculos ſanos confirmandos & præſervandos, debiles verò reſtituendos, multum convenit Ros Majalis, Plantis Ophthalmicis, & ſpeciatim Fœniculo, inſidens, Oculis bis de die inſtillatus & crebriùs uſurpatus. Iis, qui Lucubrationibus nocturnis Oculis nocuere, convenit *Liquor Fœniculi ſaccharatus Bartholeti*, quem dedi in *Colleg. Pharmaceut. in Schrœderi Pharm. ubi de Fœniculo.* Sic etiam *Infuſa Antimonialia* proſtant, & *Aquæ ex Fellibus Piſcium* deſtillatæ, quarum jam ſuprà facta mentio, in ſpecie Lucii, in confortando & reſtituendo etiam in Guttâ Serenâ non ſunt contemnenda; item Aquæ Ophthalmicæ Exemplum non inelegans videbitis in Bartholini *Actis Med. Haffnienſ. Volum.* 2. *pagin.* 304. quæ tam ſolitariè uſurpari, quàm pro infundendis Antimonialibus egregiè adhiberi poteſt. Item Aqua Stercoris Anſerculorum deſtillata commendatur ad conſervandum Viſum. Inter alia etiam eminet ſuprà laudatum illud *Oleum* ſive *Liquor Hepatis Muſtelæ piſcis*, de cujus efficaciâ mirabilem habet Obſervationem Foreſtus *lib.* 2. *Obſervation.* 28. cum quo conf. Borellus *Cent.* 3. *Obſervation.* 91. Hi ipſi Autores dictum Liquorem, per Experientiam confirmati, ad Guttam Serenam extollunt, ſi Palpebris clauſis, Oculis ſaltem illinatur. Huc etiam facit Pinguedo Viperarum, quam tum in hoc tum omnibus Oculorum vitiis mirè deprædicat Ludovici *in Pharm.* & Wedelius *de Facul. Medic. c. de Ophthalm. pag.* 182. His addatur Succus ſeu Liquor de Formicis majoribus expreſſus, & per reſidentiam ſponte depuratus, qui bis in die inſtillatus omnes Cæcos curare laudatur. Quin etiam Aqua iſta, quæ verno tempore ex Pampinis Vitis inciſis deſtillat, ad Oculorum vitia ſimiliter commendari ſolet.

Denique convenit etiam Liquor iſte, qui ex Lumbricis, Vitro & maſſæ Panis fermentatæ incluſis, in Clibano per deliquium ſolutis, emergit: nempe ſi Oleum iſtud ſumatur, per Linteum denſum tranſcoletur, & cum tantillo Camphoræ acuatur, qui Liquor blandiſſimè Oculis illitus maximè laudatur à quibuſdam ad Cæcitatem tollendam. Quidam mirificè commendant contra Oculorum hebetudinem & Cæcitatem ſequens *Unguentum* expertum Brendelii *Conſ.* 55. ubi refert, quod Uratislaviæ Fœmina quædam per quatuordecim annos altero Oculo cæca Viſum recuperârit: nempe

℞. *Mel Anthoſat.* & deſpumatum,
ut benè fluat: eique adde
*Zingib. pulveriſ.*
*Caryophyll. minutiſſ. pulveriſ.*
*Salis comm.* an. ʒß.

Miſcentur hæc omnia invicem cum Melle in *Unguentum* liquidum.

De quo particulam quantitate Seminis Sipani indidit Oculo; qui quidem exinde primò vellicatur, ſed ſtatim deſinit, & poſtmodùm plurimum Humiditatis ex Oculo effluit: quod continuetur aliquandiu, donec effectus ſuccedat ſperatus.

Denique *Veſicatorium* ponè Aures aut Nucham applicetur, eoque exſiccato, vel *Fonticulus* vel *Setaceum* in Nuchâ exſiccatum multum valent ad Guttam Serenam: conf. Sculteti *Armam. Obſervat.* 34. Vel potiùs duplex excitetur Fonticulus ad latera quartæ, aut quintæ Colli Vertebræ; imo ipſi Vertici inurendum eſſe Fonticulum, & Veſicatorium toti Capiti admovendum, Riverius *loc. allegat.* monet.

Nec negligenda ſunt *Maſticatoria*, quæ Plempius *Ophthalmogr. lib.* 5. *Cap. ultim.* & Spigelius *Diſquiſit. Corp. Hum. libr.* 7. *Cap.* 2. *Sternutatoriis* præferunt; unde etiam uſum Fumi Nicotianæ approbat Hildanus *Epiſt.* 67.

ARTI-

## ARTICULUS II.

*De Viſu Imminuto,*

& in ſpecie

*De Nyctalopia.*

CÆcitati ſuo modo cognatum Malum eſt *Nyctalopia*, quando Æger de die mediocriter, veſperi parum, ad lucem Candelæ ferè nihil cernit. Exempla hinc inde obſervantur, imprimis Heer *Obſervat.* 4. notat Nyctalopiam, cui in ſerenâ tempeſtate apparent Nebulæ; in turbido verò & obſcuro loco non. In ſpecie Manardus *lib.* 6. *Epiſtol.* 15. refert quendam interdiu imbecilliter, veſperi parum, noctu nihil cernentem, niſi Lucerna geminata ſit. ( F )

## CAUSÆ.

Ex jam dicto Exemplo ferè concludo: *Cauſam* Nyctalopiæ videri paralyticam Tunicæ Retinæ Laxationem, quæ non niſi fortiore & intenſiore Objecto ac Lumine moveri poteſt.

Remotas inter Cauſas Diæta mala multum promovet Nyctalopiam, teſte Hœchſledtero *Decad.* 9. *pag.* 346. Ex uſu loliacei Panis notat Schenckius *Hiſtor. gen. Humor. cap.* 2.

## CURA.

Nyctalopia hæc difficilis curatu eſt, ac præſertim inveterata non curatur. *Remedia* inter alia Decoctum Ligni Saſſafras multum commendat Ferdinandus *in Hiſtor.* Item Jecur Anguillæ ſuper carbones aſſatum aliquoties ante cibum aſſumptum, ſpecificum eſt Panarolli *Pent.* 3. *Obſ.* 49. cujus loco Hepar Bovis coctum in tres partes diſciſſum, & omni mane jejuno ventriculo pars cum ſucceſſu uſurpata fuit: Videb. M.A.N.C. *Annotat.* 3. *Obſ.* 133. *pag.* 243.

Denique Pulvere ex Semine Fœniculi, Aniſi, Coriandri, &c. curata fuit Nyctalopia à Gabelchovero *Centur.* 4. *Curat.* 49.

## CAPUT II.

*De Auditus Læſionibus.*

POſt Viſum ſequitur *Auditus*, noctu dieque æquè vigens, cujus *Objectum* movens externum nil aliud eſt, quàm *Æther* ſeu *Aëris ſubtiliſſima* ſubſtantia ( Videb. Willis *de Animâ Brutor.* ) diverſimodè, impetuosè tamen & violenter non nihil, vel Percuſſione vel Flatu commotus, qui undique undulatorio motu in orbem diffuſus per anfractus Auris externæ ad Aurem internam, & ſpeciatim ad Nervum Auditorium ſeu Acuſticum, in Cochleæ extremitate in Membranam expanſum, impingit, eamque quaſi percutit: qui Motus dictæ Percuſſioni analogus, & ad Cerebrum continuatus, à nobis *Sonus*; ejuſdem verò dijudicatio ſeu perceptio, *Auditus*, dicitur *Undulatorius Motus.*

*Flatus* etiam eſt Percuſſionis ſpecies, qui per ſpatium liberum levem habet Sonum; ſed ſi cum impetu per locum anguſtum fertur, fortior eſt Sonus.

Motiones hujuſmodi æthereæ ad Aurem continuatæ, prout ſibi invicem certâ, ſecundùm Arithmeticæ leges, proportione in majori vel minori gradu, & intenſione aut remiſſione reſpondent, gratum vel ingratum, ſeu *Harmonicum* vel *non Harmonicum* efficiunt Sonum: & prout iſtis motionibus reſpondentes in Cerebro Spirituum Animalium ſe habent Motus in impetu majori vel minori, ordine vel confuſione, &c. varii effectus Muſicæ in nobis exſurgunt; quin & à Nervo Auditorio ramus etiam ad Gingivas prodit, unde ingratus Sonus etiam Dentes quaſi afficit.

Motus talis Ætheris, prout vel vehementior vel debilior, *Fortiorem* vel *Remiſſiorem* nobis repræſentat Sonum: prout fortior & celerior, Acutiorem; prout remiſſior & tardior, Graviorem: ſicut impingens Ætheris motus in Corpus denſum, repercutitur diverſimodè, ita tamen, ut Angulus Repercuſſionis Angulo Incidentiæ exactè ſit æqualis, indeque repetitum ſonum, ſeu *Echo* conſtituit, quale in cavitate Inſtrumentorum *Reſonantia* dici ſolet: vid. Schottus in *Mag. Naturali*; item Kircheri *Phonurg. Muſicâ.*

Ad Ætheris motiones Flatu factas, tanquàm per Inſtrumentum pneumaticum, pertinet Motus ejus in Animalibus per Tracheam ſeu Aſperam Arteriam factus, *Vox* dictus, quæ ſimplici per Laryngem, imprimis Epiglottidis adjumento, eliſione *Vocales*, per Linguam verò, Dentes & Habia modificatione, *Conſonantes* effingit: quæ Literæ in Hominibus, pro impoſitionis & conſuetudinis ratione, mille modis combinatæ, & artificiosè articulatæ, *Sermones* conſtituunt; unde & ſola motûs Organorum Sermonis obſervatione, Surdus, & Mutus ab ortu per Oculos ſeu Viſum exactè audiens, & ita loqui perfectè reddi poteſt: Vid. Digby *de Immortal. Animæ Tractat. Angl.* item *Amicus Hominis Surdi, & Muti*, qui tamen maximam partem in Digby invenitur.

Auditus hic læditur *duobus* ferè *modis*:

1. Quando *imminuitur in Obauditione*, h. e. in difficili Auditu, aut quando omninò *aboletur* in *Surditate.*
2. Quando *depravatur* aut vitiatur, ita ut Soni, qui non ſunt, audiri exiſtimentur, in Affectu *Tinnitus & Sonitus Aurium* appellato, de quo poſtmodùm.



( F ) Nota Cyrilli. *Malè* Nyctalopiæ *naturam exponit hîc Autor, quum eam affectionem Nyctalopiam vocet, quâ detenti interdiu quidem mediocriter vident, adveſperaſcente verò die vel parum vel nihil. Etenim Nyctalopia eſt prorſus oppoſitus morbus: Nyctalopes enim adventante nocte meliùs vident, quàm plenâ diei luce: Id demonſtrat vocabuli notio, quod factum eſt à* νὺξ νυκτὸς nox *&* ὄπτομαι video: *imò expreſsè docet* Hippocrates 2. prorrhet. *ubi ait:* οἱ δὲ τῆς νυκτὸς ἐρῶντες, οὓς δὴ νυκτάλωπας καλέομεν, qui nocte vident, quos ſanè Nyctalopas vocamus. *Morbus hic plerumque oritur ex morbosâ Pupillæ dilatatione, quâ fiat, ut interdiu plurimis lucis radiis quàm oportet per ipſam in fundum Oculi incidentibus, Viſio potiùs interturbetur: contrà verò adveſperaſcente die, quum tot radii dilatatam ſatis Pupillam ſubeant, quot ad Viſionis opus ſufficiunt, Viſio meliùs perficitur. Non nunquam tamen fieri poteſt, ut quis ex naturali conformatione, Oculi fundum non obſcurum, ſed dilutiori aliquo colore depictum, obtinuerit, quemadmodùm noctivaga Animalia obtinuerunt: quapropter ſicut his exiguum noctis lumen ad Viſionem ſufficit, ita quoque illi ſufficiens quoque eſſe poterit ad Objecta etiam noctis tempore cernenda.*

## ARTICULUS I.

*De Auditu Imminuto, & Abolito.*

Seu De Surditate.

CONtingunt hæ læsiones tanquam Symptomata, vel *in Morbis Malignis aut Acutis*, idque ut plurimùm fausto omine, dum interdum *Crisin* portendunt, interdum verò conatum saltim criticum ad Parotides : vel extra hos, idque nunc *vitio proprio* undecunque contracto, nunc aliis *Chronicis Affectibus* superveniunt, v. g. Lui Venereæ.

### CAUSÆ.

Quoad *Causas* : hauriendæ sunt *ex quatuor Fontibus. Imminuitur* enim aut *aboletur Auditus*

I. *Vitio Auris externæ*, si scilicet hæc sit abscissa, vel alio modo læsa ; tunc enim tantùm obscurus & raucus, minùsque distinctus Sonus percipitur : unde taliter affecti Manibus cavis Auribus admotis defectum istum resarcire coguntur. Quô pertinent etiam alia Instrumenta Otica pro Surdastris, quæ vid. apud Schottum *in Mag. Nat. lib.* 3. *Part.* 2. *Syntagm.* 4. *Pragm.* 1. ( G )

II. Imminuitur & aboletur Auditus *vitio Meatûs Auditorii*, obstructi scilicet aut infarcti, quò minùs Aure externâ motâ possit Æther interiùs ad Aurem Internam progredi : quod fit non tantummodò à rebus extrinsecùs illapsis, Pisis, Nucleis Cerasorum, &c. sed etiam ipsa Cerumina diutiùs in Auribus retenta & tandem indurata subinde idem præstant. De Grillo in Aurem ingresso vid. M.A.N.C. *Ann.* 4. *Observ.* 50. Nec tantùm Meatus Auditorius externus, sed internus in Fauces hians, similiter anguslatus, Auditûs difficultatem infert. Quô facit Surditas ab incremento nimio Glandularum, prope quas excurrit Meatus Auditorius in Os, observata à Tulpio *lib.* 1. *Observat. cap.* 35.

III. Imminuitur vel aboletur Auditus *vitio Membranæ Tympani.* Sanè dubium non est, quin vitiatâ hâc Membranâ Tympani lædatur plùs minùs Auditus; cùm certum sit, ipsam non frustrà esse conditam in Meatu Auditorio : saltem de usu ejus est dubium, qui probabiliter saltem statuitur Præservatorius Auris internæ, & Nervi intrinsecùs expansi Auditorii ab externâ vi Frigoris, Aëris, Pulveris, similibusve injuriis ; nec magis pertinere ad Auditum ipsum videtur, quàm Vitrum in Fenestris ad Visum ; id est, sicut hoc intromittit Lumen sine offensione eorum, qui sunt in Conclavi, ita illud permittit Sonum transire, & excludit, quæ aliàs læderent Organum, quemadmodùm apparet in Experimento, quô fractâ Membranâ Tympani Canis videtur nihilo minùs audire per aliquot septimanas, donec aliæ Causæ, v. g. Frigus externum, corrumpunt Organon : Sic Horstius *lib.* 7. *Observ.* 8. *pag.* 444. notat Tympanum per Abscessum putredine absumptum, sine ullâ tamen Auditûs læsione ; Sicuti etiam Schneiderus *lib.* 3. *de Catarrh. pag.* 402. eandem Membranam ruptam, aut totam ferè excretam, nullam tamen noxam Auditûs attulisse, observat.

Læditur Auditus vitio hujus Membranæ *vel ruptæ*, v. g. Causâ Externâ, imprimis ex forti nimis Sonitu, cujus impetu divelli & plùs minùs lacerari vel rumpi solet ( vid. Hildanus *Cent.* 3. *Observ.* 7. ) : hinc fit interdum, ut ab explosione Sclopeti huic non assueti Surdastri fiant ; *vel exesæ* & plùs minùs *exulceratæ*, ut observatum in Abscessibus Aurium Internis. Item in Variolis & Morbillis interiora Auris obsidentibus ; aut etiam secundùm Riverium vitio Membranæ *relaxatæ nimis*, *nimisque humectatæ*, tam propter Causas Internas in Affectibus Catarrhalibus, quàm Externas, nempe Humidam Aëris Constitutionem : hinc quidam sub tempestate pluviali, vel Constitutione Aëris Australinâ vel Humidiore, graviorem habent Auditum, Membranâ istâ ab Aëris Humiditate plùs minùs relaxatâ ; ex quâ Causâ videtur orta Surditas ex copioso Oleo communi Auri instillato, quam refert Timæus *von Guldenklee in Resp. pag.* 109. In Serenâ verò & Sicciori, admodùm acutè : uno nomine *paralyticæ* factæ : aut denique vitio ejusdem *convulsæ* ac fortiter nimis *expansæ*. Requiritur namque ad debitum Aëris moti seu Soni transitum, ut Membrana ista sit tensa, & firmiter dispansa ; aliàs laxata Membrana certò extingueret & supprimeret Sonitum pariter ac in Tympano videmus. Conf. *Act. Anglic. Volum.* 1. *pag.* 553. Nam quoad paralyticam Membranæ hujus constitutionem, pertinet huc illa Surditatis species à Willisio *de Anim. Brutor. Part.* 1. *cap.* 14. observata, quando quidam sunt Surdi & nihil audiunt ; quando autem pulsatur Tympanum, vel Campana, vel inflatur Buccina, sub tali fortiori Sonitu impulsa Membrana redit in debitum Tonum, & sic alios intelligunt. Novi Mulierem aliquandiu Surditate laborantem, tandem audito Sonitu in Capite, ac si Bombarda explosderetur, cessavit : dicebat, illam non opinatam esse, quòd esset in Capite suo, interrogavit igitur Circumstantes, an non & ipsi idem audivissent. Credo sanè, & probabilissimum est, quòd vitiatâ hac Membranâ Tympani, lædatur tandem Auditus successivè vitiatis Labyrintho & Cochleâ ab Externis irruentibus, ut jam *suprà ex* Horstio & Schneidero *loc. cit.* probavi. Pertinet huc etiam *Stupefactio Tympani*, vel ab Aëre frigidiore, vel Narcoticorum abusu, vel Incrassatione, vel Exsiccatione, aut per Ætatem, aut ineptâ Calidorum applicatione, quale

( G ) Nota Cyrilli. *Duo inter alios describuntur* Tubi Otici *in commodum Surdastrorum simpliciùs fabrefacti.* Unus *est Ellipticus ex argento, orichalco, ligno hederæ, vel simili resonanti, paratus, cujus si alterum Orificium applicetur auri Surdastri, alterum verò loquentis ori, in immensum augebitur loquentis Vox. Ratio est quia Vox prolata in uno Ellipseos foco, ubi est unum Tubi orificium, per innumeras lineas directas & directo reflexas, pertinget ad alterum Ellipseos focum, ubi est Surdastri auris : ita ut nullum sit punctum futurum in tota Tubi cavitate, à quo Vox in aurem audientis non reflectatur : hinc fit ut summè hæc intendatur ad Auditûs sensationem in Surdastris excitandam, in sanis perficiendam.* Alter *verò Tubus est Cochleatus, seu in Helicem contortus, ad Coni oblongioris formam accedens, cujus angustius orificium Surdastri auri, latius verò versùs loquentis os convertitur : ob varias enim & innumeras radiorum Soni reflexiones, hic summè adauctus ad aurem audientis pertingit, ad vividiorem Auditionem excitandam. Secundus hic Tubus illud habet præ alio commodi, ut necesse non sit loquentis os Tubi orificio propriùs applicare, ut in alio, sed Vox etiam procul emissa, facilè exaudiri poterit.*

quale Exemplum de Pane calidiore annotavit Bartholinus *Cent. 6. Hiſt. 77.*

Quoad *Convulſionem hujus Membranæ* : arbitror ſubinde convulſivi quid pati, quatenus ratione Muſculorum convellitur & ita nimis tenſa & expanſa redditur ; tunc enim propter talem Tenſionem & Spaſmum nequit commodè ab Aëre externo percuti, ſed ille ſine fructu retrocedit. Fit hoc v. g. in Hypochondriacis, quibus ſæpè aliquid ante Aures obtendi videtur, quod nihil aliud innuit, quàm quòd iſta Membrana Tympani convulſa tendatur ; quando verò iterum relaxatur, iterum audiunt, unde dicunt : cadere ipſis tam repente ante Aures, & citò iterum abire : ibi ſubitò tendi nimis ſubitò remittere, denuò videtur. Sanè etiam in Auditûs læſione *Ventriculus* cum Nervis conſuſus ſubinde attendendus, utut à priori non adèò benè explicabilis, cùm ſubinde, prout Ventriculus vel vacuus vel plenus eſt, remitti aut intendi etiam Malum obſervetur.

IV. Tandem *vitio Nervi Auditorii* ſeu Acuſtici in Cochleam expanſi ut plurimùm imminuitur vel aboletur Auditus. Si nempe hic ſit ( 1. ) *vitiosè conformatus*, ita ut non ad Aurem internam, ſed ad alium locum derivetur ; quod fit ſub primâ Fœtûs formatione, unde tales Ægri ſubinde ab ortu ſolent eſſe Surdi, & ut plurimùm ſimul Muti, vid. Deuſingius. Aut etiam ( 2. ) ſi Nervus *præternaturaliter eſt affectus*, nunc in Exortu, nunc in Progreſſu : *In Exortu*, circa baſin Cerebri, quando illud eſt compreſſum & anguſtatum, unde intercipitur Spirituum Animalium motus per hunc Nervum ad Expanſionem in Cochleâ & Labyrintho : *In Progreſſu*, quando ipſe Nervus eſt anguſtatus, ſive ſit obſtructus, ſive ſit compreſſus, ſive alio modo huc faciente vitiatus, adeò ut Spiritibus Animalibus omnem tranſitum intercludat, à quacunque fiat Causâ, vel in Caſu ab alto, Illiſione Temporum ex Caſu, aut eorum & Cerebri gravi Percuſſione & Contuſione, Morbo Gallico vel in Affectibus Catarrhalibus à Lymphâ ſubtili ſe inſinuante, & Membranam ejus atque ipſas Fibras nerveas plùs minùs humidas, & flaccidas reddente, ut in debito Tono ceſſent ; vel etiam ſubinde in *Morbis acutis* ad ſtatum properantibus, & per Hæmorrhagiam criticam finituris, Arteriis & Venis intra ἐγγέφαλον magis diſtentis, hincque Nervum Auditorium comprimentibus. ( 3. ) Quando hic Nervus in Membranam intra Cochleam & Labyrinthum ſe expandit, *Membrana iſta vitiatur*, Auditus lædítur ; idque duplici modo : quando vel quaſi Paralyſi, vel quaſi Spaſmo corripitur.

*Paralyticam* conſtitutionem quod attinet, quando ſcilicet Fibræ ejus ſunt aut divulſæ, aut relaxatæ plùs minùs, aut alio modo vitiatæ, adeoque à naturali Tono remittunt : hinc etiam *convulſis Fibris* rigidior quaſi evadit Membrana, & ab externo motu vix mobilis : illud frequentius, hoc rarius arbitror vitium. Nam in paralyticâ Conſtitutione Membrana iſta propter Atoniam ſuam inepta erit, ut moveatur ab impellente Aëre, unde ita Auditus neceſſariò tollitur. Hinc fit ſæpiùs, ut poſt nimis acutos Sonos Homines fiant Surdaſtri ; v. g. in inſuetis ex Exploſione Sclopetorum Auditus ad tempus tollitur, aut plùs minùs debilitatur. Quidam reddunt rationem, quòd interna Expanſio Nervi Acuſtici, aut Membrana Auditoria in Cochleam & Labyrinthum ingreſſa à Sono gravi tam fortiter moveatur, ut aut Fibris laceratis, aut non nullis Fibrillis ruptis, diſtentis, vel aliâ ratione malè affectis, Auditus plùs minùs lædatur, unde Soni non percipiuntur : vid. Hildanus *Cent. 3. Obſ. 7.* quod tamen non videtur probabile, quia Membrana Tympani extrinſecùs obſtat, quæ omnes fortes Sonitus retundit, quò minùs poſſint penetrare. Potiùs ergo Tympanum læderetur, quàm Membrana Acuſtica in Cochleam expanſa, quod ſit ſaltem à Cauſis Externis. Nam *quoad internas*, ſi dicta Membrana nimis laxetur, & humectetur, unde & eadem paralytica facta in Tono remittit, & minùs fortiter à Sono poteſt moveri & percuti, & ita Auditum difficilem & obſcurum infert : id quod etiam in Catarrhali vitio à Lymphâ in ſuo motu impeditâ, ibique plùs minùs excretâ, fieri poteſt. Item ſi ſaltem tantillum Recrementi ex privatâ illius Nervi aut Membranæ Nutritione relicti, aut aliunde cum Sanguine tranſmiſſi, Auditûs læſionem inferre poterit, prout vel irritando ad Convulſivas, vel Nervum obſtruendo ad Paralyticas aut ſimiles Affectiones diſponere valebit : quô & Metaſtaſis Materiæ ſeu potiùs Fermenti in Morbis Acutis, aut etiam Chronicis pertinent ; item incongruus uſus Unguenti Mercurialis pro ſordibus Capitis detergendis ; vid. Timæus *lib. 1. Epiſt. 29.*

*Spaſmodicam Affectionem Membranæ* quod attinet ; eadem, quacunque occaſione irritata, convulſis Fibris, rigida, quaſi evadit, adeòque ab externo Movente vix mobilis. Facit huc Obſervatio Bartholini *in Cent. 4. Epiſt. pag. 235.* de Sene, qui ex Surditate acutum Viſum recuperavit, ſed curatâ Surditate antiquum Viſûs vitium rediit. Vitium videtur hæſiſſe in exortu Nervorum, ut Spaſmo Nervi Acuſtici Spiritus Animales ad Nervum Opticum penetraverint, quo referato, in tantâ copiâ ad Opticum non pervenerunt.

## DIAGNOSIS.

Vitium *Obauditionis & Surditatis per ſe patet* ; ſaltem ſcrutinium Cauſarum incumbit Medico, quarum Differentias à priori perſcrutari perquàm difficile eſt ; ſaltem ratio Cauſarum Antecedentium, & ita fiendi Modus nunc repentinus nunc ſucceſſivus, item adjuncta aliarum Partium Symptomata, vel Capitis, vel Senſuum reliquorum : item an Surditas continua ſit ? an interrupta ? an conjungatur cum Morbis Hypochondriacis & aliis Pathematibus ? eaſdem ſubinde plùs minùs manifeſtant. Ex his enim origo ſeu Cauſa Surditatis artificiosâ Conjecturâ eruitur.

*Cauſam* eſſe vel Defectum Auris, vel Obſtructionem Meatûs Auditorii, vel Tympani læſionem, vel etiam malam Conformationem, facilè per ſe & levi ex Circumſtantiâ patet. Sin verò vitium Nervi obſtructi aut alio modo læſi adſit, id ſolâ Conjecturâ difficulter admodùm à Medico deprehenditur & percipitur.

Affectum eſſe *Catarrhalem*, oſtendunt Pathemata Catarrhalia conjuncta ; item prægreſſus Tinnitus Aurium aut etiam Sonitus : item ſi Senſus fuerit ex aliquali Obſtructione ; item difficultas ſucceſſivè & inchoat, & ſucceſſivè incrementum capit.

In *Morbis Acutis* ſubitò fit Surditas, ex quâcunque etiam oriatur Causâ.

Si fit *à Causâ externâ*, à Caſu ſuper Aurem, à Sonitu gravi, &c. ex relatione Ægri cognoſcitur.

## DIAGNOSIS.

In *prognoſi* habenda eſt ratio *Differentiæ Surditatis*, quatenus obſervatur vel in Morbi Acuti imprimis ſtatu, vel Morbo Chronico.

*In Acuto* Surditas ſubitò facta, ſi eſt à Causâ externâ, nil habet in receſſu.

*Surditas* ſuperveniens *in Febribus acutis*, Urinâ exiſtente crudâ, Delirium grave portendit; ſin verò Surditas in Acutis & Malignis Febribus cum Signis Coctionis, aliiſque Signis bonis conjungatur, ut plurimùm bonum Signum eſſe ſolet, cui ipſi interdum aut Hæmorrhagiæ Narium, aut forſan Dejectiones bilioſæ plùs minùs, per Diarrhœam Criticam ſuperveniunt, & ſic finitur Morbus; aut ſi nihil tale eveniat, ſaltem ex Obauditione, Febribus Acutis ſuperveniente, Decubitus quidam & Motus tranſlatorius ad Parotides ferè innuitur. Nam quod non ſemper ſit malum Signum, videbitis præter Zacutum Luſitanum *in lib. 1. Med. Princ. Hiſtor. Dubio* 40. & Pauli *in Digreſſ. de Febrib. Mal. pag.* 16. & 17.

Si in Morbis Acutis *Surditati ſuperveniat* Delirium, Vigiliæ & ſimilia, pejus eſt, quàm ſi *Surditas ſuperveniat* Delirio; & ſi tale Delirium Surditati ſuperveniens cum Anxietatibus, Vigiliis, aut etiam cum Vomitu conjungatur, periculoſum Morbum innuit.

Quibus Surditas cum gravitate Capitis, & Hypochondriorum tenſione, & Oculorum ad ſplendorem perturbatio adeſt, iis Hæmorrhagia Narium indicatur: quod eò magis confirmatur, ſi Ægri vellicant Nares.

*Surdi ab ortu* curantur rarò; nihilo minùs tamen loco Aurium iis inſerviunt Oculi, quoniam Arte tales Surdi poſſunt aſſuefieri, ut Oculis, conſiderato motu Labiorum & Linguæ, omnem Loquelam poſſint intelligere, & ſic ipſi loquentes reddi poſſint: Sic D. Wallis, Mathematicus Oxonienſis, duos Nobiles Anglos ab ortu Surdos, Arte, mediante ſolo Labiorum & Linguæ motu, ut loquentes intelligant, & accuratè reſpondeant, edocuit: Simile Exemplum habet Digby *in Tract. de Immort. Animæ Humanæ*, de Nobili quodam à nativitate Muto, ita inſtructo, ut quoſcunque loquentes perciperet ex ſolo adſpectu, etiam Linguam ignotam loquentes. De hoc *Tractatum Anglicum* ſcripſit D. Braun, dictum *Phylocophos*, ubi prolixè diſſerit, quomodo Surdi poſſint inſtitui, ut Voces audiant, & accuratè loquantur.

Interim tamen *Surditas, quæ per ſe Morbum conſtituit*, aut chronico Morbo ſucceſſivè ſupervenit, contumax & difficile curatu Malum eſt: quod ubi ſemel radices egit, aut facilè redit, aut pertinaciter affligit.

## CURA.

*Cura* pro varietate ipſius Affectûs ejuſque Cauſarum imprimis varianda. Et quidem ſi adſit Surditas in Morbis Acutis, attendendus eſt Criticus Naturæ Motus, & quorſum eadem vergat, & talis Surditas rarò curatur à Medico, quia ſub Morbi mutatione ferè ſponte ceſſat, ſalutari cum effectu: aliàs *Cinnabarina* interdum conveniunt. Si poſt Morbum Acutum ſuperſit, vel Aqua Anhaltina, cum Bombace Auribus immiſſa, prodeſt; vel Cucurbitulæ prope Aures affigendæ, & Fumus Tabaci ſubinde hauriendus: Conf. M.A.N.C. *Anno 6. Obſervat.* 110. Si verò ſit à Morbo non acuto, ſed per ſe Affectum primarium ferè conſtituat, varietas Cauſarum obſervanda eſt, pro quarum varietate Cura varianda. Quæ ex Abſciſſione vel in defectu Auris Externæ oritur, curatur per *Inſtrumenta* quædam concava, extrinſecùs Auribus admota: vid. Schottus *loco alleg.* Si obturatæ ſunt Aures, in ſpecie *à Cerumine*, idem *Mollientibus*, & *Liquefacientibus* attenuetur, & educatur, quod fit ver. gr. per *Succum Abſynthii* inſtillatum, vel per Eſſentiam Abſinthii (H), vel per Urinam pueri, aut *Spiritum Urinæ* non adeò rectificatum & acrem infuſum: quibus liquantur Cerumina indurata, quæ poſtmodùm eximantur. Sin ex aliis *Cauſis internis* fuerit Malum, ferè ſemper Membranæ Tympani, & hinc Nervi Acuſtici habenda eſt ratio, ut horum Tonus, quantum poſſibile *Aromaticis*, & *Appropriatis Nervinis*, præmiſſis Internis, aut conſervetur aut reſtituatur.

Quoad *Interna*; quæ Affectibus Catarrhalibus internè conveniunt, ut Volatilia, Succinata, Saſſafrata, & ſimilia, quæ ex *ſuprà dictis Lib. 1. Sect. 21. Cap. 2. Artic. 1.* cognoſcantur: e. g.

℞. *Eſſ. Flor. Roriſmar.*
*Hyperic.*
*Ligni Saſſafr.* an. ʒij.
M. D. S.
Eſſentia Catarrhalis.

Inter *Remedia Externa* præ reliquis granum unum, vel alterum *Moſchi*, vel *Ambræ*, vel *Zibethi* cum Bombace involutum, optimum eſt Remedium, quod Auribus immittatur veſperi ſub introitum lecti, ſive ſolitariè uſurpetur, ſive poſt Medicamenta quæcunque Auribus inſtillata talis Bombax moſchatus applicetur; item Bombax Eſſentiâ Ambræ imprægnatus ita intrudatur. Ac ſanè in Surditate Senum vix melius Remedium eſſe dicitur, quàm Ambra, imprimis ubi ſimul adeſt Spirituum Animalium defectus. Datur internè vel per ſe, vel ejus Eſſentia crebriùs, vel externè dictis modis. Hamburgi Medicus quidam ejus beneficio cuidam Auditum reſtituit anteà à Veneno læſum; ſicut & Paſtor quidam Surdus Zibetho cum Bombace Auribus indito feliciter reſtitutus: Sic Balſamum Peruvianum cum Spiritu Vini dilutum, & cum Goſſypio Auribus applicatum, admodùm confert; Vel *Aqua Origani cum Vino* deſtillata, vel *Aqua Cardui benedicti*, per crebriorem à novâ plantâ cohobationem parata, ſæpiùs uſurpata, fuit Polychreſton Cratonis, guttatim Auribus inſtillata, vel cum Linteolo hâc humectato applicatæ conducunt: Item Aqua Fraxini, iſta nempe ſponte ex Ligno recenti quoad unam extremitatem igni injecto, in alterâ extremitate exſudans & collecta, Experimentum eſt Cratonis contra Surditatem, cum nimiâ Aurium caliditate conjunctam: aut ſi Surditas oriatur à Cauſâ calidâ, Aqua Picarum, cum Caſtoreo, Aqua Formicarum, Aqua Muſcarum per alembicum deſtillata, &c. ſimiliter inſigniter conducit: Succus Raphani, Succus Cepæ, cum Oleo Succini & Amygdalarum amararum conjunctus Auribus inſtillatus inſigniter conducit.

In ſpecie tamen *Aromatica penetrantia* conducunt, ut Aqua, ſeu Spiritus Theriacalis, Eſſentia Abſinthii, Eſſentia Cardui benedicti, Caſtorei, Thymi, Eſſentia Caryophyllorum, Cardamomi, & Eſſentiæ Compoſitæ, Spiritus quoque Acuſticus *Mynſichti*, & *Mindereri* (proſtat Deſcriptio in fine Aloëdarii) item *Barbette*: vel aliæ ſimiles Compoſitæ Aquæ ſpirituoſæ, vel guttatim inſtillatæ, vel cum Bombace crebriùs admotæ Auribus, ſunt egregiæ. Eſſentiæ itidem ex Fellibus Animalium cum Spiritu Vini paratæ præ cæteris omnibus commendari ſolent; egregium enim ſunt

(H) Nota Cyrilli. *Vino, ut puto, Abſinthite in meatum auditorium Syringâ immiſſo, Surditatem vel Tinnitum, quoties à Ceruminis obduratione ortum trahit, curat qui apud nos verſatur* P. N. N. Ordinis S. Petri de Alcantarâ.

ſunt Remedium ad Auditum amiſſum : ſic Fel humanum cum Spiritu Vini miſtum, aut etiam Fel Leporis, vel Fel Anguillæ, ſi affundatur Spiritus Vini, ſtent in Digeſtione, & per filtrum ſeparentur, horum Eſſentiæ mane & veſperi ad gutt. ij. vel iij. Auribus inſtillantur, & ut ſingulare Specificum commendari ſolent. Alii

℞. *Fell. Bovin.*
*Vini Malvat.* an. part. æq.

Deſtillant per Alembicum : Liquor, qui prodit, vel ad paucas guttas Auribus inſtillatur, vel cum Goſſypio Auribus imponitur & ſæpiùs repetitur, in Aure ſana poſtmodùm ſuperdormiendo: Vid. Martini Schmucks *Theſaur. Secretor. Part.* 2. *pag.* 91.

Facit huc *Eſſentia Acuſtica*, Specificum ſingulare ad Auditum, Practici cujuſdam celebris Brunſvicenſis, qua cum ſucceſſu crebriùs uſus eſt :

℞. *Rad. Helleb. nig.* ʒß.
*Calam. arom.* ℈ij.
*Pulp. Colocynth.* ℈j.
*Bacc. Lauri excort. ſel.* ʒj.
*Semin. Cumin.* ℈ij. ad ʒjß.
*Spiritûs Vini* ℥iv.

Inciſa, & contuſa ſtent in Infuſo per aliquot dies in Vaſe vitreo obturato benè, poſteà colentur cum expreſſione & filtrentur : cujus Eſſentiæ aliquot guttæ ſingulis octo horis Auribus inſtillandæ, vel cum Bombace Meatui auditorio applicandæ ſunt ; ſicque curavit Surditatem inveteratam.

Poteſt acui cum tantillo Eſſentiæ Ambræ, vel in eâ diſſolvatur parum Moſchi aut Zibethi, & erit eò efficacior ; vel applicetur cum Bombace, in quo anteà Moſchus vel Zibethum jacuit.

Facit huc etiam Oleum deſtillatum Succini, Aniſi, Lavendulæ, &c. itidem Goſſypio involutum, Auribus admovendum. Lindanus Fel Perdicis cum Oleo Succini ſæpiùs rectificato deſtillat ; ſic enim potens Remedium eſſe dicitur. Aut Oleum deſtillatum Aniſi cum Oleo Amygdalarum amararum, vel cum *Oleo Nucleorum Perſicorum*, permiſtum inſtillandum venit. Quô etiam pertinet *Oleum deſtillatum Succini*, Majoranæ & Fœniculi, ſimilibus modis applicatum. Liquor ex Ovis Formicarum expreſſus, ſi quid aliud, admodùm confert, & mirè commendatur ; aut etiam Ova Formicarum contrita cum Succo Ceparum permiſta, & in Aurem inſtillata, quàm vetuſtiſſimam Surditatem ſanant. Quidam

℞. *Ovor. Formic.* ʒj.
*Fell. Leporis* No. vj.

cum duplo Mellis in Mortario benè trita & ſubacta Auri inſtillant, & ita Surditatem curant.

Vel etiam ſola Aqua ex Ovis Formicarum per Balneum Mariæ deſtillata in uſu eſſe ſolet, & commendatur à Kunratho *in Medullâ Deſtillatoriâ*. Item Remedia ex Formicis, in ſpecie Aquæ Magnanimitatis dictæ, cujus Deſcriptionem communicavi in *Colleg. Pharmac. in Schræderum P.* 2. Spiritus item Formicarum admodùm laudatur in gravi Auditu & Surditate. Facit huc Miſtura Heertodii *de Croco pag.* 107. & Oleum iſtud ſingulare ad quoſvis Aurium Affectus, Surditatem, Tinnitum, & ſimilia Mala laudatum, à quamplurimis mirè commendatum, & à non nullis pro Secreto habitum, quod fit ex Vermiculis albicantibus, qui in Quercu inter Corticem & Lignum gignuntur. Modus eſt hic :

℞. Horum *Vermicul.* N. xx.
ebulliant in
*Olei Olivar. immat.* ℥iiß.

deinde excavetur *Radix Cyclaminis*, eaque repleatur *Oleo* dictorum *Vermiculorum*, ſuperaddendo

*Pulv. Rad. Pyrethri,*
*Coſti aromat.* an. ℈ß. ad ℈i.
*Olei Coſtin. & Rutac.* quantum adhuc capere poteſt.

Occludatur denuò Radix Cyclaminis, & ſub cineribus aſſetur, & poſtmodùm contundatur in Mortario marmoreo, & exprimatur Succus fortiter.

De Liquore expreſſo oleoſo immittantur aliquot guttæ per octo, novem, vel decem aut etiam plures dies in Aurem, & eſt mirabile Remedium, quod multi admodùm commendant ; ſicuti de Timæo à *Guldenklee* refertur, quòd hoc modo Surditatem ferè nativam curaverit. Vide Theodatus Camerarius *in Memorabil.* & Petræus *in Diſſert. Harmon.* 11.

Hiſce adnumeranda venit Axungia Serpentum, Meatui auditorio illita, aut cum Goſſypio applicata, quæ pro magno Arcano à quibuſdam habetur : Vel Serpentes coquantur in Aqua, cui ſupernatat Pinguedo ſeparata, & cum Spiritu rectificato juncta, ad conſiſtentiam Olei : ſic Pinguedo Viperina cum guttis pauciſſimis Olei Succini Auribus infuſa, admoto poſteà Pane recenti calido, commendatur in Velſchii *Miſcellan. Cent.* 1. *Obſervat.* 39. *annexis Anno* 4. *M. A. N. C.* Huic vix cedit Pinguedo Anguillæ, collecta, dum Anguilla pinguis aſſatur in veru : excipitur iſta Pinguedo exſtillans Foliis Lauri, hinc colligitur, & tepidè Auri inſtillatur contra Surditatem, vel ſola, vel additis aliquot guttis Olei deſtillati Aniſi, obturando poſtmodùm.

Vulgò ſolet commendari ad Surditatem *Panis recens* furno extractus, Spiritu Vini imprægnatus, & Auribus ita calidè admotus : ſed non ſuadendum juxta Bartholinum, qui maximam exinde noxam obſervavit. Quidam Panem piſtorium cum Semine Aniſi, Fœniculi & Cumini præparant, & recentem Auribus applicant.

Vaporem ex *Spiritu Salis Ammoniaci*, ſive ſimplici, ſive aniſato, aut Mixturæ ex Sale Ammoniaco, miſto cum Oleo Tartari per deliquium, aut duplo Calcis vivæ cum Aquâ ſimplici, ex Vitro parvo anguſti orificii, ſed longioris, & curvi Colli, probè calefacto Auribus excipiendum commendat Ludovici *in Pharmac. pag.* 311.

Cæterùm de Remediis hiſce Auribus applicandis *Obſervandum* eſt in genere, ut nempe (1.) quoties talia Medicamenta quæcunque Auribus ſint inſtillanda, *Aurem ſemper obturandam* eſſe, factâ inſtillatione cum Bombace Moſchato aut Ambrato (Bombacium in quo Moſchus fuit impoſitus) : aut cui unum alterumve Moſchi, vel Ambræ granum eſt impoſitum ; cùm, ut ſuprà monitum fuit, ſolus talis Bombax gratiſſimus ſit Auribus, & per ſe ad Surditatem, & gravem Auditum ſit egregius. Adhuc (2.) quoad hæc Remedia vel inſtillanda vel intrudenda, quòd Oleoſa non ſint immittenda, niſi priùs benè *Auris ſit abſterſa* & purificata, & hinc renovetur Remedii applicatio. (3.) Unâ vice *tres vel quatuor guttas* immiſiſſe ſufficit. (4.) Quoque, quæ ſub formâ *Liquorum ſubtilium*, Eſſentiarum, vel Spirituum volatilium aut ſimilium Auribus inſtillantur, ferè ſolent eſſe *mitiora*, quàm Oleoſa ac plùs minùs viſcida. (5.) Ea, quæ in Aurem immittuntur, *nunquam ſint intensè calida aut frigida*, ſed tantùm tepida, Calori Aurium appropriata. Tandem (6.) poſt Medicamenti applicationem *dormiat Æger ſuper Aure ſanâ*, ut ita Remedii vis Aurem ægram eò meliùs ingrediatur & penetret.

Quando Aurium Affectus ſunt vagi, adeòque in

ſpecie, quando habent fomitem in Cerebro, & ſic ad modum Affectuum Catarrhalium ſolent affligere, optimum eſt, ſi percipiatur imminens Paroxyſmus, ut *Vertici imponatur* Linteum Spiritibus penetrantibus Apoplecticis imprægnatum, illinatur Vertici Oleum deſtillatum Succini, & ſimilia, quod etiam ſimul obſervandum, quando ſuprà dicta Aromatica & Spirituoſa Auribus applicantur, in vitio imprimis Nervi Acuſtici; nam & talium uſus Obauditionem ſubinde notabiliter levat.

Inter alias Cauſas Surditatis fit interdum, ut *à nimio Sonitu externo*, ut dixi, lædatur Auditus: in tali caſu ſaltem dictum Remedium ex Pane locum habet: Nempe recipiendæ ſunt Baccæ Juniperi vel Lauri probè contuſæ, ſubigendæ cum Maſsâ Panis fermentatâ, & ita, ut reliquus Panis coquendus eſt vel pinſendus: poſtmodùm Panis hic medicatus calidiſſimè furno eſt extrahendus, diſcindendus, & per medium apertùs ità calidè ſingulo mane, jejuno ventriculo, Auribus ita admovendus; ſic enim denuò reſtituitur Auditus.

Item

℞. *Herb. Majoran.*
*Salviæ*,
*Roriſmar.*
*Flor. Roſar. rub.* an. M. ß.
*Bacc. Junip.* ℥i.
*Sem. Cumin.* ℥ß.

Inciſa & contuſa includantur *Sacculo* interpaſſando, qui probè calefactus Auri imponatur, vel per ſe, vel irroratus *cum Aquâ Vitæ Saxonicâ*, *Aquâ Magnanimitatis*, *Balſamo Anglico*, &c.

Hiſce addatur Spiritus ſeu Aqua Cephalica Anhaltina, cujus Deſcriptionem videb. in Schrœderi *Pharm.* quæ Auribus inſtillata Experimentum fuit Thoneri, & cujus ſalutarem uſum ſæpiùs feliciter expertus eſt in Surditate pariter ac Aurium Tinnitu, & ſimilibus Affectibus.

Tandem *Axungia Serpentum*, quæ ceu ſuprà dictum, ſupernatat, dum in Aquâ coquuntur, ſeparata, cum Spiritu Vini rectificato juncta, dat Liquorem ſeu Oleum ad deperditum Auditum excellentiſſimum.

Præter dicta etiam *Suffitus* interdum pro Auribus inſtituantur, qui ex Aſaro, Origano, Abſinthio, Verbenâ, Sabinâ, Serpillo, Colocynthide, Baccis Lauri, & Baccis Juniperi, & ſimilibus fiunt, in Vino vel Aquâ decoctis, & ita Auribus exceptis. Quidam ceu ſingulare, & perquàm egregium commendant Suffitum ex Decocto Limaturæ Martis, cum Aceto deſtillato, parato adjectis Herbis Cephalicis, quod Decoctum inſtar Suffitûs in Aures excipitur. Sunt etiam, qui *Suffitum Florum Sulphuris* ſingulariter commendant ad Surditatem: ſcilicet recipiunt Infundibulum, & hoc immittunt carbonibus, quibus Sulphur vivum fuit injectum, & per foramen Fumum Sulphuris facie benè obvelatâ excipiunt in Aurem, quod aliquoties reiteratum admodùm commendant. Facit hujus mentionem Fonſeca *lib.* 1. *Conſil.* 15. *& lib.* 2. *Conſil.* 58. Poſt Suffitum Oleum Fœniculi deſtillatum cum Goſſypio applicandum.

In *Chronicis Auditûs* læſionibus, imprimis ſi oriuntur vel in Subjecto ſenili, vel in Ægris, Affectibus Catarrhalibus obnoxiis, *Thermæ* ſubinde proficuæ obſervantur, in quibus non ſolùm Æger ſe lavet, ſed etiam Spongiam amplam Capiti imponat, quæ Aquam Thermarum per Epiſtomium Embrochæ modo excipiat; ſicuti etiam ex *Fonticulo*, Brachio in regione Auris affectæ inſito, Surditatem diuturnam cum nervoſarum Partium Affectibus, ex Lymphæ præſertim ſcorbuticæ Affectionibus natam, inſigniter levari obſervavi.

Denique ſit interdum etiam Surditas ex *Caſu ab alto*, *Contuſione*, læſione Capitis externâ, & ſimilibus. In tali caſu *Aqua Cyclaminis* per alembicum deſtillata reliquis præfertur, vel *Emplaſtrum* egregium eſt in tali caſu, quod fit *Tacamahacâ & Ceroto de Betonica*, ana q. v. ex quibus paratum Emplaſtrum Capiti raſo imponendum; exinde enim ceſſat Affectus: conf. Hœchſtetterus *Decad. 9. pag.* 320. Sicut Lyſerus *Obſerv. pag.* 233. refert Surditatem ex Ictu curatam per iteratam Injectionem Urinæ calidæ ex Lepore fugâ interempto: Et ſanè Gabelchoverus *Cent.* 1. *Curat.* 60. *in Schol.* Urinam Leporis impoſitam Auribus ſummum Surditatis Remedium aſſerit; hinc Spiritus Urinæ talis non adeò acris forſan proficuus erit.

Extremum Remedium in Auditûs defectu, idque in caſu deſperato, eſt *Salivatio Mercurialis*, ſive in ſpecie ex Lue Venereâ oriatur Surditas ſive à Cauſâ internâ aliâ in ſpecie vitio Nervi Acuſtici: vid. Fonſeca *lib.* 2. *Caſ.* 58. Sanè undique penetrat Mercurius, & quoſvis etiam anguſtiſſimos meatus perreptat; unde ſi ex Obſtructione vel ſimili Cauſâ oriatur Malum, proficuus ejus uſus probabilis eſt, utut nemini autor eſſe velim, ut huic Mercuriali Medicamento ſe facilè exponat. Aliis autem in caſibus penitus inutilis erit. Curam aliàs Surditatis à Lue Venereâ, vid. *ſuprà Lib.* 1. *Sect.* 17. *Cap.* 1. *Art.* 5. *Memb.* 13.

Per *Tranſfuſionem Sanguinis* ex Agno in Canem Surditas in Cane curata fuit, de quo *Journal des Scavans Ann.* 1668. *Acta Societ. Reg. Vol.* 1. *pag.* 705.

## ARTICULUS II.

### *De Auditu Depravato,*

### *Seu De Sonitu & Tinnitu Aurium.*

IN quibuſdam depravatur Auditus, ut *Sonitus quidam aut Tinnitus, qui non eſt, audiatur. Sonitus* eſt, quod vocant Germ. *das Sauſen und Brauſen der Ohren*; *Tinnitus* verò eſt, *das klingen der Ohren.*

Affectus hic nunc *Continuus* eſt, adeòque ſubinde diuturnus & chronicus, non intermittens, ſubinde *Vagus*, qui ſubinde accedit, & brevi pòſt iterum remittit. Item nunc eſt *per Eſſentiam*, nunc *per Conſenſum*: ſi per Eſſentiam, nunc *per Protopathiam*, dum per ſe Affectum conſtituit, nunc *per Deuteropathiam*, dum Morbis Acutis aut Chronicis ſupervenit.

## CAUSÆ.

*Cauſa* omnis Sonitûs & Tinnitûs, item Murmurationis Aurium, quærenda eſt vel in *Aëre* iſto, qui continuò in cavo Tympani ſeu Conchâ Auris continetur, & qui etiam reptat Labyrinthum & Cochleam; partim verò in *Nervi Acuſtici* Excurſione membranaceâ, in intimo Cochleæ organon conſtituente; quia in naturali Auditu adeſt Fibrarum hujus Membranæ motus cum Aëre interno moto. *Quoad Aëris iſtum motum*: naturaliter quidem non, aut parùm admodùm movetur; quòd ſi verò fiat, quacunque ex causâ, ut Aëre extrinſecùs moto & hinc Aër internus moveatur, ut Expanſionem Nervi membraneam in Cochleâ feriat, Auditus fit naturalis; quod præſuppono ex Phyſiologicis. Quòd ſi verò citra Auræ externæ motum à Cauſâ internâ præternaturaliter moveatur,

tur, qui in concameratis Labyrinthi & Cochleæ locis crebriùs repercuſſus ad Nervi Expanſionem continuò allidat, Sonitus præternaturalis & ita vitiata Auditio contingit. Quòd ſi motus iſte Aëris interni, & quidem ſubtilioris tenuioris, ſit velox, celer, & plùs minùs vehemens, qualis fit, v. g. quando à Nervis vel Chordis Teſtudinis fortiter tenſis excitatur Sonus, tunc excitatur Sonus acutus ſive Tinnitus; ſin verò tardiùs, obſcurius & confuſè moveatur Aura iſta interna, ut ſit in Chordis laxioribus, & ipſa Aura hæc ſit craſſior, & minùs pura, fit Sonus gravis, obſcurus & raucus, cum Murmurationis ſenſu.

*Cauſa* ergò, quæ movet hanc Auram internam, intra Tympanum & Concham contentam, quærenda vel *in ipsâ Aurâ* undecunque commotâ, vel *in Membranâ Tympani*, dictam Auram movente.

*Auram* ipſam commotam quod attinet: hujus motûs Cauſa communiter dicitur *Spiritus flatulentus*, ſue Flatulentiæ quædam aut Halitus admodùm ſubtiles, exMaſsâ Sanguineâ per Arteriolas eò exhalantes, & dictæ Auræ permiſti, qui in locis iſtis concameratis incluſi motu ſuo præternaturaliter eandem agitando & extraordinariè movendo, iſtum præternaturalem Sonitum & Auditum excitent. Nam Halitus peregrini in dictis locis vix quieti perſiſtunt, ſed hinc inde moti Aërem ibi præſentem ſimiliter movebunt.

*Experimentum* fieri poteſt cum Carthâ, Auribus applicatâ, German. *Gerollet*; Sonus enim in Chartâ ab Aëre in illâ contento auditur, Affectum tamen ſaltem vagum & brevi durantem inducere poteſt. Præter dictam Cauſam & *Arteriolarum*, in.eriora Aurium ſubeuntium, *fortior Pulſatio* Aërem movere, & ita Sonum peregrinum repræſentare poteſt, de quo infrà.

*Tympanum* quod attinet ſeu *Membranam* ejus: hæc à quacunque Causâ, vel internâ, vel externâ, crebriùs & præternaturaliter irritata aut moleſtata, & hinc plùs minùs Motu convulſivo agitata, Auram iſtam in Tympano & internis cavitatibus movere, & conſequenter Auditum depravare valet. Confirmat hoc Exemplum Hildani *Cent. 6. Obſervat.* 10. qui obſervavit in Ruſtico quodam Tinnitum ultra annum moleſtum, propter Gryllum in Aurem ingreſſum, qui ſorde inviſcatus Tympano agglutinatus fuit, hôc extractô omnis Tinnitus ceſſavit, ceſſante nempe Irritatione præternaturali, & hanc Membranæ Tympani à Muſculis propriis motione; Gryllus enim hic juxta Membranam hæſit, & eandem commovit, quâ motâ continuus Tinnitus fuit perceptus. Pertinet huc, quando *poſt graves quoſdam Sonos* à validâ Aëris externi percuſſione Tinnitus ſupervenit, cûjus occaſione etiam Auditus depravari ſolet, quando Membrana Tympani laceratur quodammodò, ex qua læſione ſemper Convulſiones quaſdam patitur, propter quos Motus convulſivos continuatus iſte motus ſolet percipi. Unde quicquid Membranam hanc irritare, & in convulſivos Motus agitare valet, etiam Tinnitum vel Sonitum Aurium inferre poteſt. Quin imò ipſa Membrana forti impetu tranſlocata non nihil, ac Officula tranſlocata etiam inferunt continuum Sonitum vel Tinnitum, donec in debitum ſtatum ac ſitum redeant.

Hæ duæ Cauſæ videntur ordinariæ: nempe Aër intrinſecus commotus, & hinc Membrana Tympani continuò commota ac vibrata. Sanè quilibet diuturnior & contumax aliquot annorum Tinnitus & Sonitus minimè ab Auræ internæ primariò affectæ vitio, ſed potiùs *à Partis cujuſdam ipſius Organi malè affectæ* ratione, oriri videtur: quas inter, hæc Tympani Membrana, & hinc Nervi Acuſtici Expanſio membranacea, primatum obtinent.

Quod tandem attinet *Membranam Auditoriam* ſeu Expanſionem membranaceam Nervi Acuſtici in Cochleâ, ceu alteram Cauſam Efficientem Tinnitûs & Sonitûs Aurium: hujus Fibrillæ laceratæ, aut quodammodò tranſlocatæ, poſtmodùm continuâ ſuâ motione Sonum ingentem & malè affectum repræſentabunt. Imò videtur etiam Sonitus & Tinnitus talis oriri poſſe ex ipſis Filamentis Membranæ hujus Acuſticæ motis, & convulſivo Spaſmo variè agitatis: v. g. ſicut in imminente Epilepſiâ & Apoplexiâ non rarò varii Colores & Splendores ante Oculos verſari putantur, propter Convulſionem Fibrarum Nervi Optici in Tunicâ Retinâ expanſi; ita etiam eodem in caſu, item in Vertigine, varii Sonitus repræſentari videntur, ex Spirituum nempe & hinc Fibrillarum iſtarum ſimili excitato motu, atque aliàs ab Objectis externis excitari ſolet. Nempe hinc videtur oriri, quòd Auris externæ, Temporum, aut Capitis vehementiorem Percuſſionem, item Sonitus vehementiores in Aurem violentiùs irrumpentes, ſubinde Tinnitus aut Sonitus contumax ſoleat inſequi, ſaltem ex affectione & læſione Membranæ Nervi Acuſtici. Quòd ſi celeriores & fortiores ſint Fibrillarum motiones, Tinnitus; ſin verò rariores & remiſſiores ſint, Sonus gravis percipi videtur.

Ex hac Causâ *Febribus Tinnitus Aurium ſupervenire videtur* ex motu Humorum, ut vocant, ad ſuperiora, hinc & ad Parotides & loca vicina; unde Membranularum in iſtis locis convulſiva plùs minùs Affectio. Nempe non rarum eſt, quòd ex Sanguinis Turgeſcentiâ, in ſpecie febrili, cum Dolore capitis, ſubinde etiam Aurium Tinnitus adſit; ex motis nempe velociùs & vehementiùs Arteriolis. Hinc etiam oriri videtur, quòd in talibus Morbis Acutis Hæmorrhagiam Narium interdum Tinnitus ſeu Sonitus Aurium præcedere ſoleat, ex Sanguine turgeſcente & effervescente in iſtis & vicinis locis quaſi ſtagnante, & ex forti Arteriolarum pulſatione, adeòque Membranæ Acuſticæ affectione, Tinnitum inducente; unde tunc in talibus Malis, ſuperveniente Hæmorrhagiâ Narium, Tinnitus Aurium ceſſat, Sanguine per alium locum evacuato. Facit huc Obſervatio Tulpii 35. *libro* 1. ubi obſervat Tinnitum Aurium ex incremento nimio Glandularum, prope quas excurrit Meatus Auditorius. Imò ſi ex aliâ quacunque Causâ, aut ex Sanguinis motu circa loca Auribus vicina non nihil impedito, ſæpiùs continua & diuturna talis Auditûs ſit depravatio.

Sed *quid ſibi vult Motus & Raptus Humorum ac Sanguinis ad Caput & Aures*, & hinc excitatus Aurium Sonitus? Scilicet Motus iſte Humorum, ſurſum & deorſum in Morbis à Naturâ factus, ritè explicandus venit. Moventur Humores cum Sanguine, & ab hoc mediante Cordis Pulſu indeterminatè tam ſurſum quàm deorſum; quòd verò magis unam Partem præ aliâ occupare, ibidem congeri, hinc per eandem evacuari ſoleant, non Humorum, ſed Partium ſolidarum ex causâ evenit, dum harum Membranæ & Fibræ à causâ quacunque, interdum ipſo Humorum influentium vitio, irritatæ, Spaſmo affectæ, plùs minùs ſtringuntur; ſic que æquabilem & liberum Contentorum Circulum aliquo modo ſufflaminant, & ita Phænomena, quæ aliàs ab *ἀναῤῥοπία* Humorum, ſeu Raptu eorum ad Caput, oriri dicuntur, excitant. Multa hîc quæ de Surditate ex

vitio Nervi Acuſtici *ſuprà Art.* 1. monita fuerunt, etiam huc applicari poſſunt, dum non rarum ſit, permutari invicem Obauditionem cum Tinnitu.

*Catarrhalia huc pertinent vitia*, ſic dicta, ſeu depoſitio Seri, vitioſo ſapore inquinati, aut ſaltem Nutrimenti chyloſi illius Vehiculi, ad unum alterumve Nerveum aut Membraneum locum diſtributi, errata, nervoſis Partibus inimica, ſive Membranam Tympani ſive Nervi Acuſtici afficiant. Interim talis Tinnitus non videtur poſſe eſſe Chronicus, quin potiùs brevi tempore tranſit, aut non adeò diuturnus eſt.

## DIAGNOSIS.

*Cauſarum* omnium harum varietas, præſertim Remotarum, non niſi ex Circumſtantiis probè examinatis cognoſci poteſt.

Sonitus & ipſe Tinnitus Aurium ab Ægro refertur. Cauſæ ſi ſint *Externæ*, patent Ægro; ubi verò ſint *Internæ*, in Morbis Acutis, Febribus Ardentibus & ſimilibus, facilè poſſumus cognoſcere, eſſe à Sanguinis & Spirituum Animalium inordinato motu; ſi ſint ex aliâ quâcunque Causâ, rarò à priori cognoſci poſſunt, in locis nempe adeò profundè ſitis.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: Si *in Febre Ardente* Sonitus Aurium cum Oculorum caligine contingat, cum Narium tenſivâ gravitate, eadem innuit, quæ de Surditate *Art. anteced.* dicta ſunt; nempe ſi eſt cum Signis Coctionis, Hæmorrhagia Narium expectanda venit, præſertim ſi Pulſationes in Capite ſimul percipiantur.

*In Febribus quibuſcunque* Tinnitus Aurium & Sonitus ferè ſponte curatur ſine Medicamentorum uſu.

*Si verò per ſe Morbum* conſtituat, ex ſe ſine periculo eſt, niſi quòd chronicus & moleſtus eſſe ſoleat. Interdum etiam ad omnimodam Surditatem terminatur: ſicut Aurium Tinnitus diuturnus chronicus extra Febrem, &, ut dicunt, qui biennium & ultrà duravit, ſolet eſſe ſatis gravis & periculoſus, & rarò perfectè curatur, & ut ut curetur, ſæpè tamen recidivat. In ſpecie ordinarius quaſi eſt prodromus Apoplexiæ.

Tinnitus Aurium, qui *ex frequenti Percuſſione in Caput*, ac in regione Temporum exoritur, propter internam Membranæ Acuſticæ læſionem, non adeò facilè curatur, quin in Surditatē degeneret.

## CURA.

In *Curâ* Tinnitûs & Sonitûs Aurium conſideranda eſt *Cauſarum Efficientium* ratio.

De cætero *Remedia* & Auxilia ea, quæ præmiſſis Univerſalibus, conveniunt in Sonitu & Tinnitu Aurium, ferè ſunt ſimilia iis, quæ *Art. anteced.* commendata fuerunt in Surditate. In ſpecie tamen ad Tinnitum Aurium inchoantem *Suffitus* ſeu Vapor *ex Abſinthio & Verbenâ*, in Lacte vel Aquâ communi decoctis, Auribus exceptus, admodùm laudatur ab Hartmanno *in Praxi Chym. pag.* 106. Loco quorum quoque Semina quatuor Calida minora, Baccæ Lauri & Juniperi, & ſimilia adhiberi poſſunt. Suffitus etiam ex Succino, Olibano, item ex Gummate Animæ, commodè Auribus exhiberi poteſt contra Tinnitum & Sonitum. Singulare quid obtinet Fumus ſeu Vapor Aceti bullientis, Auribus exceptus, quem laudat Langius *in M. C. pag.* 6. & in ſpecie confert, ſi Aceto incoquantur Specifica Nervina, & Decocto infundatur Limatura Martis, & dum maximè ebullit, Vapor excipiatur Auribus. Item Oleum Vermiculorum quercinorum, item Oleum Nucleorum Perſicorum cum Caſtoreo miſtum, conducunt. Præter hæc egregius eſt Spiritus volatilis Urinæ, ſeu Spiritus Salis Ammoniaci cum Bombace in Aurem immiſſus, qui in diuturniori Aurium Sonitu etiam tanquam ſingulare laudatur à Lindano; penetrantia enim hujus Spiritûs maximè cognita eſt. Egregius eſſe ſolet Vapor ex Sale Ammoniaco, cum Oleo Tartari per deliquium permiſto, exſurgens, *ſuprà Art.* 1. in Surditate commendatur. Spiritus Succini Auribus cum Bombace aliquantulum inditus, in Tinnitu & Suſurratione convenit. Præter dicta Eſſentia Florum Anthos, Eſſentia Ligni Saſſafras, Caſtorei, in ſecie Eſſentia ſeu Tinctura Sulphuris, ut & Fellium Animalium, Hominis aut Lucii piſcis, Perdicis, imprimis Fellis Bovis, gutt. j. ad ij. cum Bombace ſimili modo in uſu eſſe ſolent, quod quotidie bis reiteretur, Auribus priùs purgatis: item Fel Humanum vel Lucii piſcis optimum. Melius eſt, ſi recipiantur Fella aliquot Luciorum, & Vitro incluſa paſtâ farinaceâ occludantur, & coquantur in Clibano, donec Panis eſt coctus; de hoc Liquore aliquot guttæ Auribus inſtillentur, quibus injectis, Bombax cum Zibetho imponatur. Item Liquor ex Cortice tenello Betulæ, Spiritu Formicarum aut Aquâ Magnanimitatis cum Bombace inditus. Aqua Picarum cum Caſtoreo inſtillata, vel cum Goſſypio applicata, etiam convenit, & in frequentiori uſu erat D. Michaelis; non ſecus atque granum unum aut alterum Zibethi aut Moſchi Bombace involutum: Nam talis Bombax cum Zibetho aut Moſcho non tantùm Tinnitum Aurium, ſed etiam gravem Auditum, mirè curat. *Sacculus* ex Milio toſto, & Sale toſto cum Anetho, & Chamomillâ miſtis factus, probè calefactus, & Auri externè applicatus mirè convenit, imprimis ſi aliquot guttis Olei deſtillati Caryophyllorum priùs fuerit irrigatus:

℞. *Herb. & Flor. Chamom.* M. j.
*Anethi*, vel *Salviæ*,
*Majoran.*
*Roriſm.* an. M. ß.
*Milii toſti* ℥j.
*Salis torref.* ℥ß.

Inciſa includantur *Sacculo interpaſſando*, qui probè calefactus Auri applicandus.

Frequentiſſimum auxilium ſolet eſſe *Vapor Vanis* recenter ex furno extracti, parati ex maſsâ fermentatâ cum Semine Cumini, Fœniculi, Aniſi, Origano, Serpillo, Baccis Lauri miſta, & ſic in clibano excocta, calidè Auribus admota. Interdum juvat, ſed cautus ſit ejus uſus; nam ſubinde videtur nocere: Sic Bartholinus *Cent. 6. Hiſt.* 77. notat Surditatem ex Pane calido Auribus applicato. Convenit etiam hîc Oleum illud mirabile ex Vermiculis quercinis; item Oleum deſtillatum Caryophyllorum aut Lavendulæ & Cumini, deſtillata invicem miſta. Pertinet huc Oleum Oticum ceu Catholicum ad Aurium Affectus laudatum: Nempe eſt Oleum Nucleorum Perſicorum expreſſum cum Floribus Perſicæ ſubinde infuſum & clarificatum, quod ad gutt. iij. vel iv. in Dolore, Tinnitu, Strepitu Aurium, & Auditûs difficultate, Auribus inſtillatum egregium eſt; ſicuti ad Tinnitum Aurium etiam inveteratum ceu præſtantiſſimum admodùm laudatur ſequens Remedium.

℞. *Helleb. albi*,

*Caſtor.*

*Caſtor.* an. ℥ij.
*Coſti arom. veri* ℥iß.
*Rutæ* ℈ij.
*Euphorb.* 3ß.
*Olei Amygd. amar.* vel *Nucl. Perſic.* ℥j.

Decoquantur leniter & ſucceſſivè in duplici Vaſe in ſ. q. *Olei rutacei*: quod Oleum cum *Bombace* Auribus immittatur, vel guttæ quædam tepidè inſtillentur Auri.

RONDELETII Experimentum fuit:

℞. *Rad. Helleb. albi* ℥iij.
*Fol. Lauri*
*Rutæ* an. M. ß.
*Fraxini* M. j.

F. Decoctio in *Oleo Amygd. amar.* vel *Nucum* cum *Vino albo* aut *Malvatico*, ad conſumptionem Vini cocta: Exprimantur, colentur, & Auri immittantur.

Convenientius tamen eſt, ſi loco Decoctionis in Oleis dictæ Species potiùs infundantur in Spiritum Vini, & exinde fiat Eſſentia, addendo Caſtoreum, Ambram aut Moſchum pro lubitu, cum Bombace Auribus applicanda contra Tinnitum & Sonitum Aurium. Vel præparetur Eſſentia Practici cujuſdam Brunſvicenſis *Art. antec.* data. Sicut Oleum Nucleorum Perſicorum expreſſum cum Caſtoreo imprægnatum in uſu eſt. Tandem Decoctio Sinapi pulveriſati in Vino ſub formâ Suffitûs Auribus excepta, eſt euporiſton Stockeri non contemnendum; hinc forſan Spiritus Sinapi ritè applicatus erit proficuus. In diuturnioribus Malis, præſertim ubi ſuſpicio eſt Catarrhalis Affectûs, *Fonticuli* in Brachiis, item *Cucurbitulæ* ponè Aures, ſubinde ſunt proficuæ. In Dyſcraſiâ pituitoſâ convenit Oleum *Barbette*, quod commendat *lib. 2. Anat. Pract. cap. 1.*

℞. *Olei Hyoſcyami*,
*Rutac.* an. 3ß.
*deſtill. Major.* ℈ß.
*Caſtor.* gr. vi.
*Croci* gr. iv.
Miſc.

Quòd ſi Tinnitus Aurium fiat *ex Caſu ab alto aut Percuſſione Capitis*, aliiſque Cauſis externis, imitandus Platerus *lib. 1. Obſerv. pag.* 115. qui præmiſſis præmittendis Mulierem ex Caſu ab alto tam gravi Aurium Tinnitu correptam, ut nihil ferè audierit, præmiſſis Univerſalibus reſtituit:

℞. *Spiritûs Vini* Cochlear. j.
*Succ. Cepar. rec.* Cochl. ß.
*Olei deſtill. Spicæ* gutt. iv. vel v.
Miſc.

Et Auribus tantillum ejus inſtilletur, & ita fuit curata. Huc etiam pertinet Cataplaſma ex Cepis *Faventini*, quod Foreſtus *libro* 12. *Obſervat.* 1. & 4. deſcribit.

Præter dicta Remedia ſubinde convenit, in ſpecie in Junioribus aut Plethoricis *Venam Brachii* è regione Auris ſonantis *ſecare*, ſicut etiam *Sternutatoria* moderata in Aurium Affectibus diuturnis, præmiſſis Univerſalibus ſubinde conducere ſolent. Fit non rarò, ut Tinnitus & Sonitus, etiam Surditas, nunc remittant, nunc denuò accedant in Affectibus quaſi Catarrhalibus: In tali caſu, ubi percipit Æger redire Malum, optimum eſt applicare Vertici cum Linteis duplicatis Aquam Apoplecticam ſpirituoſam, aut etiam Spiritum Urinæ, item Oleum deſtillatum Succini; hoc ipſum enim uti Catarrhos, ita etiam hujuſmodi Pathemata, præcavere ſolet.

Ex *Remediis Internis*, Aurium Affectibus dicatis, præmiſſis Univerſalibus duo præ cæteris eminent: nempe *Saſſafras & Succinum*, & quæcumque ex iſtis parata, quæ eò meliùs conducere ſolent, ſi poſt eorum uſum blandus Sudor inſtituatur.

Hæc ferè in Tinnitu Aurium per Eſſentiam obſervanda fuerunt.

Sed non rarum eſt, *Hypochondriacos* pati Aurium Sonitus, eoſque Hypochondriorum vitio contractos, qui cum Pathematis Abdominis modò exacerbantur, modò remittunt. Speciatim ex Hypochondriis Malum eſſe, ex eo clareſcit, quòd pro vario ſtatu Stomachi in Inediâ aut à Cibatione plùs minùs exaſperari Affectus Aurium, aut remitti obſervetur. Præmiſſis præmittendis Martialia, Carminativa, & hinc Salia volatilia urinoſa conveniunt, ſpeciatim Liquor Cornu Cervi ſuccinatus, cum leni Sudore. Externè Eſſentia Caſtorei confert.

## CAPUT III.

### *De Læſo Tactu.*

POſt Auditum tertio loco eſt *Tactus*, ubique ferè in Corpore reperibilis: ubicunque nempe *Filamenta* reperiuntur *nervea*, quæ ab Objectis externis mille modis horum approximatione affici, & variè moveri poſſunt. Filamenta talia, uti in contexenda Cutaneâ maſsâ locum primarium obtinent, ita ubique hinc inde in Capitula papillaria conglobatæ ex Cute non nihil prominent, & ſub Cuticulâ genuinum & naturale *Tactûs Externum Organum* conſtituunt: vid. Malpighius *in Tract. de Externo Tactûs Organo.* Senſus enim communiſſimus eſt Tactus, per totum omninò Corpus diffuſus; nam omnes reliqui Senſus Externi non niſi quidam *Tactus ſpeciales* ſunt, & certè fiunt ſimpliciter per Tactum, quæ Senſationes Externæ conſiſtunt in Impreſſionibus factis in Organo Senſuum, quæ Impreſſiones conſiſtunt in Motu. Requirit ergò pro rectâ Senſatione, ut Fibræ nerveæ ſint in legitimâ tenſione beneficio ſui Toni, qui dependet ab influxu Spirituum Animalium. Guſtus nil aliud eſt, quàm Tactus certus. In Hepate ipſo nullus eſt Senſus, quia eſt Corpus glanduloſum abſque Nervis. Corpora Externa, quæ ſui approximatione dicta Filamenta & eorum extremitates papillares afficiunt, hoc faciunt ſolâ particularum minutarum in ſuperficie texturâ, earumque certâ vel Motione vel Quiete. Exinde enim fiunt *Qualitates* iſtæ quæ à nobis dicuntur *Tactiles*. *Objectum* dicitur aliàs Qualitas Tactilis. Sed hæc Qualitas tantùm in ſtructurâ Filamentorum conſiſtit; quando enim Corpus, cui v. g. Manus admovetur, cedit defectu firmæ minimorum cohæſionis, dicitur exinde *Molle*; ſi non cedat, ſed reſiſtat, ex forti earum combinatione, dicitur *Durum*; ſi quædam particulæ mobiles invicem cohæreant, ſimulque Organo adhæreant, dicitur *Viſcidum*; ſi nihil adhæreat, dicitur *Siccum* ſeu *Aridum*; ſi fiat celerrimus & repetitus, in Pupillis ab Objecti externi mimimis motis, Motus dicitur *Calor*, ſi nullus, dicitur *Frigus*; & ſic in infinitum ferè. Aqua enim, e. gr. per ſe nec frigida, nec calida eſt: Membrum frigefactum in Nive ſentitur calidum non nihil. Aqua calida per ſe frigeſcit, quia remoto Movente externo, Igne, ceſſat calefieri: Vid. Boyle *Tr. Origo Qualit. & Formar.* & *Tract. de Fluiditate.*

*Vitiatur* autem *Tactus* diverſimodè: Nam præter *Abolitionem* & *Imminutionem* ſuam *Apoplecticam* & *Paralyticam Privativam*, item præter ejus *Abolitionem Poſitivam* in *Stupore*, Tactus interdum *depravatur* ſeu potiùs *augetur* & exaſperatur in Affectu, dicto *Dolor*.

ARTI-

## ARTICULUS I.

*De Stupore.*

DE *Stupore* qui & Affectui Tactûs obveniens eſt, nihil addo, cum rariſſimè ejus Cura incumbat Medico.

## PROGNOSIS.

Nam particularis *Stupor* citra manifeſtam Cauſam obveniens, ſubinde prodromus eſſe ſolet aut Paralyſeos Scorbuticæ, aut ſi plura occupet Membra, Hemiplegiæ, aut etiam univerſalis Apoplexiæ.

## CURA.

Et *Stupor* quidem, qui maximam Corporis partem, aut etiam univerſum Corpus, quod tamen rariſſimè evenit, invadere ſolet, optimè per *Lignum Saſſafras* & Medicamenta Saſſafrata, quocunque modo adhibita, curatur & propellitur.

## ARTICULUS II.

*De Dolore.*

QUod Dolorem attinet, *omnibus Senſibus Externis communis is eſt Affectus Dolor.* Nam ut omnes Senſus fiunt per certum Tactum, vel per Contactum ſeu per Impreſſionem quandam Objecti ſenſilis in Organum proximum, quam Impreſſionem ſequitur talis Spirituum Animalium motus in Organis, qui vocatur Senſus; ita *ſi in Organum tam vehemens fiat Impreſſio*, ut iſtud nimis moveatur & vibretur, & exinde nimis rapidè & vehementer in eo Spiritus agitetur, ſequitur ſenſim adjuncta Moleſtia, ex præternaturali & nimis vehementi Objecti Organum contingentis, Impreſſione reſultans, quæ ipſa Moleſtia communi nomine *Dolor* appellatur. Sic enim v. g. datur *Viſio dolorifica*, ex ſubito aſpectu rei nimis lucidæ, ſeu Lucis fulgidæ poſt tenebras, ob vehementem & præternaturalem motionem Membranæ Retinæ; datur *Auditus* moleſtus ſeu *doloroſus* & tædioſus ex nimio Sono, impetuoſiùs tangente Aurem internam, ac nimis fortiter movente Membranam Auditoriam in Cochleâ, quod ipſum etiam facit inæqualis Motus Membranæ in Sono non harmonico & inæquali. Idem fit etiam ſimiliter in *Guſtu* & *Odoratu*. Speciatim ſi Fibrillis nerveis Objectum quoddam tactile in ſpecie ſic dictum occurrat, quod eas nimis fortiter & non abſque quadam vehementiâ moveat, ſequitur Tactui conjuncta Moleſtia, ſeu in ſpecie ſic dictus *Dolor*.

In ſpecie ergò conſideratur *Dolor*, quatenus eſt *Symptoma Tactûs* ferè præcipuum, tam internas quàm externas partes excrucians.

Pro cognoſcendo ergò Dolore præſuppono ex Phyſiologicis; quòd *Fibræ* in genere *Subjectum* ſint *Tactûs*, & cujuſcunque Senſûs in ſtatu quidem naturali tantummodò, & quæ extra Cutim ſub Cuticulâ in Papillâ protuberant, ſive in Membranas ſubtiliſſimè contexantur, ſive in Corpora papillaria conglobentur, ſive nudæ aut ſolitariæ diſtribuantur: præternaturali verò in ſtatu etiam reliquum Fibrarum ſyſtema & ipſum tangendo afficitur, & in ſpecie Dolor ſentitur. Neminem ergò confundat, quòd in Vulneribus vel Ulceribus &c. ubi vel Nervi, vel nerveæ Fibræ tanguntur, & ubi nullæ tales ſunt Papillæ & Membranæ, Senſus tamen percipiatur acutiſſimus & doloriſicus inſigniter; nam Fibræ nerveæ ſentiunt, id eſt promptè moventur. Hæc tamen intercedit differentia, quòd *in Papillis* naturalis & blandus fiat Motus & Senſus, Tactus ſcilicet ſimpliciter ſic dictus; *in Fibris* verò nerveis ex violento & nimio earum motu, Tactus doloriſicus & quaſi præternaturalis. *In Membranâ* autem vel punctâ, vel diſtentâ, vel ruptâ, eadem ratio militat atque in Fibris nerveis ſolitariis. Unde hæ præternaturales Affectiones naturali & ordinario Tactûs Organo nil derogare valent.

*Fibræ hæ*, earumque ſubtiliſſimæ Fibrillæ, ubi ex fortiori & vehementiori Objecti actione & motione quacunque ratione à ſe invicem violenter ſeparantur, divelluntur, & quaſi lacerantur, ſequitur in iis adeò vehemens & moleſta Motio & Vibratio, adeò ut ex ſitu æquali & ordine naturali vitiatis, quædam ab aliis divulſæ, quaſi contractivâ vi abbrevientur, quæ & alias illæſas in naturali ſitu violenter quaſi trahunt ac lacerant, ad eum modum, quo Dolorem ex puncto Nervo explicat Sylvius *lib. 2. c. 27. §. 165.* hinc Moleſtia illa accidit, quam *Dolorem* nominamus: & huc videntur reſpexiſſe Veteres, dum *Dolorem Solutionem Continui* definiverunt.

Affectis Fibris, Vibrationis iſtius occaſione, Spiritus Animales & ipſi ad certum modum determinantur, ad Cerebrum nempe, ubi *in Senſu Communi fit formalis Doloris perceptio* ſeu Senſus Doloris internus: Conf. Sylvius *Pr. lib. 2. c. 27. §. 168.* Williſius *Pharm. Ration. Part. 1. Sect. 7.* Hoc ipſo ſimul *convulſivi* quid patiuntur, & in Spaſmos aguntur, ita ut *Motus Fibrillarum velociſſimus & convulſivus ſeu ſpaſmodicus* ſit iſtud, in quo ratio formalis Doloris conſiſtat. Unde fit quòd non rarò Dolores ſequantur Convulſiones ac Motus Convulſivi, ſi ſcilicet ſint aut diuturniores, aut graviores, ex inordinatâ ſcilicet & veloci Spirituum Animalium, occaſione Doloris, in Cerebro motione; ut v. gr. *ex Punctûrâ Nervi* doloriſicâ Convulſio Membri, aut *à Nephritide* Vomitus ſuperveniat: Imò *in quovis Dolore ſemper Convulſio* quædam, occulta licèt, jungi ſolet; hinc enim tendi plûs minùs Pars dolens, & ſæpè pulſatoria Moleſtia ſimul ſupervenire ſolet: adeòque hic Circulus obſervandus, ut & à Dolore Convulſio, & à Convulſivo impetu Doloris incrementum. *Hic eſt primus Doloris actus.* Quòd ſi jam Fibrillis læſis & non nihil laceratis, Objecti, naturali licèt Impreſſione, agentis fiat Contractus, tunc Fibrillæ anteà non nihil laceratæ aut divulſæ, vel tantillo Objecti Contactu nimis agitatæ & vibratæ, novam Doloris Impreſſionem repræſentare faciunt: Unde vel leviſſimus Specilli contactus in Partibus vulneratis aut ulceratis intolerabilem Dolorem concitat; magis tamen in Partibus nervoſis ob Fibrillas copioſiores, minùs in Partibus ſanguineis ob Fibrillas rariores, vel etiam diſperſiores.

Similis interim Motus ſeu Tactus ab Objectis in extremitate Fibrarum nervearum in Fibris Partis ſanæ, poſt abſciſſionem Membri Sphacelo correpti, ſæpiùs producitur, tum ignorantes Ægri exiſtimant, ſe in Digito Manûs, ante aliquot dies licèt abſciſſo, Dolorem percipere, qualia Exempla habentur in Hildano, *Centur. 3. Obſervat. 14. & 15.* item in Sculteto *Armam. pag. 67.* & Binningero; idque ob continuatas tales nerveas Fibras ex Parte ſanâ ad Partem uſque anteà abſciſſam, ob quam continuitatem naturalem dum ſimilis fit motus Fibræ circa ejus medietatem poſt abſciſſionem, qualis anteà fiebat in Fibræ extremitate, ante hujus cum Parte ſeparationem, hinc fit, ut ex identitate Motûs etiam in Senſu

interno

Interno & Imaginatione idem feratur judicium, & æſtimatur Pars jam abſciſſa adhuc ſentire, quaſi Toti adhuc cohæreat.

## CAUSÆ.

Ex his *Cauſa Doloris proximæ*, materialis nempe Læſio, & violenta ac vehemens Motio Fibrarum nervearum Organi ab Objecto præternaturali, & formalis, Spirituum hinc rapidior, ſingulariter tamen determinatus, & ad Cerebrum uſque continuatus Motus, per ſe patent. *Illæ* pro Senſu Doloris externo; *Hic* pro Senſu Doloris interno

*Remota eſt omne id, quod Fibras laceſſere valet*, quod ipſum prout eſt varium, & ipſæ quoque Partes prout variant, etiam tam variæ *Doloris Species* exſurgunt, indeque etiam poſtmodùm varias Appellationes acquirunt, quorum ſanè innumerabiles ſunt Species, cùm unumquodque Objectum peculiari modo agat, & unaquæque Pars alio & diſtincto ab aliis modo Impreſſionem recipiat. Communiter equidem *ſex Doloris Species* recenſentur: Sed, ut dixi, innumerabiles ſunt Doloris Species, ſi exactè velimus perſcrutari; omnis tamen in eo convenit, quod violentam nimis Impreſſionem in Fibrillis nerveis, & conſequenter earum aliqualem Læſionem, inferre valeat.

Cauſæ hæ Remotæ ſunt vel *Externæ* vel *Internæ*: *Externæ* ſunt notiſſimæ, ut omnia ea quæ contundunt, ſecant, vulnerant, lacerant, urunt, erodunt, & ſimilia, quæ per ſe patent.

*Cauſæ Internæ* Dolorem efficienter inferentes, imprimis ſub *Acore vitioſo*, qui ut plurimùm acerbiſſimos Dolores & Roſiones, etiam Punctiuras inferre ſolet, utpote Nervis inimiciſſimo, militare ſolent, ita ut ferè in omni Dolore acerbo, à Cauſâ Internâ enato, Acidum aut Acido-ſalſum peccans in receſſu ſit. In omni enim Acido ſunt particulæ admodùm acutæ, ſimulque duræ, quæ & ſe inſinuant in Fibras, eaſque pungunt, lacerant, & quaſi ſcindunt, & ita acerbum iſtum Dolorem inferunt, quin & ſæpiùs ſimul *Ardoris & Uſtulationis* quendam Senſum junctum habent; v. gr. ſi quis vel guttulam Spiritûs Nitri Cuti affundat, ab hujus Acore exceſſivo intenſus Dolor, una cum ſenſu Ignis quaſi ardentis: infertur & talis Dolor etiam in Arthritide & Dolore Iſchiadico, item in Eryſipelate, & Pleuritide, & ſimilibus Doloribus ab Acido ortis eſt obvius. *Acidi hujus* peccantis doloroſi *Origo* ut plurimùm eſt in *Stomacho* primiſque viis, verbi gratiâ in Artheticis, Scorbuticis, Iſchiadicis, rariùs *ex privato Partis affectæ in Digeſtione* propriâ læſæ vitio: v. g. in Affectibus doloroſis chronicis aut ſæpiùs recurrentibus ab Acido natis, in Odontalgiâ, quando Dens ex læſione privatæ Digeſtionis Acidum colligit, quod Dolorem infert: Sic in Oſſe carioſo ſæpè recurrens Dolor obſervatur à Nutrimento privato vitiato.

*Differentiæ Dolorum* ſunt tantumnon innumerabiles ex varietate Objecti lædentis, multiplicitate Organi læſi, & Motûs horum ad ſe invicem proportione oriundæ: in ſpecie tamen primariæ Differentiæ ſunt ratione diverſi *Statûs Cauſæ proximæ*, & deinde ratione diverſi *Modi afficiendi Partes*.

Quod *varietatem Cauſæ* attinet; Dolor prout excitatur ab Acido plùs minùs volatili ſeu ſpirituoſo, vel minùs volatili, ſeu fixo, hæret in *Subjecto humoroſo*, ſeu vehiculo ſubtiliore & *tenuiore*, ut Lymphâ, vel craſſiore & *viſcidiore*, ut Chylo, item prout Acidum doloroſum plùs vel minùs *Parti dolenti infixum* fuerit, etiam vel pertinaces magis, vel faciliùs aut difficiliùs mobiles, adeòque nunc *Vagi* nunc *Fixi* eſſe ſolent; idem exinde plus minùs recidivantes, aut facilè curabiles, cum aut ſine Partis eroſione juncti, obſervantur Dolores, adeoque variis modis mutabiles & alterabiles: ſic contumaciſſimi ſunt *Dolores Venerei*, & ut plurimùm cum eroſione Partis juncti, propter Acidum acre in Muco glutinoſiſſimo, pertinaciſſimè Parti infixo.

*Doloris Vagi*, adeoque ab Acido magis volatili ſpirituoſo, magis Spiritui Influo, in Subjecto ſeu Vehiculo tenuiori Partibus communicato, Exemplum habemus in Arthritide Vagâ ſcorbuticâ: econtrà *Doloris Fixi*, ab Acido magis fixo vel auſtero, in Subjecto viſcidiore vel tenaciore hærente, Exemplum habemus in Arthritide ordinariâ in Articulis hoſpitante; item in Colicâ à Mucilagine viſcidâ acidâ in cellulis Coli ſtagnante, & pertinaciſſimum Dolorem inferente.

*Frequenter recidivantes* quod attinet Dolores: iidem in uno eodemque loco ut plurimùm cum proprio & privato Partis vitio conjuncti eſſe ſolent, vitio nempe ejuſdem Digeſtionis læſæ, indeque Recrementorum acrium doloroſorum proventu oriuntur, & ferè Tempeſtatum mutationibus auſcultantes, Ægrorumque *Ephemerides* conſtituunt; Id quod ver. gr. in Odontalgiâ eſt manifeſtum. Maximè poſt Articulos graviter vulneratos Dolores remanent pertinaces, quavis Tempeſtatis mutatione recrudeſcentes, ex Fermento vitioſo, in Parte ex Spiritûs Inſiti debilitate genito, ab Externis commoto, & Partes ſenſiles notabiliter vellicante.

Simile ferè atque ſuprà dictum, Dolor nunc eſt *Continuus*, nunc *Interruptus*; & hic vel *Periodicus* vel *non Periodicus*. *Periodicus* eſt, qui certa obſervat tempora, & frequenter nocturnus, verbi gratiâ Scorbuticorum vel Venereorum, eſſe ſolet, quando nocte gravis lacerans Dolor ſubſequitur, de die verò nihil ſentiunt. *Continuus* præſupponit Acre intenſiùs Parti fortiter inhærens: *Non Continuus*, Acre remiſſius, ſaltem Occaſionibus quibuſdam externis mobile & excitabile, & minùs firmiter agglutinatum, & minùs fortiter Partem afficiens.

Porrò Dolor omnis eſt nunc *cum Tumore*, nunc *ſine Tumore* conjunctus; qui Tumor eſt tam Sanguineus, quàm Seroſus, Scirrhoſus &c. *Tumor* interdum eſt *Cauſa* Doloris; interdum, idque frequentiùs, Tumor eſt *Effectus* ſeu Productum Doloris: verbi gratiâ Inflammatorius Tumor & ſuppurans Cauſa eſt Doloris ardentis, rodentis, pulſatorii: Econtrà Dolor eſt Causâ Tumoris in Arthritide, Odontalgiâ, &c. ex Fibrarum ſtricturâ convulſivâ, æquabilem Contentorum motum & circulum remorante. Ordinariò in Doloribus Arthriticis, quando adeſt Tumor, vel in aliis Partibus Dolor, dicunt *eſt Catarrhus*, hinc Dolor, hinc Tumor: ſed falsò quia ex Dolore ſupervenit Tumor, unde ceſſante Dolore, ceſſat Tumor: v. g. Homo Spinâ pungitur intra Digitum, vel vulneratur in quadam Parte, ubi nullum anteà habet Dolorem, ſed poſt Vulnus ſupervenit Dolor, poſt Dolorem Tumor. Reverà ergò ſemper Tumor ſequitur Dolorem, quia ex Objecto dolente, ſeu Acido vellicante Partes nerveas, & Dolorem excitante, in iſtis Partibus ſupervenit Fibrarum nervearum Spaſmus ac Convulſiones, unde anguſtantur pori Partis, adeoque remoratur Sanguinis Circulus, unde Tumor; Si verò diſcutitur Dolor Anodynis, & removetur Spaſmus, Dolores ceſſant ſponte. Sic qui in Arthritide & ſimilibus volunt curare Tumores, Curam à poſteriori inchoant; ſiſtantur in Odontalgiâ Dolores, & Tumores evaneſcent.

In ſpecie pro meliori Methodo medendi, obſervetur *Differentia Dolorum*, imprimis *ex Causâ Internâ* ortorum, quæ ratione afficiendi modi (vid. Sylvius *de Dolor. Inteſtin.*) eſt decuplex. Singulas dinumeremus.

## §. I.

### *Dolor Gravativus.*

*Dolor Gravativus*, premere, & tam graviter jacere dicitur, quando ſenſus quaſi *Ponderis* cujuſdam prementis & gravantis percipitur, v. g. in Hepate tumido aut ſcirrhoſo, in Calculo Renum ingenti, ſed quieto.

Oritur in Parte Senſu aut pauco aut obſcuro præditâ, ſentiente tamen non nihil Membranâ cincta, quæ ipſa Pars infarcta & tumefacta imprimis *à Materiâ vel craſsâ*, vel viſcidâ, vel fluidâ, minùs acri, ſed ferè dulci & inſipidâ, Ponderis gravioris ſenſum repræſentat, uti eſt Pituita, Sanguis, Serum, Lympha, &c.

## §. II.

### *Dolor ſeu ſenſus Punctorius.*

Membranis proprius (pungit inſtar Acuum): dum *ex improviſo* repetitis vicibus quaſi Aciculis aut acutis Inſtrumentis Membranæ punguntur, & interruptim vellicantur, ipſo Punctionis ſenſu ad magnum ſpatium ſe diffundente: qualis Dolor v. g. eſt in Pleuritide, & ſimilibus locis membranoſis.

Oritur ab *Acido acri*, firmiùs Parti membranoſæ infixo vel impacto, eandem pungente & rodente, quæ hinc convulſivo Spaſmo criſpatur, unde Doloris intenſio.

## §. III.

### *Dolor Terebrans ſeu Acutus,*

Dolori Punctorio cognatus, ſimul tamen Terebrationis aut Perforationis ſenſum conjunctum habens, jacet & pungit in uno loco, fixus eſt, quaſi *Terebrâ aut Palo Pars perforaretur* qualis e. g. in Arthritide, in Eryſipelate, & ſimilibus Affectibus eſt ſatis cognitus; item in Dolore Colico, Cephalæâ, &c.

Oritur *à viſcido* plùs minùs *Acido*, Parti cuidam impacto.

## §. IV.

### *Dolor Rodens ſeu Mordax.*

Mordet & rodit, quando percipitur Senſus cujuſdam Roſionis & Morſionis, quaſi *Vermiculi* continuò fodicarent, & roderent, qui membranoſis locis proprius.

Oritur *ab Acri ſalſo* Succo, nervoſa & membranoſa loca rodente & vellicante.

Huic vicinus eſt *Dolor Pruriginoſus*, ut in Purpurâ & Scabie.

## §. V.

### *Dolor Pulſatorius,*

Pulſat ac ſi Gallina roſtro cibum ſumat, quia in eodem Pulſatorius Senſus aut *Arteriæ Pulſatio* exactè percipitur, ita ut quoties Arteria pulſet, toties etiam Dolor exaſperatur. Proprius eſt Inflammationibus & Partibus inflammatis, v. g. in Digiti à ſpinâ infixâ Inflammatione.

Provenit hic Dolor, quando in Parte quadam tumente & dolorosâ tenduntur Fibræ & Membranæ, & cum Membranis etiam ſimul Tunicæ membranaceæ ipſarum Arteriarum; tunc enim Sanguinis per Arteriam impeditur non nihil motus legitimus, & propter Fibrarum tenſionem difficilis fit Sanguinis ejaculatio in dictam Partem, quin potiùs Fibræ Sanguine irrumpente irritantur; id quod obſervatur imprimis *in Stagnationibus Humorum*, adeòque ortis Tumoribus, unde præ cæteris hæc Doloris ſpecies obſervatur in Digiti à ſpinâ infixâ Inflammatione, aut fortioribus Membranarum tenſionibus, item in Cephalalgiis.

## §. VI.

### *Dolor Oſtocopos, Aliàs Frangitivus,*

In hoc Oſſa in ſui profundo quaſi frangi & Malleis contundi videntur, qualis v. g. *in Lue Venereâ affectis*, imprimis nocturno tempore, contingit; nec *Scorbuticis* aut *Hypochondriacis* inveteratis & ſimilibus eſt rarus. Afficitur proximè Membrana inveſtiens Oſſa, ſeu Perioſtium, quod ab Acido vellicatum Dolores iſtos repræſentat.

Oritur ab Acido non adeò acri, interdum in Materia plùs minùs viſcidâ hærente, pertinaciùs Perioſtio affixâ.

Huic Dolori vicinus eſt *Dolor Contundens*, profundiora loca occupans, ac mitiùs urgens.

## §. VII.

### *Dolor Tenſivus & Diſtendens.*

Quando quaſi diſrupta Pars diſtenta videtur. Proprius hic Dolor præprimis *Partibus membranoſis*, aut Membranâ quâdam densâ involutis, per ſe nullo aut admodùm pauco & hebeti Tactu præditis, quæ Spaſmo correptæ tenſivum Dolorem repræſentant: v. g. qui Caput ſubinde affligit poſt Crapulam, aut dum in Odontalgiâ dimidium Caput tendi videtur.

Oritur à Spaſmo Partium membranearum, & fit in ſpecie *in Malo Hypochondriaco*, ex irritatione membranoſarum Partium ab Acido moleſto.

Diſtinguendus eſt hic Dolor *à Dolore Diſtendente*: Diſtendens eſt quando à re replente, v. g. *Flatibus*, Membrana cingens diſtenditur, & Dolorem Tenſivum repræſentat, ut in Inflatione Stomachi, Hypochondriorum, Colicâ flatulentâ, Tympanite, Aſcite, & ſimilibus.

## §. VIII.

### *Dolor Lancinans & Quaſi Lacerans.*

V. g. Exardeſcens Fremitus, & in Capite, &c. quaſi quis Unguibus laceraretur, qualis ſæpè *in Cruribus* percipitur. Frequentiſſimus eſt in Praxi. *Membranis* eſt proprius.

Oritur ex Acido acri plùs minùs falſo ſubtili, ferè volatili & tenui, Partes membraneas rodente, vellicante, & variè morſicante. Nunc autem acrius eſt, nunc falſius, unde nunc Lancinans, nunc Lacerans, nunc Tenſivus, nunc ſimilis ſenſus percipi ſolet. *Scorbuticis* eſt non rarus, qui, utut uno ſaltim in puncto ſubinde affligat, per conſenſum tamen Membranarum aut Nervorum ſæpè integrum Nervi ductum vel quoddam Membrum afficit: v. g. Malum Iſchiadicum, tantùm prope Os ſacrum eſt, ſed tamen in toto Corpore per conſenſum Dolor percipitur.

§. IX.

§. IX.

*Dolor Ardens,*

Quaſi Ignis ſcintillulæ hinc inde urerent, ab Acido ſubtili acri, ferè volatili, *Partes fibroſas & membranoſas* afficiente, v. g. *in Eryſipelate*, in quo Pars membranoſa ſolida afficitur, tanquam ſi Spiritûs Nitri rectificati aliquot guttæ fuerint inſperſæ; ſubinde verò in Partibus Dolor Ardens talis percipitur ab Humoribus contentis efferveſcentibus, & à dominante Acido volatili producitur.

§. X.

*Dolor Algens,*

Friget & alget, ab Acido minùs acri, ſed ſingulariter *Fibras* alterante, & quaſi Stupore afficiente.

Sed variæ ſunt Dolorum Species pro varietate Objectorum & Partium affectarum. Pergimus ad Signa.

DIAGNOSIS.

De *Signis Diagnoſticis* res clara eſt, quia Dolores ſatis manifeſtantur ab Ægris.

*Differentiæ* Dolorum à Modo afficiendi, & Circumſtantiis cognoſcuntur.

PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*, Prognoſis Dolorum variat pro Circumſtantiarum ſuprà allegatarum conditione.

Fit interdum, ut cum gravioribus Doloribus conjungatur *Pulſus Intermittens*, qui tamen non debet terrere Medicum, cùm hoc frequentiùs eveniat, ſedato enim Dolore ſtatim Pulſus ad naturalem redit rhythmum, vid. Bartholinus *in Obſer. Anatomicis.*

In genere tamen *nullus Dolor* in quâcunque Corporis parte *negligatur*, ſemper enim aliquid mali prænuntiat, cùm certum ſit, quòd ubicunque Ægri doleant, ibi laborent Morbo: Conf. Hildanus *Cent.* 5. *Obſerv.* 7. Hinc & Hippocrates inquit: *Ubi Dolor, ibi Morbus.*

CURA.

In *Curâ*: Dolor omnis tollitur, aut quamcunque *Cauſam removendo*, aut eam *temperando*, ſicque *Dolorem demulcendo*, aut *ſenſum Partis ſtupefaciendo.*

Ea *quæ Cauſam Doloris removent*, ſi eſt ab Internâ, in ſpecie ſunt ferè *Alcalia*, tam *fixa* quàm *volatilia*, tam *macra* quàm *pinguia*, ſive *oleoſa* ſive *aromatica*, pro Circumſtantiarum ratione ſeligenda, quatenus penetrant, Acidum corrigunt & tollunt, Viſcidum incîdunt & attenuant, vi ſudoriferâ Acidum humoroſum reſolvunt & diſcutiunt, abſtergunt & removent.

Quæ ſecundò *Dolorem demulcent*, ſunt *Anodyna* blanda, acrimoniam Acidi temperantia, fibrarumque tenſionem & irritationem demulcentia.

Quæ verò *tertium* faciunt, *Narcotica* dicuntur. *Temperant & demulcent Pinguia*, *Oleoſa*, *Mucilaginoſa*, quæ Acre quodcunque obtundunt, mitigant, Fibrarum ſpaſmum & tenſionem blandè emolliunt. Narcotica, ut *Opiata*, *Hyoſcyamus*, & ſimilia, *ſtupefaciunt*, quatenùs fixiores minuſque mobiles reddunt Spiritus Animales, eatenùs etiam doloroſam Objecti Impreſſionem, Partiſve Irritationem percipi inhibent. Uſurpantur hîc ipſa tam *internè* quàm *externè*. Interna in ſpecie Opiata, & hinc Volatilia aromatica, quatenùs hæc Acida deſtruunt, & vel per *Sudorem* vel per *Urinam* evacuant, ſimulque Nervis grata exiſtunt. Præſertim *Sudores* ad corrigendos Dolores etiam contumaciſſimos ſubinde ſunt ſummè proficui, dum eorum medio & Viſcidum, in contumacioribus Doloribus ſimul peccans, plùs minùs emendetur.

Inter *Purgantia* excellit imprimis *Mercurius dulcis*: Conf. Velſchius *Hecat. lib.* 2. *pag.* 40. Quibus Evacuantibus pro fomite morboſo circa primas vias deſtruendo, *Martialia*, *Saturnina*, *Solaria*, ut Aurum Diaphoreticum, addi ſolent. Sicuti *externè* pro Cauſæ peccantis remotione, nunc *Venæ ſectio*, *Hirudines*, *Veſicatoria*, *Cauſtica*, &c. magis inſerviunt: v. g. Poterius *Cent.* 3. *Cur.* 84. *Dolorem* refert *Tibiæ* contumaciſſimum, *Sudoriferis* nullis curandum, apertâ Tibiâ *Cauſtico* curatum. Inventa ibi Materia dura, ſubalbida & ſebacea, quâ ſublatâ Dolor evanuit. Schenckius *lib.* 5. *Obſervationum* Dolorem omnium Membrorum refert, excitatis per Phænigmos copioſis Puſtulis, & evacuato Sero, curatum.

*Sanè Dolores Artuum graviores* ex Sero acri ſcorbutico nati, & in quibus nulla ferè Partis alteratio ſenſilis obſervatur, per applicatum *Veſicatorium* optimè curantur: Sic Zacutus Luſitanus *lib.* 2. *Prax. Admir. Obſervat.* 57. refert, Lumborum ſævum Dolorem impoſitis ſupra Lumbos *Hirudinibus* curatum: Idem *c. l. Obſervat.* 72. refert, immanem Inguinum Dolorem *Salvatellæ ſectione* curatum. Ubi Dolor ſæpè nullis Remediis cedit, proficua obſervatur Sectio Venarum Raninarum ſub Linguâ, de Sanguine calido & furioſo conf. Borellus *Centur.* 1. *Obſervat.* 47. Horſtius *lib.* 8. *Obſervat.* 9. habet diuturnum & contumacem Brachii Dolorem, *Diætâ Sudoriferâ* curatum.

Res ut meliùs pateat, de *Narcoticis* obſervandum eſt, quòd eadem Dolorem quidem tollant, ſed ſaltem *palliativè* & quaſi à poſteriori curent, Doloris Symptomata ſiſtendo, ſed Cauſam Materialem nec corrigendo, nec removendo; adeòque neceſſe eſt, cauti ſimus in eorum uſu de quibus Cautelis optimè diſſerit Johannes Chicotius *in Diſſert. & Epiſt. Med. in Dialogo de Dolore*, dum dicit: *ſi rodens Humor excruciet te, Narcotica tutò exhibeantur, utpote quæ minùs hòs affectus quàm alios lædunt, quippe & tenues vel acres & calidi hujuſmodi Humores ſunt. Hæc autem Narcotica non ſolùm ſalutaria ſunt, quod ſenſui torporem inducant, ſed etiã quòd Humorum tenuitatem cogant & quaſi coquant. Ubi verò craſſi & glutinoſi Humores cum Acore conjuncti excrúciant, in ſpecie ſimul Acor infeſtat ex irritatione, alieniſſima ſint Opiata, quæ torporem inducunt, nempe interdum quidem Dolorem mitigant, ſed deteriorem reddunt partium affectarum diſpoſitionem, ut in Colicis Doloribus, in quibus v. gr. ex Opio, Hyoſcyamo, & ſimilibus Remedia, Membra ad patiendum reddunt idonea, & in Pleuritide talia Dolorem non ſanant, ſed Doloris ſenſum tollunt, partem enecant, & ad Gangrænam diſponunt. In his ergo caſibus talis Cura deceptio eſt.* Hactenus Chicotius. Cautè ergò Narcoticorum uſus adhibeatur, & non niſi *urgente neceſſitate*, & ſaltem Appropriatis reſpectu Cauſæ peccantis & Partis affectæ miſta, *præmiſſis præmittendis*, adhibeantur. Hinc etiam Opiata minùs conveniunt in Dolore Pulſatorio, quoniam metus eſt, ne ad Gangrænam perducant; non conveniunt in Dolore Oſtocopo, in ſpecie Lue Venereâ correptorum; quamvis enim ſedetur Dolor, alio tamen tempore eò atrociùs ſolet urgere. Magis tamen conveniunt

in Dolore Oſtocopo Scorbuticorum; ſemper tamen addantur Appropriata volatilia. Conveniunt verò in Doloribus Punctoriis, Tenſivis, etiam Diſtendentibus, Lancinantibus, & Lacerantibus, in Doloribus Vagis, & quæ ſunt aliæ Circumſtantiæ.

Præter has circa Narcotica Cautelas in quovis Dolore curando *ad tria ſemper reſpiciendum*:

1. *Ad Partem affectam* plùs minùs ſenſilem, adeòque ferè plùs minùs carnoſam & nerveam.
2. *Ad Cauſam Efficientem occaſionalem* plùs minùs acrem.
3. *Ad Subjectum*, ſeu quaſi vehiculum Cauſæ, vel viſcidum, vel glutinoſum, ſucceſſivè attenuandum; vel tenue & ſubtile, facilè diſcutiendum.

V. g. *in Nodis & Gummatibus Venereis* nocentiſſimus eſt Spiritus Salis Ammoniaci applicatus, cùm implacabiles Dolores inferat, in Acidum acre impetuoſiùs agendo: Unde Efferveſcentiæ quaſi concitato motu, & reſoluto non nihil Subjecto viſcido, crudeliſſimè exacerbantur Dolores. Nempe quò ſenſilior eſt Pars, eò magis Temperata conveniunt: Item quò acrior fuerit Cauſa occaſionalis, item quò viſcidior eſt Fomes, eò minùs Volatilia diſcutientia, ſed ſucceſſivè Emollientia magis conveniunt. Ad removendam Cauſam, ſi eadem obſervatur, quòd ſit Acidum vitioſum, præter ejus omnimodam per quaſcunque vias Evacuationem, conveniunt omnia, tam interna, quàm externa, Alcalia, Acidum quodcunque corrigentia, aut in tertium, aut inſipidum, aut in ſalſum minùs dolorificum tranſmutantia.

I. *Remedia igitur ad primam Claſſem* pertinentia, *Alcalia* plùs minùs *aromatica*, à priori Dolores curantia, quatenus Acidum deſtruunt, ſunt ſequentia: Abſinthium, Anethum, Chamomilla, Malva, Althæa, Sambucus, in ſpecie ejuſdem Flores, Mentha, Verbaſcum, in ſpecie ejuſdem Flores, & Parietaria. Sanè contuſum *Abſinthium*, & cum *Parietariâ* decoctum, & inſtar *Cataplaſmatis* applicatum, in plurimis Doloribus reſolvendis & diſcutiendis perquàm convenit; ſive à Cauſâ externâ, Contuſionibus nempe, nati fuerint; ſive etiam internè ex acri Humore ſeroſo ortum duxerint, tam in Capitis Dolore, quàm aliarum partium: Sic v. g. Amatus Luſitanus *Centur.* 1. *Curat.* 57. Dolorem Spinæ ad Os Sacrum intenſum per tale Cataplaſma ex Abſinthio & Parietariâ in Oleo frixâ & applicatâ curavit. Porrò Folia Lauri, Radices Althææ, Liliorum convallium, Crocus, Baccæ Lauri & Juniperi, Semina Cumini, Anethi, Carvi, Lini, Fœnugræci, Aniſi, Fœniculi, etiam hîc conducunt. Ubi Catarrhus vel abundans Serum acre Dolorem infert, *Fotus humidus*, V. g. ex Floribus Salviæ, vel Salviâ, item Majoranâ, item Roremarino, non conveniunt, ſed Dolores ingentes cauſant. Proficuæ in hoc caſu magis ſunt *Fumigationes* ex Succino, ut fumigetur Pars dolens; ſic Serum acre temperatur, Fotus verò humidus Dolores magis auget: Ex his paratæ Aquæ vitæ ſeu Spiritus volatiles, Aqua Articularis ad extrà & intrà, imprimis acuatæ cum *Spiritibus Urinoſis*, ad Dolores præſertim Lacerantes, & Lancinantes, imprimis Scorbuticos, nocturno tempore affligentes conferunt. Item Urina humana, & omnia ex eâ parata Remedia, ut Spiritus Salis Ammoniaci, Spiritus & Sal volatile Urinæ humanæ, inſigniter conveniunt; nam talia abſorbent omnem Acorem. Non ſecus ad hujuſmodi Dolores ab Acido volatili ortos, imprimis Volatilia ex Animalibus petita Remedia conducunt, in ſpecie ex Inſectis: quæ inter ſunt imprimis Lumbrici, & ex his paratus Spiritus Lumbricorum terreſtrium, Formicæ, & ex his parata Remedia; unde *Scarabæis cornutis* & *Liquori* ex his parato ſingularem vim tribuit Glauberus. Hinc v. g.

℞. *Aquæ Artic. ad extr.* ℥iß. ad ℥ij.
*Spiritûs Urinæ*, vel *Salis Ammoniaci cum Calce vivâ par.* ʒvj.
*Lumbr. terr. per putr. cum Sale volatil. acuat.* ʒij. vel ʒiij.
M. D. S.
Aqua Articularis externa.
Uſurpetur externè, Membra priùs fricando.

Vel

℞. *Fol. Nicot.*
*Salv.*
*Roriſm.* an. Mij.
*Rad Angel.* ℥ß.
*Ari*,
*Pyrethri* an. ʒij.
*Flor. Anthos*,
*Lavend.*
*Stœch. Arab.* an. p. ij.
*Sem. Erucæ* ʒvi.
*Caſtor.* ʒiij.
Conciſis & contuſis affunde
*Spiritûs Vini* p. ii.
*Lumbr.* p. i.
Stent per aliquot dies Vaſe clauſo, in loco tepido: Liquor filtretur, S.
Spiritus ſive Eſſentia pro Articulis externè applicanda.

Pertinet huc etiam Sapo Venetus in Spiritu Vini diſſolutus, & ita in formâ liquidâ illitus; hic enim ratione Alcali oleoſi Dolores ex Acido ortos Rodentes, etiam Arthriticos, ſubinde compeſcit. Quòd ſi Ardoris ſenſus conjunctus ſit, in *Spermate Ranarum* ſolvatur; ſin minùs, ſolvatur vel liquefiat in *Spiritu Urinæ* ac *Lumbricorum terreſtrium*, aut *Spiritu Vini*, additâ *Camphorâ* & *Croco*, & ita cum plumâ ſubinde applicetur. Olea ex Floribus Verbaſci, vel ex Floribus Sambuci, per putrefactionem & in clibano digeſtionem, inſignia ſunt & egregia Anodyna; uti *ſuprà, ubi de Affect. Oculor.* de hoc Medicamento audiviſtis. Pertinet huc etiam *Camphora*, potenter Anodyna, cum tota ſit Sal volatile oleoſum concentratum, ſimulque admodùm penetrativa, Dolores ab Acido optimè compeſcit: hinc Spiritus Vini camphoratus ad ſopiendos Dolores Inflammatorios, in ſpecie Eryſipelaceos eſt optimus. *Spiritus Vini crocatus*, *camphoratus* in Artubus doloroſis eſt optimus; unde etiam Solutioni Saponis Veneti non nunquam Camphora additur, idque egregio cum ſucceſſu. *Ranæ* quoque huc pertinent: imprimis earum *Sperma*, Alcali temperato ſingulariter anodyno turgidum, unde & Arthriticos hiſque cognatos Dolores ſopire valet: ſicuti *Oleum Ranarum* ritè paratum egregium quoque eſt lenitivum plurium Dolorum. Sic ex *Succo Ebuli* ſingulare fit Oleum per deliquium ad Dolorem & Contractionem Nervorum: nempe Succus Ebuli reconditur in Vaſe vitreo, & involvitur cum Paſtâ Panis fermentati, immittitur in furnum piſtorium, donec Succus benè ſit coctus: dein excipe Vas vitreum, & Succus ita liquefactus à craſſamento ſeparatus aſſervatur pro uſu, qui eſt res optima in Doloribus & Contractionibus Nervorum: adduntur interdum pro meliori efficaciâ Olei Ranarum part. iv. v. vel vi. quod mirabiliter operari ſolet. Simili modo procedit cum Floribus Verbaſci & Chamomillæ. Dixi Oleum Ranarum: Fit enim etiam *Oleum ex Bufonibus*, catholicum Anodynum in omnibus Doloribus,

dum

dum ſcilicet Bufones macerantur in Aquâ ſalsâ ſeu Aquâ marinâ, poſtmodùm decoquuntur, & Aquâ inſpiſſatur ad remanentiam Salis, quod Sal diſſolutum cum Oleo Amygdalarum dulcium dat Oleum Anodynum ad compeſcendos Dolores quoſcunque. Poſt Oleum Bufonum etiam ſunt *Olea Lumbricorum terreſtrium*, Liliorum alborum, Oleum ſeptem Florum ſeu Anodynum *Mynſichti*, & Oleum Chamæmelinum, Anethinum, Oleum Papaveris & Hyoſcyami expreſſum: *Olea deſtillata*, tam Aromatica, Cumini, Aniſi, quàm Fœtida, ex Animalium Oſſibus, Pinguedinibus, Cerâ, &c. Specie Fœtida, Oleũ deſtillatum Tartari fœtidum; item Oleum Oſſium humanorum deſtillatum, Oleum Pinguedinis humanæ, Oleum Ligni Guajaci fœtidum, Oleum Buxi per deſcenſum; fœtida quidem, nobiliſſima tamen ſunt in Doloribus Nervorum, vel Artuum ab Acido ortis. Ulteriùs Oleum Ceræ cum Spiritûs Vini ana circulatum & probè digeſtum ac inunctum in Partium nervoſarum Doloribus ex Contuſione eſt egregium: Videatur Riverius *Centur. 4. Obſervat.* 51. Sic *Oleo deſtillato Pinguedinis humanæ* Dolorem Brachii diuturnum curavit Borrichius *de Hermet. Sapient. pagin.* 371. Liberari poſſunt à fœtore cohobando ſuper Caput mortuum.

Facit huc *Galbanetum Paracelſi*, ſeu Oleum iſtud ex Galbano cum Terebinthinæ & Spicæ Oleo deſtillatum (Videb. Sennertus *in Praxi, ubi de Colicâ*, & Schroederus *in Pharm.*) quod ſpeciatim in Doloribus Artuum & Partium nervoſarum chronicis, & ſæpiùs recurrentibus eſt admodùm egregium Remedium. Facit huc *Balſamus Peruvianus*, qui egregiè anodynus, ad Nervos contuſos, combuſtos ac punctos egregius; item in Nervorum & Articulorum Doloribus nulli cedit Remedio, imprimis cum Spiritu Vini diſſolutus. Hinc Timæus *von Guldenklee* in Doloribus Partium muſculoſarum à Defluxionibus ſeu Catarrhis frigidis ut vocant, commendat ſequentem Miſturam:

Nempe

℞. *Balſ. Peruv.* ℥j.
diſſolvatur cum *Vitello Ovi*:
adde
*Spiritûs Bacc. Junip.* vel *Flor. Samb.* ℥iij.
Miſc.

Et utere externè illinendo: egregiè Dolorem compeſcit.

Vel etiam *Sacculus* ex Milio & Sale applicari poteſt, qui extat in M. A. N. C. *Anno 6. Obſervat.* 94. *Gummata* denique, tam Ammoniacum, quàm Galbanum, Sagapenum, &c. in Doloribus fixioribus, à viſcido Acido natis, & in ſpecie Emplaſtrum ex Tacamahacâ, vel ſolâ, vel cum Carannâ applicatum, ſunt quaſi catholicum Anodynum in Artuum & Partium muſculoſarum Doloribus, in ſpecie ubi nerveæ Partes, vel à Cauſa internâ, v. gr. Sero, vel Lymphâ acidâ, adeòque Catarrhis aliàs tributis, vel externâ, ſunt egregia; unde & *Emplaſtra Diaphoretica* dicta, ex gr. *Mynſichti*, in dictis Affectibus, ex Sero acri contumacioribus, proficua obſervantur. Potentiora ſunt, & penetrantiora, ſed acriora & non ubivis obvia, ex dictis Gummatibus, ut Emplaſtrum de Galbano crocatum, Emplaſtrum de Meliloto, ad Dolores à Contuſione, vel ex Caſu ab alto efficaciſſima ſunt Remedia, auctore Thonero; quæ exaltantur in ſuo vigore, ſi malaxentur cum Oleo deſtillato Succini, vel cum Oleo deſtillato Tartari, vel Balſamo Peruviano. Aliàs Emplaſtrum de Meliloto, item Terebinthina, teratur cum Salibus volatilibus, vel Spiritu Salis Ammoniaci, ſic dant Miſturam tenacem albidam inſtar cujuſdam Emplaſtri, quod itidem Dolores potenter reſolvit: non ſecus ac *Emplaſtrum Vigonis de Ranis cum Mercurio* eſt egregium in Doloribus Artuum Venereis nocturno tempore affligentibus; quod uti etiam in Doloribus à Materiâ viſcidâ acidâ enatis, item Doloribus cum Tumoribus duris plùs minùs ſcirrhoſis & chronicis, & omnibus reliquis, meritò præfertur, in ſpecie in Doloribus Capitis Venereis.

His addi poſſunt *Stercora Animalium*, egregiè Anodyna, ex quibus optimum eſt *Humanum*, ſeu *Stercus Vaccinum*, vel recens applicatum, vel *cum Oleo Roſarum* miſtum, ſub formâ Cataplaſmatis in graviori Dolore Brachiorum & Pedum mirabiliter conducere ſolet, ut hoc expertus eſt ſæpiùs ipſe Thonerus. Linteum Cruore menſtruo tinctum, exſiccatum, & Dolori applicatum, eum evaneſcere facit.

Hæc ſufficiant pro primo Scopo.

II. *Quoad alteram Remediorum Claſſem*: Dolorem temperant & demulcent *Anodyna*, ſuntque temperantia, blando ſenſu Partes nerveas afficientia, imprimis *Lac* & quælibet *Lacticinia*, vel ſola, vel cum aliis in formâ Fomenti aut Cataplaſmatis applicata: *Emulſiones* internæ & externæ ex Seminibus quatuor Frigidis majoribus, Papavere, Amygdalis dulcibus. Hinc Althæa, Malva, Melilotus, Verbaſcum, ejus & Sambuci Flores, ac omnia Emollientia, Mucilagines iſtarum Plantarum, & ex Seminibus Emollientibus, Oleum Lumbricorum, Amygdalarum dulcium, Liliorum alborum, ſeptem Florum *Mynſichti*, Althææ, Malvæ, Verbaſci, Sambuci, Ovorum, Laurinum, &c. quæ egregiè Anodyna: Sic *Lac caprinum* cum pauco Melle ebullitum, & loco dolenti applicatum calidè, ad ſedandos Dolores à Rulando commendatur; Oleo nempe & Alcali dives eſt Lac, unde præ aliis Anodynum: ſic Rulandus etiam

℞. *Lactis* ℥v.
*Olei Roſar.* ℥ij.
*Nymph.* ℥iii.

Quæ invicem calefacta cum Linteis multiplicatis crebrò Parti dolenti applicantur pro leniendis Doloribus: quo Dolor Brachii totius ingens tanquam Fomento brevi tempore curatus fuit.

Pertinet huc *Cataplaſma* iſtud Chirurgorum ubique uſitatum Anodynum, ex Micâ Panis albi (Germ. *Weiſſe Semmel*) in Lacte coctâ, addito *Croco*, & Cataplaſmatis inſtar applicatum. Vel ad imitationem Rulandi in Dolore Lumborum ex Defluxionibus aliquoties ab eo probatum:

℞. *Medull. Panis albi.*
Maceretur *Lacte vaccino*; per Cribrum æneum trajiciatur: adde *Vitella Ovi* & cum *Butyro recenti* & ſeqq. *Oleis* q. ſ. miſce, & hinc calido Linteo applica.

Vel

℞. *Olei Chamomill.*
*Anethi*,
*Lilior. alb.*
*Lumbr. terreſt.* ân. ℥iß.
Miſc.

Item Cataplaſma ex Plantis appropriatis Narcoticis & Anodynis, in Lacte coctis, applicatum prodeſt.

Pertinet huc & *Liquor* iſte oleoſus ex Floribus Verbaſci & Sambuci per deliquium in Clibano paratus, potenter Anodynus. Pertinent huc etiam *Pinguedines Animalium* anodynæ, ad oblinendam acrimoniam Cauſæ dolorificæ, v. gr. Butyrum, Pinguedo Anatis,

Anatis, Humana, Gallinacea, Sulla, Taxi, Anſerina, Cuniculi, Vulpis, & ſimiles, *cum Oleis* ſubinde miſcendæ. Vel ad Dolorem Brachii ex ſcarificatione in Scapulâ expertum fuit hoc Unguentum:

℞. *Olei Lumbr. terr.* ʒß.
*Pingu. Taxi*,
*Vulpis* an. ʒii.
Miſc. & illinatur Brachium, vel Pars affecta.

Vel etiam cum *Aquâ Hirundinum cum Caſtoreo* eadem ſimul illinatur & foveatur.

Faciunt huc *Unguentum* Dialthææ, Alabaſtrinum, Anodynum, Hypnoticum uſitatum, Balſamum Hypnoticum *Mynſichti*, & ſimilia uſitata.

III. Quæ tandem *vi narcoticâ ſtupefactivâ* Dolores ſiſtunt, ſunt quælibet *Narcotica*, ut omnia *Papaverina*, internè & externè, in ſpecie omnia *Opiata*, v. g. Opium correctum, Eſſentia Opii, &c. Juxta hæc eſt Hyoſcyamus, in ſpecie ejus Semen, & quævis ex Hyoſcyamo parata Remedia, in ſpecie Oleum Hyoſcyami expreſſum, externè potiſſimum Narcoticum. Item Stramonium ejuſque Semen & exinde paratum Extractum. Solanum furioſum & ipſum vi ſtupefactivâ inſigni pollet, uti etiam Mandragora, ejuſque Radix & Radicis Cortex. Sunt qui ex Semine Hyoſcyami parant Oleum Catholicum penetrans ad quoſcunque Dolores compeſcendos: recipiunt Semen Hyoſcyami, ex eoque inſtar Seminis Lini Oleum exprimunt, cui addunt Camphoram, Crocum, & Spiritum Vini: Hæc omnia ſimul miſta claudantur in Vaſe vitreo, quod obducitur Maſsâ farinaceâ fermentatâ, & ita ſimul coquuntur in Furno piſtorio tamdiu, quamdiu ſolet Panis pinſi, quo facto Liquor eximitur, & ad longum tempus pro uſu aſſervatur, qui decantatus optimus eſt in Crurum graviori Dolore.

Huc quoque pertinent Oleum Ligni Buxi, Unguentum Anodynum *Mynſichti* & Unguentum Populeum: e. gr.

℞. *Ungu. Hypnot.* ʒii.
*Olei expr. Nuc. moſch.* ʒii.
*Sem. Hyoſcyami* ʒi.
M. S.
Unguentum Lenitivum.
Vel
℞. *Olei Anethi*,
*expr. Papav.* an. ʒi.
*Hyoſcyami* ʒß.
M. S. ut antè.

Ex his facilè patet, quomodò *ſpeciales Dolores* curari debeant:

Nempe

## §. I.

### *Dolor Gravativus.*

*Curatur* Materiæ remotione. Hinc *Venæ ſectio*, *Purgantia* & *Sudorifera* locum habent; item *Fonticuli*, variatis his ipſis pro Circumſtantiarum varietate.

*Externè Olea deſtillata penetrantia* inungenda, in ſpecie ſi Dolor gravior oriatur ex Lymphâ inundante Partes. Si à Materiâ viſcidâ & tenaci, uſurpentur *Emplaſtra* ex Gummatibus & Narcoticis, ut ex Tacamahacâ; item Emplaſtrum Diaphoreticum, de Cicutâ, *Nicotianâ*, de Ranis cum Mercurio, & alia contra Scirrhos & Scrophulas uſitata.

## §. II.

### *Dolor Punctorius.*

*Curatur internè* per Salia volatilia ſudorifera, ſubinde cum Opiatis miſta, ver. grat. *Spiritum Salis Ammoniaci aniſatum cum Eſſentiâ Opii.*

*Externè* conducunt *Fomenta Emollientia* & Aromatica diſcutientia; item Litus ex temperatis, ex Oleis & Pinguedinibus blandè volatilibus miſtis, ut *Unguentum Dialthææ*, *Oleum Amygdalarum dulcium*, addito pauco *Oleo deſtillato Chamomillæ & Camphoræ*; item Litus ex Volatilibus penetrantibus, ut Spiritus Vini camphoratus, Spiritus Salis Ammoniaci, Sperma Ranarum, &c. Conducunt etiam ex Sapone Remedia, ut Sapo in Spiritu Lumbricorum diſſolutus, &c. qualia in Pleuritide, & hinc Arthritide uſitata ſunt.

## §. III.

### *Dolor Terebrans.*

Requirit *internè Incidentia* & *Evacuantia*, præſertim ex Gummatibus, item Mercurio dulci.

*Externè Gummata*; item Emplaſtrum Carminativum *Sylvii*, Emplaſtrum de Galbano crocatum *Mynſichti*, Emplaſtrum de Ranis cum Mercurio, &c. conducunt.

## §. IV.

### *Dolor Pulſatorius.*

*Internè* curatur per *Sudorifera* Acidum deſtruentia, ſubinde cum Opiatis miſta; non tamen ſemper.

*Externè* ſedatur per *Fomenta ex Aromaticis* Vino incoctis, ut diſcutiant & reſolvant, Doloreſque ſiſtantur. Item Emplaſtrum de Meliloto cum Theriacâ confert.

## §. V.

### *Dolor Oſtocopos*

Tollitur, præmiſsâ *Purgatione*, imprimis per *Sudorifera*: ſed cùm ut plurimùm ſit contumax, aliquandiu continuanda, adeoque interdum per *Diætam Sudoriferam*, ex Lignis inſtitutam.

*Externè* confert *Emplaſtrum ex Gummatibus*, ſpeciatim Ammoniaco; item de Ranis cum Mercurio, malaxatum cum Oleis deſtillatis, imprimis fœtidis, nempe Tartari, Ligni Guajaci, Cornu Cervi, Succini, Petroleo deſtillato, &c.

## §. VI.

### *Dolor Tenſivus*

*Internè Volatilia temperata cum Opiatis* poſtulat.

*Externè* conveniunt *Fomenta Demulcentia*, *Anodyna*, *Opiata*, *Lacticinia*, exque talibus parata *Cataplaſmata*.

## §. VII.

### *Dolor Diſtendens*

*Internè Carminantia* ſeu Volatilia oleoſa, verbi gratiâ Spiritum Salis Ammoniaci aniſatum; *externè Diſcutientia* & Fomenta aromatica carminantia, &c. requirit.

§. VIII.

§. VIII.

*Dolor Ardens*

*Curatur*, ſi in internis Partibus obſervetur, per *Abſorbentia*, aliàs efferveſcentes Humores *Præcipitantia* dicta. Externis in partibus removetur per *Saturnina*, item *Ranina*, ut *Sperma Ranarum*; non per acria, Malum magis exacerbantia; non per Pinguia, Ardorem, oblinendo poros, magis intendentia.

§. IX.

*Dolor Algens*

Curatur per *Aromatica*, vel *Oleoſa*, Olea deſtillata, v. g. Galbanetum, Spiritum Vini crocatum, Aquam Articularem, &c.

Poſt hos Dolores in genere, & in ſpecie, conſiderandi ſunt quidam Dolores atrociores particulares, quos inter acerbiſſimi & ſatis frequentes eſſe ſolent *Dolores Lancinantes*, & *Lacerantes* Artuum, & *Odontalgia*. Sit ergò

## ARTICULUS III.

*De Artuum Doloribus Lancinantibus, & Lacerantibus.*

DOlores hi frequentes ſunt, imprimis in Scorbuticis, tam *Vagi*, quàm *Fixi*, ſpeciatim Fixi crudeles, & pertinaciſſimi ſunt.

### CAUSÆ.

Oriuntur hi *Dolores Fixi* ex ſubtili Acido, Fibris tendinoſis, aut Membranis quibuſdam ſe inſinuante, cum intenſo Dolore, unde univerſum Partis Fibrarum, Membranarumque Syſtema compatitur, & compatiendo mediante *occultâ Fibrarum criſpaturâ* totum Membrum dolere facit, utut ut plurimùm ne minima quidem Partis dolentis percipiatur Alteratio. Confirmat hoc, quòd in Malo Iſchiadico laborantibus, ubi Malum hæret circa Coxendicem, integra Crura graviſſimo corripi ſoleant Dolore. Similiter inſignis quidam Nervus ab Acido roſus, & afflictus totum Fibrarum nervoſarum Syſtema in conſenſum trahit, & ita talem Dolorem repræſentare facit. *Talès Dolores Lacerantes Scorbutici* in Partibus muſculoſis, & nervoſis Fixi diurno tempore acquieſcunt, aut mitiùs affligunt, ſed *nocturno* tantùm *tempore* per duas, vel tres horas ante, & poſt mediam noctem exacerbari ſolent, & poſt hanc per horas binas, vel ternas remittunt, in quo ipſo ſimillimi ſunt hi Dolores Doloribus Venereis, & ipſis nocturnis. Dolores iſti Lacerantes Fixi in quadam Parte, utut ſæpiſſimè, pro fomite agnoſcunt *Scorbutum*, interdum tamen etiam ſine Scorbuto ſaltim manifeſto, Ægri patiuntur Dolores tales contumaciſſimos, ubi a Rheumatiſmo oriri dicuntur, in quibus etiam Interna Remedia ſubinde parum ferè operantur, Externa verò applicata Malum ſubinde potiùs exaſperant, quàm quòd iſtud corrigant; Narcotica verò applicata iſtud aliquomodò mitigant, ſed poſteà Malum contumacius, & rebellius reddunt. Memini Virginem adultam ſcorbuticam, crebriori Hæmorrhagiæ Narium obnoxiam, hâc per Lignum Sympatheticum Fraxini ſuppreſsâ incidiſſe in hujuſmodi *Dolores Lancinantes* nocturnos intolerabiles, & implacabiles, ab horâ decimâ veſpertinâ ad ſecundam poſt mediam noctem conſtanter affligentes, hinc remittentes, & Somnum concedentes; Interdiu benè habebat, quamvis nocte ſtato tempore Dolores recrudeſcebant, idque per aliquot ſeptimanas. Verùm quare in ſpecie nocturno tempore recurrant, adhùc latet. Præ cæteris de his Doloribus, & quid in receſſu habeant? videri poteſt Horſtius *lib.* 8. *Obſervat.* 13. 14. *ſequentibus*, elegantiſſima ibi inveniuntur.

### CURA.

Pro *curandis* his, & ſimilibus Doloribus *Venæ ſectio* ſubinde, præſertim in principio, proficua eſſe ſolet (videb. M. A. N. C. *Anno* 9. *Obſervat.* 120.) obſervatis tamen Revulſionis, & Derivationis regulis. Hæc utut per ſe hæc Mala non curet, per accidens tamen, quatenus liberior Sanguinis, & Contentorum conciliatur Motus, occaſione Doloris, & Fibrarum ſtricturæ plùs minùs deficiens, ver. gr. quando Crus affligitur tali Dolore, ibi, vel in Brachio oppoſito, vel Crure oppoſito ſecatur Vena, & ad aliquot uncias Sanguis emittitur, cum ſenſibili levamine Ægri meliùs ſe habent. *Veſicatoria* quoque in Membro dolente convenienti loco applicata, ſæpiùs ſunt proficua. Interdum ad *Fonticulos* accedendum eſt, imprimis ſi pertinaciùs perſiſtat Malum, aut crebriùs repetat, qui tamen ſedato Dolore iterùm conſolidari poſſunt.

*Internè*, cùm Acidum peccet, ante omnia obſervandum eſt, ut deſtruatur dictum Acidum peccans, & vel per *Fixa Abſorbentia Anodynis miſta*, iſtud in primis viis deſtruentia, partim, & imprimis per *Sudorifera volatilia*, ſingulas Partes perreptantia: unde ratione prioris *Martialia*, & *Antimonia ſulphurea*, ut Antimonium Diaphoreticum Martiale, Cinnabaris Antimonii, Partes Animalium duræ, & oſſeæ, conveniunt: hiſque præmiſſis ratione poſterioris *Salia volatilia* alcalia, omnia *Antiſcorbutica*, & *Antiarthritica* conducunt, in ſpecie ex Lumbricis, Tartaro, ac Urinâ parata Remedia volatilia ſubinde ſubjungenda ſunt. Item *Decocta Lignorum Sudorifera*, quæ veteribus Practicis in uſu fuerunt, nec contemnenda ſunt, præſertim ubi contumacior obſervatur Dolor, ex Radice Chinæ, Ligno Saſſafras, Lignoque Juniperino, de quibus videri poteſt in Horſtio *citato loco*, ubi talis Dolor Decocto Lignorum fuit curatus. Quô etiam pertinere videtur inſignis ille *Dolor Coſtarum*, aliis fruſtrà tentatis, per Decoctum ſequens curatus à Petro Poterio *Centur.* 1. *Cur.* 83.

℞. *Rad. Vincetox.* ℥iß.
*Fol. Myrti* M. j.
*Sem. Hyperic.*
*Rhabarb. el.* ana ʒiß.
F. Decoctio in ſ. q. *Aquæ communis.*
In *Colat.* ℥vj. diſſolve.
*Syrup. Capill. Veneris* ʒiß. Miſc.

Per Alvum, & per Sudorem Dolorem curavit. *Decocti* aliàs *Formula*, quam in ejuſmodi caſibus obſervavi proficuam, eſt hæc:

℞. *Raſur. Ligni Juniperin.* ℥ij.
*Cym. Pini junior. rec.* M. ij.
*Herb. Roriſmar.* M. i.

Inciſa minutim macerentur *in Aquæ ſimpl.* ℔vj. Stent in Balneo Mariæ per noctem: mane coqu. ad tertiam:

Colatura detur pro Hauſtu matutino ſudorifero, præmiſſis Univerſalibus.

*In ſpecie hujuſmodi Formulæ* utilè notavi, ubi Glan-

cularum circa Caput, aut Fauces Obſtructiones, & Tumores ſimul occurrerunt.

Præter Interna ad *Externa* ſubinde fiat acceſſus. Verùm cauto opus eſt. *Pinguia* enim *Unctuoſa*, *Viſcoſa*, & ſimilia oblinendo Poros magis exaſperant Malum quàm leniunt; adeòque ſaltem *Subtilia Volatilia penetrantia*, nunc Urinoſa acria, nunc Spirituoſa, conveniunt. Hinc Spiritus Vini camphoratus, item Spiritus Theriacalis camphoratus, in ſpecie cum Caſtoreo impræg natus, Spiritus Liliorum convallium, Ceraſorum nigrorum, Salis Ammoniaci cum Spiritu Liliorum convallium ſubactus, & illitus, Spiritus Urinæ, Spiritus Tartari volatilis, qui reliquis præfertur pro uſu externo, Aqua Hirundinum cum Caſtoreo, &c. externè conducunt.

Vel

℞. *Spirit. Lil. convall. non adeò rectif.* ℥iv.
*Sal. Ammon. cum Calce vivâ* ʒij.
*Eſſ. Caſtor.* ℥ß.
M. pro uſu externo.
D. S.

Spiritus Articularis externè applicandus.

Vel

℞. *Aquæ Articul. ad extrà* ℥iß.
*Spiritûs Sal. Ammoniaci cum Calce vivâ* ʒvj.
*Lumbric. per putr.* ʒiij.
M. D. S.

Aqua Articularis externè applicanda.

Cum Panno calido exteriùs affricetur Membris dolentibus crebriùs.

Vel

℞. *Fol. Nicotian.*
*Origan.*
*Flor. Sambuc.* an. M. i.
*Rad. Angel.* ℥i.
*Ari.*
*Pyrethri* an. ʒij.
*Fol. Stœchad. Arab.*
*Lavend.*
*Lil. convall.* an. p. ii.
*Sem. Erucæ* ʒvi.
*Caſtor.* ʒiij.
Conciſa, & contuſa infund. in
*Spiritûs Vini* part. ij.
*Lumbric.* part. j.

Digere per dies, noctesque aliquot, & filtra. Convenit quoque *Sapo Venetus*, in Spiritu Vini diſſolutus, cum Spiritu Ceraſorum nigrorum, & Liliorum convallium mixtus, & externè illitus. Imprimis *Spiritus Tartari volatilis*, reliquis præfertur cum Spiritu Vini temperandus, ubi acrior fuerit. *Galbanetum Paracelſi*, quocumque modo paratum etiam hoc in caſu mirabiliter convenit; ſed cum Spiritu Vini, ſeu ſimili volatili temperatum, aliquamdiu circulatum, ut penetrantius fiat, & ne nimis craſſum ſit. *Radix Conſolidæ majoris recèns contuſa*, & Cataplaſmatis modo mane, & veſperi loco dolenti impoſita, ſingulare quid obtinet. Conferri hîc poteſt Hartmannus *ubi de Paralyſi*. Proficuum etiam obſervavi *Lixivium Coriariorum* jam uſitatum miſtum cum dimidio vel ana Urinæ humanæ, ex quibus fiat *Suffitus*, ſeu Fotus vaporoſus. Hæc Mixtura probè calida injectis Lapidibus, vel Ferris ignitis in Vaporem reſolvitur, qui *Vapor* Parte dolente, deſuper probè tectâ, excipiendus, ut Sudor hinc concitetur, & ſubinde repetendus; in tali Dolore Cruris egregiè admodùm confert. NB. multum in receſſu habet. Vid. *Ideam Formular. Claſſ.* 4. §. 22. *& Colleg. Formular.*

*Thermæ* denique, earumque *Inſeſſus*, aut *Luta Thermarum*, *& Lapides Thermales*, in Aquâ probè bulliti, inſtar Thermatum Naturalium uſurpati, etiam hujuſmodi Dolores Crurum Lancinantes inſigniter placant. Ante paucos annos, (vix eſt biennium) *Vir quidam* hîc tali enormi *Dolore Pedum* affligebatur, idque ſine ullâ manifeſtâ Causâ, & etiam ſine ullo externo apparente Læſionis Signo, ultra dimidium anni miſerabiliter cruciabatur; Tandem omnibus Remediis irritis, ſuaſu cujuſdam Amici accepit hujuſmodi Lapides, eoſque contuſos probè coxit in Aquâ ſimplici pro Balneo, in quo ſubinde balneavit Pedes, hos immittendo, & per longum tempus ita retinendo, unde Tumores Pedum contraxit. Sed Patiens nihilominùs Dolorum, & Vitæ pertæſus pergit, & Balneum hoc diutiùs continuat, quo facto non tantummodò Tumor, ſed etiam omnis Dolor omninò evanuit, Ægerque perfectè curatus fuit. Similia *Balnea*, Thermis Naturalibus ſuccedanea, aut *Thermæ Artificiales*, parari poſſunt ex Aquâ, Calce vivâ, & Sulphure, ad imitationem Zwelferi *in ſua Mantiſſ. Spagyr. paginâ* 40. *ult. Edit. ubi de Sulphure*: Vid. *Colleg. Pharmac. in Schrœderum part.* 1. Integer Formicarum acervus Sacculo incluſus in Aquâ coquitur, cui Æger inſidet: Item Balnea *ex Vinaceis*.

## ARTICULUS IV.

### *De Odontalgia.*

DOlor *Dentium*, ſeu *Odontalgia*, quibuſdam *Dentium Podagra*, nunc *per Eſſentiam*, nunc *per Conſenſum* ex affectis Gingivis enaſcitur.

### CAUSÆ.

*Si per Eſſentiam* fuerit, *Cauſa* hujus ſæpiſſimè eſt *Acor vitioſus*: nunc ex vitioſâ Dentium Nutritione, ſeu Alimenti eorum proximi Corruptione proveniens, qui dum rodit ſubſtantiam Dentis, rodit etiam Radicem, Membranâ nerveâ, & ſenſiliſſimâ inveſtitam, ex qua variæ Fibræ in Dentis cavum penetrant, unde ſi Acor dictus hanc Membranam rodit, tam immanis Lancinans Dolor emergit, nunc Seri vehiculo, dum Nutrimentum Dentium chyloſum, vitio, & acore occultò plùs minùs inquinatum, hujus medio ad eos derivatus, ad Dentem quendam depoſitum, ut in Scorbuto, & Lue Venereâ ſubinde obvium. Subinde etiam *Lympha* quædam acida per errorem Diſtributionis ex vicinis Glandulis eò derivata talem Dolorem infert; eſt enim Affectus Catarrhalis. Forſan interdum, & collecti *Humores acres* in cavernulâ Oſſium Maxillæ ſuperioris infra Oculum multum contribuunt. Vid. Moebii *Fundam. Phyſiol. cap.* 9. *pag.* 414.

Corruptio iſta Alimenti proximi non aſſimilati in Acorem vitioſum interdum eò uſque procedit, ut etiam ex Corruptelâ Dentium, ac Gingivarum ſubinde *Vermiculi* in Alveolis Dentium generentur, qui ipſi Dolorem intenſum Dentium non leviter exaſperant: Vid. Bartholini *Acta Haffnienſ. Cent.* 5. *Obſervat.* 108. Bonetus *lib.* 2. *Med. Sept. Sect.* 4. *cap.* 13. M. A. N. C. *Anno* 9. *Obſerv.* 24. & 107. Imò ab Acore iſto ſæpiſſimè rodente Dentes dolorificè, & corrumpente ejuſdem Alimentum, interdum eorum compages oſſea adeò corroditur, ut exinde *Dentes carioſi* fiant, & excaventur, ac eorum compages laxetur, ut fruſtulatim tandem excidant.

Ipſi quidem Dentes non dolent, ſed *Membrana* Dentium intima inveſtiens, ex expanſione Nervi orta, & cujus *Fibræ* hinc inde per Dentium poros,

&

& meatus in eorum ſubſtantiam penetrando ſe inſinuant, Doloris iſtius acerbi *Subjectum* ſunt. Dolorem hinc vicinarum Partium, & Fibrarum nervearum Criſpationes, leveſque Contracturæ *per conſenſum continuitatis* inſequuntur; unde quo uſque hæc Fibrarum Criſpatio dolorifica continuatur, eò uſque dolor hinc ſe extendere videtur, ita ut exinde perfecta *Hemicrania* ſuperveniat; & dum ab iſta Contracturâ Fibrillarum nervearum anguſtantur poruli, & ſtringuntur meatus, per quos Sanguis, aut alii Humores meando circulantur; hinc nunc Sanguis, nunc Serum, aut Lympha in motu impedita ſtagnant, adeòque iſti Dentium Dolori ſupervenit tandem ut plurimùm, aut *Inflammatio Maxillæ* cum Dolore tenſivo, & pulſatorio, totum Capitis hemiſphærium occupans, aut etiam Tumor, vel ſanguineus, vel ſeroſus, vel œdematoſus, ſaltim ab Acido Membranam nerveam Dentis rodente, & vellicante.

*Cauſa* ergò *Proxima Formalis* in Dolore Dentis eſt Spiritus impetum faciens, cujus ratione Membrana dicta, hujuſque Fibræ ſentiunt, ac Dolorem percipiunt: *Materialis* verò eſt Acidum in radice Dentis hærens.

*Cauſæ Remotæ*, quæ vel Nutrimentum Dentium privatum corrumpunt, vel Acidum præternaturale eò diſtribuunt, nunc ſunt Externæ, nunc Internæ. Ex *Internis*, quæ Nutrimentum vitioſum Acore peregrino infectum Seri veniculo Denti communicant, ſunt imprimis ipſius Alimenti proximi vitia, ſeu Cacochymia Sanguinis, & Humorum in Lue Venereâ, aut Scorbuto. Mox enim ingentes Tumores in Scorbuticis, & Lue Venereâ laborantibus ſupervenire ſolent. *Externæ* ſunt imprimis Aſſumpta, quæ dum inter interſtitia ſe inſinuant, ſucceſſivè Acorem contrahunt, & Partes Denti vicinas rodunt, & Nutrimentum privatum inquinare ſolent. Inter hæc excellunt *Saccharata*, *Dulcia*, *Fervida*, nimis *Frigida*, imprimis *Acida*, Spiritum Inſitum Dentium labefactantia, & hinc hujus materialem texturam vitiantia: ſpeciatim Dentibus nocent Saccharata, & Mellita, quæ facilè fermentando Acorem, eumque ſatis ſubtilem, contrahunt.

## DIAGNOSIS.

In Odontalgiâ Ægri ſatis ſunt queruli, per quos Malum manifeſtatur: ſaltim quoad Cauſas Remotas obſervetur, quòd ſæpiùs in *Scorbuticis* acutiſſimi Dentium ſint Dolores; ſicuti in *Lue Venereâ* hi ipſi ſunt crudeliſſimi, planè intolerabiles, iique nocturni: id quod à Medico cognoſcendum pro faciliori inſtituendâ Curâ. Vitioſum enim, horum Morborum cauſa, Acidum, dum in talibus Dentes anteà non benè ſe habent, facilè iis ſe inſinuat, Nutrimentum privatum inquinat, & rodendo Malum exaſperat: Vel dum alius Dens per ſe dolere incipit, facilè ejus occaſione Acidum præternaturale in Corpore concurrere, ac Dentis Dolorem, & vicinorum locorum Pathemata crudeliora, efficere valet.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: per ſe quidem Odontalgia in Adultis nullum periculum habet, utut per accidens contumacior, vel diuturnior *Convulſiones*, in ſpecie Muſculi Temporalis, Vigilias pertinaces, aliaque ſimilia Symptomata gravia inferre poteſt.

Adhæc Doloribus his interdum ſuperveniunt *Tumores*, iique Inflammatorii, qui ad Suppurationem tendunt, & aperti interdum in Fiſtulas degenerant.

Ob id ergò maturè compeſcendus eſt Dolor.

## CURA.

In *Curâ*, *Acidum* in Dentibus peccans *eſt corrigendum*, *Dens carioſus evellendus*, & tandem *Vermiculi* geniti *enecandi*. Imprimis tamen, quantocyùs fieri poteſt, *Dolor ſiſtendus*, addendo Remediis his ſemper ſimul, quæ Morbo primario, e. g. Scorbuto aut Lui Venereæ, à quo Odontalgia etiam tanquam Symptoma dependet, appropriatè conveniunt. Sic enim *in Dolore Dentium Scorbutico*, quò etiam ille pertinet, qui *ex Malo Hypochondriaco* ſubinde excitatur, vulgaribus Odontalgicis ſimul miſceantur ſubinde Appropriata *Antiſcorbutica*, v. g. Lac & Lacticinia, internè & externè; ſicuti etiam ſola ſufficit Herba Cochleariæ, aut in hujus penuriâ Naſturtium aquaticum, aut etiam Naſturtium Indicum, & ſimilia: ſi nempe dictæ Plantæ cum Salviâ, (quæ eſt appropriata in Affectibus Gingivarum & Dentium,) Roremarino, Roſis, Plantagine & ſimilibus, pro Oris collutione ſubinde miſceantur & decoquantur. Sic Dolor iſte, qui *in Lue Venereâ* obvenit, appropriatius non habet Remedium, quàm quod malignum iſtum Acorem evincere poteſt; ex quo genere Decoctum Guajaci cum Aquâ communi, aut ejus Eſſentia, & Oleum deſtillatum, & ſimilia optima ſunt Remedia. Sed de his & ſimilibus videbitis plura in Strobelbergeri *Tractat.* eleganti *de Podagrâ Dentium*, propriè autem Odontalgiâ.

Remedia ergò, quæ *ad Dolorem Dentium compeſcendum* uſurpantur, & Acidum temperant, ſunt innumerabilia, & tot, quot ſunt Ægri, qui patiuntur Dolores. Ordinè progrediar. In uſu ſunt *Decocta* Plantarum quarumdam in Ore tenenda, aut *Gargariſmata* ex Origano Cretico, Foliis Nicotianæ, Herbâ Perſicariâ, Radice Pyrethri, Raſurâ Ligni Sancti, Buxi, Sabinâ, Chamomillâ, Serpillo, Foliis & Radice Hyoſcyami, item teneris germinibus Quercûs, & ſimilibus in Vino decoctis: e. g.

℞. *Herbæ Perſicar.*
*Serpill.* an. M. j.
*Rad. Lapath.*
*Urtic.* an. ℥j.
*Pyrethri*,
*Raſ. Ligni Buxi*,
*Sancti* an. ℥ß.
*Sem. Hyoſcyam. alb.* ʒj.
Coq. in ſ. q. *Aquæ.*
Cum Colaturâ gargariſetur Os.

Vel ſola Perſicaria cum Corticibus Hyoſcyami in Vino cocta Dolorem ſiſtit. Frequenter coquuntur in Aceto, ubi Dolor Dentium eſt à Cauſâ calidâ, ut vocant, ubi ſimul eſt Tumor Sanguineus; in Vino, ubi Dolor eſt à Cauſâ frigidâ, quando conjunctus eſt Tumor Seroſus & Oedematoſus: utut hæc parum referant, cùm potiùs ſint Producta morboſa. Sed *Decocta in Aceto* cautè applicentur, ſeu penitus intermittantur: nam Acetum acore ſuo Dentibus hoſtile eſt, & hujuſmodi Decocta plùs nocent quàm proſunt, Dentium compagem ſolvendo aut friabilem reddendo, & Stuporem inducendo: ſic Mulier quædam Doloribus Dentium correpta Acetum fervidum in Os ſumpſit, ubi ceſſavit Dolor, ſed Dentes fruſtulatim exciderunt. Vel Decoctum Sabinæ cum Baccis Juniperi in Ore detentum commendatur à Brendelio. Decoctum itidem Radicis & Herbæ Hyoſcyami in Vino vel Aquâ & Aceto paratum, in Ore detentum, potenter Dolorem Dentium ſiſtit.

Melius est, si ex manuductione Paracelsi recipiatur Herba Persicaria cum Cortice Radicis Hyoscyami, decoquatur in Vino, & in Ore detineatur: quidam enim simpliciter Radicem Hyoscyami, seu ramenta hujus Radicis, in specie recentis, aut in Vino maceratæ, loco Dentium dolenti applicant; sic enim acerbus Dolor intra horæ spatium fuit aliquando curatus. Oleum Hyoscyami ex Semine expressum Denti applicatum, vel interiùs vel exteriùs, in specie quando Vermiculi adsunt, convenit. Loco Hyoscyami usurpatur commodè *Nicotiana*, cujus Fumus, præmissâ, ubi opus est, Purgatione, egregius est; sicuti sola Nicotiana Denti dolenti attrita & masticata (ne tamen Saliva deglutiatur) solet vi narcoticâ Dolorem Dentium sistere, teste Riverio *in Observat.* unde *Decoctum Nicotianæ* cum *Floribus Chamomillæ* in Ore detentum ac masticatum, Remedium fuit Heurnii in Dentium Dolore: Decoquitur vel in Cervisiâ secundariâ, vel in Lacte, vel in Lactis Sero.

Vel

℞. *Piperis nigr.*
*Rad. Pyrethri*,
*Sem Staphisagr.* an part. æqu.
Coq. in *Vino.*

Colatura detur pro Gargarisatione. Vid. Paracelsus.

Sic *Gummi Juniperinum* seu Sandaracha Arabum in omnibus Doloribus Dentium admodùm laudatur, si scilicet *Gummi Juniperini* ʒj. in *Vini* ℔j. decoquatur, quo ipso colluatur Os; hoc enim multum conferre dicitur ad compescendum Dolorem Dentium, etiam à Lue Venereâ obortum: Conf. Amatus Lusitanus *Centur.* 5. *Cur.* 21. Aliàs Experimentum hocce etiam laudatur:

℞. *Flor. Spicæ Nardi*,
Coqu. in *Vino.*

Et Colatura sæpiùs, & aliquamdiu in Ore detineatur; nam & hoc multis prodesse dicitur.

Præ cæteris conveniunt *Opiata*: nempe fiant *Pilulæ* ex Opio vel Laudano Opiato, quæ ipsæ Denti dolenti vel cavo immissæ subitò dolorem sistunt; vel ejus *Essentia* aut *Extractum* excipiatur cum Bombace, & vel Denti immittatur, aut extrinsecùs Dentibus ac Gingivis affricetur.

Vel

℞. *Extr. Ligni Guaj.* gr. iij.
*Laud. Opiat.* gr. ij.
*Olei destill. Orig. Cret.* vel *Caryophyll.* gutt. ij.
M. f. Pilulæ.
D. S.
Pilulæ Dolorem sedantes.

Denti cavo intrudantur.

℞. *Flor. Benz.* gr. vj.
*Opii in Spiritu Vin. sol. & insp.* gr. iij.
Cum s. q. *Extr. Theriac.* f. Pilulæ.
D. S. ut antè.

Wedelius *in Opiolog. pag.* 138. commendat sequens:

℞. *Laud. Opiat.* ℈j.
*Olei Camph.*
*Caryophyll.* an. gutt. v.
*Balsf. pro corp.* ʒj.
M. f. Balsamum, Denti dolenti applicandum.

Interim notabile est, quod refert Salmuth *Cent.* 3. *Observ.* 34. ex *Laudano Opiato*, Dentibus dolentibus intempestivè adhibito, omnium Sensuum Stuporem, Vertiginem & Gravedinem Capitis obortà fuisse: Et Zacutus Lusitanus *libr.* 1. *Med. Princ. Histor.* 61. ex *Opio* in Dentis cavum sæpiùs pro ejus sistendo Dolore immisso, Mortem observavit, adeò ut huic subinde Universalia præmittenda. Pertinet huc Sotirella parva *Augustanorum*: Descriptio videatur *in Pharmacop. August.* (1) Ex quâ Pilula una vel altera aut Denti cavo intrusa, aut intrinsecùs admota, Denti dolenti etiam, Dolorem sistit. Virtute Opii etiam *Theriaca* recens applicatur Denti dolenti; vel ex Theriacâ recenti paratur Emplastrum Malæ dolenti imponendum: in specie quando tota series Gingivarum cum Malis & Temporibus dolet. Cera Catholica *Burrhi* Genis applicata quoque convenit, quem in finem & Pilularum formâ Denti inseri potest. *Quòd si Dolor & Ardor erysipelaceus* adfuerit, tali Emplastro ex Theriacâ *Salis Absinthii* ℈j. addendus: internè *Lac* tepidum simul crebriùs in Ore tenendum, præsertim quando suspicio est de latente Scorbuto. Optimum & singulare est *Camphora*, itidem Denti dolenti imposita, aut integra, aut soluta in Spiritu Vini rectificatissimo; aut, qui mihi in usu est, *Spiritus Salis Ammoniaci* paratus cum Spiritu Vini & Calce vivâ, in quo Camphora soluta sit, cum Bombace Denti cavo immittatur, aut Gingivis in loco dolenti imponatur; præsentaneum levamen infert, utut maximè mordeat: vel Oleum Camphoræ per ejus in Oleo Amygdalarum dulcium dissolutionem factum, non incongruum est. *Essentiæ* quædam Vegetabilium aromaticæ mirè etiam conferunt, ut Essentia Ligni Sassafras cum Spiritu Vini parata, vel Essentia Ligni Guajaci cum Spiritu Vini parata. Faber commendat Essentiam Thymi, Saturejæ, Serpilli, Salviæ, Calaminthæ, Zingiberis, &c. quæ sunt nobiles in Dentium Dolore, si his ipsis Gingivæ fricentur, aut etiam cum Bombace Denti dolenti immittantur. Quò etiam facit *Tinctura Odontalgica Mynsichti*, & *Wedelii* ex *Raf. Ligni Sancti* ʒi. *Caryophyllorum* & *Radicis Pyrethri* ana ʒß. cum *Spiritu Vini* rectificato extractis. Omnium optima est *Essentia Benzoës.* Hoc habent commodi, ut convenienter cum *Essentiâ Opii* misceri, & ita eò præstantius Remedium constituere queant. Ego vidi aliquando Dolorem Dentium curatum per Essentiam Catarrhalem sassafrasatam Denti applicatam. Loco harum Essentiarum etiam *Elixir Proprietatis sine acido*, cum Bombace vel alio modo Denti dolenti applicatum, certò Dentium Dolorem sistit. In specie videatur *Tinctura Odontalgica* M. A. N. C. *Ann.* 6. *Append. pag.* 76. Præcellunt adhuc his Essentiis *Olea destillata*, utpotè Salia volatilia concentrata, Acidum vellicans destruentia, v. g. *Oleum destillatum Caryophyllorum*, &, quod præstantius est, *Oleum destillatum Origani Cretici*: quibus tantillum Camphoræ additum eadem reddit tantò præstantiora. Rulandi Experimentum certissimum fuit *Oleum Heraclinum* ex Corylo paratum; loco cujus *Oleum destillatum Buxi* per descensum, & per vesicam rectificatum, convenienter potest recipi; vi enim narcoticâ nobile est ad Odontal-

(1) Nota Cyrilli. Sotirella parva *juxta descriptionem Pharmacopœæ Augustanæ*: ℞. Ol. Nuc. Mosch. expressi ʒj. Opii Thebaici, Spec. Diambræ *an.* ʒß. Camphoræ, Extr. Croci *an. gr. vj.* Ol. Caryophyll. destill. *q. s.* Redigantur in formam Opiatæ spissioris. Cavernis Dentium indita dolores eorundem sopit ac placat, ad quorum auxilium præcipuè expetitur, Raymundo Minderero Collegæ nostro quondam honoratissimo p. m. adscripta. *Hæc in Pharmacopœâ Augustanâ.*

talgiam: cui præfertur *Oleum Sabinæ deſtillatum*, perquàm egregium; ſicuti ipſum *Sabinæ Decoctum* in Cereviſiâ ſecundar â vel Vino paratum, in Ore juxta locum dolentem detentum, excretum, & ſubinde ita repetitum, excellens eſt, expellens ſimul Dentium Vermes. Wedelius, ex Oleo deſtillato Ligni Guajaci & Caryophyllorum addita Camphorâ parat *Oleum Odontalgicum*, cujus guttas duas vel tres Denti carioſo cùm Bombace immittit. His Oleis deſtillatis in acerbiſſimo Dolore tantillum de Oleo Hyoſcyami expreſſo convenienter addi poteſt. Claudini Remedium fuit *Oleum Terebinthinæ* cum tantillo *Camphoræ*; aut ipſemet *Balſamus Sulphuris terebinthinatus* cum Bombace Dentibus inditus etiam confert: cum quo poteſt, uti dixi, miſceri Camphora. Præter dicta etiam Oleum deſtillatum Roriſmarini, Oleum Salviæ, Juniperi, tandem Oleum Succini, admodùm commendatur. Videatur etiam *Balſamum Odontalgicum* in M. A. N. C. *cit. loc.* Plumbaginis Radicem, ceu verum Experimentum, laudat Panarollus *Pentec.* 4. *Obſervat.* 10. Radix hujus Plumbaginis contuſa, & carpo Manûs impoſita, per noctem relicta, mane maculam plumbeam relinquit, & Dentium Dolorem evaneſcere facit: id quod à multis fuit probatum, ratione cujus effectûs etiam à quibuſdam *Denticaria* vocatur. *Sulphur auratum Antimonii* confert etiam, ſi ejus tantillum cum Bombace in Dentem cavum immittatur, aut Denti dolenti applicetur; imbibitione enim Acidi corroſivi Dolorem citò ſopit, quod ipſe aliquoties obtervavi.

Præter hactenus recenſita etiam *Curæ Magneticæ* ac *Tranſplantatoriæ* in uſu ſunt. *Magneticas* inter eminet Paracelſi *Cura quoad Perſicariam*, dum eam recentem in Aquâ maceratam imponit loco dolenti Malæ, donec probè incaleſcat; hinc ſepeliatur in Fimo, ut citò putreſcat; ſic enim Dolor ceſſat: vid. Helmontius, & Marcus Marci. Pertinet huc *Oſſiculum Brachii Bufonis*, quod Experimentum Helmontii & Secretum Heurnii fuit, qui recipit Os dextri Femoris Bufonis ab omni carne nudum, hôc Gingivas Dentis dolentis ſubinde & fortiter fricat, & ſubitò ceſſat Dolor. Helmontius *Oſſiculum Brachii dextri Bufonis* recipere jubet, quod loco dolenti applicatur, quodque levamen affert, ſed non ſemper, utut ſæpiùs; vidi tamen etiam ſine ſucceſſu applicatum. Quidam recipiunt *Fruſtulum Ligni acutum*, fricant Dentem dolentem ſeu Gingivas, pòſt verò *Lardo* infigunt; ſic brevi pòſt evaneſcit Dolor. *Lignum Fraxini* juſto tempore cæſum, Dentium cavitatibus intruſum, Dolorem fugat, & Gingivis affricari poterit.

*Quoad Tranſplantationem*, imprimis cum *Corylo*, hinc cum *Sambuco* & *Salice*, ea inſtituitur, ſi nempe ab his, ſeparato non nihil Cortice, exſcindatur Feſtuca, quâ ipſæ Gingivæ & loca Dentis affecti punguntur, uſque dum Sanguinem fundant; tum Lignum cruentum denuò immittatur loco, unde exſciſſum, Cortex denuò applicetur, & luto probè circumdetur: vid. Johannes Sophron. Kozak *Tractat. de Sale pag.* 513. Alii *Ungues* abſcindunt à Manibus, & Pedibus, Denteſque à ſordibus mundant, hæcque omnia Linteolo involvunt, atque die Veneris ante Solis exortum Sambuco priùs diſciſſo immittunt; quò citiùs foramen illud concreſcit, eò citiùs dolor remittit. Conveniunt ejuſmodi Curæ in ſæpiùs recidivantibus & quaſi habitualibus Odontalgiis. Quamvis videatur aliquid *Superſtitionis* illi actui ſubeſſe, ob Ceremonias, quæ obſervantur in illo actu, tamen reverà Superſtitione caret, & Ceremoniæ, quæ adhibentur non ſunt de eſſentiâ Artificii; nam & eis abſentibus feliciter procedit Cura.

Subinde etiam à *Chirurgis* externè Temporibus *Emplaſtra* applicari ſolent eum in finem, ut ſaltem conſenſum, Doloremque per conſenſum hemicranicum tollant, quod etiam præſtant. Fiunt ex *Gummi Tacamahacâ*, vel Galbano, quod eſt melius, vel Carannæ, malaxatis cum Oleo Papaveris expreſſo, vel cum *Balſamo Peruviano*; quæ ſuper Linteum in formâ Thaleri extenſa, ſanè in Odontalgiis Gravidarum non ſunt contemnenda; & quidem ſi in Maxillâ ſuperiore doleant, Temporibus; ſi in inferiore, prope Aures ſunt applicanda. Alii *Gummi Elemi* vel Maſtichen recipiunt, & eadem parant pro Gravidarum Doloribus. Alii Maſtichen & Ceram; quidam etiam *Gummi Ammoniacum* Aceto diſſolutum, inſtat Emplaſtri applicant.

℞. *Theriac. Androm.*
*Tacamahac* an. ʒß.
*Balſ. Peruv.* ʒj.
Inducatur ſuper *Linteum denſum*, & univerſæ Malæ dolenti applicetur. D. S.
Emplaſtrum Sedans.

Quòd ſi *Phlogoſis quaſi eryſipelacea* adſit;
℞. *Theriac.* ʒß. ad ʒvj.
*Salis Abſinth.*
*Balſ. Peruv.* an. ʒj.
Miſc. & admoveantur.

Fit ſubinde, ut cum Odontalgiâ etiam ingens *Maxillæ Tumor* conjunctus ſit, tunc Chirurgi imperiti applicant *Emplaſtrum de Meliloto*, quo ipſo ſine ratione Abſceſſum inferunt; nam modò iſtatur Dolor, Tumor & omnia Symptomata ſponte evaneſcunt. Potiùs ergò tales Tumores *Fomentis* diſcutientibus & reſolventibus, quàm Emplaſtris ſuppurantibus, ſunt curandi: e. g.

℞. *Flor. Chamomill.*
*Sambuci* an. M. j.
*Pulv. Rad. Ireos Flor.* ʒß.
Inciſa adſpergantur
*Oleo Papav. expreſſo.*
Includantur Sacculo interpaſſato;
D. S.
Sacculus Externus.

Qui calefactus probè ita imponatur, & ſubinde recentetur.

Fit etiam interdum, ut in Gingivis circa radicem Dentis dolentis ſuperveniat aliqualis *Tumor* parvus intensè dolens, qui pedetentim *ad Suppurationem* tendit, qui Tumor ut eò feliciùs ſuppuretur, ne præmaturè evaneſcens recidivam inferat, ſed potiùs maturè ſuppuretur, convenit *Lac tepidum* in ore tenendum, vel, quod melius, *fruſtula Ficuum*, vel crudarum vel non nihil aſſatarum, Tuberculo imponenda, quæ inſigniter Suppurationem promovent (*citò rumpit, ſed valdè dolet*). *Abſceſſus* poſtmodùm *apertus* ſedulò Aquâ Mulsâ, qua eluatur Os, vel Melle illito mundificandum, ne nimis citò conſolidetur, aut ne in Fiſtulam abeat; Tantillum enim Fermenti remanens crebriorem ejuſmodi Tumoris *recidivam* facit.

Subinde contumaces Odontalgiæ adeò ſunt, ut *propter Seri copioſioris retentionem* circa Partem dolentem periculoſæ ſint, imò crebriùs adeò *Periodicæ*, ut ſubinde quibuſvis, etiam generoſiſſimis Artis præſidiis, curari vix queant. Exempla ſingularia videb. in M. A. N. C. *Ann.* 8. *Obſervat.* 62. *pag.* 104. Borello *Centur.* 3. *Obſervat.* 7. Hildano *Centur.* 4. *Obſervat.* 21. In talibus, ubi *Purgatione* opus eſt, aut ſaltem metu gravioris Mali, eadem inſtituenda videtur, *Jalappa* eſt convenientiſſima: juxta quam & ad *Sanguinis miſſionem*

interdum accedendum venit: Hinc Thonerus *lib. 1. Observat. pag.* 114. Dolorem Dentis per Venæ sectionem ad Animi usque deliquium curatum refert: *Idem cit. loc.* Dolorem Dentium à Sanguine copioso fervido per *Cucurbitulas* Scapulis, Cervici, Cubito applicatas, aliis irritis, curatum memorat: sic Dolor Dentium contumaciſſimus nullis cedens Remediis per impoſitionem *Cucurbitulæ* Maxillæ ſanatus obſervatur à Foreſto *lib.* 14. *Obſervat.* 6.

*Pro Revulſione* Paræus *Chirurg. lib.* 16. *cap.* 25. Allium tritum illâ Manu, in quo latere Dolor percipitur, geſtatum conferre ex Meſue refert: vid. Platerus *lib.* 2. *Obſervat. pag.* 371.

*Quoad Dentes cavos aut carioſos*: pro his nulla adſunt Remedia; quamvis Dolor levetur, ſemper tamen recidivat: unde Dens cavus & eroſus *evellendus aut extrahendus eſt*; vicini enim Dentes ſimul Carie inficiuntur. Evulſio hæc non eſt quidem genuina Odontalgiæ Cura; nihilo minùs tamen, quia in Dente corroſo adhuc hæret Fermentum acidum rodens, quod ſubinde recidivare facit Dolorem, optimum eſt eundem evellere; Etenim quando eſt evulſus, factâ ſic foveâ, interdum Liquor copioſus limpidus ſolet evacuari, à quo abluitur quaſi caverna loci, ne Malum poſſit recrudeſcere. Nam obſervatum eſt, quòd Odontalgiæ ſæpiùs evulſo Dente fuerint curatæ: ſicut & confirmata Caries aliâ ratione, quàm Evulſione, curari non poteſt. Quamdiu verò vel nondum eò uſque proceſſerit Malum, vel propter pericula, ſub Dentium evulſione interdum obſervata, hæc nimis metuatur; Remediis res tentanda eſt, Cariei ſcilicet progreſſum ulteriorem inhibendo.

*Evulſio appropriato peragitur Inſtrumento*, ac ſuccedit eò melius, quò minùs firmiter Dens hæſerit, & quò magis idem vacillaverit. Faciunt hoc Agyrtæ, & hinc Chirurgi. Ut verò facilior & minùs dolens fiat Dentis Evulſio, optimum eſt, Remedia quædam Denti applicare, quæ Dentem vacillantem reddant, & ejus Caſum aut Evulſionem promoveant. Hinc inter varia convenientia

℞. *Gumm. Ammon.*
*Sem. Hyoſcyam.*
*Succ. Hyoſcyam.* an. ʒiß.

Quæ cum *Pinguedine Ranæ viridis*, & paucâ *Cerâ* miſceantur in *Unguentum*, Denti extrahendo illinendum vel indendum, vel circa Gingivas applicandum, & eundem vacillare facit.

*Succus Ranarum* Dentibus illitus ita eos labefactat, ut ſine Dolore ſequantur trahenteni, inquit Geſnerus *in ſuis Epiſtolis. Succus Chelidonii majoris* Dentibus cavis illitus vel inditus, frangit eos, & elicit. Ulteriùs *Lac Tithymali*, vel nudè Denti carioſo inditum, aut ſi ex eo & Sale Ammoniaco formentur *Globuli*, & Denti indantur, aut cum Farinâ Triticeâ ſubactum fiat Paſta, & cavitati Dentis indatur. Præter Tithymali Lac, & alia ex ſimili Lacteorum genere, pari virtute pollent: ut Lac *Ficulneum* Farinæ admiſtum; vel ex Lacte Tithymali cum Farinâ Triticea ſubacto fiat Paſta, quæ in Pinguedine Ranæ viridis frixa, Denti evellendo applicata promovet brevi ejuſdem Caſum ſine Dolore; aut *Lac Cataputiæ* miſceatur cum Farinâ Siliginis, ut fiat inſtar Pultis, quæ Puls Denti cavo indita, ſicque aliquamdiu permittatur, brevi ejuſdem Caſum promovet. *Sal Ammoniacum* etiam cum Succo Hyoſcyami convenit. *Pinguedo* item *Ranarum viridium* Dentibus affricata, aut iiſdem indita Dentium Caſum promovet: nempe coquuntur Ranæ in Ollâ vitreatâ, affuſâ Aquâ communi, & Pinguedo quædam innatabit, quæ Dentis Evulſionem promovet.

*Cariei* verò ulterior progreſſus per Artem & Medicamenta inhibetur, efficaciſſimè imprimis *per Inuſtionem Dentis carioſi* in loco carioſo cum Cauterio actuali, ſive ex Ferro, ſive ob ſubtilitatem commodiorem, ex Argento vel Auro facto; quo facto Auro foliato Dens cavus repleatur; præſervatur enim ſic à majori Putredine & Corruptione: vel ex Cerâ cum Myrrhâ probè ſubactâ, vel potiùs ex Cerâ viridi propter admiſtam Æruginem impleatur Dentis carioſi excavatio. Ipſa Myrrha, Denti indita, egregia eſt in hoc caſu. Confer. hìc Riverius *in Obſervat. Communic. pagin.* 309. ubi refertur, quòd Dentes Terebinthinâ impleantur, & Cauterio actuali Dens inuratur in Carie. Loco Actualis Cauterii, ubi neceſſum viſum fuerit, *Potentiale* adhibeatur; ſic Aqua Fortis Denti carioſo admota, vel Spiritûs Vitrioli gutta j. vel ij. Bombace inditæ, ac Denti adhibitæ, mirè Corroſionem juvare & præſervare dicuntur. Item *Zingiber* in Oxymelite coctum, & in cavernam Dentis immiſſum, præſervat à Corruptione. *Coralliorum* Pulvis Denti cavo inditus vel Os Sepiæ, item Camphora, Cariei ulteriorem progreſſum inhibent: vel ex Pulvere Coralliorum alborum, cum Melle roſato ad conſiſtentiam Linimenti craſſioris redacto, Dentibus illitum Cariem inhibet.

Denique *Vermiculi* in Dentibus nidulantes ſunt enecandi, quod optimè facit *Decoctum Sabinæ* cum Vino paratum, in Ore loco Dentis dolentis detentum, quod copioſos Vermes elicit. Item *Suffitus ex Semine Hyoſcyami & Cerâ*, in Globulos redactis, ſpecificus eſt per Infundibulum Dentibus cavis receptus, Vermiculos enecat, & mirabiliter egredi facit: Conf. Bartholinus *Act. Med. Haffnienſ. Volum.* 1. *pagin.* 209. Melius eſt ſi loco hujus ex Fructibus Helicacabi contuſis, cum Cerâ mixtis, fiat exinde Paſta, & injiciatur in Laminam ferream ignitam, quæ Fumum ſuggerit, quo Ore excepto, catervatim Vermes cum Sputo copioſo rejecti, & crudeliſſimi Dolores ſopiti, obſervati fuerunt. *Spiritus Sulphuris* vel *Vitrioli* quoque Dentibus cum Bombace inditus Vermes optimè necat, & Dolorem inde oriundum placat: vel *Pulvis Gallarum* cum Succo Radicis Pyrethri imprægnatus, & cum Fermento in Pilulam redactus, optimè Vermes expurgat, ſi Denti, ubi ſunt Vermiculi, indatur. Decoctum Radicis vel Corticis Fraxini etiam Vermes in Dentibus ſtabulantes enecat. Sevum Cervinum ad ignem liquefactum, & Gingivis impoſitum, quantum contra Vermes Dentium valeat, vid. Bartholinus *Centur.* 3. *Hiſtor.* 96.

## ARTICULUS V.

### *De Dolore Oculorum.*

### CAUSÆ.

DOlent etiam non rarò *Oculi* variis in caſibus, tam quando *inflammantur*, quàm etiam ſi *Lacrymæ aut Lympha* eoſdem humectans *acrior & acido-ſalſior* fuerit, unde Roſio, Morſicatio, Dolor, & Rubedo. Pertinent huc *Res Externæ* quæcunque in Oculos incidentes, & Oculorum Dolorem infligentes.

Patiuntur etiam Oculi Dolorem ex rebus intrinſecùs illapſis, & ex Lacrymis acrioribus ſeu Lymphâ ſalſo-acidâ. Hi poſteriores Dolores parum habent in receſſu.

### DIAGNOSIS.

Malum per ſe patet in *Diagnoſi*.

PRO-

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: Dolor in Bulbis Oculorum, ſine Ophthalmiâ, funeſtiſſimum Signum eſt, ſi in principio Morbi acuti Ægri de tali conqueruntur; mox enim Delirium & Convulſiones adſunt, quod ſæpiùs obſervavi.

Cæterùm nihil eſt, quod addam, niſi id, quod *ſuperiùs L. 1. Section. 18. Cap. 1. Artic. 15.* monui *in Ophthalmiâ.*

## CURA.

In *Curâ*, ſublatâ Causâ tollitur Effectus, curatâ Ophthalmiâ ceſſat Dolor. Adeòque ſi *Res Externæ* in Oculos illapſæ fuerint, quantocyùs eædem removendæ; in quem finem convenit imprimis *Hormini Semen* Oculo immiſſum, quod ipſum à Lymphâ oculari humectatum reddit Mucilaginem, quâ inviſcantur ea, quæ in Oculos inciderunt, & ita extrahi poſſunt. Item *Perla* parva, vel parvus *Lapillus Cancri*, immittatur in Oculum, & hinc inde factâ agitatione ejici ſolent, quæ inciderant: Videb. Wormius. *Magnes* admovetur Oculo in ſcobe Martis aut ſcoriâ Chalybis: Conf. Hildanus *Centur. 1. Obſervat. 13. & Centur. 5. Obſervat. 21.* Quomodò aliàs Inſtrumentis Chirurgicis Externa iſta ex Oculis eximenda ſint, videb. Hildanus *Cent. 2. Obſerv. 13. Cent. 4. Obſer. 17.*

*In Inflammatione à Causâ internâ*, hæc ipſa *Appropriatis* curanda venit, in ſpecie propter Oculorum Dolorem: præter Remedia ſuperiùs notata in Ophthalmiâ, Decoctum *Pomorum dulcium* applicetur, idque ſolum, ſi ſit à Causâ internâ, vel ſociatum cum Albumine Ovi bene agitato, ſi ſit à Causâ externâ. Expertum quoque eſt ſequens Collyrium *Hildani.*

℞. *Mucil. ſem. Cydon. cum Sperm. Ran. extr.* ℥iij.
*Camph.*
*Croci* gr. v. vel vj.
M. ſc.

Imponatur Oculis cum Linteis multiplicibus inſtar Collyrii.

Aqua Fœniculi cum Saccharo Saturni Ardores in Oculorum Dolore tollit: ſi addatur parum Camphoræ, erit magis potens.

Vel

℞. *Aquæ Chelidon. maj.*
*Flor. Cyani*,
*Calcatr.* an. ℥j.
*Vitrioli alb.* gr. xij.

Soluta filtrentur per chartam:

adde

*Tut. præp.* ʒß.
M. S.
Collyrium.

Cum Linteis imponitur Oculis.

Singulare eſt Experimentum Radix Morsûs Diaboli, ſi ſcilicet quinque tales Radices Lunâ decreſcente collectæ appendantur in filo de Collo Patientis; tunc enim fit, ut tollatur mirabiliter nimius Dolor, & omnes exacerbationes Oculorum Affectuum impedit, & aufert. Experimentum hoc eſt quorundam, in Caſibus, ubi alia incaſſùm ſunt adhibita.

Sic, & *Arteriotomia* in Oculi hoc Dolore ſubinde adminiſtranda venit: Videantur Bartholini *Acta Haffnienſ. Volum. 1. pagina 23.* Si adſit *Lympha corroſiva* in Oculo, vel *Lacrymæ acriores*, adhibeatur in ſpecie *Tutia* præparata, aut *Flores Cinci*, ac loco hujus Flores Jovis ſecundùm manuductionem Zwelferi parati. Hi cum Collyriis applicati, abſorbendo, acrimoniam Lymphæ corrigunt, & temperant; qua ratione etiam in Epiphorâ dolorosâ applicari poſſunt. His omnibus præfertur *Cataplaſma* reſolvens, & diſcutiens ex Pomis dulcibus, quod omnes Practici unanimi conſenſu mirè deprædicant, & commendant, applicando Oculo dolenti; v. g.

℞. *Pom. dulc. coct. & expreſſ.* vel *ſub ciner. aſſat.* Num. iij.
*Album Ovi conquaſſ.* Num. j.
*Sacchar. albiſſ.* ʒij.
*Camph.* gr. x. vel xij. ad xv.
*Croci* gr. v.
M. f. Cataplaſma Oculis imponendum.
D. S.
Puls Leniens.

Vid. *ſuprà de Albugine*, & *Colleg. Jonſton.* D. Michaelis.

Si ſit Malum *à Causâ Externâ* applicatur cum Albumine Ovi benè invicem miſtis, & agitatis; ſi ſit *à Causâ internâ*, Albumen commodiùs omittitur. Convenit in quovis undecunque nato Oculorum Dolore, etiam inflammatorum. Experimentum fuit Timæi *von Guldenklee in Caſ. pag. 48. vid. Chirurg.* Barbette *pag. 150. 151. & 188.* item *Armam. Chirurgic.* Sculteti *Obſerv. 22.* qui egregias in hoc Cataplaſmate vires recenſet; Horſtius *Obſerv. pag. 443. Ideâ Formular. Claſſ. 3. §. 23. & Colleg. Formular.* Pro optimo euporiſto habet Borellus *Centur. 1. Obſerv. 31. ſequens.*

℞. *Album. Ovi.*

Et cum *Aluminis fruſtulo* tandiu agitetur, donec Pultis conſiſtentiam acquirat: poſteà Linteo ſubtili involvatur, & Scuto clauſo Palpebræ imponatur, ſæpè renovando.

Specialis eſt Dolor, qui Oculos ſubinde affligit, eſtque ſenſus vehementiſſimæ Compreſſionis, & quaſi ſimul ejuſdem Lacerationis, *ſine manifeſtâ Oculi læſione*, vel alteratione. Urget veſperi, & mane quando ſurgunt, ſæpiùs interdum Lineolæ rubræ in & circa Membranas Oculi hærent. Subinde ſine Causâ manifeſtâ urget. Credo eſſe quaſi *Affectum Spaſmodicum Tunicarum Oculi.* Dolor hic compreſſivus, & lacerativus curatur per Aquas Ophthalmicas Antimoniales quaſcunque, ex Infuſo Antimonii, vel Vitri Antimonii, vel Capitis mortui Butyri Antimonii, vel Croci Metallorum (videb. *de Ophthalmiâ ſuprà l. a.*) cum Aquâ Spermatis Ranarum, vel Fragorum: quibus commodè addi poſſunt Ceruſſæ, vel Saccharo Saturni ana ʒj. ad ʒß. vel ʒj. ſubtiliſſimè pulveriſati; Item *Fomenta* Poterii *in Centuriâ 3. cap. 9.* ex *Decoctis Ophthalmicis* extrà adhibitis. Decoctum Radicis Lapathi majoris quotidie potum, Oculiſque illitum, tanquam ſingulare commendatur: Item *Verbena*, *Fœniculum*, *Euphraſia*, *Roſæ*, *Sumach*, *Tutia* in Aquâ, & Vino decocta applicata, vel ad imitationem Hildani.

℞. *Mucilag. Sem. Plantag.* vel *Fœnug. Cydonior.*
*Hormini* ſeu *Sclareæ*, *cum Sperm. Ran. extr.* an. ℥j.
*Croci* gr. vj.
*Camph.* gr. iv.

Quæ miſta applicentur contra Dolorem.

Quibus quidam & *Lac Muliebre* addere ſolent; vid. Hildanus *lib. 1. Obſervat. 2. pag. 13. Folia* item *Nicotianæ* recentia leviter contuſa Oculis impoſita, vel ſi haberi non poſſint recentia, accipiantur ſicca, macerata non nihil in Vino, vel Spiritu Vini, applicentur; Sic enim ratione Salis vola-

volatilis oleosi dictum Dolorem solvunt. Ulteriùs *Saccharum Joviale* cum Aquâ Rosarum mistum, & instillatum, est nobile Ophthalmicum, quod mirè commendatur à Lindano in Oculorum Doloribus: Fit ita: *Saccharum* albissimum vel candisatum in Mortario, vel Scutellâ stanneâ cum Cochleari stanneo teritur usque ad cœrulitatem. Saccharum hoc Joviale singulare fuit Lindano ad quoscunque Oculorum Affectus, in specie Affectus dolorosos:

Vel

℞. *Aquæ Plantag.*
*Fœnicul.* an. ℥ß. vel ʒvj. ad ℥j.
*Sacch. Jovial. Lind.* ʒi. vel ʒiß. ad ʒij.
*Tutiæ præpar.* gr. vij. vel viij.
*Croci* gr. iij. vel iv.
M. pro Collyrio contra hujusmodi Dolores usurpando.

D. S.

Collyrium Leniens.

Solummodò etiam Saccharum Joviale instar Pulveris insufflletur.

Huc pertinet Dolor Superciliaris periodicus, Arthriticis imprimis familiaris, cum Vesicatorio retrò Aurem curatus, qui vid. in M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obs.* 252. Hic enim Dolor Prognosin dat ingruentis Arthritidis, aut jam factæ.

## ARTICULUS VI.

### *De Aurium Dolore.*

DOlent etiam subinde Aures graviter in *Otalgiâ*, Germ. *Ohrzvvanges*, idque imprimis ratione Membranæ interdum Meatum auditorium investientis.

### CAUSÆ.

*Causa* hujus Doloris est, vel frequentissimè *Inflammatio*, de quo jam *suprà suo loco* dictum fuit, juncta cum sensu Ardoris, ac Pulsationis, subinde Lancinationis molestissimæ, cum sensu Æstuationis in regione externâ: & quidem, licèt non videatur primitus Dolor ab Inflammatione, tamen superveniente Puris fluxu, & levamine, res ipsa se prodit. *Conf.* in specie, quæ circa notabiles Aurium Dolores cum Curatione notant, M. A. N. C. *Anno* 6. *Observat.* 82. *pag.* 117. Vel est *Humor acris, & salsus*, Membranam internam pungens & admodùm corrodens; item *Lympha* catarrhalis vitiosa, aut nimio acore imprægnata in Catarrhalibus Affectibus, per errorem distributionis ad Aures delata, quæ ad Otalgiam disponit, & lancinantem Dolorem infert. Eundem Dolorem etiam infert iste Humor, ex quo naturaliter concrescunt *Cerumina*, depravatus, qui si præternaturaliter reddatur acris, & salsus, Membranam internam pungit, & non nihil arrodit, & sic Aurium Dolores infert. Dixi Humor, ex quo naturaliter concrescunt Cerumina; nam utut hæc ipsa Cerumina sub consistentiâ spissiore flavescente, naturaliter in Adultis dicantur amarescere (unde egregium adeò est Vulnerarium, & Ulcerarium,) quæ in Infantibus dulcescunt; prima tamen eorum genesis est ex quodam Humore tenui, seu Lymphâ: quod ex eo patet: si quis Cerumina Aurium expurgans cum Stylo altiùs intruso vellicaverit Membranam Meatûs auditorii, tunc Humor tenuis roridus fluere percipitur; quod etiam Digito profundiùs immisso per se patet: Imò si copiosiùs forsan fluat in Aures, apertè *sensus fluxionis* percipi potest. Hic ipse ad exteriora Auris effusus resolvitur per Aërem, & inspissatur tandem in Sordes crassas, quas nos Cerumina vocamus. Tandem sunt etiam *Vermes*, nunc in Aures irrepentes, nunc etiam interdum in ipsis Auribus geniti, inde ex Auribus etiam ad ipsum Cerebrum penetrant, qui non rarò atroces Dolores Aurium, eosque varios, inferre solent, cum sensu rosionis, punctorio-pruritûs: item cum sensu reptionis seu progressûs Vermium in interiori Auris meatu; Vid. Panarollus *Pentec.* 4. *Observ.* 27.

### DIAGNOSIS.

Ex modò dictis facilia sunt *Signa*: Nam uti videre est, Otalgiæ cognitio patet ex relatione Ægri, saltim Causarum distinctio probè attendenda.

Si Dolor sit *ab Inflammatione*, adest Dolor Pulsatorius, conjunctus est sensus Ardoris in Aure, subinde etiam Auris externa rubet.

Si sit ex alia *Causâ humorosâ*, Dolor sine ullo insigni Ardore, cum levi saltem Pulsatione, percipitur, & Dolor tantùm acutus, pungens & quasi perforans, in Auribus adesse solet.

Considerentur simul *Signa Affectuum Catarrhalium*, Capitis gravitas, &c. item Dolor à tali Causâ nunc acerbior & gravior, nunc remissior esse solet; item per diuturnitatem se manifestat.

*Vermes* etiam facilè patent; percipitur sensus Rosionis aut Punctura; item percipitur subinde Pruritus à Vermibus, interdum etiam Reptionis seu Progressûs sensus in Auris internum Meatum percipitur; observentur simul Circumstantiæ antecedentes.

### PROGNOSIS.

*Aurium Dolor*, præsertim *Inflammatorius*, admodùm periculosum Malum est; atrocior enim si fuerit, Deliria, gravia Cerebri Pathemata, ipsam interdum etiam Mortem infert; idque eò magis, si in profundo Affectus hæserit, & magis magisque Nervum Acusticum afficiat.

*Infantibus frequens Malum* esse solet, & quod facilè supervenienti Materiæ cujusdam plùs minùs purulentæ excretioni se jungit; *Seniores verò gravius* & periculosiùs laborant.

Reliqui Aurium Dolores levis momenti esse solent, utut graviter torqueant Ægros.

### CURA.

Quoad *Curam*: varietas Causarum observanda est. Imprimis distinguendus est Dolor Inflammatorius Aurium ab aliis eorundem Doloribus. *De Inflammatione suprà* dictum. In specie tamen, vel in genuino Dolore, vel eo, qui supervenit Otalgiæ, expertum est *Cataplasma ex Cepis Faventini*, quod Forestus *in lib.* 12. *Observ.* 1. & 4. describit: Nempe

℞. *Cep. sub ciner. calent. coct. & assat.* No. j.
*Olei Chamomill.* ℥iß.
*Anethi*,
*But. rec.* an. ʒß.
*Croci* ℈j.
Misc.

Sub formâ Cataplasmatis applicentur extrinsecùs Auri affectæ; quo aliquot tales acerbissimos Aurium Dolores conjunctos cū Odontalgiâ feliciter curavit.

Item Ceparum assatarum Succus cum Oleo Irino expressus laudatur *Observat.* 2. *l. a.* In genere etiā Dolorem Aurium sistunt *Fomenta* ex Anodynis & Emollienti-

lientibus in Lacte coctis, ut Radice Althææ, Semine Fœnugræci, Floribus Chamomillæ, Meliloti, Betonicæ, &c. applicata, præſertim ſi Malum ſit à Causâ externâ: Vid. Hildanus *Centur.* 1. *Obſervat.* 5. & 6. item Foreſtus, *lib.* 12. *Obſervat.* 3. Convenit etiam Oleum Chamomillæ, Roſarum, Rutaceum; etiam Oleum, in quo Cancri fluviatiles incocti; per Alcali enim Olei Acidum deſtruitur: cui in Dolore Inflammatorio nonnihil Camphoræ addi poteſt: Item *Fumus Nicotianæ* cum Fiſtulâ inversâ Auri immiſſus etiam confert ad Dolorem Aurium compeſcendum; vel Folia Nicotianæ, aut recentia, aut Aquâ appropriatâ, vel Spiritu Vini, vel Vino macerata, parum contuſa Auribus applicata, Dolorem promptè ſiſtunt. Præ cæteris utilia ſunt *Olea* Auribus inſtillanda, ut Oleum Ovorum, Inſectorum, Aſellorum, Oleum Scarabæorum, Oleum Scorpionum. Nempe *Aſelli in Oleo Violarum*, aut *Nymphææ*, vel communi, ſi infundantur & ebulliant, præſtans eſt Remedium Anodynum in quocunque Aurium Dolore, etiam Inflammatorio, Auri inſtillatum. Non cedit huic *Oleum Scarabæorum*, ſi ſcilicet hi contuſi aut vivi injiciantur in *Oleum Roſaceum*, vel ſimplex cum Aquâ paucâ, & ad Aquæ conſumptionem coquantur, hinc exprimantur; vel vivi in Oleo Nymphææ infundantur. Præ cæteris expertum eſt Remedium Oleum Scorpionum, ritè paratum per diuturnam digeſtionem in Sole, cum Bombace loco dolenti applicatum, vel ſolum, vel mixtum cum dimidio Olei Amygdalarum: Hæc enim duo Olea Auribus, decumbente Ægro ſuper Aurem ſanam, mirificè conferunt.

Vel

℞. *Olei Scorpion.* ℥j.
*Amygd. dulc.* aut ſi opus eſt aliquali deterſione, *amar.* ℥ß.
*deſtill. Aniſi.*
*Carvi* an. ℈ß.
M. D. S.
Oleum Leniens.

De Miſturâ hac blandè calefactâ Auri dolenti inſtilletur, Ægro in Aure ſanâ recumbente, aut etiam cum Bombace paulò profundiùs immittatur; quibus non inferius eſt, Oleum Lumbricorum rectè paratum.

In Dolore Aurium, ubi aut adeſt Inflammatio, aut metus eſt, ne Inflammatio ſuperveniat, optimè præſcribitur hocce:

℞. *Succ. Semperv. maj.* ℥ij.
*Olei Scorpion.*
*Lumbr. terr.*
*Chamom.* an. ℥j.

Miſta inſtillentur aut ſaltim cum Bombace his Oleis intincto Auris obturetur: egregiè confert in ejuſmodi Dolore.

Singulariter etiam non tantùm ad Dolorem Aurium, ſed etiam ſimul ad Surditatem, laudatur Bulbus ſeu Radix Panis porcini ſeu *Cyclaminis*, quam excavant in formâ ſcutellæ, & Oleo Liliorum alborum aliove appropriato replent, ad ignem relinquunt uſque dum probè decocta fuerint: poſt coctionem integram Radicem benè exprimunt, & de Liquore expreſſo Auri dolenti vel immittitur, vel cum Goſſypio applicatur. Porrò, ubi *nulla eſt Inflammationis ſuſpicio*, vel nullum ejuſdem ſignum apparet, præter dicta (nam hæc conveniunt in omni Aurium Dolore) imprimis Olea deſtillata Vegetabilia conveniunt, quæ inter ſunt Oleum deſtillatum Origani. Convenit itidem Oleum Caſtorei, item Decoctum Caryophyllorum aromaticorum in Vino Auri inſtillatum, ipſo Caryophyllo deſuper applicato: Etiam confert ad Dolorem *ex Lymphâ craſsâ*. Urina etiam Pueri recens, aut potiùs ejus Spiritus phlegmaticus non adeò acris, Auri inſtillatus eſt egregius, item Spiritus Otalgicus *Mynſichti*, qui eſt egregius Spiritus, & optima Compoſitio, aut Spiritus Otalgicus Barbette *in Anat. Pract. lib.* 2. *cap.* 1. cujus Compoſitio elegans eſt hæc:

℞. *Ovor. Formic. maj.* No. C.
*Caſtor.*
*Pulp. Colocynth.*
*Majoran.*
*Sabin.*
*Abſinth.*
*Rutæ* an. M. j.
*Sem. Cumini*,
*Aniſi*,
*Fœniculi*,
*Carvi* an. ℥iij.
*Bacc. Lauri excort.*
*Juniperi* an. ℥ß.
*Cort. Mali Pun.* ℥vj.
*Rad. Helleb. nigri*,
*Cyperi*,
*Raphani min.*
*Cyclam.* an. ℥j.
*Cep. mediocr.* No. vij.
*Amygdal. amar.* ℥ij.
Infund. in Spiritu Vini q. ſ.
Per Balneum Mariæ abſtrahatur.

Aut extracta ſaltem Eſſentia Auribus inſtilletur, vel cum Bombace applicetur.

Spiritus hic quoque non tantùm in Obauditione à quacunque Causâ ſine Inflammatione, ſed etiam in Tinnitu Aurium & Surditate eſt egregius, ſi duæ vel tres guttæ inſtillentur, & poſtmodùm Auris obturetur cum Bombace moſchato aut ambrato: nam & hæc admodùm commendantur in Aurium Affectibus, de *quo poſtmodùm*. Quibus ſi graviori in Malo non cedat, aut ubi Dolor eſt nimis acutus, in Spiritu hujuſmodi Otalgico aut alio, aut tantùm Spiritu Vini tartariſato, diſſolvatur parum *Opii* vel *Laudani Opiati*, vel addatur tantillum *Eſſentiæ Opii*, & ita hoc modo Auribus inſtillentur; ſed cautè hoc fiat, ne Auditum lædamus. Conf. Foreſtus *lib.* 20. *Obſ.* 1. 3. & 4. Interdum Fumus Tabaci Auribus inſufflatus antiquos & inveteratos Dolores promptè ſiſtere ſolet. Denique Oleum è Ligno Coryli deſtillatum, item Oleum Ligni Buxi, acerbiſſimos Aurium Dolores ſubitò ſiſtit: ſed Olea Scorpionum & Aſellorum inſtar omnium ſufficere poſſunt.

Præſentiſſimum Remedium ventilatur, ſi ex Cervo excitus globus ſumatur, latèque tundatur, & poſteà Auris eo comprimatur.

*Si Dolor Aurium à Vermibus* fuerit, ii quantocyùs eliciendi ſunt vivi, aut intùs enecentur, & ita extrahantur; Dolor enim tunc vagè lancinans, hinc inde rodens, percipitur. *Lac* tepidum Auribus cum Spongiâ aut Linteo extrinſecùs applicatum, dulcedine ſuâ Vermes allicit, ut ita prodeant: vel Lac infundatur in Aurem, vid. Panarollus *Pentec.* 4. *Obſ.* 27. qui notat Dolorem Aurium intenſiſſimum per Lactis infuſionem, evocatis Vermibus curatum. *Pomum* etiam dulce aſſatum Auri applicatum ſimili modo convenit, uti refert Panarollus *Pentec.* 4. *Obſervat.* 27. His non ſufficientibus interficiendi ſunt. Interficit vel angit eoſdem *Succus Abſinthii*, aut Centaurii minoris, aut Cucumeris aſinini aut Foliorum Perſicorum; item Oleum Nucleorum Perſicorum recenter expreſſum, Amygdalarum amararum, Diacolocynthidis *Quercetani*; quibus aliquantulum Mercurii dulcis addi poteſt.

Vel

℞. *Olei Nucl. Perſic. rec. expr.* 3j.
*Diacolocynth. Quercet.* 3ß.
*Mercurii dulc.* gr. vj. ad ℈ß.
M. probè. S.

Oleum contra Vermes in Aure.

Guttatim inſtilletur, vel cum Bombace immittatur Auribus.

Vel *Aqua Hermetica*, h. e. Aqua Hyperici vel Graminis, in qua Mercurius vivus purificatus aliquantulùm bullierit, vel cum qua probè agitatus fuerit, decantata à Mercurio vivo Auribus inſtillata aut injecta, non erit inconveniens. Elixir Proprietatis ratione Myrrhæ & Croci, ſi duæ vel tres guttæ inſtillentur Auribus, etiam conducit ad evacuandos Vermes, vel injiciatur Decoctum ex Summitatibus Abſinthii, Aloë, vel aliis, mediante Siphone pro eluendis Auribus: e. g.

℞. *Aloës* 3ij.
*Myrrh.* 3j. ad 3ij.
*Colocynth.* 3ß.
*Summ. Abſinth.* Mß.
Coq. in ſ. q. *Vini* vel *Aquæ comm.*
Colatura detur pro Injectione in Aurem:
S.

Injectio in Aurem contra Vermes.

Vid. Barbette *Anat. Pract. lib.* 3. *cap.* 1. *pag.* 110.

Suffitus Myrrhæ Auribus receptus, & ipſe Vermes evocat, item Infuſum Seminis Nigellæ in Aquâ Vitæ, ſive Spiritu Vini cum Bombace Auribus applicatum multos Vermes eduxit, uti hoc obſervat Schenckius. Pro Vermibus Aurium commendat Agricola ſequens Unguentum:

℞. *Salis Jovis* (Salis Saturni)
*Cerum. Aur.*
*Olei Lign. Coryli expr.* an. part. æqu.
Miſc.

Cujus felicem uſum expertus eſt contra Dolorem Aurium.

Aliàs etiam Oleum deſtillatum Corylinum omnes Vermes aut enecat aut expellit.

*Suffumigia Amara* cum Antimonio juncta non Auribus tantùm, ſed etiam Ore & Naribus excepta eoſdem Vermes expellunt; eſt enim Meatus ex Auris Conchâ in Os, teſte Salmuth *Cent.* 2. *Obſ.* 39. Quò facit etiam *Unguentum* Hartmanni ex Pinguedine Capi, Oleo Corylino & Mercurio Sublimato aut Dulci; nam & hoc egregiè aut enecat aut expellit Vermiculos. Vel etiam ex Semine Hyoſcyami cum Cerâ formentur parvæ Candelæ; quæ accenſæ, aut Carbonibus injectæ, ſpirant Fumum, qui Auribus exceptus mox Vermes expellit. *Oleum deſtillatum Juniperi*, item *Balſamum Sulphuris terebinthinatum* enecat Animalia in Aurem ingreſſa; ſicuti etiam *Suffitus Gummi Ammoniaci* quædam ejecit: Conf. M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obſ.* 266. *pag.* 480. ſi *Gryllus in Aurem* irrepſerit, *Oleo Infuſionis Gryllorum* denuò ejicitur; Vid. M. A. N. C. *Ann.* 4. *Obſ.* 50. *pag.* 44. In ſpecie ſi *Muſca* ex improviſo introrepſerit, accipiatur Terebinthina, eaque cum Bombace & Stylo immittatur in Aurem, & inviſcata Muſca extrahatur. Quòd ſi ex improviſo *Hirudo* in Aurem irrepſerit, tunc ſubitò Auris externa perfundatur *Sanguine* recenti cujuſdam Animalis, ſic enim ad Sanguinem prorumpunt Hirudines, & ita egrediuntur, qualem Hiſtoriam habet Bartholinus *Cent.* 4. *Hiſt.* 74. Vel injiciatur Aqua Solutionis Salis communis. Quòd *ſi Pulex* in Aurem ſe inſinuaverit, laudatur à Riverio Globulus ex Pilis Caninis compoſitus, extrinſecùs Auribus applicandus, vel cum Stylo in Aurem immittendus; Pilis enim ſubitò Pulices ſe inſinuant & extrahuntur.

## ARTICULUS VII.

### *De Cephalalgia.*

PRæ aliis multiplex & ſæpiſſimè ſævus eſt *Dolor*, qui *Caput* crebriùs *affligit*, in genere *Cephalalgia* dictus, non quòd Caput integrum doleat, ſed tunc ſaltem iſta Capitis ſuprema pars, quæ Oſſibus Cranii circumſcribitur; nam reliquæ partes in Capite dolentes peculiaribus ferè appellantur nominibus. Et quidem in dictâ parte Capitis, quæ circumſcribitur Oſſibus Cranii, *Membranæ* ſunt ſolummodò *ex Fibris nerveis* multiplicibus, cruciatim ſitis, ſenſibiliter contextæ, & ex iſtis natæ Nervorum Tunicæ; uti & iſtæ *Membranæ*, quæ varias Cerebri cavitates & anfractus inveſtiunt, quæ in dicto Dolore primariò cruciantur ſeu afficiuntur, eæque tam *Externæ*, Cranium & Caput, quàm *Internæ*, Cerebrum in ejuſdem ambitu, cingentes. Unde Dolor Capitis alius eſt *Internus*, qui ſaltem Meninges in toto ſui ambitu ſolet affligere, & *Externus*, quando Externæ ſaltem Membranæ dolent, de quo optimè ſcripſit Williſius *lib. de An. Brutor. Part.* 2. *cap.* 1. & 2. *pag.* 180. cujus etiam veſtigia ſequemur.

Quoad *Internas Membranas*: hæ ſunt *Dura* & *Tenuis Meninx*, utut de hac propter ejus tenuitatem dubitet Lindanus. *Dura* verò *Mater* ſeu Dura Meninx duplici conſtat Tunicâ, per quam Vaſa Sanguifera multis anfractibus, imprimis ex Venâ Jugulari, tranſeunt, donec perveniant ad Vaſa Capitis, & tunc ad Cerebrum; hinc non poteſt fieri, quin pro vario Sanguinis ſtatu multa patiantur hæ Membranæ. Si igitur dilatentur Vaſa à Sanguine, neceſſariò dilatatur Tunica, & divellitur ejus Duplicatura; unde neceſſariò ſic inſequitur Dolor Capitis. Utut autem Caput omnis generis patiatur Dolores, in ſpecie tamen ordinariò *Pulſatorii & Tenſivi* eſſe ſolent, qui hanc Membranam affligunt, quæ ipſa etiam per conſenſum Pericranium Capitis afficere ſolet; Interna enim Tunica ſeu Pia Mater minùs doloroſa videtur propter nimiam ſui ſubtilitatem. Jam verò cùm Membrana iſta Dura comitetur Nervum Opticum uſque ad Oculum, & ibidem Tunicam quandam, Sclerotidem nempe, conſtituat, ob id frequenter in graviori Capitis Dolore ipſi etiam Oculi intensè dolere ſolent; hinc eſt *Dolor Capitis Internus.*

Quoad *Capitis Dolorem Externum*, fit hic, quando ſaltem Membranæ Cranii, ſpeciatim *Pericranium*, hinc *Panniculus carnoſus*, *Muſculi*, ipſaque adeò *Cutis*, vel per conſenſum Duræ Meningis, vel propter Læſionem externam in Contuſionibus aut Concuſſionibus, aut ſimilibus ex Cauſis Externis, afficitur; item quando Materia præternaturalis recrementoſa ibidem colligitur, uti in Lue Venereâ fieri ſolet, acerbè dolent, qui Dolor Externus facilè tactu externo eſt perceptibilis & ſenſibilis. *Subjectum* ergò quod dolet in Capite, non eſt Cerebrum, neque Cortex, neque Medulla, ſed ſaltem *Membranæ* in & extra Cranium exiſtunt: Unde frequens eſt Dolor Capitis Tenſivus & Pulſatorius; extraordinariè autem ſolet eſſe Lacerans & Lancinans; ſicuti etiam Dolorem Punctorium, & Oſtocopum Caput perferre ſolet.

Dolet autem Caput nunc univerſum, totus nempe ab Oſſibus Cranii tactus circumſcriptus, atque tunc generaliter *Cephalalgia* audit, qualis iſte eſt Dolor, qui ſubinde Homines poſt Crapulam, vel ſub Aëris mutationibus, vel in Febribus Ardentibus &

Inter-

Intermittentibus, vel aliâ simili Causâ affligit, quique Secundarius est, & nunc Sinciput, nunc Occiput (quod tamen rarissimè contingit) magis affligit. Quòd si verò Dolor talis Capitis Universalis sit gravior, diuturnus, & contumax, mutato nomine, *Cephalæa* dicitur, & Causam ut plurimùm agnoscit fixam in ipso Capite, aut certè eo loco radicatam & fixam. Quòd si dimidium saltim Caput, imprimis ratione Suturæ Sagittalis, quæ Caput in partem dextram & sinistram dirimit, vehementer & pertinaciter tantùm doleat, ita ut altera medietas sit indolens, est *Hemicrania*, ut plurimùm diuturna & admodùm contúmax. Quòd si unica tantummodò pars Capitis inter Sagittalem & Temporalem Suturam afficiatur, dicitur *Ovum*, à magnitudine nempe loci affecti, quæ Ovum non excedit. Quòd si Dolor porrò in uno parvo sit loco, contumax tamen & fixus, quasi Clavus ibidem sit intrusus, dicitur *Clavus*, solâ magnitudine partis affectæ ab Ovo differens. Dolor item in Ovo est major, in Clavo minor; Ovum itidem per vices solet intendi & remittere, Clavus verò non itidem; est enim ferè continuus eodem modo durans & affligens, nisi à Causâ externa forsan intendatur. Tandem, utut frequens percipiatur Dolor in Sincipite, interdum tamen solum Occiput dolet, idque frequentiùs *in Mulieribus*, qui Dolor Muliebris ferè conjunctus est *cum sensu Frigoris* istius loci, quasi Glacies intra Calvariam esse recondita. Talis Dolor fit imprimis *per consensum Uteri*, & rarò fallere solet, quin ut plurimùm ex Utero oriatur; utut connexionis ratio haud æquè nota sit, & interdum etiam Senes, tam Mares, quàm Vetulas, talis Dolor Occipitis solet affligere, qui tamen ex alio est fonte.

Ab adjuncto *Cephalalgia* vel *Calida*, vel *Frigida* dicitur: *Calida*, prout nempe Sanguis vel ipse magis fervet, vel ex Membranarum spasmo circa Capitis partes, præsertim anteriores, magis detinetur; tunc enim Caloris manifestus sensus, præsertim circa Frontem, percipitur: *Frigida* econtrà dicitur, ubi nil tale occurrit, sed potiùs Frigus sentitur, aut saltim Gravedo Capitis adest.

## CAUSÆ.

*Causa* hujus, quemadmodùm omnis Doloris, est, quicquid Fibras dictarum partium distendere ac rodere valet: quod quia à quam plurimis Causis nunc immediatè magis, nunc mediatè fit, *distinguenda* est ante omnia Cephalalgia in eam, quæ est *per Essentiam*, ubi vitium & origo Mali hæret in ipso Capite, verbi gratiâ dum Caput dolet ex Vulnere, Contusione &c., ab eâ, quæ est *per Consensum*, quando nempe vitio, aut Massæ Sanguineæ, aut Partium quarundam inferiorum, Caput dolet & compatitur; estque hæc Cephalalgia omnium frequentissima in Praxi, quæ verò fit per Essentiam, contumax magis, & ferè Cephalæa esse solet.

*Per Consensum* Partium inferiorum fit *Cephalalgia* absque ullâ *Vaporis aut Humoris* transmissione atque ascensu, utpote à Willisio aliisque Neotericis refutato, sed simpliciter per solam communicationem Membranarum & Nervorum cum Partibus aliis membranosis ac nerveis spasmodicam, intercedente simul certo Nervorum conjugio. Nam sicuti ex Contusione Capitis aut gravi Cerebri ejusque Membranarum Vulnere concitatur Vomitus vehemens solo Consensu; & sicuti ex Jejunio in Hypochondriacis concitatur Vertigo in Cerebro, interdum etiam in quamplurimis Cephalalgia, solo Consensu cum Stomacho; ita etiam *ex solo Consensu Ventriculi* cum Cerebro ejusque Membranis, Dolor intensus excitari potest: quod confirmat Forestus *libr. 9. Observat.* 46. ubi Juvenis bilioſus, cùm jejunus ambularet, Dolore Capitis tentabatur; assumpto verò pauxillo Cibo, subitò omne Malum remittebat. Ac sanè fit non alio modo, quàm per *Spasmos* alibi inceptos, & Nervorum ac Membranarum ductu in Caput usque continuatos: sic enim per Consensum Dolores oriuntur: Videb. Willisius *de Anim. Brut. Part. 2. capit.* 1. Cephalalgiâ *ex Liene & ex Hypochondriis* nil frequentius; quia Lien copiosis Nervis est dotatus, ratione quorum & ejus constitutionis membranaceæ, ejus Spasmus Cephalalgiam inferre solet. Par ratio est, quando *per Consensum Uteri* fit Cephalalgia: Videb. Forestus *libr. 6. Observ.* 51. Riverius *Centur. 2. Observ.* 56. & Riedelius *Observ.* 20. Bartholinus *in Histor.* Pannonicam observat Mulierem, quæ Hemicraniâ semper affligebatur, cùm Utero non gereret; quando verò conceperat, nihil sensit. Imprimis quando Mulieres dolore in Occipite laborant, Practici dicunt, laborare Uterum: siquidem cum Utero membranoso, ejusque Partibus ipsis connexis, universum Systema nervosum & membranosum consentit; id quod patet in nixu Parturientium, in quo sæpè ob Consensum Membranarum & reliquarum Partium nervosarum Convulsio Epileptica supervenit; ita etiam ex vitio Uteri Partiumque vicinarum quocumque, sensiles Cerebri Membranæ graviter affici per Consensum, & hinc dolere possunt. Sunt enim Membranæ quæcumque totius Corporis continuatæ & connexæ Membranis Cerebrum involventibus, adeòque facilè pars una alteram per Consensum ex Spasmo afficere potest: Videb. D. Croon, *Medicus Londin. de Motu Musculorum*, *in* Willisii *Tractat. de Nervis* adjunctus.

Ex omni *Cephalalgiâ per Consensum* frequentissima est ista, quæ fit *ex Stomacho*, cujus hinc inde variæ prostant Observationes: Videb. Forestus *libr. 9. Observat.* 44. 45. & 46. Willisius *loc. alleg. Capit. 2. pag.* 303. & 305. & Lotichius *in Observat.* Sic Dolorem immanem Capitis à Phlegmate acido in Stomacho cum Vomitu conjunctum observat Thonerus *in Observat. pag.* 141. Quando enim vitiosa recrementa in Stomacho sunt, solent inferre graviorem Cephalalgiam. Uti etiam Borellus *Centur. 2. Observat.* 1. ex hoc fonte Hemicraniam observavit; quod rarum est. In specie in iis, qui laborant βραδυπεψίᾳ Stomachi, item in Hypochondriacis & similibus, frequentissimi sunt Capitis Dolores & Tensiones circa Frontem per Consensum Stomachi, imprimis Mucilagine acidâ infarcti, & Partium vicinarum membranacearum; percipiunt enim semper simul Tensionem circa Hypochondria. Cephalalgiæ hujus Exempla videb. apud Forestum *Observ.* 48. & 49. ac Riverium *Centur.* 1. *Observ.* 11. Interdum *Philtra* inepta Cephalalgias crudeles inferunt: Duo Exempla hujus rei refert Lotichius *in Observ. pag.* 152. & 154. Porrò Hemicraniæ per Consensum Causa subinde est *Dens carioſus*: Conf. Thyrmayer *Consil. libr. 2. pag.* 128. & Hildanus *Cent. 2. Observ.* 10. Estque omninò Dolor per Consensum saltim Tensivus, & hinc Punctorius ac Pulsatorius. De *Utero* suprà dixi, quod frequentissimè inferat Cephalalgias, in specie quæ Occiput occupent, & sensum Glaciei repræsentent. Præter Uterum *Renes* affecti, imprimis Calculo obsessi, per Consensum Cephalalgiam inferunt: Im-

primis in Bartholini *Cent.* 4. *Epist.* 6. curiosa est Observatio Hemicraniæ illius lateris, cujus lateris Ren Calculo erat obsessus: sic ex Dolore Nephritico similes Cephalalgias observavit Foreſtus *libr.* 9. *Obser.* 51. *in Schol.* Quæ fit propter Nervos affectos, qui in Renibus Dolorum sunt organa, ortos ex Plexibus Mesenterii, qui eorum Surculos derivant ad Stomachum & Intestina, unde per Consensum afficitur Caput propter Spasmum. Tandem & *Vermes Intestinorum* subinde contumaces Cephalalgias inferre solent: Videb. Foreſtus *loc. alleg. Observ.* 47.

Hæ sunt Cephalalgiæ & Cephalææ per Consensum.

*Cephalalgiam* verò *per Essentiam* quod attinet: fit, quando Malum & radix Doloris ipsum Caput occupat, qualis est v. g. in Clavo & Ovo. Talis Dolor Capitis per Essentiam est frequentissimus *in Hemicraniâ*, non tamen semper, ubi sæpiùs adest stagnatio Sanguinis, ejus impeditus motus in uno alterove Vasorum ramulo alterius medietatis. Nam Dura Mater ipsumque Cerebrum in duas dirimitur partes; hinc altera tantùm in Hemicraniâ afficitur, quod ex Anatomicis obiter noto.

Ratione Causarum est vel *Accidentalis*, vel *Habitualis*. *Accidentalis* est, quando sine Procatarxi aut Dispositione præviâ à Causâ Evidente solitariâ originem ducit, Rerum scilicet Non-naturalium malo regimine, & Fortuitarum incongruâ invasione, v. g. à Crapulâ, Insolatione, Exercitio vehementiore, Contusione, Mercurii intra Cranii laminas, vel à Medicamentis Mercurialibus Salivantibus, vel à Fumis Mercurialibus collectione. *Habitualis* verò, quando Causa certa morbifica dispositа hæret in Cerebro ejusque Partibus, propter quam vel continuò affligit, vel per vices, & à leviſſimâ Occasione redit ille Dolor. V. g. Caput Vulnere vel Contusione graviori læsum per Essentiam quidem, sed tamen sine Causæ Internæ fomite, dat Dolorem seu Hemicraniam Accidentalem: Quòd si verò post Vulnus curatum remaneat, vel Atonia Partis læsæ, vel ex Nutritione deficiente, subinde Recrementa quædam generentur, quibus Occasionibus, aut sub omni mutatione Tempestatis anni aut Lunæ, sæpiùs redeat Cephalalgia gravis, talis per Essentiam, & quidem Habitualis, erit: Sic Foreſtus *lib.* 9. *Observat.* 34. observat Cephalalgiam post curatum Vulnus diuturnam, apertâ Cute Cranii inventum fuit Os corruptum, quô exemptô, Dolor curatus fuit.

Utraque hæc *Cephalalgia per Essentiam* oritur frequenter tam *à Causâ Externâ* seu evidente, *quàm Internâ* & latente. *Prioris generis* infinitæ possunt dici, scilicet Contusiones & Vulnera, Aëris inclementia varia; Crapula, Motus Corporis, Curæ, Studia, esus Castanearum, Glandes Quercuum, Lactis potus, Coriandri assumptio. *Posterior* verò seu Interna Causa Habituali Cephalalgiæ magis propria, *triplicem fontem* agnoscit: Est (1) vel *à Sanguine* ejusque motu in Vasculis Cerebri plùs minùs vitiato: vel (2) *à Lymphâ* in Glandulis Cephalicis vitiosè secretâ aut malè distributâ: vel (3) à *Digestionis privatæ* in Cerebro ejusque Membranis Internis & Externis errore & vitio, unde generantur heterogenea Recrementa, quæ Cephalalgiam inferunt: Quô in specie viscidior Mucus, Vermes, Lapilli, Abscessus, Calculi, &c. in Cerebro geniti pertinent: vid. Willisius *Anim. Brutor. Part.* 2. *cap.* 1. qui optimè omnia tractat, qui est instar omnium. Ac sanè in Habitualibus hujusmodi Cephalalgiis semper ferè observatur simul Partis affectæ debilis constitutio, & hinc facilior Materiæ morbificæ Occasionalis vel receptio, vel generatio.

Quoad I. A *Sanguinis* vitio, ejusque Motu depravato, in specie Dolor Capitis Tensivus, Pulsatorius, cum insigni Capitis Incalescentiâ & Distensionis sensu excitari solet. Fieri hic solet, dum Sanguis aut nimis abundans, vel verè, vel apparenter *in Turgescentiâ* quadam præternaturali, nempe febrili, quacunque occasione agitatus, aut à Suppressione solennis Evacuationis coacervatus, Vascula Meningum harumque Fibras præter modum distendit, in suo Motu remoratur, & ita Cephalalgiam ex hac Causâ satis frequentem infert. Isse Dolor Capitis, speciatim qui ex Turgescentiâ & auctâ Sanguinis Effervescentiâ oritur, semper conjunctus esse solet *cum sensu Pulsationis* in Capite Tensivo, plùs minùs Gravativo; & prout aut intensior aut remissior fuerit ista Sanguinis Turgescentia, etiam major vel minor percipitur Cephalalgia. Hinc est, quòd tempore Æstivo in nimiis Æstibus Canicularibus, aut diuturniore sub Sole morâ, aut Exercitio quovis Corporis nimio, & ex Motu Sanguinis rapidiore, ejusque Effervescentiâ nimiâ, Sudoribus, &c. præprimis quando his Frigus repentinum superveniat, excitari soleant graviores Cephalalgiæ: Hinc est, quod post Crapulam *ex nimio Vini & Cereviſiæ potu*, præter Cruditates relictas, turgidus Sanguis postero die Cephalalgiam inferat, cum Artuum ferè Lassitudine, nisi blando Sudore partim præveniatur, partim curetur: Hinc est, quod Refrigeratio Capitis, sicque impedita *Sanguinis Transpiratio*, Cephalalgiam inferat, dum retenta Effluvia transpirabilia, Vasa distendendo & Sanguini certam Turgescentiam plùs minùs inferendo, Cephalalgiam excitant: ut taceam ipsa Transpiranda salina, Partibusque membranosis infixa, Dolores inferre. Pariter *Sanguinis* quælibet *suppressæ consuetæ Evacuationes* ad Cephalalgiam disponunt: Hinc Hæmorrhagiæ Narium suppressæ contumaciſſimas Habituales Cephalalgias inferunt: Hinc est, quòd *Hæmorrhoidibus*, *Mensibus* obstructis, solemni quâdam Sanguinis Evacuatione intermissâ, sæpiùs contumaciſſimæ oriantur Cephalalgiæ, observantibus hoc omnibus Practicis, in specie Foresto: aut quod quibusdam Mulieribus non rarò uno alterovè die ante Mensium eruptionem Cephalalgiæ sint frequentes propter Sanguinis Turgescentiam tunc obvenientem. Speciatim *Febres quæcunque*, tam Continuæ, quàm Intermittentes, Benignæ pariter & Malignæ, item Febres Castrenses, ordinarium comitem Cephalalgiam ducere solent, uti quotidie experimur; ex Turgescentiâ nempe & Fermentatione Sanguis auctâ. Huc pertinet *Phrenitis* seu Sphacelus Cerebri, in quo ob factam Inflammationem Membranarum Cerebri & Corticis ejusdem, intolerabilis est Dolor. Hæ & similes Causæ Cephalalgiam inferre solent. Facere huc videntur *Odores fortiores*, Cephalalgiam non rarò inferentes: Sic curiosum est Exemplum, quòd ex Odore Moschi & Ambræ in Viro Dolor Capitis ortus fuerit: Pariter non rarùm est, Rosarum Odore iis, qui tenuioris sunt in Systemate Nervoso texturæ, Cephalalgiam inferri, quasi Particulæ hujusmodi odoriferæ acrimoniâ sua vellicent Membranam Narium superiorem, & ad hanc derivata à Durâ Matre Filamenta nervea, quibus unà vellicatis, & Dura Mater simul tendi, hinc Sanguinis circulus quasi remorari, & Dolor hic Pulsatorius & Tensivus Capitis supervenire solet. Quô etiam *Gas Carbonum* incensorum, item *Rerum fermentescentium*, pertinet,

suo

ſuo inſpiratu pertinaces Cephalalgias interdum inducens.

Quoad II. Porrò ad Procatarxin ejuſmodi ſpectat, Cauſaque Conjuncta evadit *Serum*, item *Lympha*, quæ aut *vitiata* aut *ſtagnans* in quodam Capitis loco, aut, quod ſæpiùs fit, ex Lymphæ vitio genitus *Humor acidus* plùs minùs viſcidus, & in quodam interno Capitis loco coacervatus, aut ex Nutritione Membranarum vitiosâ collectus, aut ex quacunque ratione in Capite depoſitus, graves Cephalalgias & Hemicranias infert, cum Dolore Lacerante & Lancinante, interdum etiam Capitis Gravativo, ſubinde Tenſivo, vitio Lymphæ circa Glandulas collectæ excernendæ, adjuncto plùs minùs *Senſuum Torpore*. Curioſa eſt Obſervatio Hemicraniæ ex his cauſatæ, per ſtillicidium Aquæ frigidiſſimæ per Nares curatæ: videb. *Miſc. A. N. C. Anno.* 3. *Obſerv.* 184. *pag.* 455. Hinc in Affectibus Catarrhalibus frequentes ſunt Cephalalgiæ; hinc Senibus frequentes & diuturni exinde oriuntur Dolores. Quin etiam contumaciſſimæ & ſubinde vix tolerabiles *Cephalalgiæ Scorbuticæ* ſubinde Periodicæ, ſpeciatim Nocturnæ, ex Lymphæ vitio oriri videntur, quatenus à Sale acri ſcorbutico Membranæ Cerebri, tam internæ, quàm externæ, vellicatæ Dolores Lancinantes & Lacerantes crudeliſſimi excitantur. Imò Serum ſæpiùs Cauſam Conjunctam Cephalalgiæ exiſtere, non ſaltem ex Obſervationibus Anatomicis, quas collegit Piſo & Riverius, aliique, confirmare licet, quibus Cephalæas ſæpè pertinaces per excretionem Seri diverſi generis è Naribus ſolutas, ac Lympham copioſam in Cerebro poſt Cephalalgiam repertam fuiſſe conſtat; ſed vel *Coryza* incipiens, aut Dolor ex Sero quidem & Lymphæ ſucceſſivâ collectione Gravativus, ſed ſimul interdum quoque Tenſivus, præcedens teſtatur. Sic Cephalalgiam lethalem à copiâ Humoris ſeroſi notat Riverius *Centur.* 1. *Obſerv.* 37. Nec, juxta Williſium, improbabile eſt, *Chylum*, utut legitimè conſtitutum, in Capite prædiſpoſito idem præſtare, Fibraſque ac Membranas ſuo appulſu gravare, cùm non ſaltem hujus Doloris Paroxyſmi poſt totidem à paſtu horas repetant, ſed mutatâ quoque Visûs ratione quoad quantitatem, qualitatem & aſſumendi tempora, varient.

Tandem III. propriæ *Digeſtionis privatæ* errore quocunque, Occaſione internâ vel externâ *vitiatæ*, & circa Membranoſa Capitis loca congeſtæ, aut retentæ aut genitæ, ſubinde oriuntur Capitis Dolores, iique ut plurimùm diuturni difficulter curabiles, unde in Cephalæis, in Hemicraniis, Clavo etiam & Ovo, ſubinde ex hoc puncto Cauſæ perſcrutandæ ſunt. Unde Dolor nunc quaſi Oſtocopos ut plurimùm ſimul Rodens & Pungens, obſervari ſolet, dum Materia quædam viſcida plùs minùs acris, vulgò dicta Tartarea, aut Sanguis congrumatus, ſub Cranio quovis in loco congeſtus, iſtos Dolores inferunt. Hæc Materia ſi in alterâ medietate in Capite hæreat, ut Sanguinis motum aliquantiſper impediat, infert Hemicraniam. *Mercurialia* in hoc puncto ſunt optima, quoniam diſſolvunt, & attenuant Materiam Caput occupantem. Unde ſubinde Senes Decrepiti contumaciſſimis Cephalæis ſunt obnoxii, & vulgò vocantur Cephalalgiæ, & Cephalææ à Causâ frigidâ, & in tali conjuncta eſt Gravedo Capitis ſeu Dolor Capitis Gravativus: imò Caput minùs calet, quin potiùs friget, Dolor eſt contumax, & qui Ægros nocte dieque affligit. Hinc ſubinde graves Cephalalgiæ ſunt *è Vermibus* in Cerebro ex vitiatâ ejus partium Digeſtione genitis: qualis Dolor graviſſimus, & ferè intolerabilis ſubinde occurrit *in Febre Hungaricâ*, quæ ipſa propter Capitis Dolorem iſtum quidem *Vermis Cerebri* dicitur, cùm obſervatum ſit, non rarò Vermes rejectos per Nares fuiſſe cum levamine: videb. Schenckius *in Obſervat. de Febr. Ungarica*, & Rulandus *Tractat. de Morbo Caſtrenſi*; item Hildesheim *in ſuo Spicil.* aliquot refert Exempla Cephalæarum continuarum ex Vermibus in Cerebro genitis ortarum; videb. Bartholinus *Centur.* 2. *Epiſtol.* 74. *& Centur.* 1. *Obſervat.* 64. ubi pariter poſt Variolas vehementiſſimus Capitis Dolor à Verme in Cerebello fuit excitatus; item *Centur.* 6. *Obſervat.* 3. Cephalæam habet contumaciſſimam ſedatam poſt Vermes per Nares excretos. Similia Exempla contumaciſſimarum Cephalalgiarum reperietis in Schenckii *Obſervat. de Cephalalgiâ*: Non ſecus ac Foreſtus *lib.* 7. *Obſervat.* 9. *& lib.* 21. *Obſervat.* 28. notat Cephalalgiam admodùm intenſam, poſtmodùm excreto Verme per Nares ſublatam. Plura Vermium poſt Cephalalgias è Naribus excretorum Exempla habentur in *Miſcell.* A. N. C. *Anno* 1. *Obſervat.* 99. *pagina* 229. *& Anno* 2. *Obſervat.* 174. apud Schneiderum *de Oſſ. Cribrif. pag.* 440. Fehr *in Hierâ Picrâ pag.* 79. Blegny *Zodiaco Gall. Menſ. April. Obſervat.* 3. Kerkringii *Obſervat. Anatom.* 43. Tulpium *lib.* 4. *cap.* 11. *pag.* 251. Hildesheim *Spicil. lib. de Cap. affect. pag.* 41. Borellum *Centur.* 3. *Hiſt.* 45. Hollerium *lib.* 1. *de Morb. Intern. cap.* 54. *in Schol.* Hildanum *Centuria* 1. *Obſervat.* 8. *& Centuria* 5. *Obſervat.* 1. Monardum *Hiſtor. Medic. Simpl. cap.* 14. Marcellum Donatum *lib.* 4. *de Hiſtor. Medic. Mir. cap.* 26. nec non Alſarium à Cruce *de Quæſit. per Epiſtol. Centur.* 3. Ebuſina *lib.* 3. *Fen.* 1. *Tract.* 2. *cap.* 3. ex Medicorum quorundam Indorum fide, Cephalalgiam quandoque generari jam edocuit à Vermibus in capite generatis, motu ſuo tenſione & læſione lædentibus, addens: *Nam Vermes multoties naſcuntur in anteriore Capite & ſuper locum, qui eſt in ſtructura Narium, &c.*

Poſt Vermes ſubinde etiam *Calculi in Cerebro geniti*, pertinaces Dolores inferunt, qui per Nares & alia loca poſtmodùm excreti, Cephalalgiæ levamen intulerunt: Exempla vid. in Schenckio *in Obſerv.* & etiam Bartholinus *Cent.* 1. *Obſerv.* 33. refert Dolorem Capitis ſedatum poſt Lapillos per Nares excretos.

Fit interdum, ut *Humor quidam lentus, & viſcidus* ſæpiùs ex vitio Digeſtionis ultimæ, ſeu propriæ genitus ſe inſinuet intra *Suturas Cranii*, quas ſenſim à ſe invicem *ſeparare*, & mutuò diſcedere facit, cum intenſiſſimo Dolore, ut ſenſim ſpatium inter commiſſuram Suturæ poſſit percipi. Exempla de hac Suturarum Cranii diſceſſione videbitur in Bootii *Tractat.* parvo, ſed eleganti, *de Affectibus omiſſ. cap.* 4. Exempla etiam non nulla refert Hildanus *in ſuis Obſervat. Cent.* 2. *Obſerv.* 8. Paria Exempla refert Bartholinus *Cent.* 2. *Epiſt.* 74. Schenckius *in Obſervat.* Mentionem etiam illius facit Mindererus *in Medic. Militar. pag.* 327. Aliquando *B. Doctor* Michaelis in Principiſsâ viduâ *Iſenacenſi* obſervavit talem acerbum Capitis Dolorem, in quo manifeſtè Cranii Suturæ à ſe invicem diſceſſerant, idque manifeſto cum Sonitu, ut adſtantes percipere potuerint; quem tamen feliciter curavit: & tales Dolores ſunt pertinaciſſimi, & intenſiſſimi.

Porrò *Lues Venerea* Capitis Dolores horrendos, & implacabiles, in ſpecie nocturno tempore affligentes, infert: *Acor* enim *malignus* Luis Venereæ Alimenti Cranii proximum chyloſum ita corrumpit, ut aſſimi-

lari nequeat, ſed in Materiam viſcidam, & acidam corroſivam ſenſim degeneret, quæ coacervata ſuper Cranium, aut etiam ſub Cranio, *Tumores* illos infert, qui etiam in aliis Oſſibus reperiuntur, & *Gummata Gallica* vocantur; à quibus uti poſtmodùm corroduntur ipſa Oſſa, & per conſequens ipſum Cranium, unde *Caries Cranii*, cujus Exemplum funeſtum habet Meara *in Hiſtoria Med. pag.* 136. ubi habet Cephalalgiam cum totius Cranii Carie ortam à Lue Venereâ, & Schenckius *in Obſervat. pag.* 51. qui ex Cranii Carie internâ ſimiliter implacabilem Capitis Dolorem notat; ita ab iiſdem vicinæ Membranæ corroſæ pertinaces, & implacabiles Dolores inferunt. Sed tamen non tantùm in ipsâ Lue Venereâ fit Dolor, quin & ſubinde poſt Curam Luis Venereæ, poſt *Inunctiones Mercuriales* minùs ritè inſtitutas, ex Mercurii virulentiâ pertinaciſſimi Capitis Dolores remanere ſolent, ex Mercurio ſcilicet, Nervis Membranoſiſque partibus inimiciſſimo, hinc inde in Capite collecto: de quo videb. Poterius *Centur.* 3. *Curat.* 6. qui habet Dolorem Capitis contumacem, concitatum abuſu Hydrargyri, quem curavit per Decoctum Chinæ cum Oleo Sulphuris ſubacido. Talia Exempla ex Mercurio poſt curatam Luem Veneream obſervat Riverius *Centuria* 2. *Obſervat.* 91. item in *Obſervat. communic.* Zwinger *in Theatro Vitæ Humanæ Tom.* 1. *fol.* 520. ex Cardano *de Subtilit.* Idque partim ex relicto, non ſatis ſalivando evacuato, partim ex ipsâ Mercurii malignitate, Partes nerveas afficiente: quas *Cephalalgias Mercuriales* curavit per Nummum aureum in ore detentum, ut ſcilicet Mercurius præceps ad Aurum accurrat, & ita extra Corpus eliminetur. Dolor hic Capitis ex Lue Venereâ nocturnus magis eſt, & in uno loco inſtar Clavi affligit.

Interdum *Abſceſſus* interiores Capitis partes occupant, qui ipſi contumaciſſimas Cephalalgias inferunt, & Abſceſſus Hypocranii dicuntur. De his non paucæ proſtant Obſervationes Cephalalgiam per excretionem Puris per Os, Nares, Oculos, Aures, &c. ſolutarum, &c. videb. Borellus *Centur.* 1. *Obſervat.* 73. & Williſius *de Anim. Brut. Part.* 2. *pag.* 203. *Edit. Amſt.* In ſpecie Bootius *de Affect. omiſſ. cap.* 1. ex Abſceſſu Pericranii gravem, & continuum Capitis Dolorem refert. Similia Exempla hinc inde etiam reperiuntur in Bartholino, ubi intenſus Capitis Dolor refertur, excreto per Nares Pure ſedatus: Sic Schneiderus *Obſervat.* 223. refert Cephalalgiam crudeliſſimam à Pure intra Oſſa Cranii latente. Abſceſſus hi non ſemper ex Causâ Externa, ſed frequentiſſimè vitio Digeſtionis privatæ oriuntur.

Juxta Abſceſſum ſub Cranio lociſque vicinis, ſubinde *Læſiones Capitis externæ*, Contuſiones, Vulnera, Caſus, geſtationes Ponderis, ſeu Oneris gravioris in Capite, & ſimiles Cauſæ, etiam curatæ, diuturnas Cephalæas, & Hemicranias poſt ſe relinquunt; quatenus aut Cranium ipſum inſigniùs lædunt, aut Pericranium, vel Fibras Suturarum Duræ Meningi continuatas: aut quatenus *Fiſſuram*, quandam in Cranio inferunt, imprimis in interiori Laminâ; unde Humor, ſeu Succus nutritivus extra duplicem Lamellam per iſtam Fiſſuram pedetentim deſtillat in Tunicas Cerebri, ibique corruptus, hinc acrior factus, graviſſimos Capitis Dolores infert; vel quando aliqualis Sanguis grumoſus circa Membranas hæſerit: & ſimiles Cauſæ, quæ poſtmodùm etiam diuturnas Cephalæas inferre poſſunt. Sic namque poſt curatum Vulnus Capitis Cephalalgia diuturna obortа fuit, aperto tandem Cranio, in Vulnere fuit Os nonnihil corruptum, quod exemptum etiam Dolorem curavit, obſervante hoc Foreſto *lib.* 9. *Obſervat.* 39. Quò etiam pertinet notabilis Obſervatio Schenckii *lib.* 1. *pag.* 51. ubi graviori Pondere in Caput ſuſcepto, & congeſtato, Laminæ Cranii internæ portiunculæ nonnihil diffractæ duodecennalem Dolorem Capitis creârunt, quibus per Nares excretis Dolor ille remiſit.

Speciatim *viſcida*, *tenax*, *& firmiter impacta eſt Materia*, *quæ Ovum*, *& Clavum primariò efficit*, vel proprio Partis dolentis vitio genita, vel cum Sanguine eò delata, vel denique externæ Læſionis occaſione relicta. Eadem ſuſpicio eſt, quoad *Hemicraniam*, cùm & ipſa ſit ſatis contumax, & in qua ſubinde ſimul vitium *in Sanguinis motu*, in uno alterove Vaſorum ramulo alterius ſaltem Cerebri medietatis, conjunctum videtur: Nam dum Mater ipſumque Cerebrum in duas dirimuntur partes, hinc altera tantùm in Hemicraniâ afſici ſolet. Unde Senes decrepiti contumaci Cephalalgiæ ſunt obnoxii propter ſucceſſivam Recrementorum vitioſorum intra Cranium collectionem.

Obſervandum hîc eſt, non rarum eſſe, *Cephalæas obſervare certas Periodos*, uti etiam *Hemicranias*, ita ut ſubinde Lunæ Periodos, ſubinde Solis Periodum diurnam, ſubinde ſimiles Motus, regulariter ſoleant obſervare: Conf. Schenckius *lib.* 1. *Obſervat. pag.* 47. ubi proſtat Exemplum Doloris Capitis, qui cum Sole oriente inchoabat, circa meridiem maximè intenſus erat, quò magis verò Sol inclinabat ad occaſum, eò magis remittebat. In eodem Schenckio *pag.* 48. eſt Hemicrania, quæ certis Lunæ Periodis tantùm Ægros infeſtat. Sic notabile Exemplum eſt Plateri *lib.* 2. *Obſervat. pag.* 346. de Hemicraniâ Periodicâ, ſingulâ Hyeme certis noctis horis recurrente, & miſerabiliter torquente, curatâ tandem per Emplaſtrum *Vigonis* de Ranis cum Mercurio: Sic idem Platerus *loco citato* de Hemicraniâ forti, & continuâ quindecim annos durante à Partu naturali, quæ poſtmodùm poſt quindecim annos per Fœtûs maſculi excluſionem ſtatim ſine ullo Medicamento fuit curata. Huc pertinet Exemplum Ballonii *ſuprà citatum Conſ.* 40. *in Schol.* de Muliere, quæ cùm Hemicraniâ conflictabatur, dum non eſſet gravida, quamprimùm autem concepit omnis Hemicrania ceſſavit: Sic Fonſeca *lib.* 7. *Conſil.* 87. obſervat Hemicraniam lateris dextri Periodicam, quæ ſingulis octo diebus, die Lunæ tantùm in eâdem horâ repetiit, & per triginta horas acerbiſſimè afflixit, poſtmodùm verò ſine ullo Symptomate Æger erat ſanus quouſque octo dies fuiſſent præterlapſi: Conf. etiam M. A. N. C. *Ann.* 4. *Append. pag.* 32. *item Anno* 6. *Obſervat.* 173. *pagina* 236. Et talia Exempla ferè ubique plura obſervata proſtant. Hæc adduxiſſe ſufficiat.

## DIAGNOSIS.

Capitis Dolor indicatur ab Ægris, cùm ſint ſatis queruli de eo; ſaltem *Signa diſtinctiva* à Medico præprimis ſunt obſervanda ratione Cauſarum, quas omnes accuratè diſtinguere arduum eſt, ſubinde impoſſibile. Diſtinguitur autem, an ſit per Conſenſum? an per Eſſentiam? Et quidem *per Conſenſum eſſe Dolorem Capitis*, ferè ex eo cognoſcitur, ubi nulla Cauſa evidens, Caput lædens, præceſſerit, aut ubi nulla inſignior, & pertinacior Functionum Animalium Læſio ſimul juncta fuerit: Partes verò Corporis inferiores aliquo modo laborent, ac pro hujus diversâ ratione Dolores Capitis exacerbentur.

Dolor

Dolor itidem ſubinde varius eſt, nunc eſt intenſior, nunc eſt remiſſior; qui verò Capite primariò affecto accidit, ſæpiſſimè eſt continuus: Signa adſunt Maſſæ Sanguineæ non legitimè conſtitutæ, aut etiam adſunt Signa vitiatæ Functionis in quâdam Parte inferiori læsâ, ſimulque prout Pars talis plùs minùs affici ſentiatur, etiam Dolor Capitis aut intenditur, aut remittit; quæ ſunt alia Signa *ex Circumſtantiis* haurienda, ex quibus prudens Medicus hariolari poteſt, an per Conſenſum fuerit Cephalalgia? In ſpecie Stomachi habeat rationem: quamvis non rarò Dolorem Capitis per Conſenſum & Eſſentiam conjungi Experientia teſtetur.

Quòd ſi verò *Dolor ſit per Eſſentiam*, patet, ſi præceſſerit Capitis & Cerebri læſio quædam notabilis: item ſi Dolor ſecundùm Siderum motus & phaſes, præprimis Lunæ, variet: videb. Fonſeca, Platerus: Item ſi Vitæ genus eſt tale, ut facilè noxam quandam Cerebri poſſit inferre. Continuus magis Dolor eſſe ſolet: aut ſi eſt interruptus, erit tamen Periodicus, & ſtato tempore recurrens, qualis per Conſenſum excitari nequit, præſertim ſi Cauſæ Antecedentes reſpondeant, adeoque radicem & diatheſin altiùs fundatam hòc ipsò inſinuat.

Quæ verò præcisè ſit *Cauſa hujus Doloris per Eſſentiam*? difficiliùs cognoſcitur: nam Vermes, Calculi, &c. alicubi coacervati, ferè nulla ſui præbent Signa.

*Abſceſſus* quoque Hypocranii & ſimiles difficiles ſunt cognitu, utut, quantum poſſibile, eorum indicia deſcribat Bootius *loco citato*, ſaltim ergò Conjecturæ locum habent.

A *Sanguine* ſi fuerit vitium, facilè cognoſcitur, cum ut plurimùm Sanguis, vel turgeſcens, vel in motu ſuo per Vaſa plùs minùs impeditus, Affectum induxérit, Dolor Pulſatorius Ardori Capitis conjunctus eſt: videb. Foreſtus *lib. 9. Obſervat. 10. & 11.* Item levamina ex Sanguinis miſſione rem manifeſtant: videb. Rhodius *Cent. 1. Obſervat. 73.* ac Riverius *Obſervat. communic. 37. pag. 273.*

Si à *Chylo*, id dignoſcitur, quòd certis poſt paſtum horis Paroxyſmi repetant, poſt Somnum evaneſcant, & pro Aſſumptorum circumſtantiis varient.

A *Lympha* aut ſimili ſerosâ Materiâ, aut etiam à Materiâ viſcidâ aut acidâ collectâ, fieri Cephalalgiam, monſtrat gravamen Capitis, Somnolentia, Dolor Gravativus magis ac Tenſivus, qui nocturno tempore ſolet affligere, cum Glandularum interdum Morbis circa Caput, Frigus, Ætas ſenilis & ſimilia, quæ perſuadent à tali Causâ oriri Hemicraniam, imprimis ubi reliqua conſenſerint Signa. Et ſi hæc Acrimoniam foveat, ver. gr. ſcorbuticam, Scorbuti quoque, ſimiliumque recrementorum ſalinorum Signa præſto ſunt. Quæ ex *Lue Venereâ* malè curatâ, ex hujus Signis, item quòd nocturnus magis, & in uno loco inſtar Clavi affligat Dolor: videb. Riverius *Cent. 2. Obſerv. 91.* Si vitium fuerit ex *vitiatâ Digeſtione propriâ*, unde coacervantur recrementa & Humores viſcidi intra Calvariam, Dolor fixus eſt & pertinax, crebrior, recidivans, nulliſque Remediis cedens; & ſi Acrimoniæ Materia hæc expers, Gravativus magis, cum ſenſu Frigoris in Parte affectâ, in ſpecie ſi externa præceſſerit Læſio, ut Vermes & Calculi, ſimili modo poſſunt affligere.

## PROGNOSIS.

*Prognoſis* Cephalalgiæ Curam promittit vel faciliorem, vel difficiliorem, vel nullam: quorum intuitu *Accidentalis* faciliùs curatur, quàm *Habitualis*.

*Habitualis* tamen quòque, prout cum Procatarxi ſuâ magis inveterata, ita ut ejus Paroxyſmi à multis annis aut ſponte, aut à levi quavis occaſione repetant, eò minus ſpei Curationis habet, præprimis ſi maximam partem Dolor hic continuus fuerit, utpote quem à Causâ magis fixâ, ſcilicet Pituitâ viſcidiore, Tumore, Abſceſſu, Calculo, Vermibus, &c. prodire, probabile ſit, & qui à tali Causâ Dolor immanis eſt, ut plurimùm alia Symptomata cephalica graviora, ſcilicet Vertiginem, Convulſiones, &c. item Vomitum ſibi comites aſſumit, & cum his interficit, aut in Apoplexiam, Epilepſiam, Paralyſin, Cæcitatem, Surditatem, &c. degenerat: videb. Hippocrates *Sect. 1. Coac. Prænot. 6.* Riverius *Cent. 1. Obſerv. 37.* Rhodius *Cent. 1. Obſerv. 33.* Paw *Obſerv. Anat. 8. M. A. N. C. Anno 1. Obſ. 68.* Williſius *loc. alleg. pag. 296. 301. & 302. &* Bonetus *Sepulchret. l. 2. Sect. 1. Obſ. 1. & 2.* Bootius *de Affect. omiſs. cap. 1.*

Nihilo minùs & qui per *Conſenſum* oritur, nunc facilioris, v. g. culpâ Ventriculi nunc difficilioris, v. g. ex Affectibus Uterinis, Hypochondriaco Malo, item à Lue Venereâ, &c. Curationis obſervatur.

Pariter *in Morbis aliis* Dolor Capitis malus interdum propheta exiſtit, quatenus in vehementi Capitis Dolore cum Febre Acutâ, ſi *Urinæ* conſpiciantur crudæ, ſeu claræ, & albæ, peſſimum Signum eſt, Deliria, Convulſiones, & tandem Mortem portendens; item ſi aliquod lethalium Signorum ſupervenerit: vid. Hippocrates *Prognoſt. Tract. 22. §. 22.*

Item *Dolor Capitis fortis*, imprimis in Febribus & Morbis Acutis, *ſubitò deſinens*, non ſequente aliquâ evacuatione per Criſin, eſt lethalis; quoniam ſubinde Signum eſt Gangrænæ Cerebri, aut omnimodæ inſenſilitatis Membranarum Cerebri.

Simili ratione Dolores *Soporoſi*, *& Gravativi*, aut *cum Convulſione*, *Gravidis* ut plurimùm periculoſi exiſtunt: vid. Hippocrates *l. 1. Prædict. Text. 14. §. 2. & Sect. 3. Coac. Prænot. 105.*

Ubi *frigent Extrema* in vehementiori Dolore Capitis, peſſimum eſt Signum; periculum enim Inflammationis internæ denotat.

Si Dolor Capitis *circa Frontem*, *& Tempora* ſit continuus, & admodùm vehemens, *cum Febre Acutâ*, apparente die quarto, Signo pernicioſo, ſeptimo ferè die Mors ingruit.

Si Dolori Capitis ſuperveniat *manifeſta quædam Excretio*, aut Aquæ, aut Sanguinis, aut Puris, ſive ſit per Os, ſive per Nares, ſive per Aures, (qualia Exempla proſtant quamplurima); Signum eſt ſolutionis Morbi ſecundùm Hippocratem *Aph. 11. ſect. 6.*

Facit huc notabilis *Aphoriſmus* Hippocratis *Sect. 4. Aphoriſm. 32. Quibus ex Morbis partium inferiorum convaleſcentibus, Dolor Capitis vehemens ſupervenerit, ſi non præcedat Excretio manifeſta; iis in Cerebro futurus eſt Abſceſſus, Morbi Materiâ ab inferioribus ad ſuperiora conversâ.*

Quicunque in Febre non lethali cum Capitis Dolore, & obſcuritate præ Oculis conqueruntur *de Cardialgiâ*, ſeu de morſu & anguſtiâ Præcordiorum, iis ſubinde Vomitus bilioſus ſalutaris ſupervenire ſolet, præſertim ſi Rigor infra Hypochondria ſupervenerit.

Quibus verò in ejuſmodi Febribus Caput dolentibus *Viſûs hebetudo* contingit, aut *Splendores circa Oculos* obſervantur, aut præ *Cardiogmo* aliquid tenditur in Hypochondrio dextro, aut ſiniſtro, neque cum Dolore neque cum Inflammatione, iis Sanguis ex Naribus fluet.

*Dolores Chronici* extra Morbos Acutos minùs ſunt

periculoſi, niſi quatenus nimiâ moleſtiâ, aut continuis Vigiliis ad Affectus Melancholicos diſponere ſolent.

In *Gravidis* Dolores Capitis Soporoſi cum Gravitate quadam obvenientes, ſunt mali.

## CURA.

In *Curâ* propter inſignem Cauſarum Cephalalgiæ varietatem, ipſa etiam Cura varianda eſt, adeò ut non ita commodè determinatis Regulis illa ipſa circumſcribi queat; ſed

*Obſerv.* I. ante omnia: an *per Eſſentiam*, an *per Conſenſum* ſit Cephalalgia? *Hæc* præmiſſis *Univerſalibus*, in ſpecie *Vomitorio* & *Laxativis* convenientibus, & ſublatô Affectu primariô, facilè ſiſtitur; *Illa* verò difficulter, adeoque ipſi Capitis Affectui *appropriata Remedia* ſimul in uſum adhibenda. Ad ſummum Dolor Idiopathicus Accidentalis *Phlebotomiâ*, *Quiete*, *Sudore*, & *levis Opiati uſu*, tollitur: Videb. Foreſtus *lib. 9. Obſervat.* 1. 2. & 3. in Habituali verò per Eſſentiam, tam *Sanguinis* & *Lymphæ*, quàm *Capitis* diſpoſitio prava corrigatur. Poſterius rarò perficere licet. Nihilo minùs quia Cauſam accuratè dignoſcere haud conceditur; Æger Prognoſtico vix omnimodè linquatur, & ſi aliud Medicus hoc in paſſu præſtare nequeat, Morbi Fomitem præſcindendo ac intercipiendo, crebriores Paroxyſmorum acceſſiones inhibeat, cùm Experientia teſtetur, hac ratione Cephalalgias contumaciſſimas non rarò curari, i. e. Fibras indiſpoſitas ſponte ſuâ ad priſtinum tonum redire. Obſervetur tamen inſimul hîc Cautela non nullorum Practicorum: In Dolore Capitis diuturno plus præſtare Caput frequentiùs roborare, quàm Evacuationibus pertinaciter inſiſtere.

II. *Opiatis & Narcoticis* in genere ut omnis Dolor, ita & Cephalalgia, compeſcitur; unde etiam ſubinde intermiſcenda veniunt. In his autem ad Capitis Dolorem ſiſtendum uſurpandis ſimus cauti; metus enim eſt, ne poſt Narcotica non poſſimus denuò expergiſcere Ægrum, uti rectè hoc monet Celſus: ſæpè quippe accidit, ut in gravioribus Doloribus parva & ordinaria Doſis Opii, aliquoties licèt repetita, nihil adjuvet, unde poſtmodùm uſurpata fortiori Doſi, ſi Dolorem aliquando ſedat, ſubitò lethargicus ferè ſuperveniat Somnus, ita ut vix ac ne vix denuò poſſint excitari Ægri: quibus tunc ſi aliquid eveniat, per Acetum eſt ſuccurrendum, aut Humorum motum ſiſtendo Cæphalæas graviores tandem reddit: Videb. Foreſtus *lib. 9. Obſervat.* 14. & 57. *Anodyna* ergò, quin & *Narcotica*, quando uſurpanda, adhibeantur primùm *in parvâ Doſi & levi*, & ſucceſſivè fiat progreſſus ad fortiorem & majorem Doſin, idque ſaltem Appropriatis additis. Quòd ſi externis in locis applicanda ſint Narcotica, Fronti ſaltem & Temporibus, nullo modo Suturis, eadem imponenda eſſe, monent Practici, metu ſoporoſi Affectûs: Nec inſtante Criſi adhibenda, quia periculum eſt, ne motus Naturæ impediatur, & Æger tandem ita interimatur. Sanè Opiata ut ut ſiſtant Dolorem, quia tamen Cauſam ſeu Fomitem relinquunt, & eum magis fixum reddunt; Morbum magis in deterius labi faciunt, & propterea magis in Dolore per Conſenſum, minùs in eo, qui fuerit per Eſſentiam, locum inveniunt.

III. Semper in omni Cephalalgiâ, niſi forſan Febri Malignæ periculoſiori conjuncta ſit, ut *Alvus ſit laxior & aperta*; hæc enim quò magis obſtructa, eò magis Capitis Dolorem exaſperat; aperta verò, ſi non verum, certè palliativum maximeque lenitivum inter alia Remedium erit.

IV. Ex omnibus Doloribus Dolor Capitis *Scorbuticus* eſt contumaciſſimus, ſimulque atrociſſimus, lancinans admodùm, rodens & lacerans, nocturno præſertim tempore graviſſimè affligit, nec facilè niſi *Appropriatis Scorbuticis* tollitur. Hinc internè Sal volatile Succini, Spiritus Vitrioli volatilis cum Spiritu Liliorum convallium, Tartari, & Cochleariæ mixtus, Cinnabaris Antimonii, Succinum, Ambra, Pilulæ ex Ladano Hartmanni *Prax. pagin.* 48. deſcriptæ, Decocta Sudorifera, præſertim ex Ligno Juniperino, cui Raſura Ligni Buxi addita, Remedium magis reddit appropriatum, ſunt uſitata. Hinc Lac, quod ſicut aliàs per Conſenſum Dolorem Capitis inferre ſolet, ita idem in Doloribus Scorbuticis optimum eſt Remedium, demulcendo acrimoniam Salis ſcorbutici. Externè *Veſicatoria* prope Aures applicata; item Epithema Cancrorum infrà dicendum; item Flores Papaveris rhœados recentes contuſi & applicati conveniunt, item Zedoaria & Baccæ Juniperi cum Aquâ vel Decocto Verbenæ, Florum Sambuci ac Betonicæ.

V. In genere in quocunque Capitis Dolore, præter ordinaria Evacuantia, *per Vomitum* imprimis, ſi per Conſenſum Ventriculi fuerit, vel *per Alvum*, non omittendam eſſe *Diætam Sudoriferam*, quæ interdum, imprimis in Malo contumaciore, valdè conducit. In ſpecie in Cephalæis antiquis, aut etiam in Hemicraniis inveteratis, neceſſum eſt interdum ad Decocta Sudorifera Lignorum accedere, imprimis à Colluvie ſerosâ aut pituitosâ, per Eſſentiam ſi fuerit Dolor excitatus; quæ ipſa Decocta etiam talibus in caſibus optimum ſolent habere ſucceſſum. Attenuant enim, diſſolvunt, & mediante Sanguinis circulo removent ex Capite Cauſam materialem viſcidiorem ac fixiorem, idque magis, quando aut Seri aut Lymphæ vitiis Malum ortum fuerit: de quibus conf. Foreſtus *libr. 9. Obſervat.* 50. Amatus Luſitanus *Centur.* 4. *Curat.* 95. ſicuti Poterius *Centur.* 3. *cap.* 6. Dolorem Capitis continuum ab Hydrargyri uſu concitatum Decocto Cephalico cum Chinâ & Oleo Sulphuris curavit. Modum præſcribendi & uſurpandi notum præſuppono ex Materiâ Medicâ vel Morello. Loco iſtorum vel Eſſentia Lignorum, vel Ligni Saſſafras, interdum uſurpari poſſunt in majori Doſi.

VI. *Chirurgica Præſidia*; præſertim circa Humorum motum corrigendum occupata, multi uſûs ſunt in Cephalalgiis, qualia ſunt *Venæ ſectio*, *Arteriotomiæ Temporum*, & inciſiones Venæ frontis, &c. quin & *Veſicantia*, *Setacea*, imò ipſum *Trepanum*, ad pertinaces & graviores Cephalæas ſunt optima: *Illa*, ubi in Vaſis Sanguiferis vitium hæſerit; *Hæc*, ubi ex Seri vitio Malum oriatur. Sed neceſſe eſt, ut *priùs ritè præmiſſa ſint Univerſalia*, aliàs metuendum eſſet, ne, parili ratione atque *Cucurbitulæ*, non præmiſſis Univerſalibus, in Capitis Dolore ſint valdè noxiæ, (Videb. Hildanus *Centur.* 5. *Obſerv.* 69.) etiam alia Præſidia *Chirurgica* Malum augerent.

In ſpecie *Venæ ſectionem* quod ſpectat: in gravioribus Cephalalgiis à Sanguinis aut copiâ aut turgeſcentiâ, ut plurimùm Malum levat, illam imminuendo, hanc compeſcendo, affluxum verò illius ad Caput moderando. In Paroxyſmo Vena Cubiti dextri (ob rationem ab Highmoro *Corp. Human. Diſquiſit. Part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. adductam) Derivationis ac Interceptionis gratiâ; extra eandem & Revulſionis causâ in Partibus inferioribus, ver. gr. in Talo aut Hæmorrhoidales in aſſuetis.

De *Arteriotomiâ* Temporum imprimis noto, quòd eadem ſubinde nobile Præſidium ſit in contumacioribus Malis, ſpeciatim in Cephalæâ & Hemicraniâ

def-

ratâ, mirabilem habeat succeſſum, uti refert Lindanus; cujus uſum ipſa monſtravit Natura, videb. *Miſc.* A. N. C. *Anno* 8. *Obſervat.* 72. *pagin.* 120. contradicente quamvis Williſio *loc. alleg.* Videb. Paræus *lib.* 16. *cap.* 4. Zacutus Luſitanus *Pr. Admirand. lib.* 1. *Obſervat.* 11. Riverius *Centur.* 2. *Obſervat.* 56. Tulpius *lib.* 1. *Obſervat.* 48. Schenckius *lib.* 1. *Obſervat. pag.* 51. & Severinus *Chirurg. Efficac. Part.* 2. *pag.* 41. & 47. item Riverius *Obſervation. communic. à Jacob pagin.* 318. & *Obſervat.* 31. *à Fomio comm pag.* 339. ubi habet Hemicraniam lateris dextri intolerabilem, quæ per Arteriotomiam ad ℥v. intra dimidiam horam omninò fuit ſanata. Et jam olim Geſnerus *lib.* 3. *Epiſt.* 96. Dolorem Hemicranii quotannis redeuntem ſecta Arteriâ in Tempore affecto curavit. Refert namque Lindanus, ſibi ſatis uſitatam eſſe Arteriotomiam celebrare in Hemicraniis inveteratis deſperatis, emittendo interdum in latere affecto largiter ℥v. x. etiam xii. ad ℥xx. vel xxx. Sanguinis. Operatio non eſt difficilis, nec periculoſa, modò peritus & artificioſus ſit Chirurgus: nec eſt metuendum Ancuriſma, Tumor nempe Arteriæ, & intra biduum vel triduum Hæmatite poteſt ſiſti; Nam ſi tantùm Terra Vitrioli dulcis cum Terrâ Sigillatâ miſta, vel ſolitaria, vel cum Albumine Ovi ſubacta, externè applicetur, ſuperiniiciendo fortem Ligaturam intra triduum Arteria coaleſcit: Videb. Jobus *von* Meckren. Differt à Venæſectione ſecundùm majus & minùs, licèt difficilius coëat Arteria quàm Vena, utrobique tamen par ratio poſtulat fortiora Emplaſtica Medicamenta & fortiorem Ligaturam: ſupra Temporalem Muſculum tranſcurrentes Frontem versùs Arteriolæ Spongiâ calente Aquâ imbutâ, abraſis priùs accuratè Pilis, fovendæ, Ægri Collum Mappâ ſtringendum, Capitis Situs declivis ſit, ut Arteriæ intumeſcant, & tranſverſim incidantur: videb. Johannis *van* Horne *Microtechne pagin.* 151. & *ſeqq.*

Aliàs poſt Arteriotomiam, ſeu loco Arteriotomiæ, *Inciſio Venæ Frontis* in Doloribus contumacibus Capitis etiam commendatur: Exempla habet Foreſtus *libr.* 9. *Obſervat.* 11. *in Schol.* & *Obſervat.* 54. ubi obſervat Cephalalgiam ſeu Cephalæam antiquam & diuturnam per Sectionem Venæ in Fronte aliis non juvantibus curatam: Sic *Obſervat.* 20. Dolorem Capitis quotannis in Autumno admodùm affligentem notat curatum per ſectam Brachii Venam, & detonſis Capillis in Fronte: Item *Obſervat.* 22. *in Scholio* Vir quadraginta annorum, cùm in Occipitio diuturnum Capitis Dolorem habuiſſet, neque Medicamenta juvarent in Fronte Venæſectione curatus fuit: videb. Riverius *Pr. libr.* 1. *capit.* 16. *ubi de Cephalalgiâ*; item *Cent.* 2. *Obſervat* 21. & Borellus.

Loco hujuſmodi Arteriotomiæ interdum poſſunt adhiberi *Hirudines* utrinque ad Tempora, quarum admotionem commendat Zacutus Luſitanus *loc. alleg. Obſervat.* 9. item ponè Aures, item ad Nucham fieri poteſt applicatio: Confer. in ſpecie M. A. N. C. *Anno* 4. *Append. pagin.* 51. ubi Hemicrania Hirudinibus Fronti applicatis fuit curata: & *Anno* 6. & 7. *M. A. N. C. Obſervat.* 9. *pagin.* 20. idem effectus in iiſdem, Arteriis Temporalibus applicatis, fuit ſecutus.

*Mulier diuturnâ Cephalalgiâ ſæpiùs recurrente* jam per plures annos afflicta, ita ut levi de occaſione, vel ex Capitis ab Aëre inclementiore refrigeratione, vel ejuſdem prope focum nimia exæſtuatione, vel ex inſtante Menſium fluxu, eandem recurrentem pateretur: Dolor erat per Eſſentiam; utut enim ſub Dolore graviore Vomitum pateretur, idque cum Dolorum levamine aliquali, tamen hîc Ventriculuss propter ſui cum Capite Conſenſum ſubvertebatur. Cauſam remotam noverat nullam, niſi quòd ſibi Puellæ Hæmorrhagia Narium familiarior fuiſſet, quâ ſuppreſſâ Cephalalgia iſta ſupervenerat. His intellectis cùm alia Auxilia eſſent fruſtranea, *Venæſectionem, vel Hirudinum ad Tempora* applicationem, Conſilium direxi: Frontis Venam incîdi non permittebat; conſtrictionis Faucium impatiens, ob id Hirudines binas utrinque Temporibus applicui, & copioſiùs Sanguinem evacuare permiſi, bono cum ſucceſſu.

Item hujus loco pro Scopo Averſorio *Cucurbitulas Scarificatas* poſt Venæſectionem in Brachio, aut prope Scapulas, applicant alii, verbi gratiâ Foreſtus; imò ipſi Capiti, ut Parti affectæ: videb. Velſchius *Epiſagm. Obſervat.* 10.

Alias refert Rhodius *in Centur.* 1. *Obſervat.* 76. quòd *Inciſio Venæ inter Indicem & Pollicem Manûs* præſentaneum obſervatum fuerit Hemicraniæ Remedium, cujus aliquot habet Exempla. Quod confirmare poteſt ſententiam Riverii, qui ad Cephalalgias contumaces *Fonticulum inter Indicem & Pollicem Manûs* excitatum commendat *in ſuâ Praxi, ubi de Cephalalgiâ.* Siquidem aliàs in diuturnioribus Capitis Doloribus aut ſæpiùs recidivantibus *Fonticuli* aut in Brachio, aut in Nuchâ, aut juxta Scapulas, aut ipſi loco dolenti ac Vertici excitati, non contemnendum ſunt Remedium (palliativum nimirum, non enim radicitùs curant): quos quidem damnat Williſius *loc. allegat.* quaſi Humores magis ad Partem affectam traherentur: commendant tamen alii, & quidem per Experientiam, ſcilicet Zacutus Luſitanus *Pr. Admir. libr.* 1. *Obſervat.* 12. Foreſtus *libr.* 9. *Obſervat.* 12. *Schol.* Petrus Salius Diverſus *in Altomar. Capit.* 11. Rodericus à Fonſeca *Tom.* 1. *Conſil.* 63. Tulpius *lib.* 1. *Capit.* 32. Riverius *Obſervat.* 31. *à Fomio comm. pagin.* 339. Poterius *Centur.* 3. *Obſervat.* 8. & Velſchius *Obſerv.* 11. ſic enim, evacuatâ acri Lymphâ, tandem Capiti levamen affertur. Quin imò interdum *Veſicatoria* toti Capiti raſo, vel Nuchæ, vel circa Aures, vel toti Cranio inſtar Cucuphæ ſunt applicanda pro Curâ pertinacium talium Cephalalgiarum à Sero natarum, lacerantium aut lancinantium, ſpeciatim nocturnarum: Videb. Meara *in Obſervat. Medic. pagin.* 128. Simile Exemplum reperietis in Riverio *Centur.* 1. *Obſervat.* 37. ubi etiam obſervat Capitis diuturnum Dolorem per Veſicatorium inſtar Cucuphæ Capiti applicatum curatum: Sic Tulpius *Centur.* 1. *Obſervat.* 37. Dolorem Capitis Periodicum per Veſicatoria Occipiti admota curavit: Hildanus *verò Centur.* 4. *Obſervat.* 6. Dolorem Capitis Vagum extra Cranium contumacem; & alteram tantùm Capitis partem occupantem, *Setaceo* curavit. Cujus tædioſiſſimi Auxilii loco *Fonticulus* infra Nucham excitandus venit: Videb M. A. N. C. *Anno* 3. *Obſervat.* 156. Apud Veteres ſubinde occurrit mentio *Fonticuli in Capite, in concurſu Sutaræ Coronalis & Sagittalis* facti, ad graviora Capitis & Nervoſi generis Pathemata uſurpati, qui jam ferè in deſuetudinem abiit, dum Cauterio ad Os Cranii adacto, facilè hujus & Membranarum Cerebri Inflammatio excitari poſſit, cujus tamen medio Cephalalgia inveterata Scorbutica curata refertur in M. A. N. C. *Anno* 3. *Obſervat.* 81. *pagin.* 138. Sic Poterius *cap.* 3. *Obſervat.* & *Curat. capit.* 3. *pagin.* 210. Dolorem Capitis Periodicum in Vertice præcisè ad Ciceris tantùm quantitatem ſe extendentem, ſine

ullo

ullò ſigno ſenſibus obvio, poſt paucam Materiam purulentam loco affecto, per potentiale Cauſticum aperto, curavit. *Mulier* graviſſimâ laborabat Cephalalgiâ Frontis ac Temporum, deſcendebat illi per Tempora ad Malas, poſt in Collum & Humeros, ita ut quo ſe verteret neſciebat. Idque imprimis nocte à nonâ horâ uſque ad tertiam ſeu quartam matutinam. Cauſa Occaſionalis, ut ipſa referebat, fuerat excretio & emunctio Materiæ variæ viridis & viſcidæ quaſi purulentæ per Nares, quâ deficiente & ſuppreſsâ, ita ut Nares penitus exſuccæ eſſent, illi Dolor ſupervenit. Accepit *Pilulas Mercuriales*, item *Spiritum Carminativum de Tribus*, qui benè contulit aliquamdiu, ſed ſine perfectâ ſanatione. Naribus *Oleum Nicotianæ* cum paucâ *Camphorâ* applicavit, ſed fruſtrà. Aliis ergò irritis juſſi applicari ſibi curaret *Veſicatoria* bina, utrinque juxta Aures, quorum beneficio curata fuit. Juvenis nobilis Cephalalgiâ graviſſimâ affectus cum intenſo Oculorum Dolore, nullâ licèt p. n. in Oculis apparente læſione, quæ præſertim veſperi erat graviſſima, Malum Ægro aliàs ſubinde familiare. Præmiſſis primas vias *Abſtergentibus*, *& Spiritu Carminativo de Tribus*, ordinavi *Cataplaſma ex Fermento acerrimo* miſto cum *Semine Sinapi* contuſo, pauco *Spiritu Vini* addito, Nuchæ applicandum (videb. *Idea Formular. Claſſ.* 4. §. 23. *& Colleg. Formular.*) idque eò magis, quia Oculi ſimul tumerent. Hujus uſum perquàm dolorificum, bonum tamen Cephalalgiæ Remedium, expertus eſt.

*Trepanum* tandem quod attinet: Dolorem Capitis hujus medio curatum, videb. in Rhodio *Centur.* 1. *Obſervat.* 69. *&* 70. In ſpecie Amatus Luſitanus *Centur.* 1. *Curat.* 2. refert Capitis Dolorem intenſiſſimum à Lue Gallicâ jam curatâ ortum & incurabilem, ſed Trepano, aperto Cranio, curatum. Vix tamen, niſi à Læſione externâ Malum, aut ſuſpicio de Abſceſſu latente, admittendum, videb. Foreſtus *loc. alleg. Obſervat.* 31. *in Schol.* Severinus *de efficac. Chirurg. pagin.* 137. Williſius *loco allegat.*

Sunt denique, qui in Caſibus deſperatis extra Luis Venereæ ſuſpicionem *Salivationem* commendant, & quidem omnibus probè ponderatis circumſtantiis, ſi non ſemper cum levamine, certè ſine periculo, utut hoc Williſius *loc. allegato pagin.* 293. magnum admodùm proclamet.

VII. *Vomitoria* in Cephalalgiâ, quæ fit *per Conſenſum*, eſſe tutiora; in iſtâ verò, quæ eſt *per Eſſentiam*, nonniſi cautiſſimè adhibeantur. *Purgantia* in hac conveniunt, quæ inter eminet Colocynthis, Radix Jalappæ, Scammonium, ſpeciatim *Mercurius dulcis* ritè paratus: Conf. Velſchius *Hecat.* 2. *pagin.* 40. in Cephalalgiâ per conſenſum Stomachi aut Uteri aliarumque partium Abdominis *Pilulæ Maſtichinæ & de Succino Cratonis* ſunt optimæ, verbi gratiâ.

℞ *Pil. Maſtichin.* ℈j.
*Extr. Helleb. nigr.*
*Caſtor.* an. gr. v.
*Trochiſc. Alhand.* gr. ij. vel *Extract. eorund.* gr. j.
Cum ſ. q. *Elixir. Propriet.* f. Pilulæ:
D. S.
Caput purgantes Pilulæ.

Poterius eleganter uſurpat Pilulas ſuas Catholicas ad ℈j. quibus addit gr. iv. Laudani Opiati; ſic enim Dolorem ſedat & Fomitem tollit: Id quod & nos facere poſſumus, præprimis ſi in alio Doloris Capitis pertinacioris caſu Mercurius dulcis ſit adhibendus: e. g.

℥. *Extr. Panchym. Croll.* vel *Hellebor. nigr.* (quod magis appropriatum Capiti) gr. xv.
*Verbenæ* gr. vij.
*Mercurii dulc.* ℈ß. ad gr. xv.
*Laud. Opiat.* gr. ij.
*Scamm. ſulphurat.* gr. ij. vel iij.
Cum ſ. q. *Eſſ. Croci* f. Pilulæ.
D. S. ut antè.
Vel
℞. *Extr. Panchym. Cr.* gr. xv.
*Mercurii dulc.* ℈j.
*Extr. Troch. Alhand.* gr. iß.
Cum ſ. q. *Eſſ. Croci* f. Pilulæ.
D. S. ut antè.
Vel
℥. *Extr. Helleb. nigr.* gr. xv.
*Mercurii dulc.* ℈j.
*Extr. Troch. Alhand.* gr ii.
Cum *Eſſ. Succin.* f. Pilulæ.
D. S. ut antè.

Tardè, ſed eleganter operantur in Hemicraniâ contumaci.

℞. *Extr. Agaric.* (quod potentiſſimè Caput purgat) ℈ß.
*Helleb. nigr.* gr. vj.
*Aloës roſat.*
*Reſ. Scammom.* an gr. iij.
*Olei deſtill. Aneth.* vel *Orig. Cret.* gutt. j.
M. f. *Pilulæ.*
D. S. ut ſuprà.

Proſunt in Cephalalgiâ à Pituitâ, & per conſenſum Ventriculi.

℞. *Maſſ. Pilul. Oloëphang. cum Diagr.* ℥j.
*Mag. Jalapp.* gr. vj.
Cum *Eſſ. Succini* f. Pilulæ.
D. S. ut ſuprà.
Vel
℞. *Extr. Aloës tartariſ.* ℈j.
*Mag. Scamm.* gr. viij.
f. Pilulæ.
D. S. ut ſuprà. Vel
℞. *Conſ. Flor. Anth.* ʒj.
*Crem. Tartari* ℈ß.
*Sulphuris aurati Antimon.* gr. v.
*Mag. Jalapp.* gr. iij. vel iv.
M. f. Bolus. S.
Purgans Electuarium Capitis pro unâ vice.
Vel
℞. *Conſ. Flor. Anthos* ʒj.
*Mag. Jalapp.* ℈ß.
*Extr. Troch. Alhand.* g. j.
M. f. Bolus.
D. S. ut antè.

VIII. Ex *Alterantibus*, præter Decocta Lignorum ſuprà laudata, quibus ſemper *Roſmarinus* addendus eſt, conveniunt *Succinum*, *& Succinata* quælibet. In ſpecie ejus *Sal volatile*, & cum eo paratus *Liquor Cornu Cervi*, eſt nobilis in Cephalalgiâ, ſive per eſſentiam fiat, ſive per conſenſum Ventriculi, aut Uteri; permiſcetur Sal hoc volatile commodè cum Cinnabari, tam nativâ, quàm artificiali Antimonii, & cum hac parato Cephalico Specifico, aut cum Bezoardico Joviali, aut Lunari; aut etiam his additur aliquantulum de Laudano Opiato; item *Diaphoretica Antimonialia*, & *Salia volatilia urinoſa* jungenda, & imprimis Camphora ſubinde permiſceri poteſt, & ſic fit Pulvis Compoſitus ad Cephalalgiam. Eſt enim *Camphora* mirabile Remedium in Cephalalgiâ à Causâ calidâ, ſi unum alterumve ejus granum internè uſurpetur, aut externè *Spiritus Vini camphoratus* crocatus, aut Theriacalis crocatus, aut *Oleum Camphoræ* in Epithematibus, aut Unctionibus applicetur, quod à Paracelſo admodùm commendatur.

datur. His etiam *Tinctura*, vel *Essentia Lunæ* genuina meritò accenseri potest. Tandem Spiritus Vitrioli volatilis, vel per se, vel addito Spiritu Vini paratus, est egregius, & in frequenti usu. Quibus simul annumeranda est Herba Thee, ejusque Decoctum, Moebio, & Tulpio *lib.* 4. *Observat.* 60. ad Dolores Capitis quoscunque admodùm commendatum; si nempe

℞. *Herb. Thee* ʒij.
Coq. in s. q. *Vini* aut *Aquæ simpl.*
Colatura leniter filtretur, & addatur aliquid *Sacchari.*

Sumitur calidissimè imprimis à cœnâ vel prandio, & breviter quemcunque Dolorem Capitis lenit.

℞. *Pulv. Bezoard. Lud.* vel *Succini præparati* ℈ß. ad gr. xv.
*Cinnab. Antimonii* ℈ß.
*Laud. Opiat.* gr. j.
*Olei destill. Ligni Sassafras* gutt. j.
M. f. Pulvis:
D. S.
Pulvis Caput leniens.

Vel

℞. *Cinn. Antimonii* vel *nativ.* ℈j.
*Extr. Ligni Aloës* gr. xij. vel xv.
*Castor.* gr. viij. vel ℈ß.
*Laud. Opiati* gr. iv. vel v.
M. f. Pil. pro 4. dosibus.
D. S.
Pilulæ Caput lenientes.

Vel

℞. *Conf. Flor. Salviæ*,
*Anthos*,
*Tunic.* an. ʒvj.
*Succin. Catarrhal.* ʒj.
*Cinnab. Antimonii* vel *nativ.* ʒß.
*Spec. Diambr.*
*Diamoschi dulc.* an. ℈ij.
*Cum Syr. Flor. Tunic.* f. Electuarium.
D. S.
Electuarium Caput confortans.

Vel

℞. *Aquæ Cerasi nigr.*
*Verben.* an. ℥j.
*Lilior. convall. cum Vin.* ʒvj.
*Liqu. Cornu Cervi succin.* ℈ij.
*Syrup. Betonic.* ʒiij. vel ℥ß.
M. S.
Potio Caput confortans.

Vel

℞. *Spiritûs Cornu Cervi cum Sale vol.* vel *Liq. Cornu Cervi succin.* ʒiij.
*Ess. Opii tartarisat.* ʒj.
M. S.
Essentia Caput leniens.
Dosis gutt. 40. vel 50.

Vel

℞. *Liqu. Cornu Cervi succinati*,
*Ess. Castor.* an. ʒii.
M. S. ut antè.

Vel

℞. *Quintæ Essentiæ Rorismar.* ʒiiß.
*Lavend.* ʒiß.
M. S. ut antè.
Dosis gutt. 20.

Vel

℞. *Ess. Castor.* ʒij.
*Absinth.* ʒj.
M. S. ut antè.
Dosis 40. guttulæ.

Convenit item Essentia Castorei composita ex ana Castorei, Zedoariæ, & Salviæ, cum Spiritu Salis Ammoniaci vinoso extracta.

Vel

℞. *Elix. Propr. sine acid. vel tartarisat.* ʒii.
*Ess. Rorismar.*
*Succini* an. ʒi.
M. S. ut suprà.
Dosis 30. ad 40. guttulæ.

Vel

℞. *Ess. Castorei compos.* ʒii.
*Succini*,
*Liqu. Cornu Cervi succinat.* vel *Spiritûs Bezoard.*
*Bux.* an. ʒi.
M. S. ut suprà.

Prodest in Cephalalgiâ Catarrhali.

Vel

℞. *Ess. Catarrhal.* ʒiii.
*Castor. vinos.* ʒi.
M. S.

Essentia in Cephalalgiâ Catarrhali.

Item

℞. *Ess. Succin.* vel *Catarrhal.* ʒii.
*Spiritûs Sal. Ammoniaci anisat. succinat.* an. ʒj.
M. S. ut suprà.

Varientur Formulæ pro varietate Causarum.

IX. Quod aliàs attinet *Externa* in genere contra Cephalalgias usitata, celebris est insigniter *Verbena*, quæ est celeberrimum Remedium ad quemcunque Dolorem Capitis, sive interno usu ejusdem Aqua, aut Essentia usurpetur, sive externè ipsa Planta, tam recens contusa, & in formâ Cataplasmatis, quàm Succus, ac Linteis duplicatis, Fronti, & Temporibus applicetur; sicuti etiam Herba *Amuleti* instar appensa pertinacissimum Capitis Dolorem sistit; de qua virtute contra Cephalalgias amuleticâ singulariss. videb. Forestus *lib.* 9. *Observat.* 52. utut non æquè ubique succedat. Sunt tamen qui *Floribus Papaveris rhœados* non minorem, quàm modò laudatæ Verbenæ, laudem contra Cephalalgias tribuunt: Confer. M. A. N. C. *Anno* 4. *Append. pag.* 33. Et sanè aliquando Cephalalgiam pertinacem nocturnam Floribus Papaveris rhœados leviter contusis Fronti, & Temporibus applicatis curavi. Juxta Verbenam est *Betonica*, anodyna, & egregia ad Dolores Capitis, non nihil narcotica: de qua vid. Bartholinus *de Betonicâ.*

℞. *Betonicam*:
Coque in *Vino.*

Colatura apponatur Capiti per noctem, in Dolore Capitis ex Apostemate.

Vel ubi virtute anodynâ, discussione, & resolutione opus est:

℞. *Herb. Beton.* M. ii.
*Absinth.* M. i.
*Cubebar.* ʒii.
*Vini* ℔ii. vel q. s.
Decoqu.

Colatura hauriatur, vel instar Epithematis applicetur Capiti; removet egregiè Dolorem.

*Sedum majus*, item *Matricaria* recens contusa, & Fronti applicata, Capitis Dolorem sistit, modò illius odorem ferre possit Æger. *Radix Rhodia* etiam non inelegans Experimentum est Petri à Castro Medici Veronensis, qui in pertinacissimo Capitis Dolore recipit *Radicem Rhodiam recentem*, eamque cum lapideo pistillo contritam irrorat cum *Aquæ Verbenæ*, & *Flor. Sambuc.* ana, Cataplasmatis instar Fronti applicat. Integra etiam Planta contusa sub formâ Cataplasmatis Fronti circumponitur:

Vel

℞. *Rad. Rhod.* ℥ß.

Flor.

*Flor. Papav. errat.*
*Rosar.* an. M. ß.
*Capit. Papav.* Num. iij.
Inciſa, & contuſa coqu. *in Aqua ſimpl.*
Colatura applicetur tepidè Fronti, & Temporibus.

Alii loco Radicis hujus *Pulverem Radicis Zedoariæ* recipiunt, & cum Aquis appropriatis Capiti applicant; v. g.

℞. *Aquæ Verben.*
*Flor. Sambuc.*
*Beton.* an. ℥i.
*Pulv. Zedoar.* ℥ß.
M. D. S.
Epithema Capiti applicandum.

Et ita applicetur Capiti, tam Fronti, quàm ubi ita viſum fuerit, etiam Nuchæ. Sed hoc ſaltem valet in Cephalalgiis ex Causâ frigidâ.

Timæo *von Guldenklee in Epiſt. pag.* 195. in uſu fuit tale Epithema:

℞. *Aquæ Verben.* ℥i.
*Beton.*
*Sambuc.* an. ℥ß.
*Pulv. Rad. Rhod.* aut *Ligni Rhod.* ʒii.
*Acet. Roſac.* ʒvj.
M. pro Epithemate Cephalico.

Hiſce addatur ejuſdem Petri à Caſtro euporiſton, nempe Cortex medianus trunci Arboris Juglandis, qui contuſus, & cum pauco Sale miſtus, utrinque Temporibus applicatus ad quoſcunque Capitis Dolores ab eo fuit uſurpatus. Pertinent huc in ſpecie, & ea quæ *aliquali vi narcoticâ* plùs minùs pollent: qualia ſunt Semina Papaveris, Anethi, Nuclei Perſicorum, vel Semen Hyoſcyami, & ſimilia, ex quibus fiunt Emulſiones, quæ nunc intrinſecùs propinatæ, aut, quod ferè frequentiùs, extrinſecùs ſub formâ Epithematis applicatæ, admodùm conveniunt, verbi gratiâ

℞. *Sem. Anethi* ʒiij.
*Nucl. Perſic.* ʒii.
*Sem. Papav. alb.* ʒiß.
Cum ſ. q. *Aquæ Verben. Beton. & Flor. Perſic.* f. Emulſio.
D. S.
Emulſio circa Caput.

Hæc tepidè Linteis multiplicatis adhibetur Fronti, & Temporibus ad ſiſtendam Cephalalgiam.

Vel

℞. *Nucl. Perſic.* ℥ß.
*Sem. Papav. alb.* ʒii.
Cum ſ. q. *Aquæ Verben. Beton.* vel *Flor. Nymph. & Solani* f. Emulſio.
D. S. ut ſuprà.

Epithematis formâ tepidè cum Linteis duplicatis Fronti, & Temporibus applicanda, ad ſiſtendam nimiam Cephalalgiam.

℞. *Nucl. Perſic.*
*Sem. Papav. alb.* an. ʒiii.
*Anethi* ʒii.
*Hyoſcyami* ʒiß.
Cum *Aquâ Flor. Sambuc. & Chamomill.* f. Emulſio.
D. S. ut ſuprà.

Videb. quoque *Idea Formular. Claſſ.* 3. §. 6. & *Colleg. Formular.* Poſſunt etiam tales Emulſiones fieri recipiendo loco Liquoris in dictis Emulſionibus Decoctum Radicis Rhodiæ, vel Verbenæ, vel Betonicæ, vel ſimilia: quibus cum Decoctis ex iſtis Seminibus Emulſiones efficaciores componuntur. Imprimis *Semen Hyoſcyami* potens eſt Remedium pro placando Dolore Capitis, uti quocunque, ita in ſpecie Scorbutico; unde quidam ceu certiſſimum hoc laudant;

℞. *Sem. Hyoſcyami* ʒi.
*Acet. Roſac.* ʒv.
M. in phialâ benè obturatâ, & ponantur in digeſtionem Balneo Mariæ per 5. aut 6. horas, ita tamen, ut non bulliat.

Poſtea accipe Faſciam ex Linteo ſubtiliſſimo, quæ ligetur Capiti Infirmi, atque cum Spongiâ, hôc Aceto madidâ, humectetur Faſcia, ſicque ſubitò Dolorem Capitis tolli aſſerunt.

Tandem, & *Litus*, ſeu *Inunctiones* conveniunt, ubi eminet Unguentum Alabaſtrinum, quod admodùm laudatur in quavis Cephalalgiâ, ex quacunque etiam Causâ natâ, ſive ſit per Conſenſum, ſive ex Contuſione, ſive ex aliâ Causâ, in ſpecie in Cephalalgiâ quarumcunque Febrium, à quam plurimis, prætertim Foreſto *in lib. 9. Obſerv.* 33. cui pro Circumſtantiarum ratione nunc Oleum Papaveris expreſſum, nunc Oleum Hyoſcyami expreſſum, nunc Unguentum Populeum, nunc Camphora, nunc aliquid de Laudano Opiato, nunc aliud ſimile, addi poteſt: E. g.

℞. *Olei expr. Sem. Papav.* ʒi.
*Nucl. Perſic.* ʒiß. vel ʒii.
*Hyoſcyami*,
*deſtill. Aneth.* an. ʒi.
(vel *Olei deſtill. Aneth. & Chamom.* an. ʒß.
Cum ſ. q. *Ceræ*, vel *Ol. Nuciſtæ expr.*
F. Linimentum, Temporibus applicandum.
D. S.
Unguentum ad Caput.

Vel

℞. *Olei Hyoſcyami cum Oleo Papav. compoſ.* ʒi. *expr. Nuciſt.* q. ſ.
M. S.
Balſamus Capitis Dolores ſedans.

Item, quod in familiari uſu habuit D. Michaelis.

℞. *Extr. ſive Succi inſpiſſ. Verben.* ʒi.
*Olei expr. Hyoſcyami* ʒß. (plùs minùs, prout requirit occaſio, vel Dolor),
M. & f. Linimentum.

Inungetur Caput, & Tempora in Doloribus Capitis, præprimis Scorbuticis.

Vel

℞. *Extr. Verben.*
*Anethi* an. ʒii.
*Olei expr. Papav. alb.*
*Hyoſcyami* an. ʒß.
*deſtill. Aneth.*
*Chamomill.* an. gutt. v.
M. S.
Unguentum ad Caput.

Vel

℞. *Olei expr. Nucl. Perſic.*
*Sem. Papav.* an. ʒj.
*Hyoſcyam.* ʒß.
*deſtill. Aneth.* ʒß.
M. S.
Oleum Dolores ſedans.

Vel

℞. *Ungu. Alabaſtr.* ʒij.
*Medull. Crur. Vit.* ʒj.
*Olei expr. Papav.* ʒß. vel ʒj.
*Hyoſcyam.* ʒß.
Cum ſ. q. *Ceræ* f. Unguentum.
D. S.
Unguentum Dolores ſedans.

Sed hæc & ſimilia *Narcotica externa*, uti in genere Dolores ſiſtunt Capitis, ita in ſpecie non niſi urgente graviùs Dolore, locum habent, idque magis in Accidentalibus quàm Habitualibus, tutiùs verò in Doloribus per Conſenſum, item in Doloribus, qui comitantur Morbos Acutos, conducunt;

cunt; ſicuti Dolores Chronici, aut Cephalææ, aut Clavi, minùs hujuſmodi curari, leviter ſaltem palliari ſolent. Potiùs in Chronicis Doloribus ſeu diuturnis egregia ſunt Emplaſtra appropriata, v. g. *de Tacamahacâ cum Balſamo Peruviano* malaxata, & Capiti raſo in formâ Emplaſtri applicata, quod etiam convenit in Doloribus Scorbuticis. Loco Balſami Peruviani ſubſtituatur Oleum deſtillatum Succini, imprimis, qui Affectibus Cerebri & Nervorum ſunt obnoxii. Sed hæc ſunt generalia.

X. Cùm verò pro varietate Cauſarum & Circumſtantiarum ſubinde varianda ſint Remedia, propterea ad *Cephalalgiam*, *quæ oritur ex Sanguine*, *ejuſque motu effervescente aucto & febrili*, convenit *Sanguinis miſſio* variis modis adornanda, de qua *ſupra Notâ* VI. dictum. Antequàm tamen Sanguis educatur, Clyſtere Alvus expurgetur, poſtmodùm verò Interna propinentur, quæ febriles Paroxyſmos aut Sanguinis turgeſcentiam ſolvunt, nempe Diaphoretica blanda, Acidum temperantia, ex Abſorbentibus, modicèque condenſantibus, v. g. Lapidibus Cancrorum, Unicornu foſſili, Terrâ Sigillatâ, &c. Quibus Alterationis gratiâ Decocta, & Julepi cum blandis Acidis, de quibus in Curatione Febrium dictum, jungere convenit. *Externè* verò convenit *Succus Sempervivi* majoris aut *Portulacæ* cum pauco *Aceto Roſaceo*, (ſi enim multum Aceti ſumitur, facit Ægros agrypnos) Fronti ac Temporibus, item Teſticulis, inſtar Epithematis applicatur, ſed calidè; nam omnia Epithemata tepidè admovenda. Convenit etiam Emulſio Seminis Papaveris albi, cui aliquantulum Camphoræ additum fuerit. Vel convenit *Epithema Cephalicum* Hartmanni *cum Camphorâ*, quod habet *in prax. Chymiatr. lib. 2. cap. 1. de Cephalalgiâ* §. 18. vel quod deſcribit §. 7. Imprimis Epithemata ex Gammaris fluviatilibus contuſis & applicatis, aut ex Succo Cancrorum fluviatilium expreſſo inſtar Epithematis uſurpato, egregia & ſingularia ſunt in Cephalalgiâ Febrili: quibus ipſis etiam ſub contuſione Acetum Roſaceum, aut Aqua Papaveris rhœados, Spermatis Ranarum, Phlegma Vitrioli, aut aliæ quædam Aquæ appropriatæ, addi poſſunt: ſicuti etiam *Unguentum Populeum* vel *Alabaſtrinum* cum Oleo Papaveris expreſſo, vel Anethi, non ſine fructu illinitur: Quibus in declinatione addenda magis Appropriata v. gr. Radix & Herba Verbenæ, Radix Rhodia, Zedoariæ, item Opiata: v. g.

℞. *Ungu. Roſ.* ʒß.
*Olei expr. Sem. Papav.* ʒij.
*Hyoſc.* ʒß.
*Nuc. Moſch.* ʒj.
M. f. Linimentum: S.
Unguentum Cephalicum.
Vel
℞. *Ungu. Alabaſtr.* ʒiij.
*Olei Papav. expr.* ʒß.
*Hyoſc. expr.* ℈j.
M. S. ut antè.
Vel
℞. *Ungu. Alabaſtr.* ʒiij.
*Theriac. Androm.* vel *Philon. Ron.* ʒß.
*Olei expreſſ. Nucis Moſch.* ℈ß.
M. D. S. ut præcedens.
Vel
℞. *Ungu. Popul.*
*Alabaſtr.* an. ʒij.
*Extr. Verben.* ʒiß.
*Camph.* ℈ß.
M. D. S. ut ſuprà.
Vel
℞. *Succ. Cancr. fluv. rec. expr.* ℥iij.
*Aquæ Beton.*



*Flor. Chamom.*
*Sambuc.* an. ʒj.
*Pulv. Zedoar.* ʒij. vel ʒß.
M. f. Epithema,
D. S.
Epithema Cephalicum Externum.
Vel
℞. *Succ. Cancr. fluv. cum Aquâ Verben. extr.* ℥iij.
*Sal. Ammoniaci* ʒiß.
*Pulv. Rad. Rhod.* ʒij.
M. pro Epithemate.
D. S. ut antè.
Vel
℞. *Herb. Verben.*
*Violar.* an. Mj.
*Flor. Roſar.*
*Sambuc.*
*Violar.* an. Mß.
Includantur Sacculo, *Vino acidiuſculo* incoquendo.
D. S.
Sacculus Capiti applicandus.
Vel
℞. *Nucl. Perſic.* ʒij.
*Sem. Papav. alb.* ʒj.
Cum ſ. q. *aquæ Nymph.* f. Emulſio: adde
*Succ. Cancr. fluv.* vel *Verbenæ* ℥ij.
*Spiritûs Theriacal. camph.* ʒß.
*Pulv. Zedoar.* ʒiß.
M. S.
Epithema Cephalicum.
Vel juxta Platerum *lib. 2. Obſ. pag.* 368.
℞. *Empl. de Beton.*
*Alabaſtr.* an. p. ß.
*de Ran. cum Mercurio* p. j.
Miſc. pro Emplaſtro.

Quibus ſi *Acrimonia* conjuncta, interponantur *Abſorbentia* ſæpiùs recenſita.

Quòd ſi in Febribus ob nimios Dolores Capitis *metuantur Deliria aut Convulſiones*, adeoque, ut alias dicunt, raptus Materiæ ad Caput:

℞. *Fol. Rutæ rec.* M. ij. vel iij.
*Rad. Raph. inciſ.* Num. ii. vel iii.
*Salis comm.* M. j.
*Fermen. acer.* M. ij.
*Acet. Rutac.* q. ſ.
M. f. Pulmentum: S.
Cataplaſma plantis Pedum applicandum.

Quod applicetur plantis Pedum, item Capiti, & repetatur, ſi exſiccatum fuerit. Revulſorium eſt Remedium ratione irritationis, unde in Comate Vigili Febrium egregium eſt.

Vel

℞. *Fol. Rutæ* Miß.
*Fimi Columb.* j.
*Salis comm.* ʒß.
*Ferm. acer.* ʒij.
Cum *Aceto Flor. Sambuci* f. Cataplaſma.
D. S. ut ſuprà.
Vid. Barbette *in Obſ. de Peſte*: Vel
℞. *Roſar. cum Sale condit.* ℔j.
*Nitri* ʒij. ad ʒß.
*Camph.* ʒß.
M. f. Cataplaſma.
D. S. ut ſuprà.

XI. A *Seri* vel *copiâ* vel *acrimoniâ peccante* ſi Dolor urget, pro illius affluxu ſedando in Subjectis Plethoricis convenit ante omnia *Venæſectio*, quatenus Vaſis exinanitis Serum non adeò copiosè tranſudat, quodque ejus exſtillavit, à Venis faciliùs reſorbetur. Extra quem tamen caſum poſt

Clysteris injectionem, aut Laxantis blandioris usum, *Vesicatoria* Cervici aut ponè Aures, imò in Dolore atrociori toti Capiti applicentur: vid. Riverius *Cent.* 1. *Observ.* 37. Tulpius *lib.* 1. *cap.* 13. & Meara *Hist. pag.* 128. simulque per Opiatum ulterior Affectus & Dolor mitigetur, usque dum hôc aliquantùm sedatô reliquias serosas per potentiora *Purgantia*, *Diaphoretica*, & *Diuretica*, educere liceat. Pro Recidivâ verò evitanda *Fonticulus* in Brachio aut Crure excitetur, prout scilicet aliæ Circumstantiæ hunc Locum determinabunt. Purgationis scopo, inserviunt *Hydragoga* communiter dicta, in principio tamen mitiora, scilicet Radix Jalappæ, Scammonium, Massa Pilularum de Succino *Cratonis*, Luna Hydragoga, &c. Diaphoresi verò atque Diuresi Lignorum Decocta & Essentiæ cum Catarrhalibus & Nervinis aromaticis & Diureticis miscenda, v. g. Decoctum Catarrhale, in *Id. Formul. Class.* 4. §. 11.

Vel

℞. *Rad. Enulæ*,
*Caryophyll.*
*Sarsæpar.* an. ʒvj.
*Ireos Flor.*
*Ras. Ligni Sassafr.* an. ℥ß.
*Herb. Rorismar.*
*Salv.*
*Chærefol.* an. M. §.
*Galang.* ʒij.
*Sem. Fœnicul.* ʒiij.
Coqu. in s. q. *Aquæ*:
Colat. ℔iß. adde
*Syr. Betonic.* vel *Papav. errat.* ℥ij.
M. D. S.

Decoctum Catarrhale Cephalicum.

De hoc ℥ij. vel iij. bis, vel ter de die propinentur.

XII. Quod attinet *Dolorem Capitis Fixum & nimis contumacem*, seu *Cephalalgiam*, quam vocant à *Causâ frigidâ*, seu potiùs *Cephalæam*, à *Materia viscidâ aut glutinosâ ac acri* hinc inde impactâ, in specie in *Cephalalgiâ Senum*, præter sudorifera Lignorum Decocta, aut similia Medicamenta Sudorifera, de quibus *jam antè dixi*, confert imprimis Balsamum & Oleum destillatum *Succini* Vertici illitum. Item præ cæteris præstantissimum est *Emplastrum de Ranis Vigonis cum Mercurio*, Capiti raso impositum, quod ratione Mercurii penetrat, & Causam viscidam acidam corrigit, quô ipsô desperatas Cephalæas curavit Platerus, qui videatur in *Observat. pagin.* 371. & *Praxi.* Parandum est hoc Emplastrum more consueto nunc dosi ordinariâ, nunc dosi duplicatâ Mercurii, & summum est Remedium Mercurius vivus; usurpatur vel solitariè, vel malaxatum cum Balsamo Peruviano, Oleo Irino, destillato Succini, Unguento Alabastrino, &c. Item *Emplastri* hujus p. i. potest addi *Empl. de Beton.* & *Unguenti de Alabastro* p. §. & sic horrendam Cephalæam Platerus *loco citat.* mirabiliter curavit. Ipse aliquando in Vetulâ octogenariâ, quæ jam ab aliquot annis continuâ & gravissimâ Occipitis laboraverat Cephalæâ, felici cum successu hoc *Emplastrum*, *malaxatum cum Oleo Succini*, usurpavi. Convenit etiam *in discessione Suturarum Cranii*, Affectu periculoso & difficili; unde Principissæ Isenacensi discessionem Suturarum, aliis irritis, curavit D. Michaelis mediante hoc Emplastro, & *Clysmatibus acrioribus*, & usitatis tantummodò, in quibus tamen præscripsit dissolvenda sequentia: Nempe

℞. *Elect. Hier. picr. cum Agar.* ʒiv.
*de Bacc. Laur.* ʒij.
*Pulv. Rad. Helleb. nigr.* ʒiß.
*Fell. Tauri insp.* ʒiij.
Misc.

Cujus uncias duas semper Clysmati domestico addendas jussit; quæ Clysmata crebriùs fuerunt repetita. Capiti verò ad imitationem Plateri (ut ipse D. Michaelis professus est) hoc *Emplastrum* applicari præcepit.

℞. *Empl. de Ran. Vigon. cum Mercurio* ʒiß. ad ʒij.
*Cerat. de Beton. usit.* ʒj. ad ʒiß.
*pro bregm.* ʒß. ad ʒvj.

Mista malaxanda cum *Unguento Alabastrino.* (loco cujus *Oleum Succini* commodè etiam sumi potest)

Inducatur super *Alutam*, & applicetur Capiti in formâ Emplastri.

Quod ipsum modò dictum *Emplastrum*, & *de Ranis cum Mercurio*, egregiè etiam convenit in *Doloribus Capitis nocturnis contumacibus*, Gallicis seu Venereis, hujusque Mali reliquiis: vid. Bartholinus *Cent.* 3. *Epist.* 55.

Ita tamen ut ex Sylvatici consilio *Stillicidium* quoque Aquæ calentis sulphureæ huic substitui queat: vid. Rhodius *Cent.* 1. *Observ.* 75. Non negligenda illa, quæ primario Morbo appropriata deprehenduntur Remedia, à qua etiam applicatione decente omnes Cephalalgiæ per Consensum exortæ tolluntur. *Aliàs in hac Suturarum discessione* jubet Mindererus *in Medic. Milit. pag.* 327. præmissâ forti Capitis Ligaturâ & postmodùm derasis Capillis, *Ceratum ex Pelle Arietinâ* cum *Gummi Elemi*, & pauco *Cerato de Betonicâ* loco affecto applicare, & egregiè confert: Vid. quoque Bootius *loco suprà citato.* In genere in Cephalalgiis ubi subest suspicio peccantis *Materiæ crassæ*, viscidæ, acidæ, &c. ex vitio Digestionis privatæ, ibi non habetur melius Emplastrum, quàm hoc, idque imprimis propter *Mercurium* penetrantem, & optimè resolventem; fluxilem enim facit Materiam istam, quæcunque etiam sit, & vocetur ut lubet. Alternandumque hoc etiam erit cum Decocto ex Speciebus Cephalicis, Lixivio & Vino parato, quale Platerus *l. a.* commendat:

Aut

℞. *Herb. Rorismar.*
*Verben.*
*Betonic.*
*Flor. Chamomill. Rom.* an. M. §.
Coqu. in *Vino* pro Epithemate.
D. S.

Epithema Cephalicum.

Aut

℞. *Empl. de Ran. cum Mercurio* p. ij.
*Beton.* p. i.
Malax. cum *Oleo destill. Anethi*:
D. S.

Emplastrum Cephalicum.

XIII. Aliàs, ubi opus est Discussione, & hujus medio Doloris Sedatione, item Resolutione in Cephalalgiâ *ex Causâ frigidâ*, speciatim externo Frigore, optimè conducunt *Sacculi ex Milio & Sale communi*, qui sunt egregii, & mirè commendantur à Lindano: nempe

℞. *Milii leviter tosti* p. iv.
*Salis communis* similiter *leviter tosti* p. i. vel ii.

Ex quibus fiant *Sacculi*, suffumigandi cum Gummi Animæ, & ita applicentur Capiti. Varia *Appropriata* addi possunt pro varietate Circumstantiarum, verb. gr. Origanum, cum Floribus Chamomillæ, Thymus, Flores Sambuci, Verbena, Betonica: vid. Forestus *l. a. Observ.* 21. *in Schol.* Exempli grat.

℞. *Milii tosti* M. j. vel ij.
*Salis comm. parùm tosti* M. §. vel i.
*Herb. Verben.* vel *Beton.* vel *Flor. Samb.*
*Flor.*

*Flor. Chamomill.* an. Mß. vel M. j.
*Pulv. Rad. Rhod.* ʒß.
M. f. Sacculi interpaſſati,
calidè Capiti applicandi, & ita geſtandi;
D. S.
Sacculus contra Dolores.
Vel

℞. *Milii toſti* ʒvj.
*Salis toſti* ʒiv.
*Herb. Thymi*,
*Flor. Sambuc.* an. Mj.
*Zedoar.* ʒj.
Includ. 2. Sacculis interpaſſ.
D. S.
Sacculus ad Caput.

Vid. *Idea Formul. Claſſ.* 4. §. 10. & *Colleg. Formular.*

Conducunt etiam tales Sacculi imprimis in Doloribus Capitis continuis Senum, quibus admodùm ſunt appropriati. In quibus & ſimilibus gravioribus Capitis Doloribus etiam Veſicatoria Occipiti & Nuchæ, interdum ponè Aures applicata, conferunt.

XIV. Quòd ſi Dolor Capitis ſit à Causâ Externâ, *Vulnere* vel *Caſu ab alto*, aut *ex Contuſione*, hincque relictâ debilitate, ibi optimè convenit *Cerotum Alexandri Benedicti*, mediante quo curavit Senem, qui ex Percuſſione Trabis quindecim dies & noctes obmutuerat: Nempe

℞. *Gummi Hederæ* vel *Elemi* ʒiij.
*Reſin. purgat.* ʒß.
*Ceræ*,
*Terebinth.* an. ʒiij.
*Ol. Roſac.* ʒiiß.
*Gummi Animæ Aceto ſol.* ʒij.
*Succi Corymb. Heder.* ʒiv.
*Farin. Fabar.* q. ſ.

Ex quibus omnibus tritis f. Emplaſtrum.

Hoc egregium eſt in Doloribus Capitis ex Contuſione, Caſu, &c. Vid. de hoc etiam Henricus ab Heer *in Obſer.* 21. item Foreſtus *l.* 9. *Obſ.* 35. *in Schol.* & Valeriola *l.* 5. *Obſ.* 9.

Aliàs ad Dolores *ex Percuſſione*, etiam Unguentum Alabaſtrinum proficuum obſervatum fuit. Convenit etiam Sacculus *Hartmanni* ex Succino pulveriſato, cum Eſſentiâ Piperis irroratum, aut Tacamahaca cum Oleo Succini in Emplaſtrum redacta.

XV. Quòd ſi *Cephalalgia ſit à Vermibus*, horumque adſint ſuſpiciones, ſive in Cerebro geniti fuerint, ſive per loca externa ad Cerebrum uſque tranſierint, in tali caſu gravis labor, & Medico, & Ægro ſubeſt. Nemo ejus curandi Methodum meliùs præſcripſit, quàm Hildesheim, qui pertinaciſſimam à Vermibus ita curavit: Habuit curæ Ægrum graviori Cephalalgiâ correptum, in quo cùm, *præmiſſis Univerſalibus*, & copioſis Vermibus, per Alvum rejectis, nihilominùs in gravi Capitis Dolore perſiſteret, ipſe verò non vulgarem ſuſpicionem haberet Vermium in Capite, propterea ante omnia Sincipiti applicavit *Emplaſtrum* tale:

℞. *Pulv. Aloës*,
*Lumbr. terreſtr.* an. ʒij.
*Fell. Tauri* ʒi.
*Ol. Abſinth.*
*Ceræ* an. q. ſ.
Miſc. in formâ Emplaſtri.
Extendatur ſuper Alutam, & Sincipiti applicetur.

Hinc pro faciendo Fumo *Pulverem* ordinavit:

℞. *Pulv. Centaur. minor.*
*Marrub.*
*Beton.* an. ʒii.
*Zedoar.* ʒß.
*Rad. Angel.* ʒij.
*Succini* ʒi.
*Antimonii crudi* ʒi.
*Minii* ʒiß.
*Boli Arm.* ʒj.
*Ariſtoloch. rotund.* ʒii.
*Abſinth.* ʒii. vel ʒiij.
M. f. Pulv. groſſus pro Fumo.

Cùm hôc *Emplaſtro* uſus eſſet, & *Fumum* ter, quaterque Naribus, & Ore excipiendum admiſiſſet, tandem tredecim oblongi Vermes villoſi, ſeu lanuginoſi vivi inſtar Erucarum ſive Oniſcorum per Fauces, Nares, & Aures prodierunt, quos ipſe digito apprehenſos extraxit. Continuavit modò dicta, unde tantos Dolores, & cruciatus poſteà non ſenſit, quantos anteà; ſed tamen omnes nondum ſemotos dicebat ipſe, cùm adhuc in Sincipite laterent aliqui: unde poſt aliquot menſes prodierunt adhuc duo, non tamen ita magni, ac priores, & ita Ægrum reſtituit: Vid. Hildesheim *in Spicil.* 1. *de Affect. cap. pag.* 45. Ad hujus imitationem, ſi ſuſpicio eſt Vermium, Medicus ſimilia poteſt invenire, & applicare. Quô etiam facit Zacutus Luſitanus *Prax. Admirand. lib.* 1. *Obſervat.* 7. ubi potentiore *Sternutatorio* ex Pipere, & Caſtoreo, Vermem, Cephalææ diuturnæ cauſam, rejectum teſtatur. Item hujus loci eſt Fumus Myrrhæ, & Spiritus Vini, in quo Nigellæ Semen infuſum, Auribus immiſſus, quorum Schenckius *Obſerv. pag.* 176. meminit; item Salmuth *Centuriâ* 2. *Obſerv.* 39. qui Suffitu Amarorum, & Antimonii Vermes per Nares eductos refert. Sin oriantur *à Calculis*, Malum à priori non eſt curabile, niſi Natura vias inveniat, & Calculos foras protrudat.

XVI. *Cephalalgia ab Ebrietate*, *& Crapulâ*, aliiſque *Ventriculi Craditatibus*, præmiſſo *Vomitorio*, vel *Purgante*, *Stomachicis*, atque *Nervinis* ſedatur: e.g.

℞. *Pulv. Rad. Aſari*,
*Crem. Tartari* ana ʒß.
*Gummi de Perù corr.* gr. v.
*Olei deſtill. Macis* gutt. ij.
M. S.
Pulvis Cephalicus, & Stomachalis pro unâ vice.

Inter *Stomachica* convenit Piper, vel integrum, vel in partes diviſum, deglutiendum, quia abſumit Cruditates in Ventriculo; item Maſtiche, & hujus Spiritus, Eſſentia Ligni Aloës, Spiritus Vitrioli Cephalicus, &c.

℞. *Elix. Propr.* ʒiij.
*Spiritûs Vitrioli Cephal.* ʒj.
M. S.
Elixir Cephalicum, & Stomachale.

Hinc non adeò Paradoxon videtur, quod Cardanus *Art. Parv.* refert, contumacem Dolorem Capitis *Cerato* Ventriculo impoſitum ſedatum. Item quod Velſchius *loco all. Obſ.* 12. Hemicraniam Pane Succo Granatorum imbuto intra triduum ſolutam teſtatur; Vid. Foreſtus *l.* 9. *Obſ.* 44. 45. & 46. In Cephalalgiâ *ab Ebrietate*, *& Crapulâ* convenit *Piper*, ut dictam. Item Caput leviter irrorandum, Teſtes verò *in Aquam frigidam Aceto miſtam* immergantur. Pari Methodo tractandæ ſunt Cephalalgiæ ex *Liene*, *Utero*, *Scorbuto*, &c. ortæ, Morbi ſcilicet primarii ante omnia ſemper rationem habendo.

XVII. Graviſſima ſpecies Cephalalgiæ eſt *Hemicrania*, in qua præter *Arteriotomiam* Temporum, quam valdoperè ſuadet Lindanus *in Colleg. Pract. ſuper Hartmann. lib.* 2. *cap.* 1. §. 17. & aliis irritis aliquoties expertus eſt Paræus *lib.* 6. *cap.* 4.

aut *Hirudinum* applicationem ex Lindano, & Riverio ſuprà laudatam, aliaque Univerſalia ſuprà memorata. Experimentum ſingulare eſt *Cataplaſma* factum *ex Radice Cucumeris aſinini, ſeu ſylveſtris*, aut *Bryoniæ* cum *Verbenâ*, & *Abſinthio*, quod applicandum eſt lateri dolenti, tanquam euporiſton à quamplurimis uſitatum, & commendatum; vel ex eâdem Radice additis Emollientibus fiat Cataplaſma, in ſpecie pro ſolvendâ Hemicraniâ per Abſceſſum, ac Suppurationem, de quo vid. curioſa Obſervatio Horſtii *l.* 2. *Obſ.* 10. Vel loco talium Cataplaſmatum, quæ ſunt difficilia, etiam fieri poteſt tale *Decoctum pro Fotu* hoc modo:

℞. *Rad. Cucum. aſn. rec.* ℥j.
*Herb. Abſinth.* M. ß.
*Flor. Violar.* p. j.
Coqu. in an. *Vini*, & *Aquæ*.

& *Decoctum* colatum ſubinde applicetur loco dolenti in Hemicraniâ: quod egregiè confert.

℞. *Rad. Cucum. aſn. rec.* ℥j.
*Fol. Abſinth.*
*Verben.* an. M. j.
Coq. in ſ. q. *Aquæ*:
Colatura applicetur, uti dictum.

Nempe fit hoc ad imitationem Medici veteris Pauli, qui in Hemicraniis recipiebat *Radicem Cucumeris ſylveſtris viridem* minutim conciſam, & *Abſinthium*: Hæc incoquebat *Hydrelæo* ad putrilaginem uſque. Cum Hydrelæo hoc calente mediocriter partem dolentem inungebat, hinc Radicem, & Abſinthium deſuper applicat. Loco hujus Radicis Cucumeris ſylveſtris, convenienter etiam *Radix Bryoniæ veræ* recipi, & feliciter uſurpari poteſt; ſi nempe

℞. *Rad. Bryon.* ℥j.
*Fol. Abſinth.* M. ij.
Coqu. *in Aquâ.*

In Decocto Spongia nova ſubinde immergatur, & calidè locus dolens foveatur, idque aliquoties, inungendo poſtmodùm *Unguentum Alabaſtrinum.*

Sanè Foreſtus *l. a. Obſervat.* 13. Gabelchoverus, Fonſeca, & plures alii Practici, multùm commendant *Radicem Cucumeris aſinini* ad Hemicraniam. His quoque irritis, præprimis ubi Pituita viſcida, hinc Frigoris ſenſus obſervatur, adhibetur Oleum Euphorbii, ſeu Coſtinum, item ſequens *Linimentum*, quod Foreſtus *lib.* 9. *Obſerv.* 7. & 58. *in Schol.* deſcribit, & ceu ſingulare commendat ad Hemicraniam:

℞. *Euphorb.* ℥j.
*Ol. dulciſſ.* ℔j.
Diſſolv. & ebulliant invicem:
poſtmodùm adde
*Ceræ* ℥ij.
f. Unguentum.

Hoc ipſo Linimento dimidiæ Frontis, & Temporis parti, & Muſculis Temporalibus in Hemicraniâ commodè inungitur, & admodùm convenit ad Hemicraniam, imprimis Frigidam, ut vocant.

Aliàs Euphorbium Aceto dilutum, applicant lateri dextro, dolente ſiniſtro, aut contrà; nam & ſic conferre dicunt: vid. etiam Binninger *in Obſerv.* Item

℞. *Aquæ Roriſmar.*
*Salviæ*,
*Serpilli* an. ℥j.
*Spiritûs Theriacal.* vel *Serpilli*, vel *Lilior. conv.* ℥ß.
*Spir. Cornu Cervi*, vel *Sal. Ammoniaci* cum *Calce vivâ* ℥ij.
Miſc. S.
Aqua Cephalica Externa.

Aliis irritis multi ad Arteriotomiam, item ad ſectionem Venæ Frontis confugiunt, de quibus conſulendi Practici.

XVIII. Denique in Dolore *Capitis Mulierum ex Utero*, ſeu *Dolore Occipitis Frigido*, ſpecificus eſt *Sacculus Hartmanni ex Succino* pulveriſato, & Spiritu Vini, vel *Eſſentiâ Piperis* cum Spiritu Vini extractâ, irrorato, *citato loco* §. 19. & ita crebriùs applicetur. Sicuti etiam *Emplaſtrum ex Tacamahacâ* cum *Succino*, & Oleo Succini malaxatum admodùm convenit in talibus muliebribus Doloribus, raſis Capillis loco dolenti applicatum, vid. Bartholinus *Cent.* 3. *Epiſt.* 14.

Hæc Externa ſemper cum Internis uſurpentur, quia ſola non ſufficiunt. (K)

ARTI-

(K) Nota Cyrilli. *Subnectam* Hiſtoriam Hemicraniæ pertinaciſſimæ, *è quâ ſucceſſivè innumera mala, univerſum Ægrotantis corpus affligentia, ortum ſumsêre.*

Neapoli 10. Junii 1714.

Nobilis Monialis N. N. *annum agens vigeſimum octavum, corpore* εὐχύμῳ καὶ εὐσάρκῳ *adeoque bonâ, cum adoleſcens eſſet, fruens valetudine, fervido acerrimoque ingenio, atque ad quæcunque aggrediendâ promptiſſimo, prædita, multis ab hinc annis* ex iterato Ictu in ſiniſtrâ Frontis parte, *levem primùm, mox graviorem in eâ regione Hemicraniam, demum per intervalla Palpebræ Oculi ſiniſtri depreſſionem pati cœpta eſt. Ætate quâ decet τὰ καταμήνια ſupervenêre, verùm hæc annorum decurſu decrementum potius quàm incrementum ſumsêre, attamen frequens & non exigua* Narium Hæmorrhagiâ *huic defectui ſupplementum præſtabat: larga autem Muci copia, quam quotidie Nares ipſæ reddebant prorsùs evanuit. His tamen non obſtantibus vitam ducebat cæteroquî ſalubrem, & nullis infirmitatum incommodis perturbatam.*

*At menſe Junio anni* 1711. *Morbi vis, quæ infra Ægrotantis robur priùs conſtiterat, vehementer increvit; nam qui priùs tolerabiles Capitis erant Dolores, lancinantes, & prorsùs ſpaſmodici evasêre, ita ut Ægra cæteroquî patientiſſima ad clamores & vociferationes cogeretur: Dolor hic per Paroxyſmos ut plurimùm invadebat, qui periodum veluti quandam octo, quindecim, vel plurium dierum ſervabant, nunquam tamen prorsùs ceſſabat Dolor, ſed aliquantiſper tantùm ſe remittebat. Exacerbationes iſtæ nunc temporis non ſunt adeò frequentes, etſi nunquam pars affecta Dolore immunis exiſtat. Ejus ſedes præcipua eſt* Os Temporale ſiniſtrum (*cujus extremitas ſquamoſa extuberantiam morboſam paſſa eſt*), *protenditur ad Os Frontis & Zygoma, uſque ad ſiniſtram partem Maxillæ ſuperioris, & Dentes ipſos Molares, è quorum intervallo ſæpe numerò uſque ad præſentem diem Sanguis in ipſo Doloris paroxyſmo & extra paroxyſmum erumpit, ſed abſque ullo levamine.*

*His cruciatibus pejora mala ſupervenêre, nam univerſo primi anni decurſu octies & ampliùs Ægrotans* Vertigine *correpta fuit, non nunquam tenebricosâ, non nunquam motibus convulſivis comitatâ, cum caſu & ſenſuum abolitione, vel membrorum omnium veluti reſolutione. Hinc* debilitas quædam in Brachio

dextro

dextro *ab ipsâ uſque cervice, quæ uſque adhuc perdurat : hinc anguli externi ſiniſtri* Oculi convulſiva contractio : *hinc quoque* Vigiliæ perennes : *hinc univerſi corporis incipiens* Marcor : *hinc demùm* Mœſtitia, *tenebrarum amor, & juſtiſſimæ lacrymæ.*

*Quum his malis per menſes ferè quindecim conflictaretur Ægra, ac longo temporis ſpatio in lecto decumberet, circa Autumnum anni* 1712. *in Ventriculi primò languorem, deinde in* Morbum Regium *incidit : & quamquàm appropriatorum Remediorum uſu ab eo Morbo liberaretur ; nihilominùs* Febricula *iteratis vicibus invadens eam corripuit : hæc autem à principio anni* 1713. *continua facta eſt, quotidie notabilem exacerbationem (non nunquam eâdem die duplicem), refrigeratione extremarum partium notatam, à prandio habens, ad hanc uſque diem perdurat : quapropter lecto affixa Nobilis Laborans non vulgarem emaciationem, atque univerſi corporis languorem, operationumque omnium, ut par eſt, læſionem non mediocrem patitur. Neque ſilentio eſt prætereundum, quòd ab anni præteriti uſque principio, valdè contumax & extimulans* Tuſſis *Ægrotantem vexavit & etiamnum vexat : illius autem ſedes videtur eſſe Larynx, quo jugiter irritato,* Sanguis *ſæpenumerò floridus* ſcreatu excernitur.

*Hæc quidem multa & magna ſunt, ſed plura & majora reſtant. Temporis tractu* Nodi *quidam in* Mamillâ *ſenſim ſuboleſcere viſi ſunt, qui incrementum paulatim ſumentes, moleſtiam, dolorem atque interpolatas lancinationes pepererunt : hi non ſolùm perdurant, motumque Brachii ejuſdem lateris aliquo modo præpediunt, ſed in Mamillâ quoque ſiniſtrâ ſubgigni incipiunt, haud tamen partibus ſubjectis adhærent, nec notabilem duritiem præ ſe ferunt.*

*Quemadmodùm Tumores hi duriuſculi in Pectoris regione obſervati fuere, ita quoque & in infimo Ventre, præſertim* in Hepatis regione, Glandularum infarctus, *manibus tangentibus obſiſtentes, temporis tractu geniti ſunt. Hi quidem à principio doloris moleſtiam non exhibebant, verùm menſe Octobris nuper elapſi anni,* vehementiſſimi Dolores *dextri Ilii regionem repentè obſidêre, qui versùs Inguen itidem dextrum & univerſum Hypogaſtrium deſcendentes, diris cruciatibus miſeram Ægrotantem torsêre : Febris inflammatoria acceſſit, atque poſt brevem paraphrenitidem & membrorum omnium convulſivam concuſſionem,* Abſceſſus *in eâ parte congeſtus & ſuppuratus diruptus eſt : unde copioſa* Puris cum Urinâ excretio, *non ſine aliquâ ſimilis humoris per vias Uteri eductione. Dolores & Febres ſe remiſerunt : at ſpatio duorum menſium, ter vel quater novi Abſceſſus, etſi minores, in eâdem regione partibuſque contiguis, facti, in Suppurationem abiere, cum notabili Puris per recenſita loca propulſione.*

*Poſt hæc Febris mitior facta, ſed quemadmodùm primis temporibus aſſiduò Ægrotanti inhærebat, ita & nunc aſſiduè eidem inhæret, non ſine quotidianâ exacerbatione : Itaque nunc temporis Nobilis Virgo vix per bihorium è lectulo ſurgit, Mamillarum Tumores Pectus lancinant, Cephalæa ſomnum arcet, Tuſſis cum interpolatâ Hæmoptyſi moleſtiam infert, Viſcera Abdominis tumida & dolentia ſunt, menſtruæ Purgationes vix apparent, Ventriculus varia obſoniorum genera & gulæ irritamenta reſpuit, nec aſſumta promtè digerit : uno verbo, Corpus univerſum tot malis confectum ferè nullas κατὰ φύσιν edit operationes.*

*Ut hæc Morbòrum Lerna debellaretur tantumnon univerſa Medicinæ panoplia, ut ita dicam, exhauſta eſt. Per ſumma capita, ut brevitati conſulam,* Medicamenta adhibita *tangam. Extrinſecùs, ut Capitis Doloribus mederemur,* Balnea, Fotus, Unctiones, *ex diſcutientibus, anodynis, narcoticis paravimus :* Balnea *quoque* Mineralia, *primùm mitiora mox, fortiora, ad Viſcerum naturalium tonum reſtituendum, pluries adminiſtrata ſunt : quemadmodùm Fotibus & Unctionibus Balſamicis, vel alterius generis, in regione Abſceſſûs pro rei neceſſitate uſi ſumus.* Errhina & Ptarmica *adhibuimus, ut fortaſsè intermiſſam Narium Muci evacuationem proritaremus. Oſſi Temporali & Occipitis* Cauſticum Emplaſtrum *bis aptavimus, ulcuſque ad multum tempus apertum continuimus.* Sanguinem miſimus *non ſemel, ſed pluries, ex manuum pedumque Venis. Sed omnia incaſſum.*

*Intrinſecùs ad Viſcerum Obſtructiones referandas adminiſtrata ſunt pluries* Chalybeata medicamenta : *ut excrementorum ſaburra deturbaretur, ſecundùm Naturæ & Morbi exigentiam,* Cathartica remedia *pro tempore ſunt propinata. Ad Sanguinis fervorem compeſcendum, ejuſque acres particulas retundendas,* Jura conſumta ad uſum Septalii *alterata,* Serum Caprinum, *ac* Aqua Antivenerea *noſtratibus dicta, ex Lignis Radicibuſque exoticis, addito Antimonio crudo & Pumice parata, ad longum tempus exhibita. Atque ut Marcori ingruenti reſiſteremus, pluries* Lacte, *primùm Caprino, deinde Aſinino Nobilem Ægrotantem aluimus.* Antihyſterica & Antiſpaſmodica *ferè omnia ad praxim revocata.* Decocta Cephalica, Splanchnica, Traumatica *frequentiſſimè propinata.* Pilulæ Cephalicæ, Anodynæ, Balſamicæ *pro re natâ pluries deglutitæ.* Ceruſſa Stibii *juxta* ἐγχείρησιν Angeli Salæ *poſt Abſceſſûs diruptionem ad menſem exhibita.* Cortex Peruvianus *ad Febriles paroxyſmos averruncandos haudquaquàm prætermiſſus. Atque innumera alia adminiſtrata, quæ vel mentem præcipitanter ſcribentis fugiunt, vel, ne longum faciam, conſultò omitto. Illud tamen haud omittendum eſt, quòd omnia recenſita* Medicamenta prorsùs inefficacia *ſemper experti ſumus, ſi tamen* Lac Aſininum *excipias, ex cujus uſu, ut verum fateamur, nî Morbus devictus ſit, ſemper tamen aliquid emolumenti Corpori acceſſiſſe vidimus. Hôc Lacte impræſentiarum utimur, ut debile effœtumque Corpus reficiamus ac recreemus, tamen in* Mineralis *alicujus appoſitè præparati uſum, vel* Acidularum *ex arte potum animo intenti.*

*Hæc ſunt quæ de Morbo Nobilis Ægrotantis raptim & prorsùs tumultuariè exſcribere coactus fui, in quo ſanè* Vitium *aliquod* organicum *nonniſi* Chirurgicâ Operatione (*à quâ Domina Laborans omninò abhorret*) *emendandum agnoſco. Spero tamen futurum, ut Celeberrimi Viri quibus id muneris commiſſum erit, ea præſidia proponant, quibus inſolentem Morbi vim, ni prorsûs abolere ſaltem enervare valeamus.*

*Quum hæc* Hiſtoria *multis per Europam* Clariſſimis Profeſſoribus *miſſa fuiſſet, multa quoque* Conſilia *ad nos viciſſim tranſmiſſa fuere. Lubet tamen unum hîc ſubnectere, à Dominis* Verney, Aubery, & Niſſolle *ſubſcriptum.*

Monſpelii 26. Auguſti 1714.

*Infirmitates, quibus laborat pia &* Clariſſima Monialis N. N. *& quæ illas concomitant Symptomata, longo ſermone pertractare non nobis videtur : inutile enim cenſemus cauſſam Morbi diligenter inquirere, qui Medicamentis ſuperari non poteſt, & qui ſolertiam doctiſſimorum ac peritorum Medicorum, & vim Remediorum congruentiſſimorum huc uſque eluſit.*

Denſatio *enim, &* Humorum ſalſitudo *hujuſce* Illuſtriſſimæ Virginis *eò loci adducta ſunt, ut ulla ſit ſpes ampliùs, quòd ad priſtinum & naturalem ſtatum reduci poſſint.*

Hemicrania *enim quâ jamdiù excruciata eſt in* Epilepſiam *degeneravit, dextra Mamilla indurata eſt, & dolore pungitivo afficitur, qui aliquam* Cancri *ſuſpicionem commovet.* Febre *lentâ cum Tuſſi, & Sputo Sanguinis correpta eſt, & in dies tabeſcit totum corpus, quod denotat* Pulmonem *tuberculis ſcatere,* Viſcera *non ſolùm obſtructa ſunt, ſed etiam ſuppurata :* Veſica *urinaria & ſubſtantia* Uteri *eroſa fuere, unde copioſa* Puris *copia cum Urinâ excreta eſt, & per Vulvam educta. Uno verbo, pauca reſtant adhibenda Remedia, & niſi juvet* Summum Numen, *parva eſt ſpes, ut* Virgo Excellentiſſima *ad portum ſalutis pervenire poſſit.*

*Ne tamen ad noſtrum* Prognoſticum *illam derelinquere videamur,* Remedia, *quæ Sanguinis maſſam diluere, & demulcere valent, præſcribenda judicamus, & cùm* Indicationes *deſumi debeant à lædentibus & juvantibus, ad uſum* Lactis Aſinini *confugiendum eſſe non dubitamus, ex quo aliquid emolumenti ſemper recepit, modò purgetur quindecimo quoque die Medicamento appropriato, & capiat alternis diebus, antequàm illud hauriat,* Sulphur, *cujus præparatio talis eſt, ut magis pingueſcat Succus nutritius, fiatque magis balſamicus, & aptior ad partes corporis reficiendas.*

℞. Sulphuris vivi *craſſiuſculè triti* ℔ j. *pone in ollâ fictili, & ſuperaffunde* Aquæ *ferventis* ℔. ij. *& ſine bulliant per quartam horæ partem, deinde illam Aquam effunde & novam ſuperaffunde, & ſic vicies procede. Poſteà pone* Sulphur *ſic lotum in ollâ fictili ſine Aquâ, & cum operculo illam obtura, & in furno ardenti maneat per ſeſquihoram, & ſic exſiccatum in pulverem ſubtiliſſimum redigatur.*

℞. *hujus* Sulphuris ʒß. Sacchari candidi ℈j. Myrrhæ electæ *gr. x. f.* Pulvis *pro unâ doſi.*

*At ſi hæc Sulphuris præparatio illi non arrideat, utatur* Pilulis, *quarum talis eſt deſcriptio.*

℞. Balſami Copahivæ *gutt. xxx.* Sacchari candidi ℈j. Myrrhæ elect. *gr. x. f.* Pilulæ *pro unâ doſi.*

*Ad detergenda* Vulvæ Ulcera, *bis aut ter in die immittatur* Decoctum *ſequens.*

℞. Fol. Agrimoniæ *M. j.* Summitatum Abſinthii minor. Flor. Chamædr. *&* Roſar. rubr. *an. p. j. Coque in* ℔iß. Aquæ fontis. *In Colaturâ diſſolve* Mellis roſac. ℥ij. *f.* Decoctio *ad uſum.*

*Utatur pro Potu ordinario leviſſimo* Salſæ parillæ Decocto. *Victus ſit euchymus, parcus, & boni ſucci, qui minimùm ſit excrementitius, nec multum impleat, ſed exiguâ mole vires ſuſtineat. Vitanda ſunt omnia ſalſa, acria, & piperata, vitanda etiam ira, Animi nimia contentio, & excandeſcentia : uno verbo, quæcumque Sanguinem ac Spiritus exagitare, & Ventriculum depravare valent.* Datum Monſpelii die 26. menſis Auguſti ann. 1714.

Verney. Aubery. Niſſolle.

*His & ſimilibus, ab aliis etiam Profeſſoribus propoſitis, incaſſum adhibitis Remediis, tandem aliquando ad* Cinnabaris nativæ *uſum deventum eſt : hoc Remedium juxta Artis regulas per quadraginta dies adminiſtratum nec levamen ullum nec noxam Ægrotanti intulit. Sanius igitur viſum fuit Conſilium, univerſum opus Naturæ committere : atque hinc factum ut ſenſim laſſaretur, ut ita dicam, Malum, atque nunc temporis (anno 1721.) commodâ Nobilis Virgo fruatur valetudine : etſi per vices & intervalla, ſed quidem rariora, Dolor Capitis tolerabiliori aſperitate illam vexare non obliviſcatur.*

## ARTICULUS VIII.

### *De Doloribus Articulorum,* ſeu *ARTHRITIDE.*

DOlent præterea frequenter Articulationes quælibet in affectu, *Arthritis* dicto in genere, quæ in ſpecie, pro Articulorum varietate, in Pedibus *Podagra*, in Genubus *Gonagra*, in Manibus *Chiragra*, in Dentibus à Strobelbergero *Odontalgia*, *in* Coxendicis Articulis *Iſchiadicus Morbus*, ſeu *Dolor* appellatur. Præter quas partes tamen, & *Scapulas*, *& Vertebras Colli*, & interdum *Sternum* occupat : imò obſervavi in Sene admodùm podagricâ, & alteram *Naſi* quaſi medietatem fuiſſe affectam. *Arthritis ferè per Paroxyſmos affligere ſolet*, extra quos, niſi in inveterato Malo, ſatis commodè habent Ægri. *Quoties imminet Paroxyſmus*, Alvus ferè ſegnior evadit, Ægri moleſtiam quandam haud benè explicabilem circa Præcordia ſentiunt, conſuetum Excrementum intra Pedum digitos non reperitur, & circa Articulos tenſio percipitur. Hinc ſupervenit Dolor circa Articulos, qui incipiente Podagrâ ut plurimùm Pollicem Pedis majorem unius, hinc & alterius Pedis, ſucceſſivè occupat, hinc repetente, aut præcedente crebriùs Malo, alia etiam loca ſucceſſivè, Genua, hinc Brachia, occupare ſolet. *Dolor*, quem percipiunt Ægri, ferè *triplex eſt*, *Pungens*, *Lacerans*, & *Pulſans*, plùs minùs tamen intenſus : quibus interdum, & Dolor *Ardens* ſimul accedit, cum *Tumore*, ſimul *Eriſypelaceo*, in *Arthritide* nempe ſic dictâ *Calidâ*, quando Acidum magis volatile, & acre peccat, *Ruborque* Partis affectæ intenſiſſimus, & *Æſtus* accedunt : In qua etiam Arthritide omnia Symptomata ſunt atrociora, ſed ſimul Paroxyſmi ſunt breviores, quàm in *Podagrâ*, dictâ communiter *Frigidâ*, in qua Acidum magis obtuſum, & viſcidum, Dolores remiſſiores, & *Tumor* plùs minùs *Oedematoſus*, cum nullo, vel levi ſaltem Rubore, affligit, diutiùs tamen perſiſtente Paroxyſmo, nec tam facilè evaneſcente Tumore. Ægri ut plurimùm anxii ſunt circa Præcordia in Paroxyſmo, præſertim in incremento ejus, minùs in ſtatu : Conqueruntur Ægri de *Ardore*, ſeu *Æſtu* circa regionem Stomachi, hinc Frigida appetunt ; item de graviſſimâ Siti, & Anxietatibus Præcordiorum, Stomachi monſtrando regionem, quæ fiunt graviores, quò minùs Potu, ſe onerant : *Appetitus* penitus eſt *proſtratus*, Clyſmata autem, & blandè Laxantia optimè Anxietates has leniunt. Subinde accidit

accidit, ut cum crebriùs repetito, ſed inani *vomendi Conatu*, affligat, ſicque Anxietates inſigniter exacerbet: Imò obſervavi, quòd cum *Lipothymiis* gravibus, ſubinde repetentibus, Paroxyſmus in principio, & incremento Ægros, præſertim inveterato Malo laborantes, vexaverit, quæ Pathemata tamen in ejus ſtatu, dum Dolores, & Tumores increverunt, & plures partes occupatæ fuerunt, penitus remiſerunt: Accedit ferè ſemper *Febris Symptomatica continua*, non adeò quidem acuta, magis tamen in principio Paroxyſmi affligens, mitiùs in ſtatu, quam ad Febrium Catarrhalium naturam accedere aſſerit Sylvius *lib.* 4.

Hæc ipſa *Symptomata* etiam *in Dolore Iſchiadico* ferè occurrunt, ubi *Dolor* præter *Os*, & in *Articulo*, ubi Femoris caput inſeritur Coxendici, imprimis percipitur, etiam *Clunes*, ſeu Nates, hinc intra Oſſis Sacri, & Lumborum regionem plùs minùs occupans; quin Nervorum, & Membranarum connexarum, & deorſum protenſarum ratione, inferiùs verſus *Suram*, *& Pedem* uſque, & ad extremum Malleolum tandem extenditur, *nocteque* ferè *graviùs affligit*, & quia Partes primariò dolentes in profundo ſub tegmine copioſorum Muſculorum, deliteſcunt, ferè nulla extrinſecùs mutatio facta conſpicitur.

Sæpiùs equidem *Dolores* alii iſtam *ſuperiorem Cruris*, & *Coxarum regionem occupant*, & ſubinde pertinaciter affligunt, non tamen præcisè Dolorem Iſchiadicum conſtituunt: Confer. Sennertus *Tractat. de Arthritid. cap.* 6. *pag.* 45. Quòd ſi crebriùs redeant Paroxyſmi, ac pro more vehementiùs affligant, inſigniter *debilitantur Articuli*, ac *motus* eorum multùm *imminuitur*, adeò ut tandem ad *Paralyticam* quaſi *conſtitutionem* redigantur, flacceſcant ſimul, & in Nutritione deficiant, ſubinde laxentur. Interdum circa Articulos contrahuntur, & *rigida* manent *Membra*, aut ſaltim intra Articulos contracturæ, ſeu *Tophi*, & *Nodi* colliguntur, qui motum Articulorum impediunt.

*Iſchiadicus Dolor* ſpeciatim *ad Claudicationem*, non nunquam *Coxæ Luxationem*, aliquando *Cruris Atrophiam*, diſponit. Imò ſi inveteratum fuerit Malum, præſertim ſi in Paroxyſmi declinatione Sudores neglexerint Ægri, pertinacia in Articulis veſtigia relinquit Arthritis, adeò ut levi occaſione, & vel fortiore ſaltem Articuli motu, & agitatione, mox non nihil recrudeſcat, aut ſaltem Punctionibus ſuperveniendibus ſe manifeſtet.

## PARS AFFECTA.

*Pars affecta* erit Pars admodùm ſenſilis circa Articulos ſaltem ſituata, adeoque nil aliud, *quàm membranea Ligamenta*, ipſos Articulos vincientia, & colligantia. Quin imò his affectis ipſum *Perioſtium* in locis Oſſium Articulationi proximis pati ſimul, probabile videtur, ex acerbitate lacerante Doloris, in profundo imprimis ſiti, & apparenter Oſſium capita immediatè afficientis. Sed quod Articulos in ſpecie afficiat, videtur eſſe *ex Synoviâ*, ſeu *Aquâ Glareali*, German. *das Glieder Waſſer*, quæ eſt Ros dulcis chyloſus, ſeu Acido temperato turgidus, qui ceu Nutrimentum Ligamentorum, & Membranarum, ipſorumque forſan Oſſium, abundans intra Articulos collectus pro motu facilitando, & inſtar Axungiæ oblinens Oſſium Articulationes. Hoc ceu appropriatum ſpecifici Arthriticorum Acidi Objectum inquinari imprimis ſolet, quo facto mox varia circa Articulos Pathemata ſuperveniunt, dum Partes vicinæ membranaceæ neceſſariò rodi incipiunt: hinc ſucceſſivè Synovia iſta ab Acido peccante inſtar albuminis Ovi ſpiſſari, & tandem in *cretaceam*, ſeu *gypſeam Subſtantiam* coagulari ſolet, ut patet ex *Tophorum*, ſeu *Nodorum* intra Articulos collectione, qui inciſionis viâ exempti *Calcem*, & *gypſeum Tophum* omninò repræſentant, & Effectum, non Cauſam Arthritidis, conſtituunt: quorum *Tophorum Examen chymicum* videb. in Kerkringii *Spicileg. Obſervat.* 28. & M. A. N. C. *Append. ad Obſervat.* 65. *pag.* 395.

## CAUSÆ.

Quoad *Cauſam Efficientem*: omnium optimè eadem in Tachenii *Morborum Principe* expreſſa, & explicata videtur: Nempe *Acidum volatile ſpirituoſum*, ſui tamen generis, ſeu ſpecifici ſaporis, Spiritui influo maritatum, Synoviam imprimis. & Partes vicinas Membranaceas inquinans, & affligens, primarius tortor eſt. *Prima hujus Acidi ſpirituoſi origo* eſt ex primis viis, quam potiùs ex depravatâ Digeſtione primâ cum Tachenio, quàm ex Pancreate aut Glandulis cum Sylvio, derivare placet: adeoque non in Pedum Articulis ipſam Podagram eſſe, rectè dicitur, ſed ejus ſolùm Fructum, cujus Radix habitat in Stomachi Fermento vitali; ita ut licèt dolens Pes abſcinderetur, Podagra proinde non ſanaretur: *Quod ſi maturè non occurratur Malo*, Acidum illud ſpirituoſum furtivè, & ſucceſſivè Acido Stomachi fermentativo ſe aſſociat, donec *Fermenti* more pedetentim hoc ſuperet; ita ut impoſterùm, nec naturali, nec artificiali ſeparationi obediat, adeoque inveteratum incurabile ſit, ut eleganter loquitur Tachenius *cit. loc. p.* 438. Hinc nempe

1. *Hæreditaria* obſervatur *Podagra*, cum Spiritu influo genitali odore Acido podagrico communicato Fœtui. *Nobilem curavi Juvenem*, qui ab ineunte octavo ætatis anno ſæpiùs Podagrâ correptus fuerat, quòd Parens ejus & ipſe inſigniter Podagricus in ipſo Paroxyſmo eum genuerat.
2. Hinc etiam *Animi Pathematibus* gravioribus aut diuturnioribus curata obſervatur Podagra, ut *ſubitaneâ Conſternatione*, aut *Irâ* inſigni, aut *Mœrore* diuturno, ut in Divitibus vel Pauperioribus factum: Conf. Bartholinus *Cent.* 6. *Hiſt.* 28. Lotichius *Obſervat. pagin.* 489. Salmuth *Cent.* 1. *Obſ.* 48. Tachenius *Morbor. Princip. pagin.* 356. Quô etiam pertinet *Tortura*, ex Hildano *Cent.* 1. *Obſervation.* 79. Nempe perturbatio Animi, & Spirituum peculiaris motus ac alteratio extinxit Fermentum podagricum, aut ſaltem plùs minùs alteravit illud, principaliter quidem in Stomacho primariò, qui cùm reliquis præſideat Digeſtionibus, & has exinde alterari neceſſe eſt: videb. Tachenius *c.* 1. *p.* 357. & 360. quantum nempe Animi Pathemata Fermenti digeſtivi & hinc Digeſtionis primæ negotium alterent; quô etiam *Confidentiam Ægri* erga Medicum vel Remedia pertinere per ſe notum eſt.
3. Hinc ut plurimùm etiam *Arthritici Nephritici eſſe ſolent*, eodem Acido ſpirituoſo utrobique autore.
4. Hinc *Lacticinia* Modernorum Methodo, ſed continuato uſu, ut invertantur quaſi Humores Corporis, Spiritus & Fermentum digeſtivum, *curant Arthritidem.*
5. *Vini abuſus*, volatilis Acidi ratione Spiritus imprimis afficiens, plures in hoc Malum præcipitat. *Obſervanda tamen differentia inter*

*Vina*; dum ea, quæ plus de Tartaro vel Acido facilè fermentante in nobis continent, nocentiora sunt. Quô alia Vegetabilia plùs minùs tartarea pertinent, ut rectè asserit Glauberus. Ex Spiritûs Vitrioli usu nimio Tachenius Podagræ ortum notat, in *Hipp. Chym.* Hinc

6. *Abstinentia Vini* contrà quosdam ab Arthritide liberâsse observata est: Videatur Sennertus *cit. loc. pag.* 16. Sic Lotichius *in Obs. pag.* 88. refert, Podagram ex Abstinentiâ per integrum annum cessantem, sed hujus copiosâ ingurgitatione recidivantem.

Ex eo est, quòd in Arthritide producendâ *tria ista* vulgò nota ceu *Causæ Remotæ principaliores* conspirare videntur; dum *Bacchus* ceu *Pater* Vini, quo innuitur nocivum Acidum, ex nimio abusu à Fermento stomachico minùs debitè superabile ac corrigibile; *Venus* ceu *Mater*, quatenus repetito congressu post copiosos Spiritus influos, Chylo temperato alcalino prædives sub Genituræ formâ Succus nutritius excernitur, & hinc Nervosum systema insigniter debilitatur; & *Ira*, ceu *Obstetrix*, commovendo Contenta Corporis & Spiritus influos asperiores reddendo, in producendo Arthritidis *Fœtu* occupata rectè dicuntur. Dictis ex Causis *& Viri magis*, *quàm Fœminæ Arthritidi obnoxii* dicuntur, cùm ex Hippocrate *Section.* 6. *Aph.* 29. *Mulieres* non laborent Podagrâ, nisi Menses deficiant: utut hodie contrarium experiri liceat, cùm secundùm Senecam non Natura, sed Vita Mulierum mutata sit.

Par ratio est *Eunuchorum*, quos nec Podagrâ laborare, nec Calvos fieri olim Hippocrates pronunciavit; item *Puerorum*, quos ante Veneris usum non laborare Podagrâ asseruit. Quæ ita quidem sub prisci ævi innocentiâ & temperantiâ obtinuerunt; hodie verò ex Parentum & Avorum vitiis ipsa progenies adhuc vitiosior nata, & ulteriùs exorbitans, dictorum veritatem eludit: Non secus ac *Ciconia* inter Podagræ Remedia relata, tamen & ipsa Podagrica observata in Bartholini *Act. Hafn. Volum.* 4. *pag.* 154.

*Scorbutici* quoque admodùm obnoxii sunt Podagræ, quæ subinde eos atrociùs affligit. Curiosum est, quòd *Contagiosa* interdum observata fuerit à Bartholino *Hist. Med.* idque mediantibus Vestibus in M. A. N. C. *Ann.* 6. *&* 7. *Observat.* 143. *pagin.* 205. *&* *Ann.* 9. *&* 10. *Obs.* 44. *pagin.* 118. *&* 119.

*Acido igitur arthritico spirituoso cum Spiritibus quavis occasione insigniùs commoto*, quod verbi gratiâ in motu Corporis aut Animi, Aëre frigido, humido, Pororum aperturam debitam prohibente, post Effervescentiam in Sanguine febrilem, imprimis se insinuat Synoviæ, & hujus medio Articulorum loca affligit, & cum hâc ipsâ simul aliqualem probabiliter Effervescentiam facit; donec Acido spirituoso maximam partem ab eâdem intra Articulos suscepto, ulteriùs illa Spiritum & Humorum cesset agitatio, sed in Articulis adhuc Malum hæreat, non citiùs cessans, quàm Acido spirituoso saturato ab Alcali, & in Salsum volatile mutato; hinc Dolore cessante, Fibrarum contractura cessat, & Pori aperti magis liberiorem Transpirationem permittunt, quô factô omnia reliqua Symptomata absunt.

*Sed observandum*, *crebriùs vel recurrentes Paroxysmos*, *vel diutiùs Articulos affligentes*, *relinquere sui Vestigia*, hoc est, ultra Partis dolentis debilitatem, ex Spiritûs insiti aliquali deficientiâ, obruti plùs minùs à spirituoso Acido peregrino, & Fibrarum nervearum relaxato Tono, ipsis Partibus membraneis solidis anteà dolentibus infixa permanere de Acido peccante occulta Spicula, quâvis & facili occasione ac motu in actum doloroſum excitabilia, & Spirituum reliquorum hinc factâ commotione, Paroxysmum novum provocantia. Nempe ex Acido isto podagrico, imprimis in Fermento digestivo Stomachi commoto, & hinc totum Corpus penetrante, anxia ista Præcordiorum Pathemata originem ducunt. Patet autem ex dictis, utut in quovis Paroxysmo debilitentur plùs minùs Articuli seu Partes Solidæ, Fluidas tamen, tam *Humorosas* quàm *Spirituosas*, eo ipso quasi depurari: si quidem non tantùm Acidum illud spirituosum Spiritibus satiatum, dum Synoviam inquinat, illorum Spirituum consortium plùs minùs deserit, sed etiam subinde alia Massæ Sanguineæ heterogenea Fermenta, febrili Effervescentiâ secreta, nunc unà circa loca dolentia colliguntur ex Fibrarum Partium dolentium contracturâ, nunc per Sudorem excernuntur in declinatione: sicut in incremento hi ipsi moderatè proliciti maturant Articulorum ab Acido podagrico invasionem, & hinc abbreviant insigniter Paroxysmi tempora.

*Hæc ipsa etiam patefaciunt*, *quare tam varia & mirabilia Pathemata subinde accidant*, Acido podagrico alias Partes, ac frequentissimè nervosos Plexus, occupante extra Articulos, quæ omnia superveniente Paroxysmo cessant: Videb. M. A. N. C. *Anno* 6. *Observ.* 208. *pagin.* 307. Sic Arthritidem in *Colicam*, & contrà, mutabilem refert Castro: *in Epilepsiam* gravem notat Lotichius: sicut Paroxysmo non ritè procedente, nec Acido volatili sufficienter excluso, vel ob internarum Partium defectum Spiritibus istis languentibus, & Acido podagrico nimis in Contentis Corporis dominante, vel ob Externorum ineptam applicationem, tam diuturna *Virium prostratio* & Languor & *Appetitus dejectus* supersunt: Interdum *Palpitationes Cordis*, sæpissimè *Tusses siccæ*, aut sæpiùs adhuc *Asthmata occulta convulsiva*, subinde ipsa *Mors*, superveniunt.

*Quoties Arthritici*, quibus plures Articuli aliàs occupari solent, Paroxysmo corripiuntur, qui *non more consueto* successivè Articulationes istas quoque occupet (nisi per Curam Præservatoriam Malum plùs minùs in radice mitigatum fuerit) ii vel diutiùs languidi permanent, vel brevi pòst novo Paroxysmo corripiuntur, vel alius gravioris Morbi, aut etiam Mortis ipsius periculum subeunt. Id quod notavit etiam Sennertus *de Arthritid. cap.* 4. ut & Hœferus *Herc. Med. pagin.* 222. Hinc in Podagricorum vel leviter confirmatorum, & aliis Morbis correptorum Curâ, *ad Acidum podagricum simul respiciendum* venit, quod in omnibus aliis Morbis Symptomata intendere, & Morbum vel graviorem aut contumaciorem reddere solet. Idque tamdiu ferè, donec vel ipsum vi Naturæ aut Artis correctum fuerit, aut Artus occupârit, quo facto omnia remissiora & leviora mox apparere solent. (L)

PRO-

(L) * (Arthritidis hanc descriptionem seu diagnosin accuratissimam ex Cæliô Aurelianô accipe.

Passionem articulorum instantem sequitur torpor atque formicatio eorum articulorum qui tangendi sunt, & difficilis flexio, atque rursùm extentio: Item gravedo, & otii dulcedo, & ad parvum motum vehemens labor, atque dormientibus sensus quidam resonantium articulorum, & cùm de somnô surrexerint,

## PROGNOSIS.

Ex hactenus enarratis *Prognoſeos* maxima dependebit ratio. Nam *Arthritis Morbus lethalis non eſt*: ſæpè enim Arthritici *diu vivunt*, Seneſque fiunt, unde quibuſdam *ſana Ægritudo* dicitur, & potius ex Podagrâ deficiente, quàm eâdem ordinariâ ratione ſuperveniente, moriuntur.

Quoties *Alvus* ſegnior eſt, & conſuetum Excrementum intra Pedum digitos non reperitur, & Crura intumeſcunt, Paroxyſmum inſtantem ſignificari dicit Tachenius *Morb. Princ. pag.* 172.

*Curatio ejus* perquam *difficilis eſt*, tam *in*, quàm *extra Paroxyſmum*, idque eò magis, quò magis *inveterata* fuerit: hinc quoniam ſæpiùs in primis Paroxyſmis negligitur, facilè ſucceſſivè incurabilis evadit.

Rhumelius eleganter diſtinguit inter *Podagram Hæreditariam Nodoſam*, & *Solutam*: & *hanc* curabilem, *illam* incurabilem ait. Sed tamen etiam *Soluta*, niſi recens, ſubinde inter incurabiles refertur.

Inter omnes Arthritidis ſpecies *Iſchiadicus Dolor* graviſſimus eſt: nihilo minùs tamen *in principio* faciliùs quàm cæteri curari ſolet; ſicut *in progreſſu* æquè rebellis eſſe ſolet.

*In Senibus* Arthritis incurabilis eſt.

Si Articulos *principio Nervorum proximos* afficit, & graviora Symptomata conjuncta habet, difficiliùs curatur, & ſæpè Mortem portendit: videb. Sennertus *loco alleg. pagin.* 25. & Drawizius *de Scorbuto p.* 22.

Si in Arthritide *contingat Luxatio*, difficulter ſanatur, aut prorſus inſanabilis eſt, Membranis & Ligamentis nimis laxatis, repoſitum Membrum Membranis & Ligamentis non firmantibus. Ut taceam intra Articulos ex Synoviâ coagulatâ collectam Materiam Curam impedire: Hinc Hippocrates *Sect. 6. Aph.* 39. *Quibus diuturno Coxendicum Dolore infeſtatis Coxa excidit, rurſumque incidit, iis Mucores ſuperveniunt.*

Si Dolores ſenſim ingraveſcentes *ad Jugulum* & ſuperiores partes tranſeunt, perniciem minantur: Item *quò plura* & frequentiora conveniunt *Symptomata*, eò difficiliùs curatur: ut fit, quando ab Externis Repellentibus aut Stupefacientibus Ægri in Anxietates, Aſthma, Colicam, Epilepſiam, Convulſiones, Palpitationem Cordis, Lipothymias, aut alia Mala incidunt.

*Dolor Iſchiadicus* quidem acerbiſſimus eſt; in principio tamen ſui interdum reliquis Arthriticis Doloribus faciliùs ſanatur: ſicut temporis progreſſu Femoris Luxationem, Claudicationem, & Atrophiam inducit; quod ſimiliter in Arthritide Vagâ attendendum: videb. Drawizius *de Scorb. pag.* 23.

*Solvitur Arthritis* ferè quatuor *modis*:

1. Ordinariò ferè in totum finito Paroxyſmo *diſcutitur* Morbus in Articulo, ut nullum ſui relinquat veſtigium, niſi ſucceſſu temporis ſuperveniant Tophi.
2. Rarum eſt, quando Tumor podagricus *in Materiam ichoroſam aut Saniem purulentam mutatur*, quæ Partibus intercutaneis eroſis foràs exſudat.
3. Quando *Tophi* poſt Paroxyſmos *relinquuntur*.
4. Quando incipiens Paroxyſmus ſua Tempora non abſolvit, aut planè deficit, *Acido podagrico alias Partes extra Articulos occupante*: id quod peſſimum eſt, & mille Mala poſt ſe trahit. (M)

## CURA.

ſurrexerint, veluti ſaltû earundem partium afficiuntur. Tum horror, vel rigor, atque tremor, ſine ullâ manifeſtâ ratione partium ſequuntur. Dehinc cùm paſſio ſe extollere cæperit, (*ſeu manifeſtiùs declarare*) in podagricis dolor alteriùs pedis, aut utriuſque cum punctionibus naſcitur, incipiens à veſtigiô, aut è plantæ cavitate, vel ſæpius à majore digitô, atteſtante torpore, gravedine, & difficili motû, cum horrore rigidô, atque inæquali per membra, & aliquando plurimô fervore, aliquando frigore, ut alii refrigerantia, alii calida deſiderent ægrotantes, & propterea quidam calidam unam, alteram frigidam podagram putaverunt nuncupandam. Item initiô, ut ſæpe contigit, ſimilis color patientium, atque ſanarum videtur partium, atteſtante æqualitate, nullô emergente tumore; dehinc inflatio fit partium cum rubore. Tum pejorante paſſione arthriticâ, (*ſeu ſtatum ſuum adeptâ*) in unum omnium cogitur articulorum conſenſus, & facilè ex articulô in articulum venit dolor, nec deſinit priuſquam cunctos invaſerit nodos. Sæpe quoque prioris articuli dolore declinante, ſecundus invaditur, atque eôdem ſimiliter miteſcente, tertius ſumit exordium; conſentiente etiam veſicâ, atque ſpinæ majoribus nervis, quos τένοντας appellant: & in ſtomachô etiam nauſeâ, vel vomitû jactantur ægrotantes. Tunc articuli tumentes inflantur, ac deinde dureſcunt, & ſolidati ſaxeam faciunt qualitatem: tum etiam nigriores efficiuntur, atque contorti, ut in obliquas partes digiti vertantur, ac reflexi ſupinentur, aut vicinis adfixi incumbant, & aliquando humore purulentô, vel mucilentô collectô, aut viſcoſô generent tophos; dehinc etiam lapides ſufficiant, qui articulos ſolvant, & cutem diſtendant, atque erumpentes promineant, ac chirurgiâ detrahantur, aut exilientes ambiente articulum membranâ, ferramentô tollantur, & rursùm renaſcantur. Tum membra dolentium partium, ceſſante nutrimentô, tenuata langueſcunt, & arida efficiuntur. Erunt præterea ægrotantes parvis ex cauſis mobiles, atque iracundi, ſiquidem motum vel actum non ſine querelâ accipiant.

(M) Nota Cyrilli. Dominus Muſgrave *Diſſertatione peculiari* de Arthritide Anomalâ, ſive Internâ, *notat* Arthritidem, *aliam eſſe* Regularem, *quâ humores ad artus deponuntur*, *aliam* Anomalam, *quâ humores vel non deponuntur*, *vel depoſiti iterum in Sanguinem reſorbentur. Utrumque maximo Ægrorum malo*; *nullus enim Morbus eſt*, *qui ex Arthritide hâc Anomalâ oriri non poſſit*, *prout nempe humor*, *qui excedentem acrimoniam plerumque præ ſe fert*, *vel non depoſitus*, *vel repulſus*, *in hanc vel illam Corporis partem irruit. Prior Anomalæ Arthritidis ſpecies*, *cùm humores non deponuntur*, *difficilis cognitionis eſt*; *ſecunda ex retropulſione cognitu facilis. Hujus* Curatio *conſiſtit* 1. *ut humores repulſi ex parte evacuentur*, *Catharticis*, *Venæ ſectione*, *Diaphoreticis &c.* 2. *ut ex parte affectâ versùs Artus*, *iterum propellantur. Id præſtare ait* Muſgrave *Vinum præcipuè*, *hinc Theriacam*, *Mithridatium*, *Spiritum Cornu Cervi*, *Succini*, *Urinæ & ſimilia. Commendat item Ferri rubiginem quandam*, *ex repetitâ Urinæ aſperſione elicitam. Topica item Artubus applicat*, *ut Gummi Carannæ*, *Fermentum panificium*, *Semen Sinapi*, *Allium*, *Rutam*, *Stercus Columbinum*, *contrita & Aceto miſta*, *ut Tumor excitetur.*

Non

## CURA.

Quoad *Curam*, *duo* reſpicienda ſunt *Tempora*.

1. *Tempus Paroxyſmi*, ut curetur.

2. *Tempus extra Paroxyſmum*, ut præſervetur.

*Quoad Paroxyſmi Tempus*: cum in hoc imprimis *Motus Naturæ* vigeat, cujus impetu ille excitatur, unde ex deficiente Naturæ robore deficientibus Paroxyſmis, Ægri in periculoſo ſunt ſtatu; ob id non ſiſtendus, ſed *promovendus*, Impedimenta removendo, Acidi ſpecifici vim maturè infringendo, urgentia nimis *Symptomata* mitigando, ſemper ſimul pro legitimâ Remediorum adminiſtratione *quatuor particularia Morborum Tempora* attendendo: Adeoque

I. *Ingruente Podagrâ Vomitus* convenit, ſed præmiſſo *Digeſtivo* Abſorbente ex Lapidibus Cancrorum præparatis, Oſteocollâ, & Sale Tartari. Nam Acidum ejus oritur in Stomacho: Hinc imminente Podagrâ, Appetitus ſine manifeſtâ causâ eſt proſtratus, & Sudores conſueti aliàs ſponte ſupprimuntur. De quo *Vomitûs* uſu vid. Hildanus *Centur.* 6. *Obſervat.* 84. Mercatus *de Morb. Intern. lib.* 4. *c.* 18. Riverius *Prax. lib.* 16. *cap.* 1. & Sylvius *in Praxi Tractat.* 8. §. 152. 154. & 156. Sin minùs Vomitus inſtitui queat, *Purgantia blanda*, ſed miſtis Temperantibus Acida, verbi grat. Oſſibus humanis præparatis, vel calcinatis, &c. in primo principio inſtituta, conducunt; aut ſi, præter *Clyſmata*, in curſu Paroxyſmi aliquid peragendum, Infuſum Sennæ paſſulatum, aut Pilulæ Aloëticæ ſaltem, vel ſolæ, vel cum Appropriatis propinentur, ad imitationem Tachenii *loco allegat. pagin.* 439. Vel Paſſulæ Laxativæ, Pruna Laxativa.

Vel

℞. *Crem. Tartari*,
*Salis Abſinth.*
*Arcan. duplicat.* an. gr. viij.
*Diagrid.* gr. iij.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis Arthriticus Laxativus.

Vel

℞. *Conſ. Roriſm.*
*Salviæ* an. ʒvj.
*Pulv. Antipodagr. purg. Parac.* ʒiß.
*Mag. Jalapp.* ℈ß.
Cum *Syr. de Spin. cerv.*
f. Electuarium
D. S.
Electuarium Arthriticum Laxativum pro aliquot vicibus.

Aliàs Purgantia quælibet vitanda, utpote quæ in Paroxyſmo magis nocent, quàm proſunt; *Æger* enim, ut monet Hartmannus *in Prax. Chymiatr. cap.* 32. §. 2. *in Paroxyſmo Medicamentis Purgantibus non defatigetur, ſed afflictione liberetur.* Sanè in Arthritide, id quod peccat, purgando minùs aufertur, ſed Contenta turbantur, Spiritus irritantur, & Malum exaſperatur: Conf. Tachenius *loco allegat. pagin.* 149. & 151. & Sennertus *Tractat. de Arthrit. quæſt.* 11. *pagin.* 104. *In Statu* tamen *Paroxyſmi*, ubi Malum contumaciùs in Articulis hæret, ac Febris & alia Symptomata planè intermiſerint, *Purgatio blanda* inſtitui poteſt ad imitationem Riverii per Mercurium dulcem & Scammonium ſulphuratum: vel Mercurius dulcis miſceatur cum Aloë; vid. Velſchius *Mictom.* 4. *Cen.* 1. *annex.* M. A. N. C. *Anno* 4. & 5.

Vel

℞. *Maſſ. Pilular. de Trib. Rufi.*
*Extr. Hellebor. nigr.* an. ℈ß.
*Turb. Mineral. cum Spiritu Sulphuris par.* gr. i. ii. vel iij.
M. f. Pilulæ S.
Pilulæ Arthriticæ Purgantes.

Laudatur etiam Radix Bryoniæ ad ʒß. in Infuſo, vel ejus Syrupus ad ʒß.

II. *Opiata* ſunt nunquam ferè proficua, nec *internè*, nec *externè*; ſic enim Malum contumacius reddunt, utut Dolores remittant, motumque Naturæ impediunt, & ut vocant, conſervant Podagram in Corpore. Imò *abuſus Opiatorum* ad Paralyſin Arthriticos diſponit: videb. M. A. N. C. *Ann.* 4. & 5. *Append. pagin.* 335. Adeoque cautè uſurpentur, nec, niſi præmiſſis *Univerſalibus*, nec niſi adjunctis *Purgantibus*, aut *Sudoriferis*, aut *Specificis*: Vid. Hildanus *Cent.* 6. *Hiſt.* 85. Platerus *Prax. Tom.* 2. *capit.* 17. & Riverius *Prax. lib.* 16. *capit.* 1. Suſpicor tamen, commodè propinari poſſe eadem ingruente Paroxyſmo, præmiſſo Vomitu cum ſpecifico Sudorifero. *Quoad miſtionem cum Purgantibus*: illuſtrant hoc *Pilulæ Antipodagricæ Rhumelii*, quas vocat: *Veni Amice, ſurge & ambula.*

℞. *Maſſ. Pilular. Aloëphang.* ʒij.
*Laud. Opiat.* ʒß.
M. f. Pilulæ.
div. in 4. part. æqu.

Quarum una pars in Vino aſſumenda & tribus vel quatuor horis Jejunium imperandum. (N)

Conferatur etiam quoad Opiatorum uſum Velſchius *Hecat.* 2. *Obſervat.* 27. *Miſtio verò cum Diaphoreticis* etiam vulgò nota eſt; inter quæ Salia volatilia blanda, & Spiritus ſalino-volatiles, Opiatis miſta, qualia ſunt Spiritus Salis Ammoniaci, Spiritus Cornu Cervi, Cranii humani, item Spiritus Tartari volatilis, proliciendo Sudorem præ cæteris conveniunt. Præter hæc, Fixa Acidum abſorbentia, uti Oſſa Microcoſmi præparata, Antimonium Diaphoreticum, Cinnabaris Antimonii, Bezoardicum Solare, &c. optimè conducunt, imprimis ſi Sal volatile Cornu Cervi aut Viperarum aut Sanguinis humani addantur. Et quidem cum ſubinde apud nos *radix Podagræ ſit à Scorbuto*, his commodè Spiritus Lumbricorum terreſtrium per fermentationem paratus, item Eſſentia contra Arthritidem Vagam, item Spiritus Cochleariæ, &c. iſtis Diaphoreticis adduntur. Hæc enim Volatilia & Fixa Acidum vitioſum abſorbent; Opiata verò Dolorem temperant: v. g.

℞. *Lapill. Cancr. præp.*
*Arcan. dupl. Mynſ.* an. gr. xij.
*Salis vol. Succin.* gr. vj.
*Laud. Hyſter.* gr. iij.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis Arthriticus Sudoriferus pro unâ vice.

Vel

*Non reticebo hoc loco nobile & expertum* Remedium ad Podagram urgendam *in iis, qui etſi huic malo obnoxii, eò tamen non tentantur, non ſine maximâ corporis moleſtiâ.* Viperas *decorticatas, exenteratas ac minutim inciſas deſtilla S. A. vitreo alembico. Spiritus hic ad cochleare ſingulis diebus jejuno ſtomacho exhibeatur per ſeptimanam & ultrà.*

(N) Nota Cyrilli. *Vereor ne Amicus Somno (& fortaſsè inexpergeſcibili, ob grana ferè octo Laudani opiati aſſumta) ſepultus, jaceat potiùs, quàm ut poſſit ſurgere & ambulare, ut lepidè jubet* Rhumelius, *exhibitis ſuis* Pilulis, *quas vocat* Veni Amice ſurge & ambula.

Vel

℞. *Theriac.* ʒß. ad j.
*Salis Abſinth.* ʒj.
Sumatur in hauſtu *Vini* pro Sudore.
D. S.

Electuarium Sudoriferum pro unâ vice.

Vel

℞. *Aquæ Fœnicul.*
*Card. bened.* an. ℥iß.
*Spiritûs Lumbr. terr. per putr.* ʒiß.
*Sal. Ammoniaci*
*Mag. Corall. cum Succ. Citr.* an. ʒß.
*Laud. Opiat.* gr. ij.
*Syr. Cort. Aurant.* ℥ß.
M. S.

Potio Arthritica Sudorifera.

III. *Venæſectio* in Arthritide, quà tali, inutilis eſt; quin ſine neceſſitate aut intempeſtivè adhibita potiùs multum nocet, Vires debilitando, & Naturæ motus ad Articulos impediendo, ut obſervavit Becherus *Phyſ. ſubterran. lib.* 1. *pag.* 493. Adeoque non niſi Plethoricis, aut quibus inſigniter Sanguis bullit, idque ſaltem in principio, antequàm plures Articuli perfectè jam occupati ſunt, eadem interdum locum habet; Vid. Crato *apud Scholtz. Conſ.* 239. Mercatus *l. a.* Riverius *Obſervat.* 9. à Marſino *communic. pag.* 295. Sydenham *de Podagr. pag.* 35. & Williſius *de Anima Brut. lib.* 2. *cap.* 14. Loco Venæ ſectionis quidam in uſu habent, ut ſub incremento Dolorum *Cucurbitulas ſcarificatas* adhibeant, hinc loco ſcarificato Sal commune probè toſtum adſpergunt, auxilio quidem doloroſo, ſed interdum proficuo. Probè tamen obſervandum, ubi affigantur Cucurbitulæ, & Inciſiones fiant, ne Tendines aut nerveæ Membranæ ſub Cute deliteſcentes periculosè lædantur: ac ſanè in profundiore vulneratione aut aperturâ nos abſtrahere debent ea, quæ habet Hœferus *in Herc. Med. lib.* 4. *cap.* 1. *pag.* 220. In Dolore autem Iſchiadico in principio Paroxyſmi Venæ ſectio utplurimùm neceſſaria eſt, præſertim ſi Dolor cum Pulſatione eſt conjunctus: (vid. Poterius *Cent.* 3. *Curat.* 94.) idque ferè in Crure dolente, ſi fieri poteſt commodè ad derivandum, rariſſimè in Brachio ad revellendum, nec niſi in ſummè Plethoricis, aut ubi aliæ Circumſtantiæ id urgeant. Et quidem ſi Dolor in Crure magis extrorſum vergat, ſecanda Vena ad Malleolum externum, ob uſum inſignem *Iſchiadica* dicta; ſi verò Dolor magis introrſum vergat, Vena *Saphæna* aperienda. Quando autem Venæ ſectionem non inſtituere volumus, commodè ejus loco in Lumbis poteſt Scarificatio inſtitui. Conferatur de Venæ ſectione & Cucurbitularum & Articulorum applicatione in Malo Iſchiadico Sanctorius *in Method. vitandi Error. pag.* 189.

IV. *Alvus* ut plurimum *ſegnior* in Paroxyſmo eſſe ſolet, & qui Purgantibus vix auſcultat, & hinc Dolorem, Febrem & anxietatem Præcordiorum ferè intendit: adeoque *Clyſmata* Emollientia & Abſtergentia ſunt optima; vel uſurpentur Pilulæ Aloëticæ ſaltem, vel alia blanda Laxantia, de quibus *ſuprà*.

V. His ita pro Circumſtantiarum circa Ægrum ratione probè variè determinatis, in Paroxyſmo utramque faciunt paginam *Abſorbentia*, ſeu Acidum invertentia, & blandâ *Diureſi* ac *Diaphoreſi* imprimis ſucceſſivè ejicientia. Siquidem ex Cratone refert Sennertus: *quam primùm intùs Sudor detinetur aut imbibetur, maximè ſi conſuetus foret, imminet Paroxyſmus podagricus*; adeoque ex oppoſito ſummè proficua erunt Diaphoretica. Conveniunt autem tam Fixa, ſi in primis viis adhuc perſiſtat alteratio, in Principio & Incremento; quàm Volatilia, ſi jam Malum ſit in Articulis, præſertim in Statu. *Illa* ſunt Partes Animalium duræ, Oſſa Microcoſmi præparata, quæ commendat Tachenius *l. a.* Salia fixa Antimonialia, Antimonium Diaphoreticum, Bezoardicum Solare, & Cinnabarina, &c. imprimis ſi cum Sale volatili Cornu Cervi, aut Viperarum, aut Sanguinis humani acuentur: ex. grat.

℞. *Corall. rub. præp.* ʒj.
*Cinnab. Antimonii* ʒß.
*Salis vol. Cornu Cervi* ʒj.

cum vel ſine *Laudano Opiato* in Statu Paroxyſmi.

*Hæc* verò ſunt Salia, & Spiritus Urinoſi volatiles, quos inter Spiritus Cornu Cervi, Cranii humani, Spiritus Tartari volatilis, Spiritus Carminativus, item Spiritus Salis Ammoniaci, proliciendo Sudorem, præ cæteris primatum ducunt. Quin Decocta Lignorum temperatiora, in ſpecie ex Radice Sarſæparillæ, Chinæ, Bardanæ majoris, aut Ligno Juniperino parata & ſubinde propinata, commodiſſima ſunt: Sic Salmuth, *Cent.* 3. *Obſ.* 74. refert Podagram Hæreditariam univerſalem, Decocto Lignorum curatam; item Riverius *Cent.* 2. *Obſ.* 50. Dolores Arthriticos contumaces per Decoctum Lignorum curatos refert. Et quidem, cum ſubinde apud nos Radix Podagræ ſit à Scorbuto, his commodè Spiritus Lumbricorum terreſtrium per fermentationem paratus, item Eſſentia contra Arthritidem Vagam, item Spiritus Cochleariæ, &c. iſtis Diaphoreticis adduntur. Huc facit quoque *Trifolium aquaticum* ſeu paluſtre, quod in Cereviſiâ coctum & uſurpatum mirè Arthriticos juvat: M. A. N. C. *Ann.* 4. *Obſervat.* 123. tam curandi quàm præſervandi ſine uſurpatur: Sic Petrus Johannes Faber Arthriticis Antiſcorbutica cum ſucceſſu dedit, nempe Succum Cochleariæ & Anagallidis aquaticæ cum Spiritu Vini tartariſato: Videatur Velſchius *l. a. Obſervat.* 45. De Sudoriferorum uſu conferatur Hildanus *Cent.* 5. *Obſervat.* 53. & *Cent.* 6. *Obſervat.* 32.

VI. Quoad *Topica* ſeu externè applicanda, Obſervandum:

1. Quòd *non debeant eſſe Adſtringentia, Auſtera, Acida, aut Cuti ejuſque Fibris moleſta*, quæ harum contracturâ & clauſurâ Malum potiùs exaſperant, Tumorem & igneum Fervorem magis accendunt, *Repellentia* ob id dicta; unde quælibet rejicienda.
2. Non niſi *præmiſſis Univerſalibus* locum habent, adeoque non maturanda earum admotio, cùm vix præter quàm in fine Incrementi aut Statu Paroxyſmi, Articulo ſint applicanda.
3. Sint talia, quæ & *Acidum blandè* (hoc eſt, ſine Efferveſcentiâ excitatâ) *corrigere*; illud in Salſum mutare, & hinc Tranſpirabile reddere, ac ſimul Dolorem ſuaviter lenire poſſunt; unde hîc *Anodyna* (Narcotica enim quantum poſſibile fugienda, vid. Mercatus *l. a.* & Sydenham *pag.* 114. & 118.) ibi *Diſcutientia* dicta locum habent, utrobique *Alcalia temperata* ſunt optima.
4. Habeatur ſimul *eorum Delectus debitus*, conſiderando & cætera Dolori adjuncta Symptomata, Ardorem, Tumorem, Ruborem &c. utut, quoad Externa talia, certi quid pro quovis Subjecto univerſaliter determinari nequeat, quia uniuſcujuſque ferè Ægri ſpecialis Idioſyncraſia multùm variat, adeoque huic auxilium fertur à Remedio, à quo alius detrimentum capit.

Ex innumeris pauca annotâſſe ſufficiat: Nempe

in

in *Podagrâ Calidâ* Aqua Spermatis Ranarum legitimè deſtillata calida, vel Sperma Ranarum per tranſcolationem depuratum cum aliquot granis Camphoræ, vel pauco Spiritu Salis Ammoniaci ſimplicis miſtum, & in ſtatu applicatum: vid. Tachenius *in Hipp. Chym. cap. 19. pag. 148. Ejuſdem Clave pag. 204. & Princ. Morb. pag. 193.* ubi modus procedendi & cautelæ habentur: Item Spiritus Cancrorum fluviatilium non adeò exactè rectificatus, Aqua Articularis ad extrà, Magnanimitatis, Spiritus Lumbricorum terreſtrium, Spiritus Formicarum, vel per ſe, vel cum Spiritu Lumbricorum miſtus, Spiritus Vini crocatus & camphoratus, præprimis à Roremarino rectificatus, item Spiritus Vini camphoratus cum Sacchаro Saturni, Spiritus Theriacalis camphoratus, Spiritus Urinæ, Spiritus Salis Ammoniaci cum Spiritu Vini miſtus, aut Miſturæ ex Calce vivâ & Sale Ammoniaco affundatur Spiritus Vini, & huic deſtillato addatur Camphora; ſic optimum habebitur Specificum in Inflammationibus Podagræ. Hæc Acidum Podagricum doloroſum & Ardores potenter extinguunt, & ſic Arthritidem cum Inflammatione junctam tollunt: e. g.

℞. *Aquæ Artic. ad extr.* ʒvj.
*Spiritûs Sal. Ammoniaci* ʒij.
M. S.
Aqua Articularis ad extrà.
Applicetur, præmiſſo Fotu ex Lixivio Coriariorum.

Vel

℞. *Aquæ Artic. ad extrà* ʒij.
*Spirit. Lumbric.* ʒj.
*Sal. Ammoniaci* ʒiij.
M. D. S.
Spiritus ad extrà.

Elegans exiſtimo Remedium, quod commendat Lindanus.

℞. *Fl. Sambuc. contuſ.* q. v.
Injice Ollæ recenti, donec exactè plena ſit: hanc benè clauſam ſub terrâ defode, donec Flores in Liquorem abierint: ſed neceſſe eſt, ſtent per aliquod tempus donec Flores computruerint.

Hunc Liquorem calidè cum Linteo applica, egregiè compeſcit Dolores. Egregium etiam in Eryſipelate dicitur Remedium.

Alii recipiunt *Flores Verbaſci*, iiſque Ampullam vitream replent, & orificio obturato Soli exponunt; ſic enim in Liquorem diſſluunt, qui cum Linteo Parti affectæ impoſitus, Dolorem lenit. *Res eſt mirabilis & expertiſſima in omni Dolore Podagrico ſiſtendo*, dicit Bajus. Et credo, quòd Liquor talis propter Acidum temperatum, Putredinis motu extraverſum, multùm proſit pro uſu externo. Idem dicitur de Liquore *ex Radice Vitis albæ* raſæ ſeu Bryoniæ, ſimili ratione, aut ex Radice excavatâ, & proprio operculo tectâ, parato, qui locis podagricis illitus egregiè confert; ſicuti etiam cum *Floribus Hyoſcyami* eodem modo Liquor ſummè Anodynus haberi poteſt. Vel Flores Sambuci in Lacte cocti pro Fotu ſubinde applicentur. Porrò *Folia Valerianæ majoris* recentiùs impoſita, & ſubinde renovata, aut *Folia Bardanæ majoris* ob Sal nitroſum conquaſſata non nihil durioribus Nervis & Parti molliori impoſita egregium levamen afferre obſervavi. *Lac* & omnia *Lacticinia*, Alcali oleoſo turgida, itidem mitigant Dolorem & Ardorem, præſertim quando cum Hyoſcyamo ſimul ebullierint; hinc uſitatiſſimum eſt *Cataplaſma*, factum ex Medullâ ſeu Micâ Panis (*Semmel*) in Lacte decoctâ, additis aliquot Ovorum Vitellis cum Croco; & Cataplaſma ex Floribus Chamomillæ & Lenticulâ aquaticâ, in Lacte decoctis, cum Farinâ Hordei applicatum: cui & inſerviunt Melilotus cum Malvâ & Althæâ, Origanum, Satureja, Artemiſia, Betonica, Lavendula, &c. e. gr.

℞. *Medull. Panis tritic.* ʒiij.
*Pulv. Rad. Alth.*
*Flor. Chamom.*
*Far. Fabar.* an. ʒß.
*Far. Sem. Lini*,
*Fœnugr.* an. ʒiii.
Coqu. in ſ. q. *Lactis* ad conſiſtentiam Pultis, adde
*Ungu. Anod.* ʒj.
*Balſ. Sapon.* ʒij.
*Vitell. Ovi* Num. j.
M. f. Cataplaſma.
D. S.
Cataplaſma Dolorem ſedans.

Hinc *Caſeus Ovillus* recens planè impoſitus egregium lenimen præſtat. Item optimum malagma præbet vetus & vermiculoſus Caſeus cum Jure, in quo Perna ſuilla ad tabem decoxerit, quod Articulorum etiam Tophis multum prodeſſe dicitur. *Caro bubula*, Alcali ditiſſima, Lacti & prædictis ferè omnibus præfertur; hujus enim fruſtum crudum ſine pinguedine Partem dolentem ſuperligatum mane & veſperi mutatum, feliciter Dolores compeſcit, locum nigredine conſpurcatum relinquens. Inſuper Pulvis Radicis *Conſolidæ majoris* cum Aquâ communi in Pultem coctus, quæ minimi digiti craſſitie loco dolenti applicata, Podagram novellam invaſionemque primam optimè mitigat; Vid. Tachenius *Morb. Princip. pag. 198. & ſeqq.* Hinc Stercus bubulum, & quod præſtantius, Stercus humanum optimè Dolores hos ſiſtunt. Cataplaſmate ſequenti Hillerus feliciter uſus fuit, quô unâ nocte Dolorem & Tumorem in Genubus & Pedibus maximum curavit.

℞. *Sterc. Bovis* ℔j.
*Aquæ Roſar.*
*Veron.* an. ʒij.
*Album. Ovi, cum fruſto Alum. conquaſſ.* No. j.
*Croci* ʒj.
*Camph.* ϑj.
Miſc.

Facit huc etiam *Urina humana*, præſertim nonnihil putrefacta, egregia anodyna, vel per ſe, vel cum adjecto Cinere communi ex Balneo deſtillata; vel Aqua Abſorptiva ex Salis Ammoniaci pulveriſati & Alcali Tartari ana in Aquâ ſimplici ſoluta: vid. Tachenius *l. a. pag. 197.* Hinc Cnœffelius in uſu habuit Extractum Caſſiæ fiſtulæ cum Spiritu Vini Parti affectæ imponendo: ſicut & Stercus hircinum cum Urina Ægri ſubactum, & inſtar Cataplaſmatis applicatum, egregiè convenit. Vel recipi poteſt Urina Vaccæ menſe Majo, & imponi Pedes aliquamdiu: dein imponatur Emplaſtrum Norimbergenſe, vel, quod melius, Emplaſtrum de Alcalibus *Tachenii*, cum vel ſine Camphorâ pro Circumſtantiarum ratione, vel Emplaſtrum de Spermate Ceti. Denique *Calx viva* propter ſuum Alcali hîc locum habet: nempe ſi Aquæ Calcis vivæ imponantur Pedes, extrahit Dolorem, & reſolvit Tumorem. Item Urina, in qua Calx viva extincta eſt, applicata benè convenit, loco cujus Urina vetuſtior uſurpari poteſt. Sunt, qui ceu ſingulare Remedium Podagricum laudant, recipiendo Spiritum Vini ſepties vel octies ſuper Sale Tartari rectificatum, affundunt hunc Calci vivæ, abſtrahunt fortiter; hinc enim Spiritus Vini vim ſubtiliſſimam & penetrantiſſimam

Tartari

Tartari Articulorum reſolutivam acquirit, &, ut per Sudorem poſſit evacuari, hunc diſponit. Quòd ſi Spiritus hic accenſus deflagret in Cochleari, relinquit Pinguedinem butyroſam, & ipſam pro illitione contra Podagram admodùm accommodatam, meliorem, quam ipſe ferè Spiritus, qui citra metum applicari poteſt. Hauptmannus miſcet Tincturam Tartari acerrimam cum Saccharo Saturni, quô, tanquam Arcano in Podagrâ, affectum locum illinire jubet, & mirandos effectus promittit. Denique *Suffitus* iſte ex Decocto ſcobis Corticum Ligni Abietini & Querni Coriariorum, cum Urinâ humanâ, egregius ad quamcunque Arthritidem eſt, ut Partes affectæ eo foveantur; hôc ipsô enim Comes quidam à Podagra contractus factus, reſtitutus dicitur: vid. M. A. N. C. *Ann. 6. & 7. Obſerv.* 229. Forſan Lotio cum ipſo Decocto non eſſet incongrua:

Vel

℞. *Lixiv. Coriarior.* ℔ij.
*Urinæ human.* ℔iij.
M. S.
Fotus ad extrà.

Pertinent huc *Saturnina*, in ſpecie Saccharum Saturni cum Appropriatis applicatum: nempe Solutio ejus in Spiritu Vini aut Spermate Ranarum, addita paucâ Camphorâ. Hinc quidam Emplaſtrum de Spermate Ranarum ritè paratum copioſiore addito Saccharo Saturni, non ſine effectu applicant. *Curavi Virum*, qui habuit Dolores Arthriticos in Genu cum aliquali Rubore erysipelaceo, cui optimè conferebat Emplaſtrum de Spermate Ranarum, cum copioſo Saccharo Saturni: cùm denuò poſſet ambulare, pro Spinâ infixâ evellendâ ordinavi Aquam Arthriticam ad extrà cum Spiritu Salis Ammoniaci, optimè habebat per quinque vel ſex dies: Sed abuſu hujus Spiritûs recrudeſcebat Paroxyſmus & intenſior fiebat à Spiritu. Pertinent huc Emplaſtrum ex Alcalibus *Tachenii*, & Emplaſtra bina *Barbette* multum laudata ad Podagram, tam Calidam quàm Frigidam *lib. 1. cap. 4.*

Fugienda ſunt nimis *unctuoſa Pinguia*, quæ Poros oblinendo Malum ſæpiuſculè potiùs exaſperant, & inſenſibilem Tranſpirationem inhibendo, tandem contumaces *Contracturas* inferunt, unde loco Unguentorum *Emplaſtra* varia *Nervinis* conſtantia, & *Cataplaſmata* dicta calidè adhibenda ſunt. Hæc ipſa tamen ſæpiùs renovanda, ne actuali ſuo Frigore poſtmodùm ſtricturam Pororum inferendo, Malum exaſperent.

Quoad *Podagram Frigidam* ſic dictam: Spiritus Vini cum Spiritu Salis Ammoniaci, præſertim cum Calce vivâ parato, convenit. Sapo Venetus uti in quâvis Podagrâ, ita in ſpecie in Frigidâ laudatur: Nempe Volatilibus ſubinde ſunt jungenda Oleoſa quaſi ferventia, v. gr. deſtillata Tacamahacæ, Fuliginis, Tartari, &c. rectificata. Recipiatur *Sapo Venetus*, ſolvatur *in Spiritu Vini & Aquâ Sambuci*, & ita illinatur cum Plumâ Parti dolenti. Vel ad imitationem *Doctoris* Michaelis:

℞. *Sapon. Venet.* ℥iß.
*Camph.* ʒvi.
*Croci* ʒß.
*Spiritûs Lumbricor. terreſt.* q. ſ. pro ſolutione.
Miſc.

Quâ illinantur cum Pennâ Partes dolentes calidè. Coincidunt hæc cum *Balſamo Antipodagrico Rhumelii*:

℞. *Coag. Sulphuris Animalis & Alcali*,
id eſt, *Sapon. Venet.* ℥j.
*Gum. mercurial. & ſulphureæ naturæ*,
id eſt, *Camph.* ℥ß.
*Quint. Eſſent. Vegetabilis*,
id eſt, *Spirit. Vini* q. ſ.

Digerantur, & ſeparatis fæcibus reliquiæ ad uſum reſerventur, & cum Linteis Parti dolenti applicentur.

Siquidem in formâ liquidâ quæ adhibentur, majorem ſæpè & tutiorem effectum relinquunt. Loco Spiritûs Vini meliùs recipitur Spiritus Lumbricorum terreſtrium.

Alii Saponem Venetum liquefaciunt cum Spiritu Vini ſuper carbones, addito Oleo Juniperi & Petroleo, faciunt Unguentum & applicant.

In ſpecie Oleum deſtillatum Saponis Veneti eſt potens Remedium, præſertim in Arthritide Frigidâ; hinc etiam in Dolore Iſchiadico egregium eſt idem. De uſu ejus polychreſto in Doloribus Podagricis videb. Horſtius *libr. 2. Obſervat. 23.* Sicuti Præparationem ejus cum additâ Calce vivâ & Camphorâ idem deſcribit *lib. 8. Obſervat. 2.* Oleum Petroleum, in quo decocta eſt Radix Hellebori nigri, laudatur ab Hartmanno *in Prax. Chymiatr. ubi de Arthritide* §. 14. & confirmatur ceu expertum à Lindano, uti & Balſamum Peruvianum cum Vitello Ovi, & Aquâ Articulari, ſeu Spiritu Lumbricorum miſtum. Aliàs convenienter uſurpantur Tacamahaca vel Caranna, malaxata cum Oleo Succini; Emplaſtrum ex Pice, ac *Poterii* ex Pice navali & Sulphure; vel Emplaſtrum Diaphoreticum *Mynſichtii*, malaxatum cum Oleo deſtillato Tartari fœtido, vel Succini applicatum eſt egregium.

Vel

℞. *Empl. Diaphor. Mynſ.* ℥iß.
Liquefacto adde
*Theriac.* ℥ß.
Malax. cum *Ol. Philoſophorum* vel potiùs cum *Tartari fœtido*:
D. S.
Emplaſtrum.

Si Inflammatio circa Articulos adſit, optimè miſcetur cum Camphorâ. Convenit etiam ad diſcutiendos Tumores in declinatione Podagræ relictos.

Vel ad imitationem Poterii paretur Emplaſtrum in *Ideâ Form. Claſſ. 5. §. 5.* Hiſce etiam Opii ejuſque Tincturæ tantillum ſubinde addendum venit: magis tamen in Arthritide Calidâ quàm Frigidâ. Theriaca Emplaſtri modo applicata etiam vi anodynâ egregiè convenit, cui ſubinde in Calida de Sale Abſinthii, in Frigidâ de Spiritu Salis Ammoniaci plus minus addi poteſt. Alia Remedia Externa, & Compoſitiones elegantes & multiformes, videbitis in M. A. N. C. *Anno 1. Obſerv. 142. pag. 318. & Anno 6. & 7. Append. pag. 158. ſeqq. Anno 9. & 10. Obſervat. 80. ubi Balſamum Arthriticum, & Cera Catholica Burrhi*, cujus Compoſitionem etiam dedi in *Collegio Pharmaceut. in Schrœderum par. 2.*

VII. *Veſicatoria ex Cantharidibus* an conveniant? equidem Doloris ratione dubium videtur: ſed cùm Balſamus iſte ex Sapone Veneto, item Inunctio cum Oleo Saponis, Puſtulas in loco dolente excitent, ex quibus Ichor acris profluit cum tali Ægri uſu, ut rariùs redeat Paroxyſmus, ſicut etiam obſervavit Horſtius *lib. 2. Obſervat. 23.* & illa ipſa Veſicatoria ſubinde optimè contuliſſe viſa fuerint, (conf. *Act. Societ. Reg. Volum. 1. pagina* 535.); ſanè haud dubito, quin interdum, idque, ut ſuſpicor, in Podagrâ Frigidâ, ubi Acidum intimè magis viſcidiore aut copioſiore Synoviâ ſociatum, pertinaciter circa profunda Articulorum & Oſſium loca hæret, proficua eſſe queant; cautè tamen, monente Sylvio *de Arthritid.* §. 183. in Iſchiade inveteratâ in loco affecto

applicata proficua obſervata fuerunt : videb. Borellus *Centur.* 4. *Obſerv.* 53. ſiquidem in Schenckii *Obſerv.* refertur Iſchiadici Morbi fortuita, excitatis copioſis Veſiculis, Curatio. Ut ſanè illud *Moxæ Sinitiæ*, quæ haud ita pridem tanquam Specificum ad hunc affectum innotuit, Auxilium, cui tamen & noſtratium Vegetabilium Lanugines ſubſtitui poſſunt, ver. grat. Artemiſiæ, Marrubii aut Stœchados, haud aliâ ratione, quàm ratione Eſcharæ aut Puſtulæ, ceu Cauterium actuale, licèt levius, prodeſſe videatur. Ut taceam externi Ignis Acidum in interno evacuando fortè non parum conferre.

VIII. *Tophos* quod attinet Arthritidis Paroxyſmi reſiduos, de Curâ eorum vid. Hartmanni *Praxis* : præſtans imprimis eſt Emplaſtrum ejus Attractivum, §. 39. etiam Cnoeffelio uſitatum in M. A. N. C. *Anno* 6. & 7. *Append. pagin.* 165. Prætereà & Caſei veteris cum Decocto Carnis ſuillæ applicatio hîc proficua eſt ; nam Cute diſruptâ ſucceſſivè Tophis exitum parat. Emplaſtrum de Ranis cum Mercurio à quibuſdam modò dicto Malagmati ex Caſeo putri & Spiritu Vini vidi obtemperare. Plumbea Bractea ſubtilis impoſita per menſem juvat, aut ſaltem uberius incrementum prohibet ex Zacuto Luſitano *libr.* 2. *Prax. Admir. Obſervat.* 178. Egregius quoque eſt Spiritus Calcis vivæ, de quo *ſuprà dixi*, ſi illinatur.

IX. Quoad *Malum Iſchiadicum*, cuius Cura non nihil variat à cæteris in hôc, præmiſsâ *Venæ ſectione*, ut *ſuprà monitum*, etiam prætereà *Hirudines* ſubinde locum habent, ſive Hæmorrhoidibus applicentur, ſive etiam ipſi loco affecto. Quoad prius, Foreſtus *libr.* 29. *Obſervat.* 4. refert, Arthritidem quamplurimorum Articulorum Tertianæ Intermittenti ſuccedentem, ex Hæmorrhoidibus reſtrictis, quibus denuò fluentibus Arthritides ceſsârunt. In tali ergò caſu Hirudines applicatæ Hæmorrhoidibus ſunt optimæ : Nam Schenckius refert *in Obſervat.* Coxæ Dolorem Hæmorrhoidum fluxu curatum : ſic Zacutus Luſitanus *libr.* 2. *Prax. Admir. Obſerv.* 162. Iſchiadicum Venæ ſectione & aliis nil juvantibus, Hirudinum uſu Ano affixarum, curavit. *Idem cit. loc. Obſervat.* 159. refert Coxæ Dolorem, Hirudinum ſuctu ſupra Partem affectam ſanatum, quod idem in aliis Arthritidis ſpeciebus prodeſſe ait. His plùs minùs uſurpatis, *Clyſteres* imprimis repetiti conveniunt, & quidem acres neceſſe eſt ſint iſti : unde hic Clyſter à quibuſdam laudatur.

℞. *Pom. Colocynth.* Num. j.
divid. in 4. partes æquales :
Quarum prima in Nodulo coq. in *Vin. Urinæ puer.* an. ℔j.
addendo.
*Herb. Matriſylv.* M. j.
Coquantur, donec remaneat tertia pars, quæ Clyſteris loco injicitur.

De cætero tutiùs, quàm in aliâ Arthritidis ſpecie, *Purgantia* in principio adhiberi poſſunt, præſertim *Vomitoria* : ſicut in Progreſſu Morbi ſubinde contumaciori, & pleno ſtatu ; etiam ad fortiora Purgantia, præſertim ex Mercurio dulci & Trochiſcis Alhandal, accedi poteſt cùm in Synoviâ glutinoſiore aut copioſiore firmiùs concentratum Malum eradicandum ſit : Sicut his præmiſſis *Sudorifera* ex Lignorum Decocto aliquandiu continuata, aut his ſimilia conveniunt : videb. Poterius *Centur.* 2. *capit.* 85. ubi & Aurum ejus Diaphoreticum, & hinc Cinnabarina, Salia volatilia, &c. ſedulò in uſum vocanda ſunt : Videb. Tachenius *Princ. Morbor. pag.* 204.

Externè omnibus encomiis dignum eſt *Emplaſtrum Poterii de Pice ſulphuratum* : vide *Cent.* 2. *Obſ.* 10. 13. & 86. Deſcriptio eſt hæc :

℞. *Picis naval.* ℥iv.
*Terebinth.* ℥ß.
*Maſtich.*
*Succini* an. ʒij.
*Sulphuris comm. pulv.* ℥ß.
M. f. Cerotum.

Hoc applicatum perquàm proficuum eſt, ut expertus ſum, ac præter Dolorem Iſchiadicum etiam egregium eſt in Dolore Nephritico notho Scorbutico ; item in Colicâ Convulſivâ Lumbos lacerante optimè iiſdem applicatur ; item in Subluxatione Vertebrarum Lumborum ſupra Os Sacrum applicatum, etiam cum fructu adhibetur. Ob difficultatem detrahendi Lapis calefactus ante remotionem applicetur.

*Juvenis* Nobilis Malo Iſchiadico in utrâque Coxâ graviter affectus, ita ut in incremento Morbi ne tantillum Corporis motum ſuſtineret, præmiſsâ in Subjecto ſanguineo Venæ ſectione, præſcripſi :

℞. *Antimonii Diaphor.*
*Bezoard. Martial.* ana ʒß.
*Auri Diaphor.* gr. v.
Miſc. pro Pulvere.
Subinde repetatur.
Item
℞. *Aquæ Serpilli*,
*Menthæ*,
*Flor. Samb.* an. ℥j.
*Spiritûs Sal. Ammoniaci* ʒiß.
*Oſſ. Microcoſmi præp.* ʒij.
*Antimonii Diaphor.* ʒj.
*Laud. Opiat.* gr. iij.
*Syr. Card. bened.* ʒvi.
Miſc. pro Potione.
Uſurpet cochleatim, continuando Sudorem. Denique
℞. *Spiritûs Sal. Ammoniaci*,
*Liqu. Cornu Cervi ſuccin.* an. ʒiß.
Miſc.

Externè loco dolenti Emplaſtrum *Poterii* jam dictum applicabatur, quod ita ad aliquot dies noctesque admotum mirè contulit. Tandem hôc ablatô, pro reliquiis diſcutiendis

℞. *Aquæ Artic. ad extr.* ℥iß.
*Spiritûs Sal. Ammoniaci cum Calce vivâ* ʒvj.
Miſc.
Externè affricabatur.
Item
℞. *Aquæ Artic. ad extrà* ℥ii.
*Spiritûs Bacc. Juniper.* ℥i.
*Balſ. Peruv. cum Vitello Ovi diſſoluti* ʒiii.
Miſcebatur & affricabatur.

Prætereà etiam *Emplaſtra* ex Tacamahacâ, Galbano, Gummi Ammoniaco, & Opio, locis dolentibus applicantur, ſeu ex Semine Sinapi, Erucæ, Radice Pyrethri, Euphorbii, (quod cum Oleo Lini applicat Tachenius *loc. alleg. pagin.* 207.) cum Pice navali, Gummi Elemi, & Tacamahacâ exceptis, & Emplaſtri formâ applicatis : uti & Acria Antiſcorbutica rubificantia externè imponuntur, qualia ſunt Cataplaſma illud à plurimis commendatum ex Piperitide, Naſturtio, Iberide ſeu Lepidio, id eſt Raphano ruſticano, (German. *meer-Rettich* :) cum Vino coctis, & hinc Farinâ Lupinorum, Floribus Chamomillæ & ſimilibus miſceantur, & applicentur, de quo confer. Sennertus *de Arthrit. cap.* 6. *pagin.* 47. Radicem Bryoniæ recentem cum Oleo Lini com-

commiſtam & tepidè applicatam laudat Tachenius *loco allegat.* Veteres Externis & aliis irritis *candentibus Ferramentis* tribus aut quatuor locis ſupra Coſtam *Inuſtionem* inſtituebant, loco cujus apud nos ferè Veſicatoria uſurpari poſſunt.

Denique univerſi Cruris *Frictio* cum Spirituoſis, Oleoſis, & Urinoſis Liquoribus, ut ſunt Spiritus Formicarum, Lumbricorum, &c. Aqua Articularis ad extrà, cum Spiritu Salis Ammoniaci, & ſimilia adhiberi poſſunt. Quæ inter non negligendum Balneum ex Vinaceis, item ex acervo Formicarum *ſuprà Artic.* 3. *in Cura Doloris Lacerantis* laudatum.

X. Quòd ſi finito Paroxyſmo doloroſo nihilominùs adhuc *Tumor* adſit; hic optimè diſcutitur Vapore de Erucâ, Abſinthio, & Artemiſiâ, in Aquâ & Vino coctis, ac Pedibus calidè ſuffumigatis. Vel Emplaſtrum Norimbergenſe dictum cum Oleo Tartari malaxatum, aut etiam ſolitarium, applicetur. Ut verò roborentur Articuli, finito Paroxyſmo convenientiſſima ſunt Vina Balſamica ex Vegetabilium Aromaticorum Decoctis parata, qualia ſunt *Decocta* Poterii *Centur.* 2. *capit.* 10. & 13. aut qualia proſtant in M. A. N. C. *Anno* 6. & 7. *Append. pagin.* 165. Quòd ſi Ægri extra Paroxyſmum præ nimiâ Membrorum imbecillitate progredi neſciant, cùm tamen Tophi nondum appareant, iis *Fonticulos* in diverſis Corporis partibus excitatos prodeſſe, ait Horſtius *libr.* 8. *Obſervat.* 8. aut uſurpari poteſt Emplaſtrum de Pice *ſuprà laudatum*, quod firmat Tendines, & reſolvit nimias Humiditates; aut uſurpentur remedia Barbette *ex Anat. Practicâ capit.* 5. & 10. De Podagra malè tractatâ audiviſtis ſupra *Par.* 1. *Section.* 5. *capit.* 1. ubi *de Curâ Chylificationis læſæ.*

XI. Quod ad Curam *extra Paroxyſmum*, in hac omnis eò directa ſit Cura, ut partim Radix Podagræ ex Corpore evellatur, partim Articuli anteà affecti roborentur. Pro priori Scopo inſerviunt Remedia tam *Diætetica* quàm *Pharmaceutica*, ac *Chirurgica.* Quoad *Diætam* exactiſſimè eſt obſervanda Arthriticis: ſicut enim hæc neglecta fœcunda Mater Podagræ eſt, ita obſervata eadem hunc ſuum Fœtum abortivum rurſus abolet. Verùm de hac cùm ubivis plura proſtent, eaque vel Sennertus *Tractat. de Arthrit. capit.* 7. & Tachenius *loco allegat.* recenſeant, ſaltem adhuc ſequentia obſervanda. Nempe nil melius eſt, quàm omnia Acida, & quæ in volatilem Aciditatem citò tranſeunt, aut vim Fermenti digeſtivi enervant, quantum poſſibile, vitare, convenienti Diætæ regimine Digeſtionis primæ negotium & cæteras Functiones quaſvis ſartas tectaſque ſervare, & hinc Specifico Antipodagrico ſaporem acidum volatilem, Spiritibus ſociabilem, ex primâ Stomachi culinâ oriundum corrigere, & in prima herbâ extinguere, idque per Remedium Pharmaceuticum, quale Cnoeffelio fuiſſe dicitur, & hodie Tachenius jactitat. Sed, cùm paucis liceat adire Corinthum, hactenus Generalibus neceſſe eſt contenti vivamus: exiſtimo tamen in Mercurio, & hinc Antimonialibus ritè præparatis, vim abſorbendi, & in radice corrigendi hoc Acidum podagricum, delitescere. *Lac & Diæta Lactea* quoque hîc Remedii vim obtinent contra Podagram; tædiosâ quidem Methodo, ſed aliquoties jam felici eventu, cum funditus eâdem Podagra eradicata ſit. Utendi modum delineatum videbitis in M. A. N. C. *Anno* 1. *Obſervat.* 141. *pagin.* 310. & *Appendix hujus Anni*, *Anno* 2. *annexa*, *pagin.* 33. *Ann.* 6. *Obſerv.* 58. Sennerto *de Febrib. libr.* 3. *capit.* 3. *pagin.* 351. Sicut de Curâ Lactis in Arthritide integrum *Tractatum* edidit Greiſelius: Cui ſociari poterit *Diſputatio* lectu digniſſima *de Curâ Lactis*, *Podagricorum ſolatii*, à *Domino D.* Waldſchmidio *Marpurgi* nuper habita, ubi aliquot hujus rei Experimenta videbitis. Iis autem ſaltem convenit Subjectis, qui benè & ſine corruptione in Ventriculo illud perferre poſſunt, item qui graciles ac macilenti ſunt; de quo videb. Tachenius *loco allegat. pagin.* 416. Sub uſu autem hujus Æger ab omnibus reliquis Alimentis abſtineat: Videb. Boneti *Mercur. Compital. pagin.* 35.

XII. Quoad *Auxilia Pharmaceutica*: *Vomitus* primatum tenet, adeò ut ab omnibus Practicis commendetur Præſervationis gratiâ. Crebriùs aut rariùs, ad minimum omni Verno & Autumnali tempore circa Solſtitia, inſtituetur, nempe in Stomacho Podagræ cuditur faber. Hinc, quoad *Evacuantia per inferiora*, Mercurius dulcis, Turbith minerale cum Spiritu Sulphuris paratum, & alia Mercurialia ex Regno Minerali ſunt optima; ſicut ex Vegetabili Helleborus niger, & hinc Colocynthis, præ aliis conveniunt. Hermodactylorum laus non ampliùs tanta eſt ac olim, cùm genuini apud nos vix habeantur, utut Pulvis Arthriticus *Paracelſi*, deſcriptus in Hartmanni *Prax. Chymiatr. de Arthritide* §. 17. & ex hoc natum Electuarium Caryocoſtinum, quod videb. in Sennerto *de Arthrit. pagin.* 55. pluribus ſit commendatiſſimum; non ſecus ac Electuarium Catharticum violatum *Mynſichti* mirè laudatur contra Arthritidem à Lindano, dum dicit: *optimum eſſe Medicamentum ad præveniendum Paroxyſmum Podagricum.* Quo Remedio aliquando *Studioſum Juris* hîc feliciſſimè curavi, qui peſſimè habuit, & Arthriticus fuit adeò, ut quaſi contractus videretur; verùm hoc Medicamento intra paucos dies curavi. Unde etiam in purgandis Arthriticis Extractum Hellebori nigri & Hermodactylorum Poterio uſitatum fuit, exem. gratia

℞. *Conſ. Chamædr.*
*Chamæp.*
*Anthos* an. ℥ß.
(vel loco harum Conſervarum recipiatur
*Pulpæ Paſſular.* ℥iß.) adde
*Pulv. Antipodagr. Par.* ℥iß.
*Mag. Jalapp.* gr. ix.
Cum *Syr. de Betonicâ.*
F. Electuarium.

Aſt præ fortioribus Purgationibus convenientiores longè arbitror *blandas Purgationes* per Pilulas Uſuales, non nihil acuatas, qualium Pilularum loco videntur optimæ *Pilulæ Balſamicæ Cnoeffelii* M. A. N. C. *Anno* 6. & 7. *Append. pagina* 59. ex Helleboro nigro & Maſsâ Pilularum de Tribus Rufi concinnatæ, imprimis Mercurio fixo acuatæ, *cit. loco pag.* 147. Sanè in Ventriculi vigore conſervando multum his tribuerem: Aloë autem, Pilulas de Tribus Rufi ingrediens, ita præparata ſit, ut pars ejus gummoſa magis extravertatur, reſinoſa verò ſeparetur. His omni Novilunio reiterandis, tres, vel quatuor dies ante uſum adjungantur Sudorifera, & alia Appropriata, podagricum Acidum, & corrigentia, & correctum per ſudorem eliminantia. Hinc quovis Anni quadrante *Sudores* per aliquot dies repetiti proliciantur, quocunque libuerit Remedio, ſæpiùs Urinoſa tam fixa, quàm volatilia, hinc Sulphurea Antimonialia, item Antimonium Diaphoreticum, & Antihecticum *Poterii*, continuando. Sanè ſpontaneos Sudores, ſeu potiùs Madores, vel omni manè in habitioribus, & ſucculentioribus, vel quâvis Septimanâ ſemel aut bis expectando, profi-

cuos admodùm notavi, temporibus extra Paroxyſmum, præſertim ſi ſub introitum lecti conveniens doſis Spiritûs Salis Ammoniaci præmittatur. Poſt Sudorifera etiam *Diuretica* extra Paroxyſmum in Curâ Præſervatoriâ ſunt optima, quæ duo in plurimis conſpirant, ita ut unum alterum ſublevet. Imprimis verò *Diuretica*, tam in præſervando, quàm curando, præmiſſo *Vomitu*, ſunt optima; magis tamen in præſervando: & ſpeciatim nulla Purgantia, nulla violenta Sudorifera, tantum valent, quantum appropriata Diuretica, imprimis volatilia: qualia ſunt Spiritus Salis Ammoniaci, vel ſimplex, vel lavendulatus, aut infuſione Aromatum cum Spiritu Vini oleoſus factus, Tartari volatilis, Carminativus de Tribus, (qui aliquoties multum præſtitit in abuſu Vini ad præcautionem variorum Malorum, quatenus Urinam movit) Spiritus Cornu Cervi, Liquor Cornu Cervi ſuccinatus, Eſſentia Lignorum, &c. Curavi aliquando Podagricum, Paroxyſmo imminente, ſubitò præſcribebam Spiritum Salis Ammoniaci, & Spiritum Cochleariæ, ut temperaretur Acidum. Conſilium erat fruſtraneum: cogitabam de Sudore excitando, & continuabam Spiritum Salis Ammoniaci; ſed nil proſeci, quia ad Sudorem adigi non poterat; potiùs ſuperveniebat Ardor Urinæ doloroſiſſimus ob Salia vitioſa, quæ cùm per Sudorem non diſcuterentur, per Urinam deducebantur, & evaneſcebat Podagra. Sic egregia ſunt *Lumbricalia* in Podagrâ ad Diureſin; item Arcanum Duplicatum *Mynſichti*, præmiſſis Fixis, eſt nobile; vel Sal Ammoniacum depuratum, Borrax, Sal volatile Succini, &c. E. g.

℞. *Lapill. Cancr. præp.* ℈ij.
*Corall. rubr. præp.* ℈i.
*Salis volat. Succin.* gr. xv.
M. pro tribus doſibus. S.
Singularis Pulvis Articularis.

Pellit etiam Calculos.

Hinc Scarabæi, ſpeciatim unctuoſi, German. *die blauen Mayen Käfer*, nobile ſuggerunt Remedium ad Podagram præſervandam, & curandam per Urinam, propter copioſiſſimum Sal diureticum, quod habent, utut cum dolorosâ Strangurià operentur; Vid. *ſuprà p. 1. ubi de Calculo Renum*, & Borellus *Cent. 4. Obſ. 73.*

*Remedia Alterantia*, quod concernit: eadem prorſus hîc conveniunt, quæ *ſuprà Artic. 2. de Doloribus in genere* ſunt laudata, varia nempe *Nervina*, *Aromatica*, *& Volatilia*, *Calefacientia* vulgò dicta, quæ Sale ſuo volatili Acidum podagricum invertere, & per Tranſpirationem inſenſibilem eliminare ſolent: quibus in ſpecie ſemper adjungantur *Specifica*, & *Appropriata*, Chamædrys, Chamæpitys, Iva arthetica, Spiritus Salis Ammoniaci, Spiritus, & Sal volatile Lumbricorum, Carminativus, aliquoties in ſeptimanâ bihorio ante prandium ad 40. vel 50. guttas, uſurpati; Item Liquor Betulæ, Herba Thee, &c. Videatur Sennertus, Riverius, Williſius, alii, ubi & plures inde concinnatæ ***Formulæ*** occurrunt.

Vel

℞. *Rad. Enulæ*,
*Pæoniæ*,
*Caryophyllat.* an. ℥vj.
*Chinæ el.* ℥i.
*Herb. Salviæ*,
*Meliſſæ*,
*Chamædr.*
*Chamæp.* an. M. j.
*Summ. Roriſmar.* M. ij.
*Bacc. Junip.* ℥iß.
*Galang.*
*Zingib.*
*Cinnam.* an. ℥ij.
*Sal. Tartari* ℥ij. ad ℥ß.

Inciſa, & Contuſa includantur Nodulo.

D. S.

Nodulus Articulos confortans.

Infundantur *in Vino.*

℞. *Herb. Chamædr.*
*Fragar.* an. M. iß.
*Ononid.*
*Flor. Hyperic.* an. M. i.
*Rad. Bryon.* ℥iß.
*Sarſæpar.* ℥j.
*Lign. Nephrit.* ℥ij.
*Bacc. Junip. rec.* ℔ß.
*Coſt. arom. veri* ℥ij.
Inciſa, & contuſa.
D. S.

Species ad Cerevisiam medicatam.

Includantur Nodulo, ſuſpendantur in Cerevisiâ fermentatâ; vel Species injiciantur Cerevisiæ à colaturâ adhuc calenti ante fermentationem.

De *Salivatione* movetur dubium, an non & hæc aliquid usûs conferre poſſit ad Radicem Podagræ extra Paroxyſmum exhauriendam? & videntur eam confirmare Kerkringius *Spicileg. Obſerv. 28.* Conferatur in ſpecie Sylvius *de Arthritid. §. 174. & ſequentibus*, & Rolfincius *Ord. & Method. ſpecial. Commentar. lib. 6. ſect. 3. cap. 1.* & Wedelius *lib. 2. de Medic. Facultat. ſect. 2. cap. 12.* qui ſucceſſum Salivationis adhibitæ Exemplis confirmant. Tentari poſſet, ſed Malo nondum adeò confirmato: aliàs periculum eſſet ne magis adhuc offenſis Articulis, & læſis Partibus nerveis, Paralyſis, ac Contractura acceleraretur.

XIV. Ex *Fonte Chirurgico Venæ ſectio* pro Præſervatione parum conferre videtur, niſi ordinariæ Excretiones, vel ſuppreſſæ, vel imminutæ ſint; ſicuti *ſuprà* Exemplum ex Foreſto *lib. 29. Obſ. 4.* allegavi de Arthritide quam plurimorum Articulorum, Tertianæ Intermittenti ſuccedente ex reſtrictis Hæmorrhoidibus, quibus denuò fluentibus Arthritides ceſsârunt. Quidam tamen *Scarificatione Pedum* juxta pollicem, unâ, vel alterâ horâ ante Novilunium adornatâ, ſe præſervare nituntur, de quo vid. Salmuth *Cent. 3. Obſerv. 46. Fonticuli*, ut aliàs, & hîc Remedium ſunt; parum quidem ex ſe proficiunt, niſi per accidens in voracioribus, aut habitioribus, aut vitam ſedentariam agentibus, aut quibus Ulcera, aut ſimilia Emiſſaria conſolidata ſunt, interdum conferant: In Seroſioribus tamen non ſine fructu in Cruribus excitantur, in quibus Paroxyſmos Arthriticos egregiè præſervare ſolent. Præ cæteris in Iſchiadico Malo conducunt, nunc in Surâ excitati, vid. Scultetus *in Armament. Tabul. ult. lit. K.* ubi præſtans ejus declaratur uſus; nunc juxta Poplitem, ſecundùm Hildanum *Cent. 4. Obſ. 75.* nunc ſuper locum affectum excitati; nunc in Inguine, qua ratione Williſius *Pharm. Rational. Vol. 2. pag. 450.* Iſchiadicam inveteratam per Fonticulum in Inguine curavit. Illuſtrat hunc in Inguine Fonticulum Obſervatio, quam refert Fehr *de Scorzon. pag. 114.* de Muliere, Iſchiade pertinaci laborante ex impuro concubitu, Bubone, quo ea affligebatur, per Apertionem curato, Malum ipſum curatum fuit.

XV. *Articulos denique firmant*, Lixivia pro Balneatione Pedum, dum Poros ſervant apertos, & Alcali ſuo Acidum Spiritum ferè evocant, de quo præter

præter Experientiam conf. Horſtius *lib.* 8. *Obſ.* 5. præſertim ſi *Baccæ Juniperi* q. ſ. e. g. p. ij. & *Fol. Salviæ* aut *Roriſmarini* p. j. in p. ij. *Aquæ communis & Lixivii comm.* p. j. incocta ſint: Aut

℞. *Bacc. Junip.* ℔ß.
*Herb. Roriſmar.* M. vj.
*Serpilli*, vel *Thymi*,
*Majoranæ*, vel *Salviæ* an. M. ij.
Inciſ. & contuſ. D. S.
Species ad Pediluvium.

Coquantur in Lixivio pro Pediluvio, tempore veſpertino ſub introitum lecti inſtituendo. Sufficiunt Species pro tribus, vel quatuor vicibus. Poſt Balneationem Pes adhuc humidus Linteis involvitur tepidis, & Æger lecto committitur. Videb. *Idem Formular. Cl.* 4. §. 12.

Præ cæteris conveniunt *Vinacea*, exque iis parata Balnea & Fomentationes Pedum ſubinde repetitæ: vid. Duretus *in Holler. lib.* 1. *de Morb. Intern. cap.* 63. & Solenander *ſect.* 4. *Conſil.* 21. quæ cùm non ſemper recentia juberi poſſint, quidam iis ſiccatis utuntur, in Vino, & Aquâ coquunt, Salviam, aliaque Nervina addendo. *Thermæ* huc pertinent, quæ cùm Remedium Externum ſaltem ſint, Productis morboſis levandis ſaltem conferre poterunt, ipsâ Radice ut plurimùm in Corpore relictâ; unde incipientes Podagrici aliquale levamen exinde percipere poſſunt, confirmati nullum, quin potiùs Contractura ac Rigiditas Articulorum ſic acceleratur: vid. Sennertus *de Arthrit. q.* 11. Adhæc ſi adjumenti quid adferunt, in Frigidâ potiùs quàm Calidâ conferre videntur: Videatur Timæus *lib.* 5. *Epiſt.* 7. & *Acta Soc. Reg. Vol.* 1. *pag.* 822. (O)

De *Tranſplantatione* quædam adhuc monenda forent, ſed ſufficiant hîc ea, quæ refert, & per Experientiam confirmat Timæus *von Guldenklee*, *lib.* 7. *Epiſt.* 7. & 8. Catellus Melitenſis Podagrâ afflictis appoſitus, anodynus eſt; videb. *Obſervat.* Borelli, & Bartholini, qui Catellos hos Podagricorum Pedibus applicatos claudicaſſe referunt.

## CAPUT IV.

### *De Læſionibus Guſtus.*

REſtant adhuc inter Senſus Externos, *Guſtus*, & *Olfactus*. *Guſtus* nil aliud eſt, quàm Tactus Linguæ ſpecialis, & ſingularis, dum itidem fit per Nervos in delicata Filamenta diviſos, quæ ad ſuperficiem Linguæ ſub ejus Membranâ delata conglobantur in ſimiles Papillas nerveas, tanquam in capitula Fungorum, ſeu cornua Limacum. Hæ ergò ratione ſuæ peculiaris texturæ ita ſunt conſtitutæ, ut præter communia Tactûs Objecta, ut Durum, Molle, Aſperum, &c. ſpecialem à Particulis Salinis recipiant impreſſionem, ſeu motionem. Sunt nempe Salinæ Particulæ minutiſſimæ genuinum *Guſtûs Objectum*, quæ ratione texturæ, rigidæ, acuminatæ, & diverſimodè figuratæ, vehiculo aqueo imprimis dilutæ, ſe inſinuant in Linguam, ejuſque modò dicta Filamenta, & ſpeciatim eorum Papillas, variè movendo Filamenta, & ſcindendo, ſecando, &c. talem in iis motum efficiant, qui à nobis *Guſtus* dicitur. Uno verbo: *Sapor* conſiſtit in figuratione Partium Salinarum, quatenus nempe Papillas Linguæ nerveas pungunt, &c.

Solæ ſcilicet Salinæ Particulæ, nunc ſolitariæ, nunc aliis Particulis materialibus intertextæ, adeòque plùs minùs, vel mutatæ, vel exaltatæ, vel retuſæ, ex varietate talis texturæ vim obtinent impreſſionem certam in Linguæ Papillas facere, indeque, quod nos vocamus, *varios Sapores* exhibere: Hinc enim Acida, & Urinoſa, mutuâ unione mutando texturam, fiunt Salſa: Acidæ Particulæ Aceti cum Minio, ſeu Saturno calcinato junctæ in tantum texturam mutant, ut ex acutis quaſi quadrata, aut octoëdrica, & ita quodammodò Aluminoſa, fiant, indeque Dulcem Saporem repræſentant.

Res quò magis ſapidæ, eò magis *Saliva* affluit in Os; ſimilem enim motum faciunt, ac ſi nunc iterùm edere vellemus, & ideò pro Maſticatione Saliva affluit.

*Læditur* Guſtus, ceu propria Linguæ actio, dupliciter:

Vel

1. Quando *Imminuitur*, aut *Aboletur*, ita ut parum, vel nihil guſtare poſſimus.
2. Quando *Depravatur*, ita ut res, & Objecta quædam alienum Saporem, quàm naturaliter habere ſolent, continuò in Ore repræſentent, eumque putridum, & fœtidum.

## ARTICULUS I.

### *De Guſtu Imminuto, & Depravato.*

### CAUSÆ.

*Imminuitur, vel Aboletur Guſtus*:

I. Vitio *Spirituum Animalium* ad Linguam diſtribuendorum, qui vel vitio Conformationis Nervorum penitus in Linguâ deficiunt; quale Exemplum habet Columbus *in ſuâ Anatome*, de quodam Vitri, & Carbonum vorace, qui varia ſine Guſtu ullo devoravit, in cujus Anatome poſt Mortem invenit Nervos naturaliter ad extremitatem Linguæ derivandos, juxta Spinam Dorſi poſteriora versùs reflexos: aut quando præter hoc in apoplecticis, paralyticis, &c. Affectibus Guſtus Linguæ læditur, in quibus caſibus cum Senſu Tactûs, & Guſtûs (eſt enim Guſtus Tactus Linguæ ſpecialis) etiam Motus Linguæ ſimul plùs minùs perit, quo ablato, cùm Voces articulari nequeant, *Loquela amiſſa* appellatur.

II. Læditur Guſtus, quando *Lingua* ejuſque Fibræ nerveæ, & ſpecialiter harum extremitates papillares, à nimiâ eâque vitiatâ Lymphâ irroratæ ita reſolvuntur, & ob Atoniam ita relaxantur, ut flaccidæ, ac molles, & quaſi paralyticæ, minùs ab Objectis ſapidis moveri, & horum impreſſio percipi poſſit, pariter atque Odoratus: unde etiam in Gravedine, & Coryzâ graviore, aliiſque Affectibus Catarrhalibus, dum Os continuò copioſâ, tenui, ſalsâque Lymphâ ſcatet, cum Coryzâ, præter Olfactum deficientem, ſimul etiam Guſtus, aut imminui plùs minùs, aut aboleri ſolet.

*Depravatum* quod attinet *Guſtum*, in quo Objecta peregrino videntur affecta Sapore, fit hic



(O) Nota Cyrilli. *Cl.* Hombergius *Paradoxum Regiæ Scientiarum Academiæ anno* 1710. *propoſuit*: Rheumatiſmum *nempe* curari poſſe Balneo frigido, Balneo calido, & Sudore. *Frigore quidem, vel cogente ſeroſitatem acrem, atque in motu poſitam, (quæ eſt Cauſſa Rheumatiſmi) ut à Venis reſorbeatur, vel novæ ſeroſitatis ad Articulos acceſſum impediente. Calore verò & Sudore tranſpirationem & eductionem ejuſdem ſeroſitatis procurante.*

imprimis vitio *Salivæ*, vitiosis Recrementis, & Humoribus variis, vel Sale imprægnatæ, quæ nunc per se, nunc rebus gustabilibus sub Masticatione permista, Organum Gustûs simul afficit, & inde talem Saporem vitiosum Lymphæ imprimit: Hinc in Ictero, inquinatâ Salivâ, omnia Assumpta obscurè videntur amaricare: hinc similiter in Scorbuto, & Malo Hypochondriaco omnia plùs minùs acescere, aut salsescere; in Catarrhis omnia Assumpta plùs minùs salsa muriatica apparere solent. Quô fortè *Picantium Gustus* referendus est. Interdum Sapore putido, & ferè inexplicabili, & quasi cinereo, Objecta infecta videntur: id quod fit imprimis, quando unum alterumve Viscerum internorum Ulcere aut Apostemate incipiente laboret; in his enim à Purulentiâ istâ infecta Saliva Saporem cinereum, & putidum repræsentare facit, uti subinde fit in Phthisi similibusque Morbis, quatenus nempe Lympha Salivalis ex iisdem corruptionibus inquinatur; ita ut ferè semper Gustûs depravati Causa in Salivâ inquinatâ investiganda sit: at hinc est, quod observavit Meara *pag.* 160. *in Hist. Med.* Gustum depravatum, ortum ex Auris Ulcere, forsan Pure successivè ad Os delato, quem tamen ipse curavit per Topica Auri admota. Rarum est, quod refert Deodatus *in Valetud. pag.* 272. de Sapore amaro in apice Linguæ perceptibili, idque ex Affectu Hypochondriaco.

## DIAGNOSIS.

Affectus hi facilè patent *ex Ægri relatione*: uti etiam Causæ Antecedentes per eundem, & per adjunctas Circumstantias, aut Pathemata manifestantur. Ubi enim adsunt simul aliæ Operationum Animalium labefactationes, de Affectu paralytico non est dubium: sin adsit simul vitium Catarrhale, verbi gratiâ Coryza, vel Raucedo, & similes defectus, res est facilis. *Causa* quæ Gustum depravat, & Salivam inquinat, ex Affectu adjuncto per se patet: Sic in Ictero, Scorbuto, Putredine Oris, &c. facilè patet Affectus primarius, unde afficitur Saliva.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Gustûs læsiones in Catarrhis per se nullum periculum portendunt, quibus curatis sponte cessant. Idem de aliis enarratis hactenus Gustûs vitiis sentiendum. Sin verò inveterata sint, difficilia sunt curatu.

## CURA.

In *Curâ* Causæ sunt removendæ, & Fibrarum Linguæ debitus Tonus Nervinis restituendus, & conservandus, aut Acrioribus quasi stimulandus in *Imminutione* ejus, aut *Abolitione*: *Illic* ad Catarrhum respectus est habendus; *Hic* verò *Nervina* varia, & *Aromatica* conveniunt. Pro posteriori scopo in specie *Raphanus* ante pastum usurpatus, & masticatus Gustum acuit, & eundem deficientem quasi sensilem reddit, teste Hœfero *In Herc. Med. pag.* 75. Hartmannus *Gargarismum* habet, & etiam *Linimentum* egregium ad Gustûs læsionem, quæ videbitur in *Praxi ejus Chym. cap.* 85. §. 3. & 4. Egregius quoque est *Succus Acetosæ*, vel solus, vel ex ana Succi Acetosæ, & Succi Portulacæ, cum ana *Sacchari* paratus *Syrupus*, confert multum ad abolitum Saporem, teste Zacuto Lusitano *lib. ult. Prax. cap.* 2. *num.* 10. quo Os & Lingua subinde abluenda & abstergenda; quin &, si deglutiatur, nihil incommodi affert, sed Ventriculum simul egregiè abstergit. Quòd si verò Gustus sit depravatus, e. g. in Ictero, ita ut omnia videantur amara, salsa, & similiter; in specie tunc convenit *Vomitus*: quo præmisso usurpetur *Serum Lactis acidulatum* cum Succo Nitri, vel cum Spiritibus quibusdam Mineralibus; vel etiam quæcunque Acida conveniunt in Gustu nimis amaro, non secus ac *Radix Cichorii* condita, item Zedoaria, vel Radix Gentianæ crebriùs affricta, eundem juvant. Locum etiam habet *Gargarismus*, item *Linimentum Hartmanni* jam allegatum. Sed curantur hæc vitia optimè, curato primario Morbo. Hinc postmodùm Nervinis appropriatis partium nervosarum Linguæ Tonus restituendus, & corrigendus.

Sed quæ in specie Linguam roborant, ejusque Sensum, & Motum restituunt, sunt *Nervina*, & ea, quæ aliàs etiam ordinariò in *Aphoniâ & Loquelâ amissa* applicari solent, quas hac occasione jam tractabimus.

## ARTICULUS II.

### *De Aphonia.*

DIstinguendum autem est, propriè loquendo, inter *Laquelam amissam*, & inter *Aphoniam*. *Aphonia est*, dùm Vox nulla editur: id quod fit vitio *Laryngis*, ejusque *Musculorum* moventium, aut paralyticorum, aut convulsorum, aut nimis humectatorum. Hac namque ratione in Passione Hystericâ Mulieres Aphonæ jacent, uti etiam fit in Apoplexiâ graviori, Paralysi, Malo Hypochondriaco & Passione Hystericâ, ubi Ægri non rarò omnimodam patiuntur Aphoniam, propter Convulsionem Musculorum Laryngis, Cartilagines moventium; quam Convulsionem percipientes quasi Laqueo Fauces constringerentur, molestiam se percipere asserunt, ac si Collum ipsis torqueretur.

*Loquela* verò *amissa fit* vitio *Linguæ*, quando quidem Sonus aut Vox, sed incondita, à Laryngе formata ob Motum Linguæ, sive ex toto, sive ex alterâ saltem medietate paralyticæ, plùs minùs amissum aut non Sufficientem, in Verba articulari nequit, aut alia Linguæ vitia suis signis se exhibent: quæ in *Aphoniâ* secus se habent, in qua nullum Linguæ vitium, præsertim quoad Motum, observari solet.

*Aphonia dicitur aliàs*, quæ Hippocrati sunt distincta, à Modernis verò confunduntur: *Aphoni enim* Hippocrati idem ac *Apoplectici*, cum *Aphonus* nomine intelligat illos, qui ne Motum quidem nullum proæreticum sive voluntarium retinent: *Anaphtos* verò eos, quibus *vitio Laryngis* Vox deficit: Vid. Gorræus *in Definit. Med. pag.* 57. & *pag.* 81. *Aphonia* ista, prout communiter accipitur, fit ex *vitio Nervorum & Musculorum*, nunc *paralytico*, nunc *spasmodico*. Quoad *vitium paralyticum*, *Aphonia* fit frequentissimè *à Paralysi Musculorum Laryngis*, sive hæc *vitio proprio*, *sive vitio Nervorum Recurrentium* ad eos distributorum, accidat: Nam in Canibus dissectis, vellicatis illis Nervis, Aphonia in promptu est: sic videmus non rarò *Aphonos* fieri, qui magnâ *Raucedine* laborant. Id quod fit probabiliter *à nimiâ Humiditate*, & consequenter *resolutione Musculorum Laryngis*, ut flaccidi fiant, & impotentes ad Motum. Manifestum hujus rei Exemplum est, quod refert Tulpius *lib.* 2. *cap.* 40. *pag.* 78. Hinc etiam *tardior Loquela* cujusdam ob abundans Phlegma, qui anno duodecimo demum loqui cœpit, teste Amato Lusitano

Luſitano *Cent.* 6. *Curat.* 5. Pertinet huc etiam *Crapula*, ſubinde *Aphoniam* inferens *paralyticam*: Videat. Hœchſtedterus *Decad.* 3. *Caſ.* 9. Quô etiam facit *Aphonia ex Caſu ab alto*, & inde contracto *vitio Nervorum paralytico*, quam refert Poterius *Cent.* 2. *cap.* 11. & jam olim notata Obſervatio Galeni, quam videb. in Sennerto *lib.* 2. *Prax. pag.* 354. Sic *ex Terrore*, *Nervorum vitio* oborta *Aphonia per Apoplectica* reſtituta, vid. in Bartholini *Act. Med. Haffnienſ. Volum.* 1. *Obſ.* 101. *pag.* 193. Curioſa etiam eſt *Aphonia Paralytica ex Globulo plumbeo* per Vomitum moto, indeque Recurrentes Nervos deprimente, de quo vid. Deodatus *in Valetud. pag.* 97. Ut taceam *Nervos Recurrentes*, quovis infortunio *abſciſſos* vel *reſectos*: Conf. Sennertus *lib.* 2. *Prax. part.* 3. *cap.* 4. *pag.* 355. Obſervavi aliam *Aphoniam* in Virgine, quæ cubans noctu in Hypocauſto, ac ſuaviter dormiens; *ob extinctam verò Lampadem ex Oleo conſtructam*, *& hujus Fumo ſucceſſivè inſpirato*, altero mane ſurgens, cætera ſaniſſima, *Aphona* erat. Videbatur ſubeſſe vitium quaſi paralyticum *Laryngis ejuſque Muſculorum* ex iſto Fumo inſpirato læſorum. Curabatur per Electuarium ex Scordio pulveriſato cum Melle excepto, crebriùs aſſumpto, & deglutito. Atque hæ Aphoniæ ad conſtitutionem Nervorum & Muſculorum paralyticam pertinent, ſi in *Paroxyſmo Apoplectico* accedant, & hoc ceſſante etiam aliquamdiu affligant, ſive ſine eo, aliis Functionibus omnibus ſalvis, Ægros ſubitò prehendat.

Quoad *alterum Aphoniæ fiendi modum*: hunc *ex Convulſione Muſculorum & Nervorum Laryngis* fieri inſinuavi. Obſervatur tamen crebrò talis in graviori *Paroxyſmo Hyſterico*, in quo Aphonæ jacent Ægræ, pariter ac Epilepticis Convulſionibus ſæpiùs Aphoniæ ſuperveniunt. Speciatim vid. hîc *Epileptica Aphona* per *Venæ ſectionem* curata apud Hœchſtedterum *Decad.* 4. *Caſ.* 1. & conf. *Caſus paralellus*, nempe *Caſ.* 2. & 40. Item *ex Vermibus in Ventriculo & Inteſtinis* ſubinde *Obmuteſcentia* obſervatur, teſte Foreſto *lib.* 21. *Obſ.* 28. *Schol.* & *lib.* 14. *Obſerv.* 33. *Schol.* Noti nempe varii ſpaſmodici Affectus ſunt, occaſione Vermium obvenientes. Pertinere etiam huc videtur curioſa Obſervatio in Bartholini *Act. Med. Haffnienſ. Volum.* 1. *Obſ.* 86. *pag.* 170. Nam ex conſtrictionis ſenſu in loco affecto *Spaſmum Nervi Recurrentis* adfuiſſe probabiliter concludi poteſt. Forſan & huc pertinet *Aphonia iſta mirabilis* M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obſ.* 121. *pag.* 193. ſponte ſuâ ex improviſo affligens, & ſponte ſuâ denuò ceſſans ac recidivans, &c. Nempe vix paralyticum, ſed potiùs convulſivum quid ſubeſſe videtur. Forſan etiam huc pertinet *Aphonia* ſuborta *ex retentâ Gonorrhœâ virulentâ*, *Fonticulis in Inguine apertis* curata, apud Zacutum Luſitanum *lib.* 1. *Prax. Admir. Obſer.* 97. Nempe acre Luis Venenum facilè Nervos Recurrentes vel Muſculos Laryngis irritando, ex Spaſmo Aphoniam inferre potuit. Quoad *Aphoniam in Febribus* interdum ſupervenientem: res dubia, an *paralyticum* potiùs, an *convulſivum* vitium ſit? Sanè quantum colligere valeo, ad *convulſiva vitia* potiùs referrem; nam & quæ in *Variolis* non rarò obſervantur *Aphoniæ* (vid. Hildanus *Cent.* 6. *Obſerv.* 14.) *ex Convulſione* Laryngis potiùs eſſe videntur; cùm convulſiva Pathemata non rarò in illis obſerventur: dum ſcilicet acre Variolarum Venenum, Nervos Recurrentes irritando, ad Spaſmos illos cogit: ſicut *Tuſſim*, *Raucedinem*, ac his affinia, Aſperæ Arteriæ ac Laryngis Mala, eædem inferunt. Sed præter Paralyſin ac Convulſionem etiam *ſubitanea Spirituum Perturbatio* ad *Aphoniam* diſponere valet: ſicuti videmus, quoſdam *nimio Terrore perculſos* planè quaſi *obmuteſcere*. Pertinet huc mirabile Exemplum ἀφωνίας *ex viſis Cancris in* M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obſerv.* 145. *pag.* 229. *& Ann.* 3. *Obſer.* 287. *pag.* 348. Præ qua longè curioſior eſt *ſubitanea iſta Aphonia* cum perfectâ in toto Corpore ἀναισθησία, omnibus cæteris, tam Vitalibus, quàm Animalibus, Functionibus ſalvis in M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obſ.* 251. *pag.* 454. quæ omnia tamen Symptomata beneficio *Venarum Raninarum ſectionis* breviter evanuerunt. Revocarem hoc obſervatum in dubium, niſi ab Autore, Viro fide digno, Daniele Ludovici, fuiſſet relatum.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: *Apoplexiæ juncta Aphonia* difficiliùs curatur, ac interdum *diuturna* eſſe ſolet.

Quæ *cum Singultu* ſunt *Aphoniæ peſſimæ* ſunt, authore Hippocrate.

*Balbi* profluvio Alvi maximè corripiuntur, teſte Hippocrate *Sect.* 6. §. 34. & hôc ipsô ferè ſanantur.

*Aphoniæ per ſe & ſolitariæ*, modò ritè tractentur Ægri, *ſucceſſivè curabiles* ſunt.

## CURA.

In *Curâ* ad *primarium Morbum*, cujus Symptoma eſt *Aphonia*, aut ſaltem ad ejus *Cauſam Antecedentem*, reſpiciendum, ut his remotis facilior prædicti Symptomatis fiat Curatio. Pro quo curando ad *Laryngem & ejus Muſculos*, *ac Nervos Recurrentes* imprimis reſpiciendum, tam eorundem *Paralyſin* undecunque natam, quàm *Spaſmum* ex nimiâ irritatione removendo, *internè per Volatilia Aromatica & Nervina*, aliàs *Cephalica* dicta, ex. gr. Spiritum Salis Ammoniaci caſtoreatum, ſuccinatum, Spiritum Cornu Cervi ſuccinatum, & ſubinde *Sudorem* ſimul *provocando*, & etiam *Ptyaliſmum Maſticatoriis promovendo*. Imò in contumaciori Malo præſertim *Paralytico*, *Diæta Sudorifera* ex Lignorum Decoctis inſtituenda venit.

Hinc *Externa Remedia Topica* Collo, & imprimis regioni, ubi ſitus eſt Larynx, ſunt applicanda, *Spirituoſa* nempe & *Nervina* appropriata, quæ inter eſt Infuſum Majoranæ, Florum Chamomillæ, Lavendulæ & Salviæ cum Spiritu Vini paratum, quô ſub formâ Fotûs cum Linteis multiplicatis calidè anteriùs regioni Colli crebriùs donec Vox redierit, admotô, aliquoties Aphonias curavi: aut Sacculi ex Nervinis Aromaticis, Spiritu Vini irroratis, exteriùs Collo applicandi; vel Aqua Articularis ad extrà, maritata cum Eſſentiâ Caſtorei, aut Spiritus Apoplectici cum Spiritu Lumbricorum vel Formicarum eodem in loco calidè cum Linteis multiplicatis applicandi; aut *Olea deſtillata Nervina*, Succini, Lavendulæ, Rutæ, Juniperi, cum Theriacâ permiſta, ac cum Balſamo Peruviano ſubacta, ibidem frequentiùs illinenda; aut etiam Eſſentia Caſtorei, vel ſolitaria, vel iſtis ſociata, ſedulò admovenda: Item

℞. *Herb. Salv.*
*Roriſmar.* an. M. j.
*Sem. Eruc.* ℥ij.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ ſimpl.* in Vaſe clauſo:
Colat. ℔iß. adde
*Spiritûs Ceraſ. nigr.* ʒvj.
*Sal. Ammoniaci* ʒj.

*Mell. Anthoſat.* ℥j.
M. pro Gargariſmate.
D. S.
Singulare Gargariſma.

Convenit in Aphoniâ, Laryngis Affectu, poſt Paroxyſmum Apoplecticum.

Pro quorum omnium meliori ſucceſſu, ubi circumſtantiæ aliæ permiſerint, & *Venæ ſectio ſub Linguâ* interdum inſtitui poteſt.

## ARTICULUS III.

### *De Loquela Amiſſa.*

*Loquelæ amiſſio* eſt, quando Sonus & Vox formatur quidem à Larynge, ſed ob Motum Linguæ, aut amiſſum, aut non ſufficientem, Vox formari & in Loquelam articulari nequit. Vitium hoc Paralyticis & Apoplecticis imprimis familiare eſt, & ſubeſt Paralyſis Linguæ major vel minor, ad quam pertinet ſuo modo *Balbuties*, ex deficiente itidem aut impedito Linguæ Motu oriunda.

### CURA.

Hic Affectus *curatur* in ſpecie *Aromaticis Oleoſis*, aut *Spirituoſis*, Linguæ extrinſecùs admotis. Convenit hîc Decoctum Gallitrichi, Salviæ, Hyſſopi, Pyrethri, Zingiberis in Aquâ & Vino, quo ipſo Lingua vel Fauces eluendæ, vel etiam inſtar *Gargariſmatis* applicandum. Porrò Decoctum Salviæ, & Erucæ vel Sinapi in Vino paratum, propter hujus volatile acre, à quibuſdam tanquam ſingulare Arcanum commendatur; Item Decoctum Pulegii & Naſturtii in Vino: quæ poſſunt acui cum Salibus volatilibus, ut in Ore detenta meliùs penetrent; e. g. in pertinaciori Malo:

℞. *Herb. Roriſmar.*
*Majoran.*
*Salv.* an. M. j.
*Rad. Pyrethr.* ℥iij. ad ℥ß.
*Sem. Erucæ*, vel *Sinapi* ʒij. vel ʒiii.
*Caryophyll.* ʒj.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ ſimpl.* in Vaſe clauſo:
Colat. ℥x. ad ℔j. adde
*Spiritûs Ceraſ. nigr.* vel *Bacc. Junip.* ʒvi. ad ℥iß.
*Sal. Ammoniaci* cum *Calce vivâ*, vel *Caryophyll.* ʒj. ad ʒiß.
*Mell. Anthoſat.* ʒvj. ad ℥j.
M. f. Gargariſmus: S.
Gargariſmus Confortativus.

Præ cæteris Salviæ Succus in Linguæ Paralyſi & Loquelâ amiſsâ commendatur, ſi eô fricetur Lingua frequenter: cui tamen Pulvis Caſtorei aut Semen Sinapi contuſum commodè addi poſſunt; Nam ſic etiam frictio Linguæ cum Theriacâ, addito Pulvere Seminis Erucæ vel Sinapi, quibuſdam commendata eſſe ſolet. Pro Gargariſmate hoc commendat Stockerus cum ſequenti Miſturâ:

℞. *Salv.*
*Hyſſopi*,
*Acori*, an. M. j.
Coq. in ſ. q. *Aquæ*:
Colaturæ adde
*Oxym. Squillit.* ℥j.
M. pro Gargariſmate.

Hinc

℞. *Sem. Erucæ*,
*Squillæ*,
*Cepar.*
*Apii* an. ʒß.
*Zingib.*
*Trium Piper.*
*Cinnam.*
*Nuc. Moſch.* an. ʒj.
*Spec. Diambr.*
*Dia-Moſch. dulc.*
*Di-Anthos* an. ʒij.

Cum ſ. q. *Aquæ Vitæ* ſ. Miſtura craſſiuſcula pro illinitione Linguæ & Palati.

Porrò *in Affectibus Paralyticis aut Apoplecticis* præ cæteris Olea deſtillata, Spiritus aut Aquæ ſpirituoſæ, & Eſſentiæ penetrantiores, ſunt egregiæ, v. g. Eſſentiæ Florum Anthos, Salviæ, Lavendulæ, imprimis Eſſentia Caſtorei, quæ eſt expertum Remedium in aliquot Apoplecticis, cum Pennâ ſub Linguâ illitæ inferiùs juxta locum Frænuli, aut ubi Nervi ſunt motores. *Caſtoreum* ipſum ſub Linguâ detentum, & omnia ex eo parata, uti in Loquelâ amiſsâ, ita etiam in aliis Loquelæ vitiis, in ſpecie *in Balbutie Infantum aut Puerorum* corrigendâ, & quando tardiùs loqui incipiunt, multùm convenit: in quo Affectu Maſticatio Nucis Moſchatæ etiam confert. Fortius eſt, ſi Eſſentia Caſtorei fiat cum Spiritu Vini, Sale volatili Cornu Cervi aut Succini imprægnato, quæ Linguæ illita, vel ſub Linguâ applicata, ad reſtituendam Loquelam & paralyticos Linguæ Affectus eſt egregia. In ſpecie Spiritus Ceraſorum nigrorum, acuatus cum aliquot guttis Olei deſtillati Caryophyllorum, apici Linguæ illitus, aut Ori infuſus, in Malo ab Apoplexiâ eſt admodùm efficax. Aliàs etiam Oleum deſtillatum Aniſi apici Linguæ frequenter illitum tanquam ſingulare Specificum ad Linguæ Paralyſin & amiſſam Loquelam ab Hartmanno laudatur. Conducit etiam Spiritus Vitrioli Cephalicus, miſtus cum ana vel duplo Spiritûs Ceraſorum nigrorum, Orique infuſus ac probè Linguæ applicatus, eſt egregius. Quô pertinet Spiritus Theriacalis camphoratus, miſtus cum Spiritu Baccarum Juniperi aut Spiritu Liliorum convallium, & ſimilia penetrantia maximè proſunt: Non ſecus ac Oleum deſtillatum Succini ad gutt. viij. cum Aquâ Majoranæ vel Liliorum convallium, vel cum Aquâ Lavendulæ & Salviæ, Ori infuſum eſt admodùm efficax. Vel fricetur Lingua cum Theriacâ aut Extracto Theriacali;

Vel

℞. *Mithridat.* ʒiij.
*Extr. Caſtor.* ʒß.
*Olei deſtill. Lavend.*
*Succini*,
*Aniſi* an. gutt. iv.
M. pro illinitione aut frictione Linguæ.

Conf. M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obſ.* 207. *Ann.* 4. & 5. *Obſ.* 128. *pag.* 137. & *Ann.* 6. & 7. *Obſ.* 92. *pag.* 132.

Ulteriùs in uſu etiam ſunt *Electuaria* ſub formâ Lituum Linguæ applicanda; v. g. ſingulare *Electuarium* in Paralyſi Linguæ, Loquelâ amiſsâ & cognatis Affectibus à Stœckero admodùm laudatur, cujus crebrior facta eſt Experientia, nempe

℞. *Mithridat.* ʒiij.
*Rad. Acori condît.* & ſubtiliſſimè trit. ℥j.
*Zingib.*
*Nuc. Moſch.* an. ʒij.
*Salis comm.* vel loco hujus potiùs
*Salis vol. Succ.* ʒj.
M. omnia in Mortario:
quibus adde
*Succ. Salv. depur.* ℥j.
*Mell. deſpum.* q. ſ. ad conſiſtentiam debitam Electuarii.

Quod irroretur cum *Oleo deſtillato Aniſi*, *Ma-*

*Majoranæ, Salviæ, Succini, &c.*

Sumatur quantitas Avellanæ, teneatur ſub Linguâ, ſenſim, ac ſenſim deglutiendo, fricetur ſimul Lingua aliquoties, tam in ſummitate, quàm in parte inferiori juxta Frænulum, donec Loquela redeat, ad cujus defectum expertum eſt Remedium.

Si verò *in Sene* adeſt difficilis Loquela, optimum eſt euporiſton Eſſentia Florum Lavendulæ, infuſa in Spiritu Vini, de quo Infuſo propinentur omni mane, & veſperi ſub introitum lecti ℥j. Sanè hôc ipsô Remediô Rulandus aliquando curavit Loquelam amiſſam ex Paralyſi Linguæ in Sene 86. annorum; ſicut etiam in tali caſu convenit Nux Moſchata, ſi particula hujus probè maſticetur, & in Ore agitetur.

Tandem cum dictis Internis ſubinde, & *Externa* in uſum vocanda. *Cataplaſma* factum ex Fermento, addito ſimul Pulvere Succini aliiſve appropriatis Nervinis, Vertici impoſitum, Experimentum eſt Rulandi in Loquelâ amiſsâ: ſicuti etiam Oleum deſtillatum Succini Vertici, aut Nuchæ illitum, aut in Aquâ ſpirituosâ, vel Lavendulæ, vel Salviæ Linguæ admotum, & crebrò applicatum, inſigniter commendatur ad reſtaurandam amiſſam anteà Loquelam. Sic Foreſtus *lib.* 14. *cap.* 32. refert Paralyſin Linguæ ex Catarrho, præmiſſis Univerſalibus, per *Veſicatorium* Nuchæ applicatum curatam. Sic, & apertio Venarum ſub Linguâ, ſubinde cum fructu inſtitui poteſt. Conf. curioſa Obſervatio M. A. N. C. *Anno* 3. *Obſervat.* 251.

## CAPUT V.

### *De Læſione Olfactus.*

GUſtui proximus eſt *Odoratus*, cùm ut plurimùm maximum inter ſe conſenſum habeant, ita quidem, ut intensè Sapida quidem Odoratum fortiter afficiant, & contrà, uti in Oleis deſtillatis, Salibus volatilibus, &c. apparet, adeò ut Tactus, Guſtus, & Odoratus non niſi purâ graduatione majoris, vel minoris Materiæ immerſionis diſtinguantur, & Tactus diverſimodè modificatus ſit.

*Organum hujus Odoratûs* minùs probabiliter ſtatuuntur Proceſſus Mamillares, ſed potiùs hoc videtur eſſe *Membrana* iſta tenera ſummitati Narium, juxta confinia Oſſis Cribriformis intùs obtenſa, uti eleganter hoc demonſtrat Schneiderus *Tr. de Oſſe Cribriformi*: quin, & ex Analogiâ cum Tactûs & Guſtûs Organo de præſentiâ certarum Papillarum, ex Filamentis nerveis contextarum, vix dubitandum videtur: de quibus tamen per Anatomen, ſimulque per armatos Microſcopio Oculos, ulterior inſtituenda eſt inquiſitio.

Dum ergò cum Aëre pro Inſpiratione attracto varia ſimul & innumerabilia Nares ſubintrant *Effluvia*, & *Miaſmata*, ex quibuſcunque Corporibus, inſenſibiliter licèt, emanantia (adeò ut omnia Corpora certam quaſi ſuam, & determinatam Atmoſphæram circa ſe habere videantur); quædam eorum Effluviorum ratione determinatæ ſuæ texturæ, & conformationis inſinuant ſe dictæ Narium Membranæ, eamque vellicando, pungendo, titillando, talem in Filamentis ejus Motionem efficiunt, quæ *Odor* à nobis dicitur. *Omnia enim Corpora Atmoſphæram Effluviorum habent*; ut Magnes habet Effluvia, item Succinum, probat attractio Palearum, &c. Res Odoratæ etiam talem Atmoſphæram habent.

***Particulæ*** talem quæ habent texturam, & conformationem mechanicam, ut ſpeciatim hanc Membranam ejuſque Filamenta nervea movere poſſint, ſunt eæ, quæ communi nomine *Sulphura* dicuntur, & Sulphureæ, ſeu Pinguis ſunt naturæ. Nam vix Odorem habemus, qui non ex Sulphureo tali oriatur Principio: unde, & prout Particulæ tales Pingues, ſeu Sulphureæ, ex coalitu cum aliis, ſpeciatim Salinis, Particulis, mutant texturam, & vel volatiliſantur, vel figuntur, aliâve ratione immutantur, *Odorum* exſurgit *varietas*: Hinc ver. gr. Moſchus Odoris expers, ſi in Latrinam ſuſpenditur, Sulphureæ Particulæ ſe iterum inſinuant in Moſchum: Oleum Terebinthinæ ſuaveolens cum Floribus Sulphuris ritè combinatum, fœtidum Balſamum Sulphuris conſtituit: Præcipitatio Sulphuris, vel Scoriarum Reguli Antimonii, cum Aceto Fœtorem contrahit: Spiritus Salis Ammoniaci urinoſi ſaporis, & odoris cum Marte inodoro combinatus, Croco, aut Floribus Calendulæ, maximè ſimilem repræſentat odorem.

*Læditur* Olfactus *tripliciter.*

1. Quando *imminuitur*, Odoratuſque eſt nimis hebes: Aut
2. Quando omninò *aboletur*, ita ut parum, aut nihil odorare queamus.
3. Quando *depravatur*, dum Odores alieni in ſpecie putridi, & fœtidi, qui non ſût in rebus, continuò à nobis odorari videntur: id quod fit in *Ulceribus Narium*, imprimis ex Lue Venereâ interiora Naſi occupante; item ex *vitio Dentium* ſcorbutico, eorumque Putredine, & ſimilibus vitiis: de quo Odore depravato, cùm, curatis iſtis Exulcerationibus, ſponte ceſſare ſoleat, nihil ampliùs monendum eſt.

## ARTICULUS I.

### *De Olfactu imminuto,*

aut

### *ABOLITO.*

### CAUSÆ.

IMminuitur, *aut aboletur Odoratus, triplici ex Causâ*; primò ex *vitio Cerebri, ac Nervorum* non dimittentium Spiritus Animales in Organa Odoratûs, verbi gratiâ in Affectibus Apoplecticis, Paralyticis, & quando econtrà ex Spirituum impetu Convulſivi quid patitur Membrana Narium, Olfactûs Organum, uti fit in Epilepticis Motibus, & Vertigine Caducâ, in quibus Objectorum impreſſiones percipere nequeunt Ægri propter Spaſmum Membranæ Narium internæ, unde Olfactus ad tempus aboletur. Item *Obſtructio ſummitatis Narium*, & hinc inducta Filamentorum nerveorum ex Durâ Matre per Os Cribriforme in Nares protenſorum (de quibus Schneiderus *de Oſſe Cribriformi*) compreſſio.

2. Imminuitur Odoratus plùs minùs *ob Membranam læſam*, iſtam nempe, quæ Narium ſummitatem ſuccingit, ac Odoratûs primarium Organon videtur, ſive lædatur à Causâ Internâ, ſive Externâ. *A causâ Internâ* quidem, quando eadem nimis humectata, & à copioſiore Lymphâ irrorata, ac nimis relaxata, frequentiſſimè Odoratum abolet, aut imminuit. Uti etiam naturaliter hæc Membrana madet blandâ Lymphâ pro facilitatione Odoratûs, ita hæc ipſa nimis humectata inepta fit, quæ impreſſiones odoriferas recipiat, cùm ex Paralyticâ quaſi conſtitutione, quâ Fibræ ejus nimis relaxatæ, & humectatæ ad impulſum,

pulsum, vel attactum rerum odoriferarum immobiles ferè sunt, & ipsi quoque Animales Spiritus eò delati à copioso Humore inquinantur, segnes, ac plùs minùs torpidi redduntur, unde consequenter cessat Olfactus. Hinc in Coryzâ, & Gravedine, ac similibus Affectibus Narium, & Capitis Catarrhalibus, in quibus humectatâ nimis Nares succingente Membranâ, Odoratus omninò aboletur; hinc in Constitutione Aëris Aquiloniâ, seu humidiori, & frigidâ, Odoratus insigniter hebetatur; unde etiam Canes venatorii tunc temporis minùs sagaces esse solent, cùm eorum Odoratus hebetetur, ut referunt Venatores, ut minùs fortis existat. Coryzam, & Gravedinem quod attinet: circa hanc notum est, quòd ordinariò, quando diutiùs effluit Lympha Catarrhalis per Nares, cesset Olfactus.

Inter *Causas Externas* Membranam lædentes est continuus nimis fortiter Odoratorum Olfactus, aut etiam Sternutatoriorum abusus. Ab his enim fortiter odorantibus, & Narium Membranam nimis stimulantibus ex forti Impressione, & hinc Spirituum Animalium nimiâ Motione fit, ut postmodùm leniora Objecta, vel omninò non, vel saltim parum, sentiant, quatenus in Tono suo vitiata est dicta Membrana, ob id enim Camphorata crebriùs odorata Olfactum lædunt, quia vis ejus odorifera est penetrantissima; vid. Bartholinus *Cent.* 4. *Hist.* 91. Universale nempe hoc est omnibus Sensibus Externis, ut ex fortiori Impressione, & Motione ab Objecto factâ in Organum hujus fiat læsio, & sic cesset ejus actio, unde non nisi à valido Objecto postmodùm moveri, & sensualis Impressio excitari possit. Sicut enim Splendor intensus Visum lædit, Sonitus Auditum: simili ratione fortiter Odorifera crebriùs Naribus admota, Olfactum pessundant, quatenus lacerando quasi destruunt Membranæ Odoratûs Tonum. In specie dum ista fortiter Odorantia, aut acriùs Membranam ferientia, ita alterant Membranam, ut postmodùm leviora Objecta, vel omninò non, vel saltim parum sentiantur, imprimis in Sternutationibus crispata, & quasi convulsivo Motu affecta, Narium Tunica exinde in Tono suo ita vitiatur, ut non nisi fortissimorum Objectorum Impressione Fibras ejus moveat. Observatur hoc in Italis, qui ferè semper secum gestant Pulverem Sternutatorium ex Nicotianâ, & quotidie eum Naribus insufflant, nec non aliis honoris gratiâ offerunt; hinc in his continuato abusu horum Pulverum cessat tandem ferè in totum Odor, adeò ut dum nos Germani ex simplici Sternutatorii odore, aut ejus tantillo, ad Sternutationem movemur, Itali, copiosè licèt ingerant, nullam tamen Sternutationem sentiant, & graviter Odores percipiant: unde & iidem Itali interdum in junioribus annis cum imminuto Olfactu hebetudinem Visûs patiuntur, cùm Sternutationes noceant Oculis. Conveniunt ergò Sternutatoria in quibusdam Affectibus, sed non nisi moderato usu.

## DIAGNOSIS.

*Signa* Odoratûs deficientis ex relatione Ægri per se patent, sicut Causarum diversitas ab eodem, simulque junctis Circumstantiis aut Pathematis aliis, facilè colligitur.

Nempe Affectus Apoplectici, & Paralytici per se noti sunt: Membranam Narium esse humectatam, aut ex Excretione, aut ex Affectibus Catarrhalibus patet, imprimis quando Lympha destillans est copiosa, tenuis, &c. uti fit in Catarrhis.

Denique abusus Odoratorum, & Pulverum Sternutatoriorum etiam ab Ægro inquirendus est.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: pro varietate Causarum majus, vel minus periculum imminet ex Olfactûs læsione. Hinc quæ læsio Odoratûs fit ex vitio Lymphæ Catarrhalis, curatur facilè; Nam curato Catarrho, facilè cessat: Sin verò Odoratus læsio sit antiqua, præsertim ex Causis Externis nimis odoriferis, in Membranam Impressionem facientibus, inducta, t[illegible]rò, aut nunquàm curari solet.

Porrò quando Æger [illegible] Morbis Acutis Odores non consuetos sentit, utut non adsint Objecta talia odorifera, v. g. quando percipit Odorem Piscium putridorum, Luti, Butyri rancidi, &c. mala Signa, & ferè Fatum portendunt.

## CURA.

*Cura* pro varietate Causarum variat, nempe omnis *Causa removenda*: adeoque

1. *Pathemata Cerebri*, & Nervosi generis tollenda.
2. *Affectus Catarrhalis* curandus, & hinc Membrana Narium Nervinis aromaticis in Tonum naturalem restituenda.
3. *Externa* quælibet, præsertim Objecta nimis odorata, maturè sunt removenda.

Præmissis ergò præmittendis, & pro Causarum varietate variantibus, pro restituendo Olfactu, imprimis duo excellunt, *Majorana*, & *Nigella*. *Majorana* quidem, & quælibet ex hac parata Remedia, tam interna, quàm externa, conducunt; Sic novi Mulieres, quæ uti semper sunt Medicastræ, Coryzâ laborantes cum Olfactu, & Gustu perdito, internè sumunt Cochleare unum Majoranæ arefactæ cum Cerevisiâ, vel alio Vehiculo calido, idque summo cum levamine, & hoc euporiston sæpè egregiam, & optimam tulit opem: Sic etiam Extractum Majoranæ ceu expertum Remedium laudatur ab Hartmanno, si omni mane, & vesperi usurpetur à gr. vj. vel viij. ad ℈ß. item Essentia Majoranæ cum Essentiâ Pulegii mista, vel Extractum Majoranæ cum Saccharo mistum, addendo aliquot guttas Olei destillati Majoranæ, in formâ Elæosacchari, vel Rotularum accipiatur. Conveniunt etiam *Pulegium*, *Rosmarinus*, & ex his parata *Olea*, *Essentiæ*, &c. Hinc etiam *Balsamus Majoranæ* ex ejus Oleo destillato factus, Naribus illitus præ reliquis confert; Vel usurpetur *Oleum* sequens:

℞. *Ol. Nigell.*
*Ireos* an. ℥ß. vel ℥j.
*destill. Major.* ℈ß. vel ℈j.
M. D. S.
Oleum ad Nasum.

Quo ipso illinantur interiora Narium. Conveniens in specie est in Odoratu deperdito, speciatim si simul ex Affectibus Catarrhalibus adsit Obstructio summitatum Narium, in tali Obstructione vix habetur melius Remedium hôc ipso Oleô. Quòd si volumus hoc reddere acrius, addi etiam possunt aliquot guttulæ Olei destillati Anisi, & Succini Vel fiant etiam *Noduli Olfactorii* ex Majoranâ, & Semine Nigellæ; v. g.

℞. *Herb. Majoran.*
*Sem. Nigell. contus.* an. p. ij. vel ℥ij.
Irrorentur aliquot guttulis
*Ol. destill. Major.* vel *Anisi*,
f. l. a. Nodulus cum stylo,

qui

qui ſubinde Naribus admoveatur.

D. S.

Nodulus ad Naſum.

Egregiè confert.

Denique in Odoratu deperdito Experimentum Petri à Caſtro ſequens laudatur:

℞. *Sem. Nigell. in Aceto fortiſſ. infuſ. & poſteà exſicc.*

*Rutæ*,
*Fumar.*
*Caſtor.* an. ʒi.

Subtiliſſimè trita, leniter ſubigendo miſceantur cum *Urinâ Pueri*, ut fiant in formâ Mellis liquidioris, ſeu Syrupi tenuioris.

Hujus omni mane ſtomacho jejuno quinque, vel ſex guttas Ægri attrahant per Nares fortiter, & poſteà Caput versùs poſteriora inclinent, & in Ore Aquam calidam detineant: continuentur ad 3. 4. 5. vel 6. dies, donec Ægro Odor redeat.

Plura qui vult de Nigellâ in uſu hoc contra Olfactum Abolitum, videat Tabernæmontanum *de Nigellâ*.

Aliàs in Abolitione Olfactûs etiam *Menthaſtrum foliis acutis, & floribus albis* ſub formâ Extracti cum Decocto Rutæ, Majoranæ, Abrotani, & Nigellæ, interno uſu laudatur: ſicuti externè eodem Decocto Menthaſtri Caput eſt lavandum.

Denique *Suffitus* ex Succino, item Gummi Animæ, vel ex his duobus miſtis, dum Catarrhos ſiſtit, etiam deperditum Odoratum nonnihil reſtituit. Forſan, & Suffitus ex Spiritu Salis Ammoniaci, & aliis Volatilibus ſpirituoſis, Nerviniſque penetrabilibus, non erit inconveniens.

## ARTICULUS II.

### *De Polypo Narium.*

AD Narium Obſtructionem pertinet etiam *Polypus*, qui eſt *Sarcoma, ſeu excreſcentia carnoſa in Naribus*, ex earum ſummitate pronaſcens, & Naſum nunc replens, nunc in Fauces uſque deſcendens. Ad imitationem Polypi Piſcis ita dicitur, dum mollis eſt, & lubrica, & nunc unâ, nunc pluribus Radiculis, & Pediculis, in loco, ubi excreſcit, Naribus ſe affigit.

### PARS AFFECTA.

*Pars affecta*, ſeu locus unde excreſcat, ſunt nunc, idque rariùs, *Membrana glanduloſa* in ſummitate Narium, nunc, idque frequentiùs, ſunt *Filamenta nervea* Os Spongioſum opplentia, ex quibus nunc uno, nunc pluribus Pediculis, hujuſmodi Polypus excreſcit. Excreſcentia hæc nunc alba, nunc rubra, nunc livida, &c. apparet; nunc ſolummodò Narem implet, nunc adeò increſcit, ut etiam in Fauces deſcendat, ac Strangulationem minitetur. Quòd ſi livida, dolens, &c. appareat, ferè Cancroſam naturam ſapit.

### CAUSÆ.

*Cauſa Efficiens* hujus Polypi, non ſecus ac aliarum Excreſcentiarum, eſt *Nutritio nimia* naturalis, & idem dictarum partium Nutrimentum plùs minùs alteratum, & Acrimoniâ degeneri acidâ plùs minùs inquinatum: unde Differentia Polypi plùs minùs Cancroſi. Omne punctum in *Efficiente Occaſionali* ſitum eſt, quod eſt læſio unitatis in quodam loco dictarum Partium; ſive Diſtenſiò, aut Vellicatio, aut Ruptio, aut Exulceratio fuerit; unde in loco læſo Fibræ excreſcentes copioſiore nutricatu in tale Corpus ſucceſſivè excreſcunt: Sic Catarrhos acriores Narium interdum inſecutus Polypus obſervatus fuit. A frequenti Narium Fricatione Polypum lethalem notavit Kerkringius *Spicileg. Obſerv.* 14.

### PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: quò magis mollis, albus ac indolens fuerit Polypus, eò facilioris Curationis; qui verò fuſcus vel lividus eſt, præſertim acutè ſubinde dolens, vix curatur, quia Cancroſam naturam ſapit.

Quò profundiùs hærent *ejus Radices*, adeoque, quò magis attingit Filamenta iſta nervea, eò periculoſior: quia facilè ſub Radicum extirpatione occaſione Doloris Inflammatio Membranarum Cerebri poteſt oriri; quòd ſi verò Radices penitus non extirpentur, ſemper de novo *propullulat*.

### CURA.

Quoad *Curam*: Excreſcentia hæc removenda & eradicanda, idque *Auxiliis* præſertim *Externis*, nunc *Pharmaceuticis*, nunc *Chirurgicis*. Rarum enim eſt, quòd Polypos duos per ſola Medicamenta Interna, Diætam, Pharmaciam & Sudorem, curaverit ſine Externis Horſtius *libr.* 2. *Obſervat.* 48. uti & Polypum Fonticulo curatum videb. in *Miſcell. Academ. Natur. Curioſ. Anno* 9. & 10. *Obſervat.* 6.

Antequàm autem Externa adhibeantur, ſi Corpus eſt impurum, *Univerſalia Evacuantia & Alterantia præmittantur*, ne ex Doloris ratione Contenta Corporis quovis modo intenſiùs commota Malum exaſperent, aut ob plura Symptomata Curam difficiliorem reddant. Si verò *ex Vulnere* malè curato ſit Malum, vel ſimili Læſione externâ, in Corporibus præſertim puris, non adeò neceſſaria ſunt iſta, ſed ſtatim Polypus aggrediendus, & extirpandus.

*Quoad Remedia ergò Externa*: hæc imprimis decreſcente Lunâ uſurpanda veniunt; tunc enim Tumor minor eſſe ſolet. Medicamenta ergò quæ abſumunt, & ſucceſſivè mortificant, ac ita eradicant hoc Sarcoma, ſunt nunc Lenia, nunc Acriora plùs minùs Cauſtica. Lenia ſunt verbi gr. Succus Granatorum acidorum; vel ſi ipſum Pomum cum totâ ſuâ ſubſtantiâ piſtetur, bulliat cum Melle uſque ad ſpiſſitudinem Unguenti, ac imponatur Polypo, Carnem ſuperfluam ſucceſſivè erodit: Conferatur Foreſtus *lib.* 13. *Obſervat.* 18. & M. A. N. C. *loc. allegat.* ubi Pulvis ad Polypum abſumendum uſualis extat. Vel Sinapi pulveriſatum, cum Aceto miſtum, ita immittatur & applicetur Polypo. Succus Onopordi (ſpecies eſt Cardui) contuſi ſpecificus eſt, & ſæpiùs admoveri debet: Sicut & ipſa Herba contuſa convenit etiam ad Cancrum Narium; mediante quo plures curavit Ruſticus, teſte Borello *Centur.* 2. *Obſer.* 51. Vel Pulverem Heliotropii ſpecificè commendat Poterius ad Polypum ſine morſu abſumendum, ſi cum Goſſypio Naribus immittatur: vid. *Cent.* 3. *Obſer.* 63. Succus Naſturtii aquatici crebriùs cum Goſſypio admotus Remedium dicitur, mediante quo plures curati fuerunt: Loco hujus per Experientiam commendat Lindanus Succum Radicis Ari ex Radice contusâ expreſſus, cui intinctum Goſſypium Naribus intrudatur, quod ter in die repetatur; ſicque ſucceſſivè conſumptus fuit Polypus. Perinde autem eſſe dicit, an Arum? an Ariſarum? an Serpentaria pro hoc recipiantur?

*Fortiores paulò* ſunt *Placentulæ* ex Mercurio Subli-

Sublimato, Ærugine, & Fermento applicatæ, quas videb. in M. A. N. C. *Ann.* 8. *Obſ.* 91. *pagin.* 151. Spiritus Minerales acidi quilibet ſucceſſivè Polypum abſumunt: ſic Aquâ Forti tactus Polypus ſtatim flacceſcit, cui tamen etiam aliquantulum Auripigmenti addi poteſt.

Vel

℞. *Succ. Granat.* p. iij.
*Olei Vitrioli* p. j.
Miſc. S.
Mixtura devorans.

Vel

℞. *Ol. Vitrioli* ℈j.
*Alum. uſti* ʒj.
*Aquæ Plantag.* ʒj.
Miſc. S. ut antè.

Irroretur hinc inde Polypus.

Unguentum Ægyptiacum etiam eundem abſumit: Sic Riolanus.

℞. *Cerati Myrtin.* ʒj.
*Ungu. Ægypt.* ʒij.
Miſc. pro Linimento.

Quô præterea feliciter uti ſolet in abſumendis Excreſcentiis, Callis, Verrucis, Condylomatibus. Hoc Unguento attingendus ſæpiùs Polypus, aut Turundæ extremum, quod attingit Polypum, Unguento eôdem illinatur. *Unguentum Myrtinum*, ubi non extat, extemporè ita parari poteſt:

℞. *Ol. Myrtin.* ʒj.
*Pulp. Myrtil.* ʒj.
*Ceræ rubræ* q. ſ.
M. pro Cerato.

Ubi Unguentum Ægyptiacum non ſuffecerit, acuetur *Mercurio Præcipitato*, qui benè edulcoratus pluribus Lotionibus additur: Sarcoma egregiè abſumit ſine ullo aut exiguo dolore. Hic vel cum Melle Roſaceo miſcendus, eôque intincta Turunda in Nares immittenda, vel hôc ipsô impræ-gnetur Unguentum ab Hartmanno, præſertim in *Praxi cap.* 55. §. 1. deſcriptum, vel Unguentum Ægyptiacum, aut Unguentum Apoſtolorum addatur pro eradicando Polypo: Vel ad imitationem Plateri:

℞. *Unguent. Ægypt.* ʒß.
*Cort. Granat.*
*Gallar.* an. ʒß.
*Ol. Vitrioli* ℈j.
Miſc.

Quo ipſo tangatur quotidie aliquoties Polypus, donec exareſcens excidat.

Quòd ſi hujuſmodi Acria aut Cauſtica adhibenda ſint, cauti ſimus, *ne Partes Narium vicinæ attingantur*, adeòque vel per Fiſtulam argenteam immittantur, ita, ut Fiſtulæ extremitas Polypum ambiat, & ita Medicamenta ad eum ferri poſſint, intactis Naribus: aut Goſſypium, aut Turunda, Medicamentis imbuta, applicentur, ita ut Sarcoma tantùm attingant.

Quòd ſi *Cancroſus* fuerit Polypus, ne attingatur quidem metu majoris Mali. Si *Exulceratus* Polypus ſit, difficulter curatur, in eodem tamen Aquæ & Cineres Ranarum, & Pulvis Cancrorum, Saturnus calcinatus & dulcificatus, Crocus Martis & ſimilia adhibeantur: Videb. Hildanus *Epiſtol.* 61.

Quoad *Remedia Chirurgica*: ſi Petiolo ſimplici hæreat Polypus, ita ut commodè *Ferro* poſſit reſcindi, optimum eſt ut abſcindatur, aut ſaltem *Filo ſericeo* benè cerato circa Radicem ligetur; ſic enim intra aliquot dies Nutrimento deſtitutus excidet: vel denique *Forcipe* peculiari abſcindatur, quam deſcribit Sennertus *libro* 1. *Praxis ubi de Polypo pagin.* 935. Scultetus *Armament. pag.* 9. & 10. Abſciſſione factâ Adſtringentibus Hæmorrhagia ſiſtatur. Ne verò redeat Polypus, Pulvis Gentianæ cum Succo Scrophulariæ cum Turundâ Naribus immittatur: de quo Confer. Heinricus ab Heer *Obſerv.* 28.

## ARTICULUS III.

### *De Odoratu Depravato.*

### ET

### *OZÆNA.*

INter ea, quæ *Odoratum depravant*, imprimis eſt *Ulcus vel Abſceſſus in Naribus latens*, quod ubi *vetuſtum* eſt ac *putridum*, ſimulque *fœtorem* tam Ægro quàm Adſtantibus gravem continuò expirat, *Ozæna* dicitur. Ulcus hujuſmodi nunc ſucceſſivè ſerpit, & partes vicinas erodit, nunc occaſionem ſuggerit, ut Polypus ſuperveniat, nunc copioſam Saniem plùs minùs acrem, plùs minùs ſordidam affluere facit, nunc graviorem Hæmorrhagiam Narium infert.

### PARS AFFECTA.

*Pars affecta* ſunt nunc Partes ſolùm molles membranoſæ in Naribus, nunc verò etiam Interſtitia cartilaginoſa & oſſea, nunc ipſum Os Cribroſum, plùs minùs ſimul affectum eſt.

### CAUSÆ.

*Cauſæ* ſunt nunc Externæ, nunc Internæ: Illæ varia Inſpirata: Hæ in ſpecie Lues Venerea, quæ inquinando Lympham, Membranas Narium oblinentem, frequentes Ozænas junctas habere ſolet.

### PROGNOSIS.

Sunt autem quælibet Narium Ulcera *curatu difficilia.*

Recentia ac munda faciliùs curantur, immunda, ſordida, cruſtoſa, &c. difficulter curantur, præſertim ſi ſimul Os Ethmoides infecerint.

Denique cautè tractanda ſunt, *ne Cancroſa fiant.*

### CURA ODORATUS DEPRAVATI.

*Cura Odoratûs Depravati* eſt facilis, modò curetur vel Lues Venerea, vel Ulcus. Interim tamen pro palliativo Remedio optimum eſt, ut recipiatur *Vinum*, in quo decoctum fuerit Centaurium minus & Calamus aromaticus, quod omni mane & veſperi è volâ Manûs attrahatur in Nares tamdiu, donec in Palato ſentiatur, & ita Ulcus mundificetur. Vel *Mel* acuatur cum Myrrhâ, Saccharo candi & pauco Cinnamomo: quod dilutum cum ſ. q. Aquæ Majoranæ intra Nares attrahatur, ut Palatum uſque penetrare valeat.

### CURA OZÆNÆ.

Quoad *Curam* verò *Ozænæ*, præmiſſis præmittendis, præſertim Mercurialibus internis, Ulcus mundificandum, & hinc conſolidandum. Si levius fuerit, curatur per *Folia Nicotianæ* recentia conciſa Naribus immiſſa, & cùm per aliquot horas ibi ſunt retenta, eximantur, & illinatur Unguento ſequenti:

℞. *Unguen. de Nicot.* vel *Albi camph.* ʒiij.
*Balſ. Sulphuris ad extrà* ʒj.

M. S.

M. S.

Unguentum Mundificans.

Continuato horum uſu ſubinde cedit. Nam Nicotiana & Unguentum ex Nicotianâ, quod deſcribit Weckerus *in Antidot.* perquàm egregium eſt, hoc imprimis peculiare obtinens, quòd ante mundificationem non conſolidet: Hinc etiam Unguentum Nicotianæ Laminæ Saturni inductum, ac ita applicatum, ceu expertum commendat Velſchius *Hecatoſt. 2. pagin.* 24.

Quòd ſi verò *Cruſta* adfuerit, vel Oleo Amygdalarum dulcium, vel Oleo Roſarum, vel Butyro recenti non ſalito illita Cruſta priùs removenda, & hinc Mundificantibus pergendum. Vi excutienda Cruſta non venit, ne irritetur Ulcus, & Fluxio exaſperetur.

Inter *Mundificantia* egregium eſt Horminum ſylveſtre ſeu Sclarea, decocta cum pauco Melle Roſato, & ita ſubinde applicata, & dein ſingulis menſibus repetatur, ne recrudeſcat malum: Aut recipiatur *Succus Sclareæ*, ſubigatur cum *Melle Roſato*, ut fiat Unguentum benè mundificans. Quorum loco Decoctum Agrimoniæ & Verbenæ cum Melle, item Urina Pueri, ſubinde injici & applicari poſſunt; aut uſurpetur *Unguentum Mundificans* Hildani expertum *Centur. 2. Obſerv. 22.* Fumus quoque Candelæ ex Cerâ rubrâ Naribus exceptus egregius eſt, & in Ulcere inveterato à Rondeletio expertus: Nempe Cinnabaris eſt, unde hæc efficacia dependet, unde aliis additis Candelæ compoſitæ pro hoc caſu fieri poſſunt. Formulas videbitis in Hartmanni *Praxi Chymiatr. cap.* 52. §. 6. Aut etiam uſurpentur alii *Fumi Cinnabarini* compoſiti ad imitationem Barbette *lib. 3. Chirurg. cap. 7.* Utilis quoque eſt Aqua Sennerti *lib. 1. Prax. Part. 3. Section. 4. capit. 1.* Item

℞. *Aquæ Majoran.*
*Plantag.* an. ℥iß.
*Spirit. Vini rectific.* ℥iij.
*Mell. Roſat.* ℥vi.

M. S.

Mixtura Mundificans.

Ex volâ Manûs recipiatur; vel cum parvâ Syringâ.

Quòd ſi his ipſis contumacius Malum cedere nolit, Mercurialia ſunt optima: imprimis jam dictæ Mixturæ Mercurii Sublimati gr. vi. vel ℈ß. addi poteſt, aut Mercurius Dulcis cum Aquâ Plantaginis ſubinde applicetur:

Vel

℞. *Aquæ Plantag.* ℥iv.
*Mercurii Sublimati* gr. xij.

M. S. ut ſuprà.

Solutio filtrata uſurpetur pro mûndificandâ Ozænâ.

Poterius ſanè *Mumiâ ſuâ minerali*, ex Mercurio Dulci probè edulcorato cum Unguento Roſaceo plures, præmiſſis Univerſalibus, maligno Ulcere Narium, Herpete exedente, &c. curavit *Centur. 3. Cur. cap.* 80. 86. 13. *&c.* In ſpecie in Ozænis Gallicis optimus eſt Mercurius Præcipitatus cum Unguento Roſaceo ſubactus, & mediante Turundâ Locis affectis applicatus. Aliàs Unguentum Ægyptiacum, item Aqua Viridis *Hartmanni*, cum Penicillo contumaciores Ozænas aut ſimiles partium vicinarum Exulcerationes curat: Videatur *Prax. Chymiatr. cap.* 52. §. 5. Vel Oleum Vitrioli, in quo parum Goſſypii madefiat, eoque duabus vel tribus vicibus optimè tangatur, quo facto debitis Unguentis curetur. Remedium eſt optimum ad interna Narium Ulcera, quantumcunque fuerint maligna: Vid. Ferrara *Obſervat. Chirurg.* 88.

Hæc de Senſibus Externis.

## SECTIO III.

### *De Senſuum Internorum, & Motuum Animalium Læſione.*

Abſolutis Senſibus Externis, ſequuntur *Interni.* Senſus Internos quod attinet, illi rectè dicuntur triplices: *Senſus Communis*, *Phantaſia*, & *Memoria.* Negotium eſt obſcurius, propter inſignem, quæ hîc obſervatur, confuſionem Operationum Animalium & Rationalium. Cùm enim noſtra Cognitio intellectualis, & omnis Ratiocinatio præſupponat Spirituum Animalium exercitium, occaſione quorum diverſimodè motorum Anima Rationalis ſpiritualis diverſos ſibi formet Conceptus ſeu Phantaſmata, cùm nihil ſit in Intellectu, quin priùs fuerit in Senſu, adeoque Senſus Animales Interni & Intellectio in nobis ſemper ſint conjuncti; evenit inde, ut neſciamus, quomodò Senſus Interni, ſeparatim conſiderati, ſe habeant.

Exactiùs ſi volumus ſcrutari negotium, neceſſe eſt, ut accuratè abſtrahamus & ſeparemus res Animæ Rationali proprias, h. e. quas Cognitione reflexâ in nobis ipſis percipimus, ab iis, quæ Spiritibus & Cerebro ſunt propriæ, & conſideremus, qua ratione hæ poſteriores fiant, cùm in his Senſuum Internorum ratio conſiſtat. Hinc & organicam quæ lædunt Cerebri Conformationem ſecundùm Poros & Meatus, adeoque Spirituum Animalium Motiones & Filamentorum nerveorum varias Applicationes, *impediunt & tollunt etiam Senſus Internos*; ſicut quæ Spiritus Animales turbant, & in varias Motionum anomalias cogunt, *pervertunt Senſus Internos*: ſicut iſtud in Contuſionibus Capitis gravioribus, hoc in Deliriis manifeſtum evadit. Anima enim Rationalis, ceu Ens ſpirituale, ab Objectis quibuſcunque Materialibus eſt immutabilis.

Adeò ut *Senſus Interni in genere conſiderati ita ſe habeant*, quòd nempe Nervorum Filamenta, in Organis Senſuum Externorum commota, Motum ſuum continuent in Cerebrum uſque ad radices dictorum Nervorum, unde Motus ſimiles in Corporibus ſtriatis excitati, & conſequenter in Spiritibus Animalibus ſint; id quod *Senſus Communis* dicitur, quæ Motiones exinde repercuſſæ in Corpus calloſum uſque, ibi Spiritus Animales ubertim ſcaturientes occaſione Fibrarum motarum agitantur; in quo conſiſtit id, quod vocatur *Phantaſia*: & inde reflectuntur ſuo Motu ad Spinalem Medullam uſque, ibique impetu facto vario, nunc in Cerebelli, nunc Cerebri Nervos Motorios derivantur; illic in Cerebello *pro Motu Partium internarum*, Corde nempe, Diaphragmate, &c. & excitatione Affectuum; hîc *pro Motu Membrorum externorum*: ita ut varii hi Motus nunc Senſûs Communis, nunc Phantaſiæ nomine, veniant: ſicut iidem ſæpiùs eodem modo recurrentes *Memoria* appellari ſolent: vid. hæc pluribus deducta in ſcriptis Williſii, ſpeciatim *Tr. Anim. Brutor.* An Bruta habeant Animam contradiſtinctam à Materiâ, Veteres, ut & Helmontius ſtatuunt; negant autem Carteſius & Schuyl.

*Motum* quod attinet Partium *Animalem*: nempe quarumcunque, ſive internarum ſive externarum, ejus *Organon* proximum ſunt *Fibræ nerveæ*, quæ nunc arctiùs ſunt conjunctæ in unum Syſtema, quod vocatur *Muſculus*; nunc à ſe invicem ſunt ſeparatæ, & circulari ut plurimùm ductu Partem ambiunt, v. gr. in Stomacho & Inteſtinis, quæ propriâ appellatione carent.

Fibræ hæ in Motu dependent *à Spiritibus Animalibus*,

*malibus*, per Nervos in Partes distributis; hinc denegato eorum influxu Pars Sensu & Motu privatur. *Fibræ Partium Circulares*, quæ Motum Partium internarum *Peristalticum* perficiunt, obtinent Nervos ex Cerebello distributos, & sine prægressâ Cognitione sensuali Motum cient, adeoque talis Motus nec promoveri nec coluberi potest, unde vulgò *Motus Naturalis* simpliciter dicitur.

*Musculosarum verò Fibrarum Systema* Nervos ex Cerebro distributos obtinent, ac eos gubernat Motus, qui prægressam Cognitionem sensualem vel intellectualem sequuntur, adeoque à nobis vel impediri, vel promoveri possunt.

*Musculi structura* ex copiosis constat Fibris, in medio sui Coagulo sanguineo seu carneo vestitis, quorum plures sibi invicem inæqualiter quidem, æquali tamen ordine superimpositæ ita situantur, ut utrinque, tam in principio quàm fine, Fibræ circa Carnis intermediæ subsantiam incurvatæ Figuram & Corpus Rhomboideum eleganter constituant, super Angulos obtusos, donec in rectos mutentur, mobile: videb. Steno *tract. Elementorum Myolog. Specimen*, seu *Musculi Descriptio Geometrica*.

*Movetur Musculus* & omnis Fibra motrix, quando eadem abbreviatur, & quasi in se contrahitur, ita ut Musculi unica sit actio, seu Contractio, quam sequitur Partis annexæ Motus, ejusque mutata figura & situatio. Quòd si ita contractus persistat Musculus, dicitur *Motus Tonicus*; si relaxetur denuò, ita ut nullo Musculorum agente Membrum sit in figurâ & situ naturalibus, in *figurâ mediâ positum esse dicitur*.

Motus hic Fibrarum sive Contractio *à tribus dependet Causis*:

1. Ipsa Fibrarum extensarum & Partibus annexarum *spontanea ad sui Contractionem Inclinatio*, instar Chordarum extensarum sponte se contrahentium.
2. Accedit *Impetus radiosus* (propter velocitatem sic nominatus) *Spirituum Animalium* per Nervos diffusus, qui in Fibræ substantiam diffusi eam replent, ac quasi inflant, & ita breviorem reddunt, quod imprimis in Musculorum Ventre observabile est.
3. *Sanguinis Arteriosi in Musculum copiosior influxus* supervenit, qui in Ventre ejus dilatato, minorem inveniendo resistentiam uberiùs infunditur, unde & turgescentia Musculi & Contractionis vigor maximè completur.

Videb. de hoc Stetterus, Steno, & Autor *de Ratione Motûs Musculorum* D. Croon in Villisii *Tract. de Anatome Nervorum eorumque Structurâ*. Nullus Motus fit sine Sanguinis Arteriosi affluxu; an verò Sanguis saltem uberiori suo influxu Motum Musculorum promoveat? an verò ex Sanguine oriantur Particulæ Elasticæ dictæ, quæ in Musculorum Fibris occurrendo Spiritibus Animalibus, certam Explosionem, & ita insignem Dilatationem efficiant? in medio relinquo. Videri tamen hîc potest Willisius *de Pathol. Cerebri & Motib. Convulsi.* item Mayow *Tractat. de Motu Musculorum, & de Nitro Aëreo.*

## CAPUT I.

### *De Vertigine.*

Vitia inter, quæ Sensus Internos Motusque Animales laedunt, præ cæteris eminet *Vertigo*. Præluppono hîc ante omnia exactam notitiam Cerebri, & ejus Vasorum, indeque productî Sensûs & Motûs, aliàs me nunquam intelligetis.

*Vertigo*, ita *à vertendo* dicta, est ille Affectus, quo omnia extrinsecùs circumagi, & tam ipsum Caput & Corpus Ægri, quàm omnia nos ambientia & Oculis apparentia Corpora, quasi in circulum rotari & gyrari videntur, utut hæc omnia sint firmissima, nulloque pacto gyrentur: per Artem imitari possumus hunc Affectum, clausis Oculis Corpus celeriter circumgyrando; sic enim subitâ quiete apertis Oculis tanquam Vertiginosis omnia circumagi videntur: *Non naturaliter* hoc fit in Ebriosis, quibus pariter omnia videntur in gyrum agi. Interim tamen non necesse est, ut semper fiat Circumgyratio; sufficit enim *Motus tremulus & undulatorius*, & similis: Nempe est similis Affectus isti, qui nobis accidit, quando Corpus in circulum agitamus, vel quando diutiùs aspicimus Rotas circa axem circumactas.

*Ratione Graduum* (non Specierum) *triplex* esse solet *Vertigo*:

1. *Vertigo Simplex*, utut promiscuè sic dicta, quæ Græcis Δῖνος & Ἴλιγγος audit, quando saltim Corpus Ægri & omnia exteriora circumagi aut circumgyrari, & omnia nunc sursum, nunc deorsum, nunc alio modo moveri videntur, subitò tamen evanescente φαινομένῳ, & est Vertigo Simplex; in cæteris enim Gradibus, ubi nulla Rotatio observatur, quin potiùs Visus obtenebratur, & plùs minùs aboletur, impropriè Vertigo dicitur.
2. Gradus secundus est Σκότωμα & Σκοτόδινος, aut Σκότωμα σκοτεινὸν, *Vertigo Tenebrosa* seu *Scotomia*, in qua Oculi simul velut affusâ *Caligine* obscurantur, ita ut Visus tandem omninò pereat, aut etiam *varii Colores*, obscuri, flavi, cœrulei, virides, nigricantes, &c. coram Oculis versari videntur, qui insequente tali Caligine evanescunt.
3. Tertius Vertiginis Gradus est *Vertigo Caduca*, quando illa Oculorum Caligo vertiginosa in tantum invalescit, ut *protinus Æger concidat*, nisi prehensus, aut proximis adminiculis prehensis, se fulciat.

Crebrò huic Vertigini leves *Motus Convulsivi*, & deinde vera *Epileptica Affectio*, huic ultimo gradui superveniunt; unde proximus ad Epilepsiam, interdum Apoplexiam, gradus haberi solet, propterea *parva Epilepsia* quibusdam vocatur; cum econtrà Epilepsiæ levioribus comitatæ Convulsionibus *Vertigines graviores* interdum Practicis dicantur. Vix enim est Insultus epilepticus qualiscunque, quem non aut antecedat aut proximè comitetur Vertigo gravior aut Scotomia: Unde ingruente Insultu epileptico ferè dicunt: *mutari ipsis Objecta ante Oculos, variosque ostendere Colores*: sicut aliàs quæcunque Spirituum Animalium *Eclipses & Deliquia* insigniora, & in motu Ataxias, & antecedere & comitari solet *Vertigo*, ut verbi gratiâ in Lipothymiis, Doloribus ingentibus, gravioribus Paroxysmis hystericis, &c. manifestum est.

A Gyratione ergò & Rotatione, ceu nobiliore Symptomate, Vertiginis ratio imprimis desumitur: Nihilo minùs tamen, præter Oculos, *& alii Sensus simul afficiuntur*, imprimis in secundo & tertio Vertiginis gradu: Nam *Sibilus & Tinnitus*, quin & *raucus* interdum & obtusus *Sonus* in Auribus percipitur; subinde in tertio gradu *perit Motus Membrorum*, & licèt apprehendant Ægri adminicula, quibus se fulciant, tamen sæpiùs eadem minùs firmiter comprehendere valent, ita ut tandem concidant.

PARS

## PARS AFFECTA.

Quoad *Vertiginis Subjectum* : vulgò *Rotationem Spirituum Animalium in Cerebro* esse Causam istius apparentiæ existimant, quod tamen falsum est : *in Oculis* enim simpliciter, non vitio Cerebri, *fit ista Rotatio* seu Motus iste inordinatus, qui Vertiginem infert ; nam Visui res gyrari & similia Pathemata apparent. In Organo ergò Visionis seu Oculo necessariò erit vitium, cùm in Cerebro non videamus. Nemo sanè concipere poterit, quomodò Spiritus in Cerebro agitatus apparere res faciat rotari extra Oculum ? Vertigo scilicet fit in Medio videndi, non in Vidente ipso, uti neque in Objecto viso ; *Medium* verò hoc *est Oculus*. Par ratio est, quando Oculis videntur obversari Nubeculæ, Flocculi, Muscæ &c. quæ res videntur esse in Aëre, cùm tamen revera sint in Oculo, in specie in Humore ejus Aqueo ; unde etiam dum res externæ gyrari videntur, hoc fit in Oculo, non extra Oculum, vel in Cerebro, vel Objecto externo. Nemo est, cui non Igniculi vel Flammulæ noctu in Tussi graviori vel percussione Oculorum in Aëre versari & extrinsecùs moveri videantur, quæ omnia tamen revera sunt in Oculo ; hoc enim non saltem fit in tenebris, sed etiam in quibusdam interdiu : ita etiam dum externa Objecta gyrari videntur, talis Motus fit in Oculo. Quòd si quis vulgari Scholasticæ Philosophiæ addictus dicere velit, reverà Visionem formaliter fieri in Sensu Communi, non verò in Oculo, cùm Oculus non videat, sed Sensus Communis tantùm, unde gyrati Spiritus in Medullâ Cerebri circa principium Nervorum, ubi fit Sensus Communis, Vertiginem inferant : Respondeo ego ipsi ex illius Hypothesibus, quas tamen nullo modo facio meas, *distinguendo inter Circumgyrationem* ipsam, & ipsius *Motûs Apparentiam*, ejusque à nobis *Perceptionem*. Concedo ex eorum Hypothesi, ipsam Apparentiam quidem, seu Repræsentationem ipsius Circumgyrationis, fieri in Sensu Communi, adeoque in Cerebro : non verò *actualem Circumgyrationem*, quæ Causa est talis Vertiginis. Totum hoc negotium, appositio simili, desumpto à Speculo, illustrat Petrus Johannes Faber *in Pathol. suâ*, quæ videatur. Nempe si habemus Vitrum Aquâ plenum, & per hoc videmus Objecta externa, illa videntur quieta, quamvis Liquor agitetur ; si verò accipimus Speculum, hocque movemus, pro motu Speculi etiam Objecta externa simul moveri videntur ; & si in gyrum rotatur Speculum, etiam ipsa Objecta circumvoluta apparent : conf. Willisius *de Anim. Brutor. Part. 2. cap. 7. pag.* 204. In Oculis ergò, in specie post Humorem Aqueum, in Humore Vitreo propè Tunicam Retinam, fit talis Gyratio, qua motus Spirituum Animalium se habet instar Aquæ communis in Vitro, rationem Speculi habet Tunica Retina, quod notum est ex Physiologicis.

## CAUSÆ.

*Causa* ergò *Vertiginis Proxima & Generalis*, ad quasvis earum *Differentias* se extendens, est *inordinatus, confusus* plùs minùs, ac interdum planè *interruptus Spirituum Animalium Motus* (hic in secundo Gradu, ille in priore) & in Partes externas influxus, unde omnia cætera dependent Symptomata; quæ pluribus videantur adducta in Willisio *loco allegato*.

Motus hic dum fit in Oculo, & dum Spiritus Animales in Oculo rotundo concamerato agitantur, hinc necessariò rotundo Motu in gyrum agitantur & moventur. Quòd si sub Motu isto Spirituum Animalium perturbato nimis, penitus deficiat Spirituum dictorum Radius in Oculis, Caligine & Tenebris Oculi obfuscari videntur. Verùm non in solo Oculo, sed *in reliquis etiam Sensuum Organis*, præsertim *Auribus*, similis fit inordinata Agitatio, unde & Sonitus Aurium ; in Partibus verò externis minùs firma Objectorum apprehensio & Casus contingere solet.

Ut ergò Rotatio in Vertigine fit manifestior, Tunica Retina consideranda est, quæ est Speculum, in quo depinguntur Objecta. Pro hujus ergò Motu etiam Objecta moveri videbuntur. Jam verò non Motus Spiritus in Oculo, sed Motus in Speculo visorio Oculi, infert Vertiginem : adeoque sicuti *Visus* naturalis fit per contactum Radiorum visualium ad Tunicam Retinam, & sicut contactus seu appulsus Aëris interni, moti ad Tunicam Cochleæ nerveam, *Auditum* excitat ; ita etiam Spiritus Animales, qui in Vertigine se habent instar Aquæ communis in Vitro, in Oculo gyrati, dum sub Motu illo illidunt in Tunicam Retinam, ejusdem Fibrillas agitant, & ibidem Impulsionem faciunt, talem Objectorum visorum *Circumgyrationem* apparere faciunt, sicuti appulsus ad Tunicam Cochleæ *Sonitus* istos apparere facit.

Sanè peculiarem & ipsius Tunicæ Retinæ simul concurrere Motum, patet simul ex variis *Coloribus*, imò & *Splendoribus*, subinde in Vertigine Caducâ, quando denuò ingruit Paroxysmus, ante Oculos apparentibus ; item *Epilepticis*, nec non Mulieribus *Hysfericis*, ingruente Paroxysmo ; item *Ebriis* tales Colores & Splendores interdum ante Oculos versari videntur flavi, cœrulei, virides, & similes ; quia in dictis Affectibus ab inordinato Motu Spirituum in Fibris Tunicæ Retinæ talis Impulsus seu Motus fit in Tunicâ Retinâ, qualis aliàs fit a Radiis visualibus ab Objectis luteis vel cœruleis, aut splendentibus in Oculum illabentibus, & Tunicam Retinam determinato Motu ferientibus, ut alius Motus fit, quando Objectum apparet album, alius, quando nigrum &c. sic si à Causâ Internâ talis Motus in Tunicâ Retinâ excitatur, simile fit in Sensu Communi Judicium, & similis Apparitio, unde cogitamus, tales esse Colores : Videb. Boyle. Imò si nimis inordinatus & tantumnon interruptus fit Motus, præsertim ad Oculum, in tantum Visus exinde perturbatur, ut etiam *Obscuratio* Oculi & *Caliginis apparentia* superveniat.

Quod attinet *Caliginem* : hujus alia ratio est, quòd nempe videantur Tenebræ. *Caliginis talis sensus* fit, non tam ex perverso Spirituum Motu, sed quando nihil videmus, concipimus Tenebras, quando claudimus Oculos, Caliginem percipimus in Oculo. Unde fit Caligo vel ex defectu Objecti lucidi aut colorati in Oculo, vel ex ejus nullâ Perceptione ; Nam utroque in casu Tenebras & Caliginem nobis imaginamur Jam verò in Vertigine Caliginosâ in secundo Gradu, sunt Objecta lucida, nec tamen eadem vident Ægri. Fit igitur, dum in interrupto Spirituum Animalium Motu abrumpitur eorundem ordinata & radiosa series, & in specie in Oculis iidem deficere incipiunt, videntur adesse Tenebræ, unde Caligo quasi repræsentatur. Ulteriùs, si ex Spirituum illorum Animalium inordinato Motu ad Musculos usque fit continuatio, nunc ex eorum hinc inde quasi abruptorum defectu cessans Objectorum apprehensio, & *Casus*, dum simul volunt cadere Ægri, quia Spiritus non sufficiunt pro apprehensione adminiculi ; nunc ex inordinato Influxu *leves Convulsiones*, imò interdum *graves Epileptici Insultus*, superveniunt. Adeoque non solùm Spiritus visorius in Oculis immediatè perturbari videtur in Vertiginis affectu, quin totum Spirituum Animalium Systema impetuosiùs in Cerebro concitari

citari in graviori Vertigine videtur, ita ut & reliquorum Sensuum Organa simul afficiantur. Qui Affectus verò, quia imprimis in Oculo est notabilis beneficio gyri, ob id à principaliori fit denominatio, & *Vertigo* appellatur, cùm posteriores duo Gradus ad *Lipothymias* vitio Spirituum Animalium propiùs accedant.

*Quæstio jam est de Causâ Remotâ*; unde iste Motus Spirituum inordinatus in Cerebro, & hinc in Organis Sensuum, dependeat, pro qua Motûs varietate variæ fiunt apparitiones in Organis Sensuum? Hujus ratione Vertigo est vel *per Essentiam*, quæ Morbum constituit, v. gr. ab affecto Cerebro qualitercunque immediatè orto? aut ratione vitii cujusdam in Cerebro conturbantis Spiritus Animales, quando Vertigo post Plagas aut Cerebri Concussiones sequitur: vel *per Consensum*, quæ est saltim Symptoma Morborum aliorum, quando verbi grat. vitio Stomachi, aut Partium quarundam inferiorum, uti à Passione Hysterica, &c. Vertigo oritur. Sed verum ut fatear, *rarissima est Vertigo per Essentiam*, quandoquidem quotidiana Praxis & Practicorum Observationes monstrant, *Vertiginem ferè omnem esse ex vitio Partium inferiorum*, utut diutiùs affligens & sæpè recurrens, usque eò Spiritus Animales Cerebri texturam per Motus Spirituum præternaturales alterare & immutare valeat, ut tandem ex vitio Cerebri proximo affligere videatur. Adeoque si est per Essentiam Vertigo, ferè occasione Causæ Antecedentis Externæ Caput ac Cerebrum plùs minùs lædentis successivè oriatur; vel quòd crebriore Affectione Vertiginis Cerebrum & Spirituum Animalium Systema ita sit dispositum, ut Cerebrum quasi per Essentiam videatur affici: rarò à Causâ Internâ. Utraque est vel *Habitualis*, seu ferè nullo non tempore afficiens, ac à Causâ Internâ ac radicatâ dependens; vel *Accidentalis*, à Causâ tantùm evidente oriunda, hinc non nisi hac præsente, affligens.

*Partes* istæ, *quarum consensu fit Vertigo*, primariò est *Ventriculus*, speciatim à Sordibus vitiosis, in aut circa eum commotis. Hujus varia peccata, imprimis vitiosus sui generis *Acor volatilis*, Orificium superius affligens, Vertiginem infert, propter Spirituum Animalium versùs Cerebrum recursum inordinatum. Hinc enim frequenter *Juvenes* diligenter literis incumbentes, in specie etiam *Senes*, sæpiùs sunt Vertiginosi, quamdiu jejunus est Stomachus; subito verò atque unam, vel alteram tantùm Panis buccellam aut similis Esculenti comederint, Malum cessat, unde etiam matutinis horis tantillum comedendo Vertiginem talem sæpiùs præcavent. Hinc etiam *qui laborant Affectu Hypochondriaco*, ordinariò sunt Vertiginosi, specialiter quando sunt jejuni. Est Vir hîc laborans Scabie, quem præmissis præmittendis jubebam se inungere cum Unguento quodam, sed calidè: dum autem cubitum petit, accipit Unguentum illinit Artus: sed quia Cubiculum est frigidum, accipit Vas Carbonum, & calelacit Artus, & sic cubitum petit: Mane evigilans totus erat Vertiginosus, & non audebat tres gradus progredi, ne corrueret: Dicebat: *sentire anxietatem & mollitiem, ac si omnia deberet evomere*: Suspicio erat, an Scabies esset retropulsa, quia Æger etiam inunxit Præcordia, brevi tamen pòst supervenìebat Vomitus cum euphoriâ Ægri. Ordinavi quædam Stomachica: versperi jussit afferri Vas carbonarium, Inunctionem repetiturus, subitò atque oltecit Carbones, Vertiginosus factus est: Hinc manifestum est, Vertiginem ortam fuisse *ex Fumo Carbonum*. Hæc ergò Vertigo erat per Consensum Stomachi, quia ejusdem Pathemata, Vomitus factus cum euphoriâ Ægri, satis ostendit in Stomacho fuisse radicem Mali. Notum autem est, Fumum Carbonum reddere Homines Caroticos, interdum Apoplecticos; in hoc verò Homine hic Fumus affecit Orificium Stomachi. Unde si ex Fumo Carbonum Vertigo oritur, & illa est ex Stomacho, quidni etiam, si ex Fumo Carbonum oritur Carus, erit vitium in Stomacho? Contagia enim non tam lædunt Caput, quam Ventriculum, Inspirata suscipiendo: vid. *suprà Lib. 1. ubi de Febr. Malign.* Inter Partes ergò per Consensum inferentes Vertiginem, primariò est Orificium Stomachi sinistrum: hinc semper conqueruntur de angustiis Præcordiorum, vomunt ferè semper; postmodùm Vomitoria assumpta, dum incipiunt operari, ut plurimùm Scotomiam solent inferre: utut Vomitoria adhuc hæreant in Stomacho: hinc Literatos ordinariò Liquor Martis Solaris curat; unde si mane quid assumitur, subitò cessat Vertigo.

Pertinent huc *Hystericæ Mulieres*, quæ admodùm sunt Vertiginosæ, & ut plurimùm præcedentibus Scotomiis *Suffocatio* dicta *Uterina* inchoat, aut etiam incipiente Paroxysmo Hysterico, & dum adhuc primos Insultus sentiunt circa Præcordia, Vertigine gravi subinde corripiuntur, in qua tamen malè Uterus accusatur, utpote qui est insons; est enim saltem modus quidam Affectûs Hypochondriaci hæc Suffocatio. Mulieres tales si patiuntur Vertiginem, certæ sunt, ingruere Paroxysmum, unde tunc usurpant Clysmata, quibus & Vertigo curatur, & Paroxysmi præcavantur. *Senes* etiam, ut dictum, sæpissimè Vertigini, non ex vitio Capitis, nisi interdum, quando præcessit Læsio, sed ex Stomacho sunt obnoxii, concurrentibus tamen simul proximè Spiritibus Animalibus debilioribus, cum vitiatâ simul plùs minùs Cerebri texturâ; unde vel levi Occasione, nempe Capitis Refrigeratione, attentâ Meditatione, aut levi Corporis Agitatione, Paroxysmo Vertiginis corripiuntur; imprimis pejus habent, dum sunt jejuni. Quidam Senex Vertiginosus tempore hyberno præprimis, dum exit jejunus, pejùs se habet, quàm aliàs si quid assumat. Malum ergò hîc est ex Stomacho. *Ebrietas* quoque ad Vertiginem disponit, unde Ebriosi omnes Vertiginosi sunt; ipsis omnia duplicia esse apparent: in Paroxysmo quidem per Essentiam vitio Spirituum Animalium ab Alimento nondum ritè assimulato, ut & Spiritu vinoso inordinatè vel confusè agitatorum; extra Paroxysmum verò Ebrietatis Vertiginem saltem per Consensum Ventriculi patiuntur. Porrò non nulla *Assumpta*, verb. grat. Flatulenti Cibi sic dicti (non enim sunt Flatus in Cibis, sed fiunt in Stomacho) ut Cepæ, Allium, Nasturtium, Rapa, Brassica, Raphanus hortensis & rusticanus, & similia *Oleracea*, etiamnum in Ventriculo hærentia, in quibusdam etiam Spiritus Salis Ammoniaci Vertiginem & Scotomiam in non nullis excitant. Imprimis *Sordes* præternaturales, fortiùs impactæ Orificio Stomachi, commotæ Vertiginem inferunt; unde si proprium Fermentum Stomachi jejunum has Sordes aggrediatur, Vertiginem infert. Vitia quoque *Intestinorum* verb. grat. *Vermes*, subinde graves inferunt Vertigines & Scotomias; sicut etiam interdum Epilepticas Convulsiones. Præterea tamen ex *Liene*, *Utero* malè constituto, *Renibus*, aliisque Partibus nerveis insignioribus, per Consensum itidem oriri potest Vertigo. Sic etiam *Calculus Renum*, ex Pelvi in Ureteres commotus, in quibusdam graves inferre solet Vertigines & Scotomias. Quò etiam facit Vertigo à *Dolore* acuto, *Ulcere*, aut *Sphacelo* Artuum, cujus Willisius *l. a.* meminit.

Sed *quomodò fiat talis Vertigo per Consensum*? Quæstio est. Vulgò ad *Vapores*, *Exhalationes & Effumationes* ex inferioribus Partibus in Cerebrum elevatis

elevatis confugiunt: Sed *impoſſibilis eſt horum Vaporum tranſitus*, viis omnibus ſufficienter munitis, imprimis cùm etiam Helmontius *in ſuis Scriptis*, & hinc Schneiderus *de Catarrh. lib. tribus*, ſufficienter diſcuſſerint hos ipſos Vapores vel Halitus, qui è Membris aut è Cavitatibus Corporis exhalare finguntur. Dicendum potiùs, ſubeſſe tunc ut plurimùm leviores Partium internarum Spaſmos, quorum occaſione Spirituum versùs Cerebrum radiativorum inordinatus & quaſi undulatorius in eo ſupervenit Motus, & quaſi Reſilitionis Impetus, qui reliquias eorum copioſas in Cerebro impetuoſiùs commovens, eoſdem in Motus inordinatos & confuſos cogit, ſicque Vertiginem infert: Vid. imprimis Williſius *de Morb. Convulſiv.* Dum verò *Spirituum iſte Recurſus & Reſilitio* plùs minùs vehemens ab Objecto inadæquato, præternaturaliter Partem ſenſilem nerveam vehementiùs afficiente, nata contingit, & ad Cerebrum uſque defertur, *Formicatio* talis, ſeu velut *Auræ frigidæ adſcenſus*, perſentiri videtur; utut hoc non in omnibus æquè contingat: ex. gr. ex graviore in quodam loco Dolore quidam Vertiginoſi redduntur, Objecti dolorifici occaſione, Spiritibus ad Partem dolentem commotis, & aliquid ſpaſmodici plùs minùs efficientibus: fortioris verò ab Objecto doloroſo Impreſſionis ratione repulſi, iidem & quaſi reſilientes, Vertiginis Pathema inferunt. Exemplum dicta illuſtrans eſt, quod refert Fonſeca *lib. 2. Conſult.* 30. ubi refertur Mulier, quæ incœpit pati per intervalla Hebetudinem quandam repentinam circa Oculos, cum quadam Ventris perturbatione, quo tempore Corpus regere non poterat, ni caderet: tempore Acceſſionis dicit ſe ſentire *Fumum* quendam ex partibus Ventris ſurſum aſcendentem, parùm tamen durare hoc Symptoma: ſimul admodùm prompta eſt ad *Vomitum*, ita ut quotidiè fere evomat Bilioſa, ac Pituitoſa. Malum hoc eſt Affectus ille, quem *Vertiginem per Conſenſum Uteri* vocant, cùm tamen circa Hypochondria Minera, Materia & Occaſio ſenſibilis, deliteſcat, quod Vomitus perſuadet: quâ commotâ, & Partibus nerveis illorum locorum alteratis, ſuprà explicato modo Fumi adſcenſum repræſentat, donec Vertigo ſuperveniat. Reverà ad Paſſiones dictas Hyſtericas pertinet. *Fumus hic*, quem ſentit Mulier adſcendentem, ſunt reverà *Spaſmi*, qui inchoati in Plexibus Meſenterii, & continuato Nervorum Paris Vagi & Intercoſtalis tractu, ſupra Dorſum ſurſum prorepentes, talis progreſſus Fumi elevati ſpeciem referunt, donec iſti Spaſmi ad Cerebrum uſque continuati ibidem Spiritus Animales in confuſiones agant, quibus confuſis conſequenter in Senſuum Organis motis Vertigo oritur. Sic Bartholinus *Centur.* 5. *Hiſtor.* 74. habet *Vertiginem* quinque annorum Vaporis inſtar, *ex Pede* ſiniſtro in Caput adſcendentis, accedente ſimul vago Capitis Dolore; qui Aſcenſus reverà nil aliud eſt, niſi Spaſmus Nervorum ad Pedes protenſorum, qui antecedit occaſione Objecti irritantis: impetuoſiùs autem inde reſilientibus, Nervi ſucceſſivè Spaſmo correpti talem Motum Aſcenſionis apparere faciunt, unde vulgò Vapores & Fumi adſcendentes accuſantur. In Praxi ſæpiùs occurrit, quando Ægri dicunt: *repit ſurſum*, idque poſſunt ſentire. Pluribus deduxit Williſius *in Anat. Cerebri*, *Pathолog. Cerebri*, *& de Anima Brutor. lib. 2. cap. de Vertigine.* Ulteriùs conſideretur pro Confirmatione *Calculus*, qui ſimpliciter motu ſuo extra Pelvim in Ureteres ad Vertiginem diſponit, ut ſuprà innui. Calculus enim in ſuo motu excitat Spaſmum omnium partium Abdominis, hinc infert Colicam Spaſmodicam & Vomitus, quæ Pathemata Spaſmodica continuant uſque ad radices Nervorum in Cerebro, cujus Fibræ ibidem vellicatæ univerſum Spirituum Syſtema ſimul commovent, qui commoti Vertiginem inferunt. Item conſiderentur *Vomiturientes*, quando malè ſe habent, qui cum *Labii tremore* ſimul vertiginoſi quid patiuntur, quod ex Spaſmo fit. Eadem enim Tunica, Labia & Stomachum inveſtiens, Stomacho affecto, ſimul convellitur, unde tremit Labium inferius. Ut plurimùm ergò, ubi tales accuſantur Fumi, adſunt Nervorum Spaſmi, aut ubi non adſunt tales Spaſmi, adeſt ſaltim *Maſſa Sanguinea halituoſa* & quaſi vaporoſa, quæ etiam ad hoc Malum diſponit. Talis Maſſæ Sanguineæ halituoſæ ſtatus apparet in Hypochondriacis & Scorbuticis, in quibus ſubinde ſubitò Venæ turgent, & etiam ſubitò iterum concidunt, ſine manifeſtâ causâ. Unde interdum, utut rarò, à tali Sanguine ad Cerebrum delato & Spiritus Animales inquinantur, & inordinatè agitantur, ac Vertigines oriri ſolent: adeò ut Lindanus omnem Vertiginis rationem ex tali Sanguine halituoſo deducat. Illuſtratur hoc ipſum, quando Vertigo ſupervenit Mulieribus ex *Menſium ſuppreſſione*, vel Viris Plethoricis ἐνσάρκοις; Hinc in tali Vertigine, quæ *vitio Sanguinis* fit, ſubinde Venæ ſectio optimè convenit: Conf. Horſtius *in Probl.* 3. *Decad.* 2. *pag.* 22. Unde Vertiginem diuturnam caſuali Hæmorrhagiâ Narium ſolutam Loſſius *lib.* 1. *Obſ.* 8. teſtatur. Reverà autem in Vertigine per Conſenſum ut plurimùm ipſarum Partium inferiorum Spaſmi adſunt, ſeu occaſione Mali Hypochondriaci, Hyſterici, Splenetici, Vomiturientis, aut alîus ſimilis excitantur, quarum Partium Spaſmi ſucceſſivè in Cerebrum vibrati, & Spiritus ibidem in Motiones agentes, Vertiginem inferunt: Vid. Williſius *in Anat. Cerebri*: quæ Vertigo per Conſenſum, imprimis Stomachi, eſt frequentiſſima. Quòd ſi ſæpiùs repetat talis per Conſenſum Vertigo, fit tandem, ut alteratâ Cerebri texturâ à crebrioribus iſtis & inordinatis Animalium Spirituum Excurſionibus, tandem vel levi datâ occaſione in ſimiles inordinatos Motus Spiritus Animales erumpant, & ita tandem ſuo modo per Eſſentiam evadat.

*Quod attinet Vertiginem per Eſſentiam*, ferè *triplici modo* fieri ſolet:

I. *A Conformatione Cerebri plùs minùs vitioſâ*, occaſione Cauſarum Externarum, quando per Contuſiones, Plagas, Concuſſiones Cerebri, Caſus ab alto fortiores, Vulnera Capitis graviora, vel etiam ſanata, & ſimiles Cauſas, quæ quoſcunque Poros Cerebri, & Canales ejuſdem minutos, adeoque ipſam Texturam, ita immutare valent, ut Spirituum Animalium curſibus & expanſionibus naturalibus impeditis, hi ipſi poſtmodum vitioſo & inordinato moveantur Motu, unde Vertigines, & Epilepſiæ: Sic Deodatus obſervavit Vertiginem ex Caſu ab Equo, ita ut tandem ſupervenerit Apoplexia lethalis; Ibi enim ex Concuſſione, Cerebri Pori & delicatæ Fibræ compreſſæ ſunt, unde Spiritus Animales in Motu impediuntur. Interdum ſed rarò, ſine talibus manifeſtis Cauſis Læſio Cerebri interna, indeque collectio Heterogenei, Cauſa occaſionalis Vertiginis exiſtit, à quibus ceu Cauſis occaſionalibus facillimè Vertigo infertur. Faciunt nempe huc Fumi Metallici, in ſpecie Mercuriales, qui frequentiùs hauſti per Nares imprimis Cerebrum affligunt, & ita Vertigines per Eſſentiam inferunt: cujus Exemplum recenſet Frambeſarius *lib. 2. Conſult.* 3. de Vertigine Tenebricosâ, ſine ullâ intermiſſione in Chirurgo, qui crebrò Lue Gallicâ infectos curaverat beneficio Inunctionis Mercurialis,

unde à virulentiâ Mercuriali, Generi nervoso ac Cerebro infestâ, ipsi communicatâ, Malum ortum traxisse probabile est.

II. *Ab Heterogeneitatibus cum Sanguine ad Cerebrum adductis.* Heterogeneum istud in Cerebro existens *triplici modo* Vertiginem infert: (1.) Quando aliquid Heterogenei *Sanguini & Spiritibus Animalibus* est permistum, ut fit v. g. in Paroxysmo Ebrietatis, vitio nempe Spirituum Animalium per Spiritûs Vini copiam inquinatorum. Spiritus enim vinosi volatiles, nondum ritè iisdem assimilati, iisdem permiscentur, unde impuri rédduntur, & in Cerebrum translati in suo motu turbantur: Idem etiam fit sub hausto Fumi Tabaci in non adsuetis. Vel (2.) quando aliquid Excrementitii præternaturalis *Cerebro* immissum fuerit *cum Sanguine aut Sero* influentibus: hinc enim Suppressiones Sanguinis consuetæ extraordinariè subinde Vertigines inferunt. Vel (3.) quando *ex Læsione ipsius Cerebri* quâcunque, ex vitio Digestionis privatæ *Recrementa varia in eodem generantur*, à quibus retentis Spiritus Animales turbantur, unde Vertigines & alia Mala oriuntur: sic v. gr. ex Sero Caput & Cerebri interiora replente Vertiginem observavit Platerus *Obs. p.* 102. & Scultetus *Armament. Obs.* 19. Vertiginem in Juvene ex Vesiculis Aquâ limpidâ plenis in Cerebri sinistrâ parte inventis, observavit Wepferus *Tr. de Apopl. pag.* 96. & 70. & Rolfinckius *Dissertat. Anatom. lib.* 1. *cap.* 13. Item similia Exempla ferè habet Scultetus *in Obs. Chirurg. Obs.* 10. 11. & *Obs.* 25. refert Fœminam ex Contusione Sincipitis curatam, quam insecuta Vertigo gravissima, quæ tandem in Apoplexiam desiit; aperto Cranio repertus fuit Folliculus aquosus in Cerebro, ratione cujus probabile est, Vertiginem enatam fuisse: sic Zacutus Lusitanus *lib.* 7. *Med. Princ. Histor. Observ.* 12. observat Paroxysmum Vertiginis per abscessum Materiæ purulentæ ex Aure aliquoties curatum. Facit huc Vertigo singularis Schenckii *in Observ. ubi de Vertigine*, curata ingenti purulentæ Materiæ per Dentium alveolos & Os excretione: A Vermibus vid. Boneti *Sepulchr. lib.* 1. *Sect.* 1. *Obs.* 116. ex Sphacelo Cerebri, vid. Bartholini *Acta Haffnienf. Vol.* 1. *Obs.* 33.

III. *Ob Sanguinis & Spirituum defectum*, v. g. in Syncope, Vigiliis diuturnis, longiore Inediâ, Hæmorrhagiis, Gonorrhœis, &c. Hinc *ex nimiâ Venere* Vertiginem cum Aphoniâ & intolerabili Capitis Dolore notat Ballonius *in suis Histor.* absumptis nempe Spirituum Animalium copiis, & exhausto plùs minùs Cerebro, facilè quid vertiginosi cum Sanguine instillare potuit.

## DIAGNOSIS.

Sequuntur *Signa.* Signa Vertiginis partim ex ante dictis per se patent, partim ex relatione Ægri cognoscuntur, saltem observanda sunt Signa distinctiva Vertiginis per Essentiam & per Consensum.

*Per Essentiam* Vertigines fieri suspicio tunc est, quando Morbi Capitis præcesserint graviores, vel Vertiginem concomitantur, v. gr. Insomnia graviora, Dolor Capitis, Aurium Tinnitus, &c. aut etiam si externæ quædam Læsiones seu Molestiæ, v. g. Vulnera, &c. anteà acciderint Capiti.

*Per Consensum* verò fieri Vertiginem suspicio est, quando non propriè affligitur Cerebrum, sed si sine dictorum præsentiâ, & cum debilitate & noxâ Partium aliarum inferiorum, ut Affectu Hypochondriaco aut Hysterico, Vertigo observatur: Ita v. g. Ventriculum Vertiginis autorem existere, dignoscitur ex hujus Symptomatis, quando per Vomitum Vertigo aut levatur, aut insigniter curatur, item si Vertigo ante Pastum potiùs, quàm à Pastu affligat, aut post assumptum Alimentum quodcunque Vertigo fiat levior, &c. Vertigines Stomachales enim rarò affligunt à Pastu.

Vertigines Mulierum Hystericarum, & Hypochondriacorum per se patent.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Observandum est, quòd *Vertigo Symptomatica Accidentalis* levior, ac recens parum habeat in recessu, & curatu facilis existat; *Habitualis* verò gravior præcipuè, & diuturnior, imprimis *Scotomia*, in specie citra manifestam Causam Externam inchoans, Hypochondriaci Mali ferè sit indicium, & difficulter curetur: ut plurimùm verò *in Senibus* Apoplexiam, *in Junioribus* Epilepsiam, certissimè prænunciat.

Sanè *in Senibus* Vertigo confirmata rarò fallit, quin comitem secum ducat Apoplexiam. Unde etiam Vertigo in Senibus longè periculosior, ac difficiliùs curabilis, quàm in Junioribus.

Hinc *pro varietate Graduum* etiam plùs, vel minùs affligit: siquidem *Vertigo Caduca* omnium gravissima, & periculosissima est; minùs *Vertigo Tenebricans*, quando simul Caput, & Corpus gyratur; minimè omnium *Vertigo Simplex*, in qua tantummodò Externa circumagi videntur, non tamen Caput, aut totum Corpus.

Quia autem modò anteriorem, modò posteriorem magis, Capitis partem afficit: *Illa* pariter magis tuta, & curabilis est, dum nonnunquam, vel Hæmorrhagiâ Narium, vel Mensium, & Hæmorrhoidum fluxu solvitur: vid. Lossii *Observat. lib.* 1. *Observat.* 9. ubi Vertigo nullis cedens Remediis tandem Casu ab alto, superveniente Hæmorrhagiâ Narium, curata est: quum verisimile est, à Sanguine proveniisse, ex toto Corpore per Arterias in Cerebri Ventriculum anteriorem irrepsisse, qui in Plexu Choroide agitatus turbulentos Sensus & Motus reddiderint: Econtrà *Hæc*, quia Spirituum ad Nervos influxum magis turbat, longè periculosior observatur, quatenus frequentiùs in Apoplexiam, Paralysin, & Morbos Convulsivos abit: vid. Willisius *l. a.*

## CURA.

In *Curâ* hujus Morbi *duo Tempora* considerandа sunt:

1. *Tempus extra Paroxysmum*, ut *Præservatio* instituatur, &
2. *Tempus in Paroxysmo*, in specie Vertiginis Caducæ, ut ritè sistatur, & *Curatio* peragatur.

Quoad *Præservationem*, seu Curationem extra Paroxysmum: ea respicit Fomitem morbosum, ubi in specie Causa Antecedens Vertiginis perscrutanda, & removenda, adeòque præsertim Viscerum Abdominis ratio habenda, hinc Spiritus Animales Appropriatis & roborandi, & impetuosus eorum Motus sistendus, & cùm Malum frequentissimum sit per Consensum ex Stomacho, seu primis viis, ob id *Vomitoria* juxta Hippocratem *lib.* 4. *Aphor.* 27. & hinc Remedia *Stomachica*, *& Aromatica* communiter dicta, primatum obtinent; quibus subjungantur *Specifica*, & Vertigini dicata. Vomitoriis, si Fomes extra Ventriculum, & Vertigo diuturna fuerit, substitui solent *Purgantia*, eaque blandiora: nam fortia omninò erunt vitanda (juxta Hippocratem *Prorrhet. l.* 1. *t.* 9.) utpote, quæ vertiginosos Motus

etiam

etiam in non Vertiginoſis cient; videb. à Cruce *de Quæſ. per Epiſt. Cent. 4. pag. 427.* Cùm verò in genere ſuprà dictum ſit, Vertiginem graviorem eſſe parvam quaſi Epilepſiam, & hanc ſubinde illam inſequi, hinc Vertiginem in ſpecie omnia ea Appropriata ſiſtunt, *quæ Epilepſiæ conveniunt*; ſicuti contrà omnia Antivertiginoſa etiam Epilepſiæ medentur.

In *Curatione ipſius Paroxyſmi*, præprimis Vertiginis ſecundi, & tertii Gradûs, vel *Vomitus*, vel *Opiata*, vel *Antiepileptica*, in ſpecie volatilia Nervina, & Aromatica, qualia de Epilepſiâ notabimus, tam *Externa*, quàm *Interna*, ſunt optima.

Pro his Scopis meliùs obtinendis, *Obſervandum*

I. In Vertigine per Conſenſum *Vomitoria* in utroque caſu ſunt omnium optima, præſertim in Malo contumaciori, vix ſine Vomitu curabili, in ſpecie cùm frequentiſſimè Vertiginis radix hæreat in Stomacho. Monſtrat hanc viam nobis ipſa Natura, quæ in Vertigine per Conſenſum Nauſeam excitat, interdum Vomitus cum Ægri euphoriâ: ſic refert Piſo *Tr. de Colluvie ſerosâ pag. 69.* de quodam, qui Vertigine quinque annorum laboravit, & inſigniter commotus fuit, curatum per ſpontaneum Naturæ motum, per Vomitum frequentem, & copioſum Aquæ puræ, & limpidæ. Sequamur ergò in Vertigine Naturam, & imprimis à Vomitoriis Curam inchoëmus: e. g.

℞. *Tartari Emet. Mynſ.* gr. ij.
*Sdl. Ammoniaci depur.* gr. ix.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis Emeticus.

Loco Vomitoriorum, aut etiam poſt eorum uſum, injiciantur *Clyſteres acriores*, quales infrà *Art. 1. Cap. 3. ubi de Apoplexiâ*, annotabo.

II. Poſt Vomitoria in Vertigine diuturnâ inveteratâ, aut contumaciori, in ſpecie ſi eſt per Conſenſum, convenit Fomitem morboſum blandis *Purgantibus* evacuare: quæ inter eminent Maſſa Pilularum de Succino *Cratonis*, quæ egregiè conveniunt, adjecto pro ſtimulo Extracto Colocynthidis; item Maſſa Pilularum Aloëphanginarum, de Aloë, Angelicæ dictæ, Maſſa Pilularum de Nitro, Pilulæ etiam Maſtichinæ præ cæteris conveniunt, imprimis in Vertigine per Conſenſum Stomachi, aut etiam Uteri, ut vult Foreſtus: Pilulæ Cochiæ commendantur, ubi vitium eſt in ipſo Cerebro; ſunt enim ſatis vehementes, & validæ. Item *Extractum Hellebori nigri* cum *Mercurio dulci*, uti egregium eſt Purgans Epilepticorum, ita etiam Vertiginoſis prodeſt. Dabo Exemplum:

℞. *Maſſ. Pilular. Maſtichin.* ℈j.
*Extr. Agar.* gr. v.
*Scamm. ſulphurat.* gr. ij.
*Olei deſtill. Succini* gutt. ij.
Cum *Eſſ. Succini* f. Pilulæ.
D. S.
Pilulæ Cephalicæ.

Utut potiùs conveniant Stomacho ratione Vertiginis per Conſenſum; in Signaturâ ſimus faciles.

Vel

℞. *Mercurii dulc.* gr. xv.
*Scamm. ſulphurat.* gr. iij.
M. f. Pulvis. S.
Pulvis Laxativus.

Præ cæteris obſervetur, in Malo inveterato per Conſenſum minùs convenire Purgantia, ſed Præſervationis gratiâ convenire potiùs *Pilulas uſuales*, quæ blandè evacuant primas vias, aliquot ſedes moderatas provocando, & ſingulis Noviluniis, & Plenilunnis inſtantibus, uno, vel altero die ante mutationem Lunæ, veſperi uſurpari poſſunt. Fiunt ex *Aloë*, *Gummi Ammoniaco*, *Myrrhâ*, *Maſtiche*, & ſimilibus, adjecto ſtimulo leni, ut mundæ ſerventur primæ viæ, ac Fomes ex Abdomine evacuetur, & ſic ſubtrahatur Vertigini Fomes.

III. *Venæ ſectio* per ſe vix convenit. Interdum tamen, ubi adeſt ordinaria Sanguinis Evacuatio ſuppreſſa, vel ubi eſt Sanguis copioſus cum Vitâ ſedentariâ; aut hic facilè ſit ebulliens, ac turgeſcens, qui aliis Flatuoſus dicitur, aut quando à Sanguine plùs minùs fovetur Malum, tunc optimè conducunt Venæ ſectiones: de quo vid. imprimis Horſtius *in ſuis Problem. Decad. 2. quæſt. 3.* ubi habet Exemplum Vertiginoſi Plethorici, qui aliis irritis per Venæ ſectionem optimè fuit curatus; item Sennertus *Prax. lib. 1. part. 2. cap. 4. pag. 269.* ſicut etiam Vertiginem diuturnam Hæmorrhagiâ Narium caſuali ſolutam Loſſius *lib. 1. Obſ. 18.* teſtatur: imò idem Horſtius *l. a.* Platerus, & Sylvaticus *Cent. 1. Conſ. 40. Arteriotomiam* quoque interdum commendant. Aliis in caſibus vix locum habet.

IV. Obſervandum: A *Sternutatoriis* omninò eſſe abſtinendum, cùm in Vertigine per Conſenſum nil conferant, in Eſſentiali autem Vertigine nihil evacuetur ex Cerebro, ſed ſaltem circa Nares, & partes vicinas: Genus nervoſum nimis commovent (eſt enim Sternutatio Motus Convulſivus) indeque facilè Spiritus Animales in inordinatos Motus cogunt: & quamvis non nullæ vitioſæ Materiæ pars evacuari videatur (poſitô eſſe per Eſſentiam); tamen Symptoma exinde potiùs magis concitatur, quia metus eſt, ne excitetur Convulſio Thoracis, & ſic ad Epilepſiam promptiùs diſponatur Æger. Ut taceam, Sternutationem Oculis minùs eſſe convenientem, ſed potiùs nocivam.

V. *Fonticuli*, *Veſicatoria*, *& Setacea*, in Senibus, & Subjectis Cacochymico-ſeroſis, in Vertigine imprimis per Eſſentiam inveteratâ, curativè, & ratione Apoplexiæ præſervativè, ſunt optimi, & ſingularis usûs, brachio inſiti, ubi Affectus ſimplex; Capiti verò, aut Nuchæ applicandi in Vertigine Caducâ, aut Apoplexiam, aut Epilepſiam minitante: vid. Zacutus Luſitanus *lib. 1. Prax. Admir. Obſ. 78.* Si verò ex ſuppreſſis Hæmorrhoidibus, vitio Uteri, Ulcere, aut Fiſtulâ coaleſcente, Cruribus inurendi.

VI. Præmiſſis ergò præmittendis, factâ totius Corporis Purgatione, ſedato Paroxyſmo in *Præſervatione* opera danda, ne redeat Malum, adeòque imprimis, vel *roboretur Stomachus*, & alteretur Digeſtio vitiata, vel *ſpecificè Vertigini reſiſtatur.*

Quoad *Stomachica*: inter talia eminent *Aromatica volatilia*, *& paulò acriora*, ac vi aromaticâ prædita, quæ imprimis Senibus conveniunt; ver. gr. Galanga, Zingiber, Nux Moſchata, Cubebæ, Semen Sinapi, & ſimilia, v. gr. Semen Sinapi omni mane crudum comeſtum, eſt egregium ad Vertiginem, imprimis per Conſenſum. Idem etiam convenit Senibus, quando ſub Vertigine metus eſt Apoplexiæ; e. g.

℞. *Galang.* ℥ß. ad ℥j.
*Cubebar.* ʒij. ad ʒiij.
*Sacch.* ℥iß.
M. f. Tragea. D. S.
Tragea Caput confortans.

De qua aſſumantur ʒij. cum Pane biſcocto, Vino generoſo intincto, horâ unâ alterâve ante cœnam, & prandium.

Vel ad imitationem Lindani uſurpetur Pulvis:

℞. *Gran. Pæon.*
*Coriandr.*
*Nuc. Moſchat.*
*Viſc. querc.*

*Cubebar.*
*Galang.* an. ʒij.
*Piperis long.*
*Zingib.*
*Rad. Tormentill.*
*Fol. Roriſmar.* an. ʒj.
M. f. Pulvis compoſitus.

De quo ſumatur mane, & veſperi ʒß. ſive cum, ſive ſine Saccharo pro lubitu.

Imò, vel ſola Galanga miſta cum Succino ab eodem commendatur ad Curam Vertiginis. Convenit itidem Elixir Proprietatis miſtum cum Spiritu Maſtichino; ſicut in genere omnia Maſtichina, præſertim in Vertigine à Stomacho, ſunt optima: item *Elixir Menthæ*, & ſimilia cum *Spiritu Maſtiches* miſta, præſervant à Vertigine. In Senibus ad præcavendam Vertiginem, ſimulque Apoplexiam, convenit imprimis *Electuarium ex Aromatibus Stomachicis* crebriùs uſurpatum:

℞. *Conſ. Flor. Anthos.*
*Salviæ* an. ʒß. vel ʒvj. ad ʒj.
*Majoran.* ʒß. ad ʒvj.
*Zingib. in Ind. cond.*
*Nuc. Moſch. cond.* an. ʒiij. vel ʒß.
*Sem. Erucæ*,
*Sinapi* an. ʒiß. vel ʒiij. ad ʒvj.
*Succini præp.* ʒij.
*Cardam.*
*Cubebar.*
*Galang.* an. ℈j.
*Salis vol. Succin.* ʒß.
*Spir. Ceraſ. nigr.* ʒj.
Cum ſ. q. *Syr. Flor. Tunicæ* f. Electuarium.
D. S.

Electuarium Cephalicum, & Stomachale pro aliquot vicibus.

Ditioribus addi poteſt aliquantulum Confectionis Alchermes, quæ ratione Ambræ, & Moſchi Senibus imprimis conducit. Capiatur omni mane, & ſub introitu lecti quantitas Nucis Caſtaneæ; poſt paſtum verò maſticentur Seminum Sinapi pug. ij. vel iij.

℞. *Conſ. Menthæ*,
*Meliſſ.* an. ʒß.
*Cinnab. Antimonii* ℈ß.
*Olei deſtill. Roriſmar.*
*Succini* an. gutt. ij.
Cum *Syr. Menthæ* f. Bolus.
D. S.

Electuarium Caput confortans pro unâ vice.

His equidem *Vertigo Accidentalis*, ſeu minùs inveterata, præſertim per Conſenſum, curari ſolet. *In Habituali*, ſeu inveterato Malo verò undecunque nato requiruntur prætereà, iſtis tamen non neglectis, *Specifica* Vertigini appropriata: qualia *ex Regno Vegetabili* ſunt Radix Doronici imprimis, Chærefolium, Calendula, Salvia, Roſmarinus, Buxus, Thea, Cubebæ, Semen Sinapi, Flores Liliorum convallium, Radix Pæoniæ, de qua videb. Riverius *Obſerv. communic.* & in genere quælibet cætera Cephalica, & Epileptica. *Doronicum* quidem ſingulariter à quibuſdam laudatur ad Curam Vertiginis: Sed vereor, ne ex præconceptâ magis opinione, quàm rei veritate, fiat. Putant enim *Rupicapras Alpinas* ejus uſu reddi aptas, ut citra Vertiginem montes adſcendant; quod ipſum tamen Naturæ proprium, & Conſuetudinis videtur beneficium. Unde etiam Lapis in eorum Stomachis repertus, ſeu, ut alii vocant, Ægagropila, pulveriſatus aſſumptus commendatur à Wormio contra Vertiginem. Quidam parant ex Doronico Eſſentiam, eamque ſingulariter ad Vertiginem commendant. *Funambuli* quoque ejus uſu contra Vertiginem ſe munire dicuntur, ſaltando in funibus, quod ipſi ſibi tanquam ſingulare Secretum referunt; attamen pariter dubium. Poſt Doronicum eſt *Chærefolium* admodùm laudatum, quocunque modo uſurpetur, ſive cum Juſculo aſſumatur, ſive Eſſentia, aut Extractum paratum cum Spiritu proprio uſurpetur, in ſpecie, quando eſt Vertigo ex vitio Stomachi. Hinc *Salvia*, & *Roſmarinus* ſunt egregia. Salviæ Decoctum in Aquâ, vel Vino, tam interno uſu, quàm externo, ſi eô abluatur Caput, ac applicetur Fronti, Temporibus ſingulariter laudatur à Stoeckero *in Praxi* Eſſentia Salviæ cum Spiritu proprio parata non eſt inconveniens. Sanè aliquando Eſſentiam compoſitam ex ſolo Chærefolio, & Roremarino proficuam in Vertigine per Conſenſum expertus ſum; item Eſſentiam Catarrhalem *Michaëlis*, vel Eſſentiam ex ana Salviæ, Caſtorei, Zedoariæ, cum Spiritu Salis Ammoniaci paratam, ad 40. guttas exhibitam; vel aliud Sal volatile aromaticum, & oleoſum à 30. ad 40. guttas. *Roſmarinus*, ejuſque Eſſentia admodùm commendatur à Ferdinando in contumaciſſimâ Vertigine, in ſpecie, ſi exaſperetur Malum in Frigore hyberno, id quod Senibus ferè familiare, tunc Eſſentia modò ex Roremarino elicita admodùm convenit. Præter dicta hæc Vegetabilia etiam Meliſſa, Majorana, Euphraſia, Fœniculum, Semina Calida minora, item ferè omnia *Aromata*, in ſpecie Zingiber, & Galanga, commendantur contra Vertiginem, item Caſtoreum, Ambra griſea, & ex his Vegetabilibus paratæ Eſſentiæ, Spiritus, & Olea: V. g.

℞. *Eſſ. Chærefol.*
*Salviæ*,
*Ocimi*, *ſive Baſil.* an. ʒj.
*Caſtor.* ʒiß.
*Ambræ* ʒß.
M. D. S.
Eſſentia contra Vertiginem.

Doſis 40. uſque ad 50. guttas, bis in die per bihorium ante paſtum.

*Buxus*, in ſpecie ejus *Oleum deſtillatum*, uti in Epilepſiâ, ita in Vertigine optimum judicatur Remedium intùs, & extrà, quod Fonſeca *Conſil.* 16. mirè laudat, ſingularem vim habet narcoticam, extrà quidem inungendo quotidie Temporum Arterias poſt Aures, hinc Pulſus in Manibus, ac Pedibus; intùs verò propinat ita:

℞. *Conſ. Flor. Anthos*, *vel Calend.* ʒiij.
*Olei deſtill. Buxi*,
*Nuc. moſch.*
*Menthæ* an. ʒß.
Cum ſ. q. *Syr. Cort. Citri* f. Electuarium.
Doſis eſt ʒß.

Imò ſi guttæ vj. viij. vel ad ſummum x. Olei deſtillati Buxi cum aliquot unciis Aquæ Pæoniæ exhibeantur, egregium eſſe Remedium inquit; cujus defectu, & Oleum Corylinum non inconveniens eſt.

*Cubebæ* maſticatæ ſtomacho jejuno, aut etiam Vino infuſæ, ſicque bibitæ, multum conveniunt; non ſecus, ac *Semen Sinapi crudum* contuſum, jejuno ſtomacho quotidie comeſtum, expertum eſt ad Vertiginem, etiam Senum, eſtque ſimul egregium Antiepilepticum, & Apoplecticum. Expertum eſt etiam ad Vertiginem cum *Caricis pinguibus*, & *Semine Sinapi* paratum *Electuarium*, quod pro uſu præſervatorio Vertiginis eſt egregium. Lignum Aloës, item Santali, ab Hildeſheimio *Spicil. pag.* 455. commendatur, & Conſerva Florum Calendulæ à Riverio *Prax. lib.* 1. *cap.* 9. *Ex Compoſitis* aliis in uſu eſt quibuſdam *Theriaca Hippocratis* dicta: ſcilicet

℞. *Succ. Abſinth.*

*Marrub.*

*Marrub.* an. q. ſ.
*Pulv. Stœchad.*
*Maſtich.*
*Rhabarb.*
*Chamædr.*
*Chamæp.* an. ʒiij.
*Hyſſopi* ʒj.
*Agar.* ad pond. omnium.

Loco hujus uſurpetur Electuarium à Solenandro *ſect.* 1. *Conſ.* 2. commendatum :

℞ *Theriac. Androm.*
*Conſ. Flor. Salv.* vel *Beton.* vel *Anthos* an. part. j.
*Roſar.* p. ii.

Cum *Mell. Anthoſat.* ſ. Electuarium.

*Ex Regno Animali*, *Pavo* ejuſque *Stercus*, ceu ſingulare Specificum mirè laudatur ab omnibus Practicis, cujus non tantùm *Carnem* comeſtam, contra Vertiginem admodùm laudat Bartholetus *in Encyclop.* Sed in ſpecie *Stercus Pavonis* exſiccatum nobile eſt Specificum contra Vertiginem, tam in formâ liquidâ quàm ſiccâ uſurpatum, quod ab omnibus, qui ejus fecerunt periculum, maximè commendatur. Quidam dicunt, habendam eſſe differentiam ratione Sexûs : ſed videtur huic negotio parum ſubeſſe ponderis. Modus præparandi eſt varius : Uſurpari poteſt vel formâ *Pulveris* cum ana Sacchari, ratione ſaporis, de quo Pulvere Æger crebriùs capiat. Lindanus dicit, ſe felici cum ſucceſſu expertum eſſe Stercus Pavonis, præcipuè præmiſſis Univerſalibus propinatum in formâ ſiccâ, exſiccando Stercus, & hujus Stercoris ſiccati ʒj. propinat in ℥ij. Aquæ appropriatæ : Sic in Quercetani *Diætat. Polyhiſt.* illuſtre eſt Exemplum curatæ Vertiginis beneficio Stercoris Pavonis, idque *ſect.* 2. *cap.* 1. Williſius *in Anim. Brutor. Part.* 2. *cap.* 2. *de Vertigin.* habent Pulverem Compoſitum, cujus baſis eſt Stercus Pavonis ; ad cujus imitationem aliquando Viro cuidam à tempore Paſchatis ad principium hyemis inſigniter Vertiginoſo, præmiſſis præmittendis, præſcripſi :

℞. *Sterc. Pavon.* ℥iij.
*Rad. Pæon. mar.* ℥j.
*Pulv. Caryophyll.*
M. ſ. Pulvis.

De quo capiebat quotidie bis largam doſin mane jejuno ſtomacho in Vehiculo calido, & bihorio ante cœnam in frigido, continuavit per aliquot ſeptimanas, uſurpavit bono cum ſucceſſu. Juſſi continuare, quia ſub Tempeſtatum mutationibus aliquid ſentiebat, & continuando ſanus evaſit. Omni veſperâ ſub lecti introitum accepit ſimul *Spiritûs Salis Ammoniaci aniſati* guttas xxx. vel xl. pro doſi. Varia tentaverat, etiam Fonticulum inuri curavi, ſed fruſtrà ; Vertigo erat vehemens cum Cephalalgiâ intensâ in ſummitate Verticis ad magnitudinem palmæ Manûs : etiam Liquor Cornu Cervi ſuccinatus, item Spiritus Vitrioli Epilepticus Dñ. *Michaëlis*, Vomitoria, Cathartica, Martialia, &c. fruſtranea erant. Pro Cephalalgiâ Linimentum dedi ex Oleo deſtillato Succini, Vertici, applicando deſuper Emplaſtrum de Ranis cum Mercurio Capellis raſis.

Poteſt etiam hoc Stercus in formâ *Electuarii* uſurpari :

℞. *Sterc. Pavon.* menſe Majo collect. & in ſartag. leniter *exſiccatum*, ut pulveriſari poſſit.

Miſc. cum *Conſ. Flor. Roriſmar.* & *Major.* vel *Meliſſæ*, vel *ſimil.* q. ſ.

de quo quotidie bis capiatur : quô feliciter uſus eſt Lindanus *in Praxi.*

Vel *in formâ liquidâ* uſurpatur, qua ratione quidam recipiunt M. j. *Fimi Pavonis*, ſubigunt cum ſ. q. *Vini*, dividunt in tres partes, cujus duas partes poſt duos Paroxyſmos Vertiginoſis propinant, provocato Sudore ; & tertia doſis poſt bihorium poſt tertium Paroxyſmum propinatur, & ſic certò, inquiunt, curari Vertigines.

Petrus à Caſtro, *Medicus Veronenſis*, Remedium admirandæ virtutis ad præſervandam Vertiginem eſſe dicit.

℞. *Sterc. Pavon.* maſculi pro Maribus, menſe Majo collect. & exſicc. ʒj.

Macerat per noctem in *Vino albo*, mane trajicit per Linteum, Liquorem exhibet Vertiginoſo, continuando à Novilunio ad Plenilunium uſque, mane expectando blandum Sudorem.

An præcisè requiratur diſtinctio Sexûs ratione Ægrorum, ita ut *Stercus maſculi* pro Maribus, *fœmellæ* pro Fœminis Vertiginoſis ſit capiendum, in medio relinquo.

Loco Stercoris Pavonis, *Catti* maſculi pro Mare, fœmellæ pro Fœminâ, exſiccatum & pulveriſatum commendatur.

A quibuſdam laudatur *Cerebrum Paſſerum* : undè Bartholetus *Electuarium* ex Cerebris Animalium in *Encylop. p.* 166. deſcribit, quod vocat *Electuarium præſentaneum contra Vertiginem.* Compoſitio eſt hæc :

℞. *Cerebr. Paſſer.* Num. 1.
*Vituli* in Vino loti & in Fumo exſiccati
*Avellanar.* an. ℥j.
*Mithridat. opt.* ʒnj.

M. & cum *Syr. de Cort. Citri* ſ. Electuarium.

Idem Bartholetus etiam Cerebrum Pavonis ad Vertiginem laudare ſolet.

Egregius etiam eſt Liquor Cornu Cervi ſuccinatus, Caſtoreum & Caſtoreata. *Hepate Rupicaprarum* Vertiginem curatam refert Velſchius *Hecat.* 2. *pag.* 6. Dubium tamen, an non additum *Elæoſaccharum Citri* paris cum *Hepate* fuerit virtutis.

Denique *ex Regno Minerali* ad Vertiginem Remedia ſunt *Succinata* quæcunque, Petroleum album, *Cinnabaris* vel Nativa depurata, vel Antimonii Cinnabaris : inſigne Remedium Cratonis, trium Imperatorum Archiatri, qui Cinnabarin uti *Magnetem Epilepſiæ*, ita *Vertiginis*, appellat : Unde ſuper baſin Cinnabaris Antimonii exſtructi Pulveres Cephalici Specifici erunt in omni Vertigine convenientiſſimi. In Cinnabari multa latent ; unde promiſcuè poteſt uſurpari doſi ℈j. in ſpecie circa mutationem Lunæ ; egregium eſt Remedium & Antepilepticum, & contra Vertiginem, ſive per ſe, ſive cum aliis adhibeatur ; poteſt enim fieri Pulvis Compoſitus cum Sale volatili Succini, Cubebis, Galangâ, & ſimilibus. Vehiculum poteſt eſſe Aqua quædam Cephalica, acuata Spiritu Liliorum convallium, Elixir Menthæ, & ſimilibus. Hinc v. g.

℞. *Sterc. Pavon. pulveriſ.* ʒ ij.
*Cinnab. Antimonii* vel *Nativ.* ʒiß. ad ʒii.
*Cubeb.*
*Galang.*
*Salis vol. Succ.* ana ℈i. ad ʒß.
M. ſ. Pulvis :
cui addatur
*Elæoſacch. Aniſi* q. ſ. pro gratiâ ſaporis & odoris v. g. ʒj. ʒiß.
M. D. S.

Pulvis contra Vertiginem pro aliquot vicibus.

De quo capiatur ſubinde, quantum cuſpis Cultelli capit.

*Vehiculum* hujus Pulveris, contra Vertiginem ſit tale.

℞. *Aquæ*

℞. *Aquæ Chærefol.* ℥iij.
*Salviæ* ℥iß.
*Cinnam.* ʒvj.
*Spir. Lil. convall.*
*Salviæ* an. ʒiij.
M. D. S.
Aqua ad Pulverem.
Vel
℞. *Aquæ Chærefol.* ℥iij.
*Meliſſ.* cum *Vino* ℥iß.
*Cinnam.* cum *Vino* ʒvj.
*Spir. Lil. convall.*
*Salviæ*,
*Ceraſ. nigr.* an. ʒj.
M. pro Vehiculo Pulveris.
M. S. ut ſuprà.
Vel
℞ *Aquæ Chærefol.* ℥iij.
*Liqu. Cornu Cervi ſuccin.* ʒj.
M. pro Vehiculo dicti Pulveris, capiendo aliquot Cochlearia.

Cum Cinnabari in ſpecie *Salia volatilia & Olea* nobilia ſunt contra Vertiginem, internè & externè. Hinc internè Sal volatile Succini, Succinum, Liquor Cornu Cervi ſuccinatus, in ſpecie Junioribus, & quæcunque Succinata: Nam & ipſum Succinum eſt egregium Remedium in Vertigine; ſive internè ſumatur Succinum præparatum, cum Aquâ appropriatâ, in ſpecie cum Spiritu vel Aquâ Salviæ; ſive etiam ejus Sal volatile aſſumatur, aut etiam Oleum, & cum hoc paratum Elæoſaccharum, ut faciliùs aſſumatur, addendo ad ʒj. *Sacchari* gutt. iv. *Olei*; vel dictum Oleum Vertici illitum externè, egregia ſunt Remedia contra Vertiginem.

Oleorum Succini & Buxi loco *Petroleum album*, imprimis in Senibus, uſurpari poteſt, quod non inconveniens eſt in Vertigine per Conſenſum Stomachi, præſertim in Hypochondriacis. Memini me aliquando Juveni ſtudioſo Hypochondriaco crebrâ Vertigine, ſive jejunus, ſive paſtus eſſet, affecto, præmiſſis præmittendis, & etiam aliis adhibitis convenientibus, fruſtrà tamen omnibus, conſuluiſſe, ut in fine cujuſcunque paſtûs 6. 7. ad 8. guttas Olei Succini in ultimo hauſtu capiat, eoque inungat leviter Præcordia ſeu regionem Scrobiculi Cordis. Fecit aliquamdiu, & optimè profuit, nihil habuit incommodi præter Ructus. Hinc ad hujus imitationem alii Juveni, præmiſſo Vomitu, aliud dedi Electuarium:

℞. *Conſ. Menth.* ℥j.
*Flor. Anthos* ℥ß. vel ʒvi.
*Petrol. albi* ʒi. ad ʒiß.
Cum ſ. q. *Syr. Menthæ* vel *Flor. Tunicæ.* f.
Electuarium.

De quo omni mane capiebat quantitatem Caſtaneæ, & bono cum ſucceſſu accepit. Acui poteſt Remedium, ſi addatur ſimul Sal volatile Succini à gr. xv. ad ʒß.

Aliis nil juvantibus ſacra Anchora erit *Laudanum Opiatum*, imprimis Appropriatis, præſertim *Succinatis*, miſtum, quod quoſcunque Spirituum Animalium inordinatos Motus compeſcit, eoſque figendo promptè ſedat.

*Externè* commendantur Pinguedo Sciuri, Damæ, & Serpentum, Temporibus illita; item Oleum Buxi, & ab Hœfero Pulvis Bombycum Capiti adſperſus, *Herc. Med. Tom. 1. lib. 1. pag.* 31. Hæc in uſu ſunt extra Paroxyſmum.

*Quoad Curationem in Paroxyſmo*: In ipſo Paroxyſmo Vertiginis graviori & crebriori, in ſpecie Vertiginis Caducæ, dum Ægri corruunt, & ad tempus jacent, antequam ſe erigere queant, conveniunt præ cæteris mox infuſa *Vomitoria*, quæ eos optimè exſuſcitant; loco quorum etiam *Clyſteres* acres applicantur, cum Syrupo Emetico vel Infuſo Antimoniali infundendi, uſitati aliàs in Epilepſiâ, Apoplexiâ, &c. Clyſteres faciunt Revulſionem, retrahunt Spiritus aliquantiſper à Capite, qui inordinatè ibi ſe movent. Pro Derivatione autem ponuntur *Cucurbitulæ in Cervice.* Vomitoria ſunt meliora. Hinc præmiſſis vel omiſſis talibus, uſurpetur *Mixtura ex Spirituoſis Cephalicis, & Aromaticis Nervinis*, qualia ſunt Spiritus Vitrioli volatilis, aut Cephalicus, Spiritus Ceraſorum nigrorum & Liliorum convallium, Sal volatile Succini, Cornu Cervi, & ſimilia in Aquâ Majoranæ, Salviæ & Ceraſorum nigrorum. *Caſtoreum* etiam, ejuſque *Eſſentia*, commodè uſurpatur ſimul, præſertim Mulieribus. Item Oleum Succini ad aliquot guttas in Aquâ appropriatâ aſſumptum & propinatum imprimis convenit.

*Externè* Vertici, Temporibus, Naribus, Scrobiculo Cordis & ſimilibus, inungitur Eſſentia Caſtorei, Spiritus Salis Ammoniaci, Oleum deſtillatum Succini, aut etiam *Balſamus Peruvianus*, vel *Apoplecticus*, aut ſimilia Antapoplectica & Antepileptica; aut objicitur Naribus Nigella Romana, ſive ejus Semen Aceto irroratum. Radix Pæoniæ ritè collecta, & de Collo ſuſpenſa, Vertiginem deſperatam aliquando curavit. Uno nomine, ſimili ferè modo curatur in Paroxyſmo, atque aliàs tractari ſolent *Inſultus Epilepticâ*, & Paſſiones graviores *Hyſtericæ* & ſimiles in Paroxyſmo. Quibus Volatilibus in Malo pertinaci interdum addantur Opiata, quæ ſiſtunt Vertiginem graviorem in Paroxyſmo, in ſpecie ſi miſceantur Volatilia: v. g. præmiſſis præmittendis.

℞. *Aquæ Salv.* ℥iß. vel ℥ii.
*Menth.* ℥i. vel ℥iß.
*Spiritûs Lil. convall.* ʒiii.
*Sal. Ammoniaci*, vel hujus loco
*Liqu.*
*Cornu Cervi ſuccin.* ʒiß.
*Laud. Opiat.* gr. ii. vel iii.
*Syr. Cort. Aurant.* vel *Fœnic.* ʒiii. ℥ß. ad ʒvi.
M. S.
Potio contra Vertiginem.

Huic in Mulieribus *Eſſentia Caſtorei* commodè addi poteſt.

Vel
℞. *Aquæ Ceraſ. nigr.*
*Menth.*
*Lil. Convall.* cum *Vin.* ana ℥i.
*Spirit. Ceraſ. nigr.* ʒiii.
*Eſſ. Caſtor.* ʒiß.
*Salis vol. Cornu Cervi* ϑi.
*Succin.* ϑß.
*Syr. Flor. Tunic.* ℥ß.
M. S. ut ſuprà.

Convenit etiam, ubi metus eſt Apoplexiæ.

*Si Vertigo ſit Uterina*, poteſt præſcribi hæc *Mixtura* in Paroxyſmo cochleatim aſſumenda.

℞. *Aquæ Hirund.* cum *Caſtor.* ℥iß. vel ii.
*Meliſſ.* cum *Vino* ℥i. vel ℥iß.
*Spir. Lil. convall.* ʒi. ad ʒii.
*Salviæ*, vel *Ceraſ.* ʒi.
*Sal. Ammoniaci* ʒß. ad ʒiß.
*Salis vol. Succini* gr. xv.
*Laud. Opiati* gr. ii. vel iii.
*Syr. Cort. Aurant.* ℥ß. vel ʒvi.
M. S. ut ſuprà.

## CAPUT II.

*De Convulſionibus & Motibus Convulſivis.*

DIctum fuit *ſuprà*, quòd ex inordinato Motu ſyſtematis Spirituum Animalium in Cerebro, & hinc in Senſuum Organis, talis in Functionibus Animalibus ſequatur perturbatio, quæ dicatur Vertigo; quæ ipſa interdum uſque eò procedat, ut etiam Ægri concidant, quæ *Vertigo ſit proximus ad Epilepſiam gradus*, ita ut continuo iſto poſt Caſum Spirituum Animalium inordinato Motu ad Partes Motui deſtinatas, exinde extra Cerebrum *Convulſiones*, & tandem *Epilepſiæ* ſupervenient; hinc rectâ ad *Convulſiones & Epilepſias* pergamus.

Doctrina hæc in Praxi eſt frequentiſſima, utut in Theoriâ difficillima. Pro rei *Hiſtoriâ* præſuppono, lædi primariò in Spaſmo Motum, ſecundariò Senſus Internos & Externos. Notum etiam eſt ex *Parte Medicinæ Phyſiologicâ Cap.* 21. omnis Motûs Corporis Organon proximum eſſe *Fibras*, quibus tanquam funiculis Partes moveantur, & contrahantur, eaſque inflatas per Spiritum Animalem ſui contractione moveri, concurrente tamen adjumento Sanguinis, ſive Fibræ iſtæ collectæ & unitæ in unum *Muſculi* ſyſtema coëant; ſive hinc inde circulariter diſpoſitæ & intertextæ *Membranoſum Corpus* conſtituant, ut v. gr. in Inteſtinis, Veſicâ, & ſimilibus obvium eſt; ſive partes iſtæ fibroſæ ex Cerebro Nervos accipiant, in *Motu Voluntario*; ſive ex Cerebello in *Motu Involuntario*, ſeu ſine Senſuum prægreſſione, propterea *Naturali*, utut perperam, vocato; ſicut & Spiritus Animales moventes, partim ex Cerebro, partim ex Cerebello acquiruntur. Quòd ſi igitur ſecundùm Voluntatis imperium moveantur Muſculi, aut reliquæ Partium internarum Fibræ motrices naturali modo & ordine, Motus fiet ſecundùm Naturæ leges: ſin verò præter Voluntatis imperium moveantur hæ Fibræ, & ex iis conſtituti Muſculi, vel non abſque inſigni Dolore, aut cum inſigni Violentiâ contrahantur & agitentur Partes, ſive internæ, ſive externæ. *Convulſio* appellatur Latinis, Græcis *Spaſmus*. Σπασμὸς Græcis dicitur à σπάω ſeu σπᾶν, quod eſt *trahere*, propterea quòd quaſi ſummâ vi & inſigni violentiâ trahantur potiùs Partes per Fibras & quaſi lacerentur, quàm ut legitimè moveantur.

*Convulſio* autem hæc ſeu Spaſmus in genere *eſt duplex*; vel *Conductio*, vel *Concuſſio*: de quo vid. Lindanus *in Meletem. Phyſiologicis*, qui ex Hippocratis ſenſu rectè deduxit. Per *Conductionem* intelligunt Convulſionem in ſpecie ſic dictam: per *Concuſſionem* verò Motum Convulſivum. Conductio dicitur *Convulſio Tonica*: Concuſſio verò eſt *Convulſio Clonica*, quando Ægri tremunt: Nam κλονὸς ſignificat præcipuè *inæqualem* Membri *motum*, unde etiam vocatur *Motus Convulſivus* ultrò citroque, ſeu quod idem eſt, invita Membri contractio & extenſio, unde σφυγμὸς κλονώδης ſeu *Pulſus vibrans*, quando ſcilicet Arteria quaſi in motu retracta vibrando Pulſum edit, Tonus verò eſt juxta Celſum *immobilitas* & *rigor Membri*, quod Membrum contractum ſit immobile: ita ut *Conductio* ſeu *Convulſio Tonica* Membri rigidi contractionem, & in uno ſitu ſive figurâ permanentiam, indicet; *Concuſſio* verò ſeu *Convulſio Clonica* innuit variam agitationem & vibrationem, modò extenſionem, modò contractionem. *Convulſio igitur in genere dicitur inſolita & præternaturalis Muſculorum aliarumque Partium fibroſarum contractio*: quæ retractio ſi perpetua, adeoque Membrum immobile fuerit, *Convulſionem* in ſpecie & propriè dictam conſtituit; ſin verò interpolata, & Membrum variè agitetur, *Motus Convulſivus* audit.

*Contractura* cognata eſt *Convulſioni Tonicæ* affectio, qua Membrum ſemel convulſum ſemper poſtmodùm rigidum manet.

*Conductio* ſeu *Convulſio vera* varias ſub ſe complectitur *Symptomatum ſpecies*, nempe *Tetanum*, *Emproſthotonon*, *& Opiſthotonon*: Quò & aliæ ſpecies pertinent; Nam pertinet huc etiam, (nempe ad Conductionem) *Priapiſmus & Satyriaſis*; *item* pertinet huc *Spaſmus Cynicus*, cui adjunctum Symptoma dicitur *Riſus Sardonius*: Pertinet huc etiam, quando contrahitur Brachium & obrigeſcit ex ineptâ Venæ ſectione, quando Nervus pungitur; item quando Tendines obrigeſcunt ex luxatione: Pertinet huc ille *Affectus innominatus*, quando *Genua* contrahuntur & rigida manent propter contractum Nervum ac Tendinem, quæ per cavum Genu tranſeunt.

In ſpecie famoſi ſunt iſti tres Capitis Affectus: Ἐμπροσθότονος, qui eſt conductio Muſculorum Colli inſtratorum ſeu Maſtoideorum, hinc eſt, quòd his Mentum Pectori affigatur: Contrarium vitium eſt Ὀπισθότονος, conductio Muſculorum Occipitis, quibus Occiput verſùs Dorſum & poſteriora retrahitur: Τέτανος denique eſt conductio ſimultanea & anteriorum & poſteriorum Capitis Muſculorum, hinc enim Caput ad nullum latus verti poteſt, ſed Caput & Collum rigidum & immobile permanent. Sunt tamen qui non ſolùm Capitis verſùs Truncum, ſed totius Trunci tales Conductiones ſub his nominibus intelligunt; Conf. Sylvius *lib.* 2. *Praxeos cap.* 23. §. 19.

Ad *Emproſthotonon* pertinet *Aphoriſmus* Hippocratis *Sect.* 4. *Aph.* 35. *Si Febre detento repentè Collum intorqueatur, ac vix deglutire queat, nullo exiſtente Tumore, lethale eſt*: quem Aphoriſmum vulgò, ſed malè, de Anginâ & Luxatione Vertebrarum interpretantur, nam reverà intelligit Hippocrates ſpeciem ἐμπροσθότονον. Comprehendit enim iſte Caſus Morbum, quem nos vocamus, Germ. *den Hals umbdrehen*, id eſt *Collum intorquere*; quando nimirum tunc Muſculus Maſtoideus convellitur & rigidus manet; ſic enim Caput circumducitur, Aſpera arteria comprimitur, & tales Ægri tandem ſuffocantur.

Hæc de Convulſionibus ſeu Spaſmis in genere.

## ARTICULUS I.

*De Convulſione Clonica*,

Et Epilepſia.

QUoad *Concuſſionem* ſeu *Convulſionem* κλονικὴν, aut, uti vulgò appellatur, *Motus Convulſivos*; quando unum ſeu plura Membra moventur inæqualiter, ſunt varii, pro varietate Partium convulſarum, quales ſunt omnes ſpecies Epilepſiarum, pertinentque huc *Cramba*, ſeu, ut vocant, *Spaſmus Flatulentus*, Germanicè, *der krampff*, cui imprimis Ebrioſi, item qui ad Arthritidem non nihil inclinant, ſunt obnoxii. Pertinet huc etiam Experimento Autorum iſta Concuſſio parva; quæ in emiſſione Seminis Venereâ accidit; unde quibuſdam Philoſophis & Medicis, in ſpecie Democrito; *Coitus Epilepſia parva* vocari ſolet.

Dixi, quòd *ad Concuſſiones etiam pertineat Epilepſia. Epilepſias* ergò quod attinet: hæ ſunt reverà *tales Concuſſiones ſeu Motus Convulſivi, in quibus univer-*

*universum Corpus, aut plura ejus Membra, diversimodè contrahuntur, vibrantur & agitantur, Sensuum exercitio quocunque ut plurimùm abolito*: cujus sub suâ latitudine *tres sunt Modi seu Gradus* (voca ut lubet.)

*Primus Gradus*, isque abusivè seu impropriè *Epilepsiæ* tributus est, quando Ægri subitò concidunt & corruunt, aut saltim, sive stent, sive sedeant, omnium Sensuum functionibus ac Motûs exercitio subitò privantur, & quasi Somno arctissimo sepulti, citra ullam Animalem Functionem ita persistunt, utut nullus Spasmus sensatus sive externarum Partium Convulsio accedat; licèt, si per Consensum fiat partium Abdominis, v. g. in *Hystericis* aut *Spleneticis* & similibus, subinde Spasmi Partium internarum nervosarum concurrrant, sub Lipothymiæ conceptu vulgò exprimantur; unde dicunt communiter: *sunt Deliquia, Epilepsiam vocare nolunt.* Hic Epilepsiæ modus est potiùs tertius Gradus, ad *Vertiginem Caducam* pertinens, quam Epilepsiæ dicimus Gradum proximum, cum facillimè sibi Epilepsiam veram comitem adsciscat.

*Secundus Gradus Epilepsiæ*, seu secundus affligendi Modus est, quando variis Motibus & Agitationibus Corpus universum percutitur & convellitur, Sensibus quibusvis, tam Internis quàm Externis, & Ratione, aut integrè perstantibus, aut in Delirium abreptis, dum interim quoad externas Partes convulsi, sub Convulsionibus istis saltant & cantant, interdum rident, nunc lacrymas fundunt, hinc inde percurrunt, pectus percutiunt, interdum ridicula narrant, vociferant; post Paroxysmum verò omnium secum actorum, sive delirent sive non delirent in Paroxysmo, recordantur, eaque optimè, nunc nihil, sciunt. Exempla talia stupenda videb. in Willisii *Pathol. Cerebr. de Morb. Convulsiv. ubi de Epilepsiâ*, item in Riverii *Praxi*, *ubi de Epilepsiâ*, qui refert talem Epilepsiam in Moniali, in qua Sensus interni & externi viguerunt, tantùmmodò epilepticæ variæque partium Convulsiones adfuerunt: Neucranzius *Tract. de Purp. cap.* 33. simile habet Exemplum: Sic Timæus *von Guldenklee* miram etiam hujus rei refert Historiam *in Epist.* 9. *pag.* 22. ubi Puer Epilepticus adscendit in altum Sensibus integris: Sic Bartholinus *Cent.* 2. *Hist.* 90. *pag.* 301. miras describit gesticulationes & actiones Epilepticorum. Nam certè tam stupendæ & tam variæ eorum sunt gesticulationes, motus, actiones, gyrationes, ut vix absque stupore legi, nedum aspici possint. Talis Epilepsia sæpè in Melancholiâ Hypochondriacâ obvenire solet, & optimè curatur per Liquorem Cornu Cervi succinatum. Pertinet huc *Epilepsia Cursiva* Bootii *Tr. de Affect. omiss. cap.* 6. qui Exemplum Pueri Epileptici duodecim annorum, qui Paroxysmo epileptico vexatus, continuo Cursu semper rectâ percurrebat per ignem & aquam, per montes, per omnia loca, idque tamdiu, donec obstaculum offendebat, ut longiùs currere non posset. Vocat ob id *Epilepsiam Cursivam.* Similem Casum habet Valentinus *Tr. de Convuls.* qui & *Epilepsiam Rotatoriam* observavit. Vid. M. A.N.C. *Ann.* 8. *Obs.* 71. ubi Virgo à Fulgure territa, Mentis tamen compos, alteri innixa Cruri, cubiculi penes parietes discurrere cogebatur, Venæ sectione & internis Antispasmodicis curata: Sic *Epilepsiam*, in cujus Paroxysmo diu & multum Ægra *ridet*, videb. in M.A.N.C. *Ann.* 3. *Obs.* 304. *pag.* 526. Item Epilepsias mirandas, in quibus Sensus omnes & Intellectus fuerunt illæsi, videb. in Fehr *de Scorzon. pag.* 96. Et sæpiùs in his Epilepsiis tam mira sunt Symptomata, ut vix commodè enarrari possint: Conf. Salmuth *Cent.* 2. *Hist.* 42. qui habet Epilepsiam, in cujus Paroxysmo Oculus extra cavum instar pugni protendebatur, & tamen post Paroxysmum in naturalem statum redibat: item *Cent.* 2. *Hist.* 41. Visiones & Spectra apparentia observavit, tam ante quàm post epilepticum Paroxysmum.

*Tertius Gradus Epilepsiæ* seu Modus, & quidem communior, est iste, qui ex utrisque modò dictis videtur conflatus, ita ut omnis tam Sensus quàm Rationis usus pereat, simulque variis Motibus Corpus ejusque Membra agitentur & concutiantur, ad humum prosternantur, Dentibus strideant, Brachia jactitent, Pollices arctè claudant in Manus, Pedibus tremant, Corpus insigniter attollant & denuò deprimant, instar globi incurvent, Spuma per Os rejiciatur, Labia & Lingua morsu lædantur, &c. Quibus omnibus successivè remittentibus Æger tanquam Sopore oppressus jacet, gravi Suspiratione (quod signum est, Pectus anteà convulsum fuisse) ad se rediens, nihil omninò scit, tantùm de Torpore & Gravitate quadam Capitis, & omnium Artuum gravi Lassitudine, conqueritur, quod fit ex Laceratione Fibrarum ex impetu Spirituum ad easdem derivatorum. Et hic tertius Gradus est omnium frequentissimus & gravissimus: *Primus* gradus non nihil est *rarus*; *Secundus rarissimus*, sed vulgò ignoratur: Idem Gradus secundus est terribilissimus; nam tales subinde *pro Obsessis à Dæmone* habentur, nisi Medici prudentia & scientia innocentiam Ægri defendat.

Ex his patet, quòd *Convulsio*, *Motus Convulsivi & Epilepsia, non differant in radice, sed saltem modo fiendi.* Epilepsia enim consistit in Motu depravato, nempe in Motu involuntario, inordinato, interrupto, & nimis impetuoso; Convulsio verò, seu Concussio consistit in Motu involuntario aucto, & continuo à Spirituum nimio, & inordinato, ac rapido influxu. Unde istud, quod *Subjectum Motûs est Naturalis*, id ipsum necessariò etiam Subjectum erit hujus Motûs Præternaturalis, & id, quod afficitur in naturali Brachii contractione, aut in voluntariâ Fœcum Alvi exclusione, id ipsum etiam afficietur in his Motionibus præternaturalibus. Cùm ergo *Fibræ Nervosæ* sint *Subjectum* omnis Motûs Naturalis in Corpore humano, tam voluntarii in Musculis, quàm non voluntarii in Partibus Corporis internis membranosis, & ubicunque sunt Membranæ, v. g. in Intestinis; ob id etiam necessariò in Convulsione, & Epilepsiâ *Fibræ* istæ nerveæ Contractionum morbosarum *Subjectum* erunt: siquidem in omnibus Corporis partibus, ubi est Motus, ibi sunt Fibræ, & ubicunque sunt Fibræ, ibi necessariò fit quidam Motus; ita ut *Fibræ* hæ Nerveæ sint *Subjectum commune*, *Musculi* verò, & *Membranæ*, ex istis Fibris contextæ, sunt *Subjectū proprium*, seu *speciale.*

*Fibræ Nerveæ* dico: Nam ipsi *Nervi* nil aliud sunt, quàm congeries talium Fibrarum juxta se variato nexu situatarum, quæ Tunicâ duplici à Meningibus Cerebri continuatâ investitæ corpus Nervi constituunt. Similiter Fibræ alio modo systematicè coagmentatæ constituunt Musculos, demonstrante hoc Stenone. Similes Fibræ Partibus circulariter, cruciatim, vel alio modo intertextæ, nunc in formâ planâ constituunt Membranas, nunc in formâ cylindriacâ constituunt Stomachum, Motusque internos involuntarios excitant. *Fibræ* igitur, & Partes per Fibras motæ erunt *Subjectum Convulsionis*, & *Epilepsiæ.*

Ex dictis fluit *Differentia*, cùm *Epilepsia*, & *Spasmi* dividuntur *in Internas*, & *Externas. Externæ sunt*, quæ saltim Membra Externa cruciant, & concutiunt, v. g. Convulsiones Brachiorum, Capitis, Oculo-

Oculorum, Pedum, Thoracis in Aſthmate Convulſivo, Oris, &c. *Internæ* verò Convulſiones ſunt, quæ Viſcera Interna membranoſa variis Convulſionibus mirè torquent; verbi gratiâ in Colicis Scorbuticis Convulſivis, item in Paſſionibus Hyſtericis, dum Inteſtina, Meſenterium, & annexæ Partes Convulſionibus Spaſmodicis mirificè affliguntur: in Paroxyſmo Nephriticis, Singultu, Vomitu, Torminibus Infantum, Tuſſi, & ſimilibus: qui Affectus appoſitè Germanis Mulieribus (in nullo Scriptore Latino tale quid invenietis) dicuntur: *die ſchwere Noth im Leibe*, id eſt, *Epilepſia in Corpore*: item *die innerliche ſchwere Noth bricht aus*, id eſt, *Epilepſia Interna erumpit.* Pertinent huc Tenſiones Abdominis, & Hypochondriacæ, quando conqueruntur de Tenſione regionis Hypogaſtricæ, quæ frequenter eveniunt in Subjectis Scorbuticis, Hypochondriacis, & ſimilibus; item Tenſiones circa Tempora, &c. Et ubicumque ſunt Membranoſæ Partes, ſi illæ Spaſmo, aut Convulſione afficiantur, indurari, obrigeſcere, & inſtar Membranæ Tympani fortiùs tendi ſolent ex Fibris, ex Spirituum impetu ita afflictis.

Talis etiam Affectus eſt, quando *in Nephritide* convulſus Stomachus *Vomitus*, & convulſa itidem Inteſtina *Tormina Colica* patiuntur: item quando Cor palpitat, & convellitur: (omnis enim Palpitatio eſt Convulſio) quales Convulſiones etiam *in Hypochondriacis*, ac quod idem eſt, *Hyſtericis*, plures obſervantur; cùm in his Subjectis quam plurima vaga, & ſubinde varia, ac mira Symptomata maximam partem ex talibus Spaſmis Partium internarum oriantur, imprimis quando *Plexus Nervei*, quales plures ſunt in Abdomine, ſpeciatim *Magnus* iſte *in Meſenterio*, afficiuntur: vid. Williſius *l. a.* Cùm enim ex his deriventur Nervi in reliquas Abdominis Partes, facilè totum Abdomen, affectis his Plexibus, aut ſaltem plures illius Partes Convulſiones patiuntur: Et cùm hi Plexus Meſenterici ex *Pari Nervorum Vago*, nempe Octavo, oriundi, conjuncti ſint *Nervis Intercoſtalibus*; ob id ſæpiùs affectis iſtis Plexibus, & *Pectoris*, & *Capitis* Partium *Convulſiones* tandem inſequuntur, adeò ut iſtarum Partium internæ Convulſiones, ſæpiùs ad radicem Nervorum uſque continuatæ, ibique Syſtema Spirituum in confuſos Motus agitantes, terminentur tandem in Convulſiones Partium externarum, quod vocant: *Epilepſia Interna erumpit.* Quâ ratione non rarò *Paſſionibus Hyſtericis* gravioribus aſſociatur Epilepſia Univerſalis, ſeu Convulſio Partium externarum: ut & *Partui difficili* non rarò ſupervenit Epilepſia, toties repetens, quoties ad conatum parturiendi Gravida ſe accingit. Nam iſti *Dolores Parturientium*, nempe Dolores Abdominis, & *Dolores poſt Partum*, nil aliud ſunt, quàm Partium Abdominis, in ſpecie Uteri, Meſenterii, & ſubinde Inteſtinorum *Spaſmi*, ſeu *Convulſiones.*

## CAUSÆ.

Quoad *Cauſas* præſuppoſito Spiritu Animali, tanquam Motore univerſali ex Cerebro pro Motibus Voluntariis, ex Cerebello pro Motibus Involuntariis, ſeu Naturalibus, per Nervos diſtributo in omnes Partes (hoc tamen adhuc patitur ſuas limitationes, videb. Williſius), qui quacunque ratione fiat, Fibras ad earum Contractionem diſponat, ſive ſolitariè hoc faciat, ſive adjutus ſimul Copulâ elaſticâ ex Sanguine ſuppeditatâ, neceſſariò idem Spiritus etiam movebit in Contractione Partium morboſâ, & præternaturali: verbi gratiâ uti Spiritus per Nervos Brachii influens movet Digitos, & Brachium ex meo arbitrio, ita ſi fiat Punctura Nervi, & inde Convulſio Brachii (cùm hic Motus, nempe Convulſivus, ſeu hæc Convulſio, ſit idem Motus cum priore Brachii Contractione voluntariâ, tantummodò in eo differens, quòd Convulſio invito Convulſo contingat, & non abſque violentiâ inſigni, concurrente ſimul interdum Dolore: conf. Sylvius *lib. 2. Prax. cap. 23. de Morb. Capit.* §. 30.); ſequitur neceſſariò, Spiritum Animalem, qui ſecundùm Arbitrium movet Brachium, etiam in convulſo Brachio ex rapidiore, & impetuoſiore ejus, propter Irritationem, & inſequentem ejus continuum Motum tremulum, (in quo Motu conſiſtit Dolor) Influxu, iſtius Convulſionis Brachii eſſe autorem: *Sic idem omninò eſt Motus*, ſive *ſponte*, & per jocum rideo, ſive Epilepticus Paroxyſmus cum *Riſu* involuntario *Sardonio* eveniat: eadem nempe eſt Muſculorum in utroque Riſu actio, & Pars affecta, idem Motus, ergò idem etiam Efficiens, ſeu Movens, nempe Spiritus Animalis. *Hæc tantum intereſt Differentia*, quòd, ut *ordinatè*, & placidè moti Spiritus, idque dictante priùs ſæpe Animâ Rationali, dant Motum Naturalem Partium, & Riſum Naturalem, ita iidem Spiritus *inordinatè*, confusè, & rapidè in ſtimulo morboſo agitati, & quaſi cum impetu per Nervum in Partem exploſi, Convulſiones, & Motus Convulſivos, & verbi gratiâ Riſum Convulſivum inferant. *In Epilepſiis tamen Habitualibus*, hoc eſt, Inveteratis, & ſæpiùs levi ex causâ recurrentibus, item Hæreditariis, ferè ſuſpicor deviare tum ipſos Spiritus Animales à naturali ſuâ Craſi, & Conſtitutione, & magis elaſticos, faciliùs inordinatè, idque cum impetu mobiles reddi, utut in quo alterata hæc Conſtitutio præcisè conſiſtat, determinari certò nondum queat.

*Cauſa ergò Proxima Formalis* Convulſionis, & Epilepſiæ, cujuſcunque, erit impetuoſus, rapidus, & maximè violentus Spirituum Animalium Motus in Partes fibroſas Motui inſervientes, interruptus quidem diverſimodè, inordinatus magis, & confuſus in Concuſſionibus, & Epilepſiis; continuus verò & ordinatus in Conductionibus, ſeu in ſpecie ſic dictis Convulſionibus.

*Cauſæ rapidi, & inordinati iſtius Motûs Spirituum Animalium* generaliter conſiderati ad duo capita *Cauſarum*, nempe *Remotarum*, *ſeu Materialium*, *aut Occaſionalium*, referri poteſt. *Prima* Cauſa eſt *Irritatio quædam in Parte quâdam ſenſili*, *ac nerveâ*, qua occaſione Spiritus Animales in Partem irritatam copioſè, & impetuoſiùs moti, Convulſionem nunc leviorem, nunc graviorem, nunc continuam in Convulſione Tonicâ, nunc interruptam in Clonicâ, ſeu Epilepticis Motibus inferunt: Sic punctus Nervus ob *Irritationem* in loco Puncturæ, quæ conſiſtit in ſubtili, & celerrimâ Fibrillarum ejus motione, vibratione, & vellicatione, ad Cerebrum uſque continuatâ, commoventur ſimul Spiritus per Nervum eum blandè influentes, quorum Motu tremulo, & celerrimo, unà cum moto Nervo concurrente, commoventur ſi ſimul reliqui Spiritus, ita ut hi ipſi aperto quaſi tramite per Nervum iſtum cum impetu ferantur, & ita *Convulſionem* Fibrarum iſtarum, & Muſculorum, ad quos terminatur Nervus, inducant. Hinc Nervus per Venæ ſectionem læſus, aut punctus, brevi pòſt Brachio Convulſionem inſignem infert; vid. Sylvius *l.* 2. *Prax. cap.* 23. *Sic ex Irritatione Stomachi* à Medicamento Antimoniali, hujus fit Convulſio, ſeu *Vomitus*,

ex *Irritatione Cordis* fit hujus *Palpitatio*; Sic notum est, quòd, quando *Nares irritantur* ab Objecto acriori, supervenìat *Sternutatio*, quam tantillum Hellebori Narium Membranæ infixi concitat; hæc reverà nil aliud est, quàm Motus Epilepticus Thoracis, consistens in convulsivâ Expiratione; unde, & Salmuth *in Observ.* ex suppressâ Sternutatione gravem Epilepsiam ortam refert, quæ sequitur simpliciter Irritationem, aut vellicationem Membranæ Narium; Et quidem convellitur Thorax, dum vellicantur Nares. Jam cogitate, sicut tantillum Acre, quod vellicat Nares, tam insignem Impetum, Motum & Convulsionem infert totius Thoracis; ita & in aliis Epilepsiis & Motibus Convulsivis tantillum irritans sæpè in loco remotiore existens, e. g. tantillum Fermenti acidi circa Membranas Cerebri consiti, Occasionem Epilepsiæ suggerit: Conf. hìc notabilis locus in M. A. N. C. *Ann.* 6. *Obs.* 77. *pag.* 112. Sic tantillum Acidi in Plexu Mesenterii tam insignes turbas inferre potest in Abdomine: sic ex Irritatione Faucium, aut ex Pennâ in Gulam immissâ, sequitur Vomitus: Sic Helleborina ac similia notoriè Convulsiones inducunt; vid. Tulpius *Obs.* 35.

*Secunda Causa Remota generalis est Ataxia ipsorum Spirituum Animalium convulsiva*, quando aliquid præternaturale excrementitium vel vitiosum, aut in Cerebro hærens, certis intervallis commotùm, eorum Motum turbat, aut iis ibidem permistum, eosdem vitiosè & cum impetu exagitat. *Uterque modus*, si Spiritus in Motus perturbatos, inordinatos, vagos & confusos, cogat, non tantùm Sensuum omnium, tam Internorum, quàm Externorum, (ad quos placidus & moderatus, isque ordinatus Spirituum requiritur Motus) hebetudines, sed etiam ex inordinato Motu eorum in Partes extrà Cerebrum, tam internas quàm externas, varii Motus Convulsivi superveniunt. Nempe huc commodè Vis elastica Recrementorum præternaturalium potest applicari, dum sui generis Recrementa Spiritibus Animalibus impermiscibilia, mutuo tamen concursu explosivum Motum concipientia, Epilepsias inferunt. Experimur hoc non tantùm in Febribus à Sanguinis exagitationibus nimiis, aut heterogeneitatibus ex hujus Materiâ Visceribus ac Spirituum Systemati suffusis; sed eandem illustrant diversi *Animi Affectus graviores*, verbi gratiâ Ira, Terrores nimii, & similes, qui Spiritus Animales nimis exagitando, eorumque Motum insigniter turbando, Motus Convulsivos aut *Epilepsias subitaneas* non rarò inducunt: id quod præsertim in Infantibus notum: Conf. Hoechstedterus *Decad* 4. *cap.* 8. *in Schol.* Schenckius *in lib.* 2. *Observat.* ubi Mulier ex Terrore ob ædium incensionem oborto, Convulsiones passa: Exēplum notatu dignum habet Gabelchoverus *in Cent.* 4. *Curat.* 59. item *Curat.* 23. & 24. de quodam, qui ex facillimâ Iracundiâ in gravem Epilepsiam incidebat, & superaffusâ Aquâ frigidâ confestim in ipso Paroxysmo subitò levabatur & curabatur.

Ex *Fomite morboso*, ubi nempe vel vellicantur aut irritantur Nervi, vel ubi sunt Recrementa heterogenea Spiritus turbantia, oritur divisio Epilepsiæ in *Idiopathicam* seu *per Essentiam*, ut vocant, affecto primariò Cerebro aut Cerebello circa principium Spinalis Medullæ, & Spiritibus hujus incolis; & in *Sympathicam* seu *per Consensum*, quando ex aliâ Parte affectâ supervenìunt Convulsiva Pathemata; Ita ut Idiopathicarum Causa semper in Parte convulsâ hæreat, verbi gratiâ à læsione Nervi, in Sympathicis extra eam, verbi gratiâ Convulsiones Partium externarum à Lumbricis Intestinorum. Per Consensum est frequentissimè Epilepsia, & sæpiùs Irritationes Nervorum sequitur. Quæ verò per Essentiam est, exìstit rarior, nisi in Membranis Cerebri aut in ejusdem Ventriculis Fomes Irritationis hæreat; tunc enim ferè per Essentiam esse videtur: Ut verbi gratiâ quando in Contusione Cranii occasione Festucæ, Cerebri Membrana graviùs læsa Epilepticis Motibus occasionem præbet. Quæ ex Recrementis heterogeneis, Spiritibus permistis, contingit Epilepsia, frequentior est per Essentiam, nisi mediante Massâ Sanguineâ ex aliâ Parte Fomes morbosus instilletur Cerebro, ibique Spiritus plùs minùs afficiendo Epilepsiam inferat.

Quod attinet istam *Irritationem*, quam dixi frequentissimam Epilepsiæ Causam, fit hæc variis modis, & varias occupat Regiones: nunc enim *circa Principium*, nunc *circa Medium*, præsertim circa Plexus, nunc *circa Finem seu Insertionem Nervi* cujusdam contingit. *Ad Principium Nervi* etiam Cerebrum & Cerebellum, itemque Medulla Spinalis, unde oriuntur Nervi, pertinent: Unde dum in Loco Irritationis ex aucto & simul nimis rapido & inordinato Spirituum ad Locum Irritationis in Nervo Motu, sensim inchoat Convulsio, hæc est primò tantum Fibrarum levior Contractura, quæ ipsa tamen ob continuatum Spirituum impetum sensim continuata, successivè secundùm ductum Nervi, ipsique annexarum Fibrarum, sursum magis magisque pergit, indeque Pars immobilis redditur, donec isto Convulsionis Motu, ad ipsum Principium Nervorum continuato, Spiritus Animales in Cerebro violentiùs agitari, quòd facto quasi agmine & impetu per eundem etiam & per vicinos Nervos explodi quasi & expandi incipiant. Unde ex inordinato isto Motu intra Cerebrum non tantùm omnium Sensuum perturbatio, sed etiam ex simili depravato Motu in Partes externas, Convulsiones, tam Partis istius primariò affectæ, quàm etiam Partium aliarum non affectarum, sequuntur. *Dum verò* successivè *inchoatus Spasmus* seu Motus Convulsivus secundùm Nervi ductum, ex Spiritibus propter Irritationem impetuosiùs irruentibus, sed ex Parte simul nonnihil resilientibus, sursum pergit, & urget istam Fibrarum Contracturam, unde Membrum fit immobile, percipiunt aut imaginantur sibi Ægri, præsertim cùm *Formicationis* quidam Sensus interdum superveniat, quòd Materia quædam subtilis seu *Aura* quædam, ut vocant, aut Spiritus quasi volatilis, ex uno vel altero Membro ita sursum repat, & ubi ad Cerebrum pervenerit, ibidem Convulsiones Epilepticas inferat. Bartholinus & Hildanus habent Exempla sentientium levem Auram ex Membro ascendentem ad Collum, unde cadunt. Confirmat hanc eorum mentem, quòd *Ligatura* strictior supra Partem primariò dolentem, ubi Aura ista residere creditur, injecta, Paroxysmum incipientem præcaveat, quasi Auræ adscensus inhibeatur. Illustria Exempla suppeditat Lindanus, quæ postmodùm habebimus, verbi gratiâ quando ex Pollice percipitur quasi adscensus Auræ & hinc Epilepsia, Ligatura circa Pollicem Epilepsiam præcavet. Ipsa verò Ligatura non convenit impediendo adscendentem Auram volatilem, sed potiùs, quatenus eàdem firmâ Ligaturâ Pars inferior quasi stupida, indeque minùs sensilis & minùs irritabilis redditur, unde & Irritationis Sensus, & rapidus Spirituum Animalium Impetus, & sic etiam Fibrarum Contractura & Convulsio, aut omninò tolluntur, aut saltim, quò minùs vehementes sint, impediuntur & sus-

pen-

penduntur. Par ratio est, quando in Hysterică Passione Ligaturâ forti Hypochondriorum nimium incrementum præcavetur: Fit hoc non propter Auras adscendentes sic quasi exclusas, sed propter inchoatam Convulsionem Partium inferiorum, quæ istâ Ligaturâ impeditur, & ulterior progressus quasi suffl aminatur. Exempla talium Epilepticorum non sunt pauca; unum tamen atque alterum curiosum referam: Tulpius *Centur. 4. Observat. 2. & 3.* talem refert Epilepsiam ex Pollice Pedis: Pariter Borellus refert Epilepsiam ex Pollice ortam, per Cauterium ibidem applicatum curatam, *Centur. 2. Observat. 95.* Sic Heinricus *ab Heer in Observat. 24.* refert Epilepsiam ex subitâ Animi consternatione & Terrore ob sollicitudinem Stupri, in cujus Paroxysmo Ægra continuò fricabat Pollicem Pedis, in quo facto Cauterio cum Butyro Antimonii, fuit sanata: Salmuth *Centur. 3. Observat. 39.* habet Epilepsiam concitatam per Auram ab Extremis adscendentem, per Ligaturas Partibus istis injectas præservatam: Refert Lindanus de quadam Muliere, quæ quoties Paroxysmus Epilepticus in procinctu erat, dicebat, intra Pubem à regione Pubis sentire se levem quandam Morsiunculam (quod non potuit esse nisi in Utero, quoniam laborabat vitio Uteri & Mensium defectu, & nunquam reddita fuerat Gravida), post Morsiunculam sentiebat sibi aliquid surgere, & designabat accuratè locum: inde à medio Corpore infra & supra Umbilicum ad superiora: & ista Aura, ut vocabat, non surgebat celeriter, sed paulatim, & cùm appropinquaret circa Cor, incipiebat illi Cor palpitare, & tunc post unum vel alterum Pulsum Animi Deliquio afficiebatur; postmodùm, cùm Pulsus denuò inciperet, totâ citò convellebatur, & superatâ illâ Convulsione ad se redibat, donec novus succederet Paroxysmus. Porrò dicit idem Lindanus: *Curavi Puellam octodecim annorum, quæ laborabat Epilepsiâ Obstructione Lienis Scorbuticâ* (Morbi enim Lienis ut plurimùm Convulsivi sunt). *Hæc à me examinata, retulit se sentire tempus invasionis Paroxysmi; se enim sentire ex sinistro Hypochondrio transversum quid, & cùm ad medium pervenerit Corpus, retrogredi, & deinde sursum tendere, & quoad Cor pervenerit, Animi Deliquio corripi, & hinc Epilepsiam subitò supervenire. Fui præsens aliquando, & exactè designavit locum, quomodò moveretur ista Aura.* Tertiò refert Lindanus de Juvene Franeckeræ, qui *habuit Cariem Ossis in Pollice Pedis, ex quo subindè sensit surgere Auram instar Aquæ fervidæ, quæ, ubi supra regionem Hypochondriorum pervenit, Epilepsiam intulit. Poterat præsagire Paroxysmum, & quamprimùm ille in Pede sentiebat Morsiunculas istas, statim Fasciis cruralibus, quas ex fune confecerat, supra Genu arctissimè constringebat: & si hoc faceret, impediebat Paroxysmum: si verò non faceret, statim Epilepsiâ corripiebatur. Semper*, dicit Lindanus, *quæsivi ex eo, an sentiat aliquid in Capite? qui respondebat, se nil in Capite, nisi Vertiginem quandam sentire.* Ex Contusione Pollicis Pedis videb. M. A. N. C. *Anno 2. Obs. 95. pag. 169.* & *Anno 6. & 7. Observat. 77.* Sic refert Helidæus *in suis Conf. pagin. 29.* de Epileptico, qui ante Paroxysmum Frigiditatem & Dolorem pungentem in Manu sinistrâ percipiebat, cujus annularis Digitus anteà ex Vulnere Sensum Motumque amiserat. Bartholinus *Centur. 1. Observat. 82.* refert Epilepsiam singulis Noviluniis cum Tumore Digiti Pedum minimi recurrentem, Cauterio isti inflicto curatam: Tandem notabilis est *Observatio 25. Centur. 6.* Hildani de Muliere Epilepticâ ex Aurâ quâdam è sinistræ Manûs medio Digito adscendente redditâ. Paroxysmus quoties redibat, de summo Digiti Dolore queritabatur: tum Manus contrahitur, Brachium convellitur, & tandem Motu Convulsivo totum Corpus percutitur: Cùm nullis uti vellet Medicamentis, factâ circa Carpum & Brachii partem musculosam Ligaturâ forti ex Corio humano, evanuere omnes Insultus, nec ab eo tempore quicquam eorum percepit. Parile Exemplum videbitis in M. A. N. C. *Anno 3. Obser. 336.* Vid. etiam Deckers *in Barbette Prax. pagin. 2.* ex dextræ Manûs Pollice: Rhodius *Cent. 1. Observ. 57.* Hæc & similia Exempla ex Irritatione ortarum Epilepsiarum sunt creberrima. Aura hæc assurgens, nonnisi Sensûs fallacia est: Nec enim Movens adest, quod Auram istam propellere, nec Spatium, per quod moveri Aura ista queat, sed potiùs, dum in Loco Irritationis ex aucto & simul inordinato Spirituum ad Locum Irritationis Motu, in isto Loco sensim inchoat Convulsio aut Convulsivus Motus. Quod verò percipiatur ut plurimùm *Frigida*, fit (1) quòd Spiritus Animales aliquo modo conferant ad Calorem Partium, hinc in Paraplecticis Partes ordinariò sunt frigidæ: (2.) per Spasmum Partium Spirituum Motus & Influxus liber plùs minùs suffl aminatur: & (3.) ordinarium est Pathema, Membrum dum incipit Spasmo convelli, quòd Refrigerationem videatur percipere: Sic imminente Vomitu percipimus quandam Refrigerationem, & similia.

*Partes, per quarum Consensum Epilepsiæ oriuntur*, sunt variæ, pro varietate Nervorum affectorum in toto Corpore: videb. hic imprimis Sennertus *ubi de Epilepsiâ pag. 625.* Præterea ex Retentis corruptis, ver. grat. *suppressione Mensium aut Hæmorrhoidum*, item ex *defectu Exercitii Veneri in Mulieribus*, non raræ sunt Epilepsiæ per Consensum, quoniam suppressa Excretio Liquoris seminalis, & inde nata Acrimonia non rarò in Mulieribus Epilepsiam per Consensum infert, irritando Partes nervosas circa Genitalia: Sic Forestus *lib. 20. Observat. 115.* observavit Convulsionem ex Utero totius Corporis, ob Liquoris genitalis corruptionem: nil proficientibus Remediis aliis, factâ titillatione per Mulierem in Genitalibus cum Oleo Liliaceo, cui Zibethum immixtum erat, illicò sanata est: putrescit enim Liquor genitalis sæpè, acescunt Humores, hinc Convulsiones. Sic idem Forestus recenset Exemplum Suffocatæ ex Uteri Affectu, quam Tonsor Crinibus Pudendorum apprehendit, unde revaluit: Sic Hildanus *Centur. 6. Observat. 25.* refert, Mulierem Epilepticam ex Utero cum Convulsionibus ad eum modum, quo cum Viro coire consueverat, à Viro longè anteà absente per Coitum mox curatam, neque ampliùs, cum Medico illo conjugali viventem, Convulsionibus correptam: Epilepsiam *à carnoso Cerebri Tuberculo* videb. in Rhodio *Centur. 1. Observat. 55.* ex Hypochondrii dextri Obstructione *Observat. 56. Ex vitio Stomachi* frequens est Epilepsia. Item *Lumbrici* creberrimè tam in Infantibus, quàm in Adultis efficiunt Epilepsiam qualem ex Vermibus Intestinorum refert Bartholinus *Centur. 6. Histor. 20.* Zacutus Lusitanus *lib. 2. Med. Princ. Hist. capit. 17.* Piso *lib. 2. de Morb. cognosc. & cur. cap. 19.* Forestus *lib. 10. Observat. 65.* Gruelingius *Centur. 3. Obs. 74.* Moebius *Instit. lib. 2. par. 2. cap. 12.* & Rhodius *Cent. 1. Obs. 59.* à Prægnatione *Obs. 60.* Mulieres *Gravidæ*, item Mulieres *Parturientes*, aut etiam quibus suppressa sunt *Lochia*, sæpè in-

incurrunt Epilepsiam, quam ex Utero cum insequente Parte refert Tulpius *lib.* 1. *Obs.* 10. *Ex ulcere in Crure* sanato Epilepsiam, quô rursus apertô ea cessavit, videb. in Amato Lusitano *Centur.* 2. *Hist.* 6. Item ab occluso Ulcere in Crure, ex quo ad cendens Aura Epilepsiam infert: Videb. in Bartholino *Centur.* 3. *Hist.* 20. Horstio *lib.* 2. *Observ.* 10. Hildano *Centur.* 2. *Observ.* 10. Ab *Hepate* in Rhodio *Centur.* 1. *Observ.* 62. Ex *Liene*, qualem *idem lib.* 1. *Observat.* 9. Schenckius *in Observat.* Horstius *in Observat. &c.* referunt. Ex *Renibus & Vesicâ* calculosâ, de quo videb. Bartholinus *Cent.* 5. *Hist.* 61. Ex *Abscessu Abdominis* interno, de quo videb. Lossius *lib.* 1. *Obs.* 11. Ex *Mesenterio*, vid. Rhodius *Cent.* 1. *Obs.* 61. *Variolæ & Morbilli* ante sui eruptionem, vel etiam post non sufficientem excretionem, familiarissimè Epilepsiam inferunt. Sic *Melancholia* subinde in Epilepsiam abit, videb. Salmuth *Cent.* 2. *Obs.* 42. sicuti econtrà Epilepsia subinde in Melancholiam transit. Ante triennium sub Curâ habui Puerum decem annorum Epilepsiâ Habituali correptum, noctu suaviter dormiebat, mane evigilans Dolorem in sinistro Hypochondrio percipiebat, & decem vel duodecim in die Paroxysmos patiebatur: Curavi eum cum Pulvere Epileptico Antimoniali, sed eô ipsô punctô, quô Epilepsia non redibat, aderat Melancholia, & quidem ridiculosas; recidivante autem post aliquot septimanas Epilepsiâ, Melancholia evanuit. *Colica* non rara est, nempe *Convulsiva* illa, quæ Epilepsiam infert non secus ac Purgantia acriora. *Nixu pariendi* in dispositis Epilepsiam excitari supra insinuatum est. *Arthritis* desinens in Epilepsiam terminabatur, quæ cessavit revertente Arthritide, authore Riverio *Centur.* 3. *Observat.* 85.

Hæ sunt Epilepsiæ per Irritationem, idque per Consensum. Raræ sunt, quæ fiunt per Essentiam Cerebro affecto, utut semper percipiantur tales Nervorum Spasmi.

In specie, quod *Causas Remotas* attinet, sive per Essentiam, sive per Consensum Epilepsiam inferant, Causâ irritans nunc *Externa* quæcunque lædens, nunc *Interna* est.

Ex *Internis* frequentissima solet esse *Acidum vitiosum* Nervis inimicissimum; id quod in Hypochondriacis, Scorbuticis, Hystericis, &c. manifestum est, quibus Epilepsiæ Habituales & Chronicæ familiares sunt; Ita quidem, ut Hogelandus *Oecon. pagin.* 186. & 187. Epilepsiæ primariam radicem in Lienis perverso Fermento concipiat: qualis etiam Aciditas Causa videtur illius Morbi Convulsivi à Lue Gallicâ, cujus Bartholinus *Centur.* 6. *Histor.* 23. mentionem facit. Uno nomine, est Acidum vitiosum ex primis viis oriundum, sed volatile magis, minùs fixum, hinc inde penetrans, quod vellicando Nervos aut Partes cognatas, hujusmodi Mala infert. Jam ergò sive sit Humor acidus, sive Fermentum tantùm odore acido, se insinuans, facillimè Epilepsias inferre potest. Acidum enim hoc subinde se insinuat in Partes Musculorum fibrosas ac tendinosas, easque hinc rigidas, duras ac intractabiles reddit; post hæc ipsos Nervos quocunque in loco affligendo, Epilepticos Paroxysmos infert, propter hujusmodi vitiosas Aciditates quibuscunque in locis residentes, non præcisè in Musculo contracto, speciatim Glandulas & Plexus Mesenterii occupantes, imò ibidem Nutrimentum earumdem spermaticum seu chylosum coagulans, in Materiam gypseam & tartaream, ut vocant, interdum transit. Unde omni penitus Motu sublato Pars ista admodùm contracta & immobilis manet. Præ cæteris Scorbutici, Hypochondriaci & Hystericæ, in quibus manifestiora Acoris peccantis sunt indicia, adeò crebris obnoxii sunt Affectibus Spasmodicis, Motibusque Convulsivis & Epilepticis: in quibus circa Glandulas Mesenterii collectum vitiosum Acidum, aut ex Pancreate in Intestina effusum, & hinc in Mesenterium promotum, subinde Spasmodicas Convulsiones cum Rugitu Ventris, cum Globi in Abdomine sensu, cum Umbilici ad interiora versùs retractione & similibus Affectibus infert: Conf. Drawizius *in Tractat. de Scorbut.* & Riverius. Unde juvant plurima Antispasmodica, & Antepileptica naturæ Alcalicæ, vel Acidum destruentia, vel istud obtundentia aut demulcentia. Inter graves Epilepsias hactenus exercitii gratiâ Virginem pauperem sub Curâ habui, quæ inter alia, præter Insultus Epilepticos, nunc ante, interdum post Paroxysmum, Insultu Maniaco corripiebatur; item patiebatur Fluxum Menstruum ordinarium, sed singulis binis mensibus: tertiò erat admodùm vorax: quartò, quoties dedi Vomitorium, semper meliùs habebat. Ex his potest inferri, quòd *Epilepsia & Mania ex communi radice oriri possint.*

(1.) Quatenus in Maniâ Spirituum Motus internus vitiatur, in Epilepsiâ autē externus.

(2.) Quia adest summa Voracitas, testis copiosi Acidi.

(3.) Quod Faber Mali in Stomacho & primis viis hæreat: Unde

(4.) Vomitus semper eam cicurant.

Limatura Martis nihil valebat, Lixivium Cineris clavellati etiam non valebat; præ reliquis autem subinde egregium effectum habebat Viscum Corylinum; levamen quoque sensit ex Pulvere quodam præscripto ex gr. iij. Pulveris Epileptici Antimonialis. Propter hoc Acidum Mulieres Hystericæ corripiuntur Epilepsiâ. Sic etiam Podagrici aliique Arthritici non rarò patiuntur Convulsiones ex Acido. Ob id in iis, quibus accessura est primùm Podagra vel Chiragra, in illis plerumque antecedunt Convulsiones, aut saltem afficiuntur Crampis. In specie in Podagricis sæpiùs anteambulones sunt Convulsiones. Et vitium istud, quod Contracturam appellant, fit ab Acido, ob omninò rigidum redditum Nervum, quo Acido corrumpitur Nutrimentum proximum, indurantur Partes, & continuò contractæ manent & rigidæ.

*Alteram quod attinet Causam Remotam, Recrementa nempe vitiosa plùs minùs explosiva seu elastica, nitro-sulphurea*, ut dicuntur Willisio, quæ per *Spiritum acidum volatilem explicat* Sylvius, hæc in Cerebro locisque vicinis congesta, aut Spiritibus Animalibus permista, eorum Crasin vitiant, quæ quibusvis Occasionibus, sive immediatè, sive mediante Spirituum agmine vehementius commoto, v. gr. in Animi Affectibus excitata, Motus Spirituum inordinatè turbando, & impetuosiùs agitando, graves Epilepticos Paroxysmos excitant. Quicquid horum sit, sedulò habenda est ratio hujus Epilepsiæ, etiam non adeò raræ. Videtur hoc evenire in Epilepsiâ propriè sic dictâ, sine Causâ manifestâ Ægros affligente, in specie quæ supervenit Variolis & Morbillis, ex quibuscunque Febribus Malignis, in quibus frequentiùs observatur, à tali miasmate Spiritus Animales eorumque Motum turbante. Quod talis Copula explosiva de naturâ Acidi sit, probatur per Juvantia, Salia nempe volatilia, &c. Pertinet huc *Epilepsia Hæreditaria*: Nam utut hæc ipsa etiam radicem possit habere in quodam Abdominis Viscere; nihil-

nihilo minùs tamen certò Spirituum vitiosè conſtitutorum, & in Craſi ſua deficientium, ſimul videtur ſubeſſe erratum. Crebriùs obſervata fuit Epilepſia, *poſt Cerebrum vulneratum* & non ritè ſanatum orta, propter Fermentum quoddam acre malignum, in & circa baſin ejus collectum & relictum; item *poſt Caſum ab alto* in Caput ſanum, ubi Sanguis hæret ſub Cranio, qui putredine corruptus & plùs minùs aceſcens, Epilepſiam infert. Hæ enim Cauſæ, quibus Cerebrum lædi contingit, etiam Spirituum ordinatum Motum in conſenſum permutare valet, aut eos inficiendo, aut iis ſe permiſcendo. Superiori anno cum quidam gravi Vulnere læderetur in latere Capitis dextro, quod Os Bregmatis penetraverat cum Meningibus & Cerebro, obſervavi paucis pòſt diebus ſuperveniſſe Convulſionem, ſed levem, lateris læſi ſeu vulnerati, econtra perfectam Paralyſin ac Reſolutionem totius lateris ſani: ſed cùm Paroxyſmi Epileptici ſubinde ſupervenerint, utrumque latus ejuſque partes promiſcuè convellebantur: Sed extra talem Paroxyſmum Paralyſi Pars ſana, Spaſmo Pars ægra, laborabat. Potiùs huc pertinent *Febres Malignæ*, aut etiam *Benignæ Continuæ* malè judicatæ, quæ occupando Cerebrum, ibique Spiritus Animales turbando, præter Deliria, Convulſiones Epilepticas ordinariò inferunt, quas Tractio & Subſultus, aut quædam Vibratio Tendinum circa Carpum imminentes innuunt. Pertinet huc Epilepſia lethalis *poſt Auriuu Dolorem* diſcuſsâ, ſed non ſuppuratâ Materiâ, quam refert Horſtius *in Obſ. lib. 2. Obſ. 21.* Item quando *ex ſuppreſſa Hæmorrhagia Narium* Paralyſis lateris dextri, & ab hâc ſanatâ, Epilepſia nata fuit, autore Bartholino *Cent. 4. Hiſt. 69. Ex ſuppreſsâ* quoque *Urinâ*, Renum vitio ſupervenire Epilepſiam, urinario Sero Cerebrum inundante, non rarum eſt. *Suppreſſi conſueti Sanguinis Effluxus*, v. gr. Hæmorrhoidum, Menſium &c. ſubinde Epilepſiam inferunt, Cerebri ac Spirituum alteratorum vitio. Quò etiam facit incipiens *Gravidatio*, cujus occaſione quædam Epilepſiæ fiunt. Præ cæteris Sanguinis *Recrementa vitioſa & acria ſub Lymphæ vehiculo* Cerebro juxta ejus Glandulas communicata, irritando hujus Membranas creberrimè Epilepſiam hancce per Eſſentiam inferunt, quocunque etiam in loco collecta fuerit peccans iſta Lympha, de qua vid. Schneiderus *in ſuo Tr. de Catarrh. lib. 2. pag. 103.* qui aliquot habet Exempla Epilepticorum poſt Mortem diſſectorum, in quibus *Seroſitates vitioſæ* in Ventriculis Cerebri fuerunt repertæ: Similia Exempla refert Schenckius *in ſuis Obſervat. pag. 144.* & Bontius *Med. Indor. Obſervat. 1.* Item Borellus *Cent. 2. Obſer. 78.* habet Exemplum Epileptici mortui, cujus in Cranio aperto inter Cerebri Ventriculos magnam *Materiæ Adipis emulæ* copiam reperit: *Pus* in Cerebro obſervavit Tulpius *Cent. 1. cap. 32.* & quæ ſunt ſimiles Cauſæ, quæ inferunt Epilepſiam per Eſſentiam. Denique *Apoplexia* interdum in Epilepſiam tranſit, & contrà, vid. M. A. N. C. *Ann. 6. & 7. Obſ. 212. pag. 311.*

Quoad *Cauſas Externas*: eæ ſunt innumerabiles. Præ cæteris conſiderandus *Mercurius & omnia Mercurialia*, cujus etiam Miaſmata minima generi Nervoſo ſunt infenſa: Si enim tantillum ejus circa Cerebri confinia hæſerit, quocunque modo illi communicata, ad Epilepſiam diſponunt, propter irritationem ab acrimoniâ Mercurialium particularum natam. Hinc enim Unguenta Mercurialia Capiti contra Tineam Infantibus illita Epilepſiam non rarò inferunt: quale Exemplum videri poteſt in Timæo *von Guldenklee in Reſp.* *pag. 106.* Pertinent huc *Fumi Joviales*, è quibus per Nares attractis, ob Mercuriales halitus adhuc latitantes, Convulſionem & Epilepſiam obortas notat Salmuth *Cent. 3. Hiſt. 39.* Ex *Coturnicum eſu* Epilepſiarum & Convulſionum Exempla notat Schenckius *lib. 1. pag. 124.* *Vini* etiam *uſus nimius* Convulſiones excitat ob Aciditatem.

Abſolvi ferè ea, quæ ad Theoriam Convulſionum & Epilepſiarum pertinent. Plura qui cupit, adeat Williſium *in Pathologiâ Cerebri*, ubi ex profeſſo tractat *de Morbis Convulſivis*: & quidem jure meritoque; nulli enim Affectus poſt Febres ſunt frequentiores, quàm iſti Morbi Convulſivi, utut, quod obiter noto, interdum aliquantiſper *confusè*, interdum *dubiè*, loquatur: *Dubiè* quidem, quando infert ſuam Copulam exploſivam, quam ex Maſsâ Sanguineâ derivat, conjugendam cum Spiritu Animali, quæ quid aut qualis ſit? fateor me ignorare: *Confuse* loquitur, quia non exactè ad Origines Convulſionum progreditur, ſed potiùs datâ quâcunque occaſione Convulſiones modò huc modò illuc determinat: Conf. Sylvius *lib. 2. Prax.* Unzerus *Tr. pecul. de Epilepſiâ.*

*Inter Pathemata*, quæ Epilepticos vexant, non ultimum eſt *Stridor Dentium*, Maxillarum vehementiſſima conſtrictio, idque ex convulſivo impetu. Sed *Dentium Conſtrictio*, quod probè notandum, extra Epilepſiam interdum obſervabilis, ex Paralyſi aliquando Muſculorum, Maxillam inferiorem deorſum trahentium, non ſemper ex Convulſione eſt: Conf. Thyrmayer *Conſ. lib. 2. pag. 174.* Item *Spuma*, quæ ante Os Epilepticorum interdum conſpicitur. Hæc Saliva eſt rarefacta ab Aëre, dum conſtrictis & coangustatis Spaſmo plùs minùs Faucibus, Saliva plùs minùs copiosè expreſſa, ab Aëre per illas anguſtias vi exploſo agitata, in talem ſpumoſam texturam abit: hinc etiam *ex Naribus* interdum *Materia* talis excerni ſolet. Conf. Pechlinus *in Tr. de Aëris & Alimenti defectu.*

## DIFFERENTIÆ.

*Quoad Differentias Epilepſiæ*: hæc eſt vel *Univerſalis*, vel *Particularis*, quando unum alterumve Membrum, aut aliquot ſaltem Partes Corporis Epilepticis Convulſionibus vexantur: Vid. Sennertus *Inſtitution. lib. 2. Part. 3. ſect. 1. cap. 9. de Epilepſiâ*, ubi curioſa *Epilepſiæ Particularis* recenſentur Exempla.

## DIAGNOSIS.

Quoad *Diagnoſin*: Signis Diagnoſticis pro Convulſionibus & Epilepſiâ præſentibus determinandis vix eſt opus, cùm per ſe ſit aperta, & facillimè cognoſcatur; ſive ſit *Convulſivo Tonica*, dum Membrum convulſum in ſuo ſitu permanet; ſive ſit *Convulſio Clonica*, dum Membrum convulſum variè agitatur.

*Dolor* ſatis etiam frequenter adeſt in Convulſione, verùm non ſemper, ſed tantùm interdum ſupervenit.

Convulſivus Motus *Tremori* equidem in pluribus eſt cognatus; in hôc tamen facillimè diſcernuntur, quòd Tremor ſemper conjungatur cum Motu voluntario, v. g. Manus nunquam tremet, Pes nunquam tremet, niſi ad curſum adigatur, ita ut ſemper Motui voluntario conjungatur Tremoris Symptoma: in Motu Convulſivo, ipſo Ægro inſcio, aut præter voluntatem ejus, fiunt Motus Convulſivi. Denique tam *in Paralyſi* quàm *Spaſmo* Motus Membri Voluntarius læditur, hâc tamè differentiâ, quòd in

Paralysi Membrum resolutum sine omni difficultate trahi, flecti & tractari possit; contrarium sit in Convulsione, in qua Membrum est rigidum, & quod non sine acerbo Dolore extendi potest.

*Gradus Epilepsiæ primus à Lipothymia & Caro distinguitur*, quatenus in Lipothymiâ Pulsus parvus & rarus, in Epilepsiâ robustus & frequens; Carus verò similesque Affectus Soporosi periodico recursui haud obnoxii sunt, nec facilè cedunt; sicuti Epilepsia per Paroxysmos recurrens facilè solvitur.

Prætereà *in Febribus Ardentibus & Morbis Acutis Malignis* consultum est, prænoscere imminentem Convulsionem & Epilepsiam: quod ex eo patet, quòd Ægri ex improviso Aurium tinnitu, Sensuum hebetudine, Capitis gravitate, & Cordis palpitatione corripiantur, Splendores ac Coruscationes, & variorum Colorum apparitiones, ante Oculos versari soleant, ac Objecta peregrino Colore vestita appareant; istiusmodi enim ignitos Splendores creberrimè sequi solent funestæ Epilepsiæ: vid. Bartholinus *Cent. 3. Hist. 45.* & & M. A. N. C. *Ann. 2. Obs. 97. pag.* 170.

Si in principio Morbi *de Dolore in bulbis Oculorum* sine Ophthalmiâ conqueruntur, mox Delirium & Convulsiones adsunt; quod tanquam funestissimum Signum sæpiùs observavi.

Quando *Muscas capiunt, & Floccos colligunt, Lectumque vellicant*, mala sunt Signa: Illa Delirium, & simul Motum in Oculis Convulsivum, & Convulsiones supervenientes innuit: Hæc jam instantem Convulsionem denunciat. Item quando dicunt, se percipere Motum quendam Membrorum tractorium, aut ex iis aliquid sub Auræ frigidioris specie versùs Caput ferri: vid. Riverius *Prax. lib. 1. cap. 7.*

Spectat huc *Destillationis* à Capite ad Pectus & Ventriculum ruentis species, qua quidam apud Tulpium *lib. 1. Obs. 15.* Convulsionem Periodicam per abusum Euphorbii contractam ante octiduum sibi præsagire poterat.

Observatur etiam duplex Status: *Ægri enim nunc delirant, nunc non*: si delirant, nihil percipiunt & nihil dicunt. Quando igitur Æger delirans talia Phænomena aut non percipiat, aut indicare nequeat, v. g. in Febribus Continuis, & Acutis, Medicus, si tangit Carpos & Tendinosas partes, proximâ occasione de imminentibus Convulvulsionibus iisque lethalibus, certus sit, si scilicet quasdam Tractiones ac Tensiones, aut quosdam Subsultus, aut quasdam *Vibrationis Tendinum*, qui frequenter supra Carpum repunt, in his deprehendat.

*Vertigo* citra Causam manifestam Juniores, præsertim non Hypochondriacos, aut frequentiùs aut fortiùs affligens, Epilepsiæ est prodromus.

Denique crebrior *Ephialtis* seu Incubi sub Somnum invasio Signum est imminentis Epilepsiæ, testibus ferè omnibus Practicis.

Ipsa *Epilepsia præsens* ex ejus Gradibus suprà explicatis per se patet, nihilo minùs tamen Homo subitò corruit, aut si non corruit, tamen variè Membra agitantur: Animales Functiones aut abolentur aut depravantur, in Epilepsiâ cum Deliriis, Risu, Gesticulatione, & similibus conjunctâ.

Speciatim quoque consideret Medicus, an Convulsiones oriantur ex Viscerum internorum, vel Partium externarum spasmis? *Convulsiones & Epilepsia Partium externarum* ex Motu Convulsivo Membrorum facilè patent; *Internæ verò cognoscuntur* ex Motu Convulsivo, Murmurationibus & Borborygmis Abdominis, (quos Flatus dicunt, qui tamen non semper adsunt, ex subitaneâ hujus Abdominis aut contractione aut intumescentiâ, ex tensione & duritie Abdominis, interdum cum Sensatione superiora versùs repentis, unde Infantibus Epilepticis imminente Epilepsiâ solet indurari Abdomen; interdum ex Umbilici interiora versùs retractione, ex acerbis Doloribus contorquentibus in Abdomine, in specie Intestinorum & Mesenterii, quos Ægri, præprimis Hypochondriaci, exprimere nesciunt; item ex Præcordiorum tensione & constrictione, ex Dolore lacerante circa Lumbos, ubi annexum est Mesenterium: superveniunt subitanea Respiratio difficilis, interdum sensus Suffocationis, aut quasi Laqueus Collo injiceretur. *Subinde externarum partium Epilepsia supervenit.* Unde patet, quanta sit connexio hujus Epilepsiæ Internæ cum *Passione Hysterica* sic dicta, quæ cum Epilepsiâ in radice conspirat, ut sit unus idemque Affectus, & tantùm Circumstantiis quibusdam varient: hinc etiam omnia Antepileptica Hystericam Passionem, quælibet econtrà Hysterica Epilepticos curant.

Pro investigando Fomite Morbi à Medico cognoscendum est ulteriùs, an *per Essentiam*? an verò per *Consensum* sit Epilepsia? *Si per Essentiam sit* Epilepsia, ferè nulla Paroxysmi futuri seu invasuri præcognitio præcedit, nec jungitur Sensatio quædam molesta in quodam loco, sed dictum factum ex improviso eodem corripiuntur Ægri: jungitur quædam Sensatio, quando nimis est rapidus Spirituum Motus, aut post Paroxysmum Pars dolore lancinante & lassitudine solet affici. Ubi verò est *per Consensum*, ibi ut plurimùm Alteratio quædam, v. g. aut Dolor, aut Motus Vermiculationis, aut simile quid, in Parte quâdam extra Caput præcedit, ex quo postmodùm Epilepsia quasi surgere percipitur; modò dictus Dolor aut Motus comitatur, modò cessante demum Paroxysmo observatur. Imprimis fit hoc, quando Focus epilepticus est in Partibus remotioribus. Ibi enim imminens Paroxysmus percipitur ex motâ quasi Aurâ quâdam, quâ sursum adscendente, Epilepsiam in promptu esse, facilè patet. Quò etiam faciunt Signa Lumbricorum, Calculi, &c. quæ Spasmos ex improviso & sine Causâ manifestâ contingentes exinde exsurgere, probabile est.

Præprimis *in Epilepsiâ per Essentiam* Capitis affecti Signa adsunt; Torpor quidam in Actionibus Animalibus internis, aut saltim depravatio quædam, hebetudo Sensuum, Capitis gravitas, Vertigo, &c. adest aut sequuntur: vid. Riverius *l. a.* Interdum graviori in Malo Fatuitas sequitur, & præcesserunt ferè *Causæ Externæ*, quæ Cerebrum aut Capitis partes lædere potuerunt. Imprimis Lunæ motibus auscultat Epilepsia quævis, magis tamen ea, quæ est per Essentiam, & non nunquam ad Lunæ varias Periodos diversimodè afficit: id quod non æquè observari potest, quando Epilepsia est per Consensum, in qua ut plurimùm adsunt Signa Visceris cujusdam vitiati & ejusdem Operationis labefactatæ, aut privatæ Partis affectæ: utut interdum inveterata & gravior per Consensum Epilepsia etiam ad Lunæ motus, alterato plùs minùs Cerebro, variare soleat.

## PROGNOSIS.

*Prognosis* Convulsionis & Motuum Convulsivorum pro varietate Virium & Circumstantiarum variat.

Convulsio, quæ fit *per Consensum*, minùs periculosa est, & facilius, cæteris paribus, curabilis, quàm ea, quæ ex Cerebro *per Essentiam* originem ducit.

*In*

*In Febribus Acutis*, præſertim *Malignis*, ſupervenientes Convulſiones ſunt periculoſæ & ſæpiùs Mortem portendunt, niſi per Criſin ſolvantur: vid. Hippocrates *ſect.* 4. *Aph.* 10.

Epilepſia *Habitualis & per ſe* Morbum conſtituens ſine periculo Vitæ ſubinde ad plures annos durat, utut ſæpiùs recurrens Ægros plùs minùs paralyticos, delirantes aut ſtupidos reddat; quamvis interdum ſuâ ſponte in Subjectis Junioribus circa Pubertatem terminetur: vid. Foreſtus *lib.* 16. *Obſ.* 57. *in Schol.*

Si toto Corpore à Convulſionibus immuni aut *Labium convellatur*, *aut Palpebræ*, *aut Lingua*, pravum Symptoma & periculoſum putandum eſt, & quod meritò timorem incutere debet Ægro; nam aut Mors imminens, aut gravis Epilepſia, innuitur. Conferendi huc ſunt varii *Aphoriſmi* Hippocratis, qui de Convulſionibus agunt.

Quò Motus in Convulſione eſt *vehementior & diuturnior*; aut plures, vel Cerebro vicinas, v. g. Labia, Palpebras aut Linguam, vel nobiles magis Partes, v. g. Præcordium afficit, eò periculoſior Convulſio eſt; hinc Epilepſia reliquis Speciebus ſemper periculoſior.

*Epilepſiæ Hæreditariæ*, quæ ſæpiùs dantur, vel omninò nunquam, vel rariſſimè curantur.

*Epilepſia ante Pubertatem* eveniens curabilis eſt; poſt annum verò vigeſimum quintum ſuperveniens ferè uſque ad Mortem durat, teſte Hippocrate *ſect.* 5. *Aphor.* 7. Williſio *de Morb. Convulſiv. cap.* 3. *pag.* 37. Quod tamen non ſemper procedit, quin proſtent Exempla aliquot in *Obſervat.* Rhodii etiam Epilepſiarum poſt vigeſimum quintum annum curatarum: Vid. etiam Riverius *l. a.* Ideoque de Infantibus Epilepticis benè ſperandum.

Si quid magis univerſale, eſt *Aphoriſmus* Hippocratis 45. *Sect.* 2. *Epilepſiâ laborantes Juniores cum Ætatis mutatio, tum Locorum, & Victûs liberat.* Nempe quandoque *in Pueris* Pubertatis mutatio, ac Venus; *in Puellis* verò Menſtruorum initium, Morbum hujuſmodi tollere ſolet. Conf. Foreſtus *lib.* 10. *Obſ.* 35. *in Schol.*

Paroxyſmi *quò ſæpiùs repetunt*, eò graviores evadunt, & tandem totam Functionem Animalem evertunt.

Obſervatum etiam fuit, quòd in Paroxyſmo Epileptico, ſi Æger *ad uſum Sternutatoriorum non ſternutet*, malum ſit indicium, atque argumentum, Naturam ſuccumbere, & proſtratam eſſe.

*Si Mulierem Utero gerentem* fortis Epilepſia invadat, magnum periculum minatur, ſaltim periculum Abortûs imminet: id quod tamen non ſemper abſolutè verum deprehenditur; ſiquidem Rhodius *Centuriâ* 1. *Obſerv.* 60. refert Matronam Prægnantem, quæ dum Utero gereret, poſt ſex ſeptemve menſes Epilepticis Inſultibus affligebatur, Partum verò enixa optimè convaluit: Sic etiam Schenckius *in Obſervat.* non omnes Prægnantes Epilepticas Abortum pati annotavit.

*A copioſo Sanguinis fluxu* Singultus, aut Convulſio malum; vid. Hippocrates *ſect.* 5. *Aphoriſm.* 3. *ac* 36. & *ſect.* 7. *Aphor.* 9. *A Sanguinis profluvio Deſipientia, & Convulſio malum.*

Pariter *ab Hypercatharſi* Convulſio, aut Singultus malum, *Sect.* 5. *Aphor.* 7. & *Sect.* 7. *Aphor.* 25. nam Singultus eſt ſpecies Convulſionis.

*Convulſio ab Helleboro lethalis*: *Sect.* 5. *Aphoriſm.* 1. Rarò enim Ægri à Convulſionibus poſt Purgantia talia fortiora obortis evadunt, utut non deſperandum ſit, quin Opiatis, & Theriacalibus Alexipharmacis denuò convaleſcant: ſicuti nonnulla Exempla eorum, qui evaſerunt, adducunt Sennertus *Prax. lib.* 1. *pag.* 565. & Petræus *Noſolog. Harmon. lib.* 1. *Diſſ.* 8.

*Ab Ileo Vomitus*, *Singultus*, *Convulſio*, *aut Delirium*, *malum*, *Sect.* 7. §. 10.

Huc facit ulteriùs *Aphor.* 66. *Sect.* 4. ubi inquit; *In acutis Febribus Convulſio, & circa Viſcera Dolores vehementes*, *malum.*

Item *Aphor.* 13. *Sect.* 7. *In Ardoribus vehementibus Convulſio, aut Tetanos, malum*: ut Convulſiones, quæ graves Phrenitides ſequuntur, lethales ſunt.

*A Vigiliis Convulſio*, *aut Deſipientia*, *malum*: *Sect.* 7. §. 8.

*Febrim* Convulſioni ſupervenire, meliùs eſt, quàm Febri Convulſionem: vid. Hippocrates *Sect.* 2. *Aphoriſm.* 26. Galenus *ſuper Aphoriſ.* 54. *Sect.* 4. modò Febris non ſit Maligna: & Spaſmo, aut Tetano ſi Febris acceſſerit Morbum ſolvit, Hippocrates *Sect.* 4. *Aphoriſm.* 57. Conf. Sennerti *Prax. lib.* 1. *part.* 2. *cap.* 28. *pag.* 566. & Tulpius *lib.* 3. *Obſerv.* 42. ubi eleganti diſcurſu hoc declarat. Diſtinguendi autem ſunt Caſus in horum explicatione: nempe intelligitur Convulſio, & Motus Convulſivus Chronicus, circa quos obſervatum fuit, quòd ſuperveniens Febris eoſdem curaverit.

*Quartanâ correpti* non admodùm Convulſionem patiuntur: Si verò priùs tentati ſunt, ſuperveniente Quartanâ liberantur, *Sect.* 5. *Aph.* 70. Exemplum Quartanæ ſolventis Epilepſiam vid. in Salmuth *Cent.* 2. *Hiſt.* 84.

## CURA.

Hiſce præmiſſis pergo ad ipſam *Curam Epilepſiæ*, & quidem ad Curam imprimis in genere *Adultorum*: nam Epilepſia Infantum, & Mulierum ad Morbos Infantum, & Mulierum pertinet.

*Quoad Curam* Convulſionum, & Epilepſiarum, hæc inſtituenda venit tam *extra Paroxyſmum Præſervatoria*, quàm in *Paroxyſmo Curatoria.*

*Quoad Præſervatoriam*: ante omnia attendendum eſt, ut *Cauſa Remota Materialis*, nempe ea, unde oritur inordinatus Spirituum Motus, *removeatur*, *corrigatur*, & ejus crebrior *Recidiva maturè præcaveatur*, ſive per Eſſentiam, ſive per Conſenſum fuerit orta Epilepſia, & Convulſiones. Hinc Cerebri, ſeu Nervorum, ac Spirituum Animalium Diatheſis *Aromaticis*, ac *Volatilibus* conſervanda, perverſus verò Motus *Anodynis* corrigendus. Pro varietate autem hujus Cauſæ cum Specificorum uſu varianda ſubinde nonnihil Curatio, ſemper attendendo, an ſit ex Irritatione quâdam Partis nerveæ? an inquinati Spiritus Animales? In ſpecie *conſiderandum an Convulſiones*, & *Epilepſiæ ſint Affectus primarius*, & per ſe Morbum conſtituant, adeòque plùs minùs *Habituales* ſint? an verò ſaltem *Affectus ſint Secundarius*, & Symptomatis rationem habeant, adeoque *Accidentales*? Hinc conſiderandum, *an per Conſenſum* ſaltim? *an verò per Eſſentiam* ortum traxerint? *an Cauſa Remota Externa*, vel *Interna* fuerit? an *Sedes Fomitis* ſit *intra Corpus*? an verò *extra Corpus*, in Membro quodam particulari? Pro quibus omnibus Circumſtantiis omninò *varianda venit Cura*, dum alius reſpectus eſt habendus, quando Epilepſia eſt in Febre Malignâ, alius, quando eſt in Mulieribus Hyſtericis, alius, quando eſt à Scorbuto, alius, ſi in quodam Membro particulari, eoque in ſpecie externo, Radix Mali fuerit. In tali enim caſu, aut Ligatura fortis Membri peccantis, aut ibidem, ubi reſidere percipitur Materia ſtimulans & Convulſionem excitans, inuſtum Cauterium, vel excitatus Fonticulus, præſervat Paroxyſmum imminentem, interdum Fermentum irritans evacuando omninò Epilepſiam curant.

*Observandum* igitur I. Cùm Epilepsia, & Convulsiones, quæ in specie ut Morbi à Causis Internis oriundi per se curantur, adeoque Chronici sunt, & in genere ferè ex Hypochondriaco, aut Scorbutico Malo fluunt, utut ab hoc minùs affligi videantur Ægri, ut plurimùm originem ducant ab Acido vitioso, eoque plus minùs volatili, & hujus incunabula ferè semper in aut circa primas vias lateant, ob id in genere *Acidi destruendi, & primarum viarum evacuandarum habenda est ratio.* Pertinent nempe huc varia Tentamina, & Experimenta curandarum Epilepsiarum; verbi gratiâ per Lac Vaccinum cum Sapone Hispanico decoctum, & Medicamentum quoddam ex Vitriolo Martis, quibus Epilepsia Hypochondriaca per annum durans curata; vid. Barbette *Prax. ubi de Epilepsiâ*, item M. A. N. C. *Anno* 1. *Observ.* 95. *pag.* 203. Vel *Acidulas*, conf. Riverius *Prax. cap.* 7. aliaque *Martialia*: Sic Henricus ab Heer *Observ.* 1. Epilepsiam cum Opisthotono gravissimo, cujus Paroxysmos præcedebant Oscitationes, & Pandiculationes cum Cordis angustiâ, quartâ, vel quintâ die recurrentes, per *Fontes Spadanos* curatam refert. Et quando *Marina*, *Testacea*, *Ossea*, ut Ungula Alcis, Unicornu verum, Crystallus, Smaragdus, Lapis Ceraunius, & similia pro Curâ Epilepsiæ laudantur, hæc nonnisi absorbendo Acidum operari possunt: Sic Borellus *Cent.* 3. *Obs.* 34. refert Epilepsiam, in cujus Paroxysmo Corpus instar dolii intumescebat, per *Sal Absinthii*, *Coralliorum*, *& Perlarum*, curatam.

II. In genere semper *Observandum*, ut *Appropriata*, seu *Specifica Antiepileptica*, quæ per Experientiam observata sunt, *cum istorum Membrorum Appropriatis*, ex quibus Epilepsia oritur, *misceantur*, & simul continuentur. Hæc sunt varia. In hoc tamen conveniunt, quòd vel virtute Alcali à destruente Acidum, vel virtute Sulphureâ temperante Acidum, & fgente Spiritus, operentur. Et quidem Appropriata talia Antiepileptica conducunt nonnisi præmissis Universalibus, speciatim ubi Epilepsia est per Essentiam, aut si per Consensum sit, Fomes ejus non præcisè in Membro quodam externo, sed in Partibus internis hæreat. Hinc

III. In his Epilepsiis per Consensum Partium internarum *Vomitus* Antimonialibus provocatus primatum obtinet, si Malum potissimùm fuerit recens (vid. Riverius *Prax. l. a. pag.* 61.) aut Fomes Mali hæreat in primis viis, singulis Mensibus quatriduo ante Plenilunium repetendus, vid. Zacutus Lusitanus *Prax. Admir. lib.* 1. *Observ.* 24. & 31.

IV. *Purgantia* sint mitiora, secus ac Riverius *Prax. pag.* 60. suadet; cùm frequentiora, & potentiora sæpiùs plus noceant, quàm prosint. Inter Purgantia cum aliis permistus *Mercurius dulcis* primatum obtinet: Sed necessarium est, ut rectè præparetur Mercurius dulcis, & bis, vel ter sublimetur, ut totus tandem fiat crystallinus, & nihil de volatilitate arsenicali Mercuriali retineat. Purgantia hujusmodi, vel propriè talia, vel etiam saltem Laxantia, convenientissimè quatriduo ante Novilunia, vel Plenilunia usurpari solent: Sicuti etiam aliàs appropriata Epilepsiæ Remedia ante Lunæ imprimis mutationes, præsertim ante Novilunia, & Plenilunia, aut ejusdem Quadraturas, seu tempore harum mutationum, optimè usurpantur.

V. Observandum, quòd si ex Fomite in Humoribus à nativâ crasi degenerantibus, non adeò exactè à priori cognito, oriantur Convulsiones, pro istis emendandis *Diætæ Sudoriferæ ex Decoctis Lignorum*, si reliquorum Remediorum vis minùs proportionata fuerit, observantur proficuæ: Vid. Sennertus *lib.* 1. *Prax. ubi de Epilepsi.* Hoeferus *Hercul. Med. pag.* 10. Fonseca *lib.* 2. *Obs.* 8. & Thonerus *lib.* 2. *Obs.* 94. Commodè his Decoctis Lignorum Viscum Corylinum, Quercinum, Tiliaceum, Radix Pæoniæ, Stercus Pavonis, ac similia, tanquam Appropriata, addi possunt: vid. Horstius *Decad.* 2. *Problem.* 9. Sic *de Ligni Guajaci* usu in Epilepsiâ conf. Scholzius *Cons.* 40. & 41. Jachinus *in lib.* 9. *Rhasis cap. de Epilepsiâ*, & Alphonsus Ferrarius. Thonerus Epilepsiam à Colicâ per *Decoctum Lignorum* curavit *lib.* 2. *Obs. pag.* 92. Non secus, ac Schenckius *in Obser.* Vertiginem difficilem per *Decoctum Lignorum* cum Appropriatis curatam refert. Sed benè priùs præmissa debent esse *Universalia*, ac *primas vias Evacuantia.* Certè continuato usu, & evocato pro virium ratione *Sudore*, multum valent in quibusvis Affectibus Chronicis Decocta ista Lignorum Diaphoretica. Alterant simul Humorum dyscrasiam, & successivè vitiosum, quod est, evacuant; id quod vel Lues Venerea persuadet, continuato talium Decoctorum usu curabilis.

VI. Interdum, & in Casibus desperatis *Salivatio Mercurialis* convenit; vid. Willisius *loc. all. pag.* 46.

VII. *Sternutatoria* singulis matutinis horis attrahenda: vid. Willisius *loco all. pag.* 44. E. g.

℞. *Fol. Majoran.*
*Rutæ* an. ʒii.
*Flor. Lil. convall.* ʒj.
*Helleb. alb.*
*Castor.* an. ʒß.
M. F. Pulvis: S.

Pulvis Sternutatorius Cerebrum purgans.

VIII. Præter *Ligaturas fortes*, *Fonticulos*, *& Cauteria*, de quibus suprà dictum, similia *Auxilia Chirurgica*, *Setacea*, *Vesicatoria*, *& Cranii apertiones*, juvare observantur, ad Naturæ nempe imitationem, quæ non saltem digito quasi monstrat, illam per sponte erumpentia Ulcera sanando: qualia Exempla Tulpius *lib.* 1. *Observ.* 8. suppeditat de duobus Infantibus, per Ulcera Capitis spontanea ab Epilepsiâ curatis, quæ *c. l.* refert: Epilepsiam sponte à Natura per lenem in Fauces Influxionem curatam, in Hildano *Centuriâ* 1. *Obs.* 41. Sed accidentaliter, & per infortunium excitata idem præstant, quale quid v. g. Willisius *loc. all.* de Puellâ quâdam, per Motus Convulsivos super Carbones accensos devolutâ, hinc Caput diversis in locis concremante, refert. Quô etiam facit Rhodius *Cent.* 1. *Obs.* 62. qua cuidam ab Humore calido Herpete sanato Epilepsiam contigisse refert, Brachii Setaceo solutam. Unde rectè Vesicatoria, Fonticuli, & Setacea à Rondeletio *Meth. Med. l.* 1. *c.* 36. Platero *Obser. pag.* 236. Montano *Cons.* 50. Paræo *l.* 10. *cap.* 25. Foresto *l.* 10. *Obser.* 16. Henrico ab Heer *Obser.* 24. Hollerio *de Morbis intern. lib.* 1. *cap.* 15. Hildano *Cent.* 1. *Obs.* 41. & Tulpio *l.* 4. *Obs.* 2. & 3. commendantur; In illo tamen tantùm casu admittenda, si per Essentiam, & à Causâ magis universali Malum hoc contingat; sicuti *ex Scabie retropulsâ*, aut similibus occasionibus nata Epilepsia per *Vesicatoria* curanda venit, teste Hildano *Cent.* 3. *Obs.* 10. Sic Lugdunensibus familiare est Vesicatorio suo Epilepsias curare, Ulcere ad annum aperto servato, quo vid. in Velschii *Miscellan.* 32. *Cent.* 1. *annexis Anno* 4. & 5. M. A. N. C. Item *Anno* 9. *Obs.* 14. Epilepsia refertur gravior Puerperæ Vesicatorio curata. Imò

*Cranii*

*Cranii apertio* interdum proficua obſervatur, nempe, ut refert Schenckius *in Obſervat.* quidam Vulneribus Capiti inflictis ab antiquâ Epilepſiâ fuerunt curati. Item Rhodius *Cent.* 1. *Obſer.* 66. refert Spigelium ſibi memoraſſe, Juvenem quendam nobilem Patavinum ſæpiùs Epilepſiâ afflictum ob gravem lapſum à ſcalis, à Fabricio ab Aquapendente apertione Cranii per Terebram curatum: Vid. etiam Riverius *loc. all.* Sic quando ex Calvariâ, ex Lue Venereâ cariosâ factâ, oriatur Epilepſia, præſertim mediante *Uſtione* eradicanda venit: Vid. Schenckius *l. 6. Obſer.* Hæc ipſa pariter *ad Fonticulos* quoque, item ad *Veſicatoria* locis certis admovenda, accommodari poſſunt: Nam Panarollus *Pent.* 4. *Obſerv.* 30. narrat, Puerum Epilepticum, aphonum, ſtolidum, *Veſicatorio* in Suturâ Coronali ſanatum. Si à *Nervo læſo* in quâcunque, remotâ quoque, Corporis Parte oriatur, uti ſuprà ex citatis M. A. N. C. patet, Cauterio potentiali loco affecto applicato, curatur.

IX. *Obſervandum*, quòd ſi cum Epilepſia juncta ſit Sanguinis conſueti ſuppreſſio, vel hujus occaſione excitatur plùs minùs Epilepſia, *Venæ ſectio*, aut alia quævis Sanguinis miſſio erit proficua locis in variis, pro Circumſtantiarum varietate. Sic enim Epilepſiam *apertis Hæmorrhoidibus* curatam refert Rhodius *Cent.* 1. *Obſerv.* 65. Idem *Obſ.* 64. Epilepſiam in Puero octenni ob Sanguinis abundantiam Venæ ſectione curatam refer: Item Zacutus Luſitanus *l.* 1. *Prax. Admir. Obſ.* 26. refert, Epilepſiam ſævam poſt Partum Hirudinibus internæ Uteri parti applicatis curatam: Idem *Obſ.* 27. Gravidam ſeptimo menſe Epilepticam Venæſectione in Talo tutò curatam memorat: Item Gravida nonimeſtris ex ſuppreſſione Hæmorrhoidum Epileptica, *ſectis in Talo Venis*, & *Hirudinibus* Ano applicatis, curata fuit *Obſ.* 25. De Venæ ſectionis in Talo uſu in Epilepſiâ videb. in M. A. N. C. *Anno* 4. & 5. *Obſ.* 81. Imprimis notabile videtur, quod idem Zacutus Luſitanus *lib.* 1. *Med. Princip. Hiſtor.* 26. notat, Gravidas Epilepſiâ ab Utero correptas, *ſectâ in Brachio Venâ periiſſe*, *in Talo verò non.*

X. An *Opiata*, & *Narcotica in Paroxyſmo* conveniant? diſputant Authores. *Illorum uſus utilis, & noxius eſt: benè diſtinguere experti eſt Doctoris*, inquit Barbette *Prax. pag.* 5. Imò Deckers *loco alleg.* eadem planè rejicit: Econtrà tamen Platerus *in Praxi* & Schmizius in *Encheirid. Pract.* leniora in gravioribus Inſultibus commendant: *Opiata magna ſunt remedia Epilepſiæ*, inquit rectè Fonſeca *lib.* 2. *Conſ.* 80. Nam ferociores Spirituum motus compeſcunt, indeque Senſuum perturbationes, & Motus inordinatos tollunt. Hinc ad præcavendum Paroxyſmum Epilepſiæ, *tam internè, quam externè, mirè conveniunt Opiata*, & nunquam omittenda Appropriatis, & Specificis Epilepticis miſta, imprimis cum *Camphorâ*, quæ ſingularis eſt ad coërcendos Spirituum Animalium effervescentium motus: vid. Wedelius *Opiolog. pag.* 107. Hac ratione *Pilulæ ex Laudano Opiato* cum *Oleo Camphoræ* paratæ ad imitationem Hartmanni *in Prax. Chymiatr. ubi de Epilepſ.* ſunt egregiæ; unde etiam hîc Laudanum Hyſtericum ſuum uſum obtinet egregium, & *externè* Fonſeca *citato loco*, Inunctionem cum *Oleo Buxi*, tanquam inſigni Narcotico in Temporibus, Naribus, & Pulſibus, propter vim Anodynam imminente Paroxyſmo (cui alia *Anodyna*, vel *Narcotica* ſubſtitui poſſunt) optimè convenire dicit. Sed abſtineamus ab his Narcoticis ante præmiſſa *Univerſalia*. Deinde non tam *ad Curationem* crebriùs, ſed ſaltim *ad Præſervationem*, aut *atrocioris Paroxyſmi mitigationem*, adeòque rariùs uſurpentur, quia Epilepſiis diuturnis ſubinde Fatuitas ſupervenire ſolet, & periculum ne *Opiatorum* abuſu hæc ipſa magis promoveatur.

XI. Cerebri, & Spirituum Animalium diſpoſitio præternaturalis corrigatur per *Medicamenta Appropriata Epileptica*, maximam partem Acidum in corpore peccans abſorbentia, ſingulis diebus ab Evacuationibus vacuis propinanda, qualia equidem ſunt tantum non innumerabilia, & *duplicis imprimis Claſſis*; nempe vel *Fixa Abſorbentia*, vel *Volatilia* poſitivè Fomitem morboſum corrigentia; *Selectiora* tamen *ex Regno Animali*, *Partes Animalium oſſeæ*, & *corneæ*, in ſpecie Cranium Humanum, Cornu Cervi, Unicornu marinum, Margaritæ, & Dens Hippopotami, Stercus Pavonis, cujus loco Epilepticis quidam magis commendant Stercus Leonis, & Aquam ex eo deſtillatam, qua *Illuſtriſſ. Comes* à Scharffenberg feliciter uſa eſt: Vid. Velſchius *loc. all. No.* 9. *Caſtoreum*, & ex his parata Salia volatilia, Liquorem Cornu Cervi ſuccinatum, Spiritum Sanguinis Humani, Secundinæ Humanæ, &c. *Ex Regno Vegetabili* eminent Viſca, Quercinum, Tiliaceum, & ſpeciatim Corylinum, Flores Liliorum convallium, Pæoniæ, Opium, Camphora, &c. *Ex Regno Minerali Cinnabaris nativa*, à Cratone Magnes Epilepſiæ dicta, vel Antimonii, & alia *ſulphurea Antimonialia fixa*: Item *Sulphur Vitrioli*, tam *fixum*, quàm in *Spiritu volatili*, v. g. *in Spiritu Vitrioli Epileptico*, vel etiam *in Spiritu volatili Vitrioli. Antiepilepticum* Hartmanni, unde Simon Pauli ait: *Qui Epilepſiæ mederi volunt, ex Vegetabilibus Pæoniam, ex Animalibus Caſtoreum aut Hirundines, ex Mineralibus Vitriolum ſibi commendata habeant.* Huc pertinet *Succinum*, ejuſque *Sal volatile*, & *Oleum*, *Cryſtallus*, &c. quibus omnibus juncta ſunt *Anodyna.*

*Univerſalia* ergò Remedia præter Vomitum ſunt, v. g. *Helleborina*, *ex Colocynthide*, & *Mercurialia*; Helleborus nempe niger ritè præparatus, ejuſque Extractum cum Mercurio dulci. Sed cùm parum purget, quin tantummodò laxet, ob id optimè permiſcetur cum aliis, & quidem cum Extracto Hellebori nigri. Semper autem in Epilepſiâ per Eſſentiam *fortiora Purgantia* requiruntur.

℞. *Extr. Helleb. nigr.* gr. xv. ad ℈i.
(vel *Extr. Cathol. Andern.* aut *Panchym. Croll.* quodcunque lubet, gr. xv.)
*Mercurii dulc. ritè par.* gr. xv.
*Extr. Troch. Alhand.* gr. j. ij. vel iij.
*Olei deſtill. Succini* gutt. ij.
Cum ſ. q. Eſſ. Myrrhæ, vel Caſtor. f. Pilulæ.
D. S.
Pilulæ Laxativæ pro unâ vice.

Vel ad imitationem Riverii præſcribatur

℞. *Mercurii dulc.* gr. xv. ad ℈j.
*Scamm. ſulphurat.* gr. iv. vel v. ad ℈ß.
Miſc. ſub formâ Pulveris pro doſi unâ.
D. S.
Pulvis Laxativus pro unâ vice.

Ex quo cum *Conſervâ Florum Anthos* etiam *Bolus* parari poteſt.

Vel

℞. *Conſ. Flor. Anthos* ℥j.
*Pulv. Rad. Jalapp.* ℈ß.
*Mercurii dulc.* gr. xv.
Cum ſ. q. *Syr. Pomor.*
F. Bolus S.
Saccharum Laxativum pro unâ vice.

Poteſt etiam acui cum gr. iij. *Scammonii Roſati.*

In

In vulgari uſu ſunt *Pilulæ* Cochiæ, Arabicæ, Fœtidæ, imprimis in Convulſionibus Partium internarum, Suffocatione Uterinâ, & ſimilibus; Optimè conducunt ad grana xv. præſcribuntur cum Stimulo appropriato, addito Mercurio dulci; aut quod convenientius eſt, Pulvis Panchymagogus Mineralis *Hartmanni* ex Mercurio dulci cum Mercurio Vitæ, forti, ac largâ triturâtione probè uniti, evadunt egregium Laxativum per inferiora; amittit enim ſic Mercurius Vitæ vim vomitoriam, quatenus hæc corrigitur ab Acido Salis in Mercurio dulci, & fit *Pulvis Purgans Antimonialis Mercurialis* optimus, qui ſubinde cum aliis miſcetur: Videat. Hartmannus in *Praxi Chymiatr. ubi de Purgantibus Mineralibus.*

Quod ergo attinet *Specifica Antiepileptica*, ex toto acervo, & cumulo omnium Antiepilepticorum (cùm nullus ſit Medicus Practicus, qui non habeat ſuum Specificum Antiepilepticum) tantùm pauca, & magis probata referam.

Eminent ex *Regno Vegetabili*, imprimis Ruta, Dentaria, Anagallis, Hyſſopus; cujus Infuſum cum Spiritu Vini Rulandus *Centuriâ* 10. *Curat.* 95. commendat: *Pæonia* jam à Galeni temporibus laudata, eaque *Mas*, ſeu quæ conſpicitur Foliis latioribus, & magis rotundis (nam Fœmina habet Folia longiora, & magis acuta) cujus *Radix*, Sole in Leone exiſtente, tempore meridiei, Menſe Martio, vel Aprili in Ariete, vel Lunâ & Sole in Ariete exiſtentibus, ante Solis ortum Lunâ decreſcente collecta, mirabilis eſt ad curam Epilepſiæ, tam pulveriſata ad 3j interiùs uſurpata, ejuſque aqua, & Syrupus, quàm eadem appenſa, & inſtar Amuleti geſtata; aut *Grana*, ſeu *Semina nigra Pæoniæ* interno uſu laudata in formâ Emulſionis. Ratio, quòd in deſuetudinem abiit, fuit deficiens ſelectus. Certè mirabile ſimplex eſt hæc Pæonia, vi ad Epilepſiam ſpecificâ certo tempore collecta. Expertus eſt ejus vim amuleticam jam ſuo tempore Galenus, cujus Experientiam confirmat Foreſtus *lib.* 10. *Obſervat.* 59. ſicuti etiam videndus eſt Bartholinus *Centuria* 4. *Hiſt.* 69. Et Experimentum hujus rei de vi amuleticâ Pæoniæ habetur etiam in Riverio, *Obſervat. à D. des* Grands Prez communicata: Vid. item Simon Berger *de Pæonia*, qui quinque tempora habet colligendi, ut & Hartmannus *pag.* 71. Amicus retulit, ſe aliquoties Radice maris Pæoniæ, effoſsâ die Julii 12. 22. intra horam undecimam, & duodecimam, Amuleti inſtar appenſâ aliquoties curaſſe Epilepſiam; tunc nempe temporis ordinariò Sol Leonem ingreditur: Conf. M. A. N. C. *Anno* 6. & 7. *Append. pag.* 63. Sic quidam Medicus veteranus Anglus optimo cum ſucceſſu uſurpavit Pæoniam marem appenſam contra Vertiginem optimo cum ſucceſſu. Poſt Pæoniam eſt imprimis *Lilium convallium*, egregium ad Epilepſiam Specificum, cujus Aqua, & Spiritus legitimè paratus, non tamen ſulphureus per Fermentationem, ſed ad imitationem Lindani paratus, & Eſſentia legitimè parata, ſunt optima. Ut autem legitimè deſtilletur Lilium convallium, jubet Lindanus recipere Flores Liliorum convallium benè maturos, adhuc Rore matutino madidos (cùm in hoc Rore ſingularis vis lateat) ante Solis ortum; hinc protinus, atque collecti fuerint, abſcindendi à ſuis petiolis, & immittendi in Lagenam, uſque affundatur Vinum Hiſpanicum, Lagena benè claudatur, deinde ita per Cucurbitam deſtilletur Aqua egregiè ſpirituoſa, quæ recentibus Floribus, ſimiliter Rore madentibus affundatur, & in Balneo iterùm abſtrahatur, idque aliquoties ita repetatur, donec acquiratur Spiritus Liliorum convallium egregius, & Antiepilepticus: qui poſtmodùm Caſtoreo affuſus, ſuggerit, vel deſtillando Spiritum, vel extrahendo Eſſentiam Caſtorei, ad Epilepſiam egregiam, quæ à 3ß., vel 3j. poteſt dari Adulto, prout fortior, vel debilior fuerit. In uſu etiam ſunt *Flores* Lavendulæ, Pæoniæ, Hyperici, Anethi, Radix Angelicæ, Valerianæ ſylveſtris annotante Panarollo *Pentec.* 1. *Obſerv.* 33. antequam caulem contrahant: Vincetoxici, Acori, de quo vid. Heurnius *in Sect.* 2. *Aphoriſm.* 44. Bryoniæ, cujus Succum Reuſnerus *Obſervat.* 158. commendat: *Semen* Saponariæ ante Paroxyſmum aſſumptum, ſemelque in menſe per tria Novilunia ad 3j. Paroxyſmos valdè imminuere, & Rutæ M. j. in Vini amphorâ infuſæ, & per tres dies ſumptæ, idem præſtare obſervavit Borellus *Centuriâ* 2. *Obſervat.* 18. Quin, & ſi appendatur *Viſcus Corylinus*, Amuleti inſtar contra Epilepſiam laudatur: Nam in *Corylo* multa latent, unde etiam ex Ligno Coryli juſto tempore collecto Rulandus deſtillat ſuum *Oleum* famoſum, & *Spiritum*, *Heraclinum* dictum, cujus ſtupendos effectus videbitis in *ejus Praxi Empiricâ*, & *Theſauro Practico.* Hinc etiam Juli Corylini turgentes Sulphure vegetabili, maximè tempore Verno, mirabile ſunt Specificum ad Epilepſias Infantum. Ante triennium ruſtica Virgo erat ab octo annis Paroxyſmo Epileptico quotidie correpta, cui cum Menſes ritè fluerent, præmiſſo vehementi Vomitorio, quo varia, & copioſa excrevit, pòſt uſurpavi Viſcum Corylinum, quo ter, vel quater repetito, Paroxyſmi ceſsârunt, & quoties eundem percipiebat recurrere, hunc Pulverem ſumebat, *eoque ſentiebat, quomodò ſupprimebat*: uſu hujus Pulveris per tres menſes ſana fuit, ſed poſtmodùm Morbus ſupervênit Contagioſus, quo interiit. Ante biennium Virgo paupercula hîc erat, quam Epilepſia afflixerat à tenerâ ætate uſque ad duodecim annos: præmiſſo Vomitorio dedi ad grana vj. Tartari Emetici, Melancholica ſimul erat; & ſi Epilepſia non affligeret, Melancholica erat, & ſemper per plures menſes, ſine omni Somno erat; ipſa tamen poſt Pulverem Coryli, ſub introitum lecti aſſumptum, dormire incipiebat ab hora nonâ veſperi uſque ad ſecundam pomeridianam diei ſequentis, quod miratus fui: Surgebat cum euphoriâ mitis, tamen adhuc Melancholica: Continuato Pulvere Epilepſia ceſſabat, omni tamen Novilunio redibat; ipsâ tamen plùs minùs Melancholicâ exiſtente ultra quadrantem anni, ita ut etiam aliquando ſuper ædes præcipitem ſe dederit, unde interiit. Lignum Sanctum, Saſſafras, item *Viſcus Quercinus*, [illegible]er 15. Auguſti, & 8. Septembris collectus, nunc Tiliaceus, & qui omnium optimus eſt Corylinus, qui plus habet in receſſu, nobiliſſima ſunt Remedia contra Epilepſiam contumacem, ſeu Habitualem inveteratam, præmiſſis præſertim Vomitoriis, multùm conferunt pulveriſati à 3ß. ad 3j. ſunt enim leves Viſci: in Aquâ appropriatâ aſſumptus Viſcus Quercinus nobiliſſimus eſt ad Convulſivos Spaſmos, Specificum Boylei *pag.* 185. *in Philoſophiâ Experimentali*; quæ ipſa tamen potiori jure intelligenda de Viſco Corylino, qui Quercino adhùc potentior eſt, menſe Martio decreſcente Lunâ collecto: qui pulveriſatus à 3ß. ad 3j. propinatus non ſatis decantatum eſt Specificum ad Epilepſiam: dormiunt poſt uſum, & quando ante Paroxyſmum aſſumunt, *ſubitò ſupprimit*: in omni Epilepſiâ, niſi ſummè ſit rebellis, optimum eſt: Vid. Hartmannus *loco allegato*. Sed Obſervandum, hujuſmodi *Viſcos* repetito uſu figere, & concentrare Fermentum Epilepticum

ticum in ſuâ quaſi minerâ, unde facilè fieri poteſt, ut alii Morbi, præſertim Febres Acutæ, exinde ſuperveniant; quippe poſt eorum uſum ſubjungenda ſunt ſubinde Purgantia, ne quid remaneat, quod alios Morbos inferre queat: Vid. *Diſſ. de Præcipitantium Uſu*, & *Abuſu cap.* 3. §. 4. Quin, & inſtar Amuleti appenſus idem Viſcus Quercinus, ſimiliter eſt admodùm laudatus. Viſcus Tiliaceus in memoriam revocat Curam Epilepſiæ *per Acidulas Vegetabiles ex Tiliâ*, de quo vid. Miſc. A. N. C. *Anno* 6. & 7. *Append. pag.* 52. Vix cedit his Lignis *Lignum Buxi*, ita ut etiam *Oleum Buxi* deſtillatum habeatur ſuccedaneum Olei Ligni Heraclini, & quod etiam in hujus defectu commodè ſubſtitui poteſt, ſi à gutt. 7. 8. 9. ad 10. in Aquâ Florum Tiliæ ad aliquot dies propinetur, vi anodynâ, & nonnihil narcoticâ celebre: vid. Fonſeca, qui internè propinat aliquot guttas, & imminente Paroxyſmo externè illitum commendatur etiam; loco quorum autem Oleum deſtillatum Succini non incongruè ſubſtituitur. Pertinet huc *Fungus Quercinus*, de quo vid. Borellus *Centuriâ* 2. *Obſervat.* 95. Ceraſa nigra, Acetum, Spiritus Ceraſorum nigrorum, de quo vid. Riverius *Centuriâ* 4. *Obſervat.* 10. Aſa fœtida, Camphora, Spiritus Fuliginis, Extractum, & Eſſentia Agallochi. Poſt hæc ſingulare quid obtinet Sulphur Vegetabile, quod colligitur ex *Lycopodio*, ſeu *Muſco terreſtri clavato*: nobile eſt Antiepilepticum, præſertim pro Infantibus. Colligatur Menſe Auguſto. Nobilius tamen eſt Sulphur ſimile tempore Verno *ex Julis Coryli* collectum. Sulphura hæc ſunt Remedia non inelegantia ad Morbos Convulſivos, doſi ℈j. ad ʒj. & ſingulari vi pollent Acidum deſtruendi, quod excitat Epilepſiam per Conſenſum: Imprimis in Junioribus ſunt elegantia: Videb. M. A. N. C. *Anno* 1. *Obſervat.* 97. *pag.* 225. *Jeqq.*, & *Anno* 3. *Obſervat.* 15. Pulvis hic maximè inflammabilis eſt; ſi enim Candelæ admoveatur, ſtrepitum inſtar Bombardæ dat. *Carbo Artemiſiæ rubræ* circa *Feſtum Sancti Johannis*, ipſo potiùs *Sancti Johannis die* ante Solis ortum, vel circa meridiem, ſub ejus Radice effoſſus, etiam nobile eſt Specificum ad Epilepſiam, uti per Experientiam in illuſtri perſonâ factam allegat Petræus *in Diſſ. Harmonic. lib.* 1. *Diſſertat.* 6. §. 53. *pag.* 83. uti etiam Joel *in Prax. de Epilepſiâ pag.* 85. idem refert *de Carbonibus* ſub Artemiſiâ effoſſis, & quidem dicit, tantummodò reperiri die *Feſti Sancti Johannis*, alio tempore non. Putavi priùs, eſſe fabulam; nihilo minùs novi Mulierem, quæ fodiendo ſub Artemiſiâ rubrâ invenit Carbones, & mihi monſtravit, quibus egregiè curavit aliquot Pueros Epilepticos cum Aquâ Florum Tiliæ propinatis. Quid ſint? vid. Deckers *in Comment. in Praxin Barbettianam*, *ubi de Epilepſiâ paginâ* 7. qui fraudem detexit, quòd ſint Radices annoſæ Artemiſiæ, quas Vulgus pro Carbonibus peculiaribus habet. De *Floribus Tiliæ* res nota eſt, quòd ſint optimum ad Epilepſiam Remedium; unde Liquor Radicis Tiliæ, de quo vid. Tilemannus *de Mat. Medicâ*, & Aqua, & Spiritus Florum Tiliæ ſunt in vulgatiſſimo uſu. Florum Amaranthi Conſerva cum Oleo Succini feliciter eſt uſus Petrus Aſſelinæus; vid. Velſchius *loco all. No.* 19. *Syrupus Nicotianæ* mirificè commendatur à Zacuto Luſitano *lib.* 1. *Prax. Admir. Obſervat.* 23., & 24. Paratus nempe ex Succo Foliorum viridium cum Melle: Hoc Syrupo, aliis omnibus irritis Remediis, pertinaciſſimam Epilepſiam, quotidie quadraginta dierum ſpatio aſſumpto, curavit. Primaria ferè hæc ſunt ex Regno Vegetabili, quibus tamen ſubinde etiam alia *Remedia Cephalica* quæcunque in ſpecie, & *Aromatica* ex eodem Regno addi poſſunt; Ex hiſce enim emergunt *Compoſitiones* Aquarum Epilepticarum, admodùm multiplicium, ut *Aqua Epileptica Langii*, *Kolreuteri*, *Dorncrelii*, & ſimiles aliæ. Modus præparandi pro varietate Authorum variat: Exempli gratiâ ſit ſequens *Aqua Cephalica*, *Epileptica*, & *Apoplectica*:

℞. *Herb. & Flor. Salviæ* ℥vj. ad ℥viij.
*Flor. Lil. convall.* ℥ij.
*Lavend. odorat.* ℥i. ad ℥ij.
*Rad. Pæon. mar.* ℥ij. ad ℥iij.
*Fol. & Flor. Majoran.* ʒß. ad ʒj.
*Cinnam. elect.* ℥ij.
*Cubebar.* ʒß.
*Caryophyll.* ʒiij.
*Macis* ʒij.
Infund. cum *Vin. Malvat.* aut *Rhenan. opt.* ℔xiv.

Macerentur per dies, & noctes 14. hinc deſtillentur in Balneo Mariæ.

Poteſt parari cum, & ſine *Caſtoreo*: item poſt rectificationem poteſt addi q. ſ. *de Spiritu Salis Ammoniaci*, vel ſimili volatili, ut fiat Remedium eò generoſius. Qui novit Materiam Medicam, facilè poteſt combinare tales Aquas.

II. *Ex Regno Animali* ad Epilepſiam commendantur imprimis *Remedia Humana*, ſeu ab Homine deſumpta; quæ inter eminet *Sanguis Humanus*, & Remedia ex hoc parata, Spiritus nempe, Sal volatile, & Oleum, ſpecifica ſunt hæc Remedia, imprimis *Spiritus Sanguinis Humani* cum *Sale volatili* acuatus, qui etiam tanquam nobiliſſimum Remedium in Epilepſiâ Hæreditariâ, ſi quid aliud, conferre dicitur ab Helmontio, in quo quamplurimi Practicorum conſentiunt. Sed obſervandum ſecundùm Lindanum eligendum eſſe *Sanguinem Humanum ab Homine recenter decollato* collectum, cùm alius Sanguis vix talem efficaciam habeat, qui vel per ſe deſtillandus, vel Vaſe vitreo priùs cum pauco Spiritu Vini circulandus, & ita lege Artis in Spiritum, Sal volatile, ac Oleum deſtillandus: Remedium, quod ritè paratum eſt egregium ad Epilepſiam, & Apoplexiam commendatiſſimum. Ipſe reddit rationem hanc, quòd ſcilicet in Homine decollato præ metu Mortis Spiritus ejus quaſi coâguletur, & concentretur. Quicquid ſit, hoc certum eſt, quòd Spiritus, & Sal volatile Sanguinis Humani ſint decantata ad Epilepſiam Remedia. *B. Doctor* Michaelis Sanguinem dicto modo collectum, & congrumatum decantato Sero deponebat, donec ſitum contraheret; Sic enim copioſiorem Spiritum, ac Sal volatile eliciebat, quo ſæpiùs utebatur in Epilepſiâ, nunc cum Spiritu Vitrioli Cephalico (de quo poſtmodùm) evadit exinde Miſtura ſubviridis, & ſubcœrulea elegans, quâ ipsâ etiam Hæreditarios Epilepticos ſe curaſſe idem teſtabatur. Poſt Sanguinem Humanum eſt imprimis *Secundina Humana*, quæ putrefacta dat Spiritum volatilem, qui præter effectus ſingulariſſimos in Affectibus Mulierum, præſertim Puerperarum Lochiis, Epilepſiam potenter curat: Secretum fuit Cnoeffelii, quo aliquando *Rex Poloniæ* fuit curatus: Datur doſi à guttis xv. ad xxx. xxxx. vel ʒß. ſub inſignibus Lunæ mutationibus. Vel ipſa Secundina in Clibano blandè torrefacta, pulveriſata doſi ʒß. ad ʒj. Lunâ imprimis decreſcente in Aquâ ſpirituoſâ Florum Tiliæ, aut Liliorum convallium propinanda venit. Sequitur *Craniũ Humanũ* ex Homine violenter interempto deſumptum, in ſpecie quidem *Os Triangulare*, vel *Triquetrum* ex concur-

cursu Suturæ Sagittalis, & Lambdoideæ, quod juxta Paracelsum in Epilepticis reperitur, tam Rasura ejus simpliciter pulverisata, quàm quocunque modo præparatum, vel philosophicè, aut cum igne calcinatum, vel, quod omnium optimum, ejusdem Sal volatile, ac Spiritus urinosus, Sale volatili concentrato turgidus, egregiè conducunt ad curandam Epilepsiam. Cranium sine igne, aut solum præparatum, datur à ℈j. ad ʒß. ℈ij. & ʒj. Spiritus verò prout fortis, vel debilis ad gutt. xv. xxx. ad ʒß. & ʒj. Sal volatile à ℈ß. gr. xv. ad ℈j. Primus hæc manifestavit Paracelsus, qui præter Gelatinam, Spiritum, & Sal volatile, Oleum Cranii Humani, quod simul prodit per Destillationem, rectificatum à Capite mortuo, & Vertici inunctum, præsentissimum dicit Remedium ad arcendum Paroxysmum Epilepticum (quod credo, est enim Sal volatile concentratum). Quin, & Oleum Succini, aut *Succinum* permistum cum Cranio Humano pulverisato, denuò destillatum forti igne gradatim, dat *Oleum Antiepilepticum* penetrans, & excellens. Si Fœtor est inimicus, circuletur Oleum priùs ante usum aliquamdiu cum Spiritu Vini rectificato, vel tartarisato, & ita cum eodem leni igne à calcinatis destillentur, dat Oleum suavius, & egregiè penetrans. Juxta Cranium, *Cerebrum* humanum est egregium Antiepilepticum, cujus *Spiritus*, *& Oleum* ad imitationem Hartmanni præparata sunt egregia Antiepileptica. Hæc ipsa pariter, & multò magis de *Usneâ Cranii Humani*, ex patibulo, seu Capite rotâ fracti collectâ, intelligenda sunt, in quâ confermentata est Mumia Capitis microcosmici, egregia contra Epilepsiam. Quin & *Ossa Hominis* reliqua, ex Homine violenter occiso desumpta, destillata, aut præparata, ad Affectus Convulsivos sunt egregia; uti & *aliorum Animalium Partes Osseæ*, *& Corneæ*, imprimis Unicornu Marinum, Dens Hippopotami, seu Equi marini, Spina Mustelæ piscis, Dens Lupi, Lapilli Carpionum, Rasura Cornu Cervi, Unicornu fossile, & ex his quæcunque Præparata, Salia etiam volatilia, Spiritus Cornu Cervi, item Liquor Cornu Cervi succinatus, sunt egregia Antiepileptica. Dens Hippopotami (vid. Worinius *in Musæo*) est duriſſimus, & singulare Specificum in Convulsione quacunque per consensum Abdominis, qui præparatus sine igne, aut ex eo destillatum Sal volatile, mirè confert ad Convulsivos Affectus, pariter internos, & externos. Externè quoque ex hoc Dente à quibusdam fiunt *Annuli* (vid. Wernerus) qui Membro, seu Digito convulso inserti, aut etiam Digitis Pedum, in Spasmo Flatulento, sive Crampâ applicati, imprimis Gravidarum, sunt perquàm proficui. Laudantur etiam Hepata Ranarum viridium, de quorum præparatione vid. Hartmanni *Prax. pag.* 67. & Finckii *Encheir. Pract. pag.* 29. Coagulum Leporis, Coturnicum Ova, Pulvis Millepedum, Hepar Lupi, cujus usu quendam Epilepticum perfectè sanatum fuisse, qui postmodùm multos similiter hoc Remedio curavit, vid. Borellus *Cent.* 2. *Obs.* 95. Testiculi Apri, vid. Augenius *Tom.* 2. *l.* 8. *Epist.* 2. Fel Catuli nigri, vid. Unzerus *de Epilepsiâ pag.* 245. Corpus Thuri simile, quod in acervis Formicarum reperitur, vid. Reusnerus *Obs.* 15. Picæ, Corvus combustus, & Mus calcinatus, vid. *Idem Obs.* 13. *&* 152. Materia, quam Pullus Equinus vomitu rejicit, vid. Hieronymus Donzerinus *l.* 6. *Consil.* 35. *à* Schulzio *editus*: Spiritus Urinæ, Sanguis Leporis in venatione probè agitati, hinc pavore capti & jugulati, collectus & exsiccatus, ad ʒj. assumptus, singulare Helmontii est Remedium; aut sumatur Linteum eò tinctum, infundatur in haustum Vini, donec omnis Color extractus, postmodùm hauriatur, & Remedium erit planè singulare. Pertinet huc *Castoreum*, nobile & singulare Antiepilepticum, & ad Affectus quoscunque Nervorum, imprimis quidem, si ad imitationem Barbette *cap.* 1. *Prax.* junctum Salibus volatilibus infundatur in Spiritu Vini, vel Liquore alio spirituoso salino volatili urinoso, quæ Essentia cum Aquâ Cinnamomi vel Salviæ est nobilis: v. g.

℞. *Salis vol. Succin.*
*Cran. Human.* an. ℈i.
*Castor.* ʒii.
Infund. in s. q. *Spiritûs Vini.* Digerantur & circulentur; fit exinde *Tinctura Antepileptica* elegans.

Vel Spiritus Salis Ammoniaci vinosus cum Calce vivâ & Spiritu Vini paratus, Castoreo affusus, egregiam quoque Essentiam & Tincturam extrahit. Imprimis autem convenit Castoreum ejusque Essentia, uti & ex Castoreo & Asâ fœtidâ cum Tincturâ aut Spiritu Tartari parata, in Epilepsiâ & Convulsionibus internis, seu Spasmis Partium internarum, per consensum Abdominis & Viscerum inferiorum enatis: quales sunt Colica Convulsiva, Suffocatio Hypochondriaca, Hysterica, & similes: sicut etiam in quacunque Partium Convulsione Tonicâ ab omnibus Autoribus mirè commendatur externè usurpatum; quin & applicatum Castoreum cum Clysteribus in Epilepsiis interdum admodùm conducit. Quæ *suprà cap.* 2. *de Vertigine* dicta fuerunt de *Stercore Pavonis*, & ipsa similiter valent in Epilepsiâ, in qua non minoris pretii est Pavonis Stercus. Videbitis egregiè de hoc differentem Scholzium *Cons.* 42. Borellum *Cent.* 3. *Observat.* 15. qui habet Experientiam de Curâ Epilepsiæ per Stercus Pavonis, quacunque ratione applicetur; sive in substantiâ sub formâ Pulveris cum Appropriatis, sive infundatur in Vino, maceretur & propinetur. De *Alce*, ejusque *Ungulâ*, horumque Salibus volatilibus & Spiritibus; de *Hirundinibus*, & earum Aquâ cum & sine Castoreo, nil dico, cùm hæc per se notissima sint, quòd conveniant singulariter in Epilepsiâ. Adhuc *Ova Coturnicis* huc pertinent, quæ exsiccata, & pulverisata ad ʒß. propinata, sunt expertum Specificum Hoeferi *in Herc. Med. pag.* 12. De his & similibus ex Animali Regno Antepilepticis Remediis judicium videbitis in Ludovici *Pharm. cap.* 939.

III. Pergo ad *Regnum Minerale*, in quo primatum ducunt ad Curam Morborum Convulsivorum *Sulphura Antimonii* plùs minùs *fixa*, de naturâ Solis participantia, quæ præ aliis decantata sunt; partim quòd generalem habeant vim temperandi quodcunque Acre excessivum; partim quòd similiter singularem habeant vim Anodynam, adeoque Spirituum Animalium feroces Motus sedent, ubi Sulphur Antimonii fixum multum in recessu habeat; partim etiam, quòd vi Emeticâ tollant Fomitem Morbi, si est in primis viis. Observatum enim est, si Fomes fuerit in primis viis, excitâsse Vomitus, hinc Fomite sublato, Vomitus non ampliùs movisse. Hæc inter eminet primò *Cinnabaris Antimonii*, aliàs Magnes Epilepsiæ appellata, quæ insignes virtutes curandi Epilepsiam obtinet: sed necesse est, legitimè sit præparata, & aliquoties sublimando ab omni volatili Sulphure purgata & separata, ac cum Aquâ spirituosâ quacunque in aëre libero super porphyritidem lævigata. Optimum est, in specie si superveniunt

Epi-

Epilepſia aut Motus Convulſivi Morbis acutis, ubi nunc ſolitariè uſurpatur, nunc cum Salibus volatilibus, cum quibus ejus Color augetur. Qui nôrunt ex hac Cinnabari parare cum Spiritu quodam Vegetabili Tincturam, habebunt egregiè Antepilepticam. Huc facit Remedium, quod vocatur quibuſdam *Aſtrum Mercurii ſecretum*, factum ex Cinnabari Antimonii beneficio Menſtrui ex Nitro & Sale Gemmæ parati, quod tandem præcipitatur in Cryſtallos auratas inſtar Croci, quæ mirificè conveniunt in Epilepſiâ. Verùm præter Cinnabarin hanc Antimonialem adhuc eſt ſubtiliſſimum & fixius *Sulphur Antimonii*, ex *Scoriis Reguli Antimonii*; dum nempe more ſolito per ſecundam Præcipitationem, ex his ſeparatum fuit Sulphur Antimonii, Auratum dictum, adhuc ſemel ex Liquore iſto filtrato ſimultaneâ injectione Aceti deſtillati & Spiritûs Urinæ, aut Salis Ammoniaci præcipitatur Sulphur ſubtiliſſimum & admodùm elegans, coloris Aurantiorum, quod in minimâ doſi, ad unum alterumve granum, mirabiles effectus Anodyno-epilepticos exerit in curandâ Epilepſiâ Infantum & Adultorum, & Cinnabarin Antimonii longè ſuperat. Interdum ratione Circumſtantiarum priùs facit Vomitus, interdum priùs Somnum, interdum Sudorem; in aliquot Epilepſiis, in Febribus beneficio hujus Sulphuris nobiles vidi effectus. Doſis Infanti unius anni ad uſque duos, gr. ß. ad gr. i. Adulto 9. vel 10. annorum, gr. iii. præter propter. Juxta Antimonii Cinnabarin etiam *Cinnabaris Nativa* ſelectior, & ex eâdem parata Remedia varia, non infimæ notæ erunt. Cinnabaris hæc Nativa Ungarica multum de Sole habet, & optimè Cinnabari Antimonii ſubſtituitur, vel coctione vel lotione purgata; meritò dicitur à Cratone Magnes Epilepſiæ. Poſt fixa Antimonialia commendatur etiam *Minera Argentea* inſtar Rubini tranſparens. Germanicè *Roth gulden Ertz*. *Vitriolum* optimum eſt Remedium, mirè commendatum à Paracelſo ad Curam Epilepſiæ: Sed hæc intelligenda ſunt de ejus Subſtantiâ ſulphureâ, Sulphure Vitrioli anodyno fixo, de quo tantæ laudes Helmontii huc inde proſtant: & deinde etiam de Spiritu Vitrioli volatili egregiè ſulphureo-anodyno, qui per nonum Alembicum eſt prolectus, uti loquitur Paracelſus. Hic Spiritus Vitrioli eſt genuinum ingrediens Mixturæ Simplicis, quam Paracelſus ſub nomine *Specifici in Peracutis*, primitùs commendavit ad Affectus Epilepticos; non vulgarem iſtam, Spiritibus mullius pretii adulteratam. Spiritum enim Vitrioli volatilem, cum Spiritu Tartari volatili, & Spiritu Theriacali camphorato miſcuit. In Officinis ingreditur *Mixturam Simplicem* Spiritus Vitrioli, non volatilis ſed corroſivus, item Phlegma ex Tartaro; unde eſt impoſtoria Compoſitio. Modi ad hunc Spiritum Vitrioli volatilem acquirendum ſunt varii. Nota ejus eſt, ut ipſum Phlegma ſub Deſtillatione ſtriatum antecedat, (Striæ ſunt ſignum Spiritûs:) propterea eligendum imprimis Vitriolum in Aëre blandè calcinatum, ſub qua blandâ Calcinatione Phlegma ejuſdem aquoſum ſenſim exhalet, ſimulque aliquali Vitrioli ejus ſubtilioris Sulphuris per Aërem reſolutione, facilitetur Spiritûs Vitrioli volatilis egreſſus. Alii recipere malunt Caput mortuum Vitrioli, quod aliquamdiu Aëri expoſitum, ac ita de novo imprægnatum fuit. Cùm verò non omnibus æquè liceat parare ejuſmodi Spiritus volatiles: ob id eliguntur ii, qui proximè ad eos accedunt, quos inter eminent *Volatiliſationes Vitrioli* beneficio Urinæ Humanæ aut beneficio Spirituum volatilium Vegetabilium. Quoad *Urinam Humanam*, notus eſt Spiritus Vitrioli volatilis Antepilepticus, è Vitriolo Veneris cum Urinâ Humanâ præparatus juxta Quercetani deſcriptionem *in Tetr.* quæ etiam reperitur in Hartmanno. Nempe calcinetur Vitriolum in Sole, donec perfectè albeſcat (id quod fit optimè in diebus Canicularibus menſe Julio & Auguſto, quò etiam paratur Pulvis Sympatheticus:) deinde Spiritus Urinæ, qui abſque fermentatione paratur, ipſi commiſceatur, ut ex miſturâ Vitriolum inſtar Pulvis evadat. Ex hoc tunc deſtillatur ordine Spiritus ex Arenâ, Igne tamen paulò fortiori. Hic poſtmodùm quinquies bene eſt rectificandus, & fit Spiritus Vitrioli Antepilepticus non inelegans. Hic Spiritus eſt maximè ſulphureus volatilis ſalſus, non acidus, de quo retulit D. Michaelis, ſe etiam hujus uſu Epilepſiam Hæreditariam curâſſe. Nam in hôc Sulphur Vitrioli metallicum ab Alcali Urinæ diſſolvitur, ita ut cum eodem & Spiritu acido proprio in formâ ſpirituoſâ Sulphur Vitrioli volatile extraverſum, elegantem Spiritum Vitrioli volatilem Epilepticum conſtituat. Dixi etiam quòd volatiliſetur Spiritus Vitrioli beneficio Spirituum volatilium, qua ratione Spiritus Epileptici, & Cephalici noſtrates fiunt; V. g. paretur Spiritus Vitrioli Epilepticus aut Cephalicus ad imitationem D. Michaelis, qui

> ℞. *Vitriolum Hungaricum dephlegmatum in Balneo Mariæ, & pulveriſatum*:
> Illudque irrorat cùm Spiritu Vegetabili compoſito Cephalico vel Epileptico, id eſt, cum Spiritu Vini à Vegetabilibus Cephalicis & Aromaticis poſt præviam Digeſtionem abſtracto. Permiſcentur hæc ad conſiſtentiam Pultis ſpiſſioris, deſtillentur per Retortam in Igne aperto, more conſueto; Spiritus qui prodit, adhuc aliquandiu digeratur in loco calido, hinc rectificetur per Alembicum in Arenâ, & prodit primò *Spiritus volatilis Striatus* quodammodò nebuloſus, quem inſequuntur guttæ phlegmaticæ: quibus apparentibus mutetur Receptaculum, & ſeorſim capiatur Phlegma: quo ceſſante, & dum Nebulæ poſtmodùm denuò ſurgunt, & Sapor acidulus ſe manifeſtat, novum applicetur Receptaculum, & capiantur Spiritus volatiles nebuloſi, & ita ſub nomine *Spiritûs Vitrioli Epileptici* vel *Cephalici* admodùm egregii aſſervetur, qui eſt iſte, miſcendus cum Spiritu Sanguinis Humani ad Curam Epilepſiæ Hæreditariæ, uti anteà monui.

Loco Vitrioli crudi dephlegmati ſæpè etiam accepit *Caput mortuum Vitrioli* per regenerationem denuò ab Aëre imprægnatum, & cum Spiritu Vegetabili Cephalico imbibitum ad conſiſtentiam Pultis, dicto modo tractavit. Sic quidam miſcent Vitriolum Hungaricum cum Raſurâ Cranii Humani, & deſtillant.

Tandem inter Mineralia eſt adhuc *Succinum*, ejuſque Eſſentia cum Spiritu Vini extracta, Sal volatile ac Oleum, egregia & potentia ad integrum Syſtema Nervorum, & Epilepſiam, & Convulſiva Pathemata Remedia, imprimis ſi Febribus Malignis & Affectibus Hyſtericis ſupervenient. Hinc Liquor Cornu Cervi ſuccinatus, tam ſolitarius, quàm Liquor aut Sal volatile Succini eâdem methodo cum Spiritu Sanguinis Humani miſtum, ſunt Compoſitiones egregiæ in & extra Paroxyſmum: Nam in Curâ Epilepſiæ neceſſaria ſunt, quæ cum impetu quodam penetrant. Quibus ipſis interdum *Camphora* additur, quæ figit quodammodò Spiritus Animales, & ad Motum naturalem reducit eoſdem; Unde & Camphora vim ſomniferam

obtinet: Sicut & Hartmanni Secretum in Epilepsiâ & Suffocatione Uteri, seu molestiâ quavis Uteri ex Laudano Opiato & Camphora, quod Medicamentum ante Paroxysmum Præservationis gratiâ porrigi potest. *Crystallus* denique *montana* præparata in Epilepsiâ per consensum Abdominis ubi est opus forti penetrantioris Acidi absorptione, multum præstat.

IV. Ex modò dictis Simplicibus & similibus plures & innumerabiles ferè possunt fieri *Compositiones & Formulæ Antepilepticæ*, v. g.

℞. *Aquæ Cerasor. nigr.*
*Lil. convall.* an. ℥iß.
*Epil. Lang.* ℥j.
*Liqu. Cornu Cervi succin.* vel *Spiritûs Cran. Hum. rectif.* ʒj.
*Syr. Flor. Tun.* ℥j.
M. D. S.
Potio Antepileptica.
Vel

℞. *Aquæ Flor. Tiliæ,*
*Salviæ,*
*Cerasor. nigr.* vel *Melissæ* an. ℥j. vel ℥ii.
*Liqu. Cornu Cervi succin.* ʒiij.
*Spiritus Theriacal. camph.* vel *Ess. Castor.* ʒj. ad ʒiß.
*Ess. Opii* ℈j.
*Syrup. Flor. Pæon.* ℥j.
M. S. ut suprà.
De quo ter vel quater de die, duo, tria, vel quatuor dentur Cochlearia pro dosi.
Vel

℞. *Aquæ è Typhis Cerv.*
*Cerebr. Human. spirituos.* ℥j.
*Spiritûs Sangu. Hum.* ʒiß.
*Cran. Human. præp.* ʒj.
*Salis vol. Cran. Hum.* gr. xv.
*Succin.* ℈ß. ad gr. xij.
*Laud. Opiat.* gr. iij. vel v.
*Syr. Stœchad. Arab.* ℥j.
M. S. ut suprà.
Item:

℞. *Aquæ Flor. Pæon.* ℥iij.
*Cerebr. Hum. cum Vin.* ʒvj.
*Spiritûs Sangu. Hum. essent.* ʒiß.
*Unicornu ver. præp.* ʒj.
*Cinnab. Antimonii* ʒß.
*Laudani Opiat.* gr. iß.
*Syr. Stœchad. Arab.*
M. S. ut suprà. Vel

℞. *Aquæ Flor. Pæon.*
*Tiliæ* an. ℥j.
*Cinnam. spirituos.* ℥ß.
*Cornu Cervi sine igne* ℈i.
*Cinnab. Nativ.*
*Bezoard. Miner.* an. ℈ß.
*Laud. Hyster.* gr. v.
*Syr. Flor. Pæon.* ℥ß.
M. S. ut suprà.
Vel

℞. *Aquæ Flor. Pæon.* ℥ii.
*Visc. Corylin.* ℈i.
*Cinn. Nativ.*
*Bezoard. Miner.* an. ℈ß.
*Laud. Hyster.* gr. vi.
*Syr. Flor. Pæon.* ℥ß.
M. S. ut suprà.
Dosis Cochl. i. quater vel bis in die.
Vel

℞. *Aquæ Fœnicul.*
*Flor. Tiliæ* an. ℥i.
*Spiritus Sal. Ammoniaci,*
*Liqu. Cornu Cervi succin.* an. ℈ß.
*Ess. Castor.* ℈i.
*Syr. Papav. simpl.*
*Stœchad. Arab.* an. ℥ß.
M. S. ut suprà.
Vel

℞. *Aquæ Flor. Pæon.* ℥ii.
*Puleg.* ℥i.
*Aquæ Apopl.* vel *Epilept. Lang.* ʒvi.
*Salis vol. Cornu Cervi* gr. xij.
*Succin.* gr. vi.
*Syr. Flor. Pæon.* ʒiii. vel ℥ß.
M. S. ut suprà. Vel

℞. *Aquæ Melissæ* ℥ii.
*Salviæ* ℥i.
*Ess. Cast.* ʒii.
*Liqu. Cornu Cervi succin.* ʒj.
*Syr. Flor. Pæon.* ℥ß.
M. S. ut suprà.
Vel

℞. *Cinnab. Antimonii* ʒß.
*Salis vol. Succin.* gr. xii.
*Laud. Opiat. ferm.* gr. ii. vel iii.
M. f. Pulvis:
Div. in 2. part. æqu. S.
Pulvis contra Epilepsiam.
Vehiculum sit:

℞. *Aquæ Salviæ,*
*Lil. convall.* an. ℥i.
*Spirit. Lil. convall.*
*Cerasor. nigr.* an. ʒiß.
M. S.
Aqua ad Pulverem.
Vel

℞. *Cran. Human. sine igne* ʒi.
*Cinnab. Antimonii* ʒß. vel ℈ii.
*Salis vol. Cornu Cervi* gr. xii.
*Succin.* gr. vi.
M. f. Pulv.
div. in 4. part. æqu. S.
Pulvis Caput confortans.
Vel

℞. *Cinnab. Antimonii* gr. xv.
*Salis vol. Cornu Cervi,*
*Viperar.* an. gr. iv.
*Camph.* gr. ii. vel iij.
M. f. Pulv.
D. S. ut antè.
Vel

℞. *Antimonii Diaphor.*
*Cinnab. Nativ.*
*Succin. præp.* an. gr. viij. ad ℈ß.
*Salis vol. Succin.* gr. iii. ad v.
*Laud. Opiat.* gr. j.
M. F. Pulvis.
D. S. ut suprà.
Vel

℞. *Cinnab. Antimonii.*
*Succin. præp.* an. ℈j.
*Castor.* gr. xij.
*Salis vol. Succin.*
*Cornu Cervi* an. ℈ß.
*Camph.* gr. iij.
M. f. Pulvis:
Div. in 3. part.
D. S. ut suprà.
Vel

℞. *Cran. Human. sine igne* ʒj.
*Cinnab. Antimonii* ʒß.
*Castor.* gr. xv.
*Salis vol. Cornu Cervi,*

*Succin.*

*Succin.* an. ℈ß.
M. f. Pulvis pro aliquot doſibus.
D. S. ut ſuprà.

Horum Vehiculum ſit:
℞. *Aquæ Lil. convall.*
*Ceraſ. nigr.*
*Flor. Tiliæ* an. ℥j.
*Eſſ. Flor. Anthos*, vel *Caſtor.* ℥ß. ad ℥ij. vel ℥iij.
*Spiritûs Cran. Human. eſſent.* ℥j.
*Syr. Flor. Tunic.* ℥vj. vel ℥j.
M. pro Vehiculo. S.
Aqua ad Pulverem.

In quo capiatur præfatus Pulvis, vel Pulvis Epilepticus *Ludovici*: vel Pulvis ex Secundinâ Humanâ in *Coll. Pharm. in Schrœderum P.* 2.

Vel

℞. *Cran. Human. pulveriſ.*
*Cinn. Antimonii* vel *Nativ.* an. ℥ß.
*Sal. vol. Cornu Cervi* gr. vj.
*Succin.* gr. iij.
*Laud. Opiat.* gr. ij. vel iij.
M. f. Pulvis.
Divid. in 3. part. æqu. S.
Pulvis Epilepticus.

Vel

℞. *Cran. Human. ſine igne*,
*Unic. Marin.* an. ℥j.
*Cinn. Antimonii* ℥ß. ad ℈ii.
*Salis vol. Succini*,
*Cornu Cervi* an. gr. ix.
*Camph.* gr. iij.
M. f. Pulv. pro tribus vel quatuor doſibus.
D. S. ut ſuprà.

Capiantur in Vehiculo ſequenti:
℞. *Aquæ Lil. convall.* ℥iii.
*Apopl. vel Epil.* ℥iß.
*Syr. Flor. Pæon.* vel *Tunic.* ℥vj.
M. S.
Potio ad Pulverem.

Vel

℞. *Aquæ Flor. Pæon.* ℥iß.
*Cinnam.* ℥i.
M. S. ut antè

V. Inter *Externa* ad Epilepſiam commendata eminent *Amuleta*: quæ inter primatum obtinet *Sambucus ſuper Salicem creſcens*, cujus applicandi rationem & uſum vid. in Hartmanni *Praxi Chym. ubi de Epilepſ.* Simonis Pauli *Quadrip. Botan. Claſſ.* 2. *pagin.* 140. Experimentum verò egregium ejus videat. in Bartholino *Cent.* 4. *Obſervat.* 69. *Pica cacat ſuper Salicem, inde creſcunt Rami ſambucini, quoniam anteà de Sambuco comedit*: Videat. Kergerus *Sect.* 1. *cap.* 6. *pag.* 51. *De Avibus, quæ vocantur* Nuſseſſer, *id eſt* Nucivoræ, *& quæ Nuces Moſchatas devorant, ubi poſtmodùm eorum Excrementa cadunt, creſcit Arbor Moſchata.* Radix Oſtrutii ſeu Imperatoriæ, Germ. *Meiſterwurtz*, recens diſſecta & pollicibus Manuum ac Pedum alligata commendatur in M. A. N. C. *Anno* 4. *&* 5. *Obſ.* 42. *pag.* 38. Bootius *de Lap. & Gemmis lib.* 2. *cap.* 53. & Zecchius *Conſ.* 44. *Smaragdum* commendant: Alii Radicem & ſemen *Pæoniæ*: Videat. Foreſtus *lib.* 10. *Obſervat.* 59. & Boyle *loco allegat.* Alii Ungulam Alcis, alii Viſcum Quercinum, alii Dentem Hippopotami & exinde paratos *Annulos*, de quo *ſuprà dictum* fuit. Crines Canis nigerrimi cum aliis in Amuleto appenſos laudat Foreſtus *lib.* 10. *Obſervation.* 60. *pagin.* 391. De Amuleto ex Electro majori *Paracelſi* notum eſt, quod etiam commendatur à quamplurimis in Curâ Epilepſiæ & Convulſionum. Cinnaba in Nativam externè Collo appenſam, vel Carpis Manuum annexam in Paroxyſmis Epilepticis conveniſſe obſervatum eſt. Ulteriùs Vertici, Spinæ & Partibus convulſis applicari poſſunt Cucuphæ, Emplaſtra, Olea & *Inunctiones* cum Oleis recenſitorum cunctis: verbi gratiâ *Oleo deſtillato Succini*, ſi Epilepſia eſt per Conſenſum, ubi cum Oleo Spicæ illinatur Abdomini; cum Oleo Lavendulæ, Anthos, Rutæ, Serpilli, Majoranæ, Caſtorei, Coryli, & ſimilibus; item cum *Balſamo Peruviano* egregiè conducunt. Probè autem perſpecta ſit *Idioſyncraſia Ægri*, qui nempe poſſunt ferre talia; ſunt enim quidam, qui ab ejuſmodi Odoratis magis læduntur, nimis affectis & commotis ab iiſdem Spiritibus. Miſceri poſſunt dicta Olea deſtillata cum Oleis infuſis & coctis, Lumbricorum terreſtrium, Rutaceo, Maſtichino, Caſtorei & Unguentis Nervinis; item Emplaſtro Cratonis, quod *lib.* 4. *Epiſt. ad Jordanum pagin.* 282. deſcribit; item Emplaſtrum, ex *Emplaſtro Diacalcith.* ℥ij. *Diachyl. ireat.* ℥iß. *& de Betonicâ* ℥ij. compoſitum. Speciatim Pinguedo Cati ſylveſtris in Paroxyſmo, aut eodem imminente, Umbilico illita ſingulare eſt Remedium ad Epilepſiam, & quæcunque Convulſiva Pathemata, ſecundùm Schmuckium, habito tamen reſpectu ex Mare pro Maribus, &c. In *Epilepſiâ ab affecto Splene*, cum vel ſine Tumore-ſcirrhoſo, optimum eſt Emplaſtrum de Ranis cum Mercurio, in Subjectis robuſtis cum duplâ doſi Mercurii. Sic in Virgine tredecim annorum, cujus Mater epileptica erat, obſervavi, quòd eam Melancholia aliquando invaſerat cum aliquibus Inſultibus Epilepticis in Somno, ipſi tamen neſciæ: Mane de laſſitudine Artuum conquerebatur, primò Dolor obſcurus affligebat in Hypochondrio ſiniſtro: Præmiſſo ex Sale Hypochondriaco Digeſtivo, cum Vomitu bis repetito, propinavi Liquorem Martis Solaris gradatim aſcendendo ad ſeptimanam: externè admovi Emplaſtrum de Ranis cum Mercurio, malaxatum cum Oleo deſtillato fœtido: quibus ſe benè iterum habuit. De *Cingulo ex Corio Humano* res nota eſt, ſi Lumbis Spaſmo correptis ſeu convulſis circumligetur, aut etiam Hypochondriorum regioni circumducatur. Hoc ipſo efficacior dicitur *Nervus Crurum* inſignior Parti convulſæ circumligatus. An verò Corium Humanum habeat vim ſpecialem ab aliis Cingulis fortiter ligantibus diſtinctam? dubitatur.

Hæc ita ſe habent extra Paroxyſmum.

VI. Quod *Curam attinet in ipſo Paroxyſmo*: Si ſit gravior, *ad excitandum Epilepticum* mirè conducunt omnia ea, tam *Interna* quàm *Externa*, quæ quoſvis Senſus ſeu eorum Organa fortiter vellicare, & ita Spirituum inordinatos commotiones ſeu fortiora Objecta in ordinem revocare poſſunt, qualia Remedia *ſuprà in Soporoſis Affectibus* fuerunt propoſita: adeòque præter Venæ ſectionem & Vomitoria, Evacuantia Univerſalia vix habent locum. Venæ ſectio ſcilicet propter evidentiſſimam tantùm Plethoram, aut ſanguinis alicujus Evacuationis ſolennis ſuppreſſionem, ſemper illam Deckeri *in Praxi Barbettiana paginâ* 5. Animadverſionem obſervando, ut parcè ſatis Sanguis educatur; aliàs enim Paroxyſmi ſemper graviores redeunt. In graviori Malo mirè conveniunt *Vomitus*, qui aliis irritis ſunt nobiliſſimi. Cæterùm duo urgent incommoda, quæ hujus excitationem præprimis inhibent: Scilicet quando arctè clauſa Labia ſunt, & propter convulſos Temporales Muſculos Maxillæ arctiùs ſtringuntur, & ſecundò, quando in graviori Paroxyſmo propter Muſculorum Oeſophagi & Pharyngis Convulſionem,

non poſſunt deglutire. Propterea cùm non poteſt aperiri Os, ad modum Borelli *in Obſervation.* Os ac Dentes aperiendi, admovendo nempe Pollicem cum minimo Digito, vel Spatulam aut Cochleare, ad Oris latera & intra Dentes inſerendo, fortiterque comprime; ſic enim licèt cum dolore facilè Os aperietur, quod beneficio Cochlearis poteſt ſervari apertum: quò factò inſtillandum eſt Ori vel Medicamentum forte *Vomitorium*, quod admodùm conducit ad ſuſcitandum Epilepticum, aut alia appropriata. In poſteriore verò caſu, ſi non poſſunt deglutire, *Penna Oleo* Irino, aut alio acriori intincta, granis aliquot, tribus aut quatuor, Mercurii Vitæ vel Florum Antimonii, aut Syrupo Emetico cum grano Mercurii Vitæ acuato, imbuta Faucibus immittenda, & in ſpecie Pharynx illinatur, & ita Vomitus ſtimulandus: Vid. Fonſeca *Conſil.* 15. *lib.* 1.

Vel

℞. *Aquæ Roſar.* ℥ß.
*Cinnam.* ʒii.
*Syr. Emet.* ʒiß.
M. S.
Succus Emeticus.

Infundatur hoc Ori, quocunque demum illud fieri queat modo.

Aut *Fumus Nicotianæ* Faucibus infletur: Videb. Riverius *Cent.* 2. *Obſ.* 60. Præprimis tamen Vomitoria locum habent, ſi ex Ventriculo & Hypochondriis, item ab Aſſumptis Malum fuerit: Videb. Sennertus *Prax. lib.* 1. *pag.* 596. & Wepferus *de Cicut. aquat. p.* 319. & 324. Hinc Pueris quoque ex Cruditatibus aut Lactis coagulo tale quid contrahentibus proficua obſervantur: Videat. Riverius *Cent.* 4. *Obſ.* 59.

Loco Vomitorii, præſertim ſi nequeat adhiberi, & tamen novus inſtet Paroxyſmus, *Clyſteres acres* frequentiùs injiciantur, quales *ſuprà de Affectibus Soporoſis* deſcripſimus, *infrà Artic.* 1. *Capit.* 3. *ubi de Apoplexia, & lib.* 4. *Section.* 3. *capit.* 3. *ubi de Suffocatione Hyſterica*, deſcribemus, ſunt perquàm egregii, imprimis ſi Morbi Convulſivi ſint per Conſenſum: quibus ſemper Stercus Pavonum, *Caſtoreum*, aut ejus Eſſentia ſocianda, & pro ſtimulo *Aqua Benedicta*, *Syrupus Emeticus*, aliaque Infuſa ſimilia Antimonialia addenda: ſicuti commodè *Olea deſtillata* fortiter penetrantia, aut *Salia volatilia* à ℈j. ad ʒß. verbi gratiâ Spiritus ſeu Sal volatile Sanguinis Humani, vel Cornu Cervi, vel Sal Succini addi poteſt. Mirùm conveniunt hæc Salia volatilia cum Clyſmatis applicata, in ſpecie ſi juncta ſit Epilepſia Interna.

Ulteriùs *Sternutatoria* ex Radice Pyrethri, Hellebori albi, Caſtoreo, Vitriolo calcinato, & Sale Vitrioli & ſimilibus Naribus inſufflata, interdum potentioribus, verbi gratiâ Succo Aquilegiæ, cum Sueco Lumbricorum terreſtrium, quibuſdam in uſu ſunt; excitant enim Epilepticos. Cautè tamen hæc fiant, (niſi in primo Epilepſiæ Gradu, & ubi Convulſionum manifeſtarum nulla adhuc comparent indicia, eaque moderatiſſima, & in declinatione demum Paroxyſmi adhibenda: Videat. Wedelius *de Facultat. Medic. pagin.* 215.) ne per Sternutationis Convulſivum Motum Epilepſia aut ſuſcitetur, aut exaſperetur: Nam aliud eſt in Apoplexiâ vel Comate aliiſque Affectibus Soporoſis, ubi excitandi ſunt Spiritus: aliud in Epilepſiâ, in qua Spirituum exagitatio & orgaſmus nimius potiùs ſedari, quàm per Sternutationem excitari debet. Eſt enim Sternutatio per ſe Motus Convulſivus, & quaſi particularis Thoracis Convulſio & Epilepſia. Propterea loco talium potiùs *Salia acria volatilia macra*, fortiter penetrantia, eorumve Spiritus, in Vitro longi colli Naribus admovenda erunt: v. gr. Spiritus Salis Ammoniaci cum Calce vivâ, qui penetrans eſt, Sal volatile & Spiritus Urinæ, & ſimilia, aut urgente neceſſitate Naribus ac Linguæ inſtillanda, ut excitentur Epileptici.

Vel

℞. *Pulv. Rad. Hell. nig.* ʒß.
*Salis vol. Sal. Ammoniaci*, vel *Urinæ*, vel *Cornu Cervi* ℈j.
*Sacch. albiſſ.* ʒj. vel q. ſ.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis Sternutatorius.

Suffitus Succini admodùm convenit etiam in ſuſcitandis Epilepticis; aut etiam *Olei deſtillati Succini* guttæ tres, quatuor vel quinque, in Aquâ appropriatâ intus propinatæ, in Paroxyſmo optimè conducunt, quæ tamen extra Paroxyſmum lædere dicuntur. Quin & ſimilia Spirituoſa Antiſpaſmodica volatilia & diſcutientia, v. gr. ex Spiritu Theriacali ſimplici & camphorato, Ceraſorum Nigrorum, Sanguinis Humani, Salis Ammoniaci ſimplici, ſuccinato, lavendulato, Urinæ, Sale volatili Succini, Caſtorei, Eſſentiâ Caſtorei, Liquore Cornu Cervi ſuccinato &c. de quibus *ſuprà dictum*, per Os injicienda in Paroxyſmo, ut faciliùs & citiùs ad ſe redeant Ægri; e. g.

℞. *Aquæ Ceraſ. nigr.*
*Flor. Salviæ*,
*Tiliæ* an. ℥i.
*Spiritûs Theriacal. camph.* ʒvj.
*Liqu. Cornu Cervi ſuccin.* ʒiij.
*Syr. ex Succ. Pæon.* ℥j.
M. S.
Potio Epileptica.

Vel

℞. *Aquæ ex Tenell. Cerv.* ℥iij.
*Cerebr. Human.* ℥j.
*Spiritûs Sangu. Human.* ʒiß.
*Salis vol. Succini* gr. xv.
*Syr. de Stœch. Arab.* ℥j.
M. S. ut *antè.*

Succeſſivè infundantur in Os, donec ad ſe redeat Æger: quibus etiam *Caſtoreum* addi poteſt.

Huc etiam ſpectat Pulvis Epilepticus Antimonialis.

De cætero revellendo & avocando quaſi in Paroxyſmo quoque agunt *Frictiones* Extremorum, & Partium convulſarum *Extenſiones*; quas tamen moderatas jubent Sennertus *loc. allegat. pagin.* 595. Deckers, & Williſius *loc. allegat.* partim ne duobus laboribus fatigetur Æger, partim ne Materia peccans motu externo cohibito intra Cerebrum retineatur, partim ne Oſſa luxentur aut frangantur. Hujus etiam loci ſunt *Ligaturæ*, Communicationem ſpaſmodicam inhibentes, ſi ſcilicet ab Extremitatibus Convulſiones inchoëntur: Videat. Bartholinus *Cent.* 6. *Hiſtor.* 78. Deckers *in Praxi Barbett. pagin.* 2. & Salmuth *Centur.* 1. *Obſ.* 90. Item huc ſpectant Spinæ Dorſi & Extremorum per Nervina *Inunctiones*, imò *Rubificantium* uſus: Videat. Hollerius *lib.* 1. *de Morb. internis capit.* 15. & Heinricus *ab* Heer *Obſervat.* 24.

*Lingua*, in Paroxyſmo vehementiùs fauciata à Dentibus, curatur inſperſione *Pulveris Lapidum Cancrorum*, & illinitione *Extracti* cujuſdam *Vulnerarii ſaccha-*

zccharati: Videat. M. A. N. C. *Anno* 4. & 5. *Observat.* 209. *pagin.* 295. (P)

## ARTICULUS II.

### *De Convulsione Tonica.*

MOdò dicta *in genere* omni Convulsioni, & *in specie* Convulsioni Clonicæ seu Epilepsiæ, conveniunt: Sed præter dicta in *Convulsione* Partium *Tonicâ*, dum Pars convulsa rigida manet, ac metus est, ne omninò contracta permaneat, quædam adhuc monenda sunt.

### CAUSÆ.

*Causa* hujus Convulsionis in specie sic dictæ est *Irritatio Partis nerveæ*, admodùm sensilis continua, in eodem loco, & eodem ferè modo. Cujus occasione continuato nec interrupto radio copiosè influunt Spiritus Animales, & ita in continuatâ Contracturâ Fibras, & consequenter Partem ipsam retinent. *Irritatio hæc* nunc est *Manifesta*, seu ab Agente, quod Sensibus patet, inducta; nunc est *Occulta*, seu ab Agente minùs sensili nata.

*Ex Manifestâ* Irritatione fit *Convulsio in Venæ sectione*, si Nervus lædatur punctim: item *in Purgationibus* nimiis, qua ratione ex assumptione Vitrioli albi vel Gillæ vomitivæ *Theophrasti*, Convulsionem triginta horarum lethalem refert Heer *Observat.* 26. Pariter *Antimonialia & Mercurialia* non ritè præparata, & intempestivè adhibita, eandē dant calamitatem; De *Euphorbio* simile Exemplum habet Tulpius *lib.* 1. *Observat.* 15. Item *Læsiones Partium externæ*, ut cùm ex Fractura Tibiæ, ex Ictu Sclopeti, Spasmum Opisthotonum, tandem Tetanum, & sic Mortem notavit Hœchstedterus *Decad.* 5. *Cas.* 6. Sic ex Clavo Pedis digito infixo Opisthotonum refert Schenckius *in Observation. ubi de Convulsion.* Per Venæ sectionem læso Nervo Convulsio lethalis oborta, referente Schenckio *loco citat.* Ex læsionibus Nervorum in Cruribus Spasmum Cynicum *idem* notat. Et in genere, quævis Læsiones Nervorum, Membranarum, Tendinum, præcipuè in Articulis, Convulsiones inferre solent. *Vulnera* Capitis quoque huc pertinent. Siquidem ex Cutis Vulnere in latere sinistro Capitis Spasmum ingentem Cynicum, & universi Corporis Tetanum, observavit Hildanus *Cent.* 5. *Obs.* 9. *Mercurialia Unguenta* huc pertinent, ex quorum usu Convulsionem Capitis ad latus sinistrum, ut Nasus & Humerus rectâ lineâ copularentur, &c. refert Bartholinus *Cent.* 4. *Histor.* 48. Conf. Heurnius *De Affect. Capitis cap.* 23. Denique ex epotâ *Aquâ Forti* Membrorum insignem Contractionem vid. in Bartholini *Act. Med. Hafniens. Volum.* 1. *pag.* 210. Acidâ enim quodammodò corrugant Partes nerveas; quod patet in Chorio, quod cum Acido se corrugat, cum Alcalibus non; Unde etiam Lacticinia quæ Acidum temperant, tales curant.

Quoad *Irritationem Occultam*: non rarum est, *Febres* quasvis, præsertim *Acutas* & *Malignas* malè

(P) * (Plures Epilepsias curavimus remediis subsequentibus.

Post venæ sectionem in brachiô, vel pede, prout magis conveniebat, celebratam, & corpus remediô aliquô familiari expurgatum; septimâ quâque die pilulas ex extracti panchymagogi Crollii ʒß. cinnabar. antimon. gr. x, & guttis aliquot olei succini rectificatiss. (additis etiam quandoque mercurii vitæ gr. ij. vel iij.) confectas, exhibebamus; diætamque accuratissimam, cum totali vini abstinentiâ & decoctum visci querni, aut corylini, variè pro ægri variô gustû aromatisati, pro omni potû imperantes, in hôc usû per duos menses pergebamus: singulis diebus, (præter eos quibus assumebatur extracti panchymagogi dosis) matutinis horis, in aquâ florum pæoniæ, cui aliquid syrupi de corticibus citri erat admistum, pulverem subsequentem vorandum tradentes.

℞. Viperinæ, seu Serpentariæ Virginianæ, & rad. pæoniæ fæmin. pulver. āā ʒß. Cinnab. antim. gr. x. camphor. (ubi sic licet) gr. iij. vel iiij. extracti opii quartam grani partem. M. pro dosi.

Quandoquidem in hôc remediô, Viperina, Virginiana præcipuæ est efficaciæ, utile credimus plantam hanc describere, & de ejusdem virtutibus, quarum primaria, & illa unde nomen habet, est à vipera Caudisona, Virginiæ familiari, & cujus morsibus, aliàs lethalibus, certò medetur, paucissimis agere. Sic autem de ea sub nomine Polyrrhisi, & Aristolochiæ Creticæ Clusij, Joh. Rajus, qui quamvis professione Theologus, in omni Materiâ Medicâ, & in specie Botanicâ, fuit verè peritus.

Diligens & peritus Botanicus Thomas Johnsonus, Gerhardi Historia emaculator, Polyrrhizon illam famosam Virginianam (quam è Virginiâ allatam in hortô Joh. Tradescanti, Lambethæ prope Londinum cultam & florentem vidit) cum descriptione Clusianâ Pistolochiæ Creticæ studiosè collatam, eandem omnino specie plantam esse invenit, nec ullâ insigniore notâ diversam speciem arguente differre. Hæc autem est Clusii descriptio. Multa è summô radicum capite profert tenuia sarmenta, pedem, aut plùs vel minùs longa, angulosa, striata, ramosa, lenta, fractû contumacia, humi sparsa, & ex atrô virentia, in quibus inconditô ordine nascuntur folia nervosa, ad smilacis asperæ foliorum formam quôdam modô accedentia, minora, & immarcescibili virore prædita, oblongis pedunculis nitentia, è quorum sinû nascuntur longi cavique flores, Aristolochiæ longæ floribus formâ similes, saturâ tamen rubedine foris magis distincti, internè verò aliquantulum flavescentes, oblongisque pediculis adhærentes. His succedit fructus Aristolochiæ longæ fructui non dissimilis, sed minor. Numerosas autem hoc genus habet radices, instar Smilacis asperæ, verùm graciliores & fibris quibusdam donatas, odoratas. *Hæc Clariss. Raius.* Nos olim in Biblioth. *nostrâ Pharmaceut.* è Clariss. Hermanni Materiâ Medicâ, tunc Manuscr. retulimus hanc plantam ad Vincetoxicos, cujus radix emittebat fibrillas saporis incidentis, aromatici, subamaricantis, odoris vincetoxico vulgari fragrantioris & gratioris, quæ nascebatur in Novâ Angliâ, & specificè febres quartanas pellebat; addentes quòd circa odorem hæc planta nobis visa erat ad Valerianarum odorem, & præcipuè ad illam speciem quæ Valeriana Alpina prima vocatur, accedere; quòdque ejus vires in Affectibus Epilepticis, & omnibus propè nervosi generis morbis, ac ipsis etiam febribus, tum intermittentibus, tum malignis non semel egregias observaveramus. Quod etiam hodie multiplici experientiâ confirmati repetere confidenter audemus.

malè judicatas, terminari in Convulsiones: sic Convulsionem *à Tertianâ* per Metastasin Febrim solvisse, testatur Bartholinus *Centur. 1. Hist. 93.* Ex *Erysipelate* & Febre Spasmum Opisthotonum refert Schenckius *in Obser.* Hinc *Podagrâ* laborantibus supervenit interdum Convulsio, contra Galeni assertum: de quo vid. Hoeferus *Hercul. Med. pag. 14.* Nec rarum est, in *Arthriticis*, item *Hypochondriacis*, & similibus, si Acidum illud volatile peccans se insinuet profundiùs in partes Musculorum fibrosas & tendinosas, easdem rigidas, duras & intractabiles reddat, ibidem Nutrimentum earum spermaticum chylosum coagulari, & in Materiam tartaream quasi gypseam transire; Unde omni penitus Motu sublato, Pars ista postmodùm contracta & immobilis manet. Pertinent huc *varia Recrementa intra Cerebrum deposita*, Spasmos inferentia: sic Rhodius *Cent. 1. Obs. 49.* refert de Muliere convulsâ, in qua omnes Cerebri Ventriculi *Sero limpido bilioso* referti fuerunt; ex quibus etiam in Spinalem Medullam profluxit: Et Schenckius in Opisthotono mortui Capite duo Cochlearia *Aquæ acris* intra Membranam Duram & Cerebellum invenit. Facit huc Observatio Tulpii *Cent. 1. cap. 32.* ubi Convulsiones Corporis cum Dolore Capitis, expulso *Pure* ex Naribus, curatæ. Huc quoque referendi *Vermes*, Brachiorum Pedumque contracturas excitantes: quo in casu tamen ut plurimùm Tumor Ventris simul adest: Videb. Forestus *lib. 10. Observat. 117.* Schenckius *lib. 1. Observ. 217.* Drawizius *de Scorbut. Tit. 2. pag. 127.* M. A. N. C. *Anno 3. Obs. 63. & Anno 6. & 7. Obs. 136.* Denique in Indiâ Orientali *Epidemicum Malum* est varii generis *Convulsio*, de quo eleganter scribit Bontius *de Medic. Indorum cap. 2.* Pertinet huc *Spasmus Flatulentus*, vulgò dictus Germ. *der krampff*, non Crura saltem, sed etiam alia Musculosa loca subinde affligens, ex subtili acri Humore seroso, Musculos subinde affligente, oriundus.

Ex dictis patet, quodnam sit *Subjectum Convulsionis?* ita quidem, ut nunc in ipso *Subjecto Inhæsionis* seu Parte contractâ simul sit Fomes seu Radix Mali, seu *Subjectum Radicationis*, nunc verò differant; unde *Convulsio* Partis, nunc *per Essentiam*, nunc *per Consensum* esse dicitur. (Q)

## CURA.

Quoad *Curam*: In hac imprimis *Causa removenda*; *Partes nerveæ leniendæ*, ac *Irritatio* earum *sopienda*; hinc eædem *roborandæ*, adeoque semper *Universalia* præmittenda sunt: quæ inter *Clysmatum* injectio perquàm proficua observatur, sicuti urgente interdum graviore Dolore simul ad *Opiata*, sed *Appropriatis* mista, accedendum.

*Remedia Interna* sunt quælibet *Carminativa*, *Cephalica*, & *Antepileptica*, in specie *Castoreum* & omnia ex hoc ipso præparata, Salvia, Lavendula, Succinum, Rosmarinus, ejusque *Decoctum*, *Spiritus Vini Theriacalis*, *Spiritus Vini Camphoratus*; item pertinaciori in Malo *Decoctum Lignorum*, præsertim *Guajaci* & *Juniperi*, sunt optima: hinc *Cinnabaris* & quælibet alia Epileptica, præsertim *volatilia*, conducunt.

Quoad *Externa*: conveniunt ea, quæ sub formâ *Inunctionis oleosæ & spirituosæ* applicantur: quæ ipsa tamen in genere, quò minùs sunt unctuosa & viscida, minusque oblinunt aut infarciunt poros, magisque sunt penetrantiora, & spirituosiora, eò meliùs conducunt. Præ cæteris *Lumbrici* vivi applicati & *Lumbricalia* hîc conveniunt: Nempe, *Liquor oleosus per deliquium in clibano* ex Lumbricis terrestribus, item *Oleum Decoctionis Lumbricorum terrestrium*, quæ ipsa quoque de *Formicis* intelligenda sunt. Aut sequens *Linimentum*, quod expertus est Forestus in Convulsione à Cholerâ, cum intensissimo Dolore junctâ:

℞. *Olei Irin.*
*Verm. terrestr.* an. ℥ij.
*Castor. pulveris.* ℈iv.
M. continuò agitando.

Quô indesinenter fiat Inunctio Membri Spasmo correpti calidè, donec cessent Contractiones. Ubi ab Inunctione abstinebatur, statim redibant Convulsiones; continuatâ verò Unctione cessarunt: Vid. *l. 10. Obs. 110.*

Prætereà *Spiritus Vini crocatus*, *Spiritus* aut *Aqua Theriacalis camphorata*, *Essentia ex Infusione Nervinorum*, *&c. Oleosa & Pinguia* quæ usurpantur, sunt Oleum Vulpinum, de Castoreo, Oleum ex Catellis, imprimis Oleum vel Axungia Anseris assando destillans ex Ansere, Simplicibus aromaticis cephalicis & nervinis priùs repleto, optimè confert in Convulsionibus Partium externarum. Pinguedo hæc per assationem ita prolecta *Unguentum* dicitur, quo unico saltim Convulsio curata fuit in *Praxi* Riverii, *ubi de Paralysi, & Observation. 8. à* Pachequo *communicatâ*, ubi videbitis modum præparandi & applicandi; item *infrà Artic. 3. cap. 3. ubi de Paralysi.*

Sunt, qui Convulsos & Membrorum Contracturâ laborantes sic sanant:

℞. *Urinam veterem.*
Coquunt cum *micâ Panis siliginei*, addendo parum *Asæ fœtidæ*, & ita inungunt Parti affectæ.

Porrò *Oleum Laurinum*, *Oleum Lini*, cujus Inunctione duos Tetano affectos curavit Rulandus *in Curat. Empiric. pagin. 51.* Pinguedo Humana & Canina, (videb. Forestus *lib. 10. Obs. 122.*) Castorei, Medullæ Animalium. *Olea acriora* ac penetrantiora contra Convulsiones sunt Oleum Succini, quod cum Petroleo mistum, illitum in Contracturâ rigidâ, à Causâ frigidâ occasionali ortâ, admodùm commendatur; *Oleum Philosophorum*, *Olea item destillata Juniperi*, Succini, Spicæ, Terebinthinæ, Galbani, hinc *Galbanetum Paracelsi*, in ejusmodi Convulsionibus Tonicis in usu sunt: quibus etiam subinde *Oleum de Euphorbio* additur; quod optimum, sed quia nimis forte, cautè adhibendum. Hinc

℞. *Olei*

(Q) Nota Cyrilli. *Tametsi* Paralysis & Convulsio *Morbi sint inter se valdè dissimiles, imò & directè oppositi, quum unus in Fibrarum relaxatione, alter in earundem corrugatione & contractione consistat; nihilo minùs haud impossibile est, ut quandoque Morbus uterque in eodem Corpore, imò & in eodem Corporis Membro, simul observetur: ut ex Historiâ insolentis Ægritudinis è Calabriâ mihi anno 1719. transmissâ, innotuit. Haud enim impossibile est, ut Fibræ unius Membri resolvantur, alterius verò corrugentur; vel ejusdem Membri quædam Fibræ paralyticâ atoniâ, quædam verò doloroso spasmo afficiantur, quemadmodùm facilè concipere possumus Humorem viscidum lentumque, acutas rigidasque particulas abscondentem, complicati hujus Morbi causam esse posse: sic quod lentum est, Fibras resolvere, & torpidas reddere, quod verò cuspidibus præditum, Fibras convellere & dolorem excitare potens erit.*

℞. *Olei Terebinth.*
*Lumbric. terr.* an. ℥iß.
*Pingu. human.* ℥j.
*Canis* ℥ß.
M. f. Litus:

Quem habet Sennertus *lib.* 1. *Prax. Part.* 2. *cap.* 28. *pag.* 569.

Vel

℞. *Pingu. Human.* vel *Canin.* vel *Anſer.* ℥iii. ad ℥iv. vel vj.
*Ol. deſt. Terebinth.* ʒiij.
*Bacc. Junip.* ʒij.
*Spicæ* ʒß.
M. S.

Unguentum Membra confortans.

Penotus ſequens *Linimentum* mirè prædicat ad Convulſionem brevi tempore diſſolvendam.

℞. *Olei Terebinth.* ʒß.
*deſt. Caryoph.* gutt. vj.
*Mucil. Bryon.* q. ſ. pro conſiſt.
Miſc. & inunge Locum affectum.

Item Spiritus Theriacalis camphoratus cum Caſtoreo miſtus, Aqua Hirundinum cum Caſtoreo, & ſimilia, externo uſu ſunt egregia.

Denique *Unguentum Spaſmodicum Mynſichti*, *Nervinum*, *Dialthææ*, *&c.* commodè applicari poſſunt, imponendo deſuper *Emplaſtrum Nervinum* uſitatum.

Hæc in genere.

Speciatim ſi eſt Convulſio *ex læſo Nervo* per Puncturam in ineptâ Venæ ſectione, convenit, ſi Vulnus dilatetur, & *Olei deſtillati Terebinthinæ* calidi pauxillum inſtilletur; *vel Oleum Laterinum*, vel *Oleum Ceræ*, hoc modo applicetur: quæ optima ſunt. Sed conferatur in ſpecie hîc Sylvius *lib.* 2. *Prax. ubi de Convulſion. cap.* 23. §. 84. ex Paræo. Vel hoc ipſo in caſu, ſi Vulnus fuerit grandius, ut imponi poſſit Emplaſtrum, imitetur Scultetus, qui in *Armam. Chir. Obſ.* 64. ſequens commendat:

℞. *Euphorb.* ʒj.
*Terebinth.* ℥ß.
*Ceræ* parum.

Miſta dant Emplaſtrum, quod talibus læſionibus vel ſolitariè, vel permiſtum *Oleo Terebinthinæ*, deſuper applicatum eſt nobile.

Quòd ſi verò fiat, ut poſt Scarificationem & Venæ ſectionem ineptam, Pars quædam dolens aut tumida fiat, tunc ad imitationem Rulandi:

℞. *Pingu. Vulpis*,
*Taxi* an. ℥iij.
*Ol. deſt. Spicæ* ℥ß.
*Maſtichin.* ʒij.
*Vini* ʒii. vel ʒiij.
M. ad ignem.

Illinatur crebrò calidè totum Membrum.

Pertinet huc Balſamus Spaſmodicus *Mynſichti*, & Pinguedo Anſerina *ſuprà laudata*, ſicut in Dolore, Tumore ac Livore partis *Cataplaſma* ſequens egregium eſt:

℞. *Herb. Agrimon.*
*Chærefol.*
*Flor. Cham.* an. M. j.
*Rad. Conſolid. maj.* ℥iij.
*Sigill. Salom.* ℥j. ad ℥iß.
*Sem. Lini*,
*Fœnugr.* an. ʒß.
Coq. in ſ. q. *Aquæ ſimpl.* ad conſiſtentiam Cataplaſmatis:

Per Setaceum trajiciatur, & ſubinde applicetur.

D. S.
Cataplaſma contra Tumorem.

Sin ex *Luxatione Articulorum* aut ejus reſtitutione ſuperveniat Convulſio, quom dò curari debeat? vid. Scultetus in *Armament. Chirurg. Tab.* 8. *Obſ.* 28. *pagin.* 74. *Edit. Venet.*

Quòd ſi *ex Vulnere Partis* fiat Convulſio illinatur Pars *Oleo* ſeu potiùs *Liquore oleoſo Lumbricorum terreſtrium*, *Oleo deſtillato Terebinthinæ*, vel Vulneri inſtilletur *Balſamum Sulphuris terebinthinatum.*

Quòd ſi fiat Convulſio *ex Ictu venenati Animalis*, vel in leviore Malo *Oleum Scorpionum* illitum convenit; vel in graviore *Cucurbitulæ ſcarificatæ*, vel *Cauterium actuale* ſupra Partem læſam imponatur, aut etiam *Emplaſtrum Magneticum arſenicale*, malaxatum cum *Oleo Bufonum* aut *Scorpionum*, imponatur. Internè *Theriaca* cum *Gentianâ* miſta propinetur, imperando ſubinde Sudorem.

Si ex *Hypercatharſi*, vel violentiore Purgante oriatur Convulſio, internè *Opiata* & *Theriacalia* ſufficiunt.

*In Spaſmo Flatulento* ſeu *Crampâ* Frictio levis Partis aut Panno aſpero & calido, aut Manu calidâ, intinctâ *Spiritu Baccarum Juniperi*, aut Spiritu Theriacali, vel Spiritu Vini rectificato, vel Inunctio pauxillæ Theriacæ, cum Aquâ Juniperi, ſtatim ceſſare facit Malum. Vel ſi Malum ſit gravius, fiat refugium ad expertum *Unguentum Cratonis* τὸ κρατικὸν

℞. *Axung. Anſer. rec.* ʒiv.
*Ol. deſt. Caryoph.* ʒß.
*Cinnam.* gutt. v.
M. pro curando Spaſmo Ventoſo ſeu Crampâ.

*Nervi Ungulæ Alcis* à quibuſdam circumliguntur Membris Spaſmo obnoxiis.

*In Spaſmo Gravidarum* præſertim Flatulento euporiſton eſt *Matricaria*: Herba illa contundatur, ut fiat ſucculenta, imponatur Cervici, nunc ſola, nunc *Verbenæ* miſta.

In Contracturâ *à Causâ internâ*, *Volatilia* Acidum corrigentia, & hinc *Temperata*, illud obtundentia, & Succum nutritium laudabilem ſuggerentia, ſunt optima. Sic *Contracturam* totalem *ex Arthritide* relictam, continuato *Lactis uſu* curavit Tackius *in Phaſ. Soph.* 2. *pag.* 128.

## ARTICULUS III.

### *De Tremore.*

LOcuti ſumus hactenus de Convulſione, Motibuſque Convulſivis & Morbis, qui huc faciunt: quibus affine Malum eſt *Tremor*, in quo cum Motu Naturali & Voluntario ſimul aliquid Convulſivi concurrit, dum in Motu Membri, ver. grat. ſurſum erecti, Membrum ſubinde remittit, & in contrariam nonnihil partem abducitur, prævalente tamen Motu intento primariò: Unde prout *ratione Graduum* Tremor eſt vel *Major* vel *Minor*, ſic etiam vel *Simplex* eſt, vel *Convulſivus*: Simplex eſt *Minor* & vulgaris *Tremor*, qualis ver. grat. poſt Crapulam, aut poſt Affectus Animi graviores, in ſpecie Iracundiam, ſubinde apparet: Tremor verò Convulſivus eſt *Major*, & qui interdum in remiſſione Paroxyſmorum Epilepticorum accidit, donec omninò ceſſet cum ipſo Paroxyſmo. Et dicitur hic *Tremor Convulſivus*, σπασμὸς τρομώδης. Adeò ut Tremor ad Motus Corporis depravatos omninò revocandus ſit; Quia in Tremore Ægri Membra liberè movere, & protenſa ac ſuſpenſa ſufficienter continere nequeunt, quin vibratione potiùs, & modò ſub-

ſultatione, modo declinatione variâ, depravetur Motus, ſive totum Corpus omneſque Artus quacunque ratione, ſive unum tantum alterumve Membrum particulare ita ſit affectum.

## CAUSÆ.

*Tremor* ipſe nunc eſt *Univerſalis*, nunc *Particularis*, nunc *Magnus*, nunc *Parvus*. Vulgò *Cauſæ Tremoris* rejicitur in *Facultatem Motricem debiliorem & Gravitatem Membri*, ita ut illa ſufficienter movere Membrum nequeat, quia hujus Gravitas ob Facultatis Motricis imbecillitatem præponderat. Sed quacunque ratione explicetur hæc Sententia, & quicquid etiam intelligatur per Facultatem Motricem, tamen inſufficiens eſt. Ratio, quia in Tremore omninò ſufficienter movetur Membrum, extenditur Pes, arripitur aliquid Brachio & Manu, & etiam retinetur, ſed depravatè. Vitium nempe cujuſdam Inquietudinis, & præterea inordinati Membri Motûs, adjunctum eſt, adeoque non *imminutè*, ſed *depravatè*, Membrum movetur. Facultas enim Motrix debilitata præſupponit Motum Imminutum, non Depravatum. Deinde ſi oriretur Tremor à Facultatis Motricis imbecillitate, ut dicunt, tunc non fieret Tremor, ſed tantùm fieret tardior & imbecillior Membri Motus, non verò depravatus.

*Cauſa* igitur *genuina* Tremoris eſt *Actio duorum pluriumve Muſculorum ſimultanea*, ſeu eodem tempore inſtituta, ſive ſint Antagoniſtæ Muſculi, ſive non, ſed tantùm tales, qui aliquo modo ad Membri Motum concurrere ſolent, vel eum adjuvant. Inter tales Muſculorum *Actiones*, alia eſt *Principalis* & intenta, alia minùs *Principalis* & præternaturaliter adjuncta; Ita eſt dum unus Muſculus Brachium extendit, alter ſimul agens eundem nonnihil torquet & flectit, vel alio modo vitiosè movet: unde prior Actio dat Motum Voluntarium intentum; poſterior verò dat Motum Præternaturalem & Convulſivum quaſi ſuperveniens, quibus junctis emergit Tremor.

*Cauſa duplicatæ* hujus *Muſculorum* Præternaturalis *Actionis* ſunt *Spiritus Animales*, qui uti Naturali Motu influentes movent Membra naturaliter, ita etiam Præternaturali Motu depravatè eadem agitant: Et quidem *vitium Spirituum Animalium* in Tremore eſt talis Motus Inordinatus, ut cùm in unum Muſculum agiliùs & copioſiùs influere debeant, Motu ferè uniformi in geminos ſeu binos pluresve diſtinctos diſtribuantur, & ita diſformem Motum inducant; idque vel ex *proprio vitio*, licèt rariùs, vel ex *vitio* ipſius *Partis recipientis*, idque frequentiùs.

*Proprium vitium eſt*, cùm iidem Spiritus confusè admodùm & inordinatè moventur in Affectibus Animi gravioribus, ita ut pro Voluntatis arbitrio minùs ordinatum Motum inſtituere queant, verbi gratiâ in Irâ, Metu, Terrore, & ſimilibus. Et cùm iidem facultate narcoticâ ſunt nonnihil fixiores, depravatè & inordinatè per Nervos feruntur: Qua ratione poſt *Potum Vini generoſi* nimium ex vi ejus narcoticâ Membra ſubinde tremunt, non ſecus ac poſt inconcinnum *Narcoticum uſum*, verbi gratiâ Opiatorum, Hyoſcyami, &c. unde ut plurimùm Tremores magis univerſales fiunt: ſic Fonſeca *lib.* 1. *Conſil.* 38. Tremorem ex largo Vini ejuſque ſemicorrupti Potu refert: Conf. Bartholinus *Centur.* 5. *Hiſtor.* 38. ubi varia Tremoris Exempla habet. Sed hujuſmodi Tremores magis *Tranſitorii* & *Accidentales* videntur & qui facilè denuò ceſſant.

*Partis recipientis vitio* fit Tremor, quando vel *Nervus*, per quem influere, vel *Muſculus*, in quem evibrari debent Spiritus Animales, ita ſunt vitiati, ut ob Poros aut Meatus in ſitu mutatos & malè conformatos, aut propter Fibras non legitimè ſitas aut diſpoſitas, aut etiam propter quoſdam Meatulos, ob Lapſum vel Ariduram, aut Cauſam aliam variam, omninò interceptos vel obſtructos, legitimus Motus Spirituum Animalium nonnihil pervertatur, ita ut & in Muſculum primario Motui intento deſtinatum, & ſimul quaſi quâdam deviatione in vicinum inferantur. Sæpiùs enim in Tremore aliquid *Irritativi* circa Nervi principium, progreſſum, aut inſertionem occurrit, cujus occaſione ſub Motu Voluntario Spiritus influi non præcisè ad determinatum Muſculum, ſed ſimul ad alios vicinos ferantur, ſicque Tremulum Motum inferant. Hinc Caſtro *Tract. Quæ ex quibus*, *pag.* 102. Tremores, qui Febribus ſuperveniunt, reverà Motus Convulſivos eſſe aſſerit: & Hoechſtedterus *Decad.* 4. *Caſ.* 7. *pag.* 415. Tremores ad Convulſivos Motus non abſurdè refert: adeòque in omnibus *Tremoribus gravioribus* plùs minùs *inveteratis*, aut *Habitualibus*, aliiſque, *ad Partem ipſam* Spirituum Motum recipientem reſpiciendum eſt.

His ipſis Cauſis, ac fiendi Modis facilè *Cauſæ Remotiores Occaſionales* accommodari poſſunt: quas inter eminent imprimis *Fumi Mercuriales*, Auri, & Argenti; hinc enim Operarii, qui talia tractant, verbi gratia *Aurifabri*, ſubinde tremunt. Item, qui incautè *Cingulo Sapientiæ*, ſeu Mercuriali contra Scabiem utuntur, ſubinde Tremore corripiuntur. Ad Tremorem etiam ſæpè diſponit *Venus nimia*, & nimia *Partis Refrigeratio*. Sic Borellus *in Obſerv. Cent.* 1. *Obſerv.* 34. Tremorem à nimio Frigore Venæ ſectione curatum refert. Hinc etiam *Potus* nimius *Frigidorum*, verbi gratia copioſæ Aquæ frigidæ in Febribus, aut Potus Nive, vel Glacie immoderatè refrigeratus, autore Sennerto, *ubi de Tremore*, interdum Tremores Partium inferunt. *Excretiones Sanguinis ſalutares ſuppreſſæ*, & ipſæ ſuo modo Tremorem inducunt; aut ſaltim Mala Tremori vicina, quæ inter ſunt primariò *Menſium*, & *Lochiorum ſuppreſſiones*, item *Secundinæ Fœtûsque mortui retentio*: vid. Langius *lib.* 4. *Ep.* 2. qui refert Tremorem Brachiorum, & Cordis ob defectum evacuationis Lochiorum in Puerperâ. Facit huc etiam Obſervatio curioſa Foreſti *in lib.* 10. *Obſervat.* 101. ubi Mulieri ob obſtructos Menſes vitio Uteri ſingulis diebus Vapor quidam, ſeu Spiritus adſcendebat, potiſſimùm ſub noctem, ex imo Ventre, qui tandem repens per Venas, & Arterias, etiam Colli, ita ut ipſam & interiùs ſentiret, qui ad Muſculos Maxillarum adſcendens, ad Tempus hærebat, Palpitationem quandam, & Jactigationem manifeſtam inducens, mox in Genis Ruborem inferens, & Dolorem, ſine tamen Epilepticâ procidentiâ, per *Uterina Aperientia* autem curata fuit. Idem Foreſtus *Obſerv.* 10. Mulieri fluentibus Menſibus menſe Majo Venam ſecavit, unde Menſes ſtatim retracti ad ſuperiora, & reſtricti fuerunt: pòſt ſingulis menſibus minùs profluebant, & ſemper eodem tempore ſimul experiebatur Palpitationem tremulam in Brachio, eodem ſpeciatim in loco, in quo Venæ ſectio priùs fuerat inſtituta, non ſine moleſtiâ, ac magno Dolore, atque hæc ſingulis menſibus patiebatur: tandem ad ciendos Menſes ſectâ Venâ Saphænâ curata fuit. Fuit hic Affectus ſimilis tantùm Tremori.

Denique notum eſt, quòd in Febribus Malignis etiam interdum Tremor, ſicut Convulſio non

rarò ſupervenit: Sic etiam Epiphanius Ferdinandus *Hiſtor.* 41. obſervat Tremorem criticum Tertianam Continuam ſolventem Salmuth *lib.* 3. de Tremore Periodico Exemplum *habet.*

## DIAGNOSIS.

Quod attinet *Signa Diagnoſtica*: Tremor ſeipſum oculis prodit, tam Univerſalis, quàm Particularis, tam Magnus, quàm Parvus. Et ab aliis Affectibus, in ſpecie Paralyſi, & Motibus Convulſivis propriè ſic dictis, ex eo diſtinguitur, quòd ſemper conjunctus eſſe ſoleat cum Motu Voluntario: Niſi enim Membrum moveatur Voluntario Motu, aut extendatur, nunquam Tremor oritur; v. g. Manus vix unquam tremit, aut Pes, niſi ad Curſum adigatur, ita ut ſemper Motui Voluntario conjungatur Tremoris Symptoma: In Motu verò Convulſivo, ipsô Ægrô neſciô, ac præter Voluntatem ejus, Motus Convulſivi accidunt.

*Diagnoſis Cauſarum* ex Antecedentibus, & adjunctis Circumſtantiis facillimè cognoſci poſſunt: Si enim *vitium ſit Spirituum Animalium*, & alia Signa Facultatis, ut vocant, Animalis læſæ ſimul notantur: Si verò *in ipſis Membris* reſideat vitium, ferè particulare eſt Symptoma, præceſſerunt Cauſæ ſpeciales, Membrum unum, aut alterum plùs minùs lædentes.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: Per ſe nihil periculi portendit. Si ſuperveniat, aut ſuccedat *Paralyſi*, non eſt malum; indicium enim eſt Paralyſeos remittentis, & Motûs Naturalis nonnihil redeuntis.

Tremor ipſe *à Cauſis Internis* pendens, utut in ſe non ſit periculoſus, quoniam tamen facilè degenerat in alios graviores Affectus Nervinos, v. g. *in Paralyſim*, *Apoplexiam*, *Lethargum*, *Spaſmum*, &c. ob id ratione horum Conſequentium, non eſt negligendus.

Tremor *Senum* vix curari poteſt, quia ut plurimùm hos ad Mortem comitatur.

Tremor *Hæreditarius*, ſeu cujus Parentes ſimili Affectu laborârunt, item, qui *ex vitioſâ Diætâ* ſucceſſivè genitus, ſed etiam confirmatus eſt, in his rarò etiam perfectè curatur.

Tremor ſi permutetur *in Convulſionem*, periculoſum eſt.

Item, *ſi in Febre Ardente* Tremoribus ſuccedat Delirium ex metaſtaſi Materiæ morbificæ, periculoſum eſt; cùm Delirium periculoſius ſit Symptoma, quàm Tremor, imprimis ſi ex metaſtaſi oriatur Materiæ.

Item Hippocratis eſt Prænotio: *Qui Tremores*, inquit, *ad Manus reſiliunt*, *mali ſunt*. Interdum enim, ſi Ægri Manus attentè conſideratur, aut attingatur, contremiſcentem illam quaſi ſubitò revelli animadvertimus; eſt *Spaſmus Tromodes*, ſeu Motus ex Convulſivo, & Tremore compoſitus, & periculum non leve portendit, imminentem ſcilicet Convulſionem, ſimiliaque Pathemata, idque in ſpecie, in Febribus Ardentibus.

Tremor, qui ſupervenit Mulieribus *poſt Partum*, ex Retentis quibuſcunque in Utero, periculoſus eſt Affectus: ſubinde enim Epilepſias lethales infert.

Et denique Tremor *in Apoplexiâ*, *aut Lethargo* accidens, malum Signum eſt, proſtatæ ſcilicet ferè penitus Facultatis Animalis, ejuſque Functionum.

Si Tremor eſt *in Labio inferiore*, notum eſt ſequi Vomitum, qui tamen Tremor in Labio eſt potiùs Motus Convulſivus, quàm reverà Tremor.

## CURA.

Quod attinet *Curam*: in hac *removendæ* imprimis ſunt *Cauſæ* quæcunque Remotæ, hinc *appropriatis Nervinis*, & *Cephalicis*, tam *Internis*, quàm *Externis*, Tremori ſuccurrendum; quæ inter ſunt omnia ea, quæ in Paralyticis, Apoplecticis, & Convulſivis Morbis conveniunt. Adeoque pro *varietate Cauſarum* determinanda nonnihil Cura: *in Malignis* nempe uſurpantur *Alexipharmaca*; in Retentis vitioſis uterinis uſurpantur Expellentia, e. g. Secundina: *ſi ex Fumis Metallicis*, & *Mercurialibus*, imprimis *Mineralia* conducunt; cùm Minerales Morbi nonniſi per Remedia Mineralia curari queant: Quòd ſi *evacuandi* ſit Scopus in Tremore, Pilulæ Artheticæ Officinales, aut Extracta Catholica, aliaque Laxativa cum Mercurio dulci in uſu eſſe ſolent.

Aliàs *Remedia appropriata* ad Tremorem ſunt, ut dixi, *Nervina* imprimis, tam Interna, quàm Externa. Hæc inter ſunt primariò *Salvia*, & quæcunque ex hac parata. Inter plura autem Eſſentia Salviæ, Spiritus Salviæ, &c. qua ratione Foreſtus *lib.* 10. *Obſervat.* 99. *Cereviſiam ſalviatam* pro Potu ordinario mirè commendat: dicit enim ſe noviſſe Artificem valdè trementem, qui continuè hac Cereviſiâ ſalviatâ utebatur, & etiam Salviâ crudâ, cum Pane butyraceo, aut Salviâ præparatâ cum Cibis; unde ſic tandem beneficio Salviæ à Tremore liberatus fuit. Unde etiam Eſſentia Salviæ cum Spiritu Liliorum convallium parata, & cum Eſſentiâ Caſtorei miſta, internè ſunt uſitatiſſimæ; ſicuti etiam pro uſu externo, Infuſum Salviæ cum Vino, aut Aquâ, & ſimilia laudantur, ſi nempe quotidie his laventur Manus aliquoties, & per ſe ſiccari permittantur. Aut etiam Spiritus Salviæ Infuſione Caſtorei imprægnatus, vel etiam Eſſentia Salviæ miſta cum Caſtoreo, aut ejus Eſſentiâ, fricando, aut inungendo Partem affectam, uſu externo adhiberi ſolet pro Curâ Tremoris: Conf. Bartholinus *Hiſt. Anatom. Centur.* 5. *Hiſt.* 58. Juxta Salviam eminet *Stœchas Arabica*, *Primula Veris*, *Roſmarinus*, *Meliſſa*, *Majorana*; imprimis Meliſſa, & ex eâdem Remedia Spirituoſa parata, ejus Spiritus & Eſſentia, item Folia Meliſſæ in Vino generoſo, vel Spiritu Vini infuſa, præ cæteris ſunt egregia in Curâ Tremoris. Porrò *Radix Acori* veri, ut etiam Acorus condîtus, *Radix Pæoniæ*, & *Helenii* Semenque Pæoniæ laudantur. In *Baccis Juniperi* uti egregia ineſt vis nervina, ita ſpeciatim Eſſentiam Baccarum Juniperi per Spiritum Vini tantùm parata, Spiritus ac Oleum Malvaticum Junipericum, continuato aliquandiu uſu interno, & externo, item Rob Juniperi, imperando ſimul Sudorem, ſunt convenientiſſima; aut ipſæ Baccæ Spiritu Vini infuſæ, ita ut quotidie tantillum hujus Infuſi bibatur, ſimulque quotidie decem grana Baccarum infuſarum devorentur; ſic enim, & Nervi roborantur, & Tremor tollitur: Item *Decoctum Ligni Juniperi* per modum *Diætæ Sudoriferæ* propinatum. Sanè in quibuſvis Facultatis Animalis, & Nervoſi generis diuturnis, ac inveteratis Morbis nil utilius adhiberi poterit, quàm Decoctum Lignorum ritè paratum, & hæc inter in ſpecie Ligni Juniperini per aliquot ſeptimanas continuatum, præmiſsâ corporis debitâ Evacuatione; Subſtantia nempe aromatica dicti Decocti, mediante Sudore penetrat undique per univerſi Corporis poros, ac meatus, diſſolvit Mucoſitates, abſtergit Sordes, purificat Sanguinem, & Corporis habitum, & ita in Paralyticis, Convulſivis, Tremoribus Apople-

plecticis, & similibus Affectibus æquè polychrestus eorum est usus, ac in Catarrhalibus Affectibus. Quidam Decoctum, aliaque Medicamenta ex Fraxino, ob Signaturam tremuli Seminis laudant.

*Aromata*, ceu egregia ad Affectus Nervinos per se sunt nota, in specie Nux Moschata, Caryophylli, & Cinnamomum. *Castoreum*, & omnia ex Castoreo parata, Essentia, Oleum, Extractum, interno, & externo usu singulariter laudantur ad Curam Tremoris: quô etiam facit Essentia Florum Anthos, Essentia Chamædryos, Summitatum Hyperici, Ambræ, Aqua Theriacalis Stapediana, Pulvis Analepticus *Mindereri*, Confectio Alchermes, &c.

*Cerebrum Leporis* assatum, & comestum ab Antiquis admodum laudatur. De hoc ipso Forestus *lib.* 10. *Obs.* 99. sibi esse relatum à Pharmacopœo fide digno, Artificem Bruxellensem esu continuo Cerebri Leporis assati solùm à Tremore liberatum fuisse. Aliàs notum est, quòd usus *Ciconiarum*, usus *Palumborum* in cibis, item solum Cerebrum Palumborum assatum, & devoratum, conducant contra Tremores.

In *Tremoribus Senum* nimiis laudatur, præ cæteris *Fimus Pavonis*, cum s. q. Spiritûs Vini, vel Aquæ Vitæ subactus, & in Potu usurpatus temporibus matutinis, pro unâ vice ʒj. sufficit: Vid. Borellus *in Observ. Centur.* 3. *Observ.* 98. Quæ suprà de *Oleo Buxi*, *Corylino*, &c. contra Convulsiones fuerunt insinuata, pariter etiam Tremori applicanda sunt. Aliàs etiam *Cinnabaris Antimonii*, Specificum Cephalicum, imprimis si ex Fumis Metallicis, *Antimonium Diaphoreticum*, & similia sulphurea Antimonialia, cum Ossibus humanis præparatis mista, & propinata, blandum Sudorem expectando, adhiberi solent. Præsertim quidem, si à Mineralibus, imprimis Mercurialibus, excitatus fuerit Tremor, insigniter conducunt talia Mineralia, ad hoc nempe, ut beneficio eorum eliciatur foràs Mercurius, quô sublatâ causâ tollatur effectus. Aliàs Decoctum Helenii, & Fœniculi ad eliminandum extra Corpus Mercurium, & delendam ejus malignitatem in Corpore, tanquam summum Experimentum est. Potio ista Hoechstedteri *in Observat. Decad.* 3. *pag.* 231. & ex eo D. Michaelis *in Collegio Practico*, *quæ* hæc est:

℞. *Rad. Helen.* ʒij. vel iij.
*Fœnicul.* ʒiß.

Quæ infundendæ in *Vini*, vel *Liquoris cujusdam* quartariis quinque, id est ℔iiß. infusæ per diem naturalem, coquantur ad consumptionem tertiæ partis.

Dividatur Colatura in partes quatuor, bibat Æger partem unam mane, & vesperi, ac sudet coopertus; sic enim partim expellitur Mercurius sub formâ Sudoris citrini, partim corrigitur; qua Potione utendum, donec talis Color non videatur ampliùs.

Aliàs in tali casu *Remedia Solaria*, ac ipsum adeò *Aurum foliatum* assumptum, non omittenda sunt, Mercurium enim alliciunt, & ita è Corpore secum rapiunt. Zacutus Lusitanus inungit Unguentum ex Auro, quia Mercurius se subitò jungit Auro. Ut ergò hic ipse eliciatur ex Corpore, tale Unguentum erit admodùm conveniens.

Inter *Externa* contra Tremorem quemcumque, à quacunque Causâ excitatum, ceu singulare, & indubitatum Experimentum, commendat Forestus *lib.* 8. *Observ.* 5. Frictionem, & Lotionem Membri cum *Urinâ propriâ* recèns excretâ: Loco cujus *Spiritus Formicarum*, item *Spiritus Lumbricorum* terrestrium, qui præ cæteris palmam præfert, & cum his paratæ Aquæ Articulares ad extrà, item *Spiritus Salis Ammoniaci* conducunt pro fricandis Membris, præsertim Nuchâ, & Spinâ Dorsi, in loco benè calido.

Vel

℞. *Aquæ Artic. ad extr.* ʒii j. vel iv.
*Spir. Lumb. terrest.* ʒiß.
*Formicar.* ʒvj. ad ʒj.
*Ess. Castor.* ʒiij. vel ʒß.
M. D. S.
Externa Aqua Articularis.

Aliàs Partibus trementibus utiliter Petrus à Castro illinit Aquam destillatam ex Urticis minoribus: German. *aus den Eyter-Nesseln*, ut vocant, mense Majo collectis, & destillatis. Tempore Somni hâc ipsâ Aquâ benè perfricandæ sunt Partes trementes, idque sæpiùs repetendum, & continuandum. *Fraxinus*, cùm ejusdem Semen sit in continuo tremulo motu, ob id commendatur à quibusdam *Lixivium* imprægnatum, seu superfusum Foliis Fraxini, quo Lixivio Partes trementes lavandæ, & sponte exsiccandæ, sic enim curari Tremorem asserunt. In Malo diuturno conveniunt *Thermæ*, item *Insessus*, seu *Balneum* ex Cubili Formicarum subinde repetitus; egregius enim est pro Curâ Tremoris. De hoc Cubili videatur *infrà Artic.* 3. *cap.* 3. *ubi de Paralysi.*

Præter dicta conveniunt *Oleum* Nardinum, & Costinum, Oleum Castorei, Oleum Lumbricorum terrestrium, item Oleum Laurinum, Oleum destillatum Juniperi, Salviæ, Majoranæ, & ex his Oleis parata Balsama pro Inunctione Membrorum trementium.

His ita pertractatis, de Morbis Convulsivis, & Convulsionibus, pergo ad

## CAPUT III.

### *De Spirituum Animalium Motu & Influxu Abolito.*

## ARTICULUS I.

### *De Apoplexia.*

INterdum *omnes Functiones Animales in Sensu, & Motu constitutæ subitò cessant*, ita ut taliter affectus non secus, ac ex improviso quasi Fulmine in terram percussus, & attonitus jaceat (unde etiam *Morbus Attonitus*, *& Sideratus* dicitur,) Sensus omnis Internus, atque Externus, ac Motus, imprimis tamen Spontaneus cesset, simulque *Vox* auferatur, *Respiratione* ipsâ plùs minùs imminutâ, cum, aut sine *Stertore*, *Pulsu* adhuc nonnihil vegeto, & perquàm duro, nisi in statu, seu casu admodùm periculoso, ubi deficit, interdum est pusillus, interdum verò vix observabilis. Quando ergò Motus, & Sensus totius Corporis ita perit, dicitur *Apoplexia*, Germ. *der Schlag*: Nempe ut plurimùm saltem Functiones, *Actus Spontanei*, seu Voluntarii læduntur, minùs verò Motus Naturalis, utut interdum, & hi afficiantur (Cordis Motus) *Color Faciei*, & *Oculorum* ut plurimùm rubet, Facies tumida est, & Corpus simul calet, utut interdum, & in Paroxysmo diuturniore Facies pallere observetur; *Membra* omnia sunt laxa, & si Brachium, vel Pes levetur, pondere suo statim dilabitur: Æger fortiter tactus, irritatus, vel acclamatus, nec sentit, nec loquitur Ore hiante, & interdum *stertente*, profundùm dormit: Resolvitur subinde simul Vesicæ, & Ani Sphincter, unde *Faces Alvi*, aut injecta Enemata, & Urinâ spon-

ſponte ſuâ, & involuntariò effluunt. Verbo: Apoplectici non differunt à Mortuis, niſi quòd ſuperſint veſtigia Reſpirationis, Pulsûs, & aliquis Color in Facie. Supervenit tandem, & *Spuma* circa Os, unde Reſpiratio ceſſat. Hæc dum ita fiunt, eſt *Apoplexia Univerſalis*, ſeu *Fortis*. Dividitur enim communiter ratione Pulsûs, & Reſpirationis ſuperſtitis, in *Levem*, *Vehementem*, *Fortem*, & *Fortiſſimam*, ita ut in priore Pulſus, & Reſpiratio ſint adhùc ſatis naturales; in reliquis Speciebus magis magiſque deficiant cum Sudore frigido; & quidem in *Forti* cùm Stertore & Spumâ, in *Fortiſſimâ* Reſpiratio ad ſenſum omnis aboleatur, Pulſus verò languidus, parvus, ac celer, evadat. Deinde *ratione Subjecti* dividitur Apoplexia in *Univerſalem* & *Particularem*; quatenus illa cum Capite totum Corpus; hæc modò dimidium Caput, & Trunci mediam partem affligit, diciturque *Hemiplegia*, ſeu *Hemiplexia*; nunc Capite integro omnes Partes Corporis attonitas reddit, & peculiari nomine deſtituitur; nunc hoc, vel illud tantùm Membrum Motu, ac Senſu ſubitò privat, ſub Paraplexiæ & Paraplegiæ nomine. *Hemiplexia* eſt *Affectus talis dimidii Corporis*, quando Homo quoad omnes, vel dexteras vel ſiniſtras tantùm, Partes ita afficitur, inde à Sagittali Suturâ per mediam lineam exactè uſque ad Perinæum; ita ut nimirum ſit, quod ad Sagittalem uſque Suturam una ſaltem Medietas privetur Senſu, & Motu, altera verò & ſentiat, & moveatur: Sic in talibus dimidia Lingua nihil ſentit, nec movetur, altera verò medietas utrumque præſtat. Denique addit his Lindanus quandam *Speciem Apoplexiæ*, hactenus innominatam, ſeu quæ proprio nomine caret, quando nempe *toti Corpori perit Senſus, & Motus excepto tantùm Capite*, ubi quicquid infra Collum eſt, Manus, Pedes, &c. omnia reſoluta ſunt, & attonita jacent, exceptè ſolummodò Capite, in quo Lingua loquitur, Aures audiunt, &c. quæ ipſa ſpecies rarò quidem, interdum tamen, obſervatur. Quoad ultimam Apoplexiæ Speciem, *Paraplexiam*, ſeu *Paraplegiam*, ea *tantùm in uno, alterove Membro*, majore, vel minore contingit, ut ejus Senſus, & Motus ſubitò in totum pereat, & privetur iiſdem. Hanc ipſam tertiam Speciem, qui modus Apoplexiæ Particularis, Autores paſſim ſolent referre *ad Paralyſin*; ſed malè, ut rectè demonſtrat, & aſſerit etiam Lindanus, Hippocrates, Aretæus (qui etiam fuit Græcus) & alii Autores, imò omnes Antiqui, qui diſtinguebant accuratè Paralyſin ab Apoplexiâ: & quos Affectus ex internâ Causâ natos hodie ad Paralyſin referimus vulgò, illi ad Apoplexiam retulerunt, quod niſi faciatis, nemo commodè explicare poterit, quid ſit *Apoplexia Levis*, & *Apoplexia Vehemens*? Genuino enim ſenſu apud Veteres *Paraplexia* vocari ſolet talis Affectus, quia fiendi modo, Curatione, & Symptomatibus quibuſcunque talis Particularis Apoplexia cum Univerſali convenit: unde Apoplexia Univerſalis in Paraplexiam deſinere ſolet: quo ſenſu etiam *Aphoriſmus* Hippocrates *Sect.* 2. *Aphoriſm.* 42. *Apoplexia Levis facilè ſolvitur*, *Apoplexia Vehemens nunquam ſine Febre*, interpretandus venit. *Commentatores* ſuper hunc Aphoriſmum variè ſe torquent, Galenus obiter tranſcurrit, & ipſe Cardanus, qui explicat, tantummodò Grammaticum agit, non Medicum: Sed ex dictis explicatio facilis eſt, dum per *Vehementem Apoplexiam* intelligit Lindanus illam totius Corporis *Univerſalem*, & de illâ nemo curatur, niſi ſuperveniat Febris; per *Apoplexiam* verò *Levem* intelligit, vel *Hemiplegiam*, vel *Innominatam*, vel aliam. Levis eſt dicta reſpectu nempe totalis, & Univerſalis, & videmus quòd tales Hemiplectici diu ſupervivant, cùm omnes Affectus apoplectici, & paralytici ſint difficulter curabiles. Quando ergò Senſus, & Motus Corporis ita perit, vel *in Toto*, vel in *Parte*, quæſtio eſt de *Causâ* hujus ceſſationis ſubitaneæ Actionum omnium Animalium? Per Motum enim æquabilem Spirituum Animalium in Cerebro, & Cerebello, & ex his per Nervos in Partes organicas, fit Senſus, & Motus, & omnis Animalis Functio, uti ſuperiùs aliquando præſuppoſui ex Phyſiologicis. Ceſſante ergò hoc Motu Spirituum Animalium æquabili, & naturali, etiam ceſſat ſubitò omnis Animalis actio. Unde facilè patet, quòd Apoplexia ſit Affectus, qui affligit, vel Partem principalem, unde Senſus, ac Motus dependeant; vel Miniſteria Senſui, ac Motui dicata, & quidem remotè: quòd in Apoplexiâ non affligantur proximè Organa Senſui, ac Motui dicata, patet, quòd his ſalvis, & ſine eorum alteratione ingruat, & ceſſet Apoplexia. Revera ergò *in Spiritu Animali hærebit Cauſa Apoplexiæ.*

## CAUSÆ.

Circa *Cauſas Apoplexiæ* conſiderandæ ſunt, & *Cauſæ Generationis*, *& Cauſæ Permutationis. Cauſa Proxima Generationis Formalis* eſt deficiens Spirituum Animalium Motus *in Cerebro*, interdum ſimul etiam *Cerebello*, & hinc eorundem ceſſans Influxus in Membra reliqua. Et quidem *ſi Cerebelli culpâ* fiat, non tam Apoplexia erit, (in qua, niſi fortiſſima fuerit, ſaltem *Motus Spontanei* plùs minùs abolentur, non verò *Naturales* in Pulſu, & Reſpiratione) quàm *Syncope Cardiaca*, in qua Cordis Motu penitùs ſublato, Circulationis Sanguinis ceſſatio, ejuſdem in Cerebrum diſtributio, & Spirituum Animalium, & Vitalium neceſſaria annexio, omninò tollitur, & mox Pulſu, & Reſpiratione plùs minùs interdum ad ſenſum penitùs ſublatis, ſine Senſu, & Motu mortuorum inſtar jacent; ſive *Sanguinis vitio*, quod rarius; ſive *Nervorum Cardiacorum* culpâ, verbi gratiâ convulſorum, ut in Affectibus Hyſtericis, & ſimilibus; ſive *Spirituum* in ſuo ex Cerebello Influxu inhibitorum causâ eveniat. Conf. Williſius *de Anim. Brutorum part.* 2. *cap.* 8.

*Cauſa Remota Materialis*, ſeu *Occaſionalis* eſt, vel *Interna*, vel *Externa*. Utriuſque, præcipuè *Internæ*, ratione fit *Apoplexia*, vel *Accidentalis*, vel *Habitualis*, de quibus videatur Williſius *de Anim. Brut. p.* 2. *cap.* 8. *ubi de Apoplexiâ. Habitualis* eſt, quæ poſt certas prægreſſas in Corpore Occaſiones, & Diſpoſitiones interdum ſupervenit: *Accidentalis* verò, quæ ſubitò, interdum fortuitò, ſine præcedente certâ in Corpore Alteratione, Ægros prehendit: quod frequentiſſimè à Cauſis Externis oritur.

*Utraque* eſt, vel *Privativa*, vel *Poſitiva*, ſecundùm Helmontii Doctrinam *Tractat. de Lithiaſi cap.* 9. ita diſtinguendo. *Privata* eſt, quæ citra directam activitatem in Spiritus Animales, aut citra peculiarem iis inductam Alterationem, ſaltem Impedimenta quædam infert, propter quæ legitimè iidem, aut generari, aut diſtribui nequeunt; adeòque talis Cauſa à *poſteriori & indirectè* ſaltem, vel Spiritibus Animalibus producendis Materiam ſubtrahendo, vel eorum Motum, atque emanationem inhibendo, Apoplexiam infert: verbi gratia, qui *ex Suſpendio*, (Suſpendium eſt Apoplexia) aut *Caſu ab alto*, aut *Sanguinis*, intra Cranium *effuſione*, aut *meatuum Cerebri obſtructione*

qua-

qualicunque, Apoplexiam patiuntur. *Positiva verò Apoplexia* est, quæ à tali fit Causâ, quæ Spirituum Animalium Crasin, & Constitutionem vitiare, eosdem ad Motum, & inde dependentes Functiones planè ineptos reddere, & ita Narcosi, & Stupore quodam eosdem afficere, aut instar Liquorum fermentescentium Gas eosdem quasi extinguere, & suffocare valet; qualis vis in *Opiatis*, *Carbonum Fumo*, *Fulmine*, & similibus notissima est.

Quod attinet *Apoplexiam Privativam*: ea fit, vel ob *Sanguinis deficientem naturalem Circulum* ad, & per Cerebrum, & inde cessantem Spirituum Animalium Generationem, quo Sanguinis Circulo sublato omnis Animalium Sensus, & Motus, & subito omnis Spirituum Animalium Motus, ex Sanguine in Cerebro scaturientium, cessat, & tollitur; idque vel *Viarum*, vel *Sanguinis* ipsius culpâ; vel *ob Spirituum denegatum Motum* in Cerebro, & consequenter Effluxum, ob Pororum Cerebri, & Meatuum ejus vitium, vel *obstructorum*, vel *compressorum*, sive in ejus *Centro medullari*, adeòque in ipso *Corpore calloso* fiat, sive in ejusdem Processibus, scilicet *Corporibus striatis*, & Caudicis medullaris initio; idque nunc in *universo Cerebro*, nunc in *alterâ* saltem ejus *medietate*; Confer. Willisius, qui de Apoplexiâ Privativâ optimè agit: sed de Positivâ nihil.

*Sanguinis Motus*, & *Influxus ad Cerebrum* deficit, vel *vitio Vasorum*, Arteriarum nempe Carotidum, & Vertebralium obstructione, aut compressione, aut penitùs laceratione. Sanguinis hunc Motum circularem deficientem, & inde natam Apoplexiam, illustrat *Ligatura* fortis Collo injecta: hanc enim Ligaturam Colli, si fortius stringas tamquam Hominem suspensurus, eo ipso momento, quo Arteriæ Carotides, & Venæ Jugulares in Collo constrictæ Sanguinis Motum ad Cerebrum tollunt, eo ipso quoque momento omnis Motus, Sensusque perit in talibus, utut adhuc ad tempus, & aliquot horas supervivant; unde postmodùm remoto Vinculo dicunt, se nihil vidisse, nec sensisse amplius, quod testantur, qui Laqueo dissecto liberati fuerunt. Patet hoc etiam Experimento Anatomico in Canibus, in quibus si factâ Cutis Colli apertione ligentur fortiter Arteriæ Carotides, ita tamen, ut parvæ Arteriæ Cervicales adhuc liberæ relinquantur, Canis exinde somnolentus, torpidus, & stupidus jacet, & tamen ad biduum ferè supervivit, Actionibus tamen Animalibus maximè imminutis, de quibus quicquid supereſt, id obtinet beneficio Arteriolarum Cervicalium adhuc liberarum, tandem tamen moritur.

*Causa* ergò hujus *Apoplexiæ*, ut loquitur Hippocrates, est *Obstructio Venæ*. Per Venam verò hoc loco tam Vena propriè dicta, quàm Arteria intellecta fuit apud Veteres. Hic enim mos fuit Veterum, non distinguere hæc duo Vasa, sed uno Venæ nomine ambo nominabantur. Hoc non tantummodò est apud Hippocratem, sed etiam patet hoc ex Celso, qui inquit: *Venæ credimus rei incertissimæ*: ubi Arteriæ Pulsus innuitur. Veteres etiam per Venam Arterias, & Nervos intellexerunt.

Verùm hîc loci non existimandum est, deficientem Influxum Sanguinis per unum, alterumve Arteriarum Carotidum ramum inferre Apoplexiam, sed potiùs *ex impedito Sanguinis per Venas Refluxu*, & hinc ejusdem in Cerebri, Cerebellique confiniis, aut *Stagnatione*, aut *Extravasatione* immodicâ potiùs, aut Externorum comprimentium violentiâ, verbi gratiâ Luxatione Vertebrarum Colli enormi, Apoplexiam oriri, Wepfero concedimus. Contra hanc enim Hypothesin, Arteriarum nempe Carotidum, ac Vertebralium à Causâ internâ anguſtiam, & hinc *Sanguinis denegatum Affluxum* ad Cerebrum, rectè, & eleganter disputat Willis. *loco suprà citato*, & majus periculum ex Sanguinis abundantiâ, quàm defectu, Apoplecticis imminere asserit; cùm Arteriæ Carotides, vel Vertebrales mutuis Anastomosibus coëant, adeòque quamvis forsan in uno latere Arteria sit compressa, aut obstructa, alterius tamen lateris Arteria Sanguinis transcolationem peragere, & totum Cerebrum irrigare possit. Unde, & Sylvius *lib. 2. Prax. cap. 21. pagina 160. §. 36. Editionis Belgicæ*, minùs hoc concedere vult, dum Vasa exterioſa obstrui, aut comprimi posse, indeque Apoplexiam oriri non putat: ita ut nonnisi raram, & saltem propter Externæ Causæ violentiam talem Apoplexiam, ex denegato Sanguinis per Arterias Influxu dependentem, oriri æstimem, quin potiùs propter impeditum Circulum ex *denegato Refluxu*, & hinc *Cerebri*, aut *Repletione*, aut *Compressione*, aut à *Sero* extravasato *Repletione*, sicque Spirituum impedito Motu in Cerebro, & impedito Influxu ad Partes reliquas, Apoplexias hujusmodi Privativas, vitio Sanguinis Circuli contingentes, oriri arbitro

*Causa* verò, *propter quam Sanguinis Refluxus impediatur*, est, *vel in Viis*, aut Vasis, *vel in Sanguine* ipso. *In Viis*, vel Vasis, quando hæ anguſtatæ, aut ex Obstructione, aut ex Contusione, Laceratione in Capite, Ruptione, aut Anastomosi apertâ, & similibus Occasionibus, Sanguis præternaturaliter in Cerebrum, vel Cerebri ambitum effunditur, ejusque naturalis Circulus impeditur; Meatus enim Cerebri, & Substantiam plùs minùs anguſtando, Apoplexiam infert. *In Sanguine* verò hæret vitium, seu Causa ejus Stagnationis, quando hic crassus, grumosus, aut nonnihil coagulatus exiſtit, & ita in Vasis stagnat, aut hæret; sive in Vasculis Meningum, sive in Sinubus Cerebri, sive in ramis Carotidum, aut Jugularium, sive denique in ramis Pulmonalibus: Nam, & in his si coagulatus exiſtat, *Syncopen Cardiacam*, aliis dictam, vitio Sanguinis natam, aliis verò *Catarrhum Suffocativum* dictum, infert. Nam hic affectus est finitimus, & simillimus Apoplexiæ, adeò ut Catarrhus talis Suffocativus ex Sanguinis stasi in Pulmonibus, & Apoplexia ex Sanguinis stasi in Cerebro, aut ejus Vasis, loco tantummodò differant. Stagnante enim Sanguine in Vasis Pulmonalibus ipsoque Corde, est Catarrhus Suffocativus: in Cerebro verò, & ejus Vasis si idem contingat, est Apoplexia. Videte *suprà ubi de Suffocativo Catarrho*, *Lib. 1. Sect. 14. cap. 3. Articul. 4.* Qua ratione etiam Syncope ab Hermeticis dicitur *Lunaris Eclipsis*: Apoplexia verò *Solaris Eclipsis*. Nec ullum est dubium, tales Ægros, sive à Sanguine stagnante suffocatos, sive Apoplecticos, eodem modo interfici. Unde etiam teste Fracassato *in Epistol. de Cerebro ad Malpigh.* Apoplecticorum Vasa Sanguifera in Pulmonibus interdum admodùm turgida, aut penitus disrupta, inventa fuerunt. Facit huc etiam Exemplum Panarolli de quodam Morbo, Apoplectico insultui simillimo, orto ex Sanguinis copiâ, & unâ Stagnatione. Sed de his, & similibus pluribus, & Apoplexiâ ex hac Causâ natâ, videat. imprimis Wepferus *de Apopl. & de loco affecto in Apoplex.* Videatur etiam Schneiderus *Tractat. de Catarrhis*, in specie *ubi de Catarrho Suffocativo, & de Catarrho Sanguinis.*

Communis Veterum sententia est, in Apoplexiâ *Cerebri Ventriculos repleri*, & exinde Spiritu-

tuum

tuum Animalium Motum tolli : Sed Experientia teſtatur, ſæpiùs aliis Morbis mortuos exhibuiſſe Ventriculos Cerebri repletos, & obſtructos, nulla autem ſecuta ſit Apoplexia : Sic refert Lindanus, Amſtelodami diſſectum fuiſſe Caput Viri, qui per tres annos Dolore Capitis acerbiſſimo laboraverat, cujus Ventriculi ita repleti fuere Humore ſeroſo, aut limpido, ſimili Lymphæ Vaſorum Lymphaticorum, ut integra Pinta Hollandica exinde potuerit eximi, nunquam tamen fuerat Apoplecticus : Sic Fernelius Exemplum recenſet inter alia aperti cujuſdam Capitis Apoplectici, in cujus Cerebro nihil noxæ inventùm fuit, ſed tantummodò in Venâ Jugulari repertos eſſe *Sanguinis Grumos* : id quod convenit cum Nymmanni Sententiâ de Apoplexiâ, qui ſedem Apoplexiæ ſtatuit *in Torculari Herophili*, ſeu loco concurſûs quatuor Sinuum Duræ Meningis, & dicit, Sanguinem abire in Grumos, & Grumoſitates ibi ſtagnantes impediendo Motum Humorum, Apoplexiam inferre : quô etiam videbitis accedere Hoffmannum *in Inſtitut.* Ignoravit autem Nymmannus Circulationem Sanguinis, unde Spirituum Influxum cum Sanguine denegatum Cauſam aſſerit : cùm potiùs ex impedito Reſluxu, hinc Sanguinis Stagnatione, & ceſſante in Cerebro Circulo, Apoplexia inde oriatur. Rariſſimæ ſunt ergò Apoplexiæ ex Impedimento Sanguinis versùs Cerebrum, niſi fiant à maximâ Violentiâ externâ : Sic aliàs notum eſt ex concuſſo, aut depreſſo Cranio ſecutam Apoplexiam, ex Porulis, ac Meatibus Cerebri nimium depreſſis, & invicem conniventibus : unde, & Sanguinis & Spirituum Animalium Motus omninò fuit interceptus.

Ex dictis patet, quòd *Apoplexiæ Cauſæ Proximæ* ſint, vel impeditus Spirituum Animalium Motus in Cerebro, vel impeditus Sanguinis Circulus per Cerebrum. His Cauſis Proximis adjungendæ *Cauſæ Remotiores*, quæ quacunque ratione Proximas inferunt, & per conſequens Apoplexiam cauſant. Hæ verò omnes eô conducunt, quatenus Sanguinis, ut & Spirituum Animalium, Influxum, & Motum, & Sanguinis Circulum tollunt.

*Remotiores cauſæ*, quæ ad Apoplexiam hanc, ex Sanguinis deficiente Motu oriundam, diſponunt, ſunt variæ : nempe *Frigus* repentinum, aut Frigus nimium congelando quaſi Sanguinem, & ita inſpiſſando, ejus Motum impedit, aut quocunque modo alterando Sanguinem aut Spiritus, ad Apoplexiam diſponit. Facit huc, quod juxta Hippocratem *Aphoriſm.* 15. & 23. *lib* 3. Aër frigidus, & humidus, Hyems, Autumnus, item Aër Aquilonius continuis imbribus irrigatus, ad Apoplexiam diſponat : quæ ipſa, & confirmantur à Foreſto *lib.* 10. *Obſervat.* 70. E contrà verò *Æſtus* nimius, aut Calor ambiens nimius, liquando nimis Maſſam Sanguineam, & ipſe diſponere poteſt ad Apoplexiam, teſte Schenckio *lib.* 1. *Obſervat. de Apoplexiâ*, *Obſerv.* 1. Sic cum quidam in Tertianâ Intermittente die interminſionis ſe diutiùs expoſuiſſet Solis ardori Diebus Canicularibus, Apoplecticorum more repentè concidit, & altero die extinctus eſt : videatur Piſo *de Colluvie ſeroſâ*. Forſan, & huc pertinet ſuo modo lauta nimis & *larga Diæta cum Vitâ ſedentariâ* conjuncta ; hinc enim rectè dicit Henricus ab Heer *Obſervat.* 18. quòd nos Septentrionales imprimis ex Ingluvie, & Comeſſationibus corripiamur Apoplexiâ. Quô facit *Lotio Capitis* illegitima cum Aquâ tepidâ, ſi ſcilicet ſubitò Caput exponatur Aëri frigido : Exemplum tale obſervavit Amatus Luſitanus *Centuriâ* 1. *Curat.* 36. in Puella, quæ ex Lotione Capitis in Apoplexiam incidit, quæ ipſa Apoplexia poſtmodùm in Paralyſin lateris ſiniſtri deſiit ( unde dicitur Paralyſis, ſed eſt potiùs Parapiegia ). Ex *Tumore Cranii externo ſanato* Apoplexiam natam refert Bartholinus *Centur.* 4. *Obſerv.* 86. *Morbi Melancholici* in Apoplexiam quoque abeunt, quod præter Mœbium *in Inſtit.* etiam obſervavit Foreſtus *l.* 10. *Obſ.* 78. Poſt *nimia Purgantia Sanguis Draconis* pro adſtrictione Alvi adhibitus Apoplexiam infert, teſte Bartholino *Cent.* 2. *Epiſtol. pag.* 680. Speciatim *ſuppreſſæ quædam ſolennes Sanguinis Evacuationes* per Hæmorrhoides aut Uterum, aut Hæmorrhagiam Narium, &c. frequenter admodùm ad Apoplexiam diſponunt, & hanc etiam inferunt. Sic ex ſuppreſsâ Narium Hæmorrhagiâ conſuetâ Apoplexiam obſervat Hildanus *Cent.* 3. *Obſerv.* 11. Quia Sanguis ſuppreſſus coacervatus faciliùs ſic ſtagnat hinc inde, aut per Anaſtomoſin Vaſorum, aut eorundem Ruptionem, in Cerebro & vicinis locis Extravaſatione Apoplexiam infert. Sic in Zacuto Luſitano *l.* 7. *Hiſt. Med. Princ. cap.* 7. Obſervatio eſt de Juvene florentis ætatis, per ſcalas altè decidente, unde ingens Hæmorrhagia per Nares ſecuta eſt : Et Sanguine rectè fluente optimè ſe habuit Æger ; hâc ipsâ verò Hæmorrhagiâ ſuppreſsâ Æger in Apoplexiam incidit, quæ non priùs ſublata fuit, quàm copioſa inſtitueretur Venæ ſectio. Item in Puerperâ ex non ritè fluentibus Lochiis Apoplexiam obortam Venæ ſectione in Brachio curatam refert Fontanus *l.* 1. *Curat. & Reſponſ. p.* 25. Et hinc eſt propter talem Sanguinem extravaſatum, aut ex Anaſtomoſi effuſum, quòd tam ſæpè in Apoplexiâ mortuis Sanguis congrumatus & coagulatus in Cerebro ejuſque Ventriculis fuerit repertus : Sic Bartholinus *Cent.* 2. *Hiſt.* 60. & Rhodius *Cent.* 1. *Obſerv.* 67. ex Sanguine congrumato & extravaſato, Ventriculos Cerebri replente, ex Plexibus Choroideis eô effuſo Apoplexiam lethalem obſervat : ſicut etiam in Occipitio Sanguis congrumatus ſæpè repertus fuit : Sic Hildanus *Cent.* 3. *Obſerv.* 12. obſervat Mulierem, quæ Menſtrua ſuppreſſa ſæpiùs per Os & Nares excrevit, quæ tandem & hac ſuppreſsâ Excretione Apoplexiâ lethali correpta fuit, & poſt Mortem poſt triginta ſex horas Sanguinem adhuc per dicta loca excrevit : ſicuti etiam in *Obſerv.* 11. *citatæ Cent.* idem Hildanus tale refert : Vid. Borellus *Cent.* 3. *Hiſt.* 34. *Venus* econtrà nimia, potiſſimùm in Senibus ad Apoplexiam multùm diſponit : Vid. Henricus ab Heer *Obſerv.* 18. & Platerus in *Obſervat.* Pertinent huc imprimis *Affectus Animi graviores* quicunque, qui tanquam Cauſa Procatarctica Apoplecticos inſultus excitant : quos inter imprimis eſt Ira, quæ cum inducat Sanguinis ebullitionem ejuſque inſignem fervorem, in prædiſpoſito Cerebro facilè Stagnationem Sanguinis & Apoplexiam infert. Et cumprimis Homines ἰνσαρκοι ſubinde Apoplexiâ correpti obſervantur ex Iracundiâ, monente Foreſto *l.* 10. *Obſ.* 70.

*Spirituum Animalium quod attinet deficientem Motum* : ceſſat hic ferè *ex Pororum ac Meatuum Conniventiâ & Subſidentiâ* quaſi, cujus plures poſſunt eſſe Occaſiones : à *Contuſione* v. g. Cerebri & validâ Commotione ; item à *Materiâ tenui*, ſubtili & lymphaticâ, ſucceſſivè circa Cerebri Corticem glanduloſum congeſta, ſubitò & impetuosè interiora versùs irruente, & ita Poros & Meatus obſtruente : quam Cauſam in Habituali Apoplexiâ imprimis accuſat Willis. *cit. loc.* Item *à Sanguine grumoſo*, v.g. poſt Capitis Contuſiones extravaſato:

Item *ab Abſceſſu* in Meningibus rupto, aut aliâ vitiosâ Materiâ *extrinſecùs* Cerebro inſtillatâ, aut *intrinſecùs* in Cerebro collectâ, aut circa ejus baſin congeſtâ, ibique Compreſſionem Cerebri, & in ſpecie Radicis Medullaris & Nervorum principii inferente.

An etiam *Mucus* viſcidus & *Pituita* præternaturaliter *extrinſecùs circa Medullam Spinalem colligi*, eandem comprimere, & ita Apoplexiam, aut cognatos Affectus inferre valeat, prout aſſerit Sylvius *lib. 2. Prax. cap. 21. §. 49. pag. 162.* ceu dubium & minùs probabile in medio relinquo, ob lentum Pituitæ motum, niſi vehiculo *Seri* aut *Lymphæ*, à motu naturali quacunque causâ oberrantis, ad iſta loca delata & collecta fuerit: vid. Helmontius *Tr. de Lithiaſi.*

*Diſponunt* ad hanc Apoplexiam *Contuſiones*, & Concuſſiones Capitis, tam cum quàm ſine manifeſtâ ejus *Læſione* factæ; ſive collabantur & anguſtentur ſaltem Pori, ſive Sanguinis ſimul vitietur Circuitus intra Cranium, v. g. *ex nimio Sonitu*: commotum enim & concuſſum Cerebrum ſubſidet quaſi, ita ut Poris ejus ſic collabantibus & anguſtatis, aut diſtortis, aut vitiosè difformatis, Spirituum Meatus & viæ deleantur: Sic *ob Caſum ab alto*, ex gravi Cerebri Concuſſione, Apoplexiam lethalem obſervavit Horſtius *l. 2. Obſ. 13.* ſicut etiam Deodatus *in Valetud. pag. 121. ex Caſu ab Equo* Vertiginem, quæ tandem in Apoplexiam lethalem deſiit, obſervavit: ſic notum eſt *ex Alapâ inflictâ*, Apoplexiam fuiſſe obortam, qualia Exempla talia habet Schenckius ex Benivenio *in Obſerv.* uti etiam Hildanus *Cent. 5. Obſ. 85. & Cent. 6. Obſ. 11.* Item ex *ictu Oculi* nimio, indeque validâ Capitis & Cerebri Concuſſione, Apoplexiam in Puero obſervavit Fernelius *lib. 2. de Abdit. Rer. Cauſis cap. 15.* Non ſecus atque idem Fernelius *eod. loc.* refert, Virum quendam ex *vulnerato Oculo* Apoplecticum, in quo diſſecto Sanguis grumoſus copioſus circa Cerebri baſin decubuerit. Sic ex *percuſſione Oculi* cum Raphano Apoplexiam vidit obortam Scultetus *in Armament. Chirurg. Obſ. 21.* Apoplexiam à *Cranio depreſſo & Sanguine extravaſato*, præter quotidianam Experientiam, etiam teſtantur Duretus *in Hipp. Coac. Prænot. pag. 366.* Borellus *Cent. 2. Obſ. 34.* Henricus *ab* Heer *Obſer. 12.* Wepferus *de Apoplex. Obſerv. 1. & 2.* Bartholinus *Cent. 2. Hiſt. 60. &* Bonetus *Sepulchret. l. 1. ſect. 2. Obſerv. 7. 8. 12. ac 13.*

Præter Sanguinis Collectiones intra Cerebrum, pertinent huc etiam *vitia Seri & Lymphæ*, quatenus, ut ſuprà monitum, inundando Cerebrum, & omnes ejuſdem Poros replendo, Apoplexiam non rarò periculoſam inducere poſſunt, authore Marcello Donato *lib. 2. Hiſt. Med. Mirab. cap. 6.* qui refert de quodam forti Apoplexiâ perempto, in cujus aperto Cranio tota Cerebri ſubſtantia aquoſo Humore perfuſa & oppleta fuit reperta, qui ipſe Humor etiam in Cerebri Ventriculis redundavit: diſſectis Carotidibus ingens Sanguinis craſſi melancholici emanavit copia: Sic affirmat Columbus *in ſuâ Anat. cap. 15.* quòd Apoplecticorum Capita diſſecta exhibuerint ſæpiſſimè Cerebrum magnâ Aquæ glutinoſæ copia diſtentum. Facit huc Obſervatio Johannis Danielis Horſtii, *Filii*, *in Obſ. Anatom. 3.* de Principe apoplectico mortuo, in quo præter alia obſervatum fuit Cerebrum magnum & grande, Sero & Pituitâ plùs quàm refertum, maximè in Ventriculis; Arteria autem Venoſa ac Aorta nigro Humore, Atramento ſimili, fuit repleta & perfuſa, qualem Princeps ante Apoplexiam ad aliquod tempus in Linguâ & Faucibus habuerat. Plura Exempla vid. apud Wepferum *Obſ. 4. & 15.* ac Williſium *Anat. Cerebri c. 12.* Adeò ut probabile videatur, interdum à Lymphâ & Sero copioſo, Cerebrum inundante & replente, oriri poſſe Apoplexiam. Facit huc ſuo modo *Potus Vini nimius* & crebriùs repetita *Ebrietas*, quæ multos, & quidem ætatis conſiſtentis, & aliàs optimi habitûs, ad Apoplexiam diſponit: Nam ex his ortam Apoplexiam refert Fonſeca *lib. 2. Conſ. 89.* uti etiam Foreſtus *l. 10. Conſ. 69.* Non enim ſolùm vis narcotica Spiritûs Vini, Spiritus Animales alterare & Apoplexiam inferre poteſt, ſed & copioſa Lymphæ generatio & Cerebri inundatio à Potu Vini copioſi huc pertinet, dum poſt nimium ejus Potum Apoplexiam & inde Paralyſin (quæ potiùs fuit Paraplexia) Linguæ & lateris dextri obſervat Piſo *Tract. de Colluv. ſerosâ cap. 88.* Apoplexiam *à Tumore*, v. g. *Steatomatico*, vid. apud Bonetum *loc. all. Obſ. 53. Seroſo*, apud Panarollum *Pent. 1. Obſerv. 17.* Pertinet huc etiam *Scabies retropulſa*, ex qua Apoplexiam in Viro ætatis conſiſtentis obſervavit Mœbius *in Inſtit. pag. 265. Variolæ* etiam huc videntur facere non nihil, repulſæ Apoplexiam inferentes, teſte Foreſto *lib. 10. Obſerv. 70.* qui refert de Puellâ, quæ poſt expulſas Variolas, cùm ſe citiùs Aëri pluvioſo expoſuiſſet, ut & ad Foſſam aqueam decubuiſſet, intra biduum Apoplexiâ tacta interiit: vid. Sennertus. Ita ut *Privativa Apoplexia*, quatenus ex Causâ ſaltim externâ oritur, pro faciliori praxi nunc *Sanguinea*, vitio nempe Sanguinis in Cerebro extravaſati, & Grumis ſuis Cerebri ſtructuram & Spirituum motum lædentis, nunc *Seroſa* ſeu *Lymphatica* dicenda ſit: Vid. *Obſer. Anat. in* Boneti *Sepulchreto*: (dico, *pro meliori Praxi*; nam in Theoriâ vix omne ferre poterit punctum:) quorum iſta Hominibus mediæ ſeu conſiſtentis Ætatis, Iracundis, Corpulentis, Obeſis, Ebrioſis, & aliàs apparenter ſaniſſimis; poſterior verò Senibus decrepitis, Catarrhoſis, & ſimilibus, obvenire ſolet.

*Vapores Mercuriales* pariter Apoplexiam inducunt, vid. Langius *Epiſt. l. 1. Epiſt. 44.* hinc qui Venetiis Specula Mercurio illinunt, ad Apoplexiam declinant: Vid. *Acta Societ. Reg. Vol. 1. pag. 18.* Prætereà Vapores Thermarum Sulphurearum Apoplexiam inferre, notat Schenckius *l. 1. Obſerv. 2.* Sicuti ex *nimio Fœtore ex Vaporibus Puteorum* cœnoſorum Apoplexiam refert Marcellus *lib. 2. c. 6. Fumi Narcotici*, *Metallici*, *Carbonum*, *Cereviſiarum*, & *Vinorum effervescentium*, etiam referuntur à quamplurimis ad Cauſas Apoplexiæ Privativæ Remotas; quatenus Spiritibus Animalibus vincula injiciunt, ut ipſa Experientia loquitur. Verùm hi ipſi Fumi Narcotici potiùs *Carum* inferunt, quàm perfectam Apoplexiam, & inferunt quidem interdum Carum ſæpiùs ſatis profundum & Apoplexiæ finitimum, non tamen, uti dixi, Apoplexiam perfectam.

In talibus Caroticis, à Narcoticis Fumis obortis, probabile eſt admodùm, præter Spirituum Animalium Fixationem à Narcoſi, ſimul etiam accedere aliqualem *Sanguinis Coagulationem*, quatenus tales Affectus ſæpiùs in Pleuritides & Peripneumonias (poſt Fumos tales hauſtos) & ſimiles Affectus, à Sanguinis Coagulo ortos, deſinunt: Unde rectè quibuſdam talis Carus ſimilis Apoplexiæ, aut proximus ſaltem ejus gradus, habetur. Cui etiam Cauſarum generi adſcribendus venit *Terror ac Gaudium immodicum*: de quorum priore

priore vid. Hildanus *Cent. 6. Obſ.* 12. & Loſſius *lib.* 1. *Obſ.* 14. qui refert, Terrorem ex Sclopeto explosо Apoplexiam intuliſſe; quatenus Spirituum motum & agilitatem ſiſtendo, horum influxum ad inferiora inhibent: Sicut *ex nimio Sonitu* Apoplexiam obortam etiam notat Fontanus *in Curat. & Reſponſ. l.* 1. *pag.* 49. & Amatus Luſitanus *Cent.* 3. *Obſ.* 26. *à Tonitru* Benivenius *c.* 23. Quô etiam pertinent Apoplexiæ *ex Fulmine*, quæ notæ ſunt ex Marcello Donato, & Schenckio.

Sed ultra hanc Privativam Apoplexiam, etiam alteram dari *Poſitivam*, confirmant tam *Opiata* in majori doſi uſurpata, quàm *Gas Carbonum*, aut *Liquorum fermenteſcentium*, quando in Cellis vinariis ſubitò Apoplexiâ inſtar Suffocatorum intereunt; uti & *Spiritus Vini*, *vel Vini generoſioris* abuſus, quæ poſitivâ efficaciâ narcoticâ, & ſtupefactivâ qualitate Apoplexiam inferunt, Spiritus Animales alterando & ſtupefaciendo, unde in Motu ceſſant. Sed cùm hæc fiant ſaltim *à Causâ Externâ*; tamen & talem etiam *à Causâ internâ* oriri, primus docet & accuratè defendit Helmontius, & probabile fit ex eo, quòd alii Affectus Soporoſi, ſpeciatim Comata, Lethargi & Catalepſes, ex Causâ Internâ oriantur: quidni ergò & Apoplexia, quæ vix eſſentialiter ab iſtis differre videtur: Scilicet Helmontius *Tr. de Lithiaſi cap.* 9. *à* §. 41. *ad* §. 90. in eo eſt totus, ut propriè ſic dictam Apoplexiam à Causâ Internâ enaſci aſſerat, eâque Poſitivâ, nempe à certo quodam Veneno anodyno & glaciali in Stomacho hærente, ex Digeſtionis propriæ errore enato, occaſione cujus Archeus horreſcat, fugiat, & Ideas cadaveroſas illius recrementi pariat, quo ipſo Cerebrum cum pediſſequis Potentiis, horum nempe Spirituum Inſitum, in ſui obſequium trahat, per actionem Regiminis Stomachi aut Duumviratûs. Unde talis Terror in Spiritibus dictorum locorum incolis excitatur, propter quem Terrorem nunc utrumque, nunc debilius Medullæ latus, contrahitur, unde Paralyſis Apoplexiæ ſupervenire dicitur. Quia Helmontius eſt obſcurus, conferatur Grembs *Tr. Arbor Ruinoſa & Integra Hom. l.* 2. *c.* 1. §. 43. *& ſeqq. pag.* 268. qui meliùs explicavit Hypotheſin Helmontii.

In hac Hypotheſi *duo* conſideranda:

1. *Res ipſa*, an ſit talis Apoplexia Poſitiva?
2. *Modus rei*, quo ſe habeat, ut ex tali Fomite morboſo in Præcordiis hærente inferatur Apoplexia?

*Quoad prius*: excitari Apoplexias à Cauſis Internis, Spiritus Animales vitiantibus, & ſtupidos ac torpidos reddentibus (ut noſtro loquendi modo rem declarem) & ita *poſitivè* Operationibus, iiſque circa Stomachum ſeu Ventriculi ſuperius Orificium conſitis ſeu hærentibus, h. e. dari *Apoplexiam Poſitivam ex Præcordiis* excitatam, veriſſimè arbitror: Idque (1.) *à Juvantibus*: Obſervatum enim frequenter, quòd *Vomitus* optimum ſit in quam plurimis Apoplexiis etiam fortiſſimis Remedium; quò citiùs provocatur, eò melius. Præter Helmontii effata vid. Langius *in Miſc. pag.* 11. *&* 12. ubi binos fortes Apoplecticos per Vomitum curatos refert: Henricus *ab* Heer *Obſ.* 18. ex Obſervationibus præfert Vomitus Venæ ſectioni in Apoplexiâ: quod etiam obſervavit Barbette *in Praxi*, qui dicit, Venæ ſectionem rarò convenire in Apoplexiâ, ſed potiùs Vomitoria. Certum eſt, in Apoplexiâ, ſed Poſitivâ, optima eſſe Vomitoria, quorum loco Clyſmata acria in Praxi vulgari uſurpari ſolent; Perinde enim eſt, ſive ſtimuletur Anus, ſive Vomitus excitetur. Item ſubtilia Aromatica, Odorifera & omnia Stomachalia, brevi recreant tales Apoplecticos. (2.) *A Nocentibus*: Nempe Gas ſeu halitus *Carbonum* oretenus inſpiratus interdum Apoplexiam, utut ad Cerebrum non perveniat, ſed dum affligit Orificium Stomachi, graves Vertigines, item Caroticos Affectus infert, ex affecto imprimis Stomacho. Dicunt: afficiendo Sanguinem etiam ſucceſſivè afficit Cerebrum: Sed poſito, rem ità ſe habere; certum tamen eſt, quòd hoc Gas imprimis ſimul afficiat Orificium Stomachi; unde ex Stomacho affecto Vertigo & Apoplexia ſuperveniunt: qua ratione imprimis ex Stomacho affecto Apoplexiam deducere conatur Helmontius, utut non poſſit dici modus aut ratio fiendi; Nam ob id Vomitus juvat: Hinc Cupediarum Artifex ex Carbonum Gas inebriatus, mortui inſtar in Carbones incidit candentes, ſine ſenſu totum Femur comburens. Par ratio eſt in iis, qui Vaporibus *Vini* ac *Cereviſiæ* fermentantis ſubitò ſuffocati intereunt; Nam vel Vomitus ſupervenies, vel mox inſtitutus, eſt ſalubris. Facit huc Vini generoſioris abuſus, item *Nicotianæ Fumus*, qui manifeſtò Apoplexiam talem Poſitivam ex Præcordiis oriundam infert: Vid. Grembs *lib.* 3. *cap.* 1. §. 37. *pag.* 465. *cit. Tract.* qui hanc Helmontii ſententiam de Veneno Narcotico in Præcordiis, Apoplexiam excitante, confirmat nobili Exemplo per Tabaci abuſum, quendam ex eo redditum eſſe adeò ſtupidum, ut cum ſtertore inſtar Apoplecticorum jacuerit. Fuit Apoplexia Poſitiva ex vi narcoticâ, per Vomitoria curata. Nicotianæ Fumus ergò in ſpecie circa Stomachum hærendo, & per conſenſum Cerebrum afficiendo, Apoplexiam intulit. Sic ex uſu Fungorum excitatam Apoplexiam, Vomitu, quo Fungi ex Stomacho rejecti fuerunt, imprimis curatam, videb. in Bartholini *Act. Hafn. Volum.* 2. *pag.* 295. (3.) *Ab Adjunctis*, quæ in talibus obſervata ſunt: Curavi ante biennium Mulierem quadraginta annorum, ex Causâ internâ Apoplexiâ forti ex improviſo enatâ correptam, quæ brevi in Hemiplexiam totius lateris ſiniſtri deſinebat: Hæc in Inſultu & pòſt conquerebatur in paroxyſmo de graviſſimâ *anguſtia & anxietate Præcordiorum*, ſimul cum inſigni in Somnum propenſione: Non erat debilis ex Spirituum Animalium defectu, non in Membris, nec imminebat Animi deliquium, ſed in Somnum propenſio poſitiva; Aliud enim eſt defectus Virium ex Spirituum Animalium defectu præcisè, aliud Somnolentia ex eorum torpore. Summè debiles ex Spirituum Animalium defectu ad ultimum Vitæ articulum ſunt inſomnes: iſti verò aliàs validi ex improviſo Somnolenti fiunt. Et quidem recrudeſcente ſubinde Paroxyſmo, præcedebat Præcordiorum anguſtia, cui ſuperveniebat Somnolentia, illâ ceſſante & hæc ceſſabat. Unde & alio tempore, ſex vel octo ſeptimanis à primo Inſultu, propinatum ex aliâ causâ Vomitorium Antimoniale, cum anxietate Præcordiorum Virium imbecillitatem & inſignem ad Somnum propenſionem inferebat. Jam verò quid Vomitoria præſtant ad Somnum proferendum? Confirmat hanc Hypotheſin Helmontii, quòd nempe tunc circa Stomachum Vomitorium inferret anguſtias, & Ægra inclinaret ad Somnum, & quòd hæc Apoplexia fomitem ſuum in orificio Stomachi habuerit. (4.) *Ab antecedentibus*: Sic *Vertigo* diuturna, per conſenſum Stomachi enata, eſt prodromus Apoplexiæ in Senibus. Dico, in Senibus; nam Homines conſiſtentis ætatis ſine ullâ tali præcedente Apoplectici fiunt. Plura hujus novi Exempla: *Parenti*

*meo* certò imminet Apoplexia : Plures ſunt anni, quòd Vertigine per conſenſum Stomachi laborat, & hæreditario vitio ad Apoplexiam inclinat : unde certus ſum, quòd hæc Vertigo ex Stomacho certò prædicet Apoplexiam. Omnes ejus ex maternâ lineâ Parentes Apoplexiâ tacti fuerunt : Avia materna hoc Affectu interiit, & Mater jam ſemel Apoplexiâ correpta fuit : Unde hæreditarius Character à Parentibus Apoplecticis in Liberos delatus patet. Nam ſi quid aliud, Apoplexia eſt *Malum* admodùm *Hæreditarium*, quod ab omnibus Practicis aſſeritur. Notatu dignum hujus rei Exemplum refert Foreſtus *l.* 10. *Obſerv.* 70. de Sene quodam ſexagenario craſſo & obeſo, cujus Frater Apoplexiâ interierat : cui cùm inter ambulandum annunciatum fuiſſet, quendam octogenarium Virum ſibi familiarem ſubitò exinctum eſſe, ſubitò Pes ſiniſter ipſi tremere cœpit, & domum reverſus Apoplexiâ correptus fuit : quâ ſublata, ſequente anno denuò ab Apoplexiâ tactus interiit, non ſecus ac Pater, ac ejus Frater. Sed talis *Character hæreditarius apoplecticus*, qui à parentibus transfertur in Liberos, antequàm ipſi Apoplexiâ correpti fuerint, reverà poſitivi quid in Apoplexiâ ſubeſſe innuit, à quo Vertigo etiam ex Stomachi conſenſu, & tandem Apoplexia, ſupervenit. ( 5. ) *Experientia* Poterii idem perſuadet, qui omnes Apoplexias & Paraplegias, etiam poſt Apoplexiam ſupervenientes, curavit per *Aurum* ſuum *Diaphoreticum*, præmiſſis Univerſalibus, quod habet adhuc in ſe corporale Aurum, adeoque ejus efficacia ſe exerit in Stomacho, & primis viis, ultra quas non extenditur : quia eſt Remedium Fixum. Hoc etiam confirmant Remedia alia Appropriata, verbi gratiâ *Cinnabaris Antimonii* & ſimilia, non niſi intra primas vias poſitivè operantia, quæ ad Apoplexias & Paralyſes ſunt egregia. ( 6. ) *Modus fiendi ſubitaneus* & frequenter *momentaneus* rem per Humorum defluxum, aut Viarum oppilationem, quæ per ſucceſſionem ſaltem fit, vix ſufficienter explicat, adeòque aliud quid ſubſit neceſſe eſt, quod tam ſubitò Malum inferat. Sed hoc *Gas rerum fermenteſcentium* ſuâ penetrante narcoſi & momentaneâ operatione optimè illuſtrat. Ob id etiam Williſius non acquieſcit in ſolo Humorum Seroſorum aliorumve in Cerebri Meditullium præternaturalis tanſlatione, ſed ſimul *vim virulentam*, Spiritus Animales fugantem & extinguentem, unà accuſat. Equidem ſæpiſſimè *Signa* quædam *circa Caput* & Animalem Facultatem præcedunt ; quæ imminentis Apoplexiæ metum incutiunt : Vid. Sylvius *lib.* 2. *Capit.* 21. §. 22. *& ſeqq.* Sed hæc ipſa medio ſe habent modo, ita ut Capitis Affectum per Eſſentiam, ut & per Conſenſum, inſequi poſſint ; ſicut Vertigo ex Stomacho in Senibus tale exiſtit prodromum Symptoma in Habituali Apoplexiâ. *Unde ſedulò ſemper inveſtigandum* : an aliæ concurrentes Circumſtantiæ generales plùs minùs Affectum Capitis per πρωτοπάθειαν ? an verò per δευτεροπάθειαν deſignent ? Sicut non rarum eſt, *Epilepſias Univerſales per Abdominis conſenſum* excitari, & Remedia, quæ Abdominis aut Hypochondriorum ſpatia non excedunt, & Deliriis, & Spaſmis, & Cephalalgiis optimè ſubvenire, v. gr. Martialia, Cinnabarina, Vomitoria, Clyſmata, &c. Mulier Epileptica, laborans Malo Hypochondriaco, conquerebatur de Dolore Capitis, & ſimul de Tenſione Hypochondriorum. Jam verò quoties uſurpabantur Martialia, remittebat Tenſio Hypochondriorum & Dolor Capitis ; ſi verò repetebat Tenſio Hypochondriorum, etiam Dolor Capitis repetebat. Unde Symptomata iſta, quæ ſunt prodromi Apoplexiæ imminentis, poſſunt fieri ex Capite, per Conſenſum & per Eſſentiam affecto.

*Quoad poſterius*, nempe Apoplexiam ex affecto Stomacho : hæc quidem *quoad rem ipſam* ſatis clara eſſe videntur, ſed *quoad modum rei* res obſcura & intricatiſſima eſt : Ad Veterum *Vapores* & Halitus, aut Chymiſtarum *Effluvia vitriolica* ſtupefactiva adſcendentia, effugere eſt ridiculum : *Ignotam Actionem Regiminis* Helmontii profiteri, eſt palliare propriam ignorantiam : *Conſenſus*, qui *per Nervos* ſaltem explicabilis eſt, & hic vix locum mereri videtur, cùm hîc ſemper Senſum, & hujus demum ratione Conſenſum præſupponat, qui in Apoplecticis penitus torpet ; niſi dicere velimus, per Conſenſum irritatorum Nervorum circa Præcordia, ſtringi Cerebri Fibras Nervorumque principium, cujus Contracturæ occaſione Spirituum in Partibus externis deficiat Motus, qui in Cerebri Meditullio perturbatus Senſum & Rationem tollat : Per Sanguinis & Spirituum Animalium circularem Motum negotium quodammodò illuſtrari poſſet, ſed & hîc quamplurima obſtant. Res ergo difficillima eſt : *Narcoſi* quidem *percuti & ſtupefieri Spiritus Animales*, ſeu figi, & quaſi plùs minùs coagulari, plauſibile eſt : quomodò verò hoc ex Præcordiis fiat ? res hæret & à priori latet. Nempe ſicuti *Opiata* vel *Semen Hyoſcyami*, *Fungi* vel *Gas Carbonum* in Stomacho adhuc hærentia, inferunt Affectus Soporoſos & Caroticos, & hac ratione Spiritus Animales inficiunt & torpidos reddunt ; ita etiam ſimilis *virulentia narcotica* ex Cauſis internis in Corpore nata, & circa Præcordia exiſtens in regione Stomachi, Spiritus Animales afficiendo, Apoplexiam Poſitivam inferre ſolet. *Modus tamen rei latet.* Sufficiat pro meliori doctrinâ, & ad Praxin manuductione, *Differentiam* Apoplexiæ *in Privativam & Poſitivam* inſinuaſſe ; obſervando ſimul, ex Cauſis Externis frequentiorem eſſe Accidentalem, ſicut ex Internis Habitualem ; & has inter, quæ ex Cauſis Internis oriuntur, ferè frequentiores eſſe Poſitivas, quàm Privativas.

Conſideremus jam *Cauſas Remotas Apoplexiæ Poſitivæ* : ſed ſi has ipſas, prout à Scriptoribus conſignatæ deprehenduntur, conſideremus ; eædem ferè ad Privativas, minùs ad Poſitivas Apoplexias pertinent, utut notabilis, & curioſa ſit Obſervatio Williſii *de Animâ Brutor. Part.* 2. *Capit.* 8. Deinde magis Accidentales ferè, quàm Habituales ſunt Apoplexiæ iſtæ, quas referunt. Adhæc Remotæ iſtæ Cauſæ, exceptis iis, quæ manifeſtâ læſione Caput afficiunt, potiùs προηγούμεναι ſunt, ſeu *Antecedentes*, quæ cauſam Continentem movent ; aut ſaltem ſunt ſubinde *Cauſæ Procatarcticæ*, quæ Diſpoſitionem morboſam internam commovent, ut eæ Proximas conſtituant. Ut taceam in *Obſervationum Anatomicarum conſideratione* ex inſpectis Cadaveribus facillimam, modò non frequentem, eſſe *Fallaciam à non causâ ut causâ* ; ita ut vel præternaturale quid forſan repertum, pro Causâ Morbi Mortiſque habeatur ; vel etiam Productum quoddam morboſum pro genuinâ illius habeatur Origine.

Quoad *Cauſas permutationis Apoplexiæ* : tribus ferè modis permutatur hæc ; vel terminatur *ad Salutem* Ægri integram, remotâ & correctâ plùs minùs Causâ Proximâ ; vel terminatur *ad Mortem*, ceſſante tandem Cordis motu pulſatorio, unde ſuffocati intereunt Ægri ; vel denique *ex Univerſali in Particularem* tranſit Apoplexia, nunc pauciora, nunc plura occupantem Membra.

Quoad I. fit, quando poſt ſucceſſivam Evacuationem,

nem, ſive Sanguinis, ſive per Vomitoria, ſive per Alvum, in ſpecie per Sudorem ſolvitur pedetentim Apoplexia ad perfectam Ægri *Salutem*. Quò pertinet, quando mediante Salivatione uberiore, vel ſpontaneâ, vel Remediis Mercurialibus inſtitutâ, ſucceſſivè curatur Apoplexia, quod obſervavit Sennertus *in Praxi lib.* 1. *Par.* 2. *cap.* 33. *pagin.* 664. *ubi de Apoplexiâ*, & Deckers *in Barbette Prax. pag.* 21. & 29.

Si verò II. terminatur ad *Mortem*, fit, quando ſucceſſivè Ægri ſuffocati intereunt. Fit, quatenus ceſſat plùs minùs Spirituum Animalium motus, etiam ex Cerebello ad Cor & Organa reſpiratoria, deficit pedetentim Pulſus & Reſpiratio, quibus ceſſantibus Ægri ſuffocati intereunt: cujus rei prodromus eſt *Stertor* profundus, cum *Spumâ* per Aſperam Arteriam elevata, & pedetentim circa Os apparente. Nam talis Spuma ſignum eſt manifeſtum Sanguinis motûs per Pulmones planè impediti, qui in Pulmonibus hærens, per aliquam Aëris inſpirationem concuſſus & agitatus, reſolvitur in talem Spumam; eodem modo ac Cereviſia agitata in Aëre in ſimilem Spumam abit. Quòd talis Spuma ſit Sanguis ita attenuatus & reſolutus, teſtatur Anatomia Mortuorum, quia Tulpius *libr.* 5. *Cap.* 57. refert in iis; qui Apoplexiâ moriuntur, quòd Aſpera Arteria ſpumoſo Sanguine referta reperiatur: Sic Hippocrates dicit, quòd Strangulati & Suffocati ad ſe non redeant, quibus circa Os Spuma collecta apparet; item, qui repente obmuteſcunt cum Stertore, intra ſeptem dies pereant, niſi Febris ſuperveniat; item, qui repente obmuteſcunt & ſtertunt, ſi Spuma circa Os apparet, intereant. Diſtinguendum tamen eſt inter Spumam, quæ ex profunditate Pulmonum erumpit, & iſtum Humorem viſcidum, qui in Ægro, Catarrho Suffocativo laborante, cum aliquo Stertore ſolet emitti, qui originem ducit ex Membranâ poſteriori & inferiori *Schneideri*. Ceſſante tandem Pulſu & Reſpiratione, Apoplectici ſuffocati intereunt.

III. In *Paralyſin* ſeu in Apoplexiam Particularem Paroxyſmus mutatur, quamvis nec hôc modô Æger ſemper ſervetur, ſed ſæpè aut prior Morbus redeat, aut Sopor lethalis ſuperveniat (R). De *modo*, quomodò aut Hemiplexia aut Paraplegia, ſeu Apoplexia Particularis quædam Apoplexiæ Univerſali ſuccedat: verbi gratiâ ut Brachium poſt Univerſalem Apoplexiam maneat tantùm paraplecticum, reliquis Partibus omnibus Senſum & Motum recuperantibus? res difficilis eſt. Equidem cùm Apoplexia Sanguinea in Paraplegiam tranſeat, quandocunque etiam Sanguinis vel motû deficientis, vel extravaſati, fuerit vitium, ferè hæreo: quin potiùs talem Apoplexiam ut plurimùm lethalem, rariùs curabilem perfectè, exiſtimo, niſi forſan Venæ ſectio largior opem ferat: Videb. Tulpius *libr.* 1. *Capit.* 7. & Zacutus Luſitanus *Medic. Princip. Hiſtor. Capit.* 7. ubi habet Juvenem florentis ætatis per ſcalam decidentem, cui copioſa Hæmorrhagia Narium ſecuta eſt, quâ depreſsâ, in Apoplexiam incidit, à qua Venæ ſectione fuit levatus. Aut ſi Paraplegia ſupervenerit, probabile eſt, ex Sanguine congrumato aut plùs minùs ſubſiſtente Laticem aquoſum feciſſe ſeceſſum; & vel interiùs profundiùs penetrans, ſcilicet per Cerebrum in Caudicem medullarem; vel exteriùs defluxiſſe ſecundùm ſituationem Spinalis Medullæ; & ita unius alteriuſve Nervi læſione vel oppreſſione Paraplegiam intuliſſe. *Privativa verò Lymphatica Apoplexia* ſucceſſivâ Lymphæ Materiæve peccantis ulteriori progreſſione, & in Caudicem medullarem interiora versùs inſinuatione, adeoque certis in locis vel Obſtructione vel Compreſſione Paraplegiam inferre poſſe, ſatis plauſibile videtur, in qua nunc Motus ſolùm deficiat in leviori Malo, nunc Senſus tantùm in graviori, & in quo omnis Spirituum Animalium tranſitus penitus intercludatur. *Poſitivam* etiam excipere Paraplegiam res nota eſt: Sed modus eſt obſcuriſſimus: interim ob occultum modum rei rem ipſam negare, abſonum eſt. Paraplegiam eſſe Contracturam Partium nervoſarum, qua impediatur Spirituum pro motu tranſitus, non improbabilis eſt Helmontii aſſertio: ſed quomodo fiat? & quibus differentiis à propriè ſic dictâ Contracturâ ſeu Spaſmo Partium differat? difficile eſt determinatu; niſi forſan dicere velimus, Nervos eorumque Fibras circa radicem aut prope exortum ex Caudice medullari contractos, inducere Paraplegiam; ſicut ipſi Nervi in progreſſu ſuo cum toto Nervorum & Fibrarum nervoſarum, cum quibus connectuntur, ſyſtemate contracti, dare poſſunt Convulſionem.

## DIAGNOSIS.

Quod attinet *Signa*: Apoplexiâ tactum eſſe Hominem facilè patet, ſi ſubito omnis Senſus ac Motus pereat & ſimul Vox repente auferatur, ſolâ Reſpiratione nunc liberâ, nunc ſatis difficili remanente: Ægер quaſi dormiens aut ſemimortuus, niſi adhuc aliquis Faciei color & Pulſus animadvertatur, jacet: nam quidam Apoplectici Pulſum adhuc habent naturalem; quidam puſillum; quidam omninò nullum, uti rectè obſervat Lindanus, prout plùs vel minùs Sanguis circa Præcordia ſtagnet, aut prout etiam Nervus Cor movens ſimul afficiatur. Color Faciei & Oculorum interdum rubet, tumidus eſt, & ſimul Corpus calet, in illâ ipſâ Apoplexiâ, quæ eſt ex Sanguinis ſtaſi ſeu impedito circulo: Econtrà verò interdum Facies pallet, flaccidaque eſt, & Corpus ſenſim infrigidatur, ubi aliud vitium, quàm Sanguinis ſtaſis, Apoplexiam infert. Membra omnia in Apoplexiâ ſunt laxa: & ſi Brachium vel Pes levetur, pondere ſuo ſtatim denuò concidit. Ægер tactus, irritatus, acclamatus, nec loquitur, Ore hiante,



(R) Notâ Cyrilli. *Servantur quidem Apoplectici, cùm factâ Membri unius vel dimidii corporis Paralyſi, Cerebrum omninò ſanum ad ſua munia redit, depoſito nempe in partes infernas eo, quod Caput occupabat. Verùm ſi confirmatâ jam Membri Paralyſi, vel integrè factâ Hemiplegiâ, Cerebrum immune non ſit, & functiones præſertim internæ ad naturalem ſtatum non redeant, tunc Medicus de novo imminente paroxyſmo ſit ſollicitus. Hujus innumera proſtant apud Practicos exempla: clariſſimum eſt* Auguſtiſſimæ Imperatricis Helionoræ, *quæ annos nata* 65. *ineunte anno* 1720. *forti Apoplexiâ correpta, poſt tertium diem in perfectam lateris dextri Hemiplegiam & Linguæ Paralyſin abeunte, quum inde minimè Capite levaretur, ſed in profundum ſoporem, niſi ſtimulis excitaretur, ſponte vergeret, nullam unquam ſuæ ſalutis ſpem fecit Cl. Viro* Nicolao Garelli *Auguſtiſſimi Imperatoris Cubiculario Medico, cujus lethale prognoſticum ſolidiſſimis argumentis ſuffultum funeſtus rei eventus confirmavit: poſt novemdecim enim dierum ſpatium, Morbus efficaciſſimorum Medicamentorum vim eludens, ſenſim gravior factus, tandem piiſſimam Principem è vivis ſuſtulit. His pro ſuâ humanitate certiorem me fecit laudatus* Garelli *literis* 24. *Jan. ejuſdem anni Viennâ tranſmiſſis.*

hiante, & plùs minùs ſtertente quaſi profundùm dormit. Reſolvitur interdum ſimul Ani Sphincter, unde Alvi Fæces, aut injecta Clyſmata, denuò inſcio Ægro ejiciuntur & rejiciuntur. Denique Memoriæ ſubitanea læſio abſque Causâ externâ imminentis Apoplexiæ indicium habetur.

Ut autem ritè *diſtinguatur Apoplexia*, qualis ſit? *an Poſitiva? an Privativa? ab Antecedentibus*, & hinc ab *Adjunctis* cognoſci debet: *Illam* Cauſæ externæ, Vitæ genus, Habitus Ægri, Diæta, &c. ſuggerunt; facilè tamen Poſitivæ Privativam ſupervenire, & invicem complicari poſſunt: *Illius* occaſione, Sanguinis motu ſufflaminato, & ita circa Cerebrum eodem ſtagnante, *Syncope Cardiaca*, ſimilis Affectus Apoplexiæ, oritur, ut ſuprà monitum. Sic verbi gratiâ ſi Æger aliàs laborat Vertigine, quæ ferè ſemper ex Stomacho, ſi anteà fuit natus à Parentibus Apoplecticis, hæc præſumunt eſſe Apoplexiam Poſitivam: ſicuti etiam ſi Apoplexiâ corripitur Juvenis εὐσαρκος, plethoricus, vitam ſedentariam agens, ſuſpicio eſt, Malum eſſe Apoplexiam Privativam ex Sanguinis vitio. Si corripitur Apoplexiâ Senex, qui ſæpiùs fuit Catarrhoſus, ſuſpicio eſt, eſſe Apoplexiam Privativam vitio Lymphæ, ex uberiore Lymphâ in ambitu Cerebri natam. Si Æger in mediocri Apoplexiâ aliqua Signa poſſit edere, ubi urgeat, & manu tangit Præcordia, certum Signum eſt, eſſe Poſitivam: quando vellicat Caput, & movet manum ad Caput, Signum eſt Privativæ.

Dixi, quòd viciniſſimus Affectus ſit Apoplexia cum *Syncope Cardiacâ* ſeu *Catarrho Suffocativo*, & differant tantùm Loco affecto, adeò ut quidam etiam Apoplexiam ad Affectus Cordis referant, & eodem modo curent. Cautus ergò ſit Medicus, ut cognoſcat Apoplexiam à Catarrho Suffocativo: Scilicet Differentia eſt facilis, modò cognoſcatur Reſpirationis negotium plùs minùs laborioſum. *Signa* ergò, quæ pro diſtinctione Apoplexiæ & Catarrhi Suffocativi obſerventur, ſunt hæc: quòd in Syncope Cardiacâ, ſeu Catarrho Suffocativo, ex Sanguinis ſtaſi in Pulmonibus Æger difficillimè reſpiret, & Signa adſint graviſſimæ in Pectore anguſtiæ, ipſe Æger omni etiam conatu Membra & Artus movere conetur, utut mortuorum inſtar jaceant. Qui autem Apoplexiâ graviore corripitur, is vix manifeſta Vitæ habet Signa, neque tamen tanta ſpirandi Difficultate vexari ſolet. Nam in Catarrho Suffocativo difficillimè reſpirant, in Apoplexiâ etiam parum, aut tardè, aut ſaltim naturaliter Spiritum ducunt, niſi in ſummo gradu ejuſdem. *Pulſus* quoque, qui in Syncope Cardiacâ ferè deficit, in Affectibus Apoplecticis ferè durus obſervatur, ita ut aliqui Pulſum ſervent, alii puſillum habeant, rarò, niſi in fortiſſimâ Apoplexiâ, nullum, prout nempe plùs vel minùs Præcordiorum Sanguis ſtagnat, aut Nervus Cordis afficitur. Præterea in Syncope Cardiacâ externa frigent, Facies palleſcit, Sudor frigidus erumpit, Pulſu evaneſcente, & Reſpiratione penitus ablatâ. In Apoplexiâ, abolitis Functionibus Animalibus, nihilo minùs reſpirant, Arteriæ pulſant, Extrema calida ut plurimùm deprehenduntur, & Facies rubicunda obſervatur: Videb. Wepferus *De loc. affect. in Apopl.* Præterea in Apoplexiâ quavis fortis Stertor eſt, quia Spiritus Animales, qui à Cerebro accedunt Muſculis Thoracis ad complementum Reſpirationis, ſolùm ſunt ablati, durante adhuc per Cor & Pulmones Sanguinis circulo; unde in Syncope Cardiacâ nullus eſt Stertor, quia Cor ipſum ſubitò occupatur.

*In gravi Paſſione Hyſtericâ* etiam Ægræ inſtar Apoplecticarum jacent, unde confunditur cum Apoplexiâ interdum. *Diſtinguuntur* tamen facilè, quòd in Suffocatione Uterinâ dictâ præceſſerint Symptomata affecti Abdominis; item quòd in Suffocatione Uterinâ interdum vis ſentiendi perſiſtat, nec Reſpiratio tam facilè impediatur; & quòd in Suffocatione hac Pulſus fiat obſcurus, debilis aut parvus, aut ferè nullus; qui ſæpè in Apoplexiâ admodum ſenſilis eſt. Et in ſpecie cum ſubinde in Apoplexiâ Faciei color ferè perſiſtat, imò rubicundi, ac tumidi ſubinde in Facie appareant, hîc in Suffocatione Uterinâ omninò Color perit, quin potiùs Facies palleat.

*A Caro* facilè diſtinguitur Apoplexia in eo, quòd ſenſim invadat, non adeò ſubitò ac Apoplexia: item Caro etiam laborantibus eſt Reſpiratio facilis ſine omni Stertore; aut ſi adſit Stertor, adeſt cum Somno, eoque ſatis profundo.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: Notum eſt, quòd Apoplexia ſit acutiſſimus & periculoſiſſimus Affectus, qui Ægrum ut plurimùm trucidet; & licèt non ſemper exin moriantur Ægri, Paralytici tamen evadant. De hoc dicit Hippocrates *Section. 5. Aphor. 5.* item *Section. 6. Aphor. 51.* quòd quicunque ſani repente Doloribus Capitis tententur, ſtatim obmuteſcant & ſtertent, in ſeptem diebus pereant, niſi Febris eoſdem prehendat, quæ Apoplexiæ ſuperveniens conducit.

*Febris* tamen non ſit à ſtagnatione Sanguinis circa Cerebrum aut Phlegmonode hujus conſtitutione, nec lenta: Imò & hoc addere convenit, niſi à Comprimente extrinſeco fuerit Malum, illudque tempeſtivè tollatur.

Dicit etiam *Section. 2. Aphor. 42.* quòd Apoplexiam Fortem ſolvere impoſſibile ſit, Debilem verò non adeò facile: (quid per Debilem & Fortem intelligatur, *ſuprà* dixi) Interim Vitæ periculum variat pro diverſo *Morbi Gradu*, hincque magis aut minùs difficili combinatâ Reſpiratione. Vehementia autem hæc & periculum Apoplexiæ ex noxâ, quam *Reſpiratio* affert, imprimis cognoſcitur; *nam qui Apoplexiâ moriuntur, omnes ſuffocati intereunt.* Unde quò liberior eſt Reſpiratio, eò minor eſt Apoplexia, & major Salutis ſpes; & contrà, quò magis impeditur Reſpiratio, eò majus periculum ſolet imminere Apoplectico.

Imprimis quidem, ubi Apoplexia in tantum lædit Reſpirationem, ut præter Stertorem etiam *Spuma circa Os* apparere incipiat, ferè lethale Apoplexiæ Signum eſt, ut rectè hoc affirmat Foreſtus *libr. 10. Obſervation. 74. in Schol.* ubi dicit, quòd Spuma circa Os apparens ſit unum è præcipuis Signis lethalibus, cùm ſit extremum Signum, à quo rarò evadunt: Item Tulpius *libr. 1. Obſervat. cap. 51.* refert, quòd in iis, qui Apoplexiâ moriuntur, Aſpera Arteria reperiri ſoleat poſt obitum ſpumoſo Sanguine repleta.

*Spuma iſta*, ut jam ſuprà *Section. 14. Capit. 3. Artic. 4. de Catarrho Suffocativo* monui, *certum & infallibile Signum eſt Sanguinis motûs* omninò *per Pulmones impediti*: ex quo Sanguine in Pulmonibus, & tandem in ipſo Corde, ſtagnante per Aëris validam & reciprocam, ſed fruſtraneam, Reſpirationem elevantur Spumæ, unde hæ ipſæ etiam nonniſi in ultimo ferè articulo apparere ſolent. Unde dicit etiam Hippocrates *Section. 2. Aphor. 43.* quòd ſtrangulati & ſuffocati, nondum tamen mortui, ad ſe non redeant, quorum circa Os Spuma collecta appareat. Multum hîc litigant Autores; optima eſt Interpretatio Lindani: *Strangulatio hîc non à Collo, ſed per eos intelligit hos, quibus ſubitò à Causâ internâ Reſpiratio intercipitur. Hæc à multis poteſt intercipi, verbi gratiâ in Suffocatione Uterinâ. Itaque Hippocrates hoc vult: Poteſt Reſpiratio intercipi, & non redire: ſed an reditura ſit? cognoſces, ſi Spuma oriatur circa Os, tunc certus eſto, eam Suffocationem eſſe*

*esse circa Cor, à stagnatione Sanguinis circa illud. Quando enim Natura extremo conatu voluit Sanguinem propellere, inde suborta in Pulmone Spuma est, & ad Os detrusa; & si aperto Ore Spuma prodierit, desperata res est.* Hæc Lindanus. Nempe *Spuma* non præcisè Mortis, sed supremus viventium conatus est in talibus Ægris; hinc non semper & necessariò Mortem portendit, quemadmodùm Tulpius *libr.* 1. *Observation.* 7. testatur, cùm Materia Spumæ hujus modò Serum ex Pulmonibus transudans, modo salivalis Humiditas ad Os deposita, & per difficilliorem & crebriorem Respirationem in Spumam redacta sit: quorum illud Suffocationis instantis Signum, Apoplexiam semper lethalem; hæc non semper, indicat: Videb. Sennertus *Prax. lib.* 1. *Part.* 2. *cap.* 33. & Tulpius *lib.* 1. *Observ.* 6. Observandum ergò est hic, ne confundatur Spuma vera cum viscoso quodam Liquore, vel Salivâ viscidâ effluente. Fit enim non nunquam, tam in Catarrho Suffocativo, quàm Apoplexiâ, ut Ægri ita jacentes Humorem viscidum copiosè per Os rejiciant, qui nihil habet confinitatis cum Spumâ, sed ex Membranis Pituitariis *Schneideri*, vel potiùs ex Glandulis sub illis latentibus emungitur. Omnis Spuma oritur ex Aëris & Humoris plùs minùs viscidi misturâ, adeò ut etiam Sanguis in *Spumam albam subrubicundam* abeat, ad instar Cerevisiæ obscuræ, per agitationem tamen cum Aëre in candidam Spumam abeuntis. Spuma autem vera non nisi est parva, nec adeò copiosa, ex imo Pectore sensim scatet, & sursum fertur, sensim sensimque augmentata. Non ergò *levis* ista *Spuma* adeò periculosum Signum est, quæ *ex Salivâ* intra Fauces agitatâ oritur, & qualis in Paroxysmis Epilepticorum ordinariò observatur; sed illa ferè fatalis est, quæ *ex imo Pectore* seu ipsis Pulmonibus ex Sanguine plùs minùs stagnante, per Aëris reciprocum motum attenuato, & ita in Spumam rarefacto, oritur, & ita in Fauces foràs ebullit: adeò ut observati sint Apoplectici in Schenckii *Observationibus*, quibus etiamnum post Mortem talis copiosa *fervida Spuma* per Nares, Os, & prominentes Oculos, fuerit excreta. Quò major Spuma in Ore, eò majus est periculum: quò major Pulsus, eò melior spes. Ex Spumâ eò magis afficiuntur Pulmones, quia agitatur Aër, nec promovetur in locum consuetum, scilicet Cor.

Deinde de *Stertore* equidem certum est, & illum ut plurimùm, quò vehementiorem, eò difficiliorem Morbum ostendere: nihilo minùs etsi hic remittat, reliquis Symptomatis tamen non simul remittentibus, non Salutis, sed Mortis certissimæ Signum evadit: & contrà, ubi mox cum Sensu & Motu Respiratio aboletur, quamvis nec Stertor nec Spuma appareat, fortissima & lethalis Apoplexia erit dicenda.

Denique Apoplecticis, si in difficillimâ Respiratione supervenit *Sudor*, lethale est; Est enim Sudor Symptomaticus, & quasi Syncopticus (*ein Angst- Schweis*, ut vocant) non verò naturalis Sudatio, & Signum est deficientis planè Facultatis Vitalis.

Apoplectici curati *facilè recidivant*, & hi ipsi meliùs habentes *post Universalia*, bonum est; aut aliquomodò excitati, si denuò somnolenti aut plùs minùs torpidi fiant, iisdem periculum Recidivæ imminet; siquidem Apoplectici, perfectè licèt curati, facilè tamen recidivant.

De cætero si erecto Corpore locatus Æger, aut post Sanguinis missionem, aliquantùm *ad se redeat*, aliqua Spes affulget: sin verò post hæc & alia Remedia, Affectus ultra 24. horas in eodem statu permanet, aut cum Somnolentiâ, Vertigine, ac Torpore recrudescat, de Ægro actum erit.

In Apoplexiâ correptis imprimis habenda distinctio *Ætatis*, & hinc dependentis Corporis statûs; cùm Apoplexia Juvenem, aut mediæ Ætatis Hominem corripiens, vix sit ejusdem rationis cum Apoplexiâ, quæ Senem, aut debilem, aut emaciatum, aut similem affligit.

Solvitur Apoplexia, quando *Evacuationibus* per Inferiora aut per Sudorem tota discutitur, aut si eadem in Paraplegiam quandam aut etiam Hemiplegiam desinit. Observatum fuit, terminari interdum Apoplexiam *fluxu Auris* lymphatico, qualis Lue Venereâ laborantibus post Inunctionem Mercurialem accidit. Unde etiam Barbette in curandâ Apoplexia talem Inunctionem commendat. Aut etiam ipsa Apoplexia facie Somni admodùm profundi, Ægrum interimit. Cætera videb. in Schenckii *Observationibus*.

## CURA.

Quod ergò attinet *Curam*, hæc duplex est: *Curatoria*, seu quæ instituenda est *in ipso Paroxysmo*, in quo exsuscitandus quasi est Æger, ut Spirituum Animalium Motus redeat; ac *Præservatoria*, seu *extra Paroxysmum*, quæ Causarum Antecedentium tantùm rationem habet: quo tempore observatis debitis Evacuationibus, simulque usurpatis Caput ac Ventriculum roborantibus Aromaticis, reditus Paroxysmi est præcavendus. Neque enim cùm Æger apertè reconvaluit, scopi Curationis sunt negligendi; nam tales sæpiùs diu stupidi manent, variaque Accidentia eos vexant, adeò ut si Medicus sit negligens in Curâ, facilè eveniat, ut Paroxysmus revertatur, unde Ægri posimodùm moriuntur.

*In ipso Paroxysmo duo* imprimis *Præsidia* generosiora sunt, quæ aut liberant Ægros rectè administrata, aut eos trucidant, malè applicata: & hæc sunt *Vomitus* & *Venæ sectio*, quorum unum ut plurimùm necessariò adhibendum est, interdum utrumque simul. Nam de *Clysteribus* eorumque usu, item de *Suppositoriis*, quæ acriora & fortiora semper sunt applicanda, etiam omnes concordant Medici Practici, quòd in omni Paroxysmo Apoplectico, & post eundem etiam, tutissimè & etiam necessariò usurpentur. *Clysteres* tales acres in minore copiâ subinde injiciuntur, nempe à ℔ß. ad summum ℥viij., quia sic diutiùs retinentur & meliùs operari solent. Quòd si non retineantur, aut saltim non satis diu persistant in Corpore propter Sphincterem Ani resolutum, repetendus est eorum usus, idque eò frequentiùs, quò magis urget Morbus: Si verò nullo modo in actum deduci possit Clyster, tunc remanentia Clysmatis, seu Materia Decocti remanens, instar Pultis est coquenda, super Pannum extendenda, & toti Abdomini instar Cataplasmatis imponenda. Hoc enim Remedio feliciter usus fuit D. Mœbius in curando *Slevogtio* Apoplectico.

Sed ut redeam ad *Vomitum & Venæ sectionem*, metus admodum est in *Vomitu*, ne Suffocationis imminentis acceleretur periculum, quod non paucos, accuratos etiam, Medicos deterret, adhæc cùm deficiat Motus Corporis, & etiam Partium internarum: Et sanè positô, quòd ex impedito Sanguinis Motu fiat Apoplexia Privativa, vix tamen videtur conveniens Vomitus & necessarius, sed nocuus dicitur: imò periculum est, ne sub vomendi conatu Sanguis ac Serum circa Collum & Caput retineatur, & hinc istæ Partes magis obruantur, cùm naturaliter sub vomendi conatu Facies rubescere, Oculi tumescere, & Collum inflari soleat. Econtrà *Venæ sectionis* medio Sanguinis circularis Motus in quâvis Apoplexiâ plùs minùs

impeditus promoveri poteſt. Interim de Venæ ſectione ipſius Celſi eſt pronunciatum, quòd Sanguinis detractio in Apoplexiæ Paroxyſmo adornata, aut occidat aut liberet Ægrum, id eſt prout tempeſtivè vel intempeſtivè magis applicatur. Unde etiam Venæ ſectionem rejicit Barbette per Experimentum confirmatus *in ſua Praxi Capit.* 2. tanquam fruſtraneam, ſæpiuſque nocivam, uti etiam obſervandum eſt imprimis illud, quod habet Heinricus ab Heer *in Obſervation.* 18. quòd nempe noſtrates, qui Ingluvie & Comeſſationibus ferè Apoplexiam incurrant, *Phlebotomiâ* vix unquam curentur, ob id etiam vocat dubium Remedium Venæ ſectionem in Apoplexiâ, adeò ut centeſimus ægrè, educto Sanguine, evadat: *Quæ etiam cauſa eſt, cur prudentiores Medici* (verba ſunt Heinrici ab Heer) *noſtro cælo ferè ab illâ abſtineant.* Et in tali caſu reverà Vomitus præ Venæ ſectione longè magis neceſſarius videtur.

Res ut aliquantiſper fiat clarior, pro deciſione obſervanda eſt *Differentia Apoplexiæ*, quam ſuprà inſinuavi. Si enim Signa adſint, vel ſuſpicio quædam ſaltim probabilior, Sanguinem imprimis peccare, & ſui ſtagnatione aut in Cerebro aut in Pulmonibus inducere Apoplexiam, tam Poſitivam, quàm Privativam, ut in iis, imprimis Junioribus, qui ſunt Corpore εὐσάρκῳ, & ſuccipleno, qui Vitam agunt ſedentariam, in quibus Facies inſigniter rubet ſub Paroxyſmo Apoplexiæ, quibus conſueta Sanguinis per Uterum, Nares &c. evacuatio ſit ſuppreſſa; in talibus pro imminendo Sanguinis quanto & ejus circulo promovendo Venæ ſectio inſtituenda eſt, quam pluribus commendat Sylvius *Libro* 2. *Capit.* 21. §. 96. Cortnummius *de Morbo Attonito cap.* 60. Nymmannus *de Apoplex. capit.* 39. Idque quò citiùs eò meliùs, ut ſub liberiore circulo fiat melior Reſpiratio: Hinc Zacutus Luſitanus *Prax. Admir. libr.* 2. *Obſervation.* 104. Fœminam ſuppreſſione Menſium laborantem, & Venæ ſectionem negligentem, Apoplexiâ mortuam; in aliâ verò Apoplecticâ, ritè quamvis fluentibus Menſibus, eandem cum euphoriâ adminiſtratam, *lib.* 1. *de Medic. Princ. Hiſt.* 38. teſtatur. Ubi verò à Sero Malum, præſervativè tantùm Venæ ſectio agit, id eſt Vaſa deplendo ab affluxu Sanguinis præſervat, & ut Serum faciliùs intra Lymphatica & Venas reſorbeatur, præſtat. Aſt in Poſitivâ à Narcoſi, ſive internâ, ſive externâ, per ſe nihil, ſed per accidens tantum aliquid levaminis præſtat, ſtagnationem Sanguinis circa Præcordia declinando & ſolvendo: qua ratione in omnibus quoque reliquis Apoplexiæ ſpeciebus, item in illâ, quæ à Terrore, ſimilive Affectu Animi, non inutilis videtur: Videb. Proſper Martianus *in libr.* 4. *de Vict. Acutor.* §. 43. Hildanus *Centur.* 3. *Obſervation.* 11. & 12. Nymmannus *de Apoplex. pag.* 216. & 217. Sylvius *Prax. loc. allegat.* §. 214. Cautè nihilo minùs illa eſt adhibenda, aut de quorum Virium debilitate (ante Paroxyſmum) conſtat, ne ſimile contingat, quod Mulieri Hebrææ apud Amatum Luſitanum *Centur.* 4. *Hiſtor.* 23. Videb. Heinricus ab Heer: Adeoque pariter vix locum habet, ubi Sanguinem viſcidiorem & mucoſum hariolamur: Videb. Wepferus *de Apoplex. pagin.* 218. aliàs enim Apoplexia, quà talis, non poſtulat Venæ ſectionem. Sed in Senibus aut in Debilibus ante Paroxyſmum, aut in Ebrioſis, & qui ex Ingluvie præcedente corripiuntur Apoplexiâ, ubi Cruditates Ventriculi, ubi Narcoſis, ſive interna ſive externa, aut quibus jam Vertigo & alia Signa quædam Capitis affecti præceſſerint, ubi potiùs videtur ſubeſſe Lymphæ vitium, aut ſaltem in quibus nullum Sanguinis primarium deprehenditur vitium, his convenit potiùs *Vomitus*, & nociva eſt Venæ ſectio, & ſedulò hic obſervandum eſt Monitum ſuprà allegatum Heinrici ab Heer *in Obſervation.* 18. Uno nomine: *In Apoplexiâ Privativâ magis Venæ ſectio*, aut loco ejus in Senibus Cucurbitulæ, Scarificationes &c.; *in Poſitivâ magis Vomitus*, & loco hujus præſertim in Senibus, *Clyſmata acria* conveniunt. Hinc illis præmiſſis, in Privativâ *Sudorifera volatilia*, *Veſicatoria*, *Fonticuli*, *Cucurbitulæ* &c.; in Poſitivâ verò Apoplexiâ *Aromatica*, *Metallica ſulphurea*, & majora Arcana, & Stomachica conducunt. Quæ omnia *ex Circumſtantiis ſecundùm Res Naturales*, *Nonnaturales & Præternaturales*, in cujuſvis Ægri Curâ ſemper obſervandis, diverſimodè adhuc limitantur.

*De Venâ incidendâ* eadem obſervanda, quæ circa Affectus Soporoſos monita; imprimis verò Jugularium Venarum inciſio maximè commendatur; videb. Bayle *de Apoplex. Cap.* 17. aut in Plethoricis utriuſque Brachii Venæ; Videb. Tulpius *lib.* 5. *Obſervation.* 7. *Pro Venæ ſectionis negotio illuſtrando* confert *Cura cujuſdam Ancillæ*, mox à mediâ nocte Inſultu apoplectico tactæ: Accedens manè horâ octavâ illam habitûs carnoſi, ſuccipleni, robuſtam, Facie & Membris inſigniter rubram, quaſi Sanguis undique ſtagnaret, offendi, Membra difficillimè, & ſaltim Brachia æqualiter, movere poterat, de ſummâ Præcordiorum anxietate, tremulâ & vix intelligibili Voce, conquerebatur, innuendo ſcrobiculum Cordis. Hinc præſcribebam *Vomitorium* in doſi intenſiori; aliquoties, ſed non vehementer, purgabatur, ſuprà & infrà. A meridie Venæ ſectionem in Brachio ordinabam, & præſcribebam Miſturam ex *Spiritu Salis Ammoniaci*, ceu baſi, cum aliis *Spirituoſis Aromaticis* Nervinis. Cordi verò jubebam applicare Linteum multiplicatum, *Spiritu Vini* calidè probè imprægnatum, idque ſæpiùs repetere. Accedens altero manè eam paulò meliorem offendebam, Facie adhuc admodùm rubicundâ cum Pulſu duro: hîc cùm Hæmorrhagiam obſervâſſem, non obſtante jam facta Venæ ſectione, jubebam etiam in Crure, Brachio, in quo Venæ ſectio facta fuerat, oppoſito, circa Talum Venam incidere. Nocte ſequente adhuc ſupervenit Fluxus Menſtruus. Unde continuato uſu *Spiritûs Salis Ammoniaci* interno, & *Spiritu Vini* externo, cum interpoſito ſemel *Pulvere Laxativo*, intra octiduum convaluit. Et ita in hac Ancillâ corpulentâ & ſtaturæ brevis, aſt robuſtâ, Natura ultra duplicem Venæ ſectionem, adhuc Hæmorrhagiam Narium & Uteri provocavit. Videbatur mihi in Subjecto hoc Sanguinis circulus admodùm lentus, non præcisè ex copiâ, ſed ex Fibrarum nervearum ac menbranoſarum ſtricturâ quaſi ſpaſmodicâ, qua occaſione Sanguinis refluxus non nihil moratus, Ruborem iſtum Faciei & Artuum exhibet, Sanguine ipſo ob tardiorem tranſvaſationem ex Arteriis in Venas, præter Venæ ſectionem nunc oſcula Vaſorum Narium, nunc Uteri per Anaſtomoſin aperiente.

In genere verò & ut plurimùm tutius & ſimul potentius Remedium in Paroxyſmo eſt *Vomitus*, quàm Venæ ſectio, quem etiam ſuadet imprimis Lindanus *in ſuis Scriptis*; adeò ut Vomitoria fortiora Antimonialia, in ſpecie ex Mercurio Vitæ, admodùm commendentur ad Apoplecticos curandos in tempore, ubi non opus Venæ ſectione; quam ipſam tamen rariſſimè adhibendam ſuadet. Et quidem Vomitus optimè ſuſcitat Ægros, & quod aliàs irritando Clyſmate intendunt Practici,

hoc

hoc efficaciſſimè obtinemus Vomitu, præſertim cùm Experientia ejuſdem uſum ſæpiùs comprobaverit. Quantum enim in Apoplecticis valeat Vmiotus, duo egregia habebitis Exempla in *Miſc. Curioſis* Langii *pag.* 1. & 12. ubi ſunt duæ Curæ notatu dignæ propter uſum Vomitoriorum; & Petrus à Caſtro *in Meth. Med.* ſe Vomitoriis ultra ſpem plurimos deſperatos excitaſſe affirmat, & Antimonialia valdoperè commendat. Conf. ulterius Julius Cæſar Claudinus *in Enchirid. pag.* 349. & Poterius, qui *Croci Metallorum vulgaris* granis tribus vehementiſſimum Apoplecticum excitavit, inuncto ſimul Ori *Oleo Cinnamomi*; item Riverius, & alii plures. Infundenda ergò ſemper Vomitoria in formâ liquidâ, ut ſponte quaſi per Gulam defluere queant, (malè enim deglutiunt, propterea ſicci Pulveres non conveniunt,) miſcendo eadem unà cum Vehiculis ſpirituoſis, cum *Aquâ Cinnamomi* ſpirituosâ, ſicut facit Faber, cum Aquâ & Spiritu Salviæ, Spiritu Ceraſorum nigrorum, & ſimilibus, quæ valent excitare Apoplecticos, ut horum medio ſimul Spirituum vigor non nihil promoveatur. Et quidem augenda non nihil in Paroxyſmo Vomitorii doſis, ut & aliorum Remediorum, quæ excitare debeant Ægrum, cum Torpor Ægri inſignem aliàs efficaciam ejus eludat: imò, monente Hartmanno *in Pr. Chymiatr.* duplâ doſi dentur, prout ſcilicet Torpor major minorve eſt. Hinc *Syrupus Emeticus* ad ʒvj. & ʒj. præſcribendus, item Aqua Benedicta *Rulandi.* Eſſentiam quoque Nicotianæ ad ʒij. cum Melle exceptam, & in Os infuſam, potenter educere, laudant Riverius *Prax. lib.* 1. *cap.* 2. & Hartmannus *loc. allegat. pag.* 74. & 81.

*Occurrebat curanda Mulier* vegeta, ſed jam ætatis non nihil decreſcentis, correpta Affectu ex Apoplexiâ & Epilepſiâ quaſi mixto: Vocatus manè, præmiſsâ Venæ ſectione, (utut non tam Affectûs, quàm Adſtantium ratione facerem) præſcribebam Potionem cum *Syrupi Emetici Salæ* ʒvj. capiebat ſine alteratione; denuò ordinabam ʒij. ejuſdem, quas capiebat iterum ſine alteratione: tandem adhuc ʒiij. ejuſdem in paucâ Potione præſcribebam, ut ſucceſſivè caperet, & ſic tandem, aliquoties ſuprà & infrà purgata, meliùs habuit. Poſito, de primâ Miſturâ aliquid deperditum fuiſſe, cùm ex Ore aliquid defluereret, tamen ad minimum ʒj. ad ʒix. hujus Syrupi intra bihorium accepit, nec tamen adeò inſigniter purgata fuit.

*In Paroxyſmo* igitur ante omnia opera danda, *ut excitetur Æger*, & *ut ſervetur Reſpirationis actio & uſus*, quantum poſſibile, integra. Hinc *prioris ratione* Senſuum Organa quæcunque & Partes quævis ſenſiles fortiùs affricandæ: *poſterioris ratione* in Loco non nimis clauſo, aut vapido, ſed temperato, & Aëre libero perflato, ſive extra Lectum, ſi viribus potens, ſive intra hunc, ita ſituandus eſt Æger, ut Corpore erecto quaſi ſedeat, partim pro liberiore Reſpiratione, partim pro Humorum affluxu moderando, partim pro Somnolentiâ arcendâ, ac Sanguinis ebullitione vitandâ; quin & Ventus artificialis ſubinde circa eum faciendus. Mox igitur *Venæ ſectio* inſtituenda in Brachio dextro: quâ peractâ vel *Vomitorium* ordinandum, vel *Clyſma acre*, quod juxta Walæum Sanguinem etiam proliciat, injiciendum. Non differenda Vomitoria, ut monet Lindanus, cùm in forti Apoplexiâ Occaſio præceps; & ſi quid revellere poteſt, ac conſopitum Ægrum ſuſcitare, certè Vomitoria poſſunt. Horum ergò uno alterove adminiſtrato, aut etiam leviori in Malo his penitùs omiſſis, *Clyſterium acrium* & fortiter ſtimulantium uſus ſemper eſt commendatus: quales partim *ſuprà*, *ubi de Lethargo*, videantur, partim & ex dicendis jam patebunt. Perinde enim eſt, ſive ſtimuletur Anus, ſive Vomitus excitetur; quia Inteſtina ſunt Ventriculus continuatus.

Parantur autem ejuſmodi *Clyſteres* ex Salviâ, Lavendulâ, Majoranâ, Origano, Calaminthâ, Centaurio minori, Rutâ, Serpillo, Foliis Nicotianæ, Aſari, Radice Cyclaminis, Pyrethri, Ireos noſtratis, Cortice Radicis Ebuli, Cortice medianâ Sambuci, Semine Urticæ, &c. Quibus incoquatur *Pulpa Colocynthidis* in petiâ ligata, aut addatur *Infuſum aut Decoctum Croci Metallorum* ab ʒj. vel ʒij. uſque ad ʒiv. quod Riverio in uſu fuit: item adduntur commodè *Sal Gemmæ*, aut *Sal Ammoniacum.* Oleoſa omittenda ſunt, quoniam temperando & oblinendo acrimoniam, ſtimulum tollunt, non ſecùs quàm Mellita. His ipſis Clyſteribus commodè etiam addi poſſunt Salia volatilia, ut penetrent, & exſuſcitent Ægros. De horum uſu revulſorio vid. Corthnummius *de Morbo Attou. c.* 66. §. 23. *pag.* 347. Modus præſcribendi eſt notus; e. g.

℞. *Fol. Nicot.*
*Salviæ*,
*Flor. Chamom.* an. M. j.
*Rad. Pyrethri* ʒß. ad ʒvj.
*Pulp. Colocynth. in pet. lig.* (ſubtiliſſima enim ramenta Tormina inferunt) ʒj.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ ſimpl. Colaturæ* ℥ix.
adde
*Mell. Anthoſat. vel Roſat.* ʒß. vel ʒvj.
*Elect. Hieræ picræ cum Agar.* ʒß. ad ʒj.
*Caſtor. pulveriſ.* ℈j. ad ʒß.
*Salis Gemmæ* ʒß. vel ℈ij.
M. f. Clyſter. S.
Clyſter Revellens.
Vel
℞. *Herb. Serpilli*,
*Fol. Nicotian.*
*Summ. Centaur. min.* an. M. j.
*Flor. Lavend.* M. ß.
*Rad. Pyrethri*,
*Ireos noſtrat.* an. ʒiij.
*Sem. Urticæ* ʒij.
*Pulpæ Colocynth. in pet. lig.* ʒiß.
Coqu. in ſ. q. *Urinæ humanæ*:
In Colaturæ ℥viij. diſſolve
*Elect. Hier. cum Agar.* ʒj.
*Extr. Troch. Alhand.* ℈ß.
*Eſſ. Caſtor.* ʒj.
M. pro Enemate.
D. S. ut ſuprà.
Vel
℞. *Flor. Chamom.* M. j.
*Rad. Pyrethri* ʒvj.
*Sem. Aniſi* ℥ß.
*Pulp. Colocynth. in pet. lig.* ʒi.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ communis*: Colaturæ ℔j. adde
*Elect. Hier. cum Agar.*
*Mell. Mercurial.* an. ʒj.
*Olei deſtillat. Bacc. Junip.* ʒß.
M. pro Clyſmate:
D. S. ut ſuprà.
Vel
℞. *Dec. Rutæ*, in quo ʒß. *Croci Metallor.* decocta, ℥ix. adde
*Fellis Tauri inſpiſſ.* ʒiß.
*Extr. Troch. Alhand.* ℈ß.
*Mell. Anthoſ.* ʒiß.
M. pro Clyſtere:
D. S. ut ſuprà.

Vel

Vel

℞. *Decoct. Flor. Chamom.* ℔ß.
*Infuſ. Croci Metall. cum Vino* ʒij. vel iii.
*Mellis* ʒß. ad ʒi.
M. pro Clyſtere.
D. S. ut ſuprà.

Vel

℞. *Decoct. Emoll. uſit.* ℔ß.
*Elect. Lenitiv.* ʒß. ad ʒi.
*Syr. Emet. Ang. Salæ* ʒvi. ad ʒj.
M. f. Enema.
D. S. ut ſuprà.

Cautelas circa horum Compoſitionem videbitis in Corthnummio *l. a. p.* 311.

Quin imò urgente neceſſitate *Clyſma ex Juſculo quodam communi*, addito *Lixivio*, vel cum *M. j. aut ii. Salis Communis* acuato, addito *Infuſo* vel *Syrupo Antimoniali* in duplâ vel triplâ doſi, imò interdum quadruplâ doſi, extemporè infundi poteſt.

Adeoque hæc Enemata frequentiùs erunt repetenda, præprimis ſi non adeò diu ſubſiſtant: aut ipſis ſubſtituantur *Suppoſitoria* pariter acerrima: e.g.

℞. *Rad. Helleb. albi pulveriſ.*
*Scamm. ſulphurat.*
*Troch. Alhand.* an. ʒß.
*Caſtor. pulver.* gr. viij.
*Sal. Ammoniaci* ʒj.
Cum ſ. q. *Mellis* f. Suppoſitorium.
D. S.
Acre Suppoſitorium.

Cum his ipſis & *Aquæ Vitæ Spirituoſæ*, *Apoplecticæ*, ut vocant, &c. inſtillantur Ori, Faucibus, acuandæ præſertim *Salibus* & *Spiritibus Urinoſis & Oleoſis*: verbi gratiâ Mixtura in Paroxyſmo uſurpanda præmiſſis præmittendis ſit talis:

℞. *Aquæ Apoplect. opt.* ʒj.
*Lil. convall.* ʒß.
*Quintæ Eſſentiæ Matthiol.* ʒii.
*Liqu. Cornu Cervi* ʒj.
*Syr. Flor. Tunic.* ʒß.
M. S.
Suſcitans Mixtura, cochleatim ſumenda.

Vel

℞. *Aquæ Lil. convall.* vel *Ceraſor. nigr. Menthæ* an. ʒiß.
*Spiritûs Ceraſ. nigr.* ʒvi.
*Liq. Cornu Cervi ſuccin. ritè par.* vel *Spiritûs Sal. Ammoniaci*, vel *Sanguinum.* aut *alîus volat.* ʒiß. ad ʒiii.
*Ol. deſt. Succini* gutt. iv. vel vi.
*Syr. Flor. Tunic.* ʒß.
M. S. ut antè.

Cochleatim uſurpetur crebriùs in Paroxyſmo apoplectico.

Additur *Spiritus Ceraſorum nigrorum*, qui optimus eſt internè in Paroxyſmo apoplectico; vid. Keſlerus *in Proceſſ. Chymic.*

℞. *Aquæ Flor. Lavend. Salviæ* an. ʒi.
*Epilep. Lang.* ʒvi.
*Eſſ. Caſtor.* ʒiß.
*Spiritûs Sal. Ammoniaci* ʒi.
*Ol. deſt. Succini* gutt. viij.
*Syr. de Stœchad.* ʒi.
M. S. ut ſuprà.

Vel

℞. *Aquæ Epilep.* vel *Apoplect. Lang.* ʒii.
*Spiritûs Serpill.* ʒii.
*Liqu. Cornu Cervi ſuccin.* ʒi.
*Syr. Flor. Tunic.* ʒiii.
M. S. ut ſuprà.

Pertinent huc Mixturæ in Paroxyſmo Epilepſiæ ſuprà *c. 2. Artic. 1.* præſcriptæ: Item

℞. *Aquæ Apoplect.* ʒii.
*Hirund. cum Caſtor.* ʒi.
*Spiritûs Theriacal. camph.*
*Liq. Cornu Cervi ſuccin.* an. ʒiii.
*Conf. Alcherm. compl.* ʒß.
M. S. ut ſuprà.

Vel

℞. *Aquæ Lil. convall. cum Vin.* ʒiß.
*Flor. Samb.* ʒj.
*Carmin.* ʒß.
*Liqu. Cornu Cervi ſuccin.* ʒiß.
*Conf. Alcherm. compl.* ʒj.
M. S.
Mixtura pro Capite confortando.

Vel

℞. *Aquæ Ceraſ. nigr.* ʒij.
*Spiritûs Ceraſ. nigr.*
*Theriac. ſimpl.* an. ʒß.
*Syr. Flor. Tun.* ʒvj.
M. S.
Potio Caput confortans.

Facit huc *Electuarium Arcanum Timæi von Guldenklee contra Apoplexiam & Epilepſiam*, præſertim ſi juncta Aphonia, quæ inter Symptomata Apoplexiæ maximè terribilis eſt; imò contra omnes Soporoſos Affectus, uti contra Suffocationem Hyſtericam. Mixtura ejus eſt hæc.

℞. *Salis vol. Succin.* ʒß.
*Theriac. Androm.* ʒiß.
*Pulv. Caſtor.* ʒij.
*Olei deſtillat. Rutæ, Succin. Roriſmar.* an. gutt. iij.
M. f. Opiata:

De qua, quantum cuſpis Cultelli capit, diſſolvatur in *Aquâ* quadam *Apoplecticâ*, vel *Epilepticâ Langii*, vel in Aquâ Hirundinum cum Caſtoreo, vel in Aquâ ſpirituosâ Lavendulæ, & Ægro in Os infundatur, ut deglutiat, ſimulque Lingua, Palatus & Partes vicinæ hoc ipſo Electuario fortiter fricentur.

Porrò *Theriaca* & Extractum Theriacale cum Extracto Salviæ, Rutæ, Caſtorei &c. & cui aliquid Salis volatilis Succini, Olei deſtillati Succini, Rutæ &c. & Camphoræ additum fuit, pro fricandâ Linguâ, Palato, & Partibus vicinis admodùm laudantur, ut dictæ Partes in ſenſu & motu redeant. Dictæ etiam *Partes fricari poſſunt* cum Spiritu Theriacali, vel ſimplici vel probè camphorato; item cum Spiritu Liliorum convallium, Meliſſæ, Ceraſorum nigrorum rectificato, vel ſolitario, vel cum paucis guttis Olei deſtillati Cinnamomi aut Caryophyllorum acuato; item Eſſentiâ Caſtorei & ſimilibus.

Vel

℞. *Aquæ Lil. convall. cum Vino* ʒij.
*Spiritûs Bacc. Junip.* ʒj.
*Eſſ. Caſtor.* ʒiij.
*Salis vol. Aromat.* ʒß.
M. D. S.
Mixtura ad Palatum.

Si his præmiſſis poſt horæ quadrantem non redeat ad ſe Æger, repetantur, & Naribus ſequens *Sternutatorium* forte & acre infletur:

℞. *Rad. Helleb. albi, Pyrethri,*
*Fol. Majoran.*
*Flor. Lil. convall.*
*Caſtor.* an. ʒj.
M. f. Pulvis Sternutatorius, Naribus inſufflandus:
D. S.
Suſcitans Pulvis Sternutatorius.

Vel

Vel

℞. *Flor. Lil. convall.* ʒj.
*Rad. Helleb. alb.* ℈j.
Pulveriſatis adde
*Olei deſtillat. Caryoph.*
*Major.* an. gutt. iij.
M. S. ut antè.

Naribus etiam, pro ſuſcitandis Apoplecticis, ſubinde objiciuntur Odores acres, præſertim ex Salibus volatilibus & Spiritibus urinoſis penetrantioribus, in Liquore aqueo diſſolutis: imprimis Spiritus Urinæ, Liquor Cornu Cervi ſuccinatus, & Spiritus Salis Ammoniaci: item Balſama Apoplectica, & Cephalica, e. g. Rutæ, *Scherzeri*, &c. Vel pro Temporibus & Naſo:

℞. *Aquæ Meliſſ.*
*Lil. conv. cum Vino* ℥ij.
*Aquæ Apopl.* ℥j.
*Acet. Rutæ* ʒij.
M. D. S.
Aqua pro Temporibus & Naſo.

Convenit etiam Suffitus Caſtorei, & Suffitus Succinatus, Naribus admotus.

Hinc *Succinum* & omnia *Succinata*, uti in Hyſtericis aliiſque ſpaſmodicis Affectibus nulli cedunt, ita perquàm egregia ſunt in Apoplexiâ, & præſervandâ & curandâ. Imprimis in Apoplexiâ curandâ Oleum & Sal volatile præcellit; in præſervandâ verò Succinum præparatum, vel etiam Succinata quæcunque. Guttæ iij. vel iv. Olei deſtillati Succini, cum Aquâ appropriatâ in Paroxyſmo infuſi, mirificè commendantur in Paroxyſmo apoplectico: hinc Rhumelius *in ſuo Antidot. P.* 1. *pag.* 167. parat *Oleum* peculiare ex Succino, quod vocat *Apoplecticum*, dum *Oleum Succini non rectificatum* miſcet cum dimidio *Olei Roriſmarini*, ſuperaffundit Aquam fontanam, & ita per Veſicam deſtillat: ſicque Oleum rectificat. Doſis ſunt guttulæ vj. ad xij. vel xv. pro uſu interno in Aquâ appropriatâ. Externè eodem inunguntur Vertex, Tempora, Nucha, & Spina Dorſi: additâ Camphorâ paucâ efficacius Medicamentum fit. Similiter digerendo Succinum cum Oleo Fuliginis inſigne aliquod Apoplecticum fieri poteſt. Hinc ſola Eſſentia Succini, præſertim cum Spiritu Ceraſorum nigrorum, vel Liliorum convallium mediante Spiritu Vini Malvatici abſtracto, parata, à guttulis xxx. vel xxxx. Ori indita, loquelam reſtituit Apoplecticis. Item à quibuſdam inſtillantur Auribus Aquæ Apoplecticæ; nam Petrus Johannes Faber Apoplecticis propinat Vomitorium internè, & Auribus atque Naſo inſtillat Eſſentiam Caryophyllorum, Eſſentiam Thymi cum tantillo Oleo Cinnamomi: vid. *in Curat.* 40. *Camphora* pariter, & Oleum, & omnia Camphorata, his ipſis inſtillandis & affricandis commodiſſimè adduntur.

Cum dictis ſubinde ſimul fiant *externæ Inunctiones* Verticis, Nuchæ & Temporum, cum *Oleis deſtillatis*, & ex iis paratis *Balſamis Apoplecticis*, aut Cephalicis. Sufficiunt Oleum deſtillatum Succini, Majoranæ, Lavendulæ, Spicæ, Roriſmarini, Salviæ, Cinnamomi, Caryophyllorum, & ſimilia: Item Emplaſtrum Nervinum, malaxatum cum Oleo deſtillato Lavendulæ & Succini, Vertici imponitur; vel Unguentum, quod deſcribit Deckers *in Praxin Barbette p.* 22.

℞. *Olei expr. Nuciſt.* ʒiß.
*deſtillat. Rutæ* ℈j.
*Spicæ*,
*Succini* an. ℈ß.
M. D. S.
Balſamus Cephalicus.

Vel

℞. *Olei Petræ alb.* ʒij.
*deſtillat. Succ.* ʒj.
*Lavend.*
*Major.*
*Salviæ* an. ℈i.
Miſc. cum vel ſine *Corpore*:
D. S.
Balſamus pro Capite confortando.

Ejuſmodi Inunctiones etiam commodè regioni ſtomachali poſſunt inungi, ſuperimponendo *Laterem calefactum.*

Sed *Obſervandum*, ut hujuſmodi *Odorata oleoſa* non nimis largiter aut copiosè dictis locis illinantur; non omnes eadem ferre poſſunt, & redeuntes ad ſe Ægri de inſigni Capitis perturbatione & gravitate ex Oleorum hujuſmodi fumoſorum illinitione conqueruntur.

*Si non redeat ad ſe Æger*, unum alterumve repetendum venit; v. g. *Vomitoria* ſubinde reiteranda, injectis deſuper *Clyſteribus*, Extremorum vellicationem, punctūram, & ſimilia, quæ Externos Senſus afficiunt, continuando. Horum quidem effectum Sylvius *Pr. l. a.* §. 99. 100. *&c.* in dubium vocat. Verùm quantum Frictio plantarum Pedum cum *Muriâ acri*, aut hujus loco cum *Aceto* & *Sale*, cum *Setaceo* proſit ad excitandos tales, videbitis in M.A.N.C. *Ann.* 8. *Obſerv.* 96. *pag.* 160. Punctūrarum verò efficaciam videbitis in Heinrico *ab* Heer *Obſ.* 21. Quin etiam *Rubefacientia* & *Veſicatoria* ampla juxta Williſium ponè Aures, Cervici, Brachiis, præſertim in Carpi parte internâ, & Cruribus prope Inguina, Suras, &c. applicanda. *Si redierit Æger ad ſe nonnihil, ſed non ſufficienter*, Interna *Spirituoſa* continuanda, *Veſicatoria* applicandâ, quin, & *Cucurbitulæ*, nunc cum nunc ſine Scarificatione, Scapulis, & Brachiis admovendæ: qualia Heinricus ab Heer *Obſ.* 21. commendat: aliaque adminiſtranda, prout Æger ad ſe rediens de uno alterove Symptomate magis, vel minùs querulus fiat.

*Mulier* conſtitutionis alias robuſtæ, ætatis jam tum conſiſtentis, & cui ordinariò adhuc fluebant Menſes, ex improviſo, prægreſſo anxioſo Cordis ſenſu, & Scotomiâ inſequente, corripitur Apoplexiâ, quæ mox in Hemiplegiam lateris ſiniſtri terminabatur, ſubinde tamen Inſultu apoplectico recurrente: hinc mox vocatus, idque veſperi horâ ſextâ, præſcribebam *Potionem* ex volatilibus, & ſpirituoſis Cephalicis, unà cum *Clyſmate* acri, & *Balſamo* pro Naribus, Nuchâ, & Præcordiis, ex Cephalicis odoriferis, hinc poſt cœnam, propter recurrentes ſæpiùs Inſultus apoplecticos, *Vomitorium Antimoniale* ex Syrupo Emetico ad ʒvj. aliquantulùm, ſed non adeò copioſè, evacuans. Die ſequente Solis cùm ſaltem eſſet Hemiplectica, imperabam *Venæ ſectionem* in latere Parti affectæ oppoſito, Potionem ex volatilibus, & ſpirituoſis continuando: Die Lunæ ad imitationem Hartmanni *in Praxi Chymiatr.* præſcribebam.

℞. *Conſ. Flor. Tunic.* ʒj.
*Mercurii Vitæ* gr. ij.
*Reſ. Scamm.* gr. iv.
Miſc. pro *Bolo.*

Laxabat parùm, ipsâ Ægrâ intereà ſemper; quoties deteriùs haberet, primariò de Præcordiorum anguſtiâ conquerente: Hinc propter Capitis perturbationes adhuc reſiduas, *Sternutatorium* forte ordinabam.

℞. *Pulv. Lil. convall.* ʒj.
*Rad. Helleb. alb.* ℈j.
*Olei deſt. Caryoph.* gutt. iv.
Miſc.

Hinc

Hinc pro uſu interno :

℞. *Aquæ Lil. convall.*
*Ceraſ. nigr.*
*Menthæ* an. ʒj.
*Spiritûs Ceraſ. nigr.* ʒvj.
*Salis volat. Cornu Cervi* gr. xv.
*Cinnab. Antimonii* ℈j.
*Syrup. Flor. Tunic.* ʒj.
Miſc. pro Potione.

*Externè* pro Membris hemiplecticis, ter quotidie inungendis, poſt prægreſſam fortem eorundem Frictionem, item pro illinendâ Spinâ Dorſi :

℞. *Olei Petræ albi* ʒß.
*deſt. Spicæ*,
*Lavend.*
*Majoran.* an. ℈ij.
*Succini* ʒj.
Miſc.

Item pro eodem uſu :

℞. *Spir. Vini camph.* ʒiij.
*Spir. Lumbr. terreſtr. per putrefact.* ʒiß.
*Eſſent. Caſtor.* ʒvj.
Miſc.

Spiritus hic blandè calidus probè affricabatur Partibus ; hinc Oleum præſcriptum illinebatur.

Porrò iſtis ita ordinatis pro uſu interno præſcribebam.

℞. *Extr. Helleb. nigr.* gr. xvi.
*Caſtor.* ℈ß.
*Troch. Alhand.* gr. iv.
*Ol. deſtill. Succ.* gutt. ij.
*F. Pilulæ.*

Hinc pro promovendo non nihil Sudore ad imitationem Poterii præſcribebam :

℞. *Raſ. Ligni Saſſafr.* ʒij.
*Herb. Roriſmar. rec.* M. ij.
*Bacc. Junip. rec.* ʒij.
Coq. in *Aquæ*, & *Vini* ana ℔iß. in Cucurbitâ, cum Alembico clausâ :
Colaturæ & Liquori deſtillato, adde
*Spiritûs Bacc. Junip.* ʒiv.
*Sal. Ammoniaci ſimpl.* ʒiij.
*Syr. Flor. Tun.* ʒiij.
Miſc.

Potionem hanc hauſit quotidie ter, mane, à meridie, & ingruente nocte, exſpectancto Sudorem, meliùs exinde aliquantulùm habuit, ſubinde etiam Liquorem Cornu Cervi ſuccinatum hauſit, &c. *Pediluvium* ex Nervinis Aquæ ſimplici incoctis quotidie fervidè bis uſurpavit, idque Pedi optimè profuit. Hinc pro continuandis Externis in Brachio ordinavi :

℞. *Sem. Sinapi* p. j.
*Bacc. Junip. rec.* p. ij.
Contuſ. infund. in f. q. *Spiritûs Vini*, vel *Spiritûs Bacc. Junip.*

Hinc tam cum ipſo Spiritu imprægnato, quàm Magmate reſiduo, fricentur ſæpiùs Membra.

Sed cùm Malum eſſet contumax, ita ut licèt utcunque meliùs haberet, Hemiplexia tamen eandem adhùc affligeret, ad imitationem Poterii præſcripſi.

℞. *Aquæ Ceraſ. nigr.* ʒvj.
*Spiritûs Theriacal.* ʒß.
*Auri Diaphor.* ℈ß.
Miſc.

Capiebat veſperi, idque repetitis vicibus. Primis duabus vicibus anxietatem quandam circa Præcordia percepit, hinc Calor quidam ſenſilis in univerſo Corpore erupit, quem levis Sudor ſecutus fuit : tertiâ vice horâ nocturnâ tertiâ idem *Aurum Diaphoreticum* cum Aquâ Vitæ juniperinâ accipit, unde per quatuor horas optimè dormivit, & Sudore largo ubique perfuſa fuit, ac quoad cætera optimè ſe habuit. Sanè ex omnibus etiam volatiliſſimis aſſumptis talem ſenſilem operationem, ac elegantem adeò Sudorem nunquam, ac ab hoc Pulvere fixo, percepit. Saltem adhuc Brachium in articulatione Humeri graviter dolebat, pro quo tollendo Spiritum Vini, & deſuper Balſamum Peruvianum, frequenter illinivit, exque hujus uſu meliùs habuit.

*Diſcuſſo* ita *Paroxyſmo*, inſtituenda *Cura Præſervatoria*, tam in iis, qui jam ſemel Apoplexiâ tacti fuerunt, ut præcaveatur crebra Recidiva, quàm in iis, qui futuram aliquando Apoplexiam metuunt : Cujus *Prodromi* ſunt : ( in Habituali tunc dictâ ) Dolor Capitis, Vertigo, Tumor Carotidum, Memoriæ debilitas, ſpontaneæ Oculorum illachrymationes, Scotomiæ, Incubus, Vocis tarditas, & hæſitantia, Oris diſtorſiones, Dentiumque ſtridores in Somno, Stupor frequens Brachii, aut Pedis, aut etiam Refrigeratio extremarum Partium. In his *pro Præſervatione*, præmiſſis Digeſtivis convenientibus, *Purgatio* conveniens inſtituenda, & poſtmodùm *Sudoriferis* præ cæteris opera danda ; cùm Sudorifera, aliàs maximoperè ſint apta ad curandos Apoplecticos, & hæc ipſa Sudorifera mirificè commendat Lindanus : quòd nempe eadem ipſa admodùm conveniant in Curâ Apoplexiæ. Simul quoque Stomacho proſpiciendum, ut Digeſtio prima, quantum poſſibile, conſervetur in naturali modo, idque reſpectu Apoplexiæ Poſitivæ Aromatibus, ut Cerebrum, ac Syſtema Nervoſum in debitâ conſtitutione, ac tono retineatur.

*Remedia* aliàs *quæ in Paroxyſmo Ægros excitant Apoplecticos*, aut eos excitatos præſervant à Recidivâ, ſunt ferè ſequentia, aliàs generali *Cephalicorum*, & *Stomachicorum* nomine nota ; nempe Salvia, Ruta, Origanum, Chamædrys, Chamæpitys, Calamintha, Pulegium, Semina Carvi, Fœniculi, Aniſi, Sinapi, Erucæ, Ceraſa nigra, Radix Angelicæ, Ariſtolochiæ rotundæ, Caryophyllatæ, Valerianæ, Vincetoxici, Flores Stœchados Arabicæ, Lavendulæ, Anthos, Primulæ veris, Liliorum convallium, &c. Præ cæteris *Salvia* hîc eſt in uſu, cujus Salviæ continuatus uſus, & quælibet ex hac parata, item Vinum Salviatum, &c. mirè commendatur à Kypero *in Collegio Practico*. In Cubebis, Cardamomo, Semine Sinapi, & Erucæ, ſingularia latent Remedia ad præſervandam Apoplexiam Senum, ita ut dicant, nihil potentiùs eoſdem præſervare, imprimis ſi omni mane, & veſperi Seminis Erucæ, vel Sinapi, & Cubebarum pulveriſatarum aliquantulum, & crebriùs ſumatur ; videat. Tabernæmontanus & Schneiderus *de Catarrhis* : hinc quidam recipiunt grana vj. vij. x. xij. ad xv. & xx. *Seminis Sinapi*, eaque mane jejunè leviter maſticata deglutiunt ad præcavendam Apoplexiam ; vel pulveriſetur, & cum Aquâ Florum Lavendulæ ſpirituoſâ uſurpetur. Stœckerus in *Praxi* expertum Remedium contra Apoplexiam ſequentem *Pulverem* dicit eſſe :

℞. *Cardamom.* ( ratione Cerebri ) ʒß.
*Sem. Coriandr.* ( ratione Stomachi ) ʒij.
*Erucæ*, vel *Sinapi albi* ʒß.
Miſc. f. Pulvis pro aliquot doſibus.

De hoc ſumatur circa introitum lecti.

Ad hujus imitationem

℞. *Sem. Sinapi albi* ℔ß.
*Cochlear.* ʒj.
*Cardamom.* ʒß.
Miſc.

Miſc. & pulveriſ.
D. S.

Pulvis Cephalicus pro aliquot doſibus.

Sumatur circa introitum lecti pro aliquot doſibus: Eſt egregium Præſervativum in puncto Apoplexiæ metûs. Vel, quod aliis placet, commodiùs ſub formâ *Electuarii* hoc Semen uſurpetur.

℞. Tres *Caricas pingues* minutim conciſas:
adde
*Sem. Sinapi albi*, ſeu *Erucæ* cochl. i.
Miſc. in Mortario, addendo
*Aquæ Lavend. ſimpl.* vel *ſpirituoſ.* cochl. j.
*Succi Violar.* ʒß. vel q. pl.

De quo ſit doſis omni mane magnitudo Juglandis; certè præſervat ab Apoplexiâ, teſte Schmuckio *Theſ. 2. Secret. Med. 16.* Vel

℞. *Caric. pingu.* Num. vj.
Inciſ. & contuſ. adde
*Sem. Sinapi albi*, ſeu *Erucæ* ʒß. ad ʒvi.
*Cardamom.* ℈i. ad ʒi.
Miſc. exactè; adde ſimul
*Spiritûs Lavendul.* Cochl. j.
vel cum *Syr. Flor. Tunicæ* vel *Borrag.* f. Electuar.
D. S.

Electuarium Cephalicum.

De quo omni mane doſis Juglandis magnitudine capienda; à meridie Spiritus Carminativus de Tribus, vel Spiritus Salis Ammoniaci aniſatus.

In genere omnes Authores commendant Semen Sinapi, & Erucæ pro Præſervativo; ſiquidem Sal volatile Sinapi, & Erucæ ſpecificam vim in Apoplexiâ obtinet, & ab eâ præſervat; unde etiam in Paroxyſmo *Spiritus Seminis Erucæ* urinoſus cum Calce vivâ paratus (de quo videb. in *Colleg. Pharmacop. in Schrœderum part. 1. ſect. 1. pag.* 465.) cum *Aquis Apoplecticis* miſceri, & ita commodè adminiſtrari poteſt. Notum aliàs etiam eſt, quantum valeant omnia Remedia *ex Ceraſis nigris dulcibus* parata, quòd nempe hæc ipſa ſingulariter conveniant: imprimis Spiritus Ceraſorum nigrorum mirificè à Keſlero extollitur, ceu ſummum Remedium ad reſuſcitandum Epilepticos, & Apoplecticos in Paroxyſmo, & curandos extra Paroxyſmum, & in ſpecie Loquelam reſtituendam. Vid. ejuſdem *Proceſſus paginâ* 370. ubi aſſerit, ſe quandam Nobilem, quæ per tres dies jacuerat deſperatè Apoplectica, beneficio Spiritûs Ceraſorum nigrorum denuò curaſſe, vel reſtituiſſe. Ad hæc Volatilia, tam in Paroxyſmo, quàm extra Paroxyſmum, pertinet Spiritus Vitrioli volatilis quicunque. Qui non habent genuinum, faciant *Spiritum Vitrioli Apoplecticum* ex *Spiritu Vini*, & *Vitriolo*, fiunt Spiritus Sulphurei exinde optimi. Modus eſt hic:

℞. *Vitriolum* imprimis *Hungaricum* ad Solem *calcinatum* vel *Caput mortuum Vitrioli* diuturnâ *expoſitione Aëri* de novo *impregnatum*.
Miſce, & irrora ad conſiſtentiam Pultis cum ſ. q. *Spiritûs Vini à Plantis Aromaticis abſtracti*: Stent per aliquot ſeptimanas in digeſtione, deſtillentur in igne aperto, prout deſtillantur Mineralia. Pòſt Spiritus aliquandiu ſtet in Digeſtione, tandem ex Cucurbitâ deſtilletur per Alembicum, tunc prodit Spiritus ſtriatim: Nebulæ quando proveniunt, mutetur Receptaculum, & capiatur Spiritus Vitrioli volatilis. Spiritus hi miſti aliquamdiu digerantur, de novo per Balneum cohobentur, & aſſerventur pro uſu ſub nomine *Spiritûs Vitrioli Cephalici*, vel etiam *Epileptici*.

Quidam non malè Spiritum Ceraſorum nigrorum, Vitriolo in Sole probè calcinato affundunt, aliquot cohobiis abſtrahunt, & ita Spiritum Vitrioli quodammodò volatilem Antiapoplecticum egregium acquirunt.

Ex dictis, & ſimilibus fiunt ſimul ordinariò *Aquæ Apoplecticæ* ſpirituoſæ, quæ ſunt Spiritus volatiles inflammabiles ab Aromatibus largiter impregnatæ. Ordinariò parantur ex Aromatibus, in ſpecie Salinis volatilibus oleoſis, verbi gratiâ ex Salviâ, Roremarino, Rutâ, Floribus Liliorum convallium, Origano, Fœniculo, Floribus Lavendulæ, Stœchados Arabicæ, Anthos, & ſimilibus: E. gr. fit *Spiritus*, ſeu *Aqua Apoplectica* B. D. *Moebii*. Compoſitio eſt hæc.

℞. *Flor. Lilior. convall.* ℔vj.
*Cinnamom.* ℔j.
*Zedoar.* ℔ß.
*Croci* ʒi.
*Macis*,
*Caryophyll.* an. ʒß. ad ʒiß.
Digere in *Vino Hiſpan.* q. ſ. per menſem: Spiritu deſtilla per veſicam, abſtrahendo ſaltem Spiritum volatilem aromaticum, quem ſerva: Hinc
℞. *Rad. Valerian.*
*Vincetox.*
*Pæon.* an. ʒij.
*Fol. Meliſſ.*
*Botryos*,
*Roriſmar.* an. M. iij.
*Flor. Tiliæ* M. vj.
*Lavend.*
*Spicæ*,
*Salviæ*,
*Thymi* ana M. i.
Miſta macerentur in *Spiritu ſuperiore* per menſem, clauſo Vaſe, & benè munito: Tunc deſtilla per Veſicam, addendo iterum *Vini Hiſpan.* q. ſ. Tandem rectificentur in Balneo Mariæ ſuper *Ambrâ*, *Moſcho*, & *Camphorâ*, & habebitur Spiritus mirandarum virtutum, & egregiè Apoplecticus.

Poteſt hic inſervire ſimul pro Spiritu Vitrioli Cephalico, vel Apoplectico curando, pro Spiritu Vitrioli volatiliſando: de quibus ſuperiùs monui.

Sed non immeritò quæritur: *An tutò ſatis hæ Aquæ poſſint adminiſtrari in Paroxyſmo?* Nego: Hæ ipſæ enim Aquæ interdum plùs nocent, quàm proſunt. Nam

1. Hujuſmodi Spiritus inflammabiles cùm ſint Oleum reſolutum, vi inebriativâ, & narcoticâ pollent, adeòque metus eſt, ne copioſo uſu ſubinde Narcoſis, & Stupor intendatur. Moderatè ergò illis erit utendum, præprimis ſi à Sanguine fuerit Malum, utpote quem magis turgeſcere faciunt: Vid. Crato *lib. 1. Conſil. 5.* Sennertus *loc. alleg. Quæſt. 4.* & Hoechſtetterus *in Dec. 9. Caſ. 5. pag.* 334.
2. Non paucæ ſunt Mulieres imprimis, quæ talia Spirituoſa non ſemper poſſunt ferre, quin Paroxyſmos Hyſtericos incurrant.
3. Etiam Viri, in ſpecie Literati, quorum genus nervoſum debilius, minùs poſſunt ferre talia Spirituoſa fortiora odorifera, quin percipiant aliqualem Capitis gravedinem, tenſionem circa Tempora, & ſimilia.

In his ergò, & ſimilibus Caſibus non conveniunt: Propterea magis laudantur Salia Volatilia oleoſa, i. e. Salia Volatilia Oleis deſtillatis juncta, vel hujuſmodi Spiritibus ſociata, ut ita Aromatum efficacia à Spiritibus Urinoſis intendatur, & noxa à Spiritibus Sulphuratis metuenda præcaveatur. Plethorici tamen ad Apoplexiam proni Salia volatilia oleoſa internè non ferunt, utut optimè externè, ſed potiùs macra. Spiritus ergò Uri-

noſi volatiles, & Salia Volatilia Urinoſa macra, ad Sudorem maximè diſponentia, magis conducunt.

Porrò *Caſtorei* Eſſentia, & omnia ex Caſtoreo parata Remedia, Spirituoſis miſta, ſpecificè commendantur, & inſigniter conducunt: quibus addantur Spiritus Vegetabiles Liliorum convallium, Spiritus Baccarum Juniperi, & Ceraſorum nigrorum, Serpilli, Lavendulæ, Theriacalis camphoratus; Spiritus Vini camphoratus aliis admiſtus, vel etiam Ori infuſus eſt ſatis penetrans: Aqua Magnanimitatis, ſeu Spiritus Formicarum *Laurembergii* admodùm conducit in Apoplexiâ; Aqua, & Spiritus Apoplecticus *Mynſichti*, Aqua Apoplectica *Kolreuteri*, *Langii*, & *Hartmanni*, Aqua, & Elixir Vitæ *Matthioli*, Aqua Anhaltina, Hirundinum cum Caſtoreo; Aqua Angelicæ, Serpilli, Cinnamomi, Liliorum convallium, Salviæ, &c. cum Vino paratæ. De *Eſſentiis Vegetabilium* nihil addo. *Spiritus*, *& Sal volatile Secundinæ humanæ* Specificum fuit Cnoeffelii in curandâ Epilepſiâ, & Apoplexiâ. Præ cæteris *Spiritus Sanguinis humani* eſt commendatum Remedium Graſſeccii, & quem etiam, ceu ſingulare Specificum, admodùm laudat Hartmannus *in Praxi Chymiatr.* & Helmontius *Tractat. Spiritus Vitæ*; uti etiam Spiritus Cranii humani, & poſt hunc Sal volatile, Spiritus, & Aqua ſpirituoſa Cerebri humani, etiam ſunt egregia Remedia in Apoplexiis: quibus ab aliis ſimul additur & ſpecificè laudatur *Spiritus Fuliginis*; Item *Spiritus Salis Ammoniaci*, tam ſimplex, quàm cum *Camphorâ* junctus, & legitimè unitus, fit Spiritus volatilis penetrantiſſimus: Item Spiritus Salis Ammoniaci ſuccinatus ac lavendulatus. Salia enim Volatilia propter inſignem penetrantiam, & quòd excellant vi ſudoriferâ, in Apoplexiâ Privativâ maximè utilia ſunt, cum præcaveant tranſitum in Paraplegiam, quæ optimè curatur per Salia Volatilia, Sudorem expectando. Hinc conveniunt etiam ulteriùs Spiritus & Salia Volatilia reliqua, Cranii humani, Sanguinis humani, & Sanguinis Cervi, Viperarum, Succini; hinc Spiritus Cornu Cervi, & Liquor Cornu Cervi ſuccinatus D. *Michaëlis* perquam egregii ſunt ad quoſvis Soporoſos & imprimis Apoplecticos Affectus excitandos.

Ex dictis variæ *Formulæ* præſcribi poſſunt; e. g.

℞. *Quintæ Eſſentiæ Roriſm.* ʒiiß.
*Lavend.* ʒiß.
M. S.
Eſſentia Cephalica.

Doſ. 20. gutt. omni mane: Veſperi uſurpari poteſt *Spiritus Salis Ammoniaci* ad 30. gutt. vel *Liquor Cornu Cervi ſuccinatus.*

℞. *Eſſ. Caſtor.* ʒiij.
*Quinta Eſſentia Roriſm.* ʒj.
M. S. ut ſuprà.

Doſis ad 30. vel 40. guttas.

Quô etiam pertinet *Eſſentia* compoſita ex ana *Salviæ*, *Zedoariæ* & *Caſtorei*, cum *Spiritu Salis Ammoniaci* extracta.

Vel

℞. *Eſſent. Succini*, vel *Caſtor. vinoſ.* ʒiß.
*Spiritûs Sal. Ammoniaci aniſ. ſuccin.* an. ℥j.
M. S. ut ſuprà.

Doſis 30. ad 40. gutt. bis in die.

In metu Apoplexiæ Aviæ meæ non ſine ſucceſſu præſcripſi ſequentem Mixturam:

℞. *Aquæ Flor. Tiliæ*,
*Lavendul.*
*Prim. ver.* an. ℥j.
*Apoplect.*
*Spiritûs Ceraſ. nigr.* an. ʒiß.
*Eſſ. Primul. veris* ʒiij.
*Salis vol. Succini* ʒß.
*Syr. Flor. Tunic.* ℥iß.
Miſc.

Doſis 2. cochlear. ſingulis tribus horis.

Eidem Aviæ, crebrâ Scotomiâ cum inſigni Actionum Animalium imbecillitate correptæ, præſcripſi:

℞. *Aquæ Menth.*
*Lil. convall. cum Vin.*
*Ceraſ. nigr.* an. ℥j.
*Spiritûs Ceraſ. nigr.* ʒiij.
*Eſſ. Caſtor.* ʒiß.
*Salis vol. Cornu Cervi* ϑj.
*Succin.* ϑß.
*Syr. Flor. Tunic.* ℥ß.
Miſc.

Huc quoque pertinent Mixturæ *ſuprà* in Paroxyſmo Vertiginis *cap.* 1. præſcriptæ; quibus ſemper Eſſentia Caſtorei addi poteſt.

Hiſce tandem meritò annumerandum eſt *Aurum Diaphoreticum Poterii*, quod ritè paratum, cum Conſervâ Florum Tunicæ aſſumptum, eſt perquàm egregium: item *Cinnabaris Antimonii*, & *Cinnabarina*, hinc de Specificis Cephalicis pro Præſervatione capiendis res nota eſt, cùm in genere quævis Antepileptica etiam fere ad Apoplexiam laudentur. Ex. grat.

℞. *Corall. rubr. præp.* ʒj.
*Cinnab. Antimonii* ʒß.
*Salis vol. Succini* ϑj.
*Cubebar.* ʒß.
M. f. Pulvis.
D. S.
Pulvis Cephalicus.

Ad Præſervationem aliàs uſurpantur Electuaria: v. g.

℞. *Conſ. Flor. Salviæ*,
*Roriſmar.*
*Tunic.* an. ℥ß.
*Conf. Alcherm.*
*Sem. Sinapi* an. ʒij.
*Cardamom.*
*Cubebar.*
*Maçis* an. ʒß.
Cum ſ. q. *Syr. Flor. Tunic.* f. Electuarium.
D. S.
Electuarium Cephalicum.
Vel

℞. *Conſ. Flor. Anthos*,
*Lavend.*
*Meliſſ.* an. ℥j.
*Cort. Aurant. cond.* ʒvj.
*Zingib. cond.* ℥ß.
*Sem. Sinapi*,
*Erucæ* an. ʒiij.
*Cubebar.*
*Cinnam.*
*Cardam.*
*Salis vol. Succini oleoſ.* an. ʒi.
Cum ſ. q. *Syr. Flor. Tunic.* f. Electuarium.
D. S. ut ſuprà.
Vel

℞. *Conſ. Menth.* ʒii.
*Flor. Anthos* ℥i.
*Sem. Sinapi pulveriſ.* ʒvi.
*Cinnam.*
*Caryophyllor.* an. ʒß.
*Salis volatil. Succin.* ʒi.
*Ol. deſtillat. Menthæ*,
*Macis* an. gutt. vii.
Cum ſ. q. *Conf. Alcherm.* vel *Syr. Flor. Tunic.* f. Electuarium.

D. S.

D. S. ut ſuprà.
Vel
℞. *Conſ. Flor. Anthos*,
*Salviæ* an. ℥iß.
*Zingib. in Ind. cond.* vel *Nuc. Ind. condit.*
*Sem. Sinapi acr.* an. ʒvj.
*Corall. rubr. præp.* ʒiß.
*Unic. ver.*
*Cinnab. Antimonii*,
*Salis volatil. Succin.* an. ʒj.
*Olei deſtillat. Succini* ʒß.
Cum *Brod. Zingib.* f. Electuarium:
D. S. ut ſuprà.
Vel
℞. *Conf. Alcherm.* vel *Conſ. Flor. Anthos* ℥iß.
*Nuc. Ind. cond.* ʒij.
*Sem. Erucæ* ʒij.
*Cumini* ʒi.
*Succin. præp.* ʒiß.
*Cardam.*
*Cubebar.*
*Cinnam.* an. ℈j.
*Spiritûs Ceraſ. nigr.* ʒj.
Cum *Sy. Flor. Tunic.* q. ſ. f. Electuarium:
D. S. ut ſuprà.
Vel
℞. *Conſ. Flor. Anthos* ℥ii.
*Zingib. condit.* ʒß.
*Sem. Sinapi*,
*Erucæ* an. ʒii.
*Cardam.*
*Cubebar.* an. ʒß.
Cum ſ. q. *Conf. Alcherm.* vel *Syr. Flor. Tunic.* f. Electuarium:
D. S. ut antè.
Vel
℞. *Conſ. Flor. Anthos*,
*Tunic.* an. ℥iß.
*Nuc. Ind. condit.* ʒvi.
*Conf. Alcherm.*
*Sem. Sinapi* an. ʒiij.
*Spec. Dianthos* ʒi.
Cum *Brod. Nucis Ind.* f. Electuarium.
D. S. ut antè.
Vel
℞. *Conſ. Flor. Anthos*,
*Salv.* an. ℥ß.
*Conf. Alcherm.* ʒij.
*Caſtor. pulveriſ.*
*Spec. Dia-Ambr.*
*Dia-Moſch. dulc.* an. ℈j.
*Cinnab. Antimonii* ʒß.
*Ol. deſtill. Succini* ʒß.
Cum ſ. q. *Syr. Flor. Tunic.* f. Electuarium:
D. S. ut ſuprà.
Vel
*Spec. Dia-Ambr.*
*Dia-Moſch. dulc.* an. ʒi.
Cum ſ. q. *Sacch. in Aquâ Salviæ ſol.* f. Rotulæ, adſpergendæ cum
*Ol. deſtill. Cubebar.* vel *Salviæ*:
D. S.
Rotulæ Cephalicæ.

Conf. *Idea Formul. Claſſ.* 1. §. 6.

Quô etiam pertinet *D. Kolbii Mixtura Præſervativa ab Apoplexiis.* Compoſitio eſt hæc.

℞. *Spec. Dia-Ambr.*
*Dia-Moſch. dulc.* an. ʒi.
*Margar. præp.*
*Corall. rub. præp.* an. ℈j.
*Succini alb. præp.* ℈iv.
*Conf. Alcherm.* ʒij.
*Extr. Rad. Helen.* ℈ij.
*Ireos* ʒß.
*Calam. arom.* ℈j.
*Pæon.*
*Ligni Aloës* an. ℈ß.
*Ol. deſtill. Salviæ*,
*Roriſmar.*
*Succin.* an. gutt. xvj.
*Lavend.* gutt. xx.
*Spicæ*,
*Aniſi*,
*Fœnicul.*
*Macis*,
*Nuc. Moſch.* an. gutt. xij.
*Cubeb.*
*Caryophyll.* an gutt. viij.
*Rutæ* gutt. vi.
*Sacchar. optim.* ℥vij.
M. f. Pulvis:
D. S.
Saccharum Apoplecticum.

Sed obſervetur, quòd *Semen Sinapi* & *Erucæ* imprimis his addenda ſint.

Hæc Interna tam intra, quàm extra Paroxyſmum conveniunt.

Inter *Evacuantia*, *extra Paroxyſmum* uſurpanda, primatum obtinent *Vomitoria*, & quidem *Antimonialia*, ut ſuprà monui; quæ inter Mercurius Vitæ, Tartarus Emeticus, &c. præſcribi poteſt: exem. grat.

℞. *Tartari Emet. Mynſ.* gr. iii.
*Sal. Ammoniac.* gr. ix.
M. f. Pulv.
Vel
℞. *Tartari vitriolat.* gr. vi.
*Emet. Mynſ.* gr. ii.
*Scamm. ſulphurat.* gr. i.
M. F. Pulvis.

Præter Vomitorium conducunt etiam *Purgantia*, exem. grat. Helleborus niger, Pilulæ Fœtidæ, Cochiæ, Pilulæ Proprietatis *Mynſichti*, Pilulæ Polychreſtæ ejuſdem, Extractum Helleborі nigri, Agarici, *Mercurius dulcis*: quibus pro ſtimulo ſemper Extractum Colocynthidis, vel Alhandal legitimè paratum, addendum eſt: quin etiam ſemper ad præcavendam Recidivam neceſſaria ſunt Purgantia: Vid. Corthnummius *loc. citat. cap.* 70. Sequentes Pilulas Aviæ maternæ præſcripſi:

℞. *Maſſ. Pilular. de Succ. Crat.*
*Extr. Abſinth.* an. ℈ß.
*Troch. Alhand.* gr. i.
*Ol. deſt. Succini* gutt. ii.
Cum *Eſſ. Prim. veris* f. Pilulæ.
Vel
℞. *Mercurii dulc.* ℈i.
*Scamm. ſulphurat.* gr. v.
Cum *Conſ. Flor. Tunic.* f. Bolus:
M. S.
Saccharum Purgans pro unâ doſi.

Item conducunt Pilulæ ex Mercurio dulci cum Extracto Hellebori nigri, *ſuprà cap.* 2. *Artic.* 1. 1. *ubi de Epilepſiâ*, præſcriptæ.
Vel
℞. *Maſſ. Pilular. de Trib. Rufi* ℈ß.
*Extr. Helleb. nig.* gr. v.
*Tartari vitriolat.* gr. iii.
Cum *Ol. deſtill. Carvi* f. Pilulæ.
D. S.
Pilulæ.
Vel
℞. *Gumm. Ammoniaci Acet. ſol.*
*Bdell. in Acet. ſol.* an. ʒß.
*Vitriol. Martis ad albed. calc.* ℈i.
*Mag. Gum. de Peru* gr. xv.

*Scamm. præp. Brendel.* ℈i.
*Extr. Troch. Alhand.* gr. vi.
f. Pil. inſtar Francof.
D. S.

Pilulæ Emollientes, pro aliquot vicibus.
Doſis Num. xv.

*Sudorifera ex Lignis* declinante Paroxyſmo aliquandiu continuata, ſunt maximè proficua.

Si his Remediis non ſatisfacimus pro ſcopo, etiam *Cucurbitulæ*, *Setacea*, *Fonticuli*, & ſimilia adhibeantur.

*Vir quidam* in decreſcente ætate ultra ſeptuaginta annos conſtitutus, aliàs ſanus, ſed inordinatæ minuſque regulatæ, utut non lautæ, Diætæ, adſuetus, aliquando cum ſociis extra Urbis portas ambulans, ſine ſenſu & motu ſubitò corruebat totus pallidus, ab adſtantibus denuò excitatus, quid ſecum actum, ferè neſciebat. Debilitatus tamen, & ob Anhelitûs difficultatem aliquoties deſidere coactus, denuò intra Civitatem revertebatur. Interjectis aliquot ſeptimanis, cùm intereà ſemper commodè habuiſſet, Templum petens, ſimili ratione ex improviſo denuò corruebat, ſed Balſamis & Aquis Antiepilepticis refectus, domum lento gradu petebat. Aliquoties hoc accidebat, donec ingraveſcente Malo extra privatos parietes ipſi verſari vix liceret, quin ex levi Corporis motu vix omnimodâ Anhelitûs interceptione, & ſimultaneâ caligine Oculorum affectus, forti impetu non tam corruere, quàm proſterni videretur, ſenſu & motu carens; hinc Tabernam ſuam mercatoriam aliquando ingrediens, ex ſimili Corporis proſtratione Naſum tam fortiter menſæ allidebat, ut mediam ejus oſſeam ſubſtantiam ſine perceptione dolorosâ perſtringeret. Cum ergò tempore hyemali de Paroxyſmi hujus apoplectici Inſultu ſollicitus me conſuleret, ſequentia ordinavi:

℞. *Spiritûs Sal. Ammoniaci*,
*Cornu Cervi eſſentif.* an. ℥ii.
Miſc.

De quo capiebat quotidie ter, guttas xxx. vel xxxx. mane in Vehiculo calido, à meridie in frigido: unà cum hôc præſcripſi:

℞. *Ol. deſt. Succini* ℥i.
*Caryoph.*
*Macis* an. ℈j.
*Nuc. Moſch. expr.* q. ſ.
Miſc. pro Balſamo.

Hôc mane & veſperi Tempora, Verticem, Nucham, & regionem Stomachi inungebat: ſic nec tam crebrò, nec atrox Paroxyſmus fuit.

Appetente verò verno tempore ordinavi, præmiſſo Digeſtivo ſalino, *Purgationem Mercurialem* cum Extracto Panchymagogo, quo pluries excrevit cum levamine, hinc internè pro Præſervatione præſcripſi:

℞. *Ficuum pingu.* minutim inciſ. No. iv.
adde
*Sem. Sinapi contuſ.* ℥i.
*Cardam. pulveriſ.* ℥ii.
Cum ſ. q. *Syr. Flor. Tunic.* & *Spiritûs Lil. convall.* f. Electuarium.

De quo omni mane capiebat quantitatem Nucis Juglandis jejuno ſtomacho, deſuper ſorbendo quantum placet de Juſculo calido.

Externè Capiti imponebat ſequens Emplaſtrum:

℞. *Empl. de Ran. cum Mercurio* q. ſ.
Malaxabatur cum ſ. q. *Balſ. Peruviani in Vitello Ovi ſoluti*, & ſuper *Alutam* extenſum ſub Mitrâ parvâ ſemper geſtabat, cum uſu præfati Balſami.

Sic hactenus benè ſe habuit, ut ſpes ſit, continuato uſu horum Remediorum Malum imminens præcaveri poſſe. Corpus eſt exſuccum, macrum, rugoſum; hinc inutilem duxi Fonticulum.

Aliàs *Fonticuli* in Apoplexiâ, tam præſervativè, quàm curativè, præſertim in Senibus, vel Decrepitis, ubi Affectus Catarrhales ſunt frequentes, familiari ſunt in uſu, & multùm conferunt: & quidem Veteres *Setaceum* in Nuchâ uſurpârunt, cujus Setacei ad præſervandam Apoplexiam in Nuchâ uſum videbitis in Horſtio *lib.* 1. *Obſervat.* 14. ſed eſt Remedium admodùm moleſtum; potiùs Fonticulus in Nuchâ inuſtus, vel Homoplatis, aut etiam Fonticulus unus in Brachio, alter in Crure paratus, eſt egregius. Veteres etiam Fonticulum inuſſerunt in Vertice, ſed eſt ridiculum Remedium, & propter Inflammationem plerumque periculoſum. Interim cum diſtinctione agendum: Nempe Apoplexia Poſitiva, ſi præfatis Remediis non ceſſaverit, ferè lethalis eſt. Saltem ergò *in Apoplexia Privativa* Fonticuli, & Cucurbitulæ in regione Dorſi intra Scapulas commodè adhiberi poſſunt; *in Poſitivâ* enim præcavendâ parum auxilii afferre ſolent. Unde dum Obſervationes proſtant nunc proficuorum, nunc inanium horum Remediorum, Cauſa videtur eſſe, quòd nunquam obſervata fuerit differentia Apoplexiæ Poſitivæ, & Privativæ, v. g. qui à Carbonum Fumo cadit Apoplecticus, talis ab hujuſmodi Remediis Externis nullum ſperare poteſt Auxilium; ubi verò ex Sanguine grumoſo, & ubi ſuſpicio eſt peccantis plùs minùs Lymphæ, dicta Auxilia Chirurgica multum adferunt commodi.

Denique *Salivatio* in declinante Apoplexiâ pro eradicando Morbo non ineptè à Barbette *in Praxi* proponitur, & à Deckero *in Comment.* commendatur *pag.* 23.

*Suprà dictum*, *quòd Apoplexiâ* ex Univerſali in Particularem, nunc pauciora, nunc plura Membra occupantem, tranſeat. Quare ſit

## ARTICULUS II.

### *De Paraplegia.*

QUoad Paraplegiam: hæc nunc *Apoplexiam ſequitur*, ſicque *Morbus ſecundarius* eſt, nunc verò *per ſe inchoat*, ſine præcedente Apoplexiâ, utut plùs minùs alios Morbos ſequatur, *eſtque Apoplexia Particularis.* Notabilis eſt permutatio iſta, cujus meminit Foreſtus *lib.* 1. *Obſervat.* 80. ubi Apoplexia mutata in Paralyſin, (rectiùs in Paraplegiam) deinde in Epilepſiam, & ex eâ denuò in Apoplexiam lethalem. Sanè *Apoplexiæ*, & hinc natæ *Paraplegiæ*, ac *Epilepſiæ* ſingularem habent, & mutuam convenientiam, & quaſi in radice identitatem. *In modo fiendi* ſaltem, *aut affligendi differunt*: hinc & permutatio mutua earum, & quoque in Curâ Remediorum identitas. Hinc certè Gorræus *in Definit. Medicis* inquit: Paraplegiam ſignificare Hippocrati Paralyſin, quin Apoplexiæ, vel Epilepſiæ ſuccedit. Non enim rarum eſt, Epilepſias in Paraplegias mutari, & contrà: ſic Epilepſiam, quæ in Paralyſin totius ferè Corporis, excepto Brachio dextro, abiit, in quo Senſus, ablato Motu, perierunt, notat Hildesheim *in Spicileg. de Affect. Capitis cap.* 7. Item Schenckius *in Obſervat.* refert, Epilepſiam ex Terrore contractam poſt biennium in Paraplegiam alterius lateris tranſiiſſe, nihilo minùs ſingulis menſibus circa novilunium affligens: Item Fontanus *Reſponſ. & Curat. lib.* 1. *pagina* 32. Paraplegiam Oculi ſiniſtri poſt Epilepſiam in Gravidâ obſervat, quæ poſt Partum Gemellorum mortuorum apoplectica interiit:

Hor-

Horſtius *lib.* 2. *Obſervat.* 41. notat ex Epilepſiâ Paraplegiam lateris dextri, & hinc denuò Inſultus epilepticos. Pertinet huc notabilis Obſervatio *Anno* 6. *&* 7. M. A. N. C. *Obſervat.* 212. ubi mutuò Paralyſis, & Epilepſia ſe exceperunt; Item confirmat hæc Bartholinus *Centuria* 4. *Obſervat.* 3. dum Paraplegiam lateris ſiniſtri, & Convulſionem lateris dextri in Febre Patechiali annotat. Sanè non ſecus in Apoplexiâ, & Paraplegiâ, quàm Epilepſiâ, ſimul aliquid Convulſivi ſubeſſe videtur: Notabilis hîc eſt Hildani *Obſervatio* 4. *Centuriâ* 1. ubi ex ſolâ Nervuli in Aure irritatione, ob immiſſum Globulum, Stupores quaſi paralytici, Dolores, & Atrophia Brachii iſtius lateris, ac tandem epilepticæ Convulſiones excitabantur. *Ex irritatione iſtâ*, quid aliud quàm *Spaſmus* fieri potuit? Similem Obſervationem de Dolore, & Stupore cum ejuſdem Atrophiâ ex corallinâ Sphærulâ in Aurem illapsâ refert Schenckius *in Obſervat. ubi de Aurium Morbis.* Hujuſmodi *Paraplegiæ*, quæ Apoplexiam, Epilepſiam, alioſque Morbos immediatè ſequuntur, vulgò *Paralyſes* vocantur, & hoc nomine tractant Theoriam earum, ac Praxin Practici, præſertim Veteres. Omnium loco ſufficiat Williſius *de Animâ Brutorum part.* 2. *cap.* 9. Cùm tamen, propriè loquendo, Paralyſis longè alius Affectus ſit ab iis Apoplexiis Particularibus, ſive Paraplegiis, ut *infrà Artic.* 3. monebitur. *Probè hoc obſervetur in Autorum lectione*, qui ordinariè Paralyſes, & Paraplegiam confundunt, unâque Methodo Theoriam, & Praxin tractant.

In *Hemiplexiâ*, & multò magis *Paraplegiâ*, ſive Apoplexiam, ſive alium ſimilem ſequatur Affectum, & malè Paralyſis, vocatur, *tres hujus Gradus* obſervandi ſunt.

1. Enim *Motus ſolùm deficit ſuperſtite Senſu.*
2. *Senſus, & Motus planè deficiunt* in Parte, *reſtitante* tamen adhuc Partis *Calore* naturali.
3. Iſtis deficientibus etiam *Calor Partis evaneſcit*, eaque ſimul ferè continuò frigida percipitur, quam conſtitutionem Partis inſequi ſolet ejus *Flacciditas* notabilis, ac *Mollities*, & hinc *Maraſmus.*

Differunt hæ Paraplegiæ ſecundùm magis, ac minùs, prout majus, & minus eſt impedimentum in Nervis.

## CAUSÆ.

Quoad *Cauſas Paraplegiæ*: communiter *Obſtructionem Nervorum* accuſant, quæ tamen nec cum Modo fiendi, nec cum Curâ benè convenit. Saltim non *univerſalis Cauſa* hæc eſſe videtur; ſiquidem, *& per Conſenſum* aliarum Partium remotarum Paraplegiam fieri obſervatum fuit: Nempe ſicut notum eſt, quòd graviores *Paſſiones Hyſtericas* ſubinde epilepticæ Convulſiones ſuperveniant; ita iiſdem *Paralyſes*, *& Hemiplexias* ſuperveniſſe obſervatum fuit, in ſpecie à Quercetano *in Tetrade graviſſimorum Affect.* Item *Lumbrici* uti Convulſiones, & Epilepſias excitant, ita etiam ad Paralyſes terminantur, teſte Salmuth *in Centuriâ* 2. *Obſerv.* 45. Hinc etiam Apoplexiam Paraplegia lateris ſiniſtri, & Convulſio dextræ inſecutæ fuerunt: vid. Schenckius *in Obſervat.* Ut taceam Paraplecticos deſperatos quoſdam ſubinde *ex graviori Animi pathemate*, ita vel Terrore, ex improviſo curatos fuiſſe, authore Horſtio *lib.* 11. *Obſerv.* 15.

Adeòque *Paraplegiæ* iſtæ *pro fiendi ratione* nunc *Privativæ*, nunc *Poſitivæ* eſſe videntur, & in his Poſitivis *aliquid Convulſivi* omninò intercedere, dicta modò Ratio, & cum Affectibus Convulſivis, faciles Permutationes, omninò perſuadent. Sed cùm in ſpecie Apoplexias non lethales ferè ordinariò inſequantur Paraplegiæ, hujus *Permutationis ratio* eſt inquirenda. Equidem *Apoplexiam Sanguineam Univerſalem*, quæ ex Sanguinis Extravaſatione evenit, ut plurimùm lethalem eſſe exiſtimo. Aliàs *Sanguinea Privativa*, quæ tantùm ex Motu Sanguinis intercepto in Vaſis Cerebri oritur, ſi Univerſalis ſit, quomodò in Paraplegiam tranſeat, ſanè obſcuriſſimum, niſi forſan Venæ ſectio largior, Sanguinis Motum promovendo, ſaltim alterius Cerebri lateris Affectum *Particularem* reddat, qui antè *Univerſalis* erat, ita ut ſaltem in alterâ Cerebri medietate, aut ſaltim circa Nervorum exortum, & Sanguinis conſiſtentis, & turgeſcentium inde Vaſorum vitio, Paraplegiæ oriantur. Imò *ſi Apoplexiæ Privativæ Sanguineæ Paraplegia ſuperveneriť*, probabile eſt ex Sanguine congrumato, & ſubſiſtente plùs minùs Laticem aquoſum feciſſe ſeceſſum, & vel interiùs profundiùs penetraſſe in Cerebrum per Caudicem medullarem, vel exteriùs defluxiſſe ſecundùm ductum Spinalis Medullæ, & ita unius, alteriuſve Nervi læſione, vel oppreſſione Paraplegiam intuliſſe. In *Privativâ* verò *Lymphaticâ*, aut huic cognatâ, ſi unquam obſervetur, *Pituitoſâ Apoplexiâ*, Lymphæ Materiæve peccantis in Caudicem medullarem interiora versùs progreſſus, adeòque Obſtructiones, vel ejus ſecundùm radicem Spinalis Medullæ defluxus, & certis in locis compreſſio, Paraplegiam inferre poteſt, ut ſatis plauſibile videtur. *Imò forſan aliqualis Irritatio* Contractioni Fibrarum, & Membranarum circa principium Nervorum originem ſubminiſtrare, & hinc ſufficientem Spirituum influxum impedire poterit.

*Poſitivam Apoplexiam etiam excipere Paraplegiam*, res nota eſt, ſed *Modus* eſt admodùm obſcurus. Eſſe tunc Paraplegiam *Contracturam partium Nervoſarum* circa radicem Spinalis Medullæ, qua impediatur Spirituum pro Motu tranſitus, ut Helmontius aſſerit, non improbabile eſt: *ſed quomodò fiat?* reverà intricatum. Interim tamen ſicut Calculus Crus in Rene ſubinde iſtius lateris ſtupidum, & ſemiparalyticum reddit, aut quando Colicam Inteſtinorum Convulſivam ex improviſo, vel Crurum Paralyſis, aut Hemiplegia inſequuntur, ſi Cauſa materialis communicetur, ex ſimplici partium Nervoſarum concurſu; ita ſimiliter probabile eſt, *per coonſenſum Nervorum*, eorumque Fibras circa ſui radicem in Caudice medullari, aut in hujus progreſſu contractas, Spirituum ſufficientem pro Motu impediri influxum, ſicque Partes, ad quas iſti Nervi diſtribuuntur, Senſu, & Motu plùs minùs privari. Ex hoc enim *Permutationis ratio Affectuum Paralyticorum, & Convulſivorum*, & eorum *Identitas*, optimè explicari poſſunt.

## PROGNOSIS.

Ex his patet *Prognoſis* de Curâ Hemiplexiæ, & Paraplexiæ: nempe pro varietate Graduum plùs, vel minùs gravis eſt Cura.

*Paraplegia* quævis Malum difficile eſt curatu.

*Primus Gradus* leviſſimus eſt, & qui cæteris paribus faciliùs curatur; *ultimus Gradus* difficillimus curatu, & etiam graviſſimus, & periculoſiſſimus eſt.

Si Parti Paraplexiæ correptæ, vel *Tremor* ſuperveniat, aut *Formicationis* ſenſus, aut *Doloris* moleſtia, bonum Signum eſt pro reſtitutione.

*Quò magis Calor* Membri paraplectici *deficit*, eò minor ſpes ſupereſt.

## CURA.

Quoad *Curam* harum Apoplexiarum Particularium: In hac eadem ferè, quæ in Apoplexiâ Universali curandâ, obſervanda ſunt. *Remedia* verò ipſa *Appropriata* ſunt eadem, quæ *Epilepſiæ*, aut *Apoplexiæ* medentur.

*Vomitus* in quavis Paraplegiâ eſt optimus, idque quando eadem ſupervenit Apoplexiæ Poſitivæ, & quidem forte neceſſe eſt *Vomitorium*; quem in finem *Mercurius Vitæ cum Scammonio ſulphurato* ab Hartmanno *in Prax. Chymiatr.* laudatur: v. g.

℞. *Mercurii Vitæ* gr. ij.
*Scammonii ſulphurat.* gr. iij.
Cum *Conſ. Flor. Bugloſſ.* f. Bolus.
D. S.
Saccharum Emeticum pro unâ doſi.

Sin Vomitoria non velimus uſurpare, inſtituantur fortes *Purgationes*, quibus addendus eſt ſemper ſtimulus acris ex Colocynthide.

Vel

℞. *Reſin. Jalap.* ℈ß.
Diſſolv. cum ſ. q. *Vitell. Ovor.* diluatur cum
*Aquæ Fumar.* ʒvj.
*Cinnamom.* ʒj.
M. S.
Lac Purgans.

Item ſubinde neceſſe eſt, ut *Venæ ſectio* inſtituatur, ſed in latere oppoſito, non tamen ſemper æquè neceſſaria eſt. Lindani verba ſunt: *Venæ ſectionem inſtituere, niſi Plethora adſit magis jugulat, & puto ideò multas Curationes malè ſuccedere, quòd in principio Sanguinem mittimus: ſtatim Vomitorium propinandum, idque ab initio.* Adeòque Vomitoria imprimis in Paraplegiâ, quæ ſequitur Apoplexiam Poſitivam, conveniunt: Sicuti Venæ ſectio magis locum habet in eâ, quæ ſequitur poſt Apoplexiam Privativam: ubi etiam *Fonticuli*, item *Veſicatoria* Nuchæ admota, & *Cucurbitulæ* ſcarificatæ intra Scapulas conveniunt. Utrobique verò *Venæ ſectio adhibenda in Plethoricis*, aut in quibus ſolennis quædam Sanguinis Excretio ſuppreſſa fuerit.

His, & ſimilibus præmiſſis, inter *Remedia Interna* præ cæteris *Sudorifera* laudatiſſima ſunt, nunc Communia, nunc Specifica. *Communia*, ſeu generalia iſta in Apoplexiâ commendata ſunt ſpeciatim *Salia Volatilia* in paulò majori doſi, & Spiritus Sanguinis humani, Cranii humani & ſimilia, in paulò majori doſi; nempe Spiritus ad integras drachmas, Salia à ℈j. ad ʒß. *Liquor Cornu Cervi ſuccinatus* eſt egregius. Loco horum Veteres enim uſurpârunt Decocta Sudorifera Lignorum, quæ interpoſitis *Appropriatis* ſunt optima. Speciatim *Decoctum Ligni Saſſafras* egregiè confert, ex quo, & Baccis Juniperi, vel Lauri paratum *Decoctum* efficaciter Paralyticum reſtituit, teſte Poterio *Cent.* 2. *Obſerv.* 26. Item *Decoctum Saſſafras cum Roremarino* imprimis convenit, quod ſingulare quid obtinet in hujuſmodi Nervorum Affectibus. Item *Helenium*, ejuſque *Radix*, dictis *Decoctis* additum, benè convenit: v. g. ad imitationem Poterii præſcripſi:

℞. *Raſur. Ligni Saſſafr.* ʒij.
*Herb. Roriſmar. rec.* M. j. vel ij.
*Bacc. Junip. rec. ſuccul.* vel *Lauri* ʒiß. vel ij.
Coqu. *in Vini*, & *Aquæ* ana ℔iß. per Balneum Mariæ in Cucurbitâ cum ſuo Alembico munitâ:
Colaturam, & deſtillatum miſce, adde
*Spir. Bacc. Junip.* ʒiv.
*Sal. Ammoniaci* ʒiij. ad ʒß. vel ʒvj.
*Syr. Flor. Tunic.* ʒiii. vel q. ſ. pro grato ſapore.
M. S.
Potio Articulos confortans.

De qua Potione ter, quotidie, mane, à meridie, & ingruente nocte bonum hauſtum capiat Æger aliquamdiu, blandum Sudorem expectando.

*Specifica* verò *Sudorifera* ſunt *Aurum Diaphoreticum Poterii*, *Cinnabaris Antimonii*, *Coralliata*, *Cranium humanum*. *Aurum Diaphoreticum* certè in frequentiſſimo uſu habuit Poterius, & elegantes Curas in Paralyticis præſtitit. Paravit, vel ex Auro per Amalgamationem calcinato, vel Aurum Fulminans cum duplo Florum Sulphuris in Mortario lapideo optimè miſcetur (cavendo, ne fortiori trituratione illud incaleſcat, & fulminet); in Crucibulo prunis ardentiſſimis in Pulverem purpureum vertitur: cum *Spiritu Vini* rectificatiſſimo *aniſato* per quindecim dies blando calore digeritur, & Spiritu hoc, aut per deſtillationem aut per deflagrationem, ſeparato, ad uſus convenientes aſſervatur. Abſque Calcinatione etiam cum Floribus Sulphuris ſolâ Digeſtione cum Spiritu Vini rectificatiſſimo, vel Aniſi, Poterius & cum eo Zwelfferus, hoc Aurum Diaphoreticum præparant; ita tamen ut prior quatuor ſaltem dierum, poſterior aliquot ſeptimanarum, Digeſtionem adhibeat, atque commendet. Sicuti aliàs idem cum *Mercurio Antimonii* præparavit nobiliori modo, & effectu: Vid. Poterius quoad deſcriptionem *in ſuâ Pharmac. Spag. lib. 2. cap. 14. paginâ 456. ſeqq.* & *in Append. pagin. 599.* quoad uſum, & vires mirabiles, vid. *Centur. 1. Curat. 73. Cent. 2. Curat. 66. & 87. & Centuria 3. Curat. 14.* Hoc à gr. v. ad ℈ß. in Conſervâ quadam propinetur: in Vehiculo enim liquido ad fundum cadit Aurum Diaphoreticum: Sic grana ſex hujus Auri aſſumpta cum ſenſibili quadam alteratione circa Præcordia, Sudorem cum aliquali Somnolentiâ inferunt. Aliquando Viro adulto Affectu quaſi paralytico correpto dedi duas doſes *Auri Diaphoretici* cum *Conſervâ Florum Tunicæ*; Prima doſis cum blando Sudore Tormina Abdominis, & mirabilia Excreta excitavit, alterâ vice verò copioſum Sudorem emanare fecit cum euphoriâ. Modus præſcribendi eſt:

℞. *Conſ. Flor. Tunic.* ʒj.
*Solis Diaph.* gr. xv. ad ℈j.
M. f. Bolus:
Div. in 2. partes æqu. S.
Saccharum Sudoriferum.

Aſſumptâ unâ doſi hauriatur deſuper Spiritûs Theriacalis cochleare j. vel ij. & ita per Sudorem repetitum, præmiſſis præmittendis, Malum curabitur.

Vel

℞. *Cran. hum. præp.*
*Unic. ver. præp.* an. gr. xij.
*Auri Diaph.* ℈ß.
M. S.
Pulvis Confortativus.

Vel

℞. *Cranii hum. ſine igne*,
*Corall. rubr. præp.* an. gr. xv.
*Auri Fulmin.* gr. iij.
M. S. ut antè.

Vel

℞. *Cran. hum. ſine igne*,
*Unic. ver. præp.* an. gr. xij.
*Auri Fulmin.* gr. iv.
*Salis volat. Viperar.* gr. vj.
M. S. ut antè.

Quoad *Cinnabarim Antimonii* verò, loco Auri Diapho-

phoretici egregia eſt ritè parata. Hæc datur à gr. xv. ad ℈j. nunc ſolitariè, nunc cum Oſſibus humanis præparatis, nunc cum Sale volatili Cranii humani & ſimilibus, idque repetatur crebro uſu.

Vel

℞. *Cinnab. Antimonii* gr. xv.
*Succin. Catarrhal.* ℈ß.
*Salis volatil. Succini* gr. v.
M. f. Pulvis.
M. S. ut ſuprà.

Accipiatur in Vehiculo appropriato, & expectetur Sudor.

℞. *Cran. human. præp.*
*Coral. rub. præp.*
*Cinnabar. Antimonii* an. ℈ß.
*Olei deſtillat. Cinnamom.*
*Caryoph.* an. gutt. j.
M. S.
Pulvis Cephalicus.

Vel

℞. *Aquæ Ceraſ. nigr.*
*Lil. convall.*
*Menthæ* an. ℥j.
*Spiritûs Ceraſ. nigr.* ʒvj.
*Cinn. Antimonii* ʒß.
*Salis vol. Cornu Cervi* gr. xv.
*Syr. Flor. Tunic.* ℥i.
M. S.
Potio Cephalica.

Cum his Internis optimè ſimul *Externa* regioni Spinæ Dorſi, item Vertici, aut ſaltim loco unde exoritur Nervus Partis affectæ, illinenda conveniunt: Unde in Manuum Apoplexiâ admoveantur Nuchæ, in Apoplexiâ Crurum Oſſi Sacro, regioni Lumborum, & ſimiliter. Ipſa Membra apoplectica illinire ſuperfluum videtur, cùm Malum illis non hæreat, ſed ipſa ſaltim paſſivè ſe habeant. Hæc inter conveniunt *Olea Deſtillata* (nam Expreſſa, per Infuſionem, aut Pinguia mucilaginoſa non penetrant) vel *Spirituoſa*, vel *Emplaſtra*. Olea Deſtillata quod attinet: talia ſunt ver. gratia *Oleum deſtillatum Succini*, *Lavendulæ*, *Spicæ*, *Galbanetum Paracelſi*, quibus *Petroleum* album nativum, aut etiam Petroleum cum Cineribus deſtillatum, poteſt addi. Juxta hæc in uſu ſunt *Spirituoſa*, ut *Eſſentiæ* ex Infuſis Nervinorum, & *Aqua Articularis ad extrà*, i. e. Spiritus Vini, affuſus Simplicibus Nervinis aromaticis, & aliquot cohobiis abſtractus, quæ vel ſolitariè, vel miſta cum parte dimidiâ vel tertiâ Spiritûs Salis Ammoniaci cum Calce vivâ & Spiritu Vini parati. Pro *Aquis Articularibus ad extrà* quidam

℞. *Sem. Sinapi* p. j.
*Bacc. Junip.* p. ij.

Contuſa infundunt in *Spiritu Vini*, eundemque imprægnatum Partibus affricant: pro quo ſcopo & ipſum Magma ſimpliciter adhiberi poteſt.

Item *Eſſentia Caſtorei*, extracta cum *Aquâ ſpirituoſâ Liliorum convallium cum Vino*, pro Frictione Spinæ Dorſi vel alius loci commodi calidè, eſt egregia, in ſpecie poſt Sudores, ut poris apertis meliùs poſſint penetrari: item Spiritus Vini camphoratus ter quotidie in loco calido benè affricando Parti paraplecticæ. His ipſis ſpirituoſis Aquis & *Salia volatilia*, in ſpecie *Spiritus & Sal volatile Lumbricorum terreſtrium* ac *Formicarum*, addi poſſent.

Vel

℞. *Spir. Vini camphor.* vel *Formic.* vel *Aquæ Artic. ad extrà* ℥ij.
*Spiritûs Lumbr. terr.* ℥iß.
*Eſſ. Caſtor.* ʒvi.
*Spiritûs Sal. Ammoniaci cum Calce vivâ* ʒiij.
M. D. S.
Spiritus Externus.

Quòd ſi Spina Dorſi probè his ipſis perfricata fuerit, applicandum deſuper *Linteum cum Gummi Animæ* probè ſuffumigatum atque calidum: Vel præmiſſis cum Aquis ſpirituoſis Frictionibus iſtis *Olea ſuprà laudata* deſuper illinenda ſunt, ut apertis his mediis poris, penetrantioris efficaciæ ſint hæc ipſa; quibus etiam imprimis *Oleum* deſtillatum *Tartari*, & Olea *ex Pinguedinibus* aut partibus Animalium durioribus deſtillata addi poſſunt, utut horridè fœteant; tamen aliquoties cohobando ſuper Caput mortuum, aut *Oſſa calcinata*, à nimio fœtore liberantur, & utiliſſima ſunt in quibuſcunque Artuum Affectibus. Illinuntur hæc *Olea* nunc ita ſimpliciter, nunc, ubi nimis acria fuerint, parvaſque Puſtulas excitent, ſubigenda ſunt vel cum *Oleo Lumbricorum terreſtrium per decoctionem*, & ita illinenda. Poſſunt etiam fortibus Frictionibus & Litibus aſperis, calidis ac penetrantioribus, illiniti totæ Partes paraplecticæ, ut irritentur Partes ſenſiles, & hujus medio provocetur plùs minùs Spirituum impetus: propterea & ipſas Partes ita reſolutas his modis tractare conſuetum eſt, & propter hunc finem dictis Litibus *Alumen plumeum*, tam *crudum*, quàm, quod præſtat, ex hoc paratum *Arcanum Aluminis Wurzii*, ſimul addendum eſt, in ſpecie quando ad Atrophiam ſeu Maraſmum Membrum Paraplegiâ affectum inclinare velit: e. g.

℞. *Liqu. Lumb. terreſtr. in clibano parat.* ℥iij.
*Ol. deſtillat. Spicæ*,
*Juniperi* an. ʒiß.
*Lavend.*
*Majoran.* an. ʒß.
*Succini* ℈ij.
*Alum. plum.* ℈j.
M. S.
Unguentum Articulare.
Partibus affricetur.

Qui autem acria ferre non poſſunt, ut Scorbutici, & in quibus Atrophia Membri metuitur,

℞. *Ping. Human.* vel *Anſer.* vel *Butyr. Majal.* ℥iij. iv. ad vj.
*Ol. deſtill. Tereb.* ʒiij.
*Bacc. Junip.* ℥j.
*Spicæ* ʒß.
M. S. ut ſuprà.

Quibus & deſuper ſubinde circa Locum affectum, in ſpecie Spinæ Dorſi, *Emplaſtra* ex Nervinis & Aromaticis imponi poſſunt, imprimis ex Gummatibus penetrantibus:

℞. *Gum. Galb.* part. ij.
*Carannæ* part. j.
Malax. cum *Petrol.* in conſiſtentiam Emplaſtri.
D. S.
Emplaſtrum Articulare.

Quod in regione Spinæ Dorſi agglutinandum erit.

Pertinet huc Unguentum & Emplaſtrum Paralyticum *Mynſichti*, & ſimilia.

Alia plura Remedia contra Paraplegiam vid. in M. A. N. C. *Anno* 6. *&* 7. *Append. pagin.* 44.

*Balnea* denique *ex Formicis*, reverà ſingulare quid obtinent in Paraplegiis curandis: Conf. M. A. N. C. *Anno* 4. *&* 5. *Obſervat.* 128. *pag.* 137. (S)



(S) Nota Cyrilli. *Addam Conſilium, pro Hemiplectico ex præcedente Apoplexiâ facto, conſcriptum, cui à Paroxyſmo nec Viſus nec liber Memoriæ uſus redierat.*

Neapoli

## ARTICULUS III.

### *De Paralysi.*

COgnata Pathemata sunt *Paralysis* & *Stupor*; unde etiam propter summam, quam habent, affinitatem vulgò & non absque errore confundi & promiscuè tractari solent. Nam quod attinet Paralysin, German. *die Lahmung*: ad illam vulgò etiam referunt *Hemiplexiam*, item speciem innominatam, & *Paraplexiam*; cùm tamen hæ species reverà sint species Apoplexiæ, nempe Particularis, & oriuntur ex affectis Nervis. *Paralyses* verò sunt Resolutiones Membrorum tales, in quibus *primariò Motus deficit, superstite plùs minùs Sensu*, ob Spirituum Animalium motum & activitatem denegatam. *Stupor* econtrà est Affectus, in quo, *deficiente in partibus Sensu, supereşt Motus*, Græcis ἀναισθησία dictus, Symptoma Tactûs est, quod ad paralyticos Affectus nullo modo referri debet.

Hæc nimirum invicem confunduntur, quia explicantur ex *Arabum* & *Galeni* Scriptis. Genuino verò sensu apud Veteres *Paralysis* propriè significabat Laxationem & Resolutionem Nervorum; à παρά & λύω, *penitus resolvo*, idque imprimis interprete Celso, *Medicorum* nempe *Cicerone*, qui tempore Augusti, ante Galenum longè, in vivis fuit, & in hoc puncto satis accuratus est. *Nervus* autem, Græcis dictus νεῦρος, ab ipso dicitur vel *Tendo Musculorum*, vel ipsum *Ligamentum*, quo nectuntur Artus: Et id, quod nos hodie vocamus *Nervum*, prisci generali nomine *Venarum* complexi fuere: Videat. Lindanus *in Colleg. Pharm. ad Hartm.* & Celsus.

*Paralysis* ergò ex genuino sensu erit *Resolutio* & *Relaxatio* istius adstrictionis, quam debet habere Nervus seu Tendo & Ligamentum, quibus mediantibus connectuntur & proximè moventur Artus: quæ ipsa instrumenta, Tendines, Fibræ & Ligamenta, quando sunt laxiora, vel humidiora & flaccida, sunt inepta pro movendis istis Partibus, & tunc dicitur Paralysis. *Talis Affectus est*, quem describit Bontius *in sua Medicinâ Indorum cap.* 1. tanquam Malum Indis familiare, sub nomine Indico *Beriberi*: Conf. etiam Tulpius *Observation. libr.* 4. *capit.* 5. item Bartholini *Acta Medic. Hafniens. Volum.* 4. *paginâ* 145. Est scilicet talis Resolutio Musculorum & Nervorum, ut totum Corpus & ejus partes moveri nequeant. Hic ergò Affectus est *genuina Veterum Paralysis*, quando Tendines, & Ligamenta, & Fibræ Artuum, ita humectantur & laxantur, ut resoluta & laxata non possint movere Membra, sive universum Corpus, sive certas saltem Partes occupet. Nempe *cessat primariò Motus* in Membro paralytico, Sensu plùs minùs superstite, Malumque est in ipsâ Parte affectâ, minùs verò in Nervo.

Ex quo facile patet, quòd *Paraplegia & Hemiplegia sint species Apoplexiæ, non verò species Paralyseos*; Paralysis enim est propriè loquendo saltem Symptoma Motûs læsi, cùm si lædatur simul Sensus, est per accidens. Et propter neglectum hujus distinctionis Autores nesciunt, quomodò fiat, quòd pereat Motus superstite Sensu? quod tamen facilè cognosceretur, modò fieret distinctio hujus ab Apoplexiæ speciebus. *Quomodò autem Sensus supereşse possit Motu deficiente*, licèt uterque ab eodem prodeat principio, optimè declarare videtur Willisius *de Anim. Brutorum Part.* 2. *pagin.* 280. Paralysis ista, quæ fit saltem ita, ut lædatur Motus, remanente Sensu, *est levior*, & vocatur ordinariò *Paresis*, qualis est ista, quæ supervenit Colicæ, & qualis imprimis sæpiùs est in Scorbuto: Videb. Drawizius *de Scorbuto dolorifico, ubi de Paresi Scorbuticâ*. Quando verò Sensus & Motus simul, vel post Motum Sensus etiam Partis, pereunt, gravior *Paralyseos* solet esse species. Plùs enim Paralysis pertinet ad Motum quàm ad Sensum. *Subjectum ergo Paralyseos* sunt Fibræ, & Tendines, & Ligamenta.

Ex

Neapoli 7. Aprilis 1720.

HEmiplexiam ab Apoplexia relinqui minimè insolens in Medicinâ est; factâ enim veluti metastasi eorum quæ in Cerebri interioribus latebris abscondita, Sensûs & Motûs originem integrè afficiebant, in eos Nervos qui dimidiam tantùm Corporis regionem regunt; Sensus & Motus in iis tantùm membris vel perit omninò, vel saltem labefactatur. Quod autem hic accuratiùs attendendum, illud est quamobrem post Hemiplexiam jam factam, Cerebrum integrè non convaluerit, sed etiamnum Memoriæ læsio, & Visûs obumbratio Ægrum afficiat. Illud verò in caussâ esse existimaverim, Humorem morbificum (quicunque is fuerit) non omninò Cerebri interiora reliquisse, sed ex parte depositum, ex parte verò adhuc illius penetralia occupare. Quod quidem si verum sit, non solùm difficiliorem reddit relicti Morbi curationem, sed recurrentis olim Apoplectici paroxysmi, (quod Deus avertat) periculum minatur: spero tamen futurum, ut ætate & corporis temperie valens Dns Ægrotans, accuratoque egregii Professoris, qui efficacissima adhibeat Medicamenta, ministerio usus, integram recuperare valeat Corporis valetudinem.

Quod ut assequi possimus Medicamenta pro anni temporis ratione successivè sunt adhibenda, & quidem quæ non tam partis læsæ vitium emendare, quàm quæ Cerebrum integrè restituere apprimè valeant. Purgato igitur prius corpore, Massâ Pilularum de Succino Cratonis *ad* ℈j. additis granis aliquot Extracti Catholici, ad Specifica Cephalica & Nervina deveniendum. Præscribi igitur poterit Massa ex Extracto Ligni Visci querni, & Betonicæ, Sale volatili Succini, & Cornu Cervi, Floribus Salis Ammoniaci, Camphorâ, & Ambaro, justâ proportione composita: hujus Drachma semis quotidie matutinis horis Pilularum formâ deglutiatur, superbibendo haustum Decocti Sarsæ parillæ, Chinæ dulcis, Scobis Ligni Guajaci, & Ligni Visci querni: posteà Æger in lectulo jaceat stragulis coopertus, si fortasse sudor supervenial. His Medicamentis ad 40., ut minimum, dies utatur Æger, quo etiam tempore duæ vel tres Vini chalybeati unciæ pro primo potu sint, hinc leve Chinæ Decoctum loco communis Aquæ bibatur: atque interpolatis vicibus Catharticæ Pilulæ subinde exhibeantur. Membra quoque affecta Decoctis herbarum Cephalicarum, Balsamis Nervinis, præcipuè verò Spiritu Antiparalytico Cnoefelii, Oleo Amygdalarum dulcium castigato, assiduò foveantur.

Cæterùm nî Morbus cesserit nullum præsentius auxilium esse poterit, tam pro Hemiplegiâ curandâ, quàm pro Cerebri relicto vitio tollendo, si æstivo tempore Dns Laborans Neapolim accedat, ut Balneis Thermisque naturalibus propiùs uti possit. De quâ tamen re, & propositorum Remediorum effectum, & accuratissimi Professoris judicium expectantes, ulteriùs dicere supersedemus.

Ex dictis patet, quòd *Paralysis* propriè sit Atonia Fibrarum nervearum musculosarum, præcipuè autem in Tendinibus & Ligamentis; quæ Partes propter Atoniam resolutæ, flaccidæ, molles & relaxatæ, ineptæ fiunt, ut trahere aut convenienti robore firmare possint Membrum; qui levior Affectus dicitur *Paresis*, sicut fortior *Paralysis*.

Malè ergò & ex falsâ hypothesi *Paresin Paralysin Notham* vulgò indigitant. Putant nempe, *Paralysin oriri ex Obstructione Nervorum*, & insequi Apoplexiam (id quod tamen dat Paraplegiam,) qualis Obstructio cùm non sit obvia in Paresi, propterea eam Paralysin Notham indigitant; cum tamen reverà Paresis Paralyseos sit species, sed levior, in qua Nervi non primariò, sed tantùm consecutivè, affectis Fibris & Tendinibus laxatis, & ipsi afficiuntur.

Facilis aliàs est *distinctio inter Paraplegiam supervenientem Apoplexiæ*, & *Paralysin*. Differunt enim (1.) *Origine*: Nam *Paraplegia* sequitur imprimis Cerebri & Spinæ Morbos, & frequentissimè comitatur Apoplexiam, Epilepsiam, Convulsiones &c., cùm dicti Affectus subinde sint mutuò permutabiles, & desinant in Paraplexiam; *Paralysis* verò sequitur alios Corporis Affectus, in specie post Scorbutum, Malum Hypochondriacum, & Colicam Convulsivam: frequentior est Regionibus, ubi copiosum hauriunt Vinum, aut oritur etiam subinde à Causis Externis.

Differunt (2.) *Subjecto*: Nam *Paraplexiâ* primariò afficiuntur Nervi, quoad Exortum; *in Paralysi* verò iidem in Progressu & Insertione, imprimis Musculi, & in specie Tendines & Artus. Hinc Medicamentorum Topicorum diversa in utroque Affectu applicandi ratio, quæ in Paraplegiâ magis Origini Nervorum Partis affectæ, in Paralysi ipsi Parti affectæ applicanda.

(3.) *Symptomatis* simul differunt: Nam *in legitimâ Paraplegiâ* Sensus Tactûs ut plurimùm cum Motu voluntario simul perit, & tollitur, *in Paralysi* verò subinde Sensus Tactûs supereſt, quandoque etiam, ut in Scorbuticis, cum Sensu doloroso, formicante, lacerante, & simili tantummodò Motus tollitur, & labescit.

Quibus addatur (4.) quòd genuina Nervorum Resolutio seu *Paraplexia* à principio ad finem eodem ferè habitu sit constans, aut quodammodò perpetua, & crebriùs Medicorum operam fallat; nam Paraplegiæ, post Apoplexiam sunt difficillimæ Curationis: econtrà *Paralyses & Pareses* sæpiùs per intervalla Ægros magis & minùs vexant, labefactant, cessant & redeunt; quandoque cum *Arthriticis* quasi *Doloribus* complicantur, ut quotidie venit in Paresi Scorbuticâ, donec habitum in Membro contraxerint: Quin & interdum in *Convulsiones* abeunt, & in Malo confirmato pertinacem *Contracturam* post se trahunt, nec tamen adeò rebelles sunt exercitatis Medicis, ut Paraplegiæ, quin nondum confirmatæ facilè tolli possint: Vid. Drawizii *Scorbutus dolorificus*.

Quæ dicta hactenus, ostendunt, quid genuina sit Paralysis. Verùm *communiter in genere & abusivè* omnis Sensus & Motus in Parte depravatus à quacunque Causâ, dicitur Paralysis: sic etiam, quando ex dissecto, verbi gratiâ, per medium Nervo, pereunt Sensus & Motus in partium Vulneribus, dicitur etiam Paralysis, cùm propriè in Paralysi verâ pereat Motus, remanente Sensu, rarò verò simul Sensus etiam pereat; in Paraplegiâ verò Sensus & Motus simul perit. Rarissimus econtrà est Affectus, ut pereunte Sensu remaneat Motus, & tunc malè quoque ad Paralyses refertur, cùm tantùm ἀναισθησία sit, seu *Insensilitas*, aliis *Stupor* dicta, de quo *suprà Section. 2. Cap. 3. Artic. 1.* egimus.

## CAUSÆ.

*Causas Paralyseos* quod attinet: hæc prout à Paraplegiâ distinguitur, ratione Causæ est vel *Privativa* impropriè sic dicta, vel *Positiva*; quarum *illa* Nervos afficit, & Spirituum emanationem inhibet; *hæc* Narcosin seu simile quid, quod Spirituum Animalium activitatem turbat, præsupponit.

Causæ ergò Paralyseos revocari possunt *ad duplicem Classem*; nempe *Spirituum torporem, & Viarum angustiam* seu interceptionem. Siquidem Privativa in Viarum seu Nervorum, Medullæ oblongatæ, ac Tendinum dissectione in Vulneribus, distorsione aut compressione, aliove vitio consistit; quæ nunc hunc nunc istum Nervum sine præcedente Affectu apoplectico solent affligere: quò etiam pertinet, quando *Nervorum* quorundam particularium per μετάστασιν Causæ morbosæ fit *Obstructio*, aut *Compressio*, vel superficietenùs, vel intra Membranas, aut alia nondum satis cognita Affectio, quò minùs possit Sensus & Motus communicari Partibus, verbi gratiâ quando post Variolas retropulsas aut malè curatas, uti habet Lotichius *libr. 3. Observation. capit. 1. Observation. 15.* qui observat Paralysin Linguæ in Infante à Variolis malè curatis, aut post Erysipelas Capitis malè curatum oritur Paralysis Linguæ, (Videat. Salmuth *Centuriâ 2. Observation. 43.*) item à Varis Faciei retropulsis primò Arthritis, post etiam Paralysis, & tandem brevi Mors secuta fuit, notante Salmuth *loco allegat. Observation. 35.* quæ tamen omnes à Causâ Privativâ excitatæ Paralyses reverà potiùs *Paraplegiæ* sunt, hodie consuetâ confusione invicem confusæ. Facit huc etiam, quando per Vulnera Cerebri & Medullæ Spinalis, aliarumque partium, *dissecantur Nervi*; aut quando Nervi in Medullæ Compressione, ex Luxatione ac Fracturâ Vertebrarum inferiorum Partium Dorsi, aut Casibus ab alto, sunt distorti aut compressi, quod observavit Hoeferus; unde supervenit Paralysis Privativa cæterarum Partium. His enim modis vitiati Nervi denegant Spirituum Animalium influxum, & per consequens Sensum & Motum Partibus istis, in quas derivantur; unde Paraplegiæ potiùs, quàm Paralyses: Sic Hoeferus *in Hercul. Medico pagina 29.* observat Paralysin omnium Partium inferiorum *ex luxatâ Vertebrâ Lumborum, Coxæ proximâ*: Ita *post Casum in Os Sacrum* ex scalâ lapideâ Paralysin Brachii & Cruris sinistri secutam, & Inunctione appropriatâ curatam fuisse, refert Amatus Lusitanus *lib. 1. Curat. 19.* Sic *Percussiones Capitis* excitant Paralysin vel potiùs Paraplegiam in opposito latere: Hinc quidam ex Arbore decidens in Os Sacrum, ex hujus contusione in Paralysin dictam Pedum inciderat, ut hoc observat Bartholinus *Cent. 5. Observat. 8.* Similiter Paralysin sinistri lateris, Convulsionem & Mortem, *ex Contusione Musculi Temporalis* à Lapsu notavit Glandorpius *Specul. Chirurg. Observat. 10.* Quò pertinet *Gibbus* Paralysin sensim inducens, cujus Curam videb. in M. A. N. C. *Ann. 2. Observat. 230. pag. 333.* Sed hæc ipsa modò allegata potiùs Paraplegiam, quàm Paralysin inducunt.

*Positiva verò Paralysis est*, quæ propriè *Paralysin* constituit, & nunc ab *Externâ*, nunc ab *Internâ* oritur *Causâ*.

*Externas* inter *nimia Humectatio* ac *nimia Refrigeratio*, e. g. *Aër frigidior ac pluviosus*, indeque nata Reso-

Reſolutio & Flacciditas Fibrarum ac Tendinum, infertra Palyſin, eamque propriam; Sic enim non ſolùm Galenus jam ſuo tempore ex morâ diuturnâ in Aquâ frigidâ, & ex Balneo Aquæ frigidæ; ſed etiam Zacutus Luſitanus *lib.* 1. *Prax. Admir. Obſervat.* 34. & 37. ex diuturniore morâ in Aquâ frigidâ pluviosâ, item ex frequenti Natatione in Aquâ frigidâ, Paralyſes obſervârunt. Hinc etiam *Senes*, item *Infantes*, ſunt quaſi ſemi-paralytici; quia in Infantibus Fibræ & Tendines copioſo Rore nutritio irroratæ, laxæ & flaccidæ ſunt, & propter deficiens robur, vix valent Membris movendis; in Senibus verò deficiente Rore nutritio ſuccedit ſæpiùs Aquoſitas ſeroſa, aut alia, quæ laxando Fibras & Tendines, tales ſemi-paralyticos reddit. Unde etiam ii, qui diutiùs in Pluviâ verſantur, & Veſtimenta madida in Corpore exſiccare permittunt, in uno alterove Membro fiunt Paralytici, teſte Hörſtio *in Obſervat.*

Imprimis autem & ſæpiſſimè *à Causâ Interna* fit *Paralyſis Poſitiva* ex *Lymphâ acidâ*, ſeu ex Materiâ quadam vitiosè acidâ, Lymphæ cognatâ, quæ Lymphæ aut Seri vehiculo ad quoddam Membrum delata, nervoſas Partes iſtius loci irrorans, (cùm aliàs omne Acidum Nervis ſit inimiciſſimum, cujus occaſione Fibræ unius alteriuſve Tendinis aut Muſculi affici, ac quaſi nonnihil intorqueri aut corrugari videntur,) earum Tonum ſucceſſivè corrumpit, ut ineptæ fiant iſtæ Partes nervoſæ movendis Oſſibus & Membris; unde conſequenter Motûs defectus cum Senſu plùs minùs deficiente, aut ſaltim aliquali Stupore juncto. *Exempla* talis Paralyſeos Poſitivæ à Causâ Internâ, v. g. à Sero ad Spinam deſcendente, videb. in Platero *Praxeos Tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. Volchero Coiter *Obſervat. Miſcell. pag.* 114. & Boneti *Sepulchreto lib.* 1. *Sect.* 15. *Obſervat.* 3. item ab Abſceſſu Cerebri, vid. Scultetus *Obſervat. Chirurg.* 19. à Tumore Scirrhoſo vid. Williſius *de Anima Brutor. lib.* 2. *cap.* 9. Hac ratione *Potatores Vini* in quibuſdam Regionibus ſubinde fiunt paralytici; & quidem cum tali Paralyſi ex Acore contractâ etiam ſubinde Senſus quidam moleſtus, ſi non doloroſus, ſaltem nunc formicans, aut tantùmmodò titillans, aut lancinans, nunc cum Stupore, conjunctus eſt; qui in principio nunc eſt gravior, nunc remiſſior, donec ſucceſſivè ſuperveniat Partis magis magiſque Immobilitas, & tandem planè deficiens Motus. Senſus formicans oritur ex Acido primitivo vellicante, & præternaturaliter rodente Fibras, Nervos verò non tangente, unde Tactus eſt ſalvus. Et tales Paralyſes frequentes ſunt in Auſtriâ, Moraviâ, & ſimilibus locis, ubi copioſum potatur Vinum, Acore inſigni tartareo ſatis volatili turgidum; qui Acor vitioſus nonnihil auſterus, in Stomacho non ritè correctus, pergit ad Membra & Partes extimas, & defixus circa nervoſas Partes, Tendines, Fibras & Ligamenta, non tantùm Arthritidem, ſed etiam Paralyſin iſtis infert, in quibus pereunte Motu, imminutus aut vitiatus Senſus remanet, qui & ſucceſſu temporis perit. Huc facit, quod habet Paracelſus *de Contract. Membror.* qui dicit, quòd hoc Vinum inducat Contracturam Membrorum, aliud Lithiaſin, &c. Conf. etiam Helmontius *Tract. de Lithiaſi*, qui refert, Cauſam eſſe in Tartaro Vini plùs minùs volatili. Nempe ab occulto Acido volatili plùs minùs auſtero irroratæ Fibræ, Tendines, &c. rigidiores quodammodò & minùs mobiles fiunt, hinc enim & Contractura interdum ſupervenit: Acida enim corrugant quodammodò Partes nerveas, (Corium cum Acido corrugat ſe, cum Alcalibus non) adeoque in his caſibus primò ſequitur Pareſis, hinc Tonus Fibrarum naturalis ſolvitur & perfecta Paralyſis, & tandem earum Corrugatio præternaturalis, omnimoda Membri Immobilitas & Contractura inducitur: Quæ illuſtrat Bartholinus *in Act. Med. Haffnienſ. Vol.* 1. *pag.* 210., ubi refert, Chirurgum ex potu Aquæ Fortis tantam paſſum fuiſſe Contracturam Membrorum, ut eum planè contraxerit, adeò ut ex magno homine puſillus factus fuerit: Sicuti huc facit Obſervatio Tackii *in Triplici Phaſi Soph. pag. m.* 148. qui refert Paralyſin omnium Membrorum cum Contracturâ ex acriori Sanguine, Curam per Lacticinia, quæ Acidum temperant, & Fibras Paralyſi affectas reſtaurant. Diſponit etiam ad talem Paralyſin *Vinum*, præmaturè, & antequàm ſe depurèt, *ſulphuratum*, quò minùs tartareæ Fæculentiæ debitè poſſint fermentando præcipitari, & Sulphur narcoticum exhalare, unde Acidum reſtitans, plùs minùs volatile, profundiùs intra Corpus penetrat, nerveas Partes affligit, & ad hujuſmodi Paralyſin diſponit: Vid. de Vino ad Paralyſin hanc diſponente M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obſervat.* 39. *pag.* 70. *Quòd ſi magis volatiliſatum*, adeoque & ſpirituoſius Vinum fuerit, ac *Synoviam* Articulorum infecerit, *Podagram* infert; aut inficiendo Spiritum Inſitum, aut Fermentum Renum, *Lithiaſin*. Unde præmiſſis præmittendis *Paralyſes* tales & hinc natæ *Contracturæ*, *Lacticiniorum* uſu inter alia optimè curantur.

*Scorbutici* etiam ex vitiato Acido, item *Colici*, nempe in Colicâ Convulſivâ, ſimili ratione *Paralyſin & Pareſin* incurrunt. Nam ſi Acidum ſcorbuticum junctum fuerit Vehiculo ſeroſo, hinc inde vitiantur Fibræ muſculoſæ ac tendinoſæ, & Partes ad Paralyſin planè ſingularem diſponuntur plùs minùs contumacem: *Senſim inchoat* & procedit, & primò ſaltem vagus Stupor aut Inſenſilitas cum formicationis Senſu Partem prehendit, unde ſucceſſivè labefactari Tonus Membri, & magis magiſque paralyticus reddi incipit. *Eſt autem vaga* vel minùs conſtans, niſi nimis inveterata fuerit, ita ut Æger uno die meliùs, in altero pejùs habeat; uno die ferè incedere, altero die decumbere cogatur: hinc nunc Digiti, aut Manuum aut Pedum, intumeſcere, nunc detumeſcere obſervantur; nunc unus alterve Digitus ſtupet, qui brevi meliùs ſe habet: *Senſus manet ut plurimùm*, aut ſaltim aliqualis Stupor inducitur; ſubinde cum Dolore gravi, ut plurimùm vago, rarò fixo, juncta eſt: Jacentes verò commodè Membra movere poſſunt; ſed ſtantes vix denuò pergere, nec abſque Dolore aut Stuporis Senſu incedere poſſunt; ſicuti hunc ipſum Affectum omnium optimè delineat Drawizius *de Scorbut. Sect.* 3. Sanè *Acidum volatile auſterum* eſt, quod hîc peccat, quod nerveas Fibras diverſimodè afficiendo, nunc aliquid convulſivi, nunc aliquid paralytici infert; ita ut hujuſmodi Paralyſis quaſi medium quid ſit inter Morbos Paralyticos & Convulſivos in ſpecie ſic dictos. Unde non rarum eſt, ut in talibus Ægris Scorbuticis Membrum nunc Spaſmo contractum *rigidum* reddatur, nunc Paralyſi affectum idem *flacceſcat*, & plùs minùs ſtupeat, prout Nervi aut Fibræ Tendinum vel Acido irritantur, veleodem Auſtero intorquentur. Huc quoque pertinet Lues Venerea, Paralyſin producens: vid. Rhodius *Cent.* 2. *Obſervat.* 34.

Par eſt ratio iſtius *Paralyſeos*, quæ inſequitur *Colicam*, & quidem iſtam, quæ eſt magis *Habitualis*, & quæ vulgò à tenui acri Humore oriri dicitur, & aliàs à Practicis *Colica Bilioſa* vocatur. Alvus eſt pertinaciter clauſa, Tormina atrociora & contumaciſſima vexant, Purgantibus qui-

quibuſvis per os aſſumptis maximè exaſperatur Malum, Umbilicus interiora versùs retrahitur. *Quòd ſi vel malè tractetur*, quod imprimis fit, ſi irritetur Acrioribus, aut Purgantibus, aut plùs minùs deſævire videtur, ſucceſſivè unius alteriuſve aut plurium Membrorum Stupor, hinc ſubita Motûs impotentia, tandem perfecta Paralyſis, ſupervenit. *Si negotium hoc rectè conſideretur*, reverà eſt *Colica* ratione modi *Convulſiva*, ratione Cauſæ Occaſionalis Materialis *Scorbutica*; Nidus verò & Fomes in Plexibus Meſenterii nerveis eſt; nam in iſtâ Colicâ non tam Inteſtina affliguntur, quàm Meſenterium. *Acidum auſterum*, imprimis *ſcorbuticum*, eſt, quod has turbas, nempe Convulſiones Partium internarum & Colicam dat in Abdomine. *Dubium ſaltim eſt, quomodò Colicam talem Paralyſis Artuum inſequatur*, cum interdum ſubitò atque ceſſat Dolor, Membra obſerventur paralytica? Nempe *in principio* Mali Paralytici ſaltem *Convulſivi quid* ſubeſt, unde Spirituum interrupto fluxu Stupor & aliqualis Inſultus Paralyticus ſupervenit. Hinc *Colica* talis in *Paralyſin*, ſubinde in *Convulſionem*, ſubinde in *Arthriticos Dolores*, in principio mutationis ſuæ terminatur, donec ipſum Acidum volatile circa Meſenterii Plexus reſolutum, materialiter Partes iſtas ita malè affectas attingens, perfectam Paralyſin, & tandem ex Fibrarum tendinoſarum corrugatione Contracturam, efficiat. Nempe *ſicut Renum Calculum Stupor Crurum* non rarò comitatur, ita & hoc Malum nonnihil remittens, ex ſimplici conſenſu unius alteriuſve Membri ex Nervi Spaſmo & Spirituum interrupto motu Paralytica diſpoſitio inſequitur, donec Malo inveterato ipſum quaſi per πρωτοπάθειαν fiat, quod quoad originem, ſaltem per δευτεροπάθειαν erat. De cætero par ferè hujus cum *Paralyſi Scorbuticâ* videtur eſſe ratio; partim ergò ex mutuo Membrorum Conſenſu, partim ex Metaſtaſi Materiæ vitioſæ in Membra externa, Fibras corrugantis, fiunt Pareſes: hinc enim etiam Suffocationi Matricis Paralyſin ſupervenire notat Quercetanus, ſicuti Epilepſia & ipſa interdum Paralyſin poſt ſe relinquit: uti etiam ex Vermibus Inteſtinorum interdum Paralyſin oriri, obſervat Salmuth *Centur.* 1. *Obſervat.* 44. *Centur.* 2. *Obſervat.* 45.

Hiſce addenda ſunt porrò *Corpora quædam ſpecialia*, quæ ſingulari virtute Membris & Nervis Torporem paralyticum inferunt. Quô pertinet *Torpedo* Piſcis non tantùm, (de quo notum eſt, quòd Piſcatoribus & aliis ſub attactu inferat Stuporem & Torpedinem, unde etiam nomen accepit: vid. Redi *in Obſervat.* & Stephanus Florenzin, qui de hoc Piſce accuratam Anatomen edidit, ubi obſervat, in certo quôdam Corporis ejus loco ſaltim reſidere vim iſtam, unde emiſſa Effluvia Torporem inducant), ſed præter hunc Piſcem etiam in Indiâ Occidentali noviter reperta eſt certa *ſpecies quædam Conchyliorum*, quæ ipſa ſimiliter ſolo ſui contactu Manibus & Brachiis cæteriſque Membris Stuporem paralyticum infert: Vid. Kircherus *in Regno Naturæ Sect.* 4. *cap.* 4. *pag.* 182. Ulteriùs *Mercurius & omnia Mercurialia*, uti Fibris & nervoſis Partibus ſunt inimiciſſima (hujus rationem Tachenius derivat ex Acido): ita etiam ii, qui tractant Mercurialia, ut Aurifabri, item qui Specula inargentant, ſubinde Partium Paralyſin incurrunt, uti præter Sennertum *in Prax. cap. de Paralyſi*, Foreſtus *lib.* 5. *Obſervat.* 5. obſervat; hinc etiam ii, qui in Fodinis Mercurii in Foro Julii laborant: Vid. *Acta Societ. Reg. Angl. Vol.* 1. *pag.* 18. Huc etiam pertinent *Antimonii*, ſimiliumque Mineralium Exhalationes & Fumi, omniaque *Narcotica*, Spiritus Animales proſternentia.

Interdum fit, ut ſolennes *Sanguinis Evacuationes ſuppreſſæ* Paralyſin inferant: Sic Mulier propter ſuppreſſa poſt Partum Lochia Paralyſi Crurum cum Febre Ardente fuit correpta, quæ ſectâ Venâ in Talo fuit curata: Vid. Zacutus Luſitanus *lib.* 1. *Prax. Admir. Obſervat.* 37. item Deodatus *in Valetud. pag.* 212. Sic ex ſuppreſsâ Hæmorrhagiâ Narium notat Paralyſin lateris dextri Bartholinus *Centur.* 4. *Obſervat.* 69. & Zacutus Luſitanus *l. a. Obſervat.* 39. Nempe non rarum eſt, Venæ ſectioni adſuetos, ſi eam intermittant, Torporem quendam & Laſſitudinem quaſi paralyticam in uno alterove Membro percipere, nonniſi Sanguinis miſſione ſolvendam.

Porrò *Affectus Animi* graviores, Terrores, Mœrores, Pavores, Iracundiæ, &c. inducunt Paralyſin. Exempla habet Cornarius *in Obſervat.*: Item Zacutus Luſitanus *lib.* 1. *Med. Princ. Hiſtor.* 46. ex nimio Mœrore & Inediâ Paralyſin natam refert: Sic ex ſubitâ Conſternatione natam Paralyſin videb. in M. A. N. C. *Ann.* 4. *Obſervat.* 9. *pag.* 14. Interim tamen & è contrario pertinaces etiam Paralyſes, & à Medicis pro deſperatis habitæ, curatæ obſervatæ ſunt ex ſubitaneis Animi Affectibus, ex Irâ, Excandeſcentiâ, & ſimilibus: qualia Exempla curioſa Paralyſeos curatæ per tales Animi Conſternationes, habet Horſtius *lib.* 10. *Obſer.* 15. item Schenckius *in Obſer. de Paralyſi*, ubi duo habet Exempla ex *Valeriola*, per Terrorem & Iram curatorum. Paralyſin denique à Febribus natam videbitis in Loſſio *lib.* 1. *Obſervat.* 17. & 18. & à Dentitione in Amato Luſitano *Vol.* 1. *Obſervat.* 18.

## DIAGNOSIS.

Quod attinet Paralyſeos *Signa*, ea ipſa per ſe ſatis patent; ceſſante enim Senſu aut Motu, aut pereunte utroque, unicuique notum erit, Membrum affici Paralyſi, quam ſubinde Atrophia Membri, ejuſque Contabeſcentia, Ger. *das Gliedſvvinden*, inſequi ſolet.

Cùm verò à tam *variis Cauſis* oriatur Paralyſis, in his cognoſcendis imprimis ſedulus ſit Medicus; hinc in *Loco affecto*, an Muſculi? (quod Paralyſis Poſitiva propriè dicitur) an Tendines? an Ligamenta? an ipſi Nervi primariò afficiantur? pro meliori Praxi probè obſervandum eſt. Ubi enim vitium eſt in Nervo, Medicamenta ejus principio applicantur; ubi eſt in Parte totâ, Pars ipſa Externis eſt medicanda.

Quoad *Cauſas Remotas*: ſemper Medici judicio relinquitur pro expiſcandis iis, non ſecus ac Proximis. Imprimis *Antecedentia* hîc probè conſulenda ſunt.

Quod attinet *Locum affectum*: Sic oriatur Paralyſis ſeu Paraplegia poſt Apoplexiam, res clara eſt, Medicamenta primariò principio Nervorum applicanda eſſe.

Si à *Læſione externâ*, à Caſu, Vulneratione, &c. oriatur Malum, ut plurimùm Nervus eſt affectus, adeoque ad hujus ortum & progreſſum reſpiciendum in Curâ.

Si nullæ tales præceſſerint Cauſæ, *Senſus eſt perſcrutandus*: quò enim plùs reſtitat Tactus, eò minùs afficitur Senſus; quò verò plùs de Tactu periit eò magis Senſus ſeu Nervus affectus.

Interdum ubi *ceſſat Motus*, *reſtitante Tactu*; ferè inſons ſolet eſſe Nervus, & Ligamenta ac Tendines magis ſunt in culpâ.

In ſpecie, quoad *Paralyſin Faciei*, benè eſt diſtinguēda Cōvulſio Faciei Canina ſeu Spaſmus Cynicus

ab

ab ejuſdem Paralyſi, ne confundamur, ſive enim medietas Faciei ſit paralytica, ſive ſit convulſa, ſemper Contractio Canina Oris ſequitur, quæ tamen facilè hoc modo diſtinguuntur. Nam ſi diſtorſio Oris oritur *ex Paralyſi*, Pars iſta, quæ trahitur & paralytica eſt, mollis & flaccida percipitur, & ad Partem ſanam trahitur, & hæc ipſa Pars facilè poteſt in naturalem ſitum per manuum operam deduci, quia mollis & flaccida eſt. Contrarium fit *in Convulſione*: nam in hac Pars convulſa dura & firmiter contracta percipitur; & denique ſi volumus Partem convulſam retrahere, Dolor oritur, quod non fit in Paralyſi.

## PROGNOSIS.

Pergo ad *Prognoſin*: Præter eam *ſuprà Artic. anteced.* de Paraplegiâ notatam, *Paralyſis ſeu Pareſis* omnis, cæteris paribus, faciliùs curatur, quàm *Paraplegia*, quæ omnem Medici operam eludit, niſi fortioribus & generoſis inſtructus ſit Remediis.

Quælibet tamen *Paralyſis Poſitiva* curatu eſt difficilis, eò magis, quò magis inveterata eſt, & Partes contractæ. *Quò magis vagum* eſt Malum, eò major Curationis ſpes.

Paralyſis, in qua ſaltem *Motus læditur, ſuperſtite Senſu*, ſecura eſt, & facilè curabilis: & vice versâ, quò magis in Paralyſi læditur Senſus, eò gravior eſt Affectus, & difficilioris Curationis.

*Paralyſis Privativa*, quæ fit à Causâ Evidente ſolitariâ, ſcilicet ex Ictu, Vulnere, Luxatione validâ & ſubitaneâ Vertebrarum aut Dorſi, aut in ſpecie Cervicis, ut plurimùm eſt lethalis.

*Quæ Apoplexiæ* aliiſque Cerebri & Nervoſi generis Affectibus *ſupervenit*, ſi non brevi in melius mutetur, plerumque incurabilis evadit; potiſſimùm ſi Senſus & Motus ſimul aboliti fuerint: imò quæ Apoplexiæ ſuccedanea, plerumque incurabilis evadit. Nihilo minùs qui à Paralyſi, cujus Cauſa Evidens ſolitaria, ſemel curantur, rariùs recidivant, quàm ubi Morbus à Causâ internâ dependerit.

Facilior eſt Cura *à Causâ Poſitivâ*, potiſſimùm ſi fuerit recens, Membrum adhuc calidum, ac nondum Contracturam minetur: econtrà quò magis Calor Membrorum reſolvitur, ac Atrophiâ corripitur, eò minus ſpei pro ſalute recuperandâ affulget; item ſi reſoluti lateris Oculus imminuatur.

Quò magis Pars Paralyſi ſaltem laborat, & *minùs inclinat ad Contracturam*, eò facilior eſt Cura: ſi verò ſuperveniat ſucceſſivè Contractura, & Immobilitas, difficilior, & gravior ſolet eſſe curandi ratio.

Si Paralyſi ſuperveniat *Tremor* Partis, bonum Signum eſt recuperandi Motū; reſuſcitari ſiquidē, aut influxum novum moliri Spiritus Animales, indicat.

In *Senibus*, *Cacochymicis*, & *Cachecticis*, etſi levior ſit Paralyſis, rarò tamen, aut difficillimè curatur, quin ad Mortem eos comitetur.

*Diarrhœa* Paralyſin debilem ſolvit: Apoplexiæ verò, ſeu Paralyſi, ſeu Paraplegiæ forti, ſuperveniens *Febris Acuta*, uti ſimilibus Affectibus Nervoſis, ita hîc admodùm conducit, & bonum eſt, quia ſæpiùs Morbum tollit.

## CURA.

Quod attinet *Curam*; in eâ obſervanda eſt Diſtinctio Affectuum, eorumque Origines, quæ enerali Paralyſeos nomine appellantur, & pro Affectuum horum eorumque Cauſarum diverſitate etiam ſubinde varianda eſt Cura. Alia enim eſt Cura in Paralyſi Privativâ, alia in Poſitivâ. *Privativa enim Paralyſis* plùs minùs Paraplegiis cognata, *ſi ex Cauſis Internis* præſertim ex Metaſtaſi Materiæ morbificæ oriatur, eodem ferè modo curatur, atque Paraplegia. In quem finem *Sudorifera*, & *Nervina* moderato uſu ſunt optima; quin, & in Malo contumaciori nil obſtat, quò minùs *Salivatio* inſtituatur, de qua vid. imprimis Williſius *de Animâ Brutorum par. 2. cap. 9. Sin verò à Vitio Externo*, Contuſione, Luxatione, Laceratione Nervorum, &c. Malum ortum fuerit, Cauſæ hæ removeantur; adeòque, verbi gratiâ Vertebra luxata, ſi fieri poſſit, reponatur. *Contuſioni* verò medela fiat per Externa, Fomenta, Linimenta, aut Balſama fortia Cephalica, & Nervina, Partibus applicata, ſcilicet *Fomenta* ex Herbâ Roriſmarini, Salviæ, Menthæ, Floribus Lavendulæ, Chamomillæ, & ſimilibus cum Vino coctâ. Poſt hæc conveniunt ex *Linimentis* Aromaticis Aqua Roriſmarini ſpirituoſa, quæ nomine *Aquæ Reginæ Hungariæ* à Gallis circumfertur, Oleum Chamomillæ, Hyperici, Lumbricorum terreſtrium, acuata cum Oleis Aromaticis deſtillatis, Succini, Lavendulæ, Salviæ, Chamomillæ, Roriſmarini, & ſimilibus. *Litus* quoque cum Petroleo, vel ſolo, vel Oleo Juniperino nonnihil acuato, hîc eſt egregius; Item Spiritus Vini cum Oleo Salviæ, vel Lavendulæ impræegnatus. In ſpecie *Balſamum Peruvianum præ cæteris eſt nobile* in quibuſdam Nervorum Affectibus externè illitum calidè, item Balſamum Paralyticum *Mynſichti*, Emplaſtrum Nervinum cum Tacamahacâ miſtum. *Internè* vix præſtantius datur Remedium Oleo deſtillato Lavendulæ, quod ad aliquot guttas, iv. vel vj. aſſumptum, expectato Sudore in lecto, egregium eſt, quô etiam ſpectat Oleum deſtillatum Succini, ſimili modo ad plures guttulas uſurpatum.

In *Paralyſi* verò *propriè ſic dictâ*, & *Poſitivâ* attendendum

1. Ut *Cauſa Materialis*, ſeu Materia peccans, & Nervos, aut Tendines Fibraſque infeſtans, corrigatur, & removeatur, id quod ſpeciatim præſtant *Diaphoretica*, præſertim volatilia, & *Aromatica* reſolventia, & diſcutientia.
2. Ut *Partium nervoſarum affectarum Tonus* debitus reſtituatur, & roboretur *Appropriatis*, & in ſpecie *Nervinis* aromaticis, ac volatilibus, vulgò Calefacientibus, & Siccantibus dictis, idque ferè imprimis applicatis *Remediis Externis*, ſed non nimis unctuoſis.

Pro his ſcopis obtinendis obſervetur

I. Cùm tam Paraplegia, quàm Paralyſis à Causâ Internâ nata, Fomitem altiùs tam in Maſsâ Sanguineâ, & Lymphâ, quàm etiam in Officinâ Digeſtionis, & primis viis, præſupponat radicatum, verbi gratiâ in Scorbuto, Colicâ Convulſivâ, Malo Hypochondriaco, Arthritide, Iſchiadico Affectu, Paſſione Hyſterica, &c., quos imprimis ſolet infeſtare Paralyſis; tunc præter ſpecialem Paralyſeos Curam ſimul, præmiſſis debitis Alterantibus, & Appropriatis, *Fomes iſte evacuandus, & corrigendus*, ſemperque ad *Acidum auſterum* plùs minùs volatile reſpiciendum. Ob id Fomes Morbi, *Digeſtivis* ſalinis reſolutus, & abſterſus, convenientibus *Evacuantibus* eſt expurgandus: quæ inter præter *Clyſmata* acriora, & *Purgantia* blanda per inferiora, in ſpecie *Vomitoria* ſunt, quæ præ aliis Evacuantibus à Riverio commendantur, & à Lindano mox in principio inſtituenda præſcribuntur. Fortiora autem per inferiora Purgantia ſedulò hîc fugienda: nam multi in uno latere reſoluti, ſeu paraplectici, ſi in principio fortiora præſcribantur Purgantia, etiam in altero latere Paralyſi tentati,

&

tandem extincti fuerunt, uti hoc obſervavit Solenander, & ex eo Thonerus in *Obſervat.*

II. *Diæta* temperata, & probè nutritiva Lactea, Acidum quodcunque corrigens, & copioſum Chylum ſubminiſtrans (pro quo ſcopo *Lac* præmiſſis præmittendis eſt optimum) inſtituatur, ne copioſo Sudore loca nervea Succo nutritivo defraudentur.

III. *Ubi à Colicâ fuerit Pareſis*, cautus vel maximè ſit Medicus in *Purgantibus fortioribus*, cum ejuſmodi Colicæ exinde exaſperentur, & metus ſit, ne ſequantur Convulſiones, & ſimilia Mala. Hinc Poterius in hujuſmodi Affectibus utitur *Decoctis Melanagogis* blandis, & ex baſi Helleborі nigri paratis: ſaltem ergò Helleborinis mitioribus, iiſque partitis vicibus *Purgatio* blanda inſtituenda venit: id quod etiam in Scorbuticis probè obſervandum eſt, qui ipſi etiam fortiores Purgationes vix, aut rarò ferunt; ſicuti in genere omnis fortis Purgatio eſt nociva. Imò ſi Scorbuticis Membrorum Affectibus correptis, imprimis paralyticis, fortiora propinentur Purgantia, facillimè Morbi Convulſivi iiſdem excitari poſſunt. Nervus totius Curæ *ad Abdomen* dirigendus eſt, adeòque potiùs frequentes conveniunt *Clyſteres*, quibus Olea Carminativa, & Nervina adduntur, verbi gratiâ Oleum Angelicæ, Salviæ, Succini, Cumini, & Carvi; ſintque in principio ſaltim Emollientes, & Lubricantes: item ex Lacte, & Terebinthinâ, quæ optima ſunt. In progreſſu verò imprimis ſi Fomes Morbi hæret circa Viſcera Abdominis, & Patiens nullum exinde ſentiat levamen, tunc Acriores nonnihil Clyſteres interdum adhiberi poſſunt. Quò frequentiùs injiciuntur, eò magis proſunt, & eò magis Paralyſin præſervant.

IV. *Externa* Remedia uſurpanda ſunt ad reſtituendum *Tonum Partis*, imprimis poſt provocatos Sudores eorumque abſterſionem; Pori enim tunc aperti faciliùs Remedii externi admittunt ingreſſum. Obſervandum tamen hìc, *ſi Scorbutus ſubſit*, non ſemper Calida Acria convenire, quoniam interdum magis videntur exaſperare Malum; Potiùs igitur Temperata priùs tentanda, antequam ad Acriora illa fiat acceſſus. Obſervandum quoque, non ſemper convenire *Unguenta* pinguia, viſcida, aut glutinantia, Poros Cutis plus minùs obſtruentia, quæ non penetrant; adeòque præſtat interdum uti *Suffitibus*, *Fomentis*, *Lotionibus*. In ſpecie tamen obſervanda Cautela Quercetani, qui monet in adminiſtratione Topicorum Remediorum, quæ ut plurimùm calefaciunt, & attenuant, quòd accuratè debeat expendere Medicus, ut, ſi Paralyſis ſit ab Humore aquoſo, aut pituitoſo, id eſt à Lymphâ vitiatâ plùs minùs acidâ, & Æger ſit ſimilis ferè conſtitutionis, Parſque paralytica intumuerit; quòd Medicamenta tunc adhibenda ſint ſubtilia, & penetrantia, nunc volatilia, nunc ſpirituoſa, nunc ſalina, quorum penetrantia optimè occurrit his Affectibus: Sin verò Pars affecta jam marceſcat, & plùs minùs in Atrophiam labatur, & Æger ipſe quodammodò conſtitutionis ſit biliоſioris, ab iis abſtinere debet Medicus.

V. Si Paralyſis ſequitur ſolennem *Sanguinis Suppreſſionem*, idque in Corpore euſarco, & juvenili, ſolet eam curare *Venæ ſectio* ſubinde repetita; Exemplum vid. in Valeriola *l.* 4. *Obſerv.* 4. qui refert de Paralyſi dextræ partis in Sene optimi habitûs, & magnarum adhuc virium, quæ ſolâ Purgatione, & Sanguinis miſſione fuit curata. Poſt Venæ ſectionem *Sudor* convenit.

Quoad *Remedia ergò Appropriata*: Alterantia, & vi ſudoriferâ corrigentia Cauſam morboſam in paralyticis Affectibus, in genere omnia *Apoplectica*, & *Antiepileptica*, commendantur, & applicantur, etiam in quibuſvis Paralyſeos ſpeciebus, tam in Paralyſi verâ, quàm Paraplegiâ.

Intereà quod attinet primò *Vomitoria*: hæc ſunt ſatis nota, quæ inter Flores Antimonii commendat Hartmannus cum Extracto Scammonii *in Praxi Chymiatr.*

Inter *Purgantia* vitentur Cathartica potentiora, utpote Malum ſæpiùs exaſperantia, niſi pituitoſorum, & ſeroſorum Humorum abundantia fortiora Evacuantia poſtulet. Imprimis conducunt mitiora tantùm Laxantia, verbi gratiâ *Helleborina*: vid. Poterius *loco alleg.* Aliàs commendatur Turbith à ℥ß. ad ʒiß. item Hermodactyli à ʒß. ad ʒiß. in Infuſo ad ℥ß. ut ut parum Infuſo tribuant; eorum loco Species Dia-Turbith cum Rhabarbaro ad ℈j. ad ʒß. propinari poſſunt, quæ inſigniter admodùm conducunt ad evacuandum. Pilulæ Fœtidæ, & ſimiles, uti & Pilulæ de Hierâ cum Agarico, acuatæ cum Extracto Trochiſcorum Alhandal, ſeu Colocynthidis, uſurpandæ; nam in paralyticis Affectibus ut plurimùm ſtimulus debet eſſe Colocynthis. Spectat huc Mercurius dulcis quem optimum in hoc Affectu Remedium deprædicat Sylvius *Prax. l.* 2. *cap.* 22. §. 62. item Terebinthina, quam Platerus *in Praxi* tanquam Remedium appropriatum commendat: Exempli gratiâ

℞. *Maſſ. Pilular. Arthrit.* ℈j.
*Scamm. ſulph.* gr. iv.
*Extr. Troch. Alhand.* gr. j.
Cum *Eſſ. Salviæ* f. Pilulæ.
D. S.

Pilulæ Purgantes.

Ad imitationem Barbette *in Praxi.*

℞. *Herb. Chamædr.*
*Chamæp.* an. M. i.
*Flor. Anthos.*
*Prim. Ver.*
*Salviæ* an. p. ij.
*Rad. Angel.*
*Imperat.*
*Ireos Flor.* an. ʒiij.
*Helleb. nigri* ʒj.
*Fol. Sennæ ſine ſtip.* ʒvj.
*Cort. Rad. Eſulæ* ℥ß.
*Cardamom.*
*Cubeb.* an. ʒiij.
*Sal. Tartari* ʒiß.

F. Nodulus Vino infundendus.

Aliàs eidem Evacuationis ſcopo egregiè ſatisfaciunt *Sudorifera* à Platero *Prax. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. commendata, verbi gratiâ Decoctum Guajaci, & Chinæ, Rob Ebuli à Platero *loc. alleg.* aut hujus Decoctum à Riverio laudatum, item Bardanæ, & Volatilium, atque Aromaticorum plurium, exempli gratiâ Decoctum Roriſmarini, Helenii, &c. Quamvis Williſius *de Animâ Brutorum part.* 2. *cap.* 9. de Sudoribus annotavit, illos ſæpiùs quidem multum juvare, nonnunquam tamen valdè etiam obeſſe; adeòque non convenire Subjectis illis, quorum Sanguis Sale fixiori minuſque difflabili gaudet, ſed tantùm his, quibus à Sero magis inſipido, & aqueo hic diluitur.

Inter *Appropriata Remedia* eſſe dixi, & *Apoplectica*, & *Epileptica*. In genere ergò conveniunt, & præ cæteris in uſu ſunt in ſpecie, Salvia, Chamædrys, & Chamæpitys, & *Roſmarinus*, cui certè multum tribuitur ab omnibus Authoribus, in ſpecie tamen à Lindano, qui Roremmarinum nobiliſſimum vocat ad curandos Paralyticos, ſi ejus Decoctum factum lento igne in Mariæ Bal-

neo, propinetur Ægro, jejuno ventriculo, liberaliter bonus hauſtus, movet enim ſic blandum Sudorem, & egregiè deſtruit Paralyſin; cui additum ſit Extracti, ſeu Eſſentiæ Caſtorei, quantum placet, cum ſucceſſu magis felici. De Primulâ Veris res nota eſt, quòd vocetur Herba Paralyſis propter inſignem vim, quam obtinet in Paralyticis curandis, quocunque uſu adhibeatur. Stœchas Arabica, & ipſa interno uſu ſingularis; item omnia Aromata, uti & ex his, & ſimilibus parata, Eſſentiæ, Extracta, Olea deſtillata, verbi gratiâ Infuſum Salviæ cum Vino, Eſſentia Salviæ, Oleum Florum Anthos, ſeu Roriſmarini, Oleum deſtillatum Succini, quod commendat Fonſeca *lib.* 1. *cap.* 17. Oleum deſtillatum Florum Lavendulæ, & ſimilia, ad aliquot guttas interno uſu in Aquâ Betonicæ propinata admodùm laudantur, ut, & *Nervina* cuncta *ſuprà Artic.* 1. *in Apoplexiâ* allegata, item Caſtoreum, Theriaca, & Extracta Theriacalia, ac ſimilia. Aliàs Helenium quoque admodùm laudari ſolet, imprimis in Pareſi ex Colicâ, aut abuſu Vinorum, & quælibet ex Helenio parata Remedia, Vinum, Decoctum, Eſſentia, & Extractum Helenii. In ſpecie Decoctum Radicis Enulæ, & Fœniculi Hœchſtedteri *Decad.* 3. *Obſervat.* 1. ad Pareſim ex Colica admodùm commendatur. *Ligna* etiam, eorumque Decocta, in Praxi Veterum ad Paralyſin curandam commendantur. Decocta Lignorum cum Roremarino laudat Lindanus, qualia etiam Bontius *in Beriberi Indorum* commendat. Hæc inter *Saſſafras* primatum obtinet, quod eſt egregium Aroma, Affectibus Acidis ex Lymphâ commendatum. Poſt hoc optimum eſt *Lignum Guajacum*, quorum Decocta pro Curâ Sudoriferâ laudem ſuam merentur, vid. Hartmannus *Praxi Chymiatr. pag.* 86. §. 3. Quibus Decoctis ſpeciatim Roſmarinus, Baccæ Juniperi, vel Baccæ Lauri ſunt addendæ, ſic enim meliora fieri ſolent. Poterius *Centur.* 2. *Curat.* 26. hoc habet *Decoctum*, quo Paralyſin cum graviſſimis Symptomatis ſtipatam curavit, ex

*Raſurâ Ligni Saſſafr.* ℥j.
*Bacc. Lauri* ℥iß.

quæ in ℔vj. *Vini* ad medias decoxit, & ita Ægris propinando curavit.

Ad hujus imitationem parari poteſt Decoctum *ſuprà Artic. anteced. in Paraplexiâ*, & in *Ideâ Formular. Cl.* 4. §. 12. annotatum. Horum Decoctorum loco, & Eſſentia Lignorum cum Spiritu Sambuci parata, vel Eſſentia Ligni Saſſafras cum Spiritu Serpilli, vel Eſſentia Catarrhalis ex Ligno Saſſafras cum Succino miſto conducunt. Hinc Spiritus Lignorum, cum Spiritibus Simplicium Nervinorum miſti & conjuncti, erunt egregii. Modernis quibuſdam Belgis, imprimis Lindano, in uſu eſt Lignum ex Indiis noviter allatum dictum *Pavana*, de quo videatur *Theatrum Botanicum* Bauhini, qui vocat *l.* 3. *cap.* 151. *Lignum Moluccenſe*. Hoc fuit in frequenti, & felici uſu Lindano: eſt Lignum album, admodùm leve, cujus raſi, & in Pulverem ſubtilem triti dedit ʒß. ad ℈ij. in cochleari Spiritûs Vini, quod Remedium ipſi tres inſignes effectus præſtitit: nam Vomitum, Purgationem, & etiam Sudationem ſine virium proſtratione provocavit: quo ipſo feliciter poſt tres doſes repetitas aliquando Mulierem inſigniter paralyticam reſtituit. Hoc ipſum cum reliquis Lignis, in ſpecie Saſſafras, poteſt conjungi in eundem uſum, idque, ut ſpero, egregio cum fructu.

*Milium* vulgare quidem, & ſimplex eſt Remedium, imprimis Pareſi ex Colicâ, per copioſum admodùm Sudorem ſæpiùs repetitum hunc Morbum curans: vid. Schenckius *in Obſervat. de Pareſi ex Colicâ*, qui omnibus Sudoriferis in Pareſi ex Colicâ, iſta longè præfert. Vid. Schroederus *in Pharmac. ubi de Milio*, ſub nomine *Decocti*, *& Syrupi Divi Ambroſii*. Juxta hæc *Tartarus* admodùm ſe commendat in Affectibus Paralyticis, & imprimis Volatilia ex Tartaro, & Sal volatile Tartari, & hinc Tinctura Bezoardica ritè parata, mirè commendari ſolet in quacumque Pareſi, à quacunque Causâ, in ſpecie in Colicis Paralyticis, in Scorbuto, & Malo Hypochondriaco, quæ Spiritus Tartari volatilis optimè curat internè, & externè. Juxta quæ etiam Tinctura Tartari commodè parari poteſt, aut ſaltem Spiritus Tartari vulgaris optimè rectificatus, cohobatur cum ana Spiritûs Vini optimè dephlegmati, & ſæpiùs tartariſati; Nam ſic fit *Spiritus Vini tartariſatus volatilis*, qui à Lindano ad paralytica Pathemata maximè commendatur. Vel præparetur Sal volatile, & Spiritus Tartari ex Fæcibus Vini, vel ex Oleo Tartari fœtido; loco cujus Spiritus Carminativus nobiliſſimum eſt Remedium. Externè etiam Spiritus Vini convenit Tartaro crudo affuſus, & cum eodem deſtillatus, pro fricandis Membris externis, Pareſi affectis.

Juxta hæc Volatilia ex Tartaro, quæcumque etiam alia *Salia volatilia*, eorumque *Spiritus*, præprimis aromatiſati, ſuam merentur laudem, ut Spiritus, & Sal volatile Urinæ per putrefactionem parata; Spiritus Salis Ammoniaci ſimplex, lavendulatus, ſuccinatus, & ſaſſafraſatus, *Sal volatile Oleoſum D. Sylvii*, quo ſolebat curare Pareſes ex Colicâ obortas. Porrò laudari ſolent inſigniter Medicamenta *Viperarum* quæcunque, exteriùs Oleum, internè verò Spiritus, & Sal volatile Viperarum; ſicut, & Paralyſis ab omnibus, ceu deſperata relicta, curata dicitur Decocto Viperarum. Poſt Sal volatile Viperarum non minùs laudatur Liquor Cornu Cervi ſuccinatus, Sal volatile Succini, ſi conjungatur cum Pulvere Paralytico *Hartmanni* ex Cinnabari Antimonii, & Magiſterio Perlarum: Vid. *Prax. Chymiatr.* Quibus præferuntur Volatilia ex Lumbricis, & Formicis parata, ceu Remedia appropriatiſſima in hujuſmodi Affectibus partium externarum: unde etiam Aqua Magnanimitatis, & ſimiles non tantùm externè, ſed etiam in ſpecie internè, hîc ſuam merentur laudem, in ſpecie, ſi Spiritus quidam Vegetabilis affundatur Formicis, digerantur ad tempus, & poſtmodùm aliquoties cohobentur; ſic enim fit *Spiritus Antiparalyticus* internè, & externè egregius. Per ſe dant Spiritum acidum: ſi verò aſſerventur, ut ſitum contrahant, ex iis deſtillatur Spiritus & Sal volatile urinoſum penetrans, & admodùm volatile, internè & externè optimum. Et certè in Lumbricis ac Formicis ſingularia latent contra Affectus Nervorum, præſertim eos, qui ex Acido plùs minùs occulto originem ducunt.

Verùm in uſu horum Volatilium obſervetur, quòd non *ſemper ac promiſcuè conducant*, *in ſpecie ſub primo Morbi inſultu*, *quia videntur Affectus exaſperari*, *& doloroſi reddi*, *propter Effervescentiâ*, *quæ cum Acido excitatur*, *ratione cujus varia Pathemata inferuntur. Quòd ſi hoc obſervatur*, *priùs Fixiora & Acidum primarum viarum Abſorbentia præmittantur*, *& Volatilia omittantur*. Inter *Fixa* eminent *Antimonialia & Martialia Sudorifera*, ut Antimonium Diaphoreticum Martiale, Bezoardicum Martiale, Unicornu verum; præſertim *Cinnabaris Antimonii* eſt egregia his in Affectibus, quam Hartmannus, & B. D. Michaelis ſemper combinavit cum Oſſe humano præparato, quo ipſo

Pulvere

Pulvere aliquoties reſtituit Paralyticos, & ego aliquoties præſcripſi cum felici ſucceſſu in Paralyſi Scorbuticâ hoc modo:

℞. *Oſſ. Microcoſm. præp.* ℈i. ad ʒß.
*Cinnab. Antimonii* gr. xii. xv. xvi. ad ℈j.
*Sal. vol. Succini* ℈ß. ad gr. xii.
M. F. Pulvis.
Div. in 2. part. æqual. S.
Pulvis Caput & Membra confortans.

Tempore veſpertino aſſumendus in *Aqua ſpirituoſâ Lavendulæ*, & egregiè convenit.

Cicurato Acido in primis viis per hæc Abſorbentia, tunc demum tutò ad Volatilia Sudorifera validiora poſſumus accedere.

Poteriusin frequentiſſimo habuit uſu ſuum *Aurum Diaphoreticum ſuprà Artic. Anteceden. ubi de Paraplegiâ*, laudatum, quod ſingularem ſui meretur conſiderationem. Nihil eſt aliud, quàm Aurum Fulminans cum duplo Florum Sulphuris calcinando fixatum, ut obmuteſcat, & hinc cum Spiritu Vini alcoholiſato digeſtum. Hôc ipſo ad Paralyſim ferè ſemper & utiliter uſus fuit. Deſcriptionem videbitis admodùm obſcuram *in Append. ad Pharmac.* Doſis gr. vj. Effectus videbitis *Centur. 2. cap. 66. 67. 81. & 87.* item *Centur. 3. cap. 14.* item *Centur. 1. cap. 73.* In hac ultimâ obſervat Paralyſin quindecim annorum curatam beneficio ſui Auri Diaphoretici. Helmontius etiam dat imprimis *Tincturam Coralliorum volatilem*: ſed hæc eſt rara avis. Vidi ego illam in Laboratorio Regio Londinenſi, ubi Dñ. Febure beneficio Spiritûs Tartari volatilis Tincturam hanc parabat, ita quidem, ut beneficio hujus Spiritûs, volatilis Tinctura per Retortam deſtillaretur; Coloris erat rubri obſcuri, Odoris admodùm penetrantis, & Saporis urinacei: quæ eſſet Remedium egregium ad Paralyticos curandos, ſi eſſet divulgata.

Quòd ſi oriatur Paralyſis Poſitiva ex nimiâ *Refrigeratione*, *Humectatione & Relaxatione* Fibrarum, Tendinum ac Ligamentorum, ſive *à Causâ Internâ* ſive *Externâ* oriatur, cuncta ea locum habent; quæ *ſuprà* in Paralyſi Privativâ dicta ſunt, non tantùm Membrum affectum, ſed Spinam quoque Dorſi cum his aut Unguento Zacuti Luſitani, quod *libr. 1. Praxi Admir. Obſervat.* 37. deſcribit, fricando. In ſpecie convenit *Oleum Terræ* cum *Axungiâ Humanâ* & *Anſerinâ* miſtum, & Parti affectæ illitum: exem. grat.

℞. *Axung. Human.*
*Anſerin.* an. ʒj.
*Ol. Terræ* ʒiij.
M. f. Linimentum: S.
Unguentum Externum Arthriticum.

Item *Tacamahaca* cum Balſamo Peruviano commiſta, laudem ſuam meretur, vel *Emplaſtrum Nervinum ex Tacamahacâ & Galbano*, cum *Oleo deſtillato Succini & Philoſophorum* malaxatum, & circa Articulos applicatum. Item ſi eò uſque procedat Malum, ut Ligamenta ita quoque reſoluta Paralyſin aut Relaxationem ferè Membri inferant, confert *Emplaſtrum Stypticum Crollii cum Oleo Philoſophorum & Terræ* malaxatum: internè cum *Theriacâ* Sudor crebriùs provocetur. Sed de his Affectibus videb. imprimis Barbette *in Anat. Pract. cap. 5. & 10.* qui tale *Emplaſtrum* commendat.

℞. *Gumm. Caramn.* ʒß.
*Galban.* ʒj.
*Ol. Euphorb.* ʒiß.
M. f. Emplaſtrum.

*Sin à Mercuriali Veneno* Malum ortum fuerit, convenit imprimis *Decoctum Fœniculi, & Helenii, ſuprà Cap. 2. Artic. 3. ubi de Tremore*, laudatum; videb. Hoechſtetterus *loc. alleg.* ſicuti ubi per Sudores *Venena Mercurialia* ſufficienter excluſa fuerint, *Lac & Serũ Lactis* comodè propinari poſſunt: Sic enim Hoeferus *in Herc. Med. pagin. 9.* Paralyſin ex Fumis metallicis, Mercurii & Antimonii, in Aurifabro, omnibus aliis fruſtraneis, per Serum Lactis à Foreſto curatam refert.

In *Pareſi Scorbuticâ Volatilia urinoſa & Lacticinia* locum habent. Obſervandum autem in ſpecie, quòd juxta Volatilia iſta urinoſa primatum obtineant Remedia *ex Pino & Abiete*, ex ejus in ſpecie Strobilis molliuſculis: Decoctum nempe Strobilorum Pini, ſeu potiùs Pinaſtri ſecundùm Bauhinum, eſt nobile Remedium & appropriatum Specificum ad Affectus Artuum ex Scorbuto oriundos, ſive ſint cum ſive ſine dolore, Sudoris beneficio has Pareſes curans, præſertim cum *Radice Chinæ* præparatum, ver. gr.

℞. *Turion. Abiet.* ʒiß.
*Rad. Chinæ* ʒj.
Inciſa & contuſa Coqu. in *Aquâ & Cereviſiâ* ad medietatis conſumptionem:
Colatura D. S.
Potio Arthritica contra Scorbutum.

Decoctum bibatur bis quotidie, expectando præſertim mane Sudorem blandum. In Lacte quoque alterationis gratiâ coqui poſſunt.

Egregium quoque eſt Decoctum Deckers *in Notis ad Prax. Barbett. Decoctum Betonicæ cum Baccis Juniperi* quoque laudatur: Videb. Drawizius *de Scorbuto pagin. 167.* Præter Decoctum Strobilorum etiam Eſſentia ex eorum Rob cum Spiritu Antiſcorbutico, vel proprio, parata, ſunt appropriatiſſima Remedia in Paralyſi Scorbuticâ: item Eſſentia contra Arthritidem Vagam ex Simplicibus Artheticis cum Spiritu Lumbricorum terreſtrium per fermentationem & cum Spiritu Cornu Cervi parata, in his paralyticis Affectibus eſt optima, quam & ipſe probatam habeo. Cum his ſemper jungendum eſt *Caſtoreum*, Sale volatile oleoſo penetranti conſtans, & Nervinis Affectibus ſpeciatim commendatum.

Iſtis debitè præmiſſis *Serum Lactis* cum Antiſcorbuticis miſtum, & ipſum quoque Lac egregium eſt, Curamque abſolvit: ſed, ut *ſuprà* monui, neceſſe eſt, *præmiſſa ſint Univerſalia*, non tam Laxantia, quàm primò Fixa Abſorbentia, hinc Volatilia; quibus præmiſſis tandem ad iſta Appropriata acceditur.

Spectant huc *Fonticuli & Setacea*, de quibus vid. Sylvius *Prax. lib. 2. cap. 22. §. 54. & 71.*

*Quòd ſi denique Colicam inſequatur Paralyſis*, cautus vel maximè ſit Medicus *in Purgantibus fortioribus*, cùm ejuſmodi Colicæ exinde exaſperentur, & provocentur magis Paralyſes & Convulſiones. Nervus totius *Curæ ad Abdomen* dirigendus, adeoque *Clyſmata Lenientia & Abſtergentia*, item ex *Lacte & Terebinthinâ* optima ſunt: Quò frequentiùs injiciuntur, eò magis proſunt & eò magis à Paralyſi præſervant. Hinc internè *Semina quatuor Calida majora*, eorumque in fine *Decoctum*, aut alia ex iiſdem parata Remedia, teſte Helmontio, ſunt Appropriata Inteſtinorum ſolamina; quibus & adjungatur *Helenii Decoctum*, præmiſſis præmittendis, ejuſve *Eſſentia* pro blando Sudore propinata. *Decoctum Milii*, ſeu, ut aliàs vocant, *Syrupus Divi Ambroſii*, mirabiliter laudatur in hujuſmodi *Paralyſi ex Colicâ*, per Sudorem hanc ipſam removens. Quibus ſi *Lignum Saſſafras* addatur, foret eò melius. *Serum Lactis* cum *Antiſcorbuticis* & ſimilibus, Medicamentum nobile eſt in hac Colicâ, & inde natâ Paralyſi. Hinc ceu ſummum Appropriatum accenſetur *Galbanetum Paracelſi*, tam

ſimpliciter ſecundùm modum Hartmanni paratum *Prax. Chymiatr. capit.* 12. §. 8. quàm præſtantius illud Drawizii *pagin.* 193. Hoc ipſum non ſolummodò Umbilico inungitur frequenter, ſed etiam ipſi Membro paralytico, ſi priùs *Spiritu Tartari*, aut *Spiritu Salis Ammoniaci vinoſo*, fuerit probè perfrictum, quod *Galbaneto* hoc quotidie ter ungatur ad imitationem Hartmanni *loc. alleg. cap.* 13. §. 4.

Hæc ſunt Interna, quibus addenda ea, quæ hinc inde in Practicis ſunt obvia.

Quoad *Externa*, quæ Tonum Fibrarum & Motum Partium reſtituunt, ſunt nunc *Spirituoſa & Aromatica*, nunc *Salina oleoſa*, nunquam Viſcida & Glutinoſa, niſi forſan Tabes, Atrophia & Contractura imminens, aut ſuperveniens, Volatilium ejuſmodi uſum inhibeat, & blandiora, verbi gratiâ Pinguedines Oleaque infuſa, commendet. *Tempora igitur ſunt diſtinguenda*; Morbus enim eſt vel inveteratus, vel non: ſi eſt inveteratus, ad Atrophiam & Ariduram Partes inclinant; ſi non, ſaltem Motus deficit, ſuperſtite plùs minùs Senſu. Quoad ergò poſterius: eminent omnes Aquæ Apoplecticæ dictæ, Spiritus Vini rectificatus, & Aquæ Articulares ad extrà. Recipiuntur nempe Species Aromaticæ Nervinæ Antiparalyticæ, quibus addenda Acriora, verbi gratiâ Piper, Semen Rutæ, Urticæ, Sinapi, Radix Ari, Pyrethri, item Herba Saturejæ, Folia Nicotianæ, quorum Eſſentiam Hartmannus commendat: quorum etiam intuitu à Cratone Fricatio Spinæ cum Radice Iridis noſtratis, & Bulbo Lilii, ab aliis cum Radice Bryoniæ aut hujus Decocto, præſcribitur. Speciebus dictis affunditur Spiritus Vini brevi cum digeſtione, inde aliquoties cohobandus vel ſolus Spiritus ſimplici digeſtione imprægnatus ſine tali deſtillatione commodè externè applicatur, harum omnium loco ſit *Formula*, quam dedi in *Ideâ Formular. Claſſ.* 4. §. 19.

Vel

℞. *Fol. Nicotian. rec.* M. j. vel ij.
*Origan.*
*Flor. Sambuc.* an. M. j.
*Rad. Angel.* ʒi. ad ʒij.
*Pyrethr.*
*Aron. rec.* an. ʒj.
*Euphorb.*
*Caſtor.*
*Myrrh.* an. ʒß. ad ʒvj.
*Piperis utriuſque* an. ʒiij.
*Flor. Stœchad. Arab.*
*Lavend.*
*Lil. convall.* an. ʒß.
*Sem. Erucæ*, vel *Sinapi*,
*Siler. mont.* an. ʒvi. vel ʒiß.
Conciſis & contuſis affundantur
*Spir. Vini rectif.* part. ij.
*Lumbr. terreſtr.* part. j.

Digerantur in Balneo Mariæ, & vel filtrando ſeparentur, vel deſtillatione Spiritus abſtrahatur.

Liquore hôc fricetur aut inungatur Pars paralytica poſt abſterſionem Sudoris, & aliqualem Ægri requiem, dum Pori adhuc ſunt aperti, Linteis Thure & Succino ſuffumigatis; poſt quam deterſionem hoc ipſo Infuſo probè Partes fricandæ & largiter illinendæ ſunt: aut Spiritus Vini à Speciebus aliquoties cohobando abſtractus, tanquam Aqua Articularis ad extrà, applicandus. Item

℞. *Herb. Roriſmar.*
*Salviæ*,
*Majoran.* vel *Lavend.* an. M. j.
*Flor. Lavend.*
*Lil. convall.*
*Roriſmar.* an. p. ij.
*Bacc. Junip.* ℥j.
*Sem. Sinapi* ʒß. vel ʒvj. ad ℥j.
*Caſtor.* ʒiij.
*Piperis nigr.* ʒiß.
Conciſ. & contuſ. infundantur in ſ. q. *Spiritûs Vini*, digeratur aliquandiu & hl. tretur:

D. S.

Eſſentia Externa Arthritica.

Cum his Aquis Articularibus ad extrà optimè etiam quarta vel quinta pars Spiritûs Lumbricorum terreſtrium per putrefactionem, aut Spiritus Formicarum, permiſcetur; Exemplum dedi alio loco. Quô etiam facit Spiritus Primulæ Veris. Hiſce commodè, in ſpecie ſi Dolores Scorbutici adſint, addantur quædam *Salia volatilia*, quæ inter excellit Spiritus Salis Ammoniaci cum Calce vivâ; Nam hic in pluribus differt à Spiritu Salis Ammoniaci cum Sale fixo parato: exem. grat.

℞. *Sal. Ammoniaci* p. j.
*Calcis vivæ* part. ij.
Irrora cum *Spir. Vin.*
Deſtilla, & optimus Spiritus eſt.

Vel

℞. *Aquæ Articul. ad extr.* ℥ij. iij. ad iv.
*Spiritûs Sal. Ammoniaci* cum *Calce vivâ* ℥j. ad ℥ij.
*Lumbr. terr. per putr.* ℥ß.

M. S.

Membra confortans Spiritus.

Fricentur Membra ter in die cum Spiritu Vini camphorato, in loco calido, ut incaleſcant, & pori hient, hinc Spiritus calefactus applicetur externè.

Vel

℞. *Spiritûs Vini camphor.* ℥iij.
*Lumbr. terr. per putref. par.* ℥j.
*Eſſ. Caſtor.* ʒvj.
M. pro uſu externo.
D. S. ut ſuprà.

Item

℞. *Aquæ Apoplect.* ſuprà deſcript. vel *Ludov.* ℥iij.
*Spiritûs Lumbr. terr. per putref. par.*
*Sal. Ammoniaci ſuccin.* an. ℥ß.
M. S. ut ſuprà.

Loco talium *Spiritus Tartari rectificatus*, miſtus cum ana vel duplo Spiritûs Vini tartariſati, & cohobatus, perquàm egregius eſt, præſertim in Paralyſi ex Colicâ. Porrò *Tinctura ſeu Eſſentia Succini cum Spiritu Vini rectificato* parata, Membris paralyticis contractis, aut quomodocumque refrigeratis, ritè cum ſucceſſu affricatur & applicatur: vid. Kunrath *in Medullâ deſtillator.* Quin & his Aquis Externis *Balſamus Peruvianus* commodè admodùm addi poteſt. Modus eſt hic: Subigatur Balſamus Peruvianus in parvâ quantitate cum Vitello Ovi, unde Aquis Articularibus vel Spiritui Lumbricorum terreſtrium, aut Formicarum poteſt miſceri: vidi felicem effectum in Crurum Dolore Iſchiadico, cum incipiente Paralyſi conjuncto. Applicatur etiam expreſsè, quando Nervi ſunt læſi, contorti, &c. & ita in Paralyſi Privativâ. Hinc etiam notus eſt Spiritus ſeu Eſſentia Foliorum Tabaci cum Vino Malvatico parata, de quibus videb. Hartmannus *in Prax. Chym.* §. 4. *cap.* 11. Pertinet huc *Urina humana*, quæ ratione Salis volatilis itidem pro Membris laudatur paralyticis, & hinc Lotiones & Frictiones Membrorum cum

cum Urinâ propriâ vel Pueri calidâ, vulgariter commendari ſolent. Melius eſt, ſi Urtica major coquatur in Urinâ propriâ Ægri, vel Urinâ Pueri, & cum hac Pars paralytica ſubinde lavetur, benè fricando. Loco ſolius Urinæ, Spiritus Urinæ phlegmaticus etiam non eſt inelegans; vel ad imitationem Stoeckeri *in Praxi*, qui dicit, eſſe Remedium expertum ſui Patris. Fit hoc modo:

℞. *Urtic. major.* M. ij.
*Chamomill.* M. j.
*Sem. Cumin.* ℥ j.
*Salis* ʒ iij.

Piſtentur omnia probè in Mortario, & decoquantur in *Urinæ humanæ* Pintis duabus ſeu ſ. q. ad conſumptionem quartæ partis:

Quô ipsô Decoctô balneetur mane & veſperi Pars affecta. Quin etiam poſteà Pannis ex Decocto madefactis involvatur Pars de nocte & die, & ita per tres vel quatuor dies, aut ampliùs, continuetur, hincque poſteà Membrum cum *Oleo Vulpino* inungatur, donec ſanetur.

Quô etiam facit *Unguentum Catulinum* Faventini *in Praxi cap. 7. pag.* 36. vel Oleum Catellorum, vid. Riverius *Cent.* 1. *Obſ.* 52. Unguentum Hildani *Tract. de Gangr. cap.* 24. & Nephriticum ad imitationem Prottenii.

*Membrum poſt Apoplexiam* paralyticum ſeu paraplecticum factum, fricandum eſt ter in die cum Spiritu Vini camphorato in loco calido; brevi enim pòſt reſtituitur Membrum, quod mihi egregius quidam Practicus ex propriâ Experientiâ confirmavit. *Urticæ* quoque & *Urticationes* vetus jam ſunt Remedium, conveniens tamen imprimis in Paraplegiis, quod Epiphanius Ferdinandus multoties expertus eſt, qui *Hiſt.* 46. dicit, quod *præmiſſis Univerſalibus*, optimum ſit pungere Corpus Urticis: Et teſtor Deum, me hoc genere Remedii pluries eſſe uſum, & ſemper maximâ cum utilitate & felicitate, & nunquam votis ſum deceptus.

Pariter hujus loci ſunt *Balnea* ſeu *Inſeſſus ac Fomenta*, ver. grat. ex Decoctis Nervinis, *Vinaceis* fermenteſcentibus, & *Formicis*: Vid. Julius Cæſar Claudinus *de Ingreſſ. ad Infirm. Section.* 16. *pagin.* 503. & 512. M. A. N. C. *Ann.* 4. *Obſervat.* 128. *Balnea ex Vinaceis*, German. *aus den vvein-druſen*, ſunt ſingularia, & mirabilem habent effectum in Paralyſi Scorbuticâ, Paralyſi ex Colicâ, aliiſque ex Acido vitioſo natis, præſertim in Malo pertinaciori, ſi iiſdem ſibi mutuò impoſitis, vel ſponte Fermentationis motu calefactis, vel, ſi ſponte ſuâ non incaleſcant, inſperſione Pulveris Calcis vivæ incaleſcentibus, immergatur Membrum affectum fortiter ſudando, ut Tartarus volatilis in Membra ſe inſinuet, ita aliquoties continuetur, & mirum effectum edit. Sic quidem horum uſu, & Partis paralyticæ debito Fotu & Inſeſſu, Senſus Motuſque reſtituitur: hôc ipsô enim deſperati Iſchiadici, & ex Iſchiade facti Paralytici à Petro à Caſtro curati fuerunt. Conf. Borellus *Centur.* 2. *Obſervat.* 42. & Zwelfferus *in Apol. contra Tachen.* Nec minoris uſûs ſunt *Balnea ex Formicis* parata, quæ reverà ſunt egregia in Paraplegiis, item in Paralyſi ex reſolutione & relaxatione Tendinum ac Ligamentorum, ſi integer eorum Acervus, vel ſolus, vel cum Speciebus appropriatis Antiparalyticis, Sacculo incluſus injiciatur Aquæ ferventi, cujus Vapori excipiendo inſideat Æger in Vanno probè tecto: Sequenti die in dictâ Aquâ coquatur iſte Sacculus, & ita denuò in Vanno vaporem excipiat Æger: idque bis vel ter, quamdiu penetrantem odorem ſpirant: Poſtmodùm ac ſequentibus diebus etiam inſideat iſſi Decocto ſemper cum Sacculo denuò calefacto, id-



que aliquot vicibus, donec melioratio percipiatur. Species v. g. videb. in Mynſichti *Armament. Chym. ubi habet Balneum Paralyticum.* Stoeckerus *in Praxi*, hoc habet Balneum non inelegans:

℞. *Sulphuris vivi*,
*Bacc. Lauri* an. ℔ß.
*Rad. Gentian.* M. iij.
*Enul.*
*Ariſtol. long.* an. M. ii.

Incidantur & contundantur pro Balneo.

Coqu. in Aquâ Calcis vivæ temperatâ, loco Aquæ communis.

Tandem aliis ferè nil juvantibus, ultimum aſylum ſunt *Thermæ Artificiales*, ſed Cautelâ opus eſt. Interdum juvant, interdum non. In Paraplegicis magis, quàm Paralyticis, convenire videntur, & in illis magis poſt Privativas Apoplexias, quàm Poſitivas. In Paralyſi quæ eſt ex Colicâ, Vino & ſimilibus, non conveniunt, quia Arthriticis Affectibus ſunt noxiæ, & Podagrici ex Thermis ſubinde redduntur contracti. Metus ergò, ne nimis maturè promoveatur Contractura. Cum diſcretione quoque inſtituantur, nec omnibus ſine diſcrimine adhibendæ, dum meliùs conducunt iis, qui Conſtitutionis ſunt ſanguineæ & phlegmaticæ, minùs qui Conſtitutionis bilioſæ ſeu cholericæ. De quibus Cautelis vid. *Collegium Pharmaceut. in Schrœderum P.* 1. *Sect.* 3. *pag.* 160. *& ſeq.* & Williſius *l. c. prope finem.* De parandis hujuſmodi Thermis Artificialibus vid. Zwelfferus *in Mant. Herm. ubi de Sulphure.*

Quoad *Fomenta*: convenit Fotus ſeu Inunctio per Spiritum Vini appropriatum: vid. Horſtius *Obſ. pag.* 108. 109. & 111.

Vel

℞. *Herb. Majoran.*
*Salv.* an. M. ij.
*Roriſmar.* M. ij.
*Bacc. Juniperi* ℥ iv.
*Lauri* ʒ ii.
*Rad. Pyrethri* ʒ j.
Inciſ. & contuſ. S.
Species ad Fotum.

Coquantur in *Aquâ ſimplici*: Decoctum ferviđum ſubmittatur Pedibus, & ſic Fumus aſcendit: Vel dividatur in duas portiones, ut refrigeratâ unâ altera ſubſtitui poſſit. *Suffitus* fiat beneficio *Silicum* vel *Laterum candefactorum*, pro Membro Stupore affecto vel paralytico.

Præ cæteris *Galbaneta*, & *Balſama* ſeu Olea deſtillata ex Galbano parata, pro *externâ Inunctione* mirè conveniunt: imprimis in uſu eſt Galbanetum *Paracelſi* & omnia cum eodem parata. Modos parandi varios videb. in Schoedero *lib.* 3. *Claſſ.* 2. *ubi de Galbano & de Balſamis lib.* 2. Vid. etiam Hartmannus *in Prax. Chymiatr.* & Sennertus *Prax. lib.* 3. *cap. de Colicâ.* Sunt qui hôc modô præparatum præ reliquis reddunt admodùm conveniens.

℞. *Galban.* ℔ß.
*Ol. Terebinth. clar.* ℥ j. vel q. ſ.

Deſtilletur exinde Oleum; cui addatur

*Ol. Lavend.* ʒ j.

& repetatur Deſtillatio, unde evadit Balſamus generoſus, qui affuſo *Spiritu Vini rectificato* vel *tartariſato*, aliquamdiu digeſtus & circulatus ſit penetrantiſſimus & præſtantiſſimus *ad Dolores Colicos & Scorbuticos, ac inde natas Pareſes*, ſi Umbilicus, & Pars Paralyſi affecta inungatur; vel ſolitariè, vel cum *Oleo Saponis Veneti* & paucis granis *Camphoræ* miſtus: ſicuti etiam Præſervationis causâ Spina poteſt inun-

gi, ſi Malum ulteriùs ſerpere videamus.

Juxta hæc *Petroleum*, & *Oleum Terræ* dictum potenter penetrat & Paralyticos reſtituit; ſicut etiam alia *Olea deſtillata* conducunt, v. g. Oleum deſtillatum Baccarum Juniperi, Succini, Spicæ, Lavendulæ, Salviæ, Menthæ, Terebinthinæ, item *Olea deſtillata rectificata* ex Tartaro, Lignis, in ſpecie de Ligno Fraxini, Galbano, &c. Hæc Olea, Oleo Nuciſtæ, vel Laurino excepta, illinuntur & affricantur Partibus affectis, & regioni Spinæ Dorſi, idque aliquoties interdiu. E. gr.

℞. *Ol. Petræ alb.* ʒij.
*deſtill. Succin.* ʒß.
*Lavend.*
*Majoran.*
*Spicæ* an. ʒi.
M. pro Inunctione Membrorum:
D. S.
Externum Oleum Arthriticum.

Ad *Emplaſtra* quod attinet: ex Tacamahacâ imprimis ſunt paranda, quæ applicari ſolent in Paralyſi ex Humectatione Nervorum nimiâ externâ. De his vid. Barbette *in Anatom. Pract. pag.* 51. *Edit. Holland.* ubi Olei Terræ in ejus defectu Oleum Petræ ſubſtitui poteſt.

Quibus verò Acria ejuſmodi non æquè conferunt, ut ſit quibuſdam Scorbuticis, *Temperata* magis conducunt, atque tunc imprimis conveniunt *Animalium Pinguedines* reſolutæ, ut Axungia Humana, Axungia Viperina, Axungia Serpentis, Ciconiæ, Caſtorina, Felina, Vulpina, Muris montani, Canina, in ſpecie Pinguedo Anſerina, de qua vid. Crato *lib.* 6. *Conſil.* 50. Hæc ipſa nunc ſolitariè, nunc cum *Petroleo* aut *Oleo Terræ*, & pauco *Oleo* quodam *deſtillato*, nonnihil acuata & benè calida, præmiſsâ debitâ Frictione, applicari poſſunt, idque imprimis, ubi jam imminet Rigiditas & Contractura, , aut metuitur Atrophia Membri e. g.

℞. *Pingu. Anſerin.* vel *Human.* ʒiii. iv. ad ʒvj.
*Olei deſtill. Terebinth.* ʒiii.
*Bacc. Junip.* ʒj.
*Spicæ* ʒß.
M. S.
Externum Unguentum Arthricitum.
Vel
℞. *Pingu. Human.* ʒij.
*Ol. Lumbr. ter.* ʒj.
*Petræ* ʒiij.
*Succini* ʒiß.
M. S. ut antè.

Vel, quæ hoc in paſſu reliquis præfertur, Pinguedo Anſeris aromatica aſſando deſtillans, dum impletur Simplicibus Balſamicis vel Nervinis, quæ Pinguedo deſtillans aſſervatur pro Linimento externo, ad Membra paralytica inungenda. Modi ubique ſunt obvii: v. g.

℞. *Anſerem eviſceratum*;
qui infarciatur cum *Fol. Salviæ*, *Roriſmarini*, *Spicæ*, *Caryophyll.*
quibus addunt
*Pingu. Cati ſylv.* ʒiß.
*Thuris*,
*Maſtich.*
*Succin.* an. ʒß.
*Caſtor.*
*Euphorb.* an. ʒij.
Inſuantur omnia, & aſſetur Anſer in Veru, & *Pinguedo* deſtillans cautè colligatur, & pro uſu ſervetur.

Hildesheim ſequens Oleum Anſeris commendat, quo quendam Medicum *in Duce Boruſſiæ* uſum fuiſſe aſſerit:

℞. *Anſerem maſculum deplumatum & exenteratum, probè ablutum*:
Lavat probè *Vino* intùs & extrà; Pòſt
℞. *Thuris albi*
*Myrrh.*
*Maſtich.* an. ʒij.
*Ungu. Martiat.* ʒvj.
Repleatur iis mixtis *Venter Anſeris*, aſſetur in Veru; Phlegma, quod prodit, abjicitur, *Pinguedo* verò ſtillans aſſervatur pro uſu externæ Illinitionis.

Hujus *Liquoris* cuilibet unciæ addit *Pulveris Vermiũ terreſtriũ* ʒj. quo illinuntur Membra. Alii
℞. *Pingu. hujus Anſer.* ʒj.
addunt
*Pulv. Verm. terreſtr.* ʒij.
Miſta deſtillant per Retortam, & ſic acquirunt *Oleum* pro inungendis Membris paralyticis.

Quidam *Canem Rufum* cum Herbis appropriatis, item Myrrhâ, Maſtiche, Galbano, &c. aſſant. Parili ratione Venter *Ciconiæ* impleri & hujuſmodi Linimentum elici poteſt.

His accedunt *Olea cocta* quædam, v. g. Vulpinum, Lumbricorum terreſtrium, Euphorbii, de Piperibus, & Seminis Trifolii aſphaltitis, ſive bituminoſi, à Sylvio *Prax. lib.* 2. *cap.* 22. commendata. His addenda *Unguenta*, ſcilicet de Bdellio, de quo vid. Amatus Luſitanus *Cent.* 4. *Curat.* 22. Agrippæ, Martiatum, Nervinum, Paralyticum *Mynſichti*, Balſamus *Guidonis*. Quibus Alumen plumoſum admiſcere jubet Sylvius *loc. all.* ſi Ariadura ſubſit; vid. *ſuprà l.* 1. *ubi de Atrophiâ*. Item *Cataplaſma* ex Radice Symphyti majoris, cujus uſum videbitis in Hartmanno, & ſimilia Remedia.

Hujuſmodi tamen *Pinguia & Oleoſa non adeò ſemper conveniunt in Paralyſi*, quoniam Poros infarciunt & oblinunt. Dicta autem Unguenta Oleoſa & ſimilia Remedia applicantur toti Membro, ubi Ligamenta & Tendines laborant: ubi verò vitium eſt in Nervo in Membrum delato, tunc talia Remedia Spinæ Dorſi aut Nuchæ au Vertici commodè applicantur. In hôc neceſſum eſt, ſit Medicus Anatomicus, & ſciat originem & progreſſum Nervorum.

## CAPUT IV.

### *De Operationum Rationalium Læſionibus.*

HAbuimus hactenus has *Operationes*, earumque læſiones, quæ Homini, ut Animali, tam ad Eſſe Animale, quàm ad Eſſe Vitale, conveniunt, & ita *cum Brutis illi communes* ſunt. Jam acceſſum faciam ad læſiones *Operationum* ipſi *propriarum*, & à quibus in Eſſe Humano conſtituitur. *Operatio* talis eſt *Intellectus*, & inde promanans *Ratiocinatio*, quæ ſola verè ad Animam pertinet, quæ quamdiu juncta eſt Corpori, Senſuum Internorum, & conſequenter Spirituum Animalium, in Cerebro rectè diſpoſito, utitur miniſterio, quatenus Intelligentem oportet ſpeculari Phantaſmata ſeu Objecta, quæ Senſus afficiunt Internos. Quando ergò Objectorum in Phantaſiâ repræſentatio malè ſe habet, *Ratiocinatio vitiatur*, hincque omnes Ratiocinationis læſiones à Senſuum Internorum vitiis dependent: adeoque jam *Senſus interni*, eorumque vitia, tractandi ſunt, prout pro eorum læſione & Ratiocinatio læſa ſequitur. Fiunt autem Senſus Interni à motu Spirituum Animalium in Cerebro: prout ergò Spiritus tam per ſe quàm in motu variant, & prout ſe habet Cerebrum,

rebrum, etiam variant Sensus Interni, & consequenter Ratiocinatio; cujus aberrationes saltem per Sermonem & Gesticulationem Corporis, adeoque per Sermones inconditos & ridiculas Gesticulationes à posteriori cognoscimus, ex quo pervenimus porrò in notitiam *Imaginationis & Memoriæ læsionis*. Etenim per se Ratiocinatio non potest lædi, quia hæc immediatè dependet ab Animâ Rationali; quæ ipsa, cùm sit Spiritus; & Substantia immaterialis, erit à Materiâ aut Objectis materialibus seu Causis naturalibus impatibilis, & consequenter inalterabilis: Unde quicquid defectuosum in ejus Operationibus occurrit, sunt læsiones Imaginationis & Memoriæ, quæ ipsæ aliàs fiunt per certum motum Spirituum Animalium in Cerebro legitimè dispositorum: Et quando Memoria & Imaginatio per Morbos læduntur, Causæ simpliciter investigandæ sunt in Cerebri texturâ & Spirituum Animalium crasi læsis. Nam his læsis & Animæ Rationalis Operationes læduntur; ipsis verò restitutis etiam Ratiocinatio redit.

His suppositis dico: Omnem læsam Ratiocinationem innuere defectus Imaginationis & Memoriæ.

*Vitiatur autem Ratiocinatio duobus modis*: nempe

1. Quando *imminuitur*, ut in *Stupiditate seu Tarditate Ingenii*, aut *aboletur*, v. g. in *Stultitia*, *Amentia*, & *Fatuitate*, vel etiam *in Senibus* ex naturali Causarum ordine.
2. *Quando depravatur*; id quod fit in omnibus *Deliriis*, tam in genere, quàm vario modo in diversis Deliriorum speciebus.

## ARTICULUS I.

### *De Ratiocinatione imminuta & Abolita,*

### & inde natâ

### *MEMORIÆ LÆSIONE*

### *& Stupiditate.*

QUoad *imminutam aut abolitam Ratiocinationem*, superiùs innui, Ratiocinationem ex se nunquam imminui aut aboleri, nisi etiam in Memoriâ simile adsit, aut etiam præcurrat vitium: quod verissimum est; hinc enim Senes stolidi, quia eorum Memoria deficit aut fatiscit: & qui nullam habent Memoriam, semper manent Pueri, dum nihil addiscunt; & sapientissimi, si ex Morbo quodam vel Causâ quadam Externâ Memoriam lædant & amittant, stupidissimi & stolidi fiunt. Tantum nempe saltem scimus, quantum Memoriâ comprehendimus, & Judicio ponderamus & applicamus.

Hujus ergò *Memoriæ læsiones* hìc imprimis sunt considerandæ, quibus ipsa aut *imminuitur*, aut prorsus *aboletur*; *depravari* etiam aut morbosè *augeri* nequit: Nam Memoria non rectè aut vitiosè retinens, est Memoria Deficiens seu Imminuta.

## CAUSÆ.

Hujus ergò aut *Imminutæ* aut *Abolitæ Causam Proximam* & *Universalem* certò determinare impossibile est; (loquor syncerè) partim quoniam nondum à priori cognitum, quomodò naturaliter fiant Memorationis actus? aut in quo consistat? aut in quantum etiam in hoc negotio explicando Guilhelmus Gratarolus *Tract. de Memoriâ conservandâ* inscripto, conatus est, saltim tamen sunt verbalia, adeoque in modo memorandi genuino omnes impingunt, utut præ cæteris Cartesius rem nonnihil clariùs aggressus fuerit; partim verò quoniam tam multæ, eæque tam variæ Remotæ Causæ Memoriam lædere, & eam deficientem reddere valent. Hoc saltim Observandum (1.) *Memoriam nobis communem cum Brutis esse*, prout nempe *Reminiscentiæ* opponitur; quæ nobis est propria, & fit per Ratiocinationis discursum: (2.) *Læsiones Memoriæ sequi Læsiones Capitis* certo modo.

In Capite quoad hoc negotium saltim *Spiritus Animales* & *Cerebrum* considerandæ; in quorum altero, tanquam radice, fundata erit Memoria: Spiritibus autem, ceu substantiæ continuò mutabili, non erit impressa Memoria, quia Memoria fixam habet sedem. Certum ergò est, quòd *Cerebrum Subjectum radicale sit Memoriæ*; quomodò autem sit, nescio. Jam verò & omnes Causæ Remotæ, quæ lædunt Memoriam, triplicis sunt generis, & ferè eò collimant, ut aut

1. *Cerebri Conformationem* & Texturam mechanicam, secundùm Porulos scilicet & Meatus, & hinc natam Temperaturam, imprimis in Humiditate aut siccitate; aut
2. *Universum Sanguinem & Spiritus Vitales* certo modo vitient aut corrumpant, hinc aptam Spiritibus Animalibus materiam subtrahant; aut
3. Denique *Spiritus Animales* præter modum consumant, dissipent, aut quocunque modo torpidos reddant.

Quarum Causarum variarum omnium ad unam Proximam restrictio vix possibilis est.

In consideratione ergò læsionis Memoriæ probè semper attendantur *Causæ ejus Remotæ*, ut iisdem quasi manuducamur ad feliciorem Praxin.

I. *Prioris classis Causæ Remotæ* sunt (1.) *Res fortuitæ* & casuales, verb. grat. Casus ab alto, Vulnera, & Contusiones Capitis enormes, & Cranii violentæ Depressiones, ac Ictus in Caput, & similes externæ læsiones, Memoriam destruentes: qualia Exempla Plinius *Nat. Histor. lib. 7. cap.* 34. Rondeletius *Meth. Med. pag.* 314. Platerus *Observat. pag.* 13. Borellus *Cent. 2. Observ.* 37. & Tulpius *lib. 4. Observat.* 15. allegant: Sic etiam Hildanus *Cent. 3. Observ.* 1. refert Puerunt aliàs admodùm ingeniosum, in quo ex Depressione Cranii omnimoda Memoriæ abolitio & Stupiditas fuerit secutâ: Sic Lindanus *super Hartmannum*, ex subitaneâ Capitis Percussione omnium rerum anteà notarum Oblivionem obortam refert: Similia Exempla videbitis in Schenckii *Observat. lib. 1. ubi de Memoriâ, Observat. 9. & 10. pag.* 74. & 75. Sicut ex Vulnere Occipitis à Sclopeto omnimodam Ratiocinationis & Memoriæ ablationem observat obortam Horstius *lib. 2. Observat. 7.* Item nimia & frequens Capitis Lotio Memoriam lædit. (2.) *Conformatio* Capitis & Cerebri *à primo Ortu vitiosa*, ita ut qui pravam Cerebri figuram habent, ut plurimùm stolidi, oblivioni, &c. observentur: vid. Bartholinus *Cent. 2. Hist.* 20. Willisius *Anat. Cerebri lib. 1. cap. 3. fig.* 4.

II. *Secundæ classis* sunt *Causæ non fortuitæ seu Naturales*, aut ex classe Rerum vel Nonnaturalium vel Præternaturalium. *Nonnaturales* sunt vel Assumpta diversa, vel Excreta & Retenta, vel Animi Pathemata. Quoad (1.) *Assumpta*; v. g. Vini generosi immoderatior usus, seu potiùs abusus, ut & crebrior Ebrietas, Memoriam labefactare solet. (2.) *Inedia* gravior & diuturnior: Sic observatum fuit in Virgine post diuturnam & tantum non miraculosam Inediam, cùm denuò comedere inceperit, Oblivionem & Mentis Stuporem successisse, teste Horstio *lib. 2. Observat.*

15. (3.) *Excreta*, quando nempe naturaliter Excrementa ſupprimuntur. Suppreſſa Sanguinis Evacuatio conſueta & ſimilis Memoriam hebetare poteſt: Exemplum Suppreſſionis Menſium obſtinatæ, Oblivionem inducentis, per Cauterium in Occipite curatæ, videb. in Bartholini *Act. Haffnienſ. Volum.* 2. *pag.* 196. Item curioſam Obſervationem habet Zacutus Luſitanus *lib.* 1. *Prax. Admir. Obſervat.* 47. de Inſaniâ ortâ ex ſuppreſſis Hæmorrhoidibus, poſtmodùm tamen ſponte curatâ ex diuturnâ Hæmorrhagiâ, factâ in Interfœmineo per Porum quendam inſenſilem: Sic ex ſuppreſſis Lochiis Puerperæ Oblivionem cum Melancholiâ natam obſervat Salmuth *Cent.* 1. *Obſ.* 72. Item (4.) *Hæmorrhagiæ* nimiæ, præter Stuporem Mentis, Oblivionem quoque inducunt.

III. *Tertii* denique *generis* ſunt (1.) *Aſſumpta vitioſa*, Spiritibus Animalibus minus congrua: vid. Riverius de quodam, qui poſt longum uſum Aquæ Papaveris rhœados Memoriâ fuit deſtitutus & fatuus factus, in cujus Ventriculis Cerebri poſt mortem niger ſeu atramentarius Humor inventus fuerit. *Opii* abuſus Mentis Stuporem & Oblivionem ſubinde inducit: Sic Williſius *Pharm. Rat. Part.* 1. *pag.* 306. ab Opii abuſu mirabilem & particularem Memoriæ amiſſionem refert. *Philtra* multum etiam in receſſu habent, quæ uti non rarò varias Mentis læſiones, & in ſpecie Manias, ita etiam Fatuitatem & gravem Memoriæ læſionem inducunt, teſte Schenckio *in Obſervat.* Exemplum notabile refert Henricus *ab* Heer *in Obſervat.* 13. de quodam Juvene quatuordecim annorum, ſtupendi aliàs Ingenii, qui quatuor Condiſcipulis diverſa dictitabat Carmina, ipſe verò quintum ſcribebat, & nihilo minùs tamen poſtmodùm per Philtrum omnium rerum, imò etiam proprii nominis oblitus fuit, & Alphabetum rurſus addidicit: De Philtris, Felis Cerebro, aliiſque Narcoticis internè & externè applicatis, Oblivionem inductam Sennertus *Prax. lib.* 1. *pag.* 241. 242. & 296. teſtatur. Sic etiam *Venena* nonnullla aſſumpta omnem Memoriam perdere ſolent. Vid. Schenckius *in Obſervat. Medicinal. lib.* 1. *de Memoriâ Obſervat.* 3. *pag.* 74. (2.) *Venus nimia*, quæ quò largiùs exercetur, eò magis Memoriam debilitat, aut ad Fatuitatem diſponit, vid. Schenckius *in Obſervat.* ac curioſum eſt, quod Salmuth *Cent.* 1. *Obſervat.* 61. refert de Viro docto, qui, ut Conjugi placeret, uſus fuerit ſtimulantibus Venerem, unde ſine Memoriâ redditus fuerit fatuus: *Eodem loco* refert de quodam, qui ex nimio Veneris abuſu adeò exſiccatum habuit Cerebrum, ut illud intra Cranium hinc inde moveri perciperetur. (3.) *Affectus Animi* diverſi, diuturnæ Curæ cum Vigiliis conjunctæ, & Studia immodica, præprimis circa diverſa Objecta, hîc etiam in lædendâ Memoriâ multum faciunt. Nam ex Terrore Memoriam ſæpiùs lædi, notiſſimum eſt; item ex Terrore repentino quoſdam Memoriâ ſubitò privatos refert Schenckius *in Obſervat.* 2. *loc. alleg.* (4.) *Morbi* varii Cerebro & Spiritibus Animalibus infeſti Memoriam abolentes, in ſpecie Affectus Soporoſi, ſcilicet Lethargus, Carus, Apoplexia, imprimis Morbi Acuti graviores, aut Febres Ardentes, item diuturniores Epilepſiæ, non rarò Memoriam vitiantes. Vid. Platerus *Obſervat.* 7. & Hildesheim *Spicileg.* 3. *pag.* 315. Apoplexiam ſubinde Oblivionem Lectionis ſalvâ Scriptione excitare, videb. in M. A. N. C. *Ann.* 4. & 5. *Obſervat.* 154. *pag.* 169. ſicuti etiam interdum ex Febre Ardente vel Acutâ reſurgentes omninò oblivioſi redditi obſervati fuerunt in Schenckii *Obſervat.* & Chriſtophorus à Vega *lib.* 3. *Art. Med. cap.* 30. refert de quodam Franciſcano, à Febre Acutâ Memoriam amittente; hinc etiam poſt Peſtem Memoriam abolitam obſervat Schenckius. Ex Maniâ omnium rerum Oblivionem habet Timæus *von Guldenklee*, *in Caſibus pag.* 19. Ut taceam, quæ de Peſte illâ Atticâ famosâ referunt, quòd in hac Homines tanta omnium rerum ceperit Oblivio, ut nec familiares nec ſe ipſos agnoverint. Tandem Heinricus *ab* Heer *in Obſervat.* 3. refert Exemplum de Viro quodam quadraginta annorum fatuo & oblivioſo facto (non nato) qui mortuus, cùm Cranium fuiſſet apertum, Cerebrum ſicciſſimum & durum, adeòque in ſummâ ſui parte digitis friabile repertum fuit, unà cum flavedine Citri æmulâ, undiquaque ad digiti altitudinem imbutum, circa Ventriculos tantùm & Baſin mollius tamen inventum fuit: à quo non abludit Salmuth *Cent.* 1. *Obſervat.* 61. (5.) *Senectus*, dum verb. grat. Baſſianus Landus *de Humanâ Hiſtoriâ*, *Franciſcum Barbarum* Græcarum literarum, quarum erat doctiſſimus, in extremâ Senectute planè oblitum fuiſſe refert. Hæ & ſimiles Cauſæ Remotæ ſubinde benè perpendendæ & benè recognoſcendæ ſunt in Praxi, ut pro varietate earum variemus Curam.

In quibuſdam à Naturâ Memoria & Ratiocinatio eſt deficiens; in aliis verò per Naturam percipitur admodùm ſubtilis Memoria, & acriter ratiocinantur. Naturalem autem ad Memoriam inhabilitatem, adeòque *Naturalem Stupiditatem*, ceu difficulter aut planè non curabilem, prætermitto.

Interim in Memoriæ læſione pro meliore medendi ratione in genere obſervetur *diverſitas Subjectorum* (ſi eſt à Cauſâ Internâ) an ſit in Corpore ſenili? an verò in Corpore juvenili? &, ſi in Corpore ſenili Memoriæ læſio, in his pro medendi Methodo antè actæ Vitæ ratio conſideranda eſt, an Vita præcedens fuerit ſedentaria & quieta magis ab Animi & Senſuum Internorum motibus? an verò ſemper in his fuerit actuoſa, verb. grat. in Studiis, Curis, &c. Nam Juvenes, imprimis Malo Hypochondriaco graviùs obnoxii, item Juvenes, qui interdum Epilepſiâ corripiuntur, debilem habent Memoriam, qualia ego hîc dedi læſionis Exempla. Quòd ſi iſta Memoriæ læſio eſt *in Corpore ſenili*, ut plurimùm etiam reliquarum *Actionum Animalium Torpor* quidam conjunctus eſſe ſolet, propter Spirituum ſimilem Torporem, idque ferè ob Cerebrum Lymphâ copioſiore nimis inundatum, præprimis quando rejiciunt copioſa Phlegmata per Os & Aures: id quod fit imprimis in Senibus, quorum antè acta Vita multis Curis aut Studiis ſublimioribus non fuit agitata, & Judicium adhuc aliquomodò valet: Nam in Senibus doctis, quorum nempe Vita occupata fuit in Studiis, Meditationibus, Curis ac Negotiis urgentibus, in his adhuc eſt ſæpè Judicium, & in talibus, quod probè obſervetur, Cerebrum aridum, ſiccum, ac quaſi poroſum nimis exiſtit, uti etiam in his Habitus Corporis aridior, Somnus paucus, & rarò excretio per Nares, & Os adeſt, & licet dormiant, facilè tamen evigilant.

*In Junioribus*, cùm Memoria nonnihil debilis aut læſa nonnihil; Judicium tamen & ſimiles Rationales Operationes, nempe vis Judicii & Ingenii, ſint ut plurimùm vegetæ & firmæ, debilitatâ ſaltem Memoriâ, dicitur *Præcocitas*: id quod fit ob Spiritus Animales ſubtiliores, agiliores, fervidiores ac ferè igneos, (unde videntur tales agiles & acuti Judicii) unde Cerebrum ſimiliter aridum & exſuccum, minuſque nutritio Succo irroratum: Hinc Judicium quidem ad tempus habile, ſed

ſed Memoria nonnihil debilis, & tales in ſenili Ætate omninò Judicium & Memoriam amittunt, imprimis ſi ſint Studiis dediti, & ſic ſponte tandem fatuantur. Sin verò ſimul Judicium cum Memoriâ firmâ adſit in Juvene, præcox eſt Ingenium, ſed rarò durabile, quin ſolito citiùs Judicium & Memoriam amittunt. Quòd ſi Juvenis ſit, qui conqueritur de aliquali Memoriæ debilitate, ita ut accedat Torpor Senſuum Internorum, in tali Actiones iſtæ, nempe Ratiocinatio & Phantaſia, ſunt obtuſæ ac minùs acutæ, quæ præter naturam ſtatum Cerebri humidiorem & Spirituum Animalium defectum innuunt, & cæteris paribus facilè corriguntur.

Quæ & ſimiles Circumſtantiæ in Praxi Memoriæ læſæ benè perpendendæ; his enim neglectis, & Cauſis Remotis non probè ponderatis, faciliùs deſtruitur, quàm promovetur Memoria.

## DIAGNOSIS.

Quod attinet *Signa* Memoriæ & Ratiocinationis vitiatæ, ex relatione Ægri patent: imò & hujus Cauſæ Remotæ ex Vitæ genere, Actionibus Animalibus, & ſimilibus Antecedentibus ac Concomitantibus, partim à Medico hariolantur, partim ab Ægro confirmantur.

Et ferè *Cerebri ſtatus ac Spirituum* ex adjunctis ratione aliarum Actionum Animalium, & hinc ex Antecedentibus Rebus Non-naturalibus, conſiderandus venit; ſpeciatim ubi Æger eſt Juvenis, judicioſus, Studiis nimis addictus, Diætâ non admodùm lautâ utens in Cibis, qui de Memoriæ defectu eſt querulus: in talibus Aridura & Siccitas Cerebri cum Spirituum Animalium ſubtiliorum fervidâ Agilitate in causâ eſt. Ubi verò eſt ſomnolentus, aut quando poſt Affectus Soporoſos aut Lethargicos Memoria læditur, aut in Actionibus Torpor percipitur, aut per Nares & Os copioſè excernitur, aut quando eſt Senex Studiis minùs in Juventute deditus, &c. in his Memoriæ læſionem ex Spiritibus torpidis & nimiâ Cerebri Humectatione oriri ſuſpicio eſt. Adeò Temperatura Cerebri mediocris, in æquabili ejus Texturâ fundata, ad Memoriam imprimis requiritur.

## PROGNOSIS.

Quod attinet *Prognoſin*: hæc variat pro Cauſarum Remotarum varietate. Hinc Memoriæ læſio in iis, qui nimis Studiis ſunt dediti, idque ex fervore & activitate Spirituum Animalium, & Siccitate Cerebri, difficillimè curantur, & tales, ſi Volatilibus, Analepticis, & Aromatibus ſpirituoſis utuntur, planè Fatui tandem redduntur; ſicut olim ex frequentiore uſu *Confectionis Anacardinæ* cuidam contigiſſe ex relatione D. D. Michaelis recordor; & *Ambrata* pro confortandâ Memoriâ ab his, quibus Phantaſia potentior eſt, aſſumpta, Stuporem tandem Mentis inducere, notiſſimum eſt.

Econtrà facilius & etiam melius eſt in iis, quibus Cerebrum Lymphâ copioſiore madidum, & Spirituum aliqualis Torpor, niſi Senectus impediat.

Præterea *Memoriæ ſubitanea* magis *læſio* abſque Causâ Externâ ortâ imminentis Apoplexiæ & Paralyſeos, quin & interdum Epilepſiæ, indicium eſt: ſin verò Ægro Viribus jam dum fracto hoc contingat, Mortis imminentis Signum exiſtit.

*Naturalis Stupiditas*, & à Capitis conformatione vitioſâ, eſt incurabilis.

Superveniens *pro Cauſis Remotis* variis, nunc faciliùs, nunc difficiliùs curatur.

In ſpecie, *quæ eſt ex Philtris*, rariſſimè & difficillimè curabilis eſt, quia, uti ſuprà dictum eſt, Cerebrum tam acriter afficitur ab iis, & facilè in Maniam degenerat.

Quæ *ab inveteratâ Epilepſiâ*, ſimilibuſque Capitis Affectibus, Morbis Malignis & Acutis, item Venenis, oritur Memoriæ læſio, exindeque Stupiditas, ferè incurabilis eſt.

## CURA.

Quod attinet *Curam*: in hac ipsâ

1. Ante omnia *Cauſarum Remotarum* Antecedentium activitas & conditio benè eſt penſitanda, & quomodò noceant, maturè conſiderandum, & iis obviam eundum, & inducta labes emendanda & ſiſtenda, unde e. g. Hæmorrhagia ſiſtenda, Evacuationes conſuetæ ſuppreſſæ promovendæ, Humoris genitalis diſpendia immoderata, ac Inedia diuturnior evitanda. Hinc
2. Conſtitutio *Cerebri*, an illud aridum nimis, an humidum? & *Spirituum Animalium* ratio probè conſideranda eſt; & ubi illi ſunt nimis ignei & fervidiores, & Cerebrum aridius, hæc ſunt attemperanda, & ad ſtatum naturalem reducenda, ſolâ nempe Diætâ lautâ & eupeptâ, & Alimentis ſucculentis, & benè nutrientibus, v. g. Lacte & Lacticiniis, Chocolatâ in Lacte vel Vino aſſumpta, &c. Spirituum volatilitatem blandè temperantibus, & chyloſo rore imprægnatis, irrorantibus, Quiete, &c. Ubi verò Cerebri nimia humiditas præpollet, & Spiritus ſunt torpidi, minùs agiles, Volatilibus quaſi ſunt excitandi, ſuſcitandi, & ſubtiliſandi, Aromaticis Cephalicis Acribus, Spirituoſis & ſimilibus crebrò adhibitis.

Adeoque *prior* iſta Memoriæ læſio ex ariditate & ſqualore Cerebri & Spirituum fervore nata, ex Fonte Pharmaceutico non ſolet curari, ſed ſaltem Diætâ lautâ & humidâ, quæ copioſum roridum Nutrimentum exhibet; *poſterior* verò Aromaticis Cephalicis reſtauranda, & quantum poſſibile, denuò curanda. Omnes hæ & aliæ Circumſtantiæ probè examinandæ ſunt; aliàs Remediis citiùs imminui, quàm juvari ſolet Memoria.

Pro varietate ergò *Cauſarum* tantùm ſubinde *Specificis* utendum eſt. Ut plurimùm tamen læſio Memoriæ, quæ Stupiditatem infert, & curari debet ac poteſt Medicamentis Pharmaceuticis, ex Spirituum Animalium torpore, & humidiore Cerebri conſtitutione, originem ducit; unde & ſi ſeroſorum Humorum abundantia ſubſit, poſt *Purgantia* blandiora, *Maſticatoria*, & *Sternutatoria*, ut plurimùm Aromatica conducunt: ſed ne his Aromaticis in contrarium fiat præceps lapſus, inſimul *Diæta* temperata humida, & rorem nutritivum copioſum ſuggerens, inſtituenda.

*Remedia* ergò quod attinet: in genere omnia *Cephalica* dicta, *Salia volatilia*, *Spirituoſa*, *Odorata* & *Aromatica*, ad roborandam Memoriam & acuendum Ingenium multùm laudantur, non tamen ſemper acriora; v. g. proſunt Roſmarinus, Meliſſa, Ocymum, Flores Liliorum convallium, Stœchados Arabicæ, Tunicæ, Primulæ Veris, Spicæ, Serpillum, Cubebæ, Caryophylli, Cardamomum, Cinnamomum &c. Et imprimis *Cubebæ*, numero tres mane jejuno ſtomacho comeſtæ, acuunt inſigniter Ingenium & Memoriam:

ſiqui-

ſiquidem ipſe adhuc puer cum ab Informatoribus coactus fuerim ad ediſcendas lectiones, ſi voluerim aliquid retinere, aſſumpſi Cubebas tres vel quatuor jejuno ſtomacho (moderata earum dotis ſit, cùm ſint nimis volatiles); & percepi operationes Mentis inſigniter acuatas. Quod etiam faciunt grana *Cardamomi*: ſed in Juvene ſtudioſo cautè applicentur, propter nimiam volatilitatem & acrimoniam aromaticam, in Senibus verò tutiora ſunt. Præterea *Thus*, *Caſtoreum*, & *Succinum* cum omnibus Succinatis, etiam ad Memoriam laudantur, in ſpecie Thus album pulveriſatum, circa plenilunium & novilunium aſſumptum, laudatur ad roborandam Memoriam. Ex præparatis & Compoſitis Conſervæ recenſitorum Vegetabilium, horumque Olea deſtillata, imprimis Cinnamomi, ſunt præſcribenda. Sic quoque *Pulvis Trithemii* admodùm laudatur ad roborandam Memoriam, cujus deſcriptionem *videb. in Praxi Chymiatr.* Hartmanni *Capit.* 14. *ubi de Memoriæ læſione.* Aliam compoſitionem habet Schroederus *in Pharmaceut. Medico-Chymic. Part.* 1. *pagin.* 272. Item huc facit Pulvis Analepticus *Mindereri*, Species Aromaticæ roſatæ, Species Dianthos, Diambræ, Diamoſchi dulcis, & ſimiles, ſunt admodùm convenientes. De *Ambrâ* noto, quòd ſit omnium optima, & quòd non habeatur par Remedium in firmandis Viribus animalibus, & roborandâ Memoriâ, omnibuſque Mentis actionibus: adeò ut nihil æquè fulciat Senes labeſcentes, quàm Ambra, ſive ſub formâ Pulveris cum ana Sacchari exhibeatur, ſive ſub formâ Eſſentiæ vel Tincturæ, parandæ cum Spiritu Roſarum aut Ceraſorum nigrorum, vel cum Spiritu Meliſſæ præparandæ, propinetur. Item elegantiſſima etiam ſit *Tinctura Cephalica* ex granis Chermes & Ambrâ, cum Spiritu Liliorum convallium, vel aliis dictis Spiritibus, extractis.

Sed *obſervetur de his Ambratis*, quod cautè admodùm internè ſint uſurpanda, ſpeciatim cautiùs & parciùs in Juvenibus calidioribus, aut ubi ex aridurâ Cerebri Memoriæ læſio metuitur, tutiùs autem Senibus. Nam ſicut verum eſt, quòd ad tempus quidem fulciat Memoriam, & reddat mirabilem; ita crebriori uſu data poſtmodùm plùs nocet, quàm prodeſt, cùm præmaturam Stupiditatem poſt ſe relinquat; vim enim aliqualem inebriativo-narcoticam Ambra habet conjunctam, ratione cujus etiam reverà Spiritus admodùm refocillat & fervidos reddit, ſed poſtmodùm ſenſim ſenſim que virtute inebriativâ Stuporem & omnimodam Fatuitatem & Stultitiam infert. Cauti ergò ſimus in uſu Ambræ, ac detur potiùs Ambra parciùs & ſæpiùs, quàm ſemel in nimiâ doſi; hinc interdum etiam ejus uſus Senibus concedendus, ſed abuſus fugiendus, quoniam certum eſt, quòd Stupiditatem etiam inferat totalem in Senibus. Sic notum quoque eſt, quòd Ambra egregiè Venerem ſtimulet: & ſimul obſervatu dignum eſt, quòd omnia imprimis Aromatica, Venerem propriè ſtimulantia, Volatilia, Spirituoſa, Satyracea, & ſimilia omnia, ad actiones Animales & Memoriam roborandam conducant; hac tamen cum noxâ, ut ſi ſtimulo Venereo velimus ſatisfacere, Memoria inſigniter debilitetur. Unde Chocolata cum Vino hauſta moderatè Venerem ſtimulat, quâ ſuppreſsâ Memoriam etiam egregiè firmat, in ſpecie ſi cum Lacte uſurpetur: Hinc etiam *Satyrion* egregiè Venerem ſtimulans à Paracelſo ad Memoriam firmandam mirificè commendatur, quod etiam Venereum eſt, unde etiam neceſſe, ut frænū injiciatur Veneri: quò magis autem impetus Venerei cohibentur, eò magis Memoria roboratur.

Porrò Ambræ ratione *Confectio Al-Chermes* Memoriæ firmandæ, imprimis Senibus, conducit; ſicut etiam ab aliis commendari ſolet *Confectio Anacardina*; ſed cautè admodùm uſurpetur propter ingredientia Vegetabilia nimis acria, nimiſque volatilia; unde ejus abuſu quidam inſani, alii acutè febricitantes facti fuerunt, adeò ut rariſſimè vel nunquam ſit uſurpanda.

Inſuper ſpectant huc omnia Spirituoſa ex *Formicis* parata, quæ omnibus functionibus Animalibus robur addunt, ac ſpeciatim *Aqua Magnanimitatis Laurembergii* ad Memoriæ robur & Ingenii acumen laudatur; quæ etiam ipſa egregiè ſtimulat Venerem; de qua, etiam ejuſdem Arte Memoriam firmandi, videat. Laurembergius *in libello ſuo* rariſſimo *Mnemonica* dicto in *Anno* 3. *M. A. N. C. in Append. pagin.* 599. ubi omnia ejus Remedia pro Memoriâ, & *in Collegio Jonſtoniano* D. Michaelis invenienda, inſtar omnium in hoc puncto ſit. Negotium perficit Remediis quatuor: (1.) *Maſticatorio*, (2.) *Capitis lotione*, (3.) *Aquâ Magnanimitatis*, & (4.) *Linimento externo*. Et hæc in illo caſu poſſunt uſurpari, ubi ſubeſt torpor Spirituum, & Cerebri inundatio. Nam quoad primum, *Maſticatorium* ſeu *Apophlegmatizans* eſt tale:

℞. *Herb. Nicotian. ſuccul.* M. ij.
*Rad. Pyreth.* ℥ij.
*Zingiber.* ℥j.

Cum *Melle* puriſſimo in Pultem redacta, commiſceantur, & fiant Globuli in formâ Pilularum majuſcularum.

De quibus omni mane una in Ore agitetur hinc inde, unde copioſum Phlegma colligitur in Os, quod exſpuendum.

Quoad ſecundum, nempe *Lotionem Capitis*, eſt hæc:

℞. *Herb. Meliſſ.*
*Majoran.*
*Salviæ rec.*
*Roriſmar.*
*Fol. Lauri* an. M. j.
*Flor. Lavend.*
*Lil. convall.*
*Tiliæ*,
*Stœch. Arab.* an. p. j.

Coqu. in *Vino Hiſpan.* Gallico, vel Rhenano: quo Caput lavetur omni quarto, quinto, vel ſexto die.

Quoad *Aquam Magnanimitatis*, ea eſt hæc:

℞. *Vin. Malvat.*

In cujus ſ. q. macera per 14. dies & noctes

*Herb. Baſilic.*
*Majoran.*
*Salviæ*,
*Meliſſæ*,
*Puleg.* an. Mß.
*Flor. Borrag.*
*Salviæ*,
*Prim. Veris*,
*Roriſm.*
*Stœchad. Arab.*
*Lil. convall.* an. p. j.

Hæc deſtilla per Alembicum;

Spiritum deſtillatum in Cucurbitam amplam ſuprà apertam inde, & pone in *Nidum Formicarum* circa Solſtitium æſtivum, nempe in talem Nidum, cujus Formicæ percuſſæ mane Acidum de ſe ſpirant, & quæ nulla habent Ova, & ſunt nigræ, German. *Schwartzrothe*, & majuſculæ, quæ reperiuntur circa Arbores reſinoſas: in ejuſmodi acervum hanc Cucurbitam illo *Spiritu Vini aromatico* impletam, ut ſal-

ut ſaltem quarta pars Cucurbitæ ſit plena, pone; hinc in dictam Cucurbitam Formicæ irrepunt, quarum ubi præter propter Manipuli iv. vel v. irrepſerunt, bacillo ligneo commovendæ ſunt, ut omnes ſuffocentur. Hoc facto digere Formicas cum Spiritu Vini aromatico adhuc per dies & noctes 14. in radiis ſolaribus, hinc abſtrahe Spiritum deſtillando, in quem infunde:

*Conſ. Anacard.*
*Cinnamom.* an. ℥j.
*Croci* ʒß.
*Moſchi* gr. xij.

Miſta digerit, filtrando depurat.

De hac Aquâ dat Cochlear unum in hauſtu Vini modicè generoſi, tempore matutino quotidie, vel ſaltem alternis diebus pro varietate circumſtantiarum.

Quoad quartum, *Linimentum externum* eſt illud:

℞. *Herb. Nicotian.* M. ij.
*Flor. Baſilic.*
*Meliſs.*
*Primul. Veris*,
*Majoran.* an. M. j.

Omnia contuſa miſc. cum

*Ol. Olivar.*
*Butyri non ſalit.* an. ℥iij.
adde
*Vini Rhenan.* vel *Malvat.* ℥v.

Coqu. pro Linimento craſſo, & Cola.

Illinatur externè Temporibus, & crebriùs Vertici.

Cum dictâ Aquâ Magnanimitatis *Laurembergii* quidam faciunt Eſſentiam ex Confectione Anacardinâ, & ſic tutiùs ferè uſurpantur Remedia Anacardina: Confer. Hatmannus *Praxis Capit.* 14. §. 2. Porrò nota eſt *Aqua Sophorum Dorncrellii*, item *Aqua Cephalica Mynſichti*, *Quinta Eſſentia Matthioli*, *Aqua & Spiritus Cerebri humani*: quæ omnes commendatæ ſunt pro robore Memoriæ à Bartholeto. Myrobalani condîtæ, in ſpecie Myrobalani Chebulæ condîtæ, laudantur inſigniter à Montagnana ad conciliandam Memoriam firmam, ſi ſubinde Æger unam alteramve comedat. Idem Montagnana *Conſil.* 71. commendat ſequentes Pilulas, quas bonum Secretum vocat ad Memoriam, quibus Virum anteà doctum, ſed Memoriâ privatum, reſtituit.

℔. *Cubebar.*
*Calaminth.*
*Maſtiches*,
*Nuc. Moſchat.*
*Caryophyll.* an. ʒj.
*Ambr. Orient.* ʒß.
*Moſchi* gr. v.

Miſc. & cum *Succ. Majoran.* f. Pilulæ.

De quibus omni veſpere, dum vadit ad lectum, deglutiat aliquot, mane verò capiat duplum, hinc jejunet duas vel quatuor horas.

Sic celebres ſunt *Pilulæ ad Memoriam Sebizii.*

℔. *Aloës* ℥j.
*Rhabarb.* ʒij.
*Myrrhæ*,
*Croci*,
*Agar.* an. ʒj.
*Rad. Gentian.*
*Zedoar.* an. ℈j.

Cum *Theriac. opt.* q. ſ. f. Pilulæ, magnitudine Francofurtenſium.

Quarum ſeptem vel novem deglutiendæ.

Vel Species hæ extrahi cum Spiritu Vini poſſunt in formâ Elixiris: Vid. Velſchius *Mictomim. Centur.* 1. *Obſervation.* 50. *Annex. Anno* 4. & 5. M. A N. C.

His adnumeranda eſt *Herba Thee*, egregiè facultates Animales & operationes Mentis internas confortans; & quidem Decoctum ejus mirabile eſt, dum Judicium, & Memoriam maximè auget, magis tamen Senum quàm Juvenum, & ita ut ſine Somno & Torpore aliquandiu perſiſtant, nempe in Vino bullita, cujus hauſtulus omni mane aſſumatur.

Hæc ſunt Interna, quibus addi poſſunt Spiritus & Eſſentia Salviæ, Roriſmarini, Meliſſæ, Ligni Aloës, Liliorum convallium, Cinnamomi, Caſtorei, Ambræ, & ſimiles.

Vel

℞. *Aquæ Cephal. ad intrà*,
*Sophor.* an. ℥ij.
*Quint. Eſſen. Matthiol.* ℥ß.
*Spir. Ceraſ. nigr.*
*Lil. convall.*
*Prim. Veris*,
*Eſſ. Ambræ* an. ʒj.
*Syr. de Beton.* ℥j.
M. S.

Potio Caput & Memoriam confortans.

Vel

℞. *Conſ. Flor. Anthos*,
*Salviæ*,
*Tunic.* an. ℥ß.
*Nuc. Ind. cond.* ʒiij.
*Spec. Diamb.*
*Diamoſchi dulc.*
*Spir. Lil. convall.* an. ʒiß.

Cum ſ. q. *Syr. Flor. Tunicæ* f. Electuarium:
D. S.

Electuarium Caput & Memoriam confortans.

Item

℔. *Caric. pingu.* No. vj.
*Sem. Eruc.* ʒvj.
*Cartham.* ℈j.

Cum *Syr. Flor. Tunic.* f. Electuarium.
D. S. ut antè.

De quo Doſis quantitas Juglandis tempore matutino: A meridie uſurpari poteſt Liquor Cornu Cervi ſuccinatus, Spiritus Carminativus, vel Salis Ammoniaci caryophyllatus, vel ſuccinatus.

Remedia *Lunaria* pariter & hîc locum inveniunt. Notum eſt de Lunæ raſurâ Memoriæ robur conciliante; quare Reſolutio Lunæ cum Spiritu Salis Ammoniaci vinoſo ad imitationem Kunckelii parata hîc proficua foret.

*Externè* pauca ſunt, quæ locum inveniunt. *Oleum Myrrhæ per deliquium* factum ſolet inſigniter commendari: Videat. Schroederus *in Pharmaceut.* quod divinum Remedium vocat Hildesheim *in Spicil.* ad Memoriam. Oleum hoc Myrrhæ per deliquium ſi Temporibus & Occipiti inungatur, mirificè Memoriam reſtituere aſſerit. Sic Zapatha curavit Memoriam imminutam ob abundantiam Succorum frigidorum in Capite per Spiritum Vini, cui Piperis parum infuſum fuerat, inungendo hoc ipſo ſubinde Suturam Coronalem & Sagittalem: Videat. Zapatha *Capit.* 4. *in Cl. Medicin.* Simile quid eſt, quod commendat Hildesheim *in Spicil.* 3. *pagin.* 319. ubi laudat ſequentem *Eſſentiam* ad Memoriam conciliandam: nempe

℞. *Fol. Betonic.*
*Salviæ*,
*Lavend.*
*Roriſmar.*
*Flor. Roſar. rub.* an. M. j.
*Nuc. Moſchat.*,

*Piperis*

*Piperis long.*
*Galang.*
*Cyperi rotundi* an. ʒiv.
*Caſtor.* ʒij.
*Nuc. Indic.* ʒß.
*Myrrhæ*,
*Thuris* an. ʒiij.
*Croci* ʒß. vel ʒij.

Infundantur in *Vino* vel *Spiritu Vini*, aut *Spiritu appropriato*, digerantur in Mariæ Balneo & filtrentur.

Hoc ipſo Liquore, ſeu, ut vocant, Oleo, Nares & Tempora & Vertex largiter illinantur pro Ingenii robore firmando.

Conveniunt quoque Balſamum Memoriæ *Mynſichti*, & Lixivium Sapientiæ *Mynſichti*. Aliàs etiam Pinguedo Urſina Temporibus & Fronti illita ad roborandam Memoriam commendatur; item Unguentum *Caroli Ducis Burgundiæ*. Præparationem videbitis in Sennerti *Praxi*, *ubi de Memoriæ læſionibus*.

*His præmiſſis jam accedimus ad Ratiocinationem depravatam*; unde ſequitur

## ARTICULUS II.

### *De Deliriis in Genere.*

QUando depravatur *Ratiocinatio* occaſione læſæ Imaginationis, ſeu Phantaſiæ, & Memoriæ, ita ut à conſuetâ lege & ordine aberret; dicitur *Delirium*.

*Aberratio* hæc obſervatur nunc conjunctim, nunc ſeorſim, ſecundùm omnes tres Mentis Operationes: Nam

1. In ſimplicium Objectorum indeque formatorum Conceptuum *Apprehenſione*: verbi gratiâ cum Delirans quid pro quo, vel aliud pro alio, concipit, ut dum quendam vulgarem Hominem Regem Hiſpaniæ appellat. Deinde
2. & 3. In ipſorum Conceptuum apprehenſorum *Compoſitione & Diviſione*, indeque factâ *Concluſione* & *Ratiocinatione*; ut dum aliquis putat, ſe conflatum eſſe ex Butyro; Unde Ignem horret, ne liqueſcat: Videb. Schenckii *Obſervationes*.

Omnes hæ Aberrationes à rectâ Ratione uno nomine *Delirium* appellantur, Græcis παραφροσύνη nempe Depravatio Rationis, & Aberratio ejuſdem ab ordinariâ Cogitationis lege, quâ Deliria varia, nunc Ridicula & Jocoſa cum Ægri gaudio & voluptate conjuncta, quando nempe rident, cantant, jocoſa narrant; nunc etiam Moroſa ſeu Seria, ubi cum quodam impetu, furore, &c. delirant, ſed abſque nexu & ordine, & ſine fundamento, confuſè ut plurimùm producuntur.

## CAUSÆ.

*Cauſa* horum Deliriorum *in genere* conſiſtit in Spiritu Animali, in Subſtantiâ nempe & Motu plùs minùs alterato & vitiato, ita ut Spiritus à debitâ Craſi degenerent: unde prout variat Craſis Spirituum & eorum Motus præter naturam, variant etiam Deliria. *Mens* enim, id eſt, *Anima Rationalis*, utpote immaterialis, & immutabilis, eadem ſemper manet: & à nullâ aliâ Causâ materiali lædi, & inquinari poteſt.

In *Spiritu* ergò hæret vitium, idque varium, & diverſum, prout ipſius Alterationis inductæ, & Cauſarum Occaſionalium multiplex eſt varietas, unde etiam varia Deliria, variæque eorundem *Species*. Rem hanc Exemplo declarabo; Quemadmodùm in *Ebriis* idem Vinum ſub Ebrietatis exorbitantiâ diverſa parit Deliria in diverſis Subjectis, dum unus ſub Delirio vinoſo fit iracundus, aut furioſus, alter fit amoroſus, tertius fit canorus, ſeu cantans, quartus jocoſus, & ridiculus, quintus fit ſomnolentus, ſextus ſe æſtimat maximè divitem, ſeptimus omnium evadit ſapientiſſimus, octavus alio phantaſmate afficitur, &c.; in his Affectibus, ut ut unum ſit Vinum, quod omnes inebriat, indeque omnes etiam delirantes reddit; nihilo minùs tamen pro diverſâ conſtitutione Subjectorum, eorumque aliâ habitudine diverſâ, ex Maſſæ Sanguineæ Craſi materiali, & ſeminali diſtinctâ, & inde pro variâ Spirituum Animalium conſtitutione, *varia* tamen, & diſtincta fiunt *Deliria*.

Quoad *Differentias Deliriorum*: in genere omnia, vel ex *Internâ* oriuntur *Causâ*, ſeu quæ habent Fomitem quendam internum in Corpore ſabulantem, vel ab *Externâ*. Ab *Externâ*, quæ proveniunt Causâ Deliria, originem ducunt, vel ab Aſſumptis intra Corpus, vel extrinſecus Admotis, e. g. Morſu Canis rabidi, Felis rabidæ, Tarantulæ ictu: utraque, ſive ex Vegetabili, ſeu Animali ex Regno oriuntur.

*Externas* quod attinet *Cauſas*: *ex Regno Vegetabili* ſunt *Liquores Spirituoſi*, & Temulentiam inducentes, in Ebriis Delirium excitantes; item omnia *Narcotica* ſtupefactiva, quæ ſimul cum virtute fixativâ, & quaſi ligativâ Spirituum Animalium, certam vim ſimul etiam obtinent determinandi certo modo Spirituum Animalium motum, cujus immutati occaſione, diverſi & extraordinarii Conceptus in Mente formentur, indeque varia Deliria oriantur: v. g. refert Kircherus *Tr. Scrutinium Peſtis* Exemplum de duobus Monachis, qui ex eſu Radicum Cicutæ prope Aquas creſcentis, loco Petroſelini, in tale inciderunt Delirium, ut ſe in Anſeres, & Anates transformatos putârint, indeque iſti Monachi piſcinis, ſtagnis, & paludibus (creſcit enim propè flumina) ſe immerſerint, & Anatum inſtar natare voluerint. Conf. etiam Wepferus *de Cicutâ Aquaticâ*. Pertinent huc, præter *Opium*, ferè univerſus *Solanorum* exercitus, quos inter in ſpecie eminet *Nicotiana*, *Hyoſcyamus*, *Datura*, *Stramonium*, *Solanum maniacum*, &c. Pertinet huc *Pharmacum Phantaſticum Bartholetti* ex Stramonii Semine paratum, quo ipſo determinare vult Deliria pro lubitu ad certum Conceptum, & certam Imaginationis ſpeciem pro additorum aliorum varietate: de quo prolixè agit in *Tractatu de Reſpirationis vitiis lib. 5. cap. 1. & 3. pag. 405. & ſeqq.* NB. rarum eſt Scriptum. Sic *Opium* & *Opiata*, copioſiùs, & frequentiùs propinata, (uti mos eſt in Provinciis Orientalibus, in Indiâ, Perſiâ, & ſimilibus) & ſimilia *Narcotica* nobis Occidentalibus, & Septentrionalibus Somnū cum Inſomniis horrendis, & admodùm terriculoſis de Dæmonibus, aut Spectris inferunt, quaſi vexaremur à Dæmone, quaſi vulneremur, & verſemur in jurgiis; Orientalibus autem, nempe Turcis, ſub Somno Inſomnia ſuavia, quaſi in Viridariis verſentur in Paradiſo, ibique hilariter, & jucundiſſimè vivant, excitat. Conf. M. A. N. C. *Anno 2. Obſerv. 69.* Sic *Hyoſcyamus* aſſumptus quibuſdam ridiculum inſert Delirium cum jurgiis, & contumeliis: Vid. Borellus *Cent. 4. Obſ. 45.* ubi refert quendam Ruſticum cum ſuâ familiâ ex eſu Radicis Hyoſcyami totum fuiſſe dementatum, ita ut quaſi Simia varias geſticulationes, & ridiculas actiones perageret. Pertinet huc vis narcotica *Nucis Metellæ* Arabum, quæ idem eſt, atque *Datura Turcarum*, à cujus Semi-

Semine, ad certum pondus dato, Risum effici, aut Stultitiam cum Risu, & jucundâ Animi hilaritate, & cum insigni liberalitate, ita ut, qui sumpserit istud Semen, liberali manu omnia sua det, & offerat, omnia delicta profiteatur, & omnibus jussis obsecundet: ac reverà Hyoscyami est species: vid. Bartholetus *loc. alleg.* E contrà Semen, & Cortex Hyoscyami Peruviani, eodem Authore referente, Delirium facit ecstaticum, quo delirantes putant se versare in Viridariis in conversatione Angelorum; de hujus Narcosi vid. Mandelslo *in Descriptione itineris Indiæ Orientalis, paginâ* 133. cujus narcoticæ virtutis medela est Acetum: Vid. Hoechstetterus *Decad. 7. pag.* 156. Sicut Semen Hyoscyami nigri infert Delirium cum jurgiis, & contumeliis, & Semen Solani majoris dat Delirium, quo se à Dæmonibus vexari, & à Serpentibus, ac Satellitibus malè tractari existimant. Plura similia, eaque non inelegantia, & admodùm curiosa, de ejusmodi Artificiali quasi Dementiâ per Externa excitatâ, videb. in Doeringio *Tr. de Opio ejusque virtute*, ubi *cap. 7. paginâ* 72. & 79. inter alia observat Artificialem Dementiam quandam, qua Ægri putant se naufragium pati: Sicuti idem Doering *loc. citato paginâ* 79. observat Dementiam similiter ex Medicamento, quo Ægri primò hilares, hinc iracundi, tandem admodùm mœsti fiunt. Sed dementari, stupidos reddi, & Delirium induci ab hujusmodi Vegetabilibus Narcoticis extra dubium est. An verò semper in diversis Subjectis Deliria determinata inferant, aut Arte per addita ita specificari queant, ut saltem determinatum efficiant Delirium, de hoc admodùm dubitare quis potest, cùm & Hyoscyamus pro Subjectorum varietate Amentias diversas inferat; pariliter fere modo, atque suprà de Vino monui: Conf. M. A. N. C. *Anno 4. & 5. Observ.* 124. *pag.* 134. Huc pertinet *Crocus*, de quo vid. Kircherus *loc. all.* Sulphura enim Vegetabilium minùs tuta sunt, quia stupefactiva, & narcotica sunt; Sulphura verò ex Regno Minerali sunt tantùm anodyna, non verò stupefactiva.

Sed præter Vegetabilia etiam *Animalia* certa, & determinata inferunt Deliria, in specie Animalia nobis dicta Venenata, & hinc etiam *Animalia Rabida*, Canis, seu Felis, &c. Vid. Bauhinus. Sic in *Rabie* notum est, quod à *Cane* Rabido demorsi simile Delirium rabiosum contrahant, sub quo in Canes se mutatos existiment, unde in mores caninos ferè transformantur; sicuti iidem semper Hydrophobiâ, seu insigni omnium Liquidorum, & Aquarum metu corripiuntur. Notus quoque præterea est *Tarantismus*, quando à *Tarantulis* demorsi earundem gestus, telarum texturam, & ad determinatam Musicam, Amorem, & similia exactè acquirunt. Nota etiam est *Rabies Felina*, dum tres Helvetii Juvenes de Fele rabidâ interfectâ comedentes Deliri exinde, & Rabidi fuerint, ut Felium instar Unguibus, & Dentibus se lacerârint, & morsicando invicem congressi fuerint: Vid. Kircherus *in Scrutin. Pestis paginâ* 207., & Weinrichius *Tract. de Monstris*, ubi habet Exemplum Morum felinorum ex Sanguine Felis assumpto inductorum. Quô similiter *Lupina*, & *Suilla Rabies* pertinet, quorum esu similiter Homines in talia Deliria feruntur: Exempla prostant hinc inde, imprimis apud Bauhinum, qui habet de Rabie Canum, Luporum, &c. Pertinent huc quoque *Philtra*, tam vera, quàm falsa: Falsa sæpiùs Maniam inferunt, & Furorem; Vera per Mumiæ & Animalis confermentationem cum certo Subjecto, habent simul vim determinandi Spiritus Animales, ita ut exinde ferantur in determinatam Personam suâ inclinatione: unde consequenter Amor; de quo veri Philtri parandi modo per Mumiæ naturalis confermentationem cum certo Subjecto, & hinc Transplantationem *infrà Membro 4. Articul. 4.* plura. In Suecià Septentrionali est *Gulo*, Animal sic dictum voracissimum, cujus Pellis pretiosissima, si dormientibus obtegatur, facit Insomnia Animali congrua, nempe voracissimi Hominis. De *Marte*, quòd faciat Delirium Ridiculum, vid. Bartholetus *loc. all.* Ab his ergò, & similibus Externis determinantur Spiritus Animales, quatenus horum Crasin certo modo alterant, & motum in Cerebro variant, ut hujus motûs occasione Anima Rationalis exinde tam miros, ac deliros formet Conceptus, ut anteà dixi. Quod quomodò fiat, ut externè admota determinatum, ac specificatum Delirium inducant, certò nondum constat, & adhuc perscrutandum est, cùm nulla adhuc Authoris constet Opinio, quæ Animum scrupulosum, simulque veritatis avidum, possit exsatiare.

Præ cæteris operosus hìc fuit Helmontius *in suis Scriptis*, & hinc Marcus Marci *Tract. de Ideis operatricibus*, item *Tract. de Philosophiâ Veterum restitutâ*; qui per Ideas Naturam determinantes negotium explicare nituntur: quæ Hypothesis, si rem exactè consideremus, plausibilis primò videtur, & maxima probabilitate conceptibili nobis imponere solet. Sed tamen si exactiùs paulò ad rectæ rationis trutinam examinetur, & ad prima usque fundamenta vera fiat inquisitio, si etiam paulatim in nosmet ipsos faciamus reflexionem, ut possimus concipere, quid, & quale sit, & quomodò operari possit talis Entitas Idealis, seu Intentionalis, & Immaterialis sub compage Materiæ? aut quomodò hæc ipsa aut involvi aut evolvi possit? certus sum, quòd tunc omnis ista Idealis Imaginatio instar fumi, seu vanæ cujusdam Ideæ subitò sit transparitura, & evanitura.

Hinc est, quòd multi curiosi, & exercitati Naturæ scrutatores, quos inter meritò refero nonnullos Anglos, & hos inter D. Boyle, non sine nominis honore nominandos, maximè æstimat, & admiratur Helmontium, ubi in Praxeos, & Philosophiæ Naturalis terminis se continet: ubi verò in extravagantias ideales prorumpit, ejusdem somniis quidem indulgendum, non verò inhærendum arbitratur. Et quidem fundamentum istius Opinionis, ex quo subinde probat existentiam talium Idearum Helmontio *Seminalium*, Marco Marci *Operatricium* dictarum, desumptum est à Formatione Fœtûs in Utero, ejusque per Ideam ab Imaginatione maternâ conceptam transformatione. Hoc ipso tamen obscurum per æquè obscurum declarare nititur, æquè enim obscurum est Formationis Fœtûs, & Transformationis ejus per maternam Imaginationem negotium, quàm tota superstructa eidem *φαινομένων* modò allegatorum explicatio; adeo ut obscuri per æquè obscurum declaratio non satisfacere possit nobis. Hæc de Delirio à Causâ Externâ in genere.

Ea *Deliria verò*, quæ fiunt *à Causa, & Occasione Internâ*, adeoque sponte Fomitem intra Corpus continent, & ipsa pro Fomitis Interni varietate, & prout diversimodè Spiritus afficiuntur, sunt varia, & diversa; nunc quidem *Vaga* sunt, seu *Indeterminata*, ut in Febribus Ardentibus, & Malignis; nunc verò sunt *Fixa*, ut in pluribus Melancholicis, & quasi ad certum Objectum determinata. Quòd autem à talibus Causis Internis possint determinari Spiritus in suo Motu, ut hujus occasione depravetur Ratiocinatio ad certum Objectum, ac certum superveniat Delirium, per manifestum Exemplum declarabo: Considerem v. g. Picantes: sanè Pica est Appetitus Carbonum, Cretæ, Halecis, &c. delirus, qui tamen exciratur Occasione positivâ in Stomacho fundatâ: sic etiam ponamus v. g. quendam, qui tempore nocturno in Somno patitur distensionem Vesicæ ex collecta inibi Urinâ, vel quando Genitura turgescens in Vasculis, & Vesiculis seminalibus titil-

lationem ſuavem excitat; in talibus certè exinde ita determinantur Spiritus Animales, ut ſuperveniat Somnium: & quidem in priori, quaſi emitteret Urinam, adeòque ſtragula permingit; in poſteriori verò caſu patitur Somnium Venereum, quo ſomniando imaginamur, nos exercere venerea negotia cum formoſis puellis, indeque etiam Seminis excretio, ſeu Pollutio nocturna ordinariò ſuccedit. Par ratio eſt cum Picâ, in qua determinatum eſt Delirium. Optimè facit huc Exemplum iſtud Veneris imaginariæ: uti enim Genitura turgeſcens titillando infert Somnium Venereum, ita etiam ſimili ferè modo Sordes vitioſæ, vel alia quæcunque Cauſa Interna, Spiritus ad Deliria certa determinare valet. Conſideremus ergò hîc, quomodo Seminis turgeſcentia inferat Somnium Venereum? in quo notorium eſt, Imaginationem ferri in Objectum quaſi præſens, quod tamen abſens: Rectè enim in dormientibus Inſomnia dicuntur dormientium Deliria; ſicuti contrà vigilum Deliria reverâ ſunt vigilantium Inſomnia, cum ſanè tale quid patiantur Delirantes vigilantes, quod patiuntur ſomniantes. Unde etiam Delirantes vigilantes interdum recordantur eorum, quæ ſub Delirio fecerunt, interdum verò non; non ſecus atque fit interdum cum Somniis paulò profundioribus, interdum verò obliviſcantur: adeò, ut qui rectè noverit declarare Naturam & fiendi modum Inſomniorum, hic ipſe quoque manifeſtam habebit Theoriam Deliriorum, quatenus nempe ea ex Fomite Interno originem habent, cum aliàs notum ſit, quòd Somnia naturali ordine ſoleant inſequi Temperaturam, ut vocant, ſeu naturalem Humorem, ac Spirituum craſin. Iſtud Exemplum de Pollutione nocturnâ curioſo poteſt adminiſtrare anſam meditandi Inſomniorum, & Deliriorum naturam. Quô etiam pertinet Delirium, dictus *Furor Uterinus*, ubi manifeſtum eſt Delirium, ex Liquoris ſeminalis circa Genitalia turgeſcentis, ſimili ferè ex Causâ, atque in Maribus Pollutio nocturna, Mulieribus ſuperveniens.

## ARTICULUS III.

### *De Deliriis A cauſis Internis.*

UT verò ſingulas, & frequentiores eorum Species ſigillatim abſolvamus, initium faciamus ab iis, quæ *à Cauſâ Internâ* oriuntur.

Deliria, quæ ab Internâ oriuntur Cauſâ, rurſus ſunt varia. Et primò quidem ſunt, vel *cum Febre*, vel *ſine Febre*. Delirium cum Febre aut levius eſt, aut gravius. Illud communiter *Delirium ſimplex* (nam Deliria Febrilia proprio ſpeciali nomine carent) tam apud Græcos, quàm Latinos appellatur: Hoc verò, quod gravius, & ferocius, hodie ordinariâ appellatione *Phrenitis* audit, quod mitius *Paraphrenitis*. Delirium ſine Febre eſt *Mania*.

## MEMBRUM I.

### *De Phrenitide.*

PHrenitidem *ex Inflammatione Membranarum Cerebri*, ejuſque ſubſtantiæ cinericiæ, oriri vulgò æſtimant. De hac Phrenitide ita explicatâ jam *ſuprà* l. 1. monui, quòd nempe ſecundùm primos Medicinæ Authores propriè *Diaphragmatis Inflammationem* innuat, ſecundùm quos Inflammatio Cerebri ejuſque Membranarum vocata fuerit, *Sphacelus*. Malum, ut rarum, ita ut plurimùm funeſtum, ac lethale: Verùm cùm loquendum ſit cum vulgo, ſentiendum autem cum paucis, ob id etiam nos hac vice Phrenitidis nomen in vulgari ſenſu retinebimus; idque imprimis, quia ratione Methodi Medendi, & in Diaphragmatis Inflammatione, & in Sphacelo Cerebri, eadem ſit curandi ratio, quæ in vulgò ſic dictâ Phrenitide; ſicut *Paraphrenitidis* nomine innuimus leviora Deliria.

## CAUSÆ.

*Cauſa* ergò Univerſalis tam *levioris*, quàm *gravioris Delirii Febrilis*, ſeu *Phrenitidis* eſt in genere Spirituum Animalium varius, velociſſimus, & confuſus in Cerebro, præſertim ejus Corpore calloſo, motus, cujus occaſione (dico *occaſione*) fit, ut Ratiocinatio, & Imaginatio pervertantur; unde & pòſt tam varia, & minùs cohærentia Phantaſmata ab Animâ efformantur, quorum index, & nuntius ſunt inconditi Sermones, Riſus, aut Fletus, Flocculorum, quæ nuſquam ſunt, collectiones, Vigiliæ, Muſcarum, quæ nuſquam ſunt, inſolitæ venationes, & variæ Artuum motiones, &c. donec aucto, & nimis impetuoſo, penituſque inordinato facto Spirituum jam deficientium motu, *Convulſiones* ſæpè lethales ſuperveniant, aut tandem Spiritibus tantumnon abſumptis per inconditum Narcoticorum uſum penitus fixatis, Phrenitis in Lethargum, aut in Affectum Soporoſum potiùs mutetur, aut ſucceſſivè ſuperato Malo æquabilis ordo, ac circuitus Spiritibus redeat.

*Cauſa* verò *Remota* inconditi iſtius Spirituum Animalium motûs in Cerebro eſt nimia eorum, & Cerebri Æſtuatio, & Incaleſcentia, nunc minor, nunc major, idque vel ſimpliciter ob Sanguinis nimiam Incaleſcentiam, & Pulſum in Cerebro frequentiorem, ex ejus Efferveſcentiâ natum in *Paraphrenitide*, vel ob Stagnationem, & exinde Membranarum, aut corticalis Cerebri ſubſtantiæ Inflammationem in *Phrenitide* propriè dictâ. Cogitemus ſaltem Æſtum Febrium talium Acutarum, & Vaſa inſignia, & numeroſa ad Cerebrum diſtributa, & tunc hujus Fervor facilè, & ſponte patebit: quod multò magis fiet, ſi Cerebrum ipſum patiatur Inflammationem, in quo caſu dum Cerebrum adeò fervore, & ardore æſtuat, neceſſariò Spiritus Animales fervidi movebuntur, & Imaginatio Ratiocinatioque lædentur. Unde primo in principio Febrium talium Acutarum Vigiliæ pertinaces tanquam Delirii prodromus ſeu primus gradus ex Spirituum continuo motu, ſecundò in incremento, & ſtatu Deliria ipſa ex eorundem motu perverſo, ac tandem tertiò Convulſiones, ex Spirituum quaſi ultimo nixu in Membra ſe mutuò ſubſequuntur, & hi termini Mortis prodromi ferè eſſe ſolent.

Ab efferveſcente ergò inſigniter Sanguine, & magis adhùc exæſtuante hinc Cerebro, ſubtiliores, & fervidiores redditi Spiritus Animales agiliùs quidem, ſed ſimul confuſiùs, & perturbatiùs in Cerebro moventur; unde Deliria ſimilia, præſertim in incremento, aut principio ſtatûs Febrium talium Ardentium Continuarum ſuperveniunt, ubi nempe maxima eſt Sanguinis Efferveſcentia. Ubi enim in principio Morbi, aut incremento, abſque tamen inſigniori febrili Sanguinis Efferveſcentiâ, Vigiliæ pertinaces cum leviori Delirio imminente ſe manifeſtare incipiunt, gravioris *Malignitatis* anguis latet ſub herbâ, & Virus malignum perturbati Spirituum Animalium motûs eſt origo, niſi ſit in Peſte, & ſimilibus Morbis malignioribus, quod probè obſervetur pro Praxi. Unde patet, quòd *Cauſa Remota* ſit vel ſimpliciter Cerebri Incaleſcentia, ex Sanguinis Fervore in Febribus Benignis & Malignis: vel Cerebri & ejus Membranarum propria Inflammatio, ex Sanguinis Stagnatione ibidem factâ, idque in perfectâ Phrenitide. Subeſſe autem, præter ſimplicem Cerebri Exæſtuationem, ſubinde etiam Membranarum

aut

aut Corticis ejus Inflammationem, confirmarunt Exempla Phreniticorum poſt mortem diſſectorum: Sic enim refert Rhodius *Cent. 1. Obſervat.* 39. Phreniticum biduo extinctum, in cujus Capite aperto Cerebrum & Membranæ ejus cum intenſo Rubore adeò tumebant, ut facilè Venæ ab ipſius ſubſtantia potuerint ſeparari; & *Obſervat.* 40. Phrenitidem ſic dictam à Piæ Matris Inflammatione: Sic etiam Nicolaus Fontanus *in Analect. cap.* 2. in Juvene Febre Continuâ perniciosâ laborante, Symptomatis horrendis ſtipata, ingentem Cephalalgiam obſervavit, accedente Vigilia & Paraphrenitide, ex qua paulatim Phrenitis ſubnata nullis Auxiliis levari potuit, ſed furioſus, amens & inquietus, ac inſomnis decimo octavo die occubuit: reſecto Cranio Cerebrum ſine læſione fuit, ſed Maculis ſanguineis undique conſperſum, & Meninges, in ſpecie Pia Mater, tumida admodùm & Sanguine nigriuſculo turgens viſa fuit, & omnes ejuſdem rami per Cerebrum diſperſi, Sanguine congrumato tumidi reperti fuerunt: Sic Paw *Obſervat. Anat.* 8. in cujuſdam Phrenitide & Convulſione mortui Cadavere Abſceſſum in Cerebello & exeſionem Duræ Matris obſervavit. Tunc quoque Inflammationem Membranarum Cerebri ejuſque Corticis adeſſe ſuſpicio eſt, quando per Metaſtaſin aliarum Inflammationum oriuntur Pleuritides, v. g. quando poſt Eryſipelas externum, aut poſt Pleuritidem, aut Peripneumoniam, aut poſt Anginam ſubitò evaneſcentes inſequitur Phrenitis, Inflammatione partes aſſuetas ſaltem mutante: in talibus non dubium eſt, Sanguinem in aliis locis coagulatum, ſolutum verò denuò, ſtagnare in Membranis Cerebri, aut ipſo Cerebro, & ibidem novam inducere Inflammationem. Certum ergò eſt, ſubinde in Deliriis Febrium gravioribus Inflammationem Cerebri & Membranarum, non tamen ſemper, eſſe.

*Cauſas* quod attinet *remotiores Procatarcticas*, à quibus Corpus diſponitur ad Febres Acutas, & conſequenter harum pediſſequa, Deliria, vel ſimplicia, vel phrenetica: eæ variæ quidem ſunt, omnes tamen coincidunt cum iis, *quæ inferunt Sanguini motum impetuoſiorem* & Febres Ardentes; ſic v. g. notum eſt, quòd *Ætas juvenilis*, *Aër æſtivus*, *crebrior Ebrioſitas*, *& abuſus Potuum generoſorum*, in ſpecie Vini & Spiritûs Vini, nos reddant admodùm promptos uti ad Febres ardentes, ita etiam ad Deliria & perfectas Phrenitides, uti hoc ferè videmus in Ebrioſis: Exempla ſanè proſtant ubivis ex abuſu Vini Juvenum correptorum Phrenitide: Sic enim Horſtius *lib.* 2. *Obſervat.* 25. Phrenitidem poſt nimiam Vini ingurgitationem refert. *Suppreſſæ quoque Sanguinis Evacuationes* ſolennes, uti Febres, ita etiam Stagnationem Sanguinis in Cerebro, & Phrenitides ſubinde inferunt: quâ ratione *ex Lochiis* Puerperæ non ritè expurgatis Phrenitidem obortam refert Horſtius *lib.* 2. *Obſerv.* 25. & *Obſervat.* 26. idem Malum ex retentione Hæmorrhoidum in Viro annotat. Tandem etiam huc *Affectus Animi graviores* pertinent: quos inter in ſpecie primatum obtinet *Ira*, quæ admodùm nos diſponit ad Febres Acutas, ipſiſque conjuncta Deliria: Sic Phrenitidem ex Irâ ſub Menſium fluxu hunc coërcente referunt Bartholini *Acta Haffn. Volum.* 2. *pag.* 138. Nam potentes admodùm ſunt Animi Affectus, præſertim Ira ad inducendas Febres ac Deliria. Ira enim per ſe eſt Febris quaſi talis naturalis. Nam in hac Sanguis intenſiùs efferveſcit circa Præcordia, unde & in hac Corpus intensè calet, Facies rubore tincta perſpicuo, Caput dolet, Pulſus eſt frequentior & major, ex auctâ Sanguinis Fermentatione; Unde non mirum, ſi ſuperveniat Febris cum Delirio, aut etiam Phrenitis: *Febres Malignæ* quoque, uti monui, ſæpiſſimè conjuncta habent Deliria & Phrenitides, tam in principio, quàm in incremento. Et quidem Phrenitides in Febribus Malignis ſupervenire ſolent interdum citra inſignem Corporis Incaleſcentiam, aut Maſſæ Sanguineæ Efferveſcentiam; unde talia Deliria in principio cautum reddant Medicum in inſtituendâ Curâ, ne perditos reddat Ægros. Omnia illa, quæ Febres magis Acutas excitant, Deliria & Phrenitides inferunt; ita tamen ut Phrenitis, quamvis ſemper cum Febre, non tamen ſemper à Febre ſit. Notabile eſt, quod refert Platerus *lib.* 1. *Obſerv. pag.* 87. ubi Delirans in Febre continuâ Uxorem per vim comprimit, mox exſpirat; Uxor verò mox eodem Morbo correpta, licèt fuerit ſanata, Mens tamen nunquam ſe rectè habuit. Denique *Gonorrhœa virulenta* ſuppreſſa Phrenitidem quoque intulit, curatam poſt univerſalia per ℈j. Philonii Romani à Fontano *Curat. & Reſp. lib.* 1. *pag.* 21.

## DIFFERENTIÆ.

*Differentias* quod attinet: præter has, ut ſuprà fuit inſinuatum, quòd *Deliria Febrilia*, Phrenitis & Paraphrenitis, ſint nunc *graviora*, nunc *leviora*, eadem porrò, in *Phrenitide* præprimis, ſunt nunc *Ridicula*, nunc ſunt *Seria*. Illa ſunt, quando Ægri varia abſurda, incondita, & minùs cohærentia, cum quadam plùs minùs hilaritate, interdum & cum riſu & aliquali facilitate, proferunt. *Serium* verò Delirium eſt, quando Ægri, quicquid faciunt, quaſi aliquantiſper irati cum impetu, quodam furore & moroſitate proferunt varia & incondita, idque non tam inſcii, ut videri volunt, quàm quòd quaſi præmeditato & ſummo ſtudio facto (μετὰ σπουδῆς) hoc faciant. Quæ *Differentia* probè obſervanda propter effatum Hippocratis dicentis: Quòd *Deliria Ridicula* ſint tutiora & minùs mala, quàm *Deliria Seria* aut cum jurgiis juncta.

## DIAGNOSIS.

Quoad *Signa* duorum horum Deliriorum, Phrenitidis nempe & Paraphrenitidis: primò quidem in Febribus neceſſe eſt, ut Delirium imminens prægnoſcatur, ut poſſimus ejus ferociam præcavere.

Et quidem *præſens Delirium* cuilibet manifeſtum eſt, imminens verò, ut præcaveri poſſit, attendatur.

*Imminens* autem *Delirium* ferè patet ex quadam Garrulitate inſolitâ, & nimia loquendi promptitudine plùs minùs audaci, & cum Ferociâ; ſicut & imminente Delirio inſignis mutatio Morum adeſſe ſolet: ita ut, ſi is, qui aliàs fuit mitis & facilis in reſpondendo, fiat nonnihil ferox & temerarius, aut facilè proclivis ad iram; & qui anteà fuit compoſitis moribus, & quietus in lecto, jam fiat inquietus; item ſi is, qui aliàs eſt taciturnus, evadat loquax, ſi Corpus indecorè moveat (quod Signum Mortis certum) ſi etiam Corpus aut Membra quædam denudet, ſi eorum, quæ legerit vel locutus fuerit, ſubitò obliviſcatur, ſi eundem ſermonem ſæpiùs citra rationem repetat; item, ſi Vigiliæ aut Cephalalgiæ pertinaces adſint, aut ſaltim Somnus admodùm interruptus & turbulentus præceſſerit, jactitant Membra variè, & mille inconcinnitates ſolent exercere actionibus & ſermonibus, in talibus caſibus Delirium ſimplex imminere patet.

Quòd ſi verò jam dicta Deliria adſint, Ægri ſolent eſſe moroſi, varia incondita loquuntur, fiunt furioſi, ex lectis proſiliunt; accedunt his ſimul Urina primò craſſa, mox tenuis, imò diaphana, Capitis tactus calidior, item Oculi: qui enim, ſi fiant aliquantiſper mobiliores, ſolito ſplendidiores & quaſi fulgidi & ignei, ſi fiant quaſi rigentes, & aſpectus ſit nonnihil ferox, *cùm adeò rigidè aliquem intuetur*,

facilè Delirium non leve, ſed furioſum infallibile cognoſcitur; ſunt nempe Oculi, uti feneſtra Animi, ita & Corporis: unde etiam Oculi nimis fulgidi aut pallidiores, aut plùs minùs cornei apparentes, inſignem Virium proſtrationem, Spirituum ex defectu, innuunt.

Si in principio Morbi Acuti de *Dolore in bulbis Oculorum* ſeu *Ophthalmiâ* conqueruntur Ægri, funeſtiſſimum Signum eſt; mox enim Delirium & Convulſiones adſunt, quod ſæpiùs obſervavi.

*Colores varii ante Oculos* apparentes, & Objecta peregrino colore veſtita, Convulſiones, Deliria, &c. innuunt. Viſitavi aliquando Ægrum Malignâ Febre correptum, licèt aliàs benè ſe haberet, dicebat: me indutum eſſe pallio & veſte cœruleâ; imò omnis niger Color cœruleus illi videbatur. Signum hoc aderat mane, à meridie ſubſequebantur Delirium & Convulſiones, & tandem interibat.

*Alvi* dejectiones & *Urinæ* interdum ſine ſenſu effluunt.

Quòd ſi verò porrò in Delirio Febrili adſit *Inflammatio Cerebri*, vel potiùs *Membranarum* ejus, aut verò tantummodò Incaleſcentia nimia, & Fervor ejus ac Spirituum, adeòque vera Modernorum Phrenitis, hiſce ferè modis diſtingui poteſt: quòd nempe tunc, præter Delirium ſummè ferox, immanis Capitis Dolor, præprimis circa Occiput, adſit in Phrenitide, in qua eſt Inflammatio Cerebri, unde hoc ſæpiùs fricant, cum Reſpiratione difficili, magnâ & tardâ, quia non percipiunt Ægri, cum Febre Continuâ & Siti nullâ, utut hujus Cauſæ adſint. Nam ex naturâ partis facilè patet, quòd Dolor ſit vehementiſſimus, cùm Dura Mater Cerebri ſimul ſit affecta, quæ eſt ſenſibiliſſima.

Dum autem *Membrana Cerebri, aut corticalis ejus ſubſtantia, Inflammationem patiuntur*, non poteſt non fieri Ardoris ſenſus: unde eſt, quòd veri Phrenitici ſoleant avellere Capillos, inſcii tamen, propter immanem & acutiſſimum Dolorem, quem percipiunt; Item Manus perpetuò Capiti admovent, & vario ac quaſi furioſo motu Caput agitant hinc inde: propter quos acerbiſſimos Dolores etiam adeò brevis eſt Affectus, cùm non poſſint ſupereſſe Spiritus cum immani adeo Dolore. Accedunt præterea interdum *Convulſiones*, idque, quando Inflammatio Cerebri incipit abire in *Gangrænam*: nam omnis Inflammationis finis eſt Gangræna, ubi ferocia remittit, & qui anteà ex lecto proſiliebant, ſubitò fiunt mites, taciturni, Oculis clauſis proſtrati decumbunt, & lethargici evadunt Ægri. Adhæc in verâ Phrenitide *Pulſatio* adeſt vehementiſſima in & circa Caput, de qua etiam ante Delirium conqueruntur Ægri, quæ, quanta ſit? percipitur, ſi attentè conſpiciatur Collum; ibi enim Arteriæ Carotides quàm impetuoſiſſimè pulſant propter Sanguinem influentem, ſed ob Inflammationem in Cerebro ſtagnantem: Unde etiam Hippocrates Pulſationes ſeu Arteriam pulſantem in Temporibus prænuntium æſtimat Phrenitidis imminentis.

## PROGNOSIS.

Quod attinet *Prognoſin*: Phrenitis omnis Malum periculoſum eſt & acutum, imò *ut plurimum lethale*, cùm intra quatuor aut ſeptem dies frequentiùs terminetur ad mortem, raròque ad Salutem, niſi in Ætate juvenili & Temperamento ſanguineo per Sudorem aut Hæmorrhagiam Narium criticam ſolvatur. Magis tamen eſt periculoſum, in qua ſimpliciter inflammatæ ſunt Membranæ vel ipſum Cerebrum; niſi Vires optimè conſtent, ut plurimùm moriuntur Ægri: minùs periculoſum, ubi ſaltem adeſt Spirituum tantum fervor & Sanguinis incaleſcentia, ut in Paraphrenitide & Delirio Febrili, utpote quæ ex ſe & per ſe abſque aliis pravis Symptomatis & cum Signis criticis parum in receſſu habent, cùm ordinarium Febrium Ardentium, Acutarum, & Malignarum graviorum Symptoma ſit.

De cætero, ſi interdum quædam *intervalla* habet, melior, quàm in continuâ, obſervatur: ſi autem *poſt Somnum* Delirium contingat aut exacerbetur, peſſimum eſt, præprimis ſi non cum Riſu, ſed cum Ferocia, hoc fiat; *Jocoſa* verò Deliria minùs funeſta ſunt, è quibus Ægri facilè evadunt.

Si *Vires* mox ſint languidæ in vera Phrenitide, ſi difficilis Reſpiratio, ſi Facies cadaveroſa, ſi Oblivio rerum adſit, Rigor, ſi Floccos legant Ægri, ſtillicidium Narium, Signum eſt lethale, & ut plurimùm moriuntur Ægri.

Quòd *ſi Caput ſudet* particulariter ſine alio Corporis Sudore, in ſpecie, ſi Sudor ſit glutinoſus & ſubfrigidus, ſemper lethale Signum eſt.

Si accedant Phrenitidi *Convulſiones*, vel diuturnæ *Vigiliæ*, aut *Cephalalgiæ*, à quibus jam Vires attritæ, *Aphonia*, aut *Singultus*, aut Dentium ſtridor (quod ex Convulſione Muſculi Temporalis provenit) aut Vox, Lingua & Manus tremulæ, aut *Urinæ* minùs tinctæ, aut Fæcum & Urinæ inſcia dejectio, hæc ſemper Phrenitidem lethalem innuunt.

Si *Febre miteſcente* Delirium non ceſſet, ut plurimùm in Lethargum [qui etiam ut plurimùm lethalis eſt], Maniam aut Melancholiam mutatur.

Phrenitis *ſi mutetur in Lethargum*, aut Affectum Comatoſum, rarò curatur, & ut plurimùm lethalis eſt; extinctionem enim Spirituum Animalium ferè innuit: hinc notatu digna eſt Obſervatio Zacuti Luſitani *lib.* 1. *Prax. Admir. Obſervat.* 15. quamvis in illo Subjecto Somnus non adeò profundus extiterit.

Obſervandum autem quoad Deliria *Febribus Acutis ſupervenienția*: eadem nunc eſſe Symptomatica, & ſpeciatim curanda; alia verò eſſe Critica, in quibus Naturæ ſaltem motum obſervet Medicus, cùm ut plurimùm Hæmorrhagia Narium Critica inſequi ſoleat; quæ probè diſtinguenda à Symptomaticis, quoniam Symptomatica curare debet Medicus, Critica verò omninò intacta relinquere, & Criſin expectare.

*Signa ergò Delirii Critici*, quod ut plurimùm Hæmorrhagia Narium ſequitur, ſunt ſequentia. Si Coctionis Signa appareant in Urinâ, & Pulſus ſit inæqualis, nonnihil magnus & nonnihil validu; item ſi tranquillitas quædam in Symptomatibus ſit in Ægro, ſi ex Oculis ſplendores videantur elici; ſi Delirium ſuperveniat à ſubitò natâ Cephalalgiâ; item ſi adſint circa Aures murmura, aut ſtrepitus vel ſonitus; ſi Nares pruriant; ſi Facies rubeat, & adſit tenſio mollis Hypochondriorum, Ætas ſit juvenilis, & forſan aliàs Æger conſuetus ſit Sanguinem per Nares excernere: Vid. Sennertus *in Inſtit. ubi de Sign. Criſeos.* In tali Delirio caveat Medicus, ne iſtud ſolvat; quia eſt motus Naturæ, & imminet Criſis.

Quoad Delirium Criticum, cui, ut dixi, Hæmorrhagia Narium ut plurimùm ſuccedit; & tale Delirium eſt ſalutare & ſaluberrimum; reliqua Symptomata ſemper ſunt ſuſpecta. Reliqua verò, quæ apparent cum Signis Cruditatis, diuturnis Vigiliis & Pulſu malo, ſunt Symptomatica.

NB. Rariùs apud nos Criſes contingunt.

## CURA.

In *Curâ* Deliriorum, tam Simplicium quàm Phreniticorum, ante omnia

1. *Sanguinis Turgeſcentia febrilis compeſcenda*, imprimis Sanguinem evacuando & ejus Stagnationem,

nem, & inde natam Cerebri Membranarum Inflammationem in Phrenitide verâ, resolvendo ac maturè discutiendo.

2. Inde natus *Spirituum fervor*, & impetuosus ac perversus motus; Figentibus nonnihil, tam Internis quàm Externis, *compescendus est* & sistendus. Adeòque cùm Delirium saltem sit Symptoma in his Febribus, unde principali Morbo curato, nempe Febre, ipsum Delirium evanescit sponte, & hujus ratione saltem Anodyna Interna, & hinc varia Externa saltem conveniunt.

Aliàs eadem ferè *Febrium cum Deliriis conjunctarum*, ipsarumque Phrenitidum, curandi est ratio, quæ esse solet in aliis Febribus Acutis, in specie cum Inflammatione conjunctis. Delirium autem si Criticum fuerit, vix peculiarem Indicationem habet.

Pro ritè instituendâ Curâ *Observandum*.

I. Ut sibi caveat Medicus, imprimis junior, ne *ad Ebrium vocatus*, ejus ceu Morbo delirioso correpti aut phrenetici Curationem instituat, ut aliquando factum fuisse ab incautis Medicis observatum fuit: (vid. Bartholetus, & Henricus *ab* Heer,) ne hac occasione se risui exponat ignavo popello.

II. Quòd cùm in Phrenitide & Deliriis efferus sit Spirituum motus, hinc Somnus deficiat, seu Agrypnia & Cephalalgia adsit, quæ Delirium admodùm exasperant, subinde *blandis Anodynis*, & *Hypnoticis* plùs minùs *Narcoticis* utendum erit, idque tam in Medicamentis Internis, quàm Externis. Cautè autem usurpentur talia internè, in specie Opiata: Nam si Opiata non sistant Spiritus, eorumque motum compescant, potiùs Delirium gravius reddunt, cùm ipsum Opium Somnia turbulenta & truculenta inducat. Sin verò Narcoticis nimis contenuatis Spiritus nimis figantur, metus est, ne Ægrum sopiendo idem non possit ampliùs exsuscitari, aut metus est, ne per Opiata Phrenitis in Lethargum transmutetur. Cùm enim Spiritus in Phrenitide sint admodùm volatiles & subtiles, & simul propter motum continuum auctum pauci, ob id facilè ex Narcoticorum dosi auctâ permutari in Lethargum seu Carum potest, quæ mutatio est periculosissima. Certum est, quòd Opiata legitimè adhibita sint magna Remedia, & quæ optimo cum successu in Deliriis Febrilibus usurpantur; verùm si Opiata tempore non opportuno, aut non legitimè parata, adhibeantur, plùs nocent, quàm prosunt.

In *eorum ergò usu observetur*:

1. Quòd pro usu febrili *legitimè præparanda sint*, in Morbis quidem hujusmodi Ardentibus & Acutis cum Acidis, nempe Aceto.
2. Ratione temporis adhibeantur Opiata *non nimis tardè, sed maturè*, nempe in Incremento Morbi, dum Æger pertinaciùs vigilat, & Delirium imminet; melius enim est, tempore Vigiliarum, quàm Delirii, adhibere Narcotica. Non adhibeantur statim in Principio, neque Statu Morbi, quia in Principio Morbi turbant Naturæ motum; in Statu verò eorum usus frustraneus & magis adhuc nocivus est, dum Somnum non inducunt, Delirium ingravescit.
3. Nec *Viribus jamdum fractis*, ne Veternum similesque Affectus comatosos excitent: vid. Riverius *Prax. lib. 1. cap. 11.* & Willisius *de Animâ Brutor. l. 2. c. 10.* quamvis etiam septimo Delirii die Zacutus Lusitanus Philonium Romanum cum successu se dedisse *lib. 1. Prax. Admir. Obs. 16.* perhibeat.
4. Ut his Opiatis *semper addantur Appropriata*, *Diaphoretica*, & *Bezoardica*, ver. g. Antimonialia fixa, Cinnabaris Antimonii, Antimonium Diaphoreticum, Bezoardicum Joviale, Cranium humanum, &c. non tantùm, quòd in talibus Febribus dolorosis, ipsâque Phrenitide, sæpiùs subsit Malignitas, sed etiam, quia blandâ Diaphoresi concitatâ Effervescentia Sanguinis febrilis insigniter placatur & mitigatur. Unde etiam per consequens talibus ipsa Phrenitis non rarò tollitur.

III. *Observãdum* quòd in Delirio Phrenitico ante omnia larga *Venæsectio* sit instituenda, quò citiùs, eò melius, nisi tempus & conditio Febris, v. g. Malignitas juncta, illam inhibeat: cùm econtrà, si Febris Symptomatica, semper locum habeat. Si ergò fuerit Febris Ardens Phrenitica absque insigniore Malignitate, optimè convenit hæc ipsa; aut licèt adsit Malignitas, illa etiam in principio, imò sine tanto periculo, commodè potest secari Vena. Larga autem sit Venæ sectio, cùm Morbus sit peracutus, vid. Zacutus Lusitanus *lib. 1. de Medic. Princip. Histor.* 10. ut hoc medio acquiramus occasionem meliùs adhibendi Remedium, ne in pejus Malum cedat. In specie in inflammatoriâ plùs minùs constitutione Membranarum Cerebri larga sit Venæ sectio, autore Lindano, qui refert: *suum Parentem* D. Tulpio *Viro cuidam Phrenetico primâ die uncias triginta sex Sanguinis emisisse, tertiâ die totidem, & quarto die uncias viginti quinque; sic enim*, inquit, *Medicus, si adest furor, Medicum se præstare debet.*

Verùm in ipsâ Venæ sectione *quoad Locum est* notandum:

1. Quòd si forsan præcesserit suppressa quædam Sanguinis evacuatio, ut in Puerperis, in partibus inferioribus, nempe *in Talo*, & postmodùm *in Brachio* secanda sit Vena; sicuti in genere in Phrenitide, si repetenda fuerit, in quocunque casu primò *Vena Poplitea* pro Revulsione, hinc *in Brachio* pro Aversione, imò tandè *in Fronte* pro Derivatione, cõmodè celebretur: quamvis si necessitas urgeat, & ubi in extremis commodè Venam secare non licet, statim ad Venæ Frontis similiumque vicinarum aperturam transire liceat: vid. Zacutus Lusitanus *l. 1. de Med. Princ. Hist.* 10. *Observ.* 12. & *lib. 1. Prax. Admir. Obser.* 13. ac Riverius *loco all.* De Arteriotomiæ Temporum usu in Phreneticis multùm laudato vid. Panarollus *Pent. 1. Obs.* 30. Loco Venæ Frontis forsan Cucurbitulæ scarificatæ locum habent, quâ Sincipiti admotâ Phrenitidem confirmatam curavit Zacutus Lusitanus *lib. 1. Prax. Admir. Obs.* 11.
2. Quòd tempore Venæ sectionis Medicus ponat Manum super Caput Ægri, ut *ex Pulsu* cognoscat, quando forsan sit sufficiens Sanguinis evacuatio; item ut ex Pulsu cognoscat, an Æger sit Animo defecturus? & magis vel minùs ferat Sanguinis evacuationem?
3. In ipsâ Sanguinis evacuatione subinde *Digito foramen obturandum est*, denuò aperiendum, ac denuò obturandum, bis vel ter repetendo, donec sufficiens Sanguinis quantitas sit extravasata; sic enim cum meliori euphoriâ & minori Ægri debilitate Sanguis evacuatur.

IV. *Observandum*: In Topicis seu Externis, utut aliquantisper *Aceti* addere quibusdam placeat; tamen non nimium ejus addendum, quoniam odoratu suo acri Somnum impedit, & Vigilias & Agrypnias auget, utut Somnus ad Deliria sistenda optimus sit. Unde etiam *nimis gravia Odorata in Externis sunt vitanda*, ne talibus Volatilibus augeatur

Phrenitis propter continuam Spirituum incitationem, utut Camphora videatur excipienda, quæ in Deliriis quibuſvis, præſertim Febrilibus, tam interno quàm externo uſu, ſingulare quid obtinet.

*Medicamenta* ergò, quæ conveniunt in Cura Deliriorum Febrilium, ac ipsâ adeò Phrenitide non ſunt adeò præſtantia, quia Deliratio eſt Symptoma ſuperveniens Morbis: Unde patet, quòd Morbô primariô curatô, Delirium ſponte ceſſet, & quòd ſaltem Delirium, quà tale, *Opiata* internè & externè, ut & *Refrigerantia*, imminuat: ipſe verò Morbus primarius, nempe Febris Ardens, aut Benigna aut Maligna, ut Inflammatio Cerebri, Methodo ordinariâ curandus ſit. Adeòque conveniunt *Sudorifera & Diaphoretica*, v.g. Bezoardica, Sulphurea, Antimonialia, Cinnabarina, item Succi Vegetabilium ſubacidi, Granatorum, Ribium & Berberum; Porrò Serum Lactis, & cum eo parati *Julepi*; item Aqua Anagallidis, Aqua Verbenæ, Aqua Nymphææ, Papaver erraticum, & omnia ex eodem Remedia: v.g.

℞. *Aquæ Anagallid.*
*Portulac.*
*Nymph.* an. ℥iß.
*Syr. Nymph.*
*Papav. ſimpl.* an. ℥vj.
M. S.
Potio Refrigerans.

Item conveniunt *Spiritus Acidi Minerales* Vitrioli, Salis, Sulphuris; in ſpecie *Spiritus Nitri dulcis*, & Spiritus Salis dulcis, Tinctura Papaveris rhœados &c. compeſcit Efferveſcentiam Sanguinis, figitque parumper Sanguinem ob Vitrioli Phlegma, quod Baſilius Valentinus *Spiritum Cœleſtem* vocat. Helmontius varia ex hoc Phlegmate habet. Item *Camphora* cum aliis, imprimis cum Nitro, propinatur commodè. Hæc enim licèt ſit volatiliſſimum & penetrantiſſimum Remedium, tamen virtute quâdam ſingulari Spirituum nonnihil fixativâ & narcoticâ pollet, unde etiam tam egregiè in Phrenitide curandâ cum aliis externè & internè convenit. Internè præſcribitur unà cum Opio in Potionibus Sudoriferis; ſed tunc Opii doſis nonnihil imminuenda, quando ſimul præſcribitur Camphora, quod ego ita ſemper obſervo: e.g.

℞. *Conſ. Flor. Papav. err. vitriolat.* ℥ß.
*Laud. Opiat. Lang.* gr.j.
*Camph.* gr. ij.
M. D. S.
Compeſcens Saccharum veſpertinum.

Externè Epithematibus & Frontalibus commodè etiam additur Saccharum Saturni cum Spiritu Nitri factum, & Medicamenta ſimilia Saturnina ſimiliter commendantur ad Phrenitidem. *Mixtura* ulteriùs *Simplex*, *Tinctura Bezoardica*, uti etiam *Nitrum antimoniatum* largiter in Potu ordinario diſſolutum, frequenti in uſu eſſe ſolent. Hiſce addatur tanquam ſingulare Specificum *Herba & Flores Anagallidis flore phœniceo*, uſu interno & externo ad Deliria Febrium admodùm commendata; de qua vid. Gabelchoverus *Cent.6. Curat.* 13. qui refert, quòd ſit in Febribus Phreneticis & Paraphreneticis experientia frequenti compertum Remedium: habet Decoctum Anagallidis flore rubeo: præcipit ut Manipuli duo *Anagallidis* hujus decoquantur in *Vini* & *Aquæ* ana Menſurâ ſemis, ad conſumptionem tertiæ partis, de quo Decocto mane & veſperi detur bonus hauſtus: ſimulque fiat ex iſta Planta Sacculus interpaſſatus, ſimiliter in prædicto Decocto humectandus, & ita Suturæ Coronali extrinſecùs applicandus; ubi exſiccatus fuerit, denuò humectetur. Confirmat hoc Hildesheim *in ſuo Spicileg.* qui ad Deliria & Febrilia Phrenitica commendat hoc Decoctum:

℞. *Herb. Anagall. cum flore* M.ij.
*Coron. Cap. Papav. albi* No.xx.

Hæc contuſa invicem coquenda dicit in ℥xvj. *Vini Malvatici* & *Rhenani* ad caſum ℥vi. Colaturam fortiſſima expreſſione trajicit, & pro duabus vicibus haurendam propinat *in Spicileg. 2. pag.*190.

Exiſtimarem tamen, generoſum hunc nimis eſſe Potum: propterea Aquam ſimplicem cum pauco Vino Rhenano acuatam potiùs ſeligerem.

Poſt Anagallidem etiam eſt Lactuca, Nymphæa, Sedum majus; item Semina quatuor Frigida majora, & Papaveris, & exinde paratæ Emulſiones: e. g.

℞. *Sem. 4. Frig. maj.* an. ℥iß.
*Papav. alb.* ℥iij.

Cum ſ. q. *Aquæ Portulac.* f. Emulſio:
cui adde
*Cran. Hum. ſine igne* ℥ß.
*Bezoard. Miner.* ℈j.
*Syr. Portulac.* ℥ß.
M. D. S.
Emulſio Bezoardica pro aliquot doſibus.

Sed juxta hæc primatum obtinent *Opiata* legitimè applicata, quæ Delirii reſpectu ſunt convenientiſſima; quô pertinet Syrupus Papaveris albi, qui eſt magis uſitatus, quàm de Papavere nigro, Emulſiones Papaverinæ, & Laudanum Opiatum. Bartholetus non immeritò commendat Eſſentiam Opii cum Spiritu Vitrioli volatili paratam. Veteres in uſu habuerunt Philonium Romanum, Syrupos Diacodiôn, Requiem *Nicolai*, & ſimilia; loco quorum nos hodie Laudanis Opiatis utimur. Horſtius aliquando curavit Phrenitidem poſt Vini generoſioris abuſum per Potionem Narcoticam ex unciis duabus Syrupi Papaveris, aliis additis, idque jam die ſexto, uti refert *lib. 2. Obſervat.* 12. Pariter atque Fontanus *in Cur. & Reſponſ. lib.1. pag.*20. refert Juvenem viginti duorum annorum ex Gonorrhœâ virulentâ Phrenitide correptum, qui poſt Univerſalia Remedia per drachmam unam Philonii Romani fuit curatus. Præſcribi ergò poteſt in *Phrenitide* ſpeciatim *Malignâ* ſequens Pulvis.

℞. *Cinnab. Antimonii* gr. xij. ad xv.
*Bezoard. Lunar.* gr. vj. vel viij.
*Laud. Opiat.*
*Camph.* an. g.j. vel gr.iß.
(vel *Laud. Opiat.* gr.j.
*Camph.* gr. ii.)
M. f. Pulvis:
Dentur 2. doſes: S.
Pulvis Cephalicus Bezoardicus.

Propinetur in Decocto Anagallidis rubræ, vel in Aquâ Anagallidis, aut in Emulſione tenui Seminis Papaveris albi, paratâ cum Aquâ Anagallidis, Nymphææ, Hyperici & ſimilibus. Item

℞. *Specif. Cephal.* ℈j.
*Sacch. Saturni* gr.vi.
*Camph.* gr. ii.
*Laud. Opiat.* gr. iß.
M. f. Pulvis: S. ut antè.

Juxtà hæc ſimul pro ſcopo *Alterativo* & Julepi Aciduli, in ſpecie Spiritus Nitri dulcis, propinantur, dum efferveſcentiam Sanguinis compeſcunt; quibus pro Alvo reſeranda, ſi adſit obſtructa, commodè Tamarindi incoqui poſſunt, quia laxant blandè, & ſimul Sanguinis efferveſcentiam plùs minùs compeſcunt. *Revulſionis* ſcopo etiam cæteris paribus ſatisfacerent Clyſteres, modò eoſdem applicare commodè liceret.

Inter *Externa* pro Revulſionis ſcopo commendantur admodùm *Cataplaſmata* plantis Pedum admovenda ex Ruta, Chamomilla, Verbena, Radice Bryoniæ, & Sapone; vel *Cataplaſma* ex Raphano, Sale, & Fermento cum Aceto acerrimo *l. 1.* in Delirio Febrili

Febrili præſcriptum ; item *Sedum majus* contuſum & inſtar *Cataplaſmatis* cum *Aceto* Spinæ Dorſi, plantis Pedum, & Teſtibus applicatum.

Vel

℞. *Succ. Semperviv. maj. rec. expreſſ.* ℥vj.
*Acet. Vini acerr.* ℥iß.
*Nitri* ʒij.
*Camph.* ʒß.
M. pro Epithemate,
Plantis Pedum & Teſtibus aplicando:
D. S.
Epithema Externum.

Item commendantur *Pedum Lotiones* à Mercato commendatæ, aut *Veſicatoria* Brachiis aut Cruribus admota. Diſcutiendo operantur *Cataplaſmata* ex Portulacâ ac Sempervivo recentibus & Roſis, ſimilibuſque Refrigerantibus, Capiti raſo, Fronti & Temporibus largiter impoſita ; quibus etiam nonnulli addunt Nymphæam, Chamomillam, & Melilotum. Bartholetus *Tr. de Dyſpn.* in graviori Delirio quaſi Phrenitico commendat carnem Cucurbitæ contuſam, & abraſo Capiti impoſitam, qua præter omnem ſpem deſperatus Phreniticus fuit curatus : Facit etiam huc Obſervatio Borelli *Cent. 4. Obſervat.* 94. de Ruſtico, qui alterum Phreneticum per taleolas Cucurbitæ Capiti impoſitas curavit : Confirmant etiam hæc, quæ habet Gabelchoverus *Cent. 3. Curat. 23. in Schol.* quòd ſcilicèt, ſi excavetur Cucurbita per medium diſſecta, & in utramque cavitatem Æger immittat Pedem ad tempus, idque cum Cucurbitâ recenti tribus vicibus repetatur, tollat inſigniter & Fervorem febrilem, & etiam ipſum Delirium Phreneticum. Commodè etiam plantis Pedum & Sincipiti admoveri poteſt Cataplaſma & Epithema ex Sedo majori & Aceto ſuperiùs laudatum, quia fervorem Cerebri, & Spirituum motum, adeòque Delirium blandè demulcet ; ſed detrahatur, quando Æger incipit dormire. Riverius *lib. 1. Prax. cap.* 12. commendat cum Lacte muliebri. Epithema Fronti admovendum conducit ex Maſtiche & Myrrhâ cum Tincturâ Santali ; vid. deſcriptionem in Riverio *loc. alleg. pag.* 117. Decoctum Radicis Mandragoræ & Hyoſcyami, cum ſimilibus externè applicatum tepidè Fronti, commendatur ceu expertum à Zacuto Luſitano. Egregius quoq; eſt *Succus Cancrorum fluviatilium* vivorum recenter expreſſus, qui ad imitationem Rulandi ſub Epithematis formâ largiter Fronti applicatus mirificè confert : Sicuti idem Rulandus ſequens *Epithema* compoſitum de Opio cum Linteis duplicatis Temporibus utiliter admovet :

℞. *Aquæ Roſar.* ℥x.
*Opii* ʒj.
*Croci* ʒß.
Miſc. pro Epithemate.

Cum Linteis duplicatis tepidè Fronti admovetur. Nam ſic blando conciliato Somno Mens redit.

Vel fiat Epithema ad imitationem Hartmanni *Prax. cap. 8. §. 4.* ubi & alia Externa Opiata præſcribuntur. Bartholetus commendat uſum Aquæ Spermatis Ranarum extrinſecùs applicatæ ( & credo, quòd Sperma Ranarum, ejuſque ritè deſtillata Aqua, ſit potens Remedium Fronti & Temporibus crebrò applicatum. ) Potentius eſt, ſi miſceatur cum Succo Cancrorum fluviatilium, addendo Opium & Camphoram, ut fiat Epithema Cephalicum compoſitum, ad imitationem Rulandi, quod credo non futurum inelegans hoc modo :

℞. *Sperm. Ranar. per tranſcolat.* vel *Aquæ Sperm. Ranar.* ʒvj. vel viij.
*Succ. Cancr. fluv. rec. expr.* ℥ii. iij. vel iv.
*Opii Aceto ſolut.* ʒß. ad ʒij.
*Camph.*
*Croci* an. gr. vj. viij. vel ʒß.
M. pro Epithemate.
D. S. ut ſuprà.

Vel

℞. *Succ. Cancr. fluv. cum Aquâ Sperm. Ran. par.* ℥vj.
*Acet. Roſac.* ℥ij.
*Theriac. Androm.* ʒij.
*Camph.* ʒß.
*Croci* gr. vj.
M. pro Epithemate.
D. S. ut ſuprà.

Tepidè vel ſubfrigidè Sincipiti, Fronti, ac Temporibus admoveatur.

Veteribus in Curâ Phrenitidis frequenti & felici in uſu fuit, *Animalcula viva*, v. g. Anſeres, Anates, Catellos, Gallinas, Columbas aut Palumbes, per medium diſſecta, & ita cruenta ac calida Sincipiti aut toti Capiti raſo applicare : conf. Hartmannus *cit. loc.* §. 7. quæ Remedii ratio è Schola Galeni ad nos dimanavit ; nihilo minùs tamen jam apud nos ferè in deſuetudinem abiit: Lindanus interim dicit, hoc *Remedium eſſe inæſtimabile* ad curandam Phrenitidem, qui curat Phreniticos Sanguinem mittendo primùm, hinc propinando ſub noctem Opium præparatum, vel uncias duas Syrupi Papaveris : Tum adhibet Columbam viventem, vel Gallum viventem, vel Catellum vivum, quæ Animalia ſecat per pectus, & ſtatim cum omnibus interaneis ita applicat Capiti, ſi fieri poteſt, raſo. Et applicato ita Animalculo imponuntur Lintea, vel Culcitra, ne ſubitò ceſſet omnis calor ; mirum, dicit, quantum juvent hæc Animalcula ; in quo etiam conſentit Hartmannus *cit. loc.* Remotô unô, poſt hoc ſubitò applicetur alius, idque aliquoties repetatur, donec Dolor ceſſet, & ipſum Delirium imminuatur. Dicit, ſi per horam relinquatur, & poſtmodùm removeatur, horrendum emergere fœtorem ex Animali applicato, ut neceſſe ſit, ſubitò immergere in Aquas propter fœtorem intenſiſſimum. Animalia verò illa non ſtatim in principio admoveantur ubi affluxum potiùs augerent. Præter hæc & ſimilia obſervanda ſunt ea, quæ aliàs conveniunt in Febribus Ardentibus.

Fit interdum, ut Phrenitici *non percipientes Urinæ ſtimulum*, continùò eandem retineant non abſque nocumento. In tali caſu impoſitæ Perinæo Cepæ coctæ cum Pinguedine Anſerina Urinam provocant : Aut

℞. *Fol. Parietar.* M. ij.
*Herb. Petroſel. cum Rad.* M. j.

F. Decoctio cum *Aqua*:

Pulpæ contuſæ adde

*Olei Scorp.* ℥ij.
Et ita f. Cataplaſma pro Pube.

D. S.

Urinam provocans Epithema.

Poſt Fotum.

℞. *Pingu. Cunic.* vel *Ungu. Dialth.* ℥j.
*Olei Scorp.* ℥ß.
M. S.
Urinam provocans Unguentum.

Illinatur, quod ſolum etiam ſine Cataplaſmate adhibetur. ( SS )

Abſolvimus Phrenitidem, & Deliria à Causâ Internâ cum Febre: Pergo jam ad reliquas Deliriorum ſpecies, & imprimis quidem *à Causâ Internâ oriundas, ſed ſine Febre*, nam de Deliriis à Causâ Externâ alio tempore.

## MEMBRUM II.

### *De Deliriis Melancholicis.*

DEliria hæc vulgò generali nomine *Deliria Melancholica* appellantur; eaque, vel ſimpliciter talia, & mitiora; vel in ſummo gradu *Maniaca*, ſeu graviora,& per ſe abſque Febre affligere ſolent,aut ſaltem in Paroxyſmo graviore aliquid febrile ſubeſſe videtur, dum Pulſum celeriorem, & frequentiorem habent, æſtuationibus Corporis vagis, & Capitis, in ſpecie incaleſcentiâ, vexantur, Sitis tamen nulla adeſt, nec propriè Febris dici poteſt, quanquam Foreſtus *Obſervat. lib.*10. *Obſervat.*7. *in Schol.* Melancholicorum febricitantium Exempla deſcribat.

De his ante omnia obſervetur, *aliud eſſe Melancholicum Affectum*, ſeu *Melancholiam*, & *aliud eſſe Delirium Melancholicum*:quæ non confundenda; Rectè enim hæc duo diſtinguit Stephanus *in Oper. Medic. Comment. de Morbis Virg. pag.*41. & exactè obſervanda monet. Nam *Affectus Melancholicus*, ſeu *Melancholia* eſt,quando Homo ſit nonnihil mœſtus,& moroſus, cum omnium ferè rerum, aliàs gratarum abominatione, quin ſubinde facilè iraſcatur, & quidem ſine manifeſtâ causâ, ſi ipſi nihil arridet, ſi triſtis, & cogitabundus eſt, ſine occaſione externâ; item quando interdum facilè terretur, quando citra manifeſtam cauſam anguſtias, & anxietates quaſdam circa præcordia percipit, & quaſi rei graviſſimæ perpetratæ ſibi conſcius eſſe, & ſimiles cogitationes oriuntur; dicunt: *Cœlum, & Terram ipſis anguſta eſſe, ſentire Cordis gravitatem, neque ſcire, quid ſibi velint.* Hæc,& ſimilia ſunt propriè *Melancholia*, ſeu *Affectus Melancholicus.*

Poſtmodùm verò, ubi talibus Subjectis ſupervenit tandem Phantaſma, conſtituit *Delirium Melancholicum*, & dat Delirantem ex Melancholiâ,quod eſt *Morbus ſecundarius*, ex Causâ Externâ ſæpiſſimè proveniens; Affectus verò ipſe Melancholicus eſt *Morbus primarius*, Fomitem habens ut plurimùm Internum. Scilicet aliud eſt ipſe Affectus, & aliud eſt ipſi adjunctum, ſeu ſuperveniens Delirium, occaſionem ut plurimùm externam agnoſcens. Videmus hoc in nobis ipſis, quando nempe hyberno tempore ex tempeſtate obſcurâ nubilosâ, humidâ, & ingratâ reddimur Melancholici, anxii, & triſtes ſumus, ſentimus gravamen quoddam non benè explicabile, facilè iraſcimur: eſt ſanè hic Affectus à Causâ Externâ, ex mutatione tempeſtatum oriundus, & quaſi *Affectus Melancholicus Naturalis*; ad cujus imitationem quidam à Causâ Internâ fiunt morbosè Melancholici, quibus Delirium Melancholicum ſupervenit, pro varietate Objectorum, Phantaſmatum,ac Symptomatum varium; Nempe aliud eſt *Amoroſum*, ſeu *Eroticum*, aliud *Ridiculum*, aliud *Rabioſum*,aliud *Melancholico-maniacum, Deſperabundum, Meticuloſum*, &c.

*Melancholia* hæc *ſine Delirio* ſimpliciter ſolet vocari apud Practicos *Perturbatio Mentis*, quæ Perturbationes Mentis Melancholicæ ſatis ſunt frequentes, ita ut adhuc recta Ratio ſine Delirio conſtet: Sic Platerus obſervat talem Animi Perturbationem in Muliere, quæ ſubinde ſtimulabatur, ut interficeret Infantem; erat tamen adhuc compos rectæ Rationis, & reſiſtebat iſtis Cogitationibus. Et hæc eſt *Perturbatio Melancholica,non verò perfectum Delirium*: ſicuti talis Animi Perturbatio eſt, quod idem refert Platerus de quadam Muliere, quæ ſubinde impellebatur ad maledicendum Deo; ipſa verò ſana recta Ratione reſiſtebat his Cogitationibus malis, adeòque erat tantùm Perturbatio Animi, non verò Delirium Melancholicum. His ergò taliter conſtitutis citra manifeſtam Cauſam, ſi interdum tandem *ſuperveniat Delirium*, hi ipſi rectè *Delirio Melancholico* dicuntur affligi.

Dicitur Melancholia, & Delirium Melancholicum, *non quòd ſemper cum Mœrore, & Triſtitiâ* conjunctum ſit, ut vulgò equidem volunt, & falsò; (nam etiam dantur *Deliria Ridicula*, in quibus admodùm ſunt læti, & hilares Ægrotantes) ſed propterea dicitur Melancholicum, quòd oriri dicatur ab humore Melancholico ſecundùm Veteres, id eſt vitioſo Acido fixo.

Verùm varia Melancholicorum delirantium ſunt Exempla, admodùm inter ſe diverſa,omnia tamen quoad Theoriam in certis quibuſdam Punctis fundamentalibus, in quibus radix conſiſtit, conveniunt. Et

I. *Quoad Theoriam* quidem, quòd in omnibus Delirantibus, & Melancholicis talibus obſervetur *Cogitatio*, *& Meditatio intenſa, & aſſidua*, defixa in uno ſaltem Objecto; utut interdum aliquot Objecta ordine ſibi invicem ſuccedant, à quibus unum Deliriũ diverſimodè variatur, circa eadem tamen Objecta occupata continuò videbitur, ut *infrà* Exemplis conſtabit.

II. Omnes tales Ægri *timidi*, *anxioſi* nonnihil, & quaſi in anguſtiis conſtituti videntur, adeoque quæcunque vident, vel audiunt, ſibi pejora, & periculoſiora perſuadent; & licèt interdum videantur eſſe ridentes, hilares, & læti, v.g. quando quis putat, ſe eſſe divitem; nihilominùs tamen non eſt reverâ Hilaritas, non verum Gaudium, ſed potiùs eſt apparens; & aliquid conjunctum cum Riſu Sardonico; eſtque hæc Hilaritas tantùm tranſitoria, & facilè ſuccedit novus Mœror, & præcordiorum anxie-

( SS ) Nota Cyrilli. *Inter Remedia ad Delirium, & præſertim ad Phrenitidem compeſcendam apta, non ſpernendum ſanè eſt quod* Muſica, *præſertim hujus Artis cultoribus, præſtare poteſt. Harmonicis enim & rhythmicis ſive Vocis ſive muſici Inſtrumenti modulationibus, ope Nervorum Acuſticorum in Cerebri penetralia tranſmiſſis, poterunt Spiritus animales in incompoſitos motus acti, ita ſenſim demulceri, ac ſopiri, ut placidiùs & ſecundùm naturæ ordinem Cerebri meatus ſubeuntes, rectas excitent in Mente Ideas, ac Delirium compeſcatur. Duplex & non vulgare Exemplum habemus in* Hiſtoriâ Regiæ Scientiarum Academiæ: *Primum ex* Dño Dodartio anno 1707. *celeberrimi Melopœi, qui perpetuâ & furioſâ Phrenitide, clamoribus, lacrymis, vigiliis, convulſionibus comitatâ prehenſus, muſicum Contentum ſponte expetivit. Quo facto, ad ſanam mentem rediit Æger, & Febre caruit, ſaltem eo tempore, quo Muſica maximâ animi alacritate oblectatus fuit: ſed eâ ceſſante, in Febrem & Delirium denuò relabebatur, ut integro decem dierum ſpatio, nonniſi ad harmoniam utcunque canentibus, aliquâ quietâ frueretur Æger. Tandem nullo alio ( niſi Phlebotomiâ inpede ) adhibito Remedio, integrè convaluit.*

*Alterum eidem* Regiæ Academiæ *retulit* Dñus Mandajorius anno 1708. *de ſaltandi Magiſtro Aleſienſi, vehementi Phrenitide correpto, qui, quum aſſidens Citharœdus plectro fides, juxta modos & numeros Ægro familiares, pulſaret, in profundum ſomnum incidit: quo tempore factâ Criſi, præter omnium ſpem integram ſalutem recuperavit.*

anxietas, ſine causa iterum torvum vident, & parùm aut nihil omninò dormiunt, imò licèt etiam Principes, & Monarchas magnos ſe concipiant, adeòque faſtuoſi potiùs videantur, anguntur nihilominùs cultu, & veneratione ipſis denegata. Rectè itaque Aretæus *lib. 1. de Cauſ. & Sign. Morb. diuturn. cap. 5.* deſcribit Melancholiam, quòd ſit *Animi angor in unâ Cogitatione defixus, atque inhærens, abſque Febre, & Furore, à Phantaſmate Melancholico ortus.*

III. Omnes *Somnium admodùm paucum, & turbulentum* ſatis patiuntur, & *cum Inſomniis gravioribus*, ita ut Experientia teſtetur, quoſdam in Malo inveterato plures non ſaltem noctes, ſed ſeptimanas, & annos quoque, inſomnes tranſegiſſe; aut ſi capiant Somnum, turbulentus eſt, cum turbulentis Inſomniis, adeòque cum Terrore evigilant.

IV. In hoc conveniunt ferè omnes, quòd *Deliria ſubinde remittant*, ita ut recta Ratio reſtituta denuò videatur; ſubinde tamen, vel pro diverſitate Cauſarum Internarum, v. g. Fluxûs Menſtrui imminentis, vel Externarum, ſcilicet ſub mutationibus Tempeſtatum inſignioribus, vel ex Lunæ motibus, vel mutatione Temporum anni, vel etiam, idque ſæpiſſimè ex gravioribus Animi Pathematis, ſubinde recurrunt, & recidivant.

V. *Quoad Praxin*; in hoc conveniunt Melancholici inter ſe, quòd *Malum ſit contumaciſſimum*, & nulli ferè cedunt Arti, quin interdum citra adjumentum Medici, & quidem in ejuſdem dedecus, ſponte non rarò remittat; idque imprimis per inſignem quandam in Diætâ mutationem, ver. gr. Aëris, Victûs, Motûs Corporis, &c.

VI. Quòd in iis non tam ad Caput, quàm *Maſſam Sanguineam*, & imprimis *ad Viſcera Abdominis in Hypochondriis ſita, ſit reſpiciendum*, quoad Curationis fundamentum. In Hypochondriis enim ſemper nidus, & fomes Morbi Melancholici eſt, ſupervenientibus tandem Deliriis; Unde à Vomitoriis imprimis Curatio, & inchoanda, & perſequenda: Imò non dari putò Delirium Melancholicum abſque Melancholiâ Hypochondriacâ, quæ non habeat fomitem in Hypochondriis. Sicut enim Pica, quæ eſt Delirium Mulierum picantium, eſt circa Objectum aliquod fomitem in Stomacho habens; ita etiam Deliria Melancholica habent ut plurimùm interdum ſedem in Hypochondriis, & primis viis. Hinc etiam primariò Cura per Vomitoria inſtituenda eſt; nam ita ſublato fomite Delirium Melancholicum ſponte ceſſat, aut vel Perſuaſione curari poteſt.

VII. *Agrypnia omni ſtudio profliganda*, cùm quò magis vigilant, eò pertinaciùs Malum reddi ſoleat, quò minùs, eò faciliùs curabile ſit.

VIII. Obſervandum, quòd in genere præmiſſis præmittendis *omnia Deliria ſtulta ſtultis quoque interdum curentur Remediis*, adeo ut ridiculo modo Ridicula Deliria fuerint curata, ut ſcilicet ſemel impreſſum Phantaſma per aliud contrarium quaſi deleatur, & extinguatur: vid. Thonerus *lib. 2. Obſerv. 1.* Platerus *l. 1. Obſervat. pag. 40.* Bartholinus *Cent. 2. Hiſt. 26.* Sic enim v. g. refert Foreſtus *lib. 10. Obſerv. 13.* de quodam Melancholico deliro, putante ſe habere in Abdomine Serpentes, unde præmiſſis præmittendis Excrementis Alvi redditis Serpentes addendos juſſit, quos cum vidiſſet Æger, reſtitutus eſt. Quidam putans ſe habere in Capite Paſſeres, curatus fuit per Medicum, qui Paſſeres vivos applicavit Naribus, quorum morſiunculas perſentiſcens Æger putans eos eſſe extractos per Nares, ad ſanam Mentem rediit. Alius Naſum ſibi inſtar Pedis bubuli conſtare putabat, qui curatus eſt Inteſtino alicujus Animalis appenſo, quod Medicus abſcindebat, & ita ſe Naſum abſcidiſſe dicebat, & curatus eſt, referente Foreſto *l. 10. Obſ. 13. in Schol.* Alius putavit, ſe geſtare Cornua, qui fuit curatus Cornuum Cervinorum alligatione, & poſtmodùm per ferram abſciſſionem. Alius putavit ſe carere Capite, quale Exemplum habet Foreſtus *lib. 1. Obſerv. 12.* unde ille fuit curatus per impoſitum Pileum plumbeum, cujus gravitate fuit perſuaſus ſe habere Caput. Aliud Ridiculum Delirium parilemque ejus Curationem videbitis in M. A. N. C. *Anno 3. Obſerv. 49.*

## CAUSÆ.

Quoad *Cauſas*, *& fiendi modum*, unde, & quomodò in Melancholicis oriantur Deliria? res à priori, & adeò perſpicuè determinari priùs nequit, quàm quomodò iſte *Senſus Internus*, quem *Imaginationem* vocamus, fiat, declaretur; neſcimus enim, quomodò Imaginatio percipi, ſeu peragi ſoleat; Quia ergò hoc neſcimus, non poſſumus demonſtrativè procedere. Interim certum eſt, Animam Rationalem eſſe inſontem, ac proin totum negotium erit in Facultate Animali ſitum, non in Senſu communi, non in Memoriâ: ergò in Imaginatione, ſeu Phantaſiâ, quæ conſiſtit in unione variorum Objectorum cum Spiritibus Animalibus per Senſus Externos perceptorum, & Spiritibus impreſſorum; adeòque probabiliſſima eorum eſt Opinio, quòd per certum motum Spirituum Animalium, in Cerebri meditullio, nunc ab Externo Objecto, nunc ab Animâ Rationali excitatum, tandem peragi aſſerunt, occaſione cujus varii motûs Spirituum Animalium, à naturâ volatili temperatâ lucidâ deflectentium, Anima Rationalis varias concipit Ideas. Motus autem hi Spirituum Animalium dependent nunc ab Objectis, Senſus Externos afficientibus, nunc ab Anima Rationali diriguntur, unde etiam perturbato ac læſo Spirituum Animalium motu, & perturbari Imaginationem, & hinc deliro modo lædi Ratiocinationem ſequitur.

His præmiſſis, conſiderabimus adhuc aliquot *Exempla eorum, qui his Deliriis Melancholicis fuerunt correpti.* Nonnulli, in ſpecie Pauperes, vel ſervili conditione addicti, putant ſe eſſe Monarchas totius Mundi; quale Exemplum habet Sennertus *lib. 1. Prax. part. 2. cap. 8. pag. 339.* item Thonerus *lib. 1. Obſervat. 1.* Alii faſtuoſi multa magna ſibi imaginantur: confer. M. A. N. C. *Anno 3. Obſervat. 84. pag. 284.* Sic Mulier quædam ſe in Speculo vidiſſe ore aperto fruſtum aliquod Carnis ſupernè ad Fauces dependere, quod Suffocationem ſibi minari valdè intenderet, ſibi imaginabatur: vid. M.A.N.C. *Annò 9. & 10. Obſ. 41.* Alius Piſtores Panem intoxicando, vitæ ſuæ inſidiari querebatur, *loco alleg. Obſervat. 46.* Quidam Butyrum comedens ſe ex Butyro totum conſtare arbitrabatur, indeque Ignem accedere nolebat, ne liqueſceret: ſicut ſtrenuus Potator mingere nolebat, metuens ne, quando mingeret, Mundus Diluvio interiret, qualia Exempla refert Langius *in Comm. in Fabrum.* Quidam ſe Ranam vivam in Corpore geſtare putabat, referente Foreſto, & Platero *lib. 1. Obſervat. pag. 40.* Alius putavit ſe Biblia in Capite geſtare: Exemplum hoc refert Foreſtus *lib. 1. Obſerv. 13.* Sic Puer lapide in Caput ictus, & poſtmodùm Melancholicè delirus ſemper Syllogiſmos optimos in Lingua Germanica confecit, quos ipſe poſtmodùm componere neſciebat, poſtquàm curatus fuit: Sic Lindanus *in Colleg. Practico* habet Exemplum Mulieris, indoctæ aliàs, quæ in Delirio verſus concinnos elaboravit: Ruſticus quidam ſemper ſub Novilunium Carmina conficiebat, ſed poſt Novilunium ne verbum quidem Latinè proferre poterat. Alius fuit Melancholicus, qui putavit ſe ſemper frigere, ſeu ſeſe

ſummo

ſummo Frigore eſſe affectum: hic fuit Arte curatus poſtmodùm, dum ipſi applicata fuit Veſtis ex Pelle agninâ Spiritu Vini, ſeu Aquâ vitæ imbutâ, quâ accensâ Æger non ampliùs ſe frigere dixit, & ita curatus fuit, uti habet Zacutus Luſitanus *lib.* 1. *Prax. Admir. Obſerv.* 44. Rulandus refert Exemplum Piſcatoris, qui cantabat, ridebat, concionabatur, diſputabat cum adſtantibus, uno nomine ſe omnium doctiſſimum putabat. Rarum eſt Exemplum, quod habet Heinricus *ab* Heer *Obſerv.* 27. de quodam Melancholico, qui ſingulos Menſes in tres dividebat partes: in primâ parte erat ſolus, & meditabundus, in ſecundâ Venationi operam dabat, in tertia Cantationibus muſicis ſe delectabat, & mirè hilaris erat. Tulpius *lib.* 1. *Obſerv. cap.* 20. refert alium Melancholicum putaſſe, ſe carere Suris, qui fuit curatus poſtmodùm percuſſione forti Surarum. Bartholinus *Cent.* 2. *Hiſt. Anatom.* 26. refert Melancholicum Medicum Venetum quotannis ſub diebus Canicularibus ſub lecto ſedentem, qui ſe Teſtam eſſe putabat, finito verò tempore Caniculari, & Menſe iſto ſanus evaſit & per totum Annum ita manſit, donec redirent altero Anno dies Caniculares. Refert Salmuth *Cent.* 1. *Obſerv.* 63. Delirium Melancholicum ſingulis ſeptem Annis recurrens periodicè, ſemper durans integrum Annum in Chirurgo, finito Anno iterum ceſſavit, & poſt exactum ſeptennium rediit. Mulier quædam ſe Regi cuidam eſſe deſponſatam imaginabatur; unde Vitra perforata quaſi Gemmas à Sponſo datas diligenter aſſervabat, ut refert Sennertus *de Melanchol. pag.* 339. Alia Venerem ſe eſſe aiebat, & ut eò faciliùs crederent, Veſtes omnes exuebat. Alius ſe granum Milii eſſe cogitabat. Brendelius *in Conſil.* 24. refert, Concionatorem quendam ſibi imaginatum fuiſſe, ſe audire vocem Dei, & Angelorum. Quidam ſe Anſerem credebat, annotante Salmuth *Cent.* 3. *Obſervat.* 92. Alius juxta Tulpium *lib.* 1. *Obſervat.* 18. cuncta Oſſa ſibi mollia contigiſſe. Fœmina *loc. all. Obſerv.* 19. ſe Molam gerere, poſtmodum ſe fato functam, & in mundo ſine Corde remiſſam eſſe, ſomniabat. Ut taceam illorum, qui mortuos ſe concipiebant, qualium Marcus Marci *Philoſ. vet. Reſtit. pag.* 396. meminit Loſſius *lib.* 1. *Obſerv.* 21. refert, quendam Cibum, & Potum, eò detrectaſſe, quòd ad Gulam uſque Fæcibus, & Urinâ ſe repletum eſſe crederet. Et quæ ſunt ſimilia varia Melancholicorum phantaſmata, quorum multa egregia Exempla videbitis in Gaſpari *à* Reyes *Camp. Elyſ. Jucund. Quæſt. quæſt.* 73. *pag.* 966.

Ex his modò allatis Exemplis hoc perſpicuum eſt, utut varia ſint delirantium Phantaſmata in diverſis Subjectis, nihilo minùs tamen *unum ſaltem ſit, circa quod occupantur ordinariò*, & quòd ut plurimùm pro determinatione Phantaſmatis habeant Cauſas Externas, vel Objectum quoddam, quod aut fortiùs placet, aut diſplicet; unde ibi deſiderium, hîc fuga, adeoque Affectus inſignes excitet: aut quod ſæpiùs recurrit, aut ſuper quod certam reflexionem faciunt Melancholici. Quod Objectum per Senſus Externos Spiritibus Animalibus vitiosè conſtitutis fortiùs impreſſum, eos ſubinde iiſdem motibus in Cerebro ſæpè reiteratis cieri, vel rotari facit, cujus continuati motûs occaſione Anima Rationalis idem Phantaſma, ſeu eundem Conceptum, vel Ideam, ſeu Speciem Intelligibilem, & Intentionalem (vocate ut lubet) continuò format, & elicit.

Ulteriùs in his Deliriis determinatis ſolet fieri, ut in Ægris jam Melancholicis, nondum tamen delirantibus, ab Objecto quodam Externo fortiùs affectis, ejuſque, vel ratione complacentiæ, vel diſplicentiæ, impreſſione forti, *oriantur Affectus Animi graviores*, ratione quorum certum, & determinatum Delirium patiuntur Melancholicum ſuper unum Objectum; ita enim evenit, ut Spiritus Animales fortiùs moti, ſibi novos quaſi, & aptos meatus exſculpant, & ſic motibus agitati in alios tramites redire neſciant. Quod ipſum ita declarabo: ſcilicet idem in talibus contingit, ac in iis, qui graviori quodam Negotio, aut intenſiore Curâ preſſi, aut qui graviori Affectu, Irâ, Terrore, Mœrore, &c. perculſi, eidem ſedulò, & obſtinatiùs incumbentes, tempore nocturno ob Negotium, continuò Mentem occupans, dormire nequeunt; aut licèt dormiant, propter actionem tamen, & tractationem diurnam Spiritus Animales notionibus iiſdem, & tractibus, quos ſæpiùs percurrerant, adſueti in Cerebro, licèt parciùs in Organa Externa influunt, eodem tamen modo in Somno moventur, adeòque eadem Objecta, circa quæ verſata fuit de die Mens, eidem repræſentant, & ita Somniis variis Somnum turbatum efficiunt: ubi ſanè id, quod hìc fit in Dormiente, pari ratione in Delirantibus Melancholicis, licèt Vigilantibus, evenit; unde id, quod interdiu anxiè tractamus, continuò, & fortiter in Somnio impreſſum habemus: ſicut enim Spiritus Animales in Cerebro continuò moti inferunt Somnium; ita in Delirantibus Spiritus eodem motu gaudentes occaſionem præbent Animæ Rationali, ut hæc ſemper eandem motionem concipiat. Unde etiam eſt, ut ſubinde ex talibus Curis, & Negotiis, cum ſummâ intentione tractatis, interdum tales fiant Delirantes Melancholici: verbi gratiâ ſi Studioſus impenſiùs dat operam ſtudiis Theologicis, aut Concionibus, atque ſtudium hoc concionatorum ſibi continuò inculcat, ut evadat egregius Theologus, aut Concionator, adeòque ſemper Divina tractet, non tantùm fit, ut alteretur ſucceſſivè Corporis Habitus, & Sanguis, & in Conſtitutionem Melancholicam abeat, ſed alteratione hâc Spiritus continuò occupati tandem eum reddunt delirum, ut putet ſe ſummum eſſe Concionatorem, & cum Deo, Angelis, aut Dæmone confabulari.

Imprimis verò notanda eſt *Differentia Delirii Melancholici*, quando aliud eſt *Fixum*, aliud *Vagum*: *Hîc* in pleriſque ferè actionibus aberrant à rectâ Ratione, & vana, atque delira loquuntur: *Illic* verò circa unum, & determinatum verſantur Objectum, circa quod varia ſibi Phantaſmata fingunt, aut *concupiſcendo*, aut *averſando*. *Vagum Delirium* fit, quando Spiritus Animales planè deficiunt ab ordinato ſuo motu, ac novos Poros in Cerebro quaſi exſculpunt. Fit tamen ſæpè, ut Melancholia, & Delirium Melancholicum, quod primò, & in ſe Vagum erat, & determinatum, paulò poſt, quando Objectum aliquod excellentius, aut gravius in Senſus occurrit, & Mentem potentiùs afficit, quod fortiùs moveat, & validiori impreſſione afficiat Spiritus Animales, qui unum eundemque motum continuò tenent, & exinde motuum ſuorum manifeſta relinquunt veſtigia inter Fibras Cerebri medullares, quæ continuò peragrantur ab iiſdem, unde certo modo Delirium determinatum redditur, & circa tale Objectum quaſi *Fixum*, quando quaſi Delirans ſe eſſe Monachum putat, & in hac ratione continuò occupatus eſt. Verbi gratiâ, ſit Melancholicus nondum quidem delirans, ſed tantùm ſolitudinarius, mœſtus, meditabundus, & moroſus, hic tranſiens caſu per locum, ubi vidit Peponem putridum, facilè incidet in Cogitationem: quid dum tu ita debes putreſcere, & ſi jam putreſceres? unde perterritus, ſicut tales ſemper ſunt anxii, & mœſti, adeò afficientur inde Spiritus, per Terrorem nempe, ut ſuperveniat Delirium Melancholicum, qno putet ſe eſſe putridum, vel ſe etiam eſſe putridum Peponem: nempe hâc Impreſſione factâ, quaſi vivus putreſceret, fit ut moti Spiritus Animales continuò eaſdem orbitas repetant, adeòque obvenit Delirium.

rium. Vel fit talis Melancholicus, qui audiens frangi Vitra, ſtatim poteſt venire in Mentem; quid ſi tu etiam tali ratione frangaris? unde Delirium determinatur, ut putet ſe eſſe Vitrum, & metuat ne frangatur. Sic fit Hypochondriacus ad Melancholiam inclinans, qui percipit Ructus, Sonitum, & Murmura, & quaſi coaxationes in Abdomine: his Sonitibus perterritus Melancholicus, & circa eoſdem fixis Cogitationibus inhærens, facilè exinde poteſt incidere in iſtud Delirium, ut putet ſe habere Ranas viventes in Ventre; & utut aliàs benè ratiocinetur, tamen continuò meditetur de ſuis Ranis, ratione quarū anxius eſt; Unde dum ob Objecto fortiori ſibi incutit Metum, Spiritus Animales continuò moti Delirium excitabunt. Sic ponamus Juvenem amatorem, qui licèt per ſe ſit ſaniſſimus, hic primò ſibi admodùm placet circa præſentiam Amaſiæ, poſt modùm abſens meditatur ſubinde de ejuſdem pulchritudine, cogitat, quomodò denuò poſſit acquirere ejuſdem præſentiam; hinc meditatur confabulationes, &c. porrò cùm ſemper Mens, & Spiritus Animales occupati eodem modo moventur, fit, ut ſubinde in Somno poſtmodùm ſpecies Amaſiæ, & actiones cum eâdem occurrant; tandem ita determinantur Spiritus, ut nonniſi Amaſiam repræſentent; hinc tale ſequitur Delirium Eroticum, ſive Amatorium, ut Æger continuò putet, ſe habere præſentem Amaſiam, unde incipit cum eâdem confabulari, adulari, &c. taleſque facit cæremonias, quaſi ipſa Amaſia eſſet præſens, utut neminem præſentem habeat. Hæc, & ſimilia tali modo ſe inſequuntur. Multum hîc faciunt pro determinandis Deliriis, Terrores, Triſtitia, Mœror, vel ſimiles Animi inſigniores Affectiones, idque in ſpecie in iis, qui jam Habitu Melancholico præter naturam ſunt prædiți; qua ratione v.g. Mulier perterrita ex viſo Suſpenſo graviſſimâ Melancholiâ correpta fuit, teſte Platero. *Obſerv. lib.* 1. & Schenckio *Obſerv. lib.* 2.

Nam obſervandum quoad *Cauſam Remotam* ad Melancholiam, & hinc Deliria Melancholica diſponentem, eam ferè eſſe duplicem: nempe quòd vel *à Cauſâ Externâ*, vel graviore Animi Affectu primò oriatur, vel à *Cauſâ Interna*, Conſtitutione nempe Maſſæ Sanguineæ ſucceſſivè alteratâ, originem ducat, quibus Conſtitutionibus Melancholicis inde natis demùm Deliria ſuperveniunt.

Deliria ergò quælibet, undecunque, aut quocunque ab Objecto oriantur, quare non æquè in omnibus oriuntur, ſeu ver. gr. *quare non in omnibus ex Animi Affectibus gravioribus oriuntur Deliria Melancholica*? Hîc conſideranda eſt certi *Subjecti conditio*; nam certum eſt, quòd unum magis promptum ſit ad Delirium, alterum minùs, prout Conſtitutio Melancholica in uno plùs, in altero minùs fuerit confirmata. Cauſa ergò hujus promptitudinis ad Deliria Remota eſt in Maſſâ Sanguineâ: Proxima verò hæret in Spiritu Animali. Nempe ex ſuperioribus innoteſcit, in Deliriis Melancholicis duo probè diſtinguenda eſſe:

1. Habitum, ſeu *Conſtitutionem Maſſæ Sanguineæ, & Spirituum* melancholicam plùs minùs, naturalem, vel præternaturalem, ſeu morboſam.
2. *Superadditum* huic ipſum *Delirium Melancholicum* dictum, idque, vel *Vagum*, ſive *Indeterminatum*, circa quæcunque Objecta oberrans, vel *Determinatum* circa unum ſaltem Objectum. Exempli gratiâ, quando quis ex Butyro ſe conflatum putat, & in hoc puncto ſaltem delirat, licèt quoad reliqua rectè ratiocinetur, & hujus ratio potiſſimùm in *Spiritibus Animalibus*, eorumdemque *naturâ*, & *motu* in Cerebro vitiatis, inveſtiganda venit.

Deliriorum Conſtitutioni Melancholicæ ſupervenientium rationem hactenus conſideravimus, *Conſtitutio ipſa Melancholica jam penſitanda venit*, quæ oritur nunc à Cauſâ Externa, nunc ab Interna. *Externa* eſt Objectum quodvis inſigniorem Animi Affectum concitans; tunc enim verbi gratia ex Mœrore diuturno, Triſtitia protracta, Terroribus frequentioribus, Curis intentis, &c. afficiuntur Spiritus Animales, unde alteratur ſucceſſivè ab iiſdem tam Sanguinis motus, quam Digeſtio prima, ſicque ſupervenit Conſtitutio Melancholica. Cauſa *Interna eſt* ipſa Alteratio Contentorum ſucceſſiva, vitio Diætæ, &c. nata, Sanguinem, & Spiritus ſucceſſivè afficiens, ſicque ad Conſtitutionem Melancholicam perducens. Quæ duæ remotiores Cauſæ ſemper probè diſtinguendæ, & attendendæ ſunt, nec confundendæ.

*Conſtitutionem ergò Sanguinis, & Spirituum Melancholicam* quod attinet: notum eſt, quòd, prout variat Maſſæ Sanguineæ Craſis naturalis ex Semine oriunda, ita etiam Hominum Mores ſubinde variare; & hoc eſt, quod jam olim ſuo Idiotiſmo optimè dixit Galenus, quòd *Mores Animi ſequantur Temperamentum Corporis*. Nempe nonnullis Affectus hic merè eſt Naturalis, & tota die experimur, quoſdam natura eſſe lætos, quoſdam iracundos, quoſdam triſtes, & meditabundos, idque pro varietate Sanguineæ Craſeos, & inde dependentis variæ Spirituum Animalium Conſtitutionis, unde etiam Morum iſta, & Ingeniorum diverſitas. Ob eandem etiam Craſin hic Affectus in poſteros, ut alii Morbi Hæreditarii, transfertur, in ſpecie in Mulieres frequenter propagatur, ita ut eædem, licèt anteà ſanæ videantur, tamen Gravidæ factæ ad minimum Deliriis Melancholicis vexentur. In his verò, qui diſpoſiti ſunt ad Melancholiam, ac Deliria Melancholica, illi ut plurimùm ſunt *Hypochondriaci*, unde etiam Malum Hypochondriacum confirmatum ſæpiſſimè Delirium Melancholicum poſt ſe trahit, quod *Melancholia Hypochondriaca* audit; Aut, ſi non ſunt apertè Hypochondriaci, ſimile tamen vitium in Stomacho, ac primis viis ferè patiuntur, unde ſubinde Acida eructant, egregium Appetitum habent, Alvo obſtructa plùs minùs laborant.

Sanè non arbitror, dari perfectam Conſtitutionem Melancholicam, quæ diſpoſita ſit ad Deliria talia, quæ non *fomitem*, *aut radicem habeat in primis viis*, ac circa Hypochondria, ejuſque Digeſtione, & Fermentatione plùs minùs læsa, ſive occaſione graviorum Animi Affectuum, & ita quaſi ab extrà orta fuerit, ſive ex Cauſis Internis nunc per ſe inchoaverit, nunc alios Morbos, ſubinde Febres Acutas, inſecuta fuerit: Nam utut, quoad Remotam Cauſam, Affectus Melancholici à Cauſa Externa, Pathemate ſcilicet quodam graviore Animi, Amore, Terrore, &c. nonnunquam oriantur; in perfectum tamen Delirium non degenerant, niſi Hypochondriis eorumque Viſceribus character vitioſus imprimatur; uti etiam ea, quæ ſunt ab Animi Pathemate, graviora ſunt, quàm quæ ſponte enaſcuntur. Et talis Melancholia, quæ manifeſtò fomitem in primis viis latentem exhibet, per *Conſenſum Hypochondriorum oriri dicitur*: ſicuti, ubi nulla manifeſta talis Conſenſûs Signa adſunt, *per Eſſentiam Cerebri* oriri putant, quæ tamen ceu Non Ens rejicienda: ſicuti quæ inſequitur poſt ſuppreſſos Hæmorrhoides, aut reſtrictos Menſes, *Melancholia ex Utero* vocari ſolet. Equidem nota mihi eſt Differentia illorum, quam communiter Practici inculcant, dum Melancholiam ratione Fomitis dividunt *per Eſſentiam*, dum Fomes materialis in ipſo Capite, & Cerebro hæret, & eam, quæ eſt *per Conſenſum*: Sed hæc Differentia nil valet. Nulla enim datur per Eſſentiam Capitis, quin

quin reverà omnis, ſi à Causâ Internâ, ſub hoc ſenſ per Conſenſum dicenda venit; Unde etiam Hofmannus *in Inſtit.* Melancholiam *Cordis Affectum*, non Cerebri eſſe oſtendit. Sed potiùs Fundamentum Melancholicum ſemper circa Hypochondria conſiſtit, utut remotior Cauſa Interna ſubinde aliunde oriatur, in quo puncto frequentiſſimè Lien, & Uterus incuſari ſolent.

Communiter *Melancholiam ex Splene oriri volunt*, & omnes Spleneticos obnoxios eſſe dicunt Melancholiæ: Sed non video, quare Splen affectus præcisè Melancholias inferre ſoleat, niſi ad Humorem Melancholicum, cujus Receptaculum Veteres Lienem dixerunt, reſpicere velimus, unde Splenis Viſcus, ſi non ſemper, ut plurimùm ſaltem in his caſibus inſons arbitror, etſi in inſigniter Melancholicis ſimul varia Splenis Pathemata, Splen ſcilicet infarctum, & tumidum reperiatur, unde fortes in Hypochondrio ſiniſtro Pulſationes ſuccedunt ob Sanguinis in Arteriis ſtagnationem. An verò Splen ceu primarius Focus morboſus hîc conſiderandus ſit? non immeritò dubitari poteſt, quin ſubinde ceu Pars ſecundariò affecta, & Productum morboſum, Melancholiam tamen per Nervorum conſenſum inſigniter exaſperans, ſe habere videatur, quàm ut radicalis eorundem ſit Sedes. Saltim exinde patet, quòd verum dicit Hippocrates, dum affirmat: *Quibus Vena fortiter in Hypochondriis* (Arteriam intelligit) *pulſaverit, iis Mens ægrotat*: ſiquidem tumidus, aut infarctus Splen, aut Vaſa ejus propter Fibrarum nervearum implicationes, harumque Spaſmos, plùs minùs conſtricta reverà Sanguinis motum per Arteriam remorant, & inde Pulſationis manifeſtum ſenſum in Hypochondrio ſiniſtro inferre poſſunt. Aliàs in Melancholiâ Splenis viſcus eſt inſons, cùm munere ſecernendi Succum quendam Melancholicum jamdudum ſit exutus. Verum eſt, ſubinde in Hypochondrio ſiniſtro graves alterationes, & paſſiones ab Ægris Melancholicis percipiuntur; ſed cùm Hypochondriaci Spaſmis partium membranoſarum ſint obnoxii, & cùm Splen habeat copioſos Nervos, ob varios nexus cum Pari Vago, & Intercoſtali conſentientes, quid mirum eſt, ex iis Spaſmo continuato affectis quòd ſuperveniant Pulſationes Hypochondrii, & Cordis, & hinc Abdominis Pathemata, & difficiles Reſpirationes, ſeu convulſiva Symptomata? ut adeò, ſi Splen ſimul affectus deprehendatur, id fiat ſaltem per deuteropathiam. Quòd ſi Digeſtioni primæ vitiatæ Viſcerum aliorum Pathemata ſuperveniunt, ſpeciatim Hypochondriacis Lienis Mala, ab his primarius Affectus eò magis nunc confirmatur, nunc deterioratur. In his ergo Subjectis Melancholicis, ſeu Melancholiâ Hypochondriacâ imprimis *Acidum vitioſum* in primis viis abundare, indeque Digeſtionem primam in Stomacho vitiare, quin etiam ipſam Maſſam Sanguineam exinde firmiorem, ſeu ſpiſſiorem, minuſque fermentativam, ac minùs ſpirituaſcibilem eſſe, multa adjuncta Symptomata perſuadent, non minùs quàm Cura etiam. *Quoad Symptomata*: omnes Melancholici ſunt egregiè voraces, & Alvi naturaliter ut plurimùm adſtrictioris, ſimulque obſervantur Ructus acidi, quæ Pathemata omnia Acidi peccantis in primis viis ſigna ſunt: *quoad Curam* verò, ea fundamentalis conſiſtit in eo, ut per Acidum vitioſum Abſorbentia, & Deobſtruentia, Martialia quippe, & Tartarea, inſtituatur.

In taliter conſtitutâ Maſsâ Sanguineâ non tantùm *Fermentatio* ejus *Vitalis* in Præcordiis lentè nec rectè procedit, unde Anxietates iſtæ, imò non rarò graves Cordis Palpitationes ſine causâ manifeſtâ ſuperveniunt: ſed etiam ex deficiente Fermentatione Spirituaſcentia Maſſæ Sanguineæ, ejuſque in Spiritus ſubtiles volatiliſatio, minùs convenienter perficitur, idque eò magis, ſi in *Aëre* craſſo, aut cœnoſo, aut paludoſo habitet talis Æger: nam Aër multa tribuit ad volatiliſationem Spirituum; hinc etiam ex ſolâ Aëris mutatione in clarum, tenuem, & ſubtilem accedente Corporis motu, Melancholia curata obſervata fuit. Ex Maſsâ ergò Sanguineâ minùs ſpirituaſcente *Spiritus Vitales*, & conſequenter quoque *Animales*, minùs volatiles, minùſque ſubtiles, minùs puri, aut minùs mobiles generantur, ſed quodammodò texturæ fixioris, & quaſi ſubacidæ, & craſſioris fiunt, adeòque, ut probabiliter multi affirmant, minùs lucidæ, ſed tenebricoſæ: vid. Bartholinus *de Luce Animal.* unde iidem Animales facti minùs apti ſunt ad varias motiones, & expanſiones pro multitudine Objectorum ſenſilium varias in Cerebro perficiendas, ſed potiùs quaſi fixiores, & à naturali Craſi volatili temperatâ plùs minùs in acriorem, aſperiorem, & quaſi acidulam degenerantes, ab uno Objecto ſuprà dictis modis fortiùs affecti, non poſſunt non iidem quoad motum ſuum in Cerebri meditullio vitiari; hinc vel inordinatè, & vagè movebuntur, vel pertinaciter iiſdem motionum orbitis inſiſtent. Si prius contingat, oriuntur *Deliria Melancholica Vaga*, circa quæcunq; Objecta directa; ſin ab Objecto externo quodam fortiùs affecti, unam eandemque in Cerebro motionis orbitam ſervent, id eſt in ſemel inchoato tramite inter Fibras nerveas Cerebri eodem curſu, & recurſu continuò pergunt, hinc ſubminiſtratur occaſio Animæ Rationali immutabile, & *unum tantùm Phantaſma* formandi, & ſubinde repetendi. Nam Anima non afficitur Rationalis, ſed læditur in talibus ſaltem Imaginatio, ſeu Phantaſia, circa Objectorum ſenſibilium per certos Spirituum motus in Cerebri meditullio repræſentationem occupata. Dum ergò hæc læditur, ita ut continuò circa unum Objectum verſetur, ex identitate motûs vitioſorum Spirituum *circa idem Objectum*, *Delirium* poſtmodùm ſupervenit. Sed ex eo, quòd Anima Rationalis ſit ſana, evenit, ut hujuſmodi Melancholici, determinata Deliria patientes, circa illud Objectum, circa quod delirant, ſubinde in reliquis ſatis prudentes ſint. Sic enim legimus verbi gratiâ in Amato Luſitano (ni fallor) Exemplum cujuſdam Pueri, qui ſe putabat eſſe Regem ingentem, ſub quo Delirio loquebatur de ratione Statûs, & Arcanis Politicis, & tam ſubtilia, & acuta Rempublicam gubernandi promebat conſilia, ut omnes in ſui admirationem raperet: poſtmodùm curato Delirio, Puer de talibus Politicis parum, vel nihil ſciebat. Satis ergò prudentes ſunt Melancholici circa Objectum Delirii: id quod non minùs eſt mirum, quàm quòd Obſervationes Practicorum docent, *Somnambulones* noctu ſurrexiſſe, & Verſus admodùm concinnos ſcripſiſſe, mane tamen eorum, quæ noctu egerint, nihil ſciviſſe. Nam circa idem Objectum ſemper occupata eſt Anima Rationalis, quia tota ejus Eſſentia, prout equidem à nobis cognoſcibilis eſt, conſiſtit in eo, quòd ſit Subſtantia immaterialis, quæ ſemper ratiocinatur, & aliquid cogitat. Hinc Anima Rationalis indefeſsè ſemper ratiocinando circa idem Objectum ſubinde occupata, neceſſariò de eodem elegantes, & rationales formabit Diſcurſus, quoniam à nullo Objecto interturbatur, & impeditur, & utut in uno erret, tamen in reliquis ſuas potentias exercere poteſt.

Cum verò *à Rebus Non-Naturalibus* factæ mutationes in alterandâ Maſsâ Sanguineâ, & afficiendis Spiritibus Animalibus magnæ ſint potentiæ, ut quotidie in Brutis videmus, non mirum eſt pro varietate, verbi gratiâ *Tempeſtatum*, ſecundùm Menſium decurſum, etiam mutari Melancholicos, ita ut nunc meliùs, nunc pejùs habeant: unde Temporibus ſucceſſivè correctis, corriguntur etiam Conſtitutiones; at hinc eſt,

eſt, quòd ſub iſto Delirio per mutatum *Victum*, per continuas *Vigilias*, & ſubinde alias Res Non-Naturales, mutetur inſigniter Maſſæ Sanguineæ Craſis, & conſequenter Spiritus Animales (videmus enim, quòd tales Melancholici fiant ſubinde admodùm pingues; hinc fit ſubinde, ut interdum ſponte nonnihil ceſſent Deliria, quæ tamen novâ alteratione per graviora Objecta inductâ, denuò recurrant, quin, & ex tali mutatione Craſeos Maſſæ Sanguineæ, & Spirituum fit nonnunquam, ut delirantes Melancholici ex uno Objecto in aliud ſucceſſivè dilabantur, parili ratione, atque videmus quoſdam ſub Ebrietate ex *Vini potu* fieri primò hilares, hinc admodùm loquaces, tandem rixoſos, & quaſi maniacos, & furioſos, denique ſomnolentos & torpidos, qui altero verò die ſubinde ſunt mœſti, triſtes, plùs minùs turbulenti, & quaſi Melancholici. Unde, ſicut hoc facit Vinum mutando Crâſin Maſſæ Sanguineæ & Spirituum, cùm ſit Cauſa Externa, ita ſimili ratione ſucceſſivè à Cauſis Internis facta alteratio Deliria ſubinde & Melancholias mutat.

Ratione fundamenti hujus Melancholiæ, in Maſſâ Sanguineâ & Spiritibus, inveteratus ſemel Affectus Melancholicus non ſaltem contumax eſt, & qui per Paroxyſmos ſæpiùs recurrit, ſed etiam ſubinde *Hæreditarius* eſſe ſolet, ita ut à Parentibus Melancholicis ſæpè in Liberos tranſplantetur, & hi tandem ad Melancholiam deducantur, in ſpecie in Mulieribus (quàmvis hæ à Matribus Melancholicis editæ ſemper aliàs videantur ſanæ Mentis) præſertim Gravidationis vel Puerperii tempore Character Hæreditarius evigilare ſolet.

Quòd verò *tales Stulti ſtultis & ridiculis interdum curentur Remediis*, & quòd talia ridicula Remedia curent ſubinde ridiculos Ægros, ex eo ferè eſt, quòd Anima Rationalis, circa unum tantummodò Objectum occupata, ex firmâ tali perſuaſione ab Objecto novo, & dum Objectum morboſum remotum videt Æger, & exinde Lætitiâ vel alio Affectu alteratur, Spiritibus Animalibus novum conciliet motum; vel ſi ex ſuperveniente contrario aut fortiori Objecto etiam alio modo moveantur Spiritus, ſit, ut tale fortius Objectum, & quidem aliud ac novum, ex immutato Spirituum motu, Animæ Rationali præbeat occaſionem variandi Conceptus & Speculationem, & ita omnes priores ridiculi Conceptus à ſuperveniendibus novis, quaſi omninò in momento cum manu delentur & expunguntur: qua ratione v. g. Immerſio ſubitanea in Fluvium curat Delirium Maniacum; hac ratione Stratagemata per aſſenſum, delendo quaſi Conceptus deliros, & removendo Objecta, quaſi talia Deliria auferunt: quæ etiam Cura eò magis vel minùs erit diuturna vel conſtans, quò magis vel minùs reſtituta ſimul fuerit Maſſæ Sanguineæ depravata Craſis: ſic Melancholia obſervata eſt, quæ curata fuit per Gaudium nimium & profuſum, ex improviſo concitatum, quoniam fortius Objectum delevit prius.

Plura quoad hanc Theoriam videb. in Williſio *de Animâ Brutor. Part. 2. cap. 21.*

## DIAGNOSIS.

Neceſſum eſt autem imprimis, ut nimius progreſſus Melancholiæ maturè præcaveatur, in quem finem imminens ea prægnoſcenda venit.

*Signa* autem, quendam eſſe Habitûs Melancholici, vel Naturalis, vel Præternaturalis, tunc colligitur, quando talis Æger gravioribus ſubinde Inſomniis terretur, quando Somnum habet turbulentum & Inſomniis intermiſtum, quando evadit ſolitudinarius, quando præter ſolitum ſit moroſus vel triſtior, etiam invitus, quando funeſta cogitat & triſtia, quando meticuloſus eſt ſine manifeſtâ causâ, quando vel leviſſimo Objecto ſubinde terretur, item ſi in unâ Cogitatione ſubinde fixior hæret, ſi meditabundus & cogitabundus fuerit, &c. Hæc enim & ſimilia ſunt verè *Signa imminentis Melancholiæ*, ſive ipſius Affectûs Perturbationis Mentis.

Quòd ſi Æger poſtmodùm incipiat fabulari ridiculè de uno alterove Objecto, quando putat ſe eſſe ſapientiſſimum, & ſic porrò, tunc Delirans melancholicè, ſeu Delirium Melancholicum facilè manifeſtum evadit.

Verùm ipſa Melancholia ejuſque Delirium per ſe patet facilè: Speciatim *Fomes & Cauſæ Remotæ Melancholiæ* diligenter ſunt conſiderandæ pro felici inſtituendâ Curâ, adeoque cognoſcendum eſt: an Cauſa Occaſionalis Externa ſeu Animi Affectus quidam gravior, Terror, Ira, Timor, primam dederit occaſionem Melancholiæ, ratione cujus inferunt Spiritus Animales Delirium? an verò ex interno vitio & depravatione ipſius Maſſæ Sanguineæ melancholicâ (loquor cum vulgo), ſeu Hypochondriacâ Affectione ſucceſſivè primam originem duxerit Melancholia ſine Causâ Externâ; nam longè difficiliùs Deliria ex Affectibus Animi nata, quàm à Causâ Internâ, curatur. Signa hæc obſervanda eſſe inculcat Lindanus, dum dicit: *Quando incidit is in Melancholicos, hoc agite, ut noſcatis originem Mali, an v. gr. ſit ex Triſtitia? niſi enim hoc agitis, laterem lavatis. Multæ enim res ſunt, quæ Homines triſtiores, & ſic longo tempore perſeverantes, in Melancholiam deducere poſſunt: Vid.* Hippocrates lib. 6. Aphor. 26. *Et hæc eſt ratio, quare tam rarò reſtituantur in integrum Melancholici. Didici ex Pulſu cognoſcere, an ſit Melancholia ex Animi Affectibus? an ſit ex Sanguine melancholico? Nam ſi eſt ab Animi gravioribus Affectibus, Pulſus in illis eſt valdè obſcurus, quaſi contractus & inconſtans, quandoque æqualiter, ſæpiùs verò inæqualis, & deinde qui habet plerumque ſpeciem deficientis. Vermicularis eſt interdum, interdum non.* (Vermicularis & Formicans eſt unum & idem: Formicans eſt quando celerrimo motu Pulſus currit; Formicæ enim celerrimè currunt; quando autem non tam ſubtilis eſt, ſed paulò planior, dicitur Vermiculans, talis eſt horum Melancholicorum:) *Frequenter enim hæc inæqualitas & inconſtantia Pulsûs certum Signum eſt Melancholiæ ex Animi Affectibus; quoties enim Animus parùm relaxatur, ſtatim etiam mutatur Pulſus, unde facilè Animi affectus exinde pateſcunt.* Hactenus Lindanus.

Hoc obſervavi nuperâ Æſtate in *Muliere* 75. annorum, aliàs devotâ, dicente, ſe rem Veneream per viginti annos cum Dæmone habuiſſe: hoc confirmabat, dum faſſa eſſet, Aurigæ Equum ſe faſcinaſſe, & parere Infantes dæmoniacos per Vulvam, adeò ut ferè ad rogum damnaretur. Advocatus tunc Medicus inquiebat rem veram eſſe. At aliter ſe res habuit: nam interrogata à me, ubi doleret? monſtrabat ſuperiorem regionem Hypochondriorum, Pulſuſque octavâ vel nonâ vice deficiebat, ac uno nomine, perfecta erat Melancholico-Hypochondriaca; Alvus enim aderat obſtructa: Scybala erant dura, ſibi invicem impoſita conglobataque, eademque ſub primo Somno patiebatur Incubum cum Inſultibus epilepticis, unde cuſtodes excubantes baculo tetigerant Alvum ejuſque Abdomen, putantes quaſi ſic ſe poſſe Dæmonem ſuperincumbentem fugare, aliquot ſeptimanas inſomnes ducebat. Huic autem Delirio Melancholico anſa dedit, quòd audiviſſet de Faſcinatione, adeòque cogitaſſet, quid ſi tu hoc feciſſes?

*Facies* quoque in Melancholicis nunc rubore nunc pallore ſuffunditur: anguſtiis ejuſmodi Homines variè corripiuntur, prout Objecti ſimulacra variant;

ſicuti tentantur Hiſtoriæ Melancholiæ ex Amore detectæ, quas Galenus *lib. de Præcogn. ad Poſthum. cap.* 6. Aretæus *lib.* 1. *de Cauſ. & ſign. diuturnor. Morbor. cap.* 5. & Zacutus Luſitanus *lib.* 1. *de Med. Princip. Hiſt.* 40. adducunt.

Si Cauſa Remota ſint Suppreſſiones Hæmorrhoidum vel Menſium, ex Ægro cognoſcitur.

Quòd ſi verò pedetentim & *citra Objectum Externum* fiat Melancholia, tunc tales Ægri habent Deliria Vaga, quorum Cauſa Remota eſt Affectus Hypochondriacus. Hujus Affectûs Signa propria erunt præſentiora, vel majora vel minora. In ſpecie Ægri tales conqueruntur de Palpitatione Cordis, de Anxietate Cordis & Ructibus acidis; item conqueruntur de Pathematis Abdominis, de Borborygmis & Murmuribus Inteſtinorum, de Alvo obſtructâ, Flatibus, de ſenſu moleſto plùs minùs obſcuro in Hypochondrio ſiniſtro (*in Liene*) cum ſenſu Pulſationis in Dorſo aut dicto Hypochondrio, Mala quæ ex Splene videntur oriri, Somniaque habent turbulenta (ex quibus mox ſuſpicio venit, adeſſe Melancholiam Hypochondriacam) Phlogoſi vagâ crebriùs afficiuntur, & circa Frontem in Facie calent, &c.

Ipſe Affectus Melancholicus, ſpecialiùs *ex vitiatâ tantum Maſſâ Sanguineâ*, ſuas habet exacerbationes & remiſſiones, item Ægri admodùm ſunt anxioſi & queruli; Palpitatio Cordis ſubinde eſt frequens, item præ aliis ſunt triſtes & mœrentes, & quæ ſunt ſimilia Signa affectæ Maſſæ Sanguineæ.

*Metus* tamen *& Triſtitia* præ cæteris etiam ſunt penſitanda in Melancholicis; quidam enim interdum hilares, interdum puſillanimes & plùs minùs deſperati fiunt. *Non quidem rarum*, inquit Petræus *in Diſſert. Harmon. eſt, quòd gaudere & ridere videantur: minimè tamen Gaudium eſt verum & verus Riſus, ſed quaſi cynicus, & ſarcaſticus, quin paulò poſt mœſti & triſtes evadunt, unde etiam ſolitudines amant, & converſationes hominum pertimeſcunt.*

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: Melancholia ut talis, licèt nunquam lethalis exiſtat Affectus, ratione tamen Eventûs, Temporis & Modi, *valdè incerta eſt ejus Prognoſis*, quatenus ex illâ nonnulli brevi reconvaleſcunt, alii nonniſi tardiùs, alii nunquam.

Ut plurimùm tamen Melancholia, *quæ ab Occaſione evidente* & ab Affectu Animi eſt, longè feliciùs curatur, quàm quæ poſt diuturnam demum Procatarxin ſeu Prædiſpoſitionem Melancholicam intrinſecam ſenſim invadit: vid. Loſſius *lib.* 1. *Obſervat.* 22. Ita enim ſublatâ dictâ Causâ evidente ſæpè ſponte ceſſat Delirium; hinc plures ex Crumenâ quàm ex Pharmacopolio levamen ſuſcipiunt, cùm in poſteriori caſu, quo Sanguis & Spiritus ab ordinariâ, & debitâ Craſi receſſerunt, imò ipsâ Cerebri tandem Conformatio temporis ſucceſſu incorrigibiliter mutatur, res difficilior ſit.

Pariter *Malum recens* & quod nondum diu duravit, & cui nondum ſupervenit Delirium, ſemper faciliùs (nempe cæteris paribus, & niſi ortum ex graviori Animi Pathemate fuerit) curatur; ſubinde etiam à ſolâ ferè conveniente Victûs ratione, & familiari Converſatione cum jocoſis, & mutatione Aëris, ſic laudabilis, tenuis & ſpirituoſus generatur Sanguis: *Inveterata* verò Melancholia, & orta ab Animi Pathemate externo, aut Studiis immodicis in noctem protractis, in ſpecie cui pertinax Delirium acceſſit, aut quæ *Hæreditaria* eſt, aut quæ ſubinde repetit, rarò aut difficillimè curatur, quin Ægros ut plurimùm ad Mortem comitetur.

Delirium *Aſcititium* faciliùs cedit præ Hæreditario.

Melancholia quæ *poſt Morbos* alios, ut poſt Febres Diuturnas aut Acutas, aut poſt Phrenitidem ſupervenit, faciliùs aliis, mutato ſcilicet Corporis Habitu, & ſæpè per ſolam Diætam curatur.

Porrò *in Viris* familiarior & frequentior ferè eſt Melancholia, ſed minùs difficilis curatu: *in Fœminis* quidem rarior, ſed diuturnior & pertinacior, ſpeciatim ſi Menſium jam deficiat excretio, aut Gravidæ exiſtant, tum etiam harum nonnullæ, quæ Parentibus Melancholicis natæ, etſi aliàs ſemper ſanæ Mentis obſerventur, Prægnantes tamen hujus quaſdam hallucinationes oſtendunt.

Prætereà Melancholia, *quæ eſt cum Riſu, Jocoſeu Gaudio, & Hilaritate* quadam intermixta, mitior, tutior, & cæteris paribus tractabilior eſt, quàm quæ eſt cum Studio, aut cum quodam Furore aut Triſtitiâ continuâ, ac cum ſummo Mœrore.

Melancholia, quæ *à Charactere ſeminali* per Parentes in Liberos fuit tranſplantata, rarò poteſt curari.

Si Melancholicus *præter ſolitum* in Riſum, aut Fletum, aut Lachrymas ſolvatur, metuendum eſt, ne in Moroſin, imò Maniam tranſeat, nonnunquam in Paralyſin, & quamvis rariùs, in Morbos Convulſivos, item in Apoplexiam.

*Ad Salutem* monſtratur via, ſi ſucceſſivè mitiora Deliria fiunt, ſi ſuperveniat Hœmorrhoidum, aut etiam Uteri fluxus, ſi ſuperveniant Varices, Germ. *auffgelauffene Adern an Schenckeln*, quos ipſos commendat Hippocrates *Sect.* 6. *Aphor.* 11. & 21. & Riverius *Prax. lib.* 1. *cap.* 13. Item ſi in Scabiem & ſimilia Cutanea vitia fiat tranſmutatio; item ſi Urina hactenùs tenuis, craſſa, turbida, opaca & nigra evadat. His enim modis interdum ferè aut remittit aut planè ceſſat Melancholia.

*Ad Interitum* verò declinant Ægri, ſi omnem Cibum & Potum pertinaciter averſentur, quin etiam quando nihil dormiunt, aut tandem Vires ſucceſſivè fatiſcunt: Nam obſervatum fuit, Melancholicos interdum ad aliquot Menſes ne momentum quidem dormiviſſe, & ita tandem collapſis Viribus intereunt.

Denique rariùs fit, quod Deliriis Melancholicis ſuperveniant *Convulſiones aut Epilepſiæ*, quæ Cerebrum afficiunt.

## CURA.

Quod attinet *Methodum Medendi* ad curandam Melancholiam & Deliria Melancholica, eſt vel *Præſervatoria*, & quæ Cauſam Antecedentem reſpicit, vel *Curatoria* ſcilicet ipſius Delirii hujuſque Cauſæ Proximæ. Ad *duo* igitur, ut jam ſuprà monitum, reſpiciendum eſt:

1. Ad Conſtitutionem *Maſſæ Sanguineæ & Spirituum* melancholicam.
2. Ad ſuperinductum *Delirium*.

Unde *ratione prioris*, curandi tales Ægri, ut Malo Hypochondriaco affecti, hinc *Vomitoria & Martialia* ſunt proficua. Tota Cura conſiſtit in rectificatione Maſſæ Sanguineæ, in correctione ejuſdem vitiorum & regeneratione Maſſæ Sanguineæ ſpirituoſâ & volatili: ſed hoc etiam non caret difficultate, partim quòd Malum per ſe ſit contumax, partim etiam quòd Melancholici ſtatim omnium Remediorum ſint pertæſi, & aliàs etiam per ſe ſatis immorigeri.

*Ratione poſterioris*, Humores educantur & alterentur, atque Spiritibus Animalibus aliquālis tranquillitas concilianda, illique à perverſo & inordinato motu ſunt avocandi, & in circulos priſtinos redigendi: idque *vel Medicamentis vel Rationibus*, hoc eſt, Auxiliis vel Medicis, vel Ethicis. *Medicis*, hoc eſt, *Medicamentis Anodynis*, tam Mineralibus, quàm Opiatis & Camphoratis: *Ethicis*, vel eorum Conceptibus

ptibus assentiendo per Stratagemata & fraudes; vid. Forestus *lib.* 10. *Observat.* 13. & Tulpius *lib.* 1. *Observat.* 18. & 19. vel dissentiendo & corrigendo per Persuasiones rationales, variis confabulationibus, recreationibus, negotiorum commissionibus. Semper sanè in Malo pertinaciori simul eò respiciendum est, ut Melancholicos præmissis præmittendis cauto quodam *Stratagemate* decipiamus, eosque à semel conceptâ Opinione, etiam subinde Mediis ridiculis, avocemus; Talia enim Stratagemata minùs sunt aliena à Medico.

Propterea pro meliori Curâ observetur:

I. Ut *Causa Remota removeatur*; quæ si sit Affectus Animi gravior, removenda est non tam per Medicum, quàm per Ethicum seu Moralistam; nempe per Rationes; sin verò Causæ sint Internæ, Menses suppressi, Malum Hypochondriacum, &c. tunc hæ primitùs curandæ. In genere habito Causæ Remotæ respectu per *omnia ea Remedia, quæ in Affectu Hypochondriaco* usurpantur, tractandæ sunt Melancholiæ & omnes ejusdem Species, tam per *Digestiva* quàm *Laxativa*: quibus addenda postmodùm *Appropriata* Confortantia dicta, quæ Spiritus Animales volatiliores, subtiliores & agiliores reddere, & Fermentationem Sanguinis naturalem restituere, ejusque Crasin attemperare valent. Inter priora ista ad Massam Sanguineam corrigendam & Spirituascentiam instituendam primatum obtinent *Tartarea & Martialia*, vel *Laxativa*, *Vomitoria*, &c. quæ sunt basis Curæ. Inter posteriora verò *Confortantia*, sunt imprimis Vinum, Crocus, Melissa, Ambrata, & omnia *Cephalica spirituosa*.

II. Observandum rectè monent Autores, omnia incassum circa Melancholicorum & Maniacorum Curam tentari, nisi quàm studiosissimè *Emeticorum* usus observetur. Nam in Vomitoriis revera consistit radix Curæ omnis Melancholiæ, Deliriorum & Maniæ, quæ in majori Malo, & pro ratione circumstantiarum, etiam subinde repetenda, & non unâ vice ipsis insistendum. In specie nemo poterit Maniacum curare, nisi priùs propinato Vomitorio. Ut adeò in Vomitoriis sæpè repetitis Cura tam Præservativa quàm Curativa Deliriorum horum fundamentalis consistat. Deliri siquidem Melancholici tractati per Vomitoria mitescunt ex voto.

III. Caveat sibi diligenter Medicus, *ne solus Melancholicos aut Maniacos adeat*, aut iisdem propiùs accedat. Nam hi ipsi admodùm infensi sunt Medicis, & simulantes licèt pacem, eos subinde malè tractant, verberibusque onerant, in specie Maniaci. Exempla talia videb. in Hildano *Cent.* 4. *Observat.* 9. & Forestо *lib.* 10. *Observat.* 22. *in Schol.* Quin etiam curati licèt, ferè odio suum habent Medicum, ut rectè observatum fuit à Borrichio *in* Bartholini *Act. Haffnienf. Vol.* 4. *pag.* 248.

IV. Observandum, quòd in Malo pertinaciori, & ubi Ægri tales delirantes firmiùs concepta Hypothesi insistant, præmissis jam præmittendis, nil melius sit, quàm *ut cauto quodam Stratagemate eos decipiamus*, & à semel conceptâ Opinione etiam ridiculis Remediis nonnunquam deducamus: Vid. Forestus *loc. all. Observat.* 13.

V. Observandum: *Alvus contumacior semper & quotidie mollis & lubrica servanda.* Nihil enim est, quod magis Hypochondriacos infestat, quàm Alvus obstructa; Quò magis enim Obstructio affligit alvina, eò magis iidem sunt morosi & insomnes, omniaque exasperantur Symptomata. Unde Alvus quotidie respondere debet, aut Arte aut Natura; cui Scopo omnium optimè satisfaciunt Passulæ & Passulata, quæ pro Scopo tam alterandi Contenta quàm emolliendi sunt optima; hinc Tartarea, item Gummata: NB. *Clysmata* quoque humectantium, item ex & cum Lacte paratorum usus hîc admodum est proficuus.

VI. Cùm Melancholici, qui semel Delirantes fuerunt, subinde recidivent circa Anni cardines, Solstitia & Æquinoctia, ob id opportunè & tempestivè *Vere & Autumno* nonnunquam *Cura Prophylactica* per Laxativa & Alterantia appropriata spirituosa *instituenda.*

VII. Quidam *Venæ sectionem* adhibent, sed nescio, ob quam causam. Utut enim Venæ sectio in Maniâ conveniat, non tamen video, quomodò Melancholiæ conferat, cùmque in specie Melancholici debeant curari per Alimenta cupepta. Quàm injuriosum ergò est, si Sanguinem eorum exhauriamus? quin potiùs alteretur Sanguis ope Medicamentorum infrà dicendorum, non verò protervè evacuetur. Platerus quidem reiteratam Venæ sectionem commendat; cujus rei hanc rationem reddit Willisius, quòd nimirum Sanguine effœto toties educto novus facilius generetur: sed errant, cum nihil Sanguinem generet, nisi ipse Sanguis; & observatur quosdam ex Melancholiâ per Venæ sectionem, intempestivè & crebrò nimis administratam, in Morosin & Stupiditatem conjici. Habenda siquidem ratio est Causarum Antecedentium & Virium, quorum intuitu in Plethoricis, ac non adeò torpidis, Venæ sectio locum habet, sicuti etiam, quando vel suppressio Evacuationis consuetæ præceserit, vel nimiæ Phlogoses aut Æstuationes subinde observentur, vel Caput circa Frontem intensiùs subinde incalescat, metu majoris periculi, aut ne in Maniam degeneret, Vena Brachii aperienda, item Frontis in declinatione, aut Saphæna in Fœminis incidenda. Quô etiam spectant *Varicum, & Hæmorrhoidum per Hirudines* in Maribus apertu æ. Imò Melancholia aliis irritis per Hirudines Temporibus admotas curata refertur à Fontano *in Consil. & Responf. pag.* 112. Evacuationibus quoque accensenda est *Trepanatio, & Fonticulorum* supra Suturam Coronalem inustio profundior, à Rondeletio *Prax. lib.* 1. *cap.* 41. & 43. commendatæ, ideò quòd nonnulli fracto fortuitò Cranio curati fuerint; Huic adstipulatur Rhodius *Cent.* 1. *Observat.* 43. per Experientiam *Casserii.* Nuperrimè Mulieri Melancholicæ crebrioribus æstuationibus Corporis vagis afflictæ, & præsertim intenso Frontis æstu subinde correptæ, *Vesicatoria* utrique Brachio admovere jussi, ut Doloris ratione impetum Spirituum & Humorum à Capite averterem, ne Mania supervenire queat.

VIII. Observandum, quòd præter Vomitoria in principio Mali *Purgantia per inferiora* conducant. In principio dico: Purgantia enim propriè dicta in Morbi cursu minùs commoda sunt, Diuretica parùm aut nihil operantur, potiùs nocent. In principio ergò Melancholicos semel & iterum purgare licebit, monente Lindano, in progressu verò Morbi plùs nocebitis, quàm proficietis per Purgantia: quin potiùs loco illorum Malum optimè *per Urinas*, & hinc per leves & repetitos *Sudores* tollitur; uti differit Lindanus. Nam (1.) Melancholici ordinatiò plus mingunt quàm alii; & quoniam (2.) rarò sudant ob habitum Corporis densiorem, & constipationem pororum Cutis, materia Urinæ subinde augeri solet.

IX. *Diuretica* sunt optima. Et in genere hîc monendum, quòd omnes ii Affectus, qui dicuntur Splenetici, aut qui dicuntur oriri ab Humore Melancholico, præmissis præmittendis, id est Purgantibus, præsertim Vomitoriis, & hinc Alterantibus Martialibus, optimè per Diuretica & Salsa curantur. Et observatum fuit, quòd in talibus Urina turbida & crassa, opaca, interdum etiam nigra reddita, & copiosis Contentis saturata, signum sit declinantis in talibus Morbi & imminentis Sanitatis: adeoque hîc Diuretica,

& tanquam alterantia & tanquam evacuantia, optimè conducunt; verb. grat. Arcanum duplicatum *Mynſichti*, Nitrum Antimoniatum in potu ſolutum, & hinc Remedia Tartarea, in ſpecie Tinctura Tartari, Tinctura Nephritica *Ammelungii*, Spiritus Tartari volatilis.

X. Rectè monet Riverius, *ſemper ad Hypochondria præcipuam dirigendam eſſe Curam*, undecunque etiam Malum primitus traxerit originem; unde Curatio pro Malo Hypochondriaco ad reliquarum Melancholiarum Curationem ſufficit. Unde etiam Bartholetus *Tract. de Reſpir.* inquit, quòd Melancholia, quæ ex conſenſu totius cum Corde derivatur, reſpondeat Quartanæ exquiſitæ, adeòque etiam eſſe tractandos Melancholicos ut Quartanarios.

XI. Quantum fieri poteſt, opera danda, ut *Agrypnia coërceatur*, & Somnus aut conſervetur, aut reſtituatur, vid. Horſtius *lib. 2. Obſervat.* 18. Id quod interdum poſt Vomitorium facilè evenit, ut tunc plùs minùs laſſati Ægri vel ſponte in Somnum inclinent, & ut faciliùs ad Somnum diſponantur. In ſpecie ad Somnum promovendum Alimenta, quæ ſunt humida, ac bono Nutrimento rorido turgida, qualia ſunt Juſcula, Ova, Carnes facilis digeſtionis, Serum Lactis, Lacticinia, Oryza, Milium, &c. ipſis primariò conveniunt; ita enim temperatur Maſſa Sanguinea, & humectatur Cerebrum, adeòque multum Diæta habet in receſſu. Certè quamdiu adhuc dormiunt, minùs grave Malum eſſe ſolet, aut ſi poſt Agrypnias Somnus redeat, fauſtiſſimum Signum eſſe ſolet.

XII. *Opiata ſola, & niſi præmiſſis Univerſalibus, nunquam danda ſunt.* Nam in talibus Opiata parùm vel nil operantur, præſertim in principio, & ſubinde duplicatâ aut triplicatâ niſi doſi nihil faciunt, ob Acidum in primis viis ſtabulans, eorumque vim deſtruens; idque eò magis, quò diutiùs Somnum non viderit Æger, eò minùs Narcotica & Opiata operantur; ſed potiùs; dum non faciunt Somnum, gravant Malum, & reddunt Ægros quaſi delirantes, cùm talia Narcotica per ſe ſæpiùs aut in majori doſi uſurpata Somnia nonnihil turbulenta & quaſi delira inferant. Internè ergò ſemper appropriatis Specificis miſcenda Opiata, in ſpecie Humectantibus, & etiam occurrendum ſimul Externis Epithematibus Capiti & Fronti applicandis; item Pediluvia ac ſimilia pro ſcopo Hypnotico Melancholicis optimè conferunt.

XIII. In totâ Curâ ſtudioſè ſemper *Diæta obſervanda eſt*, ut ſit lauta & nutritiva; unde dentur Alimenta & Potulenta, quæ blando Humore temperato & nutritivo probè ſint turgida & imprægnata, ut Lacticinia, Paſſulæ, & ſimilia, *Humectantia* communiter dicta; ſiquidem notante Loſſio *lib. 1. Obſervat.* 21. Melancholici non diutiùs curantur, quàm humectantur: unde & Paſſulata, item Poma dulcia, mirè conveniunt Melancholicis. Nec negligendus hauſtus Vini generoſi, quod *Vinum* optimè exhilarat Melancholicos; ſicuti etiam Motus Corporis & excernendorũ Excretio, quantum poſſibile, promovenda.

*Quod ergò attinet ipſam Materiam Medicam* hiſce Scopis inſervientem: Radix exſtirpandæ Melancholiæ rectè à Paracelſo dicitur conſiſtere in *Antimonio*, cujus Præparata ſunt varia, imprimis Vomitoria Antimonialia, & hinc Remedia quædam ejus per inferiora purgantia, ſunt optima. Vomitoria jam aliàs nota ſunt. In ſpecie hîc obſervandum eſt, eadem in paulo majori & ſæpe duplâ vel triplâ doſi eſſe uſurpanda, ſi aliquid agere debent, ut rectè obſervatum in Bartholini *Act. Med. Haffn. Volum. 4. pag.* 148. quia Melancholici ordinariâ doſi non moventur, ſed ſaltem per inferiora moventur, minùs per ſuperiora, dum per inadvertentiam Animi & Objecta fortiora Spiritus Animales in Cerebro & reliquis locis non ſolent percipere alterationem. Certè nonnunquam obſervavi, quòd *Tartarus Emeticus Mynſichti*, cujus grana ij. vel iij. adiv. aliàs dantur, in Hypochondriacis & Melancholicis à gran. vj. ad viij. imò ad xvij. aut in formâ liquidâ *Syrupus Emeticus Salæ* à drachm. vj. ad unc. j. propinatus fuerit. Et ſanè tales Ægri longè commodiùs etiam ac faciliùs perferunt Vomitoria paulò fortiora, quàm alii; quin ſubinde repetenda ſunt: Sic aliquando Puerperæ, poſt 14. dies à Partu Delirio Melancholico laboranti, ad grana vj. propinavi, & tamen modicè Vomitum experta eſt: Inde ſimiliter Studioſo cuidam Melancholico exhibui Syrupi Emetici unc. ß. qui tamen nullam hinc ſenſit motionem. Ideò Vomitoria in majori doſi propinentur. Præſtat tamen prima vice ordinariam doſin propinare, ut ex hujus operatione paucâ vel nullâ, concludere poſſit Medicus, in quantum augmentanda doſis. Et in ſpecie *Flores Antimonii* commendat Paracelſus, quorum Florum elegantem præparationem videbitis in Finckii *Encheirid. Dogmatico-Hermetico* de Melancholiâ, tanquam appropriatiſſimum ad curandos Melancholicos Remedium. Aliàs pro Vomitorio ſit *Aurum Vitæ* ſeu Præcipitatum Mercurii cum Auro (imprimis *Kegleri*,) item *Infuſum Mercurii Vitæ* repetitum interdum confert. *Sapa Vomitoria Sylvii* ex Muſto & Mercurio Vitæ eſt etiam egregia; item *Syrupus Emeticus* ad unc. j. & ultrà. Magni enim momenti ſunt Vomitoria, & ut plurimùm ab horum uſu miteſcunt Ægri. Aliquando cuidam Melancholico propinare coactus fui.

℞. *Aquæ Fumar.* ℥j.
*Gumm. Amm. in Vino ſolut.* ʒj. ad ʒß.
*Syr. Emet. concentr.* ℥j.
*Scamm. Julphurat.*
*Extr. Troch. Alhand.* an. gr. j.
*Syr. Roſat. ſimpl.* ℥ij.
Miſc. pro Potione.

Cujus unâ vice ſumpti uſu Æger ter vel quater viſcida commodè per Vomitum evacuavit, & bis per Alvum laxavit cum euphoriâ.

Par ratio eſt *Purgantium*, quæ ſine addito Stimulo ſalino, præſertim tartareo, in ordinaria doſi non operantur, quin hæc potiùs ordinariò augmentanda venit.

Inter *Purgantia Mineralia* eminent *Antimonialia*: Nam Antimonium peculiare Alexipharmacum debellans Melancholiæ videtur; unde ex Antimonialibus per inferiora purgantibus eminet *Mercurius Vitæ* per Sal Tartari cicuratus, aut multis aliis modis parabilis, eſt admodùm conveniens; Sic enim ceſſante vi emeticâ egregiè per inferiora purgat. Inter *Vegetabilia* verò imprimis ſunt *Helleborus & Helleborata*, quæ non tam propter laxationẽ ſimpliciter, quàm propter vim alterativam ſpecificam in Affectibus Melancholicis, & in Deliriis Melancholicis conducunt. D. Michaelis refert Exemplum Delirantis, ex quo Dæmon locutus, purgati per Helleborata; unde nidus fuerit deſtructus, & cedere oportuerit. In Malo verò contumaciori & Mania Helleborus albus, (de quo cras); in Melancholiis verò reliquis Helleborus niger, palmam obtinet; nam præter vim laxativam ſimul habet alterativam, Melancholiæ convenientem: vid. Velſchius *Hecatoſt. 2. pag.* 11. Unde Extractum cum Phlegmate Vitrioli ſpirituoſo paratum, & exinde paratæ Pilulæ cum Antimonio per inferiora purgante, hoc modo conveniunt:

℞. *Extr. Helleb. nigr.* ʒj.
*Troch. Alhand.* gr. ij.
*Antimonii* vel *Mercurii Vitæ per infer. purg.* gr. v. (pro varietate tamen præparationis variat doſis)
Cum *Eſſ. Martis*, vel *Tinctura Tartari* f. Pilulæ.
D. S.

Pilulæ

Pilulæ Purgantes.

Vel, quod melius, cum *Aquâ Anagallidis & Flor. Hyperici* f. Potiuncula, edulcoranda cum *Syrupo de Pomis laxativo*, & ita propinanda:

D. S.

Potio Purgans.

Extractum Trochiſcorum Alhandal hîc adhibetur pro Stimulo, ut corrigat ſimul Viſcidum præternaturale, quod, ut in omnibus Chronicis Morbis, ita & Melancholicis Pathematis, ceu Subjectum Cauſæ Materialis ſimul peccare obſervatur. De uſu Extracti Colocynthidos & Trochiſcorum Alhandal, vid. M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obſervat.* 202.

Vel

℞. *Extr. Helleb. nigr.* ℈j.
*Martis cum Succo Pom.* gr. xij.
*Troch. Alhand.* gr. ij.
Cum *Eſſ. Fumar.* f. Pilulæ:
D. S. ut ſuprà.

Vel

℞. *Extr. Helleb. nigri*,
*Mercurii dulc.* an. ℈j.
*Mag. Jalapp.* gr. vj.
Cum *Gummi Amm. in Acet. ſol.* f. Pilulæ:
D. S. ut ſuprà.

Vel

℞. *Aquæ Menth.* ℥j.
*Extr. Martis liquid.* ʒß.
*Helleb. nigri* ℈j.
*Troch. Alhand.* gr. i.
*Syr. de Pom. Reg. Sapor.* ℥ß.
M. S.
Potio Purgans.

Vel

℞. *Aquæ Menthæ* ℥j.
*Gumm. Ammoniaci Acet. ſol.* ℈i. vel ʒß.
*Tartari vitriolat.* ℈ß.
*Extr. Troch. Alhand.* gr. j.
*Syr. de Pom. Reg. Sap.* ℥ß.
M. S. ut antè.

Vel

℞. *Aquæ Menth.* ℥j.
*Extr. Helleb. nigri* gr. xv.
*Troch. Alhand.* gr. i.
*Scamm. ſulphurat.* gr. ij.
*Syr. Roſar.* ℥ß.
M. S. ut antè.

Vel Radix Hellebori nigri cum Foliis Sennæ infundantur in Aquâ Florum Hyperici & Anagallidis rubræ, vel in Vino, acuantur cum Sale Tartari: Liquor colatus appropriatum, & egregium erit Purgans Melancholicum in principio ad Deliria: e. g.

℞. *Fol. Senn. ſine ſtipit.* ʒij. ad iii.
*Rad. Polypod.* ʒiii. ad ℥ß.
*Helleb. nigr.* ʒi. ad ʒij.
*Sal. Tartari* ℈j. ad ʒß. vel *Crem. Tartari* ʒß. ad ℈ij.

Stent in Infuſione per noctem in loco calido cum ſ. q. *Aquæ ſimplicis*, vel *Anagallidis*, *Florum Hyperici*, &c. aut *Seri Lactis depurati*: mane, factâ unâ aut altera ebullitione, coletur:

*Colat.* ℥iii. adde
*Aquæ Cinnam.* ʒiß.
*Syr. de Pom.* ʒiii. vel ℥ß. ad ʒvj.
M. S.
Potio Purgans pro unâ vice.

Item poſſunt fieri *Noduli* Vino infundendi ex Appropriatis ad imitationem Hartmanni *cap.* 5. *§.* 7.

Vel

℞. *Paſſul. min. cont.* ℥iij.
*Fol. Senn. ſine ſtipit.* ʒvj.
*Cinnam. el.* ʒij.
*Caryophyll.* ʒiß.
*Crem. Tartari* ʒiij.

Contuſa includantur Nodulo, & infundantur in *Aquæ ſimplicis* ℔iii. ſtent per noctem in digeſtione.

Convenit etiam Vinum Helleboratum *Quercetani*, quod videb. *in Pharmacop.* Eſt convenientiſſimum Laxativum Melancholicorum. Item Tartarus vitriolatus ad grana iv. vel v. propinatus eſt etiam conveniens. Præparandi modus proſtat in Schroederi *Pharmac.* vel cum Stimulo blando acuatur.

℞. *Gumm. Ammoniaci cum Aceto ſol.* gr. v.
*Tartari vitriolat.* gr. iii.
*Extr. Aloës gumm.* g. ij.
Cum *Eſſ. Gum. Amm.* f. Pilulæ:
D. S.
Pilulæ Purgantes.

Poſt Helleborata ſunt imprimis *Sennata*; eadem tamen nunquam ſine Stimulo tartareo præſcribenda: e. g.

℞. *Paſſul. min. contuſ.* ℥iij.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ*;
*Colaturæ* ℔iij. infunde
*Fol. Senn. ſine ſtipit.* ʒvj.
*Cinnamom.* ʒij.
*Caryophyll.* ʒiß.
*Crem. Tartari* ʒiij.

Stent in loco calido per noctem Vaſe probè clauſo, mane coletur.

D. S.

Potio Laxativa.

Doſis ℥iij. vel iv. & Alvus blandè laxatur.

Loco horum conveniunt etiam pro Scopo Laxativo Maſſa Pilularum de Ammoniaco *Quercetani*, Maſſa Pilularum Tartarearum *Quercetani*, Maſſa Pilularum de Fumariâ, item, quod rarius fit, de Lapide Lazuli, & Extractum Melanagogum *Quercetani*.

Purgantibus & Vomitoriis ſemper præmittantur *Digeſtiva*, *Abſorbentia Acidum*, imprimis *Martialia*: e. g.

℞. *Vitrioli Martis ritè par.*
*Terræ fol. Tartari* an. p. æqu.

Terantur in Mortario lapideo, ſub triturâ liqueſcit, hinc blando calore exſiccetur, & iterum teratur.

Doſis ℈j.

Vel Cremor Tartari & Vitriolum Martis ſolvantur in Aquâ fervidâ, & in Cryſtallos flaveſcentes coagulentur. Item convenit Tinctura Vitrioli Martis *Zvvelfferi*, Eſſentia Martis liquida, vel Liquor Martis ſolaris; vel Pulvis ex Cremore Tartâri & Sale Tartari:

Vel

℞. *Lapill. Cancr. præp.* ʒß.
*Corall. rub. præp.*
*Croc. Martis alterat.* an. ℈ß.
M. f. Pulvis.
div. in 2. part. S.
Pulvis Digeſtivus.

Vel

℞. *Matr. Perlar. præpar.* vel *Lapill. Cancr. præp.* ʒß.
*Arcan. duplicat.* ℈j.
*Salis Abſinth.* ℈ß.
M. f. Pulvis.
div. in 2. part.
D. S. ut antè.

Vel

℞. *Sal. Ammoniaci*,
*Salis Abſinth.*
*Lapill. Cancr. præp.* an. gr. xv.
*Laud. Opiat.* gr. ij. vel iij.
M. f. Pulvis pro duabus doſibus.
D. S.

Pulvis Digeſtivus pro duabus doſibus.

Vel convenit Potio digeſtiva in *Ideâ Formular. Claſſ.3.§.1.*

Quoad *Remedia Alterantia*: ea vel reſpiciunt *Acidum* corrigendum, vel *Craſin Sanguinis* emendandam, & per Urinam purificandam, & quaſi curandum Malum Hypochondriacum. Unde ex Simplicibus ſpecificè conveniunt omnia ea, quæ in Malo Hypochondriaco, & Melancholiâ Hypochondriacâ uſurpantur:quibus addenda ſimul *Splenetica Antiſcorbutica*. Et quidem Acidum corrigunt *Martialia, Saturnina, Coralliata*, aliaque Acidum abſorbentia: quibus addenda eſt Tinctura Lunæ vera. Sanguinem alterant, & per Urinam mundificant *Tartarea*; tam Fixa, quàm Volatilia urinoſa, aliàs contra Malum Hypochondriacum uſitata. Quibus tamen in ſpecie Vegetabilia temperata, aliàs *Cordialia* dicta, à Veteribus ceu Specifica contra Affectus Melãcholicos laudata: item *Splenetica* quælibet ſedulò addenda ſunt. Talia reverà temperando ſpecificum acidum in Melancholicis ſaporem operantur, ſuntque *Fumaria, Anagallis, Hypericum, Borrago, Bugloſſum, Poma dulcia*, præſertim *Borſdorffiana*, quæ ceu Alterativum ſpecificum ab omnibus Practicis laudantur, *Flores Tunicæ*, &c. in ſpecie *Crocus*, & *Camphora*, quæ immediatè agunt in Spiritus, & eorundem dyſcraſiam alterant.

*Martialia* quod attinet; convenit horum uſus pro Scopo alterandi in curſu Curæ, imprimis Infuſum Martis cum Succo Pomorum Borſdorffianorum, quod largiter propinatum eſt Specificum; item fiat Extractum Martis cum Succo Pomorum (Pomorum Succus cum Marte ſe ſaturat, & non fermentat, ſed liquor nigreſcit, & perquàm diu perſtat). Porrò omnes Croci Martis aperitivi, non ſaturati, item Tinctura Martis *Mynſichti*, Eſſentia Martis liquida, Tinctura Vitrioli Martis *Zvvelfferi*, Liquor Martis ſolaris à gutt. xx. ad xxx. mane Pulvis Cachecticus *Hartmanni*, & ſimilia, inter Alterantia in Deliriis Melancholicis primatum ducunt, & optimè conveniunt. Faciunt etiam huc *Acidulæ* Melancholicis optimæ: Sic Gabelchoverus *Centuriâ 2. Curat. 69.* refert Mulierem Melancholiâ Hypochondriacâ graviſſimè laborantem, per potum Acidularum curatam, ſed quæ ex Balneo eorum peſſimè habuit: Sicuti etiam Thermæ Melancholicis maxime nocent, Conf. Brunemannus *Conſ.5. de Melanchol. Hypochondr.* (T)

Poſt hæc quoque excellit *Saturnus*, & ejus imprimis Saccharum, quod frequenter uſurpatum doſi ℈j. egregium, & Specificum eſt in Melancholiâ imprimis Hypochondriacâ compeſcendâ, & ex hoc ipſo parata Tinctura cum Vitriolo Martis, aliàs Tinctura Antiphthiſica dicta. Loco hujus etiam Cryſtalli Mineræ Saturni cum Spiritu Nitri, Aceto acuato paratæ Specificæ ſunt in Maniâ, & reliquis Melancholiis. Loco harum, vel ſolum Saccharum Saturni ſingulariter convenit, quo ipſo Monachus quondam Italiæ omnes Maniacos, & Melancholicos curavit, propinando quotidie: Sanè Juvenem Philiatrum novi, per ſolum, & frequentiorem Saturni Sacchari uſum à Melancholiâ gravi Hypochondriacâ curatum. Metus, quod ſteriles reddat, eſt inanis.

Cognata ſunt Martialibus *Corallia rubra*, vel cruda, vel quæcunque ex iis parata, non ſaltem quòd Acidum ſimpliciter deſtruant, ſed & quòd Sulphur eorum contra Triſtitiam, Anxietatem, Melancholias, & Deliria, appropriatum ſit; unde tam in ſubſtantiâ propinari poſſunt, quàm in ſpecie eorundem Tincturæ veræ, quæ præmiſſis Univerſalibus, ſingulare quid obtinent in Deliriis Melancholicis, imprimis ſi reducantur ad ſtatum volatilitatis. Sed quia ejuſmodi Tincturæ ſunt raræ, uſurpetur loco harum Tinctura Coralliorum cum Spiritu Ligni Saſ. ſafras parata, item cum Spiritu Cordis Cervi, additâ Eſſentiâ Ambræ. Egregium enim Remedium eſt Tinctura Coralliorum cum Spiritu Cordis Cervi in Triſtitia, Anxietatibus Cordis, hujuſque Palpitatione, aliiſque Angnſtiis Melancholicis, ob Sulphur, ſimul etiam egregiè ad Phantaſmata Melancholica diſpellenda confert; ex. gr.

℞. *Tincturæ Corall. cum Spiritu Cord. Cervi*, vel *Roſar. par.* ℥j.
*Eſſ. Meliſſ.*
*Croci* an. ℈ß.
M. S.
Singularis Tinctura Coralliorum.

Vel *Eſſentia Fumariæ* miſta cum Tinctura Coralliorum antiſcorbutica eſt egregia.

Ad Lunaria ſpectat *Tinctura Lunæ* vera, non cœrulea, quæ omnis eſt impoſtoria, & tantùm eſt Tinctura Veneris cum Lunâ imprægnata. Sine Venere enim Tinctura Lunæ colorem cœruleum nunquam repræſentat: ſed Luna puriſſima aliquoties cum Saturno optimè purificetur: ita emergit hinc Tinctura ex rubro obſcuri coloris (vid. Bartholini *Actor.Med. Haffnienſ. Volum.* 1.) in Melancholicis Deliriis præmiſſis præmittendis ceu appropriatum Alterativum eſt optima: vel harum loco Magiſterium Lunæ, ob id à quibuſdam, Germ. *das Narren Pulver* dictum, (videatur Rolfinckii *Chymic. ſub titulo Lunæ*): Fatui enim reſtituuntur beneficio hujus Medicamenti. Prodeſt cum aliis Abſorbentibus miſceri, v.g. Coralliis rubris præparatis, aliàs ingratum habet ſaporem, Vomitus, & Nauſeam concitat. Item *Aqua Cephalica*, in qua extinguitur Luna cum Sulphure calcinata, extinguendo eandem ab omni calcinatione, in Affectibus Melancholicis præſtans eſt.

Maximè quoque à quibuſdam laudatur *Lapis Lazuli*, tanquam ſingulare Remedium ad Affectus Melancholicos, tam in formâ Pulveris ad imitationem Hartmanni propinatus, quàm ſub formâ Tincturæ Smaragdinæ cum Spiritu Vini, & Spiritu Urinæ. Verùm Lapis hic ſanè eſt Concretum Hermaphroditicum, participat itidem de Lunâ, & Venere, unde in quibuſdam non ritè præparatus facit Vomitus. Ratione ergò Lunæ Affectui Melancholico ſuccurrit, unde paretur ita, ut eliciatur ſaltem vis Lunaris, relictâ ſubſtantiâ Venereâ, & pro uſu ſervetur; ſic enim habebitur appropriatum Specificum, alterans Cauſam peccantem. Doſis à guttis xij. ad xx. Miſcetur commodè cum Eſſentia Anagallidis compoſita, hoc modo:

℞. *Eſſentiæ Anagall. compoſ.* ℥iij.
*Tincturæ Lap. Lazuli* ℥j.
M. S.
Eſſentia Cephalica, & Splenetica.
Doſis 40. vel 50. Guttæ.

Ratione hujus Lapidis *Confectionem Alchermes* optimè convenire ad Melancholiam, præmiſſis Medicamentis Hypochondriacis, dicunt; maxima tamen vis dependet *ab Ambrâ*, quæ confortat Melancholicos, hinc etiam uſurpari poteſt Eſſentia Ambræ.

Juxta hæc inter Alterantia appropriata eminet ſpeciatim *Arcanũ duplicatũ Mynſichti*, quod eſt egregiũ in

(T) Nota Cyrilli. *Ad Delirii Melancholici Curationem, non tam* Balnea Acidularum, & Aquarum Thermalium *prodeſſe vidimus, quam* Balnea Aquæ Dulcis *ad longum tempus adhibita: quarum ope & repetita* Sanguinis miſſione *hujus generis Deliria potius, quàm aliis Remediis ſedata ſæpiſſimè obſervavimus.*

in omnibus Delirus Melancholicis, & mihi frequentis usûs Medicamentum: hinc quoque Nitrum Antimoniatum in ſpecie cum Camphorâ.

Inſuper ex *Regno Vegetabili* quædam Temperata afferuntur. Præ cæteris *Tartarus*, & *Tartarea* quælibet ſunt optima, ſive pro Scopo Digeſtivo Humorum in primis viis uſurpentur, ſive pro Scopo Alterativo, & Diuretico: hinc Cremor Tartari, Tartarus vitriolatus, Cremor Tartari, miſtus cum Salibus aliis lixivialibus, in ſpecie cum Sale Abſinthii, cum Sale Fraxini, item cum ana Salis Tartari, eſt egregium Digeſtivum in Affectibus Melancholicis. Imprimis conveniunt *Volatilia*, quæ vi diureticâ, & Acidi deſtructivâ Melancholicos juvant: Talia ſunt imprimis Spiritus, & Sal Tartari volatile, Tinctura Tartari, aut etiam Spiritus Vini tartariſatus. Paratur Spiritus Tartari volatilis ex Tartaro diverſimodè, & optimus eſt in Affectibus Melancholicis. His præfero Spiritum Carminativum ex Nitro, Tartaro, Spiritu Vini, &c. qui eſt convenientiſſimus, dum in Paroxyſmo Hypochondriaco, & Melancholiâ, gravior Mœſtitia, Anguſtiæ, & Anxietates Cordis, Palpitationes ejus, &c. graviùs urgent: in tali caſu, præter Coralliata, Spiritus hic Carminativus eſt optimus à ʒß. ad ʒj. propinatus, nunc ſolitarius, nunc Spiritui Salis Ammoniaci ſociatus; in cujus locum Tinctura Nephritica compoſita, ſeu Clyſſus urinoſus ſubſtitui poteſt. Pertinet huc etiam *Liquor Tartari diaphoreticus cum Succis Dn. D. Rhefeldii*, qui ita ſe habet:

℞. *Succ. expreſſ. Piperit.* ℥iv.
*Cochlear.*
*Raphani mar.*
*Naſturtii aquat.*
*hortenſ.* an. ℥j.

Dictis addit
*Spirit. Tartari probè rectif.* ℔j.

Miſta hæc omnia, & digeſta aliquandiu, deſtillat aliquoties lento igne in Mariæ Balneo.

Doſis à ʒij. ad ℥ß. optimè conferens pro Scopo alterandi in quacunque Melancholiâ, præſertim Hypochondriacâ, non minùs, quàm in aliis Melancholiæ ſpeciebus; ſic enim vel per Sudorem, vel Urinam operatur.

Remedia ex *Borragine*, *Bugloſſâ*, *Fumaria*, & ſimilibus, quæcunque eorum Alterantia appropriata per ſe nota ſunt, & ſpeciatim in largiori doſi pro Vehiculo reliquorum inſerviunt. In ſpecie tamen *Fumaria* præ cæteris eſt utilis, & omnia ex Fumariâ parata Remedia; Unde Eſſentia Fumariæ compoſita noſtra pro Scopo alterandi optimè convenit, ſi miſceatur cum Eſſentiâ, ſeu Tincturâ Martis liquidâ; ex. gr.

℞. *Eſſ. Fumar. compoſ.* ʒiij.
*Tincturæ Martis liquid.* ʒij.
*Eſſent. Croci* ʒj.
M. D. S.

Eſſentia Cephalica, & Splenetica, pro unâ doſi 50. guttæ.

Uſurpatur ter in die.

Vel

℞. *Eſſ. Martis liquid.* ʒij.
*Fumar. compoſ.*
*Croci* an. ʒj.
*Camph.* gr. v.
M. S. ut antè.

Doſ. 30. vel 40. guttæ.

Vel in formâ Noduli.

℞. *Herb. Scolopendr.* M. ij.
*Fumar.* M. iß.
*Flor. Borrag.*
*Bugloſſ.* an. M. j.
*Tunic.*
*Violar.* an. M. ß.
*Cort. Tamar.*
*Fraxini* an. ʒvj.
*Rad. Polypod.* vel *Enulæ.*
*Limat. Martis* an. ʒj.
*Cinnam.* ʒij.

Inciſa, & contuſa includ. Nodulo:

D. S.

Nodulus ad Vinum.

Poſt Fumariam *Succus Pomorum Borsdorffianorum* depuratus, vel etiam omnia *ex Pomis* parata Remedia, verbi gratiâ Syrupus de Pomis, Extractum Martis cum Succo Pomorum diutiùs continuandum, vel ſolitarium, vel camphoratum, interponendo interdum uſum Spiritûs Salis Ammoniaci; Extractum granorum Chermes cum Succo Pomorum ex Hartmanno, & ſimilia, item Extractum, & Syrupus de Succo Borraginis, item Bugloſſæ, à Veteribus laudantur in majori doſi, & crebriùs uſurpantur, Eſſentia Splenetica, Medicamenta quæcunque ex Lupulo, & ſimilia. Apud Rhodium *Centuriâ 1. Obſerv.* 44. Juſculis Cichoraceis in primâ menſâ hauſtis Melancholia Hypochondriaca profligata fuit. Sed hæc ſunt clara ex Curâ Mali Hypochondriaci. Eminent quoque *Anagallis flore phœniceo*, quæ communiter dicitur German. *Vernunffts Kraut*, & hinc *Hypericon*: Hæc enim duo mirè conferunt contra Phantaſmata melancholica, ſive tantùm coquantur in Aquâ appropriatâ, & propinentur, ſive fiat Eſſentia & Tinctura compoſita: quô pertinet Tinctura Hyperici *Mynſichti*; quæ ad Deliria Melancholica, & Maniaca ab eodem commendatur, quotidie bis, vel ter uſurpata; item Eſſentia Anagallidis compoſita *D. Michaëlis*, quæ ad 50. vel 60. guttas bis in die ſumatur: Tinctura Hyperici *Mynſichti* datur pro doſi ad aliquot Cochlearia. *Satyrium*, ejuſque Conſerva, item Eſſentia Satyrii magnam vim habet Mœrores, & Triſtitias pellendi, inquiunt Authores, ſed obſervetur in uſu, ne ſit Melancholia Erotica, ſeu ex Amore, utpote quam potiùs aggravat. Eſſentia, & Conſerva cum aliis miſta conducit. *Helenium* miram vim ad Spiritus excitandos habere Rondeletius *Prax. lib. 1. cap. 9.* dicit, *Crocus* præ reliquis ſingulare quid obtinet, & optimum eſt Simplex ad Affectus Melancholicos cum, & ſine Delirio diſpellendos: nam inſigniter convenit ad volatiliſandos, & ſubtiliſandos Spiritus, utut occultâ narcoticâ vi eos figat; hinc Hartmannus *in Praxi Chymiatr.* meritò commendat Eſſentiam Croci cum Aquâ Vitis deſtillatâ paratam; cui tamen meritò præfert Lindanus Croci Eſſentiam cum Aquâ Betulæ, menſe Martio ex ſurculis profluente paratam, utpote cùm dicta Aqua Betulæ per ſe ſit egregia pro ſcopo alterativo Humorum, & diuretico in Melancholiis, ſive ſit Aqua deſtillata Betulæ, ſive per fermentationem purificata, & ita propinata. *Eſſentia Croci Summa Cordis lætitia* à Paracelſo vocatur, cùm ſimul habeat vim ſudoriferam, & pro ſcopo afficiendi Spiritus mirè convenit; unde etiam Lindanus meritò etiam Syrupum ex Succo Borraginis, cui Crocus additus ſit, in præſentibus Affectibus ſingulariter commendat. Siquidem, & externè Crocus in Nodulo circa ſcrobiculum Cordis appenſus egregiè convenit ad Triſtitiam, Mœſtitiam, & Angorem Melancholicorum curandum, uti Borellus *Cent. 2. Obſerv. 99.* de Muliere Melancholicâ continuò mœſtante, geſtatione Croci ſuper Cor curatâ, refert. Melius tamen eſt, quod ſoleo facere, ut *Croco* huic addatur *Camphora*, & appendatur dicto loco, quia eſt optima. Stoeckerus *in Praxi* inſigniter commendat in Affectibus Melancholicis hanc Aquam deſtillatam.

℞. *Florum Anthos*,
*Borrag.*

*Bugloſſ.* an. ℥v.
*Croci* ʒj.
*Mal. Coton.* ℥iv.
*Vini albi gener.* ℔ij.
Miſta digerantur per 15. dies, & deſtillentur.

Aqua propinetur ad ʒj. quam jubet aſſervandam tanquam pupillam Oculi. Sed an tantæ ſit efficaciæ, neſcio, & ferè dubito. Datur, uti dico, in Affectibus Melancholicis ad ʒj. ſubinde repetendo.

Croco non cedit *Camphora*, & ejus Eſſentia, quæ uti ſingulariſſima eſt in Maniâ, & omnium optimè conducit: ita etiam in reliquis Deliriorum Melancholicorum ſpeciebus, tam internè cum Saccharo Saturni, vel Arcano duplicato permiſta, quàm cum Croci ʒj. *Noduli* formâ ſuſpenſa, & aliquamdiu geſtata. Exemplum novi in quodam Amico, qui Terroribus ſubinde affligitur, & hoc ipſo Amuleto egregiè levatur. In formâ quoque *Epithematis* externè Capiti applicari poteſt, quando deliri conqueruntur de perturbatione Capitis, v.g. hoc modo:

℞. *Aquæ Flor. Sambuc.*
*Hyper.* an. ʒiß.
adde
*Camph.* gr.vj. vel ix.
M. f. Epithema: *S.*
Epithema Externum.

Quod applicatur Fronti, & Temporibus, & benè confert.

Internè non adhibeatur, niſi præmiſſis præmittendis, exempli gratiâ.

℞. *Pulv. Cachect. Hartm.* ʒj.
*Corall. rubr. præp.* ʒß.
*Camph.* gr.xv.
M.
div. in 3. part. æqual.
D. S.

Singularis Pulvis Cephalicus, & Spleneticus. Quarum una pars capiatur omni mane.

℞. *Arcan. dupl. Mynſ.* gr.xxiv. vel ʒß.
*Corall. rub. præp.* vel *Mag. Corall. cum Succo Citri* ϑj. vel gr.xxiv.
*Camph.* gr.iv.
M. f. Pulvis pro duabus doſibus.
D. S. ut antè. Vel
℞. *Arcan. dupl.* ʒß.
*Sacch. Saturni* gr.xij. ad ϑj.
*Camph.* gr. vj. vel *Laud. Op.* gr.iv.
Miſc. pro duabus doſibus.
D. S. ut ſuprà.

Capiantur mane & veſperi, repetantur aliquoties, in ſpecie veſperi tempore Somni; nam Camphora Melancholicos diſponit ad Somnum.

℞. *Mag. Corall.* cum *Succ. Citri*, vel *Corall. rubr. præp.* gr.xij. ad xv.
*Sacch. Saturni* gr.viij.
*Camph.* gr.iij.
M. f. Pulvis.
D. S.
Pulvis veſperi ſumendus.

Vel omiſsâ Camphorâ addatur *Laud. Opiat.* gr.ij. vel *Extr. Croci* gr.v.

℞. *Sacch. Saturni* gr.v. vj. ad ix.
*Laud. Opiat.* gr. ij.
*Ol. deſt. Camph.* gutt.iij.
M. f. Pilulæ: *S.*
Pilulæ ante Somnum ſumendæ.

Capiantur tempore Somni.

℞. *Extr. Martis* cum *Succ. Pom.* ϑj. ad ʒß.
*Camph.* gr.ii. vel iij.
M. f. Bolus pro unâ vice.
D. S.
Bolus veſpertinus pro unâ vice.

Vel

℞. *Aquæ Borrag.* ℥j.
*Arcan. duplic.* ϑj.
*Mag. Corall.* cum *Succ. Citri* ϑß.
*Camph.* gr.iij.
*Syr. Borrag.* ʒß.
M. S.
Potio veſpertina pro unâ vice.

Vel

℞. *Aquæ Anagall.*
*Borrag.*
*Flor. Hyperic.* an. ʒj.
*Arcan. duplic.* ϑij.
*Sacch. Saturni* ϑj.
*Camph.* gr.vj.
*Syr. Borrag. crocat.* ʒj.
M. S.
Potio Cephalica, & Splenetica cochleatim ſumenda. Capiat inde Æger pro lubitu.

℞. *Aquæ Anagall.*
*Meliſſ.* an. ʒiß.
*Arcan. duplic.* ʒß.
*Spec. Dia-Saturni Mynſ.* ϑj.
*Camph.* gr.v.
*Syr. Flor. Borrag.* vel *Meliſſ.* an. ʒß.
M. S. ut antè.

Vel

℞. *Aquæ Anagall.*
*Flor. Hiperic.*
*Cordial. Herc. Saxon. frig.* an. ʒj.
*Eſſ. Enul.* vel *Fumar. compoſ.* ʒii. vel iij.
*Croci* ʒj.
*Tinct. Corall.* cum *Spir. Cord. Cerv.* ʒiß.
*Eſſ. Ambræ* gutt.xv. ad ϑj.
*Camph.* gr.vj. vel *Spiritûs Vini camph.* ʒiß.
*Syr. de Canell.* vel *Flor. Tunicæ*, vel *Borrag.* ʒj.
M. S.
Potio Confortativa pro aliquot vicibus.
Subinde uſurpanda ad Cochl. i. vel etiam ii.

Semper *Camphora* Medicamentis Alterantibus pro Affectibus Melancholicis & Maniacis addenda venit; Camphora enim immediatè Spirituum Animalium vitiatam Craſin alterat; cùmque tota nil aliud ſit, quàm Sal oleoſum, hinc conſequenter ſociabilis eſt Spiritibus, internè & externè uſurpata.

Interdum pro *Scopo Sudorifero* convenit præter Miſturam Simplicem imprimis *Spiritus Salis Ammoniaci volatilis*, qui ad Curam Mali Hypochondriaci, & Melancholiæ eſt optimus, imprimis ſi miſceatur cum Spiritûs Carminativi ana; vel pro *Scopo Diuretico.*

℞. *Spir. Sal. Ammoniaci* ʒij.
*Liqu. Terræ fol. Tart.* ʒiii. ad ℥ß.
M. S.
Eſſentia Splenem aperiens.
Doſis gutt. xxx. ad l.

Hiſce Elixir Proprietatis *Sennerti* cum Succis paratum, Tinctura Coralliorum cum Spiritu Cordis Cervi, Spiritus & Salia volatilia, pro circumſtantiarum ratione etiam accenſenda ſunt.

Ubi *Phlogoſes* frequentiores adſunt, ac *Æſtuationas* vagæ, item ubi Humorum alteratione & per Urinam evacuatione magis indigemus, Arcanum duplicatum, nunc ſolitarium, nunc aliis ſociatum, eſt optimum. Sanè hujus uſu Agrypniam Melancholicis nonnihil emendari, fuit obſervatum.

Denique pro *Scopo Analeptico*, unâ cum laudabili *Diætâ*, convenit Eſſentia Meliſſæ, Eſſentia Corticum Citri, vel Corticum Aurantiorum, Elixir Citri, Tinctura Solis cum Oleo Cinnamomi *Mynſichti*, Tinctura Coralliorum, Eſſentia Helenii, & ſimiles. Uſurpari etiam poteſt in Paroxyſmo Melancholico *Opiata Antimelancholica* Timæi *von Guldenklee*, quam

quam mirè commendat in Paroxysmo. Compositio est hæc non inelegans :

℞. *Conf. de Hyacinth.* ℥j.
*Alkermes* ℥ß.
*Lap. Bezoar.* ʒj.
*Smaragd. præp.* ʒij.
*Corn. Alcis sine igne* ʒj.
*Mag. Succin. albi* ]
*Perlar.* ] potiùs *præp.* an. ʒj.
*Corall. rub.* ]
*Spiritûs Rosar.*
*Rubi Idæi*,
*Lil. convall.* an. gutt. xiij.
*Syr. Flor. Pæon.* q. s.
M. f. Electuarium.

Assumatur in Aquâ appropriatâ à ʒß. ad ʒj.

In *Diætâ Serum Lactis* tam simplex quàm medicatum ; & alia *Lacticinia* dentur, nisi quid obstet. Item Remedia *ex Pomis*, imprimis Borsdorffianis, Vinum ex Passulis cum Succo Pomorum Borsdorffianorum fermentatis, & denique omnia Alimenta rore nutritio turgida, minùs squalida , & minùs arida, conveniunt, ut jam *suprà notatum*. Nam benè edunt Melancholici ; si non appetant, malum signum est. In specie *Vinum generosum* præmissis præmittendis mirè convenit Melancholicis, si præprimis Mœrore quasi succumbant , utpote quod Spiritus excitat, Lætitiam quandam conciliat, Animum exhilarat, & simul Somnum inducit, modò non in nimiâ dosi capiatur , ne Phlogoses excitentur ; & quandiu hæ urgent, ab illo abstinendum. Egregium Vini usum in Affectibus Melancholicis videb. approbatum à Gabelchovero *Cent. 3. Curat. 18. in Schol.* & Thonerus *lib. 2. Obser. 3.* refert, quòd quidam Melancholicus in summo gradu haustu Vini tandem revocatus & ita curatus fuerit.

Ut res Exemplis fiat clarior :

*Sacerdos Melancholicus* accipiebat primò Syrupum Emeticum duabus vicibus, hinc Liquoris Martis solaris ℥ß. dosi xx. ad xxx. guttas omni mane :

℞. *Sacch. Saturni* ʒiß.
*Laud. Opiat.*
*Camph.* an. gr. viij.
Miscebantur pro 4. dosibus vespertinis.
Item
℞. *Arcan. dupl.* ʒij.
*Corall. rub. præp.* ʒj.
*Camph.* ʒß.
Misc. pro 6. dosibus vespertinis.

Item interposito blando Laxativo ex Tartaro vitriolato Scammonio præparato & Trochiscis Alhandal, continuavit ante meridiem Solutionem Martis cum Succo Pomorum : à meridie verò

℞. *Arcan. dupl.* ʒij.
*Camph.* gr. xv.
*Sacch. Saturn.* ʒij. ad ʒß.
Miscendo pro 8. dosibus.

Finem Curæ tandem Spiritus Salis Ammoniaci aliquamdiu continuatus absolvere solet.

*Alium Melancholicum*, qui sibi violentam manum injecerat, simili ferè modo curavi.

Primò ordinavi jam dictos sex Pulveres ex Arcano duplicato, Coralliis rubris præparatis, & Camphorâ; de quibus quotidie binas doses capiebat, mane & vesperi. Hinc exhibui Syrupi Emetici ʒvj. cum levamine: sed manebat anxius, & multum bibebat. Hinc usurpabat Liquorem Martis solaris, dosi xx. ad xxx. guttas omni mane ; appetente verò nocte

℞. *Sacc. Saturni* ʒj.
*Laud. Opiat.* gr. ij.
*Camph.* gr. ij.
Misc. pro dosi, sub introitu lecti.

Post tres dies repetii *Vomitorium* sequens :

℞. *Tartari Emet.* ʒß.
*vitriolat.* gr. viij.
Misc.

Assumebat cum egregio levamine.

Post continuavit mane Liquorem Martis solaris, & à meridie octo illos Pulveres Sacerdoti Melancholico præscriptos, ex Arcano duplicato, Saccharo Saturni, & Camphorâ ; & sic continuando & Alvum servando apertam, restitutus fuit.

*Puerpera*, cujus Mater in Puerperio sæpiùs delira Melancholica fuerat, cùm omnia in Partu rectè se habuissent, nihilo minùs decimo quarto die Puerperii fiebat Melancholica, & hinc tantumnon Maniaca. Hisce verò curata fuit: Applicabatur Clyster Carminans : hinc

℞. *Solut. Martis* cum *Succo Pom.* ʒiij.
*Ess. Croci* ʒj.
Misc.
Dosis 40. vel 50. gutt.

Continuavit per triduum : Sed cùm die quarto ferè fieret Maniaca :

℞. *Tartari Emet. Mynsi.* gr. vj.

Dabam mane ; quo benè operante placida reddebatur ; hinc

℞. *Arcan. duplicat.* gr. xv.
*Sacch. Saturni* gr. v.
*Camph.* gr. iij.
Miscendo pro Pulvere.

Capiebat horâ quintâ vespertinâ. Sub introitu verò lecti præscribebam :

℞. *Sacch. Saturni* gr. v.
*Laud. Opiat.* gr. ij.
*Ol. dest. Camph.* q. s. pro Pilulis.

Quarum usu cum multò meliùs habuisset, continuavit adhuc Essentiam Martialem superiorem. Sed cùm aliquot abhinc diebus supervenirent *Pathemata* quædam *Hysterica*, injiciebatur idem Clyster Carminans, & assumebat cochleatim sequentem *Potionem* :

℞. *Aquæ Meliss.*
*Hirund.* cum *Castor.*
*Menth.* an. ʒj.
*Spiritûs Sal. Ammoniaci* ʒj.
*Cochlear.* ʒß.
*Camph.* gr. v.
*Syr. de Cort. Aurant.* ℥ß.
M. f. Potio.

Cùm verò Alvus non benè responderet, purgabatur leniter per Decoctum Sennæ cum Cremore Tartari; hinc continuabatur eadem Solutio Martis, sed cum Spiritu Vini camphorato mista. Cùm hinc optimè se haberet, & saltem de Capitis perturbatione adhuc conquereretur, præscribebam sequens *Epithema* :

℞. *Aquæ Flor. Sambuc.*
*Hyperic.* an. ℥iß.
*Camph.* gr. vj.
Miscendo pro Epithemate.

Aliquoties Fronti applicando, & ita convaluit.

*Externè* , præter *suprà dictum* Epithema Camphoratum, & Nodulum ex Camphorâ & Croco Emplastrum ex Tacamahacâ Capiti raso applicatum commendatur ab Hœchstettero *Dec. 9. pagin.* 319. Alii

℞. *Tacamahac.*
*Gumm. Carann.*
*Animæ* an. p. æq.

Ex his liquefactis faciunt Emplastrum simili modo applicandum.

Sed non opus est : Sufficit *Tacamahaca* , quæ egregii usûs ad Deliria Melancholica. D. Scholzius in M. A. N. C. *Anno 3. Observat. 157. Species* sequentes tanquam expertissimas in Melancholiâ à Fastu commendat :

℞. *Herb. Beton.*

*Verben.*

*Verben.*
*Flor. Chamom.*
*Salviæ*,
*Sambuci*,
*Roriſmar.*
*Nymph.* an. p.ij.
*Sem. Fœnic.*
*Nigell. præp.*
*Coriand. præp.*
*Anethi* an. 3ß.

Conciſa groſſo modo miſceantur & ſubigantur cum *Farinâ* & *Aquâ*, fiat lege Artis *Panis*, qui reſciſsa inferiore cruſta, parumque excavata medulla, inſtar Mitræ calidè Capiti impoſitus fuit.

Quòd ſi junctum ſit Splenis vitium, præter Interna Saturnina, *Emplaſtrum de Nicotianâ* Splenis regioni applicatum convenit.

Quòd ſi *Phlogoſes* frequentiores adſint, aut Caput nimis æſtuet, ita ut Mania metuatur, obſervavi Limum recentem cum Aceto ſubactum, plantis Pedum & Cervici applicatum, nonnihil prodeſſe, renovando ſubinde, nam fortiter adhæret, ita ut vi avellendus ſit.

## MEMBRUM III.

### *De Mania.*

ABſolvimus Deliria Melancholica. Supereſt verò adhuc *ſummus Deliriorum Melancholicorum gradus*, & magis crudelis ſpecies, ex eo, quia Homines omninò quaſi in Bruta tranſmutantur; eſtque iſta Melancholia, quæ aliàs *μανία* dicitur Græcis, Latinis *Inſania*, Germanis *die Raſerey oder die unſinnigkeit*, quæ tale eſt *abſque Febre Delirium*; (utut Maniacum quoque Febris corripere poſſit), quo correpti Ægri Melancholici *cum inſigni Furore & Audaciâ*, depoſito omni pudore, & exuta quaſi omni Ratione in tantum, non in totum, planè feroces redduntur, ita ut, quæcunque objecta aggrediuntur, eadem diffringant & lacerent, multa abſurda loquantur & faciant, cum inſigni Furore ſæviant in alios, etiam in ſe ipſos, adeò ut quoſcunque Homines obviam venientes verberibus malè mulctent, & impediti gravioribus contumeliis & conviciis eoſdem laceſſant, ita ut ob Furorem & quæcunque perpetrandi Audaciam, Catenis ſubinde devinciendi & arctè incarcerandi ſint Ægri, & ſi ſui juris ſunt, interdum aufugiunt, quin & ſeſe, niſi defendantur, nonnunquam jugulant aut ſuſpendunt, & horrenda peragunt. Pertinaciſſimè vigilant, ita ut Fernelius referat, quendam Maniacum per quatuordecim menſes inſomnem fuiſſe.

In iis Deliriis Maniacis verò obſervandæ ſunt tres circumſtantiæ: nempe *Furor*, *Robur*, & *Frigoris tolerantia* mirabilis. Imprimis conſiderabilis eſt *Furor* iſte, quo tales Ægri quæcunque perpetrare audent, qui tamen Furor inſignis & hæc apparens *Audacia* non eſt planè abſque aliquali Meticuloſitate & abſque Timore interno, imprimis erga Cuſtodes ſuos. Nam ſi Furioſi aut Maniaci aliquem metuentem, vel pavidum vident, in eum audaces promptè irruunt; ſed ſi audacem & conſtantem quem vident, eundem formidant, quin &, ſi ab aliquo aliquando verberibus excepti fuerint Maniaci, eundem admodùm metuunt, &, quacunque ratione poſſunt, fugiunt. Audaciæ huic, vel potiùs Temeritati, conjunctum eſt inſigne, & tantumnon ſtupendum in Maniacis *Robur*, cùm validiſſima ferramenta diffringant & disjiciant, & quæcunque obvia ſubitò conterant & devaſtent: Sic Benivenius obſervat Nutricem maniacam, quæ Dentibus quæcunque obvia commi-nuit, & etiam validiſſima diffregit. Conf. Bartholinus *Cent. 2. Hiſtor. 69.* Hoc Robur eſt ſtupendum, ut ſubinde tres robuſti Viri unum Maniacum non poſſint retinere. Quod ipſum tamen non adeò proprium eſt ſolis Maniacis, quin & interdum in graviori febrili quaſi Phrenetico Delirio obſervetur; quale Exemplum refert Panarollus *Pent. 4. Obſervat. 49.* ubi quidam Phreneticus in vigore Febris cancellos ferreos, ac ſi cerei eſſent, tractavit, & pondera ingentia facillimè elevavit, qui tamen tranſacto Morbo (nempe Febris & Phrenitidis) vigore adeò imbecillis fuit, ut vix ſurgere potuiſſet. Aliàs tamen in Maniacis Robur ordinariò obſervatur. A Phrenitide hinc Maniaci diſtinguuntur, quòd nulla iis adſit Febris prægreſſa, nullum ſignum graviter affecti Capitis aut Cerebri. Cum Dæmoniacis quidem ſubinde confunduntur: ſed in hoc fere differre obſervantur, quòd hi ſæpiùs per Vomitum Ferramenta, Crines, aliaque inconſuera ſoleant rejicere, id quod ſaltem in Veneficiis contingere ſolet. Accedit his tertium notatu & conſideratione dignum in Maniacis, inſignis nempe *Frigoris*, etiam intenſiſſimi, *tolerantia*. Ut plurimùm enim Maniaci omnes veſtes lacerant, & inde etiam in gelu hyberno ita jacent, aut per vias ambulant, idque ſæpe membris nudis, aut ſolo induſio amictis, ſine ullâ Corporis exinde contracta læſione. Sic Lindanus refert, vidiſſe ſe Amſtelodami Gallum quendam Maniacum in ergaſtulo, qui nudus in intenſiſſimo Frigore hyberno ſolo induſio amictus incedebat, quandiu nempe Furor perduravit, quique accedente Paroxyſmo Caput Antliæ ſubmittens, Aquam frigidiſſimam capite excipiens, levamen ſentiebat. Quô etiam facit Exemplum Foreſti *lib. 10. Obſervat. 22.* de Muliere Maniaca, quæ in Hyeme nuda in lecto jacens, Corpus tamen habuit admodum calidum, ubique rorido Sudore perfuſum. Hoc ipſum fit partim ex ſtatu Maſſæ Sanguineæ, quæ intus vitioſè exæſtuat, partim verò ex eo, quòd Maniaci in Furore conſtituti vim Frigoris minùs ſentiunt atque percipiunt. Hoc ipſum tamen, nempe tolerantia Frigoris, ut plurimum equidem adeſt in Maniacis, non tamen ſemper, nec in omnibus obſervatur, ſed tantum ut plurimum: Interdum enim obſervati fuerunt Maniaci Veſtibus contecti, aut Veſtes ſub gelu hyberno poſtulantes & de Frigore conquerentes; quale Exemplum Riverius *in Obſervat.* habet. Quô etiam facit Obſervatio rariſſima Plateri *lib. Obſervat. pag. 82.* de quodam Maniaco, qui Hyeme, Frigore intenſiſſimo periit, & mane congelatus inventus eſt. Interdum quidem, ſed rarò, conqueruntur de Frigore, quod, ſi accidit, bonum ſignum eſt.

## CAUSÆ.

His ita de Mania affectis prælibatis, accedo ad Cauſas. Quod ergò attinet *Cauſas Maniæ*: arbitror Deliria Maniaca non differe radicaliter à reliquis Melancholiis, & Deliriorum Melancholicorum ſpeciebus, ſed ſaltem Circumſtantiis quibuſdam obſervabilibus, ob Craſin Spirituum Animalium plùs minùs læſam. Nam quòd non differant in radice, patet, quòd nonnunquam ambo hæc inter ſe tranſmutentur, cùm videamus, quòd Mania Confabulationes & Cantus, ſimiliaque Hilaritatis Phænomena, nonnunquam interjecta habeat, & Melancholicos fieri Maniacos, & Melancholicos ſubinde manere, qui ante fuerant Maniaci: quô imprimis pertinet obſervatu digniſſima Obſervatio Riverio à Fomio *communicata* 32. de Maniâ graviſſimâ poſt quælibet extrema Remedia, nempe Arteriotomiam, perſiſtente in Juvene, quæ tandem Caſtratione fuerit curata, ita tamen, ut per Caſtrationem ceſsârit iſta Mania, & remanſe-

rit

rit Delirium Melancholicum. Multum habet in receſſu hæc Obſervatio. Conf. etiam Loſſius *lib.* 1. *Obſervat.* 23. Sicuti econtrà non rarò Melancholici mœſti & triſtes, aut aliàs deliri, interdum in Maniacos planè exacerbantur & tranſeunt: imò Maniæ Paroxyſmi cum Melancholico Delirio alternare ſolent, hocque illius gradus tantùm remiſſior videtur: Unde etiam Mania, non ſecus ac aliæ Melancholiæ ſpecies, iiſdem omninò Remediis, eademque medendi Methodo, curari ſolent, ſaltem quòd in Maniâ Remedia in majori doſi adhibeantur. Nempe, ut loquitur Lindanus, in Melancholiâ Sanguis frigidus & ſiccus, in Maniâ calidus & ſiccus, h. e. textura talis eſt Sanguinis aſperior, minuſque ſucculenta nutritiva, ut utrobiq; dominetur *Acidum*, ſed mitius & fixius in Melancholicis, acrius & ſubtilius in Maniacis. Eſt nempe Mania talis Melancholiæ ſpecies, quæ cum ſumma Moroſitate & omnium objectorum Tædio, adeòque facili Iracundia, eâque ſubinde intensâ, conjuncta eſt: uti enim obſervantur Melancholiæ cum Triſtitia, uti dantur Melancholiæ cum Riſu, cum Cantilenis, cum Amore; ita ſimili ratione datur Melancholia cum intensâ Iracundiâ ſeu Furore, quæ eſt noſtra Mania. Hoc ut fiat clarius, conſideremus ſaltem Hominem aliàs ſanum & rectâ ratione utentem, ſummè tamen & admodùm iracundum; aut ſaltem conſideremus Ebrium ad Iram provocatum: (nam quibuſdam Ebriis in more poſitum eſt, ut inſigniter incandeſcant) in quibus Sanguinis ſtatus & motus Turgeſcentiam febrilem; Spirituum verò alteratio & impetus eorum ſub Mania conſtitutionem ferè repræſentat. In tali caſu, præſertim Ebrii, conſiderate actiones, & videbitis in his ipſis quandam Maniam Naturalem. Quæ enim non aggrediuntur, & quæ non perpetrant tales Ebrii? Mirandum, quantâ Audaciâ inſtructi ſint, & omnia tentent, & quantum caleat ſubinde eorum Corpus. Similiter, ſi in Melancholia ex quacunque Causâ, ſubinde ex Irritatione externâ, aut ex poſitu Aſtrorum, aut ex internâ Maſſæ Sanguineæ auctâ nonnihil Fermentatione, & tunc Acido Melancholico volatiliſato magis aſſurgunt affectus Iracundiæ, perfectum habebitis Maniacum. Nam omnis Iracundus ſolet eſſe robuſtior, quàm quando eſt Animo pacato, & Ratio inepta eſt regimini Spirituum Animalium in Ebrietate admodùm forocientium. Ipſi Melancholici ordinariò ſunt moroſi, facileque ad Iram provocari poſſunt; unde etiam Melancholici facilè ad verbera prorumpunt: quô facile fit, ut aucta in iis Moroſitate, & inde natâ Iracundiâ, in Maniam degenerent. Cùm ergò in radice & eſſentiâ conveniant Melancholia & Mania, dum hæc, ſedato Spirituum impetu & fervore, v. g. per Caſtrationem, in Melancholiam degeneret, illa verò concitato Spirituum jam malè conſtitutorum impetu in Maniam aſſurgat; ſequitur, Differentiam harum proximè in Spiritibus Animalibus eorumque Conſtitutione & Motu conſiſtere; qui in Conſtitutione Melancholicâ quidem alterati, obſcuriores & fixiores exiſtunt, & quaſi ad acetoſam naturam accedunt; acerrimi, & Aquæ Forti ſeu Stygiæ analogi quodammodò fiunt in Maniacis; ut pluribus hoc deducit Williſius *de Animâ Brutor. Part.* 2. *cap.* 12. quâ acri volatili Acidit te illorum extraordinaria iſta Coloris in toto Corpore impreſſio, & hinc Frigoris tolerantia. Verùm ſicut in omni Irato & Iracundo eſt quædam Exæſtuatio & Agitatio extraordinaria Maſſæ Sanguineæ, unde etiam totum eorum Corpus Calore plùs minùs exceſſivo percipitur perfuſum; ita in Maniacis & ipſa Maſſa Sanguinea, unde generantur tales Spiritus, craſſa quidem & ſpiſſa, plùs tamen ſolito agitata, ſub rapido circulo movetur, & à Spirituum conſortio vehementiorem concipit Æſtum, quàm naturaliter: id quod manifeſtatur partim *per Pulſum*, partim *per Reſpirationem*: Nam Pulſus in Maniacis eſt plenus, frequens, & ſatis magnus; Reſpiratio ipſa eſt frequens, alta, & ſatis magna. Ipſe verò Sanguis Venæ ſectione emiſſus, obſervatus fuit à Lindano craſſus, ſpiſſus, & intensè calidus, ita tamen ater, ut Atramenti ſpeciem retulerit. Et ita in Maniacis Maſſa Sanguinea Acido quidem vitioſo abundante turget, volatiliori tamen & faciliùs mobili, unde inteſtino Motu fermentativò intenſiùs agitata ſimul plùs ſolito vehementiorem concipit Calorem, indeque Corpus calidum & Frigoris tolerabile redditur, quin etiam iiſdem, ut Iracundis, Audacia ex Spiritibus nonnihil velociùs motis intenſa conciliatur.

Vulgò juxta Galenum *à Temperie Cerebri calidâ & ſiccâ*, ſeu *atrâ Bile*, hoc eſt, *Melancholia aduſta*, derivant Maniam, quam Riverius *lib.* 1. *Prax. cap.* 13. rejicit: Hanc autem atram Bilem ex Pathologicis præſuppono nil aliud eſſe, quàm vitioſum Acidum efferveſcendo exaſperatum, ac ita quodammodò volatiliſatum & acrius redditum. Ab hoc enim vitioſo, ſed admodùm acuto, Acore Humor Atrabilarius aquæ & terræ injectus efferveſcere & ebullire, vel fermentare Veteribus dicitur: Unde etiam facilè in Melancholicis ac Maniacis vitioſus Acor inductâ Efferveſcentiâ exaſperari & volatiliſari poteſt, ut ita majorem & intenſiorem acquirat gradum, quem etiam atram Bilem appellant. Vid. Williſius *de Anima Brutorum loc. all.*

*Cauſa* ergò Maniæ cum Delirii Melancholici Causâ eadem eſt; ſcilicet *Cauſa Proxima*, eaque *Formalis*, conſiſtit in *Spiritibus Animalibus*, quoad Craſin ſuam & Motum plùs minùs vitiatis, & quaſi acidulis: *Cauſa Proxima Materialis* & *Remota* verò quærenda eſt in *Maſſâ Sanguineâ acidâ*, ut vocant, *atrabilariâ*, minùs ſpirituaſcente, vitio primarum viarum, imprimis Stomachi, Inteſtini Duodeni, & Viſcerum inferiorum in Hypochondriis; unde cum Melancholiâ in fundamento convenit. Videantur, quæ *ſuprà Memb.* 2. de Cauſis Melancholiæ dicta ſunt. *Spiritus Animales quod attinet*; hi degenerant penitus à Craſi ſeminali naturali & ſulphureo-ſalino-volatili, cùm ex Sanguinis Dyſcraſiâ acidâ inquinati generentur ipſi Spiritus Vitales & Animales quidem, ſubtiles ſatis & agiles in ſuo genere, ſed acres, ſalini & quaſi ſulphureo-acidi, indeque nimis mobiles, & in motibus ſuis ordinariis minùs coërcibiles, hinc acrimoniâ ſuâ hinc inde penetrantes, & in continuo motu exiſtentes, ratione quorum Maniaci ſemper irrequieti & inſomnes ſunt. Iidem ſunt acriores & ſulphureo-acidi, dum prorumpunt, ſenſum quendam Caloris in iiſdem excitant, ut externum Frigus percipere non ſoleant; quibus adjungitur ſimul aliqualis Sanguinis Exæſtuatio. Quin etiam iſti Spiritus acriores ad Partes delati & irruentes, iiſdem tam validum Robur conciliant, ut ſub motu Partes quaſi rigidæ & ſemi-convulſæ appareant, unde tantum Robur obtinent.

*Cauſa Remota*, ut dixi, hæret in Dyſcraſiâ Maſſæ Sanguineæ. Hinc eſt, quod dicant, oriri *ex Conſtitutione atrabilari*: unde *in radice conveniunt Melancholia & Mania*: *Illic* peccat vitioſum Acidum in Hypochondriis; *hîc* idem, ſed exaſperatum, adeòque acrius redditum. *Cauſæ* igitur *remotiores* ſunt ferè eædem, quæ reliquarum Melancholiarum, ita ut, quoad Cauſas Internas remotas, ad primas vias, & Viſcera Hypochondriaca, eorumque Functiones, nunc immediatè nunc mediatè vitiatas, ſemper reſpectus habendus ſit: V. g. *Excretio Sanguinis ſolennis ſuppreſſa*, in ſpecie Hæmorrhoidum, Menſtruorum, Lochiorum, &c. in iis, qui inclinant ad Habitum Melancholicum, uti Melancholiam, ita interdum etiam Maniam inducit, quod Foreſtus *lib.* 10. *Obſervat.* 24.

vat.24. teſtatur: Sic ex Hæmorrhoidibus ſuppreſſis Maniam notat Zacutus Luſitanus *lib.1. Prax. Admir. Obſervat.51.* Sic etiam *ex Ulcere* intempeſtivè clauſo orta Mania obſervata fuit: ſed aperto rurſus Ulcere Æger convaluit. In ſpecie Ulcerum antiquorum *& Varicum* curationem & occluſionem inſequitur Mania; ſicut Varices & Ulcera ſponte exorta Maniam non rarò ſolvunt: nam hoc jam ſatis de Mario, antiquo Romano, conſtat,quòd ex occluſione Varicum in Cruribus fuerit redditus Maniacus:ſicuti econtrà Hippocrates *ſect. 6. Aphor.21.* inquit: Si Inſanis Varices & Hæmorrhoides ſuperveniant, ſolutionem fieri Maniæ. Facit huc, quod refert Foreſtus *l.10. Obſ.24.* de Puellâ, quæ poſt Ulcus in Crure inveteratum nimis citò curatum, & propter menſtruam Purgationem longè ſuppreſſam, in Maniam incidit, quæ poſtmodùm curata fuit, & reſtituta ſectâ Saphenâ Menſtruis fluentibus. Item Henricus *ab* Heer *Obſerv.14.* recenſet Furorem in Puerperâ ob malè tractatas Mammas, in quibus Mammis, apertis Puſtulis & evacuato Pure, omnis Mania omninò ceſſavit. Subinde etiam Febres Ardentes acutæ, Pleuritides & Epilepſiæ diuturnæ in Maniam ſubinde degenerant: Sic enim Henricus *ab* Heer *Obſerv.3.* obſervat Inſaniam poſt Febrem Acutam ex Melancholiâ contractam: & poſt Quartanas diuturnas ſingularis quædam Maniæ ſpecies ſingulariter quoque tractanda, vid. in Sydenham *Obſervat. de Morb. Acut. pag.* 112. Sic poſt Variolas Maniam natam videbitis in M.A.N.C. *Ann.6.& 7.Obſervat.93. pag.133.* Pariter Melancholico & Maniaco Delirio communes exiſtunt graves Animi Affectus. *Seminis retentiones* diuturnas Maniam inducere, probat Furor uterinus: De *Hæreditatis Charactere* res aliàs nota eſt.

Quoad *Cauſas Externas*: in ſpecie *Venena nonnulla Narcotica* aſſumpta vim habent ſpecialiter inducendi Maniam, ſeu potiùs Affectum quendam Maniæ ſimilem: Sic Bartholetus *de Reſpir. lib. 5. cap.3. pag.405.* refert: *Radicem Solani furioſi infuſam Vino, Amico ſemel propinari vidi, qui poſt ejus hauſtum ita extra rationis liram emotus eſt,ut delirans extra feneſtram magnâ vi ſe dejicere tentaverit, quem illico Vomitus Citri ſucco & frigido Potu excitatus in rectam rationem reduxit: Idem* etiam vidit Hyoſcyami nigri Semen certâ doſi datum jurgioſam & contumelioſam effeciſſe Stultitiam: Ex eſu Napelli Maniam lethalem notat Williſius *loc. cit.* Sed Differentias Maniæ à Medicamento extrinſecùs aſſumpto,ab eâ,quæ ab internâ oritur Causâ, idem Bartholetus *cit.loc.* refert. Nempe in illâ ſomnolenti Somnia concepta firmiter impreſſa effutiunt & ajunt, cùm in verâ Maniâ valdè vigilent, & quaſi cum ratione, inſaniant. Sic Cerebrum Felis comeſtum Maniacam Inſaniam inducere dicitur: vid. Salmuth *Cent.3. Obſervat.109.* In ſpecie *Philtra* ſubinde Juvenibus Manias vel Dementias potenter inducunt, ſpeciatim ſi parata ſunt cum Menſtruo muliebri, præſertim primo, ut refert Petræus *in Diſſ. Harmon.3. lib.1. §.16.* & confirmat Borellus *Cent.1.Obſerv.65.* ubi dicit,Theologum prope Urbem Caſtrenſem à Philtro Menſtruorum muliebrium, cum Leporis Sanguine in condimento ſumpto, in Maniam tantam incidiſſe, ut Patrem proprium occiderit. Veneni illius Remedium ſunt Margaritæ præparatæ. Sic Rulandus refert, à propinato per Veneficam Veneno quendam per ſexennium quotannis bis Epilepticum & Maniacum factum, tandem Evacuatione forti particulari per Sternutationem, & univerſali per Infuſionem Croci Metallorum, curatum fuiſſe. Jucundum eſt quòd Ruſticus Maniacus Sternutamento forti excitatus excretâ Eruca curatus fuit: vid. M.A.N.C. *Ann.4.& 5. Obſerv. 37.pag.35.* utut minùs propriè dicta Mania videatur. Dictum, inſignem eſſe Audaciam, Robur & ſimilia; hinc habentur à quibuſdam pro Dæmoniacis, pro quibus etiam habentur Epileptici ſecundi gradûs.

## DIAGNOSIS.

Quod attinet *Signa Maniarum*: Mania levi admodùm negotio cognoſci poteſt, cùm illa ſatis pateat.

*Imminentis* verò duo Signorum genera obſervantur; quorum alia *remotiora* ſunt, & diſpoſitionem tantùm ad hunc Morbum denotant; alia Affectum *proximè imminentem* indicant. Illa ſunt (1.) Ægri *Temperatura* Atrabilaria vulgò dicta: (2.) *Sexus*,ratione cujus Viri ad Maniam magis proclives ſunt Fœminis; niſi ex Utero & partibus Spermaticis tale quid contrahant: [3.] *Ætas* juvenilis præ ſenili: Propinquiora verò denuò obſervantur vel *Communiſſima*, vel *Communia*, vel *Propria*. *Communiſſima* Delirium in genere portendunt,ſcilicet Dolor & Gravitas Capitis aſſidua, Vigiliæ contumaces, aut Somni interrupti, Inſomnia turbulenta, & Aurium ſonitus. *Communia* Maniæ cum Moroſi & Melancholia obſervantur Curæ & Sollicitudines moleſtæ,ac Terrores ex levi causâ. *Propria* denique Maniæ Signa ſunt, quando Ægri continuò & multa abſurda loquuntur & faciunt, hiſque interjicitur Taciturnitas meditabunda, ſæviunt cum quodam Furore & Temeritate in obvios, & etiam in ſeipſos; adeò ut quoſcunque obvios unguibus & morſu inſtar Beſtiarum aggrediantur; quin & niſi prohibeantur, ſe ipſos interdum interimant, aut ſuſpendant, aut jugulum abſcindant. Præterea & pertinaciſſimè vigilant Maniaci, accedit Robur inſigne, tolerantia Frigoris &c. Oculi nonnullis ſanguinolenti, item torvi & truculenti conſpiciuntur, præceps & frequens Iracundia ex minima vel nulla juſta occaſione: Splendores Oculis obverſantes, proclivitas ad Venerem inconſueta, Pollutio nocturna frequentior, Riſus præter conſuetudinem & rationem, &c. Hæc ſunt Signa Maniæ.

Porrò cognoſcendum, quomodò *diſtinguatur Mania ab aliis Affectibus cognatis*? Et quidem *A Phrenitide* differt in eo,quòd nulla adſit Febris,nullumque Signum graviter affecti ipſius Cerebri, ut fit in Phrenitide. *A Dæmoniacis* verò diſtinguuntur Maniaci,cum quibus etiam interdum confunduntur, qui tunc tandem ſunt habendi pro Dæmoniacis, quando perpetrant talia, quæ ſuperant humanam potentiam, & in Natura non ſunt perpetrabilia, quando ſæpiùs per Medicamenta Vomitoria Ferramenta, fruſta Lignorum, Animalcula viva, aliaque in Corpore aliàs non reperibilia, aut non ingeſta anteà, ſolent rejicere; quod Dæmonis ope à Veneficis & Incantatoribus oriri ſolet.

Quid habendum ſit de iis, *qui in Deliriis peregrinâ Linguâ loquuntur*? res ardua eſt. Habentur communiter pro Dæmoniacis; quod tamen videtur magnum effatum; ſed potiùs aliquid naturale ſubeſt: Vid. Marcus Marci. Certè proſtant Obſervationes de Melancholicis, qui in Delirio plura calluerunt,quàm poſt Deliria. Vid. Schenckius *in Obſervationibus.*

## PROGNOSIS.

Quod attinet *Prognoſin*. Mania à Cauſis Internis excitata in genere eſt Malum admodùm diuturnum & curatu difficillimum; quod, etſi interdum per Menſes & Annos quoſdam remittat, ſubinde tamen Melancholiam poſt ſe relinquit, quæ facili ratione exaſperata, poſtmodùm novâ atrocia recurrit, & ſæpè ad Mortem uſque comitatur Ægros, imprimis ſi Melancholia & Mania fuerit hæreditaria: quæ Mania *Hæreditaria* ſemper eſt incurabilis, niſi palliativè, certis Anni temporibus reiterans.

Quæ

Quæ tamen Mania eſt *cum Riſu* & actionibus ridiculis, mitior eſt & tutior, quàm iſta; quæ eſt cum Temeritate & quadam Sævitiâ, nimio Furore & Audaciâ.

Porrò in Maniacis *ſi Alvus ſit ritè aperta*, & in ſpecie, ſi *Menſes & Hæmorrhoides* ordinario naturæ curſu fluant, bonum eſt Signum: ſi verò Maniæ ſuperveniat hujuſmodi Fluxûs ſuppreſſio, vel ſi ſub Maniâ ſupprimatur, pejor eſt; Mania enim degenerat interdum in alios Morbos.

Maniæ *per metaſtaſin ſuperveniens* Sudor, aut Alvi fluxus, aut Hæmorrhagia Narium, Hæmorrhoidum, Uteri, Dyſenteria, aut Hydrops, aut Tertiana, aut Quartana, aut Varices, aut Scabies & ſimilia, item alius quidam Morbus, præſertim Abdominis, Maniam terminat. Sola Dyſenteria ſæpiùs eſt funeſta, propter acerrimam Acrimoniam Humoris corrodentis Inteſtina, quæ ad Gangrænam terminat: Subinde tamen etiam in Hydropem terminaſſe obſervatum fuit; ſed periculoſum.

Dum intereunt Maniaci, Virium fatiſcentiam ex Vigiliis, Inediis, & continuo Motu ferè ad Vitæ terminum patiuntur.

## CURA.

In *Curâ* ante omnia opera danda eſt, ut *Furor mitigetur*, & eò facilius tractabiles fiant Inſani, pro Medicamentis meliùs adhibendis. Id quod optimè fit per *Venæ ſectiones* iteratas, & valida *Vomitoria*; quibus ſubjungenda ſunt *Appropriata* alterantia, dyſcraſiam Spirituum & Sanguinis emendantia. Spiritus imprimis reficiunt *Camphorata & Moſchata*, Sanguinem verò cæteroſque Humores *Martialia & Saturnina*, Somneris maritata; de cætero, ſi Paroxyſmus Furoris eſt ſedatus, ſimul obſervanda ſunt etiam ea, quæ *ſuprà Membro* 2. monui in Melancholicis.

Radix ergò Curationis conſiſtit in *Vomitoriis* validis & generoſiſſimis (*ſunt enim fortes, & equinæ naturæ*); quæ omnibus Maniacis, (ſi ab Animalibus venenatis demorſi & icti, excipiantur) non tantùm in principio, ſed Morbi etiam progreſſu, maximè proficua ſunt; non tantùm, quòd radicem Mali, ſive ab Aſſumptis ſive Diſpoſitione intrinſecâ illud fuerit, præſcindant, ſed quòd mites & tractabiles admodùm Ægros reddant, adeòque non tantùm Indicationi Præſervatoriæ, ſed Curatoriæ quoque ſatisfaciant, Spirituum efferationes aliquantùm ſupprimendo, hinc ad Venæ ſectionem aliorumque Remediorum admiſſionem diſponant. Veteres in hoc caſu, & primus Autor Hippocrates, *Helleboro albo* uſi fuerunt, cum felici ſucceſſu & optato cum eventu, vel quia ex Climatis ratione mitior his ipſis fuit, vel quia concinniùs ac nos præparare & propinare eundem noverunt: Nam apud nos violentum eſt Remedium, & quod vix, præterquàm in contumacioribus Melancholiis, & præſertim Maniis, locum inveniat. Facilè quidem nos poſſet terrere Geigerus *in Tr. de Microcoſm. Hypochondr. cap.* 23. qui refert, quendam Maniacum ex uſu Decocti Hellebori albi convulſum interiiſſe: id quod etiam Hippocrates *in Aphor.* obſervat, dum inquit: *Convulſio ab Helleboro lethalis.* Simile Exemplum recenſet Helmontius *Diſpenſ. Modern.* §. 50. Satis tamen tutum & ſpecificum Maniacorum eſt Remedium. Non igitur præſcribendum in Subjectis tenerioribus, v. g. Fœminis; ab eo enim abſtineant: vid. Simon Pauli *Quadr. Botan. pag.* 6. Scilicet juxta Benedictum Sylvaticum *Cent.* 1. *Obſer.* 53. vix unquam in ſubſtantiâ erit propinanda Radix hæc, ſed tantum ejus Infuſum cum Vino, primâ ſaltem vice illam infundendo, alterâ ſimul leviter ebulliendo, ac tertiâ diutiùs coquendo ac exprimendo: Hinc *Helleboriſmus Heurnii*, ſcilicet ejus Infuſum ſimplex cum Vino Hiſpanico aut Malvatico paratum. Felicem ejus uſum ſuadet Lindanus *ſuper Hartmann. in Prax. Chymiat.* per propriam experientiam confirmatus; hic enim refert Curam Melancholici per Helleborum album per ſe inſtitutam: Dicit nempe quòd pro ablatione Maniæ non cognoſcat gèneroſius Remedium, quàm Helleborum album & Oxymel helleboratum. Cum impetu ſurſum & deorſum evacuat, & Maniacos inſigniter curat. Præparandi modus Hellebori eſt hic:

℞. *Rad. Helleb. alb.* à ʒß. ad ʒj.
Coquitur in *Vino*, donec molleſcat: *Radix* ubi cocta eſt, eximatur, *Vinum* verò decoctionis abjiciatur; (non poteſt hanc præparationem ſatis laudare) *Radix* verò hæc ita præparata in aliud *Vinum* injicitur, & ita per noctem relinquitur, abſque coctione tamen, in loco calido; tunc mane hoc Vinum, vel ſine expreſſione, ſi minùs validum eſſe velimus, vel cum levi aut fortiori expreſſione, prout magis vel minùs validius expoſtuletur, propinatur.

Vires hujus Vini ſunt optimæ, nec unquam ſatis laudatæ. Doſis ſumma ʒj. quæ ſufficienter operabitur. De uſu hujus Vini Lindanus *in Colleg. ſuprà Hartmann.* refert: *Habui Virum juvenem viginti quinque annorum, qui adeò inſanus erat, ut benè munito cubiculo includeretur. Totum ferè pavimentum attollebat; Nam craſſo palo humi infixo alligatus erat catenâ in utroque pede & manibus, ſic nudus ſemper ambulabat. Hunc primâ vice cum adirem, nihil potui efficere, ſecundâ effeci, ut ignarus hauriret Vinum helleboratum ſupra dicto modo præparatum ad* ʒj. *unde fortiter purgabatur ἄνω καὶ κάτω. Prima hæc purgatio illum nonnihil laſſabat, ut tanquam mitis ovis redderetur: ſic conſtituto Venæ ſectionem adhibui, & eduxi magnam Sanguinis quantitatem, ferè* ʒxxx. *qui non grumeſcebat, fæculentus, ater & horridus adſpectu erat; unde ita laſſatus non quidem ampliùs adeò inſaniebat, nondum tamen animus conſtabat. Sequenti itaque* (nempe quarto) *die Vomitorium ex Helleboro reiteravi, quo egregiè vomuit multa & varia, ex quo planè quietus, querebatur de frigore, & poſtulabat veſtimenta, rogatus an tegi vellet? cubitum abiit. Hoc videns, altero die Venæ ſectionem, ſed parcam, iterum adhibui, & Sanguis erat melior. Hinc bonum Cibum præparare juſſi, Gallinas cum Endiviâ, &c. Hinc ſeptimo vel octavo die, tertiâ & ultimâ vice dedi præfatum Vomitorium ex Helleboro ad* ʒß. *unde iterum copioſiſſimè vomuit, nondum tamen Mens conſtabat. Ob id denique dedi Decoctum ſubtile in Vino in Diplomate* (nempe Mariæ Balneo) *factam, ne Vinum poſſit exſpirare, ex Radice Polypodii, Filicis, Scorzoneræ, cum Herbæ Endiviæ & Borraginis magnâ quantitate: cui Decocto bonam quantitatem Seminis Papaveris albi ſub finem decoctionis addidi, item Radicem Hellebori nigri ad* ʒiij. *pro ſcopo alterativo & laxativo. Hoc Decocto quotidie bis ter vel quater fuit expurgatus, & ſic illum curavi, & plures alios etiam Maniacos. Inter alia*, pergit, *Matronam quandam Leidenſem ſaltim bis reiterato dicto Vomitorio ex Helleboro curavi: In puncto Inſaniæ unum maximè obſervabile eſt: quia Spiritus ſunt in furibundo motu, com-*

*compescì debent, si fieri potest, per Opiata; sed non in formâ solidâ sed liquidâ: Et si hoc obtineas, ut obdormiscant, statim pòst cum apto Vomitorio est properandum. Quoties Somnum potui conciliare, feliciùs curavi, aliàs vix admittunt quicquam. Ego statim excessi modum in exhibendis Medicamentis generosissimis: nam non deducitur in actum à Spiritu, quia Spiritus defixus circa aliud objectum, cætera negligit.* Hæc Lindanus.

Aliàs loco hujus Helleborismi ad Maniam & reliquas Melancholias in usu etiam sunt *Infusa Vomitoria Antimonialia*, & dicit Lindanus quòd Aqua Benedicta antimonialis ipsi sit succedoria: sed vix semper sufficiunt, quia sunt nimis debilia, nisi Mercurium Vitæ excipere velimus. Ejusdem generis est Aurum Vitæ *Kegleri*, à Poterio & Fabro valdè commendatum; item Folia Asari; cuncta tamen in majore, quàm aliàs, dosi propinando, prout de Delirio Melancholico dictum: e. g.

℞. *Conf. Fol. Asar.* ʒj.
*Pulv. Rad. Asar.* ʒij.
*Merc. Vitæ* gr. j.
M. f. Bolus: S.
Bolus Emeticus pro una dosi.
Vel
℞. *Oxysacch. Emet. A. S.* ʒvj.
*Ext. Helleb. nig.* gr. ij.
M. S.
Succus Emeticus pro unâ vice.

Quæ tamen ubi sunt debiliora, ad Helleborum album confugiendum est. Et certè credo, esse optimam præparationem Hellebori albi ad imitandos Veteres in Affectibus Maniacis eradicandis. Si Antimonialia non sufficiunt, Infusum Rasuræ Unguium Humanorum est etiam validum, & Vomitoria Antimonialia superat.

Si in principio Morbi interdum *per inferiora fieri debeat Purgatio* seu evacuatio, usurpentur *superiùs Membro Anteced.* in Melancholiâ allegata, imprimis usurpetur *Helleborus niger*, qui secundùm Freitagium optimum in hoc Affectu Purgans est, ejusque Extractum, & Extractum Melanagogum *Quercetani*, item Syrupus de Helleboro nigro, & Oxymel Helleboratum *Gesneri*. Quibus semper addendus est stimulus validior ex Antimonio per inferiora purgante, aut ex Mercurio Vitæ laxativo, &c. cùm, secundum Paracelsum, appropriatum Purgans Melancholicorum sit Antimonium, uti heri dixi: e. g.

℞. *Ess. Helleb. nigr.* ʒiß.
*Anagall.* ʒ℈.
*Syr. Emet. Ang. S.* ℥ß.
M. S.
Succus Purgans.
Vel
℞. *Fol. Senn. sine stip.* ʒij.
*Rad. Helleb. nig. crud.* ʒiß.
*Flor. Hyperic.* p. ii.
*Terræ fol. Tartari* ʒß.
Infund. in s. q *Aquæ Anagall.* per noctem, mane ebull. & exprim. adde
*Syr. de Spinâ cervinâ* ʒiij.
M. S.
Potio Purgans pro unâ vice.

Post Purgationem validam *Venæ sectio* instituatur, eaque copiosa, & quidem sæpiùs reiteranda, uti anteà dictum ex Lindano; Nam interdum Empirici per solam Venæ sectionem curant Maniacos. Primò instituenda in Malleolo, postmodùm in Brachio & Fronte: vid. Sylvius & Riverius, Platerus *Tom.* 1. *cap.* 3. & Bartholetus *de Respir. lib.* 5. *cap.* 3. Sed non prius potest institui, quàm post Vomitoria, Paroxysmo curato, & Furore mitigato, propter intractabilitatem, tunc larga instituenda, quia optimè ferunt. Confirmat hoc Platerus *lib.* 1. *Observat. pag.* 80. de Muliere ob Mœrorem Maniaca, quæ ab Empirico in unâ septimana septuaginta Venæ sectionibus, diversis in locis institutis, fuit curata. Quamvis autem audax satis Remedium hoc fuerit, tamen Venæ sectio debitè administrata convenit. *Arteriotomiâ* quoque nonnullos Maniacos sanatos Marcus Aurelus Severinus *Angiolog. pag.* 45. & Panarollus *Pentec.* 1. *Observat.* 29. testantur. Spectant huc *Cauteria & Trepanationes Calvariæ*, ut Remedium tutissimum, ac utilissimum, à Sylvatico *l. a. Observat.* 59. & Hartmanno *Prax. pag.* 57. & 64. deprædicatum. Quarum tamen hæ secundùm Sylvaticum ad alteram tantùm laminam sunt adigendæ: confirmatque præter experientiam Severini *de Efficac. Chirurg. pag.* 54. Mercurialis *lib.* 1. *cap.* 16. & Glandorpius *Gazophylac. pag.* 110. Cauteriorum & Terebrationum vim Gordonius per Historiam Maniaci, qui quamdiu Vulnus & Fractura Cranii, quæ passus, aperta, benè se habuit; clauso verò Vulnere rediit ad pristinam Insaniam: Ut taceam eorum, quæ superiùs de Ulceribus clausis & apertis monita. Imò non tantùm Vertici, & Nuchæ, sed Brachiis & Cruribus quoque, Cauteria inusta magnæ efficaciæ observantur: vid. Epiphanius Ferdinandus *Hist.* 91. Rolfinckius *Meth. pag.* 413. & Glandorpius *l. a. Salivationem* quoque per Mercurium commendat Rolfinckius *lib.* 2. *Consil.* 8. eâque leviore quendam restitutum *Meth. Special. pag.* 590. testatur: quamvis circa applicationis rationem non levia existant dubia.

Quæ omnia interim dum fiunt & Vomitoria etiam repetita sunt, ejusmodi exhibeantur *Alterantia*, quæ Sanguinis, & Spirituum ferocem magis turgescentiam & efferum motum refrænant, varii generis à Practicis annotata, eaque vel Interna vel Externa. In principio hujus Morbi mox excedendus est modus solitus in exhibendis Remediis generosis, quia Spiritus Animales, quando occupati sunt in alio, vix adjuvant in actum deducere Medicamenta, ob id valida sunt propinanda, quæ fortiùs movent & stimulant. Mox ergò in principio Insaniæ pro effero Spirituum motu & efferveścentiâ Sanguinis auctâ compescendâ, unà cum Alterantibus *Opiata & Sulphura Mineralia*, *Fixa Anodyna* propinentur. Nam quò diuturnior fuerit Affectus, eò minùs Opiata juvant. Propinanda imprimis sunt in dosi satis validâ, aliàs nihil operantur. Et si hoc obtinemus, ut obdormiscant, statim pòst ad validum Vomitorium properandum; sic enim feliciter operatur. Nam dicit Lindanus: *Quoties potui Somnum conciliare, feliciter curavi, aliàs enim propter morositatem parum vel nihil admittunt.* De cætero, quod attinet reliqua Remedia Alterantia & Appropriata: conveniunt etiam hîc omnia ea, quæ aliàs *in Melancholiâ suprà l. a.* fuerunt laudata, in specie *Tartarea*, *Martialia* & *Saturnina*. Præterea etiam huc facit *Nitrum crudum* & omnia *Nitrata*, quæ studiosissimè usurpentur: singularem enim vim Sanguinis æstus & orgasmos domandi habent; in specie quidem *Nitrum antimoniatum* & *vitriolatum*, aut etiam Nitrum saltem purificatum, copiosiùs Cerevisiæ aut Potui ordinario, in mensurâ nempe unâ Potûs ℥ß. ad ℥j. injiciendum, & ita unà propinandum; Nam egregiè conducit Maniacis nimis furiosis.

Vel

℞. *Nitri depur.* ʒß.

*Camph.*

*Camph.* gr. viij.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis Caput confortans.
Vel
℞. *Nitri depur.* ℈ij.
*Laud. Opiat.* gr. ij.
M. f. Pulvis.
D. S. ut antè.

De Nitri efficaciâ res curiosa videtur: Nam notum est ex Casibus Timæi *von Guldenklee*, quòd aliquando curaverit Musicum salacissimum (qui propter intolerabilem salacitatem Castrationem postulavit) per continuum usum Nitri crudi. Porrò Juvenis maniacus ex Riverio per *Castrationem* fuit curatus. Cùm ergò Nitrum artificialiter castret, hoc effectu Maniacos feroces curare videtur.

Præmissis ita Universalibus & generosis, tandem & *Appropriata Specifica* sunt subjungenda, quæ inter tamen ex appropriatissimis Remediis est *Sanguis Asininus* arteriosus, prope Aures decrescente verno tempore (ultra annum non durat) vel linteo mundato excipiendo collectus, & ita exsiccatus, vel per se collectus, quando grumescit, qui in furno exsiccari patitur: Linteum tale longitudinis & latitudinis digitorum duorum, Cerevisiæ vel Vino, vel Aquæ fontanæ aut Anagallidis rubræ vel Hyperici vel Fumariæ infusum, maceratur tamdiu, donec Liquor contrahat colorem: qui cum forti expressione propinatus, & aliquoties repetitus, largo Sudore, præmissis reliquis, Maniacos curat. Quandoque etiam Pulvis istius Sanguinis exsiccati ad drachm. j. usurpatus in *Aquâ Anagallidis* simili Sudoris effectu Maniacos curat. Hartmannus *in Prax. Chymiatr. cap.* 3. *pag.* 55. Prævotius & alii meritò hunc *Sanguinem* commendant. Torpor nempe Asini sistit Furorem maniacum, *pigrescunt etenim Asinorum instar.*

Vel
℞. *Lint. Sangu. asinino tinct.* manûs longitudinem & latitud. æquans:
Infund. in s. q. *Aquæ Hyperic.*
Colat. ℥ij. adde
*Ess. Anagall.* ℥ß.
*Laud. Opiat. ferm.* gr. j.
M. S.
Singularis Potio Cephalica pro unâ vice.

Post Asini Sanguinem vix melius est Remedium, quàm *Anagallis flore phœniceo.* Hujus *Decocto* scilicet Quercetanus & Hartmannus gloriantur se mira præstitisse in Maniacis; quod etiam frequentiùs in usu fuit D. Michaelis, qui aliquando Sutoris Filium catenis alligatum, præmissis præmittendis, beneficio Essentiæ suæ Anagallidis compositæ restituit. Hinc est quod Anagallis hæc quibusdam dicatur *Salus Fatuorum*, Germanis *Vernunfft Kraut*, quia contra Maniam & etiam Veneficia seu Maleficia est adeò commendata, è qua Dn. D. Michaelis etiam præparavit Essentiam compositam cum Spiritu proprio: cui autem meritò præfertur Decoctum. Juxta Anagallidem porrò imprimis non minimam laudem meretur *Hypericon*, quacunque ratione usurpatum; unde etiam *Tinctura Hyperici composita Mynsichti* laudata est in Maniâ. Porrò *Fumaria*, *Nymphæa*, *Borrago*, *Melissa*, *Ceterach* & similia, cum Alimentis crebriùs usurpata, aut alio modo adhibita, pro Maniacis in usu sunt. Hinc est *Solanum tetraphyllon* seu Herba Paris, quæ 20. diebus continuis ad dimidii cochlearis quantitatem sumpta, ad Curam Maniæ laudatur, cujus etiam Baccas, Folia, Semen & Radicem pulverisatam Velschius *Observat.* 15. exhibet. Succus *Polypodii quercini* expressus in Mariæ Balneo digestus & clarificatus ad ℥iv. vel v. propinatus, nonnullis in usu est; maximè laudatur à Bartholeto *de Respirat. læsâ pag.* 412. ejus Decoctum compositum: e. g.

℞. *Herb. Paris cum Bacc.* M. ij.
*Anagall. purpur.*
*Flor. Hyperic.* an. M. j.
*Rad. Polypod. querc.* ℥j.
*Passul. min. contus.* ℥ij.
Coqu. in s. q. *Seri Lactis:*
Colat. ℔iij. adde
*Essent. Anagallid.* ℥iß.
Misc.

Hisce associanda simul studiosè Remedia Lunaria, superiùs insinuata. De *Foliis Buxi*, eorumque ad Maniam usu, vid. in Hartmanni *Prax. Chymiatr. cap.* 4. item Sennerto *ubi de Maniâ.* Aliquando enim cum ordinariâ Diæta hæcce Folia minutim incisa continuò ordinata, fuerunt egregia, licèt de his propriam Experientiam adhuc etiam neget prior; forsan tamen eorum vis est à blandâ Narcosi, qua Vegetabile hoc gaudet. De *Opiatis* res clara est, quòd etiam subinde in usum vocanda, & semper cum aliis miscenda, in specie quidem cum Medicamentis ex Anagallide & ex Hyperico: item Pilulæ ex Laudano Opiato & Camphorâ, vel cum Oleo Camphoræ quacunque ratione paratæ, crebriùs vespertino tempore, præmissis validis Vomitoriis, exhibitæ, egregiæ sunt pro Maniacis & Melancholicis. Ordinaria tamen dosis parùm præstat, quin dupla aut tripla dosis ferè conveniat. Quòd si eorum usu sequatur Somnus, res benè habet; si verò non, deteriùs ferè habent Ægri, cùm turbulenti magis ac morosi exinde fieri soleant. Propterea benè, præsertim per Alcali, correctum saltem usurpetur Opium; præsertim Pilulæ ex Laudano Opiato cum Oleo Camphoræ singularissimæ sunt ad Curam Maniæ. Serum Lactis denique pro Potu frequentiori largiter concedi potest Maniacis ceu optimum Alterativum, nunc simplex, nunc medicatum imprimis confert. Essentia Anagallidis, Essentia Fumariæ, seu Fumaria Sero Lactis infusa, Essentia Croci, Essentia Hyperici, & ex his parata varia Composita, Spiritus Secundinæ humanæ, Tinctura Coralliorum cum Spiritu Cordis Cervi, & aliæ Coralliorum Tincturæ, hîc admodùm commendantur. Riverius ceu Specificum in Illustri quâdam Familiâ Secretum hoc dicit esse *in suâ Praxi.*

℞. *Fol. Melissæ* M. j.
Quæ minutim incisa, infundit
*Spiritûs Vini* ℥iv.
& addit
*Margarit. præp.* ℥ß.
Dosis sunt cochlearia ij. quotidie repetendo.

*Arcanum Sanguinis humani* commendat Faber *Curat.* 1. Nec Saccharum Saturni, item Crystalli Mineræ Saturni, & Balsamus Saturni, inefficaciâ planè hoc in passu observantur.

His omnibus semper *Camphora* est addenda, de qua modò dixi, & singularissima est in Maniacorum Curâ internè, & externè, & multum habet in recessu. Ex Paracelso ab Hartmanno, & Jonstonio admodùm laudatur hujusmodi Mistura, tanquam Remedium Paracelsi expertum Maniacum:

℞. *Ol. Camphor.* ℥j.
*Musci* ℥ß. ad ℥j.
Misce, & administra qualibet vice ℥ß.

Et mirabiliter Maniam extinguere dicitur à Paracelso, id quod pariter, & alii Authores confirmant.

Quid autem per hoc *Oleum Muſci* intelligat, omnes ignorant; unde vel Camphora in ſubſtantiâ à ℈ß. vel ℈ij. & hujus Oleum ad guttas viij. vel xij. propinatum ſufficit, præprimis ſi Opio connubant. Confirmat hoc Prævotius, qui dicit: *Oleum Camphoræ cum Bolo deſtillatum* (non eſt verum Oleum, ſed affusâ Aquâ ſtatim regeneratur Camphora) ad ℈ß. ſi propinetur, mirabiliter Furorem maniacum intra aliquot horas ſiſtere. Quò etiam facit *Miſtura Fabri in ſuâ Pathologiâ*, quam ceu potentiſſimam ad curandam Maniam commendat, hoc modo:

℞. *Olei Camph.* ſaltem *per diſſolut.* ʒß.
*Eſſ. Saturni* gr. x.
*Martis* gutt. vj.
Miſc.

& cum Aquâ appropriatâ, vel, ut vult Langius, cum Aquâ Spermatis Ranarum, internè propinetur.

Sic quoque cum Saccharo Saturni, vel Arcano duplicato *Mynſichti* propinari poteſt. Sanè Camphora immediatè videtur agere in Spiritus, eorumque dyſcraſiam, ac motum efficaciter corrigere.

Nec tantùm internè, ſed etiam *externè Camphora* utiliſſima eſt Maniacis, Capiti applicata, uti hoc conſtat ex Epithemate ex Sale Prunellæ, & Camphorâ Riverii *Praxi lib.* 1. *cap.* 13. Hinc enim ad Capitis perturbationem ſiſtendam,

℞. *Aquæ Flor. Samb.*
*Hyperic.* an. ʒiß.
*Camph.* gr. vj. ad ix.

Miſc. pro Epithemate, crebrò Capiti applicando.

D. S.

Externum Epithema circa Caput.

Vel ad imitationem Hillerii *in ſuis Obſervat.* ubi ad Maniam commendat ablutionem Temporum tali Liquore.

℞. *Spiritûs Vini* ʒiiß.
in quo diſſolve
*Camph.* ʒß.
Miſc.

Huic *Spir. Vini* imponit Nodulum ex *Opii* ℈ij. & *Moſchi* gr. iv.

Hoc ipſo Liquore Tempora frequenter illinenda, Nodulus verò ſubinde odorandus eſt, ad extinguendum Furorem maniacum, & blandum Somnum conciliandum.

Pertinet huc Experimentum Penoti, cui etiam adſtipulatur Cluſius, quibus mirè ſiſti Phreneticos, & Maniacos aſſerunt, applicando, præmiſſis Univerſalibus:

℞. *Moſchi* gr. xii.
*Camph.* ℈j.
*Aquæ Roſar. rubr.* cum *Tinct. Santali rubri impregn.* ʒxv.

Miſta probè & Capiti deraſo cum Linteis multiplicatis, Temporibus, & per omnes Suturas applicentur; ubi Linteum iterum ſiccatum fuerit, de novo humectetur, & applicetur, & ita per 24. horas continuetur:

Conf. Riverius *loc. all. cap.* 11.

Vel

℞. *Ungu. Somnifer.* ʒij.
*Ol. deſtill. Camph.* ℈j.
*Moſchi* ℈ß.
*Croci* gr. viij.
Miſc. pro Linimento: S.

Unguentum Cephalicum.

Capiti, & Temporibus etiam Sacculus ex Baccis Lauri, Hellebori nigri, cum Decocto Herbarum Cephalicarum admovendus, modo illo quem Hartmannus *Prax. pag.* 56. deſcribit:

Item

℞. *Nitri* ʒj.
*Camph.* ℈j.

Miſc. cum *Aquâ Nymph.* juxta Riverium.

Aliàs etiam in Maniâ commendatum eſt externè Epithema Rulandi, quod *Curat. lib.* 1. *pag.* 24. deſcribit: & Thonerus *in Obſerv. pag.* 260. commendat tanquam à ſe maximè expertum:

℞. *Aq. Roſar.* vel *Succi Cancr. fluviat.* ʒx.
*Opii* ʒß.
*Croci* ℈ß.

M. pro Epithemate, Fronti, & Temporibus admovendo.

*Aqua Spermatis Ranarum* erit melior loco Aquæ Roſarum. *Excellens eſt Epithema hoc, cujus uſu non ſemel ad ſe redierunt Maniaci*, dicit Foreſtus *lib.* 5. *Conſil.* 10. *pag.* 260. Camphora addenda foret. Nam in Capitis perturbationibus melancholicis, & quaſi maniacis ſimplex hoc Epithema aliquoties cum fructu applicavi:

℞. *Sem. Papav. alb.* ʒiij.
*Aq. Flor. Nymph.* vel *Samb. Verben.* vel *Flor. Hyper.* an. ʒiß.
f. Emulſio:
adde
*Camph.* gr. ix. ℈ß. ad gr. xij.

M. pro Epithemate aliquoties applicando.

Quin, & ſolus Succus Cancrorum fluviatilium expreſſus inſtar Epithematis applicatur:

Vel

℞. *Nucl. Perſic.* ʒß.
*Sem. Papav. albi* ʒij.
Cum ſ. q. *Succ. Cancr. fluv.*
f. Emulſio:
adde
*Camph.* gr. xji.
*Opii* gr. vj.

M. S.

Epithema Externum.

Aut ipſi Cancri viventes contuſi inſtar Cataplaſmatis appoſiti Fronti, ac Temporibus expertum eſſe Remedium, unà cum aliis in Maniâ, & Phrenitide dicitur, modò perferant Ægri. Sanè retulit mihi quidam, ſe per hoc ipſum Servum ſuum Maniacum ſolum ferè curaſſe. Non minùs quàm *Decoctum Muſci tectorum* Fronti applicatum admodùm commendatur ad Curam Maniæ, ſed obſervetur, quòd cautè applicandum ſit, & non niſi urgente ſummâ neceſſitate. Omnia Epithemata, præmiſſis præmittendis, dum nempe Furor maniacus fuerit mitigatus, applicentur.

Porrò *Cerebrum Canum*, imprimis juniorum commendatur à quibuſdam inſigniter. Exemplum Maniarum curatarum per Cerebrum Canis coctum videbitis in Sennerto *lib.* 1. *Prax. cap. de Maniâ pag.* 421. Alii tale præparant Remedium:

℞. *Catellos adhuc lactantes* ætatis 7., vel 8. dierum.

Ex his capiunt Cerebrum, iſtud deſtillant per ſe: Aquam deſtillatam ſpirituoſam imbibunt cum *Vitriolo*, & ita per Retortam deſtillant, & poſtmodùm rectificant.

Doſis eſt ℈i. Quo quatuor Maniaci curati dicuntur.

Loco Liquoris Cerebri Canis quidam commendant *Liquorem Cerebri humani.*

Tandem etiam nonnunquam obſervatum eſt, *Immerſione ſubitaneâ* in Aquam frigidam, vel Fluvium Maniacos reſtitutos eſſe, præmiſſis præmittendis, quod non ita abſurdum videtur. Alii aquam tepidam, alii frigidam volunt, ſive dulcis, ſive ſalſa fuerit: vid. Benedictus Sylvaticus

*Cen-*

*Centuria* 1. *Obſerv.* 54. & Faber *Myrothec. Spagyr. Curat.* 5. & 8. Verùm non tam Balneatio ſimplex, quàm improviſa in Aquam demiſſio, & hinc orta Formido, ſeu Terror, effectum deſideratum præſtat, ſimili ferè ratione, atque Rabidi curari ſolent; id quod Experientiâ crebriori confirmatus ſuadet Helmontius *Tract. Demens Idea* §. 49. Conferri etiam poteſt Borrichius *de Hermet. Medic. pag.* 168. In pavore Mortis enim fiunt placidi, & tremuli, & Phantaſma Mortis in aliud mutatur: Nempe Furorem maniacum ſubita Alteratio ex inducto graviſſimo Terrore extinguit, ſed tamen Melancholia adhuc remanet.

## ARTICULUS IV.

### *De Deliriis à Cauſa Externâ.*

HÆc fuerunt ferè Deliria, quæ ab Internis oriuntur Cauſis, ſive cum, ſive ſine Febre. Sequuntur jam ea *Deliria à Cauſâ Externâ*: quæ ipſæ Cauſæ Externæ ſingulari virtute Spiritus Animales determinant, adeo ut ex iis lædatur Imaginatio, ac ſubinde ſtupenda, & miranda inducantur Deliria. Hæc ſunt *duplicia*: vel

1. *A Morſu Animalium* iratorum, & in ſpecie *rabidorum*: vel
2. *Ab Aſſumptis* malignis narcoticis.

*Illic Rabies*, & *Hydrophobia*, hîc *Philtra* ſunt conſideranda.

## MEMBRUM I.

### *De Rabie.*

HÆc inter præ cæteris eminet, præter *Vegetabilia Narcotica*, (à quibus inducta Deliria præmiſſo Vomitu optimè *Acidis*, ut Aceto, Succo Citri, &c. cum & ſine Caſtoreo, profligantur, *Morſus Animalium* rabidorum, ac venenatorum, in ſpecie *Morſus Canis*, ceu frequentiſſimus, unde *Delirium Rabioſum*, ſeu *Rabies* oritur, in ſpecie mirabile adjunctum Symptoma, *Hydrophobia*. *Rabies* autem eſt talis Affectus, in quo ipſo ſimul Homo planè rabioſus redditur, & omninò in mores brutales tranſmutari videtur, ut nihil ferè humani apud ſe retineat, quin Homo rabioſus exactè illius mores, geſtus, &c. referat, à quo rabido demorſus fuerit.

Frequens imprimis eſt *Canina Rabies*, excitata à Morſu Canum rabidorum, cùm præ reliquis Brutis Canes frequenter rabidi fiant. Præter Canes tamen etiam *Feles*, *Galli gallinacei*, *Lupi*, *Equi*, *Muli*, & ſimilia Animalia, fiunt rabida, quorum non raræ proſtant Obſervationes. Sic enim de *Mulo* rabido refert Schenckius *lib.* 7. *Obſerv.* quòd Mulus rabidus flumen tranans, ac affatim potans fuerit curatus. Sic etiam *Boves* interdum fiunt rabidi, idque imprimis à Cane rabido demorſi, teſte Bartholino *Centuriâ* 2. *Hiſt.* 89. qui etiam *Centur.* 5. *Hiſt.* 52. varia habet Exempla variorum Animalium rabidorum, in ſpecie Rabiei Humanæ ex Morſu Galli gallinacei; & conferatur ſimul *Centur.* 3. *Epiſt. pag.* 199. ubi habetur Rabies Equorum, qui natando in mari curati ſunt. Nec ſolùm per Morſum ab Animalibus rabidis reddimur nos Homines rabidi, ſed etiam ipſe *Homo*, aut jam rabioſus factus, aut ſine Rabie, modò graviori Irâ ſit percitus, morſicando alios ſimiliter poteſt reddere ferè rabioſos, aut ſi non Rabiem, reverà læſiones malignas ac admodùm periculoſas infert. Nam, uti rectè refert Hildanus *Centuriâ* 1. *Obſervat.* 84. Morſus ab Homine rabido malignus eſt ſummè, & noxius, & non ſecus, ac Morſus à Cane rabido curandus; item Becherus *in Microcoſm. Med. lib.* 1. *cap.* 3. *pag.* 10. *ubi de Salivâ*, obſervat Hydrophobiam ex Morſu humano obortam. Et notabile Exemplum habet Bartholinus *Centuriâ* 2. *Hiſt.* 89. de Muliere Hydrophobicâ in Belgio, in Rheno ablutâ, quæ cum in curru in Civitate reverſura vomeret, Animam ſimul evomuit; ſocia verò venenato Vomitu adſperſa, quinto ab hinc die exſpiravit. Vid. etiam Zacutus Luſitanus *lib.* 3. *Prax. Admir. Obſervat.* 88. qui obſervat Mortem ex Morſu Hominis irati. Nam omnium Animalium iratorum Morſus, & adeò etiam Hominis, eſt venenatus, & malignus, ut rectè hoc ſuo tempore obſervat Celſus ex Juriſconſulto factus Medicus, qui dicit: *Omnis Feræ Morſus habet quoddam virus*: Id quod pluribus confirmat Hildanus *Centuria* 1. *Obſervat.* 86. ubi præter Morſum Feræ, etiam Hominum iratorum Morſum lethalem, vel ſaltem venenatum, pronunciat. Vid. etiam *Diſputat. noſtra de morſu Viperæ*, & Hildesheim *in Spicil.* Ex hoc ipſo tamen non ſequitur, Venenum Animalium ſolùm conſiſtere in Ideâ Furoris, Morſu in Archeo noſtro ſigillatâ, qua poſt Mortem ceſſante etiam Venenum Animalibus deficiat, quæ eſt ſententia Helmontii in ſuis Scriptis, cujus veſtigiis etiam inſiſtit Zwelferus. Contrarium, nempe reverà in Subjecto Materiali hærere Venenum Animalium, oſtendit Redi *de Viperâ*: cui licèt ſe opponat Charas *Tractat. Experiment. de Viperis*, qui Helmontii Hypotheſin defendit mordicùs, nihilo minùs tamen & huic ſatisfactum eſt à jam laudato Redi *in Epiſt. Reſp.* 1. Vid. *in Anno* 2. M. A. N. C. *Append.* Sed hæc obiter.

In his Rabidis notatu digna quædam occurrunt. I. Quòd etiam *leviſſimus Morſus*, leviſſima læſio, vel etiam tantillus *Salivæ contactus*, receptus in Homine ab Animali rabido, nihilo minùs ſuo tempore Rabiem inferat, ut refert Hildanus *l. a.* ubi quidam à Fele rabido ſolâ ſcalpturâ per Unguem in dextro Pollice læſus, vix Epidermide læsâ, ſeu affectâ, nihilo minùs tamen Rabioſus in ſummo gradu factus eſt, & omnia Symptomata Morſum Canis inſequentia perpeſſus fuit. *Loco citato* idem refert Hildanus de Muliere, cujus Veſtis à Cane rabido fuit lacerata, unde Mulier conſuendo Veſtem laceratam Filium Dentibus amputavit, & ſic poſt tres menſes Hydrophoba facta periit. Par ferè eſt Exemplum, quod ex alio Auctore refert Hildesheim *in Spicil. pag.* 193. cujuſdam Sartricis, quæ cùm Chlamydem rabidis Morſibus ſciſſam ſarciendam ſumeret, atque Ore ſtamina componeret, & Linguâ pannorum ſuturas lamberet, tertiâ die rabioſam factam eſſe. Imò levis tantùm reſperſio, aut aliqualis ſaltem contactus idem Malum infert: Quin, & Infuſio Silicis à Cane rabido demorſi poteſt Hominem furioſum, & rabidum reddere, teſte Borello *Cent.* 4. *Obſerv.* 22. Mirabilius eſt, quod *cit. loco Obſerv.* 83. refert, quendam cum Gladio vulneratum, quo ante octo annos Canis rabidus occiſus erat, poſt triennium rabidum interiiſſe. Matthiolus aſſerit, ſe duos vidiſſe, qui Spumâ tantùm perfuſi, nullo accepto ex Morſu Vulnere, Rabiem contraxerint. Facit huc Exemplum Codronchii, & Palmarii *de Morb. Contag.* qui inquit: *Vidi ex ſtraminis, in quo Rabie perciti Sues decubuerant, eſu, Equos, Boves, Oves, & reliqua Animalia, quæ ſtramina deguſtaſſent, Rabiem contraxiſſe, tandemque periiſſe.* Ruſticus quidam Rabie perculſus, cùm brevi ſibi è vivis emigrandum intelli-

dum intelligeret, assidentes rogavit, ut sibi Liberos exosculari liceret, quod cum fuerit concessum, Liberisque oscula vibrasset, extinctus est; intra septem verò dies, & noctes Liberi eâdem Rabie perculsi, iisdemque cruciatibus torti, brevi interierunt. Cardanus testatur, Venetum Patricium Exosculatione Canis rabidi, quem amabat, antequàm mitteret ad occidendum, rabidum fuisse factum: item Zacutus Lusitanus *lib. 3. Prax. Admir. Observat. 82.* Exosculatione demortui Canis rabidi Rabiem contractam refert. Adeò penetrans, & adeò malignum est istud Seminium, quod Rabiem infert.

II. Præter hoc, nempe inficiendi Modum, notabile est in Rabie, sive Morsu rabiosorum Symptoma, *Hydrophobia*, sive liquidorum omnium fuga, & metus, qui omni Rabiei, à quocunque Malo ortæ, solet esse conjunctus. Nempe tales Ægri non possunt ferre liquida, sed aspectu eorum contremiscunt toti, anxietatibus affliguntur, & miserabiles torturas perferunt; imò potiùs Siti intereunt, quàm tantillum humidi gustent. Proprium ergò videtur Rabidis, ut *Aquam metuant.* Nihilo minùs tamen, an solùm Animalium rabidorum Morsum sequatur Hydrophobia? res adhuc dubia ex eo videtur, quoniam prostare videntur Auctorum Observationes, citra Animalium Morsus eas esse ortas. Exemplum talis Hydrophobiæ citra ullum Animalis rabidi Morsum recenset Marcellus Donatus *Med. Histor. Mir. lib. 6. cap. 1.* item Platerus *lib. 1. Obser.* de Fœminâ quâdam, quæ noctu extra Urbem relicta, ac solitudine territa, domum reversa nihil liquidi deglutire potuit, quin illis oblatis Suffocationis periculum incurrit, & octavâ die extincta est: Conf. Borellus *Centuriâ 3. Obser. 38.* Sic Hydrophobiam in Febre Malignâ citra Morsum Animalis rabidi obortam refert Salmuth *Cent. 2. Obser. 52.* de quo etiam videndus Codronchius *in Tractat. de Hydrophobiâ cap. 10.* Duo Exempla admodùm notabilia Hydrophobiæ gravioris in Febribus Malignis enatæ quartâ, item quintâ die, citra Morsum alicujus Animalis, seu Canis rabidi, habet Sanchez *in suis Operibus Med. in Observat. pagin. 378.* (est Medicus Hispanus): *Quidam medio Augusti incidit in Hydrophobiam cum Febre continuâ citra ullum Morsum ab Animali rabido, in qua non poterat ferre adspectum Aquæ neque Potûs cujusdam, aut Vini, aut Jusculorum, & quamvis bibere amiteretur, tamen ubi Potum aut Juscula sumpsisset, tanta eum premebat Cordis angustia, tantus tremor, tanta Corporis totius anxietas, ut cogeretur Liquorem ejicere foras, ne guttulâ quidem haustâ: agnoscebat quidèm se non posse vivere sine Potu, nec Manus tamen abluere audebat; cumque nobis jubentibus Scyphum admovisset, idem horror, & tanta concussio apprehendebat eum, ut totus pertremiscret, ut sudaret & convelleretur: hic quinto die periit.* Alterum est simillimum huic. Et in Mulieribus *vitio Uteri* Hydrophobiam sine Morsu Canis rabidi annotavit Sennertus *Prax. lib. 4. pag. 277.* Videb. etiam *lib. 6. Part. 2. cap. 5. pag. 811.* Verùm in his ipsis Hydrophobiis, sine Faucium aut Gulæ ullâ affectione, etiam citra Morsum Animalis rabidi enatis, adhuc hæreo dubius, annon aliquando Morsus quidam à Cane rabido, aut Contagium seu inquinamentum ab Animali rabido præcesserit? Nam notum est, quòd tantillus ex Salivâ Animalis rabidi contactus inferat Hydrophobiam, utut sæpiùs per decem vel plures annos Contagium hoc lateat in Corpore, antequam virtutem suam exserat: quod ipsum ulteriùs adhuc investigandum venit. Ob id Quæstio est: annon in talibus præcesserit aliqualis infectio, utut ipsis non adeò cognita? Adeò ut determinari certò non possit, Hydrophobiam non esse Signum Rabidi pathognomonicum.

III. In Rabie notabile est, quòd Contagium Rabiei istud malignum, ab Animalibus rabidis communicatum, subinde *ad biennium & triennium*; item *ad plures & multos annos*, absconditum lateat in Corpore, donec evigilet, & in actum secundum erumpat: Vid. Sennertus *Prax. lib. 6. Part. 8. cap. 30. pagin. 353.* Sic Lindanus *super Hartmann.* refert Exemplum Hydrophobiæ lethalis in Agyrtâ decimo tertio anno post Morsum Canis rabidi evenientis: & Borellus *Centur. 1. Observat. 74.* refert quendam septem annis demum à Morsu Hydrophobum factum esse: Alius in Crure morsus & curatus, longo pòst tempore, tamen eodem die, & in eodem loco, in quo morsus fuerat, Dolore magno in Parte demorsâ correptus fuit, Veneno quasi per integrum annum in eodem loco sopito jacente. Imò per viginti annos Hydrophobiam occultatam vid. in M. A. N. C. *Anno 9. & 10. Obser. 43.*

IV. Notabile est, quòd subinde *Animalcula generentur*, vel conspiciantur in Salivâ vel Lotio Animalium rabidorum, similia iis quodammodò Animalibus, à quibus Rabies fuit inducta; unde ver. grat. Vermes catelliformes, aut capitulis Catulorum similes in Urinâ taliter Ægrotantium observârunt. Notârunt hoc jam suo tempore Veteres Arabes, in specie Avicenna & Avenzoar; quod tamen rarum est, unde ex Modernis quidam planè negare volunt, sed malè. Certum enim est, reperta interdum fuisse talia Animalcula, non tamen semper. Fidem facere aliqualem videtur Exemplum illud notabile Salmuth *Cent. 2. Observat. 83.* de Muliere, quæ fuit in fimbriâ Vestis morsa seu lacerata à Cane rabido, & ista fimbria Salivâ adsperſa; Unde Mulier suspendit Vestem laceratam aëri libero, ut exsiccaret, & post unum vel alterum diem in loco, ubi fuit Saliva, percepit parva Animalcula, quorum capita simillima fuerunt capiti canino. Mulier verò à Canis Morsu rabida octodecim frusta Catellis similia per Alvum ejiciens, refertur in M. A. N. C. *Anno 8. Observat. 58. pagin. 98.*

V. Denique notabile est, Animalia rabida, quæ fiunt rabida ab alio Animali rabido, verbi gratiâ Homo rabidus, qui ab alio Animali, per Morsum nempe Canis, vel Felis, fit rabidus, *exactè imitari istorum Animalium rabidorum anteà lædentium mores & actiones*, latrando & ringendo instar Canis, vel morsicando & lacerando instar Felis: Sic Colle *in Cosmitore Medico pag. 319.* refert Rabiem à Morsu Felis in Indice digito, post duas horas lethalem, qua Æger volebat mordere. Quô facit curiosa Borelli *Observat. Centur. 3. Obser. 68.* de quodam à Cane rabido demorso, qui non tantummodò subitò factus est rabidus, sed simul etiam instar Canum adeò sagax, ut accedentes Amicos, etiam adhuc aliquatenus è longinquo, quamvis non videret, tamen odorari & nominare potuerit: Videb. quoque *Centur. 1. Observat. 74.* & Rhodius *Centur. 1. Obser. 46.* Sic qui à Fele rabidâ redduntur rabidi, mores felinos sono oris, unguibus & digitis mutuò in alios invadendo, imitantur: Videb. Kircherus *in Scrutin. Pestis loco suprà citato.* De quo ipso, ut & aliis subinde apud Practicos observabilibus sit fides penes Autores. Hæc sunt Symptomata primaria.

## CAUSÆ.

Quod attinet *Causas* hujus Rabiei, & factæ inde

de Transplantationis morum Animalis lædentis in Animal læsum sub tantillo Contagio, istud à nemine hactenus perspicuè explicatum fuit. Præ reliquis tamen curiosè & acutè rem attigisse videntur Idearum assertores, nempe Helmontius *Tract. Demens Idea*, *de Morbis Idealibus*, & similes, & præsertim Marcus Marci in eleganti Scripto, *Philosophia Veterum Restituta*, qui ex professo de hoc agit, & instar omnium de hac materiâ potest consuli; item David *von der* Becke, & qui talem sequuntur doctrinam, quod nempe *Ideæ Seminales* transplantentur ab Animali rabido in Animal, quod lædunt, mediante *Contagio spirituoso*, à quibus Ideis *Archeus* Animalis læsi determinetur ita postmodùm, ut pro illorum directione, & non aliter, operari queat: Nec adeò abludere videtur Borellus *Centur.* 1. *Obser.* 74. dum vim seminalem Veneni accusat. Hi ipsi quidem præ cæteris omnibus nonnihil plausibiliter rem explicant, sed Idealis hæc Hypothesis, utut subtilis admodùm & primâ facie plausibilis videatur, illis tamen, qui intelligibilem, seu, ut vocant, sensatam amant Philosophiam, nullo modo satisfaciunt. Nam si ad ipsum fundamentum perveniamus, est hæc Hypothesis simpliciter Idealis. Unde & hîc profitendum est, aquam in hisce nobis hærere, & rem à priori non esse explicabilem. A posteriori ergò saltem dari potest Hypothesis nonnihil plausibilis.

Doctrinæ gratiâ *Fermentum* hîc peculiare accusamus ab Animali rabido per Morsum communicatum: nam, quod alii de *Veneno peculiari* habent, id omne ad Fermentum est applicandum. Hoc Fermentum *Ideas*, ab Animali furente impressas, Homini communicat, primariò Spiritus Animales, quod etiam confirmant Pathemata convulsiva, secundariò Massam Sanguineam afficit, ita ut ferè similes evadant Spiritibus & Sanguini Animalis furentis: hinc fieri non potest, quin easdem quoque actiones edat, quas Canis v. g. aut aliud Animal rabidum edit. Notandum autem, *Animalia in se venenata non esse*: hinc neque omnis Morsus Rabiem parit, sed Animalis, aut *irati* aut *rabidi*; *Ira* enim & *Furor* nocent, & ita maximam partem ideale est; tamen & his adjuncto Fluido aliquid Acrimoniæ malignæ subesse, confirmat Cura per Cancrina, Terram sigillatam, Radicem Gentianæ, &c.

*Causa Occasionalis*, & propinquior est *Saliva* fermentescens & effervescens, per Morsum insimul Vulneri infusa, Systemati nervoso, & hinc Spiritibus ac Massæ Sanguineæ communicata; hinc nisi Vulnus sit factum, ita ut Spiritibus Animales afficere possit, *Furor* non fit.

## DIAGNOSIS.

Hisce relictis pergo propiùs ad ea, quæ potiùs Praxin spectant, ubi ante omnia observandum: *an Animal*, ver. gr. Canis, *fuerit rabidus*, qui momorderit, vel à quo quis demorsus, rabiosus fuerit, an non? ut nempe præcaveatur imminens tandem Rabies. Quod ut cognoscatur, nonnulli accuratiores in hoc puncto præcipiunt, ut Nuces Juglandes recentes contritæ imponantur Vulneri facto, & ad aliquot horas super Vulnere relinquantur, quæ postmodùm devorandæ objiciuntur Gallo gallinaceo vel Gallinæ. Quòd si Animal non fuerit rabidum, Gallina non moritur; si verò fuerit rabidum, altero die interit.

Idem applicandi, & judicandi progressus est *de Sanguine*, quando alii Sanguinem, vel per se, vel per scarificationem, ex Vulnere eliciunt, ex eoque cum farinâ pastam formant, & Gallinæ objiciunt, quæ si moriatur signum est Animal fuisse rabidum.

Simili ratione Avicenna præcipit medullam Panis Vulneri facto affricare & applicare, & sanie Vulneris imprægnatam postmodùm Cani objicere devorandam; nam si illam medullam non comedere neque olfacere voluerit, aut si moriatur, signum est, fuisse rabidum.

Ipsum *Canem esse rabidum facillimè ex eò cognoscitur*; quòd tales Canes rabidi omnem Cibum & Potum aversentur, multam Materiam viscidam Sputumque circa Dentes, Linguam & Fauces habeant, interdum ex Ore & Naribus emittant, torvum videant, Oculos habeant rubentes & igneos, quoscunque obvios invadant, notum pariter & ignotum similiter lædant.

Ulteriùs Canes rabidi sunt macilenti, Caudam demissam sub ventre reflectunt, Linguam exserunt, eamque rubram, sæpiùs croceam, interdum nigram, velociter currunt, & sub isto cursu in obvia quæque impingunt, omnes alios Canes adoriuntur, & omnes alios fugant.

De Cane rabido vulgò affirmatur, *sub Linguæ ejus latere Vermem* quendam oblongum, quem alii à se ipsis visum testantur, quo maturè demptо nullus Canis rabidus fiat; eodem verò increscente, Rabiem necessariò supervenire; unde quidam ad præcautionem solent extrahere hunc Vermiculum: quidam existimant, non esse Vermiculum, sed pro Sanguinis congrumati p r.iculâ in Venis Raninis sub Linguâ collecti & stagnantis habent. Rem hanc ceù nondum sufficienter exploratam in medio relinquo.

Interim Rabiei & Impotentiæ lumbaris Causa in Lupis, Vermes copiosi, in eorum Renibus & aliis locis geniti, observati fuerunt: Vid. M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obs.* 193. *pag.* 365.

Ubi Contagio inquinatus fuerit Homo, in specie Morsu, sive mox sive post plures annos etiam afficiatur Rabie & Hydrophobia, *Rabiei incipientis* & etiam jam *factæ Signa* sunt; si se offerat anxietas Præcordiorum, Iracundia citra causam manifestam, si conqueratur Æger de molestiâ Aëris ambientis, de Corporis gravitate & ineptitudine in actionibus & variis impedimentis, aut de Inquietudine, Ægri sunt solitarii & morosi, mœsti, tristes, uno nomine Melancholici, semper murmurent, subinde Lucem fugiant, & abstineant à Potu.

In Parte olim vulneratâ solet adesse aut sentiri incipit Morsicatio & Titillatio, aut etiam quidam Dolor.

*Quòd si jam perfecta Rabies inchoët*, adest Membrorum distensio, & quasi convulsiva explicatio Corporis, Facies rubet, Ægri sunt anxii, spumant circa Os, Oculos horridos habent, quidam latrant instar Canum, si à Cane rabido morsi sunt, Collum & Fauces ringunt, &, si à Cane sit, obviam factos invadunt, & Dentibus impetunt; sin à Fele, Unguibus lacerare tentant; & denique omnibus commune est, ut Liquida & etiam Aquea horreant, quorum præsentiâ etiam admodùm anxiosi, interdum etiam convulsi fiunt, Deliquium quasi Animi patiuntur; quin imò nunc vociferant, nunc ferè Sonos edunt, lædentibus morsu Bestiis similes, nunc sibi propiores lædunt & infestant, Facie sunt horribili, sine ullo Somno, inquieti, loca tenebrosa amant, &c.

*Febris* Rabiosis interdum adest, interdùm abest, utut Palmarius existimet, Rabiei perpetuam esse comitem Febrem.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: *Imminens Rabies*, aut jam incipiens, appropriatis Remediis curari poteſt.

Si verò jam *perfecta Rabies* adſit, præſertim cum Hydrophobiâ, eſt Affectus ſatis acutus, qui *rarò* perfectè *curatur*, & ſpes in anguſto hæret, quin ſæpiſſimè, ſi diutius lateat in Corpore Seminium rabioſum, Homines jugulet; ſæpiùs nempe ſecundo vel tertio, ad ſummum quarto die ab eo tempore, quo Hydrophobia eos corripuerit, moriuntur.

Antequàm verò Rabies poſt læſionem inſequatur, obſervandum eſt, quòd quando in principio, ubi *Sanguis* copiosè è loco Vulneris evacuatus & extractus fuerit; item ſi largiter fluxerit *Sanies*; aut ipſum Vulnus recens ritè tractatum ſit, ſponte vel *Sudor* multus, vel *Urina*, præcipuè nigra, evacuetur, præſervari poteſt Rabies & Hydrophobia. Nam quò diutiùs Vulnus factum apertum fuerit ſervatum, eò minor metus adeſt. Econtrà poſt factam ejus conſolidationem ineptam, citiorem juſto ſcilicet, & quò magis Fermentum rabioſum intraverit Partes nerveas, eò certiùs Hydrophobia metuenda eſt. Unde præſervativè poſſumus aliquamdiu Ægros detinere.

## CURA.

Subſiſtimus adhuc in Rabie & Affectibus Rabioſis, & quidem ſupereſt tantum *Cura*, quomodè Rabies, aut jam incipiens, aut Morſus à rabido inflictus, debeat curari? Hanc quod attinet; in hac *duo Tempora* obſervanda: (1.) ipſum *Tempus primæ læſionis* ſeu vulnerationis & inquinamenti, facti ab Animali rabido. (2.) *Tempus ipſius Rabiei* ſupervenientis, ubi, licèt diu conſolidatum ſit Vulnus, nihilo minùs tamen Venenum jam tum in actum ſecundum deducitur, & Delirium inducitur; *ipſiuſque adeò Hydrophobiæ*, ejuſque vel imminentis, vel jam præſentis.

1. Ergò *quoad prius Tempus*, ex Vulnere facto, quantocyùs fieri poteſt, *malignum Virus per Morſum extrahendum* aut delendum, & ob id hujus Sanatio non adeò citò perficienda. Quod *ipſum Vulnus* à rabido Animali inflictum attinet, quantum fieri poteſt, *apertum ſervandum*; ac præſertim id, quod de Salivâ adhæret, magno ſtudio removendum: Quem in finem Vulnus eſt ampliandum, ut cum Sanguine Saliva potiùs effluat, quàm retrocedat.
2. *Quoad poſterius Tempus*: obſervandum eſt, ut *Venenum rabioſum*, quacunque ratione communicatum, ſive jam adhuc recens, ſive jam inveteratum fuerit, ſive ipſam jam Rabiem inducere incipiat, *per Appropriata*, *vel Sudorifera*, *vel Diuretica*, aliiſve mediis per Experientiam cognitis, *extinguatur*.

Pro his Scopis obtinendis, in poſteriori, ſcilicet Rabie, id unicè agendum, ut *Fermentum* Maſſam Sanguineam jam occupans ex Corpore expellatur. Ea autem, quæ huic Fermento contraria ſunt, & Venenum expellunt, ſunt *interna Alexipharmaca*, tam *Communia*, quàm *Specifica* per experientiam cognita, quæ conveniunt tam præſervativè, quàm curativè. Nam propter rationem Rabiei adhuc incognitam non poſſumus invenire Remedia à priori. *Appropriata* talia ſunt in ſpecie Radix Gentianæ, Radix Vincetoxici, Alyſſon *Galeni*, Ruta, Hypericon, Pimpinella, Carduus benedictus, & in ſpecie Carduus fullonum, Salvia, Betonica, Myrrha, & ſimilia. Ex his ferè primatum obtinet *Alyſſum verum Galeni*, quo jam ſuo tempore Galenus curavit ſuos Ægros: quamvis, quid hoc propriè ſit? dubium inter Autores exiſtat: cujus tamen deſcriptionem reſtauratam videb. in *ultimâ Editione* Tabernæmontani *pagin.* 928. ſub nomine *Alyſſum primum Hiſpanicum Galeni*. Et hoc Alyſſum Galeni optimum dicitur experimentum contra Morſum Canis rabidi, quocunque modo uſurpatum. Uſus ejus ferè abolevit, ſed malè; Nam Renealmus *in Obſerv. ſuis* Eſſentiam habet Alyſſi, quâ ipsâ curavit aliquot Ægros à Cane rabido demorſos. Ex his & ſimilibus Vegetabilibus conflatus eſt *Pulvis Palmarii* expertiſſimus contra Morſum Canis rabidi *cap.* 3. cujus deſcriptio eſt ſatis nota, & ubique proſtat apud Autores, eſtque talis.

℞. *Fol. Rutæ*,
*Salviæ*,
*Plantag.*
*Polypod.*
*Verben.*
*Abſinth. vulg.*
*Menthæ*,
*Artemiſ.*
*Meliſſophyll.*
*Beton.*
*Hyperic.*
*Centaur. min.* an. qu. v.
Miſc. f. *Pulvis.*

Pulverem hunc Doſi ʒj. ad ʒiß. vel ʒij. ſubinde demorſo exhibet in Juſculo calido, vel *hauſtu Vini*, vel cum *Theriacæ* ʒß. & *Syrupo acetoſitatis Citri*, expectato Sudore, & per 40. dies ad minimum continuat.

Præter Palmarium felicem hujus Pulveris uſum expertus eſt Sennertus *lib.* 1. *Prax. Part.* 2. *cap.* 16. *de Hydrophobiâ*, item Timæus *von Guldenklee in Epiſt. lib.* 5. *Epiſt.* 17. *pag.* 376. Pulveri autem huic tantum tribuere vix opus videtur. Ex ſimilibus ferè etiam concinnatum eſt Euporiſton illud infallibile contra Morſum Canis rabidi in Bartholini *Act. Med. Haff. Volum.* 2. *Obſervat.* 110. *pag.* 275.

Aliàs Semen Cardui benedicti, & lactei, ſeu Cardui Mariæ, & quod præſtantius habetur, Cardui fullonum ſeu Dipſaci, ad ʒij. pro doſi aliquoties mane aſſumptum expectato Sudore, tanquam egregium ſpecificum Experimentum commendatur à Lindano *ſuper Hartman.* item contra Morſum à Cane rabido Radix Vincetoxici ad ʒiß. vel ʒij. cum Aquâ Cardui benedicti ad 40. dies omni mane propinata, laudatur à quibuſdam ſpecificè contra Morſum Canis rabidi, expectando Sudorem. *Vehicula*, in quibus aſſumuntur hujuſmodi Pulveres, optima ſunt Aqua Scordii, Aqua Cardui benedicti, uti Aqua Tormentillæ, Aqua Theriacalis, Aqua Rutæ caprariæ, Cancrorum fluviatilium, & ſimiles cum Spiritu Theriacali:

Vel

℞. *Pulv. Rad. Contrajerv.*
*Gentian.*
*Pimpinell.*
*Vincetox.* an. ʒj.
M. F. Pulvis.
div. in 4. part. æqu.
D. S.

Pulvis Venenum pellens.

Porrò Terra Sigillata, item Terra Lemnia, & imprimis Terra S. Pauli, ſeu Terra Melitæa, itidem inter-

internè ad Morſum Canis rabidi conducunt. *Theriaca* etiam & Theriacalia, *Mithridatium*, *Electuarium de Ovo*, &c. præcipuum obtinent locum, & ſunt in frequenti uſu, à 3j. ad 3ij. aſſumpta. Sed præ his Magiſtralibus Compoſitionibus præ cæteris *Theriaca Dia-teſſaron* eſt præferenda, quoniam ejus quatuor ingredientia, nempe Gentiana, Myrrha, &c. ferè ſunt ſpecifica contra Morſum Canis rabidi. Hoc ergò, modò cum Opio acuatur, erit Remedium maximè appropriatum ad Rabiem. Aliàs Miſtura Simplex laudatur ab Hartmanno, tanquam Remedium à ſe expertum, quod propinandum eſt in tali caſu cum copioſâ Aquâ Cancrorum fluviatilium, Aquâ *Poterii*; prout B. D. Michaelis Tincturam Bezoardicam, vel Miſturam Simplicem non abſque ſucceſſu, expellendi per Sudorem Venenum Canis rabidi, propinare conſuetus fuit; item Eſſentia Theriacalis cum Eſſentiâ Abſinthii; ſed omnia in duplâ doſi exhibenda: ut

℞. *Aquæ Flor. Hyperic.* ℥iß.
*Theriac.* ℥ß.
*Tincturæ Bezoard.* 3iß.
*Eſſ. Lapill. Cancr.* 3j.
M. pro doſi cum Sudore.
D. S.
Potio Sudorifera pro unâ vice.
Vel
℞. *Mixt. Simpl.* 3ij.
*Spir. Cancr.* 3j. ad 3iß.
M. D. S.
Mixtura Sudorifera guttatim ſumenda.
Dentur 60. gutt. pro doſi.
Vel
℞. *Spiritûs Theriacal. camph.* 3ij.
*Cancr. fluviat.* 3j.
M. S. ut ſuprà.
Vel
℞. *Theriac.* 3j.
*Salis Abſinth.* 3ß.
M. D. S.
Electuarium Sudoriferum pro unâ doſi.
Detur in hauſtu Vini aciduli.

Ab his autem *Alexipharmacis* per integrum anni quadrantem non eſt deſiſtendum: Nam ſæpè poſt 40. Dies, aut aliquot Menſes, interdum & poſt integrum Annum, iterum ſe prodit Hydrophobia.

Quòd ſi verò *Sudoriferorum* uſus intermittatur, tamen *Specifica* adhuc aliquamdiu continuanda. *Lapilli Cancrorum* unum ex optimis Specificis ſunt, unde & *Bezoar Rabidorum* audiunt; unde

℞. *Lapill. Cancr. præp.*
*Cornu Cervi uſt. præp.*
*Maxill. Lucii piſc. præp.* an. 3j.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis prò 3. doſibus.

Nam ſi quid aliud, in *Cancris fluviatilibus* eſt vis certa & ſpecifica contra Morſum Canis rabidi, jam à Galeni tempore laudata. Recipiuntur nempe Cancri, non iſti, qui dicuntur *Gammari ſeu Aſtaci*, ſeu qui caudis ſunt longis; ſed eligendi ſeu ſpeciatim Cancri non caudati, ſeu rotundi, Germ. *Taſchen-Krebſe*, quales reperiuntur ad loca maritima, tam in Italiâ quàm Belgio. Hi enim ſunt genuini Cancri ad Morſum Canis rabidi à Veteribus commendati, Conf. Bartholinus *Cent.* 2. *Hiſt.* 89. quorum tamen defectu etiam noſtrates Cancri fluviatiles, ſeu Gammari, ſeu Aſtaci non penitus privandi ſunt virtute contra Morſum Canis rabidi, atque ob id penitùs rejiciendi, ſed commodè uſurpari poſſunt: Nam loco Cancrorum fluviatilium etiam Teſtæ Oſtrearum ſuperiores calcinatæ, ſimili modo applicatæ & uſurpatæ, proficuæ ſunt. Colliguntur Cancri poſt ortum Canis, ſeu tempore Canicularium, quando Sol in Leonem tranſit, v. g. 18. Julii capti, & calcinantur vivi; quorum Cineris datur 3j. vel 3ij. (*eſt exigui ponderis*) & Pulveris Gentianæ 3j. & in cyatho Vini boni propinatur Ægro, expectando bonum Sudorem; *ita Veteres illud propinarunt*, idque repetierunt tam in metu imminentis quàm præſentis Rabiei. De hac Præparatione, & Præparationis ratione, vid. Palmarius *loc. allegat.* & Schenckius *Obſer. pagin.* 856. Ne autem ſub Calcinatione Oleum & Sal volatile pereat, loco Calcinationis horum melius eſt, ut tales Cancri, iique vivi, probè contuſi, deſtillentur per Alembicum in Mariæ Balneo, ut ita accipiatur Aqua Cancrorum, adeò à Poterio decantata *in Pharmac. Spagyr. pagin.* 47. Id quod remanet, ſeu Pulvis Cancrorum, poſtmodùm pro uſu interno etiam uſurpari poteſt à 3ß. ad 3j. cum Aquâ deſtillatâ propriâ jam dictâ, vel Succo Cancrorum fluviatilium, in ſpecie addito Pulvere Radicis Gentianæ, vel Pimpinellæ: exemp. grat.

℞. *Theriac.* 3j.
*Cancr. fluv. d. m. præp.*
*Rad. Pimpin.* an. 3ß.
M. S.
Electuarium Sudoriferum.

Juxta quem Pulverem etiam modò dicta Aqua deſtillata, item Decoctum Cancrorum, ut & Succus, commodè uſurpari poteſt, quæ optima ſunt Vehicula Remediorum contra Hydrophobiam. Pertinet huc *Pulvis Heurnii* expertus contra Rabiem:

℞. *Rad. Gentian.* 3ij.
*Cancr. fluv. calc.* 3iij.
*Terræ ſigill.* ℥ß.
M. f. Pulvis.

Hujus Pulveris compoſiti 3j. præbet in Decocto Cancrorum fluviatilium, imperando Sudorem, ſubinde repetendo.

Vel ſecundum Heinricum ab Heer,

℞. *Pulv. Gentian.*
*Myrrh.* an. 3j.
*Cancr. fluv. d. m. præpar.* 3ij.
M. cum *Vino*, vel *Decocto* vel *Aquâ Cancrorum fluviatilium*, & propinant imperando ſemper Sudorem.
Doſis eſt 3ß. ad 3j.

Conf. Bartholini *Act. Med. Haffnienſ. Volum.* 2. *Obſervat.* 110. *pagin.* 276. & Sachſii *Gammarol. lib.* 2. *ſection.* 3. *pagin.* 638. *ſequ.*

Præter dicta *Radix Roſæ ſylveſtris* ſeu *Cynorrhodi* jam ab antiquiſſimis temporibus eſt commendata. Sunt tamen, qui præferunt huic Radici Spiritum ſeu Eſſentiam Vermiculorum Cynosbati, de quibus alio tempore dictum. Aliàs Experimentum Stœckeri, quod nunquam eum decepit, uti aſſerit, eſt ſequens, idque contra quoſcunque Animalium, tam venenatorum quàm rabidorum, Morſus:

℞. *Gentian. pulveriſ.* 3j.
cum *Theriac* 3j. miſcuit.

Tribus diebus continuis, omni mane propinavit, jejunando deſuper per quinque vel ſex horas, ſimul expectando Sudorem, qui ſemper expectari debet. Super Morſûs verò locum Allium, Rutam, & Sal, eaque contuſa & miſta in formâ Cataplaſmatis, apponit.

Ulteriùs *Medicamenta, quæ ipſe Canis rabidus ſuggerit*, præ cæteris ſunt laudata, qua ratione Sanguis Canis rabidi pulveriſatus, & per triduum doſi 3j.

uſur-

uſurpatus, certò juvare Rabiem & Hydrophobias, dicitur à Palmario *loco alleg.* Item Crines vel Pili Canis rabidi, quos præter Palmarium commendat Schmuckius, vel *Cor* & *Hepar Animalis mordentis* decoquantur & Patienti propinentur; vel *in Pulverem* redacta dentur ad ʒj.

Præ cæteris optima Cura eſt *Immerſio Ægri in Aquam frigidam*, quod Remedium ceu expertum ubique commendat Helmontius *in Tractat. Demens Idea pagin.* 278. §. 47. 48. & 49. Confirmatur etiam per Experientiam Foreſti *libr.* 20. *Obſervation.* 27. & 28. item Tulpii *libr.* 1. *Obſervat.* 20. Quò facit rara Obſervatio Schenckii *libr.* 7. *Obſervat.* recenſita de Mulo rabido in Rhodano fluvio injecto, qui ſic à Rabie ſanatus: ubi plura ſunt Exempla curatarum Rabierum per Immerſionem in Aquam frigidam: Vid. etiam Paræus *lib.* 20. *capit.* 14. Remedii hujus prima veſtigia reperiuntur in Celſo, qui tales Ægros in piſcinas injiciendos ſuadet. Et quidem circa hanc Submerſionem notandæ ſunt duæ circumſtantiæ:

1. *Ex improviſo* immergendi; &
2. Aliquamdiu ita *relinquendi* ſunt tales Ægri ſub Aquis, ut poſt Terrorem injectum ex Suffocatione imminente eò efficacior Pavor Mortis ipſis imprimatur; ſicque feliciùs Idea deletur, & Delirium curatur. Vid. *ſuprà Art.* 3. *Membr.* 3. *ubi de Maniâ.*

Immerſio iſta fiat bis vel ter pro ratione circumſtantiarum: ſic multi fuerint curati.

Controverſia eſt aliàs inter Autores, *an conveniant Purgantia* in & circa curam Hydrophobiæ & Rabiei? Et notandum, quòd per ſe nihil conferant, quia Humores exagitant, & ab habitu ad interiora Venenum derivant, econtrà ſola appropriata Alexipharmaca, imprimis Sudorifera, ſufficiunt, & utramque abſolvunt paginam. Nihilominùs tamen ſi ſit jam longum tempus, ex quo Æger fuerit commorſus, & tamen nondum perfectè ſit Rabioſus, utut Signa imminentis Rabiei ſe manifeſtent, Ægerque talis non evacuatus fuerit, in his & ſimilibus caſibus pro metu ſubſequentis Rabiei feliciùs tollendo, utilem commendant Catharſin per ſuperiora aut inferiora, ſcilicet Helleborum album & nigrum, item Agaricum, utpote quæ vim ſimul alexipharmacam habent: videb. Sennertus *Prax. lib.* 1. *Part.* 2. *Capit.* 16. *Quæſt.* 3. Nam teſtatus eſt jam ſuo tempore Dioſcorides, Catharſin his tantùm opem ferre, qui jam Hydrophobiam ſeu Aquæ Metum incipientem tantummodò ſentirent: Et ſumpto Helleboro ſimul ac primum Morbi impetum experirentur, cum impetu expurgati, multi certâ experientiâ fuerunt ſervati. Sic quidam referunt, multos Canes rabioſos Helleboro cum Polentâ accepto vomuiſſe, & ſtatim à Rabie liberatos ad ſe rediiſſe. Hinc poſt Helleborum etiam Hiera, quæ Colocynthidem recipit, non parùm commendatur. Palmarius affirmat, ſe multos noſſe Ruſticos, qui propinato Pharmaco vehementi, quo unâ eâdemque operâ ſuprà & infrà ſupervacanea omnis generis è Corpore excluderentur, ab Hydrophobiâ evaſerint.

Poſt Purgantia faciunt huc ſimul aliquid *fortiora Diuretica*, per Urinam, præſertim cruentam, Virus alterantia & eliminantia: quæ inter Valeriana, imò *Cantharides* vim ſpecificam obtinent. Has Avicenna commendat contra Rabiem & Hydrophobiam, ut etiam aſſerat, ſi Rabidus exinde Sanguinem minxerit, ſecurum eſſe ab Hydrophobiâ. Quibus vulgò noſtrates Scarabæos Majales, & Vermes Majales ſubſtituunt: Vid. Sennertus *in Praxi Part.* 2. *lib.* 2. *ubi de Rabie* 440. & 441. Remedium Avicennæ hactenus apud Practicos ſepultum eſt, cujus tamen mentio fit in M. A. N. C. *Anno* 1. *Obſervation.* 133. & in *Appen. pag.* 32. ubi Cantharides ab Ungaris in Aceto fortiſſimo aſſervantur, & poſtmodùm No. 4. 5. vel 6. in hauſtu Spiritûs Vini contra Venena rabioſorum Animalium ſine Dyſuriâ aut Mictu ſanguineo propinantur; unde ſaltem per fortem Diureſin liberati ſunt. Horum tamen *c. l.* doſis à nobis non imitanda, quoniam Hungari fortioris ſunt idioſyncraſiæ; ſufficiat, quòd Chantharidum vis quaſi ſpecifica ſit ad Rabiem; ſicuti etiam in dictis M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obſerv.* 702. *pagin.* 524. proſtant Exempla Rabiei beneficio Scarabæorum aut Vermium Majalium curatæ. Alii recipiunt *Cantharides* vel *Scarabæos* pulveriſatos, cum *Melle* miſcent & aſſervant, & propinant ad ʒj. Vid. Sennertus *l. a.*

Quod *Vulnus à rabido Animali inflictum* attinet: hoc ipſum, dum recens eſt, non ſtatim claudendum aut ſanandum eſt, ſed aliquandiu apertum ſervandum, vel *ampliandum*, quantum fieri poteſt, ut cum Sanguine Saliva potiùs effluat, quàm retrocedat; aut id, quod de Salivâ adhæret Corpori, licèt non vulnerato, diligentiſſimè & magnâ curâ eſt removendum, ut omnis Virulentia beneficio Tumoris, Inflammationis & Suppurationis ex ipſo loco eliciatur. Et quidem in ſpecie *maturanda ſunt Auxilia Chirurgica*; nam niſi primis ſtatim horis ac diebus fuerint adhibita, ut Virus malignum citò extrahatur, alio tempore incaſſum ferè adhibentur, quando ſcilicet Virus jam ad interiora penetravit. Ob id ſtatim eſt properandum, & imponendi ſunt primò Pili Canis ipſius rabidi, qui tanquam ſingulare Experimentum Vulneri, à Cane rabido inflicto, apponuntur ex Paræo, ut Venenum magneticâ vi extrahatur; id quod etiam confirmat Schmuck *in Curationibus Magico-magneticis pag.* 38. Vel *Theriaca* cum *Succo Rutæ* & *Allio* ſubacta, Morſui Canis rabidi etiam utiliter imponitur: conf. Wedelius *de Med. Facult.* Præ cæteris nempe Cepæ ſub cineribus aſſatæ, & Cepacea Vulneri impoſita, multùm conducunt, præmiſsâ in loco affecto Scarificatione: Sic enim Amatus Luſitanus *Cent.* 5. *Curat.* 55. Puerum duodecim annorum in Crure à rabido Animali demorſum ita reſtituit, dum accerſito Chirurgo locum læſum profundioribus inciſuris ſcarificare, & calido Vino vel Aquâ ſalinâ lavare juſſit: hinc loco optimè abſterſo hoc Cataplaſma admovit:

℞. *Cepam acrem* No. j.
*Alliorum* Capit. 5. radicem mediam.
*Theriaces opt.* ʒß. ad ʒvj.
*Fermenti* ʒß.

Omnia piſtentur, & loco affecto formâ Cataplaſmatis ſupponantur: quibus Puer brevi ſanatus eſt.

Helidæus Paduanus, præmiſsâ loci Scarificatione, Cepam cum Melle contuſam ſimpliciter imponit; vel loco Mellis Cepam cum Theriacâ ſubactam, & ita Morſui applicat, aliquot dies continuando. Horſtius *lib.* 7. *Obſerv.* 23. commendat Emplaſtrum ex Allio, Sale, & Terebinthinâ. Sunt, qui Cataplaſmatis his Scordium & Semen Sinapi addunt: v. g.

℞. *Herb. Rutæ*,
*Scord.* an. M. j.
*Rad. Allii* ʒj.
Coqu. in ſ. q. *Vini* ad putrilaginem:
adde
*Pulv. Rad. Gent. rubr.*

Art.

*Ariſtol. rot.* an. ʒiß.
*Sem. Sinapi* ʒij.
*Mellis* ʒvj.
M. f. Cataplaſma.

Conf. Hildanus *Cent.* 1. *Obſer.* 87. & Lotichius *Cent.* 6. *Obſ.* 1. *c.* 5.

*Scarificatio* profundè ſatis fiat, niſi loci conditio, v. g. ratione Vaſorum ſubjacentium, hoc impediat. Alii *Hepar Animalis* imponunt, vel *partem Carnis.* Quô & *Columbarum vivarum & dilaceratarum* applicatio pertinet. Quidam *Ligaturas* magni æſtimant. Præ cæteris inſigniter etiam conducit Emplaſtrum Magneticum *Angeli Salæ* ex Magnete Arſenicali paratum, *ſuprà l.* 1. *ubi de Peſte*, deſcriptum; ſcilicet poſt Scarificationem Vulneris, Sanguiniſque per Cucurbitulam extractionem, loco demorsûs applicatum & impoſitum; vel locus ſcarificâtus eluendus eſt cum Spiritu Vini theriacali aut camphorato, aut Muriâ, aut Vino, aut Aquâ ſalinâ, aut Decocto Scordii & Radicis Gentianæ cum Vino aut Aquâ parato, cui Salis, vel Spiritûs Salis, parum admiſtum ſit, & hinc Emplaſtrum Magneticum applicari, vel ſolitarium, vel etiam ʒj. vel ʒij. Pulveris Cancrorum fluviatilium ſiccatorum aut calcinatorum poteſt admiſceri; continuetur, quotidie repetendo bis: vid. Agricola *in Chirurg. parvâ pag.* 448. Quòd ſi velit hoc Emplaſtrum Magneticum Dolorem vel Inflammationem, vel Excoriationem excitare, tunc optimum eſt, ut ſaltem Oleum Scorpionum vel Hyperici cum Saccharo Saturni miſtum, vel Unguentum Nutritum, aut ſimile Saturninum, circa Vulnus illinatur; vel recipiatur *Oleum Ceræ*, addatur parum *Sacchari Saturni*, & ita illinatur, iſtudque Emplaſtrum repetatur: Vel imponatur tale *Emplaſtrum.*

℞. *Ceræ* ʒvj.
*Ol. Olivar.*
*Sevi Hircin.* an. ʒiij.
liquefactis adde
*Thuris elect.* ʒß.
M. f. Emplaſtrum: S.
Singulare Emplaſtrum.

Alii imponunt *Emplaſtrum de Ranis cum Mercurio*, vel Ceratum Dia-Dictamni, quod Sacrum *Galeni* alias appellatur: e. g.

℞. *Cerat. Dia-Dictamn. Galen.* ʒiß.
*Pulv. Cancr. fluviat.* ʒiij.
Cum ſ. q. *Ungu. de Litharg.* f. Emplaſtrum:
D. S. ut antè.

Verùm promptiſſimum Remedium Externum eſt *Uſtio loci affecti* cum Ferro candente, ſeu Cauterio actuali, cum Uſtio omnem Virulentiam penitùs deſtruat; hoc enim ſecuriſſimum & tutiſſimum Remedium eſt curandi Morſus Animalium rabidorum; de quo, præter alios, vid. Hildanus *Cent.* 1. *Obſervat.* 84. 85. 86. 87. & *Cent.* 2. *Obſerv.* 97. qui hoc didicit ab Empirico quodam, qui omnes Cane rabido demorſos ſolo hoc Cauterio actuali feliciter reſtituit, & rectè; Uſtione enim penitùs deſtruitur ipſa Virulentia, & ſeminalis Craſis Virulentiæ malignæ tollitur, modò conditio loci affecti id permittat. Simili modo admotione Ferramenti igniti citra Uſtionem curat Boyle *in Philoſophiâ Experimentali* Morſus Viperarum. Quòd ſi verò tardiùs talia Externa adminiſtrentur, aut, ſi conſolidato jam Vulnere, Rabies poſteà ſuperveniat; optimum eſt denuò ſcarificando aperire locum, Cucurbitam cum magnâ flammâ applicare, & præter dictam Elotionem, Morſum Cauterio actuali profundè ſatis, imò diverſis in locis, adurere; Uſtionis verò loco Spiritus Vini theriacalis, aut in quo aliquid Theriacæ ſolutum, cum Goſſypio imponatur, ac Vulneri Cataplaſmata modò deſcripta inſternantur: ſequenti die incidenda eſt Eſchara, undique eadem Topica continuando, uſque dum illa ſecedat: quô factô mediante Piſo Ulcus per aliquot menſes apertum ſervetur, ſingulis ſeptimanis bis vel ter Mercurium Sublimatum ſimplicem, vel compoſitum Hildani, *Cent.* 1. *Obſervat.* 87. deſcriptum, inſpergendo, & Sudorifera interdum propinando; ſiquidem, ut ſuprà monitum, validas in iſto loco Punctiones tunc ſentiant. Imò placet Conſilium Sennerti *lib.* 1. *Prax. ubi de Rabie*, ut quocunque tempore *Fonticulus* in aut proximè loco affecto excitetur, ut continua illâ evacuatione quaſi revulſoriâ Veneni, Naturæ opem feramus.

Hæc de Morſu Canis rabidi, & indè natâ Rabie. (V)

MEM-

(V) Nota Cyrilli. *Difficillimum ſanè explicatu eſt præcipuum Rabidorum Symptoma*, Aquæ *ſcilicet* metus. *Quoniam autem de hoc negotio aliqua olim commentati ſumus, lubet integram de* Rabie & Hydrophobiâ Diſſertationem *his adnectere.*

## *DE RABIE ET HYDROPHOBIA.*

RAbies, *Græcè* λύσσα, *dicitur propriè* Furor ille, quo Canes præcipuè perciti hâc illâc irrequieti agitantur, ac obvios quoſcunque Morſibus adoriuntur: *idque Malum diebus præſertim caniculariibus iis accidere ſolet. Solent eodem Morbo &* Lupi, *atque alia etiam Animalia affici, ut inferiùs. Inter Affectiones autem* Homines *infeſtantes connumerata* Rabies *dicitur* Delirii ſpecies furioſi, quâ Homines à rabido Animali demorſi prehenduntur, *quicum, præter horrenda multa Symptomata, copulari ſolet* Aquæ formido, *quam Græci* Hydrophobiam *vocant.* Cœlius Aurelianus Phobodipſon *appellat, quòd cum timore ſitiant ægri, atque etiam* Cynolyſſam, *quaſi* Rabiem caninam. *Quare factum eſt, ut vulgò* Rabies *cum* Hydrophobiâ, *nempe cum atrociore ejus Symptomate, confunderetur.*

*Eſt igitur* Delirii, *& quidem* furioſi, *ſpecies Rabies: eâ enim affecti in amentem prorſus ferociam prorumpunt: vel potiùs eſt* Delirium mixtum ex Maniâ & Melancholiâ, *nam ſimul Beſtiæ, cujus Morſu in furorem acti ſunt, imaginem præ oculis videre videntur: imò ſunt qui ſe putant in Animalia illa converſos, quorum Morſum paſſi fuere, ac proinde vel Canis latratum, vel Lupi ululatum, vel Felis vocem æmulantur, ſi à Cane, Lupo, vel Fele fuerint commorſi. Sed notabile eſt, quod narrat* Borellus Centur. 3. Obſ. 68. *de quodam à Cane rabido demorſo, qui Canum Sagacitatem variè imitatus, accedentes amicos etiam è longinquo ſubodorabat. Animadvertendum tamen eſt, quod à quamplurimis notatur Scriptoribus, quoſdam ſcilicet rabidos non deliraſſe, imò mente ad mortem uſque conſtantes, proprias deſleviſſe miſerias, auxilium à Medicis imploraſſe, ac ne adſtantes improvido ad ipſos acceſſu læderentur caviſſe. Vide præter* Aëtium, Horſtium-

Salium,

Salium Diverſum, Codronchum, Nicolum, Cœlium Aurelianum, Fonſecam, *quos citat* Stalpartius Vander Wiel Centur. 1. Obſerv. ultimâ, Sennertum Inſt. Medic. lib. 2. part. 3. Sect. 1. cap. 7. *& miram horrificamque Hiſtoriam* apud Hunaultium tract. de Rabie, ejuſque Remediis.

Symptomata Rabiem comitantia *ſunt imprimis Furor, Anxietas, Metus, & præcipuè Aquæ, imò omnium liquidorum & tranſparentium Corporum: Vigiliis perennibus vexantur ægri, nec Somno quieſcunt niſi per laſſitudinem, Spectris ac Phantaſmatibus aſſiduò perterriti: nonnunquam veluti Stupidi evadunt: frequenter in Leipothymias incidunt, frequentiſſimè autem in Motus convulſivos Tremoreſque univerſi corporis: hâc illâc palantes oberrant, nec ſtare nec quieſcere poſſunt, furentis in morem huc illuc efrænatè aguntur, Oculi ſunt torvi & aſpectu horrendi: de Aurium tinnitu, æſtuoſâque Siti, cum Viſcerum incendio conqueruntur, Potûs tamen vel nomen ipſum reformidant: Febri demum & quidem Ardente tenentur, ita ut quidam A. A. Rabiem inter Febres Ardentes connumerent.*

*Antequam in Cauſſam hujus Morbi inquiramus, videamus primò*, quæ Animalia Rabie ſponte tententur, *ita ut Morſu poſſint illam in alia transfundere.* Galenus 6. de locis affectis 5. *expreſsè ait*, Cani *tantummodò Rabiem accidere, his verbis*: Quoniam enim Brutorum nulli ſupervenit Rabies, Cani hæc ſoli accidit. *In eandem ſententiam ivere nonnulli, & ipſe* Fracaſtorius de Morbis contagioſis cap. 10. *Quum autem Experientia contrarium doceat, hinc factum eſt, ut quidam* Galeni *famæ conſulentes dicant, illius ſententiam eam eſſe, ut inter omnia Bruta Animalia Canem ut plurimum Rabie affici cenſuerit: quidam verò cum* Mercuriali var. Lectionum lib. 1. cap. 2. *putent* Galeni *tempeſtate nondum in quopiam alio quàm in Cane Rabiem innotuiſſe.*

Experientia *inquam contrarium docet. Nam de Rabidis* Lupis *res eſt vulgatiſſima*: ſic Theocritus ἢ τὼς λύκος αυτίκα λυσσᾷν, & Jo. Bauhinus *peculiarem Tractatum edidit de Lupis quibuſdam rabidis circa Mombelgartum, & Beſſortum graſſantibus.* Felem *Rabie affici quamplurimi teſtantur, imo noſtris ferè ſub oculis, non multis ab hinc annis, Juvenis à rabidâ Fele in manu demorſus, poſt* 40. *dies Veneni vim expertus mortem obiit. Prætereà legimus* Equos, Porcos, Boves, Camelos, Vulpes, Urſos, Simias, *& quæ non animalia? Rabie correpta eſſe, ut videre eſt apud A. A.* Mulus *rabidus apud* Schenckium lib. 7. Obſ. *notatur, qui flumen tranans, ac affatim Aquam potans ſanatus fuit.* Gallus gallinaceus *roſtro Hominem feriens tertio pòſt die è medio tulit, ut apud* Bartholinum Cent. 5. hiſtor. 52. *hinc luſus*:

*Dum furit in Dominum Gallus, perimitque Veneno*
*Commorſum, ergò alius non Baſiliſcus erit.*

*Illud autem notandum hîc eſt, quòd quamvis vulgò proſtent Hiſtoriæ Animalium Rabie affectorum; haud ſemper tamen conſtat, num illa ſponte in Rabiem acta fuerint, an prævio alterius Animalis rabidi Morſu. Sed quid ſi à ſolo Cane ſponte primùm in Rabiem acto reliqua Animalia & Homo ipſe ex Morſu Rabiem contrahant? an non vera erit ſententia* Galeni? *Tametſi autem id de Brutis Animalibus à quamplurimis concedatur, quæſtio tamen inſtituitur, nunc Homines ſponte, abſque prævio rabidi Animalis Morſu, rabidi evadere poſſint, atque Aquam formidare.*

*Sunt ſanè Hiſtoriæ à graviſſimis A. A. relatæ, Hominum qui in Rabiem, & Hydrophobiam inciderunt, abſque eo quòd illos unquam rabida Beſtia momorderit. Illas legere poteſtis apud* Marcellum Donatum, Petrum Salium Diverſum, Cœlium Aurelianum, Paræum, Platerum, Zacutum Luſitanum, Schrëckium, Rhodium, Borellum, *& præcipuè apud* Salmuth Cent. 3. Obſ. 52. *qui refert ſtrenuum Potatorem malignâ Febre affectum ab omni Potu omninò abhorruiſſe, etſi linguæ aſperitate valdè cruciaretur. Et quidem ſi veræ ſint Hiſtoriæ, præſto erit quoque ratio à Philoſophiâ ſuppeditata: quemadmodùm enim gigni poſſunt in humano Corpore Humores certis quibuſdam Venenis haud abſimiles; Cur non poterunt naturales Succi eam mutationem ſubire, quâ Veneno rabidorum ſimiles evadant?*

*At ſunt qui putant ex adverſo*, tale determinatum & ſpeciale Venenum, quod Hydrophobiam excitet, nullo accedente Contagio, in Corpore humano generari non poſſe, *ut his fere verbis fatetur* Stalpartius Vander Wiel l. c. *Et reverà haud rationi conſonum videtur generari poſſe in humano Corpore Venenum Veneno Viperæ adeò ſimile, ut poſſit etiam inflicto Morſu tranſmitti ex Homine in aliud Animal.*

*Quare ut integra maneat fides relatorum A. A. dicendum erit, vel quòd Morbus ille ſponte Hominibus ſuperveniens vera Rabies non fuerit (quum Aquæ formido ex Delirio, quod Rabies non ſit, poſſit Homini accidere), ſed Morbus alius acutus Rabiem ſimulans. Vel quòd reverà Homines illi ab Animali rabido demorſi fuerint, attamen ob Morſûs levitatem, vel temporis longum ſpatium, quod inter Morſum & Rabiem interceſſit, haudquaquàm reputatum ſit, Rabiem à Morſu ullo ortum habuiſſe, ſed ſponte fuiſſe exortam. Venenum enim hoc per multos annos latêre poteſt, ut infrà.*

*Quod fortaſſe in Cauſâ fuit, cur apud Antiquos ante* Ariſtotelem *de Rabie & Hydrophobiâ factam mentionem non reperiamus: quòd nempe Homines multo pòſt tempore ab inflicto Morſu, Rabiei Symptomatis correpti, alio prorſus conflictari Morbo crederentur, quàm à Morſu rabidi Animalis orto. Ni dicere velis cum* Plutarcho 8. Sympoſiacorum, probl. 9. Hydrophobiam, & Elephantiaſim *Morbos fuiſſe novos tempore* Aſclepiadis, *qui ſub* Pompejo Magno *Romæ floruit. Et reverà nullam Rabiei & Hydrophobiæ mentionem factam invenimus apud* Nicandrum *de omnibus Venenis differentem, & apud ipſum* Hippocratem, *qui Morbos omnes* in Epidemiis, *& alibi accuratiſſimè recenſuit. Vide* Mercurialem lib. 1. variarum Lect. cap. 2. *Sunt tamen qui putant cum* Cœlio Aureliano, Brachypotas Hippocratis, *hoc eſt modicum bibentes, eſſe* Hydrophobos, *ſeu Aquam formidantes.*

*Sed in morbi hujus* Cauſſam *inquiramus. Quamvis innumeræ ſint de hac re A. A. Sententiæ, in eo tamen omnes conveniunt*, Rabiem nonniſi à Veneno ortum habere, *attentâ ſcilicet Morbi vehementiâ, vitæque citiſſimo & ferè inevitabili diſcrimine. Prætermitto hîc loci illorum Opinionem referre, qui primis Elementorum qualitatibus philoſophantes* in ſummo Calore, ſummâque Siccitate *hujus Morbi cauſſam reponi debere aſſeruerunt; Nam & ejuſdem Sectæ aſſeclæ id negant, ex eo nempe, quòd Venenorum natura minimè in primarum Qualitatum exceſſu conſiſtere poſſit; credunt namque* Venenoſos morbos à totâ ſubſtantiâ (*ut loquuntur*) pendere. *Atque hoc Argumento* Galenus 2. de Simplic. Medic. facult. Pelopem *ſummam* Siccitatem *in Rabie prætendentem reprehendit. Præterquàm quòd* Hectici, *quorum corpora extremam Siccitatem contraxerunt, nequaquàm in Rabiem incidunt.*

*Quum*

*Quum autem Morbi à totâ ſubſtantiâ pendentes, ab occultis Qualitatibus pendere videantur; attendamus num clariùs Veneni Rabiem inferentis naturam inveſtigare poſſimus.*

Venena *ſive per Os aſſumta, ſive extrinſecùs Morſu, vel quocunque alio modo Corpori communicata, vel lædunt* partes Solidas, *vel* Fluidas *inficiunt, vel demum turbant* Spirituoſas. *Partes* Solidæ *quandoque à particulis Veneni corroduntur, & lacerantur, nonnunquam rigeſcunt, & torpent. Partes verò* Fluidæ *vel à particularum Venenoſarum commixtione fluidiores, & agitatiores, vel contrà fixiores redduntur, & ad coagulationem vergentes. Demùm* Spiritus *ipſi animales in Corpore impetum facientes, ſi cum particulis Veneni commiſceantur, vel motum pro vitæ conſervatione neceſſarium amittunt, vel in ſummam agitationem, & motuum anomalias adiguntur.*

*Quemadmodùm inſuper ſunt* quædam Venena, *quæ ſpeciali figurâ, magnitudine, & motu particularum*, his potiùs partibus Solidis & non illis *ſunt infenſa, hoc eſt vel Cerebrum, vel Pulmones, vel Veſicam lædunt potiùs, quàm alia Corpois organa; Sic quoque ſunt & Venena, quæ peculiari item figurâ, magnitudine, & motu particularum*, Sanguinem inficere poſſunt, non Lympham, *vel hanc potiùs, quàm* Salivam, *aut* Spiritus *ipſos animales turbare aptiora ſunt, quàm reliquos in humano Corpore* Humores.

*Exponenda igitur eſt* natura Veneni Rabiei, *ut ſcilicet innoteſcat, num illius particulæ noxiæ ſint Partibus Corporis Solidis, an verò Fluidis, vel Spirituoſis: atque inſuper quodnam ſpeciale Vitium partes Solidæ, Fluidæ, vel Spirituoſæ Corporis ex actione particularum venenoſarum, hunc morbum excitantium, contrahant.*

*Sunt qui putant cum* Plinio H. N. lib. 29. c. 5. *ſub Linguâ Canis* Vermiculum *gigni, à quo Furor & Rabies, qui ſi in Catulis tollatur, nulla unquam ſuſpicio Rabiei. Idque negat* Caſpar Rejes in Campo Elyſio quæſt. 62. num. 1. Aldrovandus, *ait, non Vermiculum eſſe ſed* Plexum nerveum. *At.* Jo: Jac. Mangetus in Additamentis ad Boneti Anatom. Pract. lib. 1. Sect. 8. Obſ. 3. additâ, *multos* Vermiculos *invenit* in Cerebro *rabidi Canis. Sunt qui in Renibus Luporum ſeniorum* Serpentes *gigni credunt, à quibus in rabidum furorem agantur. Sed hæc vel falſa, vel adeò rara ſunt, ut omni Rabiei convenire haud poſſint.*

*Sanè ſi attendamus ad ſingula Rabiem conſequentia Symptomata, conjicere facilè poterimus*, non ſolùm partes Fluidas, Spirituoſaſque, ſed Solidas quoque à Veneno ferociſſimo lædi & corrumpi, *ita ut univerſa animalis Oeconomia prorſus peſſundetur, ac Vita tandem deſtruatur.*

*Quamvis autem* Humores *omnes ſummam à Veneno hôc patiantur Vim; nihilo minùs valdè rationi & experimentis conſonum videtur*, Salivam inter reliquos Humores indolem virulentam acquirere, *vel in Cane, vel in quocunque alio Animali, quod primò rabidum evadit.* Symptomata *enim ab initio Rabiem Canis comitantia ſunt, ut hiante Ore hâc illâc feratur, Lingua livida ſit & nigra, atque ex aridis faucibus extra os propendeat, lenta ſpumoſaque Saliva ex ore & naribus abundè extillet: ut advertit* Paræus lib. 21. cap. 16. pag. 490. *Quæ quidem immane Salivæ Vitium imprimis ſignificant. Præterea* non niſi Morſu, *hoc eſt Salivæ in aliud Corpus transfuſione, Canes ac reliqua rabida Animalia Rabiem communicant. Ita ut* nullus Animalium Morſus venenatus ſit, niſi cum Irâ conjungatur, *ut advertit accuratè* Martinus Liſter tract. de Hydrophobiâ.

Hunaultius *tamen* Diſſertatione peculiari de Rabie *ait, naturam hujus Morbi conſiſtere* in evolutione & fuſione excedenti Salium acidorum, & in extremâ rarefactione Bilis, *unde oritur Deflagratio vehemens, ex quâ arefactio veluti univerſi Corporis, & Symptomatum omnium profluxus. A quâ opinione vix deflectere videtur Sententia* Jo: Ravelly tractatu item peculiari de Rabie, *qui aſſerit* Fermentum Rabiem fovens *compoſitum eſſe ex particulis tenuibus, ſolidis, ſalinis, & prorſus igneis, quarum actione univerſum Corpus exſiccatur, & veluti in ignem abit.*

*Sed quid vetat quin eamus in Sententiam* Dom. Tauvry, *qui putat* Salivam & Bilem ſimul eſſe Humores venenoſâ indole primùm infectos? *Rabidi enim utrumque Humorem vomere ſolent, (unde Faucium atque Oeſophagi phlogoſis & corroſio), atque in fundo Ventriculi ſimiles Succos contineri, quemadmodùm Cyſtim felleam nigrâ Bile refertam eſſe, Anatome oſtendit. Hinc à Cibis averſio, qui niſi maximo cum dolore deglutiri ampliùs non poſſunt: Potûs autem & liquidorum omnium aſſumtio eâ quoque ratione moleſta Ægris evadere poteſt, quòd à Potulentis noxia Salia, in Salivâ & Bile involuta, diſſolvantur, ac diſſoluta Morbi ferociam adaugeant.*

*Venenum hoc in Salivæ & Bilis virulentiâ fundatum*, non ſolum in Ventriculo, *primiſque viis vim ſuam exerit, ſed extrà Viſcerum imi Ventris confinia delatum* cum Sanguine commiſcetur: *& quamvis univerſam illius diatheſim conturbet, nihilo minùs, ut videtur, vim præcipuè facit in* Succum ejuſdem roridum, balſamicum, & nutritium, *quem eatenùs diſſolvit atque attenuat, ut Corpus ampliùs non nutriatur, ac Venæ Nutrimenti defectu exſiccatæ anguſtiores redduntur, neque facilem ampliùs concedunt tranſitum Sanguini, quem ab Arteriis excipere deberent. Quapropter Sanguis arterioſus, qui ex diſſolutione & fuſione Succi nutritii ſatis erat diſſolutus, cum liberè in Venas permeare non poſſit, majori copiâ in Arteriis continetur, & diutiùs quàm par eſt: hinc indeſinenter comprimitur & agitatur, ut ejus particulæ quoad minima comminuantur.*

*Hâc Sanguinis morbosâ conſtitutione ſuppoſitâ, patet quid cenſendum ſit* de Cerebro, & Nervis *à Cerebro dependentibus: concipimus enim Cerebrum & Nervos, quum roridâ parte Sanguinis non ampliùs irrigentur*, ſummè exſiccari, & Fibras omnes Corporis incredibilem tenſionem acquirere. *Præterea cum Sanguinis maſſa, in minutiſſimas particulas comminuta, videatur tota in Spirituoſam materiam commutata*, Spiritus è Sanguine confertim & ſummâ rapiditate versùs Cerebrum rapiuntur: *unde haud difficilè eſt colligere Convulſionum, Delirii, & Furoris Cauſſas; Animæ enim ſedes veluti igne prehenſa eſt.*

*Univerſa hæc* Rabiei Theoria *videtur non tam Symptomatum priùs recenſitorum expoſitione, quàm* Anatomicâ autopſiâ confirmari: *etenim in Cadaveribus Hominum & Brutorum Animalium Rabie demortuorum, Pericardium ferè ſemper Aquâ carens obſervatum fuit, Pulmones & Viſcera reliqua prorsùs exſiccata, Oeſophagus & Trachæa omninò inflammatione prehenſa, Cordis ſubſtantia extenuata & omni humore carens, & ſimilia: ut videre eſt apud* Bonetum Anat. Pract. lib. 1. Sect. 8. *Ni dicere velis, ex Potûs carentiâ tantam in Corpore uſtionem inductam eſſe, ut ait* Stalpartius Vander Wiel l. c.

*Sed quod maximè propositam Hypothesim confirmat, est* Observatio ejusdem Domini Tauvry, *qui refert in Rabidi Cadavere* Arterias *deprehensas esse Sanguine valdè liquido repletas & prorsùs infarctas; contrà verò* Venas *vix Sanguinis exiguam portionem continentes. Ulteriùs nusquam* Sanguis *in universo Corpore coagulatus inventus fuit: imò ex eodem extractus atque aëri frigido expositus haudquaquàm concrescebat: quum cæteroqui Sanguis ex eodem Rabido ante aliquot dies, cùm adhuc inter vivos esset, phlebotomiâ eductus facilè coagulatus fuerit. Demùm in eodem Cadavere* Cerebrum *omnesque ejus partes, erant multò sicciores quàm secundùm naturam, quemadmodùm & principium* Spinalis Medullæ, *omnesque Corporis* Musculi. *Hæc habemus in* Historiâ Regiæ Scientiarum Academiæ, anno 1699. pag. 55.

*Hæc non tam in Cane, qui primus in Rabiem actus fuerit, contingunt, quàm in* Corpore illius qui à rabido Cane fuerit demorsus, *communicato scilicet Veneno per Salivam Canis in Sanguinem, & reliquos Humores Animalis commorsi, præcipuè autem in hujus* Salivam & Bilem, *qui Humores ratione similitudinis particularum, ex quibus componuntur, aptiores sunt quàm reliqui ad rabidum Virus suscipiendum, illudque fovendum, ac reliquo Corpori communicandum.*

*Quamquàm autem* Modus propagationis *hujus Morbi familiarissimus sit* per rabidi Animalis Morsum, *seu commixtionem Fermenti venenati cum Sanguine primùm, mox cum reliquis Humoribus factam; non desunt tamen exempla Rabiei* aliter ac per Morsum *ex uno Animali in aliud communicatæ. Referente* Fernelio lib. 2. de abditis rerum Caussis cap. 14. p. 509. *Venatores quidam in Lupum sæviorem irruerunt, trucidatum in varia obsoniorum genera apparârunt & coxerunt: omnes quicumque esitarunt non multo pòst tempore Rabie correpti fuere. Sic ex* Jo: Bauhino tractatu de Rabie Luporum, *carnes Porci à rabido Cane demorsi à sceleste quodam convivis edendæ appositæ illos in Rabiem egerunt, ut mutuis morsibus seipsos dilaniaverint. Idem narrat de Vulpibus rabidis factis quòd Suis rabidæ carnes comedissent. De Fele rabidâ comestâ simile narrat* Kircherus de Peste, *aliique. Vide* Sennertum de Febribus cap. 3. 454.

Saliva *insuper rabidi Animalis non tam Morsu in Sanguinem alterius transmissa Rabiem infert, sed* solo Contactu (*si Historiis credendum est*) *Morbum eundem non semel intulit. Docuerunt post* Galenum 6. de Locis affectis 5. Aëtius, Zacutus Lusitanus, Sennertus, Paræus, Hildanus. *Ex* Palmario *rabidus Rusticus Rabiem in Filios transmisit ex eo tantùm, quòd moriturus extremum illis figere voluisset osculum. Ex* Matthiolo lib. 6. in Dioscor. cap. 36. *duo rabidi facti sunt ex solo contactu Spumæ ex Ore rabidi Canis effluentis. Ex* Hildano Cent. 1. Obs. 86. pag. 62. *Matrona quum vestem à Cane rabido Laceratam filo consueret, ac filum dentibus adscinderet, in Rabiem post tres menses incidit.*

*Nec defuere qui* solo Halitu *posse Rabiem è Corpore in Corpus transfundi crediderunt. Cujus Sententiæ sunt* Aretæus, Cœlius Aurelianus, *& ipse* Cardanus: *imò scribit* Dioscorides lib. 6. cap. 36. *Medicum* Themisonem *dum rabido mederetur Amico, simili contaminatum fuisse labe.*

*At id* negant cordatiores Medici, *haud credentes Venenum adeò volatilis Naturæ esse, ut possit* per Halitum *transmitti: imò nec* Salivæ vel Spumæ contactu, *nisi tamen Cutis in aliquâ parte Corporis læsa sit, & vulnerata, ut possit Venenum cum Sanguine commisceri. Hujus Sententiæ sunt* Petrus Salius Diversus, Amatus Lusitanus, Fracastorius, Conciliator, Codronchus, Rudius, *& ipse* Fernelius lib. 2. de abditis rerum Caussis cap. II. *ubi ait*: Non enim rabidi Canis solus Halitus contagione quemquam polluit, sed in partem demorsu apertam, & Salivam vel humorem eructat, cum quo virus illinc sensim in omne Corpus evadit: in integram verò Cutim si incidat, nihil officit.

*Non omittendum tamen est, quod curiosè notat* Martinus Lister de Hydrophobiâ, *quòd scilicet si per Salivam Rabies communicari potest, & absque vulnere, ut quidam putant, Cur non & per* Semen poterit ex parentibus in filios transmitti? *Et en Rabiem inter* Morbos Hæreditarios *connumeratam. Quamvis autem non semper in Liberis per Hydrophobiam manifestatur, cur non ejus* insani Amoris *Caussa esse poterit, quo complures immedicabiliter* in Canes *feruntur, atque eos magis quàm sibi Conjunctos, Amicosque in deliciis habent, utque vivere nesciant absque harum Bestiarum consuetudine?*

*Sed his omissis illud exponendum est,* quamdiu & quomodò Venenum hoc Morsu conceptum in corpore latêre possit, *ut posteà tantâ cum vehementiâ erumpat. Et quidem Venenum rabidi Morsûs cùm semel conceptum est* vix ante trigesimum *vel* quadragesimum diem *sensim excitari solet, ut vires acquirens eundo vehementiùs postmodùm erumpat & manifestum evadat. Quamquam autem hôc temporis spatio Symptomata sua expromere soleat rabidum Virus, nihilo minùs Historias habemus, quæ Rabidos narrant* post quintum, septimum, decimum mensem *à Morsu factos.* Galenus *post* annum *integrum ait*: Horstius, Salmuth, Salius, Zacutus *post* quintum, septimum, *&* duodecimum annum: *Simile quid habet* Dioscorides & Avicenna. Brassavolus *testatur post* decimum septimum *à Morsu* annum *Rabiem supervenisse*; Schmidius *post* vigesimum, Borellus *post* trigesimum, *&* Alzaharavius *ait integros* quadraginta annos *in Corpore rabidum latuisse Venenum. Elegans tamen est quod legimus apud* Hildanum Cent. 1. Obs. 86. *de Matronâ à rabido Cane commorsâ, quæ etsi potentibus auxiliis illicò tractata fuerit, in Rabiem tamen incidit septimum post annum: Remediis adhibitis restituta, post alios septem annos iterum rabida evasit: ac post sexennii intervallum, hoc est vigesimo à Morsu anno denuò in Rabiem recidit, cujus Symptomata anno sequenti semel, deinde proximè sequentibus duobus annis bis & ter recruduerunt, sed brevioribus & levioribus paroxysmis; ita ut misera Mulier à sævitie recidivantis Morbi adeò frequenter conflictata, Mortem ærumnarum omnium terminum exoptaret.*

Quomodò *autem* Venenum adeò potens tamdiu in Corpore consepultum delitescere possit, *hîc expendendum. Ut hoc intelligatur illud notare oportet, quòd* Fermentorum *omnium particulæ, etsi tenuissimæ & celerrimo motu actæ, si cum crassioribus aliis & solidioribus commisceantur, possunt motum eâ ratione amittere, ut ad longum tempus delitescant, & veluti consepultæ inertes jaceant: quamprimùm autem datâ occasione, motum sensim nancisçantur, ad pristinam velocitatem activitatemque redeunt, & antiquam indolem adipiscuntur. Sic videmus Fermentum Variolarum & Luis Venereæ ad annos nonnumquam latere, quo usque, datâ occasione, in apertum prodeat, ac inexpectatos effectus producat.*

*Poterunt*

*Poterunt igitur particulæ venenatæ Salivæ Canis rabidi, Morsu in Sanguinem Hominis vel alterius Animalis communicatæ, sic cum ejus particulis crassioribus commisceri, & involvi, ut vel motum omninò amittant, vel si quem conservent, adeò debilis ille sit, ut nullam sensibilem inferat noxam. Cùm verò temporis tractu semisopitæ Veneni particulæ manifestiorem motum acquirant, vel quæ prorsùs non movebantur, motum quâcunque ex causâ adipiscantur; tunc sensim excitantur in Animalis corpore turbæ illæ, quas priùs descripsimus, adeoque rabidi Veneni vis manifestè se prodit. Quod eò facilius fidem merebitur, si concipiamus rabidi Fermenti particulas etsi exiguas, esse tamen non mediocris soliditatis: atque hâc ratione, (quæ est indoles solidorum corporum) non tàm promptè ad motum disponi, sed cum semel in motum actæ fuerint, illum maximo gradu concipere & diutissimè conservare.*

Manifestatio *autem* hujus Veneni citiùs vel tardiùs accidere potest, *vel pro majori vel minori Veneni Morsu inflicti activitate, vel pro variâ Corporis Animalis demorsi dispositione. Si enim in hôc Sanguis tenui præditus sit diathesi, Spiritusque agiliores impetum faciant; tunc particulæ Veneni in promptiorem materiam irruentes, non secus ac ignis scintillæ in paratam escam, citissimè morbum inducunt: contrà verò, si contrariam nactæ sint corporis dispositionem. Quam plurimùm autem ad id facere potest Ciborum variorum usus, Potus diversus, Anni tempestas, Terræ regio, Animi passiones, similesque causæ, ut considerati patere potest.*

*Sed ut à parte Physiologicâ hujus Tractationis* ad Pathologicam *transeamus, exponenda sunt non tam* Signa Rabiei ab Homine *jam contractæ, quàm illius* in Cane *priùs glisscentis, ut scilicet noxium Animal cautè vitare possimus.* Canem *igitur* Rabie affectum *his Signis deprehendere poterimus ex* Paræo lib. 21. cap. 16. *Ad Aquæ conspectum contremiscit & horripilationem patitur (etsi non nulli negent Canes & reliqua Animalia, præter Hominem, fieri hydrophoba): Oculis flammeis & horrendis torvè intuetur: ex hiante & spumoso ore Lingua livida & nigrâ multùm propendet: incertum tenet iter, àc veluti ebrius in obvia Corpora incurrit, ac in terram prolabitur: Si quid objiciatur, sive Homo, sive fera, sive arbor sævè Morsibus adoritur: Canes alii illum eminùs subodorantur, & quò possunt citiùs subdolè evadunt: nec comedit nec bibit, nec latratum edit: Auriculas habet pendulas, & Caudam inter Crura abscondit: demum nec Dominum, nec Domum agnoscit, nec illos quibuscum familiariter egerat.*

Signa *verò* conceptæ ab Homine *& mox erumpentis* Rabiei, *hæc ex* Cœlio Aureliano *colligit* Martinus Lister de Hydrophobiâ. *Incipit anxietas quædam & iracundia ex levi quâcunque occasione: insolitus motus, & ad incedendum nescio quò desiderium: Somni leves & perturbati, membrorum pandiculatio & oscitatio jugis: à vento & pluviâ etiam levissimâ tædium: exigua demum bibendi cupiditas præter consuetudinem.*

*His Signis incipientem Rabiem dignoscimus*: Consummatâ verò & perfecta *Symptomatis in descriptione Morbi recensitis manifestatur apertissimè. Quod vulgò ajunt* in Rabidorum Urinis Catulos contineri, *inter aniles fabellas connumerandum.* Signum *tamen* pathognomonicum *confirmatæ Rabiei illud ex omnium A. A. consensu est, quòd Ægri* Aquam & Potum omnem refugiant, *etsi ardentissimâ teneantur Siti. Sed quænam esse poterit admirandi* hujus Symptomatis ratio?

*Prætermitto hîc loci recensere illorum Opinionem, qui ad* occultas *confugiunt* Qualitates, *tutissimum, ut ab omnium difficultatum ambagibus se extricent, ac in tuto ponant, asylum. Non reticebo tamen quod quamplurimi non è vulgo Viri, cum* Aëtio tetrabiblo 2. cap. 24. *sentiunt: eâ nempe ratione Rabidos Aquam formidare, quòd in illâ vel* Canum, vel propriam imaginem *ad Caninam formam accedentem ex perversâ imaginatione intueantur: narratque* Aëtius *Rabidi Philosophi Historiam, qui in Balneo Canis imaginem (ut reliqui omnes Rabidi) videns, seipsum increpans ait,* Quid Cani & Balneo commune? *ac affectionem superans, quum citrà timorem bibisset, sanatus fuit. Sed hæc* Aëtii *Historiæ fidem non meretur apud illos, qui scribunt, ex Hydrophoborum confessione nullam ipsis apparere Canum in Aquâ imaginem.*

Petrus Salius Diversus *ait, eâ ratione Rabidos Aquam formidare, quòd instinctu quodam Naturæ peculiarem* Antipathiam *habeant* ad omnia liquida, *quorum usu Malum ferocissimè exasperatur. Id clarius explicare conantur Recentiores alii, ac* Richardus Mead *ait ex parcissimi liquoris, etiam propriæ Salivæ, deglutitione summos dolores in Rabidis excitari, quod nempe Fauces & Oesophagus maximâ teneantur inflammatione.* Hunaultius *insuper addit Aquam in Rabidis parere effectus similes illis, quos observamus, cùm fusis Metallis, aut Nitro, Sulphuri, vel Oleo igne liquatis, exiguam Aquæ copiam inspergimus; illicò enim ebullitio vehemens, detonatio, & particularum illorum in aërem dissolutio supervenit: simili ratione cùm in corpore Rabidorum* Bilis *Acidorum commixtione fusionem & inflammationem subierit,* si Aqua addatur, *in horrendas detonationes cum Viscerum interitu abit: à quâ pernicie* abhorrens Natura *Aquæ timorem miseris Rabidis incussit.*

*Sed omisso hôc Naturæ instinctu, qui vel ad occultas Qualitates quam proximè accedit, vel in Rabidis locum non habet, qui multoties Aquâ, quam refugiunt, curati sunt; existimaverim* Aquæ formidinem hâc ratione explicari posse. *Quum observatum sit, Rabidos non solùm* Aquam *timere, & reliquâ* Corpora liquida, *sed* Lumen *ipsum,* Ventum *etiam levissimè flantem,* Speculorum *& Corporum specularium motum, denique quidquid vel leniter proprii Corporis superficiem titillare aptum est; crediderim id pendere* ex excedenti Spirituum animalium in Corpore Rabidi agitatione, *atque adeò* ex summâ Fibrarum omnium Corporis tensione: *quâ ratione fiat ut corpora illa quæ particularum assiduâ mobilitate Lumen reflectentia illud per successivas & velocissimas vibrationes ad Oculos remittant, ea Spiritus animales adhuc violentiùs urgendo, ac Cerebrum Nervosque omnes quatiendo, inexplicabilem miscllis Rabidis addant molestiam.*

*Quod si verum sit;* haud Rabidi Aquam fugiunt, *quòd* à Potu abhorreant, *sed quòd Aquâ Corpus sit ejus naturæ, quam descripsimus; aptum nempe ad radios Luminis cum vibratione & succussatione reflectendos, adeoque ad infandum cruciatum Rabidis excitandum. Atque hinc patet cur Liquida omnia, Specula, Ventus, Lumen ipsum Rabidos absterreant. Ut aptissimum sit quod narrat* Hunaultius: *Rabidi cujusdam* Pulsum haud leniter tangere fas erat, *sed arctâ digitorum pressione, ad*

*vitandam titillationem moleſtiſſimam. Idem Rabidus haud ferre poterat levem* Sonitum *quem pariebat Sanguis è propriâ Venâ ſectâ in vas appoſitum effluens. Nec ideò mirum videri poterit quod narrat citatus* Hunaultius, *Rabidum ſcilicet in furorem actum, ex eo tantum, quòd cùm plòraret, obortæ* Lacrymæ *ſupra brachium cecidiſſent. Quod autem omnem fidem ſuperat eſt ab eodem relatum: Quum Rabidus Ruſticus in mortis agone conſtitutus ferè animam redderet, ab aſſidente Parocho jam mortuus reputatus* Aquâ benedictâ *fuit adſperſus, cujus guttulæ non tam miſelli Corpus, ferè Cadaver factum, tetigere, ut illud cum impetu reſiliret non ſine adſtantium metu, & admiratione.*

Prognoſticum hjuus Morbi valdè lethale eſt, *ex A. A. conſenſu, & Experientiâ teſte. Si quis enim Rabidus ſanatus legitur apud* Valeriolam, Paræum, Foreſtum, *alioſque, in eo ſanè haud confirmata Rabies credenda, ſed vel incipiens, vel fortaſsè Rabiei ſuſpicio. Si Malum hoc* ad Hydrophobiam pervenerit, *deſperata omninò res eſt: ita ut veriſſimè cecinerit* Ovidius 2. de Ponto:

Tollere nodoſam neſcit Medicina Podagram,
Nec formidatis ulla medetur Aquis.

*Quum ergò ſi quæ Curationis in Veneno Rabiei ſpes eſt, conſiſtat* ut recèns inflicto Morſui ſuccurratur; *hinc ea hîc afferamus Medicamenta, quæ extempore parari poſſunt, ad promptè vitandam Veneni in Corpore demorſi propagationem. Primò* Vulnus *recens à Rabido Animali inflictum Aquâ, aut Vino ſalſo, vel Urinâ quantocyùs abluatur: alii Theriacam cum Sale miſcent: Sal enim ex* Celſo *præcipuum eſt Medicamentum. Citrà vulnus* Ligatura *injiciatur, ad intercipiendum Veneni cum Sanguine refluo commixti tranſmiſſionem: Sed cave ne hæc Ligatura tam arcta ſit, ut ad neciroſin Membrum diſponat. Quòd ſi Membrum deligari non poſſit, Pulveres adſtringentes Ovi albumine excepti, ad modum Emplaſtri defenſivi circumponantur.* Celſus *item monet, ut* Cucurbitula *parti applicetur: quòd ſi hæc pro ratione partis applicari nequeat,* Hirudines *apponantur, vel* Scarificatio *adhibeatur: hinc admoveatur* Emplaſtrum Galeni *è Pice, Aceto, & Opoponace in Vino liquato: vel abluatur & fomentetur Membrum demorſum Theriacâ Vino generoſo ſolutâ: demum applicetur hoc* Cataplaſma:

℞. Theriacæ vet. ℥iß. Succi Ceparum ℥iß. Stercoris columbini ℥iiß. Sal. comm. ʒij. Pulv. Rutæ, Scordii *an.* ℥ß. Spiritûs Vini *q. ſuff. f.* Cataplaſma.

*Vel ex* Hunaultio:

℞. Folia Lepidii latifolii, Pimpinell. hort. Galegæ, Salviæ, Hyſſopi, Rutæ, Bellidis *q. ſufficienti: adde* Allii *ſticas duas: contunde, deinde adde* Teſtarum Oſtreorum calcinatar. *vel* Pulveris Cancr. marinor. ℥j. *f.* Cataplaſma.

*Haud tamen his quieſcendum, ſed vel* labia Vulneris novaculâ *ad fundum uſque* ſunt abſcindenda; *vel* pars affecta Ferro candente *ad aliquam diſtantiam admoto, vel ſecundùm alios profundè & non ſuperficie tenus*, adurenda, *deinde* Eſchara, *quam vocant Chirurgi, quantocyùs* relaxanda, *& Butyro, Ovique vitello emollita* removenda, *ut per apertum & patens Ulcus poſſint Veneni particulæ promptiſſimè evolare: Imò* Ulcus ſic apertum, *patenſque, ad minimum uſque* ad quadrageſimum diem *omni chirurgicâ induſtriâ* conſervari debet, *ne vel exiguum fiat mananti cum Sanguine Veneno impedimentum. Ex* C. Celſo: Quidam poſt rabioſi Canis Morſum protinùs in Balneum mittunt, ibique patiuntur deſudare, dum vires Corporis ſinunt, Ulcere adaperto, quò magis ex eo quoque virus diſtillet, deinde multo meracoque Vino excipiunt: quod omnibus contrarium eſt. Idque cùm ita per triduum factum eſt, tutus eſſe Homo à periculo videtur.

*His Topicis parti affectæ adhibitis, haud negligenda ſunt* Interna, & Univerſalia Medicamenta. *Dabo deſcriptionem* Pulveris Palmarii, *cujus doſis ad* ʒß. *quatuor horis ante prandium per multos dies, vel Vino, vel formâ Boli cum Syrupo, aut Melle aſſumatur.*

℞. Fol. Rutæ, Verbenæ, Salviæ, Plantaginis, Polypodii, Abſinthii, Menthæ, Artemiſiæ, Meliſſophylli, Betonicæ, Hyperici, Centaurii minoris *an. partes æquales: f. omnium* Pulvis.

*Eſt & Remedium* Hannemanni *ex* Bartholino in Actis Hafniæ, *quo & Hydrophobos ſanatos ait.*

℞. Herbæ Rutæ, Abrotani, Betonicæ, Salviæ *an. M. j. inciſis affunde* Aceti optimi ℔j. *poſt brevem infuſionem exprime: expreſſo adde* Theriacæ Andr. ʒij. *Hauriatur doſis integra dimidiata, ratione ætatis vel virium.*

*Eidem infuſioni addit* Herbæ Cardui fullonum *M. j. vel ejuſdem* Seminum contuſorum ℥j. *Imò ſolum Semen Cardui fullonum, ſeu Dipſaci, in Lacte datum Hydrophobos reſtituiſſe teſtatur idem Autor.*

Si de Morſu Canis dubitetur, *num Rabies cum illo conjuncta ſit, vel ſi haud certi ſimus, num Venenum jam Morſu conceptum ſatis ſit Remediis adhibitis perdomitum, jubent* Aëtius, Ægineta, Oribaſius, *ut Vulneri Panis offa Vino imbuta, vel Nuces juglandes contuſæ apponantur, deinde Gallinis comedendæ exhibeantur: quòd ſi hæ intereant, Signum erit Venenum in Vulnere latêre, vel non adhuc ſuperatum eſſe, adeoque Medicamenta indeſinenter adhibenda.*

*Ad Hydrophobiam autem ex* Cornelio Celſo lib. 5. cap. 27. Unicum Remedium eſt, Ægrum nec opinantem in piſcinam non antè ei proviſam projicere: & ſi natandi ſcientiam non habet, modò merſum bibere pati, modò attollere: ſi habet, interdum deprimere, ut invitus quoque Aquâ ſatietur: ſic enim ſimul & Sitis & Aquæ metus tollitur. *Hæc Remedii genus quamplurimi Authores recipiunt, & Hiſtorias afferunt Rabioſorum à miſerrimo Morbi genere hâc induſtriâ liberatorum: Imò* Hunaultius *ait, nudum Ægrum firmiter deligandum, deinde in illum* 40. *vel* 50. *frigidæ Aquæ ſitulas projiciendas eſſe. Neque id præter rationem exiſtimandum, nam ex timore & ex frigidæ Aquæ conſperſione poterunt agitatiſſimæ Veneni, Spirituum animalium, & reliquorum Corporis humorum particulæ aliquâ ratione ſedari, & Morbus imminui. Imò non nulli* merſionem in Aquam marinam *potiùs laudant, quàm dulcem, quòd nempe Sal Marinum ſpeciali proprietate huic Veneno reſiſtat.*

*Sed* ſunt qui ab hoc Remedio abſtinent, *veriti ne ex frigidæ Aquæ actione Corpus in Nervorum diſtentionem incidat, ac proinde ex Convulſione intereat, quemadmodùm funeſtâ experientiâ compertum eſſe teſtantur Hiſtoriæ.* At id ne incidat, *ait* Celſus, Æger à piſcinâ protinùs in Oleum calidum demittendus.

*Sunt qui ad hoc virus depellendum utuntur* Emeticis & Catharticis Medicamentis: *Sed ſi verum fateri velimus, non niſi ad perniciosam Ægri virium jacturam. Nec deſunt qui* Venam ſecant, *Sangui-*

*Sanguinemque ad non exiguam quantitatem mittunt. At quamvis Remedium hoc videri poſſit ad ſedandum Sanguinis & univerſi Corporis orgaſmum haud ineptum ; nihilo minùs ad Veneni vim compeſcendam nihil facere , conſideranti manifeſtum eſſe poteſt : Imò ſi juxta Morbi Theoriam Venæ exſiccatæ ſunt , & Sanguinis inopiâ laborant , non leve Corpori inferretur detrimentum ſi adhuc ampliùs inaniantur. Fortaſſe ſi unquam Sanguis in Rabioſis eſt educendus* , per Arteriotomiam *potiùs , quàm per Phlebotomiam educi deberet.*

*Denique innumera numerantur apud Autores* Remedia quæ ſpecificâ proprietate Rabiei medentur. *Inter* Herbas *commendantur Ruta , Verbena , Salvia , Plantago , Polypodium , Abſinthium , Mentha , Artemiſia , Meliſſa , Betonica , Hypericum , Centaurium , Pimpinella , aliæque , quarum vel Pulvis , vel Succus , vel Decoctum ex uſu eſſe poterunt. Apud* Galenum *alioſque Antiquiores commendatur Planta* Alyſſon *appellata , quod nempe* λύσσαν , *ſeu* Rabiem , *pellat ; ſed non adhuc conſtat apud Botanicos quodnam ſit hoc* Galeni Alyſſon. *Præter Herbas ex uſu quoque ſunt* Cancri , *non tam fluviatiles , quàm maritimi in pulverem redacti , vel quocunque alio modo ingeſti. Notat tamen* Bartholomæus de Moor *Specifica contra Rabiem ea eſſe , quæ vi diaphoreticâ & narcoticâ pollent : quod à ratione haud alienum eſſe videtur : quare hic Autor præſcribit* Decoctionem Fraxini cum Opio, & Sale Prunellæ.

*Sed illud poſtremò quoque notandum à quibuſdam commendari* Canis ipſius rabioſi Pilos *Vulneri applicitos : ab aliis ejuſdem* Canis Jecur *aſſatum , & triduo comeſum : à nonnullis ipſum* Cruorem cum Jecore *ingeſtum. At anteà retulimus Hiſtorias quorundam , qui ex eſu Carnium rabioſorum Animalium in Rabiem inciderunt. Sed his & ſimilibus commentis miſerandum hominum genus impudentiſſimi impoſtores miſerè ludificantur. Securiùs igitur ſibi ipſis conſulunt , qui hôc Remediorum genere poſthabito , ad* Deum Optimum Maximum *confugiunt* , Divorumque *patrocinium , præſertim* Divi Bellini , *ex* Rhodigino , *vel* Divi Donini , *ex* Matthiolo , *aut* Divi Viti , *ut noſtri faciunt , precibus & ſacrificiis efflagitant.*

## MEMBRUM II.

### *De Tarantiſmo.*

VIcinum ferè Malum eſt *Tarantiſmus* , ſeu Rabies eorum , qui à Tarantulis ſunt morſi. De hoc Tarantulæ Veneno , indeque orto Delirio Muſico , jam quædam monenda forent ; ſed cùm Morbus hic in Europâ , præter Apuliam , nullibi cognitus , & jam ab aliis ſufficienter explicatus ſit , qui de Tarantiſmo ſcripſerunt , in ſpecie à Kirchero *in Muſurg. Magnâ , in ejus Arte Magnet.* à Schotto *in Magiâ Naturali Part. 2. ubi de Auditu* , à Ferdinando *in Hiſt. Med.* nec non à Senguerdo *de Tarantulâ* , qui integrum libellum de hac materiâ ſcripſit , cujus contenta extant in *Act. Philoſ. Angl. Part. 4. Ann. 1668. pag. 66.* utut non multum videatur habere in receſſu , & alii ſimiles Autores ; ob id , ne actum agam , in ſpecie , cùm apud nos hic Affectus non occurrat , eundem tranſire permittam. Marcus Marci etiam videatur *in Philoſophiâ Veterum Reſtitutâ , in cap. de Tarantiſmo.* ( X )

Primariò *Spiritus Animales* affecti ſunt , & ita maximam partem *Affectus Idealis eſt* : tamen & his hoc modo affectis , in juncto Fluido aliquid Acri-



moniæ malignæ ſubeſſe , præter convulſiva Pathemata , imprimis Cura , quæ per Lac in Perſiâ inſtituitur , confirmat.

## CURA.

*Cura* ejus aliàs eſt *Muſica* , cujus rationem Williſius *de Morb. Convulſ. cap. 7. pag. 65.* ita deducit : Venenum hoc mitius eſſe , quàm ut Spiritus Animales penitùs extinguere valeat, aut diſtractos prorsùs diſſipare ; ſed eos tantùm in fugam conjicere , fugatoſque in Spaſmos leviores incitare : at verò Muſicam Spiritus facilè congregare ac mutuò aſſociare , hinc ſerie quadam Nervorum corpora ſubeuntes certis velut in cancellis ferri , donec Veneno diſſipato Paroxyſmus ceſſet.

Omiſſis ergò hiſce , *ad Deliria , ab Externâ Causâ* inducta , pergo. Hæc quod attinet ſeu ab aſſumptis aut inſpiratis *Venenis* , in ſpecie ſimul *Narcoticis* , oriantur , priora optimè curantur *Vomitorio* in principio adhibito ; poſteriora verò , præmiſſis Univerſalibus , vel in genere *Aceto cum Caſtoreo* & Camphorâ miſto , vel unicuique aſſumpto in ſpecie Appropriata exhibenda erunt.



( X ) Nota Cyrilli. *Abſolutiſſimam* de Anatome , Morſu , & Effectibus Tarantulæ Diſſertationem *habes inter Opera* Cl. Viri Georgii Baglivi , *qui negotium ſuo more accuratiſſimè exſequitur , præſertim quum in noſtrâ Apuliâ ( quæ præcipua Tarantularum ſedes ) Autor commorans , plurimarum Obſervationum teſtis fuerit* αὐτόπτης. *Ego verò minimè reticebo quod Æſtate Anni nuper elapſi* 1721. in Noſocomio Incurabilium *mihi obſervare contigit.* Mulier , *ut videbatur , quadragenaria Stultitiæ nomine ibi recepta , poſt aliquot dies Cibum omnem reſpuens ( quod Inſaniæ tribuebatur ) in Febrim & ſummum virium languorem incidit : lectulo per hebdomadam jacens non ſolùm ab omni Alimento & Remedio , minis & precibus incaſſum adhibitis , abſtinuit , ſed nec verbum ullum unquam protulit. Quum die ſeptimâ Inediæ & Silentii , illam , ut moris erat , ſaltem ad Aquam ebibendam compellerem , animadverti toto Corpore immotam , manuum tamen digitos & caput ipſum certâ quâdam modulatione & rhythmo agitare , ut agitatio hæc Muſicis numeris aliquâ ratione reſpondere videretur. Cœpi de* Tarantiſmo *ſuſpicari , præſertim quum percontatus , unde ad Noſocomium devecta eſſet , ex Apuliâ reſpondiſſent. Lyricinem illicò accerſiri juſſi , quo fides ad* Tarantellæ , *ut vocant , numeros plectro utcumque pulſante , extemplò Mulierem in lectulo humi ſtrato , ubi ſemimortua & pulſibus carens jacebat , manus & caput manifeſtiùs ad Lyræ ſonum rhythmicè movere , hinc lectulo inſidentem , geſticulationes Choream affectantes edere vidi : quare imperato adſiſtentium Mulierum auxilio , illa prorſus ſurrexit , & primùm ab iiſdem ſuffulta , mox abſque ullo fulcro , & rubram vittam , quam præſtiti , manibus curiosè intorquens , non ſine maximâ omnium admiratione per conclave , nî omnibus numeris abſolutâ ſaltatione , ſaltem rhythmicis paſſibus , quoad vires ferebant , & Lyræ ſono reſpondentibus , ad aliquod temporis ſpatium pervagata eſt. Frigidam tunc temporis propinatam avidè potavit : demum imperatâ quiete , & tenui cibo , ut reparatis viribus iterum Choreæ indulgere poſſet , receſſi. Cibum tamen vix aſſumſit : quare iterum & tertiò Muſicâ adhibitâ è lectulo ſurgere vix potuit : tandem deficiente prorſus Corporis vigore , tertio pòſt die è vivis deceſſit.*

## MEMBRUM III.

### *De Amore Insano.*

AD hujusmodi Deliria, quæ extrinsecùs adveniunt, pertinet etiam *Amor Insanus*, qui à *Philtris* probè distinguendus. Nam *Amor Insanus est species quædam Melancholiæ*, quam ex nimio, sed vero Amore non nulli contrahunt: non secus ac alii ex nimiâ Mœstitiâ, Molestiâ, & Curis, Melancholici fiunt, & ad Deliria Melancholica disponuntur: ita etiam tales Amantes ex nimio Amore in graviori Malo non nunquam in Maniam dilabuntur, & Amentes fiunt, ut superiùs aliquando monui.

## DIAGNOSIS.

Quoad *Signa* cognoscendi Amorem Insanum: ex primariis Signis est *Pulsus*, sicut superiùs monui, quòd Affectus Animi ex Pulsu cognoscantur.

Controversia aliàs est: *An detur Pulsus Amatorius*, qui proprius sit intensè amantibus? seu an ex Pulsu certò cognosci possit, quendam Amore nimio laborare? Experientia quemcunque informare potest. *Negatur*: Non datur Pulsus Amatorius ab aliis Pulsibus specie distinctus, utut ex nimiâ Pulsûs perturbatione ac inæqualitate, concurrentibus simul aliis Symptomatis, probabilis conjectura haberi possit. De hac Controversiâ vid. Horstius *in Oper. Med. Tom. 1. circa finem*, cui annexa est *Dissertatio* quædam *de Pulsu Amatorio* an detur specialis? ubi idem negatur. Saltem hoc obtinet, ut in talibus soleat esse admodùm *varius*, & insigniter inæqualis, turbulentus & inordinatus: sed simul atque fiat mentio Personæ amatæ, subitò alteretur & mutetur Pulsus in majorem, celeriorem & vehementiorem: Postmodùm verò, ubi mentio istius Personæ amatæ cessat, Pulsus obscurus, turbulentus & inordinatus denuò fiat; & ita tandem subinde repetendo mentionem istius Personæ amatæ, ex Pulsûs tali mutatione facilè pervenire possimus in cognitionem hujus Affectûs: Exempla vid. in Foresto *lib. 10. Observat. 30.* Sicuti etiam jam Galenus tale Exemplum annotavit. Sed hoc nil est peculiare; commune enim hoc habet, cum omnibus Melancholicorum Pulsibus.

## CURA.

*Amor Insanus* removendus est, partim *Remediis Ethicis*, partim *Remediis Medicis*: Illis, *Ethicis* nempe, Persuasionibus rationalibus, ut Amor iste Insanus & nimius removeatur, & impetus iste cæcus amorosus corrigatur, & emendetur: His, *Medicis* nempe, similibus ferè, quæ aliàs in Melancholiâ & Affectibus Melancholicis solent commendari & præscribi. Mitiora tamen ut plurimùm usurpanda, aut pro circumstantiarum diversitate diversimodè immutanda, cùm Affectus Animi hîc prævalent, qui Persuasionibus imprimis curandi sunt.

## MEMBRUM IV.

### *De Philtris.*

PErgo potiùs ad ipsa *Philtra*, seu ad Media, quibus Amor & Affectio quædam unius Personæ singularis erga aliam Personam determinatam conciliatur; ita quidem, ut ex præsentiâ talium Subjectorum Facultas Animalis, in specie quoad Affectus Animi, se optimè habeat: sicuti talium Personarum absentia est plùs minùs molesta, aut gravioribus Animi Anxietatibus & quasi Deliquiis obnoxia. Unde *Philtra* possunt usurpari inter *Mares & Mares*, inter *Fœminas & Fœminas*, inter *Mares & Fœminas*, inter *Homines & Bruta*, inter *Bruta & Bruta*, ut sic mutuus Amor concilietur. Hæc ipsa Philtra sunt vel *Vera* vel *Falsa*. *Philtra Falsa* seu *Notha* sunt, quæ à Plebeculis, Vetulis, & Mulieribus, aut etiam Prostibulis & similibus, subinde propinantur. Sed hæc ipsa sunt vel *Vana*, vel *Frustranea*, vel alio passu nocent, aut sunt *Præternaturalia*, aut *Magica*, aut si non sunt Magica, saltem virtute Verorum Philtrorum carent. *Vana & Frustranea* ex variis Subjectis parari solent, & ordinariò ferè & frequentissimè ex eorum *Menstruo Sanguine*, nunc solitario, nunc adjecto *Sanguine Leporino*, tanquam Animalis fœcundi & salacis, componuntur. Alii ex parte *Umbilici Infantum* decidui singularem Amorem conciliare volunt: alii *Secundinas* adhibent; sunt, qui beneficio *Seminis Humani* Philtra Magnetica seu Amorem conciliare volunt. Alii *Testiculis Animalium salacium*, Sudore certi Hominis probè irrigatis, Homines in Amorem cogere volunt. Sed hæc omnia & similia sunt ludicra & falsa, ut & Magica & præternaturalia, quibus nil obtinetur: Nam loco cupidi Amoris talibus, qui postulantur, ut ament, subinde gravia & periculosa Symptomata, subinde *Maniam*, *Dementiam* & *Stupiditatem* inferunt. In specie Exemplum hujus rei stupendum vid. in Henrico *ab* Heer *Observat. 13.* stupendorum Spirituum ex Philtro tali falsò natorum.

*Vera* quod attinet *Philtra*: ea sunt talia, quibus verus Amor, & naturalis quædam Inclinatio unius Personæ in aliam excitari potest, idque Medio quodam naturali, tanquam Magnete transplantatorio, perficitur, ut exinde sequatur mutuus Affectus. Vid. D. Clauderi *Disputatio de Philtris*, quæ perquàm elegans est. Quæritur hîc: *an dentur talia Philtra*, & quæ sine metu Maniæ in determinatâ Personâ Inclinationem & Amorem excitare & conciliare valeant? Communiter propter ignorantiam modi, quo fiat, etiam res ipsa negatur: sed malè & contra Experientiam. *Veritatem* (nempe quòd dentur, beneficio quorum Inclinatio determinata hujus Personæ in istam possit conciliari) *confirmat Experientia*; ubique enim prostant *Exempla*, quibus *coactus Amor* possit fieri.

Nam (1.) per *Experientiam* res certa est, quòd legitimè instituta & usurpata Philtra omnimò hanc vim obtineant, tam in Hominibus, quàm etiam in Brutis. Sic quidam *Studiosus* in ædibus meis paternis à Lotrice suâ in Balneo Intritum (*Kalte Schaale*, Germanis dicitur) benignum, ast satis potens amorificum accepit, per cujus esum tanto Amore erga eandem deflagrabat, ut planè anxius redderetur, nisi quotidie eam visitaret. A quibusdam quæri solet, an fiat per *Magiam & artificia Diaboli*? & respondeo, quòd non. Posito, sed non concesso, subesse ludibrium Dæmonis, saltem Dæmon non potest agere supra Naturam, sed potiùs secundùm vires in Naturâ fundatas. De Cane notum est, quòd si quis recipiat frustum Panis, & sub Axillis detineat, ut insensibili transpiratione & sudore proprio benè imprægnetur & madescat, & ei postmodùm propinetur, tunc Canis talem Hominem vix unquam deserit, & ad Heri sui Amorem singularem allicietur. Notum Exemplum Helmontii, quod refert *in suo Tract. de Magneticâ Vulnerum Curatione* §. 27. quòd nempe receperit Herbam, quam ac tempus detinuerit in Manu, postmodùm Pedem cujusdam Catuli itidem ad tempus detinuit in Manu istâ; unde factum fuit, ut postmodùm Catulus eum amicè secutus fuerit, relicto antiquo Hero. Præterea & Dñ. D. Hauptmannus habuit Passerem, cui similiter tale Philtum, eorum vim & virtutem probaturus, propinavit ex medio Vegetabili, ita ut exinde Passer eum nunquam deserere potuerit, sed in Musæo illi semper adstiterit: visitans Ægros cum eodem hinc inde circumvolavit, & nunquam eum deseruit, referente D. Michaelis. Conferantur hîc ea, quæ habet

habet Helmontius *loc. cit. pag.* 599. de Curâ Vulnerum Tranſplantatoriâ, quæ fit cum Pulvere Sympathetico, Perſicariâ, & ſimilibus. Sunt duæ Plantæ ubique obviæ, quæ ſi in Manu detineantur, quæcunque ex illis ſit, ut benè intepeſcant, (nam hæc eſt conditio ſine qua non) & hinc Manus abjectâ Herbâ porrigatur Virgini, ita ut & illius Manus probè detineatur, ut ſimiliter incaleſcat, hinc Amor mutuus conciliatur, certus, non tamen diu durans, ſed tantùm per quatuor aut quinque dies. Primam Plantam Hyoſcyamum, alteram Cochleariam vel Perſicariam puto fuiſſe. His & ſimilibus Exemplis certis nullum dubium eſt, quin poſſit fieri Amoris certa conciliatio. Sufficit, quòd ubique proſtent Exempla Actionum in diſtantem & determinatam Perſonam, tam in melius, quàm in pejus.

(2.) Confirmant Philtrorum poſſibilitatem *Exempla analoga* Sympathiarum mutuarum, in Naturâ obviarum, inter quædam Animalia, ad quas pertinent Curæ Magneticæ in Morbis, ut nempe certo Medio Morbus poſſit transferri ex uno Animali in alterum, ita tamen, ut Morbus curetur affecto altero. Sic, ut nihil dicam de Pulvere Sympathetico, in Ictero ex Urinâ Ægri & Farinâ ſiunt Placentulæ, quæ Placentæ pro Tranſplantatione Morbi propinantur Cani, vel Feli, & Icterus exinde ſanabitur; quod veriſſimum eſt: Vid. Bartholinus *Cent.* 3. *Hiſt.* 66. Marcus Marci *in Philoſ. Vet. Reſtit.* & Helmontius. De Atrophiâ per Sanguinem Ægri Ovo incluſum curandâ, vid. Hartmannus *in Praxi Chymiatr.* & Burggravius *in Biolychnio*, cujus Experientia certa facta eſt in Anglia, referente hoc Boyle *in Philoſ. Experiment.* quali Sympathiâ & Mariti per Incantationem faſcinati curantur. Nihil dico de Podagræ Curatione per Tranſplantationem in Quercum, &c. Hæc & ſimilia omnia innuunt correſpondentiam totius cum partibus à toto ſecretis. Nota etiam eſt Sympathia & Amor naturalis inter Conſanguineos, dum v. g. Frater in Germaniâ Variolis correptus, ſimiliter & alter Frater, qui in Galliâ eſt, iſdem ſimul eodem tempore corripitur: aut ſi Gemelli, unus Lipſiæ, alter Wittembergæ, ſimul eodem tempore Variolis corripiuntur: Conferantur & ſingularia talia Sympathiæ Exempla, quæ recenſet Borellus *Cent.* 2. *Obſer.* 47. de Puellâ, quæ nimiis torturis & Artuum lancinationibus torquebatur tunc temporis, cùm ejuſdem Pater in loco ſatis diſſito Rotâ frangeretur. Simile Exemplum habet de Muliere, quæ ſenſit Dolorem exquiſitum in Fronte, cujus Maritus Sclopeto in Capite Vulnus accepit. Item Bartholinus habet ſimile Exemplum *Cent.* 5. *Obſer.* 79. de Marito, toties & cruciatus & tormina Inteſtinorum perferente, quoties Uxor fuit in labore Partûs: Item in M.A.N.C. *Ann.* 2. *Obſer.* 215. *pag.* 316. & 317. refertur de Marito, cujus Uxor, quoties fuit gravida, toties ille Picâ & Vomitu correptus eſt. Hæc & ſimilia Exempla & Curæ in diſtans multùm illuſtrant Verorum determinatorum Philtrorum exiſtentiam & naturam, ac firmum Amorem Subjectorum, inter ſeſe, etiam Remediis Naturalibus conciliatum.

(3.) Ex *Oppoſito* notum eſt, quoad certas Idioſyncraſias, ſecundùm quas certa Objecta abhorrentur, ubi quidam, v. g. Felem etiam inviſam, maximè horrent & anguntur, ita quid obſtat, quò minùs fieri poſſit, ut certa Objecta amentur? Conf. Borellus *Cent.* 1. *Obſer.* 91. de Odio ſingulari Arte inter Conjuges concitato.

(4.) Nemo negabit, quòd dentur *Philtra Magica*, h. e. quando intio cum Dæmone pacto hujus ope alterius conciliatur Amor. Adeoque neceſſe eſt ut dentur etiam *Naturalia Philtra*, cùm Dæmon nec ſupra Naturam, nec contra Naturam, niſi Deo ſpecialiſſimè concedente, agere queat; hinc non niſi per Media Naturalia, neceſſariò, quicquid agit, perficiat.

## CAUSÆ.

*Cauſa Proxima*, ſcilicet qua mediante operentur talia *Philtra Determinata* ad certam aliquam Perſonam, optimè declarari videtur ab Helmontio *loc. ſup. cit.* dum dicit; quòd Philtra requirant mumialem Confermentationem, mediante qua ad certum Objectum trahatur alterius Dilectio, ubi nempe ut ſuprà dictum, Plantam tenet in Manu, & poſtmodùm apprehendit Catellum, qui eum ſecutus eſt, relicto proprio Hero. Reddit ita rationem, quare contactu Herbæ prævio, ejuſque benè tepeſcentis auxilio, in Brutum vel Hominem fiat Amoris Tranſplantatio: *quia*, dicit, *Calor priùs Herbam calefaciens, iſque non ſolitarius, ſed Effluvio quodam Spirituum Animalium impregnatus, Herbam ad ſe determinat, individuatque ſibi, & aſſumpto hoc Fermento per Magnetiſmum alterius Subjecti contacti Spiritum trahit, ut ſuperveniat mutuus Amor.* (Omnes Plantæ non habent vim ſingularem conſervandi Spiritum Animalem.) In his nempe nervus eſt omnis Actionis Tranſplantatoriæ & Curationis Magneticæ, & etiam in his conſiſtit fundamentum ipſorum Philtrorum genuinum. Dumque dicit, fieri debere per Confermentationem mumialem, mediante qua ad certum Objectum trahatur Affectio & Inclinatio, obſervandum eſt, quid per Mumiam intelligatur? Per *Muniam* autem ſtylo Helmontiano *intelligitur primariò Spiritus Inſitus, idque imprimis in Cadaveribus, in quibus Inſui evanuere Spiritus, relicto ſaltem Inſitò; ſecundariò* tamen & in Viventibus Spiritus Influus Mumiæ Spiritualis nomine ſubinde venit, & hic ipſe ſufficiens eſt pro tali Tranſplantatione inſtituendâ, modò Medio quodam tertio, quod Helmontio vocatur *Magnes*, v. g. Plantâ quâdam; ita ut Spiritus iſte mumialis mediante Magnetiſmo ex uno Subjecto hauſtus, & certo modo alteratus & determinatus, conferatur in alterum Subjectum, cujus Spiritui mumiali, tam Inſito quàm Influo, arctè nubat, eique ſe jungat; ex qua conjunctione & unione poſtmodùm inter hæc duo Subjecta mutua Combinatio & Inclinatio concitatur, Magnetiſmo mumiali in diſtans mutuò agente. Nempe ex hoc fonte omnes Actiones & Curationes Magneticæ, Sympatheticæ, Tranſplantatoriæ, & ſimilia Naturæ mirabilia ſunt derivanda & deducenda, quæ partim in *Theoria*, partim & in *Praxi* multum habent in receſſu.

*Hæc Philtra Vera*, cum tantùm honeſtatis & Amoris gratiâ inſtituantur, &, qua talia, nullum nocumentum inferant, non etiam eſt occupatus circa eadem Medicus, nec ullo modo ſunt impedienda & curanda. Verùm cum ſæpiſſimè fiat, ut loco Philtri Veri propinetur Philtrum Falſum, aut per Magiam illicitam, & Incantationem concilietur Amor, ob id neceſſe eſt, ut peſſimis inde oriundis Symptomatis, non rarò maniacis, ſedula Cura à Medico adhibeatur.

## DIAGNOSIS.

Cæterùm quæritur: *an poſſit cognoſci Philtrum tale Nothum propinatum?* Neg. *Signa* enim, quibus Philtra Falſa à Veris dignoſcenda, certa ſunt nulla; Nulla enim nocumenta inferunt, niſi quod ſubinde à Falſis gravium mox Symptomatum ſuperventus fraudem latentem manifeſtet. Ob id omnes Circumſtantiæ Morbum, qui à Philtro Falſo oriri putatur, antecedentes probè perpendendæ, & ſaltem artificioſis Conjecturis, partim ab Ægro, partim à Medico cognoſcendæ. *Primatum obtinet*, quòd

ſubinde Ægri tales mox per aſſumptionem cujuſdam rei, vel eſculentæ, vel potulentæ, ſe malè habeant circa Stomachum; quando & ipſi interdum ſubinde ſuſpicionem habent, à tali, vel tali Perſonâ propinatum fuiſſe Philtrum. In ſpecie tamen, & tantumnon ſemper, poſt Philtra Falſa de anxietatibus Præcordiorum, imprimis de *peſſimo Stomachi habitu*, & hinc de Senſuum Internorum læſione tales Ægri poſt propinata Philtra Falſa conqueruntur. Stomachi vitium nonnunquam ſolet eſſe pertinaciſſimum, etiam aliquot annos à propinato Philtro interdum durans, & ſemper eò pejus Malum, quò diutiùs durat Malum à Philtris inductum. Hiſce ſuperveniunt *Mentis perturbationes*, & *Deliria* patiuntur, vel *Inſaniam*. Mirum eſt, quòd interdum periodicè *impetus* talis *amatorius*, & morboſus ex Philtro cauſatus, repetat: Sic namque refert Agricola *Comment. in Popp. ubi de Antimonio*, de Amore per Philtrum inducto, cujus Paroxyſmus ſingulis Pleniluniis repetebat, & per ſex dies continuos durabat, intermedio tempore Ægro ſatis benè ſe habente: Sic B. D. Langius curavit aliquando hîc quendam Juvenem, qui poſtquàm à levioris notæ Fœminâ Philtrum quoddam ſub dimidio Pomo Citrio horâ quartâ pomeridianâ comeſto accepiſſet, quotidie poſtmodùm per horæ ſpatium, idque ſub eâdem horâ, tanto deſiderio, & anxio Amore in iſtam Fœminam flagravit, ut planè anxius hinc inde curſitaret, & inquieto animo ejus præſentiam flagitaret, eamque amplecti deſideraret: Cùm verò aliquando voti ſui compos reddi nequiret propter abſentem tunc Mulierem, Malum in dies ſuccrevit eâdem horâ in tantum, ut exinde in peſſimum habitum degenerârit, donec curatus fuit. De Curâ poſtmodùm ſuo loco.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: In hac prout variant *Subjecta*, quæ pro Mediis amatoriis in Philtris Falſis aſſumuntur, etiam variant Nocumenta ab iiſdem inducta.

In ſpecie tamen *poſt Philtra Falſa*, præter Ventriculi inſignes noxas, & inde derivata Pathemata plurima, frequentiſſimè ſupervenit *Melancholia*, & *Delirium Melancholicum*, ſæpiùs *Mania*, interdum *Amentia*, tandem lenta Mors infertur.

## CURA.

Quoad *Curam*: in hâc exhibenda ſunt

1. *Univerſalia*, imprimis *Vomitoria*, quibus ſubjungenda
2. *Specifica*.

Illa inter eminent *Vomitoria*, ſine quibus vix aliquid laude dignum poteſt perfici; quòd ſi illa ferre nequeat Æger, *Purgantia* uſurpentur, & his præmiſſis *Sudorifera*, quibus commodè etiam admiſceri poſſunt *Specifica*.

Deinde ante omnia, quantum fieri poteſt, laborandum eſt Medico, ut æſtimatis omnibus Circumſtantiis, & perpenſis minimis Conjecturis, poſſit invenire *Materialem Cauſam*, quæ applicata, vel uſurpata fuit in Philtro Falſo. Inquiratur igitur? an ſcilicet ſolùm inductus ſit Amor per *Media Magica* illicita, ſeu Signum Magicum, & Superſtitioſum? an verò Naturalia, nempe per Sanguinem Menſtruum, aut Semen, aut Urinam, aut Alvi Excrementa, aut ſimilia? Nam ſi ſuſpicio ſit, *quòd Mediis Magicis Philtrum fuerit inductum*, præmiſſo *Vomitu Antimoniali*, etiam interdum repetito, adhibeantur Remedia contra Incantationes directa, aut contra Morbos à Veneficio natos vulgò aliàs uſitata: quæ inter præcipuè excellit *Viſcus Corylinus*, legitimo tempore collectus, tam ſolus internè aſſumptus, quàm externè: vid. Heinricus *ab* Heer *loco ſuprà cit.*, ubi habet Unguentum, ſeu *Linimentum* ex Viſco Corylino, cum Axungiâ Cati, Urſinâ, & Caponum paratum: vid. Carrichterus *in Herb. edit. in* 8. Item juxta hunc Viſcum valet *Valeriana minor* ſeu Phu Ponticum *Dioſcoridis*, (vid. Matthiolus,) Carduus benedictus, *Flores Hyperici*, Flores, & Folia *Aquilegiæ*, & *Corallia* quoque uſurpari ſolent interne, & externè in formâ *Amuleti*. Facit huc *Emplaſtrum Fœtidum Mynſichti*, quod videb. *in ejus Armamentar.* item Electrum Artificioſum è ſeptem Metallis compoſitum, & certo tempore confectum Amuleti formâ applicatum: videb. Helmontius *Tract. Injaculatorum Modos Extrahendi*. Convenit etiam *Electrum immaturum Paracelſi*, etiam ab Helmontio commendatum; ſed incertum adhuc eſt, quid ſit: Alii *Zincum*, ſed malè; alii Germ. *Gulden Ertz*, alii *Folia Auri Hungarici* ſubſtituunt, &c.

Sin verò de Philtris, *quæ per Media Naturalia*, utut fruſtranea, v. g. Menſtruum Sanguinem, inducuntur, ſit ſuſpicio, tunc optimum eſt, ut præmiſſis Univerſalibus Remedia Philtris aliàs *Appropriata*, miſta ſimul cum Specificis iſtius rei, à qua inductum Philtrum, uſurpentur. Propinatis etiam Univerſalibus, *Sudoris provocatio* per Appropriata imprimis eſt conducibilis, & ſubinde neceſſaria. Ante omnia autem vigilet Medicus, præſertim in Melancholiâ, aut Maniâ Amatoriâ, ut dormire poſſint Ægri, quò placidiores reddantur, ac ferociam deponant.

Univerſalia ſunt imprimis *Vomitoria*, quæ ſæpiùs totam Curam abſolvunt, cujuſcunque etiam generis iſta fuerint; vid. Rulandus *Centuriâ* 3. *Curat.* 9. & Faber *Curat.* 94. In ſpecie *Infuſa Antimonialia*, eaque valida, & magnâ doſi uſurpanda, ut Infuſum Vitri Antimonii ad ℥iß. Aqua Benedicta, Aurum Vitæ *Kegleri*, Mercurius Vitæ in ſubſtantiâ, & ſimilia, præ reliquis conveniunt. Sic enim Dñ. D. Langius ſuprà dictum Juvenem curavit propinando Vomitorium ex Butyro Antimonii cum Sole, & Lunâ deſtillato ſecundùm Methodum Fabri *in ſuis Scriptis*, è quo præcipitatus eſt Mercurius Vitæ cum Sole, & Lunâ compoſitus; Unde ex propinatâ primâ doſi multum quidem, ſed abſque levamine, evomuit; hinc tertio pòſt die illud idem Vomitorium Antimoniale mox ante ingruentis Paroxyſmi tempus iteratum ipſi dedit, & ita ſuprà ac infrà Materiæ fœtidiſſimæ, & nigerrimæ ejecit ſaburram, quibus duobus Vomitoriis convaluit. Sic Halæ Saxonum fuit Juvenis certus, qui certis horarum intervallis Irâ adeò ſæviret, ut ex ædibus aufugeret, ac ſi Maniacus eſſet: Unde cùm in hoc eſſet ſuſpicio Philtri propinati, propinatus ipſi fuit Mercurius Vitæ ad gr. v. quibus ſuprà, & infrà multùm evacuatus eſt, ſed nondum tamen ritè reſtitutus: data fuit alterâ die *Theriaca* cum ℥j. *Pulveris Serpentum* cum *Aquâ Theriacali*, vel *Cardui benedicti*; unde ſecutus eſt Sudor copioſus, quo omninò curatus fuit. Rulandus *lib.* 1. *Curat. Empir. pag.* 32. refert, Inſanum ex Philtro, à Maleficâ in Placentis accepto, datâ Aquâ Benedictâ feliciter evomuiſſe Placentas, quæ in terram projectæ effervescebant, & ebulliebant, non ſecus, ac cibus ſuper ignem. Aliàs Oleum Sambuci ex Arillis à ℥j. ad ℥iß. tanquam appropriatum Vomitorium contra Philtra laudatur. Ad talia Remedia generaliora etiam videtur pertinere *Urina Equina* recens emicta hauſta, quæ ſubinde per ſuperiora, & inferiora Philtra evacuat. Hiſtoriam elegantem recenſet Salmuth *Cent.* 2. *Obſ.* 70. Datum Pomum, in quo reconditum fuit Philtrum, ſepoſitum intrà nigricans apparet, & rurſus intra triduum Ranæ plurimæ ex eo progenitæ fuerunt; Lacte calido affuſo valdopere

incre-

increverunt, ſed Urinâ Equinâ recenter emictâ interfectæ fuerunt. Serva quædam accepto Philtro, & cruciatibus afflicta, evomuit poſt ſumptam Urinam Equinam duas Lacertas, & duas Ranas. Nempe non novum eſt, poſt propinata talia Philtra, varia *Inſecta* intra Corpus fuiſſe generata: Sic D. Michaelis obſervavit aliquando ab aſſumpto Philtro *Vermes* tres oblongos nigros excretos fuiſſe. Conf. etiam Schenckius *lib. 7. Obſer.* de quodam, qui Philtrum accepit, ac poſtmodùm varia *Animalia viva* obſervavit Vomitu excreta. Unde in talibus caſibus Urina Equina propinata non erit inconveniens Remedium.

Præmiſſis ergo *Vomitoriis*, & *Sudoriferis*, verbi gratiâ Miſturâ Simplici, *Appropriata* magis Remedia ſunt uſurpanda: quæ inter eminet imprimis *Naſturtium aquaticum*, cujus Succus, & quæcunque ex eo parata, multùm laudantur: quod etiam convenit, ubi ex Philtris ad Maniam jam inclinant Ægri, de quo vid. Monavius *apud* Cratonem *lib. 7. Ep. 23.* uti etiam Aquam Naſturtii aquatici ceu conveniens Vehiculum uſurpatur pro Medicamentis contra Philtra. Mirabiles effectus, ſi non ficto Exemplo, Naſturtii hujus uſu contra Philtra confirmat Schenckius *in Obſer. l. 7. pag.* 839. ex quo deſumpſit Bonetus *in Sepulchreto pag.* 620. Prætereà Miſturam Simplicem ceu appropriatum Sudoriferum contra Philtra commendat Hartmannus: hinc & Tinctura Bezoardica parari poteſt. Singulare Specificum eſt contra Philtra *Secundina Humana*; ejuſque *Spiritus urinoſus volatilis* per putrefactionem paratus, item Pulvis per Phlegmatis abſtractionem in Mariæ Balneo paratus; aliàs, ſi in clibano torretur, Sal volatile aufugit; e. g.

℞. *Secundina Humana*:
& detractâ Membranâ unà cum Vaſis majoribus, eadem in Mariæ Balneo in Cucurbitâ mediante Alembico, deſtillatur, & prodit ſic Phlegma, & remanentia *in Pulverem* poteſt redigi.

Et quidem datur Pulvis Secundinæ à ʒß. ʒi. ad ʒiß. vel ʒij. Item Spiritus Secundinæ datur à ʒß. ad ʒi. vel ʒij. eaque cum Vehiculo Aquæ Naſturtii, nunc ſolitariè, nunc cum Tincturæ Bezoardicæ non nihil, nunc Spiritu Theriacali camphorato miſtis, expectando Sudorem, non abſque felici ſucceſſu propinari ſolent: e. g.

℞. *Spiritûs Theriacal. camph.* ʒj.
*Secundinæ hum.* ℈j.
M. pro Sudorifero.
D. S.
Spiritus Sudoriferus pro unâ vice. Vel
℞. *Eſſ. Viperar.*
*Spiritûs Secundin. hum.* an. ʒij.
M. S.
Eſſentia Singularis.
Doſis gutt. 50. Vel
℞. *Theriac. Androm.* ʒj.
*Pulv. Secundin. hum.* ℈ij. vel ʒj.
M. S.
Electuarium Sudoriferum pro unâ vice.

Et ſpeciatim quælibet Remedia ex Secundinâ parata conveniunt, ubi ex Sanguine Menſtruo paratum fuit Philtrum. *Sed obſervetur*, quòd Parata ex Secundinâ, imprimis *Pulvis*, ultra annum non durat, ſed copioſiſſimos vermiculos generet, Spiritus verò per fermentationem, ſeu putrefactionem paratus diu durat, adeòque Pulvis ſingulis annis renovandus.

His ſuccedit *Spiritus Theriacalis camphoratus*, & omnia ex Theriacâ parata, Spiritus Cancrorum, *Extractum Theriacale*, item *Hypericon*, Anagallis, & omnia ex hac parata, Abſinthium, hinc Vinum Abſinthites Rulandus *loc. al.* propinavit; *Baccæ Herbæ Paridis*, & ipſæ pulveriſatæ ad ʒj. commendantur expectando Sudorem. *Corallia*, & ex his paratæ Tincturæ elegantiores, Terra ſigillata Lignicenſis, vel Strigenſis, vel etiam ut vocant, Axungia Solis, tam ad abſorbendum, quàm per Sudorē diſcutiendùm Philtrum adhibetur: nempe in principio ad ʒj. cum Extracto Theriacali mixta; ubi verò ſe ſanè diffudit Philtrum, per Sudorem diſpellendum. Decoctum Corticis mediani Sambuci in Sero Caprillo mane, & veſperi aliquoties datum, etiam ante triennium propinatam Materiam noxiam pro Philtro, expellit, Authore Blochwizio *in Anatom. Sambuci.* Eſſentia Mumiæ Humanæ, & Eſſentia Serpentum, Pulvis Serpentum, imò, & reliqua quæcunque, tam ex *Homine*, quàm *Serpentibus*, vel Viperis, item ex Mumiâ Humanâ parata Remedia, *præmiſſis Univerſalibus*, ſunt maximè appropriata in curandis Philtris. Nam etiam Calculus Humanus pulveriſatus, à ℈j. ad ʒj. in Aquâ Naſturtii aquatici aſſumptus, contra Philtra, & Melancholiam Eroticam plurimum confert, expellendo ſimul Urinam plurimam, imprimis ſi à Sanguine Menſtruo, teſte Henrico *ab* Heer *in Obſ.* 13. *& in Obſer. Spadanis*: Vid. Schrœderus *Dilucid. part.* 1. *ſect.* 1. *pag.* 23. Tandem Hartmannus *in Prax. Chym.* habet *Electuarium* ex Lapide Magnete *cap. 7. §.* 13. deſcriptum, contra Philtra, quod præmiſſis Univerſalibus Experimentum planè ſingulare, & veriſſimum eſt, & cujus felicem uſum B. D. Michaelis in Studioſis graviter afflictis aliquoties obſervavit. Prævotius commendat Corymbos Hederæ albicantes per octo dies ex Vino, vel Decocto Cicerum exhibitos ad ʒj.

Quòd ſi jam *Philtrum ad Maniam* procedat, tunc optimum Experimentum habetur Naſturtium aquaticum, de quo anteà monui. Sunt, qui dicunt, quod etiam confirmat Schmuckius in *Cur. Magico magnet. pag.* 72. quòd contra Maniam ex Philtro ſit admodùm certum, ſi quis accipiat Calceos novos, in illis probè currat, donec incaleſcant, & Sudore Pedum madeſcant, hinc Potum infundat, & hauriat: fides tamen ſit penes Experientiam. Tandem *Margaritæ præparatæ* contra Philtrum in ſpecie ex Menſtruo Mulierum, item cum *Sanguine* Leporino, laudantur à Borello *Centuriâ* 1. *Obſer.* 65. Quibus, & alia Alexipharmaca Theriacalia, & Sudorifera aliàs etiam uſitata commodè addi, & ſubjungi poſſunt. Unum adhuc referam, mihi à quodam fide digno narratum: *Vir quidam* loco Philtri ab Uxore aliquid de ejus Sanguine menſtruo accepit inſcius, unde fit, ut tridui ſpatio mirum quantum totum Corpus intumuerit, omneſque partes mirabiliter inflammatæ fuerint. Pro Curâ propinatum fuit illi *Pulveris Cardui benedicti*, & *Theriacæ* ana in *Aquâ Cardui benedicti*; Umbilico verò appoſitum dimidium Panis recentis, ſeu recenter ex furno extracti, parùm excavati, & ſimiliter *Theriacâ*, & *Pulvere Cardui benedicti* impleti. Sicque provocatus Sudor: unde Tumor ceſſavit, & remoto Pane dimidio, livido, & ſubcœruleo, ſecuta levis Diarrhœa, à qua ipſa tandem Æger fuit perfectè curatus.

PRA-

# PRAXEOS MEDICÆ

## LIBER III.

### *De Morbis Sexui Virili Propriis.*

CUm lubitum fuerit vobis adhuc continuare ea, in quibus ſubſtitimus hactenus in Praxis, ſcil. poſt pertractatos Morbos totius Corporis in genere, & utrique Sexui communes, etiam in ſpecie conſiderare Affectus appropriatos cuivis *Sexui* & *Ætati*, exorato priùs Numine Divino, ad illos nos accingimus.

Et quidem, quod attinet primò *Affectus Virorum*: inter illos primò omnium *Genituræ* ſeu *Seminis Morbi* conſiderandi. Præſuppono hîc *officium Virorum*, quà talium, conſiſtere in eo, *ut Semen ſeu Genitura in Teſtibus elaboretur fœcunda*, idem ad debitum tempus *retineant*, & denique retentum ſub Coitûs fervore, & certo Membro *excernant*.

### SECTIO I.

#### *De Seminis, ſeu Genituræ Virilis Morbis.*

MUltiplicant ſe Homines mediante Geniturâ utriuſque Sexûs, quarum Genicurarum coalitu fit verum *Semen humanum*, ſeu *Ovum fœcundum*. Quod ergò Maris attinet *Genituram*, vulgò, ſed malè, Semen appellatam, (videb. Thomas Cornelius Conſentinus *Progymn.* 5. *pagin.* 172.) elaboratur hæc in *Teſtibus*, qui nihil aliud ſunt, quàm congeries minutiſſimorum Vaſculorum, quorum aliquot ex Teſte erumpentia vairis ſuis flexibus Corpus illud conſtituunt, quod Teſtium dorſo incumbit, & *Epididymis* appellatur, quod ipſum tandem dilatatum conſtituit *Vas Deferens*, quod hiat tandem in *Veſiculas Seminales*, ubi Genitura in Teſtibus elaborata, in Epididymidibus perfecta, per Vas Deferens advecta aſſervatur, donec ſpumoſo impetu ejaculetur. Structuram hanc Teſtium pluribus explicatam vid. in Graeffio *de Organ. Viror. Generationi inſervient.* item in *Act. Philoſ. Anglic. pag.* 708. & *pag.* 564.

*Genitura* eſt iſtud, quod uterque Sexus confert: *Semen* eſt utriuſque Genituræ miſcela.

Genituræ Maris, dum ejicitur, ſimul admiſcetur *Liquor* ſeroſus & blandus, uno nomine, *Lympha* ſui generis in corpore *Proſtatarum* glanduloſo & ſpongioſo elaborata, quæ in Urethram effuſa Genituram, ſeu Semen Maris, vehiculi inſtar promovet, ut eò meliùs per Penem ejaculari queat, cujus etiam ratione *Eunuchi* adhuc aliqualem Coitum celebrare poſſunt. Proſtatæ hæ in iis, qui ſæpiùs Venere utuntur, majores ſunt, ut in Canibus, ſitum circa radicem Penis habent, quarum Liquoris beneficio Eunuchi adhuc aliqualem Coitum celebrant.

*Materia Genituræ virilis* eſt Chylus cum Sanguine per Arterias hinc inde raptus, & per Vaſa Spermatica ad Teſtes delatus, ubi ex Arteriolis tranſudat in Vaſcula Seminalia, & ibidem formali alteratione in Genituram mutatur: Videatur Conſentinus *c. l.* & Barbatus *de Sero Sanguinis*, quicquid etiam in contrarium dicat Charleton *de Succo Nutritio*, nempe *in Exercit.* 10. & Warthonus *in Adenogr. cap.* 27. aut Velthuſius *de Generat. c.* 6. Huic Genituræ ſe aſſociant in ſpecie ſub Coitûs fervore *Spiritus Animales* copioſi, à quibus *Generationis* opus primariò perficitur, & qui conſtituunt Contagium iſtud ſpirituoſum, quod fœcundat Ova muliebria: Hæc ſunt quaſi nucleus, cui Genitura ſiliquæ inſtar inſervit: de qua Seminis formali ratione, ejuſque fœcunditate, vid. Rallius *de Generat. Animal. Sect.* 5.

*Efficiens*, ſeu iſtud, quod alterat Chylum in Teſtibus, ut propriè dicta Genitura ſeu Semen evadat, eſt *Fermentum* ſpeciale, in Vaſculis iſtis Seminariis reconditum, à quo, uti primariò Genitura perficitur, ita ab eodem cum Sanguine & Lymphâ à Teſtibus refluis, reliquo Corpori communicato, ſingulares iſtæ *Alterationes* eveniunt, quæ ſub *Pubertatis* annis, dum Homines generare incipiunt, ſe exſerere ſolent, & cujus etiam defectu Eunuchi adeò effœminati ſunt; ſiquidem quaſi Fermento inſpirato Maſſa Sanguinea tota alteratur & fermentatur, unde ſpirituoſa magis, magiſque fervida redditur, unde totius Corporis habitus ſimiliter alteratur: Videb. *de Alteratione Corporis Humani* Graeffius *c. l. pag.* 25. Sic Purgans quidam aſſumpſit, poſtmodùm Ancillam comprimens, illam vehementer purgavit Medicamentum illud: videb. Mœbius *in Fund. Med. pag.* 280. Horſtius ſimile Exemplum habet in *Obſerv. Anat.* 10. de Nobili ſibi amiciſſimo, qui Aureliæ in Gallia Scorto, poſt horam à Purgante Medicamento aſſumpto Juſculum ferenti, inter meretricios amplexus Coitu purgantem efficaciam inſinuavit, ut ἄνω καὶ κάτω decies vehementer purgaretur. Sic Mania per Caſtrationem curatur & cicuratur, vid. Riverius. Si conſideremus, quantùm non rarò Mulieres quædam ex fœcundo congreſſu, in toto alterentur Corpore, non adeò abſona videbitur Stenonis Sententia, quam recenſet Caſpar Bartholinus *in Exercit. Miſcell. pag.* 45. quòd Semen virile in Uterum injectum (non aliter ac Medicamenta aut Alimenta aſſumpta vires ſubtiliores ſtatim ad Sanguinem & Spiritus Animales amandare videamus) Sanguini & Nervoſo generi communicetur, & ita univerſum Mulieris Corpus ſuo modo alteret: hinc quædam Mulieres mox à Conceptu vomere omni mane, breviter Picâ corripi ſolent, &c. hinc etiam in Nutricibus Lac brevi à Conceptione novâ alterari, & Infantibus hoſtile fieri incipit.

*Mulierum*, & omnium Animalium fœminei Sexûs, Genitura conſiſtit in *Ovulo*, eoque ſimplici in Viviparis, compoſito verò ex Vitello & Albumine in Oviparis. *Ovipara* Animalia ſpeciatim ſunt Aves & Crocodilus, &c. quæ in Ovario Vitellum generant, quod in Uterum ubi inciderit, Albumine inveſtitur, Mas verò Spiritu Animali Vitellum fœcundat, ut exinde Ovum fœcundum emittatur, ita, ut etiam unus Galli Coitus reddat Gallinam aliquot menſes Ovorum fœcundorum genitricem. Quod verò *Piſces Oviparos* attinet; in his, quod Germanis dicitur *der Ragen*, nil aliud eſt, quàm Ovulorum vel Vitellorum congeries, quæ Ovula in Coitu (quod fit tantùm per

partium

partium posteriorum affrictum ) à Fœmellâ excluduntur, à Genitură Maris resperguntur. Quæ ergò ab istâ Maris Genitură irrorata fuerint, sunt fœcunda, fiuntque ex iis Pisciculi: quæ verò non, ea ceu infœcunda intereunt: Videatur Lyseri *Culter Anatom.* ubi Gallina vivos Pullos exclusit. Dantur etiam *Pisces Vivipari*, ut Balænæ.

*Fœminæ* & ipsæ suam Genituram oviformem ad Generationem conferunt, quatenus istud Corpus, quod Veteres *Testes Muliebres* appellârunt, reverà est *Ovarium*, in quo generantur Ovula, ita, ut unumquodque in suâ capsulâ lateat reconditum, ipso Teste sic dicto, præter Ovula contenta, saltim crassam ac firmam membranosam Substantiam exhibente. Ovula hæc peculiari suâ tunicâ investita continent Humorem albicantem lacteum, qui beneficio Spiritûs Genitalis Maris fœcundatur, adeoque Succum, ex quo formatur Fœtus, constituit. Ovula hæc per Tubam uterinam trajiciuntur in Uterum, nunc unum, nunc duo, prout vel simplex, vel multiplex generatur Fœtus; fœcundantur enim nunc simul, nunc successivè, unde *Superfœtationis* contingit negotium, vid. Graeffius *de Organis Mulierum*, *Generationi inservient.* Item Kerckingius *in Arthropog.* item *Tabula* Ruyschii, Elsholz *de Generat. Hominis in Tubâ Uteri.* Superfœtatio ex his Ovulis clara est. Quando tria fœcundantur Ovula, fit Fœtus trimellus.

## CAPUT I.

### *De Læsa Genitură Virilis Generatione.*

Læditur hæc *Generatio Seminis* seu *Genitură* in Maribus, aut præternaturalis redditur tribus modis.

1. Quando hæc *deficit*, aut *imminuitur.*
2. Quando eadem *abundat.*
3. Quando *depravatur*, aut eadem *vitiosa redditur*, dum nempe non tale Semen, quale Generationi aptum, scilicet aut acre nimis, aut aquosius, aut purulentius producitur, aut alio peregrino Colore est insignitum.

## ARTICULUS I.

### *De Seminis Defectu Aut Insufficientia.*

CUm autem posteriores modi rarò occurrant, in hoc Capite primariam considerationem meretur *deficiens & insufficiens Seminis Generatio.*

### CAUSA.

*Causa* duplex est: aut fit

1. Ex vitio & defectu *Materiæ*, ex qua Genitura elaboranda est; aut
2. Vitio *Testium*, qui istam elaborare debent.

In priori Causâ, quibus Genitura planè deficit, præter hoc, quòd careant stimulo Venereo, sunt etiam *effœminati*, *torpidi*, *languidi*, *minùs alacres*, & *Eunuchos* omnibus moribus imitantur.

Quod attinet *Materiam Seminalem*, seu ex qua Genitura elaboranda venit: suprà dixi, quòd Materiam constituat *pars Sanguinis Chylosa*, subdulcis & pinguior, adeòque plùs minùs viscosa seu mucilaginosa. Hæc ut naturaliter in Alimentum partium Nervosarum, seu, ut alii vocant, partium Spermaticarum ( quæ loquendi ratio certo modo explicata stare cum priori optimè potest ) impenditur; ita eadem ipsa pars Chylosa hinc inde secreta varios Liquores, in specie Lac in Mammis, Nutrimentum Fœtûs in Utero, & denique Testibus Materiam Genituræ sufficienter largitur. Nam quòd talis Materia seu substantia Chylosa sit Materia, ex qua Genitura elaboratur, confirmant omnia *Genituræ Attributa*, nempe ejus Color lacteus, ejus Consistentia mucilaginosa, naturaque subpinguis. *Pinguem* dixi, indeque non nihil unctuosam: Nam ob id ad morem pinguium & mucilaginosorum in actu Generationis Spiritibus impræguata & turgida spumescit, & in bullas attollitur, quatenus Spiritus Animales irritati pinguedinem ejus in bullas ac spumam elevant, quod proprium est subjectis mucilaginosis à materiâ subtili imprægnatis. Jam ergò, quicquid hanc Materiam Sanguinis Chylosam absumere potest, illud etiam omne Genituræ defectum inducit, uti fit in Vitâ nimis laboriosâ, Inediâ, pravo Victu, læsâ Chylificatione, & aliis vehementioribus Animi Affectibus, Evacuationibus immodicis, Vigiliis, &c. quô etiam Fonticulorum abusus spectat. In specie Vita laboriosa, Exercitia, & alii graviores Animi Affectus, quæ acuendo quasi Sanguinis fermentationem, & consequenter Sanguinem nimis rarefaciendo, attenuando, & acrem reddendo, eo ipso etiam Chyli assimilationem producunt, & sic Materiam Seminalem exhauriunt. Unde etiam est, quòd *Pingues & Corpulenti non semper Genitură abundent*, sed sæpè defectum illius patiantur, utut Lacte chylosо Sanguis eorum scateat. Ratio est hæc, quia iste Chylus subdulcis nondum Sanguini assimilatus in Pinguedinem facessit; unde, quia in Pinguedinem Materia hæc, quæ alias suâ naturâ in Genituram facessit, absumpta, minùs Semini impenditur. Sed hæc, ceu nota, relinquo. Facit huc appositè tritum istud proverbium: *Sine Cerere & Libero seu Baccho friget Venus*: Confirmat nempe, quantum ad Venerem faciat Diæta laudabilis.

Pergo ad *alteram Causam*, dum *Testium vitio* deficit Seminis generatio, quod multiplex est, & vel in *defectu Fermenti Seminalis*, vel in *Conformatione*, in specie *Testium Tumoribus*, consistit.

Quoad I. Genituræ elaboratio impeditur, si *Fermentum* ejus Spermatis effectivum sit nimis torpidum, enervatum aut minùs activum, utut enim Parenchyma Testium sit tantummodò congeries minutissimorum Vasculorum, nihilo minùs tamen certum quoddam & spirituosum his ipsis insitum est Fermentum, sub dierum cursu, anno circiter 14. evigilans, quod Chylosum succum alterat in Genituram seu Sperma; Nam in *Genitură elaborandâ* sunt consideranda:

1. *Materiæ transcolatio* in Testium substantiam.
2. Materiæ transcolatæ certa & determinata *Alteratio*, quæ fit à Fermento Testium.

*Fermentum* tale ut incumbit elaborationi Genituræ, ita præterea cum Sanguine aut Lymphâ ex Testibus refluis Massæ Sanguineæ inspiratum & permixtum, successivè eandem alterat, & volatiliorem, simulque spirituosiorem reddit. Hinc singulare toti Corpori robur & virium vigorem, & insignem alterationem sub annis Pubertatis conciliat; unde Barbæ & Pubis eruptio, & similia alia accidentia, tam in Fœminis quàm in Viris contingunt. Unde etiam fit, ut Morbi Puerorum Chronici, item incurabiles aliàs Epilepsiæ, sub id tempus sponte Naturâ curentur, teste Hippocrate *in Aphor. Qui Epilepsiâ corripiuntur, in iis anno 14. fit Morbi solutio*; quatenùs scil. à Fermento isto Testium tam insignis Massæ Sanguineæ ac totius Corporis fit alteratio. *Fermentū hoc quid sit?* non potest determinari; Probabile tamen

tamen eſt, *Spiritus Animales in Teſtibus eſſe concentratos*, qui volatili ſuâ efficaciâ Materiam Chyloſam eò delatam in ſubſtantiam Spermatis tranſmutant. Spirituoſum ergò eſt hoc Fermentum, quod ubi torpet, minùſque eſt volatile, tunc eſt Cauſa deficientis Seminis. Spirituoſum dixi, adeoque acidum oleoſum volatile. *Confirmatur hoc*, quòd omnia, quæ Spiritus Animales figunt, Genituræ elaborationi obicem ponunt, ver. gr. *Acida* nimis fixa, *Vitriolata*, *Nitrata*, &c. quæ Veneri ſunt inimica, figendo & deſtruendo Spiritus Animales, & per conſequens infringunt Fermentum hoc & vim genitalem inde dependentem: hinc eſt, quòd econtrà *Acria volatilia*, imprimis *Aromatica* & *Spirituoſa*, Spiritus excitando acuant hoc, & ſtimulent Venerem: hinc *Acida*, in ſpecie Spiritus Vitrioli aut Nitri crebriùs uſurpatus, notabiliter Genituræ elaborationem in Teſtibus enervat; quod confirmat Hiſtoria notabilis, quam refert B. noſter Langius *in Diſcurſ. ſuper Fabrum*, cùm refert, quendam ex nimio abuſu Spiritûs Vitrioli adeò immutatos acquiſiviſſe Teſticulos, ut tandem ad Piſorum quantitatem redacti fuerint: poſtmodùm intermiſſo Spiritûs Vitrioli abuſu ſenſim ſenſimque eoſdem recuperaverit. Item quòd Nitrum crudum, copioſo acido turgidum, copioſiùs aſſumptum, Veneris impetus cohibeat, hujus rei imprimis habet notabilem Caſum Timæus *von Guldenklee lib.* 3. *Caſ.* 52. de quodam Muſico ad Venerem hiante, adeò, ut nullo modo ſaturari poſſet, idque ex acriore Veneris ſtimulo; qui tamen fuit curatus continuo uſu Nitri crudi, ſeu Nitri tantummodò depurati, in quo Semen ita extinctum eſt, Fermento Teſtium deſtructo (hinc enim tantâ copiâ Genitura elaborari non potuit) ut vix propriæ Uxori poſtmodùm ſatisfecerit. Sicut econtrà *Acria*, ut Cantharides, Piperata, Eruca, Formicæ, item Spiritus ex Sanguine Galli, & ſimilia Fermentum Teſtium, & ſic Venerem ſtimulant. Defectus ergò & inertia hujus Fermenti etiam facit, ut deficiat Genitura Maris. De *Rutâ*, & *Menthâ* dicunt quidam, quòd Venerem extinguant, ut & de *Lactucâ*, ſed ſine ratione. Ad hujuſmodi torporem Teſtibus inducendum, vel Fermentum Teſtium extinguendum, multum etiam facit *Refrigeratio*, aut nimium *Frigus* externum; hinc enim & Teſtes languent, generatio Sanguinis imminuitur, & ipſum Corpus denique totum inſigniter alteratur. Facit nempe huc, quod obſervavit Salmuth *Cent.* 3. *Obſerv.* 91. qui refert, quòd Milites, dum fluvia tranſeunt (*Genitalibus ſub aquis exiſtentibus*) ſi iiſdem nimis refrigerentur & humectentur Teſtes, quòd exinde admodùm effœminentur, & animoſitas in iis immutetur. Id quod illuſtratur ex eo, quòd Ebrietas, Hæmorrhagia Narium, &c. applicatis externè Teſtibus Frigidis & Humidis, ſedentur: hinc enim Acetum Teſtibus applicatum Ebrietatem ſubitò diſcutit; item ſimili ratione Succus Sempervivi cum Aceto & Nitro miſtus & applicatus Scroto ſedat Hæmorrhagiam Narium, à nimiâ Sanguinis efferveſcentiâ & turgeſcentiâ, ex causâ internâ obortam. Quin & Maniaci furibundi, vinculis conſtringendi, Teſtium exciſione optimè curantur; Sic enim impetus Furoris inſigniter ceſſat, teſte Riverio, qui *in Obſerv. à Fomio communicatâ* Exemplum hujus rei habet: Sicut Maniam ex Semine retento recenſet Foreſtus *lib.* 10. *Obſ.* 24. Faciunt etiam ſuo modo *Mercurialia* ſeu *Mercurius vivus*, imprimis externè circa Genitalia illita; nam & hic ipſe, uti Nervis inimicus, ita etiam Teſtibus hoſtilis eſt; Nam Teſtium Fermentum deſtruit, & virtutem ſeminalem evertendi vim inſignem habet: Refert enim Schenckius *in Obſer. lib.* 4. de Virilitate & ſtimulo Venereo Inunctione per Unguentum Mercuriale ad fugandos Pediculos Pubis, omninò ademptis, Litu tamen *Olei deſtillati* tanquam aromatici, omiſſo hoc Linimento Mercuriali, reſtitutis, quo & Pediculi enecati ſunt. Facit huc etiam *Venus nimia*, quæ vim genitalem inſigniter enervat, partim, quatenus Teſtium Fermentum ſucceſſivè hebetat, partim, quatenus Digeſtionem primam, ſubtrahendo nimis Spiritus, notoriè turbat & imminuit, & ita, dum Chylus non ſubit rectam ſpirituaſcentiam, Cruditatibus occaſionem ſuggerit. Imprimis ad vim Teſtium genitalem conſervandam, multum hæret in negotio *Digeſtionis*; Omnes enim, in quibus deficit naturaliter vigor genitalis & appetitus Venereus, ii etiam ſimul laborant defectu Digeſtionis primæ, Cruditatibus & Anorexiâ; quod probè pro Curâ ipſorum obſervandum. In his nullus vel exiguus Veneris appetitus, Pulſus parvus, Corporis gravitas ac pigrities, ipſiuſque ac præcipuarium partium Intemperies frigida obſervatur, Genitura cruda, aquoſa, & liquida eſt, ſub cujus emiſſione etiam exiguam vel nullam voluptatem percipiunt. Hinc Ebrioſi, qui nimio Potu Corpus obruunt, hinc Hydropici & Cachectici, ſterileſcunt. Facit huc etiam *Abuſus Veneris*, imprimis, ſi nimis citò, & in primâ Juventute, & nimis crebrò, inſtituatur: Nam in nimio Veneris abuſu, continuatâ Genituræ elaboratione neceſſariò vis Fermenti genitalis Teſticulorum deficit tandem, & continuo uſu quaſi attritum torpeſcit, & minùs volatile evadit; unde Genitura priùs aquoſa, poſtmodùm defectuoſa, reddi ſolet; In tantum enim exhauritur Fermentum, ut non poſſit iterum reſtitui. In quo caſu & laxior & flaccidior Teſtium accedit ſtructura, eorumque Tonus omninò deſtruitur, cùm à copioſiore & frequentiore Materiæ tranſitu tandem viæ ita laxantur, & patulæ fiunt, ut poſtmodùm nihil ampliùs legitimè ſecernatur & elaboretur; quin ex hoc Tono Teſtium læſo, apertis Sanguinis Vaſculis, loco Genituræ Sanguis tandem purus in Coitu effundatur, cujus non pauca proſtant Exempla: vid. Zacutus Luſitanus *lib.* 3. *Hiſt.* 18. *& Prax. Admir. lib.* 2. *Obſ.* 102. imprimis quando præceſſerit illegitimus Cantharidum uſus, qui acriùs ſtimulando, Sanguinem loco Genituræ effundere facit. Huic Malo etiam non rarò diuturnior à Venere abſtinentia anſam ſuggerit, quemadmodùm de Monacho quodam Vidus Vidius *lib.* 11. *Curat. Membr. cap.* 2. refert, cujus Teſtes licèt in Adoleſcentiâ juſtam magnitudinem adepti fuerint, progreſſu nihilo minùs temporis, ob Votum Caſtitatis inviolabiliter ab ipſo obſervatum, cum Vaſis Spermaticis ferè penitùs exaruerint, ut hæc poſt mortem inſtar duorum Ligamentorum fuerint viſa.

Deficit II. Genituræ generatio ex *Teſtium defectu*, aut Naturali, aut Morboſo; imprimis ſi ambo deficiant, uti fit in Caſtratis, quia etiam cum unico Teſte ſatis fœcundi obſervati fuerunt: Sic in M.A.N.C. *Ann.* 4. *&* 5. *Obſ.* 13. mentio fit Monorchidis, plurium Liberorum Patris. Hîc tamen non confundendus eſt defectus Teſtium cum eorundem *Situ mutato*, ſcilicet *retractione ſeu occultatione intra Corpus* ſeu intra Abdomen; cùm ſæpiùs obſervatum fuerit, nunc Teſtes in Abdomine latuiſſe, nunc in Oſſe Pubis ſubſediſſe, & ibidem Tumorem inſtar Herniæ induxiſſe: Nec tamen proinde tales pro Impotentibus habendi ſunt. Sic Brechfeld Bartholini *in Act. Haffnienſ. Volum.* 1. *pag.* 197. refert, Teſticulum alterum circa annos Pubertatis primum erumpentem; unde etiam

Monor-

Monorchides an reverà ſint tales? non ſine ratione dubitat Borrichius *in Act. Haffnienſ. Volum. 4. pag.* 169. Exempla talium non ſunt pauca: Sic Schenckius *lib. 4. Obſ.* quendam Equitatione vehementi Teſticulorum alterum in Ephippio contorquendo ita preſſiſſe refert, ut ad Abdominis Muſculos ad Inguen retrocederet: Sic Salmuth *Cent. 1. Obſervat. 91.* obſervat Teſticulum per 13. annos in Abdomine latentem, per 14. poſtmodùm ſponte in Scrotum prorupit. Imò interdum fit etiam ut unus, alterve Teſticulus ex Scroto ſurſùm in Abdomen retrahatur. Sic ſcilicet idem Salmuth *Obſerv. 91. Cent. 1.* obſervat retractionem Teſticuli in Paroxyſmo epileptico, ex Convulſione ſcilicet Muſculi Cremaſteris: item *Cent. 3. Obſ. 63.* obſervat Teſticulum ſiniſtrum intra Peritonæum retractum ex nimio Veneris uſu, & Teſticulum alterum in Abdomine latentem: Vid. in Bartholino *Cent. 1. Obſ. 36.* Conf. hic Laurentius *Conſ. 11.* de Juvene 30. annorum, qui Teſtibus vacuum omninò habuit Scrotum, in quo tamen ſigna Virilitatis apparebant, ut Vox gravis, Hirſuties, Barba, &c. Dubitabatur ergò, an pro Eunucho habendus.

Deficit III. Genituræ Generatio *vitio Teſtium* malè affectorum, quando nempe læditur plùs minùs *Teſtium Conformatio*; quô pertinent in primis eorum *Tumores* varii, cùm in tumidis & infarctis Teſtibus nulla, aut Materiæ Seminalis collectio, aut collectæ elaboratio fieri poſſit, quin neceſſariò Genitura deficiat: De quibus Tumoribus paulò pòſt.

Hæ ſunt Cauſæ, quæ Genituræ defectum imprimis inducunt.

## DIAGNOSIS.

*Signa* deficere vim genitalem, indeque productam Genituram, patet ex relatione Ægri, & in talibus vel nullus, vel exiguus Veneris appetitus adeſſe ſolet, Corpus ipſum ſimiliter grave, pigrum, minuſque agile exiſtit, ipſeque Æger minùs activus, & præſertim in Actionibus Animalibus deficiens obſervatur.

*Cauſas* quod attinet differentes: hæ ipſæ ex *Antecedentibus* & ex *Adjunctis* imprimis, expiſcandæ erunt: Nam ſi nullum vitium in ipſis Teſtibus deprehendatur, vel Materiæ defectum, vel Fermenti Teſtium inertiam, in culpâ eſſe patet. Utrum horum ſit? antecedentes Circumſtantiæ oſtendunt: Nam ſi ex defectu Materiæ Chyloſæ ſit, ex Vitæ genere, Diætâ, Exercitiis, &c. pateſcit. Si vitio Teſtium, vel ex defectu Fermenti Teſtium contingat, præter appetitûs Venerei defectum, Corporis gravitatem & pigritiem, patet quando in Coitu Genituræ aliquantulum emittitur, hæcque tenuis & aquoſa, minuſque calida ſeu fervida, emitti percipitur. Quòd ſi præceſſerit Cauſa, quæ Teſtes labefactare potuerit, ſuſpiciones hæ ſunt eò clariores.

*Defectus* denique *Teſtium* per ſe ſponte patet.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: facilè patet, quòd læſa Genituræ generatio non ſit periculoſus Affectus: admodùm tamen eſt moleſtus, quia impedit opus Generationis, & Mares reddit Generationi ineptos; unde Speciei quidem, non autem Individuo nocet; ut ut interdum per accidens vel ex Animi mœrore, vel ex deficiente Sanguinis alteratione à Teſtibus inductâ, Languor univerſalis, & quaſi Tabes ſuperveniat; unde & quatenus virili Mente prædictos effœminatos facit, & Actionibus obeundis minùs agiles reddit eoſdem, omninò curandus eſt.

*Senibus* eſt incurabilis ferè, uti etiam iis, qui in Juventute ex nimio Veneris uſu Fermentum Teſtium labefactârunt, eſt difficillimæ Curationis; Cùm ſemel deſtructum Fermentum Teſtium non poſſit reſtitui.

## CURA.

Variat hæc *pro varietate Cauſarum Remotarum*:

1. Per *Alimenta* temperata, Succo chyloſo pingui & dulci turgida, Materia Seminis copioſa ſubminiſtranda. Quibus
2. Simul intermiſcenda ſunt *Spirituoſa & Volatilia*, imprimis *Acriora & Aromatica*, quæ Fermentum Teſtium tranſmutativum acuunt, ipſique ſtimulum quaſi addunt, & robuſtius reddunt.
3. *Tumores* Teſtium autem ſunt maturè diſcutiendi, aut reſolvendi & emolliendi, aut *ad Abſceſſum* perducendi & aperiendi, aut quacunque ratione aliis irritis, ubi majus imminet periculum, Chirurgicâ Methodo, *Sectionibus* ſcilicet, ſunt tollendi.

His ſcopis ut ſatisfaciamus, inter ea, quæ defectui Materiæ, & enervato Fermento Teſtium, dicata ſunt, eminent *Alimenta temperata*, quæ vel copioſum Succum chyloſum & ſubdulcem ſuppeditant, vel quæ *Acria Aromatica* exiſtunt, adeoque Venerem plùs minùs ſtimulant: Ubi *obſervandum* eſt

I. Ut ſemper ſimul *Cura Stomachi* habeatur, & *Digeſtio prima* promoveatur, & in debitis Functionibus conſervetur; qua enim deficiente, deficit etiam vis genitalis: Conf. Ludovici *Pharm. pag. 719. & 720.* ubi ſimul de uſu & effectu Aphrodiſiacorum.

II. Remedia iſtis inſervientia ſunt vel talia, *quæ Materiam Genituræ ſuggerunt*, vel quæ ſaltem *Veneris impetum ſtimulant*. Nam ſemel pro ſemper moneo: ubi Venus eſt ſtimulanda, ibi non tantùm *Aromaticis*, ſtimulum augentibus, ſed etiam temperatis, quantitatem Seminis majorem ſuppeditantibus, eſſe ſtudendum; vix enim citra damnum Ægri ſola Stimulantia uſurpantur: de quo, ubi de Erectione Penis læsâ. Ita verb. grat. ſunt imprimis *Semina* ſucco lacteo turgida, ut Amygdalæ dulces, Pineæ, Piſtacia, Caſtaneæ, &c. ex quibus parantur *Emulſiones*; hinc Oleum Piſtaciorum & Nucleorum Pini recèns expreſſum; item Dactyli, Oſtreæ & Conchæ, Chocolata Indica, *Lac*, & omnia ex Lacte parata, imprimis tamen *Muliebre* ex Mammis ſuctum, quod mirè etiam confert ad Venerem; item *Vinum dulce & generoſum*, imprimis *Hiſpanicum & Malvaticum*, ſub introitu lecti hauſtum convenit. Hinc Piper, Eruca, Formicæ, &c. neutra horum ſolitariò uſurpanda, ſed ferè ſemper Venerem ſtimulantibus copioſum Semen generantia jungenda: Non Aromatica nimis acria ſola, quia imbecilles reddunt: non Lactea ſola, quia Materiam ſeminalem minùs ſpirituoſam reddunt: ambo ergò combinanda: Vid. Velſchius *Hecatoſt. 2. pag.* 10. Iſta ergò, quæ Materiam Genituræ ſuggerunt, *Ova* recentia, aut etiam ſorbilia, hinc Vitellum Ovi recens unum alterumve hauſtum, ſed totum conquaſſatum, & cum Vino Hiſpanico miſtum & ita bibitum eſt optimum, teſte Lindano. Huic Miſturæ ſi addantur aliquot grana Ambræ, aut quædam Aromatica, ut ſunt Cubebæ, Nux Moſchata, aut etiam Species Diapipereon, erit Miſtura, quæ mirè armat in Venerem, & Semen augendo & ſimul Membrum geni-

tale ſtimulando. Hinc optimum eſt ad imitationem Solenandri *Sect.* 4. *Conſ.* 17. ut Lac dulce recipiamus cum Pipere, quod in ſpecie tempore æſtivo ad augmentandum Semen tanquam optimum commendat pro uſu quotidiano:

℞. *Lactis* ℥iij.
*Sacch.* ʒiij. ʒß. vel ℥j.
*Piperis* ʒ ß.
Miſta hauriantur pro unâ vice.

Hiſce accenſendi ſunt Teſticuli Gallorum exſiccati, quorum efficacia nota eſt ex Amato Luſitano *Cent.* 2. *Cur.* 18. & Schenckio *in Obſ. l.* 4. quòd mirè ſtimulent Venerem: Unde Itali Farcimina ex Criſtis & Teſticulis Gallorum cum Sanguine Galli irroratis parata, mirè commendant. His & ſimilibus ſimul Acria ſtimulantia, & ſpecificè Venerem excitantia adduntur.

Quæ Spirituoſitate & Acrimoniâ aromaticâ volatili *Fermentum Teſtium acuunt*, qualia ſunt Radix Zingiberis, tam pulveriſata, quàm in India condîta, ejuſque Syrupus conſervativus, quæ laudatur in hoc Affectu, non minùs, quàm Aromata cuncta aut Aromatica; Et talia ſunt in ſpecie *Cubebæ*, *Caryophylli*, *Galanga*, *Cinnamomum*, *Macis*, *Crocus*, *Cardamomum*. Præter hæc Aromata verò ſunt Semen Fraxini ſeu Lingua Avis, Semen Sinapi, Aniſi, Fœniculi, Naſturtii, item Semen Erucæ. Pertinet huc etiam *Caſtoreum*, *Baccæ Sabinæ* pulveriſatæ, & *Borrax Veneta*, de qua vid. Amatus Luſitanus. Ex dictis Aromatibus fiunt variæ *Species Officinales*, Species Diatrion-pipereon, Diambræ, Diamoſchi, Venereæ *Mynſichti*, Diagalangæ, &c. Rotulæ Stimulantes *Mynſichti* cum Ambræ & Opii gr. j. vel ij. item *Aqua Magnanimitatis Laurembergii* cum Cephalicis & Vino Malvatico, & *Spiritus Formicarum* egregiè conducunt ad augmentandam vim Seminis genitalem, externè & internè. Præter Teſticulos & Criſtam Galli ſuprà laudatos habetur ſingulariſſimus Spiritus Sanguinis Galli ex Sanguine aliquantulum putrefacto deſtillatus; Nam hoc certum eſt, quòd mirè Venerem ſtimulet, & etiam Teſtes torpentes inſigniter excitet, vel exſiccatus hujus Pulvis cum pauco Ambræ. De *Satyrio* condito res nota eſt, ſcilicet iſta ſpecies, quæ *Cynoſorchis* vocatur, Germ. *Knaben-kraut*, *Hindes Haubtlein*, *&c.* Hæc duos habet Bulbos, unum turgidum, alterum flaccidum, quorum is, qui hoc anno fuit turgidus, altero fit flaccidus; & qui fuit flaccidus, turgidus: Jam Bulbus iſte Cynoſorchidos turgidus inſigniter commendatur ad Venerem ſtimulandam, & augendam Genituram; ſicut contrà alter Bulbus flaccidus Venerem imminuit: unde ex hac Radice Satyrii paratur Electuarium Diaſatyrii Auguſtanum, & Eſſentia Satyrii *Crollii*: quæ miræ commendationis eſt ad ſtimulandam Venerem, ſi miſceatur cum Aquâ Magnanimitatis, ſeu Spiritu Formicarum, ſimulque addatur Spiritus Sanguinis Galli. Præter Radicem Satyrii etiam Radix Eryngii condîta laudatur, ut & Electuarium Magnanimitatis *Mynſichti*. De *Ambrâ* res nota eſt, quòd in formâ Eſſentiæ, imprimis ſi cum certâ quantitate Opii fiat, aut quacunque ratione uſurpata, mirè Spiritus reficiat, & inſigniter Venerem ſtimulet. Ex Opio & Ambrâ etiam parantur Pilulæ ad diuturniorem Venerem reddendam. Tinctura Auri cum Oleo Cinnamomi; Cantharides aliis permiſtæ, multùm valent ad intenſiùs ſtimulandam Venerem: Exemplum vid. in Platero *Obſervat. pag.* 139. pro quo ſcopo etiam paratur Eſſentia Cantharidum ad imitationem Bartholini cum infuſione Vini. Cautè verò adhibendæ ſunt Cantharides. Sanguis & Cerebrum Cervi aut Tauri Veneri inhiantis, ex eoque parata Remedia, inſigniter Venerem ſtimulare ſolent. Sanguis & Cerebella Paſſerum, præcipuè in actu Venereo transfoſſorum, fuit Secretum pro ſtimulo Venereo *Comitis à Pappenheim*, in re Venereâ & Martiali excellentiſſimi. Sanguis & Teſticuli Cervi in actu Venereo transfoſſi fuit ſingulare Arcanum Venereum cujuſdam Principis. Alii commendant potiùs Priapum Cervinum exſciſſum ex Cervo interfecto, dum in amore eſt; Nam ʒi. Pulveris talis Priapi Cervini cum Ovo ſorbili miſti, & pauco Vino generoſo ſuperbibito, egregiè profuit: Vid. Solenander *Conſ.* 19. *Sect.* 4. Tauri Priapus laudatur apud Bartholinum *Cent.* 6. *Hiſt.* 60. Notabile eſt & hoc, quòd Raſura Cornu Tauri in ipſo Coitu abraſa mirè conducat, Venerem conciliando & excitando: Et hæc fuit Secretum *Comitis Solmenſis*. Hiſce addantur, quæ κατ' ἐξοχὴν Venerem armare dicuntur, ut *Ambra*, *Moſchus*, *Zibethum*, cum *Oleis deſtillatis Aromatum* ſubacta & imprægnata.

Ex quibus varia in uſu ſunt *Simplicia*, & *Compoſita*; v. gr. Borrax in Ovo ſorbili aſſumptus, item Borrax cum Saccharo mixtus, & cum Pomo aſſato aſſumptus, mirè Venerem ſtimulare dicitur, quo utitur *Dux Saxo-Lavenburgicus*, *&c.* Nonnullis tale Remedium in uſu eſt: Recipiunt *Vinum generoſum Malvaticum*, addunt *Vitella Ovorum recentia*, acuata cum aliquot granis *Ambræ*, vel aliis *Aromatibus*, vel *Speciebus Aromaticis*, & exhibent pro Potu, qui unâ vice ſtimulat Venerem. Principis cujuſdam Secretum fuit ſequens:

℞. *Olei Piſtac. rec. expreſſ.* Cochl. i.
*Vitell. Ovi* No. i.
*Ambræ*, quantum capit Cultelli cuſpis.
*Sacchari Candi*, quantum capiunt 3. Cultelli cuſp.

In cineribus calidis miſta egregiè Veneri prodeſſe dicunt. Alii

℞. *Vitell. Ov.* No. ij.
*Ambr.* cuſp. Cultell. i.
*Sacch. albiſſ.* vel *Candit.* cuſpid. Cult. iii.

Mixta propè cineres calidos exhibent haurienda unâ vice, & Venus ſtimulatur.

Faciunt huc *Mixturæ*, *Eſſentiæ*, *Electuaria*, *Morſuli*, *Rotulæ Stimulantes Mynſichti*, *Tabulæ Viriles Paracelſi*, Hartmann. *Prax. cap.* 204. Mixtura Virilis Hartmanni *cap.* 204. §. 4. & ſimilia in ejuſmodi caſibus uſitata. Mixtura *Timæi* contra Impotentiam fuit ſequens:

℞. *Aquæ Magnan.* ℥viij.
*Cinnam.* ℥iv.
*Eſſent. Satyr.* ℥ij.
*Ambr.* ℥j.
Miſc.

Propinetur ſubinde doſis Cochlearis unius.

Vel

℞. *Aquæ Magnanim.* ℥iij.
*Cinnam. cum Vino.*
*Eſſent. Satyr.* an. ʒiij.
*Tincturæ Corallior.* ʒij.
*Eſſent. Ambræ* ʒj.

M. S.

Mixtura Confortans, cochleatim ſumenda.

*Trochiſci Viperini* etiam hîc locum inveniunt: Conf. M. A. N. C. *Ann.* 6. *& App. pag.* 130. item Hoefferus *Herc. Med. pag.* 209. Unde Pulli Viperis nutriti, & cum Teſticulis Gallorum pro alimento aſſumpti, Principibus inſerviunt. Imprimis Electuariorum formâ Remedia hîc propinari ſolent; e. g.

℞. *Conſ.*

℞. *Conf. Magnanim.*
*Pacif. Mynſ.*
*Satyr.* an. ℥ß.
*Eſſent. Satyr.* ʒiij.
*Ambr.* ʒß.
M. S.
Electuarium Confortativum.
Doſis quantitas Nucis jugland.
Vel
℞. *Chocolat. Ind.* ℥j. ad ℥iß.
*Electuar. Diaſatyr.* ℥ß.
*Condit. Rad. Eryng.*
*Satyrion.* an. ʒiij. vel ʒvj.
*Nuc. Indic.* ʒij.
*Zingib.* ʒiß. ad ℥ß.
*Raſ. Priapi Cervi Veneri inhiant.* ℥ß.
*Cubebar.*
*Cardamom.* an. ʒj.
*Spec. Diambr.*
*Diamoſch. dulc.* an. ʒiv.
*Sem. Erucæ*,
*Paſtinac.*
*Urticæ*,
*Lingu. Avis*, ſeu *Fraxini* an. ʒj.
*Ambr. opt.*
*Moſch. elect.* an. gr. vj. ʒß. ad ʒj.
C. ſ. q. *Brodii Helenii*, vel *Zingib.* vel *Syrup. de Canellâ* t. Electuarium, tempore usûs cum *Aquâ Magnanim.* aut *Spiritu Formicar.* probè irrorandum, & ita uſurpandum. (*Oportet exinde benè madefieri.*)

Huc facit Electuarium expertum *Rulandi*, quo præmiſſis Univerſalibus Impotentes reſtituit: Compoſitio eſt hæc:

℞. *Spec. Diaſatyr.* (Compoſit. Officinal.) ℥ij.
*Galang.* ʒij.
*Ambræ*,
*Moſchi dulc.* an. ʒij.
*Raſur. Priap. Cervi*, cum hiat in Venerem interfect. ℥i. ad ʒiß.
*Pinear.*
*Piſtac.*
*Amygd. dulc.* an. ℥ß. (hîc Semen augentia admiſcentur Stimulantibus.)
*Carn. Scinci marin.* ʒij. (ex vanâ perſuaſione, quia nihil valent.)
*Sem. Erucæ*,
*Naſturt.*
*Urtic.* vel *Sinapi* an. ʒj. ad ʒij.

Terantur, & F. cum *Melle*, vel *Condîtum*, vel *Electuarium.*

Conveniens eſt, ſi tale Condîtum ſæpiùs irroretur cum Aquâ *Cinnamomi*, aut *Magnanimitatis*, vel Spiritu *Sanguinis Galli*, aut *Formicarum.* Loco Mellis ſimplicis convenienter Conf. Alchermes recipi poteſt.

℞. *Elect. Diaſatyr.* ʒj.
*Rot. Stimul. Mynſ.* ʒi.
*Ambræ*,
*Moſch.* an. gr. ij.
*Laud. Opiat.* gr. i.
M. f. l. a. Bolus. S.
Electuarium Confortans pro unâ vice.

Vel uſurpentur Electuaria contra defectum Seminis, quæ dedi *in Colleg. Formular.*

Vel

℞. *Conſ. Rad. Eryng.*
*Satyr.* an. ℥iij.
*Cortic. Citr. condît.*
*Zingib. in Ind. cond.* an. ℥ß.
*Amygd. dulc.*
*Nuc. Pinear.*
*Piſtac.* an. ʒiii. ad ℥j.
*Carn. Dactyl.*
*Pulp. Nucis Myriſt.* an. ℥i.
*Priap. Tauri* ʒvj.
*Sem. Erucæ*,
*Paſtinacæ*,
*Sinapi an.* ʒij.
*Cinnam.* vel *Cubebar.*
*Galang.*
*Piperis albi* an. ʒj.
*Olei deſtill. Caryoph.* ʒß.
Cum *Brod. Zingib.* ſ. *Electuarium*; S.
Electuarium Confortativum.

Quidam addunt Pulverem Cantharidum, ſed non convenit: conveniunt ſaltem Cantharides, ubi deficit erectio Penis. Platerus *Obſerv. lib.* 1. *pag.* 256. Pulverem hunc tanquam efficaciſſimum commendat: Pertinet huc Electuarium ad Coitum *Comitis à Wallenſtein*, quod ſequenti modo componitur:

℞. *Seminis Erucæ*,
*Saturejæ*,
*Urticæ* an. ʒi.
*Priapi Cervi in coitu transfoſſ.*
*Raſ. Cornu Tauri in coitu abr.* an. ʒii.
*Ambr. griſ.* ʒi.
*Moſchi* ʒi.
*Conf. Alcherm.* ʒx.
*Mell. deſpum.* q. ſ.
M. f. Electuarium.

Doſis magnitud. Jugland. mane, & veſperi.

Solent etiam præſcribi *Morſuli.*

℞. *Amygd. dulc. Ambroſ. exc.* ℥i.
*Pinear.*
*Piſtac.* an. ℥ß.
*Nuc. Ind. condît.* ʒvj.
*Spec. Diatrion-piper.* ʒij.
*Sangu. Galli exſicc.* ℥j.
C. ſ. q. *Sacch. in Aquâ Cinnam. ſol. f.* Morſuli; ſubindè uſurpandi.
D. S.
Morſuli Confortativi.

Hæc fuerunt Interna.

Cum hiſce ſocientur *Externa* nonnulla, quæ & ipſa Glandi, Perinæo, Scroto, & Teſtibus, item circa Inguina, ubi deſcendunt Vaſa Præparantia, illinantur: quæ inter eſt imprimis Balſamus Apoplecticus, aut Balſamus Venereus *Mynſichtii*, Oleum deſtillatum Piperis, Nucis Moſchatæ. Loco horum *Oleum deſtillatum Macis* dictis locis blandè illitum eſt egregium: poſſunt addi, ſi placet, aliquot guttæ *Olei deſtillati Caryophyllorum*, & *Spicæ*: vel ex dictis Oleis cum *Axungiâ Caſtorei*, vel Corpore pro Balſamis fiat *Balſamus.* Glans Moſcho, aut Zibetho, vel Balſamo Apoplectico inuncta, Venerem ſtimulat, voluptatem auget, & facilitatur in Mulieribus Conceptio. Item *Spiritus Formicarum* externè etiam poteſt inungi, quia valdè intendit Venerem. Tandem fiat *Linimentum*, ſeu *Balſamum Venereum* ex Oleo Nucis Moſchatæ expreſſo, quod miſceatur cum aliquot guttis Olei deſtillati Caryophyllorum, ſic molleſcit, hinc adde aliquot grana Zibethi, & Moſchi q. pl. quo Scrotum, Teſtes, & Regio Pubis inungantur: vel Succo ex Ovis Formicarum expreſſo parum Zibethi admiſceatur. Verùm obſervandum, quòd ubi talia Suaveolentia inungantur Teſtibus pro excitando eorum vi, aut inungantur Peni pro augendâ voluptate in actu Venereo, ne Odor nimis feriat Nares, ne ſimul inungantur talibus Nares; aliàs plùs nocent, quàm proſunt; nimis enim tunc Spiritus afficiuntur, ut minùs poſſint ſufficere actui ipſi, ſeu exercitio Venereo.

Conſideravimus hactenus Venerem ſtimulantia, Materiam ſubminiſtrando ſeminalem, & acredine confortantia Fermentum Teſtium: Quod attinet *defectum Teſtium*, ſi ſcilicet *lateant Teſtes in Abdomine*, uti interdum fit, tunc ad reſtituendos Teſtes in naturalem locum, ut ſcilicet in Scrotum deſcendant, optimus eſt Motus Corporis, Saltatio, ac ſimilia Exercitia. Rulandus *in Theſi Pract. pag.* 282. curavit duos Adoleſcentes, quorum Scrotum Teſtibus erat vacuum, & qui ſuper Os Pubis jam à nativitate uſque retracti fuerant, beneficio Balnei Emollientis: poſt quem Inſeſſum inunxit locum, ubi erant Teſticuli cum Balſamo Sulphuris, hinc ſucceſſivè detruſit Teſtes in Scrotum infrà, & hinc ſub Virgâ, laxiore injectâ Ligatura eorum retractionem impedivit.

Superſunt nunc Teſtium *Tumores*, à quibus Geniturae Generatio periculosè impeditur.

Quoad Tumores hos: ſunt

1. A Sanguine, unde Teſtium *Inflammatio.*
2. A Flatibus, unde *Pneumatocele.*
3. Ab Aquâ intra Teſtium Membranas collectâ, ut in *Hydrocele.*
4. Eſt *Tumor Scirrhoſus.*
5. *Sarcocele*; &
6. *Cirſocele*, ſeu Hernia Varicoſa.

## ARTICULUS II.

### *De Teſtium Inflammatione.*

INter Teſtium *Tumores* primatum ducit *Inflammatio*, ſeu *Phlegmone* Teſtium, & Scroti, quæ fit ob Sanguinis circulum per Teſtium canales impeditum, indeque obortam Sanguinis ſtagnationem, qui ſtagnans Sanguis, cùm continuò affluxus Sanguinis augeatur, in Tumorem Inflammatorium, ſeu, ut alii vocant, Phlegmonem convertitur.

*Cauſa* Inflammationis Teſtium, uti rarò eſt Interna, ita ſæpiſſimè Externa, ut externa Concuſſio Scroti, & Teſtium, verbi gratiâ ſub Equitatione compreſſio violenta, *cum ſcilicet quis impingit in Ephippii arculum* (vid. M. A. N. C. *Anno* 6. *&* 7. *Obſ.* 47. *pag.* 81. *&* 82. *& Anno* 9. *&* 10. *Obſ.* 158. *pag.* 349.) Contuſio, Plagæ, & crebra Verberum inflictio, Ligaturæ violentæ, & quæ ſunt aliæ, quæ contundunt, aut Sanguinis motum in Teſtibus inhibere, & ita Inflammationem excitare poſſunt. Interdum Gonorrhœæ, in ſpecie virulentæ, ſeu malignæ, ſuppreſſio etiam Cauſa ſolet eſſe periculoſæ Teſtium Inflammationis.

## DIAGNOSIS.

*Inflammatio Teſtium facillimè cognoſcitur* ex Tumore tam Teſtium, quàm interdum ſimul Scroti à latere Teſtis affecti, conjuncto cum Dolore gravi, partim lancinante, partim vehementer pulſante, orto ex Sanguinis impedito motu, & circulo, cum Calore ardente, & denique ex partium vicinarum, ſæpiſſimè Scroti, Rubore, & Incaleſcentiâ: nam Calor, Dolor, Pulſationis ſenſus vicinarum partium, & Rubor, &c. Inflammationem Teſtium oſtendit; ſicut Febris plùs minùs lenta pro Inflammationis ratione obſervatur. Tactu imprimis Dolor exaſperatur, & ſenſus Doloris ſurſum uſque ad Lumbos ferè porrigitur ratione Membranarum, Vaſa Spermatica, & Teſtes involventium, Membranis circa Lumbos continuarum.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: Inflammatio Teſtium non contemnenda eſt, propter gravem Dolorem interdum Convulſiones inferentem, & metum Gangrænæ, in quam, niſi citò diſcutiatur, tranſit.

Ubi eſt inveterata, & ad ſtatum perducta, periculoſa eſt ſæpiſſimè propter Abſceſſum, cui pariter facilè Gangræna, ſupervenire ſolet, facilius tamen in Scroto inflammato (ut aliquoties vidi in Italiâ, imprimis ubi Cauſa remota eſt Venenum Venereum), quàm in Teſtibus inflammatis: cui tamen per Gangrænam abſumpto Natura provida ſubſtantiam carnoſam ſubſtituit, qua muniuntur Teſtes: Vid. Panarollus *Pent.* 1. *pag. c.* 25. Bartholinus *Centuriâ* 6. *Hiſtor.* 69. Timæus *Von Guldenklee*, *in Caſibus pagina* 296. Sennertus *lib.* 3. *Prax. ubi de Scroti Morbis pag.* 911.

## CURA.

Quoad *Curam Teſtium*, & *Scroti Inflammationis*; hæc ipſa vel

1. *Diſcutienda*; idque diverſimodè pro Cauſarum ratione, quod ut meliùs fiat, Dolor imprimis ſiſtendus eſt;

Vel

2. *Suppurandus*; Hinc
3. Abſceſſus *aperiendus*, & Ulcus *mundificandum.*

Præmiſſis ergò *Univerſalibus* internis, & *Venæ ſectione*, ubi opus eſt, curatur per *Diaphoretica*, Inflammationem, quantum poſſibile eſt, citò diſcutientia, imprimis per ea, quæ blando Sudore Sanguinis circuitum promovent, & quæ aliàs in omnibus Inflammationibus in uſu ſunt.

*Externè* pro diſcutiendo Tumore, & reſolvendo præ cæteris expertiſſimum eſt *Cataplaſma* ex *Farinâ Fabarum*, cum Aceto Vini, vel ſolo, vel cum *Oxycrato*, id eſt Aquâ, & Aceto, coctâ, & applicatâ. Tale Cataplaſma expertiſſimum dico ad quamcumque Teſtium Inflammationem, (*equidem valdè commendo*) cujus aliquot Experientias videbitis in Riverii *Obſerv. Centuriâ* 2. *Obſervat.* 39. *Centuriâ* 3. *Obſervat.* 1. *Centuriâ* 4. *Obſervat.* 74. uti & *in Obſervat. communicatis.* Addi etiam commodè poteſt Semen Cumini, item Flores Chamomillæ, & Meliloti, & magis diſcutit. Quòd ſi acrius fuerit *Cataplaſma* propter Acetum, & Scrotum excoriari velit, ſub decoctione *Litharg yrii*, vel *Ceruſſæ* parum, commodè addi poteſt, ſic dulceſcit Acetum; hæc enim Saturnina acorem Aceti nimium temperant, & in dulcedinem reſolventem mutant: e. g.

℞. *Farinæ Fabarum* ℥iii. vel iv.
*Pulv. Sem. Cumin.* vel *Aniſi* ℥ß. vel ℥ii.
Cum *Vino*, vel *Aceto*, vel *Oxycrato*, id eſt, part. j. *Aceti*, & part. iv. *Aquæ ſimpl.* q. ſ. redigatur in Cataplaſma.

Et ſi propter Acetum ſit acrius, adde ſimul
*Litharg yr.* vel *Ceruſſ.* ℥i. ad ℥iii.

M. S.

Puls Diſcutiens.

Applicetur ſæpiùs tepidè ad diſcutiendam Inflammationem. Convenit ad quaſcunque Inflammationes, non tantùm in ſimplici Inflammatione Teſtium, ſed etiam, quæ interdum ſuppreſſis Gonorrhœis, tam benignis, quàm virulentis, ſeu ex ſimilibus Cauſis ſupervenit, &c. Sic Tumor Scroti ex Percuſſione curatus fuit per Cataplaſma ex Farinâ Fabarum, Hordei, Semine Cumini Flori-

Floribus Chamomillæ, Meliloti, Roſarum cum Oxymelle: vid. Riverius *Obſ. commun.*

Item

℞. *Aquæ Calcis vivæ* ℔i. ad ℔iß.
*Spiritûs Vini camphorat.* ℥ß. ad ℥j.
*Ceruſſ.* vel *Sacchari Saturni* ʒiß.
M. pro Epithemate: S.

Epithema Diſcutiens, & Refrigerans.

Calidè applicetur, cui & in graviori Dolore addi poteſt

*Opii in Aceto ſol.* ℈j.

Poſthæc convenit Cataplaſma ex Herbâ Paridis contusâ, & ita Cataplaſmatis inſtar Teſtibus applicatâ. Aliàs fieri poſſunt ſimilia *Cataplaſmata*, & *Fotus*, ex Cicutâ, Solano, Agrimoniâ, vel Radice Cucumeris aſinini, Verbenâ, Foliis Rutæ, Floribus Chamomillæ, & ſimilibus, in Vino, vel Poſcâ coctis, & partim tanquam Fomentum, partim tanquam Cataplaſma, ſic applicentur pro Inflammationibus diſcutiendis: Vid. Foreſtus *lib. 27. Obſerv. 1. in Schol. & Obſerv. 4.* Cataplaſma *Hartmanni ex Foliis Nymphææ*, & *Naſturtii aquatici*, ſi ana coqu. in Aceto roſaceo, & Vino, & cocta ita, & ſubacta permiſceantur cum pauxillo Olei Roſarum applicari poteſt. Quòd ſi Teſtes, & Scrotum inflammantur ex Contagio Venereo poſt Coitum cum Meretrice, aut Inflammatio dictarum partium conjuncta ſit cum Gonorrhœâ, vel benignâ, vel malignâ, Cataplaſma ex *Foliis Rutæ*, & *Ebuli* cum Poſcâ coctis applicatum eſt optimum, quod laudatur ab Hartmanno. Melius adhuc eſt Fomentum expertum *Lindani* ex *Decocto Radicis Chinæ*, & *Florum Sambuci* in Cereviſiâ generosâ, aut loco hujus in Vino; quo Decocto ſæpiùs fomententur partes, donec diſparuerit Inflammatio, quam diſcutit, & reſolvit. Fit interdum, ut ex applicatis Acrioribus externis oriatur Inflammatio dictarum partium, in qua optimus eſt *Fotus ex Lacte* cui incocti ſunt *Flores Chamomillæ*, & *Sambuci*. Subinde fit, ut acerbus *Dolor* conjungatur cum inflammatis Teſtibus, hic ut ſedetur, modò dictis Externis optimè adduntur Folia Hyoſcyami: e. g.

℞. *Herb. Abſinth.*
*Alchimill.*
*Cent. min.*
*Flor. Acac.*
*Chamomill.*
*Verbaſc.*
*Fol. Hyoſcyami* an. M. j.

Inciſa coqu. in Vino, addito parum Aquæ (vel in *Poſcâ*):

Colatura cum Linteis calidè ſæpiùs applicetur.

Aut adduntur his ipſis Mucilagines Seminis Pſyllii cum Aquâ Spermatis Ranarum extractæ. Tandem Balſamus Sulphuris *Rulandi* ad extrà cum Oleo Nucum paratus, reliquias Tumoris abſumit.

Quòd ſi modò dictis Remediis nequeat diſcuti Inflammatio, ſed *ad Suppurationem tendat*, neceſſe eſt, ut adjuvemus Naturam in Suppuratione, & ſuppuratæ Inflammationis Apertione. *Pro maturandâ ergò Suppuratione* conveniunt *Maturantia*, & *Emollientia* in Lacte cocta. Præ aliis expertum eſt *Emplaſtrum Filii Zachariæ*, cujus Deſcriptio habetur in *Phar. Auguſt.* malaxatum cum Balſamo Sulphuris terebinthinato, qui egregiè Abſceſſus maturat: item ubi Dolor ſimul urget in Suppuratione, qui ſemper eſt præſens, tunc recipiantur Folia Hyoſcyami ſub cineribus cocta, & contuſa, excipiantur cum Axungiâ porcinâ, & reducantur ad formam Cataplaſmatis, quod Dolorem ſedat, & ſimul Inflammationem maturat. Quô etiam pertinet Unguentum Dialthææ, Populeum, Unguentum Dia-chylon, & ſimilia, quæ aliàs ſolent maturare tales Inflammationes. Maturatus tandem debitè *Abſceſſus aperiendus* eſt manu Chirurgi, Lancettâ, & hinc *Suppurantibus*, & *Exſiccantibus* curetur. Vid. quæ *ſuprà l. 1. de Inflammationib. in genere* dicta fuerunt, & Barbette *Anat. Pract. part. 2. cap. 2.* item M. A. N. C. *Anno 2. Obſ. 235. pag. 337. Anno 6. & 7. Obſ. 47. pag. 87. & Ann. 9. & 10. Obſ. 158.*

## ARTICULUS III.

### *De Pneumatocele.*

*Pneumatocele* eſt *Tumor*, qui oritur *à Flatibus*; imprimis intra Membranas Teſtes involventes collectis; eſtque ſaltem Inflatio Teſtium, nunc unius ſolùm, nunc utriuſque, nunc Teſtis ſolius, nunc etiam Scroti. Pneumatocele hæc nunc eſt ſolitaria, nunc, idque ut plurimùm, cum Hydrocele juncta.

### CAUSÆ.

Flatus hi nunc, idque rariùs, in Scrotum aut vicina loca ex Abdomine tranſmittuntur, nunc, idque frequentiſſimè, in ipſa parte affectâ ex *Nutrimento* ſpermatico Membranarum Teſtes obvolventium, quod vitioſè alteratum & corruptum, plùs minùs, ab Acido vitioſo per Fermentationem inducto tranſmutatur in *Flatus*; quod Malum Pueris ferè eſt familiare. Nempe hîc omnia poſſunt applicari, quæ *L. 1. Sect. 5. Cap. 2.* ſunt dicta *de origine Flatuum in Stomacho & Inteſtinis.*

### DIAGNOSIS.

Pneumatocele cognoſcitur, quando Teſtes ſucceſſivè fiunt tumidi inſigniter, ſine Pondere tamen & Gravitate, cum Dolore tenſivo, ſimulque *Scrotum* in ſe eſt adhuc *rugoſum & flaccidum*. Si verò Flatus ipſum Scrotum occupant, hoc, ſi manibus premitur, facilè de loco in locum movetur.

### PROGNOSIS.

*Pneumatocele eſt ſine periculo*, niſi propter Dolorem & Tumorem ſit moleſta.

### CURA.

*Pneumatocele*, ſeu *Hernia Flatulenta* eſt omnium leviſſima (ſive Flatus ſoli, aut cum Hydrocele ſimul adfuerint) & curatu facillima, *Diſcutientibus & Carminantibus* ſaltem tractanda. Unde *Interna*, quæ *l. 1. Sect. 5. Cap. 2. de Flatibus* & *Sect. 11. de Coliçâ flatulentâ* dicta ſunt, adhibeantur. In ſpecie Remedia ex Seminibus 4. Calidis majoribus, ex Corticibus Aurantiorum, Floribus Chamomillæ, Baccis Lauri, &c.

*Externe* ex ſimilibus parentur *Cataplaſmata* cum Oleo Rutæ, Chamæmelino, Coſtino, &c. addito Spiritu Vini, ut eò meliùs penetrent: *Agrimonia* in ſpecie valet ad Inflammationem Teſtium; vid. Hildanus *Cent. 3. Obſ. 87.* His accedunt *Fotus Diſcutientes*, inter quos uſitatus eſt iſte, ex duplo ſcilicet *Fabarum Farinæ*, & parte j. *Seminis Cumini*, in quorum defectu commodè uſurpari poſſunt *Baccæ Lauri*, imprimis ſubacti cum *Fimo Vaccino recenti*, quod *Cataplaſma* mirè diſcutit: e. g.

℞. *Pulv. Flor. Chamom.*
*Melil.*

*Far. Fabar.* an. ℥vj.
*Sterc. Caprill.*
*Baccar. Lauri* an. ℥ß.
Cum *Vino* & *Oleo Anethino* f. Cataplasma.
D. S.
Cataplasma Resolvens.

Potius est sequens:

℞. *Fimi Vaccini* ℔ij.
*Sulphuris vivi*,
*Sem. Cumini* an. ℥j.

C. f. q. *Mellis* & *Olei Anethi* f. Cataplasma, laudatum quoque à Foresto *lib.* 27. *Observat.* 25. optimè convenit *Fotus*, quo Solenander *Conf.* 15. Tumorem Scroti & Testium ab Humore influente & Flatu enatum curavit, cum Pannis ibidem intinctis crebriùs applicandis:

℞. *Sem. Coriandri* ℥ß.
*Cumini*,
*Anisi* an. ℥ij.
*Alum.* ℥ß.
*Vini*,
*Aquæ commun.* an. ℔j.

Coqu. invicem leviter, & dicto modo applicetur loco hernioso & Flatibus.

Et hæc conferunt quoque in *Hydrocele*, aut ubi cum Hydrocele conjuncti sunt Flatus, ubi tamen dictis *Balsamus Sulphuris* vel *terebinthinatus* vel *juniperinus* commodè additur: nempe calidè Hernia Flatulenta illinatur, imponendo desuper *Emplastrum Diasulphuris Rulandi.* Si acrius fuerit, & excoriationem Scroti minatur, potest temperari cum tantillo *Olei Nucis Moschatæ expresso.*

## ARTICULUS IV.

### *De Hydrocele.*

HYdrocele, seu *Tumor Testium Aquosus*, qui Tumori Scroti & Testium hydropico contradistinguitur, ita dicitur ab Aquâ, intra Testium Membranas contentâ. Aliàs *Tumores Testium* dicuntur *Herniæ*, propterea saltem, quia cum Scroti Tumore conjuncti sunt, sed impropriissimè; quia tamen aliquam similitudinem habent cum *Herniâ verâ*, quæ fit ex descensu Intestinorum in Scrotum, sic appellari possunt.

## CAUSÆ.

*Hernia* hæc aquosa seu *Hydrocele* oritur à *Lymphæ recursu ex Testibus impedito*, dum nempe Vasa Lymphatica in quodam loco obstructa, Lympham effundunt intra Membranas Testes involventes; nam & Testes habent sua Vasa Lymphatica, quæ Lympham ex Testibus ad Receptaculum commune, uti notum est, revehunt. Quòd si ergò fiat, ut obstruatur Lymphæ recurrenti via, oboritur ex ruptis Vasis Lymphaticis collectio, & stagnatio tandem istius Lymphæ in Teste, unde ruptâ Tunicâ, Vasis Lymphaticis propriâ, perquàm tenerâ, eadem intra Tunicas Testium extimas, Elytroidem nempe satis validam Peritonæo continuatam, coacervata Lympha, Tumorem talem Aquosum seu Hydrocelen facit, qui vulgò, sed pessimo more, vocatur *Hernia*; nihil enim minùs est, quàm Hernia. Quòd si hæ rumpantur Tunicæ, ipsum Scrotum in medietate Testis affecti etiam impleri solet: sed ferè Membrana istius Testis, in qua colligitur Aqua, quò hæc diutiùs stagnat, eò solet fieri spissior, crassiòr & densior, unde Malum redditur contumacius, adeò, ut nec facilè rumpatur, sed potiùs Tumorem plùs minùs duriusculum repræsentat. Reverà *Hydrocele ex vitio Testium* proprio nihil est aliud, quàm *Hydrops Testium* particularis, (sive ruptum, sive exesum, sive alio modo vitiatum sit Vas Lymphaticum ad Testes protensum,) distinctus ab isto *Tumore Scroti Hydropico*, quando ex Hydrope Ascite in Scrotum Aqua diffluit: nam Hydropici simul solent ordinariò incurrere Tumorem Scroti. Nunc autem Tumor accrescit cum Ascite & intenditur; nunc in Ascite particulari Abdominis, evacuatâ per Paracentesin Hydropicorum Aquâ, supervenit Tumor Aquosus Scroti; vid. Barbette *in Anat. Pract. Prius fit*, quando Aquæ in Abdomine Hydropicorum collectæ per Processus Peritonæi successivè in Scrotum destillant: *Posterius*, quando Scrotum, ut ut flaccidum, post evacuationem Aquæ repletur; quia Aqua ultra Peritonæum & Musculos Abdominis est, & tunc, ubi relaxantur partes, descendit. Verùm cum hoc Hydrope hîc loci nobis nil est negotii. Interdum huic *Hydrocelæ* propriè dictæ, seu Tumori Testium, supervenit *Tumor Scroti Aquosus*, dum rumpitur Tunica quædam Testis à Lymphâ distenta, & tandem ipsum Scrotum ab istâ medietate, cujus Testis anteà fuit affectus, impletur: quem etiam pessimo more vocant Hydrocelen.

## DIAGNOSIS.

Hydrocele *non facilè cognoscitur*, in specie quando Malum est confirmatum, & Membranæ, in quibus collecta Aqua, admodùm spissæ ac crassiores fiunt, tunc enim subinde Tumorem duriusculum, renitentem tactui, repræsentant, adeoque Hydrocele similis est *Herniis Carnosis.* Interim Testi, si Herniâ Aquosâ laborat, ut ut sit durus, potest ei induci *Fovea*, quod in Carnosâ Herniâ non fit.

Patet aliàs Hydrocele *ex sensu Fluctuationis* cujusdam in Scroto, seu locis vicinis, dum scilicet Testes premuntur intra Membranas internas, Tumor nunc molliusculus, aut facilè tactui cedens percipitur; item *Scrotum*, vel ex toto, vel ex dimidio *quasi lucidum* ac minùs rugosum apparet, planè erugatum, præcipuè si ex opposito *Candela ponatur*, *Ægerque de Pondere & Gravitate conqueratur*, *nec Tumor* per compressionem aut decubitum resupinatum *facilè in Abdomen recedat*, ut in Enterocele fit, sed semper ferè ejusdem magnitudinis, rotundus, paulò longior, instar Ovi, apparet, neque habet suas vicissitudines, & potiùs incrementum, quàm decrementum sumit, Testiculus econtrà tactui ferè occultatur.

Quòd *si Testes soli intumescant*, Scrotum adhuc rugosum aliquo modo apparet; quod non evenit, ubi præter Testes intra Scrotum jam Aqua collecta fuerit, quod ipsum tunc expansum, & sine rugis conspicitur.

Si verò collectus est Humor *intra Tunicas intimas*, non potest percipi; nam hic ipse Testem relaxare solet.

Prout autem Humor lymphaticus aut intra Scrotum, aut intra Tunicas Testium, nunc in superiori, nunc in inferiori loco includitur, etiam diversam tactui formam cum Teste plùs minùs manifesto aut occultato repræsentat.

## PROGNOSIS.

*Hydrocele periculo caret*, & tantum Dolore, & Tumore molesta est. Si verò Hydrocele seu Hernia Aquosa sit inveterata, ita, ut membranæ istam investientes jam tenaciores & firmiores redditæ fuerint, vix sine Chirurgiâ curatur, recens, verò adhuc Medicamentis discuti potest.

Iste

Iſte Scroti Tumor Aqueus, qui *Hydropem Aſciten comitatur*, vix, niſi Hydrope curato, perfectè curari poteſt.

## CURA.

In Tumoris Teſtium Aquoſi ſeu Hydroceles *Curâ* imprimis in principio *Diſcutientia*, *& Reſolventia* valida applicata conducunt, præmiſſis & annexis internè Eſſentiâ & Extracto Elaterii, Radice Jalappæ, Gummi de Peru, & ſimilibus Serum ſuperfluum evacuantibus: quin & præmiſſis *Diureticis*, ſpecialiter Succinatis, & Arcano duplicato, quod feliciter adhibuit Ludovici in M. A. N. C. *Ann. 9. & 10. Obſerv.* 158.

*Externè* conveniunt, uti dixi, *Diſcutientia & Reſolventia*: quæ inter convenit Emplaſtrum Hydropicum *Anguſtanorum*, quod applicari poteſt, item Emplaſtrum ad Hernias *Schræderi* cum Exuviis Serpentum, loco Anguillarum, paratum: Vel illinatur Balſamum Sulphuris *Rulandi*, vel ſolum, vel cum Unguento Althææ miſtum: e. g.

℞. *Ungu. Dialth.* ℥iij.
*Balſ. Sulphuris Terebinth.* ʒvj.
M. S.
Unguentum Reſolvens.

Hôc inungatur Scrotum calidè.

Si eſt debilius, convenit hoc *Cataplaſma* craſſum ſeu *Emplaſtrum*:

℞. *Emplaſtr. de Bacc. Lauri*,
*Stercor. Caprill.* (quod ad multas Inflammationes Oedematoſas conducit) an. ℥iß.
*Sem. Cumini*,
*Flor. Sulphuris*, aut *Sulphuris pulveriſat.* an. ʒij.
Miſc. & malax. cum *Oleo Rutæ & Chamomillæ* ana q. ſ. f. Emplaſtrum.

Parti tumenti, tam in *Herniâ Aquosâ*, quàm in *Tumore Scroti Hydropico*, admoveatur.

Loco hujus Emplaſtri *Emplaſtrum Carminativum Mynſichtii* Scroto applicari poteſt. Primatum obtinent Cochleæ cum ſuis Teſtis contuſæ, & Cataplaſmatis modo applicentur, vel ſolæ, vel cum Stercoribus Animalium in ſpecie Caprino & Vaccino, & Semine Carvi, quorum *Formulas* vid. *ſupra l. 1. ubi de Hydrope.* Vel, quod mirè commendat D. Michaelis in Tumore Hydropico conveniens.

℞. *Flor. Chamom.*
*Herb. Parid.* an. M. ij.
*Farin. Fabar.* ℥ß. vel ℥j.
*Sterc. Caprill.* ℥iij.
*Pulv. Teſtar. Cochlear.* ℥ij.
Coque in
*Aquæ Chamomill.* part. iv.
*Aceti Vini deſtill.* part. j. vel ana part. æqu. ad conſiſtentiam Cataplaſmatis Scroto applicandi:
D. S.
Cataplaſma Diſcutiens.
Vel
℞. *Flor. Chamom. Rom.* M. iij.
*Farin. Fabar.* ʒvj.
*Stercor. Caprill.* ℥iij.
*Pulv. Teſtar. Cochlear.* ℥iß.
Conciſa & contuſa coqu. *in Vino.*
D. S. ut antè.

Decocto priùs fomentetur Scrotum, & demum deſuper applicetur Cataplaſma ad reſolvendam Hydrocelen:

℞. *Sterc. caprill.* ℔j.
*Flor. Chamom.*
*Sambuci* ana M. ij.
*Sem. Cumini* ℥j.
Coq. in ſ. q. *Urinæ Pueri*:

Colatura uſurpetur pro Fotu; Remanentia verò pro Cataplaſmate.

Vel denique

℞. *Cochl. cum Teſt. cont.* ℥iv.
*Bacc. Lauri*,
*Sulphuris* ana ℥ij.
*Sterc. Capr.* ℥iij.
Cum ſ. q. *Lixivii* f. Cataplaſma.

Verùm in Hydrocele confirmatâ nil præſtabunt. Quòd ſi forſan ex Aſcite immineat Hydrocele, aut Tumor Scroti Hydropicus, tunc Petroſelinum viride contuſum, & Scroto impoſitum, domeſticum quidem, ſed laudandum eſt Remedium.

Item

℞. *Naſturt. aquat.*
*Nymph.* ana part. æqual.

Ex quibus cum *Aceto Roſaceo* contuſis, addito *Oleo Roſaceo*, paratur Cataplaſma, quo Tumorem Teſtium magnum dolorificum in Hydrope, aliis irritis, curavit Rulandus *in ſuis Curationibus.*

Cataplaſma ex Farinâ Fabarum cum Vino & Oxymelite ſuprà laudatum, etiam in Hydrocele confert. Conf. Riverius *Cent. 2. Obſer. 4.*

Sed nihil nobis negotii eſt cum Tumore Scroti hydropico, potiùs ad *Hydrocelen* pergimus; quæ ſi *confirmata*, Medicamentis non poteſt reſolvi aut diſcuti, quin pertinaciùs reſiſtat, aut ſi ſimul ſubſtantia corroſa adeſſe obſervetur, quæ facilè in Cancrum degenerat, ad *Chirurgiam* accedendum eſt, quæ duplici modo inſtituitur, vel *Punctura*, vel *Caſtratione*. Quoad *Punctiuram*: perforatur Scrotum, quo perforato ſimul pertunditur Membrana Teſtium extima, in qua ſolet eſſe concluſus Humor ſeu Lympha. Hæc apertio in Hydrocele ſimplici nullum habet conjunctum periculum, & tutiſſimè inſtituitur, ut ut apertio Scroti & Teſtium in Tumore ejus Aquoſo Hydropico ſit periculoſiſſima. Nam in Tumore Teſtium Scrotique Hydropico aperto ut plurimùm ſupervenire ſolet *Gangræna*, ſive per Cauterium potentiale, quod minùs tutum, ſive cum Ferro, quod tutius eſt, apertio inſtituatur: Conferatur Bartholinus *Centur. 3. Hiſtor.* 69. Sed, ut dixi, nullum periculum eſt in Hydrocele propriè dictâ, & commodè apertio inſtitui poteſt: Confer. Hildanus *Centur. 4. Obſervat.* 68. Verùm, ut ut aperiatur & extrahatur ſeu evacuetur Liquor, nihilo minùs tamen non ſemper radicaliter Malum curatur; quin periculoſum eſt, ne crebriùs recurrat; unde ſæpè neceſſe eſt ad tollendam Hydrocelen *amputatio integri Teſtis* Hydrocele affecti ut inſtituatur, præprimis ſi durior ac ſpiſſior fuerit Membrana, aut Teſtis Gangrænâ affectus ſit, ne partes vicinæ corruptæ ex ſuperventu Gangrænæ Vitæ periculum inferant. Operatio eſt tuta & extra periculum, modò cum dexteritate obeatur. Superiori anno adfui tali Operationi: ſcilicet in iſto latere, ubi nempe eſt Tumor Teſtium Aquoſus, inſtituitur apertio Scroti inferiùs, & ſuper Tumorem Vaſa Præparantia Filo interjecto fortiter conſtringuntur & ligantur, quod celeri manu fiat, quia doloroſum eſt; poſtmodùm infra Ligaturam abſcinditur Teſtis unà cum Tumore. Vulnus Scroti lentè curatur, ut Filum, quod extra Scrotum propendet, ſponte ſeparetur, & tunc citra periculum Vulnus Scroti coit. de Curâ Hydroceles per Sectionem vid. Amatus Luſitanus *Cent. 4. Centur. 2. Curat.* 84. *& Centur. 5. Cur.* 69. ubi ſingulis ſex menſibus Humor Sectione evacuandus venit. Sunt etiam, qui ad Hydrocelen laudant *Punctum aureum*,

rum, quo ipso, & solent curare Herniam Intestinalem, sed minùs tutum, minùsque certum est hoc Auxilii genus.

## ARTICULUS V.

### *De Testium Scirrho.*

SEquitur *Tumor Testium durus*, qui in specie ex Inflammatione eorum malè curatâ oboritur, sine Calore, sine Febre; qui Tumores duri, & indolentes *Scirrhi* vocari solent.

### CAUSÆ.

Oriuntur imprimis, & sæpissimè ex vitiosâ Inflammationis Curatione, aut insufficiente discussione, quatenus Acidum in omni Inflammatione præsens, & concentratum per modum coagulationis Materiam inspissat, & indurat; unde tales Tumores duri indolentes, uno nomine Scirrhi, generari solent, qui interdum nonnihil *Maligni*, quasi *Cancrosi*, præsertim, si Punctiones subinde acutæ in iis observentur. Interdum etiam Durities, seu Scirrhus in Teste à Calculis observatus fuit, post Mortem inventis, teste Platero *Obs. pag.* 664.

### DIAGNOSIS.

Scirrhos Testium *facillimè cognoscimus Tactu*: Imprimis Tumor durus renitens tactui, & indolens, sine Calore, vel Inflammatione, eamque minùs concinnè tractatam sequens, vel alio modo superveniens, Scirrhum innuit.

Quòd si subinde Punctionis percipiatur sensus, aut cujusdam Lancinationis, latentis *Tumoris Cancrosi*, seu Scirrhi Nothi oritur suspicio.

### PROGNOSIS.

Tumores Testium scirrhosi per se *parum periculi habent* conjunctum, nisi interdum Dolor punctorius accesserit; tunc enim *ad Cancrum inclinant*, & ita periculum latentis Cancri incutiunt, qui periculosissimum Malum innuit.

### CURA.

Quòd si Testes inflammati ex perversâ Curâ in Tumores, & Scirrhum degenerent, fiatque Tumor durus, ac scirrhosus, hic *emolliatur*, ac *discutiatur* Materia collecta: id quod tamen difficulter fit.

Pro quo Scopo conveniunt præ cæteris *Gummata* in Aceto soluta, & sunt primariò Ammoniacum, hinc Galbanum, Bdellium, & similia; item *Emplastra Officinalia* de Cicutâ, de Ammoniaco, cujus descriptio est in *Pharmac. Augustana*; (Nam hôc ipsô Forestus curavit Testem insigniter scirrhosum post Inflammationem, idque omnibus Remediis aliis irritis, *in lib.* 27. *Obs.* 5.) Balsamum Sulphuris, & Emplastrum Diasulphuris *Rulandi*. Convenienter etiam cum Emplastro de Ammoniaco miscetur Emplastrum de Cicutâ, si ambo malaxentur cum Oleo Chamomillæ, ac ita applicentur, resolvunt namque Testium Scirrhos: e. g.

℞. *Gumm. Amm. cum Aceto solut.* ʒvj.
*Empl. de Cicut.* an. q. s.
Dissol. malax. cum s. q. *Olei destillati Tartari*, vel *Ligni Guajaci*, & inducantur super Linteum.

D. S.
Emplastrum Emolliens.

Imponitur loco affecto, alternis diebus novum imponendo, valdè conducit.

Vel

℞. *Empl. Diachyl. simpl. vel* cum *Gumm.* an. ʒi.
*Gummi Ammoniaci* ʒß.
M. pro Emplastro.
D. S. ut antè.

Quibus etiam Semen, & Folia Hyoscyami addere licet; nam tali Cerato Apostema frigidum, & durum Scroti, ac Testium curatũ fuit à Foresto *l. a. Obs.* 7. Efficacissimum quoque est hoc:

℞. *Rad. Alth.*
*Fr. Halicacabi* an. M. j.
*Rad. Mandrag. rec.* ʒvj.
Coqu. in s. q. *Sapæ*, & contundantur, & per cribrum trajiciantur: adde
*Opopon.*
*Bdellii*,
*Gummi Ammon. in Vino sol.* an. ʒvj.
*Styrac.* ʒiij.
Cum s. q. *Aquæ Chamom.* f. Cataplasma, vel cum *Cerâ* f. Emplastrum.
D. S. ut suprà.

Aliud Emplastrum expertum vid. in Timæo *von Guldenklee in Cas. lib.* 6. *Conf.* 12. *paginâ* 271. quod præmisso Fotu emolliente, & Suffitu vaporis Aceti ex Lapide lateritio, seu Silice candente excitati, applicavit, & quo ipso discussit Scirrhum.

Compositio est hæc:

℞. *Mucilag. Rad. Alth.*
*Sem. Fœnugr.*
*Ficuum pingu. coct.* an. ʒiij.
*Gumm. Ammoniaci*,
*Bdellii*,
*Galbani* an. ʒi.
*Medull. Crurum Vituli*,
*Adip. Anser.*
*Gallinæ*,
*Sevi Hircini*,
*Terebinthin.* an. ʒvj.
*Olei Lil. alb.*
*Ceræ flavæ* an. q. s.
f. Emplastrum.

Observandum tamen in Scirrho Testium, si simul sit doloros, cautè esse procedendum, ne in Cancrum degenerare faciamus eundem; unde *Oleosa*, *Mucilaginosa*, & quæ aliàs propriè *Emollientia* dicuntur, sunt omittenda, & in solis Gummatis, & similibus persistendum.

Forsàn *Vinacea* hîc non sunt inutilia: Sic enim Borellus *Cent.* 2. *Observ.* 42. refert Dolorem, & Tumorem cum Inflammatione sæpiùs recurrentes, demersione Femorum in Vinacea calida curatos.

Quòd si à *suppressâ Gonorrhœâ*, præsertim Gallicâ, supersit Tumor durus, applicari potest Emplastrum de Ranis cum Mercurio: vid. M. A N. C. *Anno* 4. & 5. *Append. pag.* 62.

Quòd si *in Pus* abeat substantia Tumoris, maturè *Apertio* fiat, ne integra Testis substantia corrumpatur, aut Gangræna superveniat, quin & subinde necessum est, Testem tum exscindere.

## ARTICULUS VI.

### *De Sarcocele.*

PRæter dictum Tumorem ſcirrhoſum, & alius Tumor durus ſupervenit teſtibus, qui Affectus vocatur *Sarcocele*, ſeu *Hernia carnoſa*: nempe Caro quædam ſuperflua his interdum adnaſcitur, nunc tantùm alteri, nunc utrique, quando occaſione quâdam externâ læduntur partim *Fibræ Nerveæ*, partim *Carneæ*, ubi circa dictas Fibras læſas coagulatur, & exoritur *Excreſcentia* quædam *Carnea*, medii generis intra Fibras Carneas, & Nerveas, eaque duplex: nunc *Dolens*, *Maligna*, *Cancroſa*, cum Punctionibus variis moleſta; nunc *Indolens*. Hæc ipſa *Sarcocele*, ſeu *Hernia Notha* communis eſt ambobus Teſtibus; ſiquidem tam in dextro, quàm in ſiniſtro, & Hydrocele, & Sarcocele obſervata fuit; quod obſervandum contra Hildanum *in Obſervat. Chirurgicis Centuriâ* 4. *Obſervat.* 64. qui refert, dextrum Teſticulum imprimis Sarcocele, ſiniſtrum verò Teſticulum Hydrocele laborare. Hoc ipſum tamen Hildani effatum non eſt verum, nec univerſale, cùm, teſte Experientiâ, promiſcuè fiant: Nam Riolanus *Anthropologiæ lib.* 2. *cap.* 31. in dextro Teſticulo ter Hydrocelen vidit; ſicuti etiam aliquando in ſiniſtro Teſte Herniam Carnoſam, ut vocant: quin & talis Caro non ſolùm Teſtibus, ſed etiam Membranæ Dartos, ſeu Scroti internæ non rarò adhæret, citra Teſtium contactum. Tumor obſervatur in Scroto durus, ſucceſſivè auctus, ferè indolens, interdum, ſi Malignus, punctorius Dolor adeſt.

## CAUSÆ.

Oriuntur hi Tumores Carnoſi, ſeu Sarcocele ut plurimùm *à læſione Teſtium externâ*, Contuſione, Ictu, Lapſu, Laceratione, &c. Nam uti hæ, & ſimiles Cauſæ aliæ, Inflammationem interdum inducunt; ita etiam interdum, laceratis Fibris, atque Membranis, & Vaſculis Teſtium ruptis, & laceratis, Alimentum proximum, & Sanguis in motu nonnihil ſiſtuntur, & in poris hinc inde uberiùs coacervantur, & alterantur, & tandem ſucceſſivè in Subſtantiam talem carnoſam, plùs minùs notham, aſſimilantur, ac tranſmutantur, unde ſucceſſivè talis Caro ſylveſtris concreſcens, ſive in Teſtibus, ſive ſub Membranâ Scroti, quæ Dartos dicitur, Sarcocelen conſtituit; ſimili modo, ac ſi, ut rectè loquitur Sennertus, in Arboribus Cortex externus lædatur, ex affluente Alimento Nodi fieri ſolent. Probè tamen hîc quoque obſervandum eſt, ne, ut ſuprà monitum, *Lympha* intra craſſefactam Membranam denſiùs conſtricta Ramicis Carnoſi, ſeu Sarcoceles facie imponat. Neque confundenda eſt hæc cum *Tumore Proſtatarum*, ſeu *Epididymidum*, quæ ſeminali Materiâ tumidæ ſpeciem Sarcoceles incautis inferre ſolent: vid. Barbette *in Chirurg.* Siquidem ſubinde præ ſeminalis Succi copiâ Epididymides ita tument, ut non rarò Teſtium molem repræſentent, aut ſuperent; idque propter ſui extenſionem h. e. non abſque duritie; aut quando Teſticuli ſunt ſcirrhoſi, unde in Epididymides copioſiùs Sanguis influit; aut etiam quando copia talis adeſt Succi ſeminalis, ut copioſiùs collectus in Epididymidibus, & ibi ſuppreſſus, Epididymides tumere faciat, adeò ut ex tali Caſu obſervatum fuerit, Epididymides mole interdum ipſos Teſtes æquaſſe. Sed dicti Caſus non ſunt confundendi cum Sarcocele verâ, ne fallamur in Diagnoſi. *Inveterata* etiam *Hydrocele* propter denſitatem Membranarum Sarcocelen interdum mentitur.

## DIAGNOSIS.

*Sarcocele* ex Tumore duro indolente, & ferè ſcirrhoſo, vel Teſti incumbente, aut adnato, vel ipſi Scroto adhærente, patet, immutabilis eſt, conſtans potiùs, ſubinde accreſcens, (*modò ſit ſpiſſa*, *modò tenuis*,) quaſi Ponderis Teſti adhærentis ſenſum percipiunt Ægri. Sin verò ſimul dolet, periculum eſt, ne ſit *Caro cancroſa*, quæ mox ad Cancrum declinat.

*Succeſſivè* ad molem talem ſuccreſcit Caro, & ex inſenſibili principio ſenſim augetur, ſecus, ac in aliis Teſtium Tumoribus.

Interim tamen non confundenda eſt Sarcocele cum *Tumore Proſtatarum*, quorum Signa diſtinctiva jam explicui.

## PROGNOSIS.

Tumores Teſtium Carnoſi non admodùm periculoſi ſunt, niſi quòd propter accedentem Dolorẽ punctorium Cancer metuendus ſit. *Sarcocele* ergò, ſi eſt *dolens*, *& Maligna cancroſa*, non eſt tangenda.

## CURA.

*Sarcocele incipiens* curatur internè per Medicamenta, imò ſi tantillum inveterata, nonniſi vel ipſius *Carnis*, Scroto, vel Teſti adnatæ, *abſciſſione*, vel *Teſtis* ipſius *exſectione*: Vid. Barbette *in Chirurg. part.* 1. *c.* 25. Hieronymus *ab* Aquapendente, & Scultetus *in Armament. Chirurg.* In Curâ ergò, præmiſſis Univerſalibus, *Attenuantibus*, *& Exſiccantibus*, aut Tumoris incrementum præcavendum, aut ipſe Tumor ſucceſſivè abſumendus, quæ ſi non ſuccedant, Chirurgiâ Teſtis exſecandus. Pro hoc ſcopo inter *Remedia Interna* conveniunt *Terrea calcinata*, *& alcaliſata*, quæ in Strumarum Curâ ſolent eſſe in uſu, ver. gr. Pulvis contra Strumas uſitatus *Arnoldi Villanovani*: Loco hujus adhibeatur Pulvis Lotichii *in Obſerv. pag.* 514. ex Spongiis combuſtis Cynosbati, Lapide Spongiæ, ex Radice Conſolidæ majoris, Herniariâ, Perfoliatâ, Terrâ ſigillatâ, &c. conflatus. Item *Pulvis Radicis Ononidis* meretur laudem, qui ad ℥i. per plures menſes uſurpatus, non tantummodò à Matthiolo, ſed etiam ab Hornio *in Ciſtâ Medicâ*, Sculteto *in Armam. Chirurg. Obſerv.* 74. Bartholino *Act. Med. Haffnienſ. Vol.* 1. *pag.* 189. & in *Ep. Cent.* 4. *Epiſt.* 13. *&* 14. *pag.* 52. *&* 57. admodùm commendatur; item ejus Decoctum, & Eſſentia, cujus præparationem dedi in *Colleg. Pharmac. in Schrœderum Sect.* 1. ut & Spiritus Salis dulcis, tam internè aſſumptus, quàm Tumori externè illitus, ab Agricola *Comm. in Poppium*. Verùm Interna parùm præſtant, cùm & Externa non ſemper ſatisfaciant Scopo. Antequàm tamen ad exciſionem Teſtis Sarcocele affecti perveniamus, applicanda ſunt *Externa potenter Emollientia*, *& Reſolventia*: quæ inter imprimis ſunt *Fotus* ex Cineribus Sarmentorum Vitis cum Nitro, & Aceto miſtus, & applicatus, Emplaſtrum Diaſulphuris *Rulandi*, item Cataplaſma ex Sulphure, & Teſtis Cochlearum cum Aceto; Item Luta Thermarum in ipſis Thermis applicata Scroto, uſurpantur. Primatum ducunt *Gummata* penetrantia, & reſolventia, & hujuſmodi Tumores nunc emollientia, nunc Suppurationem eorum promoventia; unde Gummi Ammoniacum, & ex eodem paratum Cerotum,

& Emplaſtrum, hîc ſuam meretur commendationem: Sic in Sculteti *Armam. Chirurg. Obſ.* 47. habetur Emplaſtrum ex Ammoniaco expertum contra Sarcocelen: vel uſurpetur ſequens *Emplaſtrum*, quod præſcribit Lotichius *in Obſ. pag.* 514. & ipſi tanquam Secretum communicatum fuit à quodam Lithotomo, tam contra Aquoſam, quàm Carnoſam Herniam, cui multum à quibuſdam tribuitur; Compoſitio non eſt inelegans:

℞. *Gummi Ammoniaci* ℥iß.
*Bdellii*,
*Farin. Sem. Sinapi*,
*Urticæ* (propriè Seminibus competit Farinæ nomen) *rotund.* an. ʒvj.
*Lap. Spong.* ʒi.
*Pulv. Rad. Ariſtol.*
*Sulphuris* an. ʒß.
*Terebinth.* ʒi.
*Spiritûs Vini* ℥iß.
*Olei Olivar.* ʒiv.
*Ceræ* ʒvj.

M. pro Emplaſtro Herniæ carnoſæ ſubinde applicando.

Emplaſtrum aliud ad Hernias Carnoſas commendatum vid. in *Scriptis* Paracelſi, *Tom.* 5. *Conſ.* 3. ℞. nempe *Gumm. Ammon.*
*Serapin.* ſeu *Sagapen.*
*Opopan.*
*Galbani* an. ʒj.

Hæc diſſol. *in Aceto Roſaceo*, denuoque nonnihil inſpiſſata miſc. cum ſ. q. *Olei Philoſoph.* redigantur in formam *Emplaſtri* ſpiſſi, & ſupra locum Herniæ integræ applicetur.

Geſtetur per aliquot ſeptimanas hoc Emplaſtrum, donec vel evaneſcat, vel maturetur Tumor Carnoſus, *ſic enim*, dicit Paracelſus, *maturatur Tumor, & ſuppuratur, aut ſi fuerit recens, penitus diſſolvitur, & diſcutitur.*

Hæc autem ſaltem fiunt in Sarcocele Benignâ; in *Malignâ non. Si ſuppuratur*, loco convenienti aperiatur, aut factâ aperturâ ſpontaneâ, Apoſtemati aperto imponendum eſt Emplaſtrum ex Gummis, & Colophoniâ, donec Materia reſoluta evacuetur, quod *Emplaſtro Styptico* debito modo ulteriùs tractandum, & conſolidandum venit. Si non metuat Æger de Impotentiâ Venereâ, optimum eſt applicare *Emplaſtrum de Ranis Vigonis cum Mercurio*, quod eſt egregium, ſed propter Mercurium periculoſum eſt, ne deſtruatur vis Teſtium. *Thermarum* uſus Sarcocelen ſi non planè diſcutit, ejuſdem tamen incrementum avertere ſolet. Ubi talia, & ſimilia non juvant, *Sectio* inſtituenda, & cum Tumore Teſticulus amputandus. Apertio facienda, ubi Tumor fuerit minor, in Scroto à latere; Ubi verò altiùs in Vaſa Præparantia adſcenderit Tumor, Apertio facienda in Inguine ſupra Os Pubis, ubi Vaſa Spermatica deſcendunt ad Scrotum, & ibi vel Subſtantia carnoſa ſolitaria Sectione tollenda, vel unà cum Teſte Excreſcentia exſcindenda, & Ligatio, uti Artis eſt, facienda.

## ARTICULUS VII.

### *De Hernia Varicoſa.*

PArs affecta Tumoris Teſtium Varicoſi, dicti *Hernia Varicoſa*, ſeu κιρσοκήλη ſunt *Vaſa Spermatica*, præſertim Venoſa, ad Teſtes protenſa, quæ ſubinde dilatantur, & Tumorem circa Teſtem in Scroto efficiunt: Nam Vaſa hæc ſuper Teſtes in varios anfractus, in varias inter ſe Anaſtomoſes, invicem intexuntur & contorquentur, ut inde *Vaſa Pampiniformia* dicantur. Quòd ſi fiat, ut Sanguis refluens craſſior ob aliquod impedimentum in ejuſdem motu circulari, in his anfractibus ſeu amplexibus circa Valvulas hærens, ibidem ſtagnet, fit, ut Venæ circa Valvulas laxatæ in uno loco plùs, in altero minùs & inæqualiter diſtentæ, hinc inde circa Teſtem tumeant, & tandem talem *Tumorem* interruptum ſeu inæqualem & *Varicoſum*, nunc eminentem, nunc depreſſum conſtituant, ubi contactus Teſtium inæqualis eſt, tuncque hinc inde *Criſpaturæ* quaſi ſe offerunt. Tumor rarò eſt adeò ingens, & cùm Teſtis tumidus tangitur, quaſi *Funiculi* tenſi hinc inde obliquè diſtributi, & *Nodi* inæqualiter Uvæ in modum conglomerati obſervantur, cum Teſticuli plùs minùs relaxatione. Indolens ferè eſt Malum, interdum tamen, dum Inteſtina Flatibus ſunt diſtenta, aut Pedes refrigerantur, aut Vaſa iſta quâvis ex cauſa dilatantur, Dolor aliqualis percipitur. Fit ut plurimùm à Cauſâ Externâ, Saltu nimio, Caſu, interdum etiam Refrigeratione & Humectatione Scroti nimiâ.

## DIAGNOSIS.

Κιρσοκήλη, ſeu *Hernia Varicoſa tactu patet*; dum Vaſa Teſtium tumida hinc inde percipiuntur inſtar Funiculorum hinc inde complicatorum, Teſte ipſo laxiùs ut plurimùm propendente, niſi cùm Flatus Inteſtina diſtendunt, aut Pedes refrigerantur, aut graviore Conatu Fæces alvinæ excernuntur. *Dolor* ſubinde hunc Tumorem comitari ſolet. Loquendum cum Vulgo.

## PROGNOSIS.

*Cirſocele difficile Malum eſt*, & quod etiam interdum Cancroſi aliquid occultum habet.

## CURA.

Quoad *Curam*: Tumor Varicoſus Medicamentis Internis curatu difficilis eſt: *Attenuantibus* tamen & *Diſſolventibus* Curatio tentanda; in quem finem, præſtantiſſimum Auxilium, laudatur imprimis *Unguentum Baſilicum*, Pinguedinibus emollientibus & Medullis Animalium ſi imprimis conjungatur, & applicetur donec emolliatur Tumor Varicoſus, authore Ferrara *Obſerv. Chirurg. lib.* 1. *pag.* 58. Egregium eſt Scriptum Chirurgum. Item applicari poteſt *Emplaſtrum de Mucilaginibus*, mixtum cum ana *Gummi Ammoniaci* in Vino ſoluti, & Emplaſtri de Ammoniaco: vel ſolum Oleum Philoſophorum probè rectificatum illitum loco hernioſo diſcutit eoſdem Tumores. *Thermarum* etiam externus uſus obſervatus fuit admodùm proficuus, & commendatus eſſe ſolet: ſi non planè diſcutit, eorundem tamen incrementum inhibet. Hernia autem Varicoſa inveterata non curari poteſt citra Chirurgiam.

*Hactenus de Affectibus, quibus Genituræ elaboratio impeditur*: dicendum jam eſt ulteriùs de hujus Generatione auctâ, item vitiatâ. Sed cùm eandem, quâ depravatam, ad Gonorrhœam referre poſſumus, ubi occaſione Cauſarum de his dicetur, etiam ibidem commodiùs tractabitur.

CAPUT

## CAPUT II.

*De Læsa Genituræ Virilis Retentione & Excretione.*

PRæsuppono (uti anteà monui) quòd Genitura in Testibus elaborata, & per Vasa Deferentia in Vesiculas Seminales delata, debeat retineri eô usque, donec sub Coitûs ardore Spiritibus turgida & spumosa, cum impetu ejaculetur. *Læditur* autem naturalis hæc *Genituræ Retentio* & *Excretio* 4. modis:

1. Quando Genitura *citra Coitum effluit.*
2. Quando in Coitu *nimis citò ejaculatur.*
3. Quando in Coitu *nimis tardè emittitur*; &
4. Quando *nulla* Genitura neque in neque extra Coitum *excerni potest.*

## ARTICULUS I.

*De Genituræ Citra Coitum Excretione.*

QUoad I. *quando citra Coitum Genitura effluit*, vel hoc interdum tantùm nocturno tempore moderatè cum Insomniis, & junctâ Voluptate Venereâ effunditur, diciturque tunc *Pollutio Nocturna*, quæ res est omninò Naturalis, & quæ, qua talis, Medico Practico non subjicitur.

Vel Semen effluit *noctu* sæpiùs, idque imprimis citra sensum Venereum, imò etiam subinde *interdiu*, frequentius, aut rariùs, citra Voluptatem, interdum cum Dolore, ac sine seu citra Membri tensionem &c. tunc talis fluxus Genituræ *Gonorrhœa* appellatur, à ῥέω *fluo* & γονὴ, *Genitura.*

Hanc *Gonorrhœam* melioris Methodi ergo distinguam in *Veram* & *Notham. Gonorrhœa Vera* est, quando vera Materia seminalis, aut ipsi saltem proximè similis, in Testibus tamen elaborata, crebrò nimis & copiosiùs effluit, tam noctu, citra Tentiginem, quàm interdiu, flaccido etiam Pene. *Notha Gonorrhœa* verò est, quando alia Materia vitiosa, vel Liquamen serosum plùs minùs acre, aut decolor aut fœtidum, loco Seminis ex Pene continuò effunditur, eaque ex Prostatis.

## MEMBRUM I.

*De Gonorrhœa vera.*

IN *Gonorrhœâ Verâ* Ægri fiunt graciles circa Lumbos, & impotentes in Motu: Conqueruntur de *Lassitudine* & *debilitate* Crurum Capitisque: Supervenit huic ipsi *Atrophia* Corporis, & imprimis debiles & pallidi fiunt, Oculorumque orbitæ excavatæ apparent: Visus & Oculorum fulgor perit, quin potiùs Oculi quasi opaci aut cornei, & minùs lucidi solent perspici. Tandem fiunt tremuli, Appetitus perit, Functiones Animales sensim deficiunt, cùm semper cum Genitura aliquid Spiritûs Genitalis simul effluere soleat, & *ad Tabem Dorsalem* pergunt, eamque duplicem: de qua vid. Willisius *Pharm. Ration.*

### PARS AFFECTA.

*Pars primariò affecta* sunt *Vesiculæ Seminales*, in qua ex Vasis Deferentibus defertur Genitura, & in quibus solet retineri, donec vel spontaneo impetu, vel in Coitu debeat effundi. Harum Vesicularum structuram videbitis in Graefio.

### CAUSÆ.

*Gonorrhœa Vera triplici fit ex Causâ*: Fit nempe I. à *nimiâ Copiâ aut Abundantiâ* Genituræ, unà cum laudabili ejusdem Consistentiâ, aut nimiâ ejus excitatâ *Turgescentiâ*; unde non tantùm uberior & continuus Veneris stimulus adest, sed etiam ubi Genitura paulatim turgescere incipit, levi occasione, impetu facto, ex Vesiculis Seminalibus mox erumpit, & cum Voluptate ejaculatur.

*Causæ Remotæ* sunt Victus largior & lautior, potus Vini dulcis generosi, Vitæ genus laboribus, tam Corporis quàm Animi, vacuum, Meditationes & Conversationes circa Objecta Venerea, Veneris consuetæ abstinentia, &c. quô etiam facit Situs Corporis, quando dormientes nocturno tempore imprimis Dorso diutiùs supini incumbunt, nunc enim Sanguis in regionibus Abdominis posterioribus & exterioribus uberiùs coacervatus, indeque magis incalescens, etiam per Vasa Spermatica aliaque ad Pudenda derivata, intensè calefaciendo Genituram abundantem, hanc turgere, hinc stimulare, & tandem, Spirituum Animalium superveniente impetu, erumpere facit: id quod fit non tantùm in Juvenibus, sed etiam in Viduis, quæ à Venere solitâ abstinere coguntur. Par quoad effectum est ratio *Flagrorum* ad Rem Veneream interdum utilium: de quo vid. Meibomius *Tract. de usu Flagrorum in Re Venereâ.* Gonorrhœa talis nocturno imprimis tempore accidit.

Sin verò cum dictâ Genituræ Abundantiâ *Seminales Vesiculæ* simul nonnihil laxæ & flaccidæ, aut etiam Meatus in Urethram, ex iisdem nempe Vesiculis, patentiores solito sint, in talibus levi datâ occasione & Turgescentiâ, etiam interdiu Genitura subinde elabi solet, accedente Membri Tensione & aliquali Venereo Pruritu, idque, quod excernitur, est copiosum, crassiusculum, candidum, glutinosum, & naturaliter constitutum, uno nomine, Genitura naturaliter constituta, idque imprimis cum Stimulo aut Pruritu Venereo. Unde Mulieres frequenter vel intensiùs cogitantes de re Venereâ, ut noctu facilè Genituram ejaculantur, ita etiam interdiu quandoque, quod fit eò facilius, quando Vesiculæ Seminales sunt laxiores ac flaccidiores.

II. Fit etiam Gonorrhœa Vera à *nimiâ Acrimonia Genituræ*; specifico Sapore acido, aut salso, seu aromatico impræguatæ; unde & irritantur Partes genitales, in specie Vesiculæ Seminales, continuo Pruritu Venereo, & præterea ista irritatione Fibræ Vesicularum Seminalium & vicinorum Musculorum, in specie Elevatorum, ad sui contractionem coguntur, adeoque ita Genitura stimulans exprimendo effunditur: hæcque una ex frequentibus Gonorrhœæ est Causis. Genitura in principio apparet laudabilis, attamen nunc est magis tenuis, &c. Acrimonia tunc peccans solet esse *Acida* ut plurimùm, quæ cum Sero ad dictas partes delata, solet irritare has partes.

*Causæ Remotæ*, quæ vel Genituram acriorem generare & alterare, vel Vesiculas Seminales & vicinas partes magis stimulare valent, sunt imprimis copiosiùs *Assumpta* acriora, aromatica, Sinapi, Eruca, & in specie Piperata: Item in iis, qui jam hoc vitio laborant, Acida volatilia plùs minùs vinosa, ut sunt præter Vinum, Cerevisiæ triticeæ &c. Sic enim Schenckius *l.* 4. *Obser. pag.* 536. ex Bruyerino *l.* 8. *cap.* 43. *de Re Cibariâ*, refert, quendam Gonorrhœam Sisymbrio seu Nasturtio aquatico comesto semper pro lubitu, quoties voluit, provocasse; ex Acrimoniâ enim

Salis

Salis volatilis aſſumpti Naſturtii, Semen copioſum genitum ſtimulando, talis producitur Gonorrhœa: Hinc etiam *Purgantia* aſſumpta Acrimoniâ volatili nimiâ quoſdam ſæpiùs, partes genitales ſtimulando, ad Venerem & Gonorrhœam ſtimulant. Exempla videbitis in Timæo *von Guldenklee*, & Platero. *Cantharides* quoque perversè uſurpatæ Gonorrhœam, Acrimoniâ ſua acuendo Semen, & vellicando Veſiculas Seminales, inferunt. Facit & huc conſtitutio Maſſæ Sanguineæ paulò acrior, aut *Sero ſalſiore* prædita, quod ipſum Serum acrius imminuens chyloſam Materiam, Genituram reddit acriorem, & ſtimulantem: hinc in *Scorbuticis*, & iis, qui laborant *Malo Hypochondriaco* confirmato, propter Serum Maſſæ Sanguineæ, ceu vehiculum Materiæ, ex qua fit Genitura, ſalſius & acrius, Genituræ ſimul plùs minùs commiſtum, adeoque acriorem ferè Genituram reddens, ſtimulando hoc Malum ſubinde infertur. In tali caſu Genitura nocturno pariter ac diurno tempore, nocturno tamen frequentiùs, cùm Voluptate Venereâ effluit, prout plùs minùs ſpirituoſa fuerit Genitura, aut prout plùs minùs à naturali ſtatu receſſerit, licèt non abſque Pruritu fortiori, continuo Stimulo Venereo ac Tentigine ſæpiùs urgente: unde & *Priapiſmus* interdum conjungitur, vel Dolor. *In ſpecie obſervanda eſt Materia excreta*, quæ nunc tenuior & liquidior, nunc ſpiſſior: illa acrior, hæc minùs acris.

III. Fit Gonorrhœa Vera *ex nimiâ Tenuitate Genituræ*, concurrente tunc ſimul nimiâ *Seminalium Veſicularum Laxitate & Flacciditate*, non ſecus ac Proſtatarum Glandularum, nimiâque aperturâ ſeu hiſcentiâ Meatuum ex dictis Veſiculis in Urethram patentium. Unde & aquoſa Genitura, dum non ritè continetur, facilè effluit: quia laxatis, ac Atoniâ ſeu nimiâ relaxatione affectis Veſiculis, iſta contineri aut retineri nequit: quæ Laxitas vix ſponte à *Cauſâ Internâ* induci poteſt, ſed ferè ſemper agnoſcit *Cauſam Antecedentem*, & fit vel propter nimium, præſertim junioribus annis, Veneris abuſum, vel ut plurimùm propter nefariam Manſtuprationem, quâ ſæpiùs reiteratâ & Teſtes laxantur, & Fermentum eorum debilitatur: Exemplum hujus rei habet Timæus *von Guldenklee Caſ.* 49. *lib.* 3. de Studioſo Juris, qui tali damnato modo Gonorrhœam ſibi contraxit. Patent etiam Glandulæ Proſtatæ poris quibuſdam in Urethram, quod evidenter apparet in iis, qui Gonorrhœâ obiere, cujus Gonorrhœæ non rarò hi pori dilatati propria ſedes ſunt: Vid. Bartholinus *Anat. pag.* 144. *Genitura* quæ tunc effluit, eſt vel *craſſa* & laudabilis, vel tandem *tenuis* admodùm, aquoſa & ſeroſa plùs ſolito: Illud evenit, ſi nullum in Teſtibus junctum eſt vitium, eorum vis eſt adhuc laudabilis: Hoc verò, ſi Teſtes ſimul laborent; Signum enim eſt, per iſtam Manſtuprationem vim Teſtium generativam eſſe enervatam, ſeu eorum Fermentum debilitatum, quod ineptum eſt elaborandæ Genituræ, unde Genituræ loco ſaltem Liquor aquoſus effluit. Hinc etiam Veſiculis Seminalibus nimis laxatis, ſine inſignioris Voluptatis aut ſine vehementioris Tentiginis ſenſu, interdum non advertentibus, elabitur talis Genitura, vel ſtatim ad levem Imaginationem Veneream, vel ad levem Fœminæ contactum hoc ipſum ſponte exilit, effluit, interdiu pariter ac noctu, aut ad Alvi exonerationem paulò laboroſiorem exprimitur. Adeoque *Pars affecta in Gonorrhœâ Verâ primariò ſunt Veſiculæ Seminales.*

## DIAGNOSIS.

*Species Gonorrhœæ Veræ* ſunt variæ, cujus *Diagnoſis* & Cauſarum diſtinctio partim ex Ægro, partim ex recenſitis eſt manifeſta. Hoc tantùm addo, quoniam Genitura ſemel excreta novo ſubinde ſupplemento ex Maſsâ Sanguineâ reſarcitur, fit exinde, ut defraudato Corporis Succo ſuo rorido & Chylo nutritio, tales Ægri gracileſcant, & Tabe Dorſali corripiantur.

## PROGNOSIS.

Quod attinet *Prognoſin* Gonorrhœæ: *Recens* facilis curatu, minuſque periculoſa eſt: *Inveterata* verò grave eſt Malum, & difficiliùs curatur. Dum enim diutiùs continuatur, Hominem tandem contabeſcere, & ſuccumbere lethaliter cogit: vel eundem in Operationibus Animalibus hebetat: ſupervenit imprimis Febris Hecticæ ſimilis, cum tali Atrophiæ ſpecie, qualis eſt Tabes Dorſalis noviter nuptorum: qualis Hectica tunc difficillimæ eſt Curationis.

Ulteriùs Gonorrhœa diuturna *non ſubitò nimis ſupprimenda eſt*, imprimis ubi inclinat nonnihil ad Virulentiam Veneream: Metus enim eſt, ne Materia anteà copioſiùs affluens ſuppreſſa, & interdum à naturali ſtatu deficiens, Inflammationem, aut ſupervenientem durum Tumorem plùs minùs ſcirrhoſum, ac varia Symptomata Teſtium inducat, ex ſtagnatione & regurgitatione materiæ excerni conſuetæ.

*Gonorrhœæ deploratæ* indicium habetur, quæ Digito in Anum immiſſo renitentiam habet ad ſenſum, aut ſi Catheter argenteus intruſus ſublividus extrahatur: Tumoris nempe aut Abſceſsûs ulcerati illud, hoc verò Ichoris gangrænoſi, indicium eſt: quod tamen potiùs de Gonorrhœâ Nothâ Malignâ, quàm de Gonorrhœâ Verâ intelligendum videtur. Conf. M. A. N. C. *Ann.* 4. & 5. *App. pag.* 59.

## CURA.

Quod attinet *Curam*: in hac *Cauſæ* imprimis removendæ ſunt, adeoque aut Genitura imminuenda, aut ejus Fervor & Acrimonia temperanda, aut denique Teſtium Fermento roborato Partes laxæ Conſtringentibus firmandæ.

Pro quibus Scopis obtinendis ſemper obſervandum ſimul:

1. Ut habeatur ratio *Acidi* aut *Acris* in quavis ferè Gonorrhœâ, ſimulq; plùs minùs peccantis.
2. Habenda eſt ratio *Teſtium*, an ſi plùs minùs ritè conſtituti ſint, ac Genituram vel naturaliter, vel defectuosè conficiant: id quod præter eorum flacciditatem & mollitiem, & pendulum nimis ſitum, & ipſa Genitura excreta plùs minùs à naturali ſtatu degenerans, oſtendit: adeoque cavendum, ne Remediis quibuſdam præpoſterè adhibitis deſtruatur vis generativa.

*Remedia* ergò, quæ in Genituræ copiâ conveniunt, ſunt ea, *quæ Materiam Seminalem imminuunt*, aut *Genituram turgeſcentem compeſcunt*, & *Fermentum Teſtium* plùs minùs *enervant*. Inſtituatur ergò *Diæta* parcior ex Alimentis parum acidioribus, minùs chyloſum Succum ſuggerentibus, unà cum *Vigiliis & Exercitiis* Corporis, quæ partim Chyli cum Sanguine aſſimilationem faciunt, & partim per Tranſpirationem eandem imminuunt. Quæ *Fermentum Teſtium enervant*, ſunt imprimis *Acida*, *Vitriolata* & *Nitrata*, quæ vim genitalem admo-

admodùm infringunt: Præ reliquis *Spiritus Vitrioli, & Nitrum crudum*, dosi ℈j. bis vel ter assumptâ, sunt egregia. Loco horum *Temperata* sunt Succus Citri, Granatorum, Succus Limonum; qui sunt Remedium licèt simplex, optimum tamen ad Gonorrhœas sistendas, sive sint ex acri Genituræ, sive ex abundante, & ab omnibus Autoribus mirè laudantur: unde Experimentum Sylvatici *Cent.* 4. *Conf.* 1. non est inefficax:

Nempe

℞. *Aquæ Rosar.* ℥iij.
*Succ. Citri* vel *Limon.* ʒj.
*Album. Ovi* No. j.

f Mixturâ hæc capiatur quotidie vel alternis diebus pro unâ vice. Sylvaticus quartâ qualibet vice propinat non sine successu.

Petrus Johannes Faber ad curandam Gonorrhœam propinat *Succum Limonum*, cui instillavit Spiritum Terebinthinæ, unà cum tantillo Camphoræ. Certum enim est, quòd Succus Limonum, Germ. *Citronen-Safft*, admodùm extinguit Venerem. *Solutiones Coralliorum cum Succo Citri* etiam laudantur: Porrò Radix & Flores Nymphææ albæ, nec non Absinthium, commendantur; item Millefolium album, Myrrha, Sperniola *Crollii*, Semen Agni casti seu Viticis: uti etiam Semina Cannabis, Papaveris albi, Lactucæ, Plantaginis, &c. quacunque ratione usurpata, solent sistere has Gonorrhœas. In specie *Semen Cannabis* ad inveteratas etiam, & tantumnon desperatas Gonorrhœas commendatur, si ex eodem, non secus ac ex reliquis Seminibus, cum Aquâ Castitatis fiant *Emulsiones*; quæ tamen Emulsiones cum cautelâ usurpandæ, cùm Semen Cannabis propter vim narcoticam sit hostile Spiritibus Animalibus: e. g.

℞. *Sem. Cannab.* ℥ß.
*Agn. casti* ʒij.
Cum s. q. *Aquæ Millefol.*
f. Emulsio:
adde
*Succini præp.*
*Ossis Sepiæ præp.* an. ʒj.
M. edulcoretur parum:
D. S.
Emulsio Adstringens.

Vel

℞. *Sem. Agni casti*, vel *Cannab.* ʒj.
4. *Frigid. maj.* an. ʒj.
Cum *Aquis appropriatis* f. Emulsio:
adde
*Succin. præpar.*
*Ossis Sep. præp.* an. ʒj.
Edulc. cum s. q. *Syrupi de Nymphæâ* vel *Sacch. alb.*
M. S. ut antè.

Vel

℞. *Sem. Agni casti* ℥ß.
*Cannab.* ʒij.
Cum s. q. *Aquæ Nymph.* f. Emulsio:
adde
*Corall. rubr. præp.*
*Succini albi præp.*
*Antimonii Diaph.* an. ʒß.
M. S. ut supra.

Vel

℞. *Sem. Agni casti*,
*Melon.* an. ʒij.
*Cannab.*
*Papav. alb.* an. ʒiß.
Cum s. q. *Aquæ Nymph.* & *Portulac.* f. Emulsio:
adde
*Oss. Sep. præp.* ʒj.
*Pulv. Sperniol. comp. Crollii* ʒij. ad ʒj.



*Succini albi præp.*
*Antimon. Diaph.* an. ʒß.
M. edulcoretur cum *Rotul. Man. Christi perlat.*
D. S.
Emulsio Adstringens & Confortans.

Imprimis si simul Fervor adjunctus fuerit in Inguine circa Perinæum, & hinc ad Lumborum principium.

℞. *Sem. Agni casti* ʒiij.
*Papav. albi* ʒj.
Cum s. q. *Aquæ Nymph.* f. Emulsio:
adde
*Mag. Corall. cum Succo Citri* ʒi.
Edulcoretur parum.

Conf. *Idea Formul. Class.* 3. §. 7. & *Coll. Formul.*

Convenit præterea *Urtica mortua* seu Galeopsis flore albo, quæ ex Signaturâ commendatur à Carrichthero, egregio in hoc puncto Botanico, si Decoctum propinetur cum Vino: Hinc

℞. *Herb. Galeopsi flore albo* M. iv.
*Millefol. albi* M. ij.
*Sem. Agni casti* ℥ß. vel ʒvi.
Incis. & contus. coqu. in s. q. *Aquæ simpl.* vel in *Aquæ Menthæ*, vel *Rutæ*, vel *Ferrar.* vel *Vini*:
Colaturæ ℔i. ad ℔iß.
adde
*Syrup. de Nymph.* q. s.
M. D. S.
Potio Adstringens.
Subinde hauriatur.

Præterea res nota est de *Menthâ*, item de *Rutâ*, de *Portulacâ* & similibus; unde sunt, qui insigniter commendant sequentem Pulverem: scilicet

℞. *Fol. Menthæ*,
*Rutæ*,
*Sem. Agni casti*,
*Gall. pulveris.* an. q. v.

Cujus pulveris ʒij. propinavit in Vino Chalybeato, quotidie repetendo. Ἐυπόριστον est Helidæi Paduani, qui non tantummodò ad Gonorrhœam, sed præterea quoque ad Fluorem album Mulierum commendat; ubi simul ceu expertum Specificum commendat Succum *Ceterach* seu Scolopendrii, si ad cochl. j. repetitis vicibus adsumatur; Hoc ipso enim singulariter Gonorrhœas sisti notat idem Helidæus Paduanus *in Observ. pag.* 170. & 171.

Succus item *Millefolii* ad ℥iii. cum Lacte dulci exhibitus Gonorrhœam totaliter curare referunt, imprimis ubi Succus simul Lactucæ cum Camphorâ externè Testibus applicetur. Alii Succum *Malvæ* expressum, & in dicto Vehiculo adhibitum laudant. Pertinet huc quævis *Essentia Castitatis*, quam vid. in Mynsichto & Riverio. Præ cæteris efficax est, idque propter admistam Terebinthinam, *Aqua ad Gonorrhœam Riverii*, cujus descriptionem vid. *in C.* 1. *Observ.* 25. & *in C.* 2. *Observ.* 30. Prostat etiam in Officinis nostris *Aqua Castitatis Mynsichti*: sed compositio ejus est admodùm inepta; multa enim continet, quæ nihil per Alembicum transmittunt: vid. Zwelfferus *in Pharm. Reg.* Potiùs loco ejusdem è Seminibus ingredientibus fiat Emulsio cum Aquis destillatis illarum Plantarum; cui postmodùm addi possunt Pulveres reliqui appropriati, Terra Sigillata, Camphora, Saccharum Saturni, &c. De Essentiâ Absinthii, de ejus Vino, & Essentiâ Menthæ, &c. nihil dico, quia sunt satis clara & cognita. *Terebinthina* imprimis conducit, in specie Spiritus Terebinthinæ, si ipsi addatur Saccharum Saturni; hinc enim evadit Mistura elegantissimè rubicunda, quæ

crebriùs usurpata mirè compescit Gonorrhœas.

Quoad *secundum Scopum*: quando Gonorrhœa est à Causâ Internâ, *Genituræ nempe Acrimonia nimia*, conveniunt, *quæ Acrimoniam* istam *temperant & corrigunt*, & simul aliquali vi stypticâ prædita sunt. Conveniunt ergò *Corallia rubra*, imprimis eorundem Solutio & Tinctura cum Spiritu Lignorum, aut etiam *Tinctura Coralliorum* sassafrata, quæ egregii sunt usûs in Gonorrhœis. Deinde etiam *Martialia*, ut *Crocus Martis adstringens*, Tinctura Martis adstringens, Sulphuris Vitrioli, & *Saturnina*, & imprimis *Succinata*, ac quævis ex Succino præparata, quæ simul vi diureticâ & absstergendi Partes genitales vim habent, sunt commendata ad Gonorrhœam: Scilicet Succinum album præparatum, quotidie propinatum in Jusculo calido, jejuno stomacho, mirè ad Gonorrœam valet, quo Dñ. Ellenbergerus in Gonorrhœâ usus est, egregiè Vasa Seminalia expurgavit, & restitutus fuit Æger: quin & Oleum Succini aliis additum in tali casu usurpari potest; per se enim est paulò acrius, ita, ut tutiùs solus Pulvis usurpetur: sicuti dictus Ellenbergerus in alio quodam Ægro Oleum Succini adhibuit, & tanta tormina excitavit, ut intermittere, & Succino albo præparato uti, cogeretur. Ulteriùs Crystallus montana præparata acrimoniam Genituræ temperat, & Gonorrhœas nimias compescit. *Trochisci* etiam *de Carabe* possunt usurpari, item Mandibulæ Lucii piscis. Pertinet huc Electuarium seu *Condîtum Lindani*, quod à quibusdam laudatur; ad cujus imitationem

℞. *Conserv. Ros. rubr.*
*Menth. crisp.* an. ℥j. vel ℥iß.
*Oss. Sepiæ præp.* (est specificum) ʒii.
*Borrac. instar Alum. calc.* (est instar Aluminis, & Venerem extinguit) ʒi.
*Nuc. Mosch.* ʒ.
*Syrup. de Rosis Sicc.* q. s.
M. f. exinde Electuarium: D. S.
Electuarium Temperans & Adstringens.

De hoc quotidie bis vel ter usurpetur. Borrax cruda intensissimè Venerem stimulat, ideò calcinetur, & relinquit Terram seu *Caput mortuum stypticum* in Gonorrhœâ optimum. Facit huc *Succus Millefolii*, de quo jam dictum; vel Succus Lactucæ mixtus cum Camphorâ, & propinatus temperat fervorem Materiæ seminalis; item *Pulvis Hartmanni*; qui vid. *in Praxi Chymiatr.* Item Emulsiones ex Seminibus 4. Frigidis suprà dictis cum Temperantibus, Plantago, Decoctum Radicis Nymphææ albæ, &c.

Vel

℞. *Pulv. Oss. Sepiæ* ʒi.
*Sacch. Saturni* gr. xv.
M. pro 4. dosibus: S.
Pulvis Adstringens.

Vel

℞. *Oss. Sepiæ præp.* ʒi.
*Corall. rubr. præp.* ℈ij. vel ʒi.
*Sacch. Saturni* ʒß.
M. pro 6. dosibus.
D. S. ut antè.

Vel

℞. *Crystall. præp.*
*Ossis Sep.*
*Succini præp.* an. ʒß. vel ℈ij.
*Antimonii Diaph. simpl.* vel *Martial.* ℈i.
*Sperniolæ Crollii* ℈ß. ad ℈i.
*Sacch. Saturni* gr. xv.
M. f. Pulvis pro 5. vel 6. dosibus.
D. S. ut suprà.

Ulteriùs *Terebinthina* & quælibet *Terebinthinata*, vi diureticâ Genituram vitiosam corrigentia, sunt optima; hinc B. D. Michaelis Militem quendam diu Gonorrhœâ afflictum curavit Pilulis de Terebinthinâ Cypriâ cum Croco Martis subactâ, nullis aliis adhibitis Remediis: vel fiant Pilulæ ex Terebinthinâ cum Rhabarbaro;

Vel

℞. *Terebinth. Cypriæ* ʒij.
*Succini præp.* vel *Oss. Sepiæ* ʒj.
M. f. Pilulæ.
D. S.
Pilulæ Adstringentes.

Sicuti Os Sepiæ præparatum singulare Specificum contra has Gonorrhœas fuit Hartmanni, & jam laudati Dñ. D. Michaelis, qui ipse ordinariò & feliciter utebatur Pulvere ex Osse Sepiæ & Antimonio Diaphoretico, seu Cerussâ Antimoniali, quæ mista à ʒß. ad ʒi. per aliquot dies propinavit, nullis aliis adhibitis Remedus, nisi quòd interdum Succinum præparatum, aut Trochiscos de Carabe simul adhiberet: nam & Antimonium Diaphoreticum simplex & Martiale cum Aquâ Plantaginis haustûm Gonorrhœas sistit; sicùti etiam Bezoardicum Martiale, item Bezoardicum Venereum, usurpari solet:

Vel

℞. *Aquæ Rutæ*,
*Nymph.* an. ℥ß.
*Succi Limon.* vel *Citri* ʒvi.
*Boli Armenæ* ʒi.
*Oss. Sepiæ*,
*Antimonii Diaph. cum Marte* an. ʒß. ad ℈ii.
*Syr. Nymph.* vel *Granat.* vel *Limon.* vel *Citri* ℥ß. vel ʒvi.
D. S.
Potio Temperans & Adstringens.
Usurpentur cochleatim.

Modernorum Experimentum est *Balsamus de Capaivve* ex Indiis allatum, cujus 10. aut 15. guttæ hausiæ mirum sunt Experimentum ad Gonorrhœas quascunque sistendas: propinatur cum Vino Hispanico, vel alio Liquore appropriato, & pro mirabili habetur Remedio. *Saccharum Saturni*, & cum eodem parata Tinctura Antiphthisica est admodùm egregia, propter Vitriolum Martis & Saccharum Saturni, in Gonorrhœâ hâc curandâ, præsertim quando in Gonorrhœâ, in specie in Lumbis circa regionem Renum, ardoris sensus percipitur, qui nota Malignæ Gonorrhœæ est sæpiùs: Unde etiam Balsamus Saturni terebinthinatus, quem describit Hoffmannus *in Clave pag.* 251. multùm contra Gonorrhœas laudatur.

Ubi ab acrimonia Genituræ *Penis Exulceratio*:

℞. *Lact. Mulier.* vel *Bubul.* ℥iv.
*Tutiæ præp.* ʒii.
*Aloës hepat.* ʒj.
*Sacch. Candi* vel *albiss.* ʒß.
M. D. S.
Injectio Temperans.
Cum Syringâ injiciatur pro unâ vice ℥ß. ad ʒvi. aliquandiu retineatur.

Quòd si verò præter dictas causas *Genitura aquosa ac Vesicularum Seminalium laxitas* inducat Gonorrhœam Veram, in tali casu internè Medicamenta ex Menthâ & Absinthio, Succino, Thure, Mastiche, & similibus, conferunt. In specie Corallia alba, Essentia item Lignorum, & Essentia Ligni Sassafras, Tinctura Coralliorum cum Spiritu Lignorum, item Tinctura Martis Adstringens admodùm laudantur: Succus Menthæ cum Melle coctus, & ad consistentiam Syrupi inspissatus, si ad ℥iß. usurpetur, commendatur

à

à Foreſto. Item Thus pulveriſatum, & cum Aquâ Plantaginis ad 3. vel 4. dies propinatum, feliciter has Gonorrhœas ſiſtit, quod Burſeri eſt Secretum. Sed non adeò ſæpè hoc ipſum repetendum, quoniam aliàs etiam Urinæ fluxum cohibet. In genere omnia *Adſtringentia blanda* conveniunt, quæ inſpiſſant, & fluxilia coagulant, præſertim *Martialia & Terrea*; hinc Crocus Martis quilibet, Tinctura Sulphuris Vitrioli, Tinctura Martis Adſtringens, Terræ Sigillatæ, Bolus Armena cum Aceto vel Acidis uſurpata ſunt optima: hinc Corallia cum Acidis, Saccharum Saturni, Trochiſci de Carabe, Trochiſci de Terrâ Sigillatâ, & hinc Radix Tormentillæ, ejuſque Extractum, &c. cum Saccharo Saturni, & ſimilia ſunt optimi usûs. Quidam ergò præſcribunt *Pilulas contra Gonorrhœam* hoc modo:

℞. *Extract. Rad. Tormentill.* ℥ij.
*Sperniol. Compoſ. Crollii* (hoc etiam admodùm laudatur ad Gonorrhœam) ℈i. ad ℈ii.
*Pulv. Sem. Agni caſti,*
*Plantag.*
*Rad. Conſol. maj.* an. ℈ß. ad ℈j.
*Terebinth. Venet. coct.*
*Camphor.* an. gr. xii.
M. f. Pilulæ: S.
Pilulæ Adſtringentes.
Vel
℞. *Extr. Torment.* ℥j.
*Sacch. Saturni* ℥ß.
*Camph.* ℥ii. vel ℥iii. ad ʒß.
M. f. Pilulæ, quæ ſubinde uſurpentur.

Vel uſurpetur Decoctum Adſtringens & Electuarium cum ſimili regimine, quibus Timæus *Von Guldenklee* Gonorrhœam ex frequenti Manſtupratione natam curavit *in Caſibus pag.* 191. Curavi aliquando Studioſum Svecum, ex Manſtupratione, ſub primo Pubertatis tempore per plures annos repetitâ, diurnâ Gonorrhœâ affectum, idque ob Veſicularum Seminalium laxitatem. Mille ferè Remedia fruſtranea adhibita fuerant, tandem ſolùm ferè curatus fuit, ordinariò

℞. *Tincturæ Sulphuris Vitrioli* ʒß.

De qua capiebat omni mane 30. vel 40. guttas in Vehiculo calido; à meridie verò horâ quintâ veſpertinâ aſſumebat ʒß. Trochiſcorum de Carabe: quæ aliquandiu continuata, obſervando ſimul Diætam tenuem, & decumbendo magis in lateribus, quàm dorſo.

Non rarum eſt, ut poſt curatas Gonorrhœas ſaltem ſubtilis Liquor aquoſus adhuc guttatim interdum prodeat, pro quâ Gonorrhœâ declinante penitùs extirpandâ conveniunt imprimis *Pilulæ* Riverii *Cent.* 2. *Obſ.* 74. ad cujus imitationem aliquando præſcripſi:

℞. *Gum. Arab.*
*Tragac.*
*Succini albi præp.*
*Mumiæ præp.*
*Boli Arm.* ana ℈j.
*Laud. Op.* ℈ß.
Cum ſ. q. *Tincturæ Catechu* f. Pilulæ, pondere gr. j. Dentur pro 5. doſibus.

Sic & *Thermæ, ac Balnea Aluminoſa* Naturalia in Malo vel graviore, vel contumaciore, conveniunt.

*Externè* etiam fiant *Fomenta Adſtringentia* cum Vino auſteriore, in quo decoquuntur Cortices Granatorum, Balauſtia, & Roſæ, item Radix Conſolidæ majoris, Plantago, & ſimilia; aut fiat Inunctio Perinæi, ac radicis Penis cum Oleo Myrtillorum; ſcilicet

℞. *Olei Myrtill.* ℥iii.
*deſtill. Maſtich.* ʒj.
*Caryoph.*
*expreſſ. Nuc. Moſch.* an. ʒß.
Cum paucâ *Cerâ* f. Linimentum.
D. S.
Unguentum Adſtringens.

Quod Veſiculas Seminales nimis laxas nonnihil roborabit atque adſtringet.

Externa plura vid. in Wedelii *Tract. de Med. Facultat. pag.* 223.

Quòd ſi aquoſior, ſeroſior & tenuior ſimul Genitura fuerit, quæ in Gonorrhœâ prodit, idque ferè *Teſtium vitio*, Victus nutritivus temperatus ex Lacte, Orizâ, Ovis, &c. quæ Genituram ſemper lacteam reddunt, & ejus acrimoniam temperant, imprimis adhibenda ſunt: Conveniunt etiam *Ova cum Aromatibus.*

Quòd ſi neceſſum fuerit, ut etiam interdum ſub curſu, vel ſub principio Morbi *Purgatio* inſtituatur, præ cæteris in uſu erit Terebinthina cum Purgantibus, v. g. Pilulæ de Terebinthinâ *Mynſichtii* ʒß. ad ℈ij., vel etiam Pilulæ factæ ex ſolâ Terebinthinâ cum Rhabarbaro pulveriſato; item Pilulæ factæ ex Maſsâ pilulari de Fumariâ, & Terebinthinâ cum Mercurio dulci, ubi ſuſpicio ſubeſt Luis Venereæ. In genere Terebinthinata cùm laxent blandè, & ſimul vias urinarias, ac ſpermaticas abſtergant, hinc ſunt convenientiſſima: v. g.

℞. *Terebinth. Cypr. coct.* ℈j.
*Scamm. roſ.*
*Reſ. Jalapp.* an. gr. v.
F. Pilulæ pro doſi. D. S.
Pilulæ Abſtergentes.

Hæ fuerunt ſpecies Gonorrhœæ veræ.

## MEMBRUM II.

### *De Gonorrhœa Notha.*

QUod attinet *Gonorrhœas Nothas*: in his loco Genituræ genuinæ alia Materia vitioſa, vel Liquamen ſeroſum, plùs minùs acre aut decolor, aut fœtidum, nunc cum nunc ſine Dolore, nunc cum aliis Symptomatis, ex Pene continuò effunditur. Sic Seminis calidiſſimi, & fœtidiſſimi excretionem vid. in M. A. N. C. *Anno* 4. & 5. *Append. pag.* 67. Hæc ipſa denuò eſt duplex: vel *Benigna*, vel *Maligna*, ſeu, ut aliàs vocatur, *Virulenta.* De Malignâ, ſeu Venereâ jam *ſuprà l.* 1. *ſuo loco* actum. *Benigna* eſt, quando citra Cauſam manifeſtam, v. g. citra prægreſſum actum Venereum ſuſpectum, effluit continuò ex Pene Materia, ſeu Liquamen aquoſum, & copioſum, idque citra Pruritum Venereum, aut citra Membri Tentiginem. Fluxus talis aquoſus die nocteque diutiùs ſubinde continuatur, ita, ut citra omnem intermiſſionem etiam ad aliquot annos protrahatur, citra inſignem noxam, & tali Fluxui, ſi Genitura vera eſſet, proportionatam virium proſtrationem. Reſpondet hic *Fluxus Gonorrhœæ Nothæ Virorum, Fluori Uterino albo Mulierum.* Aliàs à quibuſdam etiam, utut pauci fuerint Authores, qui ejuſdem fecerunt mentionem, *Gonorrhœa Catarrhalis* vocari ſolet. Authores pauci, uti dico, qui de tali Gonorrhœâ agunt, ſunt Laurentius *in ſuis Conſil. Conſil.* 10. *paginâ* 60. Langius *in ſuis Epiſt. lib.* 2. *Tract.* 5. *Epiſt.* 22. Schneiderus *de Catharris lib.* 3. *cap.* 8. *pag.* 313. Hildanus *in Obſervat. paginâ* 1032. Hoechſtetterus *Decur.* 10. *Caſ.* 2. *paginâ* 390. ac denique Marcellus Donatus *Hiſtor. Medic. Mirabil. lib.* 4. *cap.* 18. in ſpecie vid. M. A. N. C. *Anno* 4. & 5. *Obſerv.* 20. *paginâ* 23. Sicut Fluorem illum

illum Mulierum hac quoque ex ratione *Coryzam Uteri* vocat Valentinus *in Epiſt. de Novâ Matr. & Morbonæ muliebr. Anatome.*

## PARS AFFECTA.

Si preſſiùs examinemus hanc Gonorrhœam Notham, inveniemus, quòd *Subjectum*, ſeu *Pars affecta* in eâdem ſint *Glandulæ Proſtatæ*, vel laxiores factæ, vel leniter excoriatæ, vel penitùs exulceratæ, in radice Urethræ circa cervicem Veſicæ conſtitutæ: id quod ſufficientiſſimè probat Graeffius *in noviſſimo ſuo Tractat. de Organis Virorum, & Generat. inſervientibus pag.* 119. Sicuti hæ ipſæ Proſtatæ glanduloſæ mirabilium Morborum perinde ſunt Subjecta; Scio enim ex iiſdem obſtructis, & inſigniter tumefactis Iſchuriam, ſeu ſuppreſſionem Urinæ lethalem Romæ in quodam Principe fuiſſe inductam; ſicuti econtrà hæ ipſæ Proſtatæ glanduloſæ nimis laxæ, aut alio modo vitiatæ, ſunt Subjectum hujus Gonorrhœæ Nothæ dicendæ. Cùm enim naturaliter Subſtantia hæc glanduloſa, & ſpongioſa præparet, & ſecernat Lympham quandam ſui generis, ſeu Humorem limpidum aquoſum, tenuem, & lubricantem, inſervientem pro Vehiculo Genituræ ex Veſiculis Seminalibus in Urethram expreſſæ, quæ Genitura cùm fuerit glutinoſa, hujus Lymphæ indiget Vehiculo ad fortiorem ejaculationem: Quòd ſi ergò fiat, ut laxatis his ipſis Subſtantiis glanduloſis nimiùm, copioſiùs, & frequentiùs ex Maſsâ Sanguineâ talis Lympha excernatur in Urethram, quid miri, ſi talis Humor copioſus, & frequenter elaboretur? qui tunc ſimul in naturali ſtatu ad quandam viſcoſitatem inclinat, & ſic continuò citra Veneris exercitium effluit ad purgamentum totius Maſſæ Sanguineæ; exinde hæc oritur Gonorrhœa Notha. Nempe quod in Faucibus *Tuſſis* eſt, & in Oculis *Illacrymatio*, hoc talis *Gonorrhœa Notha* eſt in Viris.

## CAUSÆ.

*Cauſa* ergò *Materialis* hujus Gonorrhœæ erit Dyſcraſia Sanguinis ſeroſo-cachectica, ſeu in qua Sanguis crudior copioſiore Latice aquoſo, ſeu Sero chyloſo, ex deficiente tam *Chyloſi*, quàm *Hæmatoſi*, eſt imprægnata, quæ per hanc Subſtantiam Proſtatarum glanduloſam, tanquàm per Colatorium, aut Cribrum naturale, copioſiùs excernitur, & ſeparatur.

*Cauſæ Remotæ* ad hanc Gonorrhœam diſponentes erunt præter alia omnia, quæ quacunque ratione Serum Sanguinis coacervare ſolent; *Stomachi nempe labes* non ritè digerentis Alimenta, ſed hæc in Cremorem aquoſum, & ſalſum pervertentis: unde etiam Subjecta talia exinde vitioſum Sanguinem generare, & ad *Cachexiam* nonnihil inclinare ſolent; aut ſi non mox in principio reſolvatur talis Gonorrhœa, poſtmodùm Cachexia ſupervenit.

*Cauſa Efficiens Formalis* hujus excretionis, ſeu quare in ſpecie per hanc partem fiat iſta tranſcolatio, & ſecretio? eſt *Laxitas nimia*, adeòque inſignis poroſitas ipſarum Proſtatarum glanduloſarum, unà cum crebrioris excretionis provocatione, tam per Manſtuprationem, quàm per crebriùs repetitum actum Venereum, unde promptè per eas Serum Sanguinis nimium cribrari, & quaſi filtrari poteſt. Ubi ergò hæc ipſa Corpuſcula, aut ex Equitatione nimiâ, aut ex Lapſu, aut ex alia quacunque ratione, erunt relaxata, aut diſtenta, aut alio modo vitiata, tunc talis Latex Maſſæ Sanguineæ ſuperfluus per has ipſas Proſtatas glanduloſas, tanquam Colatorium, excernitur, & ita Gonorrhœam talem Notham conſtituit, ut etiam Sanguis ſubinde loco Genituræ excretus obſervatus fuerit.

## DIAGNOSIS.

*Signa* hujus Gonorrhœæ ex ejus Hiſtoriâ ſunt manifeſta.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: Expurgatur equidem ſub formâ talis Gonorrhœæ univerſa Maſſa Sanguinea, ſed tamen ſimul plùs minùs depauperatur; adeòque caveant ſibi Ægri, ne tandem in Cachexiam cum Tabe dilabantur, cujus prodromus, vel comes hæc Gonorrhœa eſt.

## CURA.

*Cura ad Gonorrhœam* hanc, ceu ſuperveniens quoddam Symptoma, minùs dirigenda venit, ſed potiùs *radix Morbi*, & *primus fons* eſt *corrigendus*: nempe

1. *Stomachus* eſt roborandus, ejuſque Digeſtio rectificanda.
2. *Maſſæ Sanguineæ* cruditas emendanda, & corrigenda, ejuſque Serum ſuperfluum per Sudores, & vias Urinarias amandandum; Denique
3. *Partes Genitales* abſtergendæ, ſeu mundificandæ, & Externis blandè Adſtringentibus Proſtatæ glanduloſæ firmandæ, & in tonum naturalem reſtituendæ.

Ex quibus Indicationibus, vel ſponte Methodus medendi, & Materia medica patent. Præ cæteris *Remedia*, quæ his ſatisfaciunt ſcopis, ex illis, quæ *ſuperiùs l.* 1. *de Cachexiâ*, & *Affectibus Catarrhalibus* dixi petenda: unde ratione Cachexiæ & Digeſtionis primæ *Amaricantia Aromatica*, ut Abſinthium, Mentha, Roſmarinus, & ex his parata Remedia, quæ & Stomacho, & Gonorrhœæ ſatisfaciunt; ratione autem Seri ſuperflui Juniperina, & ex Ligno Saſſafras parata Remedia, ejuſque Eſſentia cum Spiritu Serpilli parata, crebriùs, & in majori doſi aſſumpta, conducunt; item Decocta, & Eſſentiæ Lignorum cum Tormentillâ paratæ. Obſervatum quoque fuit *Acidularum* potum, uti in aliis Morbis Chronicis, ita in hac Gonorrhœâ diuturnâ contuliſſe, item *Succinata*, in ſpecie Sal volatile, quod Cachexiam imminentem ſubinde pervertit, diureticâ vi, cujus ratione etiam *Terebinthinata*, & Pilulæ ex Terebinthinâ, Pilulæ *Riverii* ſuprà laudatæ, apprimè conveniunt. Pulvere Thuris, ad ℈j. ex Ovo ſorbili ſæpiùs dato, plures curavit Petrus Aſſelinæus; vid. Velſchius *Mictomim. Cent.* 2. *Obſ.* 50. quod etiam facit Maſtiche, & Gummi Animæ: quin & ſi forſan Scorbutus ſubſit, à quo foveatur Malum, & hujus ratio ſimul habenda. Conf. in ſpecie M. A. N. C. *Ann.* 4. & 5. *Obſ.* 20.

*Thermarum* tandem uſus externus, imprimis poſt bibitas Acidulas, pro reſtaurando tono Proſtatarum læſarum eſt convenientiſſimus, & Gonorrhœæ hujus Curam abſolvit. Conf. Sennertus *lib.* 3. *Praxi ubi de Gonorrhœâ pag.* 963. Aut etiam Balnea Aluminoſa Artificialia, aut ſimilia Adſtringentia erunt commodè in uſum vocanda. In ſpecie non nimis citò ſupprimenda eſt hæc Gonorrhœa, niſi Univerſalia præmiſſa ſint, quoniam Natura

tura abutitur his viis ad evacuandam Maſſam Sanguineam: emendetur ſaltem priùs imminens Cachexia, & vitium Stomachi, & ferè ſemper ſponte ceſſabit Gonorrhœa.

Quòd ſi verò vel ſuppreſſa ſit intempeſtivè, vel ſupprimenda ſit, *Fonticulus* in Inguine, aut altero Crure aperiendus, ut quaſi derivando alia Mala præcaveamus, ad imitationem Zacuti Luſitani *l.* 1. *Prax. Admir. Obſ.* 97.

Hæc de Gonorrhœâ, ſeu iſto vitio Genituræ in Excretione, & Retentione, quando citra Coitum, & nimis copiosè effunditur.

De Gonorrhœâ Malignâ, ſeu Virulentâ *ſuperiùs Lib.* 1. *inter Symptomata Luis Venereæ* ſufficienter egi.

*Sequitur jam ſecundum in Excretione, & Retentione* vitium, nempe quando Genitura nimis citò in congreſſu effunditur.

## ARTICULUS II.

### *De Nimis Cita Genituræ Ejaculatione.*

### CAUSÆ.

*Cauſa* ejus eſt *duplex*: Aut enim

1. *Nimis laxæ ſunt Veſiculæ Seminales*, earumque meatus nimis aperti, unde vel ſub levi partium attritu, & primâ Genituræ turgeſcentiâ, hanc elabi potiùs ſinunt, quàm ejaculantur: aut
2. *Nimis ſpirituoſæ*, ac fervida, indeque nimis turgida eſt *Genitura*, ut ſit in Adoleſcentibus, Veneri rariùs, ſed tamen acriùs operam dantibus, ita, ut primo impetu turgefacta à Spirituum Animalium uberiore agilitate, & Sanguinis fervore prorumpat foras, ut ſit in Italis.

### CURA.

*Prius vitium* commodè *Adſtringentibus* blandis imprimis *curatur*, tam *Internis*, talibus nempe, quæ modò *Art.* 1. *Memb.* 1. *in Gonorrhœâ ex laxitate Veſicularum Seminalium* fuerunt propoſita; partim *Externis*, Inſeſſibus nempe, Balneis, Thermis, & ſimilibus, quæ *Art.* 1. *Membr.* 2. *in Gonorrhœâ Nothâ Benignâ* externè uſurpanda dixi.

*Poſterius* verò *vitium*, ubi nimius Spirituum impetus Genituram ejicit, *Opio*, & *Opiatis* imprimis eſt ſiſtendum; hoc ipſum enim nimium Spirituum Animalium impetum figit, & hinc ſubitam Genituræ turgeſcentiam cohibet. Nam, utut verum ſit, quòd Opium tam ab Indis Orientalibus, quàm Turcis uſurpetur, ut ſcilicet Venerem voluptuoſiorem reddant; ſit tamen hoc, quatenus Opium refrænando Spirituum Animalium impetum, remoratur nonnihil Genituræ citam ejaculationem, & ita per conſequens ipſum Coitûs actum longiorem reddit. Mulieres ſanè Indæ ſunt admodùm voluptuoſæ, teſtibus rerum Indicarum Scriptoribus, quæ non tam ſæpiùs repetitum, quàm unâ vice longiùs continuatum exoptant actum Venereum. Cui deſiderio ut meliùs ſatisfiat, Opio ſe priùs armant Mariti, utpote quorum impetus, qui aliàs in citâ Genituræ ſpirituoſæ, & fervidæ in calidioribus iſtis Climatibus eruptione conſiſtit, retunditur, ſeu retardatur. Verùm ne Opium Spiritus figendo nimis noceat, & cùm in actu ipſo Spiritus copiosè excernantur, reliqui autem reſtitantes torpidiores ab Opio, Mentis tandem ſtuporem inducant; item cùm Spiritus Genitales Conjugum in actu Coitûs fœcundo tranſplententur in Fœtum, ne exinde Fatui generentur Fœtus, Stupor, aliudque Facultatis Animalis ipſis inducatur vitium, quod non ſine causâ metuendum; ob id conſultum eſt cum *Opio* præparato in his caſibus miſcere *Ambram*, ex quibus miſtis potens ſit Confortativum Spirituum, & egregium Remedium Venereum: idque innocuum adhibetur, quod, & Veneris actum ratione Opii protrahendo voluptuoſiorem, & ratione Ambræ Spiritus confortando minùs nocivum reddit. Hinc tali in caſu Eſſentia Ambræ, cui in præparatione ſimul Opium certâ quantitate additum, cum Spiritu Roſarum parata, & Eſſentia Ambræ Anodyna vocata, in Aquâ Cinnamomi, vel hauſtu Vini Malvatici propinata, egregium erit Remedium Venereum. Aliàs in tali caſu ceu ſingularis commendatur Globulus, factus ex Sanguine Cervino cum Venerem ſtimulantibus miſto, ac Coitûs tempore in manu detentus, de quo *infrà Sect.* 2. *cap.* 1.

Pertinet ad hos Affectus ſingularis illa Obſervatio notatu digniſſima Heinrici *ab* Heer *Obſ.* 10. de citâ nimis, & ex primo quoque Penis contactu, Excretione Genituræ, ob Ulcus in Inteſtino recto latens, à quo ipſo Veſiculæ Seminales (*tangunt enim* Inteſtinum Rectum) per conſenſum affectæ, & irritatæ, Genituram retinere nequeunt, ſed illam præmaturè ejiciunt.

## ARTICULUS III.

### *De Genituræ Excretione Nimis Tarda.*

TErtium vitium huc pertinens mox *in principio hujus Capitis* dixi eſſe *nimis tardam Genituræ Excretionem*, quando nempe tardè nimis excernitur Genitura in Coitu, idque etiam in ſpecie *à defectu Spirituum Animalium*, & turgeſcentiæ Genituræ ipſius, hinc oriundæ, debitæ dependens: Quin, & *Veſicularum Seminalium* laxitas, ſeu flacciditas, earumque & *Muſculorum Penis* vicinorum aliqualis languor, & hinc ad expreſſionem Genituræ minùs turgentis ineptitudo multùm huc facit. Dum ergò *Spiritus deficiunt*, nec Genitura ritè turgeſcit, nec partes ritè conſtringuntur, nec ritè poteſt ejici Genitura. Nempe huc pertinet etiâ vitiû iſtud, quod in Coitu, *erecto* licèt, & agitato *Membro, nulla tamen Genitura effluit*, quæ tamen poſteà flaccido Membro in Somno, invito, etiam, effluit: qualia Exempla vid. in Zacuto Luſitano *lib.* 3. *Medicor. Princ. Hiſt.* 29. Sic Veſlingius *in Obſerv. & ſuis Epiſtolis, à* Bartholino *editis, Epiſt.* 38. *paginâ* 150. ſimilem refert Hiſtoriam de Viro, qui Pene licèt erecto Genituram in Coitu effundere non potuit, Pene autem jam flaccido illam ſponte, & ad leviſſimum contactum Genitalium Muliebrium, effluxit. Ratio hujus Affectûs ex modò dictis patet, & etiam à Veſlingio concinnè *citato loco* traditur: Nempe conſiſtit in defectu Spirituum Animalium (nam Penis à Sanguine intumeſcit) Genituram ad debitam conſiſtentiam non imprægnantium, & poſtmodùm in laxitate, & flacciditate tam Veſicularum Seminalium, quàm in ſpecie Muſculorum Penis; his enim turgidis factis in Coitu, non poteſt Genitura per porulos, & meatus anguſtos in Pene erecto, ac turgido quodammodò occluſos cum impetu, ac robore ſolitò excerni, & exprimi; ſiquidem, & Proſtatæ intumeſcentes ita ſuperent impetum excretorium ex Veſiculis, ut arctatis oſculis earum non abſque impetu ejaculatorio Genitura exprimatur, quo robore Veſicularum deficiente, erecto Membro, & turgeſcentibus vicinis partibus, minùs Genitura excerni poterit; quin potiùs remittente Penis rigore, & hinc hiantibus, & apertis quaſi magis

magis meatibus, Genitura adhùc aliquantiſper turgida ſponte poſtmodùm elabitur; unde etiam in tali caſu tenſio Penis ſolita circa radicem ejus à Muſculis non percipitur, propter eorum flaccidatem.

### CURA.

Unde etiam rectè *Calida*, *Nervina*, *Acria*, & *Aromatica*, quæ Spiritus Animales augent, & Genituram ad Excretionem promptiorem reddunt, tam internè, quàm externè adhibita, ad *Curam* commendat Veſſingius; ſicuti ſimilibus, ſpeciatim *Caſtoreo*, præfatum Ægrum ſuum curavit Zacutus Luſitanus. Fiat ergò præmiſſis Internis & ſtimulantibus Inunctio radicis Penis, & Perinæi ex Oleo Nucis Moſchatæ expreſſo cum Oleo Macis deſtillato, Caryophyllorum, & ſimilibus: quibus, vel Zibethum, vel Moſchus, item Oleum Formicarum, item Spiritus Formicarum volatilis, addi poteſt.

## ARTICULUS IV.

## *DE SEMINIS EXCRETIONE ABOLITA.*

## MEMBRUM UNICUM.

### *De Caruncula Penis.*

SUbſiſtimus adhuc in *Capite de læſâ Genituræ Retentione, & Excretione*: Supereſt, quando omninò *non poteſt excerni Genitura*: Id quod præter dictos caſus fit imprimis, quando Meatus Urinarius, ſeu Urethra obſeſſa eſt *Carunculâ*, ſeu Carne quâdam parvâ excreſcente in ipſo Canali, quo obſtructo, & Urinæ, & Genituræ tandem tollitur Excretio.

### CAUSÆ.

Origo hujus Mali cùm rariſſimè ex alia *Cauſâ* prægreſsâ, quàm imprimis ex Gonorrhœâ Gallicâ, quando nempe Acrimonia acida corroſiva Liquaminis effluentis corrodit iſtum membranaceum Ductum, & nonnihil exulcerat, unde ſequitur tandem, ut in loco corroſo ex Alimento naturali affluente ſuccreſcat Subſtantia quædam carnoſa inſtar cujuſdam Verrucæ; ideò de hoc *l.* 1. *inter Symptomata Luis Venereæ* dixi.

Pertinent huc tamen iſtæ curioſæ Obſervationes, dum quidam *coëuntes Ventris Crepitum loco Genituræ emittunt*, vel Excrementa Alvi iiſdem profluunt, vid. Schenckius *Obſer. lib.* 4. aut quando Flatus per Penem Genituræ loco emittitur: vid. M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obſer.* 46. *p.* 85. item quando Sanguis in congreſſu Genituræ loco emittitur, vid. Schenckius *c. l.* Borellus *Cent.* 4. *Obſer.* 17. & Salmuth *l.* 1. *Obſ.* 81.

### CURA.

Hæc, & ſimilia vitia, obſervatis Antecedentibus Cauſis, & aliis adjunctis Circumſtantiis, diverſimodè curantur. Flatus quod attinet: per viſcidum Evacuantia, hinc ſubminiſtrata Carminantia Nervina, refrænantur: Sanguis verò Adſtringentibus internis, ac externis coërcetur.

Sed de his in ſpecie vid. Sennertus *l.* 3. *Prax. par.* 9. *ſect.* 2. *cap.* 6. & 7. *pag.* 969. & *ſeqq.*

## SECTIO II.

### *De Læſa Penis Erectione.*

REquiritur nempe ulteriùs in Sexu Maſculino ad Generationis negotium, ut *Pene erecto* Genitura ejaculetur, quæ deficiens Erectio, vulgò *Impotentia Virilis* dicitur, utut, & deficiens Genituræ Excretio ita dicatur, Impotens enim eſt is, qui non poteſt id quod Maritum decet. *In duobus* enim conſiſtit Impotentia propriè ſic dicta Virilis: nempe *in deficiente Membri Erectione, & deficiente* per iſtud *Seminis Ejaculatione*: utrumque neceſſe eſt ad hoc, ut aliquis Impotens dicatur: Nam prius deficiens Erectio Impotentem ad coëundum: poſterius ad generandum reddit. *Læditur* autem hæc *Erectio Penis* ad Coitum neceſſaria, & hinc Copula Maritalis debita, tribus modis.

1. Quando *deficit*, ſeu eſt imminuta.
2. Quando *excedit*, eſtque nimia ejus extenſio.
3. Quando *depravatur*, dumque Penis non conveniente Modo, & Figurâ turgeſcit, & erigitur.

Ad doctrinam hujus rei explicandam neceſſe eſt diſtinguere inter *Penis Erectionem*, & *Turgeſcentiam*. Præſuppono hîc ex Phyſiologico-Anatomicis, Diſtenſionem, & Turgeſcentiam Penis fieri primariò à Sanguine arterioſo, Corpora Penis bina nervoſa inſtar Spongiæ excavata, & foraminulenta replente, eaque fortiter diſtendente.

Hæc de Diſtenſione, & Inflatione Penis.

Ut verò poſtmodùm reddatur firmior, Erectionem Penis inflati, & diſtenti, & Motum ejus tonicum (ut in tali figurâ, & ſtatu perſiſtat) fieri imprimis à quatuor ejus Muſculis, ſeu duobus Muſculorum paribus, circa ejuſdem radicem implantatis (Anatomiam vid. in Graffio) à quibus verſùs originem ſuam contractis, adeòque in ſuo vertice turgeſcentibus, non tantùm comprimitur, & anguſtatur Vena Penis dorſum excurrens, ita, ut Sanguis per Arterias in Corpora Penis nervoſa effuſus, eademque diſtendens, refluere nequeat, & Penem validè diſtendat; ſed præterea quoque horum Muſculorum contractione Penis ita rigidus, & diſtentus maneat, caputque firmiùs attollat, & ita erigatur, quo ipſo Genitura Spiritibus tempore congreſsûs turgida (dico tempore congreſsûs, alias non) inflans, & diſtendens Veſiculas Seminales, ab horum Muſculorum contractorum, Veſiculas ſimul comprimentium, robore, in ſua eruptione in Meatum Urinarium non leviter juvatur. Unde ſimul atque dictorum Muſculorum contractio, ac tonus ceſſat, Sanguis ex Pene refluus per Venam denuò apertam corpus ejus flaccidum, rugoſum, & tandem pendulum relinquit. Læſiones ergò hujus Erectionis in Pene imprimis fundatæ erunt primariò *in iſtis Muſculis*, qui contractione ſuâ Venam in dorſo Penis comprimunt, ſtringunt, & Sanguinis regreſſum impediunt, & ſecundariò etiam *in Genituræ* in Veſiculis Seminalibus plùs minùs irritante, & ita Muſculorum contracturam ſtimulante.

## CAPUT I.

## *DE PENIS ERECTIONE DEFICIENTE,*

### & hinc oriundâ

### *Impotentia Virili.*

### CAUSÆ.

DEficit ergò *Erectio*, vel *diſtenſio Penis triplici imprimis ex Cauſâ*:

1. *Vitio*

1. *Vitio Instrumenti* erigentis, Musculorum nempe, & Spirituum Animalium.
2. *Vitio Stimuli* in Genitalibus, Spiritus Animales ad determinatum motum excitantis.
3. *Fascino*, seu *Maleficio*.

I. Quod ergò attinet *Musculos*, laborant hi, quando ita sunt affecti, ut se proprio motu contrahere nequeant: id quod fit in Paralysi, & resolutione ipsarum Fibrarum. Resoluti sunt Musculi Penis Erectores ex affectione ipsorum Nervorum, Spiritus ad animandas eorum Fibras devehentium; qua ratione è *Causis Remotioribus*, interdum *Equitatio nimia*, comprimendo, & in se cogendo hos Musculos, & quasi contundendo, Erectioni Penis ineptos reddit: Tale Exemplum recenset Jacobus Fontanus *Conf.* 2. de Nobili, qui ab Exercitio violento, & qui Equitatione nimiâ incidit in privationem Erectionis Penis, ob vias ejus, & meatus à Motu obstructos, qui ad Musculos derivantur. Dico: *Equitatione nimiâ*; Nam Equitatio moderata potiùs prodest ad Erectionem: Sic enim Ferdinandus *Hist.* 26. post Gonorrhœam Benignam ex Equitatione Priapismum ingentem observavit. *Casus* item, aut *Percussio super Os Sacrum* vicinas partes, ubi Nervi eorum Musculorum originem ducunt; item in Dorsum, ut Paralysin aliorum locorum, ita etiam Penis, propter affectos Nervos infert, ejusque Erectionem impedit: vid. Jacobus Fontanus *loc. all.* & Hildanus *Cent.* 6. *Observ.* 59. ubi ex Casu in Dorsum Erectio Penis omninò fuit sublata, manente etiamnum insigni ad Venerem stimulo, quatenus Nervi ad Penem ejusque Musculos tendentes, aut compressione, utut aliâ ratione affecti fuerunt: sicuti *c. l.* similiter ex gravi *Percussione Capitis*, ejusque *Vulneribus*, talem erigendi Membri impotentiam, ex simili Causâ ortam refert: Conf. etiam M. A. N. C. *Ann.* 2. *Observ.* 104. *pag.* 177. Pertinent huc *Mercurialia*; siquidem Virilitas Inunctione per Unguentum Mercuriale adempta, per Oleum Spicæ verò fuit restituta, observante Schenckio *lib.* 4. *Observ.* 1. cui analoga est Observatio Panarolli *in Pent.* 5. *Observ.* 39. Facit huc etiam *Frigus*, cujus occasione etiam non pauci impotentes fiunt, resolutis quasi Musculis.

*Spiritus Animales* quod attinet, Musculos hos ad radicem Penis sitos moventes, & ita ad Penis Erectionem facientes: horum defectus imprimis Erectionem deficientem facit, dum Musculos non contrahunt, quibus non contractis Venula laxata est, ut Penis flaccescat. Deficiunt hi in Musculis istis, vel in genere ex eorum *Defectu universali*, ut fit in Senibus debilibus & languidis ex Morbo, unde in Morborum Acutorum statu, & declinatione Erectio Membri Naturalis (*Naturalis* dico: nam interdum est Præternaturalis, & Convulsiva, quæ mala) rediens, faustum Signum esse solet Spirituum Animalium regeneratorum, & in debitas motiones concitatorum. Vel in specie deficiunt Spiritus Animales in Pene, & specialiter in ejus Musculis, quando *in Motu suo perturbati* sunt, & plùs minùs languent *in perturbatione Mentis*, quando Animus, aut Imaginatio (loquor cum vulgo) circa illud Objectum occupata eos in Cerebro, ac aliis partibus detinet, & minùs ad Penem influunt Spiritus. Hac ratione, & Pudor, Terror, Pavor, & similia interdum, imò sæpiùs, Penis Erectionem prohibent, aut eam jam factam denuò tollunt, quatenùs aliò vocant Spiritus per Imaginationem pudibundam, &c., ubi Penis flaccescit, propter Spirituum Animalium Motum perturbatum; sicut econtrà Meditatio rerum Venerearum, aut Titillatio Membri, Spirituum Motum ad illud ejusque Musculos dirigit, sicque Penis Erectionem promovet. Ex hac Causâ, nempe Pudore nimio, & intempestivo, interdum evenit, ut noviter Nupti se maleficiatos putent, cùm tamen potiùs ex nimio Pudore impediatur debita Membri Erectio, quo tandem discusso, res alacriùs succedit. Pertinent huc ii, qui *Melancholiâ Hypochondriacâ* laborant, qui ut variis subinde conflictantur Phantasmatibus, ita & tales subinde Imaginatione propriâ decepti se impotentes æstimant, & reverâ tunc minùs commodè rem peragunt, qui curato Malo Hypochondriaco, sponte suâ ad rem familiarem, posteà redierunt: qualia Exempla habentur in Salmuth *Cent.* 2. *Obs.* 78. Simile Exemplum est, quod habet Sylvaticus *in Centur.* 4. *Conf.* 4. ubi refert Impotentiam ad Coitum ex Malo Hypochondriaco, in quo distenditur Penis, sed dum accingitur ad opus, flaccescit.

II. *Secunda Causa est deficiens Stimulus Venereus* à Genituræ minùs copiosâ, minùsque turgescente: sicut enim ab hujus Turgescentiâ, aut Copiâ, indeque factâ partium istarum Irritatione, & hinc dependente determinato Spirituum Animalium Motu ad istas partes, Venus stimulatur, & Pollutiones, tam nocturnæ, quàm interdum etiam diurnæ oriuntur; ita à deficiente Irritatione, & Erectiones, & Pollutiones consuetæ sistuntur, Membraque flaccida, & pendula fiunt.

Pertinent hunc imprimis quælibet *vitia Testium, & Vesicularum Seminalium*, Genituræ præparationem, & retentionem vitiantium. Tales aliàs dicuntur *Frigidi*, cùm nullo stimulo in Venerem ferantur, nullâque, aut paucâ libidine tententur; unde etiam, si quid emittant Genituræ, aquea ferè, minùsque spumosa existit, quin & sponte sine Voluptatis sensu exit: Tales naturaliter sunt Senes, qui in hoc negotio naturaliter tandem deficiunt. Et pertinent huc prætereà quælibet Partium Genitalium vitia. Sic Hildanus *Cent* 5. *Observ.* 40. refert Impotentiam ad Coitum ex defectu Testiculi sinistri, & depravatione Vasorum Spermaticorum. Pertinent huc *Camphorata* vigorem genitalem supprimentia: Sic Lossius *Obser. pag.* 314. observat virilitatem amissam ex solo continuato odore Camphoræ. De *Nitri* usu frequentiore Venerem extinguente infrà constabit ex Timæo *von Guldenklee.*

Huc faciunt *Flagra Natibus infligenda*, quorum Flagrorum ad rem Veneream magnus est usus; de quo vid. elegans *Tractatus* Meibomii *de usu Flagrorum ad rem Veneream*, quem nuperrimè Notis illustratum edidit Bartholinus, ubi refertur Exemplum cujusdam, qui nunquam potuit Amasiæ satisfacere, nisi priùs Virgis cæderetur ab hac: unde postmodùm ita cæsus egregiè officio præstando functus est.

III. Causis hisce duabus Naturalibus, & quasi ordinariis, propter quas deficit subinde Membri Erectio, & huic succedens negotium, simul *Tertia Causa*, nempe *Extraordinaria*, *& Magica* addenda venit, quæ est *Fascinum*, seu *Maleficium*, aut *Incantatio noviter Nuptorum*, dum scilicet sub ipso puncto Copulationis Matrimonialis Sacerdotalis per *Maleficia*, v. g. per Seram clausam, per Ligulam constrictam cum Culmo stramineo, aut Cultrum parieti infixum, aut aliis ultra 50. modis, quos taceo, ita ligatur Sponsus, ut postmodùm, stimulante licèt Naturâ, & erigente se Membro, Sponsæ zonam solvere, Coitum celebrare, & cum Sponsâ gaudia optata peragere nequeat: quin etiam, ubi armatus propiùs accedit, subitò Membrum jam erectum iterum flaccescat, & tamen cum aliâ quacunque, exceptâ Sponsâ, facilè,

& optimè, niſi ex aliis Cauſis ſimul ſit impotens, coire poteſt: ſin verò ad Sponſam, vel noviter Nuptam propiùs accedat, mox Mentula torpida cornua contrahit. Exiſtimant equidem multi, quos inter Wierus *de Præſtigiis Dæmon.* Salmuth *Cent. 2. Obſerv. 78.* Borellus *Centur. 4. Obſerv. 65.* hæc vana eſſe, falſaque, & provenire ſolummodò ex Animi Affectibus, à nimio Gaudio, aut Pudore, aut Motu, aut alia quâcunque Causâ, vel etiam ex Imaginatione falsâ, & in ſpecie *Melancholiæ Hypochondriacæ*, Spirituumque Animalium hinc avocatione: Contrarium tamen loquitur Experientia, & cum eadem Bartholinus *Cent. 3. Hiſt. Anat. 71.*

*Cauſa Maleficii formalis*, ſeu quomodò fiat? ſi non omninò imperſcrutabilis, nec præcisè à Diaboli eſt Præſtigiis (quod non temerè faciendum in rebus Naturalibus, quippe quæ Deo potiùs acceptæ ferendæ) forſan à ſolâ dependet Imaginatione Ligantis, ſeu ejus, qui hanc vexationem facit: Quorſum non tantum inclinat Verulamius *in Sylvâ Sylvarum*, ſed prætereà etiam Helmontius *de Magnet. Vulner. Curatione*: & Marcus Marci *in Philoſ. Vet. Reſtitutâ*, aliiſque Scriptis; qui omnes, uti hoc Faſcinum, ita Præſtigia Dæmonum, ac reliquos effectus ab Incantatione per Sagas inductas, effectivè ſoli Imaginationi Sagæ, vel Incantatoris adſcribunt.

## DIAGNOSIS.

Quoad *Signa* de Erectione Membri læsâ: res per ſe patet, & ab Ægro querulo, ſeu potiùs Uxore ejus, facilè manifeſtatur, ſaltim Cauſæ perſcrutandæ ſunt Proximæ, & omnes Remotæ probè penſitandæ à Medico.

Si ergò *vitium* adſit quaſi *Paralyticum*, Membrum flaccidum eſt, nec ullo unquam Objecto, etiamſi Veneris deſiderium adſit, moveri aut erigi poteſt.

*Spirituum Animalium defectus* ex univerſali Corporis languore ac imbecillitate, & Actionibus reliquis animalibus, manifeſtus eſt.

Sin ex *Animi Affectu* aliô vocentur, præprimis in Hypochondriacis, ab Ægro cognoſcitur: quia variæ Cogitationes, varia Phantaſmata, & ſimilia Subjecta actu ſe repræſentabunt.

Quòd ſi verò *nullus adſit ſtimulus Venereus*, ab Ægro etiam hoc ipſum facilè cognoſcitur, quòd ipſe Patiens nullum Appetitum habeat ad tales actiones.

Denique ab *Incantatione ſeu Maleficio* Affectum ortum habere, manifeſtatur, ſi Homo aliàs ad Venerem ſatis aptus fuerit, nec ulla Cauſa manifeſta præceſſerit, quæ id ipſi, & præcipuè ſubitò, inducere potuerit; aut etiam, quando cum aliâ quacunque coire poteſt, exceptâ ſolâ Sponſâ.

## PROGNOSIS.

*Prognoſis* eſt, quòd tales ſint infœcundi, tamdiu ſcilicet, quamdiu debitè coire nequeunt.

Per ſe nihil mali inde imminet Ægris; per accidens verò, propter oriundum inde Mœrorem, Triſtitiam, & alia Animi Pathemata, alia Mala ſupervenire poſſunt.

Malum *ab Incantatione* Naturalibus pariter Remediis depelli poteſt, cùm ipſe Satan operetur ſecundùm Naturam, modò adſit verb. grat. ſuſpicio de Ligaturâ.

## CURA.

*Cura varia* eſt, in qua, ſi ex primis duabus oritur Cauſis *obſervandum eſt*, ut

1. *Volatilibus ſpirituoſis* Spirituum Animalium impetus & influxus promoveatur.
2. Ut *Aromaticis volatilibus acrioribus* Aphrodiſiacis Seminis impetus & acrimonia intendatur.
3. *Faſcinum*, ſi quod fuerit, quantum poſſibile, *Empiricis* removendum, Experientiâ nempe & à poſteriori cognitis.

*Pro duobus ergò prioribus Scopis* conveniunt omnia ea, quæ *ſuprà Sect. 1. Cap. 1. in deficiente Genituræ Elaboratione* fuerunt allegata, Interna & Externa, imprimis *Aromata & omnia Aromatica*, ut Cinnamomum, Cubebæ, Caryophylli, Grana Paradiſi, Cibis permiſta: Sinapi, Eruca, Macis, Piper, Semen Coriandri, aut Vinum Cinnamomo maceratum, & quælibet ibidem laudata, egregiè conducunt. Sic *Ovum ſorbile*, in quo *Veretrum Cervi* vel *Tauri*, in Veneris actu interfecti, *exſiccatum* & *pulveriſatum* cum *Cinnamomo* convenit, cujus uſus internus qualiſcunque ante Coitum, validam Erectionem facere dicitur. Item ex Formicis, ex Ambrâ, ex Sanguine Galli, &c. parata Remedia ſunt proficua: Sic namque Radix Satyrii condita, & Eſſentia Satyrii cum Spiritu Formicarum parata, in hauſtu Vini Malvatici ſub introitum lecti aſſumenda: Borrax in Ovo ſorbili à gr. xv. ϑi. ad ʒß. videb. Amatus Luſitanus *Centur. 2. Cur. 18.* & Mercurialis *Caſ. 48.* Pineæ, Amygdalæ dulces, Piſtaciæ, Lac, &c. Materiam ſeminalem augent, unde quidam Lac Muliebre in ipſo actu hauriunt. Angli pro Venere roborandâ uſurpant Electuarium ex Ambrâ & Laudano opiato in parvâ doſi, excipiunt cum Syrupo quodam. Spiritus Genitales ſeu Animales augmentat Spiritus Sanguinis Galli cum Spiritu Formicarum, & Electuaria *ſuprà c. 1.* præſcripta;

Vel

℞. *Radic. Satyr. condit.*
*Eryng. condit.*
*Pinear. excort.* an. ℥ii.
*Zingib. condit.*
*Nuc. Ind. condit.* an. ℥j.
*Conf. Alcherm.* ℥ß.
*Sem. Eruc.*
*Naſturt.* an. ʒij.
*Piperis albi*,
*Caryophyllor.* an. ʒj.
*Syr. Cinnam.* q. ſ.
f. Electuarium molle:
D. S.
Electuarium Confortativum.

De hoc mane, à meride, & veſperi; quantitas inſtar Nucis Moſchatæ ſumatur.

℞. *Conſ. Rad. Eryng.*
*Satyr.* an. ℥ii.
*Zingib. in Ind. condit.* ʒvj.
*Amygd. dulc. Ambr. exc.* ℥i.
*Conf. Alcherm.* ʒiß.
*Pulv. Sem. Erucæ*,
*Sinapi* an. ʒiij.
*Spec. Diatrion-Piper.* ʒij.
Cum ſ. q. *Syrupi Helenii* f. Electuarium.
D. S. ut antè.

Vel

℞. *Conſ. Flor. Anthos* ℥ii.
*Rad. Eryng. condit.* ℥ß. ad ʒvi.
*Amygd. dulc. Ambroſ.* ℥ii.
*Cubebar.*

*Galang.*

*Galang.* an. ʒß.
*Macis* ϑi.
*Eſſent. Satyr.* ʒiij.
Cum ſ. q. *Conf. Alcherm.* f. Electuarium.
D. S. ut ſuprà.

Sed de his Internis ad nauſeam uſque, *Sect.* 1. *c.* 1. *ubi de Seminis Generatione læsâ.* In ſpecie *Cantharides* acrimoniâ ſuâ potentiſſimè irritando Veſicæ collum, & hinc ſtimulando Muſculos Penis ibidem ſituatos, potentiorem Erectionem ſolent inducere: ſicut Platerus *Obſ. pag.* 239. refert Impotentiam ex imbecillitate Vaſorum Seminalium ſeu Genitalium ob Veneris nimium uſum, refrigeratis iis & relaxatis, contractam, aliis irritis per uſum Cantharidum cum Speciebus aliis Aromaticis curatam.

*Externè* huc facientia ſunt ver. gr. *Calor*, dum e. gr. Membrum virile Igni admoveatur & titilletur pro Membri erectione: videb. M. A. N. C. *Anno* 6. & 7. *Obſerv.* 179. *Balnea* Nervina, *Inſeſſus*, *Fotus* Nervini, vel *Inunctiones* contrà Paralyſin Penis ſecundùm Zacutum Luſitanum *lib.* 7. *Prax. Hiſt. c.* 10. aliàs uſitata, ſunt inſtituenda. Cubebæ bulliant in Vino generoſo, vel Liquore appropriato, & Decoctum ita applicetur Teſtibus & locis vicinis: item Balſamum Venereum *Mynſichti in Armament. Chym.* nunc ſolitarium, nunc cum *Oleo Formicarum* miſtum, ſimul ad Erectionem & ad Voluptatem prodeſt, Perinæo & radici Penis, item Scroto & Teſtibus, inunctum.

Vel

℞. *Succi Paſtin.*
*Ol. Sinapi* an. ʒii.
*Ovor. Formic. magnor.* ʒi.
Piſtentur Ova, & exponantur Soli per diem 1. aut 2. dein permiſceantur in formam *Linimenti*, quo Glans ante Coitum eſt illinenda: Si Membrum poſt Coitum adhuc rigeat, abluatur Aquâ calidâ.

Inunctio Pectinis vel Glandis cum Felle Apri magnam Erectionem & Delectationem facere ab Hartmanno *in Crollium pag.* 357. & Montagnana aſſeritur. Radix Hellebori nigri pulveriſata, vel Pulvis Radicis Pyrethri cum *Pinguedine Coturnicis* commiſta, & hoc ipſo Linimento radix Penis vel Glans illita, ſingulariſſimum eſt: Hoc enim non tantummodò validam facit Erectionem; ſed & hoc præſtare dicitur (ſit fides penes Experientiam) ut & Mulier Virgo, & ipſe Maritus magis haſtatus, appareant. Item Aqua & Spiritus Formicarum, Aqua deſtillata & Succus Ovorum Formicarum expreſſus, cui parum Zibethi additum ſit, vel cum Oleo de Piperibus & Coſtino, vel de Caſtoreo miſtus, aut Teſtibus aut Perinæo, quod eſt interſtitium inter Membrum & Anum, inunctus, cui & in ſpecie Oleum Caryophyllorum permiſceri poteſt. Aliàs Oleum Coſtinum, Oleum Nucis Moſchatæ, Macis, Oleum Euphorbii, ac ſimilia in uſu ſunt: Aluminis plumoſi aliquid addi poteſt ad imitationem Conſilii Eruditi in M. A. N. C. *Anno* 6. & 7. *Append. pagin.* 143. Unde Decoctum Pyrethri & Euphorbii cum Vino parat Foreſtus *lib.* 10. *Obſervat.* 92. pro abluendis Genitalibus. Angelus Sala tale habet Linimentum, ſed pretioſum:

℞. *Zibethi* gr. viij.
*Ambr.* gr. vi.
*Moſchi* gr. v.
*Olei deſtillat. Cinnamomi.* gutt. viij.
*Nuciſt.* gutt. iv.
*Balſ. Peruv.* q. ſ. ut incorporentur omnia.
Miſc.

Hôc inungatur Glans ante congreſſum, vel præſertim poſt Balneum ex Nervinis eôdem inungatur Perinæum: loco cujus tamen etiam Balſamus Apoplecticus Venereus *Mynſichti* aut ſimilis, cum Zibetho, Moſcho, aut aliis paratus, radici Penis vel Perinæo, aut etiam ſpatio inter Scrotum & Penem, ubi Muſculi ſiti ſunt, ad firmam Erectionem illitus, ſufficit, ſicuti Glans eôdem illita utrique Sexui Voluptatem auget. Unde etiam præcipitur, ut in Paſſione Hyſtericâ, & ejus Paroxyſmo deſperato ferè, Vir Glande ità inunctâ Uxorem comprimat, pro ſolvendo Paroxyſmo.

Pertinent huc *Poma Ambræ* in manu tenenda pro promovendâ Erectione, & continuando congreſſu, Senibus & iis conducibilia, in quibus Calor naturalis imminuitur, & qui in Morbo Chronico, vel Arte quâdam veneficâ, in Virilitate debiles facti, quæ vid. in M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obſ.* 41. *pagin.* 77. Quibuſdam ſequens prò ſingulari habetur Secreto.

℞. *Sang. ex Cervo, dum Veneri inhiat*, ſclopeto interfecto, *rec. collectum.*
Cui adhuc calido adde
*Pulv. Tragac.* ʒii.
*Nuc. Moſch.*
*Caryoph.*
*Cinnam.* an. ʒß.
*Camph.*
*Moſchi*,
*Ambr.* an. ʒi.
F. cum ſ. q. *Sanguinis* illius Maſſa in formam Globi, exſiccetur, & aſſervetur.

Ii, qui nimis citò Genituram in Coitu emittunt, dum coëunt, hoc Pomum in manu detineant; quamdiu continuerint, tandiu continuare poterunt Venerem, citra Spiritûs aut Genituræ emiſſionem. Quando autem Pomum depoſuerunt, Genituram mittunt. Sit tamen fides penes Experientiam.

*Ab Incantatione ſi fuerit Malum*, aliis opus eſt Remediis: Conducunt *Vomitoria Antimonialia*, ut Tartarus Emeticus *Mynſichtii*, & ex Helleboro albo, quæ præmittantur in Curâ, poſt hæc convenit imprimis *Betula*; *Mictus* nempe per Scopas betulinas recentes à Carrichthero laudatus, qui, ſi quis alius, in Morbis ab Incantatione oriundis exercitatiſſimus eſt. Potus Cereviſiæ betulinæ, ſeu in quâ decocti ſunt Surculi Betulæ recentiores, Experimentum eſt Helmontii, *Tract. de Lithiaſi cap.* 8. §. 25. qui commendat, tanquam Experimentum contra Maritorum ſeu Sponſorum Faſcinationem; cujus loco ſubſtitui poteſt *Succus betulinus* ex ramo ejus ſauciato fluens. Ganſius *Tract. de Coralliis* commendat Pulverem ſequentem.

℞. *Corall. rubr.*
*Dent. Hom. mort. maris* an. ʒj.
*Sem. & Herbæ Antirrh.* an. ʒß.
M. f. Pulvis pro Suffitu.

Hic Pulvis ſæpiùs repetitus probatus fuit aliquoties in iis ipſis Ligaturis Virorum.

*Hypericon* ſeu *Fuga Dæmonum*, ejuſque Eſſentia *Mynſichti*, Tinctura Coralliorum, quæ laudatur maximè ab Helmontio contra Veneficos Morbos, Valeriana, in ſpecie pratenſis, & Phu vulgare, quod à Carrichthero *in l. de Veneficio* laudatur; Abrotanum, Momordica, Artemiſia rubra, Plantago aquatica, Herba Paris, quæ pulveriſata, & ad ʒj. aſſumpta, multa præſtat in Veneficiis; uti & Sorbus, vel decoctus, vel pulveriſatus in Syrupo, ſingulariter à quibuſdam commendatur. Hauſtus etiam bonus Lactis Muliebris laudatur. Porrò valent Origanum, Aquilegia

legia cum toto, Antirrhinum, Adiantum album & nigrum, Ricinus Americanus, Radix Contrajervæ, Ariſtolochiæ rotundæ, quæ multis præfertur. Aliàs tanquam Secretum habetur Pulvis factus ex *Raſurâ Campanæ* ex eo loco deraſa, ubi Piſtillum eam ferit. Raſura hæc etiam miſcetur cum Pulvere *Priapi Tauri & Croci* modico, & Sponſo propinatur. Mercurius vivus in Nuce Avellanâ, vel in Calamo ſcriptorio, Collo appenſus Præſervativum eſt certum Sponſorum, ne ligentur in Copulâ Sacerdotali. Quibuſdam placet unà cum hoc Mercurio, Calamo ſcriptorio incluſo, Plantas quaſdam appropriatis, e. gr. Hyperici, Capillorum Veneris, Semina Antirrhini, Herbam & Baccas Paridis & ſimilia Nodulo includere, & ex Collo ſuſpendere. Fuit Experimentum D. Michaelis, & ab aliis hîc aliquoties expertum: ex. grat.

℞. *Mercurii viv. Calamo incl.* ʒij.
*Capill. Veneris*,
*Flor. Aquileg.*
*Hyperic.*
*Sem. Hyperici*,
*Gran. Parad.* an. ʒj.
Miſc.

In Linteo geſtentur contra omnes Incantationes, Veneficia & Ligationes Conjugii.

Helmontius laudat Electrum immaturum *Paracelſi*, quod Zwelfferus *in Mantiſſ. Spagyr. capit. de Auro*, Aurum Embryonatum, nondum ſatis fixatum, eſſe putat. Obſervatum aliàs fuit, quòd primatum ducat Viſcum ex Corylo, quod cum Adipe Canis, Caponis vel Urſi, redigitur in Unguentum contra Veneficia: Videb. Carrichterus & Heinricus ab Heer *in Obſer.* Valent item Viſcum Quercinum & Tiliaceum. Laudatur quoque Fel Corvi, & Fel Canis nigri illitum. Mynſichtius habet Emplaſtrum Fœtidum, quod etiam D. Michaelis expertus eſt in Veneficiis. Burrhus Emplaſtrum Antidiabolicum ex Cerâ benedictâ & Aſâ fœtidâ habet. Hartmanni Experimentum certum, & aliquoties probatum, quod ipſe recenſet *in Praxi Chymiatricâ pag.* 265. fuit Lotio Pudendorum utriuſque ſexûs cum *Decocto Herbæ, Florum ac Seminis Aquilegiæ*, (hoc enim eſt ſingulare). Poſt Lotionem fecit Suffitum dictis partibus excipiendum, ex Dentibus Hominis mortui pulveriſatis ſuper Carbones projectis. Modus Suffitûs eſt hic: Recipiantur *tres Dentes ex Capite mortui Viri*, qui minutè pulveriſentur: hinc recipiantur *duo Lateres novi*, qui candefacti per crucem diſponantur in terram, hinc affundatur *Spiritus Vini Rhenani optimi*, & ſuperimponatur *Pulvis Dentium* iſtorum contuſorum, Fumo imponatur Membrum incantatum, & ita excipiatur Fumus, donec Membrum incipiat ſudare: hinc hic Sudor cum Linteo mundo deorſum versùs abſtergatur. Quô factô inungatur Membrum cum Aſâ fœtidâ, (quæ eſt Baſis Emplaſtri *Mynſichtii* contra Incantationes,) hinc Linteis involvatur, & ita Incantatus cubitum ſe conferat.

Item expertum fuit aliquando, ſi quis emat Lucium piſcem ſexûs maſculini, huic per vim aperiatur Os, & in Os ejus mittatur Vrina Maleficiati: hinc Lucius ita vivus immittatur in Fluvium, idque contra ejuſdem curſum, & ita ſinatur; ſubitò namque tollit Maleficium. Si Malum non ſit nimis inveteratum, ſeu in Maleficio novo, ſingulare etiam habetur Secretum Mictio per Annulum ſponſalitium, Germ. *Trauring*, ante & poſt Copulationem, eaque reciproca, aut per Aſſeris ex reliquo trunco extruſum Nodum: vid. Wedelius *de Medic. Facult. p.* 225. Ubi hoc non ſuffieit, accipiatur ſimul Raſura Annuli ſponſalitii, quæ interiùs in potu Vini aſſumpta ſingulare eſt Experimentum in tali caſu. Venefica docuit Juvenem Urinam mittere per Columnæ Patibuli foramen terebrâ factum, & liberatus fuit. Fuit aliquando curatus quidam ſimiliter Incantatus conſilio ipſi à Vetulâ ſuppeditato, dum ſcilicet in Cœmeterio quodam miſit Urinam per Anſam, ſeu Annulum cujuſdam Epitaphii, vel Lapidis Sepulchro incumbentis. Denique ſi quid aliud, ſingulare eſt, ſi quis accipiat Ovum recens, hoc coquat cum Urinâ propriâ ad abſumptionē medietatis: quô factô Urina ſuperſtes projiciatur in Flumen ſecundùm ejuſdem curſum, Ovum verò ita coctum leviter apertum immittatur in acervum Formicarum; Unde, quando Formicæ abſumpſerunt Ovum, ſolutum erit Faſcinum: vid. Hartmannus *in Praxi Chymiatr. ubi de Atrophiâ.* Quidam Stercus proprium poſt duas horas excretum Veſicæ includunt, & Fumo exponunt: quô factô Dolores aliaque mala à Veneficio inducta ceſſare, & Veneficam eundem guſtum percipere dicunt.

Plura, quæ pertinent ad Morbos ab Incantationibus ortos, non addo. Quoad hæc enim, quia adhuc hæremus in *Theoriâ*, etiam hæremus in *Praxi*, dubitantes, an ſint licita? an verò minùs? plura videb. in Agricolæ *Chirurg. Parv. German. pagin.* 556. 661. &c. item in Carrichteri *Herbario von Zauberiſchen Kranckheiten.* Interim obſervetur, quòd, prout variant Media, quibus inſtituitur Ligatio, ita etiam neceſſe ſit variare Remedia; unde cum dubii ſumus, quomodò facta ſit Ligatura? etiam varia Remedia tentanda ſunt.

## CAPUT II.

## *DE PENIS ERECTIONE AUCTA.*

### ARTICULUS I.

#### *De Nimia Salacitate.*

*Secundum* nimirum in Erectione Membri *vitium* eſt, quando nimium, aut ſæpiùs, aut diutiùs, quàm naturaliter fieri ſolet, imò ferè continuò, diſtentum & erectum eſt Membrum, adeoque conſequenter, *Erectio & Rigiditas nimis aucta eſt.*

*Affectus eſt duplex*, qui occurrit in nimiâ Membri Erectione, ſecundùm duplicem modum, quo fit; ita tamen, ut *Pars affecta* ſemper ſint *Muſculi circa radicem Penis*, qui contractione ſuâ comprimendo Venam, impediunt Sanguinis refluxum, & Penem erigunt; quod tamen cùm duobus modis fieri ſoleat, eſt etiam duplex Affectus. Primus eſt modus, quando Ægri ex ſtimulo Veneris huic acriter inhiant, & hinc *ſæpiùs*, & *diutiùs Membri tenſionem* cum Prurigine in Venere patiuntur, & tunc dicitur *Salacitas*, ſeu nimia in Venerem propenſio, in qua per integram noctem, vel leviſſimâ rei Venereæ mentione, *tenſionem Penis inſignem* percipiunt, quod Malum interdum eô uſque excedit, ut etiam quandoque *Delirium* aut Furorem quendam *Venereum* inducat; idque ex nimiâ Genituræ Turgeſcentiâ & Orgaſmo, qui ipſe Furor vix, niſi Genituræ uberiore excretione ſedari poteſt: Confer. M.A.N.C. *Anno 6. & 7. Obſervation.* 54. *& 55. paginâ* 87. *& 88.* tuncque Affectus eſt ſimillimus Brutorum Oeſtro Venereo, dum certis anni temporibus ex Liquoris genitalis turgeſcentiâ, hincque junctâ Sanguinis auctâ fermentatione, cum Spirituum inſigniore fervore in Vene-

Venerem impetuosiùs ruunt. Hic Affectus in Maribus est summus Salacitatis gradus, & ferè idem, qui in Mulieribus *Furor Uterinus* dici solet.

## CAUSÆ.

*Causa* hujus Salacitatis facilè patet: est nempe *Genituræ* naturaliter constitutæ & uberiùs collectæ, simulque spirituosæ ac acrioris, *nimius fervor ac turgescentia*, & inde natus *stimulus ad Venerem*, quem sequitur determinatus Spirituum Animalium motus & Penis Erectio.

*Causæ Remotæ sunt variæ*: omnia nempe, quæ Genituram augent, vel Spirituum Animalium impetum excitant, aut acrimoniâ Loca genitalia stimulant: hinc *Vita sedentaria*, *Diæta lauta* cum Aromatibus condita, assumpta & propinata *Purgantia*, aliave Venerem stimulantia, *Meditationes Venereæ*, aliæve occasiones externæ, ad hoc malum disponunt. Præsupponit laudabilem Genitalium constitutionem, qualis deprehenditur in iis, qui sunt *Triorchides*; item quando Salmuth *Centur.* 1. *Observ.* 23. refert Venereos insignes, in quorum altero magni Renes, in altero tres Venæ Seminales dextræ visæ fuerunt. De Medicamentis Purgantibus, Venerem stimulantibus, præter Platerum videb. Timæus *von Guldenklee in Cas. pag.* 193. item M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obs.* 71. *pag.* 131. Sin ulteriùs excedat hæc Salacitas, ut Coitu vix satiari possit, quin etiam post Coitum Venereum adhuc Membrum rigidum & tensum continuâ prurigine in Venerem stimulet, ut coëundo vix satiari possit, usitato vocabulo *Satyriasis*, summus nempe Salacitatis gradus, dicitur à Satyris, qui Membro erecto, & ad libidinem deplendam semper prono, finguntur & pinguntur. Exemplum talis Satyriaseos, si quod aliud, insigne videb. in Timæo *von Guldenklee lib.* 3. *Cas.* 52.

## DIAGNOSIS.

*Diagnosis* Salacitatis & Satyriasis, ex relatione Ægrorum, & suprà dictis per se patet.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: ex Salacitate & Satyriasi nullum incommodum, nisi quòd nimiam Venerem insequitur, metuendum est: nempe debilitas Corporis, ejusque Tabes, in specie Actionum animalium insignis læsio, Viriumque labefactatio, oriri solet, quin etiam Vitam abbreviat.

## CURA.

Quoad *Curam*: In *Salacitate* ac *Satyriasi* Genitura ita imminuenda, ac *Spiritus Animales* fervidiores ac alacriores, sunt absumendi & sistendi; & si aliqualis adsit *Genituræ acrimonia*, *Appropriatis temperanda*. Unde præter Animum curis occupatum, Vigilias nimias, Victum tenuem, Jejunium, Labores, & Motum Corporis validum, aut Vitæ genus Exercitiis occupatum, ita, ut *fortis Sudor* inde erumpat &c., hîc conducunt Venæ sectio, eaque subinde repetita; item omnia ea, quæ *suprà Section.* 1. *Capit.* 2. *Artic.* 1. *Membr.* 1. *de Gonorrhœâ ex turgescentia & abundantiâ Genituræ* fuerunt proposita. In specie *Acida fixa Vitriolata, Citrata, Nitrata & Saturnina*, hîc conducunt, hinc *Opium* & *Camphora*. Vitriolata & Nitrata vim genitalem nonnihil refrænant, & Genituræ vim ac impetum coërcent: vid. Langius *in Pathol. Fabri.* Opium & Camphora Spirituum Animalium impetum sistunt & refrænant. Quoad *Acida*: Succus Citri ac Limonum, item *Acetum rutaceum* sæpiùs usurpatum Salacitati nimiæ frænum injicit: quibus & Succus Menthæ est permiscendus, quibus Opium & Camphora maritanda sunt. Hinc *Nitrata* sunt optima, ut Nitrum crebriùs & copiosiùs usurpandum notabiliter Salacitatis œstrum temperat, aliis namque omnibus irritis, per Nitrum purum in *Aquâ Nymphææ* bis in die, mane & vesperi usurpatum, & crebriùs continuatum, Timæus *von Guldenklee lib.* 3. *Cas.* 52. *pag.* 173. curavit suprà dictum salaciissimum Hominem; Unde etiam Spiritus Nitri, & omnia ex Nitro, acido spiritu adhuc turgida, sunt usurpanda. Quoad *Saturnina* convenit Tinctura Antiphthisica, Sacchartm Saturni &c. vid. Wedelius *de Med. Fac. pagin.* 237. De *Vitriolo* & ejus *Spiritu* D. Langius *super Fabrum* refert, quòd crebrior aut diuturnior ejus usus notabiliter imminuere soleat vim Testium genitalem, ut etiam hujus abusu structura Testium penitus fuerit immutata; unde Spiritus Vitrioli crebriùs ac diu usurpatus, compescit egregiè Satyriasin: item Tinctura Florum Papaveris rhœados, ac Florum Cyani & Tunicæ, cum Phlegmate Vitrioli acidulo crebriùs hausta. Nec minùs conveniunt alia per Experientiam cognita, quæ inter est Nymphæa, præsertim flore albo, ejusque Radix, quæ specificè commendatur, item Lactuca, ejusque Succus, Portulaca; quibus addatur Millefolium flore albo, Ruta, & quæ ex citatis internè usurpari possunt Remedia; item *Cicuta*, quæ apud nos insons deprehenditur. Imprimis Mentha his addita laudari solet. De *Vitice* seu Agno casto, cujus Folia, Flores, & Semen sunt usitatissima, res satis est nota. Post Viticis Semen, Semen Cannabis est etiam insignis laudis; item Semen Lactucæ, Portulacæ & similia. De *Salice* res nota est; nempe sunt Ramuli tenelli Salicis, ex quibus incisis Liquor albus emanat, qui impetum Venereum solet extinguere: Folia Salicis cocta; item cum his Folia Verbenæ mista, cocta, diutiùs continuata mirè stimulum Venereum interimunt: His optimo consilio Nitrata adduntur. *Camphora* est hîc non negligenda, non quòd absumat, ut volunt, Semen, aut vim genitalem imminuat, sed quòd certâ quadam virtute Spirituum fixativâ sit prædita; qua ratione & Deliriis Febrium Malignarum adeò potenter resistit. Quô facit, quod Zacutus Lusitanus *libr.* 3. *Med. Princ. Histor.* 20. refert, Coitum assiduum Camphoræ usu curatum. Item Electuarium ejus Camphoratum, quod habet *l.* 2. *Prax. Admir. Obser.* 108. Conf. Tachenius *Hipp. Chym.* Ratione cujus virtutis Spirituum fixativæ & *Opiata* conveniunt, quæ per se usurpata Spirituum ferociam & agilitatem compescendo, impetum Venereum retundunt, Spiritus figendo, & eorum impetum cohibendo. De Opio dubium videri potest, cùm in regionibus Orientalibus Opium tanquam Venereum optimum usurpetur. Ad hæc Opium habet summam acrimoniam, quæ etiam in quibusdam Sudorem pruriginosum infert; nil tamen impedit, quò minùs & Spirituum impetum figat, cùm & hac ratione stimulantibus sociatum, actum Venereum diutiùs continuandum efficiat, & Spirituum impetum impediat. Sic, ut Formulas quasdam annectam, egregia hîc est *Emulsio Mynsichti Cannabina*.

℞. *Sem. Cannab.* ℥iß.
*Semin.* 4. *Frigid. maj.* an. ʒi.
Cum f. q. *Aquæ Flor. Nymph. & Rosar.* an. f. Emulsio: Hujus ℥xiii. adde
*Syr. è Succ. Violar.* ʒii.

*Aquæ*

*Aquæ Cinnam. bugloſſ.* ʒj.
Miſc.

Hæc in *Pollutione nocturnâ*, *Satyriaſi*, *Priapiſmò*, & omnibus aliis, à nimiâ Genituræ quantitate vel acrimoniâ provenientibus Affectibus, eſt nobiliſſima. Notàndum, quòd *Aqua Cinnamomi bugloſſata* omittatur commodiùs, niſi ob nimiam Genituræ projectionem inſimul Vires defecerint; aliàs enim, cùm ſpirituoſa ſit & aromatica, Malùm nonnihil exaſperare poſſet. Aliàs & ita præſcribere ſoleo:

℞. *Sem. Cannab.*
*Melon.* an. ʒii.
4. *Frig. maj.* an. ʒj.
*Aquæ Lactuc.*
*Acetoſ.*
*Flor. Nymph.* an. ʒiij.
F. Emulſio, edulcoranda cum *Syr. Pap. albi.*
D. S.
Emulſio ſiſtens.

Sic & *Mixturæ* præſcribi poſſunt:

℞. *Aquæ Fol. Vitis*,
*Salicis* an. ʒiß.
*Spiritûs Nitri dulc.* vel *Vitrioli dulc.* ʒß.
Edulcor. cum ſ. q. *Manûs Chriſti ſimpl.*
D. S. ut antè.
Vel
℞. *Phlegm. Vitrioli* ʒij.
*Tincturæ Flor. Bellid.*
*Roſar.* an. ʒß.
M. S.
Tinctura compeſcens.

Vel in formâ *Pulveris*:

℞. *Pulv. Sem. Agni caſti*,
*Nitri depur.* an. ʒij.
*Camph.* ℈ß.
*Laud. Opiat.* gr. vj.
M. f. Pulvis.
D. S.
Pulvis ad Pudorem, 3. cuſpidibus Cultri ſumendus in Aquâ ſequenti.

℞. *Aquæ Acetoſ.*
*Flor. Nymph.* an. ʒij.
*Liqu. Salicis* ʒiß.
*Syr. Nymph.* q. ſ.
M. S.
Aqua ad Pulverem.

Cum his *externè* commodè applicantur Partibus genitalibus, in ſpecie Scroto & Pectini, Succus Plantaginis, Solani, Cicutæ, Hyoſcyami, Sempervivi, cum Aceto vel ſimplici, vel deſtillato, & Saccharo Saturni miſti, & in formâ *Epithematis* applicandi, ad compeſcendam nimiam Salacitatem, & impediendam Genituræ turgeſcentiam: aut fiant ex his Plantis Cataplaſmata Aceto imprægnanda: Vel Partes genitales ſimiliter foveantur Succo Sempervivi aut Lactucæ, in quo Nitrum crudum vel purgatum q. ſ. ſolutum ſit. Teſtibus hoc in formâ Epithematis applicatum, mirè Spirituum impetus refrænat, quin & poſteà regio Lumbaris, ſeu Renes, ipſumque Scrotum ſubinde humectari poteſt: item Partes genitales, Pecten, Scrotum, &c. foveantur *Aquâ Nymphææ*, in quâ diſſolutum ſit *Opium*: ſin ob penetrationem ad aliqualem Opii correctionem Acetum admiſcentur, eò melius erit. Suadent quidam *Laminam Saturni* Lumbis applicare circa regionem Renum, ſed malè; quia quandoque ſic inſecuta eſt gravior Urinæ ſuppreſſio.

## ARTICULUS II.

### *De Priapiſmo.*

*Secundus modus* nimiæ Penis Erectionis eſt, dum *Penis ita rigidus* & ita diſtentus eſt in omnem dimenſionem, *ut exinde graviter doleat*, & dolorem tenſivum ſentiat: in qua ipsâ diſtenſione *nullum Veneris adeſt deſiderium*, unde & coëundo nullum aut pauciſſimum Semen emittunt; Coitu nullo levantur, quin potiùs Malum inſigniter exaſperatur, adeò, ut ſi tales ſæpiùs Coitum tentare velint, incidant ſubinde in Convulſionem totius Corporis. Morbus hic uſitatè *Priapiſmus* dicitur, à *Priapo*, Scortorum apud Gentiles Patrono, qui tali Membro ſemper erecto & rigido fingitur.

## CAUSÆ.

*Cauſa Proxima* hujus Priapiſmi eſt *Convulſio Muſculorum Penis*, quorum Spaſmo & continuâ ſpaſmodicâ contracturâ, & Venâ Penis penitus occlusâ, Sanguis Penem diſtendens, omninò impeditur & ſiſtitur in refluxu, & ſimul dolorifica Tenſio in radice Penis percipitur. Unde, dum Sanguis copioſiùs in Penis Corporibus nervoſis hæret coacervatus, tandem dolorifico tali diſtenſionis ſenſu Membrum cruciatur, & cum Spaſmo dictorum Muſculorum convulſivi quid patitur. A tali nempe Muſculorum Penis Convulſione eſt, quòd Epilepticis quibuſdam inſciis & invitis in Paroxyſmo ſubinde Membrum tendatur, imò & iiſdem in Paroxyſmo Epileptico Genitura interdum elabatur, à tali ſc. Muſculorum Penis, vicinarumque partium membranoſarum Convulſione. Item videtur hinc oriri, quòd interdum quibuſdam *Suſpenſis erigatur Membrum*: vid. Schenckius *in Obſerv. ubi de Spaſmo*; Confer. ſimul Salmuth *Cent.* 3. *Obſerv.* 21. & 40. ubi tale Exemplum recenſet, ſimilis ſc. Membri Convulſionis in Turcâ, interfecto propter copioſum Maslah aſſumptum. Verùm ne fiat confuſio, dum ſuperiùs dixi, Inflammationem Scroti, Penis, ac Teſtium fieri ex impedito Sanguinis refluxu & motu; hîc verò dicam, Priapiſmum oriri ex impedito Sanguinis motu propter Convulſionem Muſculorum; ne, inquam, circa hoc fiat confuſio, obſervandum moneo, quòd Sanguis in Corporibus Penis membranoſis excavatis coërcitus, & in refluxu impeditus, det Membri pertinacem Erectionem & Tenſionem. Ubi verò Sanguis in ipsâ ſubſtantiâ Penis, quam irrigat, ſtagnet, tunc in procinctu eſſe ſolet periculoſa ejus *Inflammatio*.

*Convulſionis* hujus Muſculorum Penis, & inde oriundi *Priapiſmi Cauſa eſt irritatio* quæcunque, aut Muſculos Penis aut horum Nervos afficiens; unde Spirituum Animalium continuato influxu hi contracti, & convulſi manent, & tandem Priapiſmum inferunt; non ſecus ſcil. atque Punctura Nervi cujuſdam per irritationem Partis, ad quam Nervus tendit, Convulſionem infert, unde hujus Membri fit contractio & rigiditas. *Irritatio hæc à Cauſâ* tam *Internâ* quàm *Externâ* excitatur, rariùs autem à Cauſâ Internâ, frequenter ex Externâ. Inter has *Externas* primatum obtinent Cantharides, intempeſtivè & incautè uſurpatæ: quæ ſicut tam externâ applicatione, quàm internâ aſſumptione, Urinam cruentam aut Ulcus Veſicæ inducunt; ita quibuſdam, Italis præſertim, loco ſtimuli Venerei inſerviunt, ſed quorum acre & ſalinum Virus ad Muſculos Penis delatum, continuâ

tinuâ irritatione, pertinacis Priapismi subinde Causa est. Imò etiam alia *Aphrodisiaca* acriora, magisque aromatica, & copiosiùs assumpta, interdum Priapismum inferunt: Hinc enim curiosum est, quod observat Salmuth *Cent. 3. Obs. 29.* de Sene defuncto, qui tertiâ die Nuptiarum mortuus, cum pertinaci Penis Erectione repertus est, ex nimio abusu Medicamentorũ Venereorum, quibus usus fuerat, ut in Nuptiis secundis noviter nuptæ Juvenculæ satisfaceret, & meliùs placeret. Dubio procul convulsus mortuus est; nam dum ante, & in ipsâ Morte, Musculi Penis convulsi, rigidi sunt, facilè Fibræ post Mortem in eodem tono, ex contentis Humoribus successivè condensatis, perstare, & ita ex Sanguine successivè in Pene coagulato etiam post Mortem hujus Tentigo continuari potest: Vid. Garmannus *de Mirac. Mortuor.* & M.A.N.C. *Ann. 9. & 10. Observ. 34. pag. 98.* Sed Malum hoc satis est rarum, ut plura addere vereor. Borellus tamen *Centur. 2. Obsev. 31.* notat quendam in Coitu instar Canum junctum remansisse, quod à nimio ardore Partium genitalium tumefactarum provenire existimat; vel quòd è Zibetho, quo consilio Amici cujusdam, Voluptatis augendæ gratiâ Balanum inunxerat, partes hæ calefactæ & irritatæ fuerint.

## DIAGNOSIS.

*Diagnosis* hujus Affectûs ex relatione Ægrorum, & suprà dictis addiscenda.

## PROGNOSIS.

*Priapismus*, cùm sit interdum satis dolorificus, ac Dolorem inferre soleat similem Tetano, seu Membris Tetano correptis, metum infert, ne & aliarum partium superveniant *Convulsiones*, Ægerque sic moriatur; aut nunc Tumorem, nunc Inflammationem, nunc periculosum Apostema Membri post se trahat.

## CURA.

*Curatur* Priapismus, *Convulsionem Musculorum* imprimis removendo, *Causam irritantem* sistendo; nam sic sponte flaccescet Penis. Ubi simul *Causa Occasionalis* excrementitia latet in Corpore ad Revulsionem commendatur *Vomitus*, qui præ aliis purgandi modis, præsertim ad Priapismum confert, ut ut *Purgantia* per inferiora eandem removere videantur; eorum tamen vis minùs est valida; prætereaque notum, quòd Purgantia interdum Tentiginem inducant, & Venerem stimulent: Exemplum habet de Viduo Platerus, qui ex usu Pilularum Aromaticarum, & Mastichinarum tale quid percepit, unde Purgantia rectè omittuntur. Potiùs ergò *Vomitoria* laudantur in Priapismo ad Revulsionem, uti dicunt, Causæ irritantis: vid. Forestus *lib. 26. Obser. 6.* idem habet Epiphanius Ferdinandus *Hist. Med. 26.* Post Vomitoria conveniunt *Acida*, Mentha, Ruta, Vitex, seu Agnus castus, ejusque Semen: Nempe *Decoctum Lentium cum Semine Agni casti* aliquandiu usurpatum. Experimentum est Lindani contra Priapismum, qui etiam refert se aliquando curasse Senem septuagenarium Priapismo laborantem, in quo externè, & internè Oleum destillatum Rutæ, aliàs ab Hartmanno insigniter commendatum, frustrà adhibuerit, postmodùm verò eundem restituerit Decocto Lactucæ, & Semine Agni casti crebriùs, ac diutiùs usurpato. *Opium*, item *Camphora*, & similia, cum Succo Citri copiosiùs usurpata etiam huc conferunt. Poterius, qui non habuit, nec habebit parem inter Italos, C. 1. *cap. 54.* refert, quendam 30. annorum diu pravâ Tentigine tentatum, tandem per usum *Auri Diaphoretici* fuisse curatum. Hinc *Lac* prodest, ubi ex Cantharidibus Malum ortum fuerit.

*Externè Epithema* ex Vino, in quo coctum sit Cuminum, & Ruta, adhiberi debet, quod Joel *in suâ Praxi* in usu habet; uti etiam Oleum Rutæ, Menthæ, &c. Genitalibus, & Perinæo illinendum. *Cataplasmata* quoque ex Rutâ, Menthâ, Cumino, Floribus Nymphææ cum Aceto, & Aquâ parata; vel ex Rutâ contusâ, & Semine Cumini cum Aceto conveniunt. Conducunt quoque *Cataplasmata Camphorata*: Vel illinatur *Oleum Amygdalarum dulcium*, in quo soluta sit *Camphora*, radici Penis; vel applicetur *Camphora* in *Aceto Vini* soluta, cum *Aquâ Nymphææ* superfusâ Rutæ contusæ. Sedulò interim monent omnes Practici, ut in Priapismi Curâ unà cum Genituram extinguentibus usurpentur *Medicamenta Carminantia*, ut est ver. gr. Aqua Carminativa communis, mista cum Aqua Castitatis *Quercetani*: aut Aqua Castitatis *Riverii*, mista cum Spiritu Nitri dulci. Dico commendant Practici, quibus tamen minimè possum consentire: Hypothesis enim eorum est, quòd oriatur Priapismus ex Liquore flatuoso, seu ex Flatibus Penem distendentibus, quod tamen minùs philosophicè, aut scientificè videtur locutum: unde ex hac Hypothesi Carminativa commendant: hinc etiam Zacutus Lusitanus *lib. 2. Prax. Adm. Observat. 105.* Aquam ex Caryophyllis viridibus destillatam laudat. Potiùs *Acida vitriolacea* commendo, & juxta hæc *Nitrata*, quæ, & ipsa Priapismum curare valent. Denique *Clysteres Carminantes* laudantur à Zacuto Lusitano *lib. 3. Med. Princ. Hist. 21.* Imprimis si addantur *Urinæ Pueri* ℥ij. *Fermenti acris* ʒj.

## CAPUT III.

### *De Penis Erectione Depravata.*

TErtium vitium in *Erectione* denique erat *depravata Penis Erectio*, seu *Contorsio*. Nam depravatè erigitur Membrum, dum non debitâ in figurâ, & modo debito contingit, cùm naturaliter Penis tensus in figurâ rectâ absque Dolore soleat extendi. Quando ergò *contortus est Penis*, seu quando curvam, aut aliam vitiatam figuram acquirit, dum erigi debet, læditur ejus Actio; de cujus *Causâ Internâ* nihil est quod addam, nisi quòd consulendus sit Heinricus ab Heer *Obsev.* ubi habet aliquot rara Exempla Contorsionum Penis, & ex Aurantio refert modum, depravationem hujus Erectionis, & Contorsionem Penis corrigendi: item Sennertus *lib. 3. Prax. pag. 923.* Pertinet huc *Retractio Penis omnimoda* in imum Ventrem, per *Cucurbitularum* appositionem curanda, secundùm Heinricum *ab* Heer *Obsev. 7.* item *Carminantibus* applicandis restituenda. Vid. M.A.N.C. *Anno 2. Obs. 50. pag. 89.*

Pertinet huc *Penis Tumor* præternaturalis, ut quando Tumorem Penis subitaneum Tympaniticum, *Fotu Carminativo* curandum observârunt in M. A. N. C. *Anno 3. Obs. 99. p. 160.* Depravatur etiam Penis Erectio subinde *Frœni*, vel *Præputii vitio*, quando non ritè potest erigi, vel extendi Membrum. *Frœnulum* quod attinet, si nimis breve est, & tenditur Membrum, Glans retrahitur, & Membrum incurvatur, & sic non tantùm *Generatio impeditur*, sed etiam *Dolor oritur*. Hoc ergò *curatur Chirurgiâ*, ubi Frœnum simplici *Incisione* secatur, uti videbitis ex Hildano *Cent. 6. Hist. 6. Observandum tamen*, ut aliquid potiùs detrahatur de Membranâ Præputii, quàm de Glande, si res est curta: factô hôc, applicetur Stuppa Cannabis cum Albumine Ovi, & Bolo imprægnata, quæ immergatur in locum, ubi facta est Incisio.

*Præputii verò ratione* fit, quando hoc ita est angustum,

& ſtrictum, ut Glans commodè detegi nequeat: ſic enim coërcitus Penis re ipsâ ſe explanare nequit. Vitium hoc aliàs *Phimoſis* dicitur.

## ARTICULUS I.

### *De Phimoſi.*

### CAUSÆ.

*Phimoſis* verò triplici ratione fit: nunc eſt *Malum nativum*; nunc fit interdum *à Coitu cum Fœminâ infectâ*, & Inflammationem concipit; nunc *Præputium incipit corrugari*, ut non poſſit detrahi, niſi concipiat Fiſſuram.

### CURA.

Phimoſis, *quæ à Nativitate*, *Sectione Chirurgicâ* facilè curatur, & removetur: Scilicet cùm Inciſurâ Præputium inciditur: interdum etiam per Crucem fieri ſolet, obſervando ſaltem hoc, ut vitetur Vena Pudendi, ſeu iſtud Vas, quod circa latus Præputii ſe manifeſtat.

Si verò *ex Congreſſu impuro* facta eſt Inflammatio Præputii, qnæ ſolet habere conjunctum inſignem Pruritum, optimus eſt ſequens *Fotus*:

℞. *Mucilag. Sem. Pſyllii*,
*Cydon.*
*Fœnug. cum Aquâ Plantag. extr.* an. ℥j.
*Vitell. Ovi* No. i.
*Lact. Vaccini* ℥iij.
M. ſub formâ Fomenti: S.
Fotus Leniens.

Applicetur crebrò loco affecto.

Vel

℞. *Aquæ* vel *Decoct. Calcis vivæ*:

Cum quo vel ſolo, vel addito *Sacch. Saturni*, vel *Mercurio dulci*, f. Fotus calidè applicandus.

D. S.
Fotus Refrigerans, & Diſcutiens.

Vel

℞. *Flor. Chamom.*
*Samb.* an. M. i.
*Hyoſc.*
*Sem. Aniſi*,
*Fœnic.* an. Mß.
*Bacc. Lauri* ℥ß.

Inciſa, & contuſa coque *in Aquâ Calcis vivæ*.

Colatura D. S.
Epithema Leniens.

Applicatur calidè. Convenit etiam in Paraphimoſi.

Vel fiat *Cataplaſma* ex Farinâ Fabarum cum dictâ Aquâ Calcis vivæ, invicem miſcendo, quod Præputio affecto applicatum Tumorem diſcutit, & Malum curat.

In Phimoſi, in qua *Præputium corrugatum eſt*, ut citra Fiſſuram non poſſit detrahi, præter jam dictum Cataplaſma in ſpecie convenit *Cremor Calcis vivæ*, qui ſubigitur cum *Butyro* non ſalito.

## ARTICULUS II.

### *De Paraphimoſi.*

COntrarium vitium eſt *Paraphimoſis*, tanta poſt Glandem Præputii retractio, ut nequeat denuò retrahi, vel ſupra Glandem duci, ut etiam Glandis periculoſam Inflammationem inducat.

### CAUSA.

Vocatur *Paraphimoſis*, & imprimis ex violentiori oritur *Coitu*, eoque ſæp ſimè primo, dum ex relaxatione Fræni in tantum ex impetuoſo Coitu Præputium retrahitur, ut tumefactum nonnihil infra Glandem ſubſiſtat, & ita Paraphimoſin inducat.

### CURA.

*Cura* hujus vitii fit præprimis per *Emollientia*, & cùm Præputii ut plurimùm accidat *Tumor*, per *Diſcutientia*. Convenit e. g. *Fotus ex Lacte*, in quo *Flores Sambuci* ebulliant. Convenit etiam *Cataplaſma ex Floribus Chamomillæ*, *Parietariæ*, *Roſis rubris*, *cum Lacte* coctis, & calidè loco affecto applicatis. Foreſtus applicat *Fotum* ex Decocto Malvæ, Violariæ, & Hyoſcyami propter Dolorem: Aut etiam applicat Decoctum Roſarum, aut Meliloti cum Farinâ Fabarum, & Foliis Hyoſcyami. Quidam commendant ad talem Præputii Dolorem, ſi recipiatur Cortex Sambuci medius, qui coquatur in Lacte, quo calidè ſuffumigetur Priapus, & poſtmodùm Panno lineo, in iſto Decocto intincto fomentetur: v. g.

℞. *Herb. Malv.*
*Parietar.*
*Alth.* M. i.
*Rad. Alth.*
*Lil. alb.* an. ℥j.
*Flor. Roſ. rubr.*
*Chamom.* an. p. ij.

Coqu. in *Lacte* ad conſiſtentiam Pultis, & applica.

D. S.
Puls Emolliens, & Leniens.

Vel applicetur *Fotus* ex Floribus Chamomillæ, Sambuci, Hyoſcyami, &c. cum Aquâ calcis vivæ, *ſuprà Artic.* 1. in Phimoſi laudatus: cui, *ſi Membrum inſigniter ſimul doleat*, addi poteſt *Croci* momentum. Multum quoque præſtat commune Chirurgorum *Cataplaſma*, ex *Pane triticeo* cum *Lacte*, Germ. *ein Semmel-Brey*: ſit Exemplum:

℞. *Medull. Panis ſimilag. in Lact. infuſ.* tbiß.
*Vitell. Ovor.* No. iij.
*Ol. Roſac.* ℥ij.
*Croci* ℈j.
M. f. Cataplaſma.

## ARTICULUS III.

### *De Penis Inflammatione.*

PErtinet huc etiam *Inflammatio Penis*, ut plurimùm à *Cauſâ Externâ*, in qua confert *Cataplaſma* jam dictum ex Floribus Chamomillæ, Parietariæ &c. & Aquâ Calcis vivæ cum Appropriatis additis. Iis fermè curatur Remediis, quæ retuli *Sect.* 1. *Cap.* 1. *Artic.* 1. *de Inflammatione Teſtium.* Unum tantùm recenſebo *Exemplum*: Fuit aliquando Puer, qui ad hoc, ut Membrum acquireret paulò generoſius, & majus, inunxit non tantùm Membrum, ſed etiam Scrotum, cum Lacte Eſulæ, ſeu Tithymali, unde facta fuit inſignis harum Partium Inflammatio cum non levi Dolore conjuncta: facilè tamen fuit diſcuſſa, & curata per Fomenta ex Lacte, tepidè ſæpiùs iterata: cui, ſi Flores Sambuci incocti fuiſſent, effectus eò præſtantior fuiſſet.

## ARTICULUS IV.

### *De Penis Dolore.*

ULtimò denique impeditur, ſeu depravatur debita Membri Erectio ex *Dolore*, dum ſcilicet impenſiùs dolet Membrum; Sic ex forti labore in Coitu

ſubinde

ſubinde fit, ut doleat, ut etiam *intumeſcat Glans*: quod vitium inſigniter leniunt *Cicutæ Folia* trita, & per patentem Præputii hiatum immiſſa. Commendat hoc Remedium etiam Heinricus ab Heer *in Obſervat.* 7. contra *Inflammationem Glandis Cryſtallinam*, in qua Glans tumida, & quaſi perſpicua inſtar Cryſtalli erat cum gravi Dolore, cùm ſcilicet ſumptâ Cicutâ, eâque immiſſâ per patentem Præputii hiatum, ſedatus Dolor, & Tumor diſcuſſus fuit. Quòd ſi verò anguis ſub herbâ latitet, & *Gonorrhææ Virulentæ conjunctus ſit Penis Dolor*, ac reliqua hactenus dicta Glandis vitia, quod tantum non ſemper evenire ſolet, & huic quoque per *Interna* proſpiciendum erit, *Purgantia* nimirum, & *Balſamica Terebinthinata*, quæ *ſuprà lib.* 1. *ubi de Gonorrhœâ Virulentâ*, videantur. Optimum aliàs eſt Balſamum Peruvianum, dum ſcilicet hoc ipſum excipiatur Filo craſſo, Albumine Ovi durato, & hôc ipsô Balſamum Peruvianum infigatur & applicetur; ſic enim Dolor in Virgæ initio à Gonorrhœâ facilè ſedatur.

Denique *dolet Penis non rarò ex Calculo Veſicæ*, in quo nihil præſtantius eſt, quàm Aqua Albuminis Ovorum, cum Lacte Muliebri, & Camphoræ modico, quæ omnia Calice excepta frigida actu vel tepida admoveantur Peni, ita, ut Membrum huic immittatur; ſic namque ſtatim omnem Dolorem ſedari, author eſt Zecchius *in Conſil.*

Et hi fuerunt *Morbi Virorum*, de quibus hæc dixiſſe ſufficiat: Pergo ad *Morbos Mulierum.*

# PRAXEOS MEDICÆ
# LIBER IV.

## *De Morbis Mulierum.*

### SECTIO I.

### *De Fluoris Menſtrui Vitiis.*

UT *Virilis Sexus*, ſimul ac Genituræ in eodem fit generatio, ſingulares ſuas patitur alterationes, ita & *Sexus Muliebris*, dum ad generandum fit aptus, ſeu Ova in eorum Teſtibus fiunt fœcunda, etiam non minorem in Corpore incurrit mutationem. Nam præterquàm quòd *Puberes* fiant Mulieres, h. e. quòd Lanugo in Monte Veneris efflorescere incipiat, etiam *Mammæ* turgeſcere, ſeu, ut vocant, ſororiari incipiant (*cùm ſint binæ*), *Vox* gravior fit, & mutationes Viris ſimiles patiuntur: ſed in ſpecie ſibi habent propriam *Sanguinis per Genitalia excretionem*, quæ imprimis ſuam meretur conſiderationem, & *à Periodo*, qua ordinatè repetere ſolet, *Fluxus Menſtrui*, vel *Menſium* nomine Latinis, Germanis *die Bluhme*, *die Roſe*, *die Zeit*, appellatur. Propriam dixi hanc Purgationem eſſe Fœminis: Nam inter Animalia nullum, præter Simiam & Barbum piſcem, ſimilem pati Fluxum dicitur. Obſervata tamen ſunt quoque Exempla, licèt pauca, quòd & *ipſi Viri* omni menſtruo ſpatio ſimilem Menſtruum Fluxum per *Penem* paſſi fuerunt. Exemplum tale præter Zacutum Luſitanum *lib.* 2. *Prax. Admir. Obſervat.* 102. & D. Michaelis, etiam annotavit Bartholinus *Cent.* 5. *Hiſt.* 32. item Fehr *Tract. de Abſinth. pag.* 138. in ſpecie Thiermeyerus *lib.* 1. *Conſil. pag.* 186. & 189. ubi refert Menſium excretionem virilem per Virgam, omni Novilunio redeuntem, cum Symptomatibus iiſdem, quæ moleſtant Fœminas, ſi forſan Suppreſſionem patiantur: Sicuti aliàs interdum Periodicus, & Menſtruus *Hæmorrhoidum Fluxus* in Viris æmulatur quaſi Menſtruationes Mulierum: cùm & in ſucculentioribus & habitioribus Mulieribus, deſinentibus Menſibus, poſt annum ætatis 49. ſuccedat interdum ordinatus Menſtruus Hæmorrhoidum Fluxus; quin & interdum loco Menſtruorum ſuppreſſorum, quàm Menſibus fluentibus intermedio temporis ſpatio, Hæmorrhoidalis Fluxus contingat. Prioris Exemplum videri poteſt in Horſtii *Obſerv. pag.* 296. & *Problem. pag.* 91. Poſterioris in Sennerto *lib.* 3. *Prax. pag.* 418. qui nempe obſervavit in Muliere cum Menſtruorum ordinario Fluxu ſimul ordinarium Hœmorrhoidum Fluxum, decimo quarto die poſt Menſes ceſſantes ſupervenientem: ut taceam, ſubinde cum Menſibus etiam fluentes Hæmorrhoides; vid. M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obſerv.* 22. *pag.* 39. *Ann.* 4. & 5. *pag.* 299. *Ann.* 6. & 7. *Obſerv.* 63. & Bartholini *Act. Med. Haffn. Volum.* 1. *pag.* 165. Repetere dixi hunc Fluxum ſingulis Menſibus, utut in quibuſdam anticipet unam vel duas dies, in quibuſdam verò per tot dies etiam poſtponat: unde illæ priores tredecim, hæ tantummodò undecim vicibus, purgantur in anno: Rarum namque eſt Exemplum illud, quod Panarollus *Pentec.* 2. *Obſerv.* 41. refert de Muliere ſingulis menſibus bis menſtruatâ, ſine Sanitatis noxâ: Conf. M. A. N. C. *Ann.* 6. & 7. *Obſ.* 153. *pag.* 219. Sennertus *l.* 3. *Prax. pag.* 418.

*Incipit*, ut dixi, hic Fluxus Menſtruorum *tempore Pubertatis*, dum maturæ Viro, & ad Generationem habiles fiunt; id quod fit ordinariò *circa decimum quartum Ætatis annum*: incipit nimirum quaſi motu Naturæ critico in ſecundo Septenario, & deſinit ſimiliter in ſeptimo Septenario, nempe anno 49. utut interdum circa duodecimum annum quædam Mulieres & Puberes, & Menſtruatæ fiant; rarum eſt, quòd citiùs inchoënt, aut diutiùs fluant, quorum tamẽ Exempla proſtant. Propria hoc in paſſu *Idioſyncraſia* Subjecti probè eſt conſideranda: nunc enim *Juniores*, *alacriores*, *ſpirituoſæ*, *vegetiores*, *Diatâ lautâ utentes*, & *ſalaciores*, citiùs patiuntur hunc Fluxum: quæ verò ſe habent contrario modo, iiſdem tardiùs erumpunt. Rara ergò ſunt, & quæ ob id ordinario Naturæ curſui nihil derogant, quod refert Schenckius *in lib.* 4. *Obſerv.* de Puellâ novenni menſtruatâ: item, quando refert Tulpius *lib.* 3. *Obſerv. cap.* 36. de Puellâ quatuor annorum menſtruatâ: Vid. M. A. N. C. *Ann.* 4. & 5. *Obſ.* 23. *Ann.* 6. & 7. *Obſ.* 63. *Ann.* 9. & 10. *Obſ.* 28. Sicuti econtrà nil derogat, quando iiſdem Menſes ulteriùs producuntur: qua ratione Hildanus *in Cent.* 4. *Obſervat.* 63. refert, Menſes cuidam fluxiſſe ultra ſeptuaginta annos; ſic Mulieri ſeptuaginta ſex annorum Menſium Fluxus rediit, ſtatam ſervans Periodum; vid. M. A. N. C. *Ann.* 9. & 10. *Obſer.* 9. *pag.* 46. ſicut & Panarollus de Menſtruo in Vetulâ diutiùs durante Obſervationem habet.

*nt* quidem *continuò*, niſi quòd ordinariò *ſoleant ami Geſtationis tempore*, in quibuſdam etiam *pore Lactationis* : Unde non minùs rarum eſt, quando quibuſdam Viraginibus, ſeu virilis habitûs Mulieribus, etiam omninò fœcundis, nulli unquam fluant Menſes : vid. M. A. N. C. *Ann.* 6. & 7. *Obſerv.* 64. Sic præter Schenckium Panarollus *Cent.* 1. *Obſerv.* 15. refert Mulierem quintâ vice prægnantem, nunquam tamen menſtruatam : Sicut rarum eſt, quando Imprægnatis etiam primis Geſtationis menſibus iidem adhuc fluant, imò uſque ad Partum ſine noxâ ; vid. M. A. C. *Ann.* 9. & 10. *Obſer.* 28. Aliàs curioſum eſt, quòd Mulieri ante Matrimonium legitimè Menſes fluxerint, qui poſt Matrimonium omninò ſuppreſſi fuerunt, citra ullum tamen Sanitatis incommodum, ut refert Platerus *lib.* 1. *Obſer.* Non minùs obſervatu dignum eſt, quod idem Platerus *in Obſ.* refert, quòd in aliâ Muliere Menſes ſuppreſſi fuerunt, quoties Pueros lactaret ; ſin verò Puellas, hi liberè & ordinariâ periodo fluebant.

*De Modo quo fiat?* res nota eſt ex *Phyſiologiâ* : Nempe fit Menſtruatio hæc ſeu Sanguinis Fluxus *per Turgeſcentiam quandam & Fermentationem extraordinariam Maſſæ Sanguineæ*, propter vim peculiarem fermentativam ab Uteri Glandulis cum Sanguine & Lymphâ ab ipſis refluis, toti Maſſæ Sanguineæ communicatam, & etiam ipſi Lymphæ Seminali Uteri & Proſtatarum conceſſam : quæ uti acriores factæ Pruritum Venereum inſolitum ferè excitant ; ita ratione illius in Sanguine Turgeſcentiæ per *Anaſtomoſin in Vaſis Uterinis* exitum invenit. Patet hoc, quia Mulieres nunquam ſunt ſalaciores, quàm inſtante Menſium Fluxu, & ceſſante, cùm uberiùs turgeſcens Sanguis, & rapidiùs per Vaſa circulatus, diſtendat hæc ipſa ; Unde ſubinde Laſſitudo Artuum, Dolores Lumborum ſubinde tenſivi, item Pulſationes Arteriarum in Lumbis & circa Os Sacrum, Phlogoſes quædam tunc temporis ſe exhibent, donec iſta Sanguinis Turgeſcentia, apertis tandem Vaſis Sanguifluis in Vaginam Uteri inſertis ( nam per Uterum nihil fluit ) Sanguis erumpat : quô denique ſufficienter evacuatô, & ejus Turgeſcentia & Fermentatio omninò ceſſat, & Vaſa denuò ſubſident ac connivent, donec à novo Orgaſmo Sanguinis denuò aperiantur. Adeſſe tamen Fermentationem Sanguinis extraordinariam ſeu nonnaturalem in Menſtruatione, præter alia omnibus obvia hoc etiam teſtatur, quòd Odor Fermenti vulgaris ſæpiùs per Nares hauſtus promoveat Menſium Fluxum ſubſiſtentem, quod uberiùs facere dicitur, ſi Fruſtulum ejus, quantitatis Caſtaneæ, cum pauco Nucis Moſchatæ aſſumatur. Unde & notabile eſt quòd Conſervæ, ſi recipiant Halitum Menſtruatæ, de ſubito aceſcant : ſicut etiam Halitus earum Vinum & Cereviſiam aceſcere facit, ob vim talem fermentativam, quæ earum Halitui ineſt : hinc etiam eſt, quòd Chirurgi in Vulnerum Curâ & Deligatione nullam admittant Fœminam metu Menſtruationis, quia earundem Effluviis Vulnera depravantur. Et quòd per Fermentationem fiat Menſtruatio, probat Kergerus *de Ferm. Sect.* 3. *cap.* 2. *pag.* 214. Si enim ſolâ Quantitate efficiente profluëret, quotidie tantum derivandum eſſet, quantum excederet, &c. Vel ſi cumularetur toto menſis tempore, ultimis diebus prægravarentur ejuſmodi onere, & Fluxus in principio eſſet maximus. Fermentationem hanc etiam confirmat, quòd Febrile quid tunc temporis patiantur Fœmellæ, unde & *Febrim Menſtruam* obſervavit Lindanus : id eſt, talem quæ ſingulis menſibus recurreret & ad biduum dararet, quoties Menſtrua prorumperent : item circa Uterum, Arteriam Aortam, & Venam Cavam, eô loci præcipuè percipiuntur Tenſio, Dolores atque Anxietas, Hypochondriorum durities, Reſpirationis difficultas, aliaque Mala : Vid. Kergerus *l.* 4. *pag.* 214. Confirmant denique talem Sanguinis Fermentationem etiam omnia ea, quæ hunc Fluxum ſiſtunt, ut omnia Acida, quæ hoc ipſum faciunt, quatenus imprimis iſtam Sanguinis Turgeſcentiam fermentativam ſupprimunt & impediunt, aut ſubitò ſiſtunt, deſtruendo Salia volatilia, & coagulando blandè Maſſam Sanguineam : econtrà, quæ Menſes ſtimulant, de naturâ ſalinâ volatili eſſe debent, & ut plurimùm inſigniter amaricantia, v. g. præter Aromata, ut Cinnamomum, Caryophyllos, &c. excellit Caſtoreum, Crocus, Myrrha, Sabina, Aloëtica, hinc Elixir Proprietatis, &c. Unde & Splen Bovis Menſes ſtimulare dicitur, ratione virtutis fermentativæ Sanguinis in Splene reſidentis. Imprimis ex Colocynthide, ſive intùs aſſumptâ, ſive foràs Peſſorum formâ exhibitâ, Menſes inſigniter ſtimulant. Sicuti Gaudium, Ira, &c. promovent Fluxum : ita Terror, Triſtitia, Mœror, Metus, eum impediunt.

His pro Fundamentis totius Praxeos, pro Menſium vitiis præmiſſis, *læditur hæc Menſtrua Excretio tribus modis* :

1. *Quando imminuta* eſt, ita, ut aut pareiùs fluant, aut nullo modo appareant.
2. *Quando eadem aucta eſt*, ut uberiori rivo ſcateat, tam unâ vice, quàm partitis vicibus, i. e. quando quovis menſe aliquoties evacuantur.
3. *Quando eadem depravata eſt*, & nonnaturali modo cum variis Symptomatis, Doloribus Abdominis &c. comitata ſe manifeſtat : vel per aliena Loca, vel inordinato Tempore fluit, vel Sanguis adjunctas habet præternaturales alterationes, ut, quando Menſes decolores, atri, aut fœtidi excernuntur, & qui ſunt præternaturales errores circa Menſtruationem evenientes.

## CAPUT I.

### *De Menſium Emanſione.*

QUod attinet *primum vitium* : ſive imminuta, ſive planè adſit Menſtruatio hæc, vulgò *Menſium Suppreſſio*, potiùs tamen cum Lindano *in Meletematibus*, *Emanſio Menſium* dici debet ; ſicut, quando actu fluentes cohibentur, tunc optimè Menſium Suppreſſionem vocare poſſumus. Sed in verbis ſimus faciles, modò conſtet de re. *Emanſio* ergò hæc Menſium eſt vel *Naturalis*, vel *Præternaturalis*. *Naturalis* eſt talis aut *ratione Ætatis*, dum poſt 49. vel 50. annum naturaliter deficiunt ; aut *ratione* ipſius *Mulieris ſtatûs* ſeu conditionis, dum non obſervatur *in Gravidis*, utut quibuſdam habitioribus primis Geſtationis menſibus ad medium tempus fluat : item in quamplurimis *Lactantibus* naturaliter emanet Sanguinis Fluxus Menſtruus : *In Convaleſcentibus* denique ſeu talibus, quæ à gravi Morbo reſurgunt, etiam naturaliter deficiunt ; in his enim depauperata Maſſa Sanguinea, partim in quanto, partim in quali, & exhauſti plùs minùs, torpidique Spiritus minùs apti ſunt ad Fermentationem menſtruam. Item naturaliter deficiunt Menſes in iis, in quibus alia quædam inſignior *Evacuatio*, aut Sanguinis immediatè in gravioribus Vulneribus, aut mediatè ſub tranſmutationis formâ, v. g. Saniei aut Ichoris in Ulceribus inveteratis, fit, aut facta eſt abſumptio. Sic refert Bartholinus *Cent.* 2. *Hiſt.* 87. de Fluxu Menſium ſuppreſſo, qui poſtmodùm apertis & conſolidatis quibuſdam Abſceſſibus, denuò fuerat revocatus. Hæ & ſimiles Mulieres relinquendæ ſunt Naturæ, nec fatigandæ præpoſterè Medicamentis, niſi ut lautâ

Diætâ

Diætâ Sanguinis copia reconcilietur : id quod taxat Foreſtus *lib.* 28. *Obſerv.* 5. in quodam Medico imperito, qui nitebatur evocare Menſes in Puellâ planè extenuatâ. Hoc interim eſt notabile in iis, quæ *Ulcera* vel *Vulnera* habent graviora, & quibus ob id Fluxus ordinarius plùs minùs eſt ſuppreſſus, quòd hæ iſto tempore, quo alias ordinariò fluere deberent, ſingularem quandam in Vulnere aut Ulcere alterationem in pejus ſemper ſentiant : ſcilicet percipiunt aut Dolorem, aut Tumorem & incipientem Inflammationem, aut copioſiorem & abundantiorem fœtidæ Saniei effluxum, qui, ubi aliquot dies ita duraverit, ſponte ceſſat, donec poſt Menſtruam Periodum ferè redeat uſque ad Mali Curationem.

## CAUSÆ.

Quod ergò attinet *Cauſas*, propter quas Menſes præter naturam ſupprimuntur aut emanent : ſunt hæ ipſæ vel *ex vitio Sanguinis* ipſius excernendi, vel *ex vitio Uteri & Vaſorum*, per quæ debet effluere Sanguis. Ex *Uteri* quidem *vitio* eſt Obſtructio & interceptio Viarum, adeoque *Pituita* glutinoſa ac plùs minùs viſcida Vaſa Uterina obſtruens, in causâ eſt: aut quando Vaſorum in Vaginam terminantium *Orificium externum* non hiat, vel propter *Caruncula*s Membranæ nimis densè unitas, vel quando Vaginæ Uteri exulceratæ, vel aliâ quâdam ratione læſæ, coaleſcunt parietes, unde Fluxus Menſium impeditur. Ex *Sanguinis* verò *vitio* eſt ejuſdem craſſities, viſciditas, & quicquid hunc ad Fermentationem uberiorem ac Turgeſcentiam ineptum reddere valet. Utriuſque ratione defectus Menſium eſt vel *Accidentalis*, qui ex Cauſâ fortuitâ & improviſâ evenit, vel *Habitualis*, qui altiùs radicatas in Corpore habeat Cauſas Antecedentes. In ſpecie *Defectus Menſium Habitualis* vitio Sanguinis fit imprimis ex Cachexiâ, ſeu Sanguinis cruditate, ex Chylo non ſufficienter digeſto, & hinc plùs minùs acido, nec ritè volatiliſato, in Sanguinem ingeſto, unde & hujus ſpiſſitudo, & Venarum Hypogaſtricarum infarctus, & Sanguinis fixitas, indeque ineptitudo ad Turgeſcentiam fermentativam; quæ cum à Particulis volatilibus ſpirituoſis imprimis dependeat, hæ ipſæ, à Cruditate ejus viſcidâ obrutæ & oppreſſæ, vim ſuam exerere nequeunt.

Alii invertunt potiùs hoc, dicentes, quòd *vitium Uteri ſequatur ex Cachexiâ*. Uno nomine : eſt Cruditas acida cum inertiâ Bilis, adeoque defectus Acidi volatilis oleoſi ſeu ſpirituoſi : econtrà exceſſus Acidi fixioris in Subjecto viſcido ſunt Cauſæ, Sanguinis Fermentationem, & hinc Evacuationem Menſtruam, impedientes, h. e. ut loquitur Sylvius, defectus Bilis, & Pituitæ exceſſus.

Origo autem hujus Acidi eſt *ex Stomacho*: oritur nempe ex Chylo non ritè digeſto, unde nil magis diſponit Mulieres ad defectum Menſium, quàm *Cruditas acida* Stomachi, ratione cujus Bilis hebetatur, & Turgeſcentia Sanguinis fermentativa ſupprimitur, impeditur, & conſequenter Menſium Fluxus ceſſat : quin & *Scorbutus* hîc non rarò ſuam tragœdiam ludit, dum Fœminæ Scorbuticæ ſæpiſſimè, ſi non totali Menſium Suppreſſione torquentur, parcè tamen admodùm non ſine difficultate expurgari ſolent, quin & his ipſis citra debitum ordinem inordinatè Menſes fluere ſolent.

Quoad *Cauſas Remotas*, *vitio Sanguinis* Menſium Suppreſſionem, tam Habitualem, quàm Accidentalem inferentes : inter ſex *Res Nonnaturales*, ſunt primò *Aëris* frigidi ſuſceptio, tam in Uterum ſub tempore Menſium, unde ſubita Sanguinis coagulatio & grumeſcentia, qui in Vaſis conſtrictis hæret : uti ex Caſu vel Immerſione in Aquam frigidam ſub Menſtruatione, Menſium Obſtructionem & hinc Pleuritidem natam refert Timæus *von Guldenklee*, *in Caſibus lib.* 2. *Caſ.* 7. Hinc rectè Lindanus dicit : nil magis poſſe ſiſtere Fermentationem Sanguinis Menſtruam, quàm Frigus. *Duæ ſcilicet potiſſimùm Cauſæ ſunt, quæ illud præſtant* : (1.) *refrigeratio Pedum, & quidem ſubita* ; (2.) *refrigeratio vehemens Ventriculi. Sin gelidam Aquam vel Cereviſiam tempore fervoris bibant, refrigerando Ventriculum percellunt Sanguinem, vel potiùs Spiritum, & ſiſtitur Fluxus : ſic nonnullis bibito Lacte acido ſiſtitur, vel Pomis acidis.* Huc uſque Lindanus : Sic namque obſervat Foreſtus *lib.* 18. *Obſervat.* 2. & 3. Menſes ex Terrore & Saltu in Aquâ frigidâ ſubitò reſtrictos, unde ſummus angor circa Præcordia ſecutus fuit ; quæ ipſa tamen fuit curata per Sudorifera, ita, ut ſpontè poſtmodùm redierint Menſes. His enim Sanguinis Fermentatio & Turgeſcentia per modum coagulationis ſiſtitur, unde ceſſante ejuſdem fermentativâ Turgeſcentiâ, & Menſtruus ceſſat Fluxus ; idque in ſpecie ſolet nocere, quando vel inſtat Excretio Menſtrua, vel quando excerni ſolet : Sic namque ſubitò refrigeratio Pedum eo tempore, quo Menſes fluunt, multum huc facit; Sic ſi Mulieres ſub Fluxu Menſium Lotionibus in Aquâ frigidâ indulgent, vel Pedes in Aquâ frigidâ lavant, ſolet Menſium Fluxus ceſſare, & vel imminens, vel fluens ſupprimi. Facit huc etiam ſubitanea, ceu ſuprà dictum, refrigeratio Ventriculi: Sic namque Timæus *von Guldenklee in Caſ.* 202. obſervat Menſes fluentes ſuppreſſos ex hauſtu Frigidæ poſt incaleſcentiam Corporis, cum atrociſſimo Uteri Dolore. Simile Exemplum recenſet Foreſtus *Cent.* 1. *Obſervat.* 3. *Schol.* de Puellâ, cujus Menſes cùm purgarentur tempore inſignioris Æſtûs, bibitâ copioſâ Aquâ frigidâ lethaliter ſibi Menſes ſuppreſſit. Item Menſes Frigore ſuppreſſos Vomitum Sanguinis inferentes, vid. in M. A. N. C. *Ann.* 1. *Obſervat.* 95. *pag.* 224. Sic ex frigidâ Nive hauſtâ Menſium Suppreſſionem Schenckius, item Zacutus Luſitanus *lib.* 3. *Hiſt.* 4. *Med. Princ.* annotârunt. Præter Frigus ad Suppreſſionem Menſium multum conferunt *Aſſumpta*, inter quæ ſunt omnia difficulter digeſtibilia, in ſpecie omnia *Acida*, imprimis Mineralia fixa, Vitrioli, Salis, Nitri, &c. quæ admodùm impediunt Menſium Fluxũ, quatenus Sanguinem inſpiſſant, ejuſdem Fermentationem à Volatilibus oriundam omninò tollunt, & coagulationem inferunt ; quod etiam faciunt omnia *Cruda* aut *Viſcida*, Sanguinis Fermentationem impedientia, obtundendo Sal fermentativum, ut Caſeus : hinc & Panis recens furno extractus aut calens admodùm nocivus eſt Puellis & Mulieribus, obſtipat ipſas ſubitò, cùm viſcido ſuo lentore promoveat Cruditatem Stomachi acidam, & Sanguinis Fermentationem inſigniter impediat. Hinc etiam à *Lacte* & omnibus *Lacticiniis* tempore Menſtruationis, vel imminentis, vel præſentis, abſtineant Mulierculæ, quoniam Lac ſiſtere Menſes aptum natum eſt : quô etiam faciunt Carnes fumo induratæ. Nam cùm ex Aſſumptis Digeſtio Stomachi vitietur ita, ut exinde fiat Cacochylia, hinc Cacochymia, & hinc denique Cachexia, ordinariò etiam ex Sanguinis Cruditate Fermentatio Menſtrua impeditur, & hinc *Cachexia*, quam ſpecialiter *Virgineam* vocant, ſeu *Febris Alba*, oritur, hinc ex hac causâ Barbette *in ſua Praxi pag.* 83. vitium Menſium ſuppreſſorum à Cauſis Externis in Stomacho radicari non ineptè aſſerit. Confirmatur hoc Malum ulteriùs, dum ex Menſium Suppreſſione *Picâ* laborare incipiant, & varia, imprimis inſolita aut inconſueta, promiſcuè ingerant, tunc enim Malum longè deterius redditur. Sic namque Schenckius *lib.* 4. *Obſ.* narrat Mulierculam, quæ devoratâ magna copiâ Prunorum, Menſium Suppreſſionem

& Tumorem Ventris incurrit, qui Tumor tandem incredibili copiâ Offiuculorum poſt annum excretâ ſubſedit, & Menſes repetierunt. Sic Zacutus Luſitanus *lib.* 2. *Prax. Admir. Obſerv.* 99. refert quandam Carbonum voracem ex Picâ, tandem, cùm per decem annos Menſes fuiſſent ſuppreſſi, curatam per Conſervam Artemiſiæ & Menthæ. Denique & *Animi Affectus* multùm valent ad Sanguinis Fermentationem, hinc & Craſin alterandam: hinc uti Gaudium, uti moderata Ira, quibuſdam per auctam Sanguinis exagitationem Menſtruum Fluxum crebriùs provocant; ita contrà Terror ſubitaneus, Triſtitia, Mœror, Pavor ac Metus inſignior, periculosè Menſes imminentes ſiſtunt, vel ſubitò ſupprimere valent fluentes: Sicuti notum etiam eſt, quòd Hæmorrhagia Narium ſubito incuſſo Terrore ſubinde ſoleat compeſci. Obſervandum tamen, contrarios effectus ſubinde ab iiſdem Animi Pathematis ſub Menſtruatione obſervari, ita, ut ab iiſdem nunc intendatur, nunc cohibeatur Fluxus: Conf. Sylvius *lib.* 3. *Prax. pag.* 84. 85. *ſeq. cap.* 3. §. 263. *ſeq.* Fumi Carbonum multùm nocent, ſi foveant ſe Mulieres per inferiora: vid. Rodericus à Caſtro *pag.* 76.

*Vitio Uteri* fit Menſium Suppreſſio, vel *Vaſorum*, vel *Uteri Orificiorum* culpâ. *Vaſa* quidem obſtruuntur à mucosâ Pituitâ inſpiſſatâ, & ſub Menſtruationis declinatione ſenſim condenſatâ, Vaſa infarciente. *Orificium* autem *Internum*, idque frequentiùs, rariùs autem *Externum*, Uteri occluſum eſt Cauſa Suppreſſionis Menſium: Obſervatum nempe fuit ſubinde, clauſum fuiſſe Orificium Externum Uteri per Membranam, nunc integram, ubi ſimul Urinæ excretio læditur, nunc in medio ſic perforatam; eſtque talis Membrana nihil aliud, quàm *Hymen* adeò decantatum, præter naturam auctum ſeu coalitum; de quo Hymene quaſvis Controverſias optimè decidere videtur Panarollus *Pent.* 5. *Obſerv.* 50. quòd nihil aliud ſit, quàm Membrana tranſverſa, aliquando tenuior, aliquando craſſior & carnoſior prope collum Veſicæ, in Vaginæ initio: quæ, ſi Labia tantiſper deducantur, lunaris figuræ apparet; ſi verò Labia concidant, & Hymen corrugetur, Carunculas quaſdam repræſentare.

Denique vulnerati, aut excoriati, aut exulcerati plùs minùs *Vaginæ parietes* ſub conſolidatione ſubinde coaleſcunt, & ita vias conſuetas occludunt; ſicut à *Pinguedine*, *Cicatrice*, vel *Tumoribus* comprimentibus Menſium Suppreſſio obſervata fuit. Conf. Timæus *von Guldenklee lib.* 4. *Caſ.* 7. Quò etiam pertinent *Læſiones Genitalium* poſt Partum violentum, ſubinde præternaturalem eorundem coalitum inferentes: Vid. Severinus *Tract. de Efficaci Medicina pag.* 285. Platerus *lib.* 1. *Obſer.* Bartholinus *Cent.* 2. *pag.* 221. Hildanus *Cent.* 6. *Obſ.* 67. Sed de hujuſmodi *Atretis* ſeu clauſis & velatis plures & varias Obſervationes vid. in Sennerti *Praxi lib.* 4. *Part.* 1. *Sect.* 1. *cap.* 3. *pag.* 11.

## DIAGNOSIS.

Quod attinet *Signa Diagnoſtica*: Menſes ſuppreſſos, nec ritè fluere, manifeſtatur imprimis ex relatione Ægrarum, & ex Symptomatis concomitantibus. In Virginibus enim Sanguis ſuppreſſus per Venas hinc inde vagans, per inſueta nonnunquam & aliena loca expurgari ſolet; imò non rarò Febres infert: item Color Corporis in talibus inſigniter ſolet eſſe mutabilis, dum pallidæ fiunt, ſubtumidæ, & Colore ad livorem inclinante; ſupervenit tandem *Febris*, quam vocant *Albam*, ſeu *Febrem Virgineam*.

Probè autem cognoſcendum eſt, *an Menſes ſint ſuppreſſi naturaliter ex Gravidatione*? an verò præternaturaliter ſuppreſſi?

*Quibus emanent præter naturam* vel morbosè, præter Obſervationes proprias conqueruntur de *difficili Anhelitu*; quando nempe quodammodò moventur, præſertim adſcendendo, mox *Suffocatio* imminet: Ulteriùs patiuntur *Laſſitudinem* in omnibus Artubus hinc inde, in ſpecie circa *Lumbos Dolores tenſivos graves* percipiunt, hinc Præcordiorum anxietates, pedetentim Color Corporis floridus perit, Labia pallida ſuperveniunt, fiunt apparenter *Cachecticæ*, *Oculi* tument: ſupervenire ſolent *Stomachi* Affectus, Cibi faſtidium, Nauſea, Vomitus, Pica, & tandem perfectè Cachecticæ evadunt.

Sed hæc per ſe facilè patent.

Magis cognoſcenda eſt *Differentia Cauſarum*, an *vitio Sanguinis*, non debitè turgeſcentis? an verò *vitio Uteri* & *obſtructorum Vaſorum* ſupprimantur Menſes? Si *Sanguinis* non debitè turgeſcentis *vitio* Menſes emaneant, nulla Symptomata Abdominis aut Lumborum, quæ Menſtruationem antecedere ſolent, obſervantur: alia tamen Symptomata, quæ Sanguinis labem oſtendunt, adeſſe ſolent, in ſpecie Urinæ crudæ, Alvi ſegnities, ac Symptomata Hypochondriaca, & procedente tempore nullam penitùs ſtatâ Periodo alterationem in Corpore ampliùs percipiunt. Sin verò ſaltem *Uteri ejuſque Vaſorum* infarctorum *vitio* deficiant Menſes, præfata Symptomata conſueto tempore vigebunt, quæ oſtendunt adhuc Sanguinis impetum & motum excretorium, dum Sanguis turgeſcens, quatenus conſuetis viis effundi nequit, alibi impetu facto per Anaſtomoſin effluit, unde nunc Vomitus cruentus, nunc Hæmoptyſis ſuperveniunt: Exempla vid. in M. A. N. C. *Ann.* 1. *Obſ.* 95. *Ann.* 6. & 7. *Obſ.* 49. Item varia Pathemata in his ſtatis temporibus, quibus aliàs fluere Menſes debent, percipiunt Fœminæ: frequentes ſunt Dolores Lumborum circa Vaſa Lumborum, & quæ ex ramis Iliacis oriuntur.

Conqueruntur ulteriùs de ſenſu cujuſdam *Tenſionis* circa regionem Pubis: item percipiunt *Pulſationes* hinc inde in variis corporis locis, nunc circa Hypochondriaca, nunc in Artubus; adſunt *Murmura*, *Borborygmi*, *Dolores lancinantes* in Lumbis, qui oſtendunt Sanguinis tunc urgentem Fermentationem & Turgeſcentiam menſtruam, quæ propter impedimenta in Vaſis non poteſt emitti; unde quandoque in talibus Sanguis per loca alia effluere ſolet, interdum etiam per Excretionem Cutaneam: quæ ſemper augentur, quoties tempus Menſtruationis inſtat, vel quando fluere debent Menſes, & ſi quid fortè effluat, mucoſum albidum excernitur.

Hæc oſtendunt deficere Menſes propter Vaſa obſtructa.

Sed quia nuſquam tuta fides apud Mulieres, & ipſæ interdum incertæ ſunt, *an ſint Gravidæ*? an reverà præternaturaliter Menſes deficiant? ſubinde ſolent interrogare Medicos de hac re. Quæritur ergò: an dentur Signa, quibus poſſit demonſtrari, an talis Menſium Emanſio ſit ab Ingravidatione, vel an ab aliâ Cauſâ oriatur. Signa certa diſtinctiva non habemus, quia ſunt admodùm ſimilia. Dicit Lindanus: *Soleo jubere, ut expectent medium Geſtationis tempus, quo certæ poſſint eſſe propter motum Infantis; quòd ſi ſe non prodat, nihilo minùs difficile eſt judicare, quia ſunt, quæ motum Fœtus non percipiunt, etiâ ultimo menſe, & nihilominùs pariunt. Summa: res eſt periculi plena, facilè credere Mulieribus. Itaque ſemper cauti eſtote. Habet tamen Suppreſſio naturalis illuſtria etiam Signa, ſed non abſolutè vera: poſſunt enim etiam cum Conceptu eſſe: itaque oportet Medicum valde circumſpectum eſſe, &c.* Nam Pathemata, quæ inſequuntur Gravidationem, nempe Appetitus proſtratus, Nauſea, Vomitus matutini, Picæ, item Lac in Mammis, &c. hæc omnia etiam obſervata fuerunt inſecuta

inſecuta Suppreſſionem Menſium, etiam in Virginibus ſine Graviditate: vid. Theodoricus *in Valetudinario paginâ* 128. Hippocrates equidem *Sect.* 5. *Aphoriſm.* 39. hanc ſuggerit cautelam: quòd nempe Mulier, ſi nec Gravida ſit, nec Puerpera, habeat verò Lac, quòd eidem deficiant Menſes. Nihilominùs tamen hoc ipſum τεκμήριον eſt fallax; Proſtant enim Exempla Virginum, quibus, ut dixi, illibatis, Menſibus etiam fluentibus, Lac tamen genitum fuit: Imò Bartholinus *in ſuâ Anatome* refert Exemplum cujuſdam Familiæ, cui hoc fuit hæreditarium, ut omnes Virgines, ſimul ac Puberes fiunt, Lac generent. Huic etiam Galenus aſſentit in *Comment. in Hippocratem*, qui licèt id rarò evenire ſcribit, tamen aliquando fieri poſſe concedit. Scribit etiam Alexander Benedictus *lib.* 3. *Anatom. cap.* 4. ſe vidiſſe Mulierem, cui cùm Virgo eſſet, quoniam infœcunda erat, Menſes ſubſtiterant, Lacte Mammæ ſemper diffluxerint; Et Chriſtophorus à Vega *Comment. ad Aphoriſm. Hippocratis* refert, ſe vidiſſe Puellam Burgenſem, cui Menſibus ſuppreſſis Lac in Mammis inerat. Rarò quidem accidit, ut Virgines Lac generent, & propterea, ſi alicui, quæ Virginem ſe prædicat, Lac in Mammis appareat, haud facilè fides habenda, ſed diligenter inquirendum, annon & alia Conceptionis Signa adſint? Interim Hippocrati, & Experientiæ non eſt contradicendum; Rationi enim non adverſum videtur, Virgines quoque Lac in Mammis habere poſſe. Fallibile quoque eſt Signum quando dicunt, percipere motum Fœtûs: nam quæ habent Sanguinem ſeroſum, eæ propter Aquam, in qua Fœtus quaſi innatat, tardè percipiunt motum Fœtûs.

Propterea cautiſſimus, neceſſe eſt, ſit Medicus, ne Gravidam curet tanquam eam, cui Menſes deficiunt morbosè, nec vix, præterquàm poſt aliquot menſium curſum certus de Ingravidatione, vel præſente, vel deficiente, eſſe poteſt: Ubi ergò ſumus incerti, poſſumus dare Martialia, quæ Gravidis non nocent.

Certum eſt, quòd *Cibi faſtidium*, aut etiam *Pica*, ſit admodùm ſuſpectum Signum Gravidationis, ita ut ubi concurrit cum Menſium Suppreſſione, Virgo quæ fuit, tanquam Fœmina tractanda juxta Hippocratem *Sect.* 5. *Aphoriſm.* 61. *Si Mulieri Purgationes non prodeant, neque horrore, neque febre ſuperveniente, Cibique faſtidium accidat, tum prægnantem eſſe putato.*

Aliàs ordinaria Signa, quæ Naturalem Suppreſſionem Menſium ſequuntur, ſunt ferè ejuſdem conditionis, quàm quæ ſequuntur Graviditatem. Hæc tantùm eſt *Differentia* in paucis quibuſdam, quòd nempe:

1. *In Gravidis* ſucceſſivè Symptomata circa primas vias miteſcant, Venter attollatur, Mammæ turgidæ fiant; quibus verò *morbosè ſuppreſſi ſint Menſes*, ſemper magis, magiſque deteriùs labantur, Cachecticæ evadant, Pedes intumeſcant.
2. Quibus *præternaturaliter ſuppreſſi ſunt Menſes*, iis Pallor non tantummodò in Facie, ſed etiam in toto Corpore, cum Tumore quaſi inflativo ſupervenit.
3. Quòd Appetitus in *Gravidis* ultra tertium menſem non ſoleat eſſe proſtratus: ſin verò Faſtidium ſit perpetuum, magna eſt ſuſpicio *Suppreſſionis Præternaturalis.*
4. Capitis continui Dolores, & ipſi *Suppreſſionem præternaturaliter* arguunt.
5. Perpetuæ in Lumbis gravitates, & pulſationes, aut etiam in aliis Corporis partibus inſoliti Arteriarum motus, ſimiliter *Præternaturalem Suppreſſionem* arguunt.
6. Crebriores viciſſitudines, ſeu mutationes Caloris, & Frigoris per totum Corpus, etiam *Præternaturalem Suppreſſionem* Menſium innuunt: inprimis quibus deficiunt Menſes propter impedimentum Venarum Uterinarum, ſupereſt tamen adhuc motus, & turgeſcentia Sanguinis ad excretionem apti, tales Phlogoſi ſolent ſimul torqueri: hincque iiſdem minùs dari convenit Volatilia oleoſa, Olea deſtillata, nam ſic magis intenduntur Phlogoſes.
7. Reſpiratio anhela, & admodùm difficilis ad levem etiam Corporis motum, ſimiliter non ex poſtremis eſt Signis, quæ *Præternaturalem* innuunt *Suppreſſionem.*
8. Pulſus ibidem frequens, inæqualis, obſcurus, interdum quodammodò deficiens, etiam *Præternaturalem* innuit *Suppreſſionem.*
9. Si in tempore non ſuccreſcat Abdomen, *inſontes eſſe* Puellas certum eſt.
10. De hoc inprimis ſolent eſſe ſollicitæ Mulieres, *an per Urinas etiam poſſit cognoſci Gravidatio?* Mulieres enim, ſimul ac in Virginibus Suppreſſionem Menſium deprehendunt, ſtatim Urinas Medicis inſpiciendas aſſerunt. Veteres inprimis ſecundùm Avicennam, affirmant, ex Urinis hoc poſſe videri. Avicennæ dogma eſt, quòd certum Imprægnationis Signum ſit, ſi ineunte Imprægnatione excernantur Urinæ ſubalbidæ, tenues, & cui Grana innatent quædam inſtar Cottæ carminatæ [*vel ſicut Goſſypium pexum*]; quod tamen ab omnibus Medicis, etiam expertiſſimis tamquam vanum rejicitur. Probabiliùs procedit in hoc puncto Gabelchoverus *Cent.* 1. *Cur.* 55. *in Annotat.* ubi dicit: ſi Urinæ in iis, quibus ſuppreſſi fuerunt Menſes, omni ferè labe vacârunt, & ferè ex toto naturales fuerunt, tunc Conceptûs ſpem has ipſas Urinas feciſſe; ſin verò præter naturam ſuppreſſi fuerunt Menſes, hoc ipſo vix fieri poſſe, quin mutentur, ac præter modum ſubinde, aut tenuiores, aut pallidiores, ac flammeæ, interdum ſimul craſſæ, ac turbidæ, fiant Urinæ.
11. Denique abſentia Tumoris Uterini, qui *Gravidis* paulatim magiſque contingit: Conf. Lindanus.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: Menſes ſiſtuntur vel in Fluxu; aut accidentaliter, vel ſupprimuntur ante Fluxum: *Suppreſſio Menſium Accidentalis* facilè curabilis eſt, modò maturè occurratur; *Habitualis* verò tardè, & ſubinde difficulter curatur. Suppreſſio in ipſo Fluxu aut Accidentalis gravia, & periculoſa ſubinde Symptomata poſt ſe trahit: vid. Hippocrates *lib.* 5. *Aphoriſm.* 57. & *lib.* 1. *de M.M.T.* 34. difficilem nempe Anhelitum, Laſſitudinem tenſivam totius Corporis, Sanguinis ſputum, graviſſimas Cephalalgias, Dolores Abdominis, Lumborum; imò etiam periculoſa Uteri Mala, Tumores inflammatorios, aut ſcirrhoſos, Inflammationes, Abſceſſus, Ulcera, &c. vid. Hildanus, *Cent.* 2. *Obſerv.* 46. 62. 63. & 64. Convulſiones Manuum; vid. Salmuth *Hiſt.* 3. *Obſ.* 28. quæ omnia maturam urgent Curam.

In *Habituali* Menſium Suppreſſione quò diutiùs ſuppreſſi ſunt, eò difficiliùs, ſæpè etiam nunquam, Malum curatur, & tales Mulieres ſucceſſivè Cachecticæ, hinc Leucophlegmaticæ evadunt: non quòd Cachexia ſit effectus deficientium Menſium, ſed quòd Cachexia incipiens inferat Menſes deficientes. Quibus ergò deficiunt Cachexiâ incipiente, his redditur confirmata,

*Morbi*, quibus supervenit Mensium Emansio, redduntur deteriores, in specie *Chronici*; non solent rectè curari, nisi simul promoveatur Mensium Fluxus; est enim Ierna Malorum adeò, ut inde tantum non omnes Muliebres Affectus excitentur, & oriantur.

Unde quilibet Medicus, simul, ac vocatus fuerit ad Mulierem, quærere debet de statu Mensium, eorumque Fluxu: nam ex suppressis Mensibus Cachexiæ, Hydropes, Ulcera partium varia, Asthmata, & Anhelationis difficultas, Ventriculi & Hypochondriorum Pathemata, Melancholia, &c. imò tandem ipsa Mors, ingruit.

Rectè monet Primerosius *lib.* 1. *cap.* 2. quòd certum de Mensium Suppressione judicium ferri non possit, cùm pro variâ Ætatis, Craseos, & reliquarum Circumstantiarum ratione quædam Mulieres facilè, quædam nunquam curentur; faciliùs enim v. gr. curantur, quibus Menses à Plethorâ & Hæmorrhagiâ suppressi, quàm à Cruditate Massæ Sanguineæ, sicut & hæc faciliùs curatur, quàm quæ à Scirrho Uteri.

Quæ aliàs *Angina* laborârunt, his propter Menses suppressos facilè redire solet.

Quædam & hirsutæ fiunt toto Corpore; imò quibusdam *Barbam erupisse*, & Viris eas similes factas, observatum.

Et quidem magis læduntur Mulieres, si penitus suppressi sint Menses: si tamen per aliam convenientem viam Sanguis, verbi gratiâ per Alvum, Nares, &c. evacuetur, minùs læduntur: Hinc Hippocrates *Section. 5. Aph.* 33. *Mulieri Menstruis deficientibus Sanguis è Naribus profluens, benè est.*

Denique *Urina nigra* in Mensibus suppressis bonum Signum est: Videb. Joel *in Praxi Tract. 5. de Febrib. Section. 2. pagin.* 64.

## CURA.

Quod attinet *Curam* Mensium Suppressionis: in hac ante omnia

1. *Ventriculi Chylosis* imprimis est rectificanda.
2. *Sanguinis Cruditas* Volatilibus salinis aromaticis est corrigenda.
3. *Humorum* Vasa Uterina obstruentium *visciditas* iisdem incidenda, &
4. His simul adjunctis Appropriatis *Fermentatio* menstrua *stimulanda*, idque nunc Internis nunc Externis.

Quod *si à Causâ Externâ* de subito restringantur Menses, tunc labes inducta emendanda, in specie Sanguinem resolventibus & attenuantibus, Fluxusque debitis Appropriatis revocandus.

Pro *Scopo primo*, nempe Chylosi rectificandâ, conveniunt *Vomitoria*, hinc *Aromatica* volatilia. Pro *secundo Scopo* conveniunt *Martialia*, & *Volatilia oleosa* aromatica, quæ Sal volatile oleosum Sanguinis & Bilis intendunt: Pro *Scopo tertio* conveniunt imprimis *Gummata*, Gummi Ammoniacum in specie, & hinc *Mercurialia*, imprimis Mercurius dulcis: Pro *Scopo quarto* conveniunt *Appropriata*, & quæ per Experientiam sunt cognita, quæ Menses stimulant; quæ tamen ut plurimùm vi Acidum destructivâ Sanguinem dissolutum solent pellere.

Pro his Scopis imprimis, ubi diutiùs suppressi fuerint Menses, obtinendis, ulteriùs *Observandum*:

I. Nunquam danda esse *Specifica* Menses moventia in confirmato Malo, *nisi præmissis Universalibus*, adeoque non sunt ciendi Menses, nisi priùs mundatæ sint primæ viæ, & correcta sit Massa Sanguinea. Nam frustrà adhibentur omnia Menses cientia, nisi correcta fuerit Massa Sanguinea, & restituta debita Fermentatio, tam Chylificatoria, quàm Sanguificatoria.

II. Antequam Menses moveantur, *priùs consideretur, an fluere debeant*; ratione nempe constitutionis Subjecti; nam Emaciatis, aut à Morbo resurgentibus, aut quæ nunquam viderunt Menses, nonnisi cautè iidem stimulandi sunt, aut potiùs penitùs relinquendi. Confer. Hartmannus *Prax. capit.* 219. §. 2. & 3. ubi imprimis monet, curari non debere, quæ Menstruationem nunquam habuerunt. Nam sæpè fit, ut Virgo 18. vel 20. annorum nondum menstruata sit, consulitur Medicus; si quoad cætera in omnibus sit sana, non debet curare, quamvis Menses hactenùs non processerint. Menstruatio enim est opus Naturæ, hâc cessante, quid agat Medicus? Nisi igitur gravia adsint Symptomata, Curam omittat. *Sæpè fit, ut Virgines vel ter expertæ Menses sint, & emaneant per vices plurimas; quæ, si sanæ sint, nec incommodum grave sentiant, relinquendæ, & si quid agendum, solis Aromaticis & Roborantibus procedendum, nempe Cinnamomo & similibus*, ut dicit Lindanus.

III. Tunc demùm Menses stimulandi sunt & provocandi, *quando statutum & naturale Fluxionis aliàs consuetæ est Tempus.* Adeoque probè facienda est Computatio, quando iidem naturaliter redire debeant, ut tunc propinentur Remedia: e. g. sit Mulier, quæ per semestre spatium Fluxum non habuit, ubi non usurpanda sunt Appropriata, nisi præmissis Evacuantibus, & Acidum absorbentibus, sed tunc temporis usurpentur Appropriata, ubi calculo facto deberent fluere Menses; aliàs enim quocunque tempore usurpata sunt frustranea. Sed quando hoc punctum seu *Tempus latet* ob nimiam diuturnitatem Suppressionis, interrogandæ sunt, annon singularem interdum in Corpore percipiant Sanguinis motionem & agitationem? verbi gratiâ annon percipiant certo tempore insolitos tensivos Dolores Lumborum, aut etiam Pulsationes in locis vicinis? aut annon interdum extraordinarias Phlogoses, aut febriles Effervescentias, aut Corporis Incalescentias aut Effervescentias percipiant? Quando enim certis quibusdam temporibus talia eveniunt, certum est, eadem provenire à Turgescentiâ Sanguinis menstruâ, quæ urget quidem Excretionem, sed non sufficiens est, adeòque tunc temporis imprimis Stimulantia sunt propinanda. Quôd si verò ad confirmatum Malum nec talia percipiantur, monent Practici, quòd convenientissimè dentur *Specifica tempore Novilunii*, mox scilicet post peractam Conjunctionem Luminarium, præmissis præmittendis, hoc enim ipsum observavit optimo cum successu Rulandus *in sua Praxi & Obser. pag.* 285. & tunc simul temporis sub Lunæ incremento turgescentes, & quasi spumefacti Humores faciliùs obsecundant.

IV. Inter *Universalia* eminent imprimis *Evacuantia*, & hinc *Venæ sectio. Evacuantia* sunt tam per superiora, quàm per inferiora. Nam *Vomitus*, præmissis quibusdam *Digestivis*, mirè convenit, sub principio Curæ provocatus, aut etiam interdum repetitus, ad evacuandam Ventriculi & primarum viarum saburram, sive instituatur per *Antimonialia*, sive per *Asarina*, de quibus alio loco & tempore plura. Uno nomine: Cura talis Affectûs eadem est cum Curâ Cachexiæ, cui tandem adjungantur Appropriata Menses pellentia.

Hinc subministrantur *Purgantia*: Nam Purgationes, præsertim acriores, & in specie *Colocynthis* & *Helleborus niger*, simul quoque Menses stimulare, ac Uterum sollicitare solent, quia, dum dejectiones promovent, etiam vicini Uteri ejusque Vasorum vim expultricem sollicitant, ut Menses revocentur. Propterea etiam Purgantia iis, quibus nimium fluunt Menses, aut etiam in Mulieribus Gravidis, nonnisi cum summâ cautelâ, sunt administranda, ne scilicet in his per hæc Menses nimis moveantur, & in illis, quibus

quibus ſubſtiterunt, plùs ſæpè Cathartics, præſertim ſi ea, quæ Menſes movent, ſimul commiſceantur, quàm aliis, quæ tantùm Menſes vi propriâ movent, efficitur. Purgatio talis rarò fit confeſtim, potiùs ſucceſſivè & per epicraſin: in quem finem conducunt præſertim *Noduli* in Vino, aut etiam *Pilulæ*, tam uſuales, quàm etiam his ſimiles Magiſtrales, præſertim cum Gummatibus concinnatæ, de quibus *ſuprà l. 1. ubi de Malo Hypochondriaco.*

Hæc inter Purgantia eminet in ſpecie *Aloë & Aloëtica*, *Helleborus niger*, qui non ſine ſucceſſu, in Nodulis in ſpecie, uſurpatur; Nam omnia Helleborata valdè proſunt, unde etiam in ſpecie ejus Extractum cum Vino paratum confert, permiſtum cum Mercurio dulci: Item *Colocynthis*, & omnia ex Colocynthide parata. Helidæus Paduanus *pag.* 176. mirè commendat *Turpethum*, & ex hoc parata Remedia Purgantia; unde ſpecies Diaturbith cum Rhabarbaro à ℈ß. ad ℈j commendantur in Decocto Pulegii. Præterea Pilulæ de Tribus Rufi (ex Aloë, Croco, Myrrhâ, cum Gummi Ammoniaco:) Confer. Wedelius *de Medicament. Facultat. pagin.* 191. Item Pilulæ de Hierâ cum Agarico, Pilulæ Fœtidæ, & de Asâ fœtidâ, de Sagapeno, Maſtichinæ, Pilulæ Aloëphanginæ cum Extracto Alhandal acuatæ, Pilulæ expertæ Bartholini ex Hierâ ſimplici cum Extractis Agarici, Caſtorei, Ariſtolochiæ longæ, Sabinæ, Myrrhâ rubra, & Oleo deſtillato Succini ac Cinnamomi; quarum ſalutarem effectum ſæpè ſe expertum fuiſſe aſſerit *Centur. 5. Hiſtor. Anatom. 100. pagin.* 186. Præter quæ Purgantia etiam *Diuretica* vel fortiora, vel aliquandiu continuata, Menſes promovere ſolent: Conf. M.A.N.C. *Ann. 6. & 7. Obſ. 5. pagin.* 16. In quem finem, præmiſſis præmittendis, præſertim *Martialibus*, frequentem uſum quibuſdam Rob Baccarum Juniperi ſuaſi cum ſucceſſu; Gummi enim hoc reſinâ volatili acri aromaticâ imprægnatum multùm confert. His Purgantibus commodè præmittuntur Pulveres Digeſtivi ſalini, quales videb. *ſuprà lib. 1. ubi de Cachexiâ.*

℞. *Arcan. Dupl. Mynſ.* (quod eſt egregium) ʒß.
*Croci Martis Cachect.* ℈ij.
*Sal. Tartari* ℈ß.
M. f. Pulvis.
Div. in 2. part. æqu.
D. S.
Pulvis Digeſtivus.

His ſubnectuntur Purgantia: V. g. ſint Pilulæ Uſuales ex *Purgantibus & Alterantibus.*

℞. *Gumm. Ammon. cum Aceto ſol. & inſpiſſ.*
*Extr. Helleb. nigr.* an. gr. xv.
*Caſtor.*
*Croci* an. gr. iij.
*Troch. Alhand.* gr. ij. vel iij.
Cum ſ. q. *Olei Terebinth.* vel *Succin.* f. Pilulæ.
D. S.
Pilulæ Aperitivæ pro unâ vice.
Vel
℞. *Maſſæ Pilular. Fœtid.* (nam hæ ſunt appropriatæ) ʒj.
*Gumm. Ammon. in Aceto ſquill. ſol.* (egregiè incîdit viſcida) ʒß.
*Extr. Troch. Alhand.* gr. iij.
Cum ſ. q. *Olei deſtillat. Succin.* f. Pilulæ.
D. S.
Pilulæ Laxativæ pro aliquot doſibus.
Vel
℞. *Maſſæ Pilular. de Hier. cum Agar.*
*Mercurii dulc. ritè præp.* an. gr. xv.
*Extr. Troch. Alhand.* gr. ij. vel iij.
Cum ſ. q. *Eſſent. Caſtor.* f. Pilulæ.
D. S.
Pilulæ Laxativæ pro unâ vice.
Vel
℞. *Extr. Hier. cum Agar.* gr. xij.
*Scamm. ſulphurat.* gr. ij.
*Extr. Troch. Alhand.* gr. j.
Cum *Eſſent. Abſinth.* f. Pilulæ.
D. S. ut antè.
Vel
℞. *Extr. Panchym. Crollii*, vel *Cathol.* ℈j.
*Gumm. Amm. in Aceto ſol.* vel *Sagap.* ʒß.
*Extr. Croci*,
*Caſtor.* an. gr. v.
*Troch. Alhand.* gr. iv.
Cum ſ. q. *Olei Succini* f. Pilulæ pro aliquot doſibus.
D. S.
Pilulæ Laxativæ pro aliquot vicibus.

Lindanus commendat Oxymel Helleboratum à ʒj. ad ʒij. in Potionibus convenientibus ac Decoctis uſurpatum Barbette *in ſua Praxi, ubi de Menſium Suppreſſione*, habet elegantes Pilulas, ex Gummi Ammoniaco paratas cum aliis, quæ ſunt admodùm egregiæ in Menſium Suppreſſione, quas videatis.

De his & ſimilibus capiat Ægra doſin omnibus 4. vel 5. diebus: tempore verò intermedio in uſu ſint proficuo *Noduli* Vino infundendi ex Alterantibus aromaticis; v. g.

℞. *Rad. Angelic.*
*Leviſt.* vel *Meu*, an. ʒß. ad ℥j.
*Galang.* ʒii. ad ℥ß.
*Fol. Roriſmar.*
*Matricar.*
*Sabin.* an. M. j.
*Bacc. Lauri*, vel *Juniperi rec.* ʒvj. ℥j. ad ℥iß.
*Cinnam. acuti* ʒij. vel iij.
*Macis* ʒj.
*Croci* ʒß. ad ʒj. (eſt enim potens, & levis in pondere)
*Sal. Tartari* (loco ſtimuli pro extrahendis Vegetabilibus) ʒiß. ad ʒij. vel ʒiij.
Inciſa & contuſa includantur Nodulo:
D. S.
Nodulus Matricalis Aperitivus.

Qui pro Scopo Alterativo ſimpliciter infundatur in Vinum, & de quo quotidie mane jejuno ſtomacho, & à meridie per bihorium ante cœnam, hauriatur bonus hauſtus.

Vel

℞. *Rad. Caryophyll.* ℥j.
*Enulæ*,
*Fœniculi* an. ℥ß.
*Com. Abſinth.*
*Card. bened.* vel *Cent. min.*
*Fol. Roriſmar.* an. M. j.
*Cort. Citri*,
*Cort. Aurant.* an. ʒiij.
*Sem. 4. Cal. min.* an. ʒjß.
*Bacc. Juniperi* ʒß.
*Galang.*
*Zingiber.* an. ʒj.
*Sal. Tartari* ʒij.
Inciſa & contuſ. miſc. infundantur in *Vino.*

Convenientius eſt, ſi omiſſo Sale Tartari, Nodulus infundatur in Vinum Chalybeatum, ſeu in quo Limatura Chalybis candefacta aliquoties fuit extincta; ſic namque Mars ipſorum Vegetabilium activitatem egregiè adjuvat.

℞. *Herb. Artemiſ.*
*Puleg.*
*Roriſm.* an. M. j.
*Rad. Angelic.* ʒvj.
*Cinnam.* ʒij.
*Croci* ʒj.

Inciſ.

Incis. & contus. includ. Nodulo, cui affunde *Vini Rhenan.* in quo crebriùs *Chalybs candefactus extinctus* fuerit, Mens. ij.

Conf. Hartmanni *Prax. Chymiatr. c.* 199. §. 2. & 97. §. 8.

Si Nodulos hos volumus reddere Laxativos, addi potest *Senna*, *Radix Hellebori nigri*, quæ singularis est in Mensium affectibus, Rhadix Rhabarbari, Bryoniæ, &c. v. g.

℞. *Rad. Helleb. nigri crudi* ℥ß. ad ℥jß.
*Fol. Senn. sine stip.* ℥ß. ad ℥vj.
*Sem. Cartham. contus.* vel *Rad. Bryon.* ℥ß.

Quæ superioribus addita cum Sale Tartari corrigenda, extrahendaque Purgantia, infundantur, ut dixi, in Vinum.

Vel

℞. *Fol. Senn. sine stip.* ℥jß.
*Rad. Helleb. nigri* ℥vj.
*Rhabarb. el.* ℨiij.
Incis. & contus. misc.

V. Factâ hâc Corporis præparatione & Purgatione, *Venæ sectio* est salutaris, & Auxilium in provocandis Mensibus. Verùm disquisitio est, *quando*, & *ubi*, *convenit Venæ sectio*? quæ lites facilè decidendæ. Res ut pateat, (1.) *Aut expectantur Menses*, qui nunquam aliàs fluxerunt: pro talibus *inutilis Venæ sectio*. Sufficiunt talibus *Balnea* & *Insessus*, vel particularia *Pediluvia*, seu magis universalia *Semicupia*, junctis simul Appropriatis.

Vel (2.) *Revocandi sunt Menses, quando subsistunt*, & diutiùs à Fluxu cessârunt; Sanguis coacervatur, & coacervatus tardiùs circulatur, & sic mille Mala infert: adeoque in talibus, in quibus quasi *Plethora* præsupponitur, & Dolor gravativus Artuum, difficilis Respiratio, &c. adest, in talibus *necessarium est*, *instituere evacuationem per Venæ sectionem*. Sed quæritur, *in quo loco sit instituenda*? an in Brachio, an in Crure? Ut plurimùm in hoc conveniunt Practici, secandam esse imprimis *Venam Saphænam*, quam ob id etiam *Uterinam* vocare solent: Sed præ cæteris omnibus hac in parte accurata est doctrina Lindani, qui *duo distinguit Tempora* in Fluxu Mensium deficiente, in quibus Vena secanda; nempe vel *instat Mensium Fluxus*, vel *actu fluunt Menses*, & quacunque occasione imminuuntur aut sistuntur. Jam ergò optimo consilio Vena est secanda *in Brachio* ad provocanda Menstrua fluenda, seu dum imminet Fluxus; sic enim auspicatò brevi pòst Menses superveniunt: (Y) vid. M. A. N. C. *Ann.* 1. *Obs.* 6. *pag.* 24. e. g. Ægræ cuidam sub Mensium difficultate Menses instant, cui pro facilitando Mensium Fluxu aliquot dies ante illum secatur Vena in Brachio, pro ventilatione seu liberiori Sanguinis circulo conciliando: Nam si secetur in Pede, periculum est, ne Sanguis concitatiore Fluxu ad inferiora tractus, stagnet circa Vasa Uteri, & Menses supprimantur.

Aut [3.] *Revocandi sunt Menses jam actu, sed non sufficienter, fluentes* (nisi sit impedimentum in conformatione Vasorum) aut Casu, v. g. Refrigerio, Terrore &c. in Fluxu suppressi, aut jam fluere volentes, ad eos revocandos commodè *Saphænæ* aut alius apparentis fit sectio in *Pede* vel *Crure*, quia in eam regionem in qua Vena aperitur, Sanguis rapidiori motu, solet ferri propter Vasa liberiora, & majus requirit spatium, &c. Merentur considerari, quæ docet Lindanus: *Venæ sectio ante Balneum fieri debet. Omnes autem Venæ sectiones fieri debere in Saphænâ, dicunt, quam propterea Uterinam appellant: sed me usus diù docuit, nihil magis nocivum esse, quàm Venæ Saphænæ sectionem ante Balneum. Fœmina quædam ex gravi Febre decubuit: Hanc visitavit meus Parens cũ Dom. Tulpio, & interrogabant; an Menses instarent? Respondit Ægra, adesse adhuc sex dies: ob id noluerunt Saphænam incidere, sed potiùs aperuerunt Venam Brachii. Redeuntibus altero die Medicis, narrat Mulier, Menses ejus refluxisse, ob id*, dicit Lindanus, *secavimus Venam ante tempus ordinarium in Brachio, & intra* 24. *horas sequebatur Menstruatio, ita ut jam velim gravi pignore certare, ut, si Fœminæ sanæ, cui triduo vel quatriduo Menstrua instent, & intra* 24. *horas purgabitur.* Fundamentum desumit ab Effervescentiâ Sanguinis, dum scilicet Menses fluxuros præsentiunt Fœminæ: *imprimis* pergit, *si Fœminis accidat, ut Menstrui tempore laborent simul Febre, unde tunc Venam Brachii secandam monui, & brevi pòst secuta Menstruatio; in Pede verò nunquam secandam esse Venam, nisi aut Menstruum actu fluat, aut ipse Fluxus suppressus fuerit, & tunc non fallit; nam viæ eo tempore laxæ sunt. Ratio autem Venæ sectionis in Brachio est, quòd instantibus Mensibus, dum turgescit & rarescit Sanguis, tunc in eo est omnis Naturæ conatus, ut deorsum versùs deducat Sanguinem: itaque viæ cùm sint exiles, non statim etiam aperiri possunt, sed potiùs distentæ quodammodò Sanguinis Fluxum sistunt. Quando itaque per Saphænam apertam inferiùs Sanguinis promovetur impetus, plus ad Uterum ducitur, & ita Malum augetur; sin verò apertâ Brachii Venâ sursum nonnihil revellitur, liberantur viæ ab oppressione, & Sanguis faciliùs fluet. Nunquam certè experiemini Saphænæ sectionem Menses provocasse, nisi aut actu fluentes, vel ex Frigore, vel ex Pavore fuerint restricti. Eædem leges observandæ sunt circa Puerperas: interdum instante labore Partûs, aut in ipso Partu, secanda est Vena in Brachio; post Partum verò, quando sunt suppressa Lochia, tunc Venæ Saphænæ sectio aliquid valet ad revocandum illud, quod fluebat. In tam subitaneâ Suppressione, licèt non fluant Menses, Naturæ tamen conatus non perit, neq; Sanguinis rarefactio, sola causa externa impedit. Quantò major est Dolor Lumborum & Rigor, tantò major est conatus deorsum, & tantò liberiùs potestis Venæ sectionem in Brachio instituere.* Hactenus Lindanus. Videb. M. A. N. C. *Anno* 3. *Obser.* 57. Hæc, quæ dicit Lindanus, confirmata videbitis Exemplo notabili à Riverio *Centur.* 2. *Observat.* 2. item Amato Lusitano *Centur.* 2. *Observation.* 28. ubi egregius Casus, in quo refert, Mulierem, cui Menses aliquandiu suppressi fuerunt, sectâ Pedis Venâ steterint, qui tertio die sectâ Vena in Brachio optimè fluxerint; Walæo *in* M. M. *pag.* 98. Hœfero *in Herc. Med. pagin.* 304. Deodato *in Valetud. pagin.* 129. Hoffmannus tamen habet Exemplum Mulieris, quæ sub Mensium Fluxu in nimiâ Irâ perterrita, passa fuit Suppressionem, Medicus secavit Venam in Pede; curata fuit:

(Y) Nota Cyrilli. *Quin potiùs sectâ Venâ in Pede, Sanguis concitatiore motu versùs inferiora delatus, poterit, si quod sit in vasis Uteri impedimentum superare, atque per debita loca effluere. Contrà verò si instante Catameniorum fluxu secetur Vena Brachii, Sanguis uberiùs superiora petens, haud facilè poterit ex Uteri vasis, ut fieri debet, erumpere. Quæ autem in sequentibus ex* Lindano *docet Autor, vera esse possunt in eo tantùm casu, cum Mensium emansio à nimiâ Sanguinis copiâ ortum habet, atque adeò ea sit Plethora, ut Uteri vasa à Sanguinis mole & turgescentiâ compressa, Sanguinem ipsum fundere nequeant: his enim sic stantibus, depletis vasis superioribus Corporis ex sectâ Vena Brachii, Sanguine versùs superiora promtiùs delato, adeoque aliqua ratione vasis inferioribus inanitis, cessabit ea vasorum Uteri compressio, ex qua Menstruorum emansio, quare hi faciliùs fluere poterunt.*

fuit: Inclinat etiam huc Fehr *Tract. de Abſinth. pagin.* 138. qui dicit: *Ubi magna eſt difficultas reſpirandi cum Cephalalgiâ, & Cordis palpitatione, audacter Medianam, vel Cephalicam Brachii tundendam ſuadet.* Cum his etiam conſentit Sanctorius *in Methodovit. Errores in Med. pag.* 811. Sylvius *libr.* 4. *Prax.* 3. §. 95. Hoc ipſum non vulgariter illuſtratur ex eo, quòd per Venam in Brachio ſectam curetur *Iſchuria* ſeu Urinæ Suppreſſio, in tali caſu, in quo paulò uberior copia Sanguinis ejuſdem impedit ſecretionem per Renes: Cujus rei notatu dignum refert Exemplum idem Riverius *Centur.* 1. *Obſerv.* 1. & *Obſerv.* 89. *pagin.* 87. ejuſdem *Centur.* 1. ubi aliis irritis Venæ ſectione in Brachio fuit curata. Ratio eſt, quòd Sanguis impetu ſuo & copiâ ſe ipſum impedierit, & circa Renes ſtagnârit, Venâ ſectâ liberior evaſerit. Quemadmodùm autem Iſchuria tollitur Venæ ſectione in Brachio, ita etiam Suppreſſionem Sanguinis Menſtrui tollit Venæ ſectio in Brachio, in ſpecie, dum inſtat Fluxus, unde etiam fit, ut in Plethoricis Dolores Nephritici à Calculo renali per Scarificationem Dorſi & Lumborum non leviter mitigentur: ſed *quàm periculoſa etiam ſint fluentibus Menſibus in Brachio Venæ ſectiones*, videb. Bartholini *Act. Med. Haff. Vol.* 2. *pag.* 194. Velthuſius *de Generat. pag.* 148. & Foreſtus *l.* 28. *Obſ.* 3. Imò Menſibus actu fluentibus *Cucurbitularum* Dorſo applicatarum quanta ſit noxa, docet Gabelchoverus *Centur.* 4. *Cur.* 92. *pag.* 215.

Aut 4. *Revocandi ſunt Menſes, quando metus, quòd circa ordinarium terminum non ſint redituri*: ubi *Venæ ſectio in Talo* pro concitando Sanguinis motu deorſum, non inconcinna videtur.

Quòd ſi adſint *Inflammationes* auctæ cum Menſium Suppreſſione, aut etiam cum Menſibus actu fluentibus, ubi ſecanda ſit Vena, prolixè ventilat Zacutus Luſitanus *lib.* 1. *Med. Princ. Hiſt.* 77.

V. His vicariæ ſunt *Cucurbitulæ*, præſertim *Scarificatæ*, quæ in debilioribus Venæ ſectionis loco ſunt. Conveniunt autem hæ tam cum quàm ſine Scarificatione, præſertim iis in caſibus, quando Sanguis ad alia loca feratur, ut hic ad Uterum revocetur, & commodè imponuntur primò locis remotioribus nempe Cruribus, in ſpecie Femoris regioni internæ, & ſupra Genu, vel *Hirudines* labiis Vulvæ; hinc propioribus, nempe Coxis, & ſic conſequenter.

VI. His Univerſalibus præmiſſis, progreſſus fiat pro corrigendâ Sanguinis craſi ad *Martialia*. Martialia ſanè multum valent in Menſium vitiis: & quidem inveteratam Emanſionem Menſium citra Martialia curare impoſſibile eſt, adeò ut de his referat Lindanus, quòd in Marte ſit, quicquid ad ciendos Menſes deſideratur. Operatur non quidem poſitivè, ſed ferè privativè, removendo nempe impedimenta, quatenus abſorbent ſcilicet Acidum illud, cujus causâ Fermentatio menſtrua ſupprimitur. Unde etiam *Aperientia* ſic dicta Martialia, quivis Pulveres Cachectici, Tincturæ Martiales, Infuſa & Extracta Martialia, &c. aptè locum inveniunt. Convenit ergò *Limatura Martis cruda*, vel ſola pulveriſata, vel cum pauco Cinnamomo miſta in Vino Malvatico aut Rhenano pota; Sic namque Natura ipſa in Stomacho Extractum Martis egregium facit. Et certum eſt, in iis, quibus Stomachus robuſtus potentiori abundat Acido, aut etiam, in quibus validum Acidum Inteſtina occupat, his meliùs propinatur Limatura Martis cruda præparata & pulveriſata, quàm Salibus vel Acidis extra Stomachum ſubacta, & in Crocum corroſa. Zacutus Luſitanus laudat Terram Martialem in Ferri fodinis inventam, ad ſtimulandos Menſes egregiam. Poſt hæc eximia eſt Eſſentia Martis, cum Succo Pomorum Borſdorffianorum parata, aut Tinctura Vitrioli Martis *Zwelferi*, Viennæ uſitatiſſima, ad pallidum Virginum Colorem experta. Vina etiam Medicata extinctionis vel infuſionis Martis non ſunt contemnenda; item Claretum Chalybeatum *Mynſichtii*, Vinum Malvaticum Martiale *Hartmanni*:

℞. *Limat. Martis crud.* ℥ij.
*Cinnam.* ʒj.
Infund. in *Vini* q. pl.

De hac Ægra bibat bonum hauſtum mane & veſperi ante paſtum.

Item convenit Pulvis Cachecticus *Hartmanni* cum Stercore Anſeris junioris, vid. Hartmanni *Prax. Chym. pagin.* 266. & *Pulvis ad pallidos Virginum Colores* Heinrici ab Heer *Obſ.* 6. item *Sal Martis* compoſitum, *Liquor Martis Solaris*. Potus *Acidularii* quoq; egregiè promovet Menſium Fluxum. Hinc Electuarium Martiale *Horſtii*, *Hartmanni*: plura Martialia, huc facientia vid. *in ejus Praxi c.* 219. Optimè autem propinantur Martialia cum Laxantibus, mutatis invicem vicibus.

Hiſce denique ſocientur ſubinde *Volatilia aromatica amaricantia*, in Morbis Cachecticis & Chronicis uſitata, ex quibus tamen ſpeciatim eligantur, ſubjungantur aut permiſceantur, quæ ſimul ſunt Appropriata Menſes ſtimulantia, tam interna quàm externa, v. g. Roſmarinus, Calamintha, Chærefolium, Leviſticum, Matricaria, Centaurium minus, Spica Celtica, Marrubium, de quo vid. Borellus *Cent.* 4. *Obſ.* 14. Flores Cheiri, Flores item Calendulæ, de quibus vid. Riverius *in Obſ.* à Pachequo *communicatis Obſ.* 30. Flores item Lavendulæ: Semina ſale volatili vel acri aromatico prædita, v. g. Erucæ, Naſturtii, Fœniculi, Aniſi, Dauci, Cumini, Baccæ itidem Lauri & Juniperi, Semen Milii Solis, Semen Ammeos, Violarum, quod Corbæus laudat cum granis aliquot Piperis & Myrrhæ, Sabina, Radix Angelicæ, de qua vid. Petræi *Noſolog. Diſp.* 93. §. 28. Radix item Fœniculi, Eryngii, Bryoniæ, Radix item Rubiæ tinctorum, de qua vid. Fonſeca *Tom.* 2. *Conſ.* 23. & Riverius *Pr. lib.* 14. *c.* 2. Ariſtolochiæ rotundæ, Gentianæ, Enulæ, Curcumæ ac Pyrethri; Artemiſia, Meliſſa, Gentiana, Cinnamomum, Caſſia lignea, Coſtus, Galanga, Nux Moſchata, Caryophylli, Cardamomum, Piperata: Myrrha, Eſſentia Myrrhæ, Elixir Proprietatis, Tinctura Tartari compoſita, & omnia ex & cum Myrrhâ parata: Gummata, Colocynthis, Caſtoreum, Splen Bovis, Borrax, Salia Alcalia, primariò volatilia, ſecundariò fixa; item Arcanum Duplicatum *Mynſichtii*, &c. Hæc nempe ſunt primaria præmiſſis præmittendis Menſes ſtimulantia. Radicis Angelicæ aromatica vis ſingularis eſt uterina, & Menſibus ciendis dicata, Radix Aſari in Aquâ communi bullita, ſic namque miteſcit ejuſdem vis vomitiva, ac fit aromatica diuretica: Marrubium album Vino infuſum Specificum eſt Borelli *Cent.* 4. *Obſ.* 14. Decoctum Artemiſiæ rubræ cum Oleo Fœniculi deſtillato vel Succini propinatum, mirè à Crollio commendatur: (nam Oleum Succini aliquandiu aſſumptum etiam egregium eſt ad ciendos Menſes:) aut Conſerva Artemiſiæ à Zacuto Luſitano pro corpore aliorum ingredientium. Pulegium admodum elegans eſt pro Mulierculis Remedium: Roſmarinus ſingulariter Affectibus internis & Mulierculis convenit: Baccæ Lauri pulveriſatæ ſaltem in communi ſunt uſu ad promovendos Menſes. Hinc Decoctum Roriſmarini cum Croco, aut cum Floribus Cheiri in Vino Chalybeato, laudatur inſigniter à Practicis, aliquandiu continuatum: Vulgò

℞. *Herb. Roriſmar.* M. iij.
*Rad. Armorac. rec.* ʒiij.
*Bacc. Juniper. rec.* ʒiß.
*Sem. Carv.* ʒj.

Inciſ.

Incis. & contus. misc. affundunt Spiritum Vini, & digerunt in Sole.

*Sabina* est fortissimum Remedium, præsertim Oleum ejus destillatum, quod stupendæ est potentiæ: quam ob causam, adhibetur etiam ad pellendum Fœtum, sed tamen frustraneo sæpè cum successu, reluctante scilicet ipsâ Naturâ: hinc etiam Pilulæ de Sabinâ *Mynsichtii* in usu sunt: item Extractum Sabinæ, cui etiam Oleum destillatum Succini commodè potest surrogari. Viscum Quercinum singulare quid obtinet in hoc casu. De Malicorio videb. Augenius, & Bartholinus *in Epistol.* Conducunt ulteriùs Flores Cheiri, ut modò innui: Flores item Lavendulæ: Nam Decoctum Radicis Angelicæ cum Floribus Lavendulæ in Vino eximiæ est commendationis. Flores Calendulæ, exque his paratæ conservæ: refert namque Riverius *in Observat. communicat.* quòd ipsi Menses naturaliter constituti Odorem Floris Calendulæ spirent: Quod an verum sit? Experientia consulatur. Unde concludit ex Signaturâ Autor, etiam ipsos Calendulæ Flores non esse inutiles, quod etiam credo. Flores Croci seu Crocus mirè Menses promovet, & optimum est Remedium iis, quæ patiuntur difficultatem Mensium actu fluentium, unde communiter Cerevisiæ calidæ incoquitur Crocus & Cinnamomum, (quæ Germanis dicuntur *Saffran-Suppen*:) pro Remedio Menses remorantes fortiter ciente, in tantum, ut ex eo etiam lethalis Mensium Fluxus supervenerit: videb. Riverius. Præter Crocum, Cinnamomum cum suprà dictis Aromaticis est laudatissimum, quorum Salia volatilia oleosa ad Stomachi robur & Sanguinis vitiatam emendandam crasin, & acuendam Fermentationem menstruam, mirè conducunt. Certum quorundam Empiricum est hoc: nempe

℞. *Nuc. Moschat.* ℥iv.
*Sacchari fini* ℥xij.

Hæc probè miscent, exhibent quantitate Nucis Avellanæ mane & vesperi, præmissis Universalibus.

Et hoc mirè conducere Experientiam certã dicunt. De Semine Ciceris rubri notum est, quòd hujus diuretica vis insigniter Menses stimulet & Lochia: videb. Sebizius. Sunt ergò, qui

℞. *Cicer. rubr.* M. iij.

Macerant eos per 2. vel 3. dies & noctes in *Aquâ pluviali tepefactâ*, addunt deinde nonnihil *Croci*, ut & parum *Fermenti*, quo Panis aliàs fermentari solet: miscent, transcolant, & Colaturam Ægræ subinde bibendam propinant.

Præter talia, & alia similia modò dicta, imprimis efficaciissimum est *Castoreum*, sive in substantiâ assumptum, sive ex eodem parata Essentia & Extractum cum Spiritu Vini tartarisato, quæ in frequenti sunt usu. Facit huc Infusum & Mixtura Barbette *in suâ Praxi*, ubi Castoreum extrahit per Salia volatilia cum Spiritu Vini diluta, adque imitationem ejus potest fieri hoc modo: (nam in Barbettianam ingreditur Aqua Prophylactica, quam rejicio, quia destruit Salia volatilia):

℞. *Castor.* ℥ij.
*Sal. volatil. Succini*,
*Cornu Cervi* an. ℥j.

His affundatur q.s. *Spiritus Vini non adeò rectific.* & diluatur cum *Aquâ Cinnamomi*. Stent in Infuso in vase clauso in loco tepido, donec extrahatur Tinctura, quæ postmodùm, prout plùs vel minùs Menstrui absumptum fuerit, ad ℥j. vel cochl. j. poterit propinari.

Propriùs fit, si Liquor Cornu Cervi succinatus affundatur Castoreo: extrahit enim potenter ejus Sal volatile oleosum, sibique unit, & sic erit *Essentia* ad Menses admodùm potens, ad guttas 30. vel 40. tempore solitæ vel debitæ saltim Menstruationis assumenda.

Quidam etiam tutò Castoreum usurpant in Gravidis, aut in talibus, in quibus suspecta est Graviditas cum Mensium Suppressione: Sic namque Corbæus *in Gynecæo* suo, si cum Suppressione Mensium suspecta sit Conceptio, sequentem laudat Pulverem.

℞. *Castor.*
*Sem. Anisi*,
*Apii* an. ℥j.

Trita cum Vino dissoluta exhibuit.

*Si gravida fuerit, Fœtum roborabit: si non fuerit Gravida, Menses movebit.*

Castoreo non cedit *Myrrha*, egregium Balsamicum uterinum, quæ cum aliis mista mirè Menses stimulat: Hinc omnia ex & cum Myrrhâ parata conveniunt, unde Tinctura Myrrhæ cum Spiritu Salis Ammoniaci vinoso, item Essentia Salutis *D. Langii* parata ex Myrrhâ cum Spiritu Vini tartarisato (sed quis est genuinus?) vel cum Tincturâ Tartari, est egregia Medicina. Myrrha aliàs per Spiritum Vini, licet rectificatissimus sit, solvi nequit, nisi aliquid Acidi, in specie Spiritus Salis, ingrediatur: Sed Acida Mulieribus inimica, & Mensibus promovendis potiùs nocent. Ob id econtrà Myrrha etiam solvi potest per Alcalia, tam volatilia (quod probè notandum) quàm etiam Alcalia fixa, imprimis Lixivialia, & sic erit eò promptioris effectûs ad stimulandos Menses. Aliàs in Officinis prostant *Trochisci de Myrrhâ*, qui ad ℥j. ad summum propinatis potentis sunt efficaciæ ad Menses movendos: item Essentia composita ex Castoreo, Myrrhâ & similibus, cum Salibus volatilibus in Spiritu Vini dissolutis, ad imitationem Barbette *in suâ Praxi cap. de Mensium Suppressione. Succinum* & ipsum egregium est in hoc casu; imprimis, si cum Cinnamomo aut Croco propinetur: Sal ejus volatile insigniter conducit, & ad multa prodest Symptomata, ex Mensium Suppressione pronata. De *Aloë* res nota est: Unde facilè patet, quòd Elixir Proprietatis, ut vulgò vocant, insigniter conducat ad stimulandos Menses; unde pro usu muliebri sunt qui parant *Elixir Proprietatis sine Acido*, loco Spirituum Acidorum addendo Spiritui Vini Sal Tartari fixum, quod egregiè extrahit Aloën, Crocum & Myrrham. Alii parant cum Spiritu Salis Ammoniaci pro usu muliebri, tam Menstruatarum, quàm etiam pro usu Puerperarum: aut ejusdem Species in formâ siccâ seu Massa Pilularum Pestilentialium *Rufi* usurpantur. Quæ suprà dicta fuerunt de Castoreo, intelligi quoque similiter possunt de *Asâ fœtidâ*, non minùs efficaci in Morbis Mulierculaꝝ; hinc pertinet huc *Essentia Anonyma Dom. Langii*, parata ex Castoreo & Asâ fœtidâ cum Tincturâ Tartari. *Colocynthis*, aut pro Scopo laxativo deficientibus Mensibus succurrit, evacuando visciditatem; ita correcta per Sal Tartari amaritudine suâ specificè Menses ciere potest, siquidem quocunque modo internè & externè usurpata egregiè convenit in Mensium vitiis: Videb. Timæus *von Guldenklee*, *in Cas. pagin.* 307. *Splen Bovis* specificè laudatur à Paracelso in suis scriptis ad Menses remoratos, hinc fit Decoctum Splenis Bovis, Essentia Splenis Bovis composita cum Spiritu Vini myrrhato parata, & Extractum: indeque Essentia ad Menses composita frequenti fuerunt in usu D. Michaelis ad Mensium vitia: Videb. Crollius & Hartmannus *in Praxi Chymiatr. paginâ* 240. item Decoctum Splenis Bovis *Quercetani* in Riverii *Praxi pag. mihi* 188. Elixir Uterinum *Crollii* ad guttas xxx. vel xl. hinc *Essentia* Artemisiæ, Sabinæ, Croci, Castorei, in usu est: quibus & Essentia Ambræ in Virginibus, quibus minùs nocent Odorata, commodè admisceri potest. Propinantur talia commodè in Vehiculo Aquæ Cinna-

Cinnamomi, Aquæ Pulegii, Sabinæ, & ſimilibus: *Olea* etiam *deſtillata* Cinnamomi, aut Caryophyllorum, aut Succini, aut, quod optimum, Sabinæ, ſimiliter pellunt egregiè Menſes.

Sanguis Menſtruus primus Juvenculæ excipiatur Linteo, Linteum probè tinctum exſiccetur, & ſub uſu cum Aceto Scillitico extrahatur è Linteo Tinctura; quod Acetum internè commodè ad promovendum Menſtruum Fluxum propinari poteſt: Videb. Helvetius, Helmontius *Tractat. Tribut. Lunare* dicit, Mulierem ex Menſtruo hauſto eſſe ſuffocatam.

Tandem *Borrax* potentiſſimè Menſes ſtimulat, & aliis irritis optimè datur in Decocto Pulegii, addito Croco, vel Pulvere Cinnamomi: vel addita Aquâ Cinnamomi ſpirituosâ egregium eſt Emmenagogum ſecundùm Lindanum; ſine Cinnamomo enim nullum tale Remedium dandum, quia hoc Spiritus Vitales egregiè roborat & excitat: Hinc Trochiſci de Borrace commendantur in M. A. N. C. *Anno 6. & 7. Append. pagin.* 140. item Pilulæ Aperientes & Alterantes ſequentes.

℞. *Gumm. Sagap. cum Aceto ſolut. & inſpiſſ.*
*Succ. alb. præp.*
*Porrac. Ven.* an. ℈j.
*Myrrh. rubr.*
*Caſtor.* an. gr. xv.
*Croci* ℈ß.
*Olei Caryoph.* gutt. vj.
F. Pilulæ ſubinde capiendæ.

Item conveniunt Pilulæ *Cnæfelii* in M. A. N. C. loco allegato; item Poterii *Centur.* 3. *cap.* 32. ubi optima Medicamenta ad promovendos Menſes enarrantur. Item conf. *Centur.* 3. *Curat.* 42. Cum Borrace etiam *Salia Vegetabilium fixa*, Sal Meliſſæ, Sal Sabinæ, & Sal Uterinum *Mynſichtii*, item Sal Succini volatile, commodè combinari poteſt. His omnibus palmam præripit Arcanum Duplicatum *Mynſichti*, ſingularis Medicina pro Mulierculis, & quæ mirè conducit ad Menſes ciendos. Pertinet huc Pulvis ex Stercore Columbino & Croco, alibi explicatus. Cæterùm *Spiritus* & *Salia volatilia* Cornu Cervi, Salis Ammoniaci, Secundinæ humanæ præſertim Spiritus Carminativus, ſunt egregia ad promovendos Menſes. Omnia hæc uſurpentur eo tempore, quo Menſes fluere debent: in ſpecie horum operatio eò eſt præſtantior, ſi cum hujuſmodi Appropriatis jungantur, & poſt hæc imperetur Corporis motus; vel expectetur poſt eorum uſum blandus in lecto Mador matutinus pro meliore alteratione & circulatione Sanguinis, & feliciùs excitatur Menſium recurſus.

Mihi aliquando curanda fuit Virgo 18. annorum, quæ nunquam adhuc viderat Menſes, ad Scorbutum inclinabat, & Tuſſis phthiſica eam ſubinde concutiebat: Mater ejus & ipſa 20. demum anno primâ vice Menſium Fluxum paſſa erat. Huic ergo, præmiſſo *Nodulo ex Alterantibus & Laxantibus*, per Spiritum Carminativum Menſes fluere feci: nempe

℞. *Herb. rec. Cochlear.*
*Chelidon.*
*Fumar.*
*Abſinth.* an. M. j.
*Paſſ. minor.* ℥j.
*Croci*,
*Cinnam.* an. ℈j.
Inciſa & contuſa includebantur Nodulo, qui infundebatur in *Vino*.

Adjunxi ſimul Tincturam Coralliorum Antiſcorbuticam, in jam dicto Vino Medicato hauriendam. Hauſto hoc Vino propinavi *Vomitorium* ex Syrupo Emetico *Angeli Salæ*. Denique Spiritum Salis Ammoniaci cum Spiritu Carminativo quotidie bis uſurpandum juſſi, unde poſtmodùm Menſes ſponte eruperunt, cùm jam in eo eſſem, ut ordinarem *ſequentes Pilulas*, quas tamen non uſurpavit, quia jam aderant Menſes.

℞. *Gumm. Ammmoniaci in Aceto ſol.* gr. xv.
*Extr. Agar.* ℈ß.
*Croci* gr. v.
*Troch. Alhand.* gr. iij.
*Caſtor.* gr. v.
Cum ſ. q. *Eſſent. Succ.* f. Pilulæ.

Sed his, uti dixi, opus non fuit.

Ex his hactenus dictis facillimè diverſæ fieri poſſunt *Præſcriptiones*.

℞. *Tincturæ Vitrioli Mart. Zvvelf.* vel *Solut. Mart. cum Succ. Pom.* ℥j.
*Eſſent. Caſtor.*
*Croci* an. ℈j.
M. S.
Eſſentia Aperitiva.

Doſis 40. vel 50. ad 60. guttæ, bis vel ter in Vehiculo calido, Mulier nonnihil excerceat Corpus blando motu.

Item

℞. *Spiritûs Sal. Ammoniaci*,
*Secundin. human.* an. ℥j.
(nam & hæc egregiè conducit, ut & *Spiritus Cornu Cervi cum Sale vol. acuatus.*)
*Liqu. Cornu Cervi ſuccin.* ℥iß. ad ℥ij.
M. S.
Spiritus Aperitivus.
Vel

℞. *Spiritûs Sal. Ammoniaci*,
*Secundin. human.*
*Liqu. Cornu Cervi ſuccin.* an. ℥j.
M. D. S. ut antè.
Dentur guttæ 30. vel 40.
Vel

℞. *Liqu. Cornu Cervi ſucin.* ℥ij.
*Spiritûs Secundin.* ℥j.

M. pro 6. doſibus matutino tempore aſſumendis cum Motu, blandâ expectatâ Diaphoreſi.
D. S. ut ſuprà.

Eſſentia Splenis compoſita etiam optima eſt cum Eſſentiâ Martis miſta: exem. grat.

℞. *Solut. Martis cum Succ. Pom.*
*Eſſent. Splen. Bov. compoſ.*
*ad Menſ. Mich.* vel *Sabinæ compoſ.* an. ℥ij.
M. S.
Eſſentia Aperitiva.
Vel

℞. *Eſſent. Sabinæ compoſ.* ℥iij. vel iv.
*Tinct. Salut. Langii* ℥j. vel ℥ij.
M. S. ut anteà.

Doſis 40. gutt. bis vel ter in die.

℞. *Eſſ. Caſtor.* ℥ij.
*Quint. Eſſent. Roriſmar.*
*Spirit. Sal. Ammoniaci ſuccin.* an. ℥j.
M. S. ut anteà.
Vel

℞. *Eſſent. Roriſmar.* ℥ij.
*Croci* ℥j.
M. S. ut anteà.

In formâ Pulveris:

℞. *Borrac.* ℥j.
*Myrrh.* ℈ß.
*Croci* gr. xv.
M. f. Pulvis pro 4. doſibus: S. Pulvis Aperitivus.
Vel

℞. *Borrac. Ven.*
*Cinnam. acuti* an. ℈ß.
*Myrrh.* gr. xv.
M. f. Pulvis pro 3. doſibus.

D. S. ut anteà.
Vel
℞. *Borrac.* ʒß.
*Myrrh.* gr. xv.
*Cinnam.* ℈ß.
M. f. P. pro 2. doſibus.
D. S. ut ſuprà.
Vel
℞. *Borrac.* ℈j.
*Cinnam.* ℈ß.
M. f. Pulvis.
D. S. ut ſuprà.
Detur in *Decoctο Pulegii* vel *Roriſmar.*
Vel
℞. *Arcan. duplic. Mynſicht.* ℈iv.
*Caſtor.* ʒß.
*Myrrh.* ℈j.
*Croci* ℈ß.
M. f. Pulvis.
Divid. in 3. vel 4. part. æqu.
D. S. ut ſuprà.
Vel
℞. *Vitriol. Mart. tart.* ℥ß.
*Myrrh. el.* ʒj.
*Croci* ℈j.
M. f. Pulvis.
D. S.
Pulvis Aperitivus pro aliquot vicibus.
Vel
℞. *Fimi Columb. calc.* ʒij.
*Myrrh. el.* gr. xvj.
*Croci orient.* ʒß.
M. f. Pulvis pro 5. doſibus.
D. S. ut antè.
Pro *Vehiculo* horum Pulverum inſerviat:
℞. *Aquæ Artemiſ.* ℥ij.
*Cinnam.* ℥j.
*Eſſent. Splen. Bovis* ʒiij.
*Caſtor.* ʒj.
*Syr. de Canellâ* ℥vj.
M. S.
Potio ad Pulverem.
Capiatur cochleatim & pro Vehiculo Pulverum.
℞. *Aquæ Artemiſ. compoſ.* ℥iij.
*Cinnam.* ℥j.
*Eſſent. Splen. Bovis* ℥ß.
*Syr. de Canell.* ℥vj.
M. S.
Potio ad Pulverem.
Vel
℞. *Conſ. Meliſſ.* ℥iß.
*Menth.* ʒvi.
*Limat. Martis præp. & Oleô deſtillat. Sabinæ parum impregn.* ʒiij.
*Flor. Sulphuris*, vel *Fulig.* ʒj.
*Borrac. Venet* ʒß.
*Cinnam. acerr.*
*Galang.*
*Zedoar.* an. ℈j.
Cum ſ. q. *Syr. Artemiſ.* f. Electuarium.
D. S.
Electuarium Aperitivum pro aliquot vicibus.
Vel
℞. *Splen. Bov. caſtrat.* Num. i. vel ij.
*Herb. Roriſmar.* M. ij.
*Meliſſ.* M. j.
*Sabinæ* M. ß.
*Zedoar.* ℥ß.
*Sem. 4. Calid. min.* an. ʒj.
*Salis Tartari* ʒij.
Coq. in ſ. q. *Aquæ ſimpl.* leniter in Vaſe clauſo; Colat. ℔iß. adde
*Syr. Artemiſ.* ℥ij.
*Cinnam.* ℥j. M. S.
Potio Aperitiva.
Infundi poteſt parvus Nodulus cum *Croco.*
Vel
℞. *Herb. Roriſmar.*
*Puleg.*
*Spicæ* an. M. j.
*Flor. Cheiri*,
*Sclareæ*,
*Cham.* an. p. j.
Coq. in ſ. q. *Aquæ Martial.* in Cucurbitâ ſuo Alembico munitâ:
*Colat. ferventis* ℥viij. adde
*Aquam priùs deſtillatam*,
*Syrup. Meliſſ.* ℥iv.
*Eſſ. Croci* ʒj.
M. S. ut anteà.

Hiſce annumerandum eſt ſimul *Balſamum Sulphuris* terebinthinatum, & ſuccinatum, & ipſum Menſes promovens.

Hæc ferè ſunt iſta, quæ ad Menſium conducunt ſtimulum internè.

*Cura Suppreſſionis Menſium, quæ fit Uteri vitio*, requirit, ut Vaſa obſtructa aperiantur *Incidentibus Volatilibus*, præſertim cum aliquali *Sudore* uſurpatis: *Membranæ* Remediis Chirurgicis incidantur; Coalitus verò mutuus etiam ſeparetur. Modum operandi vid. in Severino *de Efficaci Medicinâ lib.* 2. *cap.* 88. in Foreſto *lib.* 28. *Obſ.* 55. Schenckio *lib.* 4. *Obſ.* Hildano *Cent.* 3. *Obſerv.* 60. Bartholino *Cens.* 5. *Hiſt.* 42. & 43. in ſpecie Viardel *in Obſervationibus pag.* 47. ubi collum Uteri Tumoribus obſeſſum, Coitum impediens, curatum refert.

*Caſus*, propter quos contingit *Menſium Suppreſſio Accidentalis*, ſunt duo:

1. *Nimia Refrigeratio extremorum.*
2. *Gravior Animi Affectus.*

Curantur autem, *Cauſam*, quæ Menſes ſuppreſſit, *corrigendo & removendo*: v. g. ſi fiat, ut actu fluentes Menſes à ſubito *Frigore*, vel alio tali caſu reſtringantur, præmiſsâ vel omiſsâ Venæ Saphænæ apertione, propinanda ſunt *Volatilia oleoſa aromatica*, quæ Sanguinem grumoſum diſſolvunt, &, accedente blando Sudore, eundem denuò fluere faciunt, & in naturalem motum reducunt. Hinc Spiritus Salis Ammoniaci & *Salia Volatilia oleoſa* non ſatis laudanda, cum Caſtoreo vel Myrrhâ propinentur, quorum uſu, & blando ſubſequente Sudore Sanguis ad Fluorem iterum diſponitur: item *Sperma Ceti* ad ʒj. cum *Caſtoreo* in Cereviſiâ calidâ optimo jure exhibetur, & Ægra ad blandum Sudorem ſe componat; Experimentum namque hoc eſt Timæi *Von Guldenklee in Caſibus lib.* 2. *Caſ.* 7. *pag.* 91. vel commodè poteſt uſurpari *Sal quoddam fixum*, Sal Artemiſiæ aut Sabinæ, &c. In ſpecie addantur Remedia ex *Croco* & *Cinnamomo.* In tali caſu interdum ſupervenit graviſſimus Uteri Dolor, ex Sanguine coagulato ibidem hærente, ubi inter alia convenit *Decoctum Chamæmeli*, quod internè uſurpatum cum his Internis dictis optimum eſt: *Externè* imponere jubeo Regioni Pubis Magma Decocti in formâ *Cataplaſmatis*, quàm calidè fieri poteſt, ad imitationem Timæi *Von Guldenklee in Caſ. pag.* 202. Cum his neceſſe eſt, ut in graviore Malo *ſecetur Vena in Pede*, quia actu fluentes Menſes fuerunt reſtricti; tunc enim non ſecandæ ſunt Venæ ſuperiores; Id quod eleganti Obſervatione docet Foreſtus *lib.* 28. *Obſ.* 3. in qua refert Mulierem, cui ob Menſes ſubitò ſuppreſſos Vena fuit ſecta in Brachio, unde ſingulis Menſibus moleſtam Palpitationem in Brachio recurrentem habuit, donec Venâ in Talo ſectâ, ſtatis temporibus redierint: Sic etiam Gabelchoverus *Cent.* 4. *Cur.* 92. varia Symptomata, & inſignem Dorſi Dolorem obſervavit in Mulie-

Muliere, cui menſtruatæ Scarificationes in Dorſo factæ fuerunt.

℞. Quòd ſi ex *graviore Animi Affectu*, v. g. Terrore ſubitaneo, Iracundiâ, vel ſimili Menſes actu fluentes reſtinguantur, revocantur *ſecando Venam in Pede*, hinc propinando internè Spiritum Salis Ammoniaci bis vel ter in die. Foreſtus *lib.* 28. *Obſ.* 2. in tali caſu ex Terrore reſtrictorum Menſium non inconſultò uſurpat *Decoctum Florum Chamomillæ* ad ℥iij. cui addit *Oxymel. ſimpl.* ℥j. vel ij. & propinat. His exhauſtis, Sudor ſecutus; unde Menſes à Terrore reſtricti denuò fluxerunt. Loco hujus ſimiliter Myrrha & Caſtoreum cum Salibus quibusdam volatilibus oleoſis, aliiſque quibusdam appropriatis Aromaticis, quietem & blandum Sudorem ſimul imperando, in Aquâ Cinnamomi uſurpari poſſunt.

*Hæc Remedia* interdum conveniunt itidem in *paucitate Menſium*, de qua *ſuo loco* Hoeferus *Herc. Med.* in Animi Affectibus gravioribus Extractis Menſes cientibus Laudanum Opiatum jungit, unde ſopiuntur adjuncta Symptomata, ut Menſes denuò fluant.

Hiſce Internis etiam adjungenda ſunt ſimul *Externa Menſium Fluxum promoventia*: qualia ſunt imprimis *Fotus*, *Balnea*, *Inſeſſus* & *Semicupia*: item *Pediluvia* crebriùs inſtituta, valdè proficiunt & proſunt, quæ præmiſsâ in Brachio Venæ ſectione, quando Menſes erumpere debent, inſtituantur) nam dum Menſes fluere incipiunt, aut ſub ipſo eorum Fluxu, potiùs nociva ſunt Balnea) parata vel ex ſimplici Aquâ, vel ex Emollientibus vulgaribus & Appropriatis aromaticis, v. g. Sabinâ, Matricariâ, Artemiſiâ, Calaminthâ (*eſt Pulegium ſylveſtre*, Germ. *vvilder poley*,) Pulegio, Lauro, & ſimilibus parata, vid. Gabelchoverus *Cent.* 2. *pag.* 214. *item* Horſtius *Obſ. pag.* 264. & 265. *Idea Formul. Claſſ.* 4. §. 20. & *Colleg. Formul.*

Vel

℞. *Herb. Artemiſ.*
*Puleg.*
*Serpill.* an. M. ij.
*Sabinæ*,
*Flor. Chamom.*
*Lil. alb.* an. M. j.
*Rad. Alth.* vel *Malvæ*,
*Ariſtol. rot.*
*Rubiæ tinct.* an. ℥ij.
*Angel.*
*Zedoar.* an. ℥j.
*Bacc. Lauri*, vel *Juniperi* ℥iß. vel ana ʒvj.
*Sal. Tartari* ℥vj.
M. pro Balneo: S.
Ad Balneum.

Vel

℞. *Herb. Sab.* M. iv.
*Matricar.*
*Puleg.* an. M. ij.
*Flor. Cheiri* M. j.
*Bacc. Junip. rec.* ℥iv.
*Lauri* ℥ij.
Groſſo modo inciſ. & contuſ.
D. S.

Species ad Fotum ſeu Balneum.

Poſt inſeſſum inungantur partes circa Lumbos, Inguina & regionem Hypogaſtricam Unguento appropriato:

Item

℞. *Herb. Artemiſ.*
*Puleg.* an. M. iij.
*Sabinæ* M. j.
*Bacc. Lauri*,
*Junip.* an. ℥iij.
Inciſ. & contuſ.
D. S.

Species ad Balneum herbarium.

Coq. in *Aqua ſimpl.* & ad regionem Umbilicalem inſideat Ægra; vel Sacculus ex hiſce conſtans in Balneo applicetur Umbilico & Genitalibus.

Pertinent huc *Thermæ*, quarum Inſeſſus diuturnus Menſes ſolet levare & curare. Helvetius ad Menſes pellendos commendat, ſi immittantur Pedes in Secundinam calidam recenter extractam. Conveniunt quoque *Inunctiones* externæ, circa regionem Iliacam & Pubis illinendæ, quæ fiunt ex Oleo Cheirino, Laurino, Irino, Diacolocynthidos, &c. quæ acuuntur cum Oleo deſtillato Sabinæ, Spicæ, Lavendulæ, Baccarum Lauri, Petroleo & ſimilibus. Odorem *Fermenti* quidam hîc commendant. Odorem *Moſchi* Menſes promovere probabiliter admodùm refert Bartholinus *Cent.* 2. *Hiſt.* 87. *Suffitus* etiam per Siphonem & Infundibulum Membro genitali intruſum vel admotum excepti, non adeò ſunt incongrui, ad imitationem Timæi *von Guldenklee in Caſibus* ex Colocynthide ſolâ per medium diſſectâ, eâque in Aquâ ſimplici decoctâ inſigniter conducunt ad Menſes ciendos: ſubinde hoc Decocto *Silices candefacti* injiciuntur. Item fiant Trochiſci pro Fumo appropriati, v. g. ex Zingibere, Sabinâ, Colocynthide, Myrrhâ & ſimilibus, vel ſequentes egregii:

℞. *Fol. Sabinæ* M. ß.
*Myrrh.* ʒiß. vel ʒij.
*Ligni Aloës* ʒj.
*Troch. Alhand.* ʒij. ad ʒj.
M. f. Pulvis groſſus: S.
Pulvis Aperitivus ad Suffitum.

Injiciatur Carbonibus ignitis, ut ita excitetur Suffitus Utero excipiendus.

Vel ex his pulveriſatis cum *Balſamo Sulphuris terebinthinato* & *Aceto* fiant *Trochiſci*, qui injiciantur Carbonibus, & excitetur Fumus.

Facit huc Suffitus de Sabinâ *Mynſichti*, &c. Omnium optimus Fumus fit ex Decocto *Scoriarum Reguli Antimonii*: nempe

℞. *Scor. Regul. Antimonii* q. ſ.
ſolvantur in
*Aquâ ſimplici*, vel ſecundùm alios in *Lixivio acri*:
℞. *Solutionis* hujus p. iv.
*Vini Malvat.* part. j.

Hujus mixturæ unum 2. vel 3. Cochlearia injiciuntur Silicibus candentibus, inde elevatus Fumus nudo Corpore excipitur, præſertim in Mulieribus, quibus Infundibulum pro ſuſcipiendo hoc Fotu ſubmittere poſſumus. Mirabiliter ciet Menſes, & pro certiſſimo Remedio habuit B. D. Michaelis, & ab Hartmanno, Petræo, Agricola, Corbæo, multiſque aliis laudatur Practicis. Si verò metuatur, ne præ nimio motu excitato Sanguis non inveniat viam, Venæ ſectio excitanda. Nec minùs efficax eſt Suffitus ſimilis paratus ex *Scoriis Martis* ignitis, vel Limatura Martis candefacta, cum *Urinâ*, imprimis antiquâ & fœtidâ, irroratis, qui dicto modo Utero exceptus mirè conducit ad promovendum Menſium Fluxum; vid. Glauberus *de Furnis Philoſoph. cap.* 88. Sal volatile enim aſcendit (*oportet*, *ut ſit Urina putrida*, *aliàs Sal volatile retromanet*:) non enim ſolummodò penetrat in Vaſa, ſed vellicat etiam Uterum, ut promoveatur Sanguinis excretio. Veteres ulteriùs exhibuerunt *Peſſos*, quos inter non inutilis eſt Peſſus factus ex Felle Tauri, mixto cum Succo Mercurialis, in quo cocta ſit Colocynthis. Hæc invicem miſta dant Peſſum ſatis potentem, qui quatenus irritat parietes Vaginæ uterinæ, hoc ipſo ſtimulat, ut eò meliùs excernantur Menſes.

Item *Allium*, ejusque Capita cum Oleo Spicæ trita, in Sacculum indita, tanquam Peſſus commodè appli-

applicantur. Extractum Hellebori nigri cum Melle exceptum ſua formâ Peſſi, qui Sindone obducitur, & ita applicatur, inſigniter prodeſt ad proritandos Menſes. Item Hellebori Pulvis à ℈ß. ad ℈j. Nodulo incluſus, & Vaginæ Uteri intruſus mirificè prolicit Menſes: Laudatur imprimis ab Angelo Sala *in ejus Scriptis.*

Vel

℞. *Fol. Perſicar. maculat.* Sole in Leone exiſtente collect. & umbrâ exſicc. 3ß.
*Rad. Helleb. nigri* ℈ß. ad ℈j.
Cum ſ. q. *Mucilag. Tragac.* f. Nodulus parvus, qui potenter operatur.

Aut denique Peſſus ex 3ß. Croci poſt Balneum applicatus eſt egregius. Sed horum uſus ſolet eſſe rarus, & quia Virginibus non æquè conveniunt, propterea loco horum applauſum meretur *Inſtrumentum Glauberi ligneum*, omnibus ſatis notum, quod eſt inſtar Pollicis longum & craſſum, in ſuperiore parte eſt Capitulum foraminibus pertuſum, mediante quo Spiritus Urinæ concentratus, aut Spiritus Salis Ammoniaci Bombace exceptus, vel Sal volatile Salis Ammoniaci, aut Mixtura ex Calce viva cum Sale Ammoniaco, irroratis cum ſpiritu Vini, vel alia Salia volatilia, derivantur in Genitalia Mulierum; ſic enim particulæ exhalantes, irritando parietes Vaginæ uterinæ, Menſes provocant: quod Remedium uti alias in quamplurimis Uterinis Affectibus egregium, ita in ſpecie ad Menſium vitia inſigne eſt. Potentius operatur, ſi Phiola vitrea dictæ mixturæ q. ſ. repleta, Carbonibus candentibus applicetur, ſicque Utero excipiatur. Interdum in Malo magis obſtinato ad *Cantharides* internè & externè accedendum: vid. Velſchius *Hecat.2. pag.*13.

## CAPUT II.

### *De Menſium Fluxu Nimio.*

COnſideravimus & abſolvimus ea, quæ Menſium Emanſionem ſpectant: *Contrarium* Menſium Suppreſſioni *vitium* eſt, ſi nimis ſuperfluè fluant, adeoque eſt *nimius Menſium Fluxus*: ad quod vitium pertinet, quando frequenter fluunt, id eſt, quando non expectant *Tempus menſtruũ*, ſed omnibus duabus vel tribus Septimanis redeunt. Hinc tunc venit curandus, quando debilitat Mulieres. Variat equidem Sanguinis excernendi quantitas naturalis, pro Subjectorum varietate; in unâ etenim magis fluit, quàm in alterâ: quæ enim *Conſtitutionis* ſunt ſucculentæ, quæ ſunt Juvenculæ, & utuntur εὐχύμῳ paſtu, quæ ſunt habitiores, & quæ ſunt Scorbuticæ, in iis ſine læſione copioſiùs fluunt, ac diutiùs durant Menſes, & tales relinquendæ ſunt: unde etiam quantitas debita Menſtruorum fluentium ſaltem reſpectu Individuorum, & Virium, imminente debilitate, non verò ex certâ quâdam copiâ, determinanda venit: confer. Foreſtus *lib.*28. *Obſervat.*10. *in Schol.* & Primeroſius *de M. M. l.*1. *cap.*9. Quibus ergò fluunt Menſes, ita ut debilitentur exinde, propter copiam nempe in tali Subjecto inſuetam, venit curandum.

### CAUSÆ.

*Cauſa Fluxus copioſi* ſine virium jactura eſt, quòd Natura hac vice abutatur, & quod excernitur, non tam ſanguis eſt, quàm Serum Sanguinis, & Sanguineum quid inſtar loturæ Carnium.

Antequam ad Cauſarum Fluxûs nimii evolutionem accedamus, *tria imprimis obſervanda ſunt* circa Mulieres nimio Fluxui obnoxias.

1. In omnibus nimio ac diuturno Fluxu laborantibus *Stomachi robur enervatum*, cum Appetitu dejecto, Carniſque plùs minùs nauſea, obſervatur: ac rarum eſt, Appetitum ſibi conſtare in ejuſmodi Mulieribus.
2. Obſervatur in talibus ut plurimùm *Dolor in Dorſo* circa Lumbos tenſivus & lancinans, continuo vexans adeò ut non rarò putent, ſe Nephritico obnoxias eſſe Affectui. Nempe Acidum eſt vitioſum, quod & Nerveas circa Lumbos vexat partes, & irritando ſimul Uterum: Excretionem per hæc loca ſtimulat, hujuſque Vaſculorum ora plùs minùs aperit. Hinc laudabiliter Barbette *in Praxi* dicit, Partem primariò affectam eſſe Stomachum, hinc Renes.
3. *Scorbuticæ* volatili Acido imprægnatæ, aut his cognatæ, ferè obnoxiæ ſunt huic Fluxui, unde & fluidiore Faciei Colore in Juventute, & Ætate conſiſtente præditæ, Tactu molles, & Habitu quaſi aquoſo tali Affectui magis obnoxiæ.

His præmiſſis *Cauſæ* nimii Fluxûs ſunt eædem, quæ reliquarum Hæmorrhagiarum, quas vid. *ſuprà lib.*1. *de Hæmorrhagiâ in genere.* Speciatim inveſtigandæ etiam ſunt vel in *Utero*, vel primariò & frequentiùs in ipſo *Sanguine.* In *Utero* hæret vitium Menſtruationis nimiæ, vel ex nimiâ *Apertione* Vaſorum uterinorum; vel ex *Atoniâ* Uteri ejuſque Fibrarum, Vaſa eorumque orificia non debitè firmantiũ; vel ex *Irritatione* ipſarum partium in & circa Uterum, unde ſpaſmodica Vaſorum Contractura ſupervenit, ut, refluxu per Venas impedito, Sanguis per Arterias impulſus, quâ data porta, ruat; vel ſi Uterus *Violentiâ* quadam *externâ* fuerit læſus, aut Vaſa ſint rupta ſeu cum impetu aperta, v. g. dum nimium Pondus forſan elevatum, quod fit cum Niſu & Inſpiratione Aëris, aut Occaſione externâ Vaſa Hypogaſtrica in eodem rupta; aut etiam in *Abortu*, ubi præter naturam ſeparatur Secundina, Vaſis multùm dilatatis cum non levi Uteri dolore, unde copioſus Fluxus; aut à *Partu laborioſo*; aut Refrigeratione Manuum & Pedum à Partu aut Abortu, quæ multùm intendunt hunc Fluxum; item Aperturâ nimiâ oſculorum Vaſorum ex diſtenſione & quaſi dilatatione; aut applicatione Acrium eadem ſint eroſa, qualia ſunt *Peſſi acriores*, admoti pro ſtimulo Menſium, in ſpecie ex Helleboro nigro: Talia enim interdum excoriant Uterum ſuperficialiter, ut Vaſa nimis aperta non poſſint denuò connivere, ſed ſuperveniant Menſes & Sanguinis Fluxus nimius; ſicut etiam Varandæus *de Morbis Mulierum* refert exitialem Uteri Hæmorrhagiam ex Peſſario nimis acri, ad aliquod tempus in Utero relicto: aut deniq; ſi ex *Motu inordinato* Corporis, in ſpecie ex Sternutatione nimiâ, ex nimio Vomitu, aut Laboribus, ſimilibuſque aliis Cauſis, quæ Menſium Fluxu laborantibus & actu fluentibus accidunt, à Sanguinis impetu quaſi diſrupta aut aperta nimis fuerint Vaſa, & propterea ſequatur nimia Sanguinis Hæmorrhagia. Sic namque refert Foreſtus *in libr.*28.*Obſervat.*16. Menſium Profluvium nimium ex Uteri Venis perruptis ex gravi Pondere ſublato: Sic Hildanus *Centur.* 3. *Obſervat.* 58. obſervat Profluvium Menſium & graviſſimum & periculoſiſſimum, provocatum ex violentâ & immoderatâ Sternutatione. Speciatim aliquid præternaturale in Utero hærens, vel Sanguis grumoſus, vel Mola, aut Fœtus abortivus, vel pars Secundinæ retenta, vel ſimile quid, &c. Uteri Hæmorrhagiam excitat; ex his enim Occaſionibus irritato Utero Fluxus non rarò deſperatus planè excitatur, non priùs coërcibilis, quàm dicta Irritamenta fuerint remota. Sed hæ Cauſæ, quæ Uteri vitio Profluvium Menſium excitare ſolent, uti dixi, ſunt raræ;

raræ; de quibus & ſimilibus Cauſis Foreſtus *lib.* 28. *Obſerv.* 11. *& ſequ.*

Frequentiſſima ergò Cauſa hujus Fluxûs eſt *in Sanguine*, qui *tribus modis peccare ſolet.*

*Prima* eſt, *quia abundat*, ſed hoc rariſſimè; nam cum ordinario Fluxu vix Plethora Sanguinis conjuncta eſſe poteſt: ut taceam Sanguinem abundantem per Menſes excretum potiùs levare vires ſuppreſſas, quàm eaſdem debilitare, unde non nimius, ſed potiùs ſaltem ſufficiens, hac occaſione oriatur Fluxus. Potiùs ergò peccat *Orgaſmo Venereo*, aliave *Fermentatione* auctâ & *Turgeſcentiâ* nimiâ, ratione cujus tenuior fluxilorque evadit, nimis cietur: unde immodicè turgeſcens uberiùs etiam per Uteri Vaſa perrumpit. Hoc vulgò dicitur de Sanguine Bilioſo; ſicut & nimium coëundi deſiderium in juvenili Ætate in quibuſdam, quæ à Venere abſtinent, ſubinde Sanguinem impetuoſiùs efferveſcentem & erumpentem, hinc Fluxum Uteri nimium, infert. Pertinet huc Aër calidior, Exercitatio Corporis inſignior, Gaudium, Ira, Potus generoſi, Aromaticorum, in ſpecie Crocatorum abuſus, & omnia, quæ Sanguinem nimis movere, & Fermentationem augere valent, &c.

*Secunda*, eaque creberrima, Profluvii Uterini Cauſa eſt *Sanguis ſeroſus nimis, aquoſus & tenuis, ac fluxilis*, unde frequentiſſima dependet Occaſio nimii Menſium Fluoris. Nam imprimis Mulieres habitûs ſucculentioris, ſimul tamen ſeroſi, obnoxiæ ſunt huic Uterino Profluvio, unde etiam Sanguis, quem excernunt tunc, ut plurimùm eſt tenuior, fluidior, & qui minùs in grumos concreſcere ſolet, niſi forſan intra Vaginam diutiùs hæreat, qui facillimè Vaſorum ora aperit, & ſic effluens ſubinde inſtar loturæ Carnium ſimilis in tali caſu eſſe ſolet. *Fundamentum* ferè eſt *in Stomacho*, qui copioſo Potu, ſimulque variâ & ineptâ Diætâ onuſtus, minùs commodè Alimenta digerit, ſed nimis colliqueſcere cogit, & in Chylum nimis ſeroſum tranſmutat, unde Sanguis etiam ſeroſus redditur: Hinc etiam Barbette *in ſuâ Praxi pag.* 91. in nimio Menſium Fluxu primariò Stomachum, & hinc Renes affici, ceu radices & fomites Mali aſſerit: Ille, nempe *Stomachus*, non ritè Chylum elaborando, ſed aquoſiorem gignendo; Hi, nempe *Renes*, poſtmodùm minùs evacuando Laticem aquoſum ſuperfluum. *Serum* itaque inſigniter coacervatum, frequentem Menſium Fluxum ſolet inferre, & inde in ſpecie in *Scorbuticis*, quæ omnes copioſè purgantur per Menſtrua.

*Tertia denique Cauſa* eſt nimii Sanguinis Profluvii *Serum* Maſſæ Sanguineæ *acrius*, aut *acido-ſalſius*, unde quædam Scorbuticæ per Uterum ſolent purgari. Uno nomine: ut plurimùm junctum eſt Acidum ſui generis, quod irritando partes membranaceas ac ſenſibiles circa Lumbos & Uterum hujus Fluoris Cauſa exiſtit. Id quod manifeſtum eſt ex eo, quòd præter Dolores circa Lumbos lancinantes, in talibus interdum ante aut poſt Menſtruationem Sanies ſeroſa adeò acris paulatim effluit, ut etiam hinc erodantur plùs minùs Genitalia. Diſponunt ad hoc *Edulia acria* copioſè aſſumpta: ut nihil dicam de *Acrimoniâ Succorum* in primis viis.

## DIAGNOSIS.

Malum ipſum manifeſtatur ab Ægris: ſupervenit Virium debilitas & Membrorum languor, ceu manifeſtum Signum nimiùm fluentis Sanguinis. *Nimium* enim eſt illud, quod excedit vel *Quantitatem*, vel *Qualitatem*, vel *Durationem* ſolitam. Quantitas verò, ut anteà monui, in Fœminis non eſt certa, nec ſemper adeò determinata: Tunc ergo τὸ *nimium* Fluxûs Menſtrui optimè æſtimandum eſt ex Virium proſtratione, quæ certiſſima eſt regula æſtimandi illud, quod nimium eſt, quando nempe manifeſtè Vires debilitantur: Evacuantur namque Menſes, ut levetur Fœmina, non gravetur. Unde, quando nimius eſt Fluxus, citra tamen Virium proſtrationem, tunc Signum eſt, ipſam Naturam abuti hôc Fluxu pro ſui levatione, ſive ſit Fluxus Uterinus Criticus, ſive alio etiam tempore extra Criſin, ſe manifeſtet; ubi verò debilitatur Fœmina hoc Fluxu, tunc Signum eſt, quòd ſit nimius.

Saltim *Cauſarum Signa* probè attendenda, quæ partim Antecedentia, partim ipſe Sanguis, qui effluit, ſuggerunt. Uteri læſiones, cùm manifeſtis dependeant ex Cauſis, per ſe patent. Conſiderandus ergò Sanguis eſt, qui excernitur. Nam Sanguinem ex *nimiâ Apertione Vaſorum, vel nimio Orgaſmo & Turgeſcentiâ fermentativâ* effluere, conſtat ex Phlogoſibus, Genis rubentibus, Venis turgidis, Pulſu magno, celeri & frequenti, & quæ ſunt ſimilia Signa Sanguinis Orgaſmi: Qui effluit Sanguis, ſolet eſſe floridus, & naturaliter conſtitutus, facilè grumeſcit, obſcurioris nonnihil eſt Coloris, &c. Uno nomine: Signa adſunt Sanguinis boni. Si Sanguis aquoſus ſit fomes Mali, tunc ipſa Excretio & Excreti conditio hoc monſtrat; Qui enim effluit, eſt tenuis, floridus, intensè coloratus; dilutus nempe Color eſt, Linteæ, quibus capiuntur hæc Catamenia, multum tingens, ſed non adeò concreſcens.

Interdùm etiam *loturæ Carnium* ſimilis effluit, vel etiam, ſi Sanguis Linteo exceptus ita appareat, ut Linteum habeat *Circulum pallidum*, monſtrat Sanguinis ſeroſitatem. Accedunt alia Signa, talem Sanguinis ſtatum confirmantia, ut Pedum aliqualis Tumor, Facies ſubtumida, Habitus Corporis mollior & craſſior, &c. Vix, dixi, in Grumos concreſcere talem Sanguinem. Interdum tamen, ubi ex arctâ Vulvæ clauſurâ coërcetur nimiùm, in Grumos tandem convertitur, quod perinde neminem fallere debet.

Quòd ſi *Acrimoniâ Seri aut Sanguinis* Malum induxerit, Dolor plùs minùs rodens, morſicans, pruriginoſus & Genitalia vellicans, cum conatu quodam ejiciendi, ſimul percipi ſolet.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: moleſtum non ſaltem Mulieribus, ſed etiam periculoſum Malum eſt nimia Menſtruatio; Eadem enim Mala, quæ aliàs inſequuntur Hæmorrhagias nimias, etiam nimium Menſium Fluorem inſequuntur, cùm præter Virium debilitatem, Digeſtionis primæ defectus, Cachexia, Pedum Tumor œdematoſus, ipſe Hydrops, item Fluor Albus, ut plurimùm ſupervenit Mulieribus ſæpiùs hoc Malo correptis.

Quò autem *diuturnior* eſt Fluxus, eò difficiliùs curatur. Obſervatum enim fuit à Lindano, quòd interdum ad triennium continuò duraverit.

In *ſeneſcente Muliere* ſuperveniens nimia Menſtruatio plerumque incurabilis eſt, & ad Mortem eam comitatur. Plura audiviſtis *ſuprà lib.* 1. *ubi de Hæmorrhagiâ.*

## CURA.

His ita præmiſſis conſideranda eſt *Cura*: in qua *Fluxus ſiſtendus eſt*; obſervando tamen, ne fiat hoc ſubitò nimis, aut uno quaſi impetu, præprimis ſi aliquandiu ſuppreſſus fuerit, aut parcè prodierit; potiſſimùm in Phlethoricis, & ſi Criſis ſubfuerit. Nam Plethoricæ habitiores, quando ſine debilitate Fluxum hunc perferunt, relinquendæ ſunt, quia aliàs mille, & gravia nocumenta infert ſubitò reſtrictus Fluxus,

(vid. M. A. N. C. *Anno* 2. *Obſ.* 26. *p.* 47.) nempe Uteri Inflammationem, vel ſi in alium locum Sanguis derivatur, ut in Pulmones, Dyſpnœam, Choleram, Dolores Abdominis, &c. quin potiùs, ſi Debilitas, Syncope, aut Convulſiones ſuperveniant, demum curandus venit, ubi Cauſarum Remotarum vis infringenda, & ita Fluxus ſiſtendus: vid. Mercatus *de Ind. Med. cap.* 3. & Sylvius *Prax. lib.* 3. *cap.* 3. Adeoque in Curâ, *Cauſarum imprimis habeatur reſpectus*: hinc

1. Opera danda eſt, ut *Sanguis*, *vel imminuatur* Inediâ, Laboribus, Sanguinis detractione; *vel alteretur* Abſinthio, Rhabarbaro, *vel Fervor*, *& Turgeſcentia ejus nimia compeſcatur*, & Plantagine, Portulacâ, & blandis Acidis *coërceatur*.
2. Ejus *Fluiditas inſpiſſanda* Incraſſantibus, & Seroſitates acres Martialibus, & Abſorbentibus dictis corrigendæ, & temperandæ.
3. *Atonia*, *& Vaſa Uteri nimis laxa coarctanda*, vel læſa conſolidanda, & Adſtringentibus, imprimis Martialibus, firmanda.

Ad hos Scopos aſſequendos *Obſervandum*

I. *Ne ſubitò nimis*, qui aliquandiu jam duravit, *ſupprimatur Fluxus*, ſed potiùs ſucceſſivè; adeò omnis ſubita Suppreſſio periculoſa eſſe ſolet: Conf. M. A. N. C. *Anno* 2. *loc. alleg.*

II. *Diæta probè obſervanda*, *& ordinanda*, quæ conſiſtit in Potu calido, Quiete Corporis, & Animi perquàm neceſſariâ, Extremorum Fotu calido, vitando Aërem frigidum, & Vinum: hujus enim uſu ordinariò exaſperatur inſigniter Fluxus.

III. Quoad *Purgantia*: laudantur ab his, culpantur ab illis. Lindanus ſanè ab his abſtinendum eſſe ait. Interim tamen cum diſtinctione hoc accipiendum: Conveniunt nempe Purgantia in Subjectis ſeroſioribus: ut ita Serum nimium evacuetur, & ita ſubtracto Sanguinem diluente Latice, hic ſpiſſior redditus minùs effluat; deinde commodiùs ad præcavendum, antequàm ille Fluor ſuperveniat, non in ipſo Fluxu, adhibentur, cùm, ſi in ipſo Fluxu propinentur Purgantia quæcunque Menſium Fluxum potiùs ſtimulent, & promoveant. Aut ergò penitùs omittenda, aut, ubi iiſdem utendum eſt, lenia ſunt uſurpanda, & quæ Adſtrictionem aliquam poſt ſe relinquunt: quæ inter eminent *Rhabarbarum*, etiam à Barbette laudatum, quod in talibus caſibus vi alterativâ plùs juvat, quàm laxativâ noceret, & *Myrobalani*: vid. Sennertus *Prax. lib.* 4. *part.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 6. Et quidem Rhabarbarum propinatur ad ʒj. cum *Conſervâ Roſarum* mixtum, vel cum *Syrupo Cydoniorum aromatiſato*, ſeu *ſimplici*: v. g.

℞. *Pulv. Rhabarb. el.* ℈j. ʒß. ad ʒj.
*Miv. Cydon. ſimpl.* ʒij. vel ℥ß.
*Aquæ Plantag.* ʒvj. ad ℥j.
M. pro Hauſtulo laxativo, qui poſt ſe adſtrictionem relinquit.

D. S.

Potio Abluens.

In ipſo Fluxu etiam nimio ſingulis Septimanis bis Rhabarbarum uſurpari poteſt à ʒß. ad ℈ij. vel ſolum, vel cum *Nuce Moſchatâ*, mane in Vehiculo calido: e. g.

℞. *Pulv. Rhabarb.* ℈j. ʒß. ad ℈ij.
*Nuc. Moſch.* gr. vj.
M. D. S.
Pulvis Abluens.

IV. *Venæ ſectionem in Brachio* ſunt, qui ſuadent, ut repellatur Sanguis ad loca ſuperiora; ſed quocunque in loco inſtituatur, *peſſimo adhibetur conſilio*. Quid enim opus eſt Sanguinem ex nimio Fluxu deficientem ulteriùs imminuere? potiùs removeantur Cauſæ Fluxum ſtimulantes, & ipſe ceſſabit Fluxus. Vanum ergò in nimio Menſium Fluxu præmittenda eſſe Univerſalia, qui Canon ineptè intellectus multos perdit. Stultum Remedium Venæ ſectionem vocat Lindanus, quod potiùs plùs promoveat Fluxum, quàm prohibeat. *Ego*, dicit, *plures tales abſque Venæ ſectione curavi*; *doctus enim*, *à Venæ ſectione Fluxum fieri vehementiorem. Neque etiam laudo*, dicit, *Cucurbitulas*: *licet enim aliquid agant applicatæ*, *tamen*, *quando attrahere ceſſant*, *rurſus procedit Fluxus*. Solent enim aliàs Practici *Cucurbitulas* nunc Dorſo, nunc etiam Mammis applicare ſecundùm Hippocratem, nempe *Sect.* 5. *Aphoriſm.* 50. *Mulieri ſi placet Menſtrua ſiſtere*, *Cucurbitulam quammaximam ad Mammas appone*. Has tamen nocivas eſſe, etiam putat Barbette *in Praxi*.

V. Quin præſtat, ſi in ſtatu Sanguinis ſeroſo Evacuatio quædam inſtituenda, loco Purgantium, aut Venæ ſectionis, *per Sudores*, *& Diureſin* eandem inſtituere, ut ita textura Sanguinis alteretur, & etiam ſeroſum Vehiculum unà cum acrioribus Salibus nonnihil ſubtrahatur, unde reliqua Maſſa Sanguinea neceſſariò craſſior, ac ſpiſſior fieri debet. Et utut ſub ipsâ Sudatione fluidior reddita Maſſa Sanguinea uberiùs per Uterum excerni videatur, poſt peractam tamen Sudationem, dum Serum fuit evacuatum, & Sanguis ſpiſſior factus, Fluxus Uterinus poſtmodùm ceſſat. Idem eſt cum Diureticis.

VI. *Opiata* in Paroxyſmo præcavendo, & curando multùm proſunt, cùm & Spirituum impetum ſiſtendo, & Irritationem circa partes uterinas ſufflaminando, notabiliter Fluxum impediant. Habeatur tamen ratio in eorum uſu Virium, ne Viribus nimis exhauſtis copioſiùs uſurpentur Opiata.

*Remedia* ergò, quæ contra Fluxum Menſium nimium ſunt in uſu, ſunt maximam partem, vel *Abſorbentia*, aut *temperantia* ratione Sanguinis; vel *Adſtringentia* ratione Uteri. Sanè vix reperitur hic Fluxus nimius, niſi ut plurimùm ſimul ſubſit Acidum ſui generis eundem ſtimulans. In genere ergò, quæ aliàs *ad Hæmorrhagias nimias ſuperiùs lib.* 1. ſunt commendata Remedia, etiam hîc habent ſuum locum. Et quidem, *ubi Æſtus*, *ac Orgaſmus Sanguinis* eſt nimius, ibi Oleum, ſeu Spiritus Vitrioli in Aquâ Plantaginis propinatus, & ſubinde libatus, Sanguinem ſiſtit; idque imprimis, ubi Calor, & Ardor ſimul affuerint. Qnando *minor adeſt Æſtus*, ſolum Nitrum præparatum, aut ex ipſo paratus Lapis Prunellæ, ſufficere poſſunt: quin & tunc alia blanda Acida Adſtringentia, Corallinis, Cydoniatis, ac ſimilibus miſta, utiliter uſurpantur, v. g. Succus, & Syrupus Granatorum, Succus Berberum cum Coralliis præparatis, cum Syrupo Coralliorum *Quercetani*, ac ſimilibus. In ſpecie tamen *Appropriata* Sanguinem incraſſantia, & adſtringentia, & fluiditatem corrigentia, ſunt ſequentia: *Plantago*, quæ ipſa, quacunque ratione uſurpata, mirè conducit: Succus Plantaginis ad uncias aliquot internè hauſtus multùm conducit: Sic Experimento Solenandri ex Succo Plantaginis ℥iv. Colophoniæ ʒi. exhibito, nimium Menſtruorum Fluxum curatum, obſervavit Schlegelius: vid. Velſchius *Mictomim. Centuriâ* 1. *Obſervat.* 43. *annexis Anno* 4. *&* 5. M. A. N. C. Sicut etiam idem Succus extrinſecùs in vaginam Uteri injectus, Vaſa adſtringit; vid. Foreſtus: aut etiam Mixtura ex pauco Aceto, & Bolo Armenâ, ſimul etiam vulgari, externè impoſita Lumbis, & regioni Hypogaſtricæ, aut Genitalibus, aut Utero injecta, inſigniter ſiſtit Fluxum. Poſt Plantaginem eſt *Portulaca*, item Burſa Paſtoris, Urtica major, Millefolium flore albo, & imprimis horum Succi, qui Menſium Profluvium ſiſtunt: item Muſcus Prunorum ſylveſtrium, & Muſcus quercinus ad ʒj. in Ovo ſorbili mixtus, ſi non prima vice, certè ſecundâ, vel tertiâ

tertiâ vice, nimium Uteri Fluxum compeſcit: Porrò ſingularis eſt Lyſimachia flore purpureo, & ſimilia: item Symphytum majus, ejuſque Radix, Radix Biſtortæ, imprimis Acori paluſtris, ſeu Acori adulterini, & ex eodem paratus Syrupus Adſtringens *Langii*: ſic etiam Nux Moſchata, Cortices Aurantiorum acidorum, eorumque Decoctum, commendantur à quibuſdam: item Cortices Radicis Mori, Cortices Granatorum. De Floribus Balauſtiorum res nota eſt. Semen Papaveris, & Hyoſcyami modò dictis convenienter additur, unde Pulvis ex Semine Hyoſcyami *Plateri*, ac huic valdè ſimilis *Heurnii*, conveniunt. Pyra, Sorba, Cydonia, Meſpila, & ſimilia Adſtringentia ſunt nota. De Semine Argentinæ vid. Burgois *lib. de Obſtetricibus Tom. 4. c. 7.* Lignum Lentiſcinum, ubi proſtat, & ex eodem paratum Decoctum, Experimentum eſt Fonſecæ, qui iſtud inſigniter commendat, & laudat. Ex hoc Ligno Lentiſcino deſumpta Maſtiche etiam egregiæ eſt virtutis, unde pro Potu ordinario Decoctum Maſtiches in Vino auſtero uſurpandum venit. Alii Viſcum Quercinum ad ℥j. in Ovo ſorbili propinant, & ita Menſes reſtringunt.

Ut plurimùm tamen *ad Serum Sanguinis*, vel copioſius, vel aquoſius, reſpiciendum erit: pro quo Scopo Remedia inter eminet *Mars*, & *Martialia* quæcunque, ſive ſint Aperientia, ſive ſint Adſtringentia, imprimis ubi Cachexia imminet; hinc excellit hìc *Liquor Martis Solaris*, qui, utut Menſes ſtimulet, tamen, & Menſes nimiùm fluentes, & Lochia nimiùm fluentia ſiſtit, *aperit*, & *conſtringit*. Egregiè ergò convenit. Per ſe namque omnia Remedia ex Marte adſtringunt, & dum abſorbent Acidum in primis viis, ſi non inveniunt, quæ præcipitent, & abſorbeant, tunc vi aperitivâ, vel potiùs alterativâ optimè conveniunt. Unde juxta hæc *Tinctura Martis adſtringens*, vel *Tinctura Sulphuris Vitrioli*, quæ eſt Martialis, vel *Tinctura Antiphthiſica*, ex Vitriolo Martis, & Saccharo Saturni parata, ſunt optima. Pertinent huc alia Subjecta Martialia, *ut Lapis Hæmatites* præparatus, qui *in Succo Granatorum*, vel *Cydoniorum* ſumptus Menſes ſiſtit. Tinctura Lapidis Hæmatitis, item Liquor Stypticus ex Terrâ Martiali, quæ in fodinis Martis reperitur, cum Spiritu Vitrioli paratus, & ſimilia alia Martialia adſtringentia. Præter dicta inter *Simplicia* ſunt adhuc Coralia pulveriſata, vel præparata, & omnia ex Coralliis parata; Tinctura eorum cum Spiritu Lignorum parata, & alia ex Coralliis parari poſſunt: Nam Poterius *in Centuria 3. cap. 43. & 95.* curavit immodicum, & inordinatum Menſium Fluorem, aliis irritis, Eſſentiâ Martis adſtringente, ac Tincturâ Corallicrum. Bolus item Armena, Terra Sigillata cum Spiritu Vitrioli irrorata, & quælibet his cognata Martialia, uti etiam Medulla Saxorum, egregia ſunt Remedia; nam ſic potentiùs adſtringit Terra Vitrioli dulcis. Præter Martialia aliaque conveniunt in ſpecie alia, quæ adhuc Seroſitatem abſorbent, Acrimoniam temperant, & Partes laxatas vi ſtipticâ firmant: qualia ſunt Succinum album, Trochiſci de Carabe à ℈ß. ad ℥j. de Terrâ etiam Sigillata, Os Sepiæ præparatum, Sanguis Draconis. Pro Vehiculo talium inſervit Aqua ad Hæmorrhagiam Uteri *Mynſichti*, Tenellorum Cornu Cervi, Spermatis Ranarum, Aqua, Succus, & Syrupus Plantaginis, Portulacæ, Millefolii, Urticæ majoris; item Syrupus Granatorum, Syrupus Coralliorum *Quercetani*, Papaveris, & ſimilia poſſunt addi.

Juxta hæc *ex Regno Animali*, ſicuti alias Hæmorrhagias, ita in ſpecie Uterinas, ſiſtunt *Stercora*: quæ inter primatum obtinet Aſininum, & hinc Suillum, ſive Pulvis, ſive ex iiſdem exprimatur Succus, qui cum tantundem *Syrupi Myrtillorum* miſcetur, & diluitur *cum Aquâ Plantaginis*: e. g.

℞. *Aquæ Plantag.* ℥j.
*Succ. Sterc. Aſin.* vel *Suill.*
*Syrup. Myrtill.* an. ℥ß.
M. S.
Potio Adſtringens.

Vel ex hoc Stercore Aſinino Vino infuſo, addito Saccharo, fiat *Syrupus*, mirè conducens ad Uteri Hæmorrhagiam; nam Stercus Aſininum eſt potentius Porcino. Imò *Stercus Caninum* album pulveriſatum, & defectu dictorum Stercorum, vel per ſe, vel cum aliis propinatum, nobile eſt Remedium, & certum Experimentum. Novi Mulierem jam vetulam, quæ adhuc in medietate, ſeu flore Ætatis aliquando deſperatâ Uteri Hæmorrhagiâ laborabat, quæ aliis omnibus irritis arrepto Stercore Canino ex plateâ pulveriſato, & Vino acidulo propinato, ſublevata & ſic curata fuit. Sic jam dimidius annus eſt, cùm Experimenti gratiâ Mulieri ruſticæ, graviter hoc Malô afflictæ, ruſticum Remedium ſuaſi, ſcilicet Stercus Caninum, quô aſſumptô, ſubitò convaluit. Aderant verò adhuc Tormina, forſan ex Grumis Sanguinis adhuc reſtitantibus, quæ propinatâ Tinctura Bezoardicâ, mediante blando Sudore ſponte ſedabantur. Aliàs etiam *Uſnea Cranii Humani* ad ℥j. interiùs uſurpata, aliis nihil juvantibus multoties à D. Michaelis experta fuit; nam mirè confert ad ſedandam quamcunque, in ſpecie Uteri, Hæmorrhagiam. *Vitelum Ovi* in Vino rubro diſſolutum, ac ſæpiùs repetitum, Experimentum eſt Hartmanni, quod didicit ex Amato Luſitano *Cent. 4. Curat. 12.* Ubi refert, Menſes dinturno tempore fluentes, aliis irritis per Vitellum Ovi in Aquâ Roſarum diſſolutum, reſtrictos. Conveniunt ulteriùs Oſſa, & Cornua Animalium calcinata, Cornu Cervi uſtum, Cortices Ovorum uſti, item Raſura Cranii Humani pulveriſata, &c., quæ ad ℥j. ſubinde aſſumpta, etiam egregiè conducunt. Raſura Dentis Hippopotami in Aquâ Sanguiſorbæ aſſumpta ab Hoechſtedtero *Decad. 4. Caſ. 2.* inſigniter laudatur. Quidam ſimiliter uſurpant Sperniolam *Crollii*, quæ tamen propter Myrrham, & Crocum ingredientia minùs commodè applicari poteſt. *Pulvis Turturis* certo modo præparatus eſt Experimentum certum Foreſti, quod deſcribit *lib. 28. Obſerv. 10.* & quod poſtmodùm in uſu comprobavit Lindanus, qui hoc ipſo Pulvere Turturis aliquando in deſperato caſu Ægram ſublevavit. Videatur præparatio in Foreſto, Hartmanno, & aliis (Z). Quin & Eſſentia Mumiæ, aut ipſa Mumia quantitate Avellanæ in Vino rubro, aut in Aquâ Plantaginis vitriolatâ aſſumpta cuidam in Secretis fuit, aut his cognata Papaverina.

Cum his *ex Opio parata Anodyna* nunquam omittenda ſunt ad Sanguinis Excretionem ſiſtendam, quæ inter excellit Laudanum Opiatum, Theriaca, Trochiſci de Carabe, Electuarium Diaſcordii *Fracaſtorii*, cum Vehiculo acido, aſſumpta: Nam ſi oritur Fluxus ex *nimiâ Turgeſcentia*, eundem ſimpliciter ſiſtit Spiritus Vitrioli in Aquâ plantaginis; Sic Pilulæ *Poterii* Laudianæ ex Laudano Opiato parratæ inſigniter proſunt: Refert namque Poterius *Centuriâ 3. cap. 49.* ſe aliquando continuum Sanguinis ex Utero Fluxum duobus annis perdurantem curaſſe per Vitriolum Martis, & Pilulas Laudinas, cùm jam Cachexia, & Leucophlegmatia immineret. Sulphur



(Z) Nota Cyrilli. *Pulverem Turturis Maſtiche infarctæ, ac leni furni calore toſtæ, efficaciſſimum expertus ſui in Virgine, pertinaci & copioſo Menſium fluxu affectâ.*

Antimonii *Tachenii* vi anodynâ Hæmorrhagias Uteri ſiſtit.

Denique *Alumen*, & Aluminis uſus etiam ſunt experta Remedia; Alumen enim crudum à ℈ß. ad ℈j. vel 3ß. quotidie aſſumptum, vel per ſe, vel cum aliis, Remedium ſummum eſt Zwelferi. Unde etiam à quibuſdam Balneum Aquæ, in qua Alumen puriſatum decoctum, ceu infallibile Experimentum commendatur.

Ex his multæ fieri poſſunt *Formulæ*: e. g. Lindanus ſequenti Pulvere compoſito quamplurimas reſtituit, ſpeciatim dum ex nimiâ Seroſitate Sanguinis Malum ortum traxerit.

℞. *Corall. rub. præp.*
*Succini flav.*
*Bol. Armen.*
*Sang. Dracon.* an. 3ij.
*Sem. Plantag.*
*Borrac. calcin.* an. 3j.
*Laud. Opiat.* gr. iv. vel vi.
*Extr. Croci Hartmanni* (Prax. c. 59. §. 8.) an. ℈j. M. ſub formâ Pulveris.

Pulvere hoc ipſe innumeras Mulieres, Menſium nimio Fluxu laborantes, reſtituiſſe dicit. *Inter alias*, pergit, *nuperrimè curavi Fœminam, quæ per triennium hoc Fluxu laboraverat. Me nunquam fefellit. Nullo alio opus habetis Remedio. Verùm notetis, continuari oportere, ſi opus fuerit, & repetendum. Continuari debet per 5., vel 6. ſeptimanas, & ultrà.* Uſus eſt ter in die, mane, ante prandium, & ante cœnam ad 3j. Vel cum ſ. q. *Syrupi de Roſis ſiccis* f. Electuarium, cujus Doſis Nucis Caſtaneæ magnitudo. Sic ego ad imitationem hujus Pulveris aliquando Mulieri corpulentæ, ſed Sanguine ſeroſiore turgidæ, & ſcorbuticæ, poſt Abortum, aliquo temporis ſpatio interjecto, ſubinde in enormem Uteri Hæmorrhagiam relabenti, aliis ferè fruſtraneis, cum ſucceſſu præſcripſi hoc *Electuarium*.

℞. *Conſ. Roſ. antiq.* 3vj.
*Diacydon. ſine Spec.* 3iij.
*Corall. rub. præp.*
*Oſſ. Hum. calc. præp.*
*Trochiſc. de Carabe* an. 3j.
*Alum. crudi*
*Sem. Plantag.* an. ℈ij.
*Laud. Op.* gr. iij. iv. vel vj.
Cum *Syrupo Corall.* vel *de Roſis ſiccis* q. ſ. f. Electuar.

Quod ipſum in principio propter Alumen aliqualiter turgeſcit, tanquam fermentans, ſed mox ſponte deſinit. Hoc ter in die magnitudine Juglandis capiendum, & hauſtulus Vini ſuperbibendus, egregiè conducit ad ſiſtendam nimiam Uteri Hæmorrhagiam.

Vel

℔. *Conſer. Roſar. vitriolat.* 3j.
*Cornu Cervi uſt. præp.*
*Hæmat. præp.* an. 3j.
*Alum. Sacchar.* gr. xij.
*Laud. Op. per ferm.* gr. ij.
Cum *Syr. Granat. acidor.* f. Electuarium.
D. S.
Electuarium Adſtringens.

Vel

℔. *Conſ. Roſ. antiqu.* 3j.
*Corall. rub. præp.*
*Bol. Arm. præp.*
*Hæmat. præp.* an. 3j.
*Cornu Cervi uſti præp.* 3ß.
*Alum. crudi* 3ß.
*Laud. Op. cum Aceto præp.* vel modo *Glauberi* gr. vj.
Cum *Syr. de Roſis ſiccis* f. Electuarium.
D. S. ut ſuprà.

Doſis quantitas Juglandis mane poſt hauſtum Juſculum, item ante prandium, bihorio ante cœnam, & ſub introitum lecti, ſæpiùs continuando.

Aliud *Electuarium* vid. in *Ideâ Formul. Cl.* 1. §. 6. & *Decoctum Adſtringens Cl.* 4. §. 10. Vel propinetur ſequens *Mixtura Sylviana*, ad omnes Hæmorrhagias communis.

℔. *Aquæ Burſæ paſt.*
*Plantag.*
*Tormentill.* an. 3j.
*Aceti deſtillat.* 3iii. ad ℥ß.
*Corall. præp.*
*Hæmat.*
*Sang. Drac.* an. ℈j.
*Laud. Op.* gr. ii.
*Syr. Myrtini* 3vi. ad ℥j.
M. S.
Potio Adſtringens pro aliquot doſibus.
Detur cochleatim.

Vel

℔. *Aquæ Sperm. Ranar.*
*Fol. Querc.* an. 3vi.
*Hæmat. præp.* ℈ii.
*Muſci Cranii humani* ℈i.
*Syr. Myrtill.* 3iij.
M. S.
Potio Adſtringens pro unâvice.

Vel

℔. *Aquæ Plantag.* ℥iij.
*Spiritûs Theriac. ſimpl.* 3iß. ad 3iij.
*Aceti Vini* 3iij.
*Corall. rub. præp.* 3ß.
*Terræ Sigill.* vel *Hæmat. præp.* gr. xv.
*Laud Op. Glauberi*, vel cum *Aceto deſtillato præp.* gr. iij.
*Syr. Plantag.* 3iij.
M. S. ut antè.

Huc pertinet Potio illa cum Alumine & Spiritu Vitrioli, quod dedi *ſuprà l.* 1. *Sect. 6. ubi de Vomitu nimio.*

*Mulieri* in Fluxu Menſium nimio, omnibus 14. diebus recurrenti, poſt Fœtum mortuum, ordinavi Liquorem Martis Solaris omni mane uſurpandum: appetente verò veſperâ præſcripſi ſequentem Pulverem.

℔. *Corall. rub. præp.* 3ij.
*Dent. Hippop.* 3iß.
*Hæmat. præp.* 3j.
Miſc.
Convaluit.

Alia *Plebeja* occaſione Frigoris hyberni nimium & immoderatum Menſium Fluxum patiebatur, cui ordinabam Liquorem Martis Solaris, uſurpabat per quindecim dies & noctes, hinc ceſſabat.

*Mulier* alia Menſium Fluxum patiebatur, recente Pane veſcebatur, & Menſes ſiſtebantur [*ſubitò enim ſiſtit Menſes*) nec per dimidium annum recurrebant; Abdomen intumeſcebat, ut putaret, ſe Gravidam eſſe; hinc effluxis ſex menſibus, occaſione Ponderis & Abdominis in altum elevati ſenſum ruptionis in imo Ventriculo percipiebat, hinc maxima copia Sanguinis per plures ſeptimanas profluebat, Venter detumeſcebat, Vires labaſcebant, Appetitus deficiebat, ipſa pallida evadebat, unde pro adſtrictorio ſcopo Liquorem hunc ordinabam, cujus uſu Fluxus nimius ſiſtebatur.

Superiore autem Æſtate eundem Liquorem dedi *Mulieri* cuidam nimio Menſium Fluxu laboranti, ſed fruſtrà; quia bibacula erat, unde nihil præſtabat. Verùm Corallia cum Terrâ Sigillatâ aliquandiu propinata hunc Fluxum curabant.

*Mulier* alia gravi Hæmorrhagiâ Uteri, eâque ſæpiùs recurrente, cum Scorbuto & atoniâ Uteri afficiebatur:

batur: curabatur, propinando interdum Pulveris Rhabarbari 3ß. pro doſi hinc præſcribebam:

℞. *Corall. rubr. præp.*
*Lap. Hæmatit. præp.*
*Boli Armen. præp.*
*Unic. veri præpar.* an. 3j.
*Sem. Plantag.* ʒij.
*Alum. crudi* ʒß.
*Laud. Op.* gr. v.
M. f. Pulvis.

Bis in die capiebat, bihorio ante cœnam, & ſub introitum lecti, mane verò capiebat Solutionis Martis cum Succo Pomorum gutt. xxx. Interdum Pulvis iſte cum Conſervæ Menthæ, & Roſarum rubr. an. 3vj. & Syrupo Roſar. in conſiſt. Electuarii, ſed ipſi ingrati, redigebatur.

Hiſce maximam partem convaluit: nempe hujus Sanguis ſeroſior, acore ſcorbutico inquinatus, cum atoniâ Uteri, & vicinarum partium; hinc Martialia, Rhabarbarata, & Pulveres partim Alterantes, partim Abſorbentes, partim Adſtringentes, proficua fuerunt. Inſequente tempore crebriore & aliquandiu continuato Succi Abſinthii recenter expreſſi uſu matutino, optimè habuit, alterando dyſcraſiam Sanguinis, & atoniam Viſcerum, hincque imminentis Hydropis metum avertendo.

Alia *Mulier* ſeroſioris ac ſcorbuticæ admodum conſtitutionis, Fluxu crebro & copioſo admodùm tentabatur, idque per aliquot annos, præmiſſis Martialibus, & Pulveribus modò præſcriptis ſimilibus, convaluit, capiendo omni manè Succi Abſinthii & Plantaginis, ex conciſis recenter expreſſi, pòſt Juſculum pro lubitu, excipiendo ſubinde pro Pane eburyrato Abſinthium, & quibuſvis 8. vel 14. diebus ſemel doſin Pulveris Rhabarbari. Hiſce continuatis convaluit, & cum aliquandiu ex Gemellarum Partu fuiſſe læſa, ita, ut ſuperiùs graves Dolores in profundo Hypogaſtrii ſiniſtri perciperet, quos ferè ſequebatur Hæmorrhagia Uteri, horum Succorum dicto modo continuato uſu & hi evanuerunt. Tam præſtans eſt Plantago in talibus caſibus, in cujus Succi defectu Extractum ſuccoſum, aut Pulvis Foliorum Plantaginis, commodè ſubſtitui poteſt.

Hæc ſunt Interna: Juxta quæ ſubinde tamen etiam quædam *Externa*, Fluxum Menſium nimium compeſcentia, & Collo appendenda, & circa Uterum applicanda ſunt. *Jaſpidem* Collo appendendum ſunt qui laudant. Ego verò commendo *Bufonem* violenter interemptum, exſiccatum; vel Oſſa ejus Collo aut ſub Axillis appenſa, ſic geſtata: Alii Bufones vivos contuſos, aut etiam exſiccatos circa Os Sacrum applicant, non abſque ratione aut ſucceſſu. Mindererus *in Medicinâ Militari* producit *Nodulum* appendendum, in quo *Rana viridis* lentè exſiccata fuit. *Peſſi* ex Stercore Aſinino & Suillo cum Succo Plantaginis, & Mucilagine Seminis Cydoniorum formati, Sindone excepti & applicati, potenter ſiſtunt hos Fluores: vel ex Fimo Porcino fiat Peſſus ad imitationem Cnœfelii *M. A. N. C. Ann. 6. & 7. App. pag.* 143. loco quorum *Clyſteres Uterini* ex Simplicium Adſtringentium Decocto, vel ex eorum Succis, addito Alumine, vel ex Succo ac Decocto Stercoris Aſinini cum Aquâ appropriatâ, vel Injectiones ex Succo Plantaginis, vel ſolo, vel dicto Stercore imprægnatæ, ſunt egregiæ: e. g.

℞. *Fol. Querc.* vel *Plantag.* M. j.
*Rad. Torment.* vel *Biſtort.* 3vj.
*Gall. contuſ.* ʒß.
*Stercor. Aſinini* ʒiß. vel *hujus & Sterc. Suill.* an. 3vj.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ ſimpl.* ad ʒviij. vel ix. Colaturæ. D. S.

Inſperſio Adſtringens.

Pro doſi ʒij. iij. ad ʒiv.
Injiciantur per Metrenchiten.

Plures Formulas vid. in *Ideâ Form. Cl.* 4. §. 27. & *Colleg. Formular.*

Si ſimul *Dolor* vehemens adſit, & *Ardor* in Vagina Uterinâ, commodè etiam Folia Hyoſcyami & Papaveris Semen Adſtringentibus decoquendi poſſunt addi.

*Cingulum* ex Helleboraſtro, ſeu ex Helleboro albo, cujus Folia ſunt inſtar Plantaginis, ſed majora, Experimentum eſt Rencalini, ut etiam Hartmanni *in Praxi cap.* 220. §. 12. quo etiam felici cum ſucceſſu uſus fuit Lindanus in Puerperâ, cui fluitarunt nimis Lochia: ſed Æſtate tantùm poſſunt haberi hæc Folia recentia; unde in horum defectu poteſt ſubſtitui Cingulum ex Burſâ Paſtoris & Millefolio, quod Lumbis circundari poteſt: Hiſce ferè præferrem Polygonum ſeu Centumnodium, quod intra duos lapides contritum, ſub Axillis, item circa Lumbos, item in regione Pubis, commodè applicari poteſt. Panarollus *in Faſcic. Arcan. p.* 414. pro Curâ Magneticâ ad Fluorem ſiſtendum commendat Linteum Sanguine fluente imbutum, & ſub cineribus calidis poſitum, cujus Fumus Utero inſpiretur & excipiatur: Hoc ſuccedit, ubi eſt ab Æſtu & Turgeſcentiâ Sanguinis: ſed ubi eſt à nimiâ Sanguinis Fluiditate, fruſtrà adhibetur. De Pulvere Sympathetico res nota eſt, quòd etiam hunc Fluxum ſoleat ſiſtere. Affirmavit mihi hujus efficaciam quidam Amicus, qui aliquando felicem hujus percepit uſum: ſcilicet recepit hujus *Pulveris* pug. j. quem diſſolvit in *Aquâ tepidâ*: Solutioni immiſit *Linteum, Sanguine fluente recente tinctum.* Et hoc ipſum prodeſt non tantùm in vulgari Hæmorrhagiâ Uteri nimiâ, ſed etiam, ſi eadem poſt Abortum ſequatur. Aliud Experimentum refert Helvetius *in Diribitorio Med. pag.* 117. quòd nempe Menſes ſiſtat, ſi Mulier tali Fluxu laborans induat Induſium per octiduum à Viro geſtatum; *ſed metuendum*, dicit, *ne exinde in tantum ſupprimantur Menſes, ut nunquam amplius in poſterum fluant.*

Progredimur in *Externis*: *Cataplaſma* ex Gypſo, vel Terrâ Cimeliâ, cum Aceto irroratâ, Spinæ Dorſi prope Lumbos, applicandum: vid. Timæus *von Guldenklee*, *lib.* 4. *Caſ.* 29. & M. A. N. C. *Ann. 6. & 7. App. pag.* 142. *Spongia* marina in *Aceto* ſimplici aut *Roſaceo*, vel ſolo, vel cum Vino rubro permiſto, bulliat, imprægnetur, & ſupra Pubem aut Genitalia applicetur: Conf. Riverius *Cent.* 4. *Obſ.* 86. Vel Sperniola *Crollii* in Aqua Spermatis Ranarum diſſoluta, & cum Spongiis vel Linteis duplicatis admoveatur Vulvæ, & ſic ſiſtitur Affectus.

Item

℞. *Rubr. fabril.*
*Hæmatit.*
*Terræ Vitriol. dulc.*
*Boli rubr.* an. part. æqu.
Pulveriſata miſc. cum ſ. q. *Album. Ovor.* & *Aceti* in conſiſtentiam *Cataplaſmatis*, Abdomini, in ſpecie regioni Pubis, applicandi.

D. S.

Cataplaſma Adſtringens.

*Succus Plantaginis* etiam, vel ipſa Plantago contuſa, & cum Aceto irrorata, Mammis applicari debet; ſic enim etiam Uteri Hæmorrhagia ſiſtitur. Id quod etiam fit, ubi Aqua Spermatis Ranarum cum Aceto permiſta cum Linteis aut Spongiâ applicatur Mammis. Optimum eſt Sperma Ranarum recens collectum, non deſtillatum, ſed *Methodo Zvvelfferianâ* per Saccum tranſcolatum, & cum Alumine conſervatum, cum Linteo duplicato, vel Spongia frigidè

gidè aut ſaltem tepidè regioni Pubis & Uteri aut Lumbis, aut regioni Oſſis Sacri, vel cum Spongiâ Vulvæ, applicetur, ſæpiùs repetendo: cui parum Aceti Roſacei poteſt addi: e. g.

℞. *Sperm. Ran. Meth. Zvvelff. aſſerv.* ℥iv.
*Aceti roſac.* ℥iß.

M. & in formâ Epithematis dicto modo applica.

Si hoc non ſufficeret:

℞. *Vitrioli ad albed. blandè calcin.* q.v.
*Sperm. Ranar. non deſtillat.* q. ſ. pro incorporatione ad Pultis mollioris formam.

Quæ Mixtura cum Panno craſſo, vel Linteo triplicato aut quadruplicato, Dorſo & Lumbis verſus & ad Umbilicum uſque applicanda, & egregiè convenit.

De *Succo Sempervivi*, cum Nitro & Aceto, Mammis applicato, vid. ſuprà, ubi de Phrenitide. *Sacculus* item ex Stercore Aſinino in Aceto Calido immerſus vel decoctus, regioni Pubis vel Vulvæ applicatus, eſt egregius. *Chelidonium* majus, aut Plantago cum Aceto contuſa, Pubi imponantur, item Mammis; nam hæc Mammis impoſita Fluxum Uterinum reſtringere dicuntur, eodem modo, atque ſimilia in Maribus Teſtibus admota, Hæmorrhagiam Narium ſiſtunt. Unguenta ſunt v.g. *Comitiſſæ*, quæ applicantur Oſſi Sacro vel Spinæ Dorſi. Sed verum ut fatear, hæc ipſa parùm aut nihil juvant. *Salviæ Succus* cum Farinâ triticeâ extrà Pubi tanquam Cataplaſma applicatus, etiam compeſcit adſtringendo hunc Fluxum. Prætereà *Suffitus* ex *Thure, Maſtiche, Ladano*, vel *Vapor Aceti*, ſuper *Scorias Martis ignitas* effuſi, exceptus Genitalibus compeſcit nimium Menſium Fluxum. Nihil æquè etiam Menſes ſiſtere dicitur, quàm *Fumus* Seminis Sinapi, vel Salviæ Herbæ, per Infundibulum exceptus. Denique in Malo Chronico præmiſſis præmittendis uſus externus *Thermarum naturalium* eſt egregius. *Fotus* ex Decocto Aluminis pulveriſati, vel ſolitario, vel addito Centumnodio, Radice Biſtortæ, aut ſimilibus, cum Linteis multiplicatis aut Spongiâ applicatus regioni Pubis quibuſdam convenit.

## CAPUT III.

### *De Menſium Fluxu Depravato.*

TErtium in *Menſtruo Fluxu* occurrens *Vitium* eſt, quando hic *vitioſè ſeu depravatè*, & variis comitatus Symptomatibus procedit: Ad quod ipſum Caput quamplurima Accidentia & Vitia, & quidem *Menſium Difficultas*, pertinet.

## ARTICULUS I.

### *De Menſium Difficultate.*

UTut quidem citra ullum gravius Symptoma ſeu Accidens Menſes naturaliter fluant, fit tamen in quibuſdam, imprimis Corporis impurioris & cacochymici, ſeu quarum Succi à naturali ac debita Craſi in varios, acriores plùs minùs, auſteros vel acidos Sapores degenerant, ut eædem circa Menſium tempus uno alterove die ante Menſium proventum, aut etiam dum actu erumpere incipiunt, *Capitis Dolores, Ventriculi Morſus ac Dolores* admodùm gravativos, pulſatorios & tenſivos, in Lumbis percipiant, qui ſubinde ad Pubem uſque ſe extendunt. Prætereà non rarò *Dolores* atrociſſimi, tanquam *Colici*, Abdomen excruciant & variè Fœmellas torquent; qui Dolores ab Umbilico, Abdomen vagè percurrentes, ad Genitalia continuantur, & hinc ad poſteriora, ad Lumbos, reflectuntur, & ſimiles ſunt Doloribus Parturientium. Ulteriùs imminentes quaſi *Suffocationes*, aut ſaltem inſignes anguſtias in Præcordiis, item *Cordis Palpitationes, Reſpirationes anhelas*, ac ſimilia Pathemata perſentiunt, imprimis uno alterove die, dum Menſes inſtant, donec eorum fiat Fluxus; quibus fluentibus, Symptomata hæc aut remittunt, aut ſaltim continuant, licèt non adeò atrociter, donec ceſſante Menſium Fluxu omnia denique pacata fiant. Affectus eſt ſatis frequens in Mulieribus, quæ vitam agunt ſedentariam, aut iis, qui nunquam pepererunt.

## CAUSÆ.

*Cauſæ* difficiliorum horum Menſtruorum eædem ſunt, quæ Menſium ſuppreſſorum, nempe *Orgaſmus* & *Fermentatio* Sanguinis Menſtrui ordinaria, qualis quidem extra Menſtruationem ſolet obſervari, ſed quæ *ob Vaſa* vaginæ Uteri nimis conſtricta, aut à prægreſsâ menſtruatione infarcta, facilè impediunt Sanguinis egreſſum, unde iſti Lumborum, & circa regionem Pubis Dolores tenſivi, iſtæque Pulſationes. Imò ex Sanguine in Præcordiis turgeſcente plùs minùs quaſi & ſtagnante, iſtæ Anxietates, Palpitationes Cordis, & reſpirandi Difficultas ſuperveniunt. Quòd ſi in Cacochymicis vitiata *Bilis*, vitioſuſque *Succus Pancreaticus* ſub iſtâ Sanguinis Fermentatione copioſiùs in Inteſtina effundantur, quod ut plurimùm fit, hi vitioſâ ex Effervescentiâ, cum Acidum pancreaticum vitioſum in talibus imprimis præpolleat, copioſos generant *Flatus*. Prætereà Acor iſte vitioſus per Inteſtina delatus, indeque etiam ad Meſenterium penetrans, Membranas & Nervos, horumque Plexus afficiens, illorum Spaſmos & convulſivas Contracturas, Colicas convulſivas, ac inde lancinantes vagos ac mirè contorquentes Dolores excitant, donec factâ Sanguinis evacuatione, & ceſſante ejus Fermentatione menſtruâ, omnia fiant pacatiora, in ſtatum naturalem redeant. Uno nomine: tales Mulieres patiuntur Symptomata, ſimillima iis, quæ patiuntur Paſſionem Hyſtericam, de qua ſuo loco plura.

## DIAGNOSIS.

Hæc Menſium Difficultas ex Ægrâ facillimè patet.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: non contemnendum Malum eſt; partim, quia ſubinde, niſi maturè ſuccurratur, omninò Menſes ſupprimuntur; partim interdum gravia Pathemata Hyſterica dicta, aliaq; Symptomata, ſuperveniunt. Imò ubi Virgines tales difficiles patiuntur Menſes, eæ Mulieres factæ, graves pati ſolent Uteri Suffocationes. Aliquot novi Exempla.

## CURA.

Quod attinet *Curam*: in hac Tempus Paroxyſmi, & extra eundem obſervandum eſt. *In Paroxyſmo*

1. *Fermentatio* Sanguinis Menſtrualis *promovenda*; ut Menſes promptiùs erumpant, quod faciunt *Aromatica volatilia*.
2. *Vitiati Succi*, præſertim primarum viarum, qualis Bilis & Succus Pancreaticus, effervescentes *corrigendi*, eorum Effervescentiam coërcendo, Flatus hinc natos reſolvendo: quod præſtant *Martialia*: hinc Acida fixa &c.

Et

3. Denique nati exinde *Spaſmi* & ſpaſmodicæ Convulſiones Abdominis *ſupprimendæ*.

*Extra Paroxyſmū* verò *vitiata Craſis Sanguinis* Remediis

mediis *Anticachecticis*, hoc eſt, *Martialibus*, & *Aromaticis* volatilibus, additis vel interpoſitis blandè *Laxantibus, emendanda eſt.*

Quoad *Tempus Paroxyſmi*: imitandus hac in parte eſt Horſtius, qui in *lib. 5. Obſ.* 27. habet Exemplum Fœminæ juvenculæ, quæ ſingulis menſibus paulò ante Fluxum vehementiſſimos Dolores quaſi Colicos patiebatur, cum ſubſequente Diarrhœâ, ſæpiùs etiam Vomitu laborioſo, maximâque Tenſione versùs Pubem: Hanc ipſam curavit præmiſſo per octiduum ante Fluxum *Nodulo* Alterante & Laxativo in Vino, propinando in ipſo Menſium Fluxu Pilulas ſuas Hyſtericas, ex Menſes blandè ſtimulantibus compoſitas, quarum hæc fuit compoſitio:

℞. *Aloës ſuccotr.* ʒiii.
*Myrrh. opt.* ℈j.
*Extr. Calami arom.*
*Card. bened.* an. ℈ß.
*Croci* gr. iii.
*Rad. Gentianæ*,
*Ariſtol. rot.*
*Dictamni* an. gr. v.
Cum *Eſſ. Myrrhæ* ſ. Pilulæ:

Quarum ʒß. vel ʒj. dies aliquot continuandæ ſunt, ut citra moleſtiam fluant Menſes.

Conveniunt ergò in Paroxyſmo *Clyſteres* Carminantes & blandè Laxantes, imprimis terebinthinati, qui difficiles Menſes faciliùs promovent. Item *Eſſentia ad Menſes Compoſita*, ex Splene Bovis parata, nunc ſola, nunc cum Eſſentiâ liquidâ Martis, vel Solutione Martis cum Succo Pomorum permiſta, cui & addi poteſt Eſſentia Croci. Ipſum *Elixir Proprietatis* vulgare, vel, quod melius eſt, ſine acido, & Antiſcorbuticum, Tinctura Tartari Compoſita ritè parata, inſigniter conducit ad promovendos Menſes difficiles, uti etiam Menſes ſuppreſſos, ratione Aloës, Croci & Myrrhæ. Oleum deſtillatum Aniſi ad aliquot guttas propinatum convenientiſſimũ eſt in Doloribus Abdominis quaſi Colicis, cum Menſtruorum eruptione conjunctis: id quod didici ex Riverio *Cent.* 4. *Obſervat.* 85. & hujus etiam felicem uſum aliquoties vidi; præſtantius tamen eſt Oleum deſtillatum Succini: loco quorum Spiritus Salis Ammoniaci ſuccinatus & aniſatus uſurpari poſſunt. Parili ratione Oleum deſtillatum Cumini ad Menſes ſtimulandos, imprimis doloroſos, convenit. In genere *Martialia* & *Aromatica volatilia*, ſpeciatim *Appropriata*, primatum ducunt, quin etiam omnia Remedia Aromatica volatilia, quæ in Suffocatione Uterinâ ſunt proficua, in Paroxyſmo commodè præſcribi poſſunt, in ſpecie tamen Pulveres Cachectici Martiales, Caſtoreum & Myrrha, & ex hac parata Eſſentia Myrrhæ cum Tincturâ Tartari compoſ. V. g.

℞. *Eſſ. Martis liqu.* ʒii.
*ad Menſ. compoſ.* ʒi.
*Croci* ʒß. ad ʒi.
M. D. S.

Eſſentia Aperitiva.

Doſis 40. vel 50. guttæ ter vel quater in die, Menſes difficiles valdè promovet.

Vel

℞. *Tincturæ Vitrioli Martis Zvvelf.* ʒii.
*Eſſ. Abſinth.* vel *Cent. min.* vel *ſimilis arom.* ʒiß.
M. S. ut anteà.

Aut poteſt fieri talis Miſtura:

℞. *Aquæ Puleg.* ℥ii.
*Artemiſ.* ℥ß.
*Eſſent. Caſtor.* ʒiß.
*Spiritûs Salis Ammoniaci* ʒß.
*Olei deſtillat. Aniſi* gutt. iii.
*Syrup. de Artemiſ.* ʒvi.
M. f. Potio: S.

Mixtura Aperitiva, cochleatim ſumenda.

Vel

℞. *Aquæ Fœnic.*
*Puleg.* an. ℥j.
*Carminat.* ʒvi.
*Tincturæ Tartari* ℥ii.
*Liqu. Cornu Cervi ſuccin.* ℈j.
*Syr. de Artemiſ. compoſ.* ℥ß.
M. S. ut anteà.

Vel

℞. *Aquæ Fœnic.* ℥iß.
*Carminat.* ʒvj.
*Flor. Sulphuris* [qui in Doloribus Abdominis Colicis & Hyſtericis egregiè conveniunt] ʒß.
*Caſtor.* gr. xv.
*Myrrh.* gr. viii.
*Salis vol. Succini* ℈ß.
*Syr. de Canell.* ℥ß. vel ʒvj.
M. S. ut anteà.

De quâ Mixturâ ſucceſſivè hauriantur aliquot Cochlearia, & egregiè conducit ad levanda Symptomata in Menſium eruptione.

Item

℞. *Aquæ Puleg.* ℥ii. vel *hujus & Aquæ Fœnic.* an. ℥iß.
*Cinnam.* ʒiii. ℥ß. ad ʒvi.
*Eſſent. Caſtor.* ʒi.
*Spiritûs Salis Ammoniaci* ʒß.
*Olei deſtillat. Succini* gutt. v.
*Syr. de Artemiſ. compoſ.* ʒiii.
M. S.

Potio Aperitiva pro aliquot vicibus.

*Dulcia* vitanda ſunt in tali caſu, quia Malum exaſperant fermentando.

Vel

℞. *Aquæ Artemiſ. compoſ.* ℥iii.
*Solut. Martis cum Succo Pomor.* ʒi. ad ʒii.
*Syr. Flor. Calend.* ℥iß.
M. S. ut anteà.

Fui aliquando vocatus ad *Mulierem*, quæ ex læsâ Diætâ, cùm inſtarent Menſes, graves Abdominis patiebatur Dolores, & ſubinde recurrentes leves Hyſtericas Paſſiones. *Clyſter* hic fuiſſet optimus ſine dubio, quem tamen reſpuebat: Præſcripſi ergò ſequentem *Potiunculam*:

℞. *Aquæ Hirund. cum Caſtor.* ℥iß.
*Carminat.* ℥i.
*Puleg.* ℥ß.
*Sperm. Ceti* ʒj.
*Lapill. Cancr. præp.* (propter Acidum) ℈i.
*Antimonii Diaph.* ℈ß.
*Sal. vol. Succini* gr. viii.
*Syr. de Canell.* ʒvi.
M. f. Potio.

Quæ aliquoties cochleatim hauſta Symptomata levavit, & Menſes provocavit.

Hæc Potio etiam conveniret, *ſi ex ſubito Frigore externo ſuppreſſi eſſent Menſes*, propter Sperma Ceti coagulatum Sanguinem reſolvens, modò aliquid Caſtorei in ſubſtantiâ addatur.

*Mulier* quædam difficultate Menſium actu fluentium, Doloribus vagantibus & lancinantibus in omnibus Artubus, iiſque Scorbuticis, uti & Hyſtericis Abdominis Pathematis afflicta, cum Scotomiis, Syncope, ita ut ab Adſtantibus moritura putaretur: huic præſcripſi:

℞. *Aquæ Flor. Succini* ℥iii.
*Eſſ. Caſtor.* ℥iß.
*Spiritûs Cochlear.*
*Salis Ammoniaci* an. ʒj.
*Lapil. Cancr. præp.* ℈ß.
*Syr. Cort. Aurant.* ʒvj.

M. S.

M. S. ut anteà.

Hauſit cochleatim, unde inſecutô Sudore meliùs habuit. Extra

℞. *Olei deſtillat. Succ.*
*Spicæ* an. ℥i.
M. S.
Oleum Aperitivum.

Miſta illinebantur ſcrobiculo Cordis, plantis Pedum, & aliquot guttæ Vertici.

Aſt cùm ex Mœrore & Triſtitiâ ob obitum mariti graviter affligeretur, cum ſummâ Virium proſtratione & Aneſthiſiâ, *nullum ſentiebat Membrum, Frigus verò continuum.*

℞. *Aquæ Menth.*
*Flor. Samb.* an. ℥jß.
*Eſſ. Ligni Saſſafr.* ʒiii.
*Spiritûs Salis Ammoniaci* ʒj.
*Cochlear.* ʒß.
*Syr. Scelotyrb.* ℥ß.
M. S. ut anteà.

Profuit equidem, ſed propter Inquietudines nocturnas pariter & diurnas, ut & Anxietates,

℞. *Lapill. Cancr. præp.* gr.xv.
*Sal. vol. Succini* gr.vj.
*Myrrh.* gr.ii.
M. pro Pulvere.

Hinc meliùs habuit.

*Ubi graviora adſunt Symptomata*, in ſpecie Dolores, ubi metus eſt, ne Menſes ſupprimantur, ſicut per Dolores in Partu Lochiorum Fluxus ſubinde impeditur, tunc ut ſiſtatur Dolor, ad ipſum *Laudanum Opiatum* poteſt fieri acceſſus: hac tamen obſervatâ cautelâ, ut miſceatur idem cum Menſes cientibus; notum enim eſt, quòd Laudanum Opiatum ſiſtat omnes omnino Fluxus, in ſpecie verò Hæmorrhagias. Hoc ut ne fiat, ſed potiùs caveantur ab eodem Symptomata, Opium cum Menſes cientibus aromaticis ſaluberrimo miſcetur conſilio; idque ad imitationem Hœferi *in Herc. Med. lib.7.pag.*306. qui in his caſibus commendat Pilulas factas ex Extractis aromaticis, Calami aromatici, Helenii, Zedoariæ, Radicis Gentianæ, Cardui benedicti, & Aloës, cui Laudanum Opiatum admiſcendũ ſit, *cùm Menſes ipſis veniunt cum Lancinatione*, uti granum unum alterumve Extracti Trochiſcorum Alhandal commodiſſimè talibus Pilulis admiſceri poteſt.

Quoad *Venæ ſectionem*: Dum jamjam inſtant, aut etiam fluere incipiunt in graviore Malo, eadem *in Pede* ſecanda eſt: ſin verò adhuc aliquot dies noctesque reſtent, (*unum vel duos dies*) antequam fluere debeant, Vena in Brachio nonnihil evacuanda. (A)

*Externè* omnia ea, quæ in Colicâ Convulſivâ & Paſſione ſic dictâ Hyſtericâ præſcribuntur, conveniunt; item ſequens *Fotus*:

℞. *Fol. Lauri*,
*Herb. Artemiſ.* ân. M. ii.
*Puleg.* M. i.
*Flor. Chamom. Rom.*
*Samb.* an. M. ß.
*Rad. Angel.*
*Leviſt.* an. ℥ij.
*Bacc. Lauri* ℥j.
*Junip.* ℥ß.
*Sem.4. Cal. maj.* an. ʒii.
Conciſ. & contuſ. coqu. in ſ. q. *Vini*, Vaſe clauſo: Colatura D. S.
Fotus Externus.

## ARTICULUS II.

### *De Menſium Paucitate.*

*Secundum vitium* in Depravato Menſium Fluxu eſt *Menſium Paucitas*, dum fluunt equidem Menſes, ſed parciùs quàm fieri debet, & non ſufficienter.

### CAUSÆ.

*Cauſæ* ferè ſunt eædem, quæ Menſes nimiùm inducunt ſuppreſſos; præprimis in his culpanda eſt *Viſciditas & Lentor Sanguinis* ex Chyloſi læſa ortum ducens; qui exinde Fermentationi debitæ ciendæ ineptus eſt: Unde in tali caſu obſervantur ſimul cum Sanguine prodire cruda, viſcida & mucilaginoſa Excrementa.

### DIAGNOSIS.

*Signum Menſium Paucitatis* eſt, quòd Mulieres tales patiantur ſub Fluxu Anxietates, ſi non conſuetâ quantitate fluunt Menſes, ſi conqueruntur de Palpitatione Cordis, difficili Anhelitu, de Dolore pulſatorio circa Lumbos, & tunc curanda venit.

### PROGNOSIS.

Cauti tamen ſimus in hoc paſſu, ubi curandæ ſunt *Maritatæ*, quæ conqueruntur de Menſium Paucitate. Utut enim poſt Conceptum ordinariò Menſes ſubſiſtant, nihilo minùs tamen in quibuſdam uſque ad medium Geſtationis tempus, ſeu menſem quartum, ordinariam Periodum obſervant, aut ſaltim primis menſibus pauciore quantitate effluere videntur. Ubi ergò eſt ſuſpicio Gravidationis, cautus ſit Medicus, ne intempeſtivè Menſes proritet.

### CURA.

In *Curâ* addendus eſt *Stimulus* Menſibus apparentibus, ſed non ſatis fluentibus, propinando in Aquâ Pulegii aut Cinnamomi borraginata, Borracem Venetam à ϑß. ad ʒß. cum aliquot guttis Eſſentiæ Croci: aut etiam ex Sabinâ paratum Decoctum, ejuſque Extractum, aut aliquot guttæ ejus Olei ſunt egregiæ. Myrrha cum Caſtoreo, cui Sal volatile Succini addatur, ſimiliter potenter hîc ſuccurrit; non minùs, quàm Spiritus volatilis urinoſus. Omnia ergò, quæ aliàs tanquam *Appropriata ad Menſium Fluxum promovendum* dicta ſunt, etiam hîc conveniunt: & quidem, ſi magis urgeat Malum, conjungenda *Venæ ſectio* in Pede. Quandoquidem etiam loco Venæ ſectionis in tali caſu *Cucurbitulæ* ſine ſcarificatione poſſunt applicari Cruribus vel Femori in regione ſuperiore internâ: Perinæo etiam aut Inguinibus applicatæ, promovent Sanguinis Fluxum. Zacutus Luſitanus applicavit *Hirudines* orificio Uteri externo.

Sic

(A) Nota Cyrilli. *Veror, ſi inſtantibus Menſibus Vena ſecetur, ne potiùs naturali illorum evacuationi impedimentum fiat, quàm ut poſſit eorundem fluxus promoveri: Opportunius igitur erit inſtantibus Menſibus in iis, quæ parciùs vel moleſtè evacuantur, Emmenagoga, Mulieris idioſyncraſiæ reſpondentia, priùs exhibere: quòd ſi ea irrita fuerint, & tempus Menſtruæ purgationis omninò elapſum fuerit, illiuſque ſigna evanuerint; tunc ad Sanguinem mittendum, nullo obſiſtente contraindicante, gradus eſt faciendus. Sæpiſſimè enim in Praxi videmus ex celebratâ intempeſtivè & imminentibus Menſibus Phlebotomiâ diſtractam ab eo opere Naturam, non ampliùs eidem evacuationi incubuiſſe; ut in poſterum ſingulis Menſibus ſingulas Venæ ſectiones inſtituere omninò oportuerit.*

Sic etiam Caſtro in hoc caſu *Peſſos* ex Aloë mirè ad Sanguinem proliciendum deficientem commendat. Quòd ſi forſan contingat, ut Vaſa vaginæ Uteri citò nimis conniveant ac anguſtentur, in tali caſu externæ *Fomentationes* ex Emollientibus, & Stimulantibus, ex Althæâ, Malvâ, Meliloto, Sabinâ, Pulegio, Majoranâ, & ſimilibus applicatæ conducunt: Vel excipiatur *Vapor* ex horum Decocto, & hinc cum Oleo Cheirino illinuntur Inguina.

## ARTICULUS III.

### *De Menſium Stillicidio.*

PAucitati huic Menſium *tertio loco* oppoſitum eſt vitium, *Menſium* ſeu *Uteri Stillicidium*, Affectus Menſium Fluxu nimio cognatus, nec niſi minoris ratione ab hoc differens. Eſt ſcilicet continuus quidem, aut ſaltem unaquâque Periodo diutiùs durans Fluxus, ſed qui non confeſtim more naturali, verùm tantummodò ſucceſſivè atque guttatim potiùs Utero exſtillet, quàm effluat.

### CAUSÆ.

*Cauſa* hujus Menſium Stillicidii eſt *Acrimonia Sanguinis, conjuncta cum ejus Lentore & Craſſitie*, quod tamen rarius eſt, frequentiùs concurrit ſimul Viarum Vaſorumque anguſtia; unde irritatione quidem continuâ Vaſorum Uteri ſui excretionem continuò urget, ſed ipſe tranſire, aut ſufficienter per anguſtiora loca tranſmitti nequit; hinc etiam continuata quidem, ſed guttatim ſaltem fit Menſium Excretio. Unde etiam Foreſtus *lib.* 28. *Obſ.* 37. obſervat Stillicidium Menſium diuturnum, quod tandem in Exulcerationem Uteri deſiit in Muliere inſigniter cachecticâ.

### DIAGNOSIS.

Affectus ex relatione Ægræ patet.

### PROGNOSIS.

Si accedit Lentor & Sanguinis Craſſities, Malum eſt magis contumax.

### CURA.

Simili ratione curatur, atque Fluxus nimius.

Præter Univerſalia Anticachectica *Mars & Martialia*, præſertim *Adſtringentia* dicta, imprimis primatum ducunt internè, quæ huic medentur vitio, & Cachexiam corrigendo, & Acrimoniam acidam abſorbendo, & ſimul partium Tonum conſtringendo firmant. Unde Pulvis Cachecticus, item Crocus Martis aperitivus, & Tincturæ Martis blandè adſtringentes conducunt. Quarum Ventriculo adhuc ſuus conſtat Tonus, hæ capiant Limaturam Martis, infundant Vino cum Cinnamomo; Vel recipiant Vinum Infuſionis Baccarum Juniperi cum Croco Martis aut Marte crudo, & hauriant; fit enim blanda tunc Martis ſolutio, cuivis Martis Tincturæ artificiali præferenda. Hinc *Noduli* Laxantes & Alterantes, cum Uterinis additis, ex Fumariâ, Meliſsâ, Zedoariâ, Rhabarbaro, & ſimilibus conducunt. Foreſtus *cit. loc.* Caſtorei uſum inſigniter commendat.

*Externè* cum frequenter adſit Excoriatio in Utero, conveniunt *Injectiones Vulnerariæ*.

## ARTICULUS IV.

### *De Menſium Decoloratione.*

JUxta hoc Stillicidium obſervandum, quòd *Menſes* interdum *variis Qualitatibus imbuti* prodire ſoleant, quô pertinet *Menſium Decoloratio*, illud nempe Menſium vitium, quando non debito Colore, ſed ſeroſior eſt inſtar Loturæ Carnium, albidus, lividus, flaveſcens, atrior, aut ſimul acris quaſi rodens, & variis fœdis Coloribus tinctus, Sanguis ſe manifeſtat. In ſpecie quidem copioſus *Mucus* viſcidus & albicans ſimul prodire ſolet, ita tamen, ut adhuc Sanguis abundet; aliàs enim ad Fluores potiùs Muliebres pertinerent.

### CAUSÆ.

Omnia hæc Cachexiæ filiæ & Cacochyliæ nepotes exiſtunt, ut *ſuperiùs* monui: Unde ad ſtatum Sanguinis cachecticum proſpiciendum eſt, utut quandoque conjunctus ſit Fluor Albus. *Differentia* horum eſt hæc, quòd non ſemper continuet Fluxus Albus, interdum ſe ſociet cum Menſium Fluxu, & extra hunc etiam diſpareat.

### CURA.

Colores fœdos *curamus*, curato vel Fluore Albo, vel curato Sanguinis vitio cacochymico: ubi præmiſſo *Vomitorio* eminent *Martialia*, Aloë, Myrrha, & Crocus, ſive in formâ ſolidâ, ſive liquidâ Elixiris, aut Tincturæ Tartari compoſ. propinentur. Præter *Nodulos* Alterantes & Purgantes hîc præmittendos, in hoc caſu Autores laudant Scordium: Item hiſce addantur Elixir Uterinum *Crollii*, uti etiam Elixir Proprietatis, miſtum cum Eſſentiâ Croci, ut fiat validius. Inſtituatur etiam *Purgatio*, quibus Pilulæ Aloëticæ cum Mercurio dulci ſunt conjungendæ. Denique Bezoardicum Martiale, aut Bezoardicum Joviale, item Antihecticum *Poterii*, etiam hîc inſigniter conducunt.

## ARTICULUS V.

### *De Menſium Fœtore.*

NAturaliter equidem Sanguis, qui profluit, nullo Odore eſt imprægnatus, niſi ipſi Calendulæ Odorem tribuere velis, uti ſuperiùs monui ex Riverii *Obſervation.* Interdum tamen ex Sanguinis ſtagnatione & morâ in Vaſis uterinis, *Fœtor* contrahitur, & *Menſes Fœtidi*, ſeu cum Fœtore conjuncti excernuntur. Odor iſte fœtidus interdum eſt hircinus, ſeu Hircum olet certo tempore, interdum etiam alius quidam, vel ipſis Mulieribus deteſtabilis.

### CAUSÆ.

Fit *ex inchoatâ Putredine Sanguinis* in Vaſis Uteri, dum Alcali Maſſæ Sanguineæ diſſolvit ejus Sulphur, ſuperveniente verò Acido deſtruitur hæc actio Alcali in Pingue, unde oritur iſte Fœtor. In ſpecie ſolet fieri, dum Menſes pedetentim ſolent effluere.

### CURA.

*Cura* eſt facilis. Opera danda eſt, ut per *Aromatica* promovendo Fluxum omnis Sanguinis remora tollatur. Aloë, Myrrha & Crocus, quin &

Elixir Proprietatis, Tinctura Tartari compoſita, Eſſentia Myrrhæ, uti etiam Succinum, Eſſentia Succini, & quælibet *Succinata*, Balſamum Sulphuris terebinthinatum, Aloë, & omnia *Aloëtica*, cum Mercurio dulci, ad abſumendam Putredinem, in ſpecie *Volatilia*, huic ſcopo egregiè ſatisfaciunt.

## ARTICULUS VI.

### *De Erratico & Inordinato Menſium Fluxu.*

SExtò fit ſæpiùs, ut non certam ſuam Periodum obſervent Menſes, ſed inordinato Fluxu recurrant, nunc poſtponendo quidem, nunc anticipando, interdum vagè comparendo: quod vitium *Inordinatus Menſium Fluxus* vocatur.

### CAUSÆ.

Sequitur hoc ipſum vitium ut plurimùm *vitiatam Sanguinis Craſin*, quatenus ineptus eſt ad Turgeſcentiam, quæ ſub tempore Menſtruationis obſervanda eſt, cum Genitalium partium debilitate, unde vitiato Sanguine, inordinata, interrupta ſcilicet & impedita, adeòque nunc maturè reſurgens, nunc iterum deficiens, oritur Menſtruatio aut Fermentatio, ipſo Fermento Menſtruo à Genitalibus inſpirato, minùs volatili ſpirituoſo exiſtente. Rariùs vitium eſt in Utero. Semper ergò ad Sanguinem reſpiciendum eſt, quod confirmat Cura.

### PROGNOSIS.

Menſes, quando fluunt inordinatè, ſemper *ſunt prodromi Cachexiæ*, Malum quod tandem in omnimodam Suppreſſionem, aut Leucophlegmatiam, terminatur.

### CURA.

Faciunt pro *Curâ* Menſiũ Inordinatorum utramque paginam *Martialia & Corallia*, & quæ ex his duobus Subjectis parantur Remedia egregia. Verùm neceſſe eſt, uſus eorum ſit continuatus; admiſcenda ſubinde, quæ aut promovent non nihil, aut ſiſtunt Fluxum: ſpeciatim Martialia maritentur cum *Aromaticis*; quod præſtant Vina Martialia ex Infuſo Martiali, addito Cinnamomo, aut aliis Menſes pellentibus: nunc ſiſtentia *Opiata*, item Temperantia ſocianda: Nempe, ſi ſemper anticipare obſervetur Fluxus, id quod ferè Acrimoniam Sanguinis ſtimulantem innuit, proſunt imprimis præter Martialia ea, *quæ Sanguinem purificare dicuntur*, ex Fumariâ, Scordio, Rhabarbaro Monachorum, Centaurio minori, Helleboro nigro, &c. & hinc, quæ ejuſdem *Acrimoniam temperare* ſolent, Lac præſertim cum Succo Fumariæ. Ex *Marte*, præter Crocos & Eſſentias, etiam *Acidulæ artificiales* conducunt, item Vitriolum Martis artificiale purum, item Pilulæ Poterii, quæ ſiunt ex Croco Martis cum Gummatibus, vid. ejus *Cent.* 3. *cap.* 42. Ex *Coralliis*, Corallia cum Sale Ammoniaco ſublimata, & ab eodem præcipitata conveniunt: Item inſigniter proſunt Tinctura Coralliorum cum Spiritu Cordis Cervi, quâ methodo præparata fuit à D. Michaelis, nec non Tinctura Coralliorum cum Spiritu Lignorum, aut in ſpecie Saſſafrata, quæ hoc in caſu tam in defectu, quàm in exceſſu eſt egregia; reverà enim aliquid Martis in Coralliis rubris ineſſe videtur. His nunc Stimulantia aromatica, præſertim ex Myrrhâ, Croco, &c. nunc Siſtentia Opiata, item Temperantia, ſocianda, ut ſuprà dictum.

## ARTICULUS VII.

### *De Menſium per Loca aliena Effluxu.*

DEnique depravatur Menſium Fluxus, quando hi *per alia loca* excernuntur, idque nunc ordinatè, nunc inordinatè. *Loca ſunt varia*: Obſervatæ ſcilicet fuerunt Mulieres, quibus *per Gingivas*; aliæ quibus *per Umbilicum*; aliæ quibus per Uterum, aut Vaginæ ſeu *Vulvæ labia*; aliæ quibus *per Pollicem ſiniſtri Pedis* emanârunt Menſes; ſicut ex modò dictis Exempla refert Zacutus Luſitanus *in Prax. Admir.* & Bartholinus *Hiſtor.* 16. *Cent.* 1. Menſes *ex Pedibus* fluentes obſervavit, quòd propter Vaſorum Uterinorum obſtructionem à conſuetâ viâ fuerint excluſi. Aliis *per Mammas* fluxerunt, imò ut plurimùm *per Os*, aut *Vomitu*, aut, quod periculoſius, *Sanguinis Sputo*, Menſes ejiciuntur. Præter Benivenium refert ſanè Panarollus *Pent.* 1. *Obſervation.* 6. de Vetulâ ſeptuagenariâ, in qua ab Adoleſcentiâ ſemper Menſes per Os citra ullam jacturam ſeu noxam fuerunt excreti: Imò *in libr.* 4. *Obſervat.* Schenckii proſtant notata Exempla Menſium *per Vulnera*, Mulieribus inflicta, erumpentium: Aliis quoque effluxerunt *per Anum*, aliis *intra Ungues*, aliis *ex Oculorum canthis*, quod Sala obſervavit, & per Salvatellæ ſectionem curavit.

### CAUSÆ.

*Cauſa* hujus perverſæ Menſium Excretionis ferè quærenda eſt ſimpliciter *in Vaſis Hypogaſtricis* ad Vaginam Uteri terminantibus (non enim fluit per Uterum Sanguis, niſi poſt Partum) Sanguini exitum quærenti, viam intercludentibus, idque ex horum Conformatione nativâ vitiatis, vel ex horum Anguſtiâ & Obſtructione impeditis, unde Sanguis tali Orgaſmo hinc inde circulatus, tandem aliis locis exitum quærit, & eundem invenit.

### CURA.

*Cura* ergò, habitâ ſimul ratione Corporis aut ſani, aut cachectici, eò eſt dirigenda, non ut ſupprimatur Fluxus ex metu graviorum Symptomatum, (M.A.N.C. *Ann.* 3. *Obſer.* 24. *pagin.* 42.) ſed ut revertatur ſaltem ad locum naturalem, nempe Uterum, ut ibidem poſſit effluere: quod faciliùs fit, ubi aliàs per Uterum jam fluxerunt Menſes; difficiliùs autem, ubi nunquam veſtigia iſta elegerunt.

*Internè in Paroxyſmo* pauca ſunt in uſu, quia ad Uterum ſpecificè non perveniunt, & tandem Sanguinem plùs excitant: *Externè* autem uſurpentur, *quæ Sanguinis impetum* vel *ad inferiora* trahunt, vel quæ *Uteri Vaſa* hiſcere faciunt.

*Extra Paroxyſmum* ergò ſaltem uſurpentur internè *Aromatica volatilia*, Vaſa obſtructa reſerantia.

Inter *priora* eminet imprimis *Saphænæ ſectio*, imminente Fluxu inſtituta: item *Cucurbitulæ* Inguinibus aut Suris & Femoribus in regione internâ applicatæ, nunc cum, nunc ſine Scarificatione, uti hoc ſalubriter monet Tulpius *lib.* 3. *Obſervat. cap.* 25. qui ſuadet, ut quando Sanguis menſtruus per Os rejicitur, Cucurbitulæ Inguinibus applicentur: Sic Amatus Luſitanus *Cent.* 2. *Cur.* 21. refert Mulierem per Mammas Sanguinem Menſtruum emittentem, curatam tamen per Saphænam ſectam: Idem Amatus Luſitanus *Cent.* 2. *Curat.* 17. refert Mulierem enixam, quæ

quæ Sanguinem Menſtruum per Nares & Os excernebat, ſed Saphænæ ſectione, & Cucurbitulis Femoribus admotis, fuit curata: Notabile eſt, quod Sanchez refert in *Obſervat. pag.* 366. Menſes per Aurem excretos ſectione Venarum utriuſque Brachii ſanatos. *Pediluvia* etiam poſſunt inſtitui.

Inter *poſteriora* ſunt *Fotus* externi Utero admoti, aut *Suffumigia* ex Colocynthide, aut *Peſſi* ex Helleborinis, Aloëticis & ſimilibus in Menſium ſuppreſſione uſitati; ſicut *Clyſmata* acriora per conſenſum contiguitatis Uterum vellicantia, tempore quo Menſes redire debent, non omittenda: Sic namque Foreſtus *libr.* 26. *Obſervat.* 25. refert, Menſtruam Purgationem per Vomitum rejectam, cum Dolore circa Lumbos & Pecten, & Urinæ Suppreſſione; qui affectus injecto Clyſtere Emolliente omninò fuit curatus, dum ob Alvum ſolutam Vomitus ceſſavit, & Menſes ordinariò per Uterum fluere cœperunt, donec tandem tempore inſtantium Menſium Venæ ſectione hi ipſi naturalem & ordinarium locum ſemper repetierint. Hinc *Clyſmata Gravidis* propter metum Abortûs ſuſpecta ſunt. Cum his inſtituantur *Injectiones Uterinæ* ex Decocto Pulegii, Chamomillæ, Sabinæ, unà cum Colocynthide, quæ in Uteri vaginam injectæ penetrant, & aperiunt faciliùs Vaſa uterina. Omnia etiam, quæ *Cap.* 1. *in Menſium Suppreſſione* pro uſu externo fuerunt allegata, huc poſſunt applicari, habitâ ſimul ratione Corporis ægri, an ſani? an cachectici? ut intermedio tempore vitiis ejus maturè occurratur.

Sed quid de *Gravidis*? Gravidis interdum primis menſibus Geſtationis per loca inſueta erumpit Sanguis, Menſtruo ſuccedaneus: Sic namque Salmuth *Centur.* 3. *Hiſt.* 36. refert Mulierem quandam Gravidam, cui ſtatis temporibus & quantitate ſufficiente per Urinas fuerunt excreti Menſes. Imò interdum Gravidis per Mammas Sanguis erumpere ſolet, Signum ab Hippocrate habitum peſſimum, inſignioris ſcilicet Fœtûs debilitatis; quod tamen non eſt univerſale. In talibus ergò, ne periculum ſubſequatur, *corrigatur perverſus Fluxus*; aut ubi in benè habitis ex redundante Sanguinis quantitate oriatur, tunc in ſpecie ex ſuperioribus locis, v. gr. è Mammis ſi effluat, Venæ ſectione in Brachiis inſtitutâ commodè iſte Sanguinis motus & effluxus corrigi poteſt.

Hæc ſufficiant de vitiis Menſium.

## CAPUT IV.

### *De Fluore Albo.*

LOcuti ſimul hactenus de Affectibus, qui vitio Menſium Mulieribus contingunt, & abſolvimus etiam ea, quæ huc ſpectant: Supereſt nobis adhuc cognatus Affectus, *Fluor Albus Mulierum.* Frequens Malum eſt, in quo præter Sanguinem, quem nunc naturaliter, nunc præternaturaliter, Genitalia muliebria plorant; etiam interdum *Liquor* alius *ſeroſus*, item plùs minùs *pituitoſus*, ut vocant, excerni ſolet; qui Affectus exin vocatur *Fluor Mulierum Albus*, à quibuſdam appellatur *Gonorrhœa Muliebris*; à quibuſdam tamen hi duo, tanquam Affectus diſtincti, à ſe invicem ſeparantur. Conſideranda ergò *Hiſtoria hujus Fluxûs*: nempe *Fluxus Uterinus* eſt Excretio colluviei variæ per Genitalia muliebria, dum ſcilicet nunc Humor pituitoſus ſeu craſſus & ſalinus & mordax, interdum verò benignus, mitis & mucoſus, nunc aquoſus & ſeroſus effluit, iſque interdum paucior, interdum copioſior, interdum plùs minùs acris & blandus. Ut plurimùm hic Fluor initio Morbi ſolet eſſe mitis, pedetentim magis magiſque acreſcit, ut etiam ſubinde *Excoriationem Genitalium* inferat: *Albus* quidem eſt ut plurimùm, progreſſu tamen temporis *varius Color* confluit, rariùs lividus eſt aut flaveſcens, interdum, ſed rariùs, nigreſcit, in maligno ſtatu virideſcit, interdum alio, ſed vitioſo, Colore eſt tinctus. *Inodorus* eſt ut plurimùm, rariùs ſolet eſſe graveolens, aut fœtidus, nec ſolet eſſe ferè talis, niſi inordinariò, & ſimul quædam *Exulceratio* conjuncta ſit, ex qua Purulentiâ Fœtor tunc ſimul oritur. Occupat hic Fluxus omnis Ætatis & omnis Statûs Fœmellas, tam *Virgines*, quàm *Maritatas*; Virgines inquam illibatas adhuc & innocentes. Falſum namque eſt, quod quidam putant, hunc Fluxum iis non convenire, niſi quæ jam Virum paſſæ fuerint. Falſum hoc eſt: Teſtantur namque Obſervationes, præter *Vetulas* etiam *Puellas* triennales, ſeptennales, (videb. M.A.N.C. *Anno* 9. *Obſervat.* 28.) item Puellas novennes; item Puellas tredecim annorum, quæ nunquam nec Menſtruum Fluxum, nec Virum paſſæ fuerunt, huic ipſi Fluori Albo fuiſſe obnoxias. Item Mulieres, quas affligit, non ſolùm *extra Graviditatis tempus*, ſed etiam dum *Gravidæ* fuerint, ſolet affligere: Sic Mulieres, dum gerunt *Gemellos*, Fluore hoc continuò corripiuntur; ipſe memini Mulierem Gemellos geſtantem toto ferè Geſtationis tempore hoc Fluxu admodùm affectam fuiſſe; quod obſervandum contra eos, qui dicunt, ex Utero effluere, quod in Gravidis impoſſibile eſt. Unde etiam *hic Fluor Albus longè aliud vitium eſt à Menſium Decoloratione*, cùm æqualiter Menſtruatas & non Menſtruatas affligat, tam quæ nunquam adhuc Menſtrua viderunt, quàm etiam, quibus ratione Ætatis & lege Naturæ Menſtrua non ampliùs fluunt. Et quidem Maritatas familiariſſimè affligit hic Fluxus, rariùs verò Virgines, aut Puellas adhuc innocentes affligit.

*Typum*, aut *Periodum* certam hic Fluxus obſervat nullam, ſed nunc continuis, nunc interruptis quidem, ſed inordinatis, vicibus recurrit, nunc *copioſiùs*, nunc *parciùs*, nunc Menſes comitatur, nunc ijſdem ceſſantibus aliquandiu perſtat; circa Menſtruationis legitimum tempus tamen copioſiùs ferè, & uberiùs antè, aut pòſt ſcaturit.

De hoc Affectu, ejuſque Naturâ, & Cauſis, ſi liberè pronunciare debeo, quæ ſentiam proponam; Nam à nemine adhùc ejus Natura legitimè producta fuit, & explicata. Dico ergò, *hunc Fluxum Album Mulierum nihil eſſe aliud, quàm Gonorrhœam Muliebrem, nunc Veram*, quando *Liquor ſeminalis* ex Proſtatis Glanduloſis effluit; *nunc Notham*, quando *alius Ichor*, ſeu *Liquamen ſeroſum* variis quandoque Coloribus effluit, ubi neceſſe eſt adeſſe Tranſcolationem quandam. Analoga autem eſt hæc Muliebris Gonorrhœa Virili. Dico analogam; non verò eandem. Hoc negotium per ſe pateret, ſi ex Veterum Hypotheſi Mulieres in Teſtibus Semen elaborare, illudque in Uterum, & tandem in Vaginam effundere, ſtatuere velim; Sic enim, qualis eſſet Gonorrhœa, per ſe pateret. Sed quia huic Sententiæ minorem fidem habeo (ſcilicet Seminis generationi in Teſtibus Muliebribus) quàm vulgò fieri ſolet, cùm Teſtes Muliebres potiùs Ovarium Muliebre dicam; ob id hic Fluor Albus, ſeu Gonorrhœa alio modo explicanda venit.

Hoc ut pateat, certum eſt, *Fœminas in Coitu* ſenſibiliter, interdum etiam extra Coitum in Somniis, utrobique cum inſigni voluptate, aliquam *Materiam excernere*; Hanc hac vice *Lympham Genitalem* vocabo (dabitur enim occaſio ulteriùs de hoc diſcur-

discurrendi ). Jam ergò , cùm hæc ipsa Materia ; quam effundunt , non sit Semen Muliebre , quod propriè loquendo non habent , sed loco hujus prostant Ova , sequitur , Materiam hujus *non esse Seminalem* , sed ejus usum esse , ut stimulet Mulieres ad Coitum. *Unde autem excernatur* ? vel *qualis hæc sit Materia* ? hic Quæstio est. Respondet hîc Hornius Batavus iste Anatomicus *in Prodromo epistolico de Partibus Mulierum Generationi inservientibus ad Rolfinckium missò*, qui satis est notus ; In hoc asserit, quòd Mulieres , quanquàm talem Materiam voluptuosè in Congressu excernant , hanc ipsam tamen non ex Testibus effluere , sed ex glandulosâ Osculi Uteri interni substantiâ per multos minutosque meatus exprimi , & elici , idque beneficio Spirituum per Arteriolas , & Nervos effluentium. Hæc Hornii assertio , utut per Anatomen nondum omnibus oculariter demonstrata , multis tamen admodùm probabilis videtur , partim quòd maxima Voluptas muliebris Venerea in earum Clitoride ex dulci ejus à Membro virili fricatorio motu , partim circa istud Orificium Uteri internum ab istius Liquoris modò dicti excretione percipiatur ; Unde glandulosam istam Orificii Uteri internam substantiam Prostatis Glandulosis , & spongiosis virorum in radice Penis quodammodò analogam æstimant. Primus autem glaciem fregit Graffius *in Anatom. Partium genitalium Mulier. cap.* 6. dicens : quòd Meatus urinarius in Mulieribus ubique sit circumdatus *substantiâ membranaceâ glandulosâ, analogâ Prostatis Glandulosis Virorum*, ex quibus , circa Meatum urinarium sitis , observatæ sunt *Lacunæ* , seu apertiones , quæ hiant in Orificium Uteri externum. Has *Lacunas* etiam observavit Rhodius *in Mantissâ Observat. Anatom. Observat.* 53. quæ Mantissa *Observ. Anatom. Rhodii* est annexa *Centuriæ 6. Observat. & Histor. Anatom.* Bartholini. Hîc Rhodius appositè refert , Humorem quendam limpidum , seu , ut vocat , salivalem , qui in Congressu Maris Pubem irrigat , & per binas Lacunas , juxta Muliebris Pudendi labia sitas , exsudare ( tam in quàm extra Coitum ) quæ Lacunæ observabiles sint imprimis in vivis mox post Congressum , in defunctis verò , cùm arctè conniveant , vix observabiles. His præmissis , dico : *Liquor iste , qui in Fluore Albo emanat* , excernitur partim ex binis Lacunis , juxta Pudendi Muliebris labia sitis , adeòque ex Prostatis Glandulosis circa Meatum urinarium consitis , partim verò ex ipsa Vaginâ uterinâ , quæ à Modernis membranoso-glandulosa dicitur. Ex quibus Glandulis in Coitu mediante attritu Membri virilis etiam Genitalem hujusmodi Lympham turgescentem Mulieres unà excernunt , adeòque tam Gonorrhœa Muliebris , quàm Fluor earum Albus , etiam partim ex Prostatis Glandulosis , partim ex texturâ Vaginæ glandulo-membraneâ , explicanda venit : Nam immediatè tales Fluxus procedere ex Massâ Sanguineâ asseri nequit , cùm in Oeconomiâ humanâ nunquam Liquoris à Sanguine distinctio , vel generatio , vel separatio , aut transcolatio sine certo Cribro , vel Filtro fiat. Ergò , & tale Organum hîc pariter necessarium erit , nisi exulceratas semper has partes dicere velimus , & Materiam profluentem purulentam Saniem esse.

## DIFFERENTIÆ.

Pro meliore distinctione observanda est *Differentia* quædam in hoc *Fluore Muliebri* , dum alius est *levior* , in quo Lympha Genitalis pauca albicans , idque non adeò frequenter , sed interruptis vicibus , & non nihil , parum tamen , spissa , glutinosa , mitis , sine sensu ardoris , aut rosionis excernitur , & sine graviori Corporis vitio , ac labe est adjuncta ; estque *Gonorrhœa Vera* , in qua Materia hæc est Lympha Genitalis , quæ solummodò ex dictis Prostatis Glandulosis circa Vesicæ collum effluit : Id quod probatur ex Graffio *loc. alleg.* qui in Muliere Gonorrhœâ laborante has Prostatas exulceratas observavit. Econtrà observatur alius *Fluxus copiosus* , *& continuus* , ubi multa serosa subinde , variè colorata , interdum admodùm acria , & similia , uberiore rivo excernuntur , concurritque tunc simul procedente Malo , Leucophlegmatia , Cachexia totius Corporis plùs minùs confirmata , interdum accedit Tumor Pedum œdematosus , Torpor actionum , flacciditas Membrorum , Febres lentæ , & quæ sunt hujusmodi alia concurrentia Symptomata : Estque hic posterior Fluor *Gonorrhœa Notha* , seu propriè dictus Fluor Albus ; & hic iterum vel *Benignus* , vel *Malignus. Benigna Gonorrhœa Notha* est , modò enarratus Lymphæ vitiatæ Fluxus ex glandulosâ texturâ Vaginæ uterinæ , forsan & Prostatis illis Glandulosis simul , *vitio Massæ Sanguineæ* totius cachectico , ex *vitio Stomachi* circa Chylificationem imprimis enata : Nam quòd ex his Prostatis solis effluere nequeat , copia subinde ejus insignis manifestè persuadet. Præ cæteris accuratè hos duos Fluores , Gonorrhœam hanc Notham à Verâ distinguit Heurnius , vocans priorem *Profluvium Uterinum* , tanquam quòd solummodò ex Uteri Orificii vitio accidat : Posteriorem verò *Profluvium Muliebre* , ceu id , quod ex totâ Muliere effluat. Denique est , & *Gonorrhœa Notha Maligna* , seu *Virulenta* , h.e. Fluor Muliebris Gallicus , à Contagio Gallico oriundus , nec nisi Congressum cum Infecto insequens , in quo acria sanioſa plùs minùs purulenta , ac livida subinde excerni solent. Plura , quæ ad cognitionem harum Gonorrhœarum , seu Fluorum Muliebrium , de quibus , ut dixi , pauci Authores fecerunt mentionem , faciunt , qui cupit , is videat Hœchstetterum *in Decad.* 4. *Observat.* 1. *in Scholio pag.* 287. imprimis *pag.* 296. & hoc etiam Schneiderum *lib.* 3. *de Catarrhis* , *ubi pag.* 282. *& seq.* qui fusè , & prolixè Historiam hujus Affectûs cum primis ex aliis Authoribus declarat in integro *Cap.* 8. item Sylvium *lib.* 3. *Prax. cap. de Fluor. Mulier. pag.* 147.

## CAUSÆ.

*Causam* ergò quod attinet *Fluoris primi* , seu *Gonorrhœæ Veræ* : est Materiæ istius genitalis Copia , & ubertas , aut ejus spirituosior Turgescentia ; vel ejusdem Acrimonia , conjuncta tamen cum aliquali Orificiorum binarum Glandulosarum Prostatarum Laxitate , seu Flacciditate , quæ sola etiam hanc Gonorrhœam inducere solet ; unde hæ facilius dilabi ex se permittunt dictam Materiam , &c. Frequentissima Causa ex his videtur Acrimonia istius Lymphæ irritans , & ita sui excretionem provocans. Accedit , & imprimis *Coitus* ad aliquod tempus intermissus , aut ingens coëundi tam in Maritatis , quàm in Virginibus desiderium : Virginibus enim salacibus , & quæ propter Humiditatem *Vasa* Spermatica habent laxa , & Semen aquosius emittunt , hi Fluores solent esse familiares , imprimis , ubi adest simul laudabilis Victûs ratio , Vita sedentaria , & Curis , ac Meditationibus vacua , & quæ minùs gravibus turbata est Affectibus.

*Causæ Remotæ* eædem ferè sunt cum istis , quæ Gonorrhœam in Viris inferunt.

*Posterioris*

*Posterioris verò Fluoris*, seu *Gonorrhœæ Nothæ Benignæ Causa Proxima* investiganda est in Lymphæ, in dictis locis collectæ, & alteratæ, *nimiâ Acrimoniâ*, eâque quidem nunc *salsâ muriaticâ* simpliciter, nunc *acido-salsâ*, unde subinde Excoriationem, Dolores, interdum dictarum partium Exulcerationem, infert: Accedit simul successivè à crebriore Fluxu texturæ illius glanduloso-membranosæ Laxitas & flacciditas, seu *Tonus* earum ita læsus & laxatus, in specie Orificii, quacunque ex causâ contractus, unde eò contumacior emergit Fluxus. Scilicet vitiatæ hujus & acrioris hujus Lymphæ ratio partim est *in ipsis Glandulis* nimis flaccidis, mollioribus & laxioribus, earumque jam vitiato Acido, Fermenti instar Lympham transcolandam in tale liquamen alterante, partim est *in ipsâ Massa Sanguineâ & Chylo* vitiatis, ex quibus fit Lymphæ istius secretio: vid. Sylvius *lib.* 3. *Prax. cap.* 4. *pag.* 167. Nam observatur in talibus vitium Sanguinis plùs minùs cachecticum ex vitio Ventriculi circa Chylificationem imprimis enatum, vid. Zecchius *Cons.* 37. & 97. unde *Partem primariò affectam Stomachum* esse, Barbette asserit *in suâ Praxi*. Hinc per dictas Partes glanduloſas, tanquam per Emunctorium quoddam universale, Massæ Sanguineæ Cruditates cachecticæ, copiosiore Sero acriore dilutæ, evacuantur & transcolantur, ac ita tædiosè & continuò istæ Lymphæ aliàs in sicco ludentes, humectantur & maculantur. Cùm verò simul de Spiritibus ac nutritivo Rore plùs minùs evacuetur, Habitus Corporis perfectè fit cachecticus, ac tandem perfecta quædam Leucophlegmatia, hinc Tumores Pedum œdematosi, Febres lentæ, Appetitus Venereus extinctus, & similia concurrentia Symptomata manifestè se exhibent in talibus Fœmellis. Quòd verò in specie per has Partes glanduloſas Genitalium ista effluant Sanguinis Liquamina, in causâ est junctum proprium Glandularum vitium, harum scilicet vel nimis laxarum, flaccidarum, erosarum, & quasi resolutarum. Unde præter aliàs Causas Remotas etiam *Partus difficilis* (vid. Blasius *P.* 5. *Obser. Anat.* 3.) aut *Abortus* interdum in causâ est, ut oriatur talis Fluxus ex laceratione, aut aliâ læsione harum Prostatarum, vel earundem sensibiliùs irritatarum, hinc Liquorem uberiùs transmittentium, vel quâvis alia Occasione internâ aut externâ, unde semel factâ Excretione continuatâ postmodùm transcolatio succedit.

Nihil est, quod huic Theoriæ obstare possit; saltem unicum est, quod scrupulum movere videtur huic Asserto, nempe *Abundantia* seu excessiva subinde *Copia Materiæ excretæ*, quæ cum parvo Colatorio vix consistere potest: Sed quando modò consideremus, quantum Materiæ subinde unicâ die & nocte, dum Coryzâ laboramus, per Nares excernatur, quantum Materiæ in Cacochymicis subinde Ulcusculum quoddam plorare soleat, quantum Materiæ continuò stillent lippientes Oculi, &c. facilè possumus concipere, quòd & per has Prostatas vitiatas ex Massâ Sanguineâ cacochymicâ copiosius tale Liquamen continuò effluere possit in Malo inveterato. Nempe quod est in Naribus Coryza, in Oculis nimia Lacrymatio, in Faucibus copiosior Tussis & Screatus, hoc est talis, tam in Maribus quàm in Fœminis, Gonorrhœa Notha; adeoque tam ad Materiæ & cæterorum Contentorum vitium, quàm ad Partis solidæ affectæ morbosam constitutionem, simul respiciendum. Speciatim *Acidum sui generis seu specificum est*, quod tam alterando Materiam Lymphæ, quàm afficiendo istas Glandulas circa Genitalia, hunc Fluorem Album Mulierum infert, cujus primus faber in Ventriculo residere videtur, utut semel factâ per ista loca excretione ulteriori, postmodùm quælibet vitiatæ Sordes unà evacuentur. *Scorbuticæ* præsertim & graviùs & pertinaciùs Fluore ejusmodi albo laborare observantur. Simul tandem observandum est pro ulteriore scrutinio, quod habet Hornius *l. a.* nempe Orificium uterinum internum esse glanduloſum, ex quo etiam Succus Seminalis soleat emitti: videatur David *von der* Becke in *Meditat. circa Principia Rerum Natur. pag.* 193. ubi refert, Vaginam Uteri esse porosam, & continuò quandam Lympham solere transudare, & humectare Genitalia Viri in Congressu: Interim Sylvius asserit, totam substantiam Uteri & Vaginæ esse membranoso-glanduloſam, quæ Hypothesis & Fermento Menstruo & huic Fluori Albo, præterea Nutrimenti Fœtûs transcolationi, & quam plurimis similibus Problematis solvendis, aptissima esse solet.

Hæc quoad Theoriam hujus Affectûs.

## DIAGNOSIS.

Quod attinet *Signa*: Morbus hic patescit Medico ex relatione ipsarum Ægrarum: Et quidem imprimis distinguendus Fluor hic, qualis sit Gonorrhœa? *an Vera*? *an* verò *Notha*? quæ Differentia ex Adjunctis & ex Effectu patet. *Prior* enim Fluor paucus est in moderatâ quantitate, crassiusculus, glutinosus, serosus, citra ullam Materiæ acrimoniam, nunc statis, nunc vagis temporibus evacuatur, & talis Gonorrhœa Vera seu Fluor subinde diu sine insigni incommodo perdurare potest. Sin verò copiosiora acria serosiora, viridescentia, fœtida, tenuia, aut similia plùs minùs alterata effluant; accedente comite Cachexiâ, prostrato Appetitu, Tumore Pedum, Ructibus, Virium prostratione, omnium Actionum Torpore, Nauseâ à Coitu, cùm Spiritus deficiant in Genitură, Dolore in Lumbis, & circa Os Sacrum, &c. talia Fluxum Gonorrhœæ Nothæ ostendunt: cui, ubi & acrior simul concurrat Lympha, Febris nocturna seu vespertina, quasi Catarrhalis, seu Febricula quædam lenta, imprimis vespertino tempore exacerbans, solet simul supervenire.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: *Gonorrhœa Vera* nihil habet in recessu; *Notha verò* præter alia Mala hoc habet incommodi, quòd subinde Fœminas reddat infœcundas & steriles, utut non semper.

Quòd si Fluores hi diutiùs duraverint, graves Morbos, Diabeten, languorem totius Corporis, Cachexiam, *Hydropem*, *Tabem*, *Atrophiam*, item Prolapsum Sinûs Pudoris, infert.

Rarum interim est, quod refert Ballonius *Consil.* 59. de Fluore Muliebri continuò suppresso, quod exinde mutatus fuerit in Diabetem lethalem.

Quò *diutiùs duraverit* Gonorrhœa hæc Notha, eò *difficiliùs curatur*, & imprimis sedulâ Medicamentorum continuatione opus habet; hinc Fœminas non nihil *Seniles* Malum hoc plerumque ad Mortem usque comitatur. In *Juvenculis* autem faciliùs Curationem admittit hic Fluxus.

*Si acrior sit* Materia profluа, Pruritus, Ardores, Exulcerationes Genitalium, *Gangrænam*, & tandem *Mortem* infert.

## CURA.

Ubi Fluxus hic est de naturâ Gonorrhœæ

Veræ, tunc obſervandum eſt monitum Helidæi Paduani, qui *in Obſervat. pag.* 179. dicit: *Si ſingulis menſibus biduo vel triduo durat, & poſtmodùm ceſſat, hinc ſuo tempore redit, non eſt cohibenda; ſi verò perpetuò durat, maturè ſiſtenda eſt. In Curâ ergò Gonorrhœæ Veræ* eodem modo procedendum eſt, atque in Gonorrhœâ Verâ Virili, aut abſumendo Lympham genitalem, aut temperando eandem, aut adſtringendo Partes laxiores. Optima medendi ratio eſt *Copula cum Viro*, quâ in Viduis & Virginibus deficiente uſurpentur ea, quæ aliàs in Gonorrhœâ Virili ex tumeſcentiâ aut acrimoniâ nimiâ Genituræ ſunt in uſu, de qua jam *ſuprà Lib.* 3. *Cap.* 2. *Artic.* 1. *Membro* 1. pluribus actum. In ſpecie Mala Citria & Limonia, eorumque Succus ad ʒij. vel iij. ſingulo mane ad temperandam caliditatem Genituræ, h. e. acrimoniam, & inde dependentem fervorem Lymphæ genitalis, uſurpantur; imprimis ubi cum ipſo Fluxu Titillatio quædam aut Pruritus ad Venerem fuerit conjunctus: ſed continuanda ſunt hæc. Item Terebinthina in Ovo ſorbili, vel mediante Ovi Vitello cum Aquâ Florum Salicis miſta, omni mane aſſumpta, & aliquandiu continuata, conducit. Folia & Flores ſeu Cymæ Salicis decocta in Vino & potata, crebriùs etiam hîc conducunt; item *Succus* exſtillans ex *Surculis Salicum* verno tempore inciſis, quod aliquandiu propinetur. Decoctum & Extractum Florum Urticæ mortuæ, ſeu Galeopſidos flore albo, in hac Gonorrhœâ ſpecificè laudatur: vel Mentha & Urtica hæc mortua, item Sclarea, injicienda Cereviſiæ, & ita Potus hauriendus; Nam hæc Urtica mortua ſeu Galeopſis flore albo, præ aliis in Gonorrhœâ Muliebri tam Verâ, quàm Nothâ, convenit. Tanquam efficax & expertum commendatur ſequens *Decoctum.*

℞. *Raſur. Rad. Liquirit.*
*Sem. Myrtill.*
*Coriandri*,
*Plantag.*
*Viticis*, ſeu *Agni caſti* an. ʒj.
*Papav. albi* ℈ii.
*Hyoſcyami* ℈ß.
*Hord. mundat.* M. j.
*Acaciæ*,
*Sem. Sumach.* an. ℈j.
Contuſa coqu. in ſ. q. *Aquæ Chalybeatæ*:
Colaturæ ℔iß. addendo poſtmodùm
*Trochiſc. de Alkekeng.* ℈j.
Miſc.

Quidam

℞. *Sem. Viticis*,
*Plantag.* an. ʒii.
*Rutæ* ʒiß.
*Fol. Menthæ* ʒi.
*Corall. rubr. præp.*
*Cornu Cervi uſti præp.* an. ʒiß.
*Ebor. Raſur. pulv.* ʒi.
*Maxill. Luc. piſc.* ʒß.
M. f. Pulvis.
Doſis eſt ʒß.

Vel

℞. *Conſ. Flor. Anthos* ʒiii.
*Raſ. Eboris pulv.*
*Mag. Succini cum Spiritu Vini ext.* an. ʒiii.
*Oſteocoll.* ʒiß.
*Futam. Avell. pulv.* ʒß.
Cum ſ. q. *Syr. Roſar. rub.* f. Electuarium.
D. S.
Electuarium Adſtringens.
Doſis magnitud. Caſtaneæ.

Præter dicta *Pulvis Mandibularum Lucii piſcis* à ʒß. ad ʒj. uſurpatus & continuatus, itidem conducere ſolet. *Trochiſci* etiam *de Terrâ Sigillatâ*, *Trochiſci de Carabe*, itidem in uſu eſſe ſolent. Ipſum Succinum etiam præparatum, & ſimilia etiam ſunt usûs laudati; item Balſamus Sulphuris terebinthinatus.

*Externè Balnea & Fomenta blandè adſtringentia*, facta ex Cortice Radicis Pruni ſylveſtris, Cortice Ligni Guajaci, &c. cum Alumine in Aquâ Chalybeatâ, adjecto pauco Aceto, decoctis, vel applicatis, vel injectis, vel cum parvâ Spongiâ inſtar *Peſſi* applicatis, flaccidiratem Proſtatarum coercere, & hos Fluxus ſiſtere valent.

In *Gonorrhœâ verò Nothâ Benignâ*, ſeu Fluore Mulierum Albo poſteriore & deteriore, curandâ:

1. *Stomachi Chylificatio* procuranda & emendanda per *Vomitum*, & adminiſtranda experta *Stomachica* vid. Jul. Cæſar Claudinus *Reſp. pag.* 220. & Rechius *Conſ.* 97.
2. *Sanguinis Cruditas cachectica* corrigenda, partim per appropriata *Cachectica*, aut Remedia *Martialia*, partim *Salia volatilia* & *Aromatica*, præſertim ex Lignis.
3. Ipſi *Fluori*, & *Partibus* à Fluore læſis *Adſtringentibus & Nervinis* eſt ſuccurrendum.
4. In ſpecie *Appropriatis* ſeu *Specificis* Malo occurrendum: quæ ferè ſunt talia, quæ Acidum ſalſum ſpecificum temperant, Seroſitates ſuperfluas quaſi imbibunt, & hinc Adſtrictionem quandam poſt ſe relinquunt; qualia ferè in Gonorrhœâ Virorum Nothâ, aut quæ ex Genitura acriore oritur, in uſu eſſe ſolent.

In ſpecie *Obſervandum*:

I. *Non ſtatim eſt ſupprimenda hæc Gonorrhœa Notha* ſeu Fluor Mulierum Albus, præſertim, ſi diutiùs duraverit, cùm aliàs gravia Pathemata inducat, uti videri poteſt in M.A.N.C. *Ann.* 3. *pag.* 344. item in Ballonio *lib.* 1. *Conſ.* 56. ubi Fluor muliebris contumax ſuppreſſus Diabeten lethalem intulit: quin potiùs præmiſſis præmittendis demum per Specifica & Appropriata Fluxus ſiſtendus. Conf. Helidæus Paduanus *loco allegato.*

II. *Sanguinis detractiones* quævis nihil adjumenti afferunt: interdum tamen *Fonticuli* in Crure pro Scopo averſorio aliquid efficere poſſunt.

III. Quoad *Evacuantia*: *Vomitoria* commendavi, quæ præmiſſis *Digeſtivis* imprimis ſunt egregia; hæc inter ſpecificè convenit Pulvis Radicis Aſari ad ℈ii. Repetenda ſunt etiam, ubi neceſſitas poſtulârit. Nam reliqua *Purgantia* propriè dicta circumſpectè & rariſſimè uſurpanda ſunt, quia parum vel nihil juvant; quin potiùs Fluorem Album magis augent: Autore enim Platero obſervatum fuit, quòd Purgantibus Fluxus talis interdum fuerit excitatus in iis, quæ aliàs eundem nunquam paſſæ fuerunt; *Vomitoria* verò fomitem ſubtrahendo eundem imminuant. Cautè ergò uſurpanda hîc Purgantia, per inferiora, aut omninò omittenda. Ubi verò neceſſitas poſtulat eadem maritanda ſunt imprimis *Jalappâ & Rhabarbaro*, quod etiam vi alterativâ in ſpecie convenit, & cujus adſtrictione relictâ emendetur à Purgante inducta noxa; unde Species Dia-Turbith cum Rhabarbaro inſigniter commendantur ab Helidæo Paduano. Juxta Pulverem Jalappæ ejuſque Reſinam, *Mercurius dulcis* aliis additus proficuus videtur, quatenus Cachexiam Sanguinis emendat: Sic *Laxativa* ex Helleboro nigro, ejuſque Extracto, Maſſa Pilularis de Hierâ cum Agarico, &c. cum Mercurio dulci conveniunt: item Bryonia appropriatum, ubi neceſſitas poſtulârit, eſt Purgans. Quæ omnia Laxativa Colocynthide,

thide, vel potiùs Extracto Trochiſcorum Alhandal ſunt acuenda. Loco Purgantium verò ſola ſufficiunt *Sudorifera*, quæ tutiora ſunt : uti & *Diuretica* cum Appropriatis maximè proficua obſervari ſolent, præſertim in Subjectis humidioribus, ſeroſioribus, aut ſcorbuticis, &c.

Ratione ergò *Sudoriferorum* in uſu ſunt *Ligna*, Lignum Saſſafras, ſpeciatim *Decoctum Lignorum*, Juniperi, Guajaci & Saſſafras, cum Agrimoniâ, Fragariâ ; *Eſſentia* Lignorum compoſita ; Tinctura Ligni Saſſafras, item Tinctura Coralliorum cum Spiritu Lignorum, expectando Sudorem, ſunt utiliſſimæ : Sic Zacutus Luſitanus *lib. 2. Prax. Admir. Obſerv.* 89. refert Uteri Profluvium, unde Tabes ſecuta, Decocto Lignorum curatum. Et Tincturæ Coralliorum cum Spiritu Lignorum egregium uſum, præmiſſis præmittendis, videbitis in M.A.N.C. *Ann. 8. Obſervat. 25. pag.* 26. Pro ſcopo *Diuretico* conveniunt in ſpecie *Terebinthina* & *Terebinthinata*, Terebinthina in Vitello Ovi ſoluta, Balſamum Sulphuris terebinthinatum : Sic namque Fonſeca *lib. 1. Conſ. 21.* pro derivatione ad Urinas commendat & laudat hoc :

℞. *Terebinth. cum Aquâ Roſ. lotæ* ʒß.
*Pulv. Corall. rub.*
*Boli Arm.* an. ʒß.
Miſc.

Sumat jejunè bis in quâlibet ſeptimanâ in conveniente Vehiculo.

Unde etiam Riverius *Cent. 1. Obſer.*40. tanquam utiles commendat *Pilulas* ex *Terebinthinâ* cum *Rhabarbaro* efformatas.

Hæc unà cum *Appropriatis* uſurpanda ſunt.

Quoad ſecundum conveniunt *Stomachica*, *Salia volatilia* oleoſa aromatica, *Chyli & Sanguinis Alterativa & Anticachectica*, quæ ſecundùm Sylvium *libr. 3. Prax. cap. 2. pag.* 80. præſervant à Fluore Albo, unde etiam eundem jam præſentem corrigunt, Sanguinis vitium, radicem Fluoris Albi, eradicando, & corrigendo. In ſpecie verò ad corrigendam Cachexiam, ſimulque inde oriundum Fluorum Album, ſi quid aliud, expertum Specificum eſt *Roſmarinus*, ejuſque Decoctum, ad ſiſtendum Fluorem Album : Hôc namque ſolô Decoctô Roriſmarini diutiùs continuatô quoſvis Fluores Mulierum Albos ſemper feliciſſimè curari aſſerit Lindanus *in ſuis Practicis*, nec opus eſſe alio Remedio. Et credo, quòd verum ſit ; nobile enim eſt Simplex Roſmarinus in Mulierum Affectibus. Huc Eſſentia & Spiritus Roriſmarini, Eſſentia Lignorum, Elixir Proprietatis ſine acido, Elixir Proprietatis cachecticum, Elixir Cachecticum alterativum & laxativum, etiam conferunt : ut de Balſamo Sulphuris terebinthinato, juniperino & ſuccinato nihil dicam, quæ multis uſibus conducunt. Sunt qui Rorimarino adjungunt Folia Menthæ & Meliſſæ : ex quo ternario Medicamenta quæcunque continuato uſu adminiſtranda moneo. Conveniunt etiam alia ad Cachexiam appropriata, ut ſunt ver. grat. Radix Galangæ, Cyperi, Caryophyllatæ, Majorana, Anthophylli, Caryophylli, & Oleum horum deſtillatum ; etiam *Vulneraria*, ut Alchimilla, Agrimonia, Veronica, Baccæ Lauri, &c.

Inter *Martialia* eminent Liquor Martis Solaris, Tinctura Martis tartariſata *Ludovici*, Solutio Martis cum Succo Cydoniorum, Borſdorffianorum, &c.

*Specifica* verò *Interna*, quæ in hoc Fluore conveniunt, ſunt ea, quæ acre-ſalſum Acidum temperant, Seroſitates imbibunt, & hinc aliqualem Adſtrictionem relinquunt, & talia imprimis in Gonorrhœâ Virorum ex Semine ſeroſo acriori uſurpari debent. Talia ſunt imprimis *Viſcus Quercinus*, qui eſt commendatus pro uſu, tam in ſubſtantiâ, quàm in Decocto : hinc Panarollus *in Pent. 2. Obſerv.* 48. laudat Decoctum Nucis Pineæ cum Ligno Viſci Quercini, quo Decocto ſæpiùs hauſto tanquam mirabili & experto Remedio in hoc Morbo curando ſe uſum fuiſſe aſſerit. Hinc Radix Filipendulæ, Tormentillæ, Sigilli Salomonis, Angelicæ & ſimiles conducunt. *Sclarea* tam propriè dicta (quam vulgò Horminum odoratum, item Gallitrichon, vocant) quàm Horminum ſylveſtre, ſingulare eſt Specificum interno externoque uſu ad hunc Fluxum, quacunque ratione uſurpata, in ſpecie ſi infundatur Vino, & crebriùs hauriatur, præprimis Decoctum Sclareæ cum Roremarino in Vaſe clauſo, vel Eſſentia ; unde etiam Eſſentia contra Fluxum Album D. *Michaëlis* ex Sclareâ, tanquam baſi, eſt conſtructa. Poſt Sclaream *Galeopſis*, ſeu *Lamium flore albo*, ſpecie Urticæ mortuæ, eſt nobile, cujus Aqua, Conſerva, & Decoctum in Vino, mirè conferunt. Certè aliquando, cùm eſſem adhuc ſub informatione Dñ. D. Michaelis, Decoctum hujus Galeopſidis in Vino generoſam Fœminam, diu & contumaciter hoc Fluxu Albo laborantem, reſtituiſſe novi, aliis quamplurimus irritis. Poſt hanc etiam Cortices Avellanarum, *Millefolium album*, Radix *Filicis*, *Melilotus flore albo* ; item Plantago, Cymæ Rubi Idæi, Equiſetum, Hyſſopus & ſimilia laudantur. Horum Simplicium *Flores*, & in ſpecie Nymphææ albæ, item Bellis flore albo, diutiùs continuata ſpecificè Album Fluxum ſiſtere, à quibuſdam laudantur. Lignum Lentiſcinum, Guajacum, in ſpecie Saſſafras, commodè, ubi placet ſimul movere Sudores, uſurpatur. Modus utendi ſub formâ *Decocti* & *Eſſentiæ* eſt ſatis cognitus. De *Aromaticis* nihil dico, quoniam ratione Cachexiæ per ſe commendatur, uti jam ſuprà dixi. Porrò Vinum, in quo extinctum eſt Aurum, tanquam Experimentum laudatur tam à Foreſto, quàm Corbejo. *Lac* etiam ſuum uſum habet ; ſiquidem Lac Chalybeatum cum Bolo Armenâ miſtum, crebriùs uſurpatum, in bilioſioribus & melancholicis in uſu eſſe ſolet, id eſt, ubi acrius Acidum eſt, quod Affectum hunc pertinaciorem reddit. Eſſentia Caſtitatis *Michaëlis* magno eſt in pretio. Iſta *ex Vegetabilibus* primatum obtinent. Hiſce porrò etiam adjungenda ſunt *Putamina Ovorum* poſt excluſos Pullos, tam crudè pulveriſata, quàm calcinata, doſi ʒß. aſſumpta, *Os Sepiæ* præparatum, *Maxilla Lucii piſcis* cruda & calcinata, *Cancri* fluviatiles calcinati, Cranium, ſeu Caput *Caponis* exſiccatum & pulveriſatum, item *Suber* uſtum, quod ad ʒj. propinatum, fuit Experimentum Helidæi Paduani. Præ cæteris *Ebur* ſine igne præparatum, aut, quod melius, raſpatum, & pulveriſatum, *Succinum* album cum Ovo ſorbili, (vid. Foreſtus *lib. 28. Obſer. 23.*) & omnia *Succinata*, Trochiſci de Carabe, Cryſtallus præparata, *Oſteocolla* præparata, item *Pumex*, vel pulveriſatus vel calcinatus, *Antimonium Diaphoreticum*, Alumen plumoſum, item Lapis Amianthus pulveriſatus ad ℈j. in hauſtu Vini vel Spiritu Vini, *Priapus Cervi* & Ceti à ʒß. ad ʒj. præmiſſis præmittendis eſt egregius. Horum omnium vis eô collimat, ut deſtruatur *Acidum* aut *Salſum*, quæ in Gonorrhœâ primariò peccare ſolent. Oſteocollæ Lapis eſt unum ex primariis Specificis Timæo *Von Guldenklee*, ad curandum Fluorem Album Mulierum in ſpecie uſitatum, qui vel ſolus, vel cum aliis propinari poteſt :

℞. *Magiſt. Oſteocoll.* ʒß.
*Corneol. præp.* ʒiß.

Quibus miſtis à ℈j. ad ʒß. in *Aquâ* vel *Conſervâ*

*Roriſmarini* uti ſolet. Vid. ejus *Caſus lib. 4. Caſ. 15. pag. 4.* Aliam deſcriptionem his ipſis tamen primariò Ingredientibus, habet idem Timæus *l. a.* ſequenti modo :

℞. *Magiſter. Oſteocoll.* ʒß.
*Corneol. præp.* ʒiii.
*Corall. alb.* ʒii.
*Smaragdi* ʒi.
M. f. Pulvis.

Quid autem per *Magiſterium Oſteocollæ* intelligat ? ut verum fatear, neſcio, niſi Oſteocollam præparatam intellectam velit: Eſt enim Oſteocolla ſubſtantia adeò dura, ut neque in Igne calcinari, neque per quodcunque Menſtruum corroſivum diſſolvi, & in Magiſterium redigi poſſit. Erit ergò intelligenda *Oſteocolla præparata* : ex qua etiam Tachenius Venetiis, ut obiter moneam, præparat Remedium ſingulare contra Caſum ab alto, item contra Febres quaſcunque. Loco igitur hujus Pulveris compoſiti

℞. *Lap. Oſteocoll. præp.* ʒß.
*Cryſtall. præp.*
*Maxill. Lucii piſc.* an. ʒj.

Cum ſ. q. *Conſ. Roriſmar.* ſeu *Flor. Anthos* f. Electuarium.

D. S.

Electuarium Adſtringens.

De quo Ægra bis vel ter quotidie capiat. Lapidis Amianthis ſeu Aluminis plumoſi Pulverem Boetius miſcet cum Aquâ Vitæ & Saccharo, & ita Patienti propinat eundem ; vid. *Tract. de Gemmis.* Alia per ſe cognita lubens omitto. Vitellum Ovi in Aquâ Roſarum dilutum, propinatum & iteratum ſuperiùs ex Amato Luſitano commendavi in Fluxu Rubro, ſeu Menſibus nimis fluentibus. Idem Amatus Luſitanus ad Fluorem Album commendat Albumen Ovi cum Aquâ Roſarum conquaſſatum, & ita repetitis vicibus uſurpatum ; hôc ipsô enim ſe & Fluorem Album, & Gonorrhœam curaſſe aſſerit. Vid. *Cent. 4. Cur. 12.* Efficacius erit, ſi aliquot Maſtiches grana ad ʒj. huic Albumini Ovi adſumendo adjungantur. Emulſione Seminis Lactucæ cum Aquâ Chalybeatâ præparatâ, addito Ebore, plurimas reſtituit Meynoldus, Medicus Venetus : Vid. Velſchius *Mictomim. C. 5. Obſ. 95.* in M.A.N.C. *Ann. 4. & 5.* Riverius & Corbæus Coagulum Leporis in Decocto Fol. Quercûs commendant, quo Mercurialis Fluorem Album ſe curaſſe teſtatur.

Ex his varia poſſunt fieri *Compoſita.* Medicus quidam egregius ceu Experimentum contra Fluorem Album Cortices ſeu Putamina dura Avellanarum cum Semine Aniſi multùm commendat. Ad ejus imitationem præſcripſi ſequentem Pulverem :

℞. *Cort. Avellan.* ʒii.
*Sem. Aniſi* ʒi.

M. f. Pulvis pro 4. vel 5. doſibus non pœnitendo effectu. Sed neceſſe eſt, aliquandiu continuetur.

Alio caſu præſcripſi :

℞. *Ebor. ſine igne,*
*Corall. rubr. præp.* an. ʒi.
*Lap. Oſteoc.* ʒii.
*Olei deſtillat. Tereb.* vel *Anthos* gutt. xii.

M. f. Pulvis pro aliquot doſibus ;

D. S.

Pulvis Adſtringens.

Vel

℞. *Oſteocol.* ʒi.
*Hæmat. præp.*
*Ebor. ſine igne* an. ʒii.
*Corall. rubr. præp.* ʒj.
*Olei deſtillat. Aniſi,*
*Macis* an. gutt. x.

M. f. Pulvis :

D. S. ut antè.

Medicus quidam celebris hac Methodo Fluorem Album curavit, præmiſſis præmittendis : propinavit ante paſtum ſequentem Pulverem :

℞. *Cornu Cervi uſti* ʒii.
*Limat. Ebor.*
*Corall. rub. præp.* an. ʒiß.
*Succin. præp.*
*Boli Armen.*
*Maſtich.*
*Sem. Aniſi* ʒii. ad ʒj
*Cinnam.*
*Caryoph.* an. ʒii.
*Ligni Aloës* ʒi.
*Ambræ,*
*Moſchi* an. gr. iv.
*Sacch. albiſſ.* q. pl.

M. f. Pulvis.

Doſis ʒß. ad ʒi.

Sequenti verò *Decocto* bis in die Pudenda abluere, & iis injicere juſſit :

℞. *Ligni Sancti* ʒii.
*Cort. Granat.* ʒi.
*Alum. rochæ,*
*Thuris* an. ʒß.
*Maſtich.* ʒii.
*Flor. Balauſt.*
*Roſar. rubr.*
*Myrtill.* an. M. ß.

Infundantur omnia ſimul per 24. horas in
*Aquæ comm.* ℔ii.
Ebulliat lento igne ad medietatis conſumptionem ; adde
*Vini rubri auſt.* ℔i.
Ebulliant adhuc ſemel.
Colatura ſervetur, pro uſu.

Electuarium vid. *in Ideâ Form. Cl. 1. §. 6.*

*Externa* quod attinet Remedia pro curando Fluore Albo : decantatum eſt hoc Unguentum euporiſton ex Sclareâ, de quo Corbejus *de Morbis Mulierum*, item Stœckerus *in ſuâ praxi*, recenſent quaſdam Mulieres Albo Fluore affectas, per hoc Unguentum curatas.

℞. *Sclaream.*

Quæ contuſa cum *Butyro* ſubigatur, in quo aliquandiu putrefiat : poſtmodùm coquatur aliquantulùm, coletur & ſervetur uſui.

Hôc ipsô Mulieri ab Umbilico inferiora versùs ad regionem Pubis uſque ſedulò inunge, immittendo ſimul parum de hôc ipsô Unguentô per Peſſos Vulvæ. Comedat quoque Herbam ipſam. Hoc Unguentum etiam commendatur ad omnes graviores poſt partum Dolores compeſcendos.

*Thermæ* itidem præmiſſis præmittendis, ſunt perquàm proficuæ, primariò Naturales, imprimis *Toplicenſes*, ut & *Wolckenſteinenſes*, & confirmatum Malum curant, quarum loco fiant *Artificiales* ex *Sulphure*, *Calce vivâ*, Alumine ; adjunctis *Vegetabilibus*, nunc *Nervinis*, nunc *Uterinis*, nunc *Adſtringentibus*, & parum *Aluminis* parandæ, verb. grat. cum Plantagine, cum Salviâ, Sclareâ, Matricariâ, Artemiſiâ, & ſimilibus. Horum loco *Balnea* & *Fotus* Adſtringentes, vel *Injectiones Uterinæ*, adhiberi poſſunt; in ſpecie *Seſſio in Decocto Radicis Ebuli* laudari ſolet. Inter *Fomenta* pro Ventre inferiore & Pube excellit Decoctum Vincæ pervincæ cum Alumine, quod commendatur à Foreſto. In ſpecie Cinis Nucleorum Juglandium cum Vino miſtus, in Uterum injectus, mirificè hunc Fluxum ſiſtere aſſeritur. Injectionem

in

in Uterum videb. in *Ideâ Formul. Claſſ.* 4. §. 27. Vel pro *Balneo*

℞. *Herb. Abſinth.*
*Menth.*
*Roriſmar.*
*Spicæ*,
*Flor. Roſ. rub.* an. M. j.
*Cort. Granat.* ℥j.
Inciſ. & contuſ. D. pro Balneo : S.
Species ad Balneum.

Aliàs *Suffitus* ex Thure & Maſtiche, item ex Ladano, Gummi Juniperino, Maſtiche, Nuce Moſchatâ, Succino, Bdellio, & ſimilibus eſt egregius, & frequenti in uſu : Vid. Lotichius *lib.* 5. *capit.* 1. *Obſervat.* 12. Suffitus Salviæ per Infundibulum exceptus eſt Secretum *Corbeii*, & in ſpecie commendari ſolet. *Adſtringentibus* ſimul *Abſtergentia* combinanda ſunt cum *Eſſentiâ Succini*, *Eſſentiâ Traumatica*, &c. Nec inutiles ſunt *Fonticuli*, Femori, Tibiis ac Humero, pro Scopo evacuatorio & averſorio inurendi : Videb. Vincentius Alſarius à Cruce *de Quæſit. Cap.* 14. *pagin.* 287. Riverius *lib.* 15. *cap.* 4. & Zechius *Conſult.* 35.

Abſolvimus Affectus, qui obveniunt Fœmellis, quando nubiles fiunt, Menſtruationem nempe & Fluorem Album Muliebrem.

## SECTIO II.

### *De Appetitus Venerei in Mulieribus Vitiis.*

## CAPUT I.

### *De Virginitate Læsa.*

FOemellæ ſimul atque *Puberes* fiunt anno Ætatis præter propter decimo quarto, & dum Menſtruus Flos primitùs erumpere incipit, ſimul quoque *Appetitu Venereo* tentantur. Huic Appetitui quamdiu ſatisfactionem denegant, tamdiu naturaliter *Virgines* dicuntur, vel Mulieres ſeu Fœminæ nondum Virum paſſæ ; ſin verò ad explendam Famem iſtam à Viro ſe ſatiari permittant, mutato nomine *Defloratæ* appellantur. Congreſſus ergò legitimus diſtinguit Virgines à non Virginibus, non verò Conceptio : poteſt enim concipere Virgo ita, ut talis maneat, non autem poteſt congredi citra læſam Virginitatem : ( iſtud de Conceptione in ſequentibus patebit, quòd nempe Virgo concipere queat, ſine eo, ut lædatur Virginitatis nota ). In Congreſſu verò nulla alia in Muliebribus Genitalibus fit mutatio, niſi quòd eadem à Virili Membro dilatentur, & ita ampliora fiant, quæ anteà anguſtioribus circumſcribebantur terminis : idque eò magis, quò crebriùs repetatur Congreſſus ; ſive effundatur Sanguis in primo Congreſſu, quod fit interdum, ſive non fundatur, perinde eſt : hæc enim *Cruentatio tanquam eſſentiale ad Virgines non pertinet.* In hoc ergò, minore nempe vel majore Orificii Uteri Externi, & ipſi continuatæ Vaginæ anguſtiâ, vel majore & minore amplitudine, *Naturalis & Phyſica conſiſtit Virginitas.* Nam non aliud Defloratonis indicium deprehendere potui, dicit Platerus *lib.* 3. *Obſerv.* quàm quòd introitus Orificii ex dilatatione illa amplior fiat, & quòd maturæ Virgines ex Venis, frictione Venereâ in Coitu reſeratis, Sanguinem interdum profundant, ( non ſemper ). Ad hanc ipſam Genitalium adſtrictionem & anguſtiam præ cæteris pertinet Caruncularum Myrtiformium, poſt Orificium Uteri in introitu ſitarum, cohæſio & connexus mutuus per *Membranam mediam*, ſuis Vaſculis minutulis inſtructam. Hæc enim Membrana ex iſtis Carunculis unitis nata, reverà eſt decantatum illud Virginitatis & infallibile, ubi adeſt, Signum, quod aliàs *Hymen* appellatur : non autem converſim, ubi Hymen abeſt, Virginitas læſa ſtatim exinde concludi poteſt ; cùm mille caſibus vitiari & lædi hæc ipſa Membrana poſſit.

Hæc ergò Membrana tranſverſa, in Collo ſeu Vaginâ Uteri poſt inſertionem cervicis Veſicæ Urinariæ ſita, aliquando tenuior, aliquando craſſior, ſi divaricatis Pedibus, & diductis Pudendi labiis, introſpiciatur, ipſa extenſa figurâ lunari, ſeu Lunæ creſcentis, in latere quodam ſuperiore perforata conſpicitur. Quòd ſi verò adductis Cruribus labia denique concidant, tunc & ipſa iſta Membrana corrugata, Carunculas quaſdam repræſentat : uti exactè hanc Hymenis ſic dicti conſtitutionem & obſervavit & deſcripſit Panarollus *Pent.* 5. *Obſ.* 50.

Membrana ergò hæc anguſtior in Coitu primo ſtricturam Orificii & impedimentum auget ; unde ejus violentiore laxatione & diſtenſione aliquantulum Sanguinis in tenerioribus non nihil, aut quæ nimis mentulato ſubſternuntur, erumpere ſolet. Præter hanc enim Carunculum ( à cujus coarctatione conſtrictio Meatûs ) non eſt alia Membrana poſt Carunculas iſtas obtenſa, niſi errore forſan Naturæ id contingat non nunquam : qua ratione etiam *Atretæ* ſeu *Imperforatæ* tales dicuntur, quibus Pudendi labia Membranâ obductâ concluſa reperiuntur, uti obſervat Aquapendens *de Operat. Chirurg.* Cabrolius *Obſervation.* 23. Rœnhuyſius *pag.* 102. & Sennertus *Prax. lib.* 4. *Part.* 1. *Section.* 1. *capit.* 8. Sed de his & aliis Virginitatis Signis, præter Pinæum *Tract. de Virginitatis Signis*, in ſpecie conſulendus eſt Paulus Zacchias in ſuis eruditiſſimis *Quæſtionibus Medico-Legal. libr.* 4. *Section. Tit.* 2.

Poſt amiſſam per Congreſſum Virginitatem, & inde ſæpiùs factum Conceptum, inter alias Corporis mutationes etiam una inſignior *in Mammis* contingit, dum non tantùm in Defloratis Color Papillarum lividus reddatur, ſed etiam ipſæ Mammæ, quæ in Virginibus rotundæ, erectæ, duriuſculæ & minores contrectantur, in Defloratis molliores, majores & flaccidiores, magiſque pendulæ, ſucceſſivè fieri ſolent, quin & Lac in iis ſucceſſivè ſe monſtrare ſolet. *Hæc tamen Lactis præſentia non ſtatim eſt infallibile Defloration is Signum*, cùm & ex Menſium Suppreſſione Lac in Mammis interdum coacervari in innocentibus queat, ut jam ſuo tempore docuit Hippocrates *Section.* 5. *Aphoriſm.* 39. ubi ſcribit : *Mulieri, quæ nec Pragnans, nec Puerpera eſt, habeat tamen Lac, Menſes ſuppreſſi ſunt.* Unde etiam in Infantibus tenellis & Puellis brevi poſt egreſſum ex Utero Matris ſæpè obſervatum fuit Lac ex Mammis ſtillans. Id quod Obſervationes Medicæ teſtantur : ut taceam de Viris, interdum ex Mammis ſuis paulò carnoſioribus Lac emulgentibus : quin & Bartholinus *in ſua Anatome* recenſet de Familiâ quâdam Nobili in Norvvegiâ, cui hæreditarium fuit, ut etiam intemeratæ notæ Virgines, ſimul ac Puberes fierent, Lac in Mammis generârint.

### ARTICULUS I.

#### *De Genitalium Muliebrium Sophiſticatione.*

SEmel amiſſa Virginitas denuò in integrum reſtitui nequit ; factum enim infectum fieri nequit : nihilo minùs *Adſtrictio Genitalium artificioſa*,

*tinctiosa*, Virginitatis veræ æmula, quin progenerari possit, nullum est dubium. Quæ ipsa artificialis Adstrictio præter hunc usum, ut dissimuletur commissum scelus, etiam interdum hunc in finem necessaria est, ut post Partum, dum nimis dilatata sunt Genitalia, eadem denuò adstricta ad naturalem tonum redeant, ut Viris postmodùm gratiores fiant denuò Puerperæ. Conducunt ergò hîc imprimis *Balnea*, *Fomenta*, *Insessus*, & similia ex *Adstringentibus* parata: quæ inter primatum obtinet Radix Symphyti majoris, de quâ Observationem habet non inelegantem Hœchstedterus *Decad.* 3. *Consil.* 5. *in Schol.* ubi observat quidem, Balnea ex Decocto Radicis Symphyti majoris facta mirè angustasse Virginalia. Præter hanc Radicem *Aluminosa* imprimis conducunt in Decoctis Adstringentibus dissoluta, Vaginæ Uteri injecta: v. g. dissolvitur Aluminis aliquantulum in Decocto Plantaginis, quod injicitur in Vaginam Uteri, & etiam tanquam Fomentum externè applicatur. Alii

℞. *Fol. Quer.*
*Plantag.* an. M. j.
*Rad. Consol. maj.* ʒij. vel ʒiij.
*Gall. contus.* ʒvj. vel ʒj.
*Alum. contus.* ʒß.
Coqu. in s. q. *Aquæ simpl.*

Decoctum per Syringam injiciatur in Vaginam Uteri; aut eodem Decocto imprægnata *Spongia* aut *Linteolum* externè applicetur; aut ipsi intinctus *Pessus minor* immittatur.

In talibus Decoctis commodè etiam *Rob Acaciæ nostratis immaturæ* dissolvi potest ad quantitatem sufficientem, hoc enim miram adstringendi facultatem partes membranosas obtinet.

Conducit hîc etiam *Alchimilla*, cujus Decoctum vapore tenus in Vaginam susceptum insigniter Virginalia angustat.

## ARTICULUS II.

### *De Mammarum Sophisticatione.*

*Mammas* quod attinet: ut & hæ denuò fiant virgines, conducit imprimis *Fotus* cum Aquâ Pini viridis per alembicum destillata, quâ Aquâ vesperi laventur Mammæ, & sponte exsiccentur, & mirè laudatur. Item Decoctum Alchimillæ pro Fotu applicatum mirè conducit. In specie *Mamillas flaccidas* duriores reddit, si fomententur calidè per quinquaginta dies Decocto Matricariæ & Alchimillæ. Denique *pendulas Mammas* erigit Pannus lineus in Decocto Gallitrichi, seu Sclareæ, de qua *suprà*, madefactus, Mammisque superimpositus.

Dixi hactenus: amittere Virginem Virginitatis coronam per Congressum cum Viro: Causa hujus Congressûs impellens & stimulans ex parte Fœminæ est *Appetitus Venereus naturalis*, cujus *vitia sunt*: Quando est *vel imminutus* in quibusdam, aut planè *nullus*; vel Quando est *nimis auctus*, adeò ut omninò in *Furorem* sic dictum *Uterinum* degeneret.

## CAPUT II.

### *De Appetitu Venereo Læso.*

Sive is *auctus* fuerit, sive omninò, quod rariùs fit, *abolitus*. Et quidem præsupponendum est ante omnia, in quonam consistat *Venereus Mulierum Appetitus*? Aut quomodò fiat ista *Titillatio* seu *Pruritus & Delectatio Mulierum*, quam in Congressu experiuntur? *Testes* hîc esse insontes, certum est, qualecunque etiam sit eorum officium: Nam hi ipsi sunt insensiles, non secus ac in Viris: unde iidem ad Venerem minùs facessere poterunt. Nec *Uterus* ipse, ejusque *Vagina*, ceù partes membranosæ, hîc incusandæ, in quibus sensum nullum, aut non adeò singularem, neque ante neque in Coitu, percipiunt Fœminæ, nisi interdum immensus Dolor in quibusdam Affectibus easdem partes corripiat. Potiùs id, quod in Congressu Voluptate Venereâ afficitur, est etiam id, cujus Titillationis quodam stimulo in Appetitum Venereum ruunt Fœminæ, & hoc ipsum primariò est *Clitoris*, pars *Peni virili* analoga; hujus enim tensi ac instar Penis parvi erecti Frictione in actu Venereo mirè delectantur Fœminæ, adeò, ut affluentibus hinc cum Sanguine per Arterias & Nervos Spiritibus Animalibus, Liquor Genitalis, tam in Prostatis Glandulosis, quàm in Glandulosâ texturâ Vaginæ, turgescens cum summâ Voluptate erumpat. Cujus Orgasmo ut Venerea Voluptas summè augetur, ita hujus eruptione, non secùs ac in Viris, etiam postmodùm cessat Titillatio Venerea. Rectè etiam *Sedem Libidinis Clitoridem* vocat Columbus *in Anatom.* *Appetitus* ergò & desiderium *Veneris* fit, quando Materia Seminalis præcisè in Prostatis Glandulosis & Glandulis Vaginæ impensiùs turgescit, ut Clitoris exinde tendatur & erigatur, unde singularis istarum partium *sensus* & quasi *obscura Titillatio emergit*, quæ, non secùs ac in Sexu Masculino, Coitum urget: in Salacibus etiam *Satyriasin* efficit. Sensus ergò Appetitus hæret in Clitoride, ratione cujus Fœminæ etiam possunt exercere & imitari Coitus Venereos.

*Læditur* hic *Appetitus Venereus*, sine quo aliàs nemo Hominum facilè ad tam fœdam actionem se accingeret, vel

1. Quando est *imminutus*, aut in totum *deficit*, quod rarum est; vel
2. Quando *excedit*, quod frequentiùs observatur.

## ARTICULUS I.

### *De Appetitus Venerei Defectu.*

*Deficientis* Appetitûs Venerei rara sunt Exempla; adsunt tamen: Nempe, ubi quædam Mulieres Venerem non desiderant, nec ex Congressu Voluptatem percipiunt, quod Symptoma Platerus *Impotentiam Fœminarum* appellat. Salacitati contrarium est, ejusque Exempla videbitis in Platero *Pr. T.* 1. *p.* 554. & Riverio *Obs.* 19. à Pachequo *communic.* Voluptas tamen non est necessaria, quia etiam quandoque sine Voluptate possunt concipere (B): qualia Exem-

(B) Nota Cyrilli. *Puto absque Fœminæ in Coitu* Voluptate *Conceptionem accidere non posse: etenim sive credas pro Conceptione Ovum à Fœmina præstari, sive liquorem quemcumque seminalem, haud video quomodò alterutrum præstari possit absque partium genitalium confrictu & succussatione: quod sanè fieri credere non possumus absque vel prævia vel comite Voluptate. Nec Mulieribus ipsis in his & similibus fides adhibenda: ut enim ineptam & prorsùs ridiculam modestiam ostentent, se Voluptate in Veneris exercitio caruisse petulanter asseverant. Si ergò conceperit Mulier, illam cum Voluptate concepisse certo certiùs existimandum.*

Exempla ſingularia per totum aboliti Appetitûs Venerei, ac deficientis omnis in Coitu Voluptatis, recenſentur à Platero *lib.* 1. *Obſ. p.* 243. ubi habet Fœminas nunquam à Naturâ ad Venerem ſtimulatas, nec unquam in Coitu cum Maritis celebrato delectatas, quales etiam à Viro initæ Steriles tamen permanent.

## CAUSÆ.

*Cauſæ deficientis* Appetitûs Venerei variæ equidem eſſe poſſunt : In genere tamen omnes ferè referendæ eò :

1. Quòd vel omnimodum *defectum*, vel *paucitatem* ſaltem, *Liquoris* iſtius *Genitalis* minuſque ſpirituoſi inſequantur ; unde & tales Fœminæ ſteriles ferè permanent : Hinc *Scorbuticæ* quædam confirmatæ minùs ad Venerem inclinant ( ſcio aliquot Exempla ) quia iſte Liquor Seminalis minùs ſpirituoſus generatur : Hinc in *Gonorrhœâ Nothâ* benignâ inveteratâ, ſeu Fluore Albo Mulierum, etiam pauca, & nulla in Venerem eſt propenſio.
2. Ubi *nullus in Venerem eſt ſtimulus*, cujus rariſſima ſunt Exempla, ibi Malum *ex vitio Conformationis* oriri arbitror, in ſpecie in iis, quæ nunquam habuerunt Appetitum Venereum : quò etiam pertinet *Caſtratio*, cùm certum ſit, Fœminas Brutorum, factâ in latere inciſione caſtrari, extractis Teſtibus in extremitate Cornuum uterinorum ſitis. Hanc in Fœminis etiam poſſibilem eſſe, arbitratur Platerus *in loco ſuprà citato.* Reverà autem factam eandem eſſe in Fœminis ex aliis refert Sennertus *lib.* 3. *Pr. part.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 1. *de appetitu Veneris læſo*, dum Ovaria, ſeu Teſtes eximunt, faciendo inciſuram in regione Inguinum ſuperiore. Sed Caſtratio utut Steriles reddat caſtratas, Appetitum tamen Venereum ex toto an poſſit delere ? ferè dubito. Nam, & *Eunuchi* viriles infœcundi licèt, Salacitate tamen, & Voluptate Venereâ, aut Stimulo non carent, dum Liquor Proſtatarum loco Virilis Seminis ipſis quodammodò ſatisfacere poſſit ; cui analogo puto Liquorem iſtum Genitalem Fœmellarum, ex labiorum Pudendi lacunis emanantem, hunc ipſum adhuc ſufficientem puto, quòd eas ſtimulet ad Venerem.
3. Si adſit *Morbus* quidam primarius, Scorbutus, Fluor Albus, &c. *à quo dependeat*, hic ipſe ante omnia erit *removendus.*

Inter Remedia omnia ſunt eadem, atque ſuperiùs *lib.* 3. *ſect.* 1. *cap.* 1. *& ſect.* 2. *cap.* 1. *in Affectibus Virorum* laudavimus, nempe quæ conveniunt *in Genituræ Generatione deficiente*, & *Penis Erectione læsâ*, imprimis Ambrata, Moſchata, Zibethina, &c. Inter alia Riverius *Obſer.* 19. *communicatâ à Pachequo*, cujus Experientiam ipſe fecit ad ſtimulandam in Fœminis Venerem.

*Externa* Remedia imprimis ex *Formicis* ſunt petenda ; ſcilicet fiat *Inſeſſus*, aut *Balneum* ex Formicis cum earum cubili collectis, cui Balneo inſideat Fœmina, & Sacculum iſtum, Formicarum cubili repletum, Pudendis admoveat. Item fiat *Inunctio* Pubis, & Pudendorum, regioniſque Uteri cum Oleo Formicarum volantium ( ſunt enim Formicæ, quæ Alas tandem acquirunt, & avolant ) id quod commendatur à Riverio *loco ſupra citato.* Item Olea Aromatica, Zibetho, & Moſcho miſta, aut Balſamum Apoplecticum cum *Zibetho*, *& Moſcho* inungantur Genitalibus, in ſpecie *Clitoridi.*

## ARTICULUS II.

### *De Appetitu Venereo Auctо.*

COntrarium Abſtinentiæ Venereæ in Appetitu læſo vitium eſt *nimia Appetentia Veneris*, ſeu *Appetitus Venereus Auctus*, qui aliàs *Salacitas*, item *Satyriaſis*, appellari ſolet : non ſecùs enim, ac in Viris Penis, ac in talibus Fœminis ad Venerem prochivibus *Clitoris* tenſus, turgidus, & plùs minùs prominulus eſſe ſolet. Affectus eſt talis, in quo Mulieres continuò Veneri inhiant, & inſtar Meſſalinæ laſſari potiùs, quàm ſatiari volunt, & ſolent : cujus extremus gradus *Furor Uterinus* appellatur.

*Ad Appetitum hunc Venereum augendum* non parum facit *Pruritus*, & *Puſtulæ Pudendorum*, & *Uteri* : quæ duo imprimis vitia, ſi non ſubinde ſimul ad Venerem exercendam, ſaltem tamen ad Genitalia ſcalpenda, continuò impellunt. Sit itaque

## MEMBRUM I.

### *De Uteri, & Genitalium Muliebrium Pruritu.*

*Pruritum* quod attinet Pudendorum, ſeu Sinûs Pudoris : quid ſit ? per ſe patet. Eſt ſcilicet Titillatio in Labiis Pudendorum, & Vaginâ Uteri, quæ continuum ſcalpendi, & vellicandi deſiderium excitat. Hoc præterquàm quòd à Fœminis ſponte manifeſtetur, ipſæ vix poſſunt celare, cùm continuò, aut ſaltem ſæpiſſimè, Manus Genitalibus admovere ſolent, aut Pedes ſaltem ſucceſſivè mutuò attollere, & ſimiles motiones exercere ſoleant : vid. M.A.N.C. *Anno* 4. *&* 5. *Obſ.* 47.

## CAUSA.

*Cauſam* hujus Pruritûs credo eſſe Humorem illum Genitalem, qui naturaliter Vaginam, & Pudenda blandè humectare, in Congreſſu verò copioſiùs excerni ſolet, utrobique ex glandulosâ harum partium texturâ ſcaturiens, qui ipſe vel retentus diutiùs, cum ſit reverà quædam Lympha, vel in ſpecie acrior, aut ſalſior, aut non nihil acidior factus, talem Pruritum in locis Excretionis ſuæ vicinis inducere ſolet. Unde, & interdum eſt, ut adſit Pruritus Uteri cum ſuperveniente Liquoris Genitalis ejectione, quale Exemplum refert Manar-

Manardus *lib.* 13. *Epiſt.* 5. hinc, & Vetulis frequentior contingit Pruritus talis, quàm Junioribus. Adeſt interdum ſimul coëundi libido, utut hæc ipſa ſæpiùs abſit, interdum diu durat hoc Malum, ac difficiliùs curatur. Refert namque Zacutus Luſitanus *lib.* 2. *Prax. Admir. Obſ.* 83. talem Pruritum Uterinum diuturnum, & ferè incurabilem factum, tandem *Cauſticis*, ſeu *Fontanellis* duabus in Femoribus excitatis fuiſſe curatum.

## PROGNOSIS.

Malum hoc interdum eſt adeò *moleſtum*, ut continuo Pruritu *Somnum* etiam impediat.

## CURA.

Quod attinet *Curam*: præmiſſis, ubi opus fuerit, blandis *Laxativis*, aut blandis *Sudoriferis*, item temperatâ non nihil, ubi opus fuerit, Lymphæ acrimoniâ, *Externis* quod ſupereſt abſolvendum.

Conveniunt ergò *Infuſa*, & *Decocta* ex Fumariâ, Cichorio, Scabioſa, Meliſſâ, Pulegio, Radice Bryoniæ, Hellebori nigri, Polypodii, & ſimilibus. Imprimis Mercurius dulcis egregius eſt, & appropriatus, item Extractum Trochiſcorum Alhandal. Medicamenta nunc Vino, nunc, idque ſæpiùs, Sero Lactis infundi poſſunt in Bilioſis, h. e. in quibus acidus Sapor, nunc magis, nunc minùs volatilis, imprimis dominatur. Hinc Eſſentia Rob Sambuci, Eſſentia Lignorum, Tinctura Coralliorum cum Spiritu Lignorum, pro Scopo Alterativo, & Diaphoretico imprimis, conducunt.

*Externa* inter excellunt *Saturnina*, hinc *Mercurialia*: imprimis convenit *Linimentum* factum ex Lithargyrio Auri, quod per diem, & noctem in Aceto acerrimo maceratum fuit, ſi hujus recipiatur ʒi. & miſceatur cum Olei Violar. ʒß. vel ʒi. Exinde enim, imprimis ſi ducantur in Mortario plumbeo, fit Linimentum molle, Secretum expertum Helidæi, quo ipſo illinantur Partes affectæ. In tali Uterino Pruritu conducit etiam Acetum, in quo ſolutum ſit Plumbum calcinatum; tale enim Acetum edulcoratum pro Lotione Pudendorum applicatum, inſigniter conducit. Alii uſurpant Acetum per Alembicum plumbeum deſtillatum, pro ſimili Pruritum curandi Scopo. Sin contumacius fuerit Malum, tunc fiat Unguentum ex p. i. Unguenti de Tutiâ, & parte dimidiâ Olei Hyoſcyami: Hæc duo ſubacta in Mortario plumbeo illinuntur Labiis Pudendi ad ſedandum Pruritum.

Vel

℞. *Ungu. de Ceruſſ.* ʒß.
*Lithargyr.* ʒj.
*Ol. Roſac.* parum.
Ducantur in Mortario plumbeo f. Unguentum.
D. S.
Unguentum Leniens.

Quo imbutus Pannus applicatur locis Pruritu affectis, & plùs minùs excoriatis.

Uſurpari etiam poteſt hîc in pertinaciori Malo Unguentum Foreſti *libr.* 27. *Obſ.* 8. quo Pruritum, & Excoriationem Penis aliis irritis, reſtituit. Item ubi contumacius adhuc fuerit Malum:

℞. *Unguenti Pomati* ʒiv.
*Mercurii dulc.* ʒij.
M. in Mortario marmoreo Piſtillo lapideo,
f. Linimentum.
D. S. ut ſuprà.

Poteſt etiam addi *Ceruſſæ*, aut *Sacchari Saturni* ʒj. hoc ipſum enim tanquam ſingulare Remedium in Pruritu, & Excoriatione Uteri, & Labiorum commendatur.

Item

℞. *Unguent. Emulat.*
Miſc. cum *Mercurio dulc.* addendo *Oleum Nicot.* ſicque fiat Linimentum contra nimium Uteri Pruritum.

Pertinaciori in Malo *Veſicatoria* in Femore, vel *Fonticulus* in Crure, poſſunt excitari ad imitationem Wedelii *in Opiol. pag.* 137. pertinacem Scroti Pruritum hoc modo curantis.

Rarum eſt, quòd Pruritus Uteri fiat ab *Aſcaridibus*, Injectionibus amaris, & abſtergentibus evacuandis: Vid. Sennertus *lib.* 4. *Prax. p.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 14. *pag.* 204. in ſpecie M.A.N.C. *Anno* 8. *Obſ.* 75. *pag.* 224.

## MEMBRUM II.

### *De Genitalium Puſtulis, & Scabie.*

POſt hunc Pruritum Uteri ſimplicem, ex ſimili forſan vitioſâ, ac nimis acidâ *Lymphâ retentâ Corroſio* in labio Pudendi ac Sinu Pudoris, hinc *Furfures*, *Puſtulæ*, ac denique *Pudendorum Scabrities*, interdum oriri ſolet, adeſt ſimul intenſus *Pruritus*, interdum ſimul *coëundi Deſiderium.*

*Puſtulæ* hæ nunc ſunt ſaltem mitiores, & inſigniter prurientes, ac reverà *Scabiem* ſaltem Pudendorum ſpecialem conſtituunt; quædam verò earum ſunt maligniores, & in ſpecie *Epinyctides* vocantur, quarum Dolor inſigniter intenſus eſt, & qui longè excedit proportionem magnitudinis Puſtulæ; nunquam enim Fabâ majores viſuntur hæ Epinyctides, ſæpè ſunt minores, ſcabræ, pruriginoſæ, ac furfuraceæ, Squamas de ſe projicientes, inſignem Ardoris ſenſum excitantes.

## CAUSÆ.

Ex *Cauſis Internis* retentis excernendis *Puſtulæ* tales *Benignæ* generantur. Præter has enim etiam aliæ *Malignæ* oriri ſolent, à Contagio acido Venereo natæ ex congreſſu cum Infectis, rodentes, & dolentes inſigniter, & ſucceſſivè in *Exulcerationes* abeuntes.

## DIAGNOSIS.

Malum hoc, ſeu Puſtulæ tam tactu Ægrarum, quàm adſpectu Chirurgi, facillimè per ſe cognoſcuntur.

## PROGNOSIS.

Omnes hæ Puſtulæ, præter moleſtiam, quam excitant, ac præter contumaciam, dum difficulter curantur, ſimul *Contagioſæ* ſunt, & Viros, qui talium Fœminarum conſuetudine utuntur, ſimul inficiunt.

## CURA.

In *Curâ Univerſalia* iſta, quæ vel in genere in Scabioſis uſurpantur, præmittenda, vel in ſpecie eadem, quæ jam *Membro Anteced. de Pruritu Uteri* fuerunt inſinuata, adhibenda, imprimis *Noduli* Laxantes cum Radice Bryoniæ, & Eſulæ parati. Quòd *ſi Venereæ ſint* Puſtulæ, ad Luem Gallicam Cura eſt dirigenda, aut huic ſaltem ſimilis inſtituenda; unde *Mercurialia*, & quæ *ex Lignis* ad impugnandam Luem Veneream uſurpantur Remedia.

Præter talia imprimis conducunt *Externa* applicanda, quæ aliàs ad Scabiem uſurpari ſolent; in ſpecie

ſpecie Oleum Roſatum, miſtum cum Vitellis Ovorum, agitetur in Mortario plumbeo tamdiu, donec colorem mutet: item Decoctum Calcis vivæ, cui additum ſit Saccharum Saturni: e. g.

℞. *Decocti Calcis vivæ* ℔i.
*Sacch. Saturni* ℥ß. ad ʒi.
M. S.

Mixtura Purificans, & Leniens.

Partim externè applicetur, partim injiciatur.

Aut, ubi *Contagium* eſt ſuſpectum, loco Sacchari Saturni addatur Mercurius dulcis ad ʒj. Vel præſcribatur Mixtura Compoſita, quam Sennertus tanquam expertam deſcribit *l.* 4. *Prax. p.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 4. Compoſitio eſt hæc:

℞. *Aloës*,
*Myrrhæ* ana pondere quantit. Ciceris.
*Viridis Æris*, ſeu, ut vocant, *Flor. Æris* dimid. Ciceris.

His adde:

*Vini albi*,
*Aquæ Roſar.*
*Plantag.* an. ʒi.
M. S. ut antè.

Hæc Mixtura injiciatur, & eâdem abluantur Puſtulæ.

Remedium hoc inſigniter commendat Caſtro *in ſuo Tractatu de Morb. Mulierum*, utpote quòd ipſum etiam ſine omni nocumento præter Puſtulas omnia Ulcera Pudendorum ſanet, & emendet, ſi per Siphonem injiciatur.

Sequitur poſt hanc *loc. alleg.* alia *Injectio*, quæ fortior eſt, ex Aquâ Plantaginis, Roſarum, cum Nitro, Alumine, Mercurio Præcipitato, & Viridi Æris, & conducit, ubi Malum eſt a Lue Venereâ.

Aliàs *ad Furfures*, & Puſtulas conducit etiam Unguentum, factum ex Melle cum Myrrhâ, cui Alumen ſit additum. Ulteriùs Unguentum Album camphoratum, aut de Lithargyrio, miſtum cum Oleo, aut Sale Tartari per deliquium in Benignis, aut cum Mercurio dulci in Malignis, imprimis conducit, ſi poſt iſtas Lotiones inungatur. Denique ſi contumaciores ſæpiùs verò pullulantes fuerunt hæ Puſtulæ, obſervandum id, quod dicit Caſtro: *Aperiatur Fonticulus in Crure, ac diu apertus ſervetur*; quod utut ſit palliativum, forſan etiam impoſtorium, nihilo minùs tamen interdum contuliſſe obſervatum fuit.

## MEMBRUM III.

### *De Furore Uterino.*

SUmmus *Salacitatis* gradus vocatur *Furor Uterinus*, dum Appetitus Venereus nimirum augetur, & eò uſque exſurgit, ut *Delirium Libidinoſum* tandem inferat ad Maniam blandiorem, & mitiorem accedens, idque oriundum, ut dixi, *ex nimio Veneris deſiderio*. Nempe Affectus hic, *Furor Uterinus, eſt complicatus ex nimio Veneris deſiderio, & Delirio*; tam *Virginibus*, quàm *Maritatis* accidit, quarum ſcilicet Mariti, aut ægrotant, aut peregrè abſunt, hinc illæ diutiùs à Congreſſu abſtinent: item *Viduis*: magis tamen iis, quæ jam guſtârunt aliquoties Veneris delicias, quàm Virginibus. In hoc Affectu, jam ad Delirium propiùs accedente, Fœminæ fiunt garrulæ, loquaces, interdum vociferantur, & jubilos edunt, inquietæ ſunt, & vix intra domus coerceri poſſunt, quin foras ſe proripiant, & interdum per plateas vagentur, iracundæ ſint ſimul, & non rarò obviam venientes, & in ſpecie Viros aggrediuntur, quos ad Venerem interdum ſolicitant, renuentes verò verbis interdum, interdum verberibus, malè puniunt: in ſpecie inconditis ſermonibus ſuis multa & varia de rebus Venereis interſerunt, & cuicunque argumento aliquid de Concubitu ſemper intermiſcere ſolent: interdum frequenter detractant Genitalia; imò laſciviùs interdum in præſentiâ Virorum ſe denudant, & quæ ſunt alia modò majora, modò minora Symptomata. *Congreſſus* validus & nervoſus, ſæpiùs repetitus, citra ullum aliud Remedium, tales Fœminas optimè curat. Inter alia Schenckius *in Obſerv. pag.* 142. *ubi de Maniâ*, refert, quandam Virginem Furore Uterino percitam hinc inde per plateas oberraſſe, & Mares ad concubitum ſolicitaſſe, idque diutiùs, donec tandem in Tabernâ meritoriâ unâ nocte à quindecim Viris fuerit compreſſa, unde optimè ſanata, mane domum rediit: Simile Exemplum habet Bartholinus *Cent.* 2. *Hiſt.* 69. Panarollus *Pent* 3. *Obſ.* 9. & hinc inde talia apud Autores leguntur.

### CAUSÆ.

In perſcrutandâ autem hujus Furoris Uterini naturâ duo ſunt conſideranda:

I. Quidem *Liquoris Seminalis Fermentatio & Turgeſcentia*, & hinc derivanda ipſa Veneris exercendæ appetentia, ſeu Salacitas.

II. Adjunctum *inſigne Delirium*, quod mitior quædam Maniæ ſpecies eſſe videtur.

In genere Affectus hic ſimillimus eſt *Oeſtro* illi Venereo, quo Bruta certis anni temporibus percita, v. gr. Cervi & Damæ, ſimili Furore in Venerem ruunt: Nam reverà hic *Furor Uterinus brutalis quidam impetus* eſt in his Fœminis, quæ ita contra omne honeſtæ rationis dictamen ſimpliciter ex præternaturali Veneris ſtimulo quaſi in Venerem ruunt, ſicut Bruta ex vehementi, ſed naturali, certis anni temporibus ſtimulo eam appetunt. Jam verò ſicut hic *Brutorum Furor* eſt ex *Turgeſcentiâ & Effervescentiâ* quâdam *Genituræ* in Maribus, ita etiam ex Lymphæ Genitalis Turgeſcentiâ in Fœminis contingit, quâ Partes genitales irritatæ, & fervidiores redditæ, ſuavem ac voluptuoſam Venereum Titillationem concipiunt. Unde etiam quædam Bruta, v. g. Canes Venere luxuriantes, (Germ. *die Batzen*,) Materiam albidam aquoſam & nonnihil mucilaginoſam ſponte & continuò per Genitalia effundunt, quod alio tempore non fit: & talibus ſimul per Sanguinem & Lympham turgeſcentem, à partibus Genitalibus refluam, ſimili Fermentatione *Maſſa Sanguinea* reliqua inquinatur, turgeſcit & efferveſcit uberiùs; Unde ſucceſſivè *Spiritus Animales* & volatiliores & concitatiores fiunt, à quibus velociùs ſimul in Cerebro fervefacto agitatis, accedente iſto Pruritu Venereo Genitalium, tam inſignis in Venerem impetus conſequitur. Similiter etiam ſe res habet in *Mulieribus*, quæ Lymphâ propriâ Genitali quaſi turgidæ aut gravidæ, iſtâ ſcilicet quæ in Proſtatis circa Urethram generatur aut coacervatur, hujus excitato *Orgaſmo* & fermentativâ *Turgeſcentiâ*, accedente ſimul forſan *Acrimoniâ* ejus volatili ex quodam blando in Genitalibus Vellicationis aut Titillationis ſenſu, priùs in Veneris deſiderium auctum incidunt, idque imprimis, ſi anteà conſuetæ fuerint, aut Congreſſui, aut aliàs habuerint ſuas Pollutiones nocturnas, quæ utraque ubi ceſſant aut deficiunt, tunc Clitoris ſimul in iſto Orgaſmo tenditur, & turgidus Veneris deſiderium magis magiſque incendit: Nam hanc Clitoridem manifeſtè tumere, & in Furore Uterino Phlogoſin quaſi quandam & Ruborem concipere, aſſeritur *in Epiſt. Bartholinianis Cent.* 3. *Epiſt.* 94. *pag.* 407. Jam verò occaſione hujus Venereæ Titillationis in Genitali-

nitalibus talis *Spirituum Animalium* in Cerebro excitatur *Motus*, cujus occasione Anima concipit *Actum Venereum*. Quo Motu Spirituum Animalium diutiùs & vehementiùs continuato, tandem *Inordinatio* quædam supervenit, unde *Delirium*, sed Venereum excitatur.

Effectum hunc obscurum nonnihil declarant sufficienter *Pollutiones nocturnæ* Virorum: In his enim *turgescente* ex quâcunque causâ *Geniturâ* in Vesiculis Seminalibus, inchoatâ suâ Titillatione excitatur talis *Spirituum Animalium motus*, unde exinde oritur *Somnium* Exercitii Venerei, vel aliud simile, indeque *Genituræ* tandem fit *Excretio* in Somnio. Jam verò *Deliria sunt Vigilantium Somnia, & Somnia sunt Dormientium Deliria*: Unde sicut se habet tale Delirium nocturnum, aut Somnium in Pollutione nocturnâ Virorum; ita se habet tale Delirium diurnum in Fœminis *Furore Uterino* afflictis, in quibus ex suavi Genitalium Prurigine, ob turgescentem illum & fermentantem Seminalem Liquorem facilè excitatur impressio seu *Idea Venerea*, quæ continuâ sui repræsentatione instar cujusdam Delirantis nil aliud cogitare permittit, quàm Exercitia Venerea. Dum enim Liquor hic Genitalis, per Sanguinem & Lympham refluens, etiam alterat simul Lympham & totam Massam Sanguineam, ejus acrior fit Fermentatio & Effervescentia; Unde *Spirituum impetus* magis *celer & agilis* redditur, ut ex concitationibus hinc Spirituum Animalium agitationibus, talis *Animositas*, & *Audacia* insolita, aggrediendi conatus, & similes exorbitantiæ in Fœminis, imò insolita Corporis Incalescentia, exinde sequantur, unde tales Mulieres sunt audaces, minusque timidæ.

Quoad *Causas Externas* seu *Remotas*, disponentes ad hoc Malum, sunt omnia ea, quæ istum Liquorem Genitalem vel augere, vel acriorem eundem reddere, & in Turgescentiam insolitam concitare possunt: Qualia, præter *Assumpta* varia Aromatibus condita & Potum generosiorem, sunt Vita sedentaria, curisque vacua, lauta Diæta, Abstinentia à Venere, Habitus succiplenus, &c. Sic Sennertus *lib.* 4. *Prax. ubi de Furore Uterino pag.* 255. refert, observatam fuisse quandam Fœminam ex haustu Vini Hippocratici, in quo aliquantulum Borracis dissolutum fuit, hoc Malum incurrisse; Aliis idem accidisse post Congressum cum Viris, qui ad Venerem augendam, & Voluptatem Fœminis conciliandam, Virile Membrum *Moscho* & *Oleis calidioribus* inunxerunt. Nempe Effluvia talia odorifera & Lympham Genitalem & totam Massam Sanguineam imprægnârunt. Præter Causas istas nonnunquàm evenit interdum, quòd *Moniales* ferè subinde obnoxiæ sint huic Passioni, cùm ordinaria Remedia iis non admittantur. Et sanè, si quid aliud, mirabilis Uterini Furoris in Moniali cum copiosissimis Pollutionibus nocturnis Exemplum Bartholinus *Cent.* 3. *Epistol.* 39. ex literis Horstii refert: Quô referenda etiam similis ferè Historia Amati Lusitani *Cent.* 6. *Cur.* 97. Furoris Uterini in Moniali; Sic ex imminente primitùs Mensium Fluxu Furorem Uterinum notant Bartholini *Acta Haffnienſia Vol.* 1. *pag.* 164. in quem desierat Pleuritis spuria; *Acta Haffnienſ. Vol.* 4. *pag.* 167.

## DIAGNOSIS.

*Signa Diagnostica* ex modò dictis suprà de Habitu Mulierum mutato facilè patent.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*: Recens facilè curatur, si verò negligatur, periculum est, ne Malum diutiùs durans (nam per Paroxysmos interdum recurrere solet) nisi maturè supprimatur, in perfectam tandem *Maniam* degeneret.

## CURA.

Quoad *Curam*: Ista, quæ fit per nervosum, validum, & crebriùs repetitum *Congressum*, est optima; Quæ ipsa tamen, cùm interdum nolentibus volentibus denegetur, hi *quatuor Scopi* observandi sunt: Opera ergò danda est,

1. Ut *Materia peccans in primis viis*, evacuetur.
2. *Genituræ ubertas* inhibeatur: quod præter Diætam tenacem ea omnia faciunt, quæ peculiari vi Genituram absumere, aut saltem alterare, per Experientiam cognita sunt, & qualia *suprà l.* 3. *Sect.* 1. *cap.* 2. *Artic.* 1. *Membr.* 1. & *l.* 4. *Sect.* 1. *cap.* 4. in *Gonorrhœâ tam Mulierum*, quàm *Virorum*, fuerunt recensita.
3. *Effervescentia Sanguinis*, & hinc nata *Turgescentia Liquoris Seminalis*, dometur per Venæ sectionem, per Absorbentia, & lenia Diaphoretica.
4. *Spiritus Animales* corrigendi, eorumque *impetuosus motus* ad Venerem plùs minùs impellens sistendus ac coërcendus: quod faciunt imprimis Opiata & Camphorata.

*Priori Scopo* satisfaciunt imprimis *Vomitoria* in paulò majore dosi, partim, quæ Ægram mitigando, & partim Lymphæ Genitalis Materiam revellendo, item Ægras debilitando & delassando, optimè conducunt.

Pro *secundo Scopo* ad Genituræ ubertatem omnia ferè Remedia conveniunt, quæ *suprà l.* 3. *Sect.* 1. *Cap.* 2. *Art.* 1. *Membr.* 1. & *Sect.* 2. *c.* 2. *Artic.* 1. & 2. *Gonorrhœam*, *Salacitatem*, *ac Satyriasin Virorum* dicta sunt, ut Radix Nymphææ albæ, & quælibet ex eâ parata; item Vitex seu Agnus castus, in specie ejus Semen, & ex Agno casto parata Remedia, Lactuca, Ruta, Portulaca, Cicuta, in specie ejus Semen, Folia Salicis. Nam, dum tempore verno amputantur Rami Salicis tenuiores, effluere solet ex iis *Liquor* limpidus & aquosus, qui propinatus, ac cum *Farinâ* in Pastillos redactus, Mulieribus *Furore Uterino* laborantibus, omnem ad Venerem propensionem extinguit. Quod etiam facit *Decoctum Foliorum Salicis*, in specie junioris, aliquoties epotum jejuno Stomacho; nam & hoc omnem Appetitum Venereum in Fœminis cohibet, quin & tandem omnes Mulieres Steriles facit: item Extractum Foliorum Salicis, de quo vid. Ludovici *Pharm. pag.* 716. Hinc Semen Cannabis, Viticis, Papaveris, & similia laudantur. A quibusdam propterea hæc laudatur Emulsio:

℞. *Sem. Cannab.* ℥ii.
*Lactuc.*
*Portulac.* an. ℥ii.

Cum s.q. *Aquæ Nymph.* vel *Portulacæ* f. Emulsio, edulcoranda cum *Syrupo de Nymphæâ*, pro aliquot dosibus:

D. S.
Emulsio Cohibens.

Si addatur aliquid de *Camphorâ* vel *Opiato* quodam, Remedium erit eò efficacius: cautè tamen usurpetur propter Cannabim. Vel ex *Semine Viticis* possunt fieri *Emulsiones*; ex. gr.

℞. *Sem. Agn. casti* ℥ß.

Cum s. q. *Aquæ Nymph.* f. Emulsio: adde
*Camph.* ℥ß.
M. S.
Emulsio Refrigerans.

Pro

Pro *tertio Scopo* ad Maſſæ Sanguineæ Turgeſcentiam convenit *Venæ ſectio* repetita; hinc uſurpentur *Acida* ſæpiùs laudata, in ſpecie *Succus Citri & Limonum*, *Granatorum* & ſimilia Acida, ſpeciatim Nitrum & omnia *Nitrata*, aliquandiu continuata: quibus addantur *Sudorifera*: item *Serum caprillum* copiosè hauſtum convenit. Alia, ut Saccharum Saturni, Corallia, & ſimilia, quæ Sanguinis Efferveſcentiam etiam compeſcunt, non ſunt omittenda, ſed diligenter uſurpanda: Quin & Bolum ex Terebinthinâ ad evacuandam Materiam ſeminalem commendat Riverius.

Pro *quarto Scopo* optima ſunt *Papaverina*, & quælibet *Opiata*, & hinc *Camphorata*. *Camphoram* quod attinet: ad compeſcendum Furorem Uterinum hujus crebrior uſus præ aliis Remediis ſpecificè convenit, & omnia ex Camphorâ parata. Confirmat hoc Horſtius *Epiſt. ad Bartholinum*, ubi dicit: ſe ſæpiùs expertum fuiſſe in Virginibus hoc Malo correptis, quòd fere nihil meliùs contulerit, quàm Camphora incenſa, & ſæpiùs in Potu ordinario extincta, & ita pro Potu ordinario Ægræ propinata, qui Potus eſt medicatus contra Furorem Uterinum: vid. Bartholinus *Cent.* 3. *Epiſt.* 39. *pag.* 147. Credo hoc ipſum, nam notum aliàs eſt, quòd Camphora in Maniâ ipsâ ſit ſingulare Remedium; Imò, quod etiam Deliria Febre Malignâ aut Febre Ardente correptorum egregiè domare ſoleat: Unde Camphora tum his omnibus Remediis miſcenda, imò præferenda, cùm ſimul habeat vim narcoticam & Spirituum fixativam. De Opio & ejus Laudano itidem conſtat, quòd conducat in Furore Uterino, & Genituræ compeſcendo Turgeſcentiam, & Spirituum cohibendo Motum impetuoſum: Exemplum hujus rei clarum, quantum Opiata valeant, refert Bartholinus *Centur.* 5. *Hiſtor. Anatom.* 85. de Muliere, quæ ſubitò Furore Uterino gravi fuit affecta, curata poſtmodùm per grana ij. Laudani Opiati. Vi tali anodynâ & Cannabis Semen prodeſſe videtur.

Ex his multæ *Formulæ* poſſunt adornari, quales vid. in *Coll. Caſuali.* Si opus ſit *Evacuatione*, Infuſum Sennæ in Serum caprinum apprimè conducit.

*Externè* conveniunt *Cataplaſmata*, *Balnea* & *Fomenta*, tam regioni Uteri externæ, quàm Mammis, ex Mandragorâ, Solano, Portulacâ, Rutâ, Papavere & ſimilibus applicata. Cicuta quacunque ratione uſurpata Genitalibus, vel Folia recentia, vel Succus, imprimis commendatur. Alii laudant Mercurialem cum Lenticulâ paluſtri, ſub formâ *Cataplaſmatis* Pectini & Lumbis impoſitam. Denique Succus Agni caſti, Salicis, Lactucæ, Hyoſcyami, Sempervivi majoris cum Aceto, Saccharo Saturni, Camphorâ, & ſimilibus, frigidè dictis locis utiliter applicantur.

## SECTIO III.

*De Affectibus Totius Corporis, qui Sequiori Sexui ex Vitio Uteri vulgo contingere dicuntur.*

NAm modò dicta *Sectio* huc manu nos ducit: Nempe, cùm quotidianâ conſtet Experientiâ, quantum Genitalis Liquor in utroque Sexu, in Puberibus naturaliter conſtitutis, & in iis, in quibus abundat præternaturaliter, alteret Corpus, meritò accedimus ad *Affectus*, *qui vulgò ex Utero, vel per Conſenſum Uteri fieri in Mulieribus putantur. Putantur*, dico, fieri varii Affectus ex Utero, ſed malè, cùm *reverà non ſint ex Utero*, quà tali, niſi Uteri nomine Partem Continentem pro vitiis Contentorum vel tranſmittendorum accipere, & ſic totum Genitalium Muliebrium Syſtema ſimplici Uteri nomine appellare velimus: Sed reverà eveniunt aut vitio Liquoris Genitalis diutiùs retenti, & ita præternaturaliter corrupti, vel alio modo alterati (hic Liquor Genitalis ille eſt, qui in Coitu Fœminis effluit, & non confundendus eſt cum Genitura ſeu Ovario): aut vitio Menſium, in ſpecie ſuppreſſorum, nec ritè fluentium. Uterus enim ceu Vaſculum membranaceum ſimul glandulosum rariſſimis, nec adeò crebris, affligitur Paſſionibus, iiſque ſaltem cum aliis *Affectibus Particularibus* aliarum partium communibus, quales v. g. ſunt Inflammatio, Tumor aquoſus ſeu Hydrops Uteri, Inflammatio Uteri, Scirrhus, Dolor, Cancer, & ſic porrò, à quibus non major ſequitur Corporis alteratio, quàm ſi eædem Paſſiones alias partes occupent, cùm dicta Pathemata non Uterum ſolum, ſed & alias Corporis partes affligant. De cætero neque ullum cum aliis Corporis partibus commercium habet Uterus, quàm quod fit beneficio Nervorum ex Plexibus Meſenterii oriundorum, cum reliquis Abdominis partibus. Unde, ſiqui ex Utero per conſenſum ſunt Affectus, hi ſolùm erunt *Spaſmi* aut *ſpaſmodicæ Convulſiones*, unde Dolores oriuntur, & Pathemata, qualia Gravidis in, ante, & poſt Partum, frequenter accidere ſolent.

Quando ergò *Uterus* accuſatur à Practicis in Mulierum Morbis abſtruſioribus & contumacioribus, & variis Humoribus infarctus putatur, unde peſſima ſurgant Miaſmata, à quibus aliæ partes afficiantur, aut quando Intemperiebus quamplurimis laborare putatur, tunc profectò Cauſam non Cauſam proferunt; & potiùs tales excuſationes ſunt vana effugia ignoratæ Cauſæ Proximæ magis, quàm *accuſationes Uteri* reverà affecti, quibus Affectibus pallium ſaltim quærunt. Unde etiam regimen iſtud ſingularis Monarchæ in totum Corpus, quod ex Utero ſtatuit Helmontius, inter ſuaves ejuſdem proprio arbitrio effictas Hypotheſes referri debet.

Miſſo ergò Utero, Pathemata iſta, quæ vulgò tribuuntur Utero, dictum eſt originem ducere ex *Liquoris Genitalis* plùs minùs *Turgeſcentiâ & Menſtruorum Suppreſſione.* Quod attinet Lympham Genitalem: (ubi ſemper intellectum volo non Liquorem quendam in Teſtibus contentum aut elaboratum, hic enim nullus eſt, imprimis cùm Teſtes ſint Ovarium; ſed potiùs intelligo eum Liquorem, quem Mulieres in Coitu voluptuoſo ſenſibiliter, imprimis in Proſtatis Glandulosis colli Veſicæ, & forſan etiam in Vaginâ Uterinâ ratione texturæ ejus membranoſo-glandulosæ, elaboratum & aſſervatum, excernunt): ſi inquam retenta iſta Materia & coacervata turgeſcendo, & ſtimulando dat *Satyriaſin*, in qua Clitoris inſtar Penis rigida prurigine Venereâ afficitur, (adeoque Affectus idem cum Satyriaſi Virorum,) adeoque & ipſum Furorem Uterinum; non dubium eſt, ſi hæc ipſa Materia diutiùs retineatur & ſupprimatur, quò minùs aut conſuetis Pollutionibus, aut Congreſſibus excernatur, & ex retentione diuturniore inſigniter alteretur, quin & mutata tandem omnino depravetur, ita ut poſtmodùm hæc ipſa inſignes in toto Corpore mutationes inferre poſſit. Saltem conſiderentur *Alterationes*, quæ Mulieribus tempore *Pubertatis* accidunt, ſimillimæ iis, quæ Viris obveniunt ex causâ eadem: Multò magis ergò ex *inquinatâ Maſsâ Sanguineâ*, quæ inquinata eſt ab hoc *Liquore Seminali*, varia evenerint Symptomata.

## CAPUT I.

### *De Chloroſi.*

HAs inter Corporis mutationes *primo loco* conſiderandus eſt *Color pallidus Virginum* ſeu *Chloroſis*, quæ alio nomine etiam *Febris Alba Virginea*, item *Icteritia Alba* appellari ſolet, & malè ab omnibus ferè Autoribus cum *Cachexiâ Muliebri*, quæ vel Menſium ſecum trahit Suppreſſionem, vel ex Menſium Suppreſſione ſequitur, & in qua Mulieres non ſecùs ac Viri Cachectici, pallidæ etiam & decolores fiunt, confunditur. Nam poſterior hæc Cachexia in genere ita dicta ex æquo omnibus Mulieribus, quocunque in ſtatu ſint, contingere ſolet, tam *Virginibus* quàm *Maritatis*, tam Junioribus quàm Vetulis: Et hanc Cachexiam, quâ Mulieres cum Viris habent communem, ſemper aut antecedit aut inſequitur Menſium Suppreſſio. Sed hæc ipſa Cachexia non eſt *Chloroſis* ſeu *Febris Alba Virginea*: Nam & nominis ratio ſufficienter monſtrat, eſſe hunc Affectum proprium aut Virginibus aut Viduis, aut ſimilibus extra Viri conſortium viventibus, aut quibus Mariti non ſatisfaciunt. Tales enim pallent, aut ſublivido potiùs aut fœdo nonnihil Colore tinctæ apparent, imprimis ſub Oculis *Coronam* quandam quaſi ſubcœruleam, & ſubrubeſcentem habere ſolent, anxiæ ſunt, & non rarò triſtes citra manifeſtam Cauſam, *Menſes* non ſemper ſuppreſſi ſunt, ſed fluunt ſæpiùs ferè ſtatis temporibus, donec Malo ulteriùs procedente, tandem & illi emaneant. *Febricula* ſæpiùs adeſt lenta, & quodammodò inordinata, ac quaſi eſt erratica, obſcura tamen & Ægris ipſis vix ſenſibilis: *Pulſus* ſunt inæquales & varii, *Vomitus* etiam interdiu infeſtat, ac Præcordiorum anxietas, &c.

## CAUSÆ.

Tales vulgò putantur laborare vitio Uteri tali, quod contrahatur ex Menſibus ſuppreſſis: quod non ſemper verum eſt, ſed *Menſium Suppreſſio ſupervenit quandoque tanquam effectus*: & poſito, quòd Menſium Suppreſſio ſit Cauſa hujus Affectûs, ſicut nec hæc Suppreſſio ex Cauſarum numero omninò excludi poteſt, cùm hanc in Maritatis æquè ac non Maritatis & ſimilia Symptomata ſequantur, (vid. Horſtius *lib. 5. Obſ. 5. & 6.* ac Timæus *von Guldenklee*, *lib. 4. Conſ. 16.*) quæritur, quare tales juvet, & feliciſſimè reſtituat Congreſſus cum Viro? idque eò meliùs, quò frequentiùs hic ipſe reiteratur, habitâ ſimul Circumſtantiarum ratione, quod non fit in Suppreſſione Menſium laborantibus. Sanè Congreſſus, quà talis, ad Cachexiam Sanguinis in genere, & hinc Menſium Suppreſſionem curandam, parùm aut nihil facit; potiùs dicendum cum Lindano: *Non ſtatim Cachexiâ Menſium laborant Fœminæ, quæ pallent; nam ſubinde Virgines admodùm pallent, & tamen non laborant Menſium Suppreſſione, ſed potiùs volunt tales cohabitare Viro.* Scilicet vitium eſt *in Liquore Genitali ſuppreſſo*, indeque *alterato*, & tandem nonnihil *corrupto*, cujus corrupti vitium *Maſſæ Sanguineæ* communicatum inſtar Fermenti & hanc corrumpit, unde & reliqui hinc ſecernendi Corporis Succi, uti & *Lympha*, ſimiliter corrumpuntur, hinc ſucceſſivè talis *Color*, *Febris lenta*, & majores calamitates, & citra ullum Diætæ vitium talis Pallor & malus Habitus, cui tandem neceſſariò quoque ſuperveniet *Menſium Suppreſſio*, Virgines tales affligit. Nam uti Genitalis Liquor naturaliter conſtitutus ſub Pubertatis tempore tam notabiliter Corpus fœmineum alterat, & alacritatem, robur, venuſtatem, & ſimilia cum menſtruâ Fermentatione & Mammarum ſororiatione inducit: item ſicut idem Liquor Genitalis luxurians copioſiùs impetum quendam pluſquàm humanum, furioſum & quaſi brutalem, in Furore uterino infert, idque per auctas Sanguinis ſpirituaſcentias; ita retentus econtrà & corruptus ac alteratus ſimili fermentativâ virtute & totum Sanguinem, hinc & *Spiritus* inquinat, & tandem alterat & vitiat, & conſequenter Corporis Habitum peſſundat. Per Venerem ergò excreto iſto Liquore, & à Spiritu Genitali Maris novo quaſi Fermento Genitalibus Muliebribus inſpirato, denuò ſpirituaſcit, & impetuoſiùs fermentare incipit Maſſa Sanguinea, & Spiritus alacriores & volatiliores, motuique elaſtico aptiores, totam Corporis Machinam pererrant, & omnes Corporis partes animant, unde totum Corpus denuò reſtituitur in ſtatum ſanum, & ſic redditur ejus Color floridus. Hinc poſtmodùm tales Fœminæ *per Conjugium* tandem tam elegantes & formoſæ fieri ſolent, quæ anteà erant pallidæ & decolores, ut tantumnon omnibus ſint admirationi, adeoque Virgines pallentes ſæpè dant Mulieres pulchras. Multum ſanè ad Venuſtatem muliebrem juvat moderata Venus; ſicut nimia hanc ipſam (Venuſtatem nempe) ſucceſſivè abſumit. Hæc ergò propriè dicta eſt Febris Alba Virginea, iis tantùm Fœminis, quæ Marium conſortio deſtituuntur, propriè competens, quæ non eſt confundenda cum iſtâ Cachexiâ Muliebri, quæ iiſdem cum Viris eſt communis, & à perverſâ Diætâ oritur, & quam antecedit, aut tandem ſequitur Menſium Suppreſſio. Quæ dixi, confirmari poſſunt *Obſervationibus & Hiſtoriis* Affectuum plurium ex ſimili Cauſa natorum: in ſpecie Panarollus *Pentecoſt. 3. Obſerv. 14.* rectè talem Febrim Albam *ex Amore* Puellarum nubilium deducit, unde & miſſis aliis Remediis iiſdem medicandis ſuadet.

A *Liquore* ergò *Spermatico coacervato & retento*, hinc morâ diuturniore *corrupto & inquinato*, etiam vitiari dixi *Maſſam Sanguineam & Lympham*, donec ſucceſſivè ipſi adeò *Spiritus* & reliqui Corporis Succi inquinentur. Hinc ex Liquore iſto Genitali retento horrendos Hyſtericos cruciatus cum *Tetano convulſivo* totius Corporis mirabili, ac Oris Torturâ in Vetulâ enatos, recenſet Panarollus *Pent. 4. Obſerv. 1.* quæ tamen priſtinam conſecuta eſt ſanitatem, ſuperveniente uberiore Liquoris Genitalis ad aliquot dies nocteſque profluvio: Eſt Obſervatio notatu digna, quæ vid. in *Autore allegato*: Id quod etiam Lemnius *de occult. Nat. Mir.* confirmat *cap. 6. lib. 1.* qui ex iſtius Liquoris retentione, fluentibus etiamnum Menſibus, Virgines adultiores, item Viduas, ut variis Hyſtericis Paſſionibus, ita etiam hâc ipsâ Febre Albâ conflictari, eleganter illuſtrat; non ſecus ac Deodatus *in ſuo Valetud. pag. 177.* obſervavit Juvenculam Mulierem, poſt obitum Mariti Viduam factam, quam ex retentione excernendorum per Congreſſum Vomitus horrendi, omni Aurorâ repetentes cum gravi Tetano totius Corporis, per integrum annum afflixerunt, donec tandem adhibitis Appropriatis fuerit reſtituta: Conf. Hoefferus *in Herc. Med. pag. 137.* & Hildanus *Cent. 4. Obſ. 32.* Item *Cent. 6. Obſer. 25.* qui etiam hac ex Causâ in *Monialibus graves Vomitus* oriri aſſerit. Facit huc etiam, quòd in ſuperioribus Diſcurſibus ex Dn. Boyle monui de *Virgine, ſenſu Tactûs* in toto Corpore deſtitutâ, ſalvo tamen Motu in omnibus partibus, idque ex vitio

ſimili, unde & per Exercitium Venereum repetitum poſtmodùm fuit curata, teſte Boyleo *in Philoſ. Experiment. P. 2. pag. 75.* Nec rarum eſt, *Convulſiones* graviores varias & *Epilepticos* Membrorum cruciatus ſupervenire Virginibus nubilibus, aut Viduis ſalacibus, quatenus propter Liquorem Seminalem retentum Nervis Uterinis, hinc reliquis Abdominis Plexibus, graviter irritatis, hi ulteriùs Spaſmos Convulſivos continuant, & ita ad ſuperiora loca quoque retorquent: Conf. hîc Hoechſtetterus *Dec. 4. Caſ. 2. p. 110.* Sed rari ſunt tales ex vitio Liquoris Seminalis muliebris Affectus, imprimis apud nos, quia aut Conjugio præveniuntur, aut ipſa Natura Pollutionibus ſpontaneis, vel nocturno tempore, vel cum ipſa Menſtruatione evenientibus, ſe liberat.

## DIAGNOSIS.

*Cognitio* Affectuum horum, & qui ex vitio Liquoris Genitalis retenti, & corrupti & alterati oriantur, difficillima eſt, ac ſagacem, prudentem, & ſolertem præſupponit Medicum.

*Febris Alba* quidem Virginea, ex eo ferè cognoſcitur, quòd *citra ullum errorem Diætæ* ſeu ſex Rerum Nonnaturalium ſucceſſivè inchoaverit, & citra manifeſtam Cauſam, etiam citra Menſium Obſtructionem, ita proceſſerit, donec negotio ulteriùs progreſſo ita curata fuerit. Suppreſſio enim Menſium non adeò eſt Cauſa Chloroſeos, ſed potiùs illa Effectus hujus eſt, quia Maſsâ Sanguineâ eſt vitiata ex aliis præcedentibus. Quin & confirmatur tunc Conjectura ſimul ex eo, ſi aut *Virgo nubilis*, & jam diu talis fuerit, quæ aliàs per ſe procax & nonnihil petulantior fuerit, quæ poſtmodùm ita ſucceſſivè triſtis, anxia, & in alium ſtatum permutata apparuit: Item ſi *Vidua* ſit, quæ Viro juncta cum fuiſſet, optimè ſemper ſe geſſit, ſed poſt hujus obitum ita ſucceſſivè affecta fuerit; imprimis, ubi aliæ Cauſæ, *Diæta lauta, Vita ſedentaria* curis vacua, *Converſatio cum Juvenibus*, *Potus generoſus*, & ſimilia alia, Liquorem Seminalem augentia, acceſſerint. Reliqua & alia vitia, præter Febrim Albam Virgineam, occaſione Lymphæ Genitalis oriri, præter dictas rationes ex eo ferè conjecturatur, ſi alia ferè nulla adſit vel manifeſta, vel ſaltem probabilis Cauſa, vel nulla alia effingi poſſit occulta, ſi Menſes ritè fluant, aut haud ita pridem adhuc fluxerint, ſique Subjecto modò enarratæ Conditiones & Circumſtantiæ ſimul reſpondeant. His & ſimilibus confirmatur Medicus, ut habeat reſpectum ad hæc *Mala ex Liquore Seminali derivanda.*

## PROGNOSIS.

*Prognoſis* pro ipſorum Affectuum varietate & ipſa etiam variat: Nam quò diutiùs durant, eò deteriora inſequuntur Symptomata, ſic porrò.

## CURA.

*Curam* quod attinet: in eâ nil facilius aut melius eſt, quàm jucundo *Congreſſu* levare tam moleſta hæc Mala: vid. Boyle *Phil. Experim. P. 2. pag. 73.* Hippocrates *de Morb. Virgin. T. 3.* Langius *Ep. 2.* & Panarollus *l. a.* Quòd ſi hoc ipſum non liceat, ad *Remedia alia* accedendum. Verùm pauca admodùm, ut ita explicatorum Affectuum, ita & Remediorum, apud Practicos proſtant veſtigia, aut ſi horum Remediorum fit mentio, ſunt *Anticachectica*, ſed malè. Eô ergò imprimis, quoad *Indicationes*, eſt collimandum; ut *Liquoris Genitalis* vitium corrigatur, & *Maſſæ Sanguineæ* hinc derivata craſis vitiata emendetur; ac denique variis inde ortis *Symptomatis* debitis Appropriatis obviam eatur.

Ut à poſteriore incipiam, *Symptomata* ipſa quæcunque obvia, eorumque truculentiam, optimè ſuſpendunt & mitigant *Opiata*, *Specificis* miſta. Sed hæc ipſa Opiata in talibus non curant radicaliter Morbum, ſed ſaltem, ferocitatem ejus palliando, occultant; Unde ſaltem conveniunt ad Symptomata atrocia mitiganda, ad Malum verò radicitùs evellendum non valent. Quæ ergò *Liquoris Genitalis corruptelam & virulentiam corrigere* valent, imprimis erunt *Camphora* & *Camphoratæ*, quæ non tam abſumunt quantitatem, quàm corrigunt Liquoris dicti virulentiam, hinc & *Maſſæ Sanguineæ dyſcraſiam, & Spirituum Animalium* vitia mirè emendant: Singulare enim quid pro his Affectibus latet in *Camphorâ*; unde & peſtifera Miaſmata tam potenter corrigit, & eorum truculentam ferociam mitigat & obtundit. Hinc Opiatis & Camphoræ adjungatur *Succinum & Succinata*, quæ ſunt proficua: Nam præter vim corrigendi malignitatem Liquoris Genitalis, Sal ejus volatile oleoſum acidulum ad Hyſtericas & alias Convulſiones mirum eſt auxilium. *Myrrham* etiam non contemnendi usûs putarem, cujus balſamica vis corruptionem Liquoris Seminalis efficaciter emendat, in ſpecie *Eſſentia Myrrhæ* cum Spiritu Salis dulci, aut Spiritu Nitri dulci parata. Convenit etiam *Caſtoreum*, & omnia *Caſtorina*, Liquor Cornu Cervi ſuccinatus, Spiritus Salis Ammoniaci, quo Febris Virginea ferè deſperata in Belgio curabatur, præmiſſo Vomitu. Denique ex *Saturno* parata Remedia, tam ejus Sal ſeu Saccharum, quàm cum Spiritu Nitri, aut ſolo, aut Aceto deſtillato acuato, paratæ ex Minio, aut ex Minerâ Saturni purâ, *Cryſtalli*: nam & hæ egregiæ ſunt in hujuſmodi Affectibus primariò, quando occaſione talium *Delirium* imminet; ſiquidem vitioſos Sapores Succorum Corporis corrigere, & præternaturales Sanguinis alterationes potenter emendare valent. His addantur *moderata Acida*, ex Citro imprimis petita, item ex Granatis ac Cydonio erunt proficua, non ſecus ac *Nitro*, omniaque *Nitrata* omnibus addantur, ut pote quæ Mala ex corruptione Liquoris Seminalis & ejus turgeſcentiâ ſolent ſiſtere: E. g.

℞. *Conſ. Meliſſ.* ʒiß.
*Pulp. Citri*,
*Cydon. condit.* an. ʒvj.
*Eſſ. Myrrh.* ʒß.
*Succini præp.* ʒij.
*Cryſt. Miner. Saturni*,
*Caſtor. pulveriſ.* an. ʒj.
*Caryophyll.*
*Macis*,
*Zedoar.* an. ℈i.
*Camph.* ℈ß.

Cum ſ. q. *Syr. Granat.* f. Electuarium: D. S. Electuarium Alterativum.

His intermiſcenda *Semen extinguentia* dicta, ut ex Vitice, Salice, Cannabe, ac ſimilibus parata Remedia. Forſan & balſamica vis Terebinthinæ, Genitalibus locis præſertim dicata, quatenus Urinam promovet, & loca urinaria emundat, erit proficua.

*Venæ ſectio* denique cum prudentiâ inſtitui, interdum etiam pro Circumſtantiarum ratione repeti poteſt: Vid. Hippocrates *l. a.* quia Liquoris Genitalis elaborationi obicem ponit, & per conſenſum ejus turgeſcentiam refrænat. Verùm, cùm rarò occurrant tales Affectus, eorum Medelam primariam innuiſſe ſufficiat.

## CAPUT II.

### *De Cachexia Muliebri.*

ALtera *ſpecies* Affectuum Utero vulgò adſcriptorum oritur *ex Menſium impeditâ Excretione*: Exinde enim mira Malorum procella Fœminis imminere ſolet. Hos inter Affectus, qui ſequuntur Menſium Suppreſſionem, primariò refertur *Cachexia Muliebris* in genere ſic dicta, eadem omninò cum iſtâ *Cachexiâ*, de qua alio loco & tempore jam locutus ſum, niſi quòd in Muliebri Sexu ſemper ſimul Menſium adſit Suppreſſio, quæ ipſa Menſium Suppreſſio vulgò quidem, nunc iſtius Cachexiæ *Cauſa*, nunc potiùs, idque ut plurimùm, *Effectus* eſſe ſolet. Habitus enim Sanguinis *cachecticus* & *cacochymicus*, à naturali ſalinâ volatili aut ſpirituoſâ Craſi deficiens, & in Maſſam crudam ex Cacochyliâ degenerans, & imminutam Sanguinis Fermentationem menſtruam, indeque ſubſequentem deficientem Excretionem, infert. Rectè enim inquit Renealmus *in Obſ.* 89. *In fœdis Mulierum Coloribus ſupprimuntur Menſes ut plurimùm à Cruditatum copiâ, quæ Sanguificationem pervertens myriadem Symptomatum invehit. Saltem ergò curetur Cachexia more communi per Vomitoria, & hinc Alterantia, primariò Martialia, & deinde Aromatica, & blanda hinc addita Menſes leniter ſtimulantia, donec hi ipſi ſponte erumpant.*

Certum interim eſt, quòd Menſes ex quacunque ratione demum ſuppreſſi Mala cachectica exacerbent, & mille Malis mulctent Fœminas, ſpeciatim ſi actu fluentes ex Terrore, vel ex aliâ quâdam causâ ſubitaneâ, ſupprimantur. Sic enim non tantùm *Inflammationes partium Eryſipelaceas*, ex Acido Sanguinem coagulante natas, ut Pleuritides, Anginas, Uteri Inflammationes, Epilepſias, & ſimilia Mala inducent; ſed & in ſpecie omni menſtruâ Periodo, dum turgeſcere ſolet Sanguis, & tamen per loca conſueta erumpere nequit, miras ludit tragœdias, ſuperveniunt *Picæ* & inſolitæ Appetentiæ, diſponuntur Mulieres ad periculoſas *Paſſiones* ſic dictas *Hyſtericas*, ſuperveniunt *Epilepſiæ*, ac ſtupendæ interdum *Convulſiones*, interdum *Melancholiæ ex Utero* dictæ, ſimiles ex aſſe Melancholiæ Hypochondriacæ: Superveniunt etiam interdum *Tumores & Scirrhi Viſcerum*, in ſpecie *Lienis*, unde poſtmodùm Mala omnia ex Splene, tanquam radice, eſſe vulgò dicuntur, cùm potiùs ex Morbo primario alio tanquam Productum dependeat Lien affectus, & conſequens ſit *Menſium Suppreſſionis*. Ulteriùs *Cephalalgiæ inſanæ* & contumaciſſimæ talibus Mulieribus ſunt frequentes, item *Palpitationes & Pulſationes*, tam in Corde, quàm in variis Corporis partibus, ſe manifeſtant, in ſpecie quidem in Dorſo & Lumbis, & hinc in Hypochondriis, & quæ alia quam plurima ſunt Symptomata, donec tandem ex ſucceſſivè magis magiſque corrupto Ventriculi Fermento digeſtivo, vitiatoque Bilis Balſamo, & denique Succi Pancreatici corruptâ naturâ, variæ *Cachexiæ*, *Icteri*, *Leucophlegmatiæ*, *Hydropes*, *Atrophiæ*, ut plurimùm *Chronici Affectus* difficilè curabiles, ac neſcio quæ non Mala exinde ſcaturiant: V. g. Epilepſiam ex retentis Menſibus Venere & Puerperio curatam vid. in M. A. N. C. *Ann.* 1. *Obſ.* 86. *pag.* 204. Meclancholiam Uterinam cum pertinacioribus Vigiliis in Horſtio *lib.* 2. *Obſ.* 18. Convulſiones Virginis cum Riſu ex Utero in M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obſervat.* 304. *pag.* 526. Sic Schenckius *lib.* 1. *Obſerv. de Epilepſ.* obſervat Uteri vitio ſuſcitatam Epilepſiam in Puellâ, erumpentibus primùm Menſtruis curatam.

## CAUSÆ.

*Cauſam* ergò horum Symptomatum omnium, in Cachexiâ Muliebri occurrentium, dixi eſſe interdum Suppreſſionem Menſtruam. Nam hinc eſt, quòd Mala hæc omnia ſemper exaſperari ſoleant omni *menſtruâ Periodo*, & eò atrociùs affligere, quò diutiùs ſuppreſſi Menſes manſerint, donec obliterato omninò Typo continuam Paſſionem, aut erraticas & inordinatas exaſperationes, inferant. Mulieribus Maritatis non fœcundis, ſucculentioribus, communes ſunt hi Affectus.

Ut autem ex omni Suppreſſione Sanguinis Menſtrui omnia hæc Mala ſequantur; in ſpecie tamen hæc oriuntur, ſi ex improviſo *repente iidem fluentes ſupprimantur*, idque ex duplici ratione:

1. Ex Sanguinis excernendi retenti *Quantitate.*
2. Ex Sanguinis retenti *vitioſâ Qualitate.*

I. Quod attinet *Quantitatem* Sanguinis excernendi: certè dum nimius eſt Sanguis, ineptus eſt æquabili per Vaſa Circulationi, & debitæ in Præcordiis Fermentationi: Unde hic ipſe Sanguis à debitâ Turgeſcentiâ & Fermentatione cohibitus, inſtar Muſti Vaſis arctè & ſtrictè obſeratis incluſi, minùs ſpirituoſus, minuſque volatilis, ſed potiùs craſſus, plùs minùs viſcidus, glutinoſus, & à debitâ Craſi omninò degener, vappidus & iners evadit; Unde anguſtiæ Præcordiorum, Pulſationes & Palpitationes variæ, Cephalalgiæ, aliarumque partium Dolores & Inflammationes, quin & Viſcerum, in ſpecie Splenis infarctus, & ſimilia Mala.

II. Quoad *ſecundum*, præmonendum, quòd licèt Sanguis excernendus ſingulis menſibus, ſub nomine Menſtrui excernendi, ejuſdem ſit conditionis & naturæ cum eo, qui poſt excretionem retinetur citra nocumentum in Corpore; tamen eo ipſo, quo tanquam excernendus ſeparatur per Fermentationem menſtruam à reliquâ Maſsâ Sanguineâ, *Alterationem* quandam ſingularem circa Uteri Vaſa, ubi effunditur, induit, & proprietatem quandam acrem, eroſioni aptam, ſeu *Tincturam Aluminoſam acquirit*, ut ſcitè loquitur Helmontius, & demonſtrat *in Tract. Lunare Tributum*, & ſupprimitur. Unde Sanguis tali vitioſo Charactere inſignitus, & peregrino Acore inquinatus, reliquæ Maſſæ Sanguineæ permiſtus, inſigniter ejus Craſin alterare, & à naturali ſtatu deturbare ſolet; quin & inquinando ſimul & alterando reliquos Corporis Succos, vitioſum Appetitum, Digeſtionem pravam, & Picam, Abdominis cruciatus & Tormina, tam à Mucilagine acidâ, quàm hinc oriundis Flatibus nata, Paſſiones & Tenſiones Hypochondriorum, Melancholica Deliria, & ſimilia Mala inducit. Nam in Fœminis, quibus ex Menſibus ſuppreſſis oriuntur Morbi, in iis imprimis *Acidum vitioſum auſterum*, idque primariò in primâ *Abdominis* regione abundare & tragœdiam ludere deprehenditur: id quod & Affectus poſtmodùm in *Nervoſo genere* & aliis locis inde nati, & *Methodus medendi* per Acidum deſtruentia, ſufficienter declarant.

## DIAGNOSIS.

*Cognitio* horum Affectuum ſit aperta per relationem Ægræ, quæ ſubitò referet, ſibi Menſes eſſe obſtructos.

PRO-

## PROGNOSIS.

*Prognoſis* plùs minùs eſt periculoſa, prout plùs vel minùs invaluerint dicta Vitia, aut prout eadem vel mitiora vel graviora fuerint: Reſtituto enim Fluxu, omnia ceſſant, de quo ſuperiùs dictum: quò verò diutiùs ſuppreſſi ſunt, tandem poſt varias calamitates intereunt.

## CURA.

In *Curâ* ergò talium Paſſionum duo ſunt attendenda:

1. Eſt corrigenda *Sanguinis & reliquorum Succorum* indè dependentium *vitiata Craſis*, ſpeciatim corrigendum eſt *Acidum auſterum.*
2. Stimulanda eſt *Fermentatio Sanguinis menſtrua*, ut redeant Menſes in debitum Fluxum.

Conjunctim ut plurimùm, & quidem præmiſſis debitis *Evacuantibus*, *Remedia utrique Scopo ſatisfacientia* erunt uſurpanda: nam fruſtrà Menſes cientur, niſi Craſis & Fermentatio Sanguinis debita reſtituatur; & denique hæc ipſa vix reſtituetur plenariè, niſi Menſes denuò apparere incipiant. Conducunt ergò pro *primario Scopo Martialia* ac ſimilia, vitioſos Sapores abſorbentia & corrigentia, hinc *Aromatica*, naturalem *Fermentationem ac volatilitatem Sanguinis* reſtituentia. Pro *ſecundo Scopo* ea conducunt, quæ aliàs Menſes ſuppreſſos revocare ſolent, qualia ſunt *Aromatica volatilia*, ſeu *Salia volatilia* plùs minùs *oleoſa* & *aromatica*. In genere omnes hi Affectus curantur iſtâ Methodo, quâ aliàs *Cachexia* vulgaris, & poſtmodùm *Menſium Suppreſſio*, ab Authoribus curari ſolet, habitâ tamen ſimul ratione *Symptomatum urgentium*, quæ ſubinde ſimul mitiganda veniunt.

Paucis Curam percurremus: Radicem Curæ conſtituit *Vomitus*, qui interdum ſæpiùs repetitus mirè confert, ſive per *Antimonialia*, quæ ſunt optima, ſive per *Aſarina*, ſive denique in robuſtioribus per *Helleboriſmum*, inſtituatur. Formulæ omnibus ſunt notæ. Sic v. g. Oxymel Helleboratum *Geſneri* ad ʒii. propinatum promptè Vomitum ciet. Ex *Purgantibus* Pilulæ Tartareæ & de Ammoniaco *Quercetani* hîc mirè conducunt; ſimiliter etiam Pilulæ de Hierâ, item de Agarico: *Nodulis* diligenter admiſcendæ ſunt Radices Bryoniæ ac Hellebori nigri, imprimis Affectibus Menſtruorum muliebrium dicatæ: quibus omnia pro ſtimulo ratione Menſium inſerviunt ex Colocynthide ſeu Trochiſcis Alhandal parata Medicamenta. Hinc *Martialia* & *Alterantia*, quæ vulgò vocantur *Aperientia*, ſunt uſurpanda. Ex his Martialibus nota eſt Tinctura Vitrioli Martis *Zvvelferi*, quæ inſigniter eſt experta in talibus Affectibus cum Menſtruorum Suppreſſione conjunctis: Poteſt etiam fieri aptiſſima Martis Tinctura beneficio Spiritûs Salis Ammoniaci, juncti cum Spiritu Vini, hæc duo enim parvâ encheireſi conjunguntur, & præbent Menſtruum, quod Limaturæ Martis affuſum promptiſſimè Tincturam elegantem educit, optimam in his caſibus. Sicuti etiam (quod incidenter moneo) Spiritus Salis Ammoniaci affuſus Sali eſſentiali Tartari *Zvvelferi* promptè hoc imbibit, & dat tertium Salſum volatile, egregium Remedium in Morbis Mulierum Chronicis. Alii Croci Martis Aperitivi ſalini, cum Salibus fixis parati, item aliæ Tincturæ Martis jam notæ ſunt. Item Vina Martialia, infuſionis nempe Martis, v. g. Vinum Malvaticum cum Limaturâ Martis & Cinnamomo infuſa; item Vinum Rhenanum extinctione Chalybis imprægnatum, & ſimilia, ſunt proficua. Pertinet huc *Vinum Medicatum Cnæfelii* ad Cachexiam Virginum: Deſcriptio ejus eſt hæc:

℞. *Limat. Martis rubiginoſ.*
(ſic enim jam facta eſt corroſio) per abluitionem cum *Aquâ à ſordibus purg.* ℥vi.
*Rad. Eryng.*
*Helen.* an. ℥vi.
*Cinnam.* ʒiii.
*Caryophyll.* ʒii.
*Spicæ Nardi* ʒiii.
*Raſ. Eboris*,
*Cornu Cervi ſine igne*,
*Macis* an. ℥v.
*Ceterach*,
*Flor. Anthos*,
*Geniſtæ*,
*Epithymi* an. p. j.
*Spec. Diatrion-ſantal.* ℥ß.
*Bacc. Junip.* ʒii.
*Vini albi* ℔vii.
*Sacch.* ℥vi.

Miſta digerantur abſque igne per octiduum, bis agitando in die, poſt bibatur *Vinum* tranſcolatum, quotidie bis in phialis probè obturatis adſervatum.

Pulverem Cachecticum *Quercetani*, item Pulverem ad pallidos Virginum Colores Heinrici *ab* Heer *in Obſer.* 6. lubens prætereo, cum aliàs ſit notus. Remedia hæc Martialia, uti non habent pro vehiculo Vinum, optimè aſſumantur in Decocto vel Infuſo Roriſmarini; Nam Roſmarinus aliquid ſingulare habet in Morbis Mulierum, à Menſibus obſtructis ortis.

Poſt Martialia ſunt *Aromatica* dicta, quæ inter ſunt vulgaria omnia *Aperientia*, imprimis Lignum Saſſafras, Galanga, Semina Calida majora, Baccæ Lauri & Juniperi (quæ ſimul ſunt diureticæ.) Hæc autem Aromatica, ut ſuperiùs dixi; cum Martialibus juncta, uſurpanda: e. gr.

℞. *Conſ. Flor. Anthos*,
*Meliſſ.*
*Flor. Salv.* an. ʒiii.
*Cortic. Citri* vel *Aurant. cond.*
*Zing. in Ind. condit.* an. ʒiii.
*Solut. Martis cum Succo Pomor.* ℥ß.
*Pulv. Cach. Martial.* ʒii.
*Borac. Venet.*
*Spec. Diaſabinæ Mynſ.* an. ʒi.
*Zedoar.*
*Galang.*
*Cinnam.* an. ℈i.
*Olei deſtillat. Sabinæ* ℈ß.

Cum ſ. q. *Syr. de Artemiſ.* f. Electuarium:
D. S.
Electuarium Aperiens & Alterativum.

Item convenit Spiritus Tartari volatilis, Elixir Proprietatis, ſed ſine acido paratum. *Modus Elixir Proprietatis abſque acido* parandi eſt, ſi ex Tartaro & Nitro per detonationem paretur *Alcali*, ſeu, quod ferè melius, ex Nitro fuſo, injecto Carbonum pulvere, fiat Alcali: Quod Alcali per deliquium ſolvatur, *Lixivium* affundatur Speciebus, *Aloës*, *Croci*, & *Myrrhæ*, quod ipſum iſtas Species ſolvit & extrahit promptè, imprimis Myrrham, quæ aliàs difficillimè ſolvitur: Extractio ita nonnihil inſpiſſata conjungitur *Spiritui Vini*, ſicque fit Elixir Proprietatis ſine acido, appropriatiſſimum Morbis Mulierum, & non eſt adeò nauſeoſum atque vulgare Elixir Proprietatis. Aliàs elegantiori modo cum Spiritu Salis Ammoniaci parari poteſt, paucis accedentibus encheireſibus, & eſt Remedium admodùm nobile.

## SYMPTOMATA.

### I. EPILEPSIA.

*Symptomatis* cum his Morbis conjunctis ſimul nonnihil eſt reſiſtendum, pro quorum autem varietate etiam *Specifica* ordinanda ſunt: v. g. ſi ſupervenit *Epilepſia*, vel *Motus convulſivi*, præter *Cinnabarina*, Remedia ex *Caſtoreo & Succino* ſunt optima.

### II. CEPHALALGIA.

Si *Cephalalgia* ſit Uterina, ut vocant, ſeu cum Menſium ſuppreſſione conjuncta, tunc habitâ ratione primarii Morbi ordinariis Remediis *Salia Volatilia & Antiſcorbutica*, ut *Liquor Cornu Cervi ſuccinatus*, addenda veniunt, quin & ipſum Sal volatile Succini uſurpatum eſt conveniens.

*Externè* ad tollendam Cephalalgiam convenit *Sacculus* ex Succino pulveriſato cum Eſſentiâ Piperis irroratus, Capitis Vertici impoſitus: Loco hujus ipſum Oleum Succini deſtillatum etiam convenit cum Balſamo Peruviano miſtum, paucis guttis Vertici illitum.

### III. PALPITATIO CORDIS.

Ubi *Palpitationes Cordis*, & ſimiles apparenter periculoſi Affectus conjunguntur, Remedia ex Coralliis ſunt miſcenda, imprimis Tinctura Coralliorum cum Spiritu Cordis Cervi, item ipſe Spiritus Cornu Cervi maritatus cum Camphorâ, aut Liquor Cornu Cervi ſuccinatus. In Pauperculis convenit Pulvis Zedoariæ, cum Coralliis rubris præparatis miſtus, & propinatus.

### IV. MELANCHOLIA.

Quòd ſi *Melancholica Deliria* Menſibus ſuperveniant ſuppreſſis, *Antimonialia Vomitoria* ſæpiùs repetenda: hinc Appropriatis miſcendi Spiritus, item Pulvis Secundinæ humanæ: Hæc enim ipſa in Delirio, quod vocatur ex Utero, egregia ſunt Remedia.

Reliqua medendi ratio ex Curâ Cachexiæ per ſe eſt nota.

## CAPUT III.

### *De Paſſione Hyſterica.*

ABſolvimus ferè ſuperiùs Affectus, qui Uteri culpâ Muliebri Sexui obvenire dicuntur: Verùm hos inter Affectus nullus frequentior, nec alius atrocior eſt eo, qui vulgò *Suffocatio Uterina* ſeu *Paſſio Hyſterica* appellatur Germ. *die Mutterbeſchwerung*, à primario Symptomate, & quod maximè urgere ſolet, utut non ſemper, nempe ab *anguſtiâ Præcordiorum*, & adjunctâ ſumma *in Reſpiratione difficultate*, ita appellatus. Nam hæc ipſa Reſpirationis difficultas ſubinde tanta eſt, ut raliter conſtitutæ Mulieres ſe ſuffocari ſingulis momentis putent, imò interdum ſuffocatæ quaſi ſine ullo ſenſu & motu, ſine Pulſu aut Reſpiratione ſenſibili ad aliquod tempus Mortuarum inſtar jacent: Obſervavit namque Lindanus aliquando Mulierem per ſex horas ſine ullo Senſu ac Motu ac Reſpiratione & Pulſu ſenſibili inſtar Mortuæ jacentem: Imò interdum ad aliquot dies ſic jacent, ita ut jamjam ſepeliendæ interdum denuò ad ſe redierint. Exempla præter Schenckium de tali caſu vid. in Salmuth *Centur.* 2. *Hiſtor.* 86. & 87. *Mulieres inquiunt*: *Matrix cubile ſuum reliquit, & Cordi ſe adjunxit, dum talem Præcordiorum anguſtiam, Suffocationem & Languorem ſentiunt.* Aliàs etiam hic Morbus *Strangulatus Uteri*, item *Aſcenſio Uteri*, ab Helmontio verò *Uteri Aſthma Muliebre*, à Paracelſo, qui ad *Epilepſiæ* ſpeciem refert, *Caducus Uteri* ſeu *Matricis*, appellari ſolet, *Tract. de Caduco Matricis* §. 2. Communiter *Paſſio* ſeu *Affectus Hyſtericus*, ab ὑστέρα, *Uterus*; à Modernis quibuſdam *Suffocatio Hypochondriaca* dicitur. Ratio tam diverſæ appellationis ex dicendis patebit. Hujus Affectûs varia cùm ſit forma, & hinc diverſis Symptomatis, nec ſemper iiſdem, ſubinde ſeſe manifeſtet, & ſi quis alius frequentiſſimus ſit Mulieribus, ob id ejus naturam paulò prolixiùs, prout quidem temporis ratio permittit, conſiderabimus.

Ante omnia ejus *Hiſtoria* obſervanda eſt: nempe tales Mulieres, quibus imminet *Paroxyſmus* ſeu jam adeſt, in Ventre infimo ſeu Abdomine ſubinde *Rugitus* & *Borborygmos* percipiunt, hinc ſentiunt *Motum* quaſi undulatorium in eodem (nempe Abdomine) interdum velut *Globi* cujuſdam hinc inde impetuosè in Abdomine moti, & agitati, & ab imo loco ad ſuperiora pedetentim adſcendentis: Adeſt ferè ſemper *Hypochondriorum* nunc *Tenſio*, nunc *Diſtenſio*; Et quidem Tenſio, quando conqueruntur de Dolore tenſivo; Diſtenſio autem quando conqueruntur de Inflatione regionis Hypochondriorum: Item *Murmur*, unà cum *Flatuum* copiosâ imprimis per Os Eructatione, quandoque per Anum Exſpiratione, à quorum emiſſione notabile levamen percipiunt. Copioſiſſimorum Ructuum notatu dignum Exemplum habet Bartholinus *Cent.* 2. *Hiſt. Anat.* 21. Cum his Flatibus ſubinde *Oſcitationes* & *Pandiculationes* crebræ, ac ſimilia Symptomata junguntur, & imprimis Paroxyſmum imminentem antecedunt, aut inchoantem Paroxyſmum comitantur: Speciatim *Dolores* crebri & admodùm atroces in Abdomine, nunc lancinantes, nunc diſtendentes, nunc utplurimùm contorquentes, nunc fixi, nunc hinc inde vagi, ſunt conjuncti: rarum eſt, quod nulli penitus percipiantur: *Appetitus*, imprimis in Paroxyſmo, ut plurimùm eſt proſtratus, & omnia, quæ aſſumunt, vitioſa & quaſi corrupto quodam ſapore imprægnata videntur: Rarum eſt, quòd obſervata ſit *intenſa Fames* poſt Paroxyſmum: *Alvus* ut plurimùm eſt conſtipata, & Mulieres tales ordinariò Alvi durioris eſſe ſolent; quâ verò apertâ, ſive ſponte, ſive per Clyſteres, levamen egregium exinde percipiunt, præſertim ſi Flatus ſimul copioſi erumpant: quinimò mirandi interdum *Sonitus*, & quaſi *Voces* horrendæ quædam, ex intimis Viſceribus exaudiri ſolent, ut etiam à Dæmone credantur obſeſſæ tales Mulieres. Exempla talia vid. in Schenckio. Subinde *Vomitus* ac aliæ dejectiones ſuperveniunt, in quibuſdam Materiæ viridis, flavæ, ſæpiùs acidæ, interdum alieni ac peregrini ſaporis, quaſdam in Paroxyſmo ſæpè inanis vomendi conatus admodùm affligit, ſed rariùs, ſemper tamen cum levamine: Accedunt his inſignes Anxietates & Anguſtiæ circa *Præcordia*; conqueruntur, *æquè ipſis eſſe, ac ſi Cor & Ilia ipſis rumpantur*, item dicunt, *eſſe ipſis, ac ſi Cor anxiè conſtringatur, & ſub prælo quodam comprimatur.* Unde mox accedit *Palpitatio Cordis* tremula cum *Pulſu* raro, parvo & debili, ſubinde intermittente, aliquando ſuperveniente periculosâ *Lipothymiâ* & *Syncope*, & ſæpiùs recurrente, ad ſenſum omninò abolito: *Reſpiratio* imprimis difficillima eſt, inæqualis, impedita,

pedita, ita ut *Suffocatio* immineat: Imò in Malo graviore *Reſpiratio ad ſenſum eſt abolita*, percipiuntque Mulieres tales ſimul anguſtiam in Collo & Faucibus, ſimulque Conſtrictionis quendam ſenſum, non ſecus ac ſi Laqueo injecto Fauces præcluderentur: *Vertigo* Capitis & *Viſûs* obſcuratio imminentem Paroxyſmum ordinariò innuunt, in iis ſcilicet, quæ ſæpiùs ſolent eodem Malo affligi; & Mulieres tales, ſi eaſdem incipiat corripere Vertigo, certæ ſunt de imminente Paroxyſmo, & hanc eſſe per conſenſum Stomachi aut Abdominis: In ipſo Paroxyſmo quandoque perfecta adeſt *Scotomia* cum Oculorum rotatione, inverſione & obtenebratione, & tandem corruunt. Interdum in *copioſum Riſum*, Ægris licèt invitum & inſcium, terminatur; qui etiam aliquandiu continuatur; quin ſubinde *Delirium* varii generis adeſt, & in Paroxyſmo varia, non rarò ridicula, loquuntur, & diſſerunt delirando: Subinde in Paroxyſmis gravioribus *Convulſiones Artuum* & graviſſimi epileptici totius Corporis ſuperveniunt Inſultus, & tam atroces ut ſtuporem injiciant adſtantibus, quale robur habent in Membris ab Epilepſiâ correptæ; & tunc mutato nomine *Epilepſia Uterina* vocatur, & ſuperveniunt mirè non rarò Artuum, Brachiorum aut Pedum, ac Corporis *Geſticulationes*: Adeſt interdum ferè *Senſuum* omnium, tam *Internorum*, quàm *Externorum*, uti & *Motûs* abolitio: Interdum Senſibus omninò integris talia fiunt, utut Ægræ *Aphoniâ* correptæ in Paroxyſmo nil dicere aut ſignificare poſſint, donec redeunte Paroxyſmo omnia ſecum acta memorentur, eademque etiam enarrent: rariùs tamen in *epilepticas* perfectas terminatur *Convulſiones*, ſæpiùs Abdominis & Thoracis tantummodò adſunt hujuſmodi Symptomata, de quibus vid. *ſuprà lib.* 1. *ubi de Dolor. Abdominis Colicis*: Interdum in graviore Paroxyſmo, & quidem in Principio, & Incremento, ad *Tactum frigent*: ſupervenit ut plurimùm in ſtatu *Calor præternaturalis*, ac ſi adeſſet *Febris*, in largum tandem *Sudorem* finiens, qui Calor etiam poſt Paroxyſmum aliquandiu perdurare ſolet, & non ſunt ſecuræ, niſi largus Sudor ſuperveniat. *Mali Hypochondriaci* nomine venit in Viris.

Quod attinet *Subjectum*; infeſtant hæc Symptomata omnis Ætatis omniſque conditionis Fœmellas, *Juniores* ac *Vetulas*, etiam *Virgines*, imò interdum etiam *ante Menſium Fluxum*; ſicuti etiam non rarò Vetulæ, quibus jam naturaliter defecerunt Menſes, hôc ipsô interdum frequentiùs conflictantur. *Symptomata* autem talia non ſunt in omnibus ſimul, nec in omnibus eadem, ſed in quibuſdam pauciora, in quibuſdam plura, atrociora & mitiora: Sæpè poſt Paroxyſmum *Exanthemata* ipſis in Ore, Labiis & Facie prorumpunt: Ordinariò *Motiones*, & plùs minùs *Dolores*, *Murmurationes*, *Diſtenſiones*, & alia Symptomata Abdominis, cum *Præcordiorum anguſtiâ* & *Reſpirationis difficultate*, *Flatibus & Scotomiis* vel *Vertiginosâ Affectione*, adeſſe ſolent, quæ Paſſionis Hyſtericæ rationem formalem conſtituunt. Eſt Affectus, ſi quis alius, complicatiſſimus; Unde *tres* ferè *Gradus* hujus Paroxyſmi ſtatuunt.

1. Dum *Reſpiratio* eſt libera.
2. Quando hæc impedita & *Pulſus* ferè ceſſat.
3. Quando etiam *Convulſiones* ſuperveniunt.

## CAUSÆ.

Inter *Cauſas Remotas*, quæ tales Paroxyſmos Hyſtericos in conſuetis aut diſpoſitis excitare, aut inſuetas ad eoſdem diſponere ſolent, imprimis ſunt (1.) *Paſſiones Animi graves*, in ſpecie *Ira*, in quibuſdam etiam *Terror*. Certè nil frequentius eſt, quàm quòd Mulieres ex graviore Iracundiâ Paroxyſmum Hyſtericum incurrant. Aliquot enim novi Mulieres, toties dictæ Uterinæ Paſſioni obnoxias, quoties Iræ nimiùm indulgent, ſicut rectè Primeroſius, ab *Irâ*, *Mœrore*, item *malo Nuncio*, Affectum Uterinum excitatum fuiſſe memorat; in ſpecie Iræ furor maximè Paſſionem Hyſtericam movere ſolet.

Deinde (2.) *Odores fortes* Naribus admoti, aut fortiter Nares ferientes, hîc admodùm potentes, & mirabilium ac ſtupendorum ſunt effectuum, tam in excitando hoc Affectu in iis, quæ ſæpiùs jam conflictatæ fuerunt, quàm etiam in eodem compeſcendo. Ut plurimùm equidem (ut plurimùm dico, non ſemper,) *Suaveolentia*, *Moſchus*, *Ambra*, *Zibethum*, & interdum *Roſarum Odor*, Naribus admota eum ſuſcitant: Hoeferus certè *in Herc. Medico pagin.* 311. refert Suffocationem Hyſtericam lethalem in Muliere Puerperâ ex Odore Roſarum; ſicuti in Virgine ex eâdem causâ, Odore Roſarum ſcilicet, ſimilem Paſſionem annotavit Langius *in Miſcellan. Curioſ. pagin.* 46. & ex eâdem causâ periculoſam Uteri Suffocationem etiam annotavit Timæus *von Guldenklee in ſuis Caſ. pagin.* 216. quem verò *Graveolentia* ſubtilia, *Caſtoreum*, *Aſa fœtida*, *Cornua* raſpata accenſa, *Camphora*, *&c.* odorata compeſcunt; ſicut contrà *Suaveolentia* Genitali antro applicata Paroxyſmum leniunt. Imò eæ, quibus maximè infeſta ſunt Suaveolentia odoretenùs hauſta, iis eadem in Paroxyſmo ad eum curandum, aut extra Paroxyſmum ad eum præſervandum, intrò propinata optimè conducunt, modò Nares non feriant, ſeu modò talia Mulieres non olfaciant. Ut plurimùm equidem hæc (quòd nempe Suaveolentia ſuſcitent, Graveolentia verò ſiſtant Paroxyſmum,) dixi ita evenire: non eſt tamen univerſale; proſtant namque etiam contraria Exempla Mulierum, quibus Suaveolentia optimè proſunt in Paroxyſmo Paſſionis Hyſtericæ Naribus admota, Graveolentia verò potiùs nocent; adeò, ut hac in parte in ſpecie *Idioſyncraſiæ* muliebris inſignis habenda ſit ratio, hinc enim, quod huic prodeſt, alteri nocet, & vice versâ. Conferatur hìc imprimis Horſtius *libr.* 5. *Obſervat.* 26. *pagin.* 582. *& libr.* 10. *Obſervat.* 4. *pagin.* 462. ubi imprimis tale habet Exemplum de Muliere Hyſtericâ, unàque Epilepticâ, cui Suaveolentia Naribus admota Paroxyſmum ſedârunt; dicitque, quòd Graveolentia non omnibus proſint Suffocatis; iis nempe nocent, quibus unà Inſultus aut Convulſiones hujuſmodi epilepticæ adſunt, aut quibus ob Acceſſiones epilepticas in Adoleſcentiâ, vel alias ob cauſas Caput ac Nervoſum genus eſt debile: Similiter Bartholinus *Cent.* 3. *Hiſt. Anatom.* 28. Suaveolentia quibuſdam Paroxyſmos Hyſtericos ſedaſſe aut ſaltem conduxiſſe obſervavit: Videb. Hoechſtedterus *Decad.* 4. *Caſ.* 2. *Schol.* item *Decad.* 9. & Horatius Augenius *lib.* 12. *Epiſt.* 7. qui ſæpè in Paſſione Hyſtericâ utitur ſuo Experimento, quod eum, ut ipſe fatetur, nunquam fefellit, quodque maximè odoratum eſt; v. gr.

℞. *Moſchi opt.* gr. v.
*Cinnam.*
*Caryoph.*
*Nuc. Moſch.* an. ℈i.

Quæ in Vino odorato ſoluta propinavit: ſicuti etiam *loc. cit.* Pilulas de Moſcho tanquàm efficaciſſimum præſidium commendat: Confer. Sachſii *Gammarol. pagin.* 584. Prætereà quoque, quibus proſunt Fœtida, nocent verò Suaveolentia, earum omnium non eſt par ratio, dum quibuſdam

hæc

hæc Fœtida magis profint, aliis alia. Mira hæc res est, quoad Odores in Paroxysmo hoc Hysterico: quædam levantur *Pice* incensâ, *Sulphure* incenso, *Castoreo*, *Balsamo Apoplectico*, *&c.* Nam si est Odor contrarius, Paroxysmos incurrunt, & quando incipit Paroxysmus, sentiunt Malum *circa regionem Stomachi.* Observavi etiam quasdam, quæ maximum solamen à Graveolentibus, verbi gratiâ Castoreo, habent in Paroxysmo; hoc discusso, & Affectu percurato, dum denuò restitutæ sunt, non sine motione Animi & alteratione insigni Odorem Castorei postmodùm perferre potuisse.

Ad Causas Remotas (3.) *Mutatio statûs Virginitatis*, seu Virginalis in Uxoratum, subinde etiam multum huc facit, in specie si mox fiant *Gravidæ*, & supprimantur *Menses.* Hinc enim observare licet totâ die Virgines, quæ optimè odoratissima quæcunque perferre possunt; factæ postmodùm Mulieres tales, & hinc Gravidæ, talia postmodùm non ampliùs citra præsentaneum periculum talis Passionis perferre posse: aut etiam si tanquam Uxores, nondum tamen Gravidæ, eadem perferunt, Gravidæ tamen factæ ab iis omninò abhorrere, idque ita toto Gestationis & Puerperii tempore fere continuari, imprimis, si sint nonnihil Cacochymicæ: quo transacto, dum denuò ventre sunt vacuo, quædam minùs adhuc citra Paroxysmi metum dicta Odorata ferunt, quædam e contrà eadem iterum optimè perferunt, donec denuò Gravidæ fiant.

Denique (4.) inter Causas Remotas, inter Assumpta, *Dulcia* imprimis sunt, quæ ordinariò exacerbant Paroxysmos, aut eosdem excitant: v. gr. omnia *Saccharâta*, omnia *Syrupisata*, *Mellita*, & similia Dulcia facilè fermentescibilia, adeoque partim promptè acescentia, Flatusque generantia, partim fermentativo impetu contenta primarum viarum alterantia, nociva sunt his Mulieribus: non ergò præscribantur Dulcia: Sic novi Vetulam quandam ferè 60. jam annorum, quæ à solo Passulæ unius usu graves Passiones Hystericas persentit. Interim tamen & hîc *Idiosyncrasiæ* habenda est ratio, cum in Bartholini *Act. Med. Haffn. Volum.* 2. *pagin.* 207. referatur Hysterica ab omnibus abhorrens, Dulcia tamen seu Saccharum ferens: Sic aliam novi Juvenculam, quæ Spiritum Cochleariæ non absque Passione Hystericâ assumpsit. Adeò ut & in Assumptis Idiosyncrasiæ muliebris insignis habenda sit ratio. Imprimis Dulcia si excitârint Paroxysmum, optimè tunc curatur per *Amara*, in specie Absinthium; Amarorum enim Sal nitrosum dulcem saporem, & inde ortam acescentiam, fermentando optimè corrigit & transmutat. Docet hoc Forestus *libr.* 28. *Observat.* 28. dum refert, quòd tabus Mulieribus, quæ ex Dulcibus Paroxysmos incurrunt, Decoctum Absinthii optimè conferat: Refert idem Mulierem, quæ ex Irâ frequenter Suffocationem Uterinam passa fuerat, in specie si aliquid Dulcium simul assumeret; cui consuluit, ut extra Paroxysmum biberet Cerevisiam absinthitem, quâ ipsâ postmodùm à Paroxysmo præservata fuit: Plura de Syrupo Absinthii vid. *in Obs.* 30. *cit. lib.* 28.

His ita præmissis, in specie pergendum est ad complicati hujus Affectûs *Causam Proximam*, & *Subjectum patiens*: de quibus notum est, quòd in hujusmodi Pathematis vulgò *incusetur Uterus* (vel juxta Riolanum *Testes* & *Tubæ*), qui nempe *Sanguine Menstruo & Genitură*, aliisve Humoribus vitiatis & corruptis, turgidus, esse soleat Subjectum horum Affectuum, quatenus partim ipse commoveatur sursum, unde ex commotione camarinæ in eodem retentæ, tam tetra & maligna *Miasmata* & *Halitus* seu *Effluvia* expirent, quæ superiora versùs per Corpus nostrum ubique perspirabile, effumando, Nervosum genus & Cor afficiant, indeque omnia hæc Symptomata tragica excitent, dum *Uterus ipse sursum delatus sub formâ Globi* alicujus in Abdomine variè & violenter moti versùs Cor & Diaphragma, tactui se offerat, donec tandem Diaphragma comprimendo, & sic Respirationem impediendo, anxietatem & *Suffocationis periculum* inferat, unde Anxietates. Hæc est vulgaris Theoria, quam sufficienter refellunt

1. *Uteri Situs*, firmissimaque ejus, & quidem mediata cum Intestino Recto, & etiam mediatè per Ligamenta teretia cum Osse Pubis *connexio* atque agglutinatio, ita ut nonnisi summâ vi ex hoc situ sursum divelli possit. Nam & communis *Procidentia Uteri* falsa est, cùm & reverà dicta Procidentia Uteri nil aliud sit, quàm Prolapsus Sinûs pudoris, qui fit à relaxatione Membranæ Vaginæ interioris, etiam ob id simpliciter post repositionem per Adstringentia externa curabilis: vid. Barbette *in suâ Praxi c.* 10. *lib.* 4. *de Procidentiâ Uteri*, item Job *van* Meckern, *in Obs. Chirurg.* ut suo loco demonstrabo.

2. Contrariatur isti hypothesi *Anatome* ipsa, quæ fraudem similiter detexit. Sæpissimè in tali Passione mortuis Mulieribus Uterus parvus in naturali situ & constitutione citra Excrementorum humorosorum præsentiam repertus fuit: videb. Sylvius, Highmorus *de Pass. Hyster.* & Willisius *Tract. de Affect. Hypochondr. & Hyster.* nec non *de Morb. Convulf. cap.* 10. uti & *c.* 6. *cap.* 92. ubi habet Exemplum Mulieris, Hystericis Passionibus gravissimè laborantis, cujus Corpus cùm post mortem aperuisset, Uterum invenit insolitem; verùm *juxtà Mesenterii Plexus nerveos*, *in molem attolli & elevari solitos*, Visceris illius Membranas ab invicem divulsas & solutas vidit. Hanc quoque Sententiam probat Sylvius aliique Modernorum. Ruit ergò Helmontii *Monarchatus Uteri*, *& Ignota actio Regiminis.* Quòd autem vel Clitoridis contrectatio, vel Odorum ad Uterum applicatio, Paroxysmum levet, ratio est, quòd titillatione istius sensibilissimæ partis voluptuosâ Spiritus fortiter afficiantur, & ad determinatum motum redigantur, unde motus inordinatus, Convulsiones nempe, cæteraque Symptomata, remittunt.

Denique 3. quòd *Viri* interdum, qui tamen omnium consensu Utero carent, simili omninò Passione, atque est in Mulieribus, dictâ Hystericâ afficiantur, unde etiam in Paroxysmo à forti ligaturâ Hypochondriorum levamen sentiunt, ut & Mulieres faciunt: & tales Mares semper graviter *Malo Hypochondriaco* laborare solent, & non tantùm simillima Abdominis, quæ tales Mulieres patiuntur, percipiunt Pathemata, & eundem *Globi* ascendentis motum Uterum esse, multi, Mulierularum instar, ridiculè asserunt, sed etiam Suffocationis præsentissimæ, & Faucium constrictionis sensu, apertè & manifestè afficiuntur: item sunt Viri, qui *Odores suaveolentes* non possunt ferre. Exemplum apprimè huc faciens Viri Passione Hystericâ correpti, unà cum Globo isto in Abdomine violenter moto, videb. in Willisio *de Morbi Convul. cap.* 5. *Observat* 6. *pag.* 77. Facit huc etiam *Historia* Bartholini *Centur.* 1. *Histor. Anatom.* 45. cujus Aurigæ Affectus, si Mulierem corripuisset, Hysterica Passio lethalis citra dubium ab omnibus vocata fuisset. Pertinet huc etiam *contractiva Gulæ Affectio* cum variis Symptomatis Hypochondriacis, similibus Hystericis, quam annotat Hoechstetterus *Decad.* 5.

*Cas.*

*Caſ.* 2. Nihil ſanè in Praxi eſt frequentius, quàm quòd etiam Viri, qui gravioribus Affectibus Hypochondriacis, aut Scorbuticis obnoxii ſunt Symptomatis, quòd de ingruente Suffocatione cum Abdominis variis Paſſionibus, ac Mulieres Hyſtericæ conquerantur, & etiam ſimili modo curantur, ut per *Caſtoreum & Volatilia.*

Conſuluit me aliquando *Studioſus* quidam, inſignis Hypochondriacus, quem omni nocte circa ejus medium evigilantem affligebat Rugitus & gravis Murmur in Abdomine: jam verò aliàs continuò eum torquebant copioſiſſimæ Flatulentiæ Abdomen diſtendentes: hinc poſt hæc Murmura Abdomen interiora versùs retrahebatur, quod ipſum inſequebatur inſignis *reſpirandi Difficultas*, ita ut omni momento ſuffocandus videretur, cum miſerâ *Cordis Anxietate & Palpitatione* violentâ. Referebat mihi, anguſtiam Pectoris ſub Reſpirationis iſta difficultate eſſe tantam, & ſe percipere talem ſenſum, non ſecus ac ſi intra torculare, vel intra duos aſſeres cum violentiâ ſummâ Thorax conſtringeretur & comprimeretur, ut putabat, ut eum nullâ vi pro Inſpiratione dilatare poſſet: Hinc accedebant ſimul *Senſuum Internorum* imprimis quædam *perturbationes* & imminutiones ſub iſtis Anxietatibus, donec poſt horam circiter cum dimidiâ, aut etiam ferè duas, Sudore tandem modico erumpente, Paroxyſmus ita diſcuteretur, qui tamen omni nocte ſtato tempore revertebatur. Paſſio hæc Hyſtericæ Suffocationi adeò ſimilis erat, ut ovum ovo ſimilius eſſe nequeat, quæ etiam, ſi corripuiſſet Mulierem, ab omnibus Hyſterica vocata fuiſſet, (*ſive Suffocatio Uterina,*) cùm tamen in hoc Subjecto ſaltem eſſet *Affectio Hypochondriaca* dicta, quæ iſtis Symptomatis erat ſtipata. Curavi etiam eum, præmiſſo *Vomitorio* & *Martialia* per *Volatilia tartarea*, imprimis per Spiritum Carminativum de Tribus, & Spiritum Salis Ammoniaci, per Aromatica Carminantia, & Acidum abſorbentia. Aderat in hoc Subjecto, quod obiter moneo, ſimul pertinax Alvi obſtructio, & mira Acidi præternaturalis in primis viis, præprimis Stomacho, abundantia, unde continuò inſigni Appetentiâ laborabat.

Congeries iſta Symptomatum truculenta, quæ Mali Hypochondriaci in Viris, Suffocationis verò Uterinæ (ſi nempe eſt acerbior) in Mulieribus nomine venit, adeò interdum per Paroxyſmos ſævit, ut *à Dæmone obſeſſi* ab ignarâ plebe habeantur Ægri. Teſtimonia adhuc plurima hinc inde proſtant. Sed reverà *in utriſque unus idemque Affectus eſt*, ut Suffocationis ſenſu in Affectu Hypochondriaco graviore Viros torqueri, nihil novi eſt, idque duplici modo: nunc quidem putant & dicunt, Fauces & Laryngem à Vaporibus vel Humoribus acidis, ponticis, auſteris & ſlypticis quaſi conſtringi, quale exemplum B. D. Michaelis vidit in Juriſconſulto, quem Acidum abſorbentibus & concentrantibus, Alcalibus fixis, nempe Cretâ, Lapillis Cancrorum, Antimonio Diaphoretico & ſimilibus, reſtituit; cujuſmodi Caſûs etiam mentionem facit Sennertus *libr. 3. Prax. Part. 1. ſect. 1. capit. 1. pagin. 7.* nunc verò ſine tali in Faucibus moleſtiâ, ſaltem impotentia movendi Thoracem adeſt, & Cingulo vel Zonâ quaſi circa Diaphragmatis cum Coſtis connexionem ſe conſtringi & coarctari queruntur Ægri: Ita ut reverà Affectu Suffocationis Uterinæ Viros quoque laborare, dici poſſit. Sic quoque aliquando *Juvenis nobilis* curabatur à me, qui genuinam Paſſionem Hyſtericam repræſentabat, dicebat ſe eſſe proclivem ad *Colicam*, item ad *Epilepſiam*, ita quidem, ut graves ſubinde patereturInſultus Abdominis; Abdomen contrahebatur, quoties *Dulcia* quædam comedebat; *Epilepſiâ* corripiebatur, quoties *Irâ* aut *Terrore* afficiebatur: Subinde utrumque coincidebat, quando edebat *Dulcia*: dicebat: *eſſe ipſi ac ſi Malum ipſum torqueret*, & veniret pedetentim ad ſuperiora; tunc Circulum circumdabat circa Pectus, ac ſi ſenſationes colicæ ſuperveniant, ne ſuperiora versùs adſcendant. Affectus hic ſi fuiſſet in Muliere, fuiſſet *Paſſio hyſterica*; ſed eſt Juvenis *Hypochondriacus*: Hinc *Martialia*, hinc etiam *Spiritus Salis Ammoniaci*, & *Emplaſtrum de Galbano* impoſitum, ſolebat eum curare. (C)

His

(C) Nota Cyrilli. *Etſi rationi & experimentis conſonum ſit* Hyſtericam Affectionem ad Convulſivas *referri debere*: *attamen veriſſimum eſt*, *quod ſuprà docuit A. rarum*, *imò rarius eſſe*, *quòd in* Convulſiones *præſertim* tonicas *terminetur Hyſterica affectio*; *ſed rariſſimum puto*, *quòd Hyſterici ſæpiùs redeuntes Paroxyſmi tandem in Membrorum* Paralyſin *ſeu reſolutionem abeant. Tres tamen habeo* Obſervationes, *eodem tempore*, *& ferè eodem loco factas*, *Virginum inſolentibus Uteri paſſionibus affectarum*, *quæ demum uno vel pluribus membris paralyticæ evaſerunt. Unius* Hiſtoriam *hic ſubjungam*, *cui ad Celeberrimos Viros citra & ultra Alpes miſſæ*, *elegantes additæ fuere* Reſponſiones: *lubet Cl.* Zanini *Medici Veronenſis tantùm ſubnectere*, *prout illam meæ Hiſtoriæ adnexam publici juris fecit* Henricus Michael *Vigilienſis Typographus*, *ac Ill.* Laurentio Roſmarino *Practico item Veronenſi dicavit.*

Neapoli Calendis Novembribus 1719.

NObilis Monialis, *cujus* Medicam Hiſtoriam *hîc enarraturi ſumus*, vigeſimum quintum *ætatis ſuæ* annum *agit*, *tenerrimâ corporis ſtructurâ*, *nitido*, *ſuavique colore prædita*: *elegantiſſimâ formâ*, *ſed elegantiori adhuc ingenio*: *ab ipſis conceptionis primordiis igneam*, *ut ita dicam*, *ſortita eſt corporis temperaturam*, *quippe quòd à Patre genita*, *ſpirituoſis potibus abundè ſeſe ingurgitante. Vix vitalem auram experta*, Scabie *prehenſa*, *ante bimatum in* Hydropem *vergere viſa fuit. Monaſterium educationis ergo ingreſſa ſummam* Maciem, *urenti corporis calori conjunctam*, *ex ſpirituoſarum quoque potionum copiâ clàm aſſumptarum adauctam*, *præ ſe tulit.* Tuſſiculæ, *quam* Diſtillationem *vocamus*, *ferè ſemper obnoxia*, *acerrimi*, *& urentis Humoris per Mulierum loca eâ ætate ſtillicidium*, *nonniſi Viperinis remediis*, *Chinæ*, *Sarſæ parillæ & Balneis Aquæ dulcis*, *cedens*, *paſſa eſt. Anno ætatis quarto*, *timore ob caſum incuſſo*, *in* Cordis palpitationem *incidit*: *quod malum ad hoc uſque tempus vel ex levi occaſione recurrit. Siccâ quoque* Tineâ, *cùm adhuc decennis eſſet*, *correpta eſt. Ab anno duodecimo primordia καταμηνίων primùm erupere*, *ſed parciora*, *& rariora*, *quàm pro Naturæ præſcripto*, *illa autem non prius quàm decimum ſeptimum annum Puella attigiſſet*, *ad canonem redacta fuere: tametſi ante hanc ætatem multò meliùs ſe habere cœpit*, *ac ſucculentiori*, *& fortiori corporis habitu in dies prædita*, *bonâ tandem frui valetudine viſa eſt. Verumtamen ab hoc tempore*, *præſertim ex* Odorum *abuſu*, Affectionē Hyſtericā, *fletu*, *oculorum inordinatis motibus*, *animique defectione ſtipatam*, *per ſemeſtre ſpatium primùm*, *max longo intervallo redeuntem*, *experta eſt*: *hinc hebes* Oculi *præſertim dextri acies*, *& recurrens*

Ce-

Cephalalgia *ſuborta. Hæc tamen mala* εὔχυμον *&* εὔσαρκον *corporis habitum, quem priùs acquiſierat, uſque ad vigeſimum tertium ætatis annum haud defluxere. Hæc raptim, curſimque ſub notanda cenſuimus, ut corporis conſtitutio, atque anteacta Nobilis Virginis vita innoteſceret; ea namque quàm maximè ad illorum, quæ enarranda ſunt, intelligentiam facere poſſunt.*

*Anno demùm* 1717. *ætatis* 23. *poſt frequentiores Cordis palpitationes, & Viſcerum omnium languorem, in extremam* Anorexiam, *ciborumque faſtidium incidit, crudis Urinis comitantibus: hinc immoderatus Fructuum horæorum eſus, cum intempeſtivis Aquæ potationibus: quo tempore occaſio tulit, ut trium horarum ſolidarum ſpatio ferventiſſimis Solis radiis exponeretur, cum ſummâ corporis univerſi, ſed præcipuè Capitis, æſtuatione.*

*Decimâ quartâ Septembris repente Senſibus omnibus integrè conſtantibus, ex Cervice initio facto,* Vertebrarum omnium Tetano *Nobilis Adoleſcens corripitur, qui confeſtim Brachia dolore, ac livore comitante, occupat. Siniſtrum reſtitutum; dextrum tamen in articulationibus tumidum. Hinc Malum in dextrum Femur, & Crus propagatur, ut* Motu *omninò deſtitueretur, niſi morboſam membrorum diſtentionem* Motum tonicum *appellare velis. Affectæ partes vel ex levi contactu inſigniter dolebant; non contactæ verò,* Stupore *veluti quodam occupari videbantur.* Febris *hoc Malum per plures dies comitata eſt.*

*Immobili jam reddito corpori quamplurima admota ſunt* Externa remedia, *& quidem* Malactica *ſub formâ* Fotuum, Unctionum, Lotionumque, *ad morboſam diſtentionem aliquomodò relaxandam:* intrinſecùs *blanda* Diaphoretica, Diuretica, Cephalica, Nervina, Antiſpaſmodica, *poſtmodùm & lenia* Cathartica *adhibita ſunt.* Fotus *humidi ope Cucurbitarum ſiccarum, (ut facere ſolemus) mollium Vegetabilium Decocto repletarum, læſis membris admoti, Femoris, Cruriſque diſtentionem evicerunt, ſed Spaſmus, & Convulſio in imperfectam* Paralyſim, *&* Atoniam *mutata ſunt.*

*Quadraginta diebus exactis, cùm Ægrotans vi è lectulo ſublevaretur, in tam atrocem* Dolorem, Animique anxietatem *incidit, ut* Sudore *undique diffluere: ex quo Lumborum, & Cruris malè affecti levamen, ut ex eo tempore ſedere in cubili potuiſſet. Arrepto hinc animo, ut* Diaphoreſin *efficaciùs promoveremus, Stibium diaphoreticum propinavimus; ſed ſuperſedere neceſſum fuit, ob Ventriculi noxam. Quoniam autem Malum contumaciter affligebat, in ipſo Hyemis initio* Thermis naturalibus *uti decrevimus. Quare cubiculo exactè clauſo, aulæiſque munito, Balneum Puteolanum,* Subveni homini *appellatum, ſed ſatis remiſsè, ne ingentem Sudorem provocaremus, adhibuimus. Poſt quintum Motus aliquis in Manûs digitis apparuit, & Brachium flexile redditum, Motu tamen voluntario moveri nequaquam potuit: Crus verò cum Femore etſi à jacente in lectulo Ægrotante pro lubitu agitaretur; nequaquam tamen tantum roboris acquiſivit, ut illo corpus ſuſtentari, & ad deambulationem diſponi potuerit.*

*Eâdem fermè Morbi vi conflictabatur ægra Puella circa principium anni* 1718. *niſi quòd aſſiduis Vigiliis, Animique ægritudinibus, Capitis, & Ventriculi languore, nullis Cephalicis, & Stomachicis emendabili, graviùs laboraret. Martio menſe iterum ad Balneum* Subveni homini *deventum eſt. Sed intermiſſus illius uſus ob ſupervenientes Hyſtericas affectiones, cum fletu, ſuſpiriis, & Palpebræ dextri Oculi ſpaſmodicâ depreſſione. Brachium tamen læſum meliùs & fortiùs ſe habuit, ita ut aſſiduâ, & copioſâ Tincturæ Succini applicatione progreſſu temporis integrè convaluerit.*

*Ineunte Aprili ut Cephalicum, ac Nervinum remedium iu uſum revocaremus,* Bezoartico Joviali *maximâ cum cautione uti cœpimus. Aſt poſt hujus undecim dierum uſum, ex improviſo* Uteri Strangulatio *ſupervênit, cum impedimento Loquelæ, & Deglutitionis; loqui quidem cœpit poſtridie, at deglutire nequivit, niſi poſt quintum diem, & celebratâ* Sanguinis ex pede miſſione: *quo tempore & Oculus aliquantulùm apertus fuit, ceſſavit enim Palpebræ convulſio, etſi illa laxa, & reſoluta remanſerit.* Viſus *tamen prorſus abolitus, ut tenebræ pro luce conſpicerentur. Tribus ſequentibus menſibus nempe Junio, Julio & Auguſto fere periodicè circa menſtruæ Purgationis tempus, novi Hyſterici paroxyſmi cum Strangulatu, & Deglutitionis impedimento, ad tres vel quatuor dies, etiam iteratâ, ſed incaſsùm, Phlebotomiâ, miſellam Ægram torquebant.*

*Intereâ temporis ſenſim Crus aptum redditum ad ambulandùm, niſi quòd ex* Frigoris *incautâ captatione Pes ex debilitate versùs externam plagam diſtorquebatur. Huic malo* Tibialis *ex ferreis lamellis ac ligulis coriaceis affabrè concinnato ſatis commodè obviam itum eſt, ut eo artificio facili negotio incedere Ægrotans poſſet. Verùm ad debellandam omnino Morbi pertinaciam, menſe Auguſto* Balnea Gurgitelli (*celeberrimæ ſunt Thermales Aquæ in Inſulâ Ænariâ*) *adhibita fuere: ſed vix cœpta intermittere coacti ſumus, ob horrendam, quæ ſupervênit* Motuum Hyſtericorum *ferociam, & novâ quidem affligendi ſpecie; nam Corpus univerſum, & ſingula ejus membra (ſi tamen læſum latus excipias) vehementiſſimis, velociſſimiſque concuſſionibus quatiebatur, cum gemitibus, ſuſpiriis, & ex levi attactu furioſis vociferationibus. Sequenti menſe, ut Sanguinis & reliquorum ſuccorum è Sanguine ſecretorum acritatem apto fortique Medicamento retunderemus,* Ceruſſa Antimonii Martialis *exhibita per* 40. *dies, etiam* Juribus alteratis *per intervalla propinatis, ut nempe levem ſed extimulantem* Tuſſiculam, *quæ ſubinde invadebat, ſedaremus. Ab horum exhibitione eò meliùs uſque ad anni extremum ſe habuit Nobilis Puella, ut ſana omninò dici potuiſſet, niſi Tibiali artefacto ad incedendum indiguiſſet.*

*At ineunte anno* 1719. *quâdam die, quum id minùs metueretur, in* Soporem *quendam, ac veternum incidit, ut veluti attonita jaceret, ſine motu, ſine ſenſu ullo: quod poſtquàm per trihorium Puellam occupaverit, deſiit tandem in effrænes corporis concuſſiones, ſaltus, ejulatus, ſimiliaque hyſterica Symptomata, quæ menſe Auguſto præterito affecerant.* Phlebotomia *inſtituta præter innumera* Anthyſterica, *tum exhibita, tum admota. Ceſſere quidem hyſterici Paroxyſmi, dextrum verò Femur cum ſubjecto Crure adeò debile redditum, ut greſſus omninò abolitus fuerit, nullam opem ferente ferreo Tibiali: præſertim quum & ſiniſtrum quoque Crus debile ex Genu evaſerit. Adhibitis tamen* Balneis artificialibus *ex Decocto aromaticarum Herbarum, addito etiam Vino, Cura iterum ſunt reſtituta, ut ſiniſtrum omninò ſanum, ac dextrum Tibiali adjutum ſua munia exſequeretur.*

*Quum ſic ſatis valeret Nobilis Adoleſcens, fortè ex* Animi pathemate *repente oppreſſa, cum Cœnobii gradus aſcenderet, in faciem cecidit: atque ex non levibus in* Victûs ratione *erroribus, gravi*

Lipo-

Lipothymiâ *correpta eſt*, *à qua* Febris *primùm acuta poſtmodùm ſenſim remittens*, *ſuborta. Mirus hinc* Ventriculi languor, *nullis Stomachicis emendandus*, *ut à Cibo per ſummam nauſeam aſſumpto*, *tantùm abeſt*, *ut corpus refocillaretur*, *quin potiùs inexplicabilem laſſitudinem extemplò ſubiret.*

*Vix aliquantulùm Stomacho meliùs valens Ægrotans noſtra*, *exeunte Martio*, *levi* Vertigine *corripitur*, *quam languor*, *frigus*, *livor*, *ac ſtupor Brachii dextri illicò exceperunt.* Balnea *Herbarum nullâ poſtpoſitâ morâ adhibita: calorem recuperare cœpit Brachium*, *minimè autem robur: intermiſſa autem ſunt Balnea ob nimium Sudorem*, *quo corpus languidum diffluebat. Verno tunc tempore*, *ad Viſcerum tonum reſtituendum*, Dulcedo Martis *præſcripta*, *illiuſque uſus ad* 15. *dies productus.*

*Sub ipſum Aprilis ingreſſum novam veluti vim ſumere viſus fuit Morbus*, Hyſterici *enim* Paroxyſmi *fortiores*, *& frequentiores in ſcenam prodiere*, *ſed vario ordine*, *variâque formâ*, *nunc membrorum Reſolutioni*, *nunc Convulſioni conjuncti: Alimentorum per gulam deſcenſus iterùm præcluſus: atque quod majus eſt*, *Cruris utriuſque abſoluta ad incedendum impotentia*, *ut lectulo prorsùs affigeretur miſella Adoleſcens.* Sudatoria *autem ex incenſione* Spiritûs Vini, *ſed abſque ullo emolumento*, *ad praxim ſunt revocata. His acceſſit extrema Ventriculi* ἀτονία, *in qua Alimenta acorem adeò pungentem contrahebant*, *ut gula excoriaretur*, *ac dentes ſtuperent: facti hinc ſunt aſſidui totius Capitis tremores*, *Motuſque ſpaſmodici*, *qui poſteà bilioſis ſeceſſibus ceſſere.*

*Ut* Acidum *hoc ferinum*, *prout par erat*, *perdomaremus*, *iterum ad* Ceruſſam Stibii Martialem, *copulato* Magiſterio Matrisperlarum *conſultò confugimus*, *illamque viginti duorum dierum ſpatio exhibuimus. Acidum tamen ſemper Ventriculum infeſtabat*, *imò ſævus* Ptyaliſmus *ad plures dies ſuperveniens*, *viresque corporis præſertim abſumens*, *nos coëgit*, *ut incœptæ medicationis filum abrumperemus.*

*Menſis Junius novam Morbi metamorphoſin exhibuit.* Urinæ *per plures dies* profluvium *ejuſdem per biduum* ſuppreſſio *ſubſecuta eſt: hanc autem poſteà nullo cruciatu excrevit. Hinc ſæva* Cardialgia *per* 20. *dies miſeram torſit*, *ex quacumque ſive cibi*, *ſive remedii exhibitione ingraveſcens. Hoc temporis ſpatio per triduum* Iſchuria Renum, *tribus inſequentibus diebus* Iſchuria Veſicæ *maximis comitata doloribus Ægram exercuit*, Balneis, Clyſteribus, Vaporationibus, Anodynis, Narcoticis *incaſsùm adhibitis. Imò poſt pacatam Cardialgiam*, *etiam Urina*, *ad duos dies ſuppreſſa. Quæ autem demùm liberè profluxit magnam Sedimenti farinacei copiam in fundo Matulæ deponebat.*

*Quoniam verò reſoluta Membra Inunctionibus ex Oleo Lumbricorum*, *Galbaneto Paracelſi*, *Spiritu Antiparalytico Cnoëffelii*, *Balſamis quamplurimis Nervinis*, *aliiſque nullum levamen ſentiebant*; *Julio Menſe iterum ad* Balnea Subveni homini *ventum eſt. Sed acutiſſima* Febris Ephemera *ſuperveniens*, *qua Cutis univerſa purpuraſcebat*, *medicamenti progreſſionem impediit. Febrim* Dyſentericus *ferè* Alvi fluxus *inſecutus eſt*; *mucoſa enim cruore tincta cum torminibus excernebantur. Poſt hæc cum major ſemper redderetur Crurum imbecillitas*, *menſe Auguſto intermiſſum Balneorum uſum denuò reſumſimus*, *& Aquas* Gurgitelli *adhibuimus*; *ſed ob ſummum fervidiſſimæ tempeſtatis æſtum*, *copioſumque Sudorem*, *quo corpuſculum indies infirmius reddebatur*, *ter* Balneo *temperatiori*, Fontanæ *appellato*, *uſi*, *ab omnibus Naturalibus Thermis abſtinuimus: imò ad Animi*, *& Corporis relaxationem*, *omnibus remediis ſuperſeſſum eſt.*

*Verùm expoſtulanti Ægræ*, *ut Membris reſolutis aliquod præſidium adhiberemus obſecundaturi*, *Menſe Septembri* Balnea ex Decocto Herbarum *alioquî proficua*, *primùm Brachio*, *& Pedibus*, *mox additis animis ex eo*, *quòd Manum ejuſque digitos aliquantulùm moveri deprehendimus*, *toti Corpori adminiſtranda imperavimus. Sed conceptâ ſpe fruſtrati fuimus*; *quum enim vicies*, *& ultrà*, *hoc remedium adhibuiſſemus*, *nullum emolumentum acceſſit: quin potiùs levis* Tuſſicula *ſuborta*, *& circa Menſis finem* Dolor Colico - Nephriticus *cum Vomitu*, *& Fluxu flavorum*, *viridium*, *ac nigricantium humorum adeò crudeliter Nobilem Puellam excruciavit*, *ut vires prorſus proſternerentur. Demum pro malorum omnium complemento*, *hôc ipsô Menſe Octobri triduana* Iſchuria, *primò* Renum, *mox* Veſicæ *invaſit: reddita per cruciatus Urina*, *illicò per biduum*, *& maximis doloribus ſuppreſſa eſt. Quæ poſteà fluere cœpit craſſa fuit & turbida*; *ſed acrori in Vehiculo geſtatione*, *copioſior*, *& craſſam reddens hypoſtaſin obſervata.*

*Quo pacto Morbus à principio ad hoc uſque tempus ſe habuerit enarravimus ordine. Illud ſolùm addendum*, Menſtrua *ſemper ſecundùm naturam fluxiſſe*, *ſemel tantùm per quindecim dies emanſa*, *ac Elixire per infuſionem Paracelſi*, *ſimul cum copioſâ Urinâ*, *promota. Impræſentiarùm Nobilis Puella*, *ſi paucas horas excipias*, *quibus ſellæ aſſidens ſediculâ pedem ſuſtentat*, *lectulo ferè ſemper jacet*, *tum ob Cruris utriuſque infirmitatem*, *tum ob Corporis univerſi languorem.* Partes reſolutæ *laxæ*, *molles*, *& graves ſunt*, *ac ſi attollantur mox ſuâ mole recidunt*, *relabunturque: etſi Crura lecto jacens Ægra pro lubitu extendere*, *& contrahere valeat.* Corporis *autem univerſi* languor *eò major factus eſt*, *quòd ob Ventriculi imbecillitatem Domina Laborans parciſſimo utatur cibo*, *ac noctes ferè totas inſomnes traducat.* Somnus *verò præcipuè abrumpitur ob aſſiduam*, *& noctu præſertim moleſtam*, *& aridam* Tuſſim, *pectus adeò ſævè contundentem*, *ut Ægram caput ad pulvinar reclinare non ſinat. Pro hac autem compeſcendâ Jura Carnium*, *Pilulæ de Styrace Sylvii*, *de Cynogloſſo*, *Laudanum Muliebre Hartmanni præſcripta*, *Emulſiones ex Seminibus exhibitæ*, Lac *ipſum tentatum*; *omnia tamen fruſtrà adhibita. Nunc* Vinum chalybeatum *cum cibis admiſcet ad Viſcerum tonum firmandum: in quibus*, *etſi nulla apparens* Obſtructio *tactu deprehendatur*, *ſummam tamen ex impedito corporis motu agnoſcimus atoniam*, *quâ ſua munia exſequi minimè poſſunt.*

*Hæc eſt Lerna malorum*, *quibus conflictatur miſella Adoleſcens*: *pro illis autem debellandis pugnatum ſemper eſt Arte medendi*, *& omnem ferè exhauſimus Medicinæ panopliam*, *idque incaſſum ſemper factum eſſe vidimus*; *imò Medicamenta ritè adhibita*, *ſemper oppoſitam propriæ indoli exeruiſſe vim experti ſumus. Nam ſi pro ſolvendâ Alvo Cathartica propinavimus*, *Alvus magis adſtricta eſt: Somno apta Medicamenta*, *Somnum longè arcent*: *Paregorica*, *& Anodyna dolores magis exacuunt: ex Antiſpaſmodicis & Malacticis Paralyſes oriuntur: Fotus*, *Lituſque aſperiores*, *Spaſmos*, *& in Cute urentes Puſtulas creant. Hac igitur infelici medendi fortunâ dererriti animum ferè deſpondimus. Sententia tamen eſt*, *hac anni tempeſtate* Vinaceorum *vim experiri*: *opportuniori tempeſtate ad* Cinnabarina Medicamenta *tamquam ad ſacram anchoram mentis aciem dirigentes*: *memores illius* Senecæ,

Extrema primo nemo tentavit loco.

*Hæc omnia hiſtoricè deſcripta nudè* Clariſſimis Profeſſoribus *proponenda eſſe duximus, liberum de iis philoſophandi campum relinquentes. Illud tantùm notaverimus, quòd quanquàm ſciamus integram enarratorum Morborum ſyndromen poſſe facili negotio ad* Hyſtericam Paſſionem *reduci; illud tamen ſedulò conſiderandum animadvertimus,* num Membra poſt Paroxyſmos reſoluta manentia, Hyſtericum, an alium graviorem Morbum commonſtrent: *Scimus enim ex Utero eſſe Paralyſes, ſed ex accuratiorum Medicorum ſententiâ, quæ mox diſcutiuntur. Quod autem rei caput eſt, enixè rogamus, ut maxima ingeniorum veſtrorum vis ad opportunum pro tot malis averruncandis præſidium inveniendum exerceatur. Rogamus porrò ut Hiſtoriæ inevitabili prolixitati parcatis, utque, quòd ſine accuratiori elucubratione conſcripta, minùs habeat elegantiæ & eruditionis, æqui bonique conſulatis.*

Nicolaus Cyrillus *in Reg. Univ. Neap. Prim. Med. Profeſſor.*

Venetiis Pridie Nonas Decembres 1719.

UTinam Præſtantiſſime Vir, *arte, ac facundiâ clariſſime, ſicuti Morbi natura obviam venit conſpicienda, & tam diſertè delineata ob oculos ponat Nobiliſſimæ Adoleſcentis ærumnoſum ſtatum uſque ab incunabulis, & non ſine lacrymis repetendum; tam facilis ſeſe nobis offerret Curatio, & Vis aliqua Superior Medentium animos arcano lumine illuſtraret, ac veluti ad verum, & genuinum Remedium manuduceret. Hærent Morbi nonnulli altis radicibus defixi, & connutriti, atque adeò ſenescentes omnem Medicorum conatum eludunt. Nulli ſufficiunt Arietes, nulla Propugnacula, nulli Vectes, fruſtranea eſt omnis molitio, ut quidquid agas, malè egiſſe videaris. Percurriſti,* Experientiſſime Vir, *omne Auxiliorum genus, nihil intactum reliquiſti, omnia ſpecularis, omnia enucleas, ut ſolum accuſanda veniat refractaria, & ineluctabilis ferocientis Morbi malitia. Quot accidentium enumerata congeries? Quot turbæ ſeſe mutuò excipiunt? Infelix Virgo! lethargica, inſomnis; modò Uterus in Scenâ, modò Cerebrum, modò Ventriculus, Brachium, Crus, per vices apoplecton; ſed quod majus negotium faceſſit, permanens, nec evaneſcens totius Reſolutio. Porrò* Hyſterica Paſſio *eſt, quæ nobis illudit. Morbus Proteiformis nos exercet ſub larvâ diverſorum malorum, pro ratione, & præpollentiâ Succorum, & Partium diverſitate; quod idem ac dicere,* Nervorum Affectio, *& ut inquit* Aurelianus: Prætangitur tota Nervoſitas: Accidentia mutari videntur, ſed Genus Paſſionis idem manet. *Omnium Partium atoniæ, & flacciditates, quas ingeniosè vocabat Eraſiſtratus* Dearticulationes, *oſtendunt fractum eſſe Nervorum robur, & ſicuti priùs miſella Virgo erat prædiſpoſita ad affectiones ſpaſmodicas, nunc effœminato partium nervoſarum tono, jaceat reſoluta, & elumbis, Morbo in oppoſita tranſeunte. Maximarum rerum incrementa in contrarium ſtatum prolabuntur.* Convulſionum *ſolet eſſe conſectaria, aut comes indivulſa,* Paralyſis. *Uxori trimeſtri fœtu gravidæ, quæ decumbebat in littore, dextera pars cum Convulſione elanguit.* Partes, *in Sacro Morbo appellato,* impotentes fiunt, & convelluntur.

Colico-nephritici Dolores, *ut quædam attingam,* Dyſuriæ, Urinarum ſuppreſſiones, ſpaſmodicæ Cardialgiæ, *quas non biliosas appellat* Hippocrates; *quid aliud redolent, quàm pernicioſos ſuccos Aquæ Stygiæ æmulos, modò Meſentericis plexibus impreſſos, modò Propaginibus, aut Membranulis ineluibiliter impactis, tam tenuiter expanſis, ut ſubtiliſſima Matronarum velamina cum* Euſtachio *æmulentur?* Exemplum Aſpaſii Filius.

*Nolo te pluribus,* Vir nobiliſſime, *detinere, & quæ tam eleganter exaraſti, rudiori ſtylo retexere, & me per tam arduas ſemitas circum agere.* Αἰσχρὸν μέν ἐν πάσι τέχνης, ἢ ἔχ ἥιτσα ἐν ἰατρικῇ πολυῶ ὄχλον, ἢ πολυῦ λόγον παράσχοντα ἔπειτα μηδὲν ὠφέλησαι.

*Adeò eſt intricata, & obſcura Convulſivarum, & Hyſtericarum Affectionum conſtitutio, ut Medici loco Demonſtrationum, veluti muſicis vocibus, & ad hilaritatem compoſitis cantiunculis,* Averrhoidis *teſtimonio, in Theatrum prodeant Mimi, & Nugaces.*

*Sed quod tot ærumnis ſtimulum addit, & calcaria, tenerrima Patientis conſtitutio, cùm veluti ex ſpumoſis carnibus ex* Hippocrate *coalita eſſe videatur, &* Aërocorpuſculum, *ſpirituoſum, Pneumatoſi veluti affabrè concinnatum, effingere Parens illa communis deditâ operâ voluiſſe videatur. Nonne minimum momentum fibras huc illuc impellit? nonne minima, & inconſpicua ſalium recrementa, & indiviſibilia acerrimi liquoris ſtagmata totam Machinam concutiunt? Adde, quòd continui agitationum æſtus, & ingenioſiſſimæ Virginis fluctuationes, de proprio fato ſollicitæ ſemper perennantes, ad inſtar Euripi diſcurrentes, ſopitum hoſtem tamquam dormientem canem, cum* Helmontio, *exſuſcitent, & in actum miſerabiliter deducant.*

*Quæris in calce ſolidiſſimæ, & elegantiſſimæ tuæ deſcriptæ Hiſtoriæ,* an ab Utero poſſint exoriri Paralyſes; *ſed ſagaciter addis, non fugaces, ſed permanentes; nam quid frequentius, quàm Mulieres hyſtericis fatigatæ accidentibus, conquerantur de motu læſo alicujus partis?* Si venulæ compreſſæ fuerint, ut ſpiritus non diſcurrat, ſtatim torpor occupat. *Sed in noſtro caſu arbitror materiam malignam, ac penè deleteriam altiùs irrepſiſſe* ſpinalis Medullæ *cavitates, ac truncos occupaſſe, arripiente Humore Nervos, & Nervorum principium.* Si homo ex Spinâ laborârit, & manibus, & pedibus impotens fit. *Ergò tales reſolutiones ſunt* Hemiplegiæ dorſales, *cùm Utero, utpote nervoſæ cavitati, compati principium conſuevit, ſi longo tempore colluvies illa Nervis inimica ſtabulata fuerit in Uteri cavitatibus, Uteri labe ad originem properante.*

*Vereor, ne nobiliſſimæ Virgo* Prognoſtico *ſit relinquenda; quis enim ſalutem polliceatur?* Morbus cùm ætatem adeptus fuerit, non ampliùs curabilis eſt. *Attigit annum vigeſimum quintum, qui ſolet eſſe contemplabilis in longorum Morborum curriculo, præſertim Capitalium: commorientur enim Comitiales, Reſoluti, Hemiplectici, nullâ ſpe melioris ſalutis affulgente. Natura certis circuitibus omnia exequitur.* Periodi ad omnia conſonæ ſunt. *Prætergreſſis igitur fatalis termini limitibus, quid aliud reliquum eſt, quàm ut tecum animum deſpondeamus?*

*Majora veremur; ſed Deus omen avertat.* Hermozygi Uxor, *tandem muta facta interiit.* Puer in Hippolochi villâ *convulſus, deſinente convulſione latenter moritur.* Uxori Dromeadæ, *convulſiones à capite cœperunt, ſubitò obiit.* Numenii Filius *eandem ſubiit Fatorum crudelitatem.*

*Verum-*

*Verumtamen res eſt miraculo ſimilis è quantis deſperationibus Mulieres emergant. Appoſitis exemplis animum addit* Rhodius, *& innumeri, quibus fidem abrogare religio eſt. Ludit ſubinde Natura, & ſequioris ſexûs ſollicita, monſtroſis, & intricatis ſucceſſibus perplexas Curationes abſolvit, attonitâ aſſidentium formidine, & Neceſſariis ad inſperatam lætitiam ſolutis.*

*Ad* Curationem *quod attinet, liceat mihi breviter, & liberè exſpatiari, ut ſecuriori tramite, tuis inſiſtens veſtigiis, audaciùs procedam.*

*Vanum eſſet ad eandem Remediorum ſupellectilem relabi, quum ipſe ingenuâ confeſſione fatearis, nullum ab his emolumentum percepiſſe; inutilia fuerunt* Anodyna *per tot annorum curſus uſurpata,* Antiſpaſmodica, Malactica, Edulcorantia, Paregorica, *& alia ſimilia innumerabilia. Valeant* Solventia, Phlebotomiæ *toties repetitæ,* Balnea, Lactis *uſus non revocandus,* Bezoartica *proſcribantur. His omnibus valere juſſis, cùm eventus non reſpondeat, monente* Celſo, *non tanti putare authorem, quanti Ægrum, & experiri aliud, atque aliud. Nulla ſedulitas contulit, nulla pro fuit Summi Viri induſtria. An toties ad Siſyphi ſaxum revolvimur, ut repetendæ operæ non pœniteat?*

Aſclepiades *his anguſtiis circumſeptus, ſuſque deque omnia habebat. Hic eſt ille* Aſclepiades *calefaciens, frigefaciens, evacuans, replens, atque omninò contrariis utens indicationibus in Morborum Curationibus, quem ſic delineavit* Aurelianus. Themiſon *eodem furore agitur, devolutus ad Conſilia Empiricorum, qui Cauſis reſiſtentibus à Contrariis ad Contraria tranſeunt. An horum omnium lubricitati, & inconſtantiæ præluxit* Hippocrates? Si Morbus, *inquit,* ad pejora tranſgrediatur, ad contraria te converte. Calefacere, frigefacere, & ſi frigefacere non conducit, rurſus calefacere; oportet enim non ſanantem, ſemper variare modum. *Sed hæc omnia pacatiori animo ſunt accipienda, & veluti deſervente ſpumâ in Animum inſtillanda.*

Cinnabarina, *ut preſſiùs urgeam, & ad calcem properem, præ animo verſaris,* Cratone, & Sylvio *præeuntibus. Et hæc cùm ſint in cenſu* Mercurialium, *an ad altiora ſit aſcendendum, & ex eâdem Panopliâ ſint efficaciora deſumenda, tu ipſe videris.* Turquetus *experientiſſimus Senex, & omni laude cumulatiſſimus, ætate inter Experimenta conſumptâ, non veretur deſperatas Affectiones Hyſtericas ex tali Armamentario deſumptis telis aggredi. Materiæ deſides vetuſtate peccantes, veluti ex latibulis proſiliunt, exſudant, deſpumant. Malo nodo malus cuneus quærendus.*

Paracelſus *mitiori modo ſuccurrit.* Traumaticis *omnia tranſigit; quorum tantam vim eſſe, & intrinſecùs, & extrinſecùs, ut laudari ſatis nequeant. Naturam in pace conſervant, efficiuntque, ut de alimento minimè conqueratur. Aut amico vinculo diſſociata componunt; aut* Salibus *blandè volatilibus, & occultâ* Diaphoreſi *concreta diſſolvunt. An agreſtis Homo, & Helvetico pædore obſitus, ſubolfecit Magni Dictatoris Myſteria? Νοσήματα ἕλκεα εἶναι, ἔχει γάρ τινα καὶ ὑπὸ λογῶ ἐπείκειαν.*

Celſus *Ἀναληφίωσιν proponit, cui pulcherimo exemplo ſubſcribit veſter* Epiphanius. *Profectò Veteres toti erant in* Metaſyncriticis.

*Hæc ulteriùs in Theatrum protrahenda, aut negotium deferendum, & omnimoda quies imperanda, & Naturæ auxiliatrici committenda Nobiliſſima Virgo, quam Deus Optimus Maximus ſoſpitet, Teque celeberrimum noſtræ tempeſtatis Æſculapidum Myſten ad diuturniora Temporis ſpatia Fatorum tabulæ reſervent.*

Antonius Maria Zanini *M. D. Veronenſis A. V. Sapientiæ publicè adſcriptus.*

His ergò ita conſideratis, Moderni alio modo Affectum hunc, tot Symptomatibus complicatum, explicant, quorum *Hypotheſis* eſt *duplex.* I. Sylvius, & qui eum ſequuntur, *ex Acido Pancreatis nimis auſtero,* vitiosè in Inteſtinis effervescente, hinc copioſos *Flatus & Vapores* generante, & Dolores Abdominis & Præcordiorum, aliaque Symptomata inferente, hinc ad Maſſam Sanguineam delato, eam non nihil coagulante, &c. originem hujus Paſſionis deducunt: adeòque ad Affectus Hypochondriacos graviores Paſſionem hanc vulgò Hyſtericam referunt, & per *Salia volatilia oleoſa* optimo conſilio eam curandam ſuſcipiunt.

II. Alii econtrà, ut imprimis Williſius, & ejus Sectatores, ad *Convulſivos Morbos* ac *Spaſmodicos Affectus* Paſſionem hanc Hyſtericam referunt, quales Spaſmi imprimis in Scorbuticis & Hypochondriacis Affectibus frequentes eſſe ſolent, quorum Symptomatum ſyndrome vocatur *Paſſio Hyſterica.* Dicit enim Williſius *de Morbis Convulſivis cap.* 10. *pag.* 165. ſe Mulierem illuſtriſſimam Paſſione Hyſtericâ demortuam aperuiſſe, &, Utero inſonte, inveniſſe in Occipite principium Nervorum Sero acri madidum, ac ferè immerſum. Deducit ergò *Paſſionem Hyſtericam à Spiritibus Animalibus,* principia Nervorum intra Cerebrum occupantibus, malè affectis, quatenus in confuſionem acti, vel Humoribus vitioſis perfuſi, Copulam exploſivam ſibi adſciſcant, quam unà ſecum in canales nerveos deducant: quod etiam ante Williſium inſinuavit Hoechſtedterus *Decad.* 4. *Caſ.* 3. *p.* 385. qui apertè aſſerit, ibi videri ad Spaſmodicam Affectionem accedere Uteri errorem, quæ ſi reliquis cognatis partibus nervoſis communicetur, & hæ in hoſtem aſſurgant, maximè ſi vellicatio major acceſſerit.

Mihi mediâ placet incedere viâ, & *utramque certo modo combinare Opinionem*: Nam quòd materialiter ſeu occaſionaliter *Acidum* peccet primariò in hoc Affectu, idque vitioſum, tam in quanto quàm in quali, à naturali ſtatu degenerans, multa in hoc Affectu occurrentia demonſtrant.

1. Quòd Scorbutica & Hypochondriaca Subjecta cujuſcunque Sexûs imprimis obnoxia ſint huic Affectui, unde & *Scorbuticæ & Hypochondriacæ* Mulieres, licèt lenia etiam ipſis propinentur Purgantia, ex moto tamen ad Inteſtina copioſiùs peccante Acido-acri Succo, vel Pancreatis, vel quod probabilius, in Plexibus nerveis Meſenterii, præter Tormina acerba, facillimè in Hyſtericos incidunt inſignes Paroxyſmos: Cautè ergò purgandæ ſunt Mulieres Scorbuticæ & Hyſtericæ.
2. Quòd *Sanguis* in talibus quodammodò *coagulatus* eſſe ſoleat, à cujus Sanguinis incraſſati *ſtagnatione* in Præcordiis *Anxietates, ἀσφυξία,* & Syncopæ non leviter exacerbantur; de quo vid. Williſius *c. l. cap.* 5. *p.* 78. qui *Viro* iſti *Hyſterico,* de quo ſuperiùs, cùm detraxiſſet Venâ ſectâ Sanguinem, hic minùs fluidus, ſed ſemicongrumatus, & in guttulas concretus, fuit evacuatus. Unde

3. Et per Vomitus, à Naturâ ſponte aut Arte provocatos, *Bilem æruginoſam, porraceam*, in quibus peccat primariò *Acidum*, præcipitans Bilem in iſtum viridem colorem, *acerbam*, ac ſimilia in talibus rejicere ſolent. Unde &
4. *Dulcia*, quæ facilè fermentatione aceſcunt, & hinc copioſos generant Flatus, *Hypochondriacis ſunt moleſta*, & Paroxyſmos Hyſtericos inſigniter excitant; & copia, quæ adeſt *Flatuum* in Paroxyſmo inſignis, ab Acido eſt oriunda, à quacunque oriatur Causâ externâ. In ſpecie *Acidum Pancreatis* vitioſum in Paroxyſmo ſemper præſens multùm huc facit; Unde
5. *Martialia* extra Paroxyſmum *præſervativè*, *Salia verò volatilia* ſpirituoſa & oleoſa in Paroxyſmo *curativè*, præ cæteris ſuccurrunt, quatenus *Acidum* vitioſum abſorbendo deſtruunt & corrigunt, teſte Experientiâ. Hinc Barbette *in ſua Praxi pag.* 81. Medicamenta *Antiſcorbutica* applicanda ad Paſſionem Hyſtericam ſuadet. Et Langius *Commentar. ſuper Fabri Pathol. p.* 10. omnia nobiliora *Anticolica*, & ea, quæ *ardorem Stomachi*, nec non *Stranguriam* compeſcunt, in Hyſtericâ Paſſione quam maximè appropriata Remedia eſſe affirmat. Qui Affectus modò recenſiti omnes ab Acido vitioſo primarum viarum dependent.

Quòd verò præter tale *Acidum* in primis viis, etiam *Spaſmi & Convulſiones*, tam partium Abdominis membranoſarum, quàm partium Thoracis & Colli muſculoſarum, ſimul concurrant, tantumnon manu palpari poteſt. Ut enim

1. *Convulſiones* iſtas *Epilepticas*, quæ in fine Paroxyſmi, interdum & in medio, variis ridiculis, ſubinde & horrendis, ab ignaro vulgo pro Dæmoniacis habitis, Geſticulationibus ſuperveniunt, taceam; Certè
2. Spaſmos & Convulſiones teſtatur *Globus* iſte in Abdomine commotus, & ſurſum versùs cum impetu retractus; Non enim ſemper perſentiſcitur Globus ille, qui dependet à Plexibus Meſenterii nervinis, iiſque inferioribus, uno aut pluribus convulſis, à quibus ſimul imæ Hypogaſtrii partes & convelli, & quaſi attolli ſolent, & ita molis cujuſdam agitatæ aut adſcendentis ſpeciem tactui repræſentant. Hinc
3. Sub fine Paroxyſmi Hyſterici *Riſus* obſervatur interdum, & quidem Hyſtericis invitis ſupervenire, qui eſt reverà *Riſus* quidam *Sardonius* (de quo *ſuprà l.* 1. *ubi de Convulſionibus*,) *ex Convulſione clonicâ* ſeu *Motu convulſivo Diaphragmatis* primariò dependens; ſicut *Diaphragma* tonicè convulſum difficillimam iſtam Reſpirationem & Dolorem circa regionem Cinguli infert. Quod & Fœminæ poſt Paroxyſmum haud obſcurè indicant, dum poſt graviorem Paroxyſmum ſibi Zonam, id eſt, regionem iſtam, ubi Diaphragma Coſtis annectitur, dolere conqueruntur. Convulſo autem plùs minùs Diaphragmate, & reliqui Thoracis motui dicati *Muſculi* ſimul convelluntur, dum hos inter Muſculos cum Diaphragmate ex communitate *Nervorum Intercoſtalium*, ex quibus Muſculi habent ſuos ſurculos, perpetua motûs ſit proportio.
4. *Spaſmos* etiam teſtantur *Dolores illi in Abdomine* lancinantes, contorquentes, vagi & hinc inde oberrantes, qui oriuntur à violentis Contorſionibus & ſpaſmodicis Convulſionibus Inteſtinorum: quales Dolores etiam Inteſtinorum in Scorbuto, item Sexui fœmineo in & poſt Partum, ſolent eſſe frequentiſſimi. Nam & hinc eſt, quòd Fœminis Nephriticis cum Dolore Calculi ſimul cum Vomitibus Paſſiones Hyſtericæ ſatis doloroſæ contingant; Unde tunc dicunt communiter: *Calculum movere Matricem.* Sicut enim in Viris Colicæ Nephriticæ dictæ tunc oriuntur, dum ſcilicet Nervis Renum convulſis, continuatâ criſpatione ad horum uſque principium, Plexus ſcilicet Meſaraicos, vergente, hi convulſi Inteſtina & Stomachum Spaſmo, ratione ſuorum Nervorum ex iſtis Plexibus oriundorum, corripere ſolent; eâdem ratione hæc in Nephritide contingunt per conſenſum, atque aliàs per ſe Hyſterico dicto Affectu contingere ſolent. Talem Dolorem Abdominis lacerantem & contorquentem, frequentem in *Infantibus*, item in *Viris*, Mulieres appoſitè vocant *Epilepſiam in corpore*; Convulſiones ſcilicet quaſi Epilepticas partium Abdominis internarum.
5. Quòd ſi tandem poſt *Tormina*, & manifeſtæ Artuum externorum ſuperveniant Convulſiones Epilepticæ, hinc dicunt: *Malum internum erumpit.* Dum verò ita Inteſtina convelluntur, *Flatus* ab Acido vitioſo effervescente in iis enati, concluſi, & variè agitati, ac tumultuosè oberrantes, iſtos Borborygmos, Murmura, ac ſimiles Sonitus varios, quales in *Paſſione Hypochondriacâ & Hyſtericâ* ſentiunt, repræſentant.

*Acidum* ergò *peccans*, & inde natæ *Convulſiones ſpaſmodicæ* in Abdomine, in ſcrutinio Suffocationis uterinæ combinanda ſunt: vid. Willifius *de Morb. Convulſ. c.* 10. (*D*)

Quod

(*D*) Nota Cyrilli. *Tametſi non negem ſæpenumerò* Affectionem Hyſtericam *in Mulieribus falsò Hyſtericam appellari, ut omninò credam, illam* Hypochondriacam *dicendam eſſe, eo quòd non ab Utero, ſed ab Hypochondriorum viſceribus ortum trahat: non tam enim Viri, quàm ipſæ Mulieres Symptomatibus illis corripi poſſunt, quæ ab affectis Hypochondriis pendent, atque adeò vero Morbo Hypochondriaco affici. Verumtamen minimè crediderim, omnem Mulierum Affectionem Hyſtericam, Hypochondriacâ vocandam eſſe, ut vanum omninò ſit Hyſtericæ Affectionis vocabulum. Etenim quum hujus Morbi Symptomata facilè poſſint ex Utero malè affecto, non ſecus ac ex vitio Hypochondriorum oriri; cur Mulieres, quæ ex malè ſe habente Utero, & ſua munia non adimplente, talibus Symptomatis conflictantur,* Hyſtericæ *non appellandæ erunt, ſed omninò* Hypochondriacæ? *Juxta meam ergò ſententiam, Mulieres illæ, quæ ex affectis Hypochondriis enarrata ab A. Symptomata patiuntur, Hypochondriacæ, quæ verò ex perturbatis Uteri functionibus iiſdem afficiuntur, Hyſtericæ vocandæ erunt.* Duæ igitur Affectiones inter ſe diſtinctæ erunt, Hypochondriaca, & Hyſterica, *ni ratione Symptomatum, ſaltem ratione ſubjecti, quòd ſcilicet in primâ Hypochondriorum viſcera, in ſecundâ Uterus malè ſit affectus. Quod adeò verum eſſe puto, ut exiſtimem hos duos Affectus in eâdem Muliere quandoque complicari & uniri: cùm*

Quod ergò *Modum fiendi* Paſſionis Hyſtericæ attinet: ex hactenus dictis innotuit, complicatiſſimum ſanè Affectum eſſe, qui Paſſio Hyſterica dicitur: compoſitus nempe, (1.) & quaſi materialiter, ex *vitioſâ* in Inteſtinis ab *Acido* præternaturali, vel Stomachi, vel Pancreatico, aliarumque Glandularum Inteſtinalium, cum Succo Bilioſo *Effervescentiâ*; unde *copioſi* admodùm *Flatus* & *Eructationes* proveniunt: & irritationis talis occaſione ſimul Acidum in Plexibus nerveis Meſenterici commovetur, à quibus conſequenter iſti *Sonitus & Borborygmi*, aliaque tam varia & multiplicia Abdominis Symptomata: quo vitioſo Acido ulteriùs promoto, etiam *Sanguinis coagulationes*, in Præcordiis *ſtagnationes*, oriuntur. His ſimul conjungitur (2.) quaſi formaliter depravatus & perturbatus *Spirituum Animalium Motus*, primariò quidem in Nervo Intercoſtali & Vago, hinc conſequenter interdum etiam in reliquis Nervis, in quibus inordinatus ac exploſivus iſte Motus Spirituum Animalium percipitur: unde ſub hujus inchoamento in Cerebro *Vertigines & Scotomiæ*, variaque *Deliria*, & ſub progreſſu *Spaſmi* inſignes in partibus Abdominis membranoſis, Inteſtinis, Meſenterio, & ſimilibus; item ſimul in partibus Thoracis muſculoſis, ipſoque adeò Cordis Muſculo quodammodò convulſo; unde hujus *Palpitatio*, aut ex ejus continuatâ ferè Syſtole iſte compreſſionis in Corde ſenſus.

Quoad *fiendi Ordinem*: Talis eſt inter Symptomata, ex Effervescentiâ ab Acido vitioſo in Inteſtinis natâ; unde ex irritatione ab iſto Acido partium nervoſarum & ſurculorum Nervorum *Spaſmi interni*, hinc conſequenter Capitis perturbatio, & denique Membrorum externorum periculoſæ *Convulſiones* ſuperveniunt, ut v. g. in Irâ, in eſu Dulcium, in Nephritide, in Doloribus Abdominis ſcorbuticis. Interdum verò præcedunt, præſertim in

*cùm ſcilicet & Hypochondria & Uterus peculiari labe ſimul afficiuntur. Interſeram hâc occaſione* Conſilium pro Muliere Hyſterico-hypochondriacâ *olim à Nobis conſcriptum.*

Neapoli 29. Auguſti 1709.

*EA eſt Affectionis Hypochondriacæ atque Hyſtericæ affinitas & ſimilitudo, ut quamplurimi Recentiores Medici eam, quam vulgò* Hyſtericam, ſeu Uterinam paſſionem in Fœminis *dicimus, aliam non eſſe faſſi ſint, quàm quæ* Hypochondriaca in Maribus *appellatur. Verùm, quidquid ſit de hujus hypotheſeos veritate, crediderim ſanè Affectionem, quâ multis ab hinc annis vexatur Nobilis Mulier, miſtam eſſe ex Hyſtericâ & Hypochondriacâ; ita ut non tam Uterus & reliquæ partes generationi dicatæ, quàm Ventriculus & alia viſcera, quibus alimenti digeſtiones, ſecretioneſque demandatæ ſunt, perenni pertinacique dyscraſiâ ſint labefactata.*

*Id oſtendunt evidentiſſimè* Symptomata, *quæ in toto Morbi decurſu obſervata ſunt, quæ non tam Uteri, quàm Hypochondriorum morbo ſunt accenſenda. Miſſas facio Ventriculi anxietates, languores, vomitus, & ſimilia, quæ æquè ex Utero, ac è Ventriculi ipſius atoniâ pendere poſſunt. Sanè* Fluor albus *qui aſſiduò Ægrotantem torquet, potiùs ex univerſi corporis, & Sanguinis præſertim dyſcraſiâ, quàm ex Uteri peculiari labe ortum ducit; nam habitus Corporis ad Cachexiam vergit, nec unquam copioſus effluxus perpetim per vias Uteri factus, à ſolius Uteri malâ diatheſi procedere viſus eſt. Quod confirmatur ex eo, quia in ipsâ floridiori ætate Menſtrua malè colorata, & depravatam Sanguinis diatheſin redolentia effluxere.*

*Nil mirum ergò ſi his malis* Cephalalgia *pertinax, imò veriùs* Cephalea *acceſſerit, exſtimulatis ſcilicet aſſiduò Cerebri meningibus à Sanguinis & reliquorum liquorum illâc præterfluentium vitioſis recrementis. Quemadmodùm nec mirum videri debet, ſi ex antiquo viſcerum Hypochondriorum, & Capitis ipſius vitio, tandem frequentibus* Suffuſionibus *Oculi afficiantur, cum cæcitatis metu: quum enim propaginibus membranarum Cerebri & Nervi Optici, & ipſi Oculorum bulbi circumtegantur, facili negotio poterit illorum labes, à viſceribus imi ventris ipſis impreſſa, Viſionis quoque organis imprimi. Jure merito igitur* Hippocrates 6. Aphoriſm. 56. *Melancholicis morbis, h. e. ab Acido hypochondriaco pendentibus, Capitis affectiones, & Cæcitatem ipſam ſupervenire docuit. Quare huic Morbo validis Medicamentis obviam eundum eſt, ne magis ingraveſcens, Pedum & Ventris tumores, Febrem habitualem, vel Tabem ipſam inducat.*

Remedia *igitur ea erunt adminiſtranda, quæ* Viſcerum *labem emendare,* Fluorem muliebrem *ſiſtere,* Capitis & Oculorum *affectiones compeſcere valeant. Proinde ad Autumnum jam vergente anno,* Stomachicis *Medicamentis præparandus primò eſt Ventriculus, Pulvere ſcilicet Stomachico* Quercetani, *vel quocunque alio extemporè parato, ex Calami aromatici, & Zedoariæ radice, addito tantillo Maceris. Poſtmodùm ex uſu erit Rhabarbarum, vel ad* ʒß. *pluries commanſum, vel in formâ pilulari exhibitum, additis granis aliquot Salis Tartari vitriolati, & Nucis myriſticæ. Hinc tranſitus faciendus ad* Chalybeata *medicamenta, inter quæ minùs fortia ſeligerem, Dulcedinem nempe Martis ex ſucco Acetoſæ ritè confectam, vel Vinum ſimiliter chalybeatum prout Ægrotantis Ventriculus ferre poterit: atque hujus generis Medicamentum ad menſem & ultrà exhibeatur, interpolatâ tamen per vices & intervalla exiguâ Rhabarbari doſi.*

Specifica *denique Medicamenta pro albo Fluore ſiſtendo ex uſu erunt: inter hæc commendo Pulverem Turturis juxta deſcriptionem* Foreſti, *cinerem & oculos Cancrorum fluviatilium, Magiſterium Matris-perlarum, Alkali Suberis, & ſimilia: imò ſi neceſſitas expoſtulaverit, ad Vitriolum Veneris, & Ceruſſam Stibii deveniendum.*

*Nec negligendæ hôc temporis decurſu* Capitis & Oculorum *affectiones: quare adhiberi poterunt decoctiones Cephalicæ ex Stœchade, Salviâ, Roremarino, Betonica & Euphragiâ paratæ, atque ad* ʒiij. *mane vel ſero exhibitæ præmiſſis tribus Pilulis ex Extracto Ligni Viſci querni, Caſtoreo, Sale volatili ſuccini, & Camphorâ paratis. Imò & Oculi ipſi Balneis foveantur ex Salviâ item, Euphragiâ, Verbenâ, Rutâ & Chelidonio compoſitis.*

*His inquam Remediis, atque exactâ* Victûs ratione *ſpero fore, ut tandem aliquando Nobilis Ægrota ad eum ſalutis ſtatum reduci queat, ut tantis anxietatibus & doloribus minimè vexata, poſſit vitæ ſuæ munia commodè obire.*

in Malo Habituali, *Spirituum Animalium impetus* & explosiones inordinatæ ex Cerebro, eorumque agitationes vitiosæ per Nervos; unde *Scotomiæ, varii Colores* ante Oculos apparentes, *Sensus & Motus* deficiens, & similia inchoante Paroxysmo primitùs corripiunt Ægros, & dum ab his inordinatè motis constringuntur & quasi concutiuntur Abdominis Viscera & Ductus, effusâ tandem uberiùs Pancreatis Lymphâ, adeoque commoto sic Acido, & *Abdominis* superveniunt *Symptomata*. Et hoc evenit, quoties ab Irâ, aut Terrore; aut ab Odoratis nimiùm, aut simili causâ externâ, Organa Sensuum afficiente primariò Malum procedit; *Odores* enim fortiter afficiendo commovent Sensuum Organa, & percellunt Spiritus, eosque ad motus inordinatos cogunt, quâ occasione *Pancreas & Porus biliarius* conquassata effundunt suos Succos. Et prout plures vel pauciores afficiuntur Nervorum Surculi, Rami aut Plexus, etiam plurium partium Symptomata & Actiones læsæ conjunctæ sunt: Sic v. g. interdum tantummodò Plexus nervei Lienares, interdum saltem Stomachici, primariò afficiuntur, & tunc Paroxysmi à sinistro Hypochondrio incipientes, non Uteri, sed *Lienis vitio*, oriri dicuntur, ut ut sit unum Pathema. Sed hæc imprimis, quoad adjuncta convulsiva Symptomata, & uberiùs & elegantiùs etiam explicata, videb. in Willisio *de Morb. Convulf. cap.* 10. qui sanè primus est, qui in Historiis & Observationibus Morborũ Convulsivorum in Praxi frequentissimis, eosdem, in specie internos, exactiùs explicavit: Hujus doctrinâ benè observatâ, varii Affectus in Praxi occurrentes faciliùs patebunt. Nam frequentissimi sunt tales Affectus interni, qui optimè per *Convulsionem Nervorum* explicari possunt; sicut ea, quæ ad intelligenda nocumenta *Acidi*, & hinc natam *Effervescentiam præternaturalem*, & vitia Succorum in primis viis, & inde originaliter dependentia Abdominis accidentia, concernunt, quæ primariò in Passione Hystericâ consideranda, videri imprimis possunt *in Scriptis* Sylvii, qui alterationes Humorum *ex Salium doctrinâ*, *Alcali & Acido*, seu *Bile & Lymphâ* explicando, facillimam & Theoriæ & Praxeos rationem satis accuratè superstruxit; Vid. *Ejusdem Disput. de Suffocat. Hypochondriacâ Belg.*

Ex his ergò patet, quòd reverà Passio Hysterica sic dicta Uterina sit saltem *Paroxysmus gravior Mali Hypochondriaci & Scorbuti admodum exacerbati*, oriundi imprimis ex irritante *Acido vitioso*, sive vitio Stomachi, quòd sæpiùs adjunctum est, sive in specie vitio Succi Pancreatici genito, & in Intestina effuso, à quo primariò oriuntur dicta Pathemata, quatenus *Nervi* afficiuntur, affligens potissimùm *Mulieres* & Fœminas, quàm *Mares*: idque ex debiliore, imbecilliore, teneriore, & magis sensili Systematis nervosi, (quod faciliùs commovetur, ac in Spasmum convulsivum cogitur,) texturâ, & Spirituum eorum Animalium subtiliorum majore raritate, & faciliore promptitudine in varias Motuum exorbitantias & ataxias: vid. Willisius *l. a.* vel saltem, quibus non placet Affectio Hypochondriaca, est certa species *Colicæ Convulsivæ* gravioris. Nam hæc, dum scilicet *Intestinorum Spasmi*, ex irritante Acido in Plexus Mesenterii continuati, ad alias superiores partes ex connexione & crebriore concursu Nervi Vagi & Nervi Intercostalis evibrantur, etiam *Angustiæ*, *difficilis Respiratio*, & similia urgent: id quod ex Anatome Nervorum, quæ hîc exactè debet esse cognita, perspiciendum. Hinc *Virorum vera Colica*, & *Mulierum vera Passio Hysterica*, à quibusdam ex vulgo pro iisdem habentur.

*Odorum vis* Spiritus Animales promptè afficit, eosque ad varios distinctos & enormes motus subinde disponit: Et prout variè constituti sunt ipsi Spiritus Animales, variatque intrinseca eorum specialis differentia, hinc Idiosyncrasiæ, eatenus etiam distincti Odores in distinctas motuum anomalias eos adigunt. Unde etiam *Literati*, quorum Spiritus Animales magis sunt volatiles, rarò possunt ferre Odores fortes, quin patiantur aut Cephalalgiam, aut angustiam quandam circa Præcordia. Unde Mulieres etiam ab Odoriferis istis tam facilè alterantur, & in iisdem Suffocatio Hysterica resuscitatur. Observandum tamen, quòd Odorifera seu Effluvia ista volatilia subtilia non tantùm afficiant Spiritus Animales in Naribus, sed etiam circa ipsas partes Genitales, dum nempe Effluvia odorata promptè Spiritus istius loci afficiunt, & hos ita alterando eosdem ad determinatum, nimisque erroneum, seu convulsivum motum disponunt: Id quod ex eo patet, quòd augeatur utrique Sexui Venerea voluptas, si Zibetho, Balsamo Apoplectico, vel similibus Odoratis volatilibus inungatur Membrum: Conf. Willisius *l. a.* Præterea tamen & Odores tam Naribus applicati vel hausti, quàm *cum Aëre attracti*, prout variè alterant Massam Sanguineam in Pulmonibus fermentando æstuantem, & Spiritus Animales, similiter non parùm contribuunt ad levanda aut exasperanda Hysterica Symptomata, quæ ex Massæ Sanguineæ motu, & ejusdem impedito trajectu per Pulmones, oriuntur. Nam hinc *Fumus* Cornuum aut Pennarum accensarum, Perdicum imprimis, item Castorei olfactus, & similia, angustias Præcordiorum lenire, & amplius quasi in Thorace spatium efficere asserunt Ægræ, quatenus Sal volatile istorum subjectorum incensione sui juris factum, cùm Aëre inspirato interiùs attractum Sanguinem dissolvit, *Acidumque* ejus absorbet, sicque diuturniorem in Pulmonibus moram & stagnationem tollit, & liberiorem circulum ipsi ferè reddit.

Ex dictis hactenus patet: *paroxysmatim ingruere Passionem Hystericam*, unde sub hoc respectu nunc *Accidentale*, nunc *Habituale* Malum esse, observatur. *Habituali* in Malo uti plures possunt esse Causæ, à quibus excitatur Paroxysmus; ita etiam variis in partibus internis potest delitescere Fomes seu Causa Occasionalis quæcunque, cujus commotæ occasione propter irritationem hinc inde factam Paroxysmus Hystericus provocari potest: ut v. g. quando Tackius *in Chrysogon. pag.* 93. notat Uteri Suffocationem ferè lethalem ex deglutitione frusti integri pellis Lardi cocti: Sic in tali respectu non semper eximendæ sunt *Partes Genitales* in Mulieribus, quia interdum habent rationem Fomitis morbosi, non quidem, quasi *Uterus* aut *Testes* soli cum vulgo accusandi sint, aut quòd Uteri perversus motus talia Symptomata inferat; non: sed vel primo modo, quatenus Menses suppressi, & inde coacervatum *Fermentum vitiosum*, occasionem præbent, uti variis aliis Affectibus totius Corporis, ita & huic complicato Proteo, uti superiùs monitum, vel eveniendo, vel postmodùm exasperando: aut secundo modo, quatenus *Liquor Genitalis* retentus & corruptus, & specificè acrior factus, uti partes nerveas irritando, ita & Succos Corporis quoscunque inquinando, in specie Spiritus Animales vitiando & pervertendo, hos ad varias motuum anomalias disponit, & varia Symptomata infert, & ita sicut Epilepticos Paroxysmos, ita & Hystericos Affectus inducit: verbi gratiâ quoad prius, Poterius *Centur.* 3. *Curat.* 50. habet rarum Exemplum Uterinorum Affectuum ex Suppressione Mensium curatorum his

his apertis. Quod verò ex *Liquore Genitali* retento ſuperveniant talia Symptomata, patet ex Obſervationibus: Refert namque Foreſtus *lib.* 28. *Obſervat.* 25. & 26. ſe obſervaſſe Suffocationem Uterinam in Viduâ ex retentione excernendorum per Coitum, & ex vellicatione Pudendorum curatam: item *capit.* 1. *Obſerv.* 29. lethalem Uteri Suffocationem annotavit in Muliere ex Semine, ut inquit, retento ortam: in ſpecie Zacutus Luſitanus *lib.* 2. *Prax. Admir. Obſervat.* 85. quorſum etiam facit exemplum Fonſecæ *libr.* 2. *Conſil.* 33. qui obſervavit Suffocationem Hyſtericam in Virgine, quæ ſemper, antequàm Paroxyſmus incederet, inexplicabili coëundi libidine tenebatur: præ cæteris elegans eſt Hiſtoriola, quam recenſet Gabelchoverus *Centur.* 4. *Curat.* 95. *in Schol.* ubi Mulier Hyſterica fuit exſuſcitata fricatione forti partium genitalium cum *Oleo Spicæ*, unde copioſus Liquor Seminalis fuit excretus; Verba Hiſtoriæ ſunt hæc: *Ego aliquando unà cum alio Medico vocatus eram ad nobilem quandam Mulierem, quæ vehementiſſimos dolores & tormenta ex Utero ſuſtinebat. Nos variis utebamur rationibus, Clyſteribus & aliis, quæ cùm nihil prodeſſent, ego abii: alter Medicus remanſerat tanquam propior. Is Sorori hujus nobilis, quæ etiam erat maritata, ſuadebat, ut digitos Oleo Spicæ inungeret, & ſinum muliebrem fricaret. Quod cùm illa facere nollet, ipſe Medicus aggreſſus eſt, & cum digitis inunctis Oleo dictum locum fricavit, unde illa maximam copiam craſſi Seminis excrevit. Maritus ipſius erat paralyticus ex Colicâ illamque juvare non poterat. Mortuus autem fuit ipſe brevi pòſt ſuperveniente Epilepſiâ: Mulier autem longo poſt tempore vixit, & alteri viro nupſit, &c.* Confirmat denique hoc, quòd nempe modò dictæ Alterationes circa partes genitales aliquid conferant interdum, quòd videamus Mulieres quaſdam, dum Virgines ſunt, nihil perpeti de hoc Malo, aut Odoribus; Uxoratæ, vel Maritatæ poſtquàm fuerint, aut Gravidæ redditæ, huic Malo inſigniter obnoxiæ deprehenduntur, quatenus in Maritatis per Spiritum Genitalem virilem, & in Gravidis per retenta Menſtrua, Succorum varietates, & alterationes, & conſequenter diverſæ Spirituum Animalium immutationes, oriri ſolent. Sed hæc ſaltem interdum obſervantur, adeòque reſpectu Paſſionis Hyſtericæ ſaltem Cauſæ cujuſdam ſpecialis Remotæ, non verò Proximæ, locum habent.

## DIAGNOSIS.

Quod attinet *Signa* hujus Mali *Diagnoſtica*: Suffocatio Uterina ceu Affectus complicatiſſimum Pathognomonicum Signum vix habet; cognoſci tamen facilè poteſt ex iis Symptomatis, quæ in Hiſtoriâ hujus Affectûs ſupra propoſitâ fuerunt recenſita, &, ut alias monui, interdum *Suffocatio Uterina*, interdum *Epilepſia Uterina* vocatur.

*Suffocatio* tamen *Uterina ab Epilepſiâ verâ differt Parte affectâ*, quòd nempe in Epilepſiâ affectæ ſint partes externæ; in Suffocatione Uterinâ internæ. In Epilepſiâ verâ ſolet deprehendi Spuma circa Os; id quod non æquè, aut nonniſi in deſperatâ ferè Suffocatione Uterinâ contingit.

Prætereà in Epilepticis *Pulſus* cum valido niſu ferit manum tangentis, cujus contrarium evenit in Suffocatione Uterinâ.

Et Epilepticæ veræ (nempè in ſecundâ vel tertiâ claſſe) poſt Paroxyſmum vix reminiſcuntur eorum, quæ circa ipſas dicta geſtave fuerunt; Hyſtericæ verò non rarò iſtarum rerum firmam habent memoriam.

*A Syncope differt*: quòd ex improviſo magis invadat; Paſſio verò hyſterica per dicta ſimiliaque ingruentia Signa ſe prodat: in Syncope Pallor Faciei eſt major; in Hyſtericâ verò Paſſione minor, imò ut plurimùm Rubedo: vid. Riverius *l.* 15. *cap.* 6. Sudores in Syncope ſunt frigidi, nunquam autem in Affectibus Hyſtericis. Syncope brevior fit, ſive ad ſalutem, ſive ad mortem terminetur; Hyſterica verò Paſſio ad horas & dies durat; ut ut interdum Syncope cum Paſſione Hyſtericâ ſit conjuncta, aut illa huic ſuperveniat, quando nempe ab hujus pertinaciâ vires nimis enervantur. In Syncope Pulſus ceſſat, in Paſſione autem Hyſtericâ ſemper percipitur, ut ut debilis ſit: imò ab Odoribus gratis Syncope ſedatur; Hyſterica verò Paſſio ut plurimùm exaſperatur.

Ab *Apoplexiâ differt*, quòd Antecedentia fuerint alia, ac in Apoplexiâ, niſi Suffocatio Uterina confirmata ſit; non ſemper Pulſus, & Reſpiratio abolentur, ſed ſatis vegeta ſunt. Interdum ubi gravior eſt Paroxyſmus mortuæ apparent.

Signa quibus *à verè mortuis* diſcerni poſſunt, ſunt vulgò Specula, & Plumæ. Optimum eſt Sternutatorium, ſi nempe forte in Nares inſufflatum nihil operari velit: Item ſi Vomitorium generoſum infuſum citra effectum deprehendatur, tunc eſt ſuſpicio, eſſe mortuam. Aliàs, & D. Prævotius *Patavinus*, (quod obiter moneo) nullum Remedium efficacius obſervavit, quam Veſicantia Coxis applicata: Ubi Veſicas excitant, ſpes eſt clara de Vitâ; ſi fruſtrà applicentur res eſt deſperata.

*A Colicâ, Malo Hypochondriaco, Scorbutico, &c.* non differt realiter, ſed ſaltem variatione Symptomatum.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: Malum hoc *rarò eſt lethale*; niſi ſuperveniat gravior Syncope, aut graviores Convulſiones, ut ut ſubinde redeat, & graviores Paroxyſmos Mulieribus inferat: quò gravior eſt Paroxyſmus, eò periculoſius eſt.

Interdum ſi non *maturè occurratur*, poteſt Mulierem, in ſpecie Gravidam, necare.

Interim, quò plures partes in conſenſum trahuntur, adeòque graviora *Symptomata* excitantur, & quò Reſpiratio, & Pulſus magis aboletur, & Lipothymia accedit, eò Malum eſt periculoſius: Vid. Foreſtus *lib.* 28. *Obſerv.* 29. & Platerus *Obſ. pag.* 187.

Periculoſior interim eſt, ſi ex Liquoris Genitalis retentione, & corruptione, quàm aliunde oriatur: Vid. Gabelchoverus *Cent.* 4. *Obſ.* 95. *in Schol.* & Foreſtus *loc. alleg. in Schol.*

Mulieri graviore Suffocatione Uterinâ laboranti ſi ſuperveniat *Sternutatio*, res ſalva eſt, juxta Hippocratem *lib.* 5. *Aphoriſm.* 35. Signum enim eſt, ut ſic dicam, Naturæ ſe ipſam reſuſcitantis.

In *Juvenibus*, ut plurimùm ceſſat hoc Malum in Partu, aut ſaltem tempori Puerperii cum Lochiorum fluxu; In *Senibus* verò, quibus Catamenia ſunt ſuppreſſa, in iiſdem rarò perfectè curatur, quin ſæpiùs recurrat.

Præ cæteris *Prægnantes*, & hinc *Puerperæ*, periculoſiùs laborant hoc Affectu: Prægnantes quidem propter metum Abortus; Puerperæ verò propter metum Suppreſſionis Lochiorum, ac propter inſignem debilitatem virium, aliaque gravia, quæ jungi ferè ſolent, Symptomata.

Interim tamen, ut ut Pulſus, Reſpiratio, omneſque Actiones animales quoad ſenſum ceſſant, non ſtatim deſperandum eſt, quin potiùs generoſis Remediis ſuccurrendum, cùm mortuorum inſtar jacent, & uti ſuperiùs monui per 24. horas mortuæ habitæ denuò revixerint, adeòque non

ſtatim ſunt ſepeliendæ : Sic de Hyſtericis pro mortuis habitis jam ſepeliendis, vid. Salmuth *Cent. 2. Hiſt. 86. & Hiſt. 87.* Quô etiam pertinet *inchoata Anatome Mulieris*, ex Uteri Strangulatu mortuæ putatæ, quam refert Paræus *lib. 23. c. 46.* & ex eo Sennertus *lib. 4. Prax. de Suffocat. Uteri pag. 239.* Vid. etiam Foreſtus *l. 4. Obſ. 27.* & *29.* & Loſſius *l. 4. Obſ. 13.*

Optimum τεκμήριον ſunt *Sternutatoria fortiora*, quæ Naribus inflata, ſi Sternutationem excitent, bonum Signum eſt ; ſi non, & repetitis etiam vicibus citra effectum inſpirentur, malum eſt Signum.

## CURA.

Quoad *Curam* : Cum per Paroxyſmos ut plurimùm ſæviat Malum, hi ipſi verò ſubitaneam poſtulent opem, ob id *duplex Tempus eſt* in Paſſione Hyſtericâ diſtinguendum : nempe *Tempus Paroxyſmi*, *& extra Paroxyſmum. In Paroxyſmo* eô eſt attendendum, ut

1. *Acidum vitioſum* corrigatur, & alteretur, indeque *Flatuum* proventus nimius inhibeatur.
2. Ut *Convulſiones*, *& Spaſmi*, ſiſtendo efferos *Spirituum motus*, ſopiantur, & placentur.

Adeòque in Paroxyſmo utrique *Scopo*, ſpeciatim *priori*, optimè ſatisfaciunt *Salia volatilia ſpirituoſa*, nunc macra, nunc oleoſa : pro *poſteriore Scopo Opiatis*, *& Camphoratis* in quibuſdam miſta ; Nam omnes non ferunt Camphoram.

*Extra Paroxyſmum* verò ſucceſſivè *Alterantibus*, inter quæ primatum obtinent *Martialia*, *Evacuantibus*, & ſimilibus, radix Mali tollenda, & quantum poſſibile evellenda.

Quod attinet *Curam in Paroxyſmo*, uſurpantur tam *Interna*, quàm *Externa*.

Inter *Externa* eminent

1. *Odorata*, tam Naribus applicanda ; ut plurimùm Graveolentia, aut ſaltem fortiter penetrantia, quàm Sinui Muliebri intrudenda, ut plurimùm Suaveolentia eaque nunc ſub formâ *Spirituum*, aut *Salium volatilium* urinoſorum, nunc ſub formâ *Suffitûs*, nunc *Oleorum* : vid. Tachenius *Clave Hipp. Med. paginâ 224. & ſeq.* Pertinent huc *Sternutatoria* in graviore Paroxyſmo uſitata.
2. *Umbilico* inungenda, aut *Abdomini* applicanda.
3. *Clyſmata* appropriata injicienda ad referendam Alvum.

I. Quod attinet : Mulieribus Hyſtericis mox *Odores fortes*, *& graveolentes*, pro ratione Ægræ, admovendi ſunt Naribus. Omnibus præfero *Salia volatilia* fortiter penetrantia Naribus admota, v. g. Spiritum Salis Ammoniaci acriorem Naribus admotum, in Vitro anguſti, ſed longiuſculi, colli contentum, qui optimum eſt Remedium, & etiam in Apoplexiâ, & Epilepſiâ mira facit. Loco hujus etiam Spiritus Cornu Cervi, vel alius Spiritus urinoſus volatilis, Naribus applicari poteſt. Hic Spiritus ſi ſit maritatus, ac impræg-natus cum Caſtoreo, eò magis præſentaneam affert opem. In uſu aliàs communi eſt *Caſtoreum*, item *Aſa fœtida*, Naribus admota. Ubi gravior Syncope urget, Caſtoreum immittitur in Vinum generoſum, & ſpirituoſum, & ita Naribus applicatur ; nam ſic refectivum, magiſque penetrativum evadit Remedium. Radix Leviſtici in Vino macerata applicatur Naribus.

Vel

℞. *Aquæ Hyſter. Lud.* ℥ij.
*Eſſent. Caſtor. vol.* ʒij.
*Aceti Rutac.* ʒj. vel ʒiß.
M. S.

Mulierum Aqua Apoplectica.

Naribus etiam commodè admoventur *Suffitus* : Quos inter primatum obtinet Suffitus Succini, qui & Epilepticos mirè ſuſcitat : item Suffitus Nucis Moſchatæ carbonibus injectæ : hinc Plumæ, & Pennæ Avium, imprimis *Perdicum* combuſtæ, vid. Foreſtus *lib. 1. Obſerv. 32. in Schol.*) : Pili item, & Cornua Animalium combuſta, quorum Sal volatile acre oleoſum Nares potenter ferit. Lignum Agallochum incenſum etiam dat egregium Fumum Naribus admovendum in Hyſtericis. Joel *in Praxi pag. 200.*

℞. *Caſtor.*
*Galban. cum Aceto ſol.* an. ʒij.
*Sulphuris citrini* ℥ß.
*Aſæ fœtidæ* ʒj.
M. f. Maſſa cum *Petroleo* ;

ex quo Fumum ad Nares emittit.

Riverius dicit, quòd *Fumus Tabaci* citiſſimè excitet Hyſtericas, quod tamen mihi adhùc videtur paradoxon ; non minùs, quàm qui *Fumum Sulphuris* accenſi Naribus admovent ; Nam hoc ipſum omninò rejicio, quia rariſſimè conducere ſolet, & periculum eſt, ne acidum Sulphuris flagma, quod aliàs in Sanis anguſtias præcordiorum, & difficultatem anhelitûs infert, ne idem in Ægris Malum exaſperet. Verùm habeatur ratio *Idioſyncraſiæ* ; quibuſdam enim magis placent Suaveolentia ; vid. Horſtius & Hoechſtedterus *loc. alleg.* Interim obſervandum, quòd Mulieres, quas lædunt Suaveolentia Naribus admota, non lædant interiùs aſſumpta, ut Moſchus, item Zibethum cum Caſtoreo, modò Mulieres non percipiant Odorem : vid. Horſtius *lib. 5. Obſervat. 26.* Solenander *ſect. 5. Conſ. 15.* cujus Remedium ſequens etiam laudat Riverius.

℞. *Moſchi*,
*Sangu. Dracon.* an. ʒj.

Sumendo *in Aquæ Menthæ* ℥iij.

& Horatius Augenius *lib. 1. Epiſt.*, qui utitur *Pulvere ſuprà deſcripto* ex Moſcho, Cinnamomo, Caryophyllis, & Nuce Moſchatâ.

Juxta dictos Suffitus Naribus admotos etiam interdum *Utero*, imprimis *Genitalibus*, quædam admoventur : quæ ſunt Balſamum Apoplecticum, (vid. Simon Pauli *Q. B. pag. 201.*) Allium diſſectum orificio Vulvæ admotum. Vel fiat *Suffitus*, per Tubum, aut Infundibulum ad Uterum mittendus, quos inter eminet Experimentum Paracelſi, quod eſt Suffitus paratus ex Verrucis Equorum, de quo etiam affirmat Fonſeca, nullam eſſe ab Utero Suffocationem, quæ ab hoc Fumo non ſiſtatur. Compoſitio eſt hæc :

℞. *Verruc. Equor.* ℥j.
*Aſæ fœtid.* ʒij.
*Ungu. Capræ* ʒij.
M. f. *Pulvis* : cujus ℈j. vel ʒj. carbonibus injecta

pro Suffitu, per Tubum, vel Infundibulum in Uterum ſuſcipiendo inſerviat.

*Oleoſa* etiam, ut Oleum Succini deſtillatum, Oleum Gagatis, Oleum Tartari fœtidum, Oleum Cornu Cervi deſtillatum, & ſimilia Naribus admota, valdè conducunt. Obſervandum tamen, quòd hujuſmodi Oleoſa nimis fortia (nam Salinorum alia ratio eſt) cautiùs ſint uſurpanda, ubi in apertas Convulſiones Epilepticas Malum deſinit.

Quæ ſi non deficiant, ſed Ægræ mortuæ ferè jaceant, ad excitandas, & refocillandas Ægras inſpiretur Naribus *Sternutatorium*, quæ aliàs egregii ſunt uſûs, ex Nicotianâ, aut Radice Hellebori nigri,

aut

aut per Radicem, & Flores Liliorum convallium & Majoranæ Folia: v. g.

℞. *Caſtor.* ℈j.
*Piperis longi* ℈ß. vel gr. xv.
*Rad. Helleb. albi* ℈ß.
*Pyrethri* gr. v. vel vj.
M. f. *Pulv. Sternutatorius.*
D. S.

Reſuſcitans Pulvis Sternutatorius.

Cujus tantillum ſubinde per Calamum Ægræ Naribus inſuffletur, ſed cautè.

Cum his II. ſimul conſultum eſt, Abdominis regioni, nempè umbilicali, & ſcrobiculo Cordis *Aromatica* illinere, aut imponere, quæ Spaſmum Inteſtinorum cohibent. Ratione Inunctionis inungitur Oleum Rutaceum, Anethinum, Laurinum, Caſtorei, Succini, Oleum Tartari fœtidum, Oleum Ligni Guajaci, Spicæ, &c. Unguentum factum ex Sclareâ, in Butyro coctâ, miſtum cum Tacamahacâ Abdomini illinitur, quod penetrantius erit, ſi imprægnetur ſimul Camphorâ in Oleo Amygdalarum dulcium ſolutâ. Mirè enim per ſe à quibuſdam laudatur Camphora, itidem cum Oleo Amygdalarum dulcium ſoluta, Umbilico admota. Inter alia eminet *Galbanetum Paracelſi.*

Vel

℞. *Olei Caſtor.* ℥ij.
*deſtillat. Succini* ℥j.
*Spicæ* ℥ß.
Cum *Camph.* vel *hujus Ol.* gr. vel gutt. v.
M. S.

Oleum Matricale externum.

Inungatur his ipſis regio Umbilicalis, & ſcrobiculus Cordis, & imponatur deſuper Emplaſtrum.

Vel

℞. *Axung. Caſtor.* ℥iij.
*Olei deſtillat. Chamom.*
*Cumini*,
*Carvi* an. ℈i.
*Spicæ* ℥ß.
M. f. Linimentum Umbilicale. S.

Linimentum Matricale.

Quod tepidè illinatur dictis locis, imponatur deſuper *Later calefactus.*

Mihi ſaltem in uſu eſt *Oleum deſtillatum Succini*, mixtum cum ana, vel dimidio *Olei deſtillati Spicæ*, illinendo Spinæ Dorſi, regioni Umbilicali, & ſcrobiculo Cordis, vel quando ſunt acriora, excipiantur *cum Oleo Caſtorei, Vino*, vel *corpore pro Balſamo.*

Vel

℞. *Olei deſtill. Succini,*
*Spicæ* an. ℥ß.
*Cumini* ℈ß.
*Macis* gutt. ix.
M. S.

Oleum Matricale externum.

Vel

℞. *Balſam. Succin.* ℥j.
*Ol. deſtillat. Galbani* ℈ß.
M. S.

Balſamus Matricalis.

Vel

℞. *Olei Laurini,*
*Rutac.* an. ℥ij.
*deſtillat. Chamom.*
*Succini*,
*Spicæ*,
*Anethi* an. ℈j.
M. pro Linimento. S.

Unguentum Matricale.

Vel

℞. *Olei Aneth.*
*Chamom.* an. ℥ij.
*deſtillat. Chamom.*
*Aniſi*,
*Carvi*,
*Cumini* an. ℈j.
Cum ſ. q. *corp. pro Balſamo.*
M. S.

Balſamus Matricalis.

Conſultum eſt, ut his Linimentis deſuper imponantur *Emplaſtra*, idque in ſpecie ex *Galbano.* Uſitatiſſimè Galbanum ſolutum Corio rotundo inductum, inſtar Emplaſtri applicatur regioni Umbilicali, quod egregiè conducit. Addunt alii Tacamahacam, alii Caſtoreum, Picem, &c. In medio hujus Emplaſtri recondunt aliquot grana *Zibethi*, ita ut Zibethum exactè Umbilico imponatur, & hinc forti ligaturâ ſupra Umbilicum firmetur; Zibethum enim Umbilico illitum Suffocationes Hyſtericas inſigniter alleviat, modò non nares nimiùm feriat: v. g. *Emplaſtrum Matricale de Galbano uſitatum* q. ſ. vel ſolum, vel cum part. j. *Galbani in Aceto ſoluti*, malaxetur cum ſ. q. *Olei Tartari fœtid.* vel *cum Oleo Succini*, vel *Caſtorei*, vel *Spicæ*: inducatur ſuper Linteum in formâ rotundâ.

Vel

℞. *Galbani cum Aceto ſol.* q. ſ.
Malaxetur cum part. iij. *Olei deſtillat. Succini*, & part. j. *Spicæ*,
Extende ſuper *Alutam*, & impone regioni Umbilicali.

Plura Emplaſtra de Galbano huc ſpectantia, vid. *ſuprà l.* 1. ubi *de Colicâ Convulſivâ*, & in *Ideâ Form. Cl.* 5. *§.* 5. Vel ad imitationem Hertodtii *in Crocol. pag.* 222. f. *Emplaſtrum Magiſtrale* tale:

℞. *Galbani in Aceto*, vel *Vino ſolut.* & ad Pultis conſiſtent. inſpiſſati, vel quod melius, ſimpliciter lento igne in *Terebinth.* liquat. ℥iij.
*Extract. Caſtor.* vel *Caſtor. pulveriſ.*
*Croci* an. ℥ij. vel ℥ß.
*Olei deſtillat. Succini,*
*Coriandri*,
*Spicæ* an. ℥iß. vel ℥ij.
M. pro Emplaſtro efficaciſſimo ad uſum aſſervando in Vaſculo clauſo.
D. S.

Emplaſtrum Matricale.

De hoc ſ. q. induc ſuper Alutam in formâ rotundâ, & ita imponatur Abdomini, & regioni Umbilicali, ut firmiter conglutinetur, factô priùs debitô Litu, imponendo deſuper *Laterem calefactum*, ut eò meliùs operetur Remedium. Quibus diſplicet agglutinatio, in iis mediante *Sindone rubrâ*, Emplaſtro obductâ, applicari poteſt.

Vel

℞. *Tacamahacæ* ſ. q.
Subigatur, & malaxetur cum ſ. q. *Olei deſtillati Aniſi, Carvi, Cumini, Chamomillæ, &c.*
Induc ſuper Alutam pro Emplaſtro Carminativo.
D. S. ut ſuprà.

Prodeſt etiam *Allium* contuſum, & Umbilico impoſitum. Juxta hæc fortis *Ligatura* circa Hypochondria cum quocunque Cingulo ut plurimùm multùm conducit ad levandum Paroxyſmum, & Symptomata Abdominis: *idque neceſſariò debet fieri*; nam ſimul atque laxant, mox Præcordiorum anguſtias, imminentem quaſi Syncopen, aut imminentem Suffocationem, ſentiunt. In ſpecie laudatur *Cingulum* factum ex *Corio Humano* fœmineo, de cujus uſu vid. Bartholinus *Centuria* 3. *Hiſtor. Anatom. pag.* 177. Loco Corii Humani fœminini etiam ſunt, qui commendant Cingulũ ex Corio

Cervi

Cervi in coitu transfossi, seu interempti. Neque inconsulta est vellicatio Pilorum Pubis à multis ceu expertum Remedium laudata, qua facilè ad se redeunt; aut Suaveolentium Genitalibus circa Clitoridem applicatio, imprimis si adsit turgescentia Liquoris Genitalis: Scilicet immittitur Pessus inunctus cum Balsamo Peruviano, aut Pessus inunctus cum Oleo Nucis Moschatæ, in quo solutum est parum Zibethi; aut illinantur Vulvæ in loco Clitoridis Balsamum Apoplecticum, Zibethum, Moschus:

Vel

℞. *Styrac. liquid.* ℈ß.
*Balsam. Apopl.* gr. vj.
*Zibethi* gr. iij.

Ex quibus facta Mixtura illinatur *Lanæ bombycinæ*, & ita indatur Pudendis: Sed fit rarò.

Vel celebretur *Coitus*, si licitus; vid. Forestus *Observ.* 25. & 29. *in Schol.*

Una cum his Externis ita administratis III. perquam necessaria sunt *Clysmata*, quæ optimo cum successu sedulò injiciuntur, ex *Carminantibus* imprimis, *Aromaticis*, & nonnihil penetrantibus parata: quibus interdum *Salia volatilia* addi possunt. Hæc tempore certo applicata, & retenta, evacuando Intestina, & promovendo *Flatuum* expulsionem, mirè levant Paroxysmos. Talium Clysterum Formulæ videndæ *suprà l.* 1. *ubi De Cardialgiâ, & Colicâ, & in Colleg. Formular.* nec non in *Ideâ Formular. Cl.* 4. *§.* 25.

Vel

℞. *Herb. Chamomill. cum Flor.*
*Salv.*
*Matricar.* an. M. i.
*Rad. Angel.*
*Levist.* an. ℥vj.
*Sem.* 4. *Calid. min.*
*Sal. Tartari* an. ℥i.
Coqu. in s. q. *Aquæ simpl.*
Colaturæ ℥ix. adde
*Elect. de Baccis Lauri* ℥i.
*Ol. destillat. Succini*,
*Sal. vol. Cornu Cervi*, vel *Urinæ*, vel *alius* an. ℈i.
*Vitelli Ovi* num. i.
M. f. *Enema*: S.
Clyster Matricalis.

Vel

℞. *Herb. Matricar.*
*Levist.* an. M. i.
*Flor. Chamom. Rom.* M. ii.
*Rad. Angel* ℥vi.
*Fœnic.*
*Bacc. Lauri* an. ℥ß.
*Sal. Tartari* ℥i.
Coq. in s. q. *Aquæ*:
Colaturæ ℥ix. adde
*Elect. Hier. picræ* ℥i.
*Castor.* ℈ß. ad ʒi.
*Olei destill. Succini* ℈i. ad ℈ß.
M. pro *Clysmate.*
D. S. ut antè.

Vel

℞. *Rad. Angel.* ℥vj.
*Herb. Matricar.* M. ii.
*Flor. Chamom.* M. i.
*Bacc. Lauri* ℥vj.
*Sal. Tartari* ℥ß. vel ℥ij.
Coqu. in s. q. *Aquæ*:
Colat. ℥ix. adde
*Elect. de Bacc. Lauri* ℥vi. ad ℥iß.
*Castor.* ℈ß. ad ʒi.
*Olei destill. Cumini*,
*Carvi*,
*Succini* an. ℈ß.
(vel horum loco *Olei destillat. Bacc. Junip. & Terebinth.* an. ℈i.)
M. pro Clysmate pro 2. vicibus applicando:
D. S.
Clyster Matricalis pro 2. vicibus.
℞. *Rad. Angel.* ℥vi.
*Fœnic.* ℥ß.
*Flor. Cham. Rom.* M. i. vel *vulg.* M. ij.
*Herb. Matricar.*
*Levist.* an. M. i.
*Bacc. Lauri* ℥ß.
*Sem.* 4. *Calid. maj.* an. ℥i.
Coq. in s. q. *Aquæ comm.* & *Urinæ com.* an.
Colat. ℥ix. vel ℔ß. adde *jam dicta*:
D. S.
Clyster Matricalis.

Vel

℞. *Rad. Angel.* ℥vj.
*Fœnic.* vel *Imperat.* ℥ß.
*Herb. Matricar.*
*Levist.*
*Flor. Chamom.* an. M. i.
*Bacc. Lauri* ℥vj.
*Sal. Tartari* ℥ß ad ℥ij.
Coq. in s. q. *Aquæ simpl.*
Colaturæ ℥ix. adde *superiùs dicta*:
M. pro *Clysmate.*
D. S. ut antè.

Quibus loco *Oleorum* destillatorum, ex se quidem satis penetrantium, à Modernis *Salia volatilia* commodè addi solent a ℈i. ad ʒß. v. g. Sal. volat. Urinæ, Cornu Cervi, Succini, &c. & mirè prosunt in Affectibus etiam Epilepticis, & Abdominis Doloribus convulsivis, ut ut ultra Colon ascendere nequeant Clysmata.

Vel

℞. *Herb. Calaminth.*
*Origani*,
*Flor. Chamom.* an. M. i.
*Rad. Angel.* ℥i.
*Imperat.* ℥ß.
*Bacc. Juniperi* ℥vj.
*Sem. Carvi*,
*Cumini* an. ℥ii.
*Sal. Tartari* ℥iß.
Coq. in s. q. *Aquæ*:
Colat. ℥x. adde
*Elect. de Bacc. lauri*,
*Hieræ cum Agar.* an. ℥ß.
*Spir. Sal. Ammoniaci anis.* ʒß.
M. pro Enemate.
D. S. ut supra.

Vel

℞. *Herb. Matricar.*
*Salviæ*,
*Flor. Chamom.* an. M. j.
*Rad. Angel.* ℥i.
*Bacc. Lauri* vel *Junip.* ʒvi.
Coqu. in s. q. Aquæ:
Colat. ℥x. adde
*Elect. Hieræ cum Agar.* ℥ß.
*Castor.* ℈ j.
*Spiritûs Cornu Cervi cum Sale vol.* ʒj.
M. pro Enemate.
D. S. ut supra.

Vel

℞. *Herb. Rut.* M. i.
*Matricar.*
*Flor. Chamom.* an. M. ß.
*Rad. Levist.* ℥i.
*Bacc. Lauri* ℥ß.

Coq.

Coq. in ſ. q. *Aquæ ſimpl.*
Colat. ℥ ix. adde
*Elect. Hier. picr. cum Agar.* ʒvj.
*Caſtor.* ʒß.
*Sal. volat. Cornu Cervi* vel *Urinæ* ℈i.
*Vitell. Ovi* Num. i.
M. pro Clyſmate, ſimplici, vel duplici vice applicando.
D. S. ut ſuprà.
Vel
℞. *Herb. Matricar.*
*Rutæ*,
*Chamom. cum Flor.* an. M. i.
*Rad. Meu*,
*Imperat.* an. ʒvj.
*Bacc. Juniperi rec.* ℥i.
Cum ſ. q. Aquæ coquantur.
Colat. ℥x. adde
*Elect. de Bacc. Lauri* ʒvj.
*Spiritûs Salis Ammoniaci anisati* ʒiß.
M. f. Enema.
D. S. ut ſuprà.

Pro majori ſtimulo Clyſteribus dictis addi poteſt ʒi. ad ʒiß. *Syrupi Emetici.*

Alii tanquam ſingulare laudant *Clyſmata* parata ex *Decocto Hederæ terreſtris* ad ℔ß. & ℥i. *Mithridat.* quæ injecta ad Suffocationem Uterinam commendant. Egregiè etiam conferunt *Clyſmata Terebinthinata* (de quibus *lib. 4. ubi de Dyſenteriâ, Colicâ, Calculo Renum, & Scorbuto*); ſeu in quibus Terebinthina cum Vitello Ovi diſſoluta, à ʒij. ad ℥ß. unà immittitur, ſingulariter proſunt in Uterinâ Suffocatione: Vid. Horſtius *Centuriâ 8. Obſ.* 17. item Velſchius *Hecatoſt. 2. pag.* 42. Williſius *de Animâ Brutor. ubi de Colicâ, pag.* 293. Nam egregium & balſamicum, & oleoſum eſt Sal in Terebinthinâ, Inteſtinis, & Matrici gratiſſimum: e. g.

℞. *Lact. Bubul.* vel *Decoct. Flor. Chamom. cum Lact.* vel *Decoct. Carminat.*
vel *Urin. Puer.* ℥viij. ad ℔i.
adde
*Terebinth. Venetæ cum Vitello Ovi ſolut.* ʒij. vel ʒiij. ad ℥ß.
*Mell. Anthoſat.* ʒvj.
M. pro Clyſmate.
D. S. ut ſuprà.

Injiciuntur hæc Clyſmata vel ſemel, vel partitis vicibus, præſertim quando Flatuum impetus remoratur debitam Clyſmatis applicationem, vel retentionem. In caſu fortiori Williſius *de Morb. Convulſ.* commendat Enemata acriora, v. g. ex Radice Bryoniæ & Carminativa &c.

Clyſteres *ex Fumo Tabaci*, ut in Colicâ, ita in Paſſione Hyſtericâ, perquàm ſunt egregii.

Denique interdum uſu venit, ut in ipſo Paroxyſmo, vel Lipothymiâ, imprimis in Plethoricis, *Vena aperienda ſit*, cautè tamen, & circumſpectè. Præ cæteris Obſervationem notabilem de hoc habet Panarollus *Pent. 3. Obſer.* 32. dum Hyſtericam Virginem ex nimiâ Sanguinis copiâ, & circa Cor ſtagnatione, ad mortem uſque deductam, in ipsâ Lipothymiâ per inſtitutam Phlebotomiam liberavit. Williſius *loc alleg.* in caſu fortiori commendat *Frictiones* Crurum, & Pedum, & ſi ad fortiora procedendum eſt, *Cucurbitulas* Abdomini, aut Inguinibus applicandas.

His ipſis Externis adjungenda ſimul *Interna, ſuprà* inſinuata in Paroxyſmo, omniaque ea penetrantia, nempe *Salia volatilia oleoſa, & ſpirituoſa*, & in ſpecie, quia promptè *Sudorem* movent, hi autem Paroxyſmi per Sudorem finiri ſolent: Quibus addantur ſubinde *Opiata* ad impetum Spaſmi coërcendum. In uſu ergò vulgari ſunt *Amara*, Zedoaria, Abrotanum, Abſinthium, Leviſticum, Radix Gentianæ, Mentha, Galanga, Pulegium, Matricaria, Sclarea, hujus Decoctum, & Spiritus, Chamomilla Romana, & vulgaris, Cortex Malorum Aurantiorum, Semen Dauci, Baccæ Juniperi, Allium hauſtum cum Vino, Electuarium de Allio, Crocus, Roſmarinus, & ſimilia: quæ omnia eò collimant, ut Sale volatili plùs minùs oleoſo Acidum deſtruant. De *Caſtoreo*, & *Asâ fœtidâ* res eſt notiſſima, quòd ſingulariter conducant in hoc Affectu, quatenus ſuâ oleoſitate ſalinâ Acidum vitioſum, ejuſque efferveſcentiam, promptiſſimè compeſcunt. Johannes Angelicus commendat *Semen Paſtinacæ*, vel *Aquilegiæ in Vino*: vid. Williſius *de Morb. Convulſ. pag.* 20. & *pag.* 84. Sed Modernis eminent ipſa *Salia volatilia*, quæ immediatè agunt: Unde Mixturæ ex Salibus volatilibus cum Caſtoreo, & Opiatis Paroxyſmum Hyſtericum ſedant optimè. Et quidem inter Salia volatilia, quæ Authores ab experientiâ commendant, primatum obtinent Spiritus Salis Ammoniaci ritè præparatus, Cornu Cervi, Sal volatile Succini, & omnia *Succinata*; Sal ſcilicet volatile à gr. v. ad vj. vel viij. uſque ad xij. in Aquâ Hirundinum cum Caſtoreo per os propinatum, ſeu infuſum. Eſſentia etiam Succini cum Spiritu Vini rectificatiſſimo parata, à ʒß. ad ʒj. in adultâ Muliere inſigniter prodeſt. Aliàs aliquot ſaltem guttæ (3. 4. 5.) Olei Succini deſtillati, ut ut propter nimios *Ructus*, quos ſolet ciere, ingrati, inſigniter tamen conferunt in Paroxyſmo: vid. Borellus *Centuriâ 2. Obſervat. 66.* Spiritus, & Sal volatile Fuliginis, & quæcunque Salia volatilia, interno uſu, quocunque modo uſurpata, ſunt perquàm convenientia, imò optima: hinc etiam Tinctura Tartari, Tinctura Scoriarum Reguli Antimonii, propter Alcali nempe, item Liquor Cornu Cervi ſuccinatus, ſunt egregia Remedia à gutt. xv. ad xxx. ſeu ʒß. cum appropriato Vehiculo infuſa. Pertinet huc etiam *Eſſentia Caſtorei*, quæ cum Spiritu Vini paratur. Meliori ratione paratur cum Spiritu Vini, maritato cum Sale volatili, ſeu Spiritu ſalino volatili oleoſo, ad imitationem Barbette, qui promptè penetrat Caſtoreum, illudque diſſolvit, & elegantem, & penetrantiſſimam ſuggerit Eſſentiam, de qua *ſuperiùs, ubi de Menſium Emanſione*. Quin & Tinctura Tartari, Spiritus Salis Ammoniaci vinoſus, Liquor Cornu Cervi ſuccinatus, Spiritus Carminativus de Tribus, &c. Caſtoreo affuſi, elegantem Tincturam, ſeu Eſſentiam eliciunt, profecuam ſanè in Paroxyſmo etiam graviore Hyſterico. Item *Tinctura Anonyma D. Langii* eſt Eſſentia Specifica Hyſterica ex Caſtoreo, Asâ fœtidâ, Myrrhâ, & pauco Croco, per Spiritum Vini tartariſatum parata: quibus Speciebus commodiſſimè Baccæ Sambuci exſiccatæ, item Zedoaria, & Galanga, addi potuiſſent. Baccæ enim Sambuci benè maturæ cautè exſiccatæ, item Baccæ Chamæactes, ſeu Ebuli ſimiliter exſiccatæ, & contuſæ cum Spiritu Vini dant Tincturam, cum Cochl. i. vel ii. propinata in Paroxyſmo, eundem mirè levant, provocando brevi pòſt *Sudorem*. Tinctura hæc tanquam expertiſſima commendatur à Lindano. Loco horum Baccæ Hederæ arboreæ, ſeu potiùs Extractum Baccarum Hederæ mixtum cum Trypherâ magnâ eſt experimentum Prevotii. Loco horum ex Granis Kermes, aut juxta alios ex Baccis Juniperi, eodem ſucceſſu Tinctura, ſeu Eſſentia præparatur in Hyſtericâ Paſſione conveniens. Sclarea, ejuſque Decoctum, ac cum Spiritu Vini parata Eſſentia, nobiliſſima ſunt, ſi propinentur in Paroxyſmo Hyſterico, imprimis Eſſentia cum Camphorâ

phorâ miſta, non ſecus ac Gentianæ Pulvis. Occaſione Caſtorei (cujus Oleum deſtillatum optimum quoque eſt) mentio facienda *Myrrhæ*, balſamici Remedii in quamplurimis Affectibus, in ſpecie Suffocatione Hyſtericâ: Nam *Trochiſci de Myrrhâ* vulgò à ℈i. ʒß. ad ℈ii. propinati, egregiè Paroxyſmum ſedant. Potentior eſt Eſſentia Myrrhæ abſque Acido, cum Alcali, tam fixo, quàm volatili, cum Spiritu Vini maritato, parata, v. g. cum Tinctura Tartari, vel Spiritu Salis Ammoniaci vinoſo; Sic enim dat Eſſentiam admodùm elegantem. Pertinet huc etiam Elixir Proprietatis Muliebre ſine Acido per Alcalia paratum de quo *ſuperiùs*, quod in Paroxyſmo erit admodùm proficuum: item Eſſentia Aſæ fœtidæ, vel cum Tinctura Tartari, vel cum Spiritu Salis Ammoniaci vinoſo parata, eſt optima. Multum etiam conducunt Salia deſtillata, & rectificata Fuliginis, Tartari fœtidum, Ligni Guajaci, Saſſafras, &c. His addendum *Elixir Uterinum Crollii*, doſi ℈i. ad ʒß. in Paroxyſmo propinatum Sudorem expectando: hoc enim præterquàm quòd Paroxyſmum levet, ſi ſingulis Menſibus appropinquante Menſtruo Fluxu propinetur, præſervare hunc Morbum dicitur, ut nunquam revertantur. Huc etiam pertinet Tinctura Uterina *Mynſichti*. *Camphora* ſingulariter conducit, in ſpecie ſi ſublimetur cum Sale volatili Spiritûs Salis Ammoniaci, aut ſi paretur Spiritus Salis Ammoniaci camphoratus; ſic enim efficaciſſimum acquiritur Remedium multis Affectibus, in ſpecie Suffocationi Uterinæ, dicatum: quin, & Camphora accenſa in Potu ordinario extincta non eſt fruſtranea, de quo *ſuprà*, *ubi de Furore Uterino*, dictum fuit: ſicut Camphoram cum Oleo Amygdalarum dulcium in deſperatâ Suffocatione adhibuit cum ſucceſſu Johannes Piſtorius; vid. Velſchius *Mictomim. annexis Anno* 4. *&* 5. M. A. N. C. *n.* 7. Spiritus Secundinæ, imprimis primiparæ, per fermentationem ſeu putredinem paratus; item Pulvis Secundinæ à ʒß. ad ʒj. uſurpatus inſigniter conveniunt. Hiſce ultimum, ſed nulli cedens Remedium, annumerandum eſt, *Stercus Equinum* maris non caſtrati, in quo, vulgari licet ſubjecto, ſingulare eſt Experimentum contra Suffocationem Uterinam: Nam ſicut Succus ejus expreſſus eſt præſentaneum Remedium contra Colicam Virorum, ita idem Succus cum Cereviſiâ calidâ aut cum Vino expreſſus, aut Decoctum propinatum, ad expectandum Sudorem, eſt incomparabile Remedium, præſervando & in Paroxyſmo egregiè per Sudorem hunc ſiſtendo: videb. Joel *Prax. lib.* 8. *Sect.* 1. Loco Succi ſunt, qui Extractum Stercoris Equini, vel Extractum Lichenum Equi *Schræderi* vel *Hartmanni* commendant. Cum quibus etiam *Fixa*, ut Bezoardicum Martiale, Cinnabaris Antimonii nativa, à ℈ß. ad gr. xv. Sal Cardui benedicti & ſimilia uſurpari poſſunt. Vulgò notum eſt, quòd *Jovialia* Remedia uſurpentur: ſunt namque, qui raſuram Stanni in Aquâ appropriatâ propinatam admodùm laudant: loco hujus Magiſterium Jovis *Mynſichtii*, item Antihecticum *Poterii*, item Bezoardicum Joviale, aut Sudoriferum magnum *Fabri*, ſunt uſurpanda. Panacea Holſatica ſeu Arcanum Duplicatum *Mynſichti* & ipſum eſt egregium pro Affectu Uterino mulierum. Remedium domeſticum, ſed ſatis proficuum, eſt *Fuligo Furni* ſplendens, Germ. *der Spiegel-ruſſ*, ut vocant, à ʒß. ad ʒj. uſurpata. Partes Animalium oſſeæ ſeu duræ, & *Flores Sulphuris*, in eâdem doſi imperando Sudorem, propinantur. Item Flores Sulphuris, aut Sulphuris crudi part. ii. miſtæ cum parte *i.* Nucis Moſchatæ, à ℈i. ad ℈ii. ſubinde uſurpata, ſingulare Experimentum eſt ad curandam & præſervandam Uterinam Suffocationem. Quibus ſimul auxiliares manus fert *Opium*, adeoque Laudanum Hyſtericum, Laudanum Opiatum, Mithridatium, *Theriaca*, aliaque Theriacalia ſimul proficua ſunt in Paſſione Hyſtericâ; Theriacæ enim parum in Vino diſſolutum ſi propinetur, Hyſtericum Paroxyſmum mirè levat. Eſt Remedium pro Pauperculis. Potentiùs hoc facit, ſi addatur ℈ß. Caſtorei, vel Spiritûs Theriacalis camphoratus, in quo Extractum vel Pulvis Caſtorei diſſolutus cochleatim propinetur in Paroxyſmo, ſicut & Eſſentia Theriacalis ratione Opii & virtutis diaphoreticæ, egregiè conferunt, & ſexcenta alia his ſimilia Compoſita locum inveniunt. Nam Camphora, ut jam dictum, eſt egregium Antihyſtericum, ex qua & Laudano Opiato fit *Hartmanni* Secretum in Epilepſiâ, & Suffocatione ſeu moleſtiâ quâvis Uteri, ante Paroxyſmum præſervationis gratiâ propinando, ut ut eandem non omnes Hyſtericæ ferre poſſint: videb. Thonerus *libr.* 7. *de Morb. Uteri Obſervat.* 8. vel poſſunt extempore præſcribi *Miſturæ*, quæ in hôc conſpirent, ut ſint ſalinæ volatiles oleoſæ. Obſervando ſemper, attendendum eſſe, ut Paroxyſmus largo ſiniatur *Sudore*, quia ſic tuti magis eſſe poſſumus à metu Recidivæ, ſiquidem ſimul atque excitatur Sudor, levamen atque declinatio Paroxyſmi ferè ſequitur: Præſcribi ergo poſſunt *Mixturæ in Colleg. Formular. Ludoviciano*, *& Id. Formular. c.* 1. *§.* 9.

℞. *Aquæ Puleg.*
*Matricar.*
*Flor. Sambuci* an. ʒi.
*Spiritûs Theriac. ſimpl.* ʒiij. ad ʒvi.
*Eſſ. Caſtor.* vel *Elixir Uterin. Crollii* ʒi. ad ʒiß.
*Spiritûs Sal. Ammoniaci* ʒß. ad ʒi.
*Olei deſt. Cort. Aurant.* gutt. v.
*Syr. Fœnic.* ʒiii.
M. f. Potio.
D. S.
Potio Matricalis.
Capiatur cochleatim.

Vel

℞. *Aquæ Flor. Chamom.* vel *Samb. Matricar.* an. ʒiß.
*Eſſ. Caſtor.* ʒiß. ad ʒiii.
*Liqu. Cornu Cervi ſuccin.* ʒi.
*Laud. Hyſter.* gr. ix.
*Syr. Card. bened.* ʒiii.
M. S. ut antè.

Vel

℞. *Aquæ Flor. Chamom.*
*Samb.*
*Puleg.* an. ʒj.
*Hirund. cum Caſt.* ʒiii.
*Liqu. Cornu Cervi ſuccin.* ʒiß.
*Eſſ. Caſt.* ʒi.
*Laud. Hyſter.* gr. ix.
*Syr. Cort. Aurant.* ʒiii.
M. S. ut ſuprà.

Doſis cochl. ii. expectando Madorem ſeu blandum Sudorem.

Mihi in graviori Malo uſitata eſt hæc deterrimi quidem ſaporis, ſed præſentanei effectûs, *Potio*, quam aliquando Mulieri deſperatè laboranti, & inſtar mortuæ ſine ſenſu & motu in Paroxyſmo Hyſterico jacenti præſcripſi:

℞. *Aquæ Menth.*
*Flor. Sambuci*,
*Matricar.* an. ʒi.
*Eſſ. Caſtor.* ʒiß. ad ʒiii.

*Sal.*

*Sal. volat. Cornu Cervi* gr.xij.
*Succini* gr.vj. viij. ad xij.
*Laud. Hyſter.* gr. ix. vel ℈ß. vel *Laud. Op.* gr.iij.
*Syr. Cort. Aurant.* ℥iij. vj. vel ℨj.

Poteſt etiam addi *Spiritus Salis Ammoniaci* ℥j.

Doſis Laudani Hyſterici aliàs eſt ad gr.vj. Hîc autem vix gr. iß. eſt in unaquaque doſi Mixturæ; quæ propter repetitum uſum ſufficit, capitur enim cochleatim, expectando Sudorem.

Vel

℞. *Aquæ Meliſſ.*
*Flor. Samb.* an. ℨiß.
*Carmin.* ℨj.
*Eſſ. Caſtor.* ℥ij.
*Spiritus Salis Ammoniaci* ℥j.
*Liqu. Cornu Cervi ſuccinat.* ℥ß.
*Syr. de Artemiſ.* ℥vj.
Miſc. pro Potione.
D. S. ut ſuprà.

Capiatur cochleatim.

Si dolores urgent, *Laudani Opiati* parum addi poteſt.

Vel

℞. *Aquæ Puleg.*
*Matricar.*
*Menth.* an. ℨj.
*Eſſ. Myrrh.* ℥iß.
*Spiritûs Salis Ammoniac.* ℥j.
*Sal. vol. Succini,*
*Cornu Cervi,*
*Laud. Op.* an. gr. iij.
*Syr. Cort. Aurant.* ℨß.
M. pro Potione.
D. S. ut ſuprà.

Vel

℞. *Aquæ Meliſſ. cum Vino* ℨij.
*Carminat.* ℨj.
*Eſſ. Caſtor.* ℥iß.
*Spiritûs Salis Ammoniaci* ℥ß.
*Sal. vol. Succini* ℈ß.
*Olei deſt. Succini* gutt. vj.
*Syr. de Artemiſ.* ℥vj.
M. f. Potio.
D. S. ut ſuprà.

Propinetur cochleatim in Paroxyſmo.

Paroxyſmô ſedatô, ne ſubitò revertatur novus, his ipſis *Opiata* & *Camphorata* ſunt immiſcenda, quæ in Paroxyſmo non ſemper conducunt: v. gr.

℞. *Aquæ Meliſſ.* vel *Puleg.* ℨij.
*Hirund. cum Caſtor.* ℨj.
(Simpliciſſima, ſi quæ alia, hujus eſt compoſitio, & tamen efficaciſſimam ſæpiùs expertus ſum:)
*Tincturæ Gran. Actes, ſeu Sambuci* ℥vj.
*Spiritûs Salis Ammoniaci* ℥j.
*Laud. Opiat.* gr.ij. vel iij.
*Camph.* gr. iij.
*Syr. Cort. Aurant.* ℥vj.
M. f. Potiuncula.
M. S. ut ſuprà.

Iteratis vicibus propinetur.

Nam certum eſt, quòd Laudanum Opiatum mirè conducat ad avertendum Paroxyſmum Hyſtericum imminentem, tam intrà aſſumptum, quàm ſolùm Naribus odoratum, de quo videb. Riverius *Centur.* 4. *Obſervat.* 85.

℞. *Aquæ Menth.*
*Matricar.* an. ℨiß.
*Eſſ. Caſtor.* ℥iij.
*Spiritûs Salis Ammoniaci* ℥j.
*Laud. Op.* gr.iij.
*Syr. Artemiſ.* ℥vj.
M. f. Potio.
D. S. ut ſuprà. Vel



℞. *Aquæ Matricar.* ℨiß.
*Menthæ* ℨj.
*Zedoar. cum Vin.* ℨß.
*Eſſ. Caſtor.* ℥iß.
*Spiritûs Salis Ammoniaci ſuccin.* ℥i.
*Eſſent. Opii* ℥ß.
*Syr. Cort. Aurant.* ℥iij.
M. pro Potione.
D. S. ut ſuprà.

Uſurpetur cochleatim, crebriùs aut rariùs pro varietate circumſtantiarum.

Vel

℞. *Aquæ Flor. Sambuci,*
*Matricar.*
*Menth.* an. ℨj.
*Eſſent. Caſtor.* ℥iß. ad ℥iij.
*Liqu. Cornu Cervi ſuccin.* ℥j. vel ℥iß.
*Laud. Opiat.* gr. ij.
*Syr. Flor. Calend.* ℨß.
M. S. ut ſuprà.

Capiatur cochleatim.

Vel

℞. *Aquæ Menth.* ℨiß.
*Spiritûs Theriac. camph.* ℥iij.
*Eſſent. Caſtor. volat.* ℥iß.
*Laud. Opiat.* gr.ij.
*Syr. Menthæ* ℥ij.
M. S. ut ſuprà.

Vel

℞. *Aquæ Fœnic.*
*Flor. Sambuc.*
*Matricar.* an. ℨj.
*Eſſent. Caſtor.* ℥iij.
*Liqu. Cornu Cervi ſuccin.* ℥ij.
*Laud. Opiat.* gr.iij.
*Syr. Cort. Aurant.* ℥vj.
M. S.
Siſtens Potio Matricalis.

Vel

℞. *Aquæ Hirund. cum Caſtor.* ℨiij.
*Eſſent. Caſtor.*
*Myrrh.* an. ℥j.
*Sal. volat. Succini,*
*Salis Ammoniaci* an. gr. xv.
*Laud. Opiat.*
*Camph.* an. gr. iij.
*Eleoſacch. Nuciſt.* q. ſ.
M. pro aliquot doſibus.
D. S. ut antè.

Vel

℞. *Aquæ Matricar.*
*Meliſſ.* an. ℨiß.
*Spiritûs Salis Ammoniaci ſuccinat.* ℨiß.
*Eſſent. Opii tartariſat.* ℥ß.
*Syr. Menth.* ℥iij.
M. f. Potio.
D. S. ut ſuprà.

Vel

℞. *Aquæ Puleg.*
*Fœnicul.* an. ℨiß.
*Cinnamom.* ℥ij.
*Elixir. Uterin.* vel *Eſſent. Caſtor.* ℨj.
*Spiritûs Salis Ammoniaci caryophyllat.* ℥ß.
*Eſſent. Opii tartariſ.* ℈j.
*Syr. Artemiſ.* ℥ij.
M. pro Potione.
D. S. ut ſuprà.

Vel

℞. *Aquæ Flor. Sambuc.* ℨij.
*Matricar.* ℨj.
*Eſſent. Caſtor.* ℥iij.
*Liqu. Cornu Cervi ſuccin.* ℥iß.
*Laud. Hyſter.* gr. ix.

*Syr. Card. benedict.* ʒvj.
M. pro Potione.
D. S. ut antè.
Vel
℞. *Aquæ Flor. Sambuci*,
*Matricar.*
*Menthæ* an. ʒj.
*Essent. Castor.* ʒiij.
*Liqu. Cornu Cervi succinat.* ʒj.
*Spiritûs Salis Ammoniaci* ʒß.
*Syr. Artemis.* ʒiij.
M. pro Potione.
D. S. ut suprà. Vel
℞. *Aquæ Menth.*
*Matricar.* an. ʒj.
*Aqu. Carmin.* vel *Vitæ mulier.* vel *Apopl.* ʒß.
*Essent. Castor.* ʒij.
*Spiritûs Salis Ammoniaci* ʒj.
*Laud. Opiat.* gr. iij.
*Syr. Artemis.* ʒvj.
M. S. ut suprà.
Vel
℞. *Aquæ Flor. Sambuci* ʒiiß.
*Menthæ* ʒß.
*Essent. Castor.* ʒ ß.
*Cornu Cervi usti præp.*
*Corall. rubr. præp.* an. ℈j. ad ʒß.
*Syr. Flor. Tunic.* ʒiij.
M. f. Potio.
M. S. ut suprà.

In *Suffocatione Uterinâ ex Nephritide* cuidam sequentem præscripsi Formulam cum successu:

℞. *Aquæ Ceraſor. nigr.*
*Menthæ* an. ʒiß.
*Liqu. Cornu Cervi succinat.* ʒij.
*Spiritûs Salis Ammoniaci anis.* ʒj.
*Laud. Hyster.* gr. vj.
*Syr. Cort. Aurant.* ʒvj.
M. pro Potione.
Vel
℞. *Asæ fœtid.* gr. iv. vel v.
*Extr. Castor.* ℈ ß.
*Sal. volatil. Succini* gr. v.
*Laud. Opiat.* gr. i. vel ij.
Cum *Oleo destillat. Chamomill.* f. *Pilulæ Hystericæ.*
Confer. Riverius *Prax. libr.* 15. *capit.* 6.
℞. *Extr. Zedoar.*
*Castor.* an. gr. iv. vel v.
*Laud. Opiati* gr. ij.
M. f. Pilulæ.
Cum *Oleo destillat. Succini.* D. S.
Pilulæ Matricales.

Plures Pilularum Formulæ occurrunt suo loco *in Colleg. Consult.*

℞. *Essent. Castor.*
*Liqu. Cornu Cervi succinat.* an. ʒiß.
M. S.

Mixtura Martricalis, cochleatim sumenda.

Pertinet huc *Pulvis Hystericus Timæi*, quem se nunquam fefellisse asserit. Descriptio est hæc:

℞. *Fæcul. Bryon.* [nihil valet, cujus tamen loco *Succin. præp.* vel *Flor. Sulphuris* substitui possunt)
*Margar. præp.* (quatenus Acidum absorbent, quod tamen meliùs præstant *Lap. Cancr.*) an. ʒj.
*Castor.* gr. xxj.
*Olei destillat. Rutæ*,
*Succini* an. gutt. v.
M. f. Pulvis.

Divid. in 3. part. æqu. quarum quævis dosis propinetur in Vino, in quo *Macis* & *Croci* parum bullierit.

Fæcula hæc nihil facit, Margaritæ saltem absorbent Acidum, Castoreum autem & Olea optimè præstant.

Hinc etgò sequens Formula præferenda:

℞. *Succin. præp.*
*Flor. Sulphur.*
*Castor. pulverisat.* an. ʒj.
*Myrrhæ* ʒß.
*Camphor.* ℈ß.
*Olei express. Nuc. Moschat.* gr. xv.
*destillat. Succini* gutt. xij. vel xv.
M. pro 8. dosibus.
Vel
℞. *Matrisperlar. præp.* ʒß.
*Cinnab. Antimonii*, vel *Antih. Poterii*, vel *Bezoard. Jovial.* vel *Martial.*
*Salis volatil. Cornu Cervi* an. gr. xij.
*Laud. Opiat.* gr. ij.
*Olei destillat. Caryophyll.* gutt. ij.
M. f. Pulvis pro 2. dosibus.
D. S.
Sistentes Pilulæ Matricales.

In *Aquâ Hirundinum cum Castoreo* capiantur.

Plures Pulverū Formulas vid. in *Colleg. Consultatorio.*

Adhuc notandum, quòd *Castoreata*, & hujusmodi *Salia volatilia oleosa* fortiter Nares ferientia, non omnibus Hystericis, quæ Spiritus Animales & Systema Nervosum nimis sensile habent, conducant. Talibus ergò Salia volatilia macra præscribenda. Si verò ab his Salibus volatilibus oleosis Paroxysmus exasperatus fuerit, ad sistendum eum Spiritus Nitri dulcis usurpetur, qui hunc impetum in Corpore excitatum figit & sistit.

Quando *occasione Dulcium* excitatur Paroxysmus, talibus in specie *Amara* v. g. Decoctum Absinthii, Cerevisia & Vinum absinthites, in & extra Paroxysmum conveniunt: item Pilulæ ex Castoreo & Asâ fœtida: Confer. Forestus *lib.* 28. *Obs.* 28. Sic Mulieri, *ex Irâ* frequenter Suffocationem Uteri patienti, imprimis si aliquis Dulcium præcesserit usus, imperavi extra Paroxysmum, ut Cerevisiam absinthitem, item Syrupum ejus caperet, & sic à Paroxysmo præservabatur: vid. Forestus *citato loco Observat.* 30.

His & similibus depellitur Paroxysmus. Quòd si semel sedato Paroxysmo metus sit, ne ex Acido austero acriori facilius redeat, *Martialibus* ferè hoc præcaveri potest: v. g.

℞. *Aquæ Hyssopi*,
*Antiscorb.* an. ʒiß.
*Solut. Martis cum Succo Pomorum* ʒiij.
*Spiritûs Cochlear.* ʒiß.
*Laud. ferment.* gr. ij.
*Syr. Scelotyrb.* ʒiij.
M. f. Potio.
D. S.
Præservans Potio Matricalis.

Quòd si hæc talia non sufficiant pro sedando Paroxysmo, sed Ægræ mortuorum instar sine sensu & motu ferè jaceant, ne omni auxilio destitutæ intereant, in extremo casu extrema tentanda Remedia, & duro nodo durus opponendus est cuneus: nempe *Sternutatoria* suprà insinuata conducunt; quibus non satisfacientibus, aliis irritis, *Vomitorium* propinetur, cùm satis tutum sit Remedium, quod est univocum, desperatas & tantumnon pro mortuis habitas potenter excitans. Hysterici non quidem sunt adeò proficua, quia Stomachum in convulsionem cient, & effundere faciunt Bilem & Succum Pancreaticum, itáque Paroxysmus exacerbatur. In casu tamen desperato tandem ad Vomitorium fit recursus. Insignes videbitis Observationes de hoc apud Petrum Johannem Fabrum *in suis Curat.* imprimis

in

in *Curâ* 11. 12. & 13. ubi Mulieres jam deſperatas & pro mortuis habitas per ʒij. Salis Vitrioli ( eſt dupla doſis ) in ℥ij. Aquæ Salviæ cum paucâ Aquâ Imperiali propinati, tandem reſtituit : Idem *Curat.* 39. ſimilem Curam deſperatæ Mulieris refert. Sed *Vitriolaceaſunt ſuſpecta*; Loco horum ergò *Antimonialia ſunt tutiora.* Videbitis etiam de Vomitoriorum virtute in Paroxyſmo ad reſuſcitandas deſperatas Hyſtericas Riverium *Cent.* 1. *Obſer.* 65. & 4. *Obſ.* 85. Sed non conveniunt, niſi aliis irritis : vid. Horatius Augenius *l. a.*

Quin etiam in deſperato adeò caſu *Venæ ſectio* quibuſdam inſtituta ſalutaris obſervata fuit : Sic enim Hoechſtetterus *Decur.* 4. *Caſ.* 1. Aphoniam cum Hyſtericâ Convulſione Phlebotomiâ averſam & impeditam refert : Item Panarollus *Pent.* 1. *Obſ.* 32. notat Hyſtericam Fœminam ex nimiâ Sanguinis copiâ ad mortem uſque adactam, Venæ ſectione in ipsâ Lipothymiâ curatam : Item Paſſiones Hyſtericas conclamatas Venæ ſectione in Poplite curatas videb. in M. A. N. C. *Ann.* 4. & 5. *App. pag.* 31. Commendatur etiam à Capivaccio *Pr. lib.* 4. *cap.* 22. Horſtio *Decad.* 9. *Prob.* 3. & Mercato *de Mulier. Affect. lib.* 2. *cap.* 3.

Subſtitimus in *Cap. de Suffocatione Uterinâ*, in quo ultimò propoſui modum tractandi Mulieres in Paroxyſmo : *Extra Paroxyſmum* autem Paſſio Hyſterica, ceu *alius aliquis Morbus Chronicus*, curanda eſt. Opera ergò detur, ut præcaveatur ejuſdem recurſus, & Fomes Mali corrigatur & eradicetur. Præmiſſis *Digeſtivis* uſurpentur *Vomitoria*, & *Remedia Antihypochondriaca* & *Antiſcorbutica. Digeſtiva videb. l.* 1. *ubi de Malo Hypochondr.* & *Scorbuto.*

Vel

℞. *Corall. rubr. præp.* vel *Matris perlar.* vel *Lapill. Canc. præp.* ʒß.
*Arcani dup.* ʒj.
*Salis Abſinth.* ʒß.
M. pro 3. doſibus.
D. S.
Pulvis Digeſtivus.

Convenit item Potio Acidum deſtruens *in Prolegom.* præſcripta. Pro Vomitorio :

℞. *Arcan. dupl.* vel *Tartari vitriolat. Tachen.* gr. ix.
*Tartari Emet. Mynſ.* gr. ii. vel iij.
M. f. Pulvis : S.
Pulvis Vomitorius.

Juxta hæc conveniunt imprimis *Aromatica*, blandis Laxativis temperata. Ea ipſa ferè, quæ in Paroxyſmo ceu Appropriata internè aſſumuntur, itidem poſt Paroxyſmum ad Curam ipſius Mali commodè adhiberi & uſurpari poſſunt, imprimis *eadem ferè medendi Methodus atque in Malo Hypochondriaco* pro eradicando Malo extra Paroxyſmum inſtituitur. Unde communiter *Nodulorum Alterantium* Vino infundendorum uſus admodùm proficuus eſt, qui præſcribuntur ex Carminativis & Nervinis Uterinis. Hæc tamen omnia collimant, quòd vel de Alcali volatili, vel de Sale volatili oleoſo aromatico plùs minùs amaro participent, vel Acidum abſorbeant, vel vi anodynâ plùs minùs conducant : hinc præter modò allegata ſunt Radix Angelicæ, Petaſitidis, Zedoariæ, Leviſtici, Gentianæ & ſimiles, item Cortices Aurantiorum, omnia Aromata. In ſpecie Sclarea, Germ. *der ſtinckende Scharlach*, eſt Experimentum ſingulare paucis notum in Suffocatione Uterinâ, ſive Decoctum ejus, ſive alia ex eâdem parata Remedia uſurpantur. Hinc Meliſſa, Roſmarinus, Artemiſia, Salvia, Matricaria, & Tanacetum : hinc Semina Carminativa, quæ vocantur Calida, cum omnibus Aromaticis : quibus addantur blanda Laxantia, ſpeciatim Helleborus niger, & Bryonia, quæ præ cæteris laudatur : v. g. fit *Nodulus Alterans & Laxans* :

℞. *Herb. Meliſſ.*
*Matricar.*
*Puleg.* an. M. j
*Fol. Senn.*
*Rad. Gentian.*
*Helleb. nigri* an. ℥j.
*Eſulæ præp.*
*Coſti aromat. veri* an. ʒiij.
*Zedoar.*
*Sal. Tartari* an. ℥ß.
Inciſ. & contuſ. includ. *Nodulo.*
D. S.
Nodulus Matricalis Aperitivus.

Alios Nodulos Alterativo-laxativos vid. *in Colleg. Formular.*

Vel

℞. *Herb. Matricar.*
*Meliſſ.* an. M. iß.
*Fol. Senn. ſine ſtipit.*
*Rad. Angel.* an. ℥j.
*Helleb. nigri* ℥ß.
*Bryon. rec.*
*Bacc. Junip.* an. ʒvj.
*Cinnam. acut.*
*Zedoar.* an. ʒij.
*Sal. Tartari* ʒiß.
Inciſ. & contuſ. includ. *Nodulo*, qui infund. *in Vini Rhen.* Menſ. ij.
Stent per diem & noctem in loco calido, & hinc omni mane Ægra capiat hauſtum.

Juxta quæ etiam *Martialia* admodùm ſolent eſſe proficua pro more aliorum Affectuum Chronicorum & Hypochondriacorum, ſine Martialibus vix curabilium : utut Spiritus Salis Ammoniaci ſuccinatus, ſimiliaque Volatilia ad gutt. 30. ſimul veſperi, tempore Somni, aſſumi poſſint. Quæ ipſa Martialia etiam curativè in ipſo Paroxyſmo, præſertim in iis, quæ Volatilia non æquè ferre poſſunt, etiam ſunt egregia, quæ inter eminet Sal Martis compoſitum, Mulieribus Hyſtericis admodùm conveniẽs, qualia ex *ſuprà dictis de Cachexiâ*, *de Malo Hypochondriaco* jam nota ſunt ; uti etiam alia Appropriata plùs minùs Abſorbentia.

Cum his uſurpanda ſunt blanda *Laxativa* : pro quo ſcopo Helvetius *in Dir. Med. pag.* 116. laudat Infuſum Sennæ & Rhabarbari, cui addenda ſit ʒß. Pulveris Secundinæ humanæ, ex quo Laxativo appropriato multum utilitatis ſe hauſiſſe affirmat in Suffocatione Uterinâ ; Nam Secundina ipſa eſt experta, uti jam ſuprà habui. Aliàs Pilulæ Hieræ cum Agarico, cum Myrrhâ & Caſtoreo acuatæ, item Pilulæ fœtidæ communes ad ʒj. ( vid. Riverius *l. a.* ) addito Mercurio dulci, pro expurgandis talibus Mulieribus conducunt. Verùm in talibus Hyſtericis laxandis *duo conſideranda* :

1. Quòd in earum Malo cõfirmato, ubi nempe crebriùs recurrunt Paroxyſmi Hyſterici, aut difficiliùs ſopiuntur, adſit ſimul *Pituita vitrea acida*, hoc eſt *Mucus viſcidus*, ſpecifico acido auſtero Sapore inquinatus, primas vias occupans.
2. Ut *blandis tractentur Laxantibus*, quia aliàs Paroxyſmus redit, & in talibus facilis eſt Dyſenteria, ſi acrioribus ſtimulantur Purgantibus. Ergò ſaltem blandè Stimulantia cum Salinis acuata uſurpentur, aut Purgantia blanda beneficio Gummatum propinanda ſunt : v. g. pro removendo Muco dicto viſcido :

℞. *Tartari vitriolati*, vel *Arcan. dupl. Mynſ.* ʒß. vel gr. xv.
*Scamm. ſulphurat.* gr. ij. vel iij.

M. f. Pulvis: S.
Pulvis Aperitivus.

Optimæ ſunt Pilulæ cum Gummatibus:

℞. *Gumm. Ammoniaci cum Aceto ſol.* gr. xv.
*Extr. Caſtor.* gr. v.
*Troch. Alhandal*,
*Scamm. ſulphurat.* an. gr. i. vel ij.
Cum *Eſſent. Salv.* vel *Roriſmar.*
f. Pilulæ: S.
Pilulæ Matricales Aperitivæ.

Vel

℞. *Gumm. Ammoniaci in Aceto ſol.* ℈ß.
*Vitrioli Martis* gr. v.
*Extr. Caſtor.* gr. iij. vel iv.
*Troch. Alhand.* gr. i. vel iß. aut *Trochiſcorum Alhand.* gr. iij.
Cum ſ. q. *Olei deſtillat. Succini* f. Pilulæ.
D. S. ut antè.

Plures *Pilulas uſuales* vid. *locis allegatis.*

Ad præcavendum Paroxyſmum & Dyſenteriam Purgantibus quoque *Opiata* miſceri poſſunt.

Præter hæc dicta tam in quàm extra Paroxyſmum, ulteriùs conducunt Tinctura Uterina *Mynſichti*; item ejuſdem Extractum Specificum Uterinum. *Riverii* Pilulæ Præſervativæ à Paroxyſmo ſimiliter conveniunt, factæ ex Caſtoreo, Aſâ fœtidâ & Laudano Opiato: (ſunt alterativæ, non laxativæ).

Colophonis loco addam aliquot *Caſus*, quos mihi videre contigit ſuperiore Æſtate. Vocabar ad *Mulierem juvenculam*, quæ in Partu aliquando malè fuerat tracta a, tempore tamen Puerperii & Lactationis Fœtûs commodè ſatis ſe geſſit: Cùm ablactaſſet Fœtum, & redirent Menſes incidit in Hæmorrhagiam Uteri nimiam, non quidem confertim, nec etiam adeò continuam, ſed ita, ut Menſes interdum per integras ſex hebdomadas fluerent. Tandem ſuperveniebant Tormina Abdominis vehementiſſima & crudeliſſima, quæ principium capiebant in Hypochondrio ſiniſtro, hinc extendebantur in totum Abdomen, & tandem in ſpecie regionem Dorſi lumbarem crudeliter lacerabant. Superveniebat hinc difficilis Reſpiratio, & graves Anxietates, ac compreſſiones Cordis, ita, ut etiam Syncope interveniret: tandem *Crampus* quaſi, ſeu Convulſio quædam tonica, dimidii Corporis ſiniſtri ſuperveniebat, ita, ut dimidium Caput, Faciei ac Naſi ſiniſtri, ac dimidius Truncus cum Brachio & Pede totaliter rigerent, & quaſi Tetano afficerentur, parte dextrâ totâ ſanâ. Pulſus erat parvus, celer, imò interdum ferè nullus, hæcque per Paroxyſmos ſubinde recurrebant. Revera erat *Affectus*, quem vocant *Hyſtericum*. Vocatus ergò in Paroxyſmo, cùm ex relatione Aſtantium Mulier per quinque dies haberet Alvum ſuppreſſam, præſcribebam *Clyſterem Carminantem & Emollientem*:

℞. *Rad. Angel.*
*Leviſt.* an. ℥ß. ad ℥vj.
*Herb. Malvæ*,
*Chamom.* an. M. j.
*Flor. Chamom.*
*Samb.* an. M. ß.
*Sem. Calid. maj.* an. ℥ij.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ ſimplicis*:
Col. t. ℥viij. vel ix. adde
*Elect. de Baccis Lauri* ℥vj.
*Caſtor.* ℈ß.
*Olei deſtillat. Succini*,
*Cumini* an. gutt. vj. ad ℈ß.
*Vitell. Ov.* Num. j.

Injiciebantur pro Clyſmate, quod egregiè proderat.

Pro uſu interno præſcribebam hanc *Mixturam*:

℞. *Aquæ Hirund. cum Caſtor.* ℥ij.
*Meliſſ. cum Vino* ℥j.
*Spirit. Salis Ammoniaci*, impr. *caryophyllat.* ℥j.
*Cochlear.* ℈ß.
*Sal. vol. Succini* (eſt oleoſum) ℈ß.
*Laud. Op.* gr. iij. vel *Eſſent. Opii* ℈ß.
*Syr. Cort. Aurant.* ℥iij. ad ℥vj.
M. f. Potio, finito Paroxyſmo ſubinde cochleatim haurienda.

Pauca hæc Remedia ex toto levârunt Malum, ita, ut Hæmorrhagia Uteri ſiſteretur, & omnia Symptomata diſparerent.

Pro confirmatione autem imprimis Abdominis præſcripſi *Inunctionem* ſaltim externam:

℞. *Olei Chamom.* ℥ij.
*deſtillat. Succini* ℈ij.
*Carvi*,
*Fœnic.* an. ℈ß.
M. pro Inunctione Hypochondrii ſiniſtri & regionis Umbilicalis, applicato deſuper Latere calente.

*Mulier* triginta quatuor annorum, agilis aliàs & vegeta, de duobus *Tumoribus* conquerebatur, magnitudinis Ovi gallinacei paulò ſupra Os Pubis prominentibus, ſine moleſtiâ tamen inſigniori: dum ſupina jaceret, Tumores diſparebant; dum verò tuſſiret, aut erecta incederet, denuò prominebant: ſine noxâ etiam ullâ aut incommodo hos patiebatur, etiam Gravida facta; tunc enim nullum aderat Tumoris veſtigium, poſt Partum dictis Tumoribus recurrentibus. Interim cum hôc, quòd Suaveolentia ferre nequeat, Fœtida verò & Caſtorina eam delectent, frequentes, idque leviſſimâ occaſione, ſingulares Paroxyſmos patiebatur, in quibus prægreſsâ gravi totius Corporis Refrigeratione, una cum tumultu aliquo in Abdomine, ſentiebat aliquid ſurſum pergere, & Præcordia occupare, dicebat: quod ut impediret, Ligaturâ forti Hypochondria cingebat, hinc Vomitus graves ſæpè eam prehendebant, & ut plurimùm repetitæ Dejectiones alvinæ, ſub quo ſtatu Tumores iſti admodùm protuberabant, indurabantur, *Lapidis inſtar*, dolebant: alias molles & indolentes, unà cum Torminibus graviſſimis & exquiſitis Doloribus lancinantibus, ſaltim circa loca à Tumore afflicta; ſupra Umbilicum verò non adſcendentibus. Sub hoc ſtatu ea Medicamentum capiebat domeſticum, Abſinthium, Matricariam, horumque cum Aquâ ſimplici Decoctum calidè bibebat, & ita ſub Corporis horripilatione quocunque modo ad *Sudorem* ſe diſponebat; quo erumpente res ſalvæ erant, Symptomata evaneſcebant, ipſaque vegeta reſurrexit. Sed cùm aliquando menſe Februario totâ die Linum carminando ſe graviùs exercuiſſet, eadem Symptomata præfati Paroxyſmi redibant, ſed atrociſſima, in ſpecie præter Vomitum Tumor prope Inguen ſiniſtrum cum inſigni duritie, cruciatu lancinante intolerabili, & Abdominis borborygmis, Alvoque pertinaciter clausâ eam affligebant: Ipſa Ægra ad Aſſumpta quælibet ſæpiùs ſingultiebat, & violenter eructare videbatur, ſine flatu tamen. Tertiâ die verò, cùm in hoc ſtatu conſtituta fuiſſet, me vocabat. Ego Ægram viſitans dicebam: eſſe *Paſſionem Hyſtericam cum Herniâ complicatam*, quæ tamen à Paſſione Hyſtericâ exaſperatur, ac ita curavi: ſcilicet cùm per tres dies in ſtatu dicto perſtitiſſet, antequàm me vocandum curaſſet, die tertiâ Morbi à meridie præſcripſi *Clyſma Carminans* cum Sale Tartari & Oleo deſtillato Succini pro ſcopo Alvum emolliendi ſtimulandique, interné ſimul hanc *Formulam* ordinando:

℞. *Salis Card. bened.*
*Lapill. Cancr. præp.* an. ℈j.

*Laud.*

*Laud. Hyſter.* gr.vj.
Miſta div. in 2. part. æqu.

Cepit unam doſin veſperi, alteram circa noctem mediam, ſicque Dolores ſedabantur. Clyſma autem eodem modo, quo injectum erat, effluebat, & ſine efficaciâ.

Poſt noctem mediam, Laudani Opiati vi ceſſante, Symptomata omnia recrudeſcebant, unde *Clyſma* ex Lacte ordinavi, cui parum Lixivii communis additum fuit; itemque ſimul pariter externè Ægræ *Emplaſtrum* ex Galbano applicandum juſſi, malaxatum cum ſ. q. Olei deſtillati Succini; ſimul præſcribendo ſequentem Mixturam.

℞. *Liqu. Cornu Cervi ſuccin.*
*Eſſent. Caſtor.* an. ʒii.
M. S.
Eſſentia Matricalis.

Capiebat 40. guttas bis vel ter in die pro lubitu.

His factis Clyſma denuò rejiciebatur, & omnia fruſtranea erant. Ergò die quarto veſperi ſequentem *Formulam* præſcripſi.

℞. *Cinnab. Antimonii* ʒß.
*Laud. Hyſter.* ʒß.
*Olei deſtillat. Aniſi* gutt. iij.

Cum *Eſſent. Aurant.* f. Pilulæ pro 2. doſibus.

Quarum unam illa veſperi cepit, alteram poſt noctem mediam, & mane ſequente benè ſe habens, de nihilo conquerebatur, niſi quòd Alvus clauſa ſit, & ſitiat; quam tandem Vetula quædam, quibuſdam incaſſum adhibitis, *Cataplaſmate* ex Pomis Borsdorffianis cum pauxilio Croci regioni Umbilicali & herniosæ applicato, totumque Abdomen cum Sevo hircino inungendo, reſeravit.

*Ancillæ* cuidam Menſes fluentes, neſcio quo caſu, ſupprimebantur: Dolor aderat gravis in regione Pubis ac Lumborum, Reſpiratio difficillima, amiſſa Loquela, Fauces occluſæ, ut Juſculum calidum deglutire nequiret; Anxietates, Lipothymiæ recurrentes, Suffocatio imminens, rugitus Abdominis, dolor Capitis, Scotomiæ, tinnitus Aurium, &c. Adſtantes putabant eſſe Catarrhum Suffocativum; ego *Paſſionem Hyſtericam* dicebam, & Menſium cohibitionem. Propinabam internè, præmiſsâ Hypochondriorum ligaturâ, ſequentem *Potionem* cochleatim:

℞. *Aquæ Puleg.*
*Meliſſ.* an. ʒiß.
*Spiritûs Salis Ammoniaci* ʒi.
*Eſſ. Myrrh.* ʒß.
*Sal. volat. Succini,*
*Cornu Cervi* an. gr.vj.
*Syr. Cort. Aurant.* ʒiii.
*Emulſ. Oper.*



Miſc.

Præſcriptum ſimul fuit *Clyſma Carminans*, quæ optimè contulerant. Mane ſequente aperiebatur *Vena in Pede* cum euphoriâ. Internè præſcribebam:

℞. *Spiritûs Salis Ammoniaci ſimpl.* (aut *ſuccin.* aut *Caryoph.*) ʒi.
*Eſſent. Caſtor.*
*Myrrhæ* an. ʒß.
*Olei deſtillat. Caryoph.* gutt. i. vel ii.
M. S.
Mixtura Matricalis.

Doſis 50. gutt. ter quotidie uſurpando.

Hiſce meliùs habuit: Sed cùm Præcordia eſſent plena Mucilagine viſcidâ, & Dolores acerbi punctorii in Hypochondrio ſiniſtro, pro Fomite removendo præſcripſi *Potionem* ex Gummi Ammoniaco cum ſucceſſu; item Sperma Ceti, de quo *in Diſſert. meâ cap. 2.*

*Fœmina* quædam aliquando ſubitò graviſſimo *Dolore* lancinante & pungente in regione Vulvæ, ſpeciatim in labio ejus dextro, corripiebatur. Dolor horrendus erat, ſubinde ſurſum vergens versùs Umbilicum: putabam primò Calculum eſſe Veſicæ, aut Exulcerationem ejus aut Pudendorum; ſed horum nihil aderat, quia liberè Urinam excernebat, & nunquam Calculoſa fuerat, nec Pus nec Sanguis in Urinâ conſpicua erant; & quia ſubitò Dolores hi invadebant, & ſubitò etiam deſinerent, poſt dimidium annum recurrebant, dubius eram: ſed cùm proclivis anteà ad *Paſſionem Hyſtericam* fuerat, & ſe multoties curaverat per Mentham contuſam, in formâ Globuli Pudendis intruſam, ubi dictum factum Paroxyſmus evanuerat. Hoc audiens, de Spaſmo imprimis, quia Dolor ſurſum pergebat, cogitabam, & præſcribebam:

℞. *Lapill. Percar. præp.*
*Cinn. Antimonii* an. ʒi.
*Laud. Op.* gr. ii. vel iii.
M. f. Pulvis pro duabus doſibus.

Capiebat in Cereviſiâ calidâ: & ex primâ doſi ſenſile levamen percepit, poſt alteram evanuit Paroxyſmus; niſi quòd levia circa Pudenda ſe offerrent, unde ordinavi Emulſionem Violarum, Tincturam Nephriticam; ſed fruſtrà. *Externè* inunxi cum Oleo Succini, cum Oleo Petræ, ſed malè habebat ab acrimoniâ Olei: tandem ordinabam Spiritum Salis Ammoniaci & Eſſentiam Myrrhæ, cujus uſu jam per annum ſana fuit, & quoties aliquid ſentit, ſtatim ad hanc Mixturam confugit. (E)

Hæc de Suffocatione ſic dictâ Uterinâ, & etiam de Morbis, qui vitio Uteri adſcribuntur, ſufficiant.

SEC-

(E) Nota Cyrilli. *Subnectam &* Conſilium pro Excellentiſſimâ Principe, *Hyſtericâ affectione prehensâ, multis ab hinc annis à nobis conſcriptum.*

Neapoli 7. Julii 1707.

EXcellentiſſimam Dominam Hyſtericâ *vulgò dictâ* affectione *laborare, extrà omnem dubitationis aleam eſſe exiſtimo. Id teſtantur apertiſſimè* Symptomata *illam comitantia, Hypogaſtrii nempe conſtrictiones, agitationeſque, Spiritûs difficultas, Cordis ſive palpitationes, ſive tremores, Vertigines, Aurium tinnitus, Corporis univerſi excandeſcentia, Faciei color intensè rubens, atque alia hujus generis, non perpetim affligentia, ſed per intervalla & per paroxyſmos recurrentia: quæ omnia in* Uteri ſtrangulatu, *ſeu maris in* Hypochondriacâ affectione (*quam cum illo confundunt non pauci inter Neotericos*) *obſervare ſæpiſſimè ſolemus. Negari tamen nequit, quod cum iſtâ affectione alia quoque pathemata temporis tractu copulata ſint, ſive aſſiduò, ſive per vices moleſtiam inferentia; quemadmodum Menſtrui fluxûs ſuppreſſio, Maculæ liventes per univerſum corpus conſpicuæ, Gingivarum corroſio, Pedum tumor œdematoſus, Inappetentia, Oris amaritudo, Virium languor, Vigiliæ, atque circa Ventriculi regionem Tumor, ſeu potius Tenſio dura manibus perceptibilis.*

*Ut* Cauſsam *igitur hujus affectionis, atque ab ipsâ pendentium Symptomatum, rimemur, haud operæ pretium duxi ad exameu revocare celeberrimum illud* Practicum Quæſitum, *an ſcilicet* Affectio Hyſterica ab Utero *ſuam recognoſcat originem, an verò illæſo Utero alia pars Corporis, ſive ſolida ſive fluida, illi fomitem ſuppeditet: quod idem eſt ac quærere*, an Affectio iſta ſit verè Hyſterica ſeu Uterina, an verò Hypochondriaca *dicenda; id enim longè à propoſito Curationis Scopo nos diverteret.* Sufficiat

*Sufficiat illud innuisse, in Corpore scilicet* Excellentissimæ Ægrotantis Sanguinem *præcipuè labe infectum esse, neque ab eadem* Spiritus animales parteſque nervoſas *immunes existere. Et quidem juxta meam sententiam tunc* Paroxyſmi *excitantur, cùm* Sanguinis maſſa *agitationem, seu potiùs effervescentiam inordinatam, extemplò patitur, fortasse ex intromissione factâ vitiosi* Fermenti ab Uteri glandulis ſuppeditati, *cujus actione quum universæ Sanguinis particulæ concutiantur agitenturque, nil mirum si universum Corpus,&* Facies *ipsa excandescat, atque ob difficilem Sanguinis ejusdem per Pulmonum vasa transitum,* Anhelitus *atque* Anxietas *observetur. Quin ob eandem rationem impetu facto in* Spiritus animales parteſque nervoſas, *& præcipuè in Plexus nerveos in hypogastrio latentes, ejusdem* Contractiones *spasmodicæ,* Tremoreſque *oriuntur: atque insuper quum eadem Spirituum animalium ataxia, seu irregularis motus, ob Nervorum consensum, & Cordi & Cerebro communicetur; hinc* Cordis *ejusdem* Palpitationes, *atque etiam* Vertigines, Auriumque tinnitus *ortum ducunt. Denique postquàm Fermenti illius particulæ exoticæ per aliquod tempus Corpus universum exagitaverint, tandem aliquando confractæ & comminutæ in auras abeunt, quæ* Ructibus *præcipuè abiguntur & Paroxysmus ſolvitur.*

*Quamquàm autem particulæ hæ è Sanguine in Paroxysmi fine educantur, non tamen absque ratione existimaverim,* Sanguinis ipſius maſſam *sensimque toto morbi decursu* labefactatam eſſe, *quippe quòd ex vitiosâ effervescentiâ quamplurimæ & maximè tenuiores illius particulæ, sensim evolaverint. Quapropter quum* viſciditatem *quandam* acidam *Sanguis ipse tractu temporis contraxerit; factum est ut* Humores ſecundarii, *atque* Fermenta omnia *è Sanguine oriunda, labem quoque sint nacta, unde universa ἐπιφαινόμενων Symptomatum seges. Ex Sanguinis ergò viſciditate ejusdem* evacuationis per conſuetas vias ſuppreſſio, *cujus particulæ in Cutis superficie restagnantes,* Maculas liveſcentes *peperunt. Fermenti digestivi, atque aliorum ad alimenti separationem perfectionemque dicatorum ineptitudo,* Viſcerum naturalium Obſtructionem, *atque* Tumorem *Ventriculi regionem obsidentem, nec non* Pedum œdema, Oris amaritudinem, *atque* Inappetentiam *facere apta fuere: quin & acidus Sanguinis sapor ad salsam muriaticam conditionem evectus,* Scorbuticam Gingivarum corroſionem *parere potuit.*

*Quæ quum ita sint, negari nequit* Morbum valdè moleſtum eſſe & pertinacem, *ita ut, ſi negligatur, possit vel* Obſtructiones ſcirrhoſas *in imo ventre inducere, vel* Cachexiam *aut* Leucophlegmatiam *inferre, vel in veram* Affectionem Scorbuticam, *quam jam minatus est, degenerare; nihilo minùs ſi Medica præsidia ritè & rectè administrentur, quemadmodùm usque adhuc administrata sunt, accedente quoque exactâ Victûs ratione, spero futurum, ut malum prorsus eliminetur: quod eò rationabiliùs speraverim, tum quia illius ferocia jam videtur non leviter perdomita, tum etiam quia ætatis progressu effœtiori semper reddito uterino Fermento, sensim quoque primus morbi fomes debilior evadet.*

Curationem *igitur prosequamur. Hæc duplex institui debet, una scilicet* in Paroxyſmo, *alia* extra illum. Ingruente *igitur* Paroxyſmo *ea Remedia exhibenda erunt, quæ* Sanguinis *irregularem & prorsus hyſtericam agitationem,* Spirituumque animalium *ataxiam, ac* partium nervoſarum *ſtimulum compescere valent, quæ nomine* Anthyſtericorum *vulgò audiunt. Commendaverim imprimis* Suffitus *rerum fœtidarum,* Frictiones, Inunctioneſque *ex Oleo Succini, Rutæ ſtillatitio, aliove, quod* Excellentiſſimæ Laboranti *anxietatem nauseamque non pariat.* Internè *ex usu erit Tinctura Succini cum Aquâ Artemisiæ vel Theriacali, vel, quod omnibus palmam præripit, Laudanum Hyſtericum* Hartmanni, *paratum nempe ex Extracto Lichenum: hoc enim vel formâ pilulari exhibitum cum Extracto granorum Actes, vel Aquâ Meliſſæ diſſolutum ad* gr.x. *cum totidem granis Oculorum Cancrorum, hyſtericas Mulieres mirè ſublevat.*

Extra Paroxyſmum *præcipua indicatio est* Sanguinis *vitioſum* Saporem corrigendi, *ejusque per debitas vias* evacuationem promovendi, *ac deinde Fermentorum vi corroboratâ,* Ventriculi *ac reliquorum* Viſcerum actionem excitandi, *quin &* Cerebrum *parteſque nervoſas* confortandi. *Quibus indicationibus insistens,* Medicamenta Cathartica *propriè dicta, ſeu vehementer alvum purgantia, imò quaſcumque immodicas per quaſcumque corporis partes evacuationes, haud probaverim: haud enim novum in Praxi Medicâ est, fortibus Purgationibus Hyſtericas atque Hypochondriacos quam maximè lædi. Prout igitur neceſſitas expoſtulabit leviter purgandum erit Corpus,* Eccoproticis *ſcilicet deſumptis ex Aloë, Rhabarbaro, vel Syrupo Fumariæ ſolutivo: quæ eo promtiùs administranda erunt, ſi ſigna aliqua adſint imminentis, etſi non futuræ, Menſtruæ purgationis, ut scilicet ablato quadantenùs impedimento, hanc evacuationem fortaſsè moliri poſſit Natura, quæ ad idem opus diſponatur* Emmenagogis, *ſeu Menſes moventibus medicamentis, præcipuè ex Myrrhâ, Croco, Macere, Craſſiâ ligneâ & ſimilibus petitis.*

*Quod verò attinet ad* Sanguinis miſſionem, *etſi haud credam, hanc remedium eſſe poſſe ad Menſes suppreſſos ciendos; attamen ad compeſcenda ea Symptomata, quæ ex Menſium ſuppreſſione oriuntur, præſertim Uteri ſtrangulatum, illam mirè proficere, & ratio ſuadet, & experientia quotidiana demonſtrat. Quare ſi Paroxyſmi (quod Deus avertat) frequentiùs invadant, præſertim cum Corporis excandeſcentiâ, ac Faciei rubore copulati, à Sanguinis miſſione, ſed non largâ, haud abhorrerem. A Sanguinis inquam miſſione, potiùs per* Saphænam, *vel* Iſchiadem *in Pede factâ, quàm per* Venas Hæmorrhoidales *ope* Hirudinum; *craſſior enim Sanguis per Venam in Pede ſcalpello ſectam educi poteſt. Id autem intelligendum eſt, ſi Pedes ipſi omni Tumore careant, ac Ventriculus meliùs ſe habeat: quòd ſi Pedes tumeant, vel Sanguis non eſt detrahendus, vel è* Venis Sedis *appoſitis* Hirudinibus *emittendus.*

*Propoſitus eſt ulteriùs* Lactis *uſus: & quamquàm in Hypochondriacis, & Stomacho debilibus à Practicis non commendetur, quod fortaſse innuere voluit* Hippocrates *dum ait, periculoſum eſſe* Lac dare quibus Hypochondria ſuſpenſa murmurant. *Nihilo tamen minùs quum audiverim* Excellentiſſimam Ægrotantem *Lacte ſumpto aſinino meliùs ſe habuiſſe, illud exhibere auderem, ſed paucâ doſi, Saccharo mixtum, & veluti tentabundus, ut ita dicam, ad hoc ſcilicet, ut illius in Ventriculum actio obſervetur: ſi enim perbellè digeratur, nullis ructibus acidis, nullâ ventris perturbatione, fluxibus, capitis dolore, ſimilibuſque Symptomatibus ſupervenientibus, protrahi poterit illius uſus, inſtitutâ quoad fieri poterit,* Lacteâ Diætâ; *ſi contrà hæc mala obſerventur, illicò deſiſtendum.*

*Uſum verò* Aquæ Antivenereæ *dictæ non poſſum non ſummis laudibus extollere: illius enim viribus vitioſa Sanguinis diatheſis, præſertim per Sudoris, & Urinæ vias, excrementoſis particulis propulſis, emendari ac corrigi poteſt: præterquàm quòd res ipſa id commonſtravit ſæpiſſimè: ſummum enim adjumentum ex illius administratione corpori ſemper acceſſiſſe in confeſſo eſt. Quare hac præſertim anni tempeſtate, illius uſum minimè intermittendum eſſe reor, ſed interpoſito, prout neceſſitas expoſtulaverit,*

*Medica-*

## SECTIO IV.

### *De Viri Admiſſione Læſa.*

FOemina quæcunque, quæ cum Menſium Fluxu ad Generationem quaſi ſe habilitat, & cui Pruritu Venereo titillant Genitalia, à Viro præſtanti ſatisfactionem deſiderii recipit per debitum *Congreſſum*, ſeu potiùs per debitam *in Congreſſu Admiſſionem*. Læditur hæc Viri Admiſſio vario *Orificii Uteri externi & Vaginæ uterinæ* vitio, vel nimis clauſæ, aut nimis ſtrictæ, aut anguſtæ, vel nimis patulæ: ſeu denique impedita eſt Admiſſio hæc in Affectu, qui vocatur vulgò *Procidentia Uteri*, ſeu ejus *Prolapſus*, & in *Inflammatione* atque *Exulceratione Uteri*.

## CAPUT I.

### *De Vaginæ Uterinæ Anguſtiâ.*

QUoad *nimiam Anguſtiam* ſeu *Clauſuram Uteri*, hæc eſt vel *Naturalis*, vel *Præternaturalis*: *Naturalis*, de qua ſuprà dictum: *Præternaturalis* verò, quæ eſt hujus loci.

### CAUSÆ.

Fit à *coalitu* Vulneris, Rupturæ, Eroſionis &c. inconcinno, per quem aut Vaginæ Uterinæ parietes juſto arctiùs conglutinantur, aut Excreſcentia carnea Meatum hunc occludit, cujus Exemplum videb. in Wieri *Obſ. pag.* 114. Plures Cauſas utut infrequentiores, vid. in Rœnhuſyo *pag.* 114. & 118. nec non Wiero *pag.* 99.

### CURA.

Nimia anguſtia ſubinde *repetito Coitu* ſolet curari. Optimum aliàs Remedium eſt, ut recipiatur *Rapa exſiccata* debitæ magnitudinis, quæ immittatur Sinui Pudoris, ita per diem relinquatur; intumeſcendo enim Clauſuram laxiorem facit: ſin minùs id fiat, per *Speculum Uterinum* dilatanda venit. Si verò clauſa ſit Vagina nimis, *Methodo Chirurgicâ* curatur, de cujus Curâ jam ſuprà locutus ſum. Aſt ſi Vagina Uterina forſan coaleſcat per *Excoriationem* aut *Exulcerationem*, Malum difficile eſt, & citra *Sectionem* non poteſt curari: quæ tamen etiam maximè dubia eſt. Si verò *nimis patula ſit Vagina*, beneficio *Balneorum*, *Inſeſſuum* aut *Lotionum* Aluminoſorum Adſtringentium, curatur.

## CAPUT II.

### *De Procidentia Uteri.*

*Uteri Procidentiam* in ſpecie quod ſpectat: Vocatur ita propterea, quia cõmuniter putant, quòd Uterus extra ſitum ſuum naturalem fermè progrediatur, exeat, & ita per Pudenda propendeat, ita, ut procidere obſervetur Corpus quoddam rotundum colore carneo, in medio perforatum, nunc magis nunc minùs; qualem Molem verum Uterum, ſeu Uteri fundum, eſſe putant. Verùm illi ſanè errant, quamvis illam communem Opinionem defendere conetur Graafius *de Part. Mulier. Generationi inſervient. cap.* 11. Argumentis tamen maximè imbecillibus. Nam ſi jam conſideramus firmam iſtam Uteri connexionem circa Os Sacrum cum Inteſtino Recto ac partibus vicinis, item per Membranas (quibus Ligamenta ejuſdem lata laxè connectuntur per firmam cum Lumbis connexionem); ſanè per ſe patet, Uterum planè eſſe immobilem, & omninò impoſſibile, ut talis fiat Uteri Prolapſus, à *Causâ* ſcilicet *internâ*, ſed neceſſe eſt, ut ſemper concurrat inſignis *Violentia externa*, atque ita ſit potiùs *Uterus protractus*, quàm Uterus *prolapſus*. Evenit hæc *Protractio* interdum *in Partu difficili*, dum Obſtetrices ſæpè malè tractant Mulieres parturientes & Puerperas: ſit itidem hoc à nimis validâ & violentâ Secundinarum, Utero interdum adnatarum, extractione, cum quibus ſimul & Uterus tandem neceſſariò foras extrahitur, & violenter à Situ naturali divellitur. Id quod tamen fieri nequit citra ingens Vitæ periculum, ita ut tales Mulieres propter *Vaſorum ruptionem & lacerationem partium*, ut & *Inflammationem gangræneſcentem*, vix ac ne vix quidem ſalvari poſſint, ſed ſemper neceſſe ſit intereant. Exemplum tale recenſet Bartholinus *Cent.* 2. *Hiſtor. Anatom.* 91. ubi habet Uteri extractionem cum Secundinâ lethalem: Videatur itidem Hildanus *Cent.* 4. *Obſer.* 60. ubi etiam habetur Uteri extractio propter ineptam violentam Secundinæ tractionem. Plura vid. in Berengario, Diemerbrocio *Anat. lib.* 1. *cap.* 24. Carpo *Iſagog. Anat. pag.* 25. Mauriceau *de M. M. lib.* 9. *cap.* 6. *Obſ.* 76. & Primeroſio *de M. M. lib.* 2. *c.* 15.

Verùm cùm talis Extractio ſeu Protractio ſit omninò periculoſa & ſubinde lethalis, patet, quid habendum ſit de Traditione iſtâ ſatis communi, quâ Uterus aut exſectus aut Ulcere abſumptus ſtatuitur, remanente interim Vitæ aut Sanitatis integritate, imò adhuc reſtitante vi concipiendi? Affectus autem iſte, qui vulgò nomine Procidentiæ ſeu Prolapsûs Uterini venit, *minimè Utero* propriè ſic dicto *competit*, ſed tantùm *Vaginam Uterinam* afficit, Utero ſemper in ſitu ac conſtitutione ſua naturali permanente: ac ob id à Modernis genuino nomine *Prolapſus Sinûs Pudoris* rectè vocatur, fitque duobus modis:

1. Quando *Vagina Uteri* tota nimis relaxata aut extenſa propendet foras, quod interdum fit in Partu difficiliori, aut improvidâ Obſtetricis manu; vid. Rœnhuyſius *Obſ. Chir. lib.* 2. *pag.* 91. in quo nimis laxatur, extenditur & diſtenditur Vagina Uteri, ejuſque imprimis Membrana interna rugoſa; poſt talem enim difficilem Partum facilè evenit, ut non rarò duos digitos latos globosè extra Genitalia propendeat, ac in medio ſui *Foramen* exhibeat, quod falsò pro Uteri Orificio inter-



*Medicamento lenitivo. Id autem intelligendum eſt, ſecluſo Lacte; quòd ſi hoc adhiberi poterit, removendam eſſe Aquam Antiveneream exiſtimo.*

*Hæc ſunt Medicamenta, quibus hiſce temporibus, & procul ab hâc Urbe, uti poterit* Excellentiſſima Dña. *Si enim hîc commoraretur, maximè rationi conſonum putaverim uſum* Aquarum Thermalium, Balneorum *formâ; illis enim non tam Viſcera corroborari, & Sanguis repurgari poſſet, quàm etiam tenſio illa dura in Ventriculi regione auferri. Quod remedii genus ingruente etiam Autumno ex uſu quoque eſſe poſſe puto: quâ item tempeſtate, cùm Aëris calor deferbuerit, ad* Chalybeata remedia *tranſeundum. Cæterùm* Victûs ratio *exactè eſt inſtituenda, præcipuè vitatis acidis, crudiſque Cibariis, ac pro Potu Aquam ex Chinâ dulci vel ſimilem commendo. Reliqua demum accuratiſſimi Doctoris, cujus in operando dexteritatem, atque in ſcribendo eruditionem valdè ſum admiratus, induſtriæ committenda: ejuſque judicio hoc qualecumque* Conſilium, *ut mandatis, quæ detrectare animus non eſt, obtemperarem, ſed non ſine animi perturbatione, ob rerum publicarum viciſſitudinem, extemporè exaratum, ſubmitto.*

no Veteres habuerunt. Quòd ſi etiam ab alia quacunque Causâ, vel internâ vel externâ, relaxata, aût nimis extenſa, & in naturali tono vitiata fuerit iſta Vaginæ interna Membrana, facilè citra Uteri affectionem, vel in ſitu mutationem foràs propendere, vel in labiis Pudendi hærere, vel ulteriùs plùs minùs procidere poteſt.

2. Etiam ſit Prolapſus ſeu Procidentia vulgò, ſed falsò ſic dicta Uteri, quando *Rugæ Vaginæ Uterinæ* in quadam ſui parte *laxatæ*, aut *exeſæ*, aut *eroſæ* nonnihil, Sanguine vel aliis Humoribus repletæ, ſucceſſivè in tantum à naturali tono relaxantur, ut pedetentim extra Vulvæ labia propendere incipiant, ita ut tandem repræſententent *Corpus amplum, rotundum, anguſte Collo annexum*, & extra Sinum Pudoris propendens; quod Collum ulteriùs intra Sinum Pudoris ſe abſcondit. Corpus propendens iſtud interdum in tantum augetur, ut tandem ad *Capitis Infantis* magnitudinem quoque accedat, & interdum *ad Genua uſque* propendeat; Imò interdum alteratum ab Aëre externo, vel Humoribus, tandem ulceratur, & graveolentem fœtorem expirat, & pondere ſuo ac ſitu, *Dolorem* moleſtum, pariter & impedimentum in progreſſu, Mulieribus affert.

## CAUSÆ.

*Cauſæ* hujuſmodi Protuberantiarum, quas Uteri Procidentiam dicunt, ſunt ſæpiùs *Internæ*; ut plurimùm poſt *Hæmorrhagias Uteri nimias*, à Sanguine ſeroſiore, aut poſt diutiùs continuatum *Fluxum Album*, oritur, dum laxatis Fibris aut Membranis, Rugas Vaginæ conſtituentibus, hæ ſucceſſivè Sanguinem alioſque Humores colligunt, coacervant, tandemque in tale Corpus ſucceſſivè augentur. Humores iſti concluſi ſucceſſivè corrupti putredinalem tandem Acorem contrahunt, ſicque in *Ulcera* fœtida, tandem Corpus proprium exedunt. Quòd ſi tandem ſuperveniente interdum *Gangrænâ* propendens Moles abſcindatur, tum Uterum prolapſum, vel integrum ulceratum, citra Vitæ periculum abſciſſum eſſe & abſcindi poſſe, Veteres jactitârunt: & cum tactu intus inæqualitatem quandam repræſentet propendens Tumor, Teſticulos vel ſimilia Corpora in Utero inverſo latêre putârunt: quæ tamen omnia Veterum aſſerta de Utero propendente ſufficienter refellit Modernorum Experientia Anatomico-Chirurgica, in ſpecie Rœnhuyſen *Obſerv. P. 1. pag. 91.* & Chirurgi Amſtelodamenſis Job *van* Meeckern, qui in *Obſerv. ſuis Medico-Chirurg. Idiomate Belgico conſcriptis*, ſed mox Germanico prodituris, *Obſerv. 51. §. 2. pag. 310. ſeq. & in Append. cap. 14. pag. 491.* elegantibus Obſervationibus docet, poſt Mortem Mulierum, quæ cum aliis Affectibus variis complicatis lethalibus, & Procidentiâ ſic dictâ Uterina inſigni laborârunt, poſt factam Corporis apertionem in talibus Uterum verum naturali ſuo loco & ſitu conſtitutum fuiſſe, & id quod propenderit, ſolùm in Vaginâ Uterinâ relaxatâ, aut ejus aliquot Rugis nimis protenſis fuiſſe, adeò, ut aliquando ingentem talem Procidentiam poſt convenientem in parte ſui anguſtiore, ſeu Collo, Ligaturam Chirurgi abſciderint, & relicto Filo in loco abſciſſionis intùs repoſuerint, poſt Mortem Mulieris, aliquot dies poſtmodùm evenientem, repererunt Filum parti cuidam laterali in Collo ſeu Vaginâ Uteri, ubi relaxatæ quædam Rugæ Collum iſtius Tumoris conſtituunt, fuiſſe annexum, Utero in ſitu naturali, hoc eſt in Pelvis cavo, laudabiliter conſtituto. Unde manifeſtè talis Experientia docuit, id quod propenderit & abſciſſum fuerit, ſolùm à Vaginâ relaxatâ & propendente ortum fuiſſe. Imò poſt reſectionem atque exſtirpationem Corporis prolabentis ſeu Uteri ſpurii, Mulieres non ſaltem ſuperſtites & incolumes evaſiſſe, ſed Prolem quoque concepiſſe, ac peperiſſe Rœnhuys & plures Authores perhibent.

Interdum etiam *Excreſcentiæ* Vaginæ variæ nunc *rugoſæ*, nunc *carnoſæ*, nunc *polypoſæ*, extra Vaginam Uterinam enatæ, aut aliis modis curandas ſuſcipiunt, ſed fruſtrà. Occaſio Excreſcentiæ talis ferè eſſe ſolet læſio quædam in interiore Vaginæ ſuperficie, Excoriatio aut Exulceratio in locis hujuſmodi membranoſis, ex qua facilè talis Excreſcentia emergere ſolet: Conf. hìc Meeckern *l. a.* item Rœnhuyſen *Heil Cur. id eſt, Cura Salutaris, l. 2. c. 49.* Bartholinus *Cent. 2. Hiſt. 58.* Salmuth *Cent. 1. Obſ. 44.* Kerckringius *in Spicileg. Anat. Obſ. 53.* qui refert Exempla *Sarcomatum*, nunc in Orificio Uteri interno natorum, nunc propendentium ex Vaginâ Uteri, quæ pro *Utero prolapſu* habita ſunt: Sic in M. A. N. C. *Ann. 2. Obſ. 112. pag. 199.* proſtant Exempla *Excreſcentiæ fungoſæ* Vaginæ, Uteri Prolapſum mentientis.

## DIAGNOSIS.

Quod ergò attinet *Diagnoſin* hujus Procidentiæ ſic dictæ Uterinæ, duplex ſolet eſſe gradus, nempe vel ſaltem ejus *Deſcenſus*, vel ejuſdem *Prolapſus*. Moles enim foras propendens vel adhuc eſt in Labiis, vel circa Labia Pudendi, & hoc ſaltem *Deſcenſus Uteri* appellatur, tuncque apparet exiguus Tumor Labia Pudendorum occupans; quaſi extenſa Pellis, & ſimul Pondus quoddam inſtar cujuſdam Ovi majoris circa Labia Pudendi hærentis: quòd ulteriùs Tumor pergat, ut etiam foràs propendeat, propriè *Prolapſus* ſeu *Procidentia* dicitur, atque tunc apparet Tumor Ovi Anſeris inſtar, modò minor, modò major, ita ut interdum, ceu dixi, ad Capitis Infantis uſque magnitudinem intumeſcat: Interdum habet in medio ſui Foramen, ut anteà monui, quod internum Uteri Orificium putatur, & tunc eſt Vagina tota relaxata, quæ foràs prominet: Interdum citra tale Foramen Tumor eſt rotundus, globoſus, & tunc aliquot Vaginæ Uteri Rugæ affectæ eſſe ſolent. Adeſt in principio imprimis inſignis *Dolor* quidam tenſivus partium, quibus annectitur Uterus, Lumborum, Hypogaſtrii, Pudendi, & circa Os Sacrum, aut partibus vicinis annexis, ex Tumore propendente violenter protractis & tenſis. Interdum ſupervenit *Febris*, interdum etiam *Convulſiones*, & ſubſtantia propendens corrupta ulceratur non rarò, imò gangræneſcit. Poſtquàm aliquandiu duravit Malum ob conſuetudinem Dolor mitigatur, & ſolùm Ponderis moleſtia quædam ſentitur.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: Prolapſum ſeu Protractum Uteri verum, ſeu Protractionem Uteri à Causâ violentâ, ut in principio monui, *Affectum* pronunciat *incurabilem* Lindanus, utut Cura Palliativa, ſi non ſit lethalis, intùs retineri poſſit. Fit enim talis Protractio Uteri violenta nonniſi & avulſis & ruptis Ligamentis latis, quorum conſolidatio, aut repetita connexio, vix per Artem poteſt perfici.

Quod verò attinet reliquas Prolapſûs putati Differentias: *Deſcenſus facilius poteſt curari*, idque imprimis in Junioribus, quàm *Procidentia*.

Quod ſi Dolor, Febris, Convulſio, aliave gravia Symptomata accedant, *Mortis* Cauſa eſſe poſſunt.

Quò magis id, quod prolapſum eſt, *ab ambiente Aë-*

re

*re alteratum*, inflammatum, & Gangrænâ plùs minùs corruptum fuerit, eò periculosius est, nec nisi manuali Chirurgi excisione curabile.

Quòd *si diutius* Malum duraverit (nam interdum per plures annos sine Vitæ nocumento durant, uti observavit Morisonius *de Morbis Mulierum pag.* 386.) eò *difficiliùs* ad scopum optatum Cura pervenire potest.

Aliàs Sinûs Pudoris Prolapsus *per se rarò est lethalis*, valdè tamen molestus & periculosus admodùm, supervenientibus Ulceribus tædiosissimis propter Fœtorem.

Si fit *à Causâ internâ* per *successivam relaxationem*; faciliùs curari potest eô, qui fit per *Violentiam externam*: Qui verò fit per *impetum Obstetricis* incurabilis est.

## CURA.

Quod ergò attinet *Curam*: Prolapsum Sinûs Pudoris *ex Vaginæ vitio* quocunque curare qui vult, sequentes *tres* attendat *Scopos*:

1. Partem prolapsam convenienter *in Situm naturalem reponere.*
2. Repositam Adstringentibus commodis vel verè, vel aliis mediis palliativè, *in debito Situ firmare.*
3. Quòd si vel reponi nequeat, aut alterata, aut jam corrupta & ulcerosa, aut etiam jam gangrænosa, Substantia propendens fuerit, *Abscissione totaliter extirpari debet.* Excrescentia verò quælibet eradicanda venit, idque omnium optimè Ferro.

*Repositio* fieri debet *citò*, partim ne alteretur ab Aëre vel Urinâ, partim quia sic faciliùs curari potest. Fiat ut Mulier debitè Corpore situetur, nempe in Dorso jaceat elevatis Cruribus, & constrictis Natibus, ut ita commodiùs intrudi possit. Quô factô, Manuum ope *Linteum* Fotui ex Aromaticis blandè discutientibus *intinctum* circumvolvatur Digitis, & interiora versùs blandè substantia eminens intrudatur, atque in situm naturalem reponatur: postmodùm *Ægræ Quies* injungenda est. Ante Repositionem autem, imprimis si alteratus & relaxatus nimis fuerit Tumor propendens ab Aëre, commodè *Fotus Aromatici* confortantes & appropriati usurpandi sunt, quorum ope denuò restituitur Uterus: v. g. fiat Fotus ex Roremarino, Salviâ, Absinthio, &c. decoctis in Vino, aut Vini & Aquæ partibus æqualibus, aut Aquâ Ferrariorum: Item Fotus ex Decocto Allii in Lacte, quod Joel commendat: aut coquantur Folia & Baccæ Lauri, Menthæ, Flores Sambuci, ac summitates Artemisiæ, in Vino adstringente: quo Fomento humido, tepidè cum Linteis applicato, aliquandiu fomentetur Sinus Pudoris prolapsus, ut partim Tumor propendens, partim labes contracta corrigatur. Hinc pro scopo *Repositionis & Firmationis* conveniunt omnia alia Remedia, quæ *in Ano prolapso, item quæ in Herniâ Intestinali, superiùs l.* 1. dicta sunt. Communiter Suaveolentia Naribus, Fœtida Tumori propendenti, applicant, persuasi de antiquatâ Opinione, Uterum, ut talem, delectari Suaveolentibus, quibus ut vicinior sit, sursum repat: Sed de his alio tempore. Aliàs ubi Repositio est difficilior, singulare Experimentum est Helidæi Suffitus institutus ex Stercore bubulo siccato, cui adhuc præstantior, & ab omnibus decantatum Experimentum, est Suffitus Pellis Anguillæ salitæ, in fumo exsiccatæ & pulverisatæ ex qua, Carbonibus impositâ, Fumus Vulvæ per Tritorium excipiatur: Suffitum enim præbet excellentissimum ad Repositionem Uteri. In defectu hujus quibusdam Experimentum est Ovum Gallinæ putridum, quod, rupto cortice ipsius, Panno subtili vel Lanâ exceptum immediatè Tumori propendenti applicatur, & mirè confert ad reponendum Prolapsum Sinûs Pudoris. Est Experimentum Foresti, Stoeckeri, & aliorum. Quidam laudant pro hoc scopo Inunctionem regionis Ossis Sacri & circa Os Coxendicis *Pinguedine Ursinâ*, aut *Erinacei*, item applicationem Emplastri Magnetici contra Herniam: Sed an hæc tantum valere possint? dubito, utut aliàs paria, quæ in Ano prolapso, vel in Herniâ Intestinali conducunt, etiam in Prolapsu Sinûs Pudoris locum inveniant. Jubent quidam pro Utero reponendo, ut *Mulier terreatur*; quia sic ferè sponte retrahatur Sinus: nempe ut Chirurgus, vel Medicus, Ferrum candens ipsi tunc manu ostendat, ac stimulet, quasi vellet Uterum eo tangere: sic enim, Muliere terrefactâ, introcedere, uti ex Castro refert Sennertus *lib.* 4. *Prax. ubi de Uteri Procidentiâ p.* 95. Zacutus Lusitanus, & ex eo Riverius *in Praxi*, Terrorem per *Mures vivos* filo alligatos per Mulieris Crus sinistrum discurrere permittunt. Quidam *Cucurbitulas majores cum flammâ* Inguini, Umbilico, & sub Mammis apponunt.

*Repositus* sic dictus *Uterus* seu Sinus prolapsus *firmandus* & retinendus est, vel verè, vel palliativè: *Verè* Remediis convenientibus *Adstringentibus*, tam *Internis*, quàm *Externis*: Nam & *internè Vulneraria adstringentia*, & ex iis parata *Decocta* à quibusdam usurpantur, quæ fiunt ex Herniariâ, Pilosellâ, Polygono, Radice Symphyti, Nuce Cupressi, Betonicâ, Tormentillâ, & similibus. Poterius cum successu intùs usurpat sequens *Decoctum* post Repositionem & Firmationem Uteri:

℞. *Nuc. Cupress.* (vel loco hujus possunt accipi *Gallæ*) No. xij.
*Rad. Symph. maj.* ℥ij.
*Fol. seu Herb. Polyg.*
*Herniar.*
*Beton.*
*Pilosell.* an. M. j.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ & Vini.*
De Colaturâ dantur pro dosi aliquot unciæ cum *Syrupo Limonum.*

Cùm etiam *Flatus Intestinorum*, turgescentiâ suâ stimulantes Alvum, Malum exasperare, & ad recidivam disponere possint, propterea crebriorem usum Seminis Anisi & Fœniculi convenienter suadet Poterius. Addantur etiam *Semina* 4. *Calida majora* Decoctis Vulnerariis, ut præcaveatur Flatuum nimius proventus, ne quodammodò denuò protrudatur substantia modò reposita.

Sed imprimis *firmandus est Prolapsus Sinûs Pudoris* per *Externa Fomenta Adstringentia*, nunc sub formâ *Injectionum*, nunc *Fomentorum* Vulvæ extrinsecùs applicandorum, nunc *Suffitûum* modò laudatorum, nunc *Pessi ex Lanâ carminatâ* hujusmodi Decoctis Adstringentibus intincti applicantur. Parantur talia *Fomenta ex Adstringentibus* aliàs cognitis, v. g. ex Gallis, Foliis Quercus, Myrti, Prunorum sylvestrium, ex Equiseto, Alchimilla, & Millefolio, ex Corticibus Granatorum, Sumach, & similibus, quæ decoquuntur in *Aquâ Ferrariorum*: quibus etiam potest addi parum *Aluminis*, eo nempe in casu, quando partes non sunt excoriatæ aut exulceratæ, & quando sunt indolentes; aliàs talia Acria intermittenda sunt: e. g.

℞. *Rad. Symph. maj.* ℥j.
*Gland.* No. vij.
*Malicor.* seu. *Cort. Granat.* ℥ß.
*Alum.* ℥j.
Coqu. in *Vino rubro* ad medias. S.
Fotus Adstringens.

Hôc ipsô Decoctô fomentetur Sinus Pudoris, & etiam *Pessus* ex Lanâ vel Spongiâ hôc ipsô ebria immittatur, ut eò meliùs firmetur.

Poterius *Cent.* 3. *cap.* 91. hôc *Fotu* felici cum successu usus fuit;

℞. *Nuc.*

℞. *Nuc. Cupreſſ.*
*Gallar.*
*Cortic. Granat.*
*Balauſt.*
*Sumach.* an. ℥ij.
*Fol. Myrti*,
*Olivæ* ſeu *Oleæ*,
*Quercûs*,
*Polyg.* an. M. j.
*Flor. Roſar.* p. j.

Bulliant in *Vino rubro*: quo Fotu pars affecta bis vel ter in die foveatur, Muliere intereà quietè jacente.

Prætereà *Decoctum Aluminis*, aut Muſci quercini pro Fotu, aut etiam pro Injectione in Vaginam uterinam, commodè uſurpatur. *Decoctum* etiam *Gallarum* in Aquâ ferratâ, ſeu in quo Ferrum aliquoties extinctum fuit, Utero injectum, ceu admodùm proficuum laudatur. Si in formâ *Peſſorum* & *Globulorum* uſurpentur, cauti ſimus, ne Peſſi tales nimis magni ſint & irritent Vaginam uterinam; Metus enim eſt, ne excitetur *Fluxus Albus*, qui tunc ſolet Malum ſubinde exaſperare. Radix & Folia Urticæ contuſa, & inſtar *Cataplaſmatis* impoſita conferunt. Prætereà non incongruum eſt, ut continuentur Suffitus ex Stercore vaccino aut equino, qui egregiè conveniunt; Item ex Pelle Anguillæ aliiſque ſimiliter fœtentibus. Loco horum ex *Aceto*, *Succino*, *Thure*, *Maſtiche*, *Gummi Juniperi*, & ſimilibus forſan magis ſunt proficui. Hinc Pinguedine Urſi inungatur regio Oſſis Sacri, item regio Pubis. Quidam ceu ſingulare laudant, ſi ſumatur *Chryſanthemum Peruvianum*, quod vulgò vocatur Flos Solis, Germ. *die Sonnenblume*, qui coquatur, & Decocto pars benè fomentetur, quô factô regio Dorſi lumbaris cum Axungiâ ſeu Pinguedine Urſi inungenda, ut firmetur Tumor Uteri prolabens.

Quibus placet, poſſunt applicare *Emplaſtrum* regioni Umbilicali & Hypogaſtricæ, ita ut Pubem versùs pertingat, aut Oſſi Sacro, ex *Opopanace*, *Galbano*, *Tacamahacâ*, & ſimilibus, aut etiam *Ceratum* ex ſolo Galbano. Neſcio an tantum valeant, quantum dicunt. Alii præſcribunt tale *Emplaſtrum*:

℞. *Olibani*,
*Maſtich.*
*Opopanac.*
*Galbani*,
*Serapini*,
*Terebinth.*
*Styrac. liquid.*
*Pic. ſicc.* an. p. æqu.
*Ceræ* parum.

Fiat Emplaſtrum.

Hoc poſteriùs circa Lumbos, & anteriùs circa Pubem imponendum pro firmando Prolapſu.

In Malo graviore, aut inveterato, aut ſæpiùs recidivante, *Thermarum* uſus eſt optimus: Conf. M. A. N. C. *Ann. 6. pag. 89. & 7. Obſerv. 57.*

His ſi nequeat denuò firmari propendens Tumor, *palliativè* firmetur, & intrudatur in Vaginam uterinam *Globulus* cereus, & geſtetur; vel factus ex Subere, Cerâ candidâ aut maſsâ Emplaſtri, factâ ex Cerâ, Colophoniâ, Gummi Elemi & ſimilibus obducto: qualium Globorum, aut rotundorum, aut oblongorum, aut pyriformium, optimam deſcriptionem & delineationem videbitis apud Rhumelium deſcriptam, & imprimis in Moriſonio *De Morb. Mulier. lib. 3. c. 5. Part. lib. 23. cap. 41.* Sculteto *lib. 22.* in Hildano *Cent. 4. Obſervat. 61.* & ex eodem habet Sennertus *de Procidentiâ uterinâ*. Hi Globi immittendi exactè reſpondeant amplitudini Vaginæ, ne nimis parvi Procidentiam non impediant, nimis verò magni Vaginam irritent, aut nimis dilatent, & ad Fluxum Album ſtimulent; unde commodius erit, Subligaculis idoneis Peſſum firmare. Conſultum autem eſt, ut in medio ſint perforati, & inſtructi Filo, ut partim Menſibus concedatur tranſitus, partim verò, ut pro lubitu poſſint extrahi, quando libuerit, in ſpecie, ſi forſan Maritus ingreſſum moliatur; ſic diu ſupervivunt ſine moleſtiâ, quin imò concipiunt & pariunt: extra tempus autem Congreſsûs ſemper debent geſtari hi Globuli.

Putant vulgò, hos Globulos intrudi in Uterum, quod impoſſibile, ſed hærent tantùm in Vaginæ ſummitate; nam replendo exactè, Laxitatem, & ſimul hinc propendentem Tumorem, impediunt & fulciunt: Cavitas enim Uteri tam parva eſt, ut impoſſibiliter poſſit capere, aut ſi capiat, non poſſent tam facilè extrahi & reponi hi Globuli. Loco Globulorum Sennertus facit mentionem *Annulorum* Sinui Pudoris intrudendorum, quibus ſimiliter prolabens Tumor ſuperiùs retinetur, ne propendeat. Hi ſimiliter nullo modo ad Uterum pertingunt, ſed Rugas ſaltem Vaginæ diſtentas & laxatas inde egreſſum molientes firmant & fulciunt, & ita Malum palliativè curant.

Quòd ſi verò *Excreſcentiæ* ſint, aut ſaltem *Tumor* ex relaxatâ unâ alterâve Vaginæ Rugâ, aut, Sinus Pudoris prolapſus ſit *alteratus* ab *Aëre*, & vel *corruptus* vel *ulceratus*; in tali caſu optimum eſt, ut radicitùs *abſcindatur*: quod fit ſine periculo *injectâ* priùs *Ligaturâ* cum Filo; hinc inſtar Ulceris curetur: vid. Paræus *lib. 23. cap. 41.* & Rouſſetus *de Partu Cæſ. c. 4.*

## CAPUT III.

### *De Inflammatione Uteri.*

### CAUSÆ.

UTeri Inflammationis *Cauſa proxima*, ſicut omnium Inflammationum, eſt Sanguinis intra poros Uteri ſtagnatio.

*Cauſæ Remotæ & Occaſionales* frequentiùs ſunt Coitus nimius, Aër frigidior poſt Menſes, aut mox à Partu admiſſus, Partus difficilis, Contuſiones & Lacerationes Uteri à Partu difficili, & Vulnera, (vid. Foreſtus *lib. 28. Obſ. 42.*) nec non Menſes & Lochia intempeſtivè ſuppreſſa.

### DIAGNOSIS.

*Cognoſcitur*, & à vicinarum partium Inflammatione diſtinguitur, per Tumorem, Æſtum, Dolorem tenſivum & gravativum Genitalium, Inguinum, Hypogaſtrii & Umbilici, qui poſt immiſſum Digitum in Genitalia augetur, & interdum ad Coxas, Spinam Dorſi & Scapulas uſque extenditur; unde propter Diaphragmatis compreſſionem & Pleuræ conſenſum, Suffocatio imminet: percipitur ſimul Fervor, unà cum Orificii interni duritie, & retractione: Vagina Uteri fit rubicundior cum Venulis turgidioribus, Menſes & Lochia ſupprimuntur, Mammæ quaſi inflantur & dolent, adeſtque ſimul nunc Alvi, nunc Urinæ ſuppreſſio: conjuncta eſt Febris Ardens continua, interdum Lipyria cum Siti, Linguæ ariditate, Cephalalgiâ & Delirio, Convulſionibus: de quibus vid. Hippocrates *lib. 2. de Morb. Mulier. t. 20. 54.*

### PROGNOSIS.

Inflammatio Uteri Malum ſatis *periculoſum* eſt, quæ, imprimis ejus Fundus, facilè in Gangrænam abit: vid. Hippocrates *Aphor. 43.* & Hercules de Saxonia *Prælect. P. 3. pag. 208.*

De cætero tutius eſt, quando *Inflammatio hæc diſ-*

*diſcutitur quàm ſuppuratur*; quia Suppuratione Abſceſſus, ſi ad cavitatem Abdominis pertingat, novum periculum excitat; quia Pus per Inguina rariùs evacuatur, uti hoc Benedictus *de Curat. Morbor. cap.* 5. annotavit; aut per Alvum expurgatur, quod obſervavit Rhodius *Cent.* 2. *Hiſt.* 89.

Denique Uteri Inflammatio interdum in *Scirrhum* degenerat, qui Affectus difficilis ſatis eſt, & ut plurimùm Hydropem conjunctum habet; quo præſente, Doloris & Ardoris & reliquorum Symptomatum remiſſione Tumor, renitentia, & gravitas Hypogaſtrii atque Crurum remanet.

## CURA.

Quoad *Curam*: in primo Inflammationis principio Revulſionis causâ *Venæ ſectio* inſtituatur in Brachio & altero die, interjecto Clyſtere, in Malleolo: vid. Sennertus *lib.* 4. *P.* 1. *S.* 2. *cap.* 13. & Hercules de Saxonia *l. a. p.* 208. Pòſt, Clyſteres applicentur temperati, emollientes & reſolventes, ex Lactucâ, Malvâ, Violariâ, Floribus Chamomillæ, Sambuci, Verbaſci, in Aqua Calcis vivæ decocti, & cum Electuario Lenitivo, Syrupo Roſarum ſolutivo, atque Nitro injecti. Ratione Alvi evacuandæ uſurpetur Decoctum Tamarindorum vel Paſſularum minorum, cui infuſa Folia Sennæ cum Cremore Tartari ad imitationem Timæi: quales *Formulas ſuprà l.* 1. dedi *ubi de Alvo obſtructâ*.

*Externè Fotus* aut *Cataplaſmata* reſolventia & anodyna, qualia parantur ex Malvâ, Althæâ, Pulegio, Artemiſiâ, Meliloto, Floribus Verbaſci, Chamomillæ in Aquâ, vel ſimplici, vel Calcis vivæ, aut cum Vino coctis, Pectini applicentur, in incremento, & ſtatu Morbi continuanda: ſicut etiam Emplaſtrum de Galbano crocatum & reliqua Reſolventia uſurpari poſſunt.

# CAPUT IV.

## *De Uteri ejuſque Vaginæ, Ulceribus.*

Interdum *Uterus ejuſque Vagina exulceratur.*

## CAUSÆ.

*Cauſæ* horum Ulcerum ſunt vel *Internæ*, ut Lochia retenta, & Inflammationes ſuppuratæ, Sordes intra Rugas retentæ, Fœtus & Mola corrupta, Gonorrhœa maligna, Fluor albus nimis acris, aliorumque Humorum acrium diuturnior affluxus; vel *Externæ*, ut frequens & violentior Coitus, Vaginæ attritio, Partus difficilis, &c.

## DIAGNOSIS.

Ulcera hæc *cognoſcuntur* nunc ſolis Oculis, nunc Vaginâ Uteri per *Speculum Uterinum* diſtentâ; vel ſi profundiora & in ipſo Utero fuerint, ex Dolore & Mordicationis ſenſu, & quidem moleſtiore, ſi partes nempe hæ contractentur v. g. in Coitu, vel acrioribus injectis.

Signa hæc confirmant Fluor albus, retentio Lochiorum, & acriorum applicatio, Excretio purulenta, Ulcus Veſicæ propinquius, Mictio frequens, ardor Urinæ, & ſi poſterior pars Vaginæ affecta, Teneſmus: quibus tandem Febris Symptomatica lenta ſupervenit, cum crebris Horroribus & Lipothymiis: vid. Hippocrates *lib.* 2. *de M. M. t.* 18.

## PROGNOSIS.

Uteri ejuſque Vaginæ Exulceratio ſemper *eſt periculoſa*; Ulcera enim horum difficiliùs conſolidantur, & in *Fiſtulas* plerumque degenerant, tandemque *Hydropem* excitant, imprimis ſi Ulcera fuerint majora.

In *Vetulis*, & quibus major Humorum affluxus, difficiliùs curantur.

Ulcera ipſius Uteri, etiam poſt inductam Cicatricem, Mulieres reddunt *Steriles*, (vid. Hippocrates *l. a.*) utut Primeroſius *l.* 2. *c.* 12. & Rouſſetus *de Partu Cæſar. cap.* 4. teſtentur, quaſdam poſt enormiora Ulcera concepiſſe.

## CURA.

In *Curâ* habenda eſt ratio *Cauſarum & Symptomatum*: unde Ulcera à *Cauſâ Externâ*, v. g. Coitu violentiore, ſolis *Conglutinantibus* tractanda: ubi *Humorum acrimonia* peccat, hæc corrigenda & vacuanda. Ante omnia *Dolor* mitigandus, *Pus & reliquæ Sordes* acriores detergantur.

*Internè* conveniunt *Vulneraria mundificantia*, e. g. Decoctum Summitatum Hyperici in Cereviſiâ vel Sero Lactis, quocunque tempore bibitum.

Vel

℞. *Herb. Heder. terr.* M. j.
*Plantag.*
*Sanic.*
*Summ. Hyperic.* ân. M. ß.
*Raſ. Cornu Cervi* ʒiij.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ ſimpl.*
Colat. ℥viij. adde
*Syr. Corallior.*
*de Symph. Fern.* an. ℥j.
M. D. S.

Potio Vulneraria Matricem purificans.

De quo quater in die bonus hauſtus cum gutt. 30. vel 40. *Balſami Sulphuris.*

Convenit quoque *Elixir Proprietatis*, manè 30. ad 35. gutt. à meridie Liquor Martis Solaris ad 25. gutt. *Externè* conveniunt *Injectiones* Uterinæ ex Decocto Summitatum Hyperici & Florum Verbaſci cum Aquâ Calcis vivæ:

Item

℞. *Lact. Chalyb.* ℥j.
*Tereb. cum Vitello Ovi ſol.* ℥ß. ad ʒvj.
*Mellis Roſat.* ℥j.
Miſc. S.

Inſperſio Mundificans.

Sæpiùs Vaginæ Uterinæ injiciatur pro Ulcere mundificando & conſolidando.

Plures Formulas tradam ſuo loco *in Chirurg. Medicâ*; quæ ſeligenda, & mutatis mutandis huc & in omnibus reliquis Exulcerationibus applicanda. Conf. etiam hîc, quæ *ſuprà de Pruritu & Puſtulis Vaginæ Uteri* dixi.

# SECTIO V.

## *De Conceptione Læſa.*

NOtum eſt, quòd dum legitimè copulantur Mas & Fœmina, Mas emittat Genituram ſuam, cujus Spiritus Genitalis impræegnet Ovum Mulierbre, inſtar Ovi in Ovario Oviparorum, ſicque fiat *Conceptio*; i. e. *Conceptio eſt Ovuli uterini à Spiritûs Genitalis maſculini afflatu facta Fœcundatio*, parili ratione atque Spiritus Genitalis Galli uno compreſſu omnia Ova in Ovario fœcunda reddere ſolet: ſimili ratione Mulierum Teſtes *Ovaria* ſuperiùs dicta ſunt, in quibus *Ovula* Piſorum magnitudine producuntur, quæ per Tubam uterinam, Cornubus Uteri in Brutis analogam, ſub Coitûs ardore ad Teſtem contortam, expanſo hujus Orificio excepta deferuntur ad Uterum. Et hæc eſt Compreſſio & Generatio ordinaria: Id enim quod eſt Ovarium in Oviparis, hoc ſunt Teſtes in Viviparis, & in ſpecie in Mulieribus, utpote qui Teſtes perfecta parva Ovula in ſe continent, Humore limpido ſcatentia, & propriis Pelliculis circumdata, quæ Ovula Aquæ fr-

venti

venti immissa coagulantur in formam albuminis Ovi ndurati, in Aquâ fervente cocti: Vid. Steno, Harvæus, Hornius, Graafius, Malpichius &c.: quæ doctrina Neotericorum in Compendio vid. in M. A. N. C. *Ann. 6. & 7. Observ.* 196. 197. & 198.

Ovulum tale fœcundatum si in Tubâ uterinâ hæreat, *Conceptio* fit *Tubaria* præternaturalis in Homine, i. e. Fœtûs in Tubis uterinis Conceptio & Generatio, Matrique lethalis; de qua parvus, sed non inlegans est *Tractatus* Elsholzii *de Concept. Tubariâ, observatâ Parisiis:* Vid. etiam Riolanus. Extraordinariò quidem fit talis Conceptio in genere humano; rdinariò enim fit in Brutis, nempe in eorum Cornibus uterinis, cum in Brutis Tubæ seu Cornua sint verus locus Generationis. Nil dicam de eo, quod refert Salmuth, *in Stomacho* nempe Mulieris ex nefando congressu factam *Conceptionem*, Fœtûsque digitalis postmodùm per Os exclusionem.

Dixi, quòd *Spiritus Genitalis Maris fœcundet Ova*, iste nempe, qui sub crassioris Genituræ involucro unà excernitur, istâ Materiâ Genituræ crassâ nullo modo vel in Utero subsistente, vel ceu Materiâ Fœtum constituente; demonstrante hôc Harvæo *Exerc.* 6. 39. 49. 67. 68. *&c.* sui primus hanc Veterum opinionem concussit, & ejus fundamentum, nempe ingressum & misturam Genituræ utriusque Sexûs, funditùs diruit. Unde ejus Observationes Experimentales meritò magni sunt æstimandæ, dum in *Oviparis* Ova, sive tota sive saltem eorundem Vitellos, à Spiritu Genitali Maris Galli, seu cujusque Ovipari, tanquam Contagio quodam spirituoso afflari, & ita fœcundari asserit: in *Viviparis* verò Uterum hôc ipsô, vel eodem Contagio spirituoso inficí, & ita Fœminam à mari imprægnari seu concipere dicit, unde successivè ex Materiâ albugineâ in Uterum destillante, virtute istius Contagii spirituosi generatur tandem Fœtus perfectus.

Sed maximè hoc videtur obscurum, *quâ ratione simplex talis Spiritus, uterum saltim fœcundans, sit Causa Conceptionis?* Hisce ergò dubiis occurrunt Modernorum jam allegatorum Inventa Anatomica, quòd scilicet solus Spiritus Genitalis Contagii instar, & Ovum Muliebre penetret, fœcundum reddat, & in motum concitet, Mulieremque ita imprægnet, ut ex eodem tandem generetur Fœtus perfectus. Gallina per integrum annum fœcunda observatur ab uno Coitu Galli. *Spiritus* hic *Genitalis* habet se instar *Fermenti*, addendi Ovo ceu Massæ fermentandæ: *crassa Materia* pro tutela tantùm, vel pro custodiâ Spiritûs inservit. *Ovulum* se habet instar *Fomitis*, qui in proximâ est potentiâ, ut intendatur etiam à tantillâ scintillulâ Spiritûs Genitalis Masculini: *Mas* confert *Principium activum*, *Fœmina* verò *Principium passivum*, quod Veteres dixerunt *Menstruum*. In Ovulo ita fœcundato, seu à Spiritu genitali Maris in motum concitato, nempe quoad Materiam, mox inchoatur *Fœtûs Formatio*, dum non solùm Ovum successivè magis magisque turgescit & dilatatur, sed etiam tum speciatim primitùs apparet *Punctulum se movens & quasi subsiliens*, cum Filamentis circumcircà rubicundis, ita ut *Cordis palpitantis* rudimentum inter Partes Solidas, & *Sanguinis* vitalis Liquor inter Partes Liquidas, primitùs conspiciantur, & *Partes Primogenitæ* esse videantur. Emergit brevi pòst circa Sanguinea Vasa crassius quid & albidius instar *Nubeculæ* apparens, in duas partes divisum; cujus major pars rudimentum præbet, quatuor Vesiculis constans, quæ *Cerebrum, Cerebellum* & *Oculos* binos repræsentant; minor verò pars inferiùs instar Carinæ protensa, *Spinæ* rudimentum est, ex quo *Brachia & Pedes* sensim protuberât, donec Vasis sanguifluis *Viscera* successivè quoque adnata Fœtû perfectû constituant.

*Materia, ex qua formatur Fœtus*, sunt *partim* Humor limpidus albugineus, per Arterias ad Uterum delatus, ejusque glanduloſam subſtantiam, in ejus cavum destillans, & hinc Ovulo in Utero fœcundato affusus, tandemque in Conceptum perfectum, seu Ovum uterinum Harvæanum concrescens, non secus ac in Oviparis propriè dictis Vitellum ex Ovario dilapsum in Uterum, e. gr. Gallinæ, ibidem tandem Albumine investitur; (præter Harvæum, Stenonem & alios, etiam tale Ovulum sub formâ vesicali in Testiculis Muliebribus observatum, notat Bartholinus *Centur. 1. Hist. Anat.* 92.); *partim* verò est Sanguis ex dicto chyloso Succo priùs elaboratus, ita ut verissima sit distinctio in *Partes Spermaticas* & Nerveas, & *Sanguineas* & Carneas: Illis ex Materiâ lacteâ seu chylosâ pronatis: his ex Sanguine circum istas concreto pedetentim exstructis. *Liquor hic nutritius* primis Gestationis mensibus Spiritu Nitri coagulatur in caseosam Substantiam, ultimis verò diebus Gestationis non coagulatur, quia Materia chylosa jam absumpta est. Ex Albumine nutriuntur Partes nerveæ, ex Vitello verò sanguineæ. *Membranulæ Ovorum* sunt illæ, quæ postmodùm fiunt *Secundinæ*, vid. Kerckringius *Anthropogr.* In Genituræ, ut & in Ovo, tantùm Gemmula aliqua inest, quæ fœcunda est. Juxta Harvæum nullus meliùs, quàm Malpighius *de Pulli in Ovo formatione* scripsit. Ova ergò hæc fœcundata, dum ita in Utero foventur & retinentur, donec Fœtus ex iisdem emergat perfectus, dant *Animalia Vivipara*; Sin verò excludantur ante perfectam formationem, & postmodùm solo Ovipari externo Incubatu foveantur, donec perfecti Pulli egrediantur, dant *Animalia Ovipara*. Non autem est *essentialis Differentia*; nam & observatum est, Gallinam Ova intra se fovisse, & loco Ovorum Pullos vivos numero sex exclusisse unâ vice, utut hoc ipsum cum morte Gallinæ Matris fuerit conjunctum; Quam Observationem videbitis in *Observat.* quas Bartholinus *Cultro Anat. Lyseri adjecit*, est *Observatio 6. Bartholino* à Lysero communicata. Dictum est, *Punctum saliens*, quod postmodùm *Cor* constituit, cum Sanguine primò ante omnia generari. Sunt quidam, qui existimant, *Partes omnes simul delineari*, easdem verò postmodùm successivè generari & perfici. Non incongrua videtur hæc Assertio ex eo, quòd Malpighius observet, in Ovo fœcundato jam reperiri *Gemmulam* capitulo rotundo, cum protenso Corporis rudimento conspicuam, ex qua successivè auctâ pedetentim quasi evolvantur Partes, ita ut suspicari liceat in istâ Gemmulâ jam rudimenta omnium Partium esse posita ac figurata, quæ postmodùm per extensionem sub Nutritione & Auctione pedetentim magis magisque fiant conspicuæ. Par nempe ratio hîc esse videtur atque *in Plantarum Seminibus*, seu potiùs *Ovulis*: in his etiam est *Gemmula*, ex quâ Planta nascitur, & in quâ tota Planta jam delineata conspicitur, quâ corruptâ perit omnis vis & spes Generationis: Ita simpliciter in Ovulo est Macula, seu Cicatricula, seu Gemmula, in qua partes Pulli omnes potentiâ insunt, & ex qua ordine explicantur, in qua Maculâ seu Gemmulâ est *Spiritus*, cui Creator potestatem fecit Fœtum efformandi. De Seminibus Plantarum, quòd sint Ova sui generis, vid. Fabricius ab Aquapendente, & Grevv, Anglus, *de Vegetabil. Generat.* seu *Anatome de parte ad partem.* Dum generatur Semen, generatur etiam Planta. Dum ergò coëunt Mas & Fœmina, statim Generatio fit.

*Efficiēs hujus Formationis* videtur esse *Spiritus Genitalis utriusque Sexûs*, Matris quidem in Ovulo concentratus, Maris mediante Genituræ in Congressu ejaculatus; qui licèt originaliter videatur duplex, in Ovo tamen mutuâ coitione unitus, ex Materiâ limpidâ in Ovo coercitâ *Corporis Machinam* format. Quomodo autem fiat? res est obscurissima: *Cartesiani*, &

& hos ſequentes, ex *ſolo Motu* particularum per Calorem excitato fieri Formationem volunt, determinante hunc plùs minùs Spiritu ipſo Genitali, quo Motu particulæ minimæ Materiæ agitatæ ob ſuas figuras, texturas, aliaſque proprietates, neceſſariò in Germen Animalis abeant, eo modo, quo ex oblongis Salium particulis, in Aquâ vi Caloris agitatis, & inter ſe conjunctis, variæ Salium, eæque diſtinctæ, efformentur Figuræ. Confirmat hoc, quòd Ova fœcunda ſi concutiantur, vel agitentur fortiter, fiant infœcunda. Aliis caſuale nimis, & quaſi fortuitum, ſtupendum Formationis Corporis negotium hoc modo explicandum videtur, quin mirabilis ſtructura in tot mille Animalibus eodem modo eveniens, & ſpeciales Parentum texturas ſimul exhibens, determinatum & ſpecialem *Formatorem* exigat, unde tales per *Ideas Seminales* negotium hoc explicant, quæ anteà confuſæ, ſed ſucceſſivè & ordinatâ ſerie evolutæ, Corporis Formatorem Spiritum dirigant, ut determinatus tale vel tale Corpus fabricet. Id quod confirmare videtur Idea Matris imaginando concepta, Formationem Corporis Fœtûs diverſimodè modificans; ſi enim Idea eſt extraordinaria, dat Fœtum extraordinarium, ut Caput ſuillum, fiſſum, &c. Idea ergò etiam ordinaria Seminalis Fœtum dat naturalem. Omnes homines eſſentiâ ſunt ſimiles, ſed differunt accidentalibus lineamentis.

Ex hac Modernorum doctrina ſpinoſæ quamplurimæ Controverſiæ *de Conceptione & Generatione prolium numerosâ, & Superfœtatione* facilius poſſunt expediri, dum nempe ſæpius Gemelli, interdum Trimelli, imò quatuor, etiam octo Fœtus vivi, ſani & vegeti unâ viceà Muliere excluduntur, teſte Borello *Centur. 2. Obſervat.* 44. pro numero ſcilicet Ovulorum in uno, aut pluribus ſe invicem ſubſequentibus Congreſſibus, à Spiritu Maris Genitali, tanquam à Gallo fœcundatorum, & in Utero retentorum. Harvæus etiam obſervavit Ova, quæ conſtant duplici, aut triplici, aut etiam pluribus Vitellis: An ſit univerſale? nondum determinatum eſt. Huc pertinet Obſervatio Svvammerdammii, quam allegat Schraderus *in Præfat. de Generat. Animalium*, deMuliere, quæ menſe ſexto ex Abortu Gemellorum interiit, obſervatis veſtigiis ſeu foraminibus duorum Ovorum juxta ſe invicem conſitorum, ubi etiam obſervata ſunt Ova non ſeparatim exiſtentia, ſed bina quædam ita invicem connexa fuiſſe, ut ab invicem ſeparari non potuerint. *Probabile ergò eſt, oriri Gemellos ex binis Ovis inter ſe connexis.* Hiſce & *Superfœtationis* obſcura aliàs doctrina fœneratur lucem, quæ fit, quando Ovulum unum, & poſt aliquot ſeptimanas vel menſes repetito denuò Congreſſu aliud fœcundatur, unde poſt Partum primum, aliquot ſeptimanarum vel menſium ſpatio alius Partus vitalis ſupervenit.

*Spiritum Genitalem Maris* imprimis obſervandum monui, qui ſcilicet ſub craſſiori Genituræ regimine excretus, Utero ſuſceptus, fœcunda reddit Fœminæ Ova, ipſo craſſiore Genituræ corpore unà cum Fœminæ Liquore ſic dicto Seminali denuò ex Vaginâ effluente. Unde patet, verum eſſe, *poſſe concipere etiam Virginem*, cui Penis non adeò profundè intrudatur, & cui Clauſtra, quæ vocantur Virginalia, minùs in tali caſu aperiuntur, modò tam artificioſè ejaculetur Genitura Maris, ne ab Aëris externi ingreſſu vitiari, aut Spiritus Genitalis diſſipari poſſit, quin potiùs hic ipſe promptè ſe in Uterum inſinuet, & ita Virginem imprægnet. Exempla, quæ hoc confirmant, habet Borellus *Cent. 4. Obſerv.* 26. non tantùmodò de Virgine, quæ citra perfectam Penis immiſſionem fuit imprægnata, ſed in ſpecie de *Equâ*, cui fibulis & annulis ferreis Vulva fuit occluſa, quæ nihilo minùs tamen concepit. Curioſa etiam eſt Obſervatio *de Puella imperforatâ*, & cui tantùm eſſet Foramen exiguum magnitudine Piſi, quæ tamen ex ſolâ Amaſii externâ ejus Membro frictione, & ita Genituræ factâ excretione, concepit, ita ut imminente Partu Membrana, Foramen obvelans, reſcindenda, & Vulva aperienda fuerit, ne periculum in Partu incurreret: vid. *Obſervat.* 13. *communicata* Bartholino *à* Moinichen, quæ etiam annexa eſt *Cultro Anat. Lyſeri*, item Hoboken *in Spicileg. Epiſt. pag.* 188. Harvæus *Exercit. de Partu* 369. Item mirabilia refert Exempla Guillemeau *de Partu l. 2. c.* 10. Graafius *de Organ. Mulier. pag.* 5. M. A. N. C. *Ann. 3. Obſer.* 273. *pag.* 34. Viardel *in Obſervationibus de Genituâ muliebri pag.* 46. Marcus Aurelius Severinus *in Offic. Med. pag.* 285. Sufficit ergò ad Conceptionem ſaltem Spiritus Genitalis Maris, modò extra Aërem externum poſſit venire in Vaginam Uteri. Plura quoad Materiam Conceptionis & Fœtûs vid. in Harvæo *in Exerc. de Generat. Animalium*, item in Deuſingio *Exercitat. de Geneſi Microcoſmi*, item Claudio *de la* Courvee, *Archiatro Regis Poloniæ*, *Tract. de Nutrit. Fœtûs in Utero*: item Marco Marci *de ideis Operatric.*

In ſpecie ſimus ſolliciti de *Signis Conceptionis*, cùm multum interſit, ut cognoſcamus, an Mulier conceperit, nec ne? Equidem *Signa concepiſſe Mulierem, certa ac Pathognomonica rariùs deprehenduntur*; imò ferè penitùs non dantur, cùm notum ſit, ipſas falli Mulieres in hoc caſu. In quibuſdam autem Mulieribus ex peculiari idioſyncraſiâ evenit, ut ſaltem habeant Signa quædam ſpecialia, ſeu ipſis ſolummodò propria, nec multis communia. Quia igitur ſunt particularia, non de omnibus teſtantur: qua ratione e. g. Amatus Luſitanus refert de Muliere, quæ ſemper quâdam Melancholiâ Uterinâ laboravit; ſimul verò atque concepit, etiam iſta Melancholia ceſſavit: Sic Panarollus *Pent. 5. Obſ.* 46. obſervavit aliquando tale Signum infallibile Conceptionis in quâdam Muliere, in qua cum concepiſſet, ſtatim primis menſibus Vena tumens in Femoris internâ parte circa Genu apparuit: Aliæ quædam uno alterove poſt Conceptionem die crebris Vomitibus manifeſtari ſolent: aliæ extra Gravidationem Libidine pruriunt, ſed factâ Conceptione ardor videtur extinctus, uti videb. in Panarollo *Pent. 3. Obſ.* 9. & Schenckio *lib. 4. Obſerv. ubi de Conceptione.* Ordinarium ferè eſt Gravidis Surarum tenſio & ſtupor Pedum; dextri quidem, ſi Maſculus; ſiniſtri, ſi Fœmella fuerit Embryo. Exempla vid. in Binningero *Cent. 2. Obſ.* 38. Interdum Mulier gravida facta poſt paucos dies Epilepſiâ corripitur. Sed hæc, uti dixi, ſunt Signa particularia, quæ rarò obſervantur, & quibuſdam individuis ſaltem propria; Communia autem Conceptionis Signa Pathognomonica, atque hinc infallibilia, non dantur. *Probabilia* tamen *Signa*, & ex quorum ſyndrome ſatis apparenter concludi poteſt Conceptio, ſunt ferè *ſequentia*; Nempe

1. *Orificii Uterini interni ſtricta clauſura*, ita ut, teſte Hippocrate *Sect. 5. Aphor.* 51. ne Speculum quidem admittat. Hoc ipſum Signum pluribus evenit, & tanquam unum ex certiſſimis commendat Panarollus *Pent. 3. Obſervat.* 20. dum dicit, hoc ipſum immiſſo Digito poſſe cognoſci; item Foreſtus *lib. 28. Obſerv.* 49. In Mulieribus non Gravidis, dum percutiuntur œſtro Libidinis, aut fricantur Genitalia, (aut furore vexantur Genitalium) Orificium Uteri internum ſolet hiſcere inſtar Piſi; Foveam enim quaſi quandam repræſentat Uterus non clauſus, & ſi non concepit, efformat circa Orificium Foraminulum; quòd ſi verò firmiter claudatur, poſt factam ſcilicet Conceptionem, nulla Fovea aut Sinus tunc reperitur; vid. etiam Rodericus à Caſtro *de Morbis Mulierum P. 1. l. 3. pag.* 4. qui eſt in hac opinione. Et hoc Signum ferè ex primariis habetur.

2. Succedit *Menſtruorum ordinaria emanſio ſeu retentio*, quæ ordinariò ferè à Conceptione ſupervenit. Ordinariò dico, & ut plurimùm; quia non univerſale eſt: Dantur enim Exempla Mulierum, quibus etiam primis Geſtationis menſibus Menſes adhuc ordinariò fluxerunt: Nempe Sanguine ſeroſiore, item copioſiore & ſpirituoſiore abundantibus: quin & quibuſdam toto Geſtationis tempore Menſes fluxiſſe obſervatum eſt. Excipiuntur hîc quoque Virgines quædam, quibus Labia nunquam polluerunt Catamenia, & tamen fœcundæ ſunt, *Viragines* aliàs dictæ, quæ in hoc paſſu alterationem non ſentiunt; vid. Schenckius, & Marcellus Donatus *Hiſt. mirab. Cent. 4. Obſ. 23.* Rarum eſt, quod in M. A. N. C. *Ann. 3. Obſ. 348. pag. 555.* refertur de Muliere, quæ nũquam paſſa eſt Menſtrua, niſi fuerit Gravida.

3. Primis poſt Congreſſum diebus ſubinde *Horror aut Horripilatio* quædam, aut vagus Frigoris ſenſus, Corpus ſeu potiùs Corporis peripheriam *ſine manifeſtâ causâ* pererrare percipitur; aut ſaltim ipſæ Mulieres dicunt ſe ſentire, neſcio quid in Corpore: ut plurimùm tamen, uti dico, ille Frigoris ſenſus, & Horror ſeu Horripilatio percipitur poſt Conceptionem.

4. Succedunt etiam ſucceſſivè *Symptomata* varia circa *Stomachum ac Digeſtionem*: nempe primò *Appetitus eſt dejectus*, hinc *vomunt* omni mane, adjunguntur *Picæ*, faſtidium Alimentorum, in ſpecie Carnis, & *Nauſea* ingens Eſculentorum aliàs conſuetorum, ita ut ne quidem odorem Carnis, imprimis coctæ, ſubinde perferre poſſint. In locum hujus Appetitûs ordinarii deperditi, ſuccedere ſolet *Pica* & Appetitus planè inſolitus, aut intenſior circa Eſculenta ordinaria: prioris eſt Exemplum, v. g. quod habet Foreſtus de Gravidâ uno menſe, quæ unâ vice 12. Haleces recenter ſalitos abſque noxâ cum egregio appetitu devoravit: poſterioris Exemplum eſt, quod refert Salmuth de Gravidâ Carbones avidè comedente. Et quòd non rigoroſus ſit Medicus in prohibendis talibus, quæ appetunt, modò non nimis excedant quantitatem; vix enim aliquod incommodum exinde perſentiunt Mulieres. Hæc Symptomata mox primis Menſibus ſuperveniunt, non ob Sanguinem Menſtruum retentum, aut Plethoram hinc incuſandam, ut vulgò exiſtimant; ſed propter motum fermentativum menſtruum Humoribus adhuc impreſſum, (vid. Velthuyſius *de Generat. pag.* 138.) vel certè fiunt non tam ab Humoribus contentis, quàm propter conſenſum Ventriculi cum Utero, uti arbitratur Moriſonius *de Morb. Mulierum pag.* 135. Nam obſervantur Fœminæ, quæ ſimul atque Gravidæ factæ fuerint, in primis diebus Vomitu affliguntur, rejiciendo per Os copioſa aquoſa & limpida. Hæc tamen inſequuntur etiam *ſine Ingravidatione* ſimpliciter *Menſium præternaturalem Emanſionem*.

5. Mulieribus, imprimis quæ aliqualiter ſunt Cacochymicæ, vel quæ inclinant ad Scorbutum, factâ Conceptione, ſuperveniunt ſæpiùs *Hyſterici* dicti *Affectus*, licèt aliàs nunquam fuerint obnoxiæ huic Paſſioni: adeò ut gravia Abdominis Tormina, cum Reſpiratione nonnihil impeditâ, ac ſuperveniente Vomitu, & ſimilia, poſt Partum econtrà nihil de Affectibus hiſce patiantur: Idque præſertim fit circa primos tantùm menſes, quæ tamen Symptomata poſtmodùm circa medium Geſtationis tempus ſponte ceſſant.

6. *Venter ſenſim attollitur* ac intumeſcit ex Utero diſtento, i. e. *ab imo ad ſummum* protuberat. Tumor Ventris eſt circa regionem Umbilicalem, & ſurſum tendit, partes inferiores manent in naturali ſuo ſitu, & Tumor quidem eſt talis, ut imprimis circa Lineam Abdominis Albam promineat, regiones verò laterales Lumbares quodammodò æquales & quaſi depreſſæ ſint. id quod probè obſervandum eſt, quò meliùs Imprægnatio vera ab aliis Tumoribus congeneribus Uteri vel Abdominis diſtingui queat. Obſervandum tamen, quòd pro Situ vario Fœtûs, & Uteri etiam Tumor nunc plùs nunc minùs protuberet.

7. Circa medium Geſtationis tempus tertio & quarto menſe percipitur *Motus Infantis*, iſque modò in hâc, modò in iſtâ parte: præſertim quarto, aut in principio quinti menſis; qui Motus eſt in principio ſaltem obſcurus & ſubſultorius, ſucceſſivè tamen magis fit manifeſtus. Sed nec hoc ſemper contingit; ſunt enim Mulieres, quæ *Motum Fœtûs percipiunt citiùs, & aliæ, quæ tardiùs*: Sic quædam tertio menſe, quædam nono ſaltim menſe, Fœtûs Motum demum percipiunt, & nihilo minùs tamen brevi pòſt feliciter pariunt. Contingit hoc imprimis iis, quæ ſunt ſeroſiores & aquoſiores, in quibus copioſus Chylus nutritivus tranſcolatur per Uterum: in his ex abundantiâ talium Aquarum uberiorum, ut vocant, ſeu Liquorum, quibus Fœtus includitur, quarum copiâ Uterus ita impleri & diſtendi poteſt, ut Mater Motum Fœtûs non percipiat: imprimis ſi hic ipſe forſan ſimul debilior paulò fuerit. Retardatur etiam aliàs à Matre febriente Motus, teſte Bartholino *Cent. 1. Hiſt. Anat. 96.* ubi obſervavit in Muliere febriente Motum Fœtûs demum poſt vigeſimam ſeptimanam. In Fœminis etiam pinguiſculis accidit, ut hæ Motum Fœtûs minùs vel tardiùs percipiant. vid. Bartholinus *Cent. 5. Hiſtor. 78.*

8. Denique ſæpiùs primis menſibus *gravitas Capitis & vagæ Vertigines*, imò ſæpè etiam *Dolor Dentium* admodùm moleſtus, & ſimilia, ſuperveniunt.

Ex quibus & ſimilibus Signis probabiliter conjecturari ſolet, Fœminam eſſe Gravidam: quæ Conjecturæ eò ſunt certiores, quò circa medium Geſtationis tempus, in fine quarti & principio quinti menſis, Motus Fœtûs percipitur. Additur in Mulieribus propria uniuſcunque *Idioſyncraſia*; & hoc eſt, quod Praxin Mulierum reddit adeò difficilem. Mulieres, quæ ſemel conceperunt, alio tempore vix falli poſſunt. Vulgò tanquam primarium Signum recenſet *retentionem Spermatis ſeu Genituræ Virilis in Utero*, ita quidem, ut poſt peractum complexum Mulier non ſentiat denuò excerni Maris Genituram: Hoc an verum ſit? & an unquam contingat? vehementer dubito: cum nihil de Genituâ Maris propriè ſic dictâ ad conſtitutionem Fœtûs concurrat, aut admodùm dubium ſit, an gutta ejus in Uterum recipiatur? Sanè cùm conſideramus Ovipara Animalia, v. g. *Gallum gallinaceum*, conſtat, de hujus Genituâ materiali nihil (diſtinguendum enim materiale à ſpirituali) permiſceri Ovis fœcundis: Sic etiam *Piſces* Ovipari generant Ova, quæ tantùm reſperguntur, aut quaſi irrorantur à Genituâ Piſcis Maris. Ova iſta, quæ irrorantur, fœcunda ſunt, & dant Piſciculos; quæ non irrorantur, fatiſcunt, & non ſunt fœcunda. Idem poteſt obſervari in *Papilionum* genere, in ſpecie *Bombyce*: hujus Fœmella copioſiſſima generat Ova, poſtmodùm in Coitu Fœmella Ova hæc excludit, quæ à tenui ſubrubicundo, aut nonnihil flaveſcente Liquore ſeu Genituâ Maris reſperguntur; & quæ ita reſperſa ſunt, ſunt fœcunda, & dant novas Erucas, hinc Papiliones; quæ non adſperguntur, manent infœcunda.

Stante ergò hypotheſi, Mulieres generare Ova [de quo poſtmodùm] quæ fœcundantur tantummodò à Spiritu Genitali Maris, tanquam Ova Gallinæ à Gallo, citra materialem Genituræ propriè ſic dictæ cõtactũ: certè iſtud Signum, ſi Mulier retineat Genituram ſeu Semen Virile, tanquam falſiſſimum ſponte corruet.

Unum ſaltem habent *Argumentum contra hanc Opinionem*, quòd etiam Semen Maris neceſſariò ſimul concurrat: nempe ſimilitudinem Fœtûs, qui ſæpiùs Patrem, non minùs quàm Matrem, referat, ex qua materialem Genituræ Maris commiſtionem concurrere putant. Sed plumbeum eſt & elumbe hoc Argumentum; Nam Gallinæ non minùs referunt Patrem

trem Gallum, quàm alia Animalia Vivipara, & nihilo minùs tantum ex Obſervationibus Harvæanis certum eſt, quòd de Genitura Galli nihil ingrediatur aut Ovum, aut Ovarium Gallinæ. Deinde *Imaginatio Materna* ſignat Fœtum, ut nunc Fraga, nunc Mora, nunc Mures, in certis Corporis locis depicta aut genita reperiantur. Imaginatio hæc, quacunque ratione hoc faciat, citra commiſtionem materialem hîc operatur, ita ut nihil Materiei pro talibus Excreſcentiis communicetur Fœtui. Unde etiam Fœtus poteſt eſſe ſimilis Patri, utut nihil de Genitura ejuſdem ad conſtitutionem illius concurrat.

*Conceptio* autem hæc læditur *quatuor modis*:

1. Quando eſt *Falſa*, ita ut Mulier quidem ſe æſtimet Gravidam, cùm tamen non ſit: quod fieri ſolet in *Inflatione Uteri*; item in *Hydrope Uteri*, quæ ſub forma Geſtationis Mulieres decipiunt.
2. *Imminuta*, ita ut ſi vel nulla, vel admodùm rara in *Sterilitate*.
3. Quando eſt *Aucta*, & copioſi Fœtus concipiuntur, geſtantur, & excluduntur unâ vice.
4. Quando eſt *Depravata*, ut eſt in *Molâ*.

## CAPUT I.

### *De Conceptione Falſa.*

## ARTICULUS I.

### *De Uteri Inflatione.*

HAs inter Conceptiones Falſas, quæ ſæpiſſimè Mulieres fallunt, eſt *Uteri Inflatio*, ſeu inſignis ejuſdem *Intumeſcentia à Flatibus*, in cavitate Uteri collectis. Dubitant autem *Practici* quidam, *an poſſint contineri Flatus in Uteri cavo*? Sed utique verum eſt, quia quædam poſt Remedia copioſos Flatus ex Utero emiſerunt. Uterus ergò inflatus intumeſcit, & non tantùm Tumor Abdominis, non ſecus ac in Gravidis, ſenſim ſenſimque augetur; ſed Menſes etiam ſimul *ſupprimuntur*, aut *parciùs* ſaltem nonnihil fluere ſolent; quin & *Lac* in talium Mammis genitum obſervatum fuit; Unde tandem tales Mulierculæ ſe Gravidas firmiter credunt. Interim tamen nihilo minùs interdum fit, ut *ultra ſolitum Partûs tempus* ad annum integrum, immò ad biennium, ſe Utero concepiſſe ita ſibi videantur, & poſtmodùm vel Medicamentis, vel ſuperveni entibus Doloribus Parturientium, aut etiam interdum ſine his, excludant ex Utero ſolummodò aliquos *Bombos*, & *Flatulentias*, ſubſideatque denuò Venter, & patet tunc vel ſponte Falſitas putatæ Conceptionis; Unde hic Affectus etiam à quibuſdan *Mola Ventoſa* ſeu *Flatuoſa* appellari ſolet. Interdum verò ſine manifeſtâ talium Flatuum eruptione impetuoſa ſenſim & inſenſibiliter omninò Flatus exhalant, Venter ſubſidet, & neſciunt tunc temporis Mulieres, quid cum Fœtu & Conceptione factum fuerit? Vid. Exempla in Gabelchovero *Cent.* 1. *Cur.* 25. Hœchſtettero *Decad.* 6. *Obſ.* 4. welſchio *in Obſtetricum l. p.* 580. Sennerto *de Morb. Mulier. lib.* 4. *P.* 1. *c.* 10. *ubi de Uteri Inflatione*, M. A. N. C. *Ann.* 6. *Obſ.* 45. & Hartmanno.

## CAUSA.

Inter *Cauſas* hujus Inflationis, qua Mulieres ſæpiùs decipiuntur, primaria & frequentiſſima eſt *ſuſceptio Aëris frigidi externi* in Uterum, idque imprimis *poſt Partum aut Abortum*, intra aut poſt Menſes, poſt uſum Balnei, &c. quales Hiſtorias videbitis in Foreſto *lib.* 28. *Obſ.* 38. & 39. atque Salmuth *Cen.* 2. *Obſ.* 57. Dum enim citò nimis Aëri externo ſe exponunt Mulieres, non benè circa Genitalia munitæ, ſubinde in tantum inflatur Uterus, ut quaſi denuò Fœtum gerere videantur: quòd ſi fiat, ut ſimul ſupprimantur Lochia, Dolores acerbi & crudeliſſimi totum Abdomen cruciantes conjuncti: Imò etiam interdum, ſi poſt peractum debitum Lochiorum Fluxum in ſecundâ poſt Partum ſeptimanâ Mulier audaciùs paulò Aëri libero ſe exponat, Ventus in Utero nondum perfectè clauſo, ſed adhuc connivente, ſuſceptus, in loco iſto calido uberiore dilatatione turgeſcit, & tandem talem Uteri & Abdominis Tumorem & diſtenſionen ſucceſſivè infert. Rariùs enim à Cauſâ internâ citra talem Cauſam manifeſtam Externam accidit talis Uteri Inflatio, & ferè ſequitur Conceptionem Falſam, videturque fieri occaſione Genituræ Maris, ſine Conceptione in Utero contentæ, ſeu vix ſolet obſervari, niſi forſan parvus quidam Uteri Hydrops conjunctus, aut ejus principium Flatuum copiam ſimul inducat; cum aliàs pura talis Inflatio citra ullum Materiæ concurſum aut collectionem rariùs reperiatur. Attendendum tunc ſimul ad primas vias, & digeſtionem ibidem peractam, circa quam ferè Flatuum proventus copioſior obſervari ſolet.

## DIAGNOSIS.

Quod ergò attinet *Signa* hujus Inflationis Uterinæ: tunc intumeſcit quidem ſucceſſivè Uterus, verùm non præcisè prominet in medio Abdominis, ſed potiùs in omnes dimenſiones Abdominis ſe expandit; & cùm contenta Flatulentia nunc augeatur, nunc imminuatur, nunc magis ſeſe expandat, nunc minùs, etiam Uterus nunc plùs nunc minùs turgidus & extenſus apparet. Adeſt prætereà ſimul vitium quoddam in Hypochondriis & Stomachi Digeſtione, dum circa iſta loca Flatus & Borborygmi copioſiores non rarò perſentiuntur. Prætereà inſignis Tenſio Dolorque tenſivus Uterum occupat, adeò ut dum Tumor premitur, exinde doleant Mulierculæ propter nimiam diſtenſionem: quin & nullus motus Fœtûs, aut ſimilis in talibus percipitur Subjectis, & quando Fœmina ſe volvit in hoc vel iſtud latus, Uterus eô non volvitur, ſed manet in loco.

In hac *Inflatione Uteri* conſiderandum eſt, ut probè diſtinguatur *à Conceptione verâ*: ob id probè obſervanda ſunt omnia Indicia & Signa, in ſpecie *Cauſæ Antecedentes*, ex quibus aliàs concludere poteſt Mulier, ſe eſſe Gravidam, quorum uno alterove abſentibus, Inflationis ſaltem ſuſpicio oboritur. Et quidem *diſtinguitur* in eo, quòd

1. *Flatus*, cùm nunc minui, nunc augeri, nunc magis dilatari, nunc magis condenſari, nunc plùs minùs diſtendere partem inflatam ſoleant, Uterus etiam vi eorum elaſticâ nunc plùs nunc minùs intumeſcere, aut detumeſcere videbitur: ſecus ac fit *in verâ Ingravidatione*, ubi Tumor æqualis eſt, ſucceſſivè accreſcens.
2. Quando obſervat Mulier medio Geſtationis tempore *Motum* aliquem, ſeduliò attendendum, an Motus ſit genuinus ex Fœtu, necne? Nam utut Palpitationis aliquis ſenſus, ſi Abdomen fortiùs manu comprimatur, percipitur, iſque ex Flatuum ſaltem impetu oritur; prætereà quoque diſtenſus ac inſtar Tympani vel Veſicæ protuberans magis videtur Uterus, quàm reverà à Fœtu contento fieri ſolet: vid. M.A.N.C. *Ann.* 1. *Obſ.* 1. *pag.* 14. Ad hæc
3. In Uteri Inflatione *diſtenſio Abdominis* eſt multò major, quàm in legitimâ Gravidatione: econtrà *Pondus* eſt minus, quàm in legitimâ Conceptione, & Vulva minùs gravata, minùſque preſſa ſentitur. Interdum, ſed rariùs, manu percuſſus Venter *inſtar Tympani*, & ſonitum

edere videtur; Verùm in Conceptione *Moles eſt minor*, & in ſpecie *Pondus eſt majus*. Uterus & Abdomen compreſſa primò cedunt, ſed ſucceſſivè attolluntur iterum.

## PROGNOSIS.

Quod attinet *Prognoſin*: Inflatio Uteri per ſe rarò aliquid *periculi* infert, cùm interdum vel ſponte ceſſet: ſin verò mox à Puerperio contingat, & impediat Menſium vel Lochiorum fluxum, per accidens ſolet graviſſimos in Utero *Dolores*, & alia Mala excitare, & tunc res eſt ſatis periculoſa, quidquid Sennertus aliique contradixerint. Vid. Foreſtus *lib.* 28. *Obſ.* 28.

## CURA.

Quod ergò attinet *Curam*: *Flatus* Uterum diſtendentes *ejiciendi* ſunt, aperto Uteri Orificio interno, & *diſcutiendi*. Cùm verò frequenter ſimul adſint Signa vitiatæ in Stomacho Digeſtionis, & oborientium hinc copioſorum Flatuum, propterea debitis *Alterantibus* & *Laxantibus* Stomachum & primas vias, eſt corrigenda. *Modum* hujus *Curæ* vid. in Foreſto *l. a. Obſ.* 39. & Timæo *von Guldenklee in Caſ. pag.* 203. Pro his ſcopis, ſi Malum oriatur ex Purgatione poſt Partum vel Menſtruis actu ſuppreſſis, *Vena Saphœnà* ferè incidi poteſt. Hinc inter Remedia, quæ huc conducunt, ordinariò ſunt & *Carminativa Aromatica* dicta, aliàs nota: Primatum obtinet *Caſtoreum*, & omnia *Caſtorina*. *Flores Chamomillæ*, tam vulgaris, quàm etiam Romanæ, quacunque ratione uſurpati internè & externè mirè conducunt in hoc Affectu; Decoctum ſcilicet, aut Eſſentia, & Oleum deſtillatum ſapphirinum ex his parata. Nam conducit hæc Chamomilla etiam egregiè in Inflatione Uteri mox poſt Partum, & ubi Lochia ſuppreſſa crudeles minantur Dolores. Addi huic Chamomillæ, in ſpecie Romanæ, poteſt pro varietate circumſtantiarum etiam *Roſmarinus*, *Matricaria*, *Pulegium*, *Salvia*, *&c. Decoctum* Calendulæ Florum, Chamomillæ, Senecionis &c. item *Radix* Helenii, Zedoariæ, & Gentianæ: *Semina* itidem 4. Calida majora ſeu Carminativa, cum Galangâ & Zingibere, ex quibus conveniens Vinum Medicatum ad imitationem Timæi *von Guldenklee* confici poteſt; Macis in Vino cocta, Decoctum Nucis Moſchatæ cum Matricariâ in Vino &c. Oleum deſtillatum Macis, Spiritus Carminativus vel Aromaticus *Sylvii*, vel de Tribus D. *Michaëlis*, Spiritus aut Eſſentia Zedoariæ, item Spiritus, Eſſentia & Rob Juniperi cum Eſſentiâ Caſtorei crebriùs uſurpata, ſunt egregia.

Ratione *Stomachi* præ cæteris conveniunt Remedia *Saſſafraſata*, Decoctum nempe Ligni Saſſafras cum *Carminativis* hauſtum, & ab omni paſtu aſſumptum *Tragema*, v. g. ex *Zedoaria & Cardamomo*, quibus additur *Elæoſaccharum Caryophyllorum*, *Elæoſaccharum Macis*, *Cumini*, *Carvi*, *&c.* Timæus *von Guldenklee lib.* 4. *Caſ.* 5. cum fructu uſurpat Decoctum Ligni Saſſafras & Ligni Sancti cum Seminibus Aniſi, Fœniculi, & ſimilibus Carminativis, per integrum menſem, exhibendo ſub introitum lecti Eſſentiam Zedoariæ.

Sed hæc & ſimilia Carminativa interna per ſe patent.

Hiſce pro ſcopo blandè abſtergendi *Purgantia amara*, Species Hierarum, Maſſa Pilularis de Hierâ cum Agarico, Extractum Elaterii ſubjungenda.

*Externè* conducunt imprimis *Fotus* & *Sacculi* Abdomini inſtrati ex Chamomillâ parati; in ſpecie ſi fiat ex Milio, & Sale toſto, cui addantur poſtmodùm Chamomilla & Semina Carminativa: coquantur hæc in Vino & Aquâ, & ſic Sacculus admoveatur regioni Pubis, ſeu Uteri extenſi. Item *Litus* cum Oleo Chamomillæ, Caſtorei, Lauri, &c. addi poſſunt. In ſpecie præmiſſo *Inſeſſu* ſeu *Semicupio* in Decocto Chamomillæ hujuſmodi Litus applicatus convenit, in lectum benè calidum immittendo poſtmodùm Ægram, &c. Sunt qui *Cataplaſma* ex Stercore Caprino cum Seminibus Carminantibus in Vino coctis paratum ceu ſingulare non citra rationem laudant. Item *Emplaſtrum* de Baccis Lauri & Gummi Carannæ, malaxatum cum ſ. q. Balſami Peruviani aut Oleo deſtillato Baccarum Juniperi, inſternatur Abdomini: *Emplaſtrum* quoque *ex Galbano & Tacamahacâ*, malaxatum cum *Oleo deſtillato Chamomillæ*, vel cum *Oleo Fœniculi*, *Cumini*, *Macis* & *Carvi*, expertiſſimum eſt, quod tam à Solenandro *Sect.* 5. *Conſ.* 15. & Hartmanno *Praxi p.* 27. quàm Lindano, & aliis commendatur. *Suffitus* Nucis Moſchatæ per Infundibulum Utero exceptus. Modus utendi vid. in Hartmanni *Praxi Chymiatr. p.* 279. *ubi de Inflatione Uteri.* Convenit etiam *Vapor* Salis Ammoniaci Genitalibus exceptus, de quo vid. Sylvius M. M. *lib.* 2. *c.* 21. §. 18. Aliis irritis imprimis *Thermæ* conducunt ad Flatulentiam Uteri curandam.

## ARTICULUS II.

### *De Uteri Hydrope.*

POſt Inflationem Uteri non rarò etiam *Hydrops Uteri* ſeu *Tumor ejus aquoſus* Fœminas decipit, ut ſe Gravidas æſtiment, qui non eſt adeò rarus: Vid. Sennertus *de Morb. Mul. cap.* 11. Verùm quia de hoc Hydrope Uteri confuſè admodùm loquuntur Auctores Practici, propterea doctrinæ melioris gratiâ diſtinguo *Hydropem Uteri* propriè ſic dictum, à *Molâ Uteri Aquoſâ*. *Ille*, nempe *Hydrops Uteri*, eſt rarior: *Hæc*, ſc. *Mola Aquoſa*, eſt frequentior. In illo copiolæ limpidæ Aquæ, rariùs croceæ, in Utero collectæ, eum tumentem reddunt: Hîc verò in Molâ Aquoſâ Liquor utplurimùm nonnihil viſcidus & ſubinde aquoſus, *Membranâ* incluſus *propriâ*, & quidem nunc unâ, nunc pluribus diſtinctis, coacervatus, ita ut tot *Veſiculas*, modò majores modò minores, repræſentet, foràs excluditur; unde etiam à quibuſdam *Hydrops Uteri Veſicalis* appellatur. Talis Molæ periculoſæ, ſeu Hydropis Veſicalis illuſtre Exemplum habet Tulpius *lib.* 3. *Obſ. cap.* 32. item Schenckius *lib.* 4. *Obſ. de Molâ.*

Hæc poſterior ſpecies Molæ Aquoſæ ad doctrinam de Molis pertinet, eſtque, ut obiter monuam, *facta quædam Conceptio*, Ovique uterini impræggnatio, ſed in quo poſtmodum fuit læſa & deſtructa debita *Conformatio*, affluente adhuc Humore nutritivo, pro Formatione & Nutritione Fœtûs, qui ſenſim Membranâ vel unâ, vel hâc diſruptâ & divisâ, pluribus diſtinctis Membranis collectus, Molam Veſicalem, vel aliam Molam Aquoſam repræſentat, ut in ſpecie de Molis dicetur.

### CAUSÆ.

Verum autem & propriè dictum Hydropem Uterinum quod attinet, ſeu copioſam Aquarum in Utero collectionem & ſtagnationem: *Cauſæ* hujus *ſunt variæ*. *Antecedentes Proximæ* ſunt in triplici Differentiâ. Nempe I. interdum conjunctus eſt *Hydrops Uteri* cum *Conceptione* & Gravidatione *verâ*, adeoque cum *Fœtu vero*, quale Exemplum videbitis in Dodonæo *Obſ.* 49. *in Schol.* Primeroſio *lib.* 2. *c.* 7. Schenckio *Obſ. p.* 620. & in Hildano *Cent.* 2. *Obſ.* 56. ubi Mulieri Gravidæ primitus parturienti ℔xvij. Aquæ limpidiſſimæ ante Partum effluxere, ultra quam copiam Aquæ ulteriùs adhuc ℔ix. Aquæ Fœtum comitatæ ſunt, donec tandem ipſe Fœtus vege-

tus

tus ſupervênit ; Vid. etiam Salmuth *Centur.* 1. *Obſ.* 59. quod notabilius adhuc eſt ubi Mulieri Gravidæ Aquæ ad 8biv. effluxere, qui fluxus aliquot dies continuavit, donec refocillatâ Matre ipsâ ſexto menſe poſt fluxum Filiolum vivum & benè valentem pareret. Talis *Hydropis cum Gravidatione conjunctio* origo eſt abundantia Liquoris iſtius limpidi & albicantis ſeu chyloſi nutritivi, ſed in talibus Subjectis copioſo Vehiculo aquoſo diluti, qui pro nutrimento & augmento Fœtûs affluens ad Uterum ſecernitur, qui non totus in Alimentum Fœtûs cedens, donec tandem uberiùs congeſtus talem Molam conſtituit. Unde, uti non rarò Cauſa eſt, quò minùs Motum Fœtûs mater perſentiat; ita, ubi copioſior congeſtus fuerit, ruptâ Membranâ extimâ Fœtum cingente, aut aliquot menſes ante Partum, aut in Partu ipſo ante Fœtum, copioſiùs erumpit, ſalvâ Matre, & Fœtu. Forſan etiam eſt vitium in *Vaſis Lymphaticis*, quibus obſtructis *Lympha* uberiùs congeſta, Molam hanc conſtituit. Pro uſu ergò *Practico* obſervetur, ſi ante Partum erumpat, cautus ſit Medicus, ne Abortum inſtare, aut, ut Mulierculæ clamant, Molam Aquoſam adeſſe, ſtatim exiſtimet, quin omnia priùs benè perpendat, ut Analepticis Matremque roborantibus potiùs inſiſtat, quàm temerè quidpiam inchoët. In habitioribus enim fit, ut Aquæ in Chorio incluſæ effluant, reliquis in Corpore reſtantibus, quod ſit ſine nocumento: Si verò ex Amnio, Abortum infert.

II. Deinde Hydropem Uterinum etiam interdum inferunt *Menſes & Lochia ſuppreſſa*, eaque vel planè non, vel parcè admodùm fluentia, (vid. Tulpius *lib.* 4. *Obſ.* 45.) ita ut Sanguis licèt primò effluxerit, Materia tamen iſta ſeroſa & quaſi lactea, quæ hinc ſuccedit, remaneat, cùm coërcetur; ſucceſſivè congeſta Uterum in Tumorem attollit, & *Hydropem* conſtituit: cum quaſi Hydrope ſubinde ſimul ex Fermentatione retenti Liquoris *Flatus* conjuncti eſſe ſolent, adeòque cum Hydrope *Inflatio Uteri* eſt conjuncta. In talibus Hydropicis ordinariò poſtmodùm fluunt Menſes, & tamen Uteri Tumor, & Abdominis remanet; imò obſervatum fuit, quòd tales denuò conceperint, & pepererint, & ſecundò demum Partu copioſè effluxerint Lochia cum Ventre, & Utero detumeſcente: Imò non rarò fit, ut ſuppreſſa talis evacuanda Materia aliò ruat, & in aliam quandam partem per metaſtaſin congeratur, & ibi liquefiat in *Materiam ſeroſam*.

Exemplum hujus eſt in *Ephippiarii cujuſdam Muliere* hujus Urbis, in quâ Lochia poſt binos Partus ex toto ſuppreſſa fuerunt: brevi pòſt inſigniter *intumeſcebat Abdomen*, ita ut in ſummitate ejus perciperet *fluctuationem Aquæ*; Menſes tamen debitè fluebant, denuò concipiebat, tertiò Partu *Lochia* rurſus ſupprimebantur; *Tumor Abdominis* inſigniter accreſcebat, quod in erectâ ad Genua fere propendebat; ut Abdomen in Faſciâ geſtare neceſſe haberet, ita ut Umbilicus ſedenti versùs Genitalia incumberet: cætera erant plana, ſaltim inſtar Sacci ampliùs propendens Abdomen intumuerat, quem Saccum quoque Aquis repletum in lecto decumbens nunc ad hoc, nunc ad iſtud latus ſeponebat: Candela admota translucebat: Erat *Hydrops Omenti*, omnia Lochia ſuppreſſa per metaſtaſin, erant collecta, & in hujus duplicaturâ coacervata per ſui corruptionem in Liquamen ſeroſum alterata fuerunt ita, ut exactè ad peripheriam Omenti Tumor immenſus in Abdomine ſentiretur, unde etiam nec Menſium excretioni, nec conceptioni, aut Partui impedimento fuerat: Hinc neque Purgantia, neque Sudorifera conducebant. Suadebam *Paracenteſim*, ad quam tamen admodùm erat obſtinata, pòſt moriebatur. Facit huc ſingulare, & curioſum Exemplum Job *van* Meeckern *Obſervat.* *Ettmulleri Oper.* Tom. III. *c.* 49. qui obſervavit in Muliere Hydropem inſignem, ſaltem collectum in duplicaturâ Peritonæi inferiore, ex ſuppreſſis Menſibus natum.

III. Denique obſervatur ſubinde *Hydrops Uteri ſine Gravidatione*, rariùs licèt detur, quando nempe in Utero Aquæ colliguntur, ſponte quaſi, & ſubinde *à Cauſâ internâ*, eumque perquàm tumentem, & inflatum reddunt, qui tamen ut plurimùm ob Menſium ſuppreſſionem contumacem, aut impeditum Lymphæ ex Utero refluxum (Vaſa Lymphatica ex Utero vidit Meeckern) aut ſimile vitium internum quoddam interdum præſupponit. Facit huc imprimis Hydrops Abdominis obſervatus ex Menſibus ſuppreſſis, in quo collecta fuit Materia in duplicaturâ Peritonæi: item facit huc *Hydrops Cornuum*, *ſeu Tubarum* (in Brutis dicuntur Cornua, in Hominibus Tubæ) Uterinarum, qualem ſingulariſſimum obſervat Tulpius *l.* 4. *Obſervat. cap.* 34. Forſan intelligit Hydropem collectum in Aliis Veſpertilionum.

## DIAGNOSIS.

Quod attinet *Signa*, Signa Hydropis Uteri accuratè percenſet Hippocrates *de Morbis Mulierum*, dum inquit: *Si Hydrops Uteri adnaſcatur, Menſes pauciores, & parvi fiunt, & ante tempus deficiunt, imus Venter intumeſcit, Mammæ ſolidæ aliàs molliores fiunt, Lac nullum habet, utut putet, ſe in Ventre habere.* Scilicet cognoſcitur imprimis Hydrops Uteri:

1. Ex *Tumore*, qui primariò Hypogaſtrium occupat.
2. Ex *Fluctuatione* quando Tumor tangitur, aut ſe movet Mulier.
3. Ex *Indolentiâ* loci preſſi, quòd nullus adſit Dolor, ſeu Tenſio.
4. Ex inſigni *Gravitate Vulvæ*, ſeu Sinûs Pudoris à pondere Materiæ incumbentis.
5. A *delapſu in latus* ſecundùm motum Mulieris decumbentis.

Ante omnia neceſſe eſt, ut probè cognoſcat Medicus *Diſtinctionem Hydropis Uteri*, qualiſcunque fuerit, *à verâ Conceptione*; utut res ſit ardua: nempe ex eo ferè ſuſpicio eſt, eſſe *Hydropem uteri*, quando

1. *Tumor aliqualiter diſtenditur* juxta Uteri, & Ventris amplitudinem, nec ſit acuminatus, ut in verâ Conceptione; cum in Conceptione anteriora versùs promineat.
2. Si *Mulier adultior ſit*, & quæ ampliùs non concepit, & ſimul ſit *bono Faciei Colore*, ferè Hydropem Uteri innuit.
3. Si alia *Signa Mulieris gravidæ abſint*, & Uterus tamen intumeſcat, ſuſpicio eſt de Hydrope Uteri.
4. Si *decimus Geſtationis* putatitiæ *menſis ſit præterlapſus*, tunc etiam ſuſpicio adeſt, abeſſe veram Conceptionem.
5. Si *nullus motus Fœtûs* conveniens unquam perceptus fuerit.
6. Si Mulier ſub primo Geſtationis putatæ tempore *commodè ſe habeat*, nec alia indicia, præſertim primis menſibus familiaria, Gravidarum Symptomata non obſervata fuerunt.

Vel

7. Si patiatur *Symptomata*, & hæc poſt medium Geſtationis tempus *non ceſſent*, Signum eſt, eſſe vel Hydropem, vel Inflationem Uteri.

Ab *Abdominis* verò *Hydrops Uteri* diſcernitur, ſi Color Faciei eſt bonus, Sitis nulla, Tumor incipit à parte inferiore, & adſcendit in medio ſui versùs ſuperiora, &c.

## PROGNOSIS.

Si è ſolâ contentâ Lymphâ oritur, *diuturnus* quidem, ſed *abſque periculo*, eſſe ſolet: Si verò Liquor conten-

tus ſit pravus ſeu vitiosè corruptus, *periculoſum Malum* propter varia hinc inde Symptomata eſſe ſolet, quod tandem ad Mortem uſque deducit Mulieres.

Si Mulier poſt Conceptionem Hydrope Uteri corripiatur, *Fœtus* intra aliquot menſes ab illuvie Humorum ferè *enecatur*, adeòque *Abortu* rejicitur, rarò enim ad legitimum Partûs tempus ſervatur.

Obſervandum quoque eſt, quòd *poſt fluxum Aquæ* tandem *intereant* Mulieres.

## CURA.

Quoad *Curam*: ubi conſtiterit per conjecturam eſſe collectionem copioſarum Aquarum in Utero, conſiderandum eſt, an ſint *cum Fœtu*, aut abſque eo? *Si cum Fœtu*, parum aut nihil omninò tentandum eſt, ſed relinquatur Mulier, aut ſaltem blandis *Hydragogis* ſic dictis, blandè, & quaſi per epicraſin evacuandum eſt nonnihil Serum copioſum. *Diuretica* non ſunt tuta, quia ſtimulant Menſes, & metus eſt Abortûs. Sin verò nulla ſuſpicio ſit de Fœtu, ſed vel Molam, vel pura Liquamina adeſſe conjecturæ ſint, tunc maturè, & adaucter fortioribus *Purgantibus* ſtimuletur Uterus, & partes vicinæ, ut Aqua evacuetur, & *Sudoriferis*, *Diureticis*, & in ſpecie Remediis fortioribus *Fœtum pellentibus*, urgeatur Uterus ad excludendas *Aquas*. Ubi verò conſtiterit, eſſe Aquas, aut Hydropem Veſicalem, in Utero, neceſſe eſt, ejiciatur.

In genere eadem Remedia, & eadem Methodus medendi adhibenda, quæ aliàs in Hydrope Aſcite ſunt laudata: hinc imprimis *Purgantia* conveniunt, inter quæ eminet Extractum Elaterii, quod cum *Mercurio dulci* aliquoties poteſt propinari. Convenit etiam Radix Eſulæ, ejuſque Infuſum, & Extractum, item Radix Bryoniæ ad ʒß. in Infuſo, vel ejus Syrupo ad ʒß. Radix Ireos noſtratis in Lacte coquatur, Succus expreſſus propinetur. Item Reſina Jalappæ, & Reſina Gummi de Peru conducunt. V. g. fiat Purgatio per Pilulas.

℞. *Extr. Elater.* gr. xij. ad xv.
*Mercurii dulc.* gr. xv.
*Troch. Alhand.* vel *eor. Extr.* gr. iij.
Cum *Spiritu Roriſmar.* vel *Eſſ. Lign.* f. Pilulæ.
D. S.
Pilulæ Abducentes.

Quæ in Muliere ſuprà allegata ſine moleſtia evacuarunt maſſam nigram, atramenti inſtar, 6. vel 7. vicibus.

*Vomitoria* propter niſum, quem exſerunt, ferè ab omnibus commendantur: in quorum locum acres ſaltem *Clyſteres*, Uterum ſimul ſtimulantes, etiam injiciuntur commodè; quin & *Clyſteres Uterini* purgantes.

Juxta hæc, *Evacuantia* etiam ſunt uſurpanda *Interna*, Uterum irritantia, & excretionem contentorum ſenſilem promoventia, aut inſenſibiliter *Diſcutientia*: qualia ſunt Decoctum Nepethæ, Pulegii, & Cepæ albæ cum Saccharo, quod copiosè expellit Aquas, teſte Zacuto Luſitano *lib. 2. Prax. Admir. Obſ.* 144. Item Borrax cum Croco, & Extracto Sabinæ ſuccoſo redigatur in Bolum, quem commendat Riverius: Caſtoreum, Myrrha, Crocus, Aromata quælibet, Elixir Proprietatis, Roſmarinus, Calamintha, Salvia, &c. & ex his parata Remedia plura. In fine Decoctum Lignorum uſurpari poteſt; ſicut ad præſervationem Species Diacurcumæ cum Vino Malvatico pro corroborando Utero commendat Zacutus Luſitanus *l. 2. Prax. Admir. Obſ.* 143.

Inter *Externa* conveniunt imprimis *Peſſi* purgantes, & ſtimulantes: v. g.

℞. *Elater.* ʒß.
Cum *Caricar.* q. ſ. f. Peſſus; D. S.
Peſſus Matricalis.

Item
℞. *Colocynth.*
*Extr. Helleb. nigri* an. ʒß.
*Pulp. Caricar. pingu.* ʒß. vel ſ. q.
F. Peſſus. D. S. ut ante.

Item *Injectiones*, ſeu *Clyſteres Uterini*, parati ex Decocto Foliorum Pulegii, Sabinæ, Calaminthæ, &c. in Aquâ, & Urina humanâ coctis, Electuario Hieræ ſimplicis imprægnatis, injiciantur.

Vel
℞. *Fol. Mezer.*
*Rad. Ireos noſtrat.* an. M. j.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ. Colatura* D. S.
Clyſter Matricalis.

Injiciatur in Uterum pro illo ſtimulando ad reddendas Aquas.

Præſtat etiam ante horum applicationem priùs *Balneis*, & *Inſeſſibus* ex blandè Emollientibus, & leniter Stimulantibus fomentare Uterum, & Genitalia ad meliorem excretionem, quibus ſubjunguntur *Litus* ex Oleo Irino, Cheirino, Laurino, deſtillato Aniſi, Carvi, Sabinæ: vel *Cataplaſma* imponendum Tumori ex Foliis, & Radice Bryoniæ, Angelicæ, Ireos noſtratis, cum Calamintha, Roremarino, Saturejâ, additis Floribus Calendulæ, & Croco: vel ex Stercore Caprillo, Fermento, & Sapone, quod ſuadet Joel *in ſua Praxi*: item Emplaſtrum de Baccis Lauri, & Hydropicum Auguſtanorum, vel de Stercore Caprillo cum Caſtoreo imponi poteſt. *Thermæ* etiam Sulphureæ hîc locum ſuum inveniunt.

Rarum eſt, quod refertur in Bartholini *Actor. Med. Haffnienſ. Vol.* 1. *pag.* 194. de Hydrope dextræ Tubæ Uteri, *Paracenteſi* curato.

## ARTICULUS III.

### *De Hydrope Pudendorum.*

PRopter argumenti affinitatem obſervandum eſt; *Gravidas* ſubinde *circa Labia Pudendorum intumeſcere*, adeòque Hydropem particularem Labiorum Pudendorum, nunc utrorumque, nunc alterius pati. In tali caſu *Fotus* diſcutiens ex Aquâ Calcis vivæ eſt egregius, teſte Lyſero *in Obſ. Cultro Anat. pag.* 279.

## CAPUT II.

### *De Conceptione Imminuta, & Abolita.*

OCcaſione læſæ Conceptionis dixi de Inflatione Uteri, & de Hydrope Uteri. His præmiſſis, pergendum eſt ad læſiones ipſius Conceptionis ordinariæ, ita ut nunc *deficiat* in *Sterilitate*, nunc quaſi *augeatur*, partim in *partu Multiplici*, partim in *Superfœtatione*, quando ſemel concepto Fœtu, repetito Coitu, novus Fœtus concipitur.

## ARTICULUS UNICUS.

### *De Sterilitate.*

CONceptio læſa, ita ut rara, aut etiam nulla ſequatur, repetito licèt Coitu, vocatur vulgò *Sterilitas*.

## CAUSA.

Hujus Sterilitatis *Cauſæ* tantumnon innumeræ, & ſubinde imperſcrutabiles ſunt: nam *ex parte Viri* poteſt eſſe vitium circa *Seminis*, ſeu Genituræ generationem, & excretionem: *ex parte Fœminæ*, vel vitium in ejuſdem, vel *Ovario* non ritè generante Ova; vel in *Tubis uterinis* anguſtis, Tumore obſeſſis, obſtructis, &c. ( vid. Veslingius *Anat. l.* 7. Tulpius *l.* 4. *Obſ.* 43. ) in *Utero* ſcir-

*ſcirrhoſo*, aut calloſo, & cartilagineo, (vid. Boneti *Sepulchret. l. 3. Sect. 34. Obſerv. 4. §. 2.* & Riolanus *Anthropol. l. 4. c. 32.*) non ritè fovente Ova fœcundata, ipſique annexa *Vaginâ*, in Conceptûs retentione, aut excretione, &c. hinc eſt, quòd ſæpiùs, imò ordinariò ferè, poſt Abortum laborioſiorem Fœminæ poſtmodùm fiant ſteriles: quô pertinet vitium ex Sanguine ad Uterum non ritè diſtributo. Item *ex parte utriuſque ſimul* poteſt eſſe vitium *abſolutè*, uti & *reſpectivè*, (reſpectiva eſt certa, & requiſita Proportio Spiritûs Genitalis Maris ad Ova fœcundanda,) hoc eſt ut Mas cum hâc Fœminâ, quod crebrò obſervatur, generare non poſſit, qui tamen cum aliâ optimè generat; & contrà poteſt eſſe, ut Fœmina cum hoc Mare ſit infœcunda, quæ poſtmodùm alii nupta ſatis fœcunda ſit. Nam, & omnes Practici, tam Veteres, quàm Moderni, in hôc unanimiter cenſuerunt, & conſentiunt requiri *inter Marem, & Fœminam*, quoad Generationis negotium, *Proportionem, & Harmoniam*, ut Ovum Fœminæ Spiritus Genitalis Maris in motum ciere poſſit. Sed qualis hæc ſit? & in quo conſiſtat hæc Proportio, & Harmonia? à nemine huc uſque explicari potuit, nec explicare ego id mihi præſumo. Res ſe videtur habere, ut Scintillulæ, quæ recipiuntur à Fomite: Scintillulam repræſentat, Spiritus Genitalis Maris, Fomitem verò Ovum uterinum. Quando ergò Fomes eſt pinguis & Scintillula non rectè lucida, & non poteſt concipere Ignem: Sic quando Spiritus Genitalis minùs eſt volatilis, & activus, & Ovum non ritè formatum, deficit Fœcundatio.

In ſpecie tamen *magis in Sexu Fœmineo, quàm Maſculino Sexu*, Cauſam Sterilitatis propriè latere, ex eo confirmatur, quòd major apparatus ſit in Fœminis, quibus variè læſis fruſtratur Conceptus, econtrà vitium in Viro ſit primariò unicum, & imprimis in *Semine* lateat, ex quo vitiato Generationi eſt ineptus; Nam *Membri* vitia, aut parum obſunt, aut facilè corrigi, aut emendari poſſunt. Unicum ergò vitium eſt in *Geniturâ Maris*, ſi aut deficiat, aut nimis aquoſa, ac tenuis, atque minùs ſpirituoſa ſit, quod facilè ex Congreſſu patet: qui ſi languidior ſit, aut diutiùs cum tædio protrahatur, minùs ſpirituoſam, & ob id ferè defectuoſam Genituram innuit. Hinc frequentiſſima Cauſa Sterilitatis in Maribus eſt, ſi nimis citò Veneri indulgere incipiunt; & ſub primis Pubertatis annis crebriùs eandem exercere ſolent; enervantur enim ferè ſic Teſtes, & cæteræ partes genitales, unde poſtmodùm minùs fœcundi tales fiunt. *Fœmina* econtrà, quæ, & concipere, Conceptum fovere, & tandem excludere debet, variis, ac multiformibus, & *Ovarii*, & *Tubarum*, ſeu *Oviductuum*, & *Uteri*, & *Vaginæ*, omniumque harum diverſarum partium, imò *totius Corporis* vitiis, laborare poteſt, utut Mas optimè ſe habeat, & per conſequens ob id Conceptionem fruſtrari. Item *ſub Geſtatione* variis infortuniis, & Rerum Non-naturalium inſultibus oft obnoxia, ratione cujus Conceptum poteſt minùs commodè fovere, ac retinere. Et quidem præ cæteris internis ferè, & latentibus Cauſis in Fœminis accuſatur *defectus Genituræ*, qui ex Modernorum Hypotheſi in *Ovulorum* vel defectu, vel deficiente in Uterum injectione, vel eorum ad fœcunditatem concipiendam ineptitudine, conſiſtit. Hinc accuſari ſolet in Fœminis *defectus Materiæ chyloſæ*, ex qua Albumen, ut ſic dicam, ſeu incrementum Ovi uterini, & tandem Nutrimentum Fœtui in Utero, ſuppeditetur: hinc enim *Nutrices*, aut *Mulieres quæ lactant*, rariùs concipere ſolent, aut Conceptum fovere, dum Lactatione iſtâ adhuc occupantur. Par ratio eſt in *nimis Pinguibus*, cùm materia Albuminis iſtius in ſupplementum Pinguedinis ſuppeditetur, & ipſæ etiam minùs fœcundæ obſerventur, cùm Nutrimentum chyloſum pro humectatione Uteri, ac Fœtûs Nutrimento, in talibus ob Corporis uberiorem Nutritionem ferè deficiat: hinc *Ulcera* manantia inveterata, aut *Fiſtulæ*, & *Fontanellæ* uberiùs fluentes, Maſſam Sanguineam exhauriendo, ad Sterilitatem diſponere dicuntur: Conf. Sennertus *lib. 3. Prax. pag. 946.* & Hoeferus *Herc. Med.* Imò *Macriores* etiam, & aridiores Fœminæ, rubicundæ, &, ut vocantur, *Cholericæ*, interdum minùs fœcundæ eſſe ſolent, ex Ovulorum partim ineptitudine ad fœcundationem, partim ex defectu Albuminis ad Ovum fœcundandum neceſſariæ. Ut taceam Uterum in talibus, parteſque genitales externas, minùs aptè ad Congreſſum fœcundum eſſe diſpoſitas; hinc enim *Virgines adultiores* non tam facilè fœcundæ eſſe ſolent, Utero talium aridiore, & quaſi exſucco exiſtente, adeòque ad fomentationem Ovuli minùs apto. Ulteriùs, & ipſa *Uteri membranoſa ſtructura* vitiata, nimis laxa ſcilicet & flaccida, & cujus imprimis *Orificium internum* aptiùs minùs connivet, etiam inſigniter ad Sterilitatem diſponit, quia Ovula non continere, aut ſinu ſuo fovere ſolet. Et hoc obſervare datur in *Mulieribus Cachecticis* Fluxu Albo laborantibus, Hæmorrhagiâ Uteri nimiâ ex Sanguine ſeroſiore afflictis, & ſimilibus. Vocant hoc vulgò *Intemperiem Uteri frigidam & humidam*, aut inundationem ejus ab Excrementis ſeroſis aut pituitoſis. Unde imprimis, qui Albo Fluxu diutiùs laborârunt, minùs fœcundæ, quin ſæpiùs ſteriles eſſe ſoleant. Pertinet huc *Conformatio vitioſa*: Sic Tumores Orificium Uteri internum obſidentes, Scirrhi Orificii interni, item hujus Laceratio, quæ fit in difficili Partu vel Abortu, Mulieres reddunt ſteriles, quatenus impediunt retentionem Ovi Uterini & Fœtûs.

Denique *Externa* quædam à quibuſdam, ceu Conceptionem impedientia, aut eandem jam factam tollentia, allegantur, quorum tamen fides ſit penes Autores: qualia ſunt, v. g. abuſus Borracis ante vel poſt Conceptum aſſumptæ, quæ ad Sterilitatem ſeu Conceptûs impedimentum diſponere dicitur: Decoctum Salicis junioris, aut Aqua ſeu Liquor limpidus ex Salicibus tenellis inciſis emanans, vel Succus expreſſus, jejuno Ventriculo aliquoties epotus, Appetitum Venereum extinguere, Conceptionemque impedire affirmant: Item Lapidis Specularis ſeu Glaciei Mariæ ʒj. in Decocto Salicis vel Vino ſtatim à Coitu hauſta, ceu ſingulare Experimentum contra Conceptionem commendatur: Item mox poſt Congreſſum Peſſus ex Helleboro albo cum Caſtoreo intruſus etiam Conceptionem tollere ajunt.

Hæc de Cauſis Conceptionis læſæ: Quas inter tamen adhuc ſunt quædam latentes, & nobis à priori imperſcrutabiles.

## DIAGNOSIS.

Quod attinet *Signa*: Signa Conjugii infœcundi cognoſcere res eſt difficillima, *cujus ſit vitium? Maris an Fœminæ?* ut exinde impediatur Conceptio, adeò, ut tantumnon penitus ſit impoſſibile. Equidem vitia Viri, item vitia Uteri externa; v. g. Scirrhus Uteri, Ulcus, &c. facilè cognoſci poſſunt: ſed vera Interna Cauſa in Muliere latens, & iſta utriuſque Sexûs ad ſe invicem Proportio, in ſpecie, an Fœmina abſolutè? an verò reſpectivè ſolùm cum hôc vel iſtô viro ſit ſterilis? ut à priori cognoſcatur, omninò impoſſibile æſtimo. Probationem per *Suffitum*, de qua vid. Sennertus *Prax. lib. 4. ubi de Sterilitate*, cùm ſine fundamento ſit, meritò rejicio; licet primam originem habuiſſe videatur ex Hippocrate *Sect. 5. Aphor. 59.* Item quòd quidam de Peſſo ex Melanterio Utero intrudendo proponunt, hoc ceu minùs certum,

aut omninò fabulosum, tantùm institutum Mulierc-cularum arbitror. Hippocrates etiam jubet Allii caput derasum in Utero subdi, & si postridie Odor ad Os pervenerit, Mulierem ad Conceptionem aptam; sin minùs, ineptam fore affirmat. Amatus Lusitanus etiam recipit Coaguli Leporini ℥j. quod dissolutum in Aquâ calidâ Mulieri in Balneo existenti propinat: Quòd si sentiat Dolores & Ventris Tormina, fœcundam esse; sin minùs, contrà asserit. Alii Pessarium ex Galbano intrudunt, Capite benè fumigato & circumvoluto; Si mane Odor Galbani ex Vertice exierit, Mulierem fœcundam dicunt; sin minùs, contrà. Borellus *Cent.* 1. *Obs.* 11. observavit Pilos albos in Adolescentis Pene repertos Sterilitatem denotasse. Alii ad probandam Sterilitatem recipiunt Urinam Mulieris, & affundunt Malo sylvestri, quæ si exsiccetur triduo, Signum esse Sterilitatis dicunt. Nonnulli Hordeum in Urinâ maceratum sepeliunt, si eo die germinet, Fœcunditatem: sin minùs, Sterilitatem arguere putant. Alii aliis probationibus utuntur. Quatenus autem adhuc nondum planè perspicuum factum est negotium Fœcundationis Ovi uterini, nondum Causæ Sterilitatis exactè determinari possunt: unde etiam cognitio Sterilitatis in quonam consistat? est difficillima.

Equidem, quando Mas amittit Genituram largiter, & quando nullum adest vitium Conformationis, *Mas absolvitur, & vitium est in Fœminâ*, quæ mille modis potest impediri, præprimis quando adsunt Conformationis vitia.

## PROGNOSIS.

*Prognosis*, an Sterilitas possit corrigi & emendari? si non impossibilis, tamen *difficilis est*. Certè si dependet Malum à vitiis & Causis manifestis, *facilis* est: Si verò vitia sint latentia, aut incognita Harmonia & Proportio in utroque Sexu, cautus sit Medicus in Prognosi, quia nil potest determinari, cùm in negotio adeò obscuro & dubio quoad Diagnosin, etiam quoad Prognosin pariter difficultates urgeant.

In specie Sterilitas, ubi Uterus exulceratus, incurabilis est: Vid. Hppocrates *lib.* 2. *Prædict.* 24. & 34. & *l.* 1. de *M. M.* 7. & 11.

Aliàs est *sine periculo*, quia si non alterantur Vires, ad longævitatem perducit. Habitiores verò lautâ Diætâ utentes, successivè disponuntur ad Morbos Chronicos, quibus fœcundatio est salutaris.

## CURA.

*Curæ*, ut Mulier fiat Gravida, *pro varietate Causarum* varianda est; sed quia hæ sunt partim manifestæ, partim verò valdè abstrusæ, neque hucusque satis determinatæ, specialiter tractari non potest. In genere tamen, *præmissis*, ubi opus fuerit, *Universalibus*, danda sunt ante omnia *Aromatica blanda*, quæ Utero sunt amica, ut conservetur ejusdem & Ovarii tonus legitimè constitutus: hinc ad promovendam Conceptionem danda sunt talia, quæ ceu *Venerem stimulantia* aliàs commendantur, & quæ etiam Viris propinari solent; hinc subjicienda & ea, quæ *per Experientiam* ut cognita ad Sterilitatem Muliebrem Remedia commendantur; habitâ tamen semper simul ratione Constitutionis, & Crasεos Subjecti propriæ, imprimis, an macra? an pinguis? an sana? an Cachexiâ serosâ affecta fuerit Mulier? Ubi præsupponitur *Constitutio Uteri laxa*, & minùs firma præ cæteris circa tempus Mensium & post illos instituenda Cura, & ad tempus continuanda, quia sic meliùs operantur: v. g. ante Menses præmittantur *Universalia*, totum Corpus respicientia; post Menses verò demum continuentur *Specifica* Utero appropriata, quæ eum in specie roborant, firmant, & ad Conceptum disponunt, tam Interna, quàm in specie Externa: Videatur hìc in specie Platerus *in Praxi*, & *lib.* 1. *Obs. circa finem*, ubi aliquot steriles Fœminas curavit, quæ cùm sint elegantia, instar Ideæ sufficiant; *excellit enim præ aliis.*

Quoad Remedia ergò, observandum est effatum Lindani *super Hartmannum*, qui dicit: *Sterilitas, si à nimiâ caliditate & siccitate Sanguinis fuerit, optimè prodest Lac; sin à nimiâ frigiditate & humiditate Sanguinis, optimum est Rosmarinus, maximè Fœminis conducit, & Sassafras.* Et quidem posterior Causa frequentissima videtur; unde etiam Volatilia & Aromatica imprimis talibus conducunt; quæ Uterum, & ejus tonum nerveum cum Ovario legitimè constitutum asservant, & virtute salinâ volatili roborant; hinc præter Roremmarinum, qui in Mulierum Sterilitate corrigendâ egregius est, & ejus Decoctum ad Methodum Zvvelferi paratum usurpatur: de effectu Rorismarini vid. etiam Pauli *Quadrip. Bot. pag.* 133. Confert prætereà Salvia, Lavendula, Majorana, Uterina selecta dicta, ut & Melissa, Pulegium, Radix Pimpinellæ, Zedoariæ, Galangæ, Cassia lignea, Macis, Anthophylli, Costus aromaticus, Cardamomum, Nux Moschata, Melissa, Myrrha, & similia. Lignum Guajacum, præsertim Sassafras est unum, quod præ cæteris ad Sterilitatem Muliebrem emendandam & corrigendam commendatur, in specie, si aut ad Cachexiam serosam nonnihil inclinent, aut Sanguine nimis seroso turgeant; unde Uterus fit magis laxus. Talibus aquosioribus aut scorbuticis ad Massæ Sanguineæ Crasin immutandam *Diæta Sudorifera* ex Decocto Lignorum, præsertim Sassafras, cum aliis Appropriatis instituenda, & Sudores in conopæo eliciendi veniunt; aut secundùm Hoeferum *in Herc. Med. Vina Medicata*, præsertim Vinum infusionis Ligni Sassafras, item Essentia Lignorum, in specie Sassafras, cum Spiritu Serpilli parata, copiosiùs & crebriùs usurpata egregiè conferunt; Unde etiam Tinctura Coralliorum sassafrasata admodùm laudari solet. Nam esse ita Remedia contra Sterilitatem pro varietate Temperamentorum immutanda, videb. in Velthusio *de Generat. pag.* 119.

Præter dicta, quæ alterationem Subjecti totius respiciunt, conveniunt etiam *Appropriata & Specifica*, tam Interna quàm Externa, quæ Venerem blandè stimulant, & Mulieres aptas reddunt ad Coitum fœcundum. Quò enim voluptuosior est Congressus, eò magis fœcundantur, quod tamen non universale est, cum sine sensu Voluptatis quandoque etiam concipiant. Huic Scopo satisfaciunt Nux Moschata, Anthophylli, Melissa, Satyrion & Eryngion, item Aromata, Semina acria, Eruca, Sinapi, & similia Venerem stimulantia, quæ abundè cognita sunt. Inter reliqua excellunt quoque *Ambra* & quælibet *Ambrata*, ac *Moschus*, quæ egregia sunt ad promovendam Conceptionem, etiam externè post Mensium fluxum cum Pessis Vaginæ Uteri intrusa, multum obtinent contra Sterilitatem: hinc ex frequenti Ambræ usu Fœminam, quatur annos sterilem, fœcundam redditam fuisse testatur Rolfinckius *in Ord. & Meth. Sect.* 6. *c.* 1. Imprimis paranda Essentia Ambræ pro usu muliebri cum Spiritu Melissæ, hinc propinanda cum Essentiâ Rorismarini, vel Essentiâ Satyrii, vel cum Spiritu Formicarum. Confectio Alchermes, Species Diambræ, &c. aliàs notæ, transeant. Hartmannus tanquam Experimentum commendat Sal Satyrii, si à ℈ß. ad ℈j. in Aquâ Vitæ Mulierum albâ vel Vino Hispanico assumatur. Ulteriùs etiam in *Viperis* singulare quid latet ad conciliandam Fœcunditatem; unde Viperarum usus, earundem Remedia, & Essentia Viperina, aut in specie

cie Sal volatile Viperinum, non erunt fruſtranea ad conciliandam Fœcunditatem, cùm notum ſit, quòd Viperarum eſus Mares reddat fœcundos, aut Carnes Pullorum aliorumque Viperis nutritorum, uſurpentur à Principibus ad Fœcundationem, quo Remedio fœcundum ſe reddidit defunctus *Dux Bavariæ*: Brodium item, in quo Carnes Viperinæ decoctæ, conducit. Præ cæteris Obſervationem curioſam & notatu dignam habet Helidæus Paduanus *in Obſ. p.* 294. ubi in priori ſeculo Brodio, in quo Carnes Viperinæ decoctæ fuerunt, unà cum Columbâ juveni, Myrobalanis, Floribus Cordialibus, Epithymo, Polypodio, Anetho & ſimilibus, Epithymo, Polypodio, Anetho & ſimilibus, curavit non tantum modò Mulierem leproſam, à Leprâ, ſed præterea quoque jam quadragenariam, cum anteà ſemper ſterilis fuiſſet, hôc ipsô Decoctô tantùm & ſanata à Leprâ, & ſimul fœcunda facta eſt. Unde hujuſmodi Brodio ad corrigendam Mulierum Sterilitatem optimè quis uti poſſe ait. Pulvis *Cancrorum fluviatilium*, blando calore Balnei exſiccatorum, uti Abortum præcavet, ita etiam contra Sterilitatem laudatur.

Juxta hæc ulteriùs ſpecificè commendantur *Teſticuli Cervæ & Apri*, qui fuerunt Secretum Corbei & Hartmanni, ex quibus hic parat ſuam Eſſentiam contra Sterilitatem, quam tanquam ſingulariſſimam ſibi propriam reſervavit, quæ cum Eſſentia Satyrii *Crollii*, aut cum Eſſentiâ Florum Anthos, laudari ſolet in Vino generoſo vel Aquâ ſpirituoſâ poſt Fluxum menſtruum uſurpata: Vid. *Prax. ejus Chym. c.* 227. In Schenkii *Obſ. lib.* 4. *Porci Teſtes* laudantur. Aliàs notum eſt, quòd *Matrix* ſuilla, vel leporina, vel cervina exſiccata & pulveriſata, Mulieribus ſterilibus commendetur. Porrò *Formicæ* egregium ſubminiſtrant Remedium, uti ad Impotentiam Virilem, ita & Sterilitatem Muliebrem: Spiritus Formicarum, & ex his parata Eſſentia Uterina, additis aliis Specificis appropriatis uterinis, inſigniter confert contra Sterilitatem: unde Aqua Magnanimitatis & Spiritus Formicarum, vel cum hoc, aut cum Spiritu Roriſinarini parata Eſſentia Teſticulorum Cervæ; vel Eſſentia horum Teſticulorum propinata unà cum Eſſentiâ Ambræ poſt menſium fluxum, & continuata, eſt Remedium non contemnendum: Quò etiam pertinet Eſſentia Satyrii cum Spiritu Formicarum parata, & Flores Anthos, Meliſſæ, Radix Satyrii condita, Cortex Aurantiorum conditus, Raſura Eboris cum Vino rubro. Quidam commendant Electuarium, factum ex Priapo Cervi & Tauri cum Floribus Stœchadis Arabicæ & Melle: cui ipſi Electuario convenientiſſimè ex Formicis parata Remedia addi, aut his hoc Electuarium largiter irrorari poteſt. Aliàs ſunt etiam, qui Pulverem Secundinæ humanæ ad 3j. uſurpatæ contra Sterilitatem inſigniter laudant.

*Externè* præter *Thermas Naturales*, quæ ſæpiùs obſervatæ fuerunt proficuæ, conveniunt contra Sterilitatem, præmiſſâ debitâ Corporis præparatione: præſertim *Balnea*, finitâ menſtruâ Purgatione aliquot diebus continuanda, parata vel ex Decocto Aromaticorum uterinorum, vel quod præſtat, Balnea, quibus incoctum Cubile Formicarum cum ipſis Formicis in conſtitutione præprimis ſucculentâ: vid. *Balneum Minſichti contra Sterilitatem*, & Cunradi *Medulla Deſtill.* ubi habet egregia de Formicis. Balnea ex Cicutâ aliqui commendant: vid. Platerus *loc. ſup. cit.* Sic etiam Oleum Formicarum volantium externè Utero illitum ad Conceptionem diſponit. Item convenit ulteriùs *Suffitus* ex appropriatis Uterinis, Reſinis ſuaveolentibus & aromaticis, v. g. Gummi Juniperino, Baccis Juniperi, Succino, Thure, Styrace, Maſtiche, Benzoë, Caſtoreo, Gummi Carannæ, Animæ, & ſimilibus, poſt Menſium fluxum frequenter inſtitutus admodùm confert. Poſt quem Suffitum applicantur Peſſi Uterum nonnihil expurgantes ex Allio cum Oleo Spicæ ad imitationem Riverii parati, item Peſſi ex Foliis Matricariæ & Mercurialis contuſis, & pauco Oleo Spicæ irroratis, qui Peſſi poſt Suffitum veſpertinum applicati, per noctem poſtmodùm retineantur. Borellus *Cent.* 1. *Obſ.* 29. pro Secreto communicat, ſi Mulieres Steriles, modò à vitio Conformationis non dependeat Sterilitas, antequàm Virum accedant, Placentulam Menthaſtri Vulvæ imponat, Coronæ inſtar effigiatam, idque ſub fine menſtruarum Purgationum fieri debere, uti *ſequenti Obſervatione* Herbæ Clandeſtinæ potentiam ad Sterilitatem arcendam mirè prædicat. *Inunctio* etiam Glandis Membri virilis cum Balſamo Apoplectico, vel cum Zibetho, vel Moſcho, ante Congreſſum; qua uti utrique Coitus redditur voluptuoſus, ita Mulieribus ſub voluptuoſo Congreſſu ad promovendum Conceptum non parùm confert. Ulteriùs ſunt, qui inungunt Regionem uterinam ſeu Pubis cum Oleo Cheirino, Irino, Nuciſtæ expreſſo, & Oleis deſtillatis, ut Nucis Moſchatæ deſtillato, Majoranæ, Spicæ, Caryophyllorum, Macis, Meliſſæ & ſimilibus, Styrace liquidâ exceptis, & pro Balſamo uſurpatis: ſicuti etiam *Emplaſtrum* ex Maſtiche, Tacamahacâ, Carannæ, cum Balſamo Peruviano ſubactum, Alutæ ſuperinductum, & Regioni uterinæ ſupra junctiuram impoſitum, pro Utero confortando Sterilibus non inutiliter ſuadetur.

## CAPUT III.

### *De Conceptione Aucta.*

HAbuimus in ſuperioribus de Conceptione deficiente, ex qua etiam facilè poſſumus judicare, quando *rariùs contingit Conceptio*. De *Auctâ* non opus eſt, ut multa addam, quia ordinariò aut *Gemelli* aut *Trimelli*, rariùs plures unà vice excluduntur Fœtus.

## CAPUT IV.

### *De Formatione Fœtus Læſa.*

NOtum eſt, quòd, poſtquàm concepit Mulier, ſucceſſivè in Ovo Uterino fœcundato *formetur Fœtus*, qui Corpore aut eſt *ſimilis* Speciei humanæ, aut eſt *diſſimilis*: *Similis* eſt, quando ab Hominibus generatur Homo perfectus, ſicuti ab Equis Equus, à Canibus Canis, & *eſt Formatio Naturalis*: Verum ſi *diſſimilis*, eſt *Formatio Præternaturalis*, quæ *ad duo Capita* referri debet, nempe

1. Ita diſſimilis eſt Speciei Parentum, ut ad certam aliam quandam Viventium Speciem, ſed vitiosè formatam, accedat, à qua etiam primariò denominationem habet, & tunc vocatur *Monſtrum*: ſic v. g. eſt Monſtrum Humanum, Monſtrum Caninum &c.

Vel

2. Ita vitiosè conformatum eſt id, quod loco Fœtûs ex Utero prodit, ut ad nullam certam Speciem viventium Corporum propriè referri poſſit, & tunc *Mola* appellatur.

## ARTICULUS I.

### *De Partu Monſtroſo.*

PArtus *Monſtroſi* ſunt, quando Animalia perfecta à Mulieribus ex Utero excluduntur, dum nempe Imaginatione ſeductæ alia Animalia, e. g. Mures & Ranas, in Utero formant & pariunt: qualia Exempla obſervat Borellus *Cent.* 3. *Obſ.* 73. ſicut Salmuth *Cent.* 1. *Obſ.* 65. refert, Mulierem Mures admodùm horrentem, Molas excluſiſſe, Mures repræſentantes;

tantes: ſic Molas inſtar Ranarum ejectas notat Amatus Luſitanus *Cent.* 1. *Curat.*27. Ranas enixas, quod in quibuſdam Regni Neapolitani locis familiare eſſe, ex *Antonio Torquemata* Delrio *Diſq. Mag. lib.* 2. *Quæſt.* 7. item Avem mordentem vivam cum Fœtu editam, quæ Fœtûs partem abſumpſerat, in Comitiſſâ Mansfeldiâ obſervat Salmuth *Cent.*1. *Obſ.*66. In Schenckio *l.* 4. *Obſ. ubi de Molâ*, ſunt Exempla Mulierum, Porcos, Leones, Canes, Serpentes, Aſtacorum copiam, &c. edentium: Gliris à Puerperâ editi Exemplum habet Bartholinus *Cent.*1. *Hiſtor.* 10. Molam volatilem vivam, aliaque Animalia excreta ex Utero, videb. in M. A. N. C. *Ann.*1. *Obſerv.*1. *Schol. pag.*12. nec non *Ann.*2. *Obſerv.*160. *pag.*255.

## CAUSÆ.

Monſtrorum horum *Cauſæ* conſiſtunt ſimpliciter in *Imaginatione maternâ*, quod ſufficienter explicavi in *Colleg. Inſtitut.* ſi enim ex Imaginatione maternâ Fœtus Capite canino aut felino, aut Pede equino, generari poſſunt, qualia non rarò proſtant Exempla; quidni etiam totius Corporis Formatio ita trāsformari, & in alia Animalia monſtrosè compingi poſſunt. Verùm cùm Partus hi Monſtroſi, quà tales, ſub Praxin Medicam non cadant, ſed ad Phyſiologiam potiùs pertineant, pauca de his datâ occaſione dixiſſe ſufficiat.

## ARTICULUS II.

### *De Mola.*

*Mola* ita dicitur à pondere, dum quaſi *moles* quædam incondita Fœminæ Uterum premit, malèque afficit: Germanis dicitur *Ein Gevvachſe*, *ein Mutter-Kalb*, *ein Monden-Kind &c.* quas quidam adhuc pluribus inter ſe diſtinguunt, ſed citra neceſſitatem. *Eſt nempe Mola Maſſa quædam informis in Utero, ex Conceptu vero loco Fœtûs ordinarii genita, & ita malè formata, ut ad nullam certā Animalium Speciem referri poſſit*; unde à Mola excludo Animalia perfecta ex Utero excluſa à Mulieribus, quæ non tam ad Molas, quàm ad Monſtroſos Partus jam allegatos revoco.

*Ex Conceptu* verò *Molas fieri* in Definitione dixi: Excludo ergo hîc *Virgines & Viduas*, quæ, quà tales, ſine Viri ſocietate Molas parere non poſſunt. Reperimus quidem multos Autores, qui aſſerunt, Virgines & Viduas, caſtas licèt, Molas ferre ex Sanguine Menſtruo & Semine proprio, inſtar Gallinarum, *Ova Hypenemia* ſeu *Subventanea* citra Galli contactum parientium. vid. Hœchſtetterus *in Obſ. pag.*293. & Kerckringius *in Specil. Obſ.*81. quod tamen falſum eſt: & Mulieres, quæ ſine Mare ferunt Molas, ſunt *Meretrices*. Nam [1.] utut verum eſt, quòd Ovipara generent Ova Subventanea, citra Galli benedictionem infœcunda, nihilo minùs tamen hoc in nullo Viviparorum genere vel ſpecie obſervatur, ut ſc. aliquid tale in ſe generent, citra prægreſſum Maris congreſſum & contactum: Unde nec Homini hoc ſolùm tribuendum eſt citra neceſſitatem, quod nulli Viviparorum ſpeciei convenit: Et ob id etiam raræ ſunt adeò Molæ inter Virgines & Viduas, licèt multas & annoſas, obſervatæ. Quæ (2.) ſi naturaliter citra Viri adjumentum generentur, quidni, quæſo, eſſent frequentiores ſaltem in Brutis aliàs ordinariò multiparis, uti in Canibus, Felibus, Ovibus, & ſimilibus? Deinde [3.] etiam eſt differentia inter Molas, dum quædam ejiciuntur Animatæ, ſeu potiùs Vitales, & Motu Vitalitatem & Animalitatem teſtantur, cùm edant Motum exercitum, & actu ſecundo, & Vitâ Animali gaudeant; quædam verò ſunt non Vitales: Sic Salmuth *Cent.*3. *Obſerv.* 98. refert Molam viventem, ſe moventem; ſic pariter Zacutus Luſitanus *lib.* 2. *Prax. Admir. Obſerv.*144. refert Molam carneam mirabilem viventem, tribus Oculis rejectam. Jam ergò, ſi citra Viri conſortium generaretur Mola, unde quæſo Vitalitas? Nam Ova Subventanea ſeu Ova Hypenemia, & quæ citra fœcundantis Galli contactum excluduntur, nunquam vel tantillum Vitalitatis exhibent, quin potiùs ſub Incubatu putreſcunt brevi, & corrumpuntur. Ergò ſolæ ſaltim erunt Vitales Molæ, quæ à Mulieribus maritatis excluduntur. Virgines verò ſuppoſitæ ſaltem non Vitales excluderent Molas. Jam verò [4.] falſum eſt, eſſe Molam ullam non Vitalem, i.e. quæ nec in Utero Vitam habuiſſet, licèt vel ante excluſionem, vel ſub excluſione ex Utero, Vitalitatem amiſerit, cùm etiam ſæpè diutiùs informes Molæ in Utero geſtentur, quæ poſtmodùm citra ullum Vitalitatis ſignum excluduntur: Sanè talis Subſtantia omni Vitalitate orbata citra ſui corruptionem & putrefactionem tamdiu in Utero perſiſtere nequiret (niſi in Scirrhoſam duritiem, vel ſimile Concrementum durius & ſiccius abeant; tales enim Molas eſſe, quas per plures annos ſubinde Mulieres in Utero geſtant, probabile eſt, & confirmatur ex Paræo, qui *lib.*2. *cap.*34. refert, quandam Fœminam totos annos 17. Molam Scirrhoſam Utero circumtuliſſe); cùm etiam Infans verus, quandiu vivit, citra corruptionem in Utero hæreat; ſimul atque verò moritur, ſi diutiùs paulò retinetur, ad corruptionem, & putredinem breviter tendit. Par ratio etiam eſt cùm Secundina, Uterinaque Placenta, quamdiu eſt Fœtui viventi in Utero juncta, ejus Vitâ communi fruitur, tamdiu ſana & ſalva perſtat; ſimul verò atque ſeparatô Fœtu illa in Utero remanet, Vitalitate ſpoliata corrumpitur & putreſcit. Ut taceam Molas omnes à parvo principio per veram nutritionem & augmentationem ſucceſſivè accreſcere, item conformari plùs minùs, licet vitioſè, videamus Molas, quæ Operatio vitalis citra Vitæ poſſeſſionem exequi nequit: ſic Horſtius *in Obſerv.* refert Molam Muris formam referentem, à Virgine in lucem editam: Sic Mola Bufonem referens refertur ab Hœfero *in Herc. Med. pag.*344. Ex quibus dictis concludo: *non dari Molas non Vitales*, aliàs putreſcerent, & dum ſunt Vitales, non eſſe Ova Hypenemia, ſed vera: Molas ergò quaſcunque nullo modo neque à Virginibus, neque à Viduis citra Viri conſortium excludi aut generari poſſe. Plura quoad hanc Cōtroverſiam vid. in Sennerto *de Morb. Mulier. cap. de Molâ*, ubi, quod ſanè miror, Viduis caſtis Molas citra Viri contactum concedit, non verò Virginibus, cum tamen Viduæ cum Virginibus pari paſſu ambulent. Rigoroſè ſatis pro noſtrâ parte ſtat Paulus Zacchias in eruditis propter copiam rerum *Quæſt. Medico-Legal. lib.*1.

Molæ hæ Germanis vocantur *Ein Sonnen-Kind*, *ein Mutter-Kalb*: item quibuſdam *Mond-Kinder*: Dicunt namque Obſtetrices, ſi Mas poſt Coitum emittat Urinam, ut Radii lunares tangant Membrum Virile, generari Molam. Ordinariò verò vocantur *ein Gevvachſe*; utut quidam rigoroſè inter has tres Molas, tanquam tres Species diſtinctas, diſtinguere velint, quod tamen ſuperfluum. Obſervandum autem, non confundendas Molas propriè ſic dictas cum *Excretis aliis ex Utero*: ſiquidem ſubinde quædam Fœminæ, declinante Menſium Fluxu, aut etiam alio tempore, excludere ſolent ex Genitalibus *Maſſam* apparenter *Carnoſam*, quæ etiam reverà nihil aliud ſunt, quàm majores Grumi Sanguinis firmiùs coagulati, utut ſine texturâ carnoſâ aut membranoſâ, qualis in Molis obſervatur. Sic pariter obſervantur

tur Fœminæ, quæ quavis Menſtruatione excludunt parva Corpora quaſi membranoſa, quæ quidem pro Pituitâ viſcidâ condenſatâ habentur, quæ forſan Ovula ſunt ex Ovario matura, ſponte ſuâ in Uterum per Tubas decidua. Conf. huc Mauriceau *de Mulier. Morb. lib.* 1. *cap.* 10. Et hujuſmodi rejectanea, quæ non ſunt Molæ, tam Virginibus, quàm Maritatis ſunt communia.

*Conjunguntur Molæ* propriè ſic dictæ utplurimùm, non tamen ſemper, *cum Fœtu vivo*, & vero: imò refert Kerckringius *Spicil. Anat. Obſerv.* 65. Infantem Molæ incluſum repertum: & interdum unà cum Fœtu, aut brevi pòſt interdum etiam aliquot menſes vel ſeptimanas ante Fœtum, excluduntur, ipſo Fœtu adhuc in Utero ſubſiſtente, & ſuo tempore in lucem emergente. Id quod fit imprimis, ſi ex quocunque accidente Mola moriatur; tunc enim ceu Excrementitium, à conſortio Vitalitatis proſcriptum, ex Utero ejicitur, vivo ſubſiſtente Fœtu. Interdum poſt Fœtum & Secundinas prodeunt, Fœtu legitimè conſtituto; frequenter tamen occaſione Molæ Fœtus Abortu rejicitur: interdum Mola Fœtui juncta huic Nutrimentum ſubtrahit, unde *Sanguiſuga* dicitur; vid. Bartholinus *Act. Haffnienſ. T.* 1. *Obſerv.* 26. & Lemnius *de occult. Nat. Mirac. c.* 8. Quæ verò ſunt abſque Fœtu Molæ, interdum diutiùs admodum in Utero ſubſiſtunt, & ipſi firmiter accreſcũt, aut ſaltem in Scirrhoſam ſimilemve duritiem degenerant, ac cum Mulieribus conſeneſcunt, quas tandem trucidare ſolent.

## CAUSÆ.

Quod ergò *Cauſam Proximam* attinet, & Generationis modum in Molâ, res perquàm intricata eſt. Qui Veterum veſtigia imprimis Hippocratis *l.* 1. *de M. M. & de Sterilitate*, legunt de Generatione Fœtûs ex Seminibus utriuſque Sexûs miſtis, & Sanguine Menſtruo, indeque Molam ex Sanguine Fœminæ copioſo, & Semine utriuſque Sexûs, in ſpecie Virili, pauco vel debili, generari aſſerunt, illos ſuo ſenſu abundare permitto. Qui verò ex *Harveanis* aut *Hornianis* & *Graafianis* Principiis de Ovo Uterino generationem Molæ explicare vult, is videat Claudium *de la* Courvee; *Medicum Regis Poloniæ*, *Tract. de Nutrit. Fœtûs in Utero P.* 3. *cap.* 4. qui optimè explicat originem & generationem Molarum. Nempe quoad rationem Conceptûs nulla eſt differentia inter verum Conceptum, qui dat Fœtum, & inter Conceptum, qui dat Molam, ſive in principio, ſive in progreſſu Formationis hoc ipſum fiat: ſcilicet inter duplicem Membranam, Amnium & Chorium, Fœtus tam perfectus, quàm ejus rudimenta, continentur: Amnios quidem tenuior eſt Membrana, quæ tanquam munimentum eſt, in quo & Fœtus formatur & etiam cuſtoditur, ne Humor albugineus nutritius affatim ex Chorio irruat in Colliquamẽtum Ovi, & inchoatam tenelli Embryonis Delineationem & Formationem omninò interturbet. Si igitur fiat, ut lædatur iſta interna Amnii Membrana, quæ tanquam munimentum eſt, indeque fiat Liquorum amborum inordinata confuſio, exinde impeditur Formatio, & ex confuſione iſtorum Humorum, nempe Nutrimenti, & ex quo & in quo formatur Fœtus, loco Fœtûs perfecti emergit hinc tandem Moles talis incondita & inconcinna, quas Molas vocamus; quæ tamen nunc proprio motu ſecundùm Agentia & Patientia naturalia oriri, nunc à ſuperveniente Imaginatione maternâ, ejuſque forti impreſſione ſub iſtâ inconditâ formâ, Figuratione plùs minùs quâdam certâ, & Charactere ſæpiùs rudi, inſigniri tandem ſolet. Sic enim refert Foreſtus *in lib.* 28. *Obſervat.* 67. de Muliere, quæ Molam Carneam cum Capite & quaſi Roſtro cujuſdam Aquilæ cõformatam ejecit, cujus Rictus cartilagineus utrinque diduci potuit, natam ex Imaginatione Matris, ſcilicet cum anteà monſtroſas Figuras ſimilibus Capitibus depictas adſpexiſſet: Platerus *lib.* 3. *Prax. pag.* 898. Molam vidit, Stellam arboream marinam perfectè repræſentantem: Molam figuram Capitis Ovilli æmulantem, habet Bartholinus *Cent.* 4. *Hiſtor.* 48. Molam, quæ Muris figuram repræſentavit, videb. in Horſtio *lib.* 5. *Obſerv.* 39. & Salmuth *Cent.* 1. *Obſer.* 65. refertque Diverſus *in Annotat. in Altom. cap.* 112. ſe noviſſe Mulierem quæ tres Molas ad ſimilitudinem Pudendi virilis formatas peperit. Matthæus *de* Gradibus *in cap.* 9. *Rhaſis* vidit bis vel ter Fruſtum aliqualiter figuratum: Conf. Garmannus *in Diſſert. de Gemellis & Partu numeroſo c.* 1. §. 1. Exemplum quoque Kerckringius *in Obſervat. Anat. Obſerv.* 95. *pag.* 184. adducit, cui anno 1669. Amſtelodami ab Obſtetrice quadam 9. Februarii, Mola Corporis formâ inſtar Cyprini exhibita fuit, in bifurcatam caudam deſinens, capite & ore perforato Cyprino ſimili, & in medio Molæ ventre Infans perfectè efformatus, quantus ſolet unius menſis Fœtus eſſe. Simile exemplum etiam Alexander Benedictus *lib.* 25. *cap.* 29. *de Cur. Morbor.* refert.

Quòd ſi ergò Liquores hi confundantur, & Formatio Fœtûs interturbetur ſub primis Geſtationis menſibus, in principio nempe Conformationis, tunc Humores iſti albuginei confuſi, & vel unâ Chorii Membranâ communi, vel ex rupto Amnio, quaſi pluribus membranaceis particularibus Capſulis muniti, dant *Molam* iſtam *Aquoſam Veſicularem*, de qua vid. Loſſius *lib.* 4. *Obſerv.* 167. Tulpius *lib.* 3. *Obſerv.* 32. *& ſuperius, Sect.* 5. *Artic.* 2. *Capit.* 1. *ubi de Hydrope Uteri.* Sin verò talis Humorum confuſio & Formationis interturbatio tardius fiat, cùm Stamina ſanguinea ſint efformata, & Sanguis copioſus genitus ſit, tunc ut plurimùm *Mola Sanguinea & Carnea*, quaſi Parenchymata Viſcerum repræſentans, apparet. Si denique adhuc longiùs protrahatur talis Humorum confuſio, & ubi jam in Fœtu Stamina fibroſa Nervorum fuerunt deducta, & Spiritus Animales geniti ac diſtributi, tunc *Motum* ſimul quendam, interdum ordinatum, interdum palpitantem tantùm, nata hinc Mola obtinere ſolet. Imò in tali Molâ interdum etiam unum alterumve Membrum, v.g. Os, Naſus, Oculi, aut Cerebrum, aut Parenchyma quoddam, exactè ſatis jam elaboratum deprehenditur. Nempe ſunt ſanè Membra & Viſcera Fœtûs tenella juxta ſe quidem poſita, ſed minùs firmiter connexa, & quæ nonniſi ultimo Geſtationis tempore, Cute ac tegumentis membranaceis firmiter inveſtiuntur: unde confuſo Humore Chorii craſſiore cum Liquore Amnii tenuiore, facillimè formatarum Partium ſolidarum tenellarum translocatio, confuſio, & tandem extenſis jam firmiter Vaſorum ſanguifluorum Canalibus tenuibus, aliqualis Sanguinis Circulatio, & ſic Molæ inconditæ Nutritio, & informis plùs minùs Augmentatio, contingere poteſt, donec *Mola inſignis & variformis* emergat.

Negotium hoc ulteriùs declarant *Ova fœcunda Gallinarum*, quæ ipſa vel ante Incubatum, vel dum jam aliquandiu fuerint Incubatu fota, ſi talia, inquam, Ova fortiter concutiantur vel agitentur, impeditur Fœtûs Formatio, & nullus exinde excluditur Pullus, confuſis & permiſtis invicem Vitelli & Albuminis Liquoribus, aut translocatis ex toto ſub vitio Conformationis Partibus tenellis jam nonnihil formatis, Pullus imperfectus in Teſtâ reperiatur. Hinc etiam eſt, quòd *Tonitru* forte, dum Gallinæ incubant Ovis, debitam Conformationem impediat, aut Pulli moriantur; ac Ova, licèt fœcunda, tamen ut corrumpantur, efficiat, à ſimili Ovorum, in eorum ſcilicet Teſtis, concuſſione & confuſione oritur.

Unde

Unde etiam ſub fervido *Æſtatis tempore* minùs ſolent feliciter excludi Pulli, propterea, quia ab Aëre ſubtili & Calore ambiente Humores facilè colliqueſcunt & confunduntur, & ita Formationem Pulli turbant. Simile ſi fiat in Conceptu ſeu Ovo Humano, facilè hinc fruſtratur Formatio, & hinc Molæ, vel Aquoſæ, vel Carnoſæ, vel Sanguineæ, vel denique rudiſter, plùs minùs licèt, in varias figuras formatæ, generatio ſequitur: Vid. Harvæus *de Gener. Animal. cap.* 16. Quòd verò ſubinde cum Fœtu deprehendantur Molæ, fieri videtur, quatenus vel *Gemellorum*, pluriumque Fœtuum Conceptio ſimultanea, aut ſaltim *Superfœtatio* facta fuerit, aut aliâ ratione plurium Ovulorum ſub Congreſſu fœcundo, aut uno aut pluribus, excluſio contigerit, inde Ovum unum in Fœtum perfectum ſucceſſivè adolevit, cæteris impeditis, & ſub Formatione inchoatâ quâcunque occaſione vitiatis, in Molam degenerantibus.

*Cauſæ Remotæ*, quòd generetur Mola, ſæpiſſimè ſunt *in Matre*, & ſubinde *Externæ*: ſic interdum ex inconcinno Motu Matris, aut Ventris nimiâ Percuſſione, aut Saltu, vel Caſu, aut Irâ, aut aliis gravioribus Animi pathematibus, Formatio Conceptûs impeditur, Membrana Amnii diſſolvitur, Humores confunduntur, & ita Molæ oriuntur. Item iis, *quæ ſunt ſalaciores*, aut quæ ſubinde pariunt Gemellos, non rarum eſt, quòd cum Fœtu prodeant Molæ, ubi ſub Congreſſu plura Ova fœcundata, unde alter magis, alter minùs fœcundatur. Allegantur etiam hîc à quibuſdam Mulieres *fervidiore Sanguine præditæ*, unde aut colliqueſcunt Humores, & extra debitam conſiſtentiam abeunt, & ad Conformationem inepti fiunt, Membrana Amnii adhuc tenera rumpitur, ac ita Humores Ovi Uterini diſtincti inordinatè confunduntur, ſicque Formationis negotium interrumpitur, ut fiant Molæ.

## DIAGNOSIS.

Quod attinet *Signa*: Molam ritè cognoſcere, & *à verâ Gravidatione diſcernere*, difficile eſt, & res accurato ſcrutinio digna: vid. Foreſtus *lib.* 28. *Obſerv.* 62. Equidem Mola ſine Fœtu faciliùs cognoſcitur, quàm quæ cum Fœtu. In ſpecie primis menſibus, aut ante quartum menſem, aut medium Geſtationis tempus, vix minima ejus præbetur ſuſpicio.

*Signa* autem, quæ Molam produnt, menſe quarto, vel inſtante proximo, magis innoteſcunt, quæ inter imprimis ſunt:

I. *Motus* qui latentem Molam nonnihil manifeſtat; nam Fœtus tunc moveri ſucceſſivè incipit, primò Motu pulſatorio, qui magis fit validior ſucceſſivè, quod non fit in Mola. Hæ enim ſi adſunt, vel nullum Motum ſenſibilem edunt, vel ſi aliquem habeant, ipſæ Mulieres illum facilè à Motu genuino Fœtus diſcernere valent: Nempe ante tertium menſem tremulus ſaltem, minùs validus & palpitatorius eſt, vel conſtrictorius & dilatationis ſaltem: vid. Riverius *Cent.* 2. *Obſerv.* 100. Non verò in omnem Situs differentiam, ut in Fœtu perfecto accidit, qui interdum calcitrando firmiùs ſe movet, & Tumorem quaſi facit. Interdum etiam inſignes Motus obſervantur ſub præſentia Molæ, qui tantùm ſunt Uteri, non verò Molæ contentæ: ſunt nempe ſpecies Motuum Convulſivorum Matricis irritatæ à Molâ, non verò ipſius Molæ, cùm interdum obſerventur Fœminæ cum Motibus adeò violentis, quaſi plura Animalia in eôdem eſſent Ventre: Vid. hic Mauriceau *ſuprà citatus*.

II. Si jam Fœmina de latere in latus ſe vertit, Mola parili etiam ratione in latus, in quod decumbit mulier, *inſtar Lapidis*, & inſignis Ponderis Dorſum prementis, impetuosè volvitur; quod longè majus ſentiunt, quàm dum in Utero Fœtum perfectum geſtârunt, cùm in legitimâ Gravidatione Fœtus citra talem Ponderis Motum in Utero firmiter expanſo, quôcunque ſe moveat Mulier, ferè eundem Situm obtineat. Hinc etiam Ponderis major ſenſus percipitur, & quaſi incumbit Utero, dum geſtatur Mola, quàm quando geſtatur Fœtus verus; & iſtud *Pondus* deorſum versùs *Vulvam premit* in Geſtatione Molæ, quod non æquè fit in Fœtu vero, qui potiùs in Ventre ſine moleſtiâ geſtatur, niſi ultimo menſe, circa tempus Partûs, ubi magis ad inferiora declinat &c.

III. Si *tempus Motûs Fœtûs*, menſis nempe quartus vel quintus Geſtationis, *præterierit*, & nihilominùs nullus Motus in Utero percipiatur; interim verò Venter intumeſcat, nec tamen vel Hydropis Aſcitis, vel Hydropis Uterini Signa adſint, Molæ latentis indicium eſt.

IV. Fœtus verus à Mola *Ventris Figurâ* diſcernitur. Nam in Fœtu vero Venter præſertim ad Umbilicum versùs attollitur & protuberat, versùs latera nonnihil coarctatur: In Mola verò Venter non antrorsùm versùs apparet turgidus, ſed potiùs ubique tam ad latera, quàm anteriora, circa Hypogaſtrii imprimis regionem intumeſcit, & in omnem dimenſionem æqualiter attollitur, & quaſi Globulus ſeu Maſſa in Utero & Lumborum regione poſita tactu percipitur.

V. In ritè Gravidis quamplurimis, in ſpecie habitioribus, *Lac verum* circa quartum menſem aut medium Geſtationis tempus ſubinde generari incipit: in Mola verò Mammæ rarò intumeſcunt, aut utut intumeſcant, tamen verum Lac non generatur, ſed cruda ſaltem quædam Maſſa & Liquamen ſeroſo excrementitium ad Mammas derivatur, & ex iiſdem effluere ſolet, quæ ſucceſſivè denuò evaneſcit.

VI. Molam *Dolor* quidam *in Utero*, Punctionis ſenſum inferens, ſubſequitur, teſte Foreſto *lib.* 28. *Obſerv.* 61. & Punctiones has dolorificas ſubinde moleſtas, peculiare Molæ Carneæ eſſe notas, quibus eam à vero Conceptu diſtinguere queamus, aſſerit Scholzius *in Conſ.* 355.

VII. Graviora Molas, quàm Uterum verum geſtantes, Mulieres habent *Symptomata*, præſertim minùs coloratæ & pallidiores, quaſi Cachecticæ apparent, Vireſque magis proſternuntur, ac Cachexiæ ſimilia, circa univerſi Languorem, difficilem Reſpirationem, Decolorationem, &c. patiuntur: in verè autem Gravidis medio Geſtationis tempore Symptomata gravia remittere ſolent.

VIII. Si *poſt decimum menſem*, adeoque præterlapſo tempore Partûs legitimo, *Venter adhuc tumeat*, nec Hydropis & Inflationis Signa adſint, de Molâ ſuſpicio adeſt, quæ poſtmodùm ſucceſſivè magis magiſque ſe prodit, quò diutiùs in Utero ita retinetur. Et dum

IX. Gravidis menſtrua Purgatio omninò ceſſat, plerumque Molam geſtantibus ex intervallis, tertio quovis menſe, vel etiam longioris temporis intercapedine, effrænes *Uterini Fluores ſanguinei* Fœminis ſuperveniunt, ſed colore vitioſo: id quòd minus convenit in verâ Fœtûs Geſtatione, ſi eſt ſanus, vel vitalis. Interdum quoque per aliquot dies *Mictio laborioſa* & dolorifica eſt, ægrèque procedit. Item tempore Menſium conſueto Gravidæ neque Dolores neque Tenſiones percipiunt, ſed potiùs tantùm fortiorem Motum Fœtûs; contrarium verò fieri ſolet in Mola. Quibuſdam Menſes fluunt, ut plurimùm verò hi ipſi, non ſecus ac in legitimè Gravidis, ſuppreſſi ſunt.

Hæc Signa faciliùs apparent, ubi Mola eſt ſola, & citra adjunctum Fœtum verum, ex quibus probabilia eruantur, ut præſens Mola cognoſcatur. Mulieres Gravidæ ſemper ſolent optimè de ſe ſperare; unde etiam, niſi varia adſint Symptomata, difficulter iiſdem poteſt perſuaderi, quòd geſtent Molam. Quòd *ſi Fœtus verus* & vivus ſit conjunctus, quod inter-

interdum fit, hoc *difficiliùs omninò cognoscitur*, nisi forsan ex quantitatis Pondere, Ventris Mole majore, ac Symptomatibus gravioribus, quoad Motum ab uno latere in alterum, & similia alia supervenientia Signa, suspicio oritur.

In genere cognoscitur rectissimè Mola *ex Pondere & Gravitatis* sensu in Utero, & *ex Motu* ejus, quem Ægra, dum se erigit, vel ambulat, vel de latere in latus movetur, percipit. Si ergò hæc conjectura adest, relinquatur Mulier usque ad tempus Partûs.

Qua ratione autem Mola & Fœtus simul probabili conjectura possint cognosci, conf. Sennertus *lib.* 4. *Prax. ubi de Molâ.*

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognosin*; Mola semper *periculosus Affectus* est, Matrem lædens, & multa Symptomata, tam cùm retinetur, quàm cùm excluditur, inferens, cujus occasione dum retinentur Menses, tam Uterus, quàm universum Corpus exinde insigniter læduntur.

Quò *citiùs* ejicitur Mola, eò melius.

Quò *major* eadem, vel diutiùs retinetur, eò majus periculum imminet, & interdum in Asciten lethalem degenerat: vid. Forestus *l. a. Obs.* 62. Hildanus *Cent.* 2. *Observ.* 55.

Interdum tamen etiam *celeri* satis *Morte* enecat; vid. Zacutus Lusitanus *lib.* 3. *Princ. Hist. cap.* 16. *Obser.* 2. aut si procedat, Dolores acerbissimos, Hæmorrhagias, aliaque Symptomata periculosa excitat, & egrediendo enecat.

Si verò *in plures partes divisa* fuerit, minus periculi affert, cum successivè Fistula aliquot diebus aut mensibus interjectis ejici soleant.

Si *Fœtui Mola jungatur*, eum vel enecat, vel insigniter lædit, sæpiusque causa est, ut Mulier abortiat; aut si cum Fœtu excluditur, *Partum laboriosum* facit. Curiosum est quod refert Salmuth *Cent.* 1. *Obs.* 66. de Ave mordente cum Fœtu editâ, quæ Fœtûs partem absumpserat.

Si est citra Fœtum, quando corrumpitur antequàm ejiciatur, *putrescendo Uterum inquinat*, ac ad similem Putredinem disponit: quod quidem perquàm rarum est; observatum tamen à Schenckio *lib.* 4. *Observat. ubi de Molâ.*

Molæ *si Hydrops Uteri junctus sit*, ferè lethalis est, cùm duos gravissimos Morbos vix superare possit Mulier, quin jugulent.

Molæ solæ, si non corrumpantur & inalteratæ persistant, subinde pluribus *mensibus*, quin & *duos*, *tres*, imò etiam *decem annos* in Utero hærent citra Gravidationis læsionem, & cum eâdem consenescunt, imò Matrem usque ad Mortem comitari solent, utut non sine insigni Mulieris nocumento & successivè Viribus languescentibus Matrem propriam jugulent.

Si *excludantur* tandem *sponte*, quod rarius est, vel *Medicamentorum vi* per Artem, Cruciatus insignes, & imprimis periculosæ Hæmorrhagiæ Uteri, supervenire solent. (F)

## CURA.

(F) Nota Cyrilli. *Ex dirutinâ* Molæ gestatione, *Uterus sensim* Tumorem *contraxit*, *qui post Molæ exclusionem apertè se manifestans*, *& non exiguum sumens incrementum*, Nobilissimæ Mulieri *non levia intulit incommoda*, *ut patuit ex* Historiâ *mihi* Româ *olim transmissâ*, *cujus occasione sequens eo tempore præscriptum fuit* Consilium.

Neapoli 20. Maii 1712.

*EXtra omnem dubitationis aleam esse existimo, eâ in regione corporis, de cujus dolore, pondere, vel molestiâ* Excellentissima Domina, *vel jugiter vel interpolatis vicibus conqueritur, vitium aliquod subesse organicum, seu partium solidarum præter Naturæ leges diathesin. Haud insuper à vero aberraturum eum reor, qui putaverit vitium hoc inter* Tumorum *species recensendum; tractu enim temporis fieri minimè potuit, quin Humores lenti viscidique, in parte affectâ remoram passi, Tumorem excitarent; hic autem fortassè quòd in profundo situs sit, nequit extrinsecùs manifestè deprehendi, ea tamen regio aliquantulùm turgida, tensa, atque elata observatur. Ratione igitur partis affectæ situs (quod nempe Malum dextram Hypogastrii regionem, versùs Renem ejusdem lateris, occupet), & quia post perturbatam Uteri à* Molæ *conceptu actionem primò comparuerit; fas erit conjicere* Tumoris sedem in dextro Uteri lato Ligamento *collocatam esse.*

*Quibus sic positis facili negotio* Symptomatum *Morbum ipsum comitantium rationem reddere poterimus. Exasperatur profectò* Dolor, *atque adaugetur molestia, cùm Sanguis statis temporibus* κ) φύσιν *per Uterum educitur; agitatâ nempe parte affectâ, atque distractis veluti illius fibris, à Sanguinis fermentatione, quemadmodùm in universo corpore, tum maximè eo tempore, in Utero partibusque adjacentibus excitatâ. Ex levi alioquî Corporis exercitio* Anxietas, *atque respirandi aliqualis difficultas* Nobilissimæ Ægrotanti *accedit; ex eo scilicet, quia Abdominis Musculi (præsertim Obliqui), quorum quoque adjumento & Respiratio peragitur, ob subjacentem Tumorem nequeunt promptè suum exequi munus: quemadmodùm Viscerum obstructione detentis accidere observamus. Nec mirum denique si aliquot ab hinc mensibus* duplex Tertiana *orta fuerit, suppeditato febrili fermento à parte ipsâ affectâ, ubi tunc fortè temporis, humores minùs lenti, & ad fermentationem paratiores colligebantur.*

*Omnis proinde impendenda cura est, ut* Tumor *hic quantociùs fieri potest auferatur, ne, vel mole sensim adauctâ Uterum comprimat, & Conceptionem impediat, vel fermentatione, quâcumque ex causâ, in eo excitatâ, in* Apostema & Suppurationem *transeat, vel* duritiem scirrhosam *contrahat, ac in morbos* Scirrho *congeneres (quod Deus avertat) degeneret: præterquàm quòd &* lenta Febris *accedens poterit non parvi faciendam* Maciem *corpori inducere. Quum autem optima & adhibita sint, & proponantur Medicamenta, spero fore, ut* Excellentissima Domina *si non devictâ, saltem depressâ morbi vi, possit commodiorem vitam diu, ut par est, vivere.*

*Universa igitur* curandi Methodus *eô dirigi debet, ut* viscidi Humores *in tumidam partem impacti* incidantur *primò, deinde quoad fieri potest per convenientiores vias* educantur; *non neglecto tamen* Ventriculo, *ut scilicet hôc roboratô, crassorum humorum saburræ proventus in posterum præcaveatur. Inter* Medicamenta *huic indicationi satisfacere apta, primum locum occupant* Chalybeata, *utpote quæ utramque paginam absolvere queant: præmisso igitur, ut Artis est, Rhabarbari, vel simili exiguo* ἐκκοπροτικῷ, *vel Dulcedo Martis, vel Sal ejusdem ritè paratus, atque cum paucis ipsius Rhabar-*

## CURA.

Quod ergò attinet *Curam*: In eâ obſervandum eſt, ante omnia, quantum poſſibile, antequàm ad Indicationes procedatur, *an Mola ſit conjuncta cum Fœtu?* an verò ſine eo? *Si Mola eſt cum Fœtu* perfecto, nihil temerè agendum eſt, ſed ſaltem *Abortus præſervandus*, & hujus excluſio expectanda; tunc enim ut plurimùm ſimul ejicitur Mola. Ubi verò obſervandum, ſubinde Placentas Uteri inſignes grandævas, aut varieformes haberi ſubinde pro Molis, quod tamen non eſt. Aut ſi præter ſpem retineatur, tunc demum vel *manu Chirurgicâ*, vel *ope Pharmaceuticâ* extrahenda aut expellenda erit. Sin verò *ſine Fœtu* ſuſpicio adſit, id quod imprimis fit, ſi ultra 10. menſes, aut ultra annum integrum in Utero perſiſtat, tunc opera danda eſt, ut quantocyùs ejiciatur, ne diuturnâ morâ vel fiat grandis, vel Matrem geſtantem lædat. Ob id ergò omnia fortiora *Menſes pellentia*, & *Partum difficilem promoventia*, & denique omnia *Fœtum mortuum ejicientia*, uſurpanda ſunt. Conveniunt ob id eadem Methodus Medendi, eademque Remedia, quæ in Partu difficili, Fœtu mortuo, Secundinis retentis, Menſibuſque ſuppreſſis uſurpantur.

Ut ergò hoc fiat, præmittantur quædam *Præparantia*, hinc *Pellentia*. Inter *Præparantia*, *Inſeſſus*, *Balnea*, *Fomenta*, *Inunctiones* & *Clyſteres Alvini & Uterini*, & ſimilia ex *Emollientibus & Laxantibus* parata. Scilicet *Inſeſſus* in Decoctis Plantarum Emollientium, laudantur: *Clyſteres Uterini* ex Oleo; *Alvi* ex Lacte, ſolent laudari: *Fomenta* Uteri ex Oleo & Lacte applicanda, & quæ ſunt aliàs ſatis cognita, & de Partu alibi recenſebuntur, quæ vias laxant, Uterum ejuſque Fibras, ac ambientes Membranas, molliores, flaccidiores, & tractabiliores, & diſtenſioni aptiores reddunt. Præparatis ſic viis, convenit *Venæ ſectio*, primò in Brachio, poſtmodùm in Pede. Poſt hanc in uſu ſunt *Vomitoria* valida, cùm potentia ſint ad excludenda in Utero contenta; ſive ſint Antimonialia, quæ ſunt optima, ſeu Vitriolata, inter quæ eſt Sal Vitrioli vomitivum, quæ minùs ſunt commoda. Juxta hæc præſcribantur *Purgantia fortiora*, quæ, uti notum eſt, ſimul potenter Uterum ſtimulant, & ad ejectionem contentorum diſponunt. qualia ſunt Pilulæ Fœtidæ, Pilulæ de Hierâ cũ Colocynthide, aut eius Extractum, Species Diaturbith cũ Rhabarbaro: Item Decoctum Sennæ, Pulegii, Sabinæ an. M. ß. in Sero Lactis, ad aliquot dies hauſtum, ad imitationem Rulandi *in Theſaur. pag.* 300. quo Decocto aliquot Molas ejecit: Item Extractum & Remedia ex Helleboro nigro & Colocynthide, & ſimilia draſticotera internè uſurpanda. His ſubinde addantur *Pellentia Menſes*, *Fœtum* & ſimilia, imprimis ex Rutâ, Artemiſiâ, Pulegio, Sabinâ, Bryoniâ, Gentianâ, Aſaro, Anetho, & ſimilibus: Ex Baccis item Juniperi, ex Semine Nigellæ, Ciceribus & ſimilibus, quibus commodè Aqua ſpirituoſa ſeu Tinctura in magnâ copiâ, & ſimilia ex Cinnamomo & Canellâ Remedia adduntur; Nam hæc potentia ſunt ad promovendam ex Utero excretionem: Decoctum Anethi & Rutæ in Vino ſecundùm Foreſtum *lib.* 28. *Obſ.* 61. Eſſentia & Oleum Caryophyllorum, & Pilulæ de Sabinâ *Mynſichti*, hîc etiam locum habent: item Decoctum ac Oleum deſtillatum Sabinæ cum aliquot guttulis Olei deſtillati Caryophyllorum cũ Saccharo in Elæoſaccharum redacta, diutiùs continuata, ſtimulum potentem inferunt. Vel fiat Pulvis ex Borracis, Myrrhæ, Caſtorei ana part. æqu. addito Sale volatili Succini; de quo Pulvere ʒß. in Aquâ Cinnanomi quotidie ſemel aut bis repetitis vicibus aſſumatur. Pertinet huc Aſa fœtida; aut fiant Pilulæ ex Trochiſcorum de Myrrhâ ʒß. ad ʒj. cum gran. iij. Euphorbii, cum Eſſentia Myrrhæ, quæ pro 3. doſibus per 3. dies ſucceſſivè hauriantur. Præ reliquis Experimentum eſt pulvis Secundinæ blando igne exſiccatæ ad ʒj. in Aquâ Cinnamomi aut aliâ appropriatâ propinatus, *Specificum* eſt Hartmanni *in Prax. Chymiatr.* commendatum inſigniter

à

*bari, vel Aloës roſatæ granis commixtus, ad ſolſtitium uſque æſtivum exibeatur, ac corpus juxtà Artis regulas lentè exerceatur. Quòd ſi remedium hoc ad praxim reduci nequeat, Tinctura Tartari ex uſu eſſe poterit, ad aliquot guttas ſingulis diebus jejuno ventriculo ex Vino exhibita.*

*Optima eodem tempore inſtituatur* Victûs ratio, *vitatis nempe acidis, pinguibus, craſſis, crudiſque Cibariis, exhibitis tantummodò* εὐχύμοις καὶ εὐπέπτοις. *Vinum ſi bibat* Excellentiſſima Domina, *hoc oligophorum ſit, nec craſſum acidumve; ſi abſtemia uſque adhuc fuerit, paucas uncias inter prandendum, ſed benè dilutum aſſumere poterit: Si verò prorsùs ab illius uſu refugiat, utatur Aquâ è Smilace aſperâ, vel Sarſâ ipsâ parilla decoctâ. Chocolates uſum haud interdicere auderem, dummodò frequens non ſit, nec Ventriculo pondus inferat: Fortaſſe à paſtu potum Caffè ad ſitim ſedandam abs re eſſe non reputaverim.*

*Quod verò ad* Balneorum *uſum attinet, puto equidem maximam eſſe illorum vim, præſertim ſi è ferreâ minerâ prodeant Aquæ, ad internas obſtructiones reſerandas, Tumoreſque viſcerum duros reſolvendos: quare inter* Aquas Lucenſes, *poſthabitis* Balneis de Corſena, & S. Johannis *dictis, quæ à* Baccio *inter Aluminoſa recenſentur, opportuniorem exiſtimarem* Aquam de Villa, *in agro ipſo Lucenſi ſummoperè deprædicatam, cujus minera à* Savonarola *ferrea in prædominio ſtatuitur, quare (ut antiquitùs notatum eſt Marmore ibi appoſito) ventriculi digeſtionem promovet, hepatis, ac venarum obſtructiones aperit, quod ad rem noſtram facere quam maximè videtur. Præterquàm quòd &* Aquæ *noſtræ* Thermales in Inſulâ Ænariâ *celebres, præſertim* Balneum de Gurgitello *dictum, ad morbum* Excellentiſſimæ Laborantis *tollendum, efficaciſſimum eſſe haud negabit, qui miras illius Aquæ facultates aliquoties expertus fuerit.*

Cautè *tamen Balneorum uſus in hoc caſu adminiſtrandus, ne ſcilicet Aquæ mineralis vi, id quod in parte morbosâ placidè deliteſcit, in fermentationem, & quidem ſuppuratoriam, cieatur, ac proinde Malum in præceps ruat. Quamobrem* Spongiæ *primùm Aquâ imbutæ regioni Tumoris applicandæ, deinde ſenſim ad* Inſeſſum *tranſeundum, nec Aqua ſummè calida, ſed valdè temperata admovenda.*

*Cæterùm ante Balneorum tempus non abnuerem ab* Unctionibus *parti affectæ, quoad loci profunditas permiſerit, inſtituendis:* Olea *primùm parari poterunt ex Abſinthio, Abrotano, Tanaceto & ſimilibus, addito ſemper gummi Camphoræ; poſtmodùm gradus faciendus ad* Unguentum de Cicutâ Hildani, *vel aliud analogum. Hæc de naturâ & Curatione Morbi* Excellentiſſimæ Dominæ ſentiebam, *quæ qualiacumque ſint* Doctiſſimi Medici Aſſiſtentis, *& ſanioris ingenii Virorum criſi ſubjicienda volo.*

à Lindano, & adhuc uſitatum Sylvio. Eſt ſingularis hæc Secundina ad præternaturalia ex Utero pellenda. Spiritus Secundinæ per putrefactionem eſt optimus. Zacutus Luſitanus *lib.* 2. *Prax. Admir. Obſ.* 145. ceu Experimentum commendat Pilulas ex Euphorbii ʒj. cum Syrupo Artemiſiæ paratas; nam & hæ potenter expellunt. Hæc & alia aliquandiu internè continuanda ſunt, donec provocetur ſucceſſivè Uterus ad Molæ excluſionem.

Hiſce Internis ſimul addantur *Externa*: Externè ergò præter Clyſteres fortiter ſtimulantes & Menſes provocantes acriores, aliaque Vaginam Uteri & Orificium Uteri internum irritantia, & ſpaſmum promoventia, uſurpanda ſunt. Hinc fiant *Clyſteres Alvini*, imprimis ex Pulegio, Matricariâ, Sabinâ, Pulpâ Colocynthidos in Nodulo ligatâ, ac ſimilibus injiciendi: Vel fiat *Clyſter Uterinus* ſequens:

℞. *Herb. Artemiſ.*
*Sabinæ* an. M. j.
*Sal. Tartari* ʒß.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ ſimpl.*
*Colat.* ℥iv. vel ℔ß. adde
*Eſſ. Myrrhæ*,
*Aſæ fœtid.* an. ʒj.
*Caſtor.* ʒß.
*Olei Laurin.*
*Irin.*
*Lil. albor.* an. ʒvj. ad ℥j.
*Vitell. Ovi* No. j.
*Syr. de Artemiſ.* ℥j.

Miſta ſub formâ Clyſteris Uterini per Metrenchyten in Vaginam uterinam injiciantur, & repetantur:

D. S.

Clyſter Uterinus ſtimulans.

Courvee laudat Peſſos acutos ex *Galbani* ℥ii. cum ʒii. *Hellebori albi*, qui ſatis acres ſunt, & violenter ſtimulant. Accedunt etiam *Suffitus* ex Colocynthide & Cinnamomo, Galangâ, Myrrhâ, Mace, Galbano, & ſimilibus, & per Infundibulum excipiantur: Suffitus ex Anetho & Cumino, cum Raſurâ Ungulæ Aſini, ad deſperatam Molam commendatur à Corbejo: item Suffitus ex Scoriis Reguli Antimonii Martialis, vel cum Vino, vel cum Aquâ, vel Urinâ fœtidâ inſtitutus: item Salia volatilia fœtida, aut ſaltim Spiritus Ammoniaci cum Calce vivâ paratus, & cum hoc parata Eſſentia Caſtorei: mediante *Inſtrumento Glauberi*, aut mediante Phialâ carbonibus impoſitâ, Pudendis excipiatur ſuper Pubem & Uteri regionem, præmiſſis Inunctionibus Emollientibus, cum Oleo Diacolocynthidos, vel Cheirino & Anethino, additis paucis guttis Olei deſtillati Succini, Sabinæ &c. & ex his cum Fimo bovillo ſubactis fiat Cataplaſma Pectini imponendum, quod ceu proficuum Remedium commendatur à Foreſto *lib.* 28. *Obſ.* 61. His ipſis opera danda, ut ſtimulatâ Naturâ ejiciatur Mola. De cætero eò meliùs operantur hæc Remedia quælibet, ſi ſimul Mulier fortiore *Motu*, in ſpecie Saltu, ſimilive exercitio crebriùs ſe exercuerit, quin etiam ſi Sanguine turgeat Mulier, *Venæ ſectio* largiter inſtituta convenit.

Quòd ſi his & ſimilibus ſuperveniat *Nixus excretorius*, quâvis opera hic ipſe promovendus eſt, ut ejiciatur Mola.

Quòd ſi difficiliùs ſuccedat negotium, ad manualem *Chirurgi operam* confugiendum erit. *Speculum Uterinum* applicandum Vaginæ Uteri, & Orificium Uteri internum dilatandum, & vel Manu immissâ à Chirurgo, vel Inſtrumentis, Mola extrahenda, eaque tota, ne fruſtula relicta turbas inferant. Encheireſes pro tali Operatione videbitis in Hildano *Cent.* 2. *Obſerv.* 52. item *in ejusdem Epiſtolis*. In ſpecie Chirurgica Operatio hîc neceſſaria eſt eo in caſu, quando cum Niſu excretorio Uteri magna Hæmorrhagia adeſt, quæ cum Remediis Internis & ejicientibus multò magis exaſperari ſolet. Reverà tali in caſu Chirurgica auxilia præferenda ſunt Pharmaceuticis: vid. Mauriceau *lib.* 2. *cap.* 23. Nec deſiſtendum eſt, ſi Operatio Chirurgica in principio non ſtatim ſuccedat, quin poſt aliquot dies eadem reiteranda venit, ut rectè hoc monet ac docet Hildanus *Cent.* 1. *Epiſt.* 39.

Ejectâ Molâ quacunque ratione, ſubinde non leve periculum imminet *à nimio Sanguinis Fluxu*, & hinc graves Dolores uterini inſequi ſolent, quæ Symptomata eodem modo curanda ſunt, atque ſi eadem poſt Partum Naturalem accidant: v. g. ad nimium ac deſperatum Sanguinis poſt Molam Fluxum, Remedia *nimium Menſium aut Lochiorum Fluxum* ſedantia conducunt: Expertum eſt Electuarium Foreſti *lib.* 29. *Obſ.* 62. quô feliciter uſus eſt:

℞. *Conſ. Roſar. antiqu.* ℥j.
*Diacydon. ſine Spec.* ʒß.
*Trochiſc. de Carabe*,
*Terrâ ſigill.*
*Spodio* an. ʒß.
*Sem. Acetoſ.*
*Cornu Cervi uſti præp.* an. ʒj.
Cum ſ. q. *Syr. Cydon. & Menthæ* f. Electuarium.

D. S.

Electuarium Confortativum Adſtringens.

De quo Mulier capiat pro lubitu.

Ad hujus imitationem varia poſſunt formari.

Abſolvi occaſione vitiatæ Formationis doctrinam de Molis: Reliqua Formationis vitia, quæ vel Imaginatione maternâ, vel Terrore, vel aliâ quâcunque causâ externâ contingunt, cùm ſub Caſum Practicum non cadant, meritò omitto.

## SECTIO VI.

### *De Regimine Gravidarum.*

DUm nempe concepit Mulier, in eâque generatur & formatur Fœtus, *Gravida* dicitur, quaſi à Fœtu in Ventre *gravata*: unde in his, tam ratione Hygienes quàm Therapeuſeos, ſemper *ad duo primaria* in toto earum Statu, vel Naturali vel Præternaturali, reſpiciendum eſt:

1. *Ad Fœtum* ſimul, ne huic noxa, ſed potiùs robur inferatur, neque ad præmaturam ſui excluſionem ſeu Abortum diſponatur.
2. Quòd naturaliter ſuppreſſi ſint Menſes, ratione quorum ut varia oriuntur Symptomata, ita etiam ratione Cauſarum & Curæ Symptomatum, ſemper *ad Menſes* reſpiciendum eſt.

In regimine ergò Gravidarum ſemper reſpiciendum eſt ad Vires Matris & Fœtûs, & ad Corporis noxam illatam.

### CAPUT I.

### *De Diætâ Gravidarum.*

QUoad *Diætam* ergò Gravidarum, ſeu *Regimen Sex Rerum Nonnaturalium*: *Conſuetudinis*, uti in aliis, ita etiam in Gravidis præſertim habenda eſt ratio, idque jam olim nos docuit Hippocrates *lib.* 2. *Aphor.* 50. & 52. Hic enim in *allegatis Aphoriſmis* inter alia aſſerit, quòd *Conſueta licèt deteriora, inſuetis tamen licèt melioribus, minùs nocere ſoleant*: item quòd *Sanitatis ſtudium ſit, non ſatiari Cibis, & impigrum eſſe ad Labores*; in Gravidis quidem moderatos, cùm & *omne Nimium Naturæ inimicum* obſervetur. Item idem aſſerit, *Quiete &*

*Abſtinentiâ multos magnos Morbos curari poſſe.* Speciatim ergò quoad res Nonnaturales: ad conſervandam Gravidarum Sanitatem, imprimis ratione *Aëris*, *Odores* nimis fortes, Croci & aliorum, ſive ſint Suaveolentes ob Hyſtericas Paſſiones, ſive Graveolentes ob metum Abortus, vitandi ſunt. Tales enim ſimul exagitant Maſſam Sanguineam: propterea ne hoc fiat, aut periculum Fœtui Abortûs immineat, eoſdem fugiant, imprimis, ſi Mulier proclivis eſt ad Paſſionem Hyſtericam: item propter metum Abortûs fugient, ne commotis Spiritibus & ſucceſſivè commoveatur Uterus, & excludatur Fœtus. Notum namque eſt, quòd Odor Carbonum incenſorum, & Fœtor Candelarum extinctarum, maximè nocivus ſit Fœtui, ut in quibuſdam Abortum provocare ſoleant.

Deinde quoad *Aſſumpta*: ut plurimùm Appetitus audiatur, & Aſſueta aſſumantur, modò ſub moderatâ doſi Appetitûs deſiderio ſatisfiat: *Sobrietas* enim, teſte Helmontio, *cardo eſt totius Diætæ in ratione Victûs*. In ſpecie tamen *Fructus horæi* non nimis capiantur propter vim fermentativam; partim quia Fermentatione iſtâ ſubinde Diarrhœas aut Dyſenterias, Gravidis imprimis funeſtas, inducere ſolent; partim quia præter Flatus inde natos, ſubinde Paſſionem Hyſtericam ſolent excitare; partem etiam, quia facilè aceſcunt, qui Acor inimiciſſimus Fœtui tenello. *Aromata* quod attinet, & ipſa etiam moderatè ſunt uſurpanda, ſpeciatim Acriora, quia ſunt ſpirituoſa ac volatilia, indeque facillimè Maſſam Sanguineam commovere, hincque Partum, Lochia, Secundinas, Menſes, aliaſque Uteri Hæmorrhagias, vel ſimiles periculoſas excretiones, excitare poſſunt. Notum enim eſt de Cinnamomo, Caryophyllis, Galangâ, Croco, Pipere, Zedoariâ, Zingibere, quòd, præter Menſium vim pulſivam, Lochia &c. promoveant; Metus enim eſt, ne Fœtum ad Abortum diſponant: Moderatè ergò uſurpentur, ſaltem ut flatus diſcutiant. *Acida* etiam imprimis nocent, & toto Geſtationis tempore, cujuſcunque ſint generis, vitentur: præter hoc enim, quòd Sexui ſequiori minùs conveniant, ſpeciatim Fœtui, cujus Syſtema nervoſum debile & facillimè irritabile eſt, hoſtilia ſunt, unde Uterum, ceu membranoſum & nervoſum, inſigniter irritando, ad Abortus diſponunt, cùm membranoſis & nervoſis Partibus, nil æquè ſit hoſtile & inimicum, quàm Acidum. Ne ergò ab Acido irritatus Uterus ad Abortum commoveatur, ab iis exceſſivis ſedulò eſt cavendum: Sic Mulieres, quæ crebrò utuntur Aceto, aliiſque Acidis, pariunt Infantes diſpoſitos ad Epilepſiam, & ſine Epidermide natos: Conf. M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obſervat.* 49. *pag.* 233. *Butyri eſum* Prægnantibus & Suffocationi Uterinæ crebriori detentis noxium aſſerit Borellus *Cent.* 3. *Obſervat.* 26. quod tamen falſum exiſtimo.

Hinc *Vinum* non ſemper conducit Gravidis, imprimis Gravidis vegetis; diſponit enim Fœtum ad Epilepſiam; & in ſpecie ſi Mulier fuerit paulò ſpirituoſior & vegeta, Vinum etiam ad Abortum diſponit. Parcè ergò & moderatè bibatur. *Dulcia* magis conveniunt Utero membranoſo, ipſique Fœtui gratiora, quàm iſta *Acida Vina*. Præterea etiam facilè *Fermenteſcibilia* quæcunque, *ut Cereviſia recens*, Eſculenta & Potulenta, indeque *Flatulenta*, ſedulò aut ſtudioſè ſunt à Gravidis vitanda, cùm Abdomen uberiùs diſtendatur, & diſtendendo difficilem Reſpirationem Matri, & anguſtiam Fœtui, Tormina, Paſſiones Hyſtericas, Choleram aut Diarrhœas, inferre ſoleant.

Quoad *Motum*: omnis Motus violentus caveatur, qui maximè nocivus eſt Gravidis, ac *Manuum extenſio ſurſum*, cùm facilè enim Abortum patiantur Mulieres propter Uteri compreſſionem, & Abdominis atractionem: Contractô ita ſic Abdomine, valdè comprimitur & coarctatur Uterus, ſubinde concitantur Dolores uterini, & diſtentâ & extentâ Vaginâ dilatatur nimis Orificium Uteri & ſæpiùs à tali Manuum ſurſum verſùs tenſione Membranæ Fœtum ambientes rumpuntur & præmaturus Aquarum excitatur effluxus. Item omnis *Geſtatio* aut *ſublatio Oneris* gravioris cum niſu tali, ut inſpirent, propter retentionem halitûs, ac depreſſionem Diaphragmatis inferiora verſùs, eſt nociva, quia ſic premitur Uterus, & deorſum movetur. *Saltus* item Pedum quilibet deorſum, in ſpecie primis Geſtationis menſibus, Mulieribus Gravidis ob metum Abortûs propter Placentæ avulſionem nocet; Movetur enim ſic Ovum uterinum inferiora verſùs, ut exinde ejuſdem fiat *Effluxus*, uti quidem Abortus primis menſibus vocatur. Motus autem moderatus ultimis imprimis Geſtationis menſibus, ut Saltatio blanda, ſatis conveniens eſt, quia tali Motione Uterus nonnihil ſubſidet, Fœtus magis deorſum inclinat; hic ſucceſſivè diſtenduntur & dehiſcunt viæ anguſtiores Orificii uterini & Vaginæ, & iſtâ ſubſidentiâ ac motu deorſum nonnullis incipit laxari Os Pubis; unde moderatum Motum ultimis menſibus facilior ſequitur Partus, & facilius Secundina ſeparari poteſt, quæ in iis, quæ ſunt quietæ, difficulter ſeparatur: ſed cautè admodùm, ne hujus occaſione Fœtus *Situm præternaturalem* in Partu acquirat, ut rectè contra communem Opinionem hoc urget Mauriceau *de Morb. Mulier. lib.* 1. *cap.* 11. & *lib.* 2. *cap.* 6.

*Vigiliæ nimiæ* autem diutiùs protractæ Gravidis multum periculoſæ, autore Bartholino *Cent.* 4. *Hiſt.* 70.

Quoad *Veneris exercitium*: hoc ipſum vitandum, cùm non adeò conducat Gravidis, ut rarò ſoleant abſtinere ab eodem; quia metus eſt ne in fœcundioribus primis menſibus ex repetitâ Venere fiat *Superfœtatio*, aut etiam periculoſæ *Molæ generatio*: ultimis menſibus penitus omittenda, ne Venter tumidus nimis compreſſus noxam Fœtui inferat.

Quoad *Animi pathemata* graviora: ea etiam ſuas merentur cautelas, imprimis Terror, hinc Ira, fugienda ſunt, quia ſunt Affectus nocentiſſimi: *Ira* enim, cùm inſigniter moveat Maſſam Sanguineam, & excitet Lochia, & Hæmorrhagias Uteri graviores, ad Abortum diſponere ſolet: *Terror* verò maximè ſignat Fœtum, cui adeò eſt nocivus, ut interdum exinde interimatur Fœtus, aut exinde ad Epilepſiam lethalem jam in Utero materno diſponatur; ſicut Mulieres primo Geſtationis tempore terrefactæ interficiunt Fœtum, ultimo verò reddunt Epilepticum: Sic Mulier ultimo momento Gravidationis veſperi gravi Terrore afficiebatur, poſt mediam noctem pariebat, Fœtus etat mortuus. *Gaudium moderatum*, *Lætitia* & ſimilia ſunt ſaluberrima, in ſpecie Gaudium, ſæpiùs feliciorem ſolet præcedere Partum.

Inter *Excreta & Retenta* in Gravidis ſtudendum eſt, ut *Alvus* quotidie ſit *laxa* ſeu aperta, cùm retenta Scybala & ſuppreſſi Flatus graves aliàs dent turbas, in ſpecie ultimis menſibus: Quòd ſi ſit *clauſa*, fluida ſervanda eſt omni ſtudio. Pro hoc tamen ſcopo ſedulò vitanda ſunt *Suppoſitoria*, in ſpecie acriora, tam primis quàm ultimis menſibus, idque ob metum Abortûs, ex irritatione Vaginæ Uteri cum Inteſtino Recto arctè connexi, ut Uterus diſponatur ad Spaſmum ſeu ſui contractionem. Item vitentur *Clyſteres* quicunque in Gravidis, niſi interdum ad horum uſum, ſed rarò, cogatur Medicus, iique cautè in minore præſcribantur doſi, & nonniſi ex blandè Emollientibus & Carminantibus, Lacticiniis, Juſculis Avenaceis, non verò ex Aromaticis acribus præparandi. *Adſtricta* ergò ſi fuerit *Alvus*, Potus uberior aſſumendus eſt, qui hîc ſolet emollire, & ulteriùs derivare Fæces:

Fæces: aut Juſcula pinguiora, aut copioſiora, aut ſimilia fluida, aut liquidiora, crebriùs deglutiantur: aut Cremor Tartari vel ſolus ad ʒß. vel ℈ij. vel quod melius, cum dimidio Salis Tartari miſtus cum Juſculo Carnis fervido ſubinde uſurpatus, eſt optimus; ſic enim Alvum retinet laxam. *Aloëtica* vitentur omnia, etiam *Pilulæ*, quas vocant *Francofurtenſes*; Nam omnia Aloëtica Menſes ſtimulant, & vellicativâ vi ad Abortum diſponunt: præterea Aloë nimiam poſt ſe adſtrictionem relinquit, & ita, quantum juvat, tantum nocet. Vitetur etiam *Senna*, quia Tormina admodùm gravia excitat, quæ Mulieribus Gravidis ſunt nociva, propter metum Abortûs: Si tamen adduntur Tartarea, ſine Torminibus operatur. Poſtmodùm *Purgantia* quæcunque vitentur ſtudiosè, quia omnia ſunt venenoſa, virulenta, & vim habent enecandi Fœtum, & corrumpendi ejuſdem Nutrimentum proximum. Vix ex veris Purgantibus aliud, quàm *Rhabarbarum* tutò poteſt concedi Gravidis, idque non ſolùm propter adſtrictionem, ſed ſemper vel ſociatum Tartareo, vel cum paſſulato Vehiculo uſurpatum. *Caſſia*, quæ à quibuſdam propinatur Prægnantibus, eſt nociva, ob Tormina & Flatus, quæ ab illâ excitari ſolent: item propter vim fermentativam Paſſiones Hyſtericas in quibuſdam cauſat; Eſt enim Caſſia Succus crudus facilè fermenteſcibilis. Item *Manna* nocet, quia propter dulcedinem fermentativâ, adeòque propter flatulentiam, Hyſtericam Paſſionem inducit. *Oleum* denique *Amygdalarum dulcium* recèns expreſſum, ab ʒß. ad ʒj. vel ʒiß. in Juſculo calido jejuno ſtomacho hauſtum, optimè conducit ad emolliendam Alvum adſtrictam, in ſpecie, ſi à Scybalis induratis fuerit adſtricta. *Ova* etiam *tremula* ſeu liquida ſorbilia, cum pauco Saccharo, optimè proſunt ad Alvum emolliendam. Conducunt ergò *Paſſulæ minores* laxativæ, *Tamarindum*, & *Tartarea*, aut ex Paſſulis & Tamarindis Laxativa leniora, vel ſola, vel cum Tartareis miſta, quæ imprimis convenientia ſunt Mulieribus pro laxandâ Alvo. Res ut pateat clariùs v. g.

℞ *Crem. Tartari* ℈i.
*Sal. Tartari* gr. viij. ad x. vel xij.
M. D. S.
Pulvis Aperiens.

Capiatur mane in Juſculo benè calido. Aut

℞. *Crem. Tartari* ℈j. ad ʒß.
*Pulv. Jalapp.* gr. v. ad vj.
M. f. Pulvis Laxativus:
D. S. ut antè.
Vel
℞. *Pulp. Paſſular.* ad ʒj.
*Crem. Tartari* ʒij. vel *Arcan. dupl.* ʒj.
*Sem. Aniſi* ʒß. ad ℈iv.
*Syr. Roſar. ſolut. ſine Scamm. par.* q. ſ.
M. f. Electuarium.
D. S.
Electuarium Laxans.

De quo Gravida quantitatem duarum Caſtanearum capiat mane jejuno ſtomacho, quoties Alvus fuerit adſtricta, ingeratque poſt uſum vel Juſculum, vel hauſtum Cereviſiæ.

Sin paulò acriùs Alvus ſit ſtimulanda:

℞. *Pulp. Paſſul.* ʒij.
*Rhabarb. el.* gr. xv.
*Sal. Tartari* gr. vij.
*Olei deſtillat. Aniſi* gutt. ij.
Cum *Syr. de Cich. cum Rhabarb.* q. ſ. f. Bolus.
D. S.
Electuarium Laxativum pro unâ vice.

Faciunt etiam huc Paſſulæ Laxativæ uſitatæ, ſine tamen Scammonio.

Quòd ſi in formâ liquidâ potiùs uſurpanda ſunt Paſſulata, tunc Decocta & Infuſa Paſſulata, ut Infuſum cum Sennâ, Vinum Rhenanum Infuſionis Paſſularum contuſarum, ſunt egregia ad laxandam Alvum Mulierum: v. g.

℞. *Paſſ. min.* ʒj.

Contundantur in Mortario, f. exinde Paſta: quæ coquatur in ℔ß. *Aquæ communis*:

Colaturæ ferventi infundantur
*Fol. Senn. ſine ſtipit.* ʒij.
*Crem. Tartari* ʒj.
*Sem. Aniſi* ʒj.
*Flor. Violar.* p. ij.

Stent in loco calido per noctem: Mane coletur.
D. S.
Potio Laxativa.

Elegans admodùm & proficua eſt Potio, ſuavis ſaporis, cujus hauſtulus, quoties opus eſt, aſſumptus facillimè Alvum laxat.

Quòd ſi forſan Dulcia ex Paſſulis nonnihil ſint adverſa, ad *Acidula* ex Tamarindo commodè poteſt fieri acceſſus; Pulpa enim extracta à ʒij. ad ʒß. vel etiam, ſi cum tali Pulpâ miſceatur tantillum Rhabarbari, etiam commendatur, egregiè laxat: e. g.

℞. *Pulp. Tamarind.* ʒij. ad ʒß.
*Crem. Tartari* gr. xv.
*Sal. Tartari* gr. vj. vel viij.
*Syr. de Cichor. cum Rhabarb.* q. ſ.
F. Bolus: S.
Bolus Laxativus pro unâ vice.

Item Tamarindum contuſum, Nodulo incluſum, & Vino vel Cereviſiæ infuſum, hauriatur pro Potu: Vel coquatur, aut ebulliat leniter in Vino, vel in Aquâ, & hinc Colatura vel ſimplex, vel tantillo Syrupi Rubi Idæi, vel Roſarum ſolutivi edulcorata, datur pro Laxativo Gravidarum blando, ſubinde hauſtum capiendo. Hinc Horſtii Electuarium de Tamarindis pro laxandis Gravidis deſcribitur in *Obſerv. lib.* 11. *pag.* 560. In hujuſmodi Laxativis Flatuum proventus vitandus: ob id Semen Aniſi aut Fœniculi contuſum hujuſmodi Decoctis, aut Olea horum deſtillata Pulveribus, & Electuariis, commodiſſimè adduntur, cùm hæc ipſa Flatus egregiè diſcutiant, & proventum Flatulentiarum inſigniter impediant. Fœtûs ratione etiam de Caryophyllis aut Cinnamomo, aut parum de Nuce Moſchatâ, intermiſceri poteſt. Elæoſaccharum Aniſi & Fœniculi etiam amicum eſt Fœtui.

## CAPUT II.

### *De Fœtu debili Roborando.*

MAter etiam reſpiciat ad *Fœtum*, ejuſque *robur ſpirituoſum* conſervet. Pro Fœtu ergò cuſtodiendo & roborando, Gravidis conducit interdum Aqua Cinnamomi borraginata, aut cydonia a ritè parata, (nam Officinalis eſt phlegma) ut blandâ iſtâ volatilitate oleosâ recreentur Spiritus Animales exerciti in Fœtu: item convenit Succus, Syrupus, & Miva Cydoniorum, attemperata cum pauco Pulveris Caryophyllorum, & Macis aut Nucis Moſchatæ; Aromata enim Gravidis proſunt pro conſervando Fœtu: Panarollus præ cæteris laudat Ova ſorbilia recentia, jejuno ventriculo aſſumpta: Item Amygdalatum, factum more conſueto ex Amygdalis Ambroſinis, cum Semine Fœniculi & pauco Syrupo Cydoniorum ſubactis, in Gravidis debilibus ad roborandum Fœtum conducit. Hauſtulus Vini interdum poſt paſtum in adſuetis, & in debilibus non eſt nocivus; in robuſtioribus verò aut ſpirituoſis, ut ſic dicam, non ſemper eſt tutum Vinum, ſed tales ad Abortum diſponit: hauſtulus tamen Vini dulcis à paſtu in adſuetis poteſt uſurpari. Vel fiat Vinum Aromaticum infuſionis Plantarum Aromaticarum, ut Radice

Galangæ, Leviſtici cum Cinnamomo, aut temperantibus Aromaticis, de qua interdum, ſed rarò, capiatur hauſtus.

*Externè* pro hoc ſcopo commodè fruſtum Panis Aquâ Vitæ Mulierum, aut Balſamo Embryonum ſic dicto, Vino generoſo Malvatico, & ſimilibus irroratus, applicetur Umbilico, aut ſupra regionem Pubis: item quando adſunt Tormina Abdominis aut Dorſi, metus eſt Abortûs. Panis Piperatus, qui Germanis dicitur *Pfeffer Kuchen*, irroratus Vino Malvatico, & aſperſus Pulvere Caryophyllorum & Nucis Moſchatæ, ſimiliter pro Fœtu roborando optimè conducit: & hæc ipſa imprimis ſi debilior ſit Fœtus. Vel *Sacculus interpaſſatus* fiat ex Menthâ, Meliſſâ, Zingibere, Galangâ, Caryophyllis, Anthophyllis, Semine Aniſi, Fœniculi, Coriandri, & ſimilibus, Oleis deſtillatis aromaticis, Citri, Corticum Aurantiorum, Caryophyllorum, Cinnamomi, &c. adſpergendis, qui ſub introitum lecti applicatur Ventri tumido calidus circa regionẽ umbilicalem, vel ſiccus, vel Vino generoſo irroratus, ut reſtauretur Fœtus.

## CAPUT III.

### *De Gravidarum Regimine in Morbis.*

QUoad ergò Therapiam ſeu *Regimen Gravidarum in Morbis*, tam Acutis quam Chronicis, eadem ſanè in his curandi eſt ratio, quæ in aliis Subjectis, niſi quòd accuratè ſemper uno oculo *ad Menſes*, altero *ad Fœtum*, ſit reſpiciendum, ne aut aliquid noxæ, aut quoad ejus Corpus, aut quoad ejus in Utero retentionem, ſuperveniat.

### ARTICULUS I.

### *De Venæ ſectione in Gravidis.*

QUod ergò attinet ſic dicta *Remedia Univerſalia*: utut minùs jam habeatur eorum ratio, de *Venæ ſectione* imprimis quæritur, *an conveniat Gravidis*? Nunc convenit, nunc nocet. Notum quidem eſt ex *Aphoriſmis*, quòd *Mulieribus Venæ ſectio ſi adminiſtretur, Abortum inducat.* Verùm Hippocrates vixit in Climate fervidiore, & ubi mediâ Diætâ utebantur Mulieres. Apud nos, ubi luxuriantes ſunt Mulieres, adminiſtrare Venæ ſectionem ſubinde conſultum eſt, nempe Junioribus, Habitioribus & Plethoricis. Quoad *Gravidas ſanas*: in iis ſanè, quæ ſunt Habitûs laudabilioris, quæ Corpore ſunt ſucculento, & denique lauto utuntur Victu & Vino, in iis interdum neceſſaria eſt Venæ ſectio *medio Geſtationis tempore*, ſcilicet quarto, quinto, vel ſeptimo menſe inſtituta, quia præſervat eas ab Abortu, cui aliàs eſſent obnoxiæ. Teſtantur enim Obſervationes, quòd intermiſsâ Venæ ſectione Mulieres non nullæ Abortum fuerint paſſæ, & Fœtum Sanguinis copiâ ſuffocaverint: Refert Panarollus *Pent. 1. Obſerv. 10.* ſe noviſſe Mulierem quinto menſe ſemper abortientem, quæ tamen inſtitutâ Phlebotomiâ fuit præſervata; unde in *Pentec. 2. Obſ. 23.* tamquam optimum Præſervativum Gravidarum Plethoricarum laudatur, ubi audacter primis menſibus Venæ ſectionem inſtituere ſuadet. Interdum etiam binâ, interdum tertiâ vice, ſecatur Vena medio Geſtationis tempore, interdum etiam ultrà: Conf. M. A. N. C. *Ann. 2. Obſerv. 47. Ann. 6. & 7. Obſerv. 204. pag. 301. & Ann. 9. & 10. Obſer. 48. pag. 123.* Petrus Salius Diverſus *de Affect. Part. cap. 22.* Zacutus Luſitanus *lib. 2. Pr. Admir. Obſ. 144.* & Riverius *Prax. lib. 15. cap. 16.* Non verò adminiſtranda eſt Venæ ſectio ex intentione Hippocratis, qui dicit: *ſi ſecetur Vena, medio Geſtationis tempore, tunc eſſe talem innoxiam à Purpurâ*; quod falſum eſt. Et quidem inſtituatur Venæ ſectio imprimis *in Brachio* quôcunque, non verò in Pede, quidquid etiam dicat Zacutus Luſitanus. Interim tamen *non ſimus nimis profuſi* in Sanguine exhauriendo in Gravidis, ſed Sanguinis theſaurum conſervemus ſartum tectumque, ne Partum reddamus difficiliorem debilibus Gravidis. Inſtituatur potiùs Venæ ſectio, ſi opus eſt, repetitâ vice, quàm ut ſemel nimis de Sanguine detrahatur: Nam & in talibus *etiam in Partu* interdum, ad facilitandum hunc ipſum laborioſiorem, neceſſarium eſt Venæ ſectionem adminiſtrare, ut meliùs negotium ſuccedat: qualia non pauca proſtant Exempla, ita ut apertâ Venâ facillima ſucceſſerit excluſio Fœtûs. Id quod pariter tamen *in Morbis Acutis* obſervandum, in quibus, urgentibus Indicationibus, Venæ ſectio convenit; tutiùs tamen medio Geſtationis tempore, minùs verò primis aut ultimis menſibus. Præſertim in his noſtris Regionibus temperatis, non ſemper adeò neceſſaria eſt Venæ ſectio; aut, ſi inſtituitur, parciùs inſtitui poteſt, quàm in Climatibus calidioribus, & ubi Diæta magis lauta & ſpirituoſa in uſu eſt, uti in Galliâ & Italiâ. Unde etiam apud nos non imitanda Conſuetudo iſtorum in Venæ ſectione nimis excedentium, nec niſi obſervatis ſuperioribus Conditionibus, ad eam accedendum; Nec ad Exemplum illius Gravidæ, cui 48. vicibus ſecta fuit Vena ſine periculo Matris & Fœtûs, quod refertur à Mauriceau *lib. 1. cap. 11.*

### ARTICULUS II.

### *De Purgatione Gravidarum.*

PUrgationem quod attinet: in iis, quæ facilè vomunt, quæ continuò Nauſeâ, aut Picâ, aut Stomachi Dolore & ſimilibus Symptomatis laborant, leviora, & blanda *Vomitoria* primis menſibus propinare ſæpè proficuum eſt. Nam ipſa Natura hac in parte ſubinde noſtra eſt magiſtra, quæ nobis viam præmonſtrat, & in primis menſibus crebros, interdum continuos provocat Vomitus, in ſpecie, ubi adſunt Symptomata Stomachi, citra Matris aut Fœtûs noxam. Hanc ipſam ergò & cautè imitari, cui erit prohibitum? Sic Gravidam Melancholicam Vomitorio ſine Fœtûs noxâ curatam videb. in M. A. N. C. *Ann. 9. & 10. Obſerv. 73.* Imò hoc tempore Vomitoria tutiora longè ſunt Purgantibus fortioribus per inferiora; *Quia Mulieres ſi facilè vomunt, benè poſteà ſe gerunt in ſex Puerperii hebdomadibus.*

Quòd verò *Purgantia per inferiora* attinet: præter iſta *Emollientia*, *Laxantia* & blandè *Abſtergentia* ſuperiùs propoſita, omnia ea, præſertim *Acriora*, omninò damno; utut Exempla teſtentur non pauca, Gravidis citra ullam noxam etiam frequentiora & vehementiora propinata & uſurpata fuiſſe Solutiva: vid. Scholzius *lib. 4. Obſervat. 2.* item Zacutus Luſitanus *lib. 3. Med. Princ. Hiſt. 14.* Cum ſanè aliàs difficillimum ſit, Arte provocare Abortum; nihilo minùs tamen in talibus nullus cordatus Medicus Exempla talia ſuſpecta ſaltim, & dubia alia, quæ accidentariò ſaltim contingunt, ſtudio & temerè imitari debet. Nam Purgantia propriè ſic dicta

1. Ob Malignitatem ſuam, quâ Succum nutritium corrumpunt & alterant, *Fœtui* ſunt nocentiſſima.
2. Ex Torminibus & Spaſmis Inteſtinorum, ſi non *Hyſtericam* in Gravidis *Paſſionem* excitare, tamen per conſenſum Uterum ad ſui contracturam & *Abortum* periculosè ſtimulare poſſunt.

Quòd ſi ergò Purgans aliquod interdum, invitô etiam Medicô, propinandum ſit, cautiſſimè, ac ſaltem

ſaltem quartô vel quintô menſe id fiat, idque *medio tempore Geſtationis*, & probè circumſpectâ ejus Quantitate, omnibuſque ritè ſimul penſitatis Circumſtantiis, vitando omnem Irritationem ac Tormina: conf. Hippocrates *lib.* 4. *Aphor.* 1. *& lib.* 5. *Aphor.* 29. Riverius *Prax. lib.* 15. *cap.* 16. Sennertus *Prax. lib.* 4. *P.* 2. *Quæſt.* 3. & Zacutus Luſitanus *lib.* 3. *de Med. Princ. Hiſt.* 14.

## ARTICULUS III.

### *De Opiatorum uſu in Gravidis.*

*Symptomata* denique quod attinet urgentia: utut his omnibus ferè facilè ſuccurrat *Opium*, ejuſque *Laudanum*, vix tamen tutò hoc uſurpare licet in Gravidis, ſaltim tremulâ manu, & in ſuccinctâ admodùm doſi: Obſervatum namque fuit, ſæpiſſimè quævis Opiata incautè adminiſtrata imprimis *Utero & Gravidis maximè eſſe nociva*, & omni Geſtationis menſe, etiam circa ultima tempora, ut plurimùm Abortûs & Fœtûs immaturi ejectionem ſæpiùs induxiſſe. Nocentiſſima ſunt Fœtui tenello, cùm Spirituum Animalium exercitium deſtruere, & Fœtum enecare poſſint: Item in causâ ſunt, ut torpentibus ab adhibitis Opiatis Spiritibus, Motus æquabilis & blanda Fibrarum nervoſarum Inflatio ceſſet, unde & Fibris Uteri quaſi reſolutis & relaxatis, elabi ferè Fœtum patiantur ſub formâ Abortûs, tono Uteri ſic reſoluto; adeò ut cautiſſimus in eorum uſu pro Gravidis ſit Medicus, ſi laudabilem ejus exoptat uſum. Interdum tamen, ubi metus eſt nimiæ Uteri irritationis, aut nimiæ Spirituum Animalium commotionis in Gravidis, ne commotione tali, vel noxa inducatur Utero, vel provocetur Fœtus ad Abortũ, conſideratis priùs benè omnibus circumſtantiis, *tantillum Laudani Opiati* unà cum aliis adhiberi poteſt. Item aliis irritis *in Affectibus Matris Catarrhalibus* nocturnis contumacioribus, v. g. Tuſſi ferinâ, Vigiliis nimiis, &c. neceſſitate urgente, interdum ad Laudanum Opiatum, cautè tamen & Appropriatis miſtum confugere licet: De quo ſucceſſu Opiatorum in Affectibus Catarrhalibus: vid. Horſtius *lib.* 10. *Obſerv.* 111. In genere quoad Purgantia & Opiata, in Gravidis obſervandum, an magis vel minùs ferat Mulier eadem? namque, quæ debili ſunt Stomacho, & facilè moventur à Purgantibus, iis cautè propinanda Laxantia; ſicuti quæ debiliore ſunt Syſtemate nervoſo, & quorum Spirituum Animalium rarior textura eſt, talibus non, niſi cautè, Opiata propinanda.

## CAPUT IV.

### *De Gravidarum Symptomatibus.*

QUod ergò in ſpecie graviora attinet *Symptomata*, quæ Gravidas ſubinde vexant; horum *quadruplex ferè Cauſa* obſervanda venit:

1. *Activitas Auræ genitalis Maris*, cujus occaſione mox poſt Conceptionem varia Pathemata Gravidas affligunt.
2. *Motus Sanguinis fermentativus menſtruus* Humoribus adhuc impreſſus, cujus occaſione ex denegatâ excretione, varia Pathemata ex commotis Humoribus ſuperveniunt, idque ferè primis Geſtationis menſibus.
3. *Ob menſes retentos*, hinc Sanguinem uberiùs congeſtum, & ex Retentis aliis excernendis multiplices Actionum alterationes.
4. *Conſenſus Uteri alterati*, & ſucceſſivè diſtenti cum aliis partibus Abdominis, præſertim cum Ventriculo.

Et hæc *quatuor ſunt fontes Symptomatum* Gravidas in ſpecie affligentium, inter quæ Stomachi Pathemata ſunt frequentiſſima; imprimis ſæpiùs familiaris & moleſtus eſt Vomitus.

## ARTICULUS I.

### *De Vomitu Gravidarum.*

*Vomitus* nunc ſaltim primis Geſtationis menſibus, moleſtus eſt, & partim ex vi *Auræ genitalis*, partim ex motu *Humorum* fermentativo menſtruo refluente, oritur; ſicut Vomitus quotidianus cruentus in Gravidis innoxius obſervatus fuit in M. A.N.C. *Ann.* 9. *&* 10. *Obſerv.* 6. Nunc mediis Geſtationis menſibus graviùs affligit, & ferè ob Menſium Suppreſſionem in plùs minùs Cacochymicis oritur: nunc etiam ad ultimos uſque Geſtationis menſes perdurat, & modò dictas pariter agnoſcit Cauſas: nunc verò ultimis Geſtationis menſibus ſaltim ſupervenit, qui anteà non adfuerat, & partim ex conſenſu Ventriculi cum Utero nimis diſtento, partim ex irritatione Ventriculi ab Utero ſurſum nimis elato, originem ducit. Pro variâ hujus infiendi modo ratione diverſimoda inſtituenda eſt

## CURA.

*Vomitus*, qui primo, ſecundo, aut tertio Geſtationis menſe accidit, *non facilè ſiſtendus*, ſed Naturæ negotium committendum, cum plerumque poſt unum alterumve menſem ſponte ceſſare ſoleat; quò crebriùs enim vomunt, eò faciliùs habent Puerperium. Quòd ſi diutiùs continuetur circa medium Geſtationis tempus, potiùs *Venæ ſectione* quàm Remediis compeſcendus, Venæ ſectione enim *in Brachio* in talibus Vomitus ceſſat. Quòd ſi ex Cacochymiâ, adeòq; retentis acrioribus, forſan Vomitus contingat, præſertim ultra medium Geſtationis tempus, blandè *Abſorbentia & Abſtergentia* ac *Temperantia* conducunt, non negligendo, *quæ Stomachum confortant*. De Vomitu autem obſervetur, quòd diverſimodè affligat Mulieres: quædam, ſimul atque Gravidæ factæ fuerint, etiam mox primis diebus Vomitu affliguntur, rejeciendo per Os varia aquoſa & limpida, qualia ſubitò non ſunt ſiſtenda; aliæ in fine primi, & principio ſecundi menſis vomunt, & vomunt uſque ad medium Geſtationis tempus; quædam etiam uſque ad Partum vomunt, & Nauſeâ laborant. Sed ultimis Geſtationis menſibus admodùm periculoſus eſſe ſolet, adeoque tunc maturè eſt compeſcendus. Pro ſiſtendo ergò Gravidarum Vomitu, imprimis ſi pertinaciter hæreat, tam ſecundo, tertio, quàm ultimis menſibus, tunc præmiſſis aut interpoſitis blandè *Laxantibus*, appropriata *Stomachica* ſunt uſurpanda: quæ inter conveniunt Remedia quæcunque ex Cydoniis, Succus Cydoniorum, Miva Cydoniorum, item Syrupus Ribium, Agreſtæ, de Citro, & Acetoſitatis Citri, quæ ſunt egregia. Grana Maſtiches mane aſſumpta & comeſta, item Aqua Menthæ, Cinnamomi cydoniata, Spiritus Maſtiches acidus cum Aquâ Cinnamomi propinatus, etiam conveniunt: item Liquor Terræ foliatæ Tartari, in ſpecie quando adeſt Nauſea propter Mucum ſalſum vel Pituitam ſalſam, vellicantem orificium Stomachi: in talibus hic Liquor eſt egregius, doſi ʒß. Ex his poſſunt fieri Miſturæ, quarum deſcriptiones ſeu compoſitiones ſunt facillimæ: v. g.

℞. *Aquæ Menth.* ʒiß. vel ʒij.
*Cinnam.* ʒij. vel ʒß. ad ʒvj.
*Liqu. Terræ fol. Tartari* ʒiiß. vel ʒiij.
M. S.
Potio Stomachalis diſſolvens.
Capiantur cochl. ij. vel iij. donec compeſcatur

Vomitus. Tinctura etiam Vitrioli Martis *Zvvelferi* in Mulieribus Gravidis nimis vomentibus ad 30. vel 40. guttas non eſt inconcinna, benè confortat. Alia *Martialia* Marte magis imprægnata minùs tuta ſunt, cùm eorum uſu Tormina Parturientium ſimilia excitata obſervaverim. Spiritus Maſtiches, Spiritus Vitrioli Martis, hinc Conſerva Roſarum, aut Conſerva Menthæ parumper cum Spiritu Vitrioli Martis acidulata, &c. in uſu ſunt. Quòd ſi acriores Succi ſunt, præſertim ultimis menſibus, à quibus omni mane Vomitus ſtimuletur.

℞. *Corall. rubr. præp.* 3j.
*Lap. Cancr. præp.* 3ß.
*Pulv. Caryoph.* gr. xv.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis Stomachalis.

De quo capiatur omni mane, quantum cuſpis Cultelli capit, in Brodio calido.

Vel

℞. *Corall. rubr. præp.* 3ß.
*Pulv. Cancr. calcin.* gr. xv.
*Nuc. Moſch.* ∋ß.
*Olei deſtillat. Mac.* gutt. iij.
M. f. Pulvis pro 2. doſibus.
D. S. ut antè.

*Externè* regioni Stomachi in Vomitu nimio imponendum eſt Emplaſtrum Stomachale *Cratonis*, miſtum cum Tacamahacâ: Emplaſtrum ex Theriacâ, imprægnatâ cum aliquot guttulis Olei deſtillati Menthæ & Macis: aut imponatur Cataplaſma ex Fermento cum Speciebus Stomachicis, in ſpecie Aromaticis. Item fiat Inunctio Stomachi cum Oleo Maſtichino, Oleo Abſinthii, cum Oleo deſtillato Maſtiches, Menthæ, & Oleo Nucis Moſchatæ, tam expreſſo, quàm deſtillato. Prætereà Cruſta Panis in Vino generoſo intincta, & Aromatibus adſperſa, Ventriculo applicata conducit. Vel Balſamum Peruvianum inducatur Linteo denſo, cui inſpergatur Pulvis Gallarum contuſarum, & aliquantum Macis, & ita ſubinde applicetur Stomacho. In Vomitu contumaciore, ac gravi nimis vomendi conatu, ubi Mulieribus excitantur Pathemata Hyſterica, vel ſi primis Geſtationis menſibus *urgeant Paſſiones Hyſtericæ* cum Vomitu, in tali caſu, præter Tincturam Vitrioli Martis *Zvvelferi*, Emplaſtra Hyſterica, v. g. Emplaſtrum Matricale de Galbano & Tacamahacâ, malaxatis invicem cum Balſamo Peruviano, regioni Umbilicali applicata, conducunt. Iſti *Vomitus* ſunt ſimpliciter *Convulſivi*.

## ARTICULUS II.

### *De Pica.*

SUbſtitimus in Symptomatis, quæ Gravidis Geſtationis tempore ſubinde obvenire ſolent; Hæc inter Symptomata moleſta ſunt duo famoſa, nempe *Pica*, & *Alimentorum faſtidium*.

Quoad *Picam*: eſt ea Appetitus inſignior rerum inſolitarum, ſuperveniens ferè circa ſecundum menſem, dum Menſtruus Sanguis in ſuo motu fuit impeditus, unde Stomachi Fermentum alteratur, quod à Sapore naturali in Acidum degenerat, & Sal volatile oleoſum obtundit. Appetuntur in Picâ vel *conſueta*, vel aliàs *eſui inſolita*. Si appetuntur eſui inſolita, vix tutò concedi poteſt: Nam, utut talia comeſta non ſemper noceant, ſi non nimiâ quantitate aſſumantur, tamen vix tutò ſemper, imprimis ſi ſint res abſurdiores, concedi poſſunt. Sin verò appetantur res eſui aliàs aptæ, tunc ſanè concedendæ ſunt: Nam res appetitæ faciliùs digeruntur & concoquuntur, & ſæpè tales Gravidæ citra noxam hujuſmodi Cibos aſſumunt, quæ non Gravidis ipſis vix eſſent abſque noxâ.

## PROGNOSIS.

Malum hoc *nihil habet in receſſu*, niſi Mulier fiat languida & debilis, cùm ſi comedat nimis intensè, periculum eſt, ne varia Symptomata ſuperveniant, & Fœtus *ad Abortum* diſponatur.

## CURA.

Quoad *Curam*: utiliter ea uſurpari poſſunt, quæ *Artic.* 1. *de Vomitu* dicta ſunt. Quòd ſi verò talia appetunt, quæ haberi nequeunt, ne exinde Fœtui imprimatur Signum aliquod, aut ne Fœtui accidat nocumentum, exhibendum eſt Gravidæ aliquid de Nuce Moſchatâ cum pauco Melle (*G*), hoc enim ceu probatum in tali caſu laudatur. Aliàs in Picâ Succus Citri & Aurantiorum, Aqua Corticum Aurantiorum, Syrupus de Corticibus Aurantiorum & Citri, Syrupus de Abſinthio, item Pulvis Nucis Moſchatæ, Cortex Aurantiorum & Citri laudantur. Tenella etiam Folia Vitis, exque iis expreſſus Succus purificatus, vel ſolus, vel cum Succo, aut Syrupo, aut Mivâ Cydoniorum hauſtus, contra Picam optima ſunt: item Aqua Vitis, quæ Majo menſe ſponte ex pampinis inciſis exſtillat; aut Aqua acidula tenellorum Vitis Foliorum deſtillata, ceu Specifica Gravidarum Picantium habentur Remedia: Oleum deſtillatum Corticum Aurantiorum, & eorum Eſſentia, etiam utiliter propinatur. Hinc Granata, eorumque Succus acidus, Cydoniorum &c. eſt egregius in Picâ, & Panis in his ipſis maceratus comeſtus etiam Picam tollere ſolet. Quòd ſi appetantur res inſolitæ, quæ apparenter ſunt difficilis digeſtionis, ut *Creta*, *Calx*, *Carbones*, &c. tunc Fixa Acidum abſorbentia conveniunt, ut ſunt Corallia præparata, Materperlarum, Lapilli Cancrorum, Cornu Cervi, item Ebur, tam ſine igne quàm uſtum, quæ vel cruda, vel cum tantillo Aceti irrorata, aut cum Vino pauco aſſumantur interiùs.

## ARTICULUS III.

### *De Nauſea & Faſtidio Ciborum.*

DUo hi Affectus non rarò ad tertium uſque protrahuntur menſem, quô tranſactô, ſponte ceſſare ſolet omne hujuſmodi Faſtidium. Hoc Faſtidium, tan-

(*G*) Nota Cyrilli. *Haud crediderim*, Nucem Moſchatam cum Melle, *vel rem aliam quamcunque à prægnante Muliere aſſumtam, id efficere poſſe, ut Fœtus Corpus non defœdetur charactere Cibi à Matre concupiti, ſi illo potita non fuerit. Crediderim tamen, id accidere facilè poſſe, ſi gravida Mulier his commentis fidem præſtet: nam quemadmodùm gravida credens rerum exoptatarum imaginem Fœtûs corpuſculo impreſſum iri, ſi illis non fruatur, Phantaſiæ viribus imaginem illam imprimere Fœtui facilè poteſt; ſic contrà eâdem Imaginatricis vi, ſi credat ex hujus vel illius Medicamenti aſſumtione, præſertim ſi citò exhibeatur, poſſe characteres illos deleri, ſanè characteres illi vel delebuntur, vel ſaltem non imprimentur. Eâdem ratione prægnantes illæ Mulieres, quæ credunt ex Lepore viſo, Filium ſciſſis labiis oriri debere; ſi credant contrà illud vitium vitari poſſe, Lepore exoſculato, id equidem ſufficiet ad integrum Fœtum conſervandum, ſi Leporem viſum omninò exoſculentur. Prudens igitur Medicus etſi hujus generis mulierc ularum remediis fidem non adhibeat; illa tamen non ſolùm permittere, ſed & jubere debebit, ut Gravidarum credulitati favens, poſſit Fœtum ſanum incolumemque ſervare.*

tanquam Gravidationis Signum, proponit Hippocrates *Sect.* 5. *Aphor.* 45. dum inquit: *Si Mulieri ceſſent Purgationes* (nempe menſtruæ) *neque Horror, neque Febris ſuperveniat, & Cibi faſtidia accedant, judica, ipſam in Utero habere.*

### CAUSÆ.

Origo horum eſt ex alteratione *Contentorum* Corporis, ac *Fermentii* Stomachalis; partim ab Aurâ genitali Maris, partim à retentis Menſtruis.

### PROGNOSIS.

Mala hæc *nihil in receſſu* habent, niſi Mulier languida & debilis fiat, &c.

### CURA.

Ne ergò ex Faſtidio graviore Corpus contabeſcat, aut etiam Generatio Ovi uterini, & Albumini Veſtimentum, ut ſic dicam, ſeu Albumini generando Materia deficiat, propterea ad tollendum Faſtidium quædam à Medico ſunt ordinanda. Primò lene *Vomitorium* propinatum, imprimis in nonnihil Cacochymicis, ſæpiùs utile eſt: Quòd ſi non tollatur, poteſt propinari fortius Vomitorium. Præter hæc Pilulæ Aloëphanginæ ſine Purgantibus paratæ convenienter propinantur, aromaticæ enim cùm ſint, Stomachum detergent, eumq; roborant. Juxta hæc ſubinde ſunt *Acida* aſſumenda, ad corrigendum Succum Stomachalem inquinatum. Hinc Syrupus conſervativus Radicis Zingiberis, aut ipſum Zingiber in Indiâ condîtum, vel etiam Nux Moſchata in Indiâ condîta, Vino acidulo irrorata, & parum ejuſdem tempore matutino hauſtum, Faſtidium Ciborum delet. Vinum generoſum Malvaticum cum buccellâ Panis aſſumptum, Mala Cydonia condîta, Miva, Succus, & omnia ex Cydoniis parata, & quæ *jam Art.* 1. *de Vomitu* commendata, ad Gravidarum Faſtidium tollendum conducunt. Fœniculum Aceto condîtum, item Cappares Aceto condîti, Elixir item Stomachale, (nam ab Elixir Proprietatis abſtinendum propter Aloën, Crocum & Myrrham) ac ſimilia commodè uſurpantur. Præ cæteris Spiritus Maſtiches acidus, item Spiritus Salis dulcis convenientiſſimè Faſtidium Gravidarum tollit, ſi aſſumatur in Vino Malvatico, vel pauco Vini generoſi: vel propinetur Mixtura:

℞. *Aquæ Menth.* ℥iß.
*Cinnam.* ʒvj.
*Spiritûs Maſtich.* ℥iij.
*Theriac. camph.* ʒj.
*Salis dulc.* gutt. xij.
*Syr. de Succ. Cydon.* ℥ß.
M. f. Mixtura.
D. S.

Potio pro Stomacho confortando.

De qua interdum Cochleare exhauriat Gravida primis menſibus, quæ ipſa in Stomachi Affectibus earundem inſigniter conducit.

*Externè* commodè Oleum Maſtichinum, Oleum Menthæ, Cydoniorum, cum pauco Oleo Stomachali *Cratonis* (propter copioſam Nucem Moſchatam) regioni Stomachi inungitur, & Later calidus deſuper applicari poteſt: aut etiam Ceratum ſeu Emplaſtrum de Cruſtâ Panis malaxatum cum Oleo Maſtichino, item Ceratum de Tacamahacâ, commodè imponitur regioni Stomachi.

## ARTICULUS IV.

### *De Torminibus Ventris Gravidarum.*

ULteriùs ſæpè *Tormina Ventris* doloroſa moleſta ſunt Gravidis, nunc quidem in fine Geſtationis, quo tempore *Dolores Nothos Parturientium* conſtituunt, de quibus *infrà*; nunc verò etiam prioribus menſibus iisdem gravia ſunt, nunc *ex Flatibus*, ab Acido vitioſo in Inteſtinis per fermentationem ſuſcitatis, ſicut in Paſſione Hyſtericâ; nunc à *Mucilagine viſcidâ ponticâ* Inteſtinis adhærente, & ea vellicante ortum habet, & colligitur, quando non vomunt & voraces ſunt, ubi contumacia & acerba oriuntur Tormina.

### CURA.

Utrobique *Abſorbentia cum Aromatibus* temperatis ſociata, *Carminantibus* imprimis, ſunt in uſum vocanda. Non tantummodò Semina quatuor Calida majora & Carminativa notiſſima, in Vino bullita; ſed præterea etiam Cortices Citri & Cortices Aurantiorum cum Maxillis Lucii piſcis; item Vina Aromatica, ſeu Clareta Hippocratica: Aqua etiam & Spiritus Zedoariæ, ubi à Flatibus eſt Malum, Corticum Citri & Aurantiorum Tincturæ ſeu Eſſentiæ, & Olea deſtillata: Aniſum etiam & Fœniculum, horumque Olea, in Vehiculis appropriatis cũ Coralliis & ſimilibus propinata, Tinctura Tartari cum Oleo deſtillato Aniſi imprægnata, egregia ſunt. Præ reliquis convenit Aqua Vitæ Mulierum cum Oleo Fœniculi aut Corticum Aurantiorum, inſigniter juvat. Poteſt hinc fieri talis *Miſtura*:

℞. *Aquæ Fœnic.* ℥ij.
*Cinnam.* ℥ß. ad ℥j.
*Carminat.* ℥ß. ad ℥j.
*Spiritûs Zedoar.* ʒiij. vel ʒvj.
*Nitri dulc.* ʒß. ad ʒj.
*Syrup. de Cort. Aurant.* ℥ß.
M. f. Potio: S.

Potio Leniens cochleatim ſumenda.

Cujus aliquot Cochlearia ſubinde delibantur, quæ efficaciter diſcutient Flatus.

Convenit etiam Gummi Ammoniacum in formâ Potionis liquidæ aſſumptum, pro abſterſione Mucaginis acidæ. *Externè* inungantur ſuperiores Abdominis regiones Oleo Rutæ, Laurino, Chamomillæ, acuato cum Oleo deſtillato Chamomillæ. Item *Fomenta* ſeu *Sacculi* ex Carminantibus v. g. ex Sale & Milio toſto cum Seminibus iſtis Calidis majoribus, qui Sacculi interpaſſati, Spiritu Vini aut Vino irrorati, Abdomini applicati conducunt ad ſiſtendos Dolores: Aut quod eſt Experimentum à Caſtro, fiat *Placenta* mollis ex *Vitellis Ovorum* Num. 17. quibus fortiter agitatis addatur *Pulveris Aniſi, Cumini, Fœniculi*, an. ʒj. & cum ſ. q. *Olei Laurini* miſc. pro Placentâ inſternendâ Abdomini. Vel fiat *Cataplaſma* molle ex Seminibus quatuor Calidis contuſis, cum Vitello Ovi exceptis, Linteo ſuperinductum, & Abdomini inſtratum.

## ARTICULUS V.

### *De Diarrhœa Gravidarum.*

ULteriùs tam primis, quàm etiam ſubinde ultimis menſibus, Alvi Fluxus ſeu *Diarrhœa*, nunc ſimpliciter talis, nunc Cruenta, eſt moleſta Gravidis, periculum Abortûs inducens.

## PROGNOSI S.

In principio Geſtationis periculoſior ac mali ominis eſſe ſolet, adeoque ſiſtenda: Circa ultimos verò menſes ſine Causâ manifeſtâ obveniens, niſi ſit nimia, reliquenda; ſiquidem Prægnantes non nunquam hujuſmodi Diarrhœas, interdum & leves Dyſenterias, cum euphoriâ ferunt uſque ad Partum citra noxam, quo tempore ſponte ceſſant per Lochiorum fluxum: vid. Scholzius *Conſ.* 340.

Nimia autem eſt Affectus periculoſus, ut jam ſuo tempore monuit Hippocrates *Sect.* 5. *Aphor.* 34.

## CURA.

Sin ergò fiat quocunque Geſtationis tempore, ſine Virium proſtratione, nec ſit adeò copioſus, nec interturbet Somnum, & quæ ſunt ſimiles circumſtantiæ, admodùm conſultum eſt, ut non adeò facile ſiſtatur, ſed aliquandiu relinquatur hæc Diarrhœa, & potiùs Stomacho proſpiciatur; quoniam Naturâ ductrice Sanguinis excernitur excrementum, & ſic purgatur. Sin verò ſit Diarrhœa nimia medio Geſtationis tempore, aut Vires dejiciat, ut metus ſit Abortûs, ſpeciatim ſi Dyſenteria Maligna apprehendat Mulieres Gravidas, ferè ſemper abortiunt. Si ergò ſiſtenda ſit Diarrhœa, tunc *Purgantia* omninò exulent, aut ſaltim Rhabarbarum uſurpandum eſt. Potiùs conferunt blanda *Adſtringentia acidula*; qualia imprimis ſunt Cydonia cocta condita, Succus Cydoniorum fumo Sulphuris aſſervatus, Rob Cydoniorum, item Syrupus & omnia Remedia Cydoniata, Corallia ſoluta, etiam Syrupi & Tincturæ Coralliorum, Cornu Cervi uſtum, &c. Decoctum Radicis Tormentillæ aliis permiſtum eſt egregium. Item Gelatina Cornu Cervi ad ʒß. in Potu ordinario diſſoluta quotidie bibita, Diarrhœam ſiſtere ſolet. Denique Theriaca vel Electuarium Diaſcordii *Fracaſtorii* aliis irritis in Vehiculo appropriato, admiſto quodam Acido, uſurpatum eſt efficax. Cautus tamen ſit ejus uſus propter Opium ſimul ingrediens: unde ut Opium corrigatur, & ipſum Electuarium meliùs operetur, cum tantillo Aceti vel aliis temperandum eſt, nam Acida corrigunt Opium. In tali ergò caſu poteſt fieri talis *Miſtura*:

℞. *Aquæ Menth.* ʒiß.
*Succ. Cydon.* ʒvj.
*Spiritûs Maſtich. ritè par.* ʒiii.
*Elect. Diaſcord. Frac.* ʒj.
*Extr. Torment.* ℈j. vel ʒß.
*Syr. Corall.* ʒß.
M. f. Potio ſubinde haurienda.

D. S.

Potio Adſtringens.

Quibus accedat ſubinde blandus Sudor: Nam tali omnium optimè poteſt ſiſti nimia Gravidarum Diarrhœa ac Dyſenteria.

Spiritus Maſtiches etiam confert: item Conſerva Roſarum vitriolata, cum Coralliis rubris præparatis, & Syrupo aut Succo Cydoniorum inſtar Electuarii, repetitim comeſta conducit: e. g.

℞. *Conſ. Roſar. vitriolat.* ʒij.
*El. Diaſcord. Frac.* ʒiij.
*Corall. rub. præp.* ʒj.
*Nuc. Moſchat.* ʒß.
Cum ſ. q. *Syr. Cydon.* f. Electuarium.

D. S.

Electuarium Adſtringens.

Doſis quantitas Nucis Moſchatæ.

*Externè* commendatur *Emplaſtrum*, factum ex Maſtiche, ſubactâ cum Oleo Roſarum, quæ cum ſufficiente quantitate Ceræ in formâ Emplaſtri inducatur Linteo: & dat Emplaſtrum efficax, Umbilici regioni applicandum, quod pariter in Vomitu locum invenit. Vel fiat *Cataplaſma* ex Cydoniis coctis, cum quorum Pulpâ miſc. Pulvis Macis, Caryophyllorum, Nucis Moſchatæ, Maſtiches & ſimilium: quod ipſum imprimis Stomacho eſt applicandum.

## ARTICULUS VI.

### *De Dolore Lumborum, Coxendicum, & Pubis.*

*Dolores Lumborum*, *Coxendicum*, ac *Pubis*, ſubinde multum affligunt Gravidas, & ferè oriuntur ex diſtenſione Uteri, ejuſque Ligamentorum & Membranarum ipſi connexarum; idque in Lumborum & Coxendicum Dolore: vel à pondere Uteri magis ſubſidentis, aut anteriora versùs prominentis; idque in Dolore Pubis. Ligamenta iſta & partes vicinæ interdum adeò diſtenduntur, ut etiam Ruptio in uno alterove loco fiat, unde Vomitus, Dolores, Febres &c. ſuperveniunt: vid. de hoc Mauriceau [*de Morbis Mulier. lib.* 1. *cap.* 13. Obſervandum autem hîc, *varium eſſe Fœtûs Situm in Abdomine*: Nam quædam Fœminæ portant Fœtum altè, unde nullas ſentiunt infrà moleſtias; aliæ admodùm infrà eundem geſtant, id quod Dolores Inguinum & Coxarum infert, quatenus dictæ partes diſtenduntur: aliæ geſtant Fœtus, ut inſigniter promineant; aliæ, ut idem intùs ſint quaſi reconditi, unde Dolores Dorſi & Renum inducuntur.

## CURA.

Pro Doloribus his leniendis Litus blandè emollientes & laxantes ex Oleo Lumbricorum terreſtrium, Amygdalarum dulcium recenti, Chamomillæ, &c. acuatis cum pauco Olei deſtillati Juniperini: item pro Coxarum Doloribus ſubinde graviter lacinantibus Aqua Articularis ad extrà cum Spiritu Lumbricorum terreſtrium benè affricando.

## ARTICULUS VII.

### *De Odontalgiâ Gravidarum.*

COmmunis etiam querela eſt Gravidarum, ut moleſtias doloroſas percipiant ex *Dentium Dolore*: quem Dentium Dolorem, primis menſibus moleſtum, optimè ſiſtunt *Decocta* appropriata in ore detenta, v. g. ex Abſinthio, Quinquefolio, Oxylapatho, Urticâ majore, & Ligno Sancto: quorum in Aquâ, pauco addito Aceto, detineatur Decoctum in ore, & ſubinde exſpuatur. Quòd ſi dolores Dentium forſitan ſint *ex Scorbuto*, loco Aquæ & Aceti fiat Decoctum in Lacte vel Sero Lactis, quod magis appropriatum eſt in Dolore Dentium Scorbutico. Aliàs etiam Decoctum Nicotianæ in ore detentum, (hâc cautelâ, ne aliquid deglutiatur, nam Vomitus movet,) etiam potenter Dolorem Dentium ſiſtit. Vel Oleum Camphoræ, aut Oleum Origani Cretici, aut Oleum deſtillatum Caryophyllorum, Bombace exceptum immittatur, aut imponatur interiùs Denti; nam & hæc Dolorem ſiſtunt. Item Eſſentia Ligni Guajaci aut Saſſafras cum Spiritu Vini parata, eſt admodùm elegans & efficax in Dolore Dentium: Si in hoc ſolvantur aliquot grana Laudani Opiati, dant *Tincturam Odontalgicam*, cum Bombace ſalubriter applicandam; Nam Veteres Philonium Romanum non ſine ſucceſſu Denti dolenti impoſuerunt ratione Paparevis: Externè Temporibus applicatur *Emplaſtrum* in formâ Thaleri ex Maſtiche & Tacamahacâ, quæ diu ſubacta, Temporibus impoſita, non rarò conducunt.

ARTI-

## ARTICULUS VIII.

*De Cordis Palpitatione & Syncope Gravidarum.*

JUxta hæc procedente ſucceſſivè Geſtationis tempore, ſupervenit Gravidis etiam moleſta *Palpitatio Cordis*, cui interdum *Syncope* ſupervenit: & quidem

1. Paulò *habitioribus Juvenculis*, imprimis ſi ambulando ſe movere incipiunt: Talis Palpitatio eſt ex abundantiâ Sanguinis.
2. Affliguntur Gravidæ *Hypochondriacæ*, in quibus ſupervenit vitio Sanguinis, & Affectu Nervorum ſpaſmodico, à vitioſo Acido ad congrumeſcentiam diſpoſiti & apti, ut in ventriculis Cordis ſtagnet.

### CURA.

*Priori in caſu*, ſi Palpitatio ſit vehementior, ſi ſuperveniat circa medium Geſtationis tempus, ſi ſit in conſtitutione Corporis laudabiliore aut ſucculentâ, optimè tollitur per Venæ ſectionem, quæ ſi non poſſit admitti, vel non proſit, ad alia Appropriata contra Cordis Palpitationem eſt accedendum. *Poſteriore in caſu* Acidum deſtruatur: quæ inter eminent Marina, & hinc quædam Salia volatilia in parvâ doſi. Inter Marina conveniunt Corallia, & omnia ex Coralliis ritè parata, in ſpecie Tinctura Coralliorum Antiſcorbutica; Tinctura Coralliorum cum Spiritu Cordis Cervi eſt Remedium admodùm elegans in Gravidarum Palpitatione Cordis, ſi à 30. ad 40. vel 50. guttas bis quotidie uſurpetur: aut ſaltem loco hujus in Pauperculis Solutio Coralliorum cum Succo Citri Saccharo edulcorata propinanda eſt, & ipſa conducit. Conveniunt etiam Mater Perlarum præparata, Teſtæ Concharum & Oſtrearum. His addi poteſt parum de Sale volatili macro, non oleoſo, v. g. Sale volatili Urinæ probè rectificato, vel Salis Ammoniaci: tale enim Sal volatile ab omni Oleo liberatum convenit ad Palpitationem Cordis: Hinc Spiritus Roſarum & Meliſſæ, & cum his parata Eſſentia Ambræ; (nam internè non abhorrent Gravidæ Ambram): in Palpitatione Cordis, ubi metus adeſt Syncopes, commodè ad paucas guttas in Vino generoſo propinatur. Elixir etiam Citri cum modico proprii Succi in Paroxyſmo egregiè convenit. Interdum etiam Theriaca in hauſtu Vini propinari poteſt. De cætero Aqua Cordis Cervi compoſita, Aqua Cordialis *Herculis Saxoniæ*, Confectio Alchermes cum Succo Citri ſoluta, & ſimilia, per ſe ſunt nota. *Externè* Meliſſa cum Vino irrorata regioni Cordis; vel Linteamina Spiritu Cordiali calida madida dicto loco imponantur: Vel fiat *Inunctio* Pulſuum & regionis Cordis cum Oleo deſtillato Meliſſæ, Citri, Cinnamomi: quæ cum Corpore pro Balſamo inungantur contra Lipothymiam & Cordis Palpitationem.

## ARTICULUS IX.

*De Tuſſi Gravidarum.*

JUxta Palpitationem Cordis ſubinde graviter & periculosè vexat *Tuſſis* Gravidas, quæ, quò major & grandior eſt Fœtus, eò periculoſior, propter concuſſionem Abdominis, & hinc Abortûs metum. Circa hanc tamen *ejus Differentiæ* obſervandæ; cùm nunc ſit *Nocturna*, adeoque imprimis *Catarrhalis*, ex Lymphâ acri imprimis oriunda Laryngem vellicante, in qua pauca & modica ejiciuntur; nunc verò *Diurna*, quæ eſt continua, & utplurimùm ex vitio Stomachi oritur, & in qua rejecta & viſcida & mucilaginoſa Malum leniunt; nunc *Sicca*, ſeu à Materiâ tenui, ſive à Cauſâ externâ, ſive à Lymphâ acriore, nunc *Humida*, ſeu à Materiâ craſſâ.

Quòd ſi *Tuſſis ſit Nocturna & à Materiâ tenui*, quæ frequens eſt, *curatur* opimè mox in principio, mediantibus Remediis *Temperantibus Anodynis*, ſeu Medicamentis *Incraſſantibus* dictis. Hæc inter conducunt Species Dia-Ireos temperatæ, Dia-Tragacanthi frigidæ, conſperſæ aliquot guttulis Olei deſtillati Fœniculi vel Aniſi &c. Semen Fœniculi Saccharo obductum, quod roborare ſimul Fœtum, & Oculos ejus elegantes reddere dicitur. *Decocta* Avenacea cum Syrupo Violarum, Pulpâ Paſſularum, Syrupo Diacodion *Montani*, qui optimum remedium eſt, & cum Baculo de Glycyrrhizâ capi poteſt. Juxta hæc in uſu ſunt Paſſulæ, à quibus Spiritus Vini deflagravit, & Paſſulata, Loch de Paſſulis, Pulpa Paſſularum, imprimis cum Spiritu vel Elæoſaccharo Aniſi impregnata. Elæoſaccharum Aniſi, Fœniculi, ac ſimilia temperantia Olea deſtillata, ac grata Carminantia, in uſu ſunt Gravidis. *Rotulæ* paratæ ex ſpeciebus Dia-Ireos cum Oleo deſtillato Fœniculi & Aniſi; quæ Rotulæ ſub introitum lecti in ore detentæ ac deglutitæ, Faucium aſperitatem leniunt, & Tuſſis ferociam mitigant: quod meliùs adhuc faciunt *Pilulæ* de Styrace moderatâ doſi, propter ingrediens Opium; quæ ipſæ poſt moderatam Cœnam ſub introitum lecti deglutiantur. Vid. Compoſitio in Sylvii *Praxi* & Schrœderi *Pharmacopœâ*, *ubi de Pilulis*. Nam interdum, aliis irritis, in Tuſſi vehementiore cum Cephalalgiâ continuâ, & ſupervenientibus Vigiliis, ad Laudanum Opiatum, circumſpectè uſurpando, aliis permiſſum, confugere neceſſe eſt, de cujus efficaciâ locum ex Horſtio allegavi. Propinatur imprimis cum Pulvere Pectorali ex Benzoë, Antihectico *Poterii*, Radice Ireos Florentinæ, &c. Aliàs *Syrupus* de Jujubis, de Hyſſopo, & Tuſſilagine, ac ſimiles etiam, temperant acriorem Lympham, Tuſſim Nocturnam inferentem.

In *Tuſſi* verò *Humidâ & Diurnâ* optimum eſt uſurpare *Alterantia* & *Incidentia*, in ſpecie *Stomachica*; talis enim Tuſſis frequenter habet locum in Stomacho. Conveniunt ergò Semen Fœniculi & Aniſi, quod ſæpiùs comeſtum & Tuſſim ſedare, & ſimul Fœtum roborare aſſeritur; Adeoque optimè leniunt Fœniculata, Aniſata, Aqua Aſthmatica *Rudolphi*, tanquam ſpirituoſa aromatica, miſta cum dimidio Spiritûs Viridis Æris aut Gummi Ammoniaci cum Viridi Æris ritè parati, quæ ad 40. vel 50. guttulas uſurpata, ſolvendo Mucilaginem viscidam & Excretionem adjuvant, & Tuſſim leniunt. Item Syrupus & Remedia ex Hyſſopo. Syrupus & Decoctum de Marrubio, Helenio, Mixtura ex Oxymelle Scilliticō, ſi ferre poſſunt, cum Aquâ Hyſſopi & Cinnamomi, cui parum Spiritûs Salis dulcis ſit additū etiam lenit contumaciorem Tuſſim excernendo Materiam. Item Species Dia-Ireos, Paſſulæ ſæpiùs deglutitæ, vel etiam Decoctum Helenii cum Paſſulis in Vino ſubinde delibatum, blandum & elegans eſt Remedium ad Tuſſim Gravidarum: Item *Electuarium* ex Pulvere Helenii cum Melle, &c. Succus Raphani eſt egregius, modò ut præcaveatur ejus flatulentia, addendo de Elæoſaccharo, ex Oleis Seminum Carminativorum parato.

## ARTICULUS X.

### *De Hæmorrhagiis Gravidarum.*

JUxta Tuſſim interdum *Hæmorrhagiæ* variæ non rarò terribiles & periculoſæ mediis, & ultimis menſibus Gravidis ſunt moleſtæ; quæ nunc ſunt *per Uterum*, nunc verò ſunt per alia quædam ſingularia loca: *Uterinæ* nunc ſunt *Periodicæ*, nunc *Vagæ*. In his cautus ſit Medicus, ne utiles ſupprimat, ſuperfluas verò relinquat. Quæ fiunt per Uterum, ut pluriniùm funeſtæ ſunt, utpote quæ præſentaneum Abortûs inferunt periculum. Cum verò etiam plures proſtent Obſervationes Mulierum Gravidarum, quibus Menſium Fluxus innoxius fuerit, v. g. in Horſtio *lib.* 5. *Obſerv.* 38. item in M. A. N. C. *Ann.* 1. *pag.* 224. *Obſervat.* 96. *&* *Ann.* 9. *&* 10. *Obſerv.* 29. ubi refertur Stillicidium Uteri uſque ad Partum innoxium; propterea non confundenda eſt Hæmorrhagia Uteri præternaturalis, & quæ Abortum minatur, cum Hæmorrhagiâ Vaginæ uterinæ & quæ inſtar Menſium Fluxûs ſe habet. Nempe Sanguis, qui effluit in Gravidis, aut prodit *ex ipſo Utero* per Orificium ejus internum, aut prodit ſaltem *ex Vaginâ uterinâ*, excerniturque ex Vaſis ſanguifluis Hypogaſtricis: *prius* ſi fiat, periculum Abortûs imminet; *poſterius* verò ſine periculo eſt, & inſtar Fluxûs Menſtrui ſe habet. Fluxus Menſtruus ex eo ferè cognoſcitur, quòd periodicè & tempore conſueto eveniat, idque ſine Dolore, & quòd ſucceſſivè ac pedetentim ex Collo Matricis effluat, internum verò Orificium Uteri exactè clauſum obſervetur: Si verò ex ipſo Utero fluat, Dolores adſunt Hypogaſtrii, Lumborum, lancinantes, Parturientium ſimiles, ſubitò accidit, & Sanguis, in magnâ abundantiâ effluit; continuò quoque prodit, niſi à Grumo Sanguinis aliquandiu ſiſtatur, ſed brevi pòſt majori impetu addhuc redit.

## CURA.

*Hæmorrhagiæ hæ Uterinæ* ſequuntur occaſione Menſium ſuppreſſorum: *ſi tamen ſunt Periodicæ*, ſingulis duabus aut quatuor ſeptimanis repetentes, ſive ſint ex Utero, ſive ex aliis locis, & fiant cum euphoriâ Gravidæ, & Menſium excretioni vicariæ ſint, relinquendæ ſunt, *nec curandæ, niſi ſint nimiæ*; tunc enim moderatâ *Venæ ſectione*, & Remediis appropriatis *Adſtringentibus*, nonnihil ſufflaminari poſſunt. Certum eſt, Fœminis quibusdam junioribus & habitûs laudabilioris, Gravidis licet, ordinatâ tamen Periodo adhuc fluere Menſes: item obſervatum eſt in aliis, cùm Menſes non fluant per ordinaria loca, toto Geſtationis tempore ſubinde per alia erumpant: nunc quidem per Nares; obſervata namque fuit talis Hæmorrhagia Narium ſatis contumax in Gravidâ, tamen innoxia: vid. *Obſervat. in lib.* 4. *Obſervat.* Schenckii *pag.* 573. *ubi de Gravidis*: ſic Salmuth *Centur.* 2. *Hiſt.* 54. & Solenander *Sect.* 5. *Conſ.* 15. *§.* 36. obſervat Vomitum Sanguinis in Gravidâ crebriorem, nihilo minùs tamem ſine noxâ: imò quibuſdam Gravidis, loco Menſium, Hæmorrhoidum ſupervenit Fluxus admodùm ſalubris; vid. M. A. N. C. *Ann.* 4. *&* 1. *pag.* 299. *&* *Ann.* 6. *Obſervat.* 63. ſi ſupprimantur forſan, per Hirudines ſunt revocandi. Singularem hujus rei habet Obſervationem Zacutus Luſitanus *lib.* 1. *Med. Princ. Obſerv.* 27. ubi refert, Gravidam nonimeſtrem Epilepſiâ correptam, ob ſuppreſſas Hæmorrhoides, quæ poſtmodùm per applicatas Hirudines Ano fuit curata. Si verò Hæmorrhagiæ ſunt *Vagæ & extra Uterum*, ſignum eſt, quòd ſubſit vitium Sanguinis acrioris aut inclinantis ad Scorbutum, quæ uti minùs ſunt periculoſæ, ita pro circumſtantiarum ratione *nunc relinquendæ, nunc per Venæſectionem avertendæ, nunc Remediis curandæ*, quod utplurimũ fit per *Martialia*, quæ in Gravidis ſatis tuta ſunt. Si graviores ſunt, Venæ ſectio adhibeatur. Verùm Hæmorrhagiæ Gravidarum *Vagæ, quæ ex Utero immediatè proveniunt*, plus habent in receſſu. Si primis Geſtationis menſibus Mulieribus effluat Sanguis ex Utero, nunc floreſcens, nunc aquoſus, ſive fiat cum Torminibus, ſive ſine his, ſemper peſſimum eſt: Nam innuit *Molam*, nunc ſimplicem, nunc Fœtui conjunctam, quibus occaſionibus irritatus Uterus, ad Contenti præternaturalis excluſionem ſe accingit. Si verò, quod pejus, in ipſis mediis plùs minùs aut ultimis Geſtationis menſibus graviores Hæmorrhagiæ Uteri, Vagæ & interruptæ accidant, periculum adeſt vel *Abortûs*, vel *Fœtûs jam mortui, vel debilis* vel *Molæ*, fiunt nempe ex imbecillitate Uteri, qui irritatur ex re præternaturali, unde ex irritatione ferè avulſio & ſeparatio Placentæ ab Utero ſequitur, quam avulſionem Sanguinis in Uterum effuſio, hinc ex Utero irritato ejuſdem per Orificium internum excretio, & tandem ipſe Abortus inſequuntur. Rarum enim eſt, quòd quibuſdam Gravidis Menſium Fluxus innocuus contingat.

His & ſimilibus conſideratis benè, omnes perpendat circumſtantias Medicus, an potiùs ſit *opus Naturæ* talis Hæmorrhagia quocunque in loco erumpens? an verò ſit quoddam *Symptoma*, quod in Gravidis, quare Fœtus eſt debilior, ſupervenit? Nam ex Hippocrate jam ſcimus, quòd Sanguis ex Utero aut ex Mammis effluens Fœtûs debilitatem & imminentem Abortum innuat: hoc ipſum tamen, ut præcaveatur, omnia benè ſunt penſitanda. Si Mulieri conſuetus ſit Sanguinis Fluxus, ſi citra Virium debilitatem contingat, ſi cum euphoriâ hoc fiat, ſi mulier aliàs Abortum fecerit ex Sanguine abundantiore, & quæ ſunt ſimiles circumſtantiæ: in talibus caſibus *ſinendus eſt Fluxus*, & ſaltem ejus copia eſt moderanda, non verò citra neceſſitatem ex toto ſupprimendus eſt, in ſpecie, ſi ſimul certam quandam Periodum obſervare videatur.

Quòd ſi non fiat, ſed gravior Hæmorrhagia Uteri ſuperveniat, & Mater percipiat debiliorem Fœtûs motum, ipſa fiat laſſa & debilis, ſentiat gravius ſolito Pondus in Utero, Appetitus ipſi dejiciatur, ſuperveniant Dolores vagi lancinantes in Dorſo & regione lumbari, eò pejora ſunt: In talibus caſibus vix aliis Remediis eſt locus, quàm promptè liberare Fœminam, vel per *Molæ ejectionem*, vel ut *Abortum promoveat*; minùs quidem Auxiliis Pharmaceuticis, utpote, quæ Hæmorrhagiam magis intendunt, ſed potiùs *Auxiliis Chirurgicis* Manuum operâ, tam Orificium Uteri internum diducendo, magis magiſque aperiendo, & ita Molam aut Abortum extrahendo: conf. Mauriceau *lib.* 1. *cap.* 20. *&* *lib.* 2. *c.* 27. item Welschius *Mittom. Cent.* 3. *Obſervat.* 89. ubi Pariſienſium quotidianâ Praxi Abortûs promotionem neceſſariam eſſe, confirmat Slegelius. Non enim ſiſti ſolet & poteſt Sanguinis Profluvium, ſed ſi aliquandiu perſtiterit, tam Matrem quàm Infantem è medio tollit: ſi verò Fœtus ſtatim ejiciatur, Matris viribus conſtantibus, illa ſervari poteſt. Notatu digna eſt Obſervatio Riverii *in Cent.* 3. *Obſ.* 24. ubi obſervavit Fluxum Sanguinis in Gravidâ immodicum, evenientem ex Fœtu mortuo, qui alio modo nec potuit nec debuit curari, quàm Fœtûs mortui expulſione. Rationem dabo *infrà*, *ubi de Fœtûs extractione*. Quòd ſi ante hujuſmodi Auxilia manualia aliquid tentare locus ſupereſt, ſemper reſpiciendum eſt *ad Fœtum*, ut robur partim Externis *Analepticis*, partim Internis probè nutrientibus & nonnihil ſpirituoſis

tuosis concilietur. Juxta hæc blandè *Adstringentibus* firmetur Uterus, & simul nonnihil coërceatur Sanguinis impetus, ne Abortus tandem superveniat. Quòd si verò *Hæmorrhagia fiat per alium locum*, minùs periculosa esse solet, & consideratis circumstantiis, imprimis habitâ ratione Gravidæ, nunc sistenda, nunc, si moderata fuerit, relinquenda. *Pro Hæmorrhagiâ compescendâ* usurpetur v. g. Mistura Polychresta Sylvii *cap. 9. lib. 1. Prax.* §. 20. item Corallia rubra præparata cum Lapide Hæmatite, Terrâ sigillatâ in Succo Granatorum vel Cydoniorum &c. Remedia ex Tormentillâ, Syrupus Plantaginis, Syrupus paratus ex Succo Symphyti & Portulacæ, cui necessitate urgente parum Syrupi Papaveris albi admisceatur. Propinetur in Aquâ Tormentillæ, Portulacæ &c. Syrupus item Coralliorum, Ribium, Myrtillorum, Cydoniorum & similes usurpantur. Tinctura Coralliorum cum Spiritu Lignorum, ad plures guttas bis vel ter quotidie usurpata, optimè convenit: Aut fiat *Electuarium* ex Conservâ Rosarum antiquâ vitriolatâ, cui Corallia rubra & Terra sigillata intermisceantur, cum Syrupo Cydoniorum, irrorandum cum Tincturâ Sulphuris Vitrioli, vel Liquore Styptico; de quo Electuario bis vel ter quotidie quantitate Nucis Juglandis vel Castaneæ accipiatur.

Vel

℞. *Rad. Tormentill.*
*Bistort.* an. ℥ß.
*Herb. Consol. maj.*
*Sanic.*
*Pyrol.*
*Summit. Hyper.* an. M. i.
Coqu. *in Aquæ Chalybeatæ* q. s.
Colaturæ ℥xv. ad ℔iß.
adde
*Aquæ Cinnam.* ʒß.
*Syr. de Symph. Fernel.* ʒiij.
D. S.
Potio Adstringens.
Dosis ʒiv. tepidè.

Item in flatu *Sanguinis serosi* Bolus Armena, Cornu Cervi ustum, &c. usurpanda sunt. Interdum etiam ad Syrupum Diacodiῶν Veterum, vel ad mitiora Opiata fugiendum, nempe si Dolores lancinantes crebriùs repetant. Conveniunt præter alia, quæ *aliàs in nimiis Narium, Menstruum, & Uteri Hæmorrhagiis*, superiùs fuerunt commendata, unà cum Corporis Quiete, & externorum à Frigore munitione. Observavi aliquando Gravidæ Scorbuticæ, & facilè Hæmorrhagiis nimiis Uteri obnoxiæ, ex propinatâ Tincturâ Tartari compositâ Hæmorrhoidum Fluxum esse curatum, cùm in non Gravidis subinde Menses stimulet. (H)

## ARTICULUS XI.

### *De Suppressione Urinæ in Gravidis.*

JUxta Hæmorrhagias subinde, speciatim ultimis Gestationis mensibus, *supprimitur* interdum *Gravidis Urina*, ex Utero distento, & propter pondus inferiùs subsidente, ac Vesicam comprimente. Fit hoc *pro vario Situ Fœtûs & Uteri*, quod rectè observavit Guillimeau *de felici Puerperio*, qui observavit varium Situm Fœtûs, quia Mulieres quædam gerunt Fœtum altè, unde nullam sentiunt molestiam; quædam infrà; unde Dolores inguinales & vagos solent pati, &c. Si ergò in ultimo Gestationis tempore ex pondere Uteri premi Vesicæ collum conqueruntur Gravidæ, Urinam reddere nequeunt sine insigni nisu; & hinc imprimis Urina est suppressa, quando Fœmina stat erecta, eâdem verò jacente, facilius prodit.

### CURA.

In tali casu monet Guillemau, ut Mulieres suis Manibus *attollant Ventrem* prominùs superiora versùs, blandè tamen, ne corpus Matricis prematur; quod fit eò faciliùs, si simul adjungunt *Fotus Emollientes*, ut relaxentur Vasa Uteri. *Internè à Diureticis abstinendum*, aut leniora saltem eadem sunt propinanda. *Externè* potiùs regio Vesicæ in Pube illinenda est Oleo Scorpionum; vel *Balnea & Fomenta* instituantur ex Althæâ, Malvâ, Meliloto, Parietariâ & similibus; pro laxandis viis, & promovenda Urinâ optimum est *Cataplasma*, factum ex Parietariâ cum Pinguedine Anserinâ & Oleo Scorpionum, quod Pubis regioni impositum promovet Urinam remorantem: e. g.

℞. *Herb. Parietar.* M. ii.
*Chærefol.* vel *Flor. Chamom.* M. i.
ad Miß.
Coquantur ad mollitiem:
Pulpæ per Setaceum trajectæ
adde
*Butyr. rec.* ℥i. vel ℥ij.
*Olei Scorpion.* ℥ß. vel ʒiß.
M. f. Cataplasma. S.
Cataplasma Urinam promovens.

Applicetur calidè regioni Pubis, imponendo operculum calidum.

Vel fiat *Cataplasma* ad imitationem Wedelii *Tract. de Compos. Medicam. pag.* 159.

℞. *Rad. Allii*,
*Cep. sub ciner. coct.* an. No. i.
*Herb. Chærefol.*
*Parietar.*
*Flor. Chamom.*
*Meliloti* an. M. i.
*Bacc. Junip.* ℥ß.
*Sem. Lini*,
*Cumin.* an. ʒii.
*Olei Scorpion.* ʒiß. vel ʒij.
M. f. Cataplasma.

## ARTICULUS XII.

### *De Stranguria in Gravidis.*

STranguriam quod attinet: de hac optimè dicit Gesnerus *lib. 3. Epist. pag.* 84. desperatam Stranguriam mitigari posse in Gravidis, si per intervalla iis *Alvus solvatur* cum Syrupo de Floribus Persicorum, sic enim partim evacuantur, partim revelluntur Humores; & interdum, si libuerit, *Decoctum* Radicis Althææ recentis cum Passulis & Saccharo, aut cum simili Decocto *Emulsio* ex Amygdalis præparetur. Item convenit Decoctum Jujubarum cum Lapillis Percarum, &c. In mentem recurrit Affectus cujusdam Gravidæ medio Gestationis tempore, quasi intensior Stranguriæ gradus, unà cum Dolore Nephritico: nempe urgebat Dolor in Dorso è regione Lumborum, Urinæ creberrimus stimulus, ejusque crassæ ac turgidæ excretio cum summo conatu, ita ut etiam Alvus exinde crebriùs deponeret: continuò urgebat Urina, quam diutiùs continere non poterat, sub excretione totius Corporis tremula Concussio aderat:



(H) * *Nota Cyrilli.* In omnibus gravidarum hæmorrhagiis conveniunt specificè enemata ex Ypecacuanha, qualia capite de hæmorrhoidibus fluentibus descripsimus.

Suſpicabatur peregrinum *Acidum* Urinam inquinans, ſimulque membraneas Renibus vicinas partes moleſtè irritans: Propterea præſcripſi:

℞. *Corall. rub. præp.*
*Lap. Percar. præp.* an. ℈j.
*Olei deſtillat. Cort. Aurant.* gutt. ij.
*Eſſent. Opii* ℈ß.
M. pro 2. doſibus.

Et hinc

℞. *Eſſ. Balſam. de Capaibâ* cum *Tinctura Tartari par.* ʒij.

Doſis gutt. xx. vel xxx. quibus meliùs habuit.

## ARTICULUS XIII.

### *De Spaſmis Gravidarum.*

*Spaſmus* interdum gravidas torquet, præſertim *Crurum*; item *Surarum* ac *Pedum*. Convenit Dens Equi marini præparatus, & externè Annulus ex Dente Equi marini, Pollici Pedis applicatus: item Oleum Spiritus Lumbricorum terreſtrium pro *Litu*: item Oleum & Scorpionum, Amygdalarum dulcium cum Pinguedine Viperinâ: de quibus vid. Velſchius *Hecat. 2. pag.* 57. Euporiſton etiam eſt Matricaria recens contuſa, & Cervici impoſita, nunc ſola, nunc cum Verbenâ miſta.

Gravida quædam Dolore Crurum quaſi convulſivo agitata ſequenti Remedio fuit reſtituta:

℞. *Aquæ Hirund. cum Caſtor.* ʒj.
*Theriacal.*
*Cephal.*
*Spiritûs Lil. convall.* an. ʒii.
Miſc.

Quâ Miſturâ Pedes calidè fuere inuncti.

Simile Exemplum habet Horſtius Doloris Pedum periodici acerbiſſimi & diuturni, in quo externè inſigniter profuit Aqua Hyſterica camphorata, cum Spiritu Liliorum convallium & Ceraſorum nigrorum miſta, externè uſurpata. Aliàs Aqua Articularis ad extrà, miſta cum Spiritu Lumbricorum terreſtrium in talibus Doloribus inſigniter confert externè.

## ARTICULUS XIV.

### *De Dolore Tenſivo, Fiſſuris & Rimis Abdominis in Gravidis.*

FIt interdum, ut Mulierculæ ultimis menſibus, quando nempe primâ vice Utero gerunt, ex diſtenſione Pellis Abdominis gravem *Dolorem tenſivum & lacerantem* percipiant: imò Diſtenſio hæc interdum eſt tanta, ut ſi fortè Cutis ſit tenerior, interdum *Fiſſuras* agat, ac *Rimas* malas dolentes & moleſtas. Huic Malo, partim Dolori, partim imminentibus Rimis ut ſuccurratur, optima ſunt *Unguenta & Linimenta Laxantia & Emollientia*, quæ ſunt v. g. ex Mucilagine Seminis Lini, Semine Fœnugræci, Radicis Althææ, cum Medullâ Crurum Vituli, addito ſimul Oleo Amygdalarum dulcium ac Liliorum alborum, item Pinguedine Gallinaceâ & Anſerinâ, ac ſimilibus: vel Linimentum ad præmaturum Aquarum effluxum mox dicendum, quibus ipſis mane & veſperi illinatur Abdomen; laxat enim Cutim Abdominis, eamque flaccidam ac mollem reddit in ſpecie, dum eò illinitur regio Pubis: Vel ſolum Unguentum Pomatum calidè Abdomini dolenti illitum convenit.

## ARTICULUS XV.

### *De Aquarum ex Utero Effluxu Immaturo in Gravidis.*

ULteriùs interdum per menſem, interdum per aliquot ſeptimanas, ante Partum fit *Aquarum ex Utero Effluxus immaturus*, qui eſt Symptoma grave ac periculoſum, & ſuam conſiderationem meretur,

1. Quia metus eſt, *ne Fœtus moriatur.*
2. Quia hæ Aquæ nonnihil viſcidæ & glutinoſæ in Partu *ſunt neceſſariæ ad laxandas & lubricandas vias*, pro facilitando Partûs labore.

*Diſtinguendus* ergò ſemper eſt *à Fluore Albo Mulierum.* In quibuſdam enim nunc toto Geſtationis tempore, nunc certis menſibus, Humiditates rubicundæ, item Fluores albi, non tam ex Matrice, quàm potiùs Collo ejus, prodeunt, & nihil commercii habent cum immaturo Aquarum Effluxu; Hi linquendi ſunt, niſi forſan interdum nimiâ quantitate excedant, & periculum ſit, ne Abortum provocent, aut inſignis impuritas vel etiam fœtores adſint; tunc enim *Infuſum Rhabarbari*, aut etiam Pulvis ejus optimo cum ſucceſſu datur. Nam interdum ultimis menſibus Mulieribus erumpunt ex Utero copioſæ Aquæ, quæ ſub Partu effluere debent, & Fœtui nunc imminet noxa, nunc citra ullam noxam Fœtûs, nunc cum nunc ſine Doloribus, hoc evenit. Nempe obſervantur ſubinde Fœminæ, quas Hippocrates vocat *Aquoſas* propter abundantiam Aquarum, quas evacuant: nam loco Purgamentorum poſt Partum cruentorum & benè coloratorum, emittunt ſaltem Aquas, & pauco tempore multa Linteamina his ipſis replent: Conf. de his Guillemeau *de felici Partu l.* 3. ubi obſervavit quaſdam, quæ uno die in Pelvi ſuppoſita pluſquàm ℔iij. Aquarum talium evacuaverint, per tres & ampliùs ſeptimanas continuando, ſine hôc, ut guttam Sanguinis evacuârint. Tales Mulieres conqueruntur de facili Lipothymia ac Virium imbecillitate, ac neceſſe habent, quando tales Aquæ impetu quodam prodeunt, ſicut interdum accidit, aliquantulum Vini bibere, aliàs Lipothymias incurrunt. Simile quid evenit honeſtæ Mulieri, quæ 8. diebus abſque Doloribus per diverſos dies plus quàm quatuor Pintas Aquarum limpidarum evacuavit: Aqua talis non fluebat ex Matrice ejus, quoniam interius Orificium exactè clauſum, ſed ſaltim ex Venulis Vaginæ uterinæ: poſt octiduum feliciter peperit, paucis cum cruentis Evacuationibus, & per tres ſeptimanas Puerperii nil aliud, quàm Aquas limpidas, evacuavit. Notabile eſt, quòd ipſa in aliis Gravidationibus Labia Pudendorum ita inflata habebat, & Aquis plena, uti etiam Coxas & Latera Abdominis: Conf. etiam de hujuſmodi Aquis Harvæus *de Generat. Animalium Exercit.* 56. Talibus, quæ ſunt magis ſeroſæ, interdum aliquot ſeptimanis vel diebus ante Partum Aquæ fluunt citra noxam, moleſtiam, & ſine dolore. *Noxa imminet Fœtui* periculoſa, quando tam ex Amnio, quàm Chorio, ex copioſâ Aquâ diſtentis, ruptis & læſis, effluit Humor ſeu Liquor; deficit enim ſic Fœtui Nutrimentum per os hauriendum, quia Fœtus adhuc intra Amnion contentus probè nutritur per Placentam uterinam: Sin verò ex ſolo Chorio læſo aut rupto effluit, minus periculi ſubeſt. An verò ex ambobus? an ex unâ tantum effluat? perfectè cognoſci nequit, niſi ex effectu: ſi enim fiat Effluxus harum Aquarum etiam ex Amnio, ſpeciatim generantur Dolores lancinantes

in

in regione lumbari, & periculum eſt, ne inſequatur Abortus, vel ne Fœtus reddatur debilis, vel Viæ, per quas fit Partus, fiant aridæ & ſiccæ, & laborioſus poſtmodùm ſequatur Partus: Notandum eſt, quod recenſet Guillemeau, in Effluxu Aquarum attendendum eſſe, an Dolores veri ad Partum adſint? aut an effluentes Aquæ reverà ſint iſtæ, in quibus natat Infans? in quibuſdam enim longè ante Partum effluunt. Ordinariè quidem Aquas effuſas Dolores Partûs intra trium horarum ſpatium ſequuntur; nihilo minùs tamen ſæpiſſimè Partus, Aquis jam effluxis, retardatur, ad 6. 10. interdùm etiam ad 20. horas, imò Amſtelodami ad trium ſeptimanarum & trium dierum ſpatium obſervatum fuit; vid. M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obſ.* 132. Notabile eſt, quòd *Comitiſſa de Starenberg* ſemper quindecim diebus ante Partum Aquam Puerperii rejecerit ſine gravi nocumento, ubi Maſculum peperit; non item, ubi Fœmellam: vid. M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obſ.* 13. Ergò ſub tali Aquarum Effluxu non ſtatim Partus inſtans concludendus venit: Sic Guillemeau *cap.* 3. *lib.* 7. refert de Fœminâ ſeptem menſium Gravidâ gravi Colicâ afflictâ, quotidie ferè per duos menſes certis horis eam affligente; quæ poſtquàm evaſit, copioſam ſimul Aquam evacuavit, & Colica etiam ceſſavit, ita ut putaret, ſe non ampliùs eſſe Gravidam: nihilo minùs tamen poſt 5. dies peperit Filiam citra inſignes Dolores, cum pauco admodùm Aquarum Effluxu. Aliis plus 10. diebus ante Partum copioſæ Aquæ effluunt, aliis longiùs. Id quod probè obſervandum, ne nimis acceleretur Partus: ſi enim ſunt ſaltem Aquæ ex Chorio, nihil periculi ſubeſt; aliàs ſi Dolores debiti & legitimi non ſuperveniant, tales Mulieres quaſi Hydrope Uterinâ ſimul laborare videntur, ut loquitur Mauriceau *lib.* 1. *cap.* 23.

In tali ergò caſu, Aquarum nempe præmaturo Effluxu, *quietam ſe contineat Mulier*, ne vehementiore Motu Fluxum augmentet. Quòd ſi, ceſſante Fluxu, ſed ſuperveniente Partu, hic laborioſior fiat, loco Aquarum tunc effluxarum ſubſtituantur *Olea*, *Mucilagines*, *Linimenta*, & *Unguenta* blanda Emollientia (de quibus paulò antè, ubi *de Fiſſuris & Rimis Abdominis* ſufficienter dictum,) quibus inungenda Vagina Uteri ac loca vicina, unde & inſtar Aquæ ſub Partu effluendæ continuò laxentur, emolliantur, ac lubrica reddantur, & ita Partus facilitetur:

℞. *Mucilag. Sem. Lini*,
*Fœnugr.*
*Rad. Alth.* ana, cum *Aquâ Lil. alborum extr.* ℥i.
*Axung. Anſerin.*
*Olei Lil. albor.*
*Amygd. dulc.* an. ʒvj.
*Ceræ albæ* q. ſ.
M. S.
Unguentum Emolliens.

Conveniens etiam eſt *Linimentum*, quod infrà pro facilitando Partu præſcriptum, aut *Unguentum Cumenii* ex M. A. N. C. *l. a.* Nempe

℞. *Olei Chamom.* ℥i.
*Chririn.*
*Ungu. Dialth. compoſ.* an. ℥ß.
*Pingued. Gallinæ*
*Taxi* an. ʒvi.
M. f. Linimentum.

Item injiciendum eſt Oleum Amygdalarum dulcium, aut Oleum Liliorum alborum, Chamomillæ &c. in Vaginam uterinam, ac ſimilia, ut ab his ipſis laxentur viæ, & ſuppleatur defectus Aquarum effluentium.

## ARTICULUS XVI.

*De Tumore & Inflatione crurum in Gravidis.*

JUxta hæc interdum circa ultimos Geſtationis menſes Gravidis *Crura* Tumore Seroſo inſigniter *inflantur & intumeſcunt*. Talis autem Tumor & Inflatio Pedum frequenter & ordinariò illis accidit, quæ ante Conceptionem Fluore Albo laborârunt; non ſecus ac quæ ſunt Conſtitutionis humidæ ac ſeroſæ, ſeu quæ Sanguinem habent ſeroſum, in talibus Crura inflari & tumeſcere ſolent. Fit hoc ſaltem duobus ultimis menſibus, in quibuſdam etiam ſecundo Geſtationis menſe, & tamen ſine periculo; ſaltem eſt moleſtum, & ferè uſque ad ſubſequentem Partum relinquitur; tunc enim per Lochiorum Fluxum evacuatur, & ſponte evaneſcit.

Sin verò ſit nimius Tumor & exceſſivus, inungantur Crura tumida veſpertino tempore cum *Oleo* Anethino, Chamæmelino, Hyperici & ſimilibus: aut, quod optimum eſt, applicentur *Fotus*, vel *Cataplaſmata* ex Chamomillâ, ejuſque Floribus, quod diſſipat Tumorem: vel involvantur Crura *Sacculo* Sale & Cineribus pleno, item Aqua Calcis vivæ Fotûs inſtar applicata: Vel fiat etiam Fotus cum Lixivio Sarmentorum Vitis cum Vino paratus, in quo ſimul incoqui poſſunt Origanum, Chamomilla, Pulegium, Calamintha, & ſimilia: E. g. ſit ſequens *Fotus ac Cataplaſma*:

℞. *Fol. Salviæ*,
*Majoran.*
*Ebuli*,
*Roriſmar.* an. M. i.
*Flor. Chamom.*
*Melilotti*,
*Hyperici*,
*Lavendulæ*,
*Roſar.* an. p. i.
*Balauſt.*
*Bacc. Lauri*
*Juniperi* an. ℥ß. ad ℥j.
Coqu. in *Lixivio Sarment. Vitis.*
adde
*Alum. crudi* ʒj.
*Aceti* ℥ij.
F. Fotus cum Spongiis applicandus.
D. S.
Fotus Diſſolvens.

Poſt hunc applicetur tale Cataplaſma:

℞. *Farin. Fabar.*
*Hordei*,
*Orobi* an. ℥iij.
Coq. in *Decocto ſuperiori*:
adde
*Fæc. Vini rubri* ℥iij.
*Terebinth.* ℥iß.
*Unguenti Roſat. Meſ.*
*Olei Chamom.*
*Rutæ* an. ℥ii.
*Pulv. Rad. Ireos*,
*Roſar.* an. ℥iß.
M. f. Cataplaſma: S.
Cataplaſma Diſſolvens.

Admoveatur Partu calidè, præmiſſo Fotu.

In leviori Malo ſufficit Fotus ex Lixivio Sarmentorum Vitis, in quo parum Chamomillæ bullierit; poſt hunc Cataplaſma ſequens:

℞. *Farin. Fabar.*
*Lupinor.* an. ℥ij.
*Sulphuris* ʒj.
*Sterc. Columb.* ℥ß.

Cum *Aquâ Chalybeatâ*, vel *Decocto Chamomillæ & Calaminthæ* bulliendo redigantur in conſiſtentiam Cataplaſmatis.

Vid. Sennertus *Pr. lib. 4. P. 2. S. 5. & 6.*

Sed mediocres Crurum hujuſmodi Tumores ferè *relinquuntur Naturæ*, cùm ferè ultimis Geſtationis menſibus accidant, poſt Partum verò penitus ceſſent.

Poſt Partum in Puerperio frequenter *ſudent.*

## ARTICULUS XVII.

### *De Hydrope Pudendorum in Gravidis.*

POſt has Pedum Intumeſcentias etiam Gravidis quibuſdam ſupervenit *Hydrops Pudendorum*, in quo Labia Sinûs Pudoris, nunc utraque, nunc alterum, ita tument, ut viderit Guillemeau accedere hunc Tumorem ad Capitis Infantis magnitudinem, unde Femora ad ſe invicem movere nequeunt.

Tumor hic obſervatur clarus & pellucidus inſtar Hydroceles, cùm ſolam Aquam contineat.

## CURA.

Neceſſe eſt autem, *ut curetur ante Partum.* In tali caſu convenit imprimis Aqua Calcis vivæ ſub formâ *Fomenti* crebriùs applicata, quæ eſt egregiè diſcutiens: vid. *Obſ. in Cultro Anat.* Lyſeri *pag.* 223. Sufficit etiam ſimpliciter *Cataplaſma Carminativum* impoſitum. His non ſufficientibus, putat Guillemeau, loca tumida ſcarificanda longitudine & profunditate, & Aqua clara per aperturas cum Lancettâ factas removenda: Vid. M. A. N. C. *Ann. 3. Obſer. 256.* & Mauriceau *de Morbis Mulier. l. 1. c. 24.* Item optimum quoque eſt, applicare Hirudines.

## ARTICULUS XVIII.

### *De Varicibus Gravidarum.*

FRequens etiam eſt, ut circa ultimos Geſtationis menſes *Varices*, ſeu Venarum intumeſcentiæ Crura Gravidarum occupent, quæ ferè Naturæ ad Partum uſque relinquuntur. Verùm cum interdum adeò ſint magnæ & tumidæ Varices, ut periculoſam ruptionem Venarum inferant, tunc optimum conſilium eſt, *inungere Venas tumidas* cum Oleo Laurino & Unguento de Baccis Lauri, aut cum Oleo de Ranis, aut cum Oleo Lumbricorum terreſtrium, & tunc cum Faſciâ nonnihil latiori Vino intinctâ, aut Decoctô quodam nonnihil adſtringente madefactâ, conſtringantur.

## ARTICULUS XIX.

### *De Hæmorrhoidum Tumore in Gravidis.*

DEnique tædioſum Symptoma, quod ultimo Geſtationis tempore ſupervenit Gravidis, eſt *Hæmorrhoidum Tumor*, nunc doloroſus, nunc indolens: pro quo reſolvendo applicanda eſt *Spongia*, Decocto Adſtringente mitiore in Vino imbuta: vel inungatur Tumor Hæmorrhoidum cum Oleo Ovorum, cum Oleo Maſtichino. In ſpecie Oleum Momordicæ per infuſionem eſt Experimentum optimum: Unguentum Linariæ applicatum etiam confert. Ac denique, ſi gravius videatur Malum, applicanda eſt Pulpa Pomorum coctorum, cui intermiſti ſint Millepedes, aut ſaltim additum Oleum Millepedum.

Hæc ſunt Symptomata, quæ Gravidis accidunt. Abſolvimus ea, quæ ad Gravidas, quà tales, pertinent, earumque Symptomata & Affectus frequentiores paulò luſtravimus: Pergo jam *ad Partum & Parturientes.*

## SECTIO VII.

### *De Partu, & Parturientium Regimine.*

PArtus nil aliud eſt, quàm *Fœtus maturi & perfectè formati debito tempore legitima facta excluſio.* Contingit hæc *conatu* ſimultaneo *Fœtûs & Matris. Fœtus* enim valdoperè auctus & grandior factus proprio Motu exitum quærit, convolvendo ſeſe & invertendo Caput deorſum versùs, unde & Capite primò egreditur. Motu hoc Membranæ diuturniore morâ tenuiores factæ, dehiſcunt & rumpuntur, unde & *Aquæ effluunt.* Huic Fœtus conatui accedit ſimul *Matris* labor, quæ tam inſpirando, & Diaphragma deorſum movendo, quàm Muſculos Abdominis contrahendo, Uterum comprimit, qui quoque ſimul nimiâ diſtenſione irritatus modico ſenſu & ſtimulo, contractis ſuis Fibris Fœtum excludit.

Contingit hoc *Menſe* poſt conceptionem ut plurimùm *nono*, nempe circa hujus finem, vel *circa decimi principium*, (*verſus quadrageſimam Septimanam*) ordinariè; interdum, ſed rariùs, Menſe ſeptimo, idque ferè ſaltim in primo Partu, in tenerioribus autem Juvenculis: qui Septimeſtris Partus ferè imperfectionis quaſdam notas in Auriculis, Ore, aut Digitis habere ſolet, ut pote quæ partes ultimò omnium perficiuntur; de quo vid. Borellus *Cent. 1. Obſervat. 71.* Accidit tamen interdum, ut vel Mater vetula, vel Fœtus imbecillior, *ultra decem Menſes* Partum differant; ſicut interdum anticipant, & *Menſe octavo* pariunt: quos non vitales eſſe Fœtus falſum eſt, cùm plurimi hôc Menſe nati vixerint, de quo vid. Schenckius *in Obſ.* ſiquidem etiam vitales non rarò ſunt Fœtus, qui ſeptimo excluduntur Menſe. Quòd ſi verò moriantur Octimeſtres, hoc fit, quando ex irritatione Uteri, vel Fœtûs, vel ex aliâ Causâ, non nunquam Fœtus quaſi per Abortum octavo Menſe excludatur, qui nono Menſe debuiſſet naſci: de quo vid. Drelincurtius *Diſſert. de Partu Octimeſtri*, item Paulus Zacchias *in Quæſt. Medico-Legal.* Raræ aliàs, eæque paucæ, proſtant Obſervationes Fœtuum 6. 12. 15. Menſe natorum, qualia videb. in Schenckio *l. a.* Obſervandum tamen hîc ſimul, falli non rarò Mulieres in calculo, dum primum Conceptionis tempus non adeò exactè obſervare ſolent.

*Cauſa impulſiva*, quæ Fœtum ſtimulat & impellit, ut moliatur egreſſum, videtur eſſe Anxietas quædam in Fœtu propter defectum legitimæ Reſpirationis, cùm Aquis immerſus reſpirare nequeat: Sanguis enim ſenſim ſenſimque circa Præcordia nonnihil magis novetur, & ita circa Præcordia anguſtias excitat, unde Fœtus anxius egreſſum molitur, & quamprimùm egreditur, reſpirat: de quâ Controverſiâ, quod nempe Fœtum ſtimulet ad egreſſum, videri poteſt Deuſingius *in Geneſi Microcoſmi.* Hinc Proba poteſt inſtitui, an Fœtus natus ſit vivus? an verò natus ſit mortuus? idque per Pulmones, qui per Reſpirationem expanduntur, & ita leviores ac ſpongioſiores fiunt; Pulmo enim ſpongioſus rariùs Aquis ſupernatat. Quod verò *de Vagitu Fœtuum* circumfertur, & cujus non vulgaria proſtant Exempla, ea, uti rara, ita ferè ſolent eſſe prodigioſa, cùm non vagiiſſe tantùm, ſed etiam articulatas

Voces

Voces emiſiſſe Infantes adhuc in Utero incluſos, teſtentur Obſervationes : Vid. Sperlingius *de Format. Fœtûs cap. 7. Quæſt. 2.*

Fœtui per Funiculum Umbilicalem cohærentes *Secundinæ* & ipſæ poſt Fœtum excluſum maturè *extrahendæ*, quibus extractis Uterus extenſus denuò Fibrarum ſuarum beneficio ſe contrahit, ſicque Spongiæ inſtar compreſſæ Liquores, partim Geſtationis tempore imbibitos, partim in & poſt Partum uberiùs affluentes, hic exprimit; unde *Purgamenta Uteri* poſt Partum ſeu *Lochia* ſuccedunt. Effluit autem primò cruentus Humor ſeu *Sanguis purus*, hinc *Sanguis dilutus*, aquoſo nempe & lacteo Sero, tandem *Materia mucoſa albæ*, quam eſſe reliquias Succi Nutritii Fœtûs in Utero, cum Deuſingio arbitror. Nec improbabilis eorum eſt Opinio, qui ſub primo Lochiorum Fluxu ſimilem ferè *Fermentationem in Sanguine* fieri exiſtimant, qualis ſub Menſtruatione ordinariâ obſervari ſolet. *Quantitas hujus Purgationis, & Tempus*, quamdiu durat, varium eſt, pro varietate Conſtitutionis ipſius Puerperæ: nonnullæ ad quindecim dies purgantur, aliæ citiùs, quibuſdam octo dierum ſpatio effluxus iſte abſolvitur.

Quando jam *appropinquat pariendi Tempus*, formatus Fœtus angu ſtiis Uteri incluſus, iſque grandior factus, tandem calcitrando, & ſe fortiùs movendo, egredi nititur; unde tunc *graves Dolores* prehendunt Gravidam, à quibus ipſa impellitur, ut adjuvando Fœtûs conatum, hunc tandem expellat vel excludat. Uterus ſcilicet membranoſus & fibroſus, mole & motu Fœtûs incluſi diſtentus, ſucceſſivè ſubſidere incipit, uti dicunt, & magis ad Os Pubis deorſum vergit: hinc tandem Fœtus incluſus grandior & robuſtior factus, cùm iſtas anguſtias ampliùs perferre nequeat, ſe validè movet, & agitat Artus, ac invertendo ſeſe, qui anteà erat convolutus, Capite deorſum versùs proruit, ita ut tandem Caput aut Oſſi Pubis aut Orificio Uteri interno perfectè inſiſtat & immineat: Si Oſſi Pubis, *dicunt, inſiſtit Arcu*, (eſt terminus technicus Mulierum.) Hinc Uterus membranoſus & fibroſus iſto Fœtûs conatu irritatus, ſe validè ſpaſmodico & convulſivo quodam Motu ſucceſſivè & partitis vicibus contrahere nititur; unde nunc graves iſti Dolores lancinantes & contorquentes Mulieres prehendunt. Vocantur hi *Dolores Partûs*: Qui ſi ſunt legitimi ad Partum, quod probè obſervandum, ſint frequentes, ſubinde repetant. Si inchoant prope Umbilicalem regionem, & in Dorſo circa regionem Renum, hinc ſucceſſivè deorſum versùs Pubem & ex Sinu Pudoris denuò poſteriùs ſurſum versùs ad Lumbos & Dorſum retorquentur, ibique ingentem Lancinationis ſenſum inferunt, minùſque inferiora versùs vergunt, non ſunt Dolores Partûs Veri, ſed vocantur *Dolores Nothi*, & nunc Vomitus, nunc Tremorem Brachiorum, nunc alia inferunt Symptomata. Aſt meliùs ſunt Dolores, qui continuò ex Lumbis incipientes ſecundùm Abdomen deorſum protenduntur ad regionem Pubis uſque, hinc Clunes & Coxas occupant, & ita Tremorem Genuum inferunt; qui ſunt Spaſmi doloroſi Muſculorum, quando convelluntur, & ſunt optimi. Fiunt ergò hi Dolores ex Spaſmo Uteri & partium membranoſarum connexarum, unde tales Spaſmi ſunt conjuncti ex his partibus ſimul affectis: Sub his Doloribus *Orificium Uteri internum ſe pandere & aperire incipit*: Nam in hujuſmodi cavitatum contractionibus & conſtrictionibus ſemper Orificii accedit amplitudo, unde etiam tunc quando Uterus ſe contrahit, Orificium Uteri internum ſe aperit, quod etiam *Obſtetrices* facilè *immiſſo* in Sinum Pudoris *Digito* ſtudiosè explorare ſolent & debent. Percipiunt enim tunc Foraminulum & ſupra Foraminulum Membranam quandam adhuc integram, collectis etiam & incluſis Aquis diſtentam, per dictum Orificium ampliatum promnens, in formâ ferè Ovi mollis, cui exterior dura Teſta deficit, quod vocant: *Aqua ſe trahit.* Nec priùs Mulieres ad labores Partûs facilè admoneant, aut reluctantes cogant, niſi Digitis Orificium hians Uteri, & jam vel Fœtum, vel Membranas denſas Fœtum cingentes, & à conatu Fœtûs fortiter diſtenſas deprehenderint, Doloreſque iſti Parturientium Veri ſimul acceſſerint: Horum quoddam ubi deficit, non ſunt ad Partum cogendæ. Continuato ergò Fœtûs Motu, & repetitis Uteri Spaſmis, *rumpuntur tandem Membranæ* Fœtum cingentes, effluuntque Liquores in iis contenti, unde dicunt vulgò: *Aqua ſalit*: qui Liquores rarò ſunt ſinceri, ſed ſubinde nonnihil Sanguine tincti, quod fit ex Orificio Uteri interno aperto: Quoties enim hoc aperitur, ſolet Sanguinem plorare, qui nunc ſolus, nunc cum his Liquoribus ſolet effluere. Liquor hic ſeu Aquarum Effluxus laxat, emollit, ac lubricat vias, ut faciliùs hæ diſtendi, Fœtuſque per eaſdem, aliàs ſatis anguſtas, promoveri poſſit. Patienter autem, neceſſe eſt, expectet Obſtetrix ſpontaneam Membranarum rupturam Aquarumque effluxum, nec Unguibus ſuis Membranas rumpere debet, id quod fieret cum inſigni Fœtûs & Matricis nocumento, ſemperque Partûs impedimento, conf. Mauriceau *lib. 2. cap. 7.* aut in tali caſu, quando Membranæ tenuiores unà cum Fœtu prodeant, & multùm admodùm promineant; tunc enim Aquas rumpere licet; vid. *Idem lib. 2. cap. 11.* uti etiam, ſi in præternaturali Partu Placenta priùs ſe offerat; tunc enim etiam Membranas pro facilitando Partu aperire licet, vid. *Idem lib. 2. cap. 28.* Hæc dum fiunt, Mulier iſta ſeu Mater *Sellæ appropriatæ* impoſita (cujus Figura proſtat in Dñ. D. Welſchii *Libro Obſtetricum, lib. 1. cap. 23.*) aut aliàs commodè ſituata, nempe per tranſverſum lecti Cruribus inflexis, ita ut totæ Nates attingant, (vid. Viardel *in libro Obſtetricum p. 33.* item Mauriceau *lib. 2. cap. 8.*) comprimendo Abdomen expulſioni Fœtûs multum adjumenti affert. Sub hoc conatu imprimis, dum *tremunt Genua*, ex utroque latere adſideat Fœmina robuſta, quæ dicta Genua fortiter teneat & firmet, aliàs gravia Symptomata in Coxis poſt Partum percipiunt. Imò ſi negligenter firmantur, tam debilitantur Pedes, ut difficulter incedere queant. Mulier autem gravida adjuvet motum Fœtûs. Quòd ſi ergò *debilior in labore fiat*, pauco Vino generoſo, aut Aquâ Cinnamomi ſpirituosâ, Aquâ Vitæ Mulierum, aut paucâ Aquâ Hirundinum cum Caſtoreo, ſi forſan Hyſtericæ Paſſiones immineant, refocilletur, ut ſtrenuò pergat in incepto labore, dum Obſtetrix interea temporis ante & intra Genua Parturientis poſita & ſituata expectet, Manus & Digitos Oleo Liliorum alborum, aut Amygdalarum dulcium, aut Oleo Cheirino aut ſimilibus illitas in Vaginam Uteri immittat, *Fœtum approximantem Digitis blandè arripiat*, ordinet, locet, & tandem Capite priùs ita nonnihil protrahat, arreptoque hinc Umbilicali Fune, ſimul Placentam Uterinam cum conjunctis Membranis ſeu Secundinis unà extrahat, ſtudiosè obſervando, *ne tantillum Aëris externi* aut frigidiuſculi in Uterũ Parturientis ante aut poſt Partum irrumpere poſſit. Hi c omnia Linteis, Stragulis & ſimilibus benè munita eſſe ſolent circa Partum, ut Aëris impediatur

acceſſus, quia aliàs metus eſt, ne Lochiorum Suppreſſio, hincque Uteri Inflammatio, aut Uteri Inflatio, aut ſimilia ſexcenta Mala, exinde ſuperveniant.

## CAPUT I.

### *De Partus Læſionibus.*

QUod Partum ipſum attinet: ad hunc, ut fiat naturaliter, *tria imprimis requiruntur.*

1. Ut fiat legitimo *Tempore*, nempe Fœtu maturo jam & perfecto.
2. Ut fiat legitimo *Modo*, cum debito ſcilicet Situ & poſitu Infantis.
3. Ut nullis gravioribus aut periculoſis comitetur *Symptomatis.*

Quoad I. notum eſt, quòd ſub ratione Sanitatis & Circumſtantiarum variarum præter propter *Partûs Tempus naturaliter ſit Menſis nonus*, in hujus imprimis fine, *aut circa principium decimi*: unde qui eo tempore naſcuntur, dicuntur *Legitimi*, per ſe ſemper *Vitales*; qui verò citiùs excluduntur, *Abortivi* & non Legitimi, ſubinde non Vitales, idque eò magis (ſcilicet ſunt Abortivi) quò longiùs à legitimo abſunt termino; Nam etiam in ſeptimo vel octavo Menſe Vitales naſci Fœtus, interdum obſervatum eſt, utut ſæpiùs moriantur, quia Abortivi ſunt. Nec minùs lethalis eſt Septimeſtris Partus, quàm Octimeſtris, aut minùs Vitalis Octimeſtris, quàm Septimeſtris: Sed ambo ut plurimùm ſunt lethales, quia ſunt, ut dictum, Abortivi Fœtus, nono Menſe excludendi. Quòd ſi Septimeſtres aut Octimeſtres ſint Vitales, hoc fit; quando vel falsò calculum ſuum ſupputavit Mulier, vel quando computavit falſum Conceptionis principium, aut quoniam eſt Partus primus in Juvenculâ, ſeu robuſtis & vegetis Parentibus genitus, in quibus equidem generatur Fœtus robuſtus, ſed quia Uterus eſt anguſtus nimis, eundem retinere nequit. De Partu Octimeſtri, an ſit Vitalis vel non? elegantem conſcripſit *Diſſertationem* Drelincourt (*Scriptor Gallicus, Profeſſor Lugdunenſis*), ubi ſtatuit, quòd per ſe Octimeſtris non ſit lethalis, quà Octimeſtris, ſed ſit lethalis, quà Abortivus Menſis noni.

Ut autem *cognoſcatur*, *an ſeptimo Menſe natus Fœtus reverà ſit talis*? cum interdum Partus Septimeſtris ſit pallium impudentiæ noviter nuptorum: ut, inquam, cognoſcatur, obſervandum eſt, quòd ſeptimo Menſe nati ut plurimùm habeant imperfectionis quaſdam notas, nempe in Auriculis, in Labio Oris ſuperiore, in Digitis Pedum, & ſimilibus, iſtis ſcilicet partibus, quæ ultimò omnium perficiuntur, & quæ poſtmodùm nono demum Geſtationis Menſe apparent perfectæ, obſervante hoc Borello *Cent.* 1. *Obſervat.* 71. aut certè imbecilles, aut debiles admodùm ſunt: Conf. Thiermayerus *Conſil. lib.* 2. *pag.* 72. Hinc perfectus & robuſtus Fœtus ſuſpectus eſt, quòd ſit legitimus, & non Septimeſtris: Conf. M. A. N. C. *Ann.* 8. *Obſerv.* 69. *pag.* 117. Rarum eſt, quòd Familiæ integræ obſervatæ fuerint, quorum Liberi omnes Partu Septimeſtri editi, autore Sylvio *lib.* 3. *Prax. cap.* 7. §. 19. Interim tamen ſi Mulieres, uti dixi, Juvenculæ, primiparæ, graciles ac agiles, tales primo Partu rarò novem Menſes abſolutè complent; ſicuti Mulieres, quæ jam ſæpiùs pepererunt, aut Ætati conſiſtenti ſunt viciniores, ut plurimùm uſque ad Menſem nonum perfectum, vel medium decimi Menſis, Utero geſtare ſolent.

In *computando autem Partûs Tempore intelliguntur Menſes Solares, non Lunares*: Conf. abſolutus *Tractatus* Johannis Pegiſſonelii *de Tempore humani Partûs*, qui demonſtrat, etiam Hippocratem numerare 30. dies pro Menſe, & ita intelligere Menſes Solares: nempe Lunaris eſt dierum 27. & 8. horarum, ſed Menſis Solaris eſt dierum 30. Ergò decem Menſes Lunares, & novem Menſes Solares cum 10. diebus, exactè conveniunt, utrobique 40. Septimanas complent, & ita finem noni, principium decimi Menſis Solaris conſtituunt. Hæ 40. Septimanæ complent exactè 10. Menſtruationes muliebres; undè in computando Tempore Partûs ad Menſium emanſionem poſt Conceptionem contingentem, Practico reſpectus habendus eſt, i. e. quòd abſolutè nonâ à Menſibus primò emanentibus Periodo, aut abſolutè decimâ à Menſibus ultimò comparentibus ante Conceptionem Periodo, fiat Partus, idque præcisè tunc temporis, cùm Menſes periodicè redire deberent: id quod obſervaſſe me aliquoties memini.

Hæc ratione Temporis

Quoad II. *ratione Modi*, Partus eſt vel *Naturalis*, vel *Præternaturalis*: *Ille*, quando Partus accidit Fœtu in Caput prono, ita ut Capite primò prodeat: *Præternaturalis* verò Partus eſt, quando alio Situ, aliove Membro, v. g. Manu, Pede, Podice, &c. ad Orificium Uteri internum primitus ſe ſiſtat. Hujus quindecim Modi ab Autoribus annotati reperiuntur: vid. in Ludovicæ Bourgeois, & Dñ. D. Welschii *Libro Obſtetricum*. Situm hunc acquirit Fœtus, quando ultimo tempore ſe incipit extendere & invertere, Capite inclinato Orificio Uteri imminet, quod fit inſtante jam Partu, anxiæ tunc fiunt Mulieres, & Dolores percipiunt. Capite prono & primitùs apparente, Fœtum naturaliter prodire dixi: Nam brevi ante Partum, dum violentiùs ſe movet Fœtus, hic ſe invertit, ut ita Capite pronus ſe offerat.

Rariſſimum eſt & ferè ſingulare, (forſan adhuc dubium,) quando per Septimanam unam vel alteram, imò per Menſem, ita in Utero, inverſo Situ, obſervati fuerunt Fœtus: Nec facilè hoc crederem, niſi Ludovica Bourgeois *lib.* 1. *cap.* 46. *in libro Obſtetricum*, narraret tale Exemplum Mulieris, quæ Fœtum per duas Septimanas & octo dies geſtarit inverſo Situ & poſitu, ita ut Capite Oſſi Pubis immineret. Præter hoc Exemplum ipſa de ſe teſtatur, quòd ſex Septimanas aliquandò ante Partum Fœtum ita geſtaverit inverſum, & pluries ſe hoc obſervaſſe, ſimiliter aſſeverat. Hoc ipſum etiam nuperrimè mihi confirmavit & faſſa eſt noſtra Obſtetrix, paucis abhinc ſeptimanis defuncta, quæ ultra 4000. Infantes ad lucem produxit, ſanctè aſſeverans, ſibi certò conſtare, quòd aliquando ultra tres Septimanas Fœtus ſuper Os Pubis inverſus ita à quadam Muliere fuerit geſtatus. Fateor, res eſt difficillima creditu, dum penſitamus, quomodò Fœtus tali inverſo Situ in Utero vivere poſſit ad longum tempus, cùm notiſſimum ſit, Adultos Pedibus ſuſpenſos ex vitiato Sanguinis per Caput circulo, non ita multo pòſt quaſi Apoplecticos interire: quod idem de Fœtu ſubſumi poteſt, niſi tales Obſervationes, quas omnes ceu falſas traducere nequeo, aliud imperent & loquerentur. Res ergò adhuc, quoad hoc negotium, ulteriori Experientiæ relinquenda.

III. Denique læditur Partus, *quando graviora accedunt Sympto nata*, ita ut aut laborioſior, aut difficilior fiat, quàm naturaliter eſſe debeat: quô facit

D. S. ut antè.

Item

℞. *Aquæ Ceraſ. nigr.*
*Flor. Til.*
*Epil. Lang.* an. ℥j.
*Corall. rub. præp.*
*Ebor. ſigne igne* ana ʒß.
*Syr. Corall. Querc.* ʒvj.
M. D. S.

Potio Adſtringens, benè circumagitanda. Detur cochleatim.

*Externè* in genere ad præcavendum Abortum optimè conducit Panis piperatus, in formâ rotundâ, Melle illitus, & Pulvere Caryophyllorum, Macis, Cumini, & ſimilibus benè aſperſus, & utrinque, tam Lumbis, quàm Abdomini, regioni Pubis, calidè applicatus, dum nimis ſubſidet Uterus; hinc enim fit interdum, ut denuò ſurſum versùs in naturalem ſitum ſe diſponat ac redeat. Nec inconveniens eſt, ut in imminente Abortu Fermentum, cum pauco Cinnamomi & Caryophyllorum, & aliis Aromatis, mediante Vino ſubactum, in formâ *Cataplaſmatis* applicetur infra regionem Umbilicalem & ad Lumbos: vel dum jam Dolores incipiunt corripere Mulieres, optimum eſt applicatus *Sacculus* ex Herbis Menthæ, Abſinthii, Roriſmarini, Meliſſæ, & ſimilibus, in Vino generoſo bullitis, calidè applicatus: præſertim quando Fœtus eſt debilior, Aqua Vitæ Mulierum, vel Balſamus Puerorum, vel Vinum Malvaticum cum Pane toſto, Abdominis regioni Umbilicali convenienter imponitur. Optimum eſt *Cataplaſma* ex Melle cum Meliſſâ, Chamomillâ, Pipere, Nuce Moſchatâ, Zedoariâ & ſimilibus, quod nunc Umbilico, nunc Lumbis, ubi ad Ilia deſcendere incipiunt, applicetur. *Thermæ* à quibuſdam uſurpantur: Sed hoc intelligitur eo in caſu, quando Mulieres ex nimiâ Laxitate abortiunt, tunc quando nondum ſunt Gravidæ, ſunt ſaluberrimæ. Aliàs, ubi imminet Abortus *ex Relaxatione Uteri*, conducunt Bdellium & Maſtiche Aceto diſſoluta, Linteis inducta, & inſtar Cataplaſmatis ſeu Emplaſtri regioni Abdominis Hypogaſtricæ applicata.

Vel

℞. *Empl. de Galb.*
*Tacamahac.* ana q. ſ.
Malax. cum ſ. q. *Balſ. Peruv.*
D. S.

Cataplaſma Adſtringens.

Et applicetur Lumborum regioni.

Heurnius in tali caſu commendat *Balnea Aluminoſa*; quæ tamen in ultimis Geſtationis Menſibus minùs ſunt tuta, quoniam notum, quòd Vaginam aliàs reddunt anguſtam, unde ſequitur Partus laborioſus. *Hæc in genere.*

Juxta hæc *in ſpecie*, pro varietate *Cauſarum Remotarum*, imprimis ex ſex Rebus Non-naturalibus, & variarum Indicationum, *varianda etiam eſt Cura*, cùm ſæpiſſimè Cauſæ ſint graviores *Animi Affectus*, primariò Iracundia, Terror & Pavor, qui inſigniter hoſtiles ſunt Gravidis, & mortem ſeu necem minantur Fœtui, & ex his Cauſis imminentem Abortum neceſſe eſt maturè levet Medicus. Et quidem ſi *ex Medicamentis acribus* irritantibus, imò *Acido* vel aſſumpto, vel intùs genito Uterum irritante, & *Iracundiâ*, qua omnes Succi confuſi efferveſcentiam excitant, ſicuti etiam in Terrore, Pavore, & ſimilibus metus Abortûs immineat, *Appropriata* quædam *Abſorbentia*, *Præcipitantia* dicta, quæ Acidum corrigunt & Sanguinis imminentem coagulationem, & ſtagnationem impediunt, in uſu eſſe ſolent. His ergò in caſibus convenit Ebur ſine igne, & Medicamenta ex Ebore (& quidem ſin ab Irâ immineat Abortus, Ebur ſine igne propinetur in Vino acidulo, vel in Aceto roſaceo: convenit etiam Gelatina Eboris acida reddita, in Vehiculo appropriato hauſta, vel in Potu ordinario diſſoluta): Cancri fluviatiles, & omnia Cancrina jam laudata, ſingulare quid obtinent: Pulvis contra Abortum *Auguſtanorum*, Cinnabaris Antimonii, item Pulvis *Marchionis*, Specificum Cephalicum, Pellicula cartilaginoſa ex Ventriculo Gallinarum ſumpta, exſiccata, pulveriſata ad ʒi. Tali Leporis, Præparata ex Dente Hippopotami, ex Dente Caſtoris, & ſimilibus, in uſu ſunt: quibus addantur blanda Aromatica, Nux Moſchata, Caryophylli, tantillum Cinnamomi, item Coralliorum Tinctura, in ſpecie ſaſſafraſata, quæ à Terrore imminentem Abortum præſervant. Aliquando Juvenculæ quarto Menſe gravidæ, quæ per ſcalas deciderat in cellam, & exinde inſigniter terrefacta, ita ut ferè per dimidiam noctem non ſentiret motum Fœtûs alias alacris, præſcripſi ſequentem *Miſturam*, quæ in quovis Abortu, à gravioribus Animi Pathematis metuendo, uſurpari poteſt.

℞. *Aquæ Lil. conv ll.*
*Ceraſ. nigr.*
*Epil. Lang.* ana ℥j.
*Ebor. ſine igne* ʒß.
*Pulv. Epilept. March.* ʒß. ad ʒj.
*Specif. Cephal.* gr. xv. ad ʒj.
*Thuris*,
*Maſtich.* ana gr. v.
*Syr. Corall. Querc.* ʒvj.
M. D. S.

Potio Confortativa Adſtringens.

De quâ Miſturâ non ingratâ capiebat ſubinde, benè agitatâ, aliquot Cochlearia: unde factum eſt, ut poſtmodùm ceſſaret alteratio à Pavore inducta, & Fœtus inde roboratus denuò ſe alacriter moveret: applicata ſimul externè Cruſta Panis cum Vino Malvatico Abdomini, de quo ſuperiùs.

In ſpecie ſi *Iracundia* fuerit *gravior*, conſultum eſt, ad orgaſmum Succorum & perturbatum Spirituum Animalium motum ſiſtendum, ut non nihil de *Laudano Opiato*, cautè tamen, uſurpetur, ut ſiſtatur facilis Uteri irritatio & contractio. Quòd ſi Uterus aut Fœtus roborandus ſit, Tormentilla, Decoctum Millefolii, grana Chermes, Maſtiche, Thus, & ſimilia adhibenda veniunt. Sin *à nimio Frigore externo*, ut interdum fit, immineat Abortus, ita ut Fœtus quaſi torpidus & nonnihil ſtupefactus hæreat, convenit internè Aqua Vitæ Mulierum, Balſamus Embryonum, ſive internè ſive externè uſurpentur, Aqua Caryophyllorum compoſita, (vid. Velſchii *Mictom. Cent.* 1. *Obſervat.* 10. *annexa* M. A. N. C. *Ann.* 4. *&* 5.) & ſimiles Aquæ ſpirituoſæ. *Externè* conveniunt Inunctiones cum Oleo Maſtichino, cui additum ſit Oleum deſtillatum Macis, Caryophyllorum, aliquot guttulæ Olei deſtillati Cinnamomi cum Balſamo Peruviano.

Sin à *Lipothymiis* metuendus Abortus, Aqua Cinnamomi borraginata, Tinctura Coralliorum cum Spiritu Cordis Cervi, Confectio de Hyacintho, Syrupus Florum Tunicæ, &c. conducunt.

Quòd ſi à *Cachexiâ ſeroſâ* ſit Malum, Lignorum Decoctum ad præcautionem Abortûs ſunt optima; Sic enim Platerus *lib.* 3. *Obſerv.* Abortum frequentem aliàs per crebriorem Decocti Guajaci uſum curavit. In quo caſu, uti etiam in Albo Fluore nimio, *Fontanellæ* in Crure apertæ, non ſunt inutiles: Sic Zacutus Luſitanus *Prax. Admir. Obſerv.* 450. pro præſervatione Abortûs

ortis Fontanellam ſummè prodeſſe obſervavit.

Ubi ex *Torminibus* ſeu *Doloribus Abdominis Nothis* imminet periculum Abortûs: convenit Panis iſte piperatus cum Melle Abdomini applicatus ac ſuperimpoſitus: internè verò convenit Pulvis Zedoariæ, vel per ſe, vel cum Pane, cui illitum ſit Butyrum, aſſumptus.

Hæc ſunt primaria Remedia, quæ contra Abortum ad ejus Præſervationem ſolent uſurpari.

*Facto jam Abortu*, Medicus præcaveat *Symptomata*. Ad duo ergò reſpiciat:

(1.) Ut *Secundina & Placenta* poſt Fœtum ſimul *excernantur integra*: Nam poſt Abortum pertinaciter adhæret Utero, unde periculum eſt, ne lacerata Secundina, quando ab Obſtetrice paulò fortiùs tractatur, ex parte prodeat, & ex parte remaneat: Conf. M. A. N. C. *Ann.* 1. *Obſervat.* 128. *pag.* 287. Si non excernatur, Manu imprimis cautè extrahenda: (conf. Mauriceau *lib.* 2. *cap.* 10.) cùm interna Medicamenta Secundinam pellentia propter Hæmorrhagiæ metum ferè ſuſpecta ſint. In ſpecie verò Mulier mox poſt Abortum in lectum benè calefactum ſe componat, extenſis probè ſimulque invicem ſuperimpoſitis Cruribus quietè jaceat, & ab omni Frigore, quantum poſſibile, imprimis etiam Extremorum, Manuum & Pedum, ſe muniat, nec Manus etiam, ſi tempus ſit frigidiuſculum, extra lectum exſerat. Nam

(2.) Frigefactis Externis vel modicè, vehementiſſima ac periculoſa ut plurimùm *Uteri* imminet *Hæmorrhagia*, nunc immediatè poſt Abortum, nunc poſt quartam demum Septimanam ab Abortu, ut ferè periculum Mortis incurrat Mulier: in qua propinanda tandem ea, quæ infrà *Sect.* 8. *cap.* 2. *Art.* 2. *circa Lochiorum nimium Fluxum* proponentur, & aliàs contra Hæmorrhagiam Uteri nimiam quamcunque uſurpari ſolent, conducunt.

Vel

℞. *Aquæ Tenell. Cornu Cervi* ℥iij.
*Succ. Cydon.*
vel
*Granat. acid.* ℥j.
*Hæmatit. præp.*
*Corall. rub. præp.*
*Terræ Sigillat.* ana ℈j.
*Laud. Opiat.* gr. iß. ad gr. iij.
*Syr. Plantag.* ℥vj.
M. D. S.

Potio Adſtringens benè circumagitanda.

Ad imitationem Sylvii:

℞. *Aquæ Plantag.*
*Meliſſ.* an. ℥iß.
*Spirit. Theriac. ſimpl.* ℥iij.
*Acet. Vini* ℥ß.
*Troch. de Carabe* ℥j.
*Croci Martis præp.* ℥ß.
*Syr. de Roſ. ſicc.* ℥ß. ad ℥vj.
M. S. ut antè.

*Externè* verò *Spongiæ* Aceto ac Vino rubro madefactæ applicentur ſecundùm Riverium *Cent.* 4. *Obſervat.* 46. Aut fiant *Sacculi* ex Roſis, Balauſtiis, Malicorio, & ſimilibus, qui in Vino rubro bulli i calidè applicentur.

Hæc de Partu ratione Temporis immaturo.

## ARTICULUS II.

### *De Partus Situ Vitioſo.*

QUod attinet II. *Partum Præternaturalem, ratione Sitûs Infantis vitioſi*, cujus modi quindecim enarrantur, hujus correctio imprimis *Obſtetrici* expertæ incumbit, quæ Manibus, Oleis appropriatis inunctis, Fœtum in naturalem Situm, quantum poſſibile, reponere debet, ſive ſit vivus, ſive mortuus, ut repoſitum commodè extrahat. Cùm verò hoc rariſſimè fieri poſſit in omni Situ Foetûs vitioſo, optimus ſuccurrendi modus eſt, ut Pedibus arreptus Foetus extrahatur, de quo conſulenda venit experientia Viardel *in ſuo libro Obſtetricum*, & hinc Mauriceau *de Morb. Mulier.* Tutiſſima hæc ſimulque facillima eſt Methodus, cujus encheireſes pluribus ab hinc Autoribus deſcriptæ videantur. Quòd ſi hoc fieri nequeat, quâ datâ faciliori occaſione ac Situ Foetus extrahendus, & hac ratione Matris vita ſalvanda. Modi videantur in iis, qui ſcripſerunt ex profeſſo de hac Materiâ, imprimis Ludovica Bourgois, item Scipionis Mercurii *Tractatus*, quem in noſtrâ vernaculâ edidit Spectabilis *Decanus noſter* Dñ. D. Welſchius. Si enim Foetus non eſt Vitalis, non ſemper neceſſe eſt, ut in debitum Situm reponatur, ſed in Malo graviori imprimis etiam quocunque modo eum extrahere nitatur Obſtetrix. Unum adhuc moneo circa Partum difficilem: Præ cæteris Caſus eſt periculoſiſſimus, quando Pedibus primò prodit Infans, ita ut etiam Manus deorſum verſùs inclinent: nam ſic fit, ut egreſſo Corpore Orificium Uteri internum circa Collum iterum ſe ſtringat, ita ut Fœtus extra Uterum, Caput autem ejus adhuc in Utero hæreat, & reddat Partum difficilem. Caſus eſt periculoſiſſimus, & tales Fœtus dicuntur *Agrippæ*. Ubi non poteſt emendari talis poſitura Infantis, Obſtetrix ſaltem alterutrum Infantis Brachium eô dirigat, ut ſurſum verſùs ad Caput vergat; Sic enim fit, ut propter Brachii extenſionem ſurſum factam Uterus non poſſit ſe contrahere circa Collum: quo Brachio retracto ſe vel ultrò Fœtus ad ſui exitum accingit, eumque inſigniter adjuvat, utut non ſine graviſſimis cruciatibus Matris: Vid. interea, qui de hoc ſcripſerunt ex profeſſo. Si Foetus ita eſt mortuus, ut nequeat arripi, *Chirurgicis Inſtrumentis* fruſtulatim diſciſſus extrahatur.

## ARTICULUS III.

### *De Symptomatis in & circa Partum.*

### MEMBRUM I.

### *De Doloribus Parturientium Nothis.*

PAtet ex hactenus dictis, quòd in Partu ex Spaſmo Uteri & Partium membranoſarum *Dolores* certi, pro ſtimulando Partu neceſſarii oriantur: qui Dolores Parturientium Veri cautè & accuratè diſcriminandi ſunt à *Doloribus Parturientium Nothis*, ut pote qui Parturientes maximè cruciant, & Partum difficilem reddunt; de quibus pauci quidem mentionem faciunt, cùm tamen probè obſervandi ſint. Fit enim ſubinde, ut graves Dolores Abdominis circa Umbilicum, regionem Lumbarem & totum Ventrem, ad Pubem pro enſi, interdum per Menſem, interdum per aliquot Septimanas aut aliquot Dies, antequam Partus inſtet, ſemper Fœminas

nas mirè torqueant, qui non tantummodò totum Abdomen inſtar Torminum Colicorum & Iliacorum occupant, ſed interdum etiam ſubinde inferiora versùs ad Pubem uſque deſcendunt, & incautis tanquam Veri Partûs Dolores imponunt. Quòd ſi tunc Mulieres cogantur, ad laborem Partûs, id cum ſummâ difficultate, labore & anxietate contingit: imò ſit interdum, ut, dum maximè eniti in talibus Doloribus volunt Fœminæ, denuò remittant Dolores & evaneſcant, & interdum adhuc per tres, vel quatuor, vel octo, interdum per quatuordecim Dies, & interdum per ultra integrum Menſem, Fœtum denuò retineant: Tales ergò Dolores vocantur vulgò *Dolores Nothi.*

## CAUSÆ.

Nempe oriuntur hi ipſi Dolores Nothi à *Convulſionibus* ſeu *Spaſmis Inteſtinorum & Meſenterii*, adeòque ad *Colicas Convulſivas* reverà pertinent; unde etiam vicinæ Utero partes ſimul nonnihil convulſæ ſimilem Dolorem, inſtar Parturientium, repræſentant. Uno verbo: *Sunt* nihil aliud, quàm *Dolores Inteſtinorum Colici & Iliaci graviores*, qui fiunt ab eorum dolorificis Spaſmis & Convulſionibus, aut qui interdum Hyſtericam Paſſionem aut antecedunt, aut comitantur, & non tantùm ab Aſſumptis flatulentis, aut ab Ingeſtis acidis, ſimilibuſque, ſed etiam interdum ex Efferveſcentiâ vitiosâ Succi Pancreatici, & Bilis, in primis viis corruptorum, oriuntur, prædominante etiam Acido plùs minùs auſtero, unde & imprimis *Suffocationes Hyſtericæ* talibus Doloribus in prædiſpoſitis ſubinde ſuperveniunt, vel *Lipothymiæ*. Fiunt item interdum tales Dolores Nothi à Mucilagine ponticâ acidâ, tenaciùs Inteſtinis affixâ, quâvis occaſione commotâ aut reſolutâ; unde dum eam Criſpationibus doloroſis excutere nituntur Inteſtina, facilè tales Falſi Parturientium Dolores ſuccedunt: Sic Mulier quædam aliquamdiu ex eſu Raphani incidebat ſequenti nocte in graves Dolores Abdominis, ita ut acceſſerit Obſtetrix, & aliæ Mulieres, volebat eniti; nihil procedebat, inſtabat laboribus per integram noctem, mane Dolores ceſſabant, & expectabat adhuc quatuordecim dies ac noctes. Sæpiſſimè in Partu Veris Partûs Doloribus Nothi hi ipſi Dolores, uti ſubinde antecedunt Verum Partum, ita quandoque conjunguntur ipſi Partui, & non rarò poſt Partum etiam ad tempus durant, dum nempe Uterus in Partu Spaſmo correptus & contractus pro excludendo Fœtu, Motus iſtos Convulſivos ratione ſuorum Nervorum, ex Meſenterii Plexibus derivatorum, ad hos Plexus nempe, continuat; unde & reliqui Nervi ex his oriundi ſimiles Spaſmos & contracturas concipiunt, ſibique annexas Partes membranoſas, Inteſtina & Meſenterium, dolorificè convellunt. Qui Dolores ſemel excitati in his Parturientibus etiam poſt Partum durare ſolent, adeò ut tali in caſu ſubinde Epileptici Inſultus, in Partu imprimis laborioſiore, ſuperveniant, iique eò atrociores, quò propior Fœtus inſtat, & qui excluſo Fœtu ſponte ferè ſuâ denuò ceſſant: vid. M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obſ.* 67. *p.* 124. Suntque hi Dolores Nothi aut Colici, aut Iliaci, aut Hyſterici. Non ergò apparentibus quibuſvis Abdominis Doloribus ſtatim ab Obſtetricibus ad enixum cogendæ ſunt Mulierculæ; nam in hoc peccatur quotidie ab Obſtetricibus ignaris, *quòd citò nimis Sellæ Puerperali* imponant Gravidas, & levi etiam Dolore correptas ad enixum, quantum poſſint, cogant, hoc ipſo ſatisfeciſſe ſe ſuo officio putantes, ſi Infantem modò habeant ex Matre, ſive cum Parturientis id fiat commodo, ſive cum ejuſdem detrimento. Sed exſpectetur modò legitimum Partûs Tempus; nam tunc Dolores Partûs Veri vel ſponte & ſufficienter cogunt Mulieres ad Partum, & tunc etiam, ſi Veri Dolores exiſtunt, Uterus ſimul ſe aperit, Aquæ effluunt & omnia ſponte ordinatèque, ac (N B.) longè faciliùs reddunt: ſin econtrà nimis intempeſtivè, & ob Dolores iſtos Nothos ad Partum cogantur Mulieres, inſigniter ſub inani conatu debilitantur, & enervantur, adeò ut dum poſtmodùm verum parturiendi ſupervenit Tempus, ipſæ non ſufficiant labori, quin omnia difficiliora, & laborioſiora, & cum ſummo Fœtus ac Matris periculo fiant. Nempe nunquam priùs ad Partum excitandæ ſunt Gravidæ, niſi (1.) *Tumor* Abdominis benè ad inferiora, ad regionem Pubis, deſcenderit: (2.) *Dolores* ex Lumbis deorſum versùs ſupervenientes fortes & ſæpè recurrentes: (3.) *Orificium Uteri* internum apertum ſit: & (4.) In protuberantibus Membranis ritè *Aquæ* formatæ ſint. Conf. hic Mauriceau *l.* 2. *c.* 2.

## DIAGNOSIS.

Ea, quæ hactenus dixi, quòd nempe dolores Parturientium Veri à Nothis accuratè ſint diſtinguendi & diſcriminandi à Doloribus Inteſtinorum & Partium vicinarum aliarum, per conſenſum ut plurimùm evenientibus; item quòd hi Dolores Veri & Nothi oriantur à ſpaſmodicis Contracturis Uteri & reliquarum Partium vicinarum in Partu; Inteſtinorum verò in Doloribus Nothis. Hoc ipſum etiam confirmat Obſervatio egregia & notatu digna Hoeferi *in Herc. Med. pag.* 326. *&* 327. ubi refert de Muliere Nephriticis Doloribus correptâ quæ ab adſtantibus indoctâque Obſtetrice tan quam Parturiens fuit tractata: ſic è contrario etiam *l. c.* proſtat Hiſtoria Mulieris reverà Parturientis, ſed ignaræ proprii negotii, quæ tantùm Nephriticis Doloribus ſe corripi putavit, dum ſuperveniens Fœtus robuſtus ipſum Affectum meliùs patefeciſſet, dum ſcilicet Dolores Nephritici per conſenſum Dolores etiam Colicos Inteſtinorum induxerint, unde iſte error, quòd non potuerint diſtingui à Veris Partûs Doloribus; Unde etiam, cùm omnis excludendi Fœtum labor eſſet irritus, Matre inſigniter, ſed fruſtrà, debilitatâ, hæc ipſa poſtmodùm poſt duos elapſos Menſes verum denique & vegetum peperit Filium, cùm anteà applicatis Renum regioni Unguentis Anodynis, ac aliis Appropriatis, Dolores iſti Nephritici fuiſſent ſedati. Facit huc Obſervatio & Monitum Hilderi *de Lithot. Veſicæ pag.* 741. ne, quæ Calculo Veſicæ affliguntur Gravidæ, & exinde ſummum quaſi enitendi conatum patiuntur, pro Parturientibus habeantur: Sic refert Viardel *in libro Obſtetricum pag.* 60. Dolores Colicos pro Doloribus Partûs vulgò habitos.

*Dolores* iſti *Nothi à Doloribus Veris* Parturientium *non adeò facilè diſtinguuntur*, niſi à Mulieribus, quæ jam ſæpiùs pepererunt, aut ab expertis Obſtetricibus: Cognoſcuntur tamen etiam ab aliis:

1. Si nimis *intempeſtivè* Mulierem prehendant, antequàm nempe ex ejus calculo verum Partûs Tempus inſtet.
2. Quando *alia Signa* ad Partum Naturalem requiſita non adſunt, ſeu *deficiunt*: v. g. quando Orificium Uteri adhuc connivet, nec eſt apertum: quando Aquæ effluere nolunt; item quando Obſtetrices nec motum Fœtûs, nec tenſionem Membranarum percipiunt, & ſic porrò.
3. Si in his Doloribus Nothis Mulier Lectis calidis & Stragulis, item Linteaminibus calefactis ac *Fomentationibus* ſiccis probè cale-

factis, Abdomen foveat, Pedesque blandè incurvet & ad Corpus attrahat, *Dolores sic cessant*, cùm econtrà Dolores Partûs Veri talibus calidis Fomentationibus, & Pedum attractione, protinùs exasperentur & promoveantur, observante hoc Ludovica Borgeoisa *in Libro Obstetricum.*

4. Si internè *Cerevisiam calidam Decoctionis Seminis Cumini bibat*, cessant ferè Dolores Nothi; cum econtrà Dolores Partûs Veri talibus Calidis, potiùs exasperentur & promoveantur.

5. Si conjuncti sint Dolores Partûs Veri cum Doloribus Nothis, id quod sæpiùs accidit, cognoscitur ex eo, quòd non solùm *ad regionem Pubis & Uteri* graviùs & acerbiùs torqueantur, sed etiam quòd superiores Abdominis partes, nempe circa Umbilicum & regionem Colli, simul crucient, & vagis, modo simul distinctis vicibus Mulierem prehendant, ut etiam *Vomitus* superveniant.

## PROGNOSIS.

Dolores hujusmodi Nothi hoc incommodi habent, quòd interdum primariæ sint Causæ, quòd tandem Abortivus excernatur Fœtus, vel Mulieres ultimo Mense nimis citò abortiant: item quòd conjuncti cum Doloribus Partûs Veris, hos impediant & imminuant, seu contractionem Uteri, & ex hoc Fœtûs exclusionem tollant, adeòque Parturientem debilitent, Partum diutiùs protrahant, & laboriosiorem reddant.

## CURA.

Non opus est semper, ut curentur hujusmodi Dolores Nothi, nam subinde Quiete & opertione Stragulorum sponte disparent denuò: sin verò nimis diuturni sint, *internè* ea, quæ *superiùs Sect. 6. cap. 4. Artic. 4. de Torminibus Gravidarum* dicta sunt, applicari possunt, imprimis Aqua & Spiritus Zedoariæ, item Spiritus Nitri dulcis ritè paratus in parvâ dosi, detur.

*Externè Fomenta* Calida, tam sicca quàm humida, ex Plantis Anodynis Carminantibus, Chamomillâ, imprimis Romanâ, conveniunt. Item *Cataplasma*, ex Melle cum Zingibere, Nuce Moschatâ, Cinnamomo, Caryophyllis, & similibus, Lumbis & Abdomini insternatur, quod optimum est. Vel recipiantur *Mentha*, *Absinthium*, *Caryophylli*, &c. subigantur & leviter bulliant cum *Vino Malvatico*, ut fiat Cataplasma, applicandum regionibus prædictis. Vel melius est, si recipiatur *Panis piperatus*, illinatur *Melle* largiter, quod adspergendum cum *dictis Aromatibus*, & tepidè applicandum Lumbis & Umbilico: Dolores autem Veri potiùs his stimulantur. Interdum *Clysteres*, imprimis Abstergentes ex Lacte, vel qui sine stimulo Intestina abstergunt, aut Carminantes blandiores, possunt injici.

## MEMBRUM II.

### *De Partu Difficili.*

PRæternaturalis quoque est Partus, quando Tempore & Situ Naturalis, *laboriosior tamen & gravioribus comitatus Symptomatis*, accidit Partus, qui dum in conatu vel tardè nimis procedit, ita ut diutiùs, quàm par est, & gravioribus Doloribus laboret Fœmina, aut si Dolores non benè continuent, aut si Anxietates summæ adsint, quæ non rarò insigniter augentur à Flatibus, Intestinis Parturientis retentis, atque non tantùm totum Abdomen expandentibus, sed etiam Musculorum ejus & Diaphragmatis, & ita exclusionem Fœtûs insigniter imminuentibus, aut à superveniente Passione Hysterica Anxietates intendentibus. Ut plurimùm tamen sub nomine Partûs difficilis naturalis, Partus tardior, & qui difficulter ac lentè succedit, intelligitur.

## CAUSÆ.

*Causæ*, quæ tardiorem & difficiliorem reddunt Partum, aliàs in cæteris requisitis Naturalem, sunt *vel in Fœtu*, *vel in Matre*, *vel in Viis*, per quas transire debet Fœtus: In Fœtu & Matre quidem imprimis est Languor & defectus Virium, alterius aut utriusque: in Viis verò, quando sunt minùs patulæ.

In specie *Mater* est Causa Partûs difficilis, quando debilis est, & Viribus plùs minùs exhausta, ut minùs sufficiat pro labore Partûs, si sit

1. *Morbosa*, aut conflictata fuerit Morbis gravioribus variis Gestationis tempore. Vires requisitæ ad Partum sunt fundatæ in Spiritibus Animalibus, quorum impetu Spasmi isti perficiuntur, mediantibus quibus Fœtus excluditur: Horum enim defectus in Matre debilitatâ, morbosâ, &c. facit Partum laboriosum.

2. Ex parte Matris redditur Partus difficilis, si graviores *Dolores Nothi* vel præcesserint, vel etiam conjuncti sint Veris Partûs Doloribus, à quibus Doloribus Nothis graviter subinde debilitantur Fœminæ, ut exinde Partus difficilis & laboriosus fit. Quô etiam

3. Pertinet Parturientium *Sudor*, qui si est nimius, difficiliorem ferè Partum reddit: nam quò plus sudant in Partu, in specie circa Caput, eò magis ex Spirituum nimiâ dissipatione decrescunt Vires, & insigniter debilitantur.

4. Si interruptus, & nunc irritus, nunc denuò urgens sit pariendi conatus, id est, *cùm insistunt Dolores, cùm veniunt & mox iterum cessant &c.* hôc ipsô mirè etiam debilitatur Fœmina, quia ex inordinatis Spirituum motibus ferè enervantur Vires: Item quando Dolores non rectè feriunt Uterum & Partes genitales, sed in locis inferioribus ad loca superiora, Caput, Stomachum, Brachia, &c. retorquentur.

5. Insigniter etiam huc faciunt *Animi Pathemata* Matris graviora, quæ per accidens Matris pariendi conatum impediunt, Spirituum Animalium maximè necessarium motum ad Uterum ab eo avertendo, v. g. in Parturientibus nimis verecundis, imprimis primiparis, in nimis timidis, aut etiam delicatulis Dolores fugientibus, &c. His enim subinde divertitur Spirituum Animalium impetus ad Uterum directus, unde Spasmi fiunt minores & Partus redditur difficilis. Sint ergò hilares, recreentur à jocosis Mulieribus adstantibus spe futuri Partûs, Precibus atque Cantu animentur ad constantiam laborum; subinde haustulus Vini generosi concedatur, ut reddantur animosæ; sic meliùs succedit labor & etiam promptiùs expurgantur Lochia: externè Aquæ Hystericæ, &c. admoveantur Naribus.

In *Fœtu* est Causa difficilioris Partûs:

1. Si etiam hic *morbosus* aut aliàs per se *debilis* sit, ita ut ipse in suo conatu deficiat, & sola Mater necessitet labores.

2. Si *Gemelli* fuerint, & ambo æquali enixu egredi tentent.

3. Si *Membranæ*, Secundinam constituentes & Fœtum cingentes, non rumpantur, sed tenaciores & firmiores hæreant, unde Fœtus iis obvolutus progredi tentet, & Orificio Uteri interno immineat: id

quod

quod ſit interdum, ut integris Membranis obvolutus Fœtus prodeat, Partu etiam maximè difficili, ita ut interdum neceſſe ſit, ut Obſtetrix Unguibus Digitorum, aut ſingulari quodam Scalpello, ſuperiùs obtuſo, rumpat & ſeparet Membranas, (quod dicunt German. *das Waſſer Kneipen*), quo Aquarum effluxus promoveatur, & Fœtus egreſſus adjuvetur. Rarum enim eſt, niſi in Fœtibus admodùm parvis, & quorum Matres habent loca patentiora paulò, ut unà cum Secundinis prodeat Fœtus. Vid. Harvæus *de Partu*. Non tamen ſemper conſultum eſt Membranas diſcindere, & non faciendum, niſi indicia imminentis Partûs ſufficientia adſint, & Fœtus legitimum habeat Situm; quia aliàs Fœtus ſe non movere, & in commodum Situm ponere poteſt. Fiant ergò Fotus & Fomenta ex Plantis Emollientibus, Lacte & ſimilibus, ut ſic emollitæ Membranæ à Fœtu perrumpi poſſint.

4. Ex parte Fœtus fit laborioſus Partus, ſi *Funiculus Umbilicalis*, qui cingit communiter Frontem Fœtûs, aliquot gyris ſit circa Collum aliamve partem circumvolutus, ita ut quaſi laqueo ſuffocandus prodeat Fœtus: Caſus eſt ſanè periculoſiſſimus.

5. Periculosè difficilem Partum præ cæteris caſibus facit *Fœtus ipſe mortuus*, de quo *ſequenti Membro*.

Ratione *Viarum* eſt Partus laborioſus ſive difficilis, ſi nimis

1. *Anguſtæ aut impeditæ* ſint; hinc in Primiparis, in ſpecie paulò Senioribus, difficilis ſolet eſſe Partus, quia Partes ſunt altiores, firmæ, denſæ, & magis robuſtæ: Vid. Bartholinus *de inſol. Partûs viis cap.* 3.

2. Si Viæ ſint *minùs lubricæ*, ut in defectu Aquarum harum, nempe retentione ob Membranas nondum ruptas, vel propter harum ipſarum etiam nimis aliquot ſeptimanas ante Partum profluxionem, vel quando planè nullæ in Partu effluant; tunc enim Partes genitales manent aridæ & minùs lubricæ: Vid. Bartholini *Acta Med. Haffn. Volum.* 3. *pag.* 257. item M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obſ.* 132. *pag.* 241. Adeoque rarum eſt, quòd præmaturè innocuo tamen Partu effluxerint Aquæ: Vid. M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obſerv.* 13. *pag.* 31. Ubi tamen diſtinctio Aquarum effluentium ſuprà inſinuata probè obſervanda venit.

3. Si *Os Pubis* nimis firmum & fortiùs junctum ſit, indeque hujus Cartilago minùs relaxari queat. Utut enim hujus aliqualis apertio aut dehiſcentia ad Partum non requiratur à Mauriceau *lib.* 4. *cap.* 1. tamen in Fœtu grandiori, & ubi major conatus adeſt pariendi, quin ſæpiſſimè nonnihil laxetur, & ita plùs minùs hiſcant Oſſa Pubis, haud adeò abſonum videtur, cùm præter Experientiam, quam allegat Guillemeau *lib.* 2. *cap.* 1. Diſlocationem Oſſium Pubis in Partu referant M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obſ.* 255. *pag.* 468.

4. Facit huc etiam, ſi ipſe Infans *Capite prono* ſuper Os Pubis immineat, quod vocant Germ. *wan das Kind uber den Bogen ſteht*: Caſus eſt à paucis notatus. Tunc enim maximo conatu & omnibus Fœtum pellentibus nihil juvatur, quin potiùs datis Stimulantibus Malum deterioratur; nil præſtabitur tunc quibuſcunque Remediis, niſi à Manu Obſtetricis Fœtûs Caput blandè ſurſum adigatur, ut ità poſtmodùm ab Oſſe Pubis remotus, in naturalem Vaginæ tranſitum, ſeu Orificium Uteri internum redeat, & iſtud Orificium ingrediatur.

5. Pertinet huc etiam, *ſi Os Coccygis* durius ſit & fortius, & minùs reflectatur ad poſteriora; Nam hoc Os Coccygis incurvatum in Partu extrorſum versùs flectitur, unde, prope Anum intenſos admodùm Dolores percipiunt Mulieres. Si ergò Os Coccygis duriùs & tenaciùs cohæreat, adeoque minùs flexile ſit, etiam Cauſa eſt difficilis Partûs: Vid. Bartholetus *Encyclop. p.* 49. & Bartholinus *de inſol. Partûs Viis cap.* 3. Econtrà interdum fit, ut luxetur Os Coccygis. Ut autem redeat denuò in locum & ſitum naturalem, Obſtetrices habent egregiam encheireſin; *ligant enim Linteum circa Corpus; idque trahunt per Crura, & ſic reducunt Os Coccygis ſolerter in ſitum naturalem.*

6. Cauſæ etiam, quæ Vias impediunt, ſunt *Veſica Urinâ repleta*, vel *Alvus* Excrementis nimiis onerata. Nam Excrementa Alvi retenta, & juxta Inteſtinum Rectum collecta, ob Viarum anguſtiam inſigniter impediunt Partum, & reddunt difficilem; Hinc frequentiùs in laborioſo Partu & mingunt & cacant. Notabile Exemplum de Inteſtinis plenis, Partum impedientibus videb. *in Tr.* Guillemeau *lib.* 2. *cap.* 11.

7. Pertinent huc etiam *Tumores*, *Scirrhi*, *Excreſcentiæ* aut ſimiles, aut in Vaginâ Uteri, vel Pudendis, vel Orificio Uteri multiplices; nam & hi multùm etiam impediunt Viarum Uteri tenſionem & Partûs egreſſum. Exemplum habet Hildanus *Centur.* 3. *Obſervat.* 57. Sic Horſtius *lib.* 2. *Obſerv.* 5. *pag.* 163. Partum impeditum obſervat ex Scirrho Orificii Uteri, ubi poſt Matrem apertam Fœtus in Abdominis cavitate fuit repertus, rupto Utero; de quo conf. *Obſervat.* 64. *Centur.* 1. & *Obſervat.* 57. *Cent.* 4. item Partus impeditus ob Abſceſſum Uteri, obſervatur in M. A. N. C. *Anno* 2. *Obſervat.* 180. *paginâ* 277. Quò etiam Hæmorrhoides cæcæ, aliaque Ani pathemata ſpectant.

8. Ad anguſtiam Viarum etiam facit, ſi ipſe *Fœtus* interdum *Hydrocephalo laboret* in Utero, qui Caſus admodùm periculoſus; nam tunc Caput Aquâ inflatum ineptum eſt, ut tranſeat per iſta loca; & in tali Caſu deſperato interdum neceſſe eſt, Scalpello aperire Tumorem, ut evacuentur Aquæ, & Fœtus eximatur, ne unà cum Fœtu Mater intereat.

9. Pertinet huc nimia *Laxitas Rugarum Vaginæ Uteri* in iis quæ vel crebriùs pepererunt, vel quæ diutiùs Fluore Albo laborârunt, ubi hæ Rugæ nimis laxæ aut flaccidæ, ut minùs ſe contrahere valeant, Partum laborioſiorem reddunt, & quem Obſtetrices interdum Manu juvare neceſſum habent. Aliàs Rugæ hæ, contrahendo ſeſe, multum faciunt ad excluſionem Fœtûs.

## DIAGNOSIS.

Quod attinet *Signa*: Partus difficilis & laborioſus per ſe patet.

*Cauſarum* Signa imprimis cognoſcenda; quod facilè fieri poteſt, modò omnes Circumſtantiæ Partûs penſitentur à Medico.

*Matris* vitia ac debilitates, eamque minùs eſſe promptam ad Partum, ejus ex relatione & Cauſis antecedentibus facilè cognoſcuntur, ſi Dolores Partûs ſint remiſſiores, ſi ſint interrupti, item ſi Mater aliàs per ſe debilis aut debilitata fuerit.

*Meatuum* vitia, *ſi Vulvam ſeu Vaginam habeat anguſtam*, ex Obſtetricis relatione imprimis cognoſcantur, ſi & ſtrenuè laborante Matre, & ſtrenuè ſe movente Fœtu, & continuantibus Partûs Doloribus, nihilo minùs tamen Viæ anguſtæ maneant, id quod tangendo experitur Obſtetrix, aut Orificium Uteri pertinaciùs clauſum fuerit: in quo caſu Emollientia & Laxantia injicienda.

*Fœtûs* vitia ex Circumſtantiis, præſertim ex deficiente ejus motu ac debito conatu, cognoſcuntur, ſi Partus, licèt Doloribus continuantibus, hic tamen tardiùs aut imbecilliùs moveatur, qui aliàs ſtrenuè ſe gerit, imò interdum omninò in motu ceſſat, ut

quibuſdam Fœtus putetur mortuus: quod quomodò cognoſcendum, *Membro* 3. habebimus. Scilicet (ut obiter hoc loco moneam) Obſtetrix inungat Manum Aquâ Vitæ Mulierum, vel aliâ ſpirituoſâ, & ita, eâdem in Uterum immiſſa, Fœtum tangit; qui ſi vivus adhuc eſt, ſubitò ſe movere incipit; ſin minùs, mortuus eſt.

In ſpecie *tres ſunt Circumſtantiæ*, quæ, monente Guillemeau *Tract. de felici Partu Mulier.* Partum difficilem & periculoſum reddunt, & ſpecialem evolutionem merentur:

1. Quando *Fœtus mortuus* reddit Partum difficilem.
2. Quando *nimia Hæmorrhagia Uteri* Partum præcedit.
3. Quando Partu imminente adſunt vel ſuperveniunt *Convulſiones*.

De his adhuc quædam monenda. De *Fœtu mortuo infrà ſuo loco.*

Quod attinet *Hæmorrhagiam Uteri*: ſæpiùs evenit, ut nonnullæ Uterum gerentes obnoxiæ ſint Fluxui Sanguinis per Uterum: Si igitur imminente Partu accidat, obſervet Medicus, ex quo loco Sanguis prodeat? an nempe ſaltem ex Vagina Uteri? an ex Matrice? Ex qua non prodit, ſi Mulieres nullos patiantur Partûs Dolores; item, ſi Orificium Uteri internum clauſum & non apertum ſit; ſed Sanguis prodit ſaltem ex Vaginâ Uteri.

Interim ſimul obſervetur, ut quando Orificio Uteri aperto Sanguis prodit, ut tunc attendat Medicus, *quid iſtud ſit, quod Orificio Uteri immineat?* an ſit Secundina? an Fœtus? ſi ſit Secundina, Signum eſt, eam eſſe diſruptam à connexione cum Utero, & imminere mortem Fœtûs, adeòque accelerandam eſſe Fœtûs excluſionem.

Quod verò attinet *Convulſiones* Parturientibus ſupervenientes, plures ſunt Mulieres, quæ ſine Convulſionibus pariunt, niſi aliàs Affectibus Convulſivis affecta ſit Mulier (tunc enim parum referunt). Hinc quibuſdam Fœtibus Epilepſia ſub partu eſt ſalubris, quibuſdam lethalis. Vid. M. A. N. C. *Ann. 2. Obſervat. 67. pag. 124. & Ann. 3. Obſervat. 317. pag. 534.* Interim ſi adſunt, oriuntur ut plurimùm ex impetu Fœtûs in Utero, dum ſummo conatu exire nititur.

His Signis Diagnoſticis adjungatur notatu digna Obſervatio Horſtii *lib. 5. Obſervat. 37.* ubi Fœtus ante medium Geſtationis tempus, & adeò ante motum, inſciâ Matre ejus, mortuus relictus fuit, qui poſt modùm ex ſupervenientibus variis Symptomatis cachecticis, gravioribus Lipothymiis, à poſteriori ceu mortuus cognitus, ac feliciter expulſus fuit.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: In *Primiparis* Partus non rarò ſolet eſſe paulò laborioſior: nec tamen id perpetuæ obſervantiæ putandum eſt, cùm crebriores proſtent Obſervationes, quòd Fœminæ, quæ primum Partum faciliùs abſolvunt, ſequentibus temporibus de Partu in Partum ferè difficiliùs habeant, & tales ſæpiùs in Partu, aut etiam ſæpiùs in Puerperio, moriantur: Econtrà Partus primus quò difficilior, eò faciliores ſecundi & inſequentes eſſe ſolent.

*Virginibus* etiam *ſeriùs maritatis* imprimis periculoſior & difficillimus imminet Partus, imprimis quando circa trigeſimum vel trigeſimum quintum annum nubunt: Nam quo propiùs tales Virgines appropinquant ad quadrageſimum annum, eò periculoſiùs in Partu ſe habent, ſæpè & hæ ſolent mori, vel in Partu, vel in Puerperio; idque propter fortem junctûram & firmitatem partium Uteri membranacearum.

In *valdè Juvenculis* verò difficilis eſt Partus, quia Membra omnia teneriora ſunt, & exitus non adeò apertus; Infantes enim primipari valdè magni eſſe ſolent ut plurimùm.

Interim tamen Partus difficilis omnis *periculoſum Malum* eſt, cum exhauſtis ſucceſſivè Viribus, vel Matri vel Fœtui, vel utriuſque Vitæ ſubinde immineat periculum, quia Matri gravia ſuperveniunt Symptomata, ut Hæmorrhagiæ Uteri, Febres, &c.

Porrò Partui difficili ſuperveniunt non rarò *Convulſiones* & Paroxyſmi Epileptici funeſti & lethales, niſi brevi pòſt ſequatur Fœtus; nam ubi ſequitur Fœtus, tunc ceſſant vel ſponte.

Quod ſi verò *Fœtus non ritè fuerit ſituatus*, vel inverſus, tam ingentem Uteri diſtenſionem facit, ut metus ſit, ne Utero lacerato Mater gravius malum, aut periculum Vitæ, incurrat.

Interdum in Partu laborioſo *rumpitur Vagina Uteri* in Pudendo, ita ut Sinus Pudoris cum Podice in unum abeant foramen; de quo inferiùs plura.

Si Mulier *quatuor diebus* Partu difficili laboret, vix poteſt fieri, Fœtum permanere vivum, quin tandem moriatur, Matris ſcilicet & Fœtûs viribus collabeſcentibus.

Partus difficilis, qui fit *ex anguſtiâ Viarum*, ſpeciatim Oſſis ſtructurâ validiore, periculoſus eſt, & ſubinde cum periculo Fœtûs ſit conjunctus, & ſubinde Chirurgi accedat opera, neceſſe eſt.

## CURA.

Quoad *Curam* Partûs difficilis: ut plurimùm duplex inſtituitur, partim *Præſervatoria*, partim *Curatoria*, id eſt, Medico incumbit, tam ut præcaveatur, qui metuitur, quàm etiam ut facilitetur, qui actu inſtat, ut fiat minùs laborioſus, per Medicamenta tam Externa quàm Interna.

Aliquot ergò diebus ante Partum, qui metuitur difficilis, ad hunc facilitandum, utatur Mulier *Balneis & Inſeſſibus* Emollientibus, Laxantibus & Nervinis, ex Althæâ, Malvâ, Meliloto, Chamomillâ, Pulegio, Artemiſiâ, Serpillo, Matricariâ, & ſimilibus: e. gr.

℞. *Herb. Malv.*
*Artemiſ.*
*Matricar.*
*Mercurial.*
*Puleg.*
*Meliſſ.*
*Alth.*
*Violar.*
*Brancurſin.*
*Parietar.*
*Flor. Chamom.*
*Sambuc.*
*Malv.*
*Melilot.*
*Lin.* an. M j.
*Radic. Alth.* ℥ j.
*Malv.*
*Lil. alb.* an. ℥ iß.
*Sem. Lin.*
*Fœnugr.*
*Aneth.* an. ℥ ij.
Inciſa & contuſa S.
Species ad Balneum.

Cui & Lactis Menſura una vel duæ infundi poſſunt.

His Poma Momordicæ, ſeu Fructus Momordicæ quidam addendos ſuadent, propter Signaturam: nam ſi hæc

ſi hæc Poma contineantur in manu, crepitu edito per medium diſrumpuntur, & ſua Semina ita effundunt; unde per ſimilem ſignaturam, Clyſteribus incocta, etiam in Partu facilitando à Volckamero in M. A. N. C. *Ann. 6. Obſerv.* 72. aliiſque laudantur. Loco Balneorum uſurpant quædam *Fomenta*, ex dictis Simplicibus, Sacculo inſutis, in Aquâ vel Lacte probè coctis, & ſubinde Hypogaſtrio tumenti admotis, concinnata. Poſt Balneum aut talem Fotum, vel ſine eo, illinatur regio Abdominis inferior, item Pudenda & regio Lumbaris, cum Mucilaginibus, Oleis & Pinguedinibus, vel ſimili *Linimento*, quod *ſuprà Sect. 7. cap. 4. Artic. 15.* datum eſt, vel ſequenti:

℞. *Mucil. Sem. Lin.*
*Fœnugr.*
*Radic. Alth.*
*Malv.* an. ℥j.
*Olei Lil. alb.*
*Cheirin.*
*Chamom.*
*Momord.*
*Amygd. dulc.* an. ℥ß.
*Balſ. Peruvian.* ʒij. vel ʒiij.
Miſce, pro Linimento: S.
Unguentum Emolliens.

Quô poſt Balneum, vel Fomentum, illinatur Mulier.

Conveniens etiam eſt, quando Aquæ præmaturè effluxerint, & Genitalia nimis arida exiſtant. Vel Oleum Amygdalarum dulcium, & Oleum Liliorum alborum ſola conveniunt.

Dum verò *jam Partus inſtat*, & Dolores Mulierem prehendunt, optimum eſt, Alvo exiſtente vel clausâ, vel Inteſtinis Flatu turgidis, applicare *Enema* Carminativo-emolliens, quod maximè confert: imò ubi Dolores Partûs Nothi, aut etiam Colici, aut Pathemata Hyſterica, graviùs Parturientes ſimul affligunt, talia Clyſmata ad facilitandum Partum optimè conducunt; & in ipſo Partu difficili, aliis ferè fruſtraneis, ſe aliquoties felicem ſucceſſum ex tali Enemate obſervaſſe, ſcribit Timæus *von Guldenklee*, *in Epiſt. 16. lib. 6. pag.* 432. Enema ab ipſo inſigniter commendatum, in ipſo labore Partûs infundendum, eſt hoc ſatis forte:

℞. *Herb. Parietar.*
*Brancurſin.*
*Malv.*
*Violar.*
*Parietar.* an. Mj.
*Flor. Chamom.*
*Melilot.*
*Sambuc.* an. Mß.
*Radic. Alth.*
*Lil. alb.*
*Bryon.* an. ℥ß.
*Sem. Aniſ.*
*Fœniculi*,
*Lin.* an. ʒij. vel ʒiij.
*Agaric. trochiſcat. in pet. ligat.* ʒiij.
Inciſa & conquaſſ. coqu. in ſ. q.
*Aquæ ſimpl.*
Colaturæ ℔ij. adde
*Elect. Hier. picr.* ʒj.
*Catholic.* ℥ß.
*Ol. Lil. albor.* ℥ß. ad ℥ij.
*Sal. Gemm.* ʒiij.
M. f. Enema infundendum.
Idque, ut dicit, *felici cum ſucceſſu.*

His etiam factis, aut adhuc faciendis, dum *Partus inſtat*, Obſtetrix ante Mulierem collocata, Manibus inunctis Oleo Liliorum alborum, Amygdalarum dulcium, Cheirino, aut Pinguedine Gallinaceâ, aut Anſerina, aut Urſinâ & ſimilibus, blandè Vaginam dilatet, Abdomen Mulieris tumidum, & lateralem regionem Lumbarem ſimiliter inungat, ſubindè etiam Abdomen Mulieris blandè deorſum versùs premat.

Quòd *ſi in longum Partus protrahatur*, & Dolores non ſint continui, ſed per longa intervalla interrupti, Mulier non ſtatim cogatur in Sellam, & ad Puerperii conatus ac labores inſtigetur, in quo moroſæ, imprudentes, vel aliis Puerperis ad lucrum intentæ *Obſtetrices ſæpè delinquunt*; quin potiùs, cum anxia ſit Mulier, & ſubinde ſtare, ſubinde ſedere, ſubinde decumbere aut ambulare velit, tamdiu Parturienti libertas & blandus Motus, in ſpecie blanda Ambulatio & Inclinatio ad parietem concedatur, ut Fœtûs Situs deorſum versùs eò meliùs promoveatur, quandiu poſt effluxam Aquam Uterus nondum perfectè apertus, nec Fœtus Capite Uteri Orificio immineat, & ad Partum jam diſpoſitus ſit: tunc enim Sellæ impoſitam in eodem ſitu Obſtetrix conſtanter retineat, & firmiter ad Partûs labores urgeat, nec priùs dimittat, niſi Fœtus ſubſequutus ſit: Nam tunc, quando ita imminet Partus, neque ſedere, neque ambulare poſſunt; quin potiùs periculum eſt, ne ſub conatu ambulandi vel ſedendi vitietur poſitura Situs Infantis, & qui erat Naturalis, nunc ſemotus, vel Ventre, vel Brachio, vel aliâ parte Orificio Uteri incumbat, & ita Partus Præternaturalis reddatur. Intereà dum longiùs labor protrahitur, Obſtetrix Oleo Cheirino, Pinguedine Anſerinâ, Oleo Succini, Liliorum alborum, & ſimilibus ſuprà dictis *Linimentis* Abdomen Gravidæ & Vaginam Uteri inungat, ut in tali caſu Uterus & Abdominis Muſculi relaxentur, & blandâ Manu Puerperam tractet, & eam audacter ad Partum ſtimulet. Fit interdum, ut *Aquæ remorentur*, unde ruptis Unguibus ſuis Membranis Obſtetrices maturiùs effundere faciunt: id quod tamen inſigni cum detrimento Fœtûs & Matris, ſæpeque impedimento Partûs, evenit; potiùs *Suffitus* ex Emollientibus, & Carminantibus, in ſpecie Decocto Chamomillæ, Utero excipiendos inſtituat Obſtetrix. Borellus *Cent. 2. Obſerv. 25.* habet, à Potu Olei Olivarum ante Partum mirè eundem facilitari, ita ut nec Tormina ulla patiantur Puerperæ, cùm Oleum hoc Vias molles & lubricas reddat, præſertim ſi etiam extrà admoveatur.

De Obſtetricum Officio vid. Ludovica Bourgois, Joannes Veſſingius *in Obſervat. Anatom. poſthumis*, à Caſparo Bartholino *editis*, *pag.* 159. *& pag.* 168. Bartholinus *in Actis Haffnienſ. Volum. 1. Obſerv.* 139. *pag.* 286. *ad pag.* 292. & *Volum. 2. Obſerv.* 22. *pag.* 53. *ſeq.* & Murald. *Clav. Medic.* paginâ 429. *De qualitatibus & Requiſitis earum* Viardel *in Obſervationibus de Sanguine muliebri pag.* 159. *ſeq. De earum Examine* Pechlinus *l. 1. Obſerv.* 33. ubi & *Obſerv. antecedente* de infelici Obſtetricis manu conqueritur. (I)



(I) Nota Cyrilli. Obſtetricis *munus*, *quàm præpoſterè apud noſtrates Mulierculis demandatum ſit, omnibus credo manifeſtum eſſe, qui illarum ignorantiæ, & non numquam petulantis temeritatis ſunt conſcii. Illarum enim operam vel omninò ſupervacaneam, vel mancam eſſe reputo: ſi enim facilis Partus eſt, fruſtraneæ; ſi difficilis, inſufficientes ſunt Obſtetrices: etenim in nihil agendo ſæpiſſimè occupatæ ſunt, vel ſi aliquid moliuntur, non numquam obſtetricanti Naturæ impedimentum apponunt. Commendabilior igitur eſt Gallorum mos, qui Chirurgorum potiùs operâ in Partu utuntur, quàm Mulierculârum, quas ſanè per anti-*

Intereà temporis, *ſi Fœtus in ipſis oris inhæreat*, & metus ſit, ne vel Fœtus, vel Mater debilitetur, *ad roborandam Matrem & Fœtum*, & ita promovendum Partum, Medicus vocatus internè tam *Analeptica* varia propinet, quàm externè admovenda ordinet. *Internè* propinet ea, quæ per Experimenta Partum promovere cognita ſunt, miſcendo ea ſimul cum Spirituoſis urinoſis volatilibus, & acribus Aromaticis, Spiritus Animales roborantibus, & ita ad enixum meliùs diſponentibus; & neque his ſufficientibus ad *Specifica*, fortiter pellentia, per Experientiam confirmata, progreſſus fiat, in ſpecie cum *Cinnamomo*, ſine quo nulla Remedia pro facilitando Partu propinanda veniunt. Utut autem Spirituoſa Analeptica, Matrem & Fœtum roborantia, ſemper conveniant, poſteriora tamen Aromatica acria volatilia, & Specifica Fœtum pellentia, non priùs danda ſunt, quod probè notetur, niſi aliis irritis, omnibuſque ad Partum ratione Matris & ratione Fœtûs jam prædiſpoſitis, *cùm Fœtus eſt in Partu*, atque hic ſaltem tardiùs procedat, id eſt, niſi Aquæ effluxerint, Orificium Uteri hiet, Dolores Parturientis rectè ſe habeant, & ipſe Fœtus in convenienti Situ poſitus, adeòque, ut vocant, *cùm Fœtus adeſt & Capite inſtat Orificio Uteri*; aliàs enim, niſi hæc omnia adſint, Fœtu malè ſituato, aut Tempore ad Partum nondum requiſito, ab Internis Partum pellentibus ſeu promoventibus, quibus crebrò à Mulieribus peccatur, omninò eſt abſtinendum, quia ſubinde fruſtrà & cum periculo propinantur. *Nihil pejus eſt, quàm quòd Obſtetrices mox Mulieres ad Partum cogant, antequàm omnia ſint parata.* Uno nomine: non conveniunt talia niſi in Partu Naturali, in Præternaturali penitus ab iiſdem abſtinendum. Unde quando Dolores inſtant, non opus eſt Remediis pellentibus, ubi verò omnia ſunt parata ad Partum, Dolores tamen remittant, Spirituoſis Analepticis tanquam Vehiculo, Appropriata Fœtum pellentia, & novos Dolores excitantia, ſunt intermiſcenda.

Cæterùm ex innumerabili Remediorum farragine ſaltem ſelecta proponemus, quæ in Partu difficili promovendo ſunt uſitata, & *in tres Claſſes* dividuntur. Remedia ergò, quæ Parturientibus conveniunt, ſunt, vel *Spirituoſa Analeptica*, adeoque Nervina, motum partium beneficio Spirituum promoventia, atque Matrem & Fœtum refocillantia; vel Remedia *Aromatica volatilia acria* Fœtum ſtimulantia; vel *Specifica* per Experientiam cognita, Uterum ſpeciatim irritantia, & Spaſmos concitantia.

Quoad I. *Spirituoſa*: ſunt Cinnamomum, Vinum generoſum, Spiritus Vini, Aqua Vitæ Mulierum, Aquæ Hyſtericæ ſpirituoſæ compoſitæ variæ, Aqua Cinnamomi ſpirituoſa, Aqua Pulegii & Meliſſæ cum Vino deſtillata, cum Syrupo de Canellâ, de Artemiſiâ, cum Syrupo de Cortice Aurantiorum, & hujuſmodi alia, quæ omnia ſunt egregia: imò hæc Spirituoſa inſuper id commodi habent, ut dum commovent Maſſæ Sanguineæ circulum, poſtmodùm Lochia meliùs fluant.

II. *Aromatica* Fœtum ſtimulantia ſunt Dictamnus Creticus verus, Salvia, Artemiſia, Aromata omnia, in ſpecie Cinnamomum, quod unum eſt ex optimis; unde rectè monet Lindanus nunquam ſine Cinnamomo in Partu Mulieribus Medicamenta, Fœtum vel vivum vel mortuum pellentia, eſſe propinanda, eò quòd Vires reſtauret & Fœtum pellat. Item pertinet huc Canella, id eſt, Coſtus Arabicus verus, Anthophylli, & Caſſia lignea: dicimus ligneam, propterea, quia ſæpiùs reperiuntur apud Practicos Formulæ, ubi ex ignorantiâ ſubſtituta fuit Caſſia fiſtularis, cùm tamen hujus Cortex nil valeat, ſed ſit elumbe & Medicamentum ſine uſu. Poſt Caſſiam Crocus eſt egregius, qui uti Menſes, ita etiam Fœtum pellit, & miraculoſus à quibuſdam ad Partum difficilem dicitur, adeò ut etiam quandoque ex ejus uſu Fœtus obſervatus fuerit colore flaveſcente tinctus, utut his Crocus ipſo Partûs labore aſſumptus ſit: Vid. Amatus Luſitanus *Cent. 5. Curat. 34. & 157. Cent. 6. Curat. 87. Cent. 7. Curat. 86.* Horſtius *Filius in Obſervat. Anat. 31.* Henricus *ab* Heer *Obſerv. 14.* Quibus addantur omnia Salia Alcalia fixa & volatilia, ſpeciatim Volatilia oleoſa, & Olea aromatica, Eſſentia Croci, &c. quæ egregia ſunt ad Fœtum promovendum.

III. Succedunt *Specifica*, inter quæ Flores Cyani & Calcatrippæ in Vino cocti à quibuſdam ſingulariter laudantur, ſicut etiam *Eſſentiam ad Partum D. Michaëlis* ingrediuntur: item Antheræ Liliorum alborum, Flores Calendulæ, Semen Lavendulæ, Milii Solis, &c. Pauperculis in uſu eſt hauſtus Urinæ Mariti, ut dicit Hartmannus; Et ſanè ſcio, hoc feliciter quibuſdam ſucceſſiſſe, dum ſcilicet hauſtu Urinæ Maritorum liberatæ fuerunt ab ipſo labore Partûs. Porrò Caſtoreum, & omnia ex eo, ſunt egregia; item Succinum album, & omnia ex hoc: Nam Succinum præparatum ſolum ad ℈ij. vel ʒj. propinatum, promovet Partum; & Eſſentia Succini, ſeu potiùs Oleum Succini deſtillatum, quod ſub nomine Quintæ Eſſentiæ Succini laudat Borellus *Cent. 3. Obſerv. 52.* ſicut Rulandus *in Theſaur. Curat. pag. 320. & 321.* Oleum Succini egregio cum ſucceſſu expertus, quod à guttis viij. x. xij. xiij. ad xxx. in Aquâ Meliſſæ cum Vino, vel Aquâ Pulegii ſpirituoſâ intùs propinatum, eſt ſingulariſſimum Remedium, in caſu difficili ſimul externè Umbilico inungendum: ſi acuatur aliquot guttis Olei deſtillati Cinna-

*antiphraſin* Sages femmes *appellant. Hunc autem morem aliæ extra Galliam gentes haud recepere, Mulierum, præſertim noviter nuptarum, pudorem oſtentantes: imò inter ipſos Gallos Celeberrimus Medicus propriæ nationis nimiam facilitatem, & prorſus proſtitutam Mulierum verecundiam, ac Chirurgorum procacitatem exſibilivit, libello cui titulus*, De l'indecence aux hommes d'accoucher les femmes &c. *Pudori ſanè conſulendum eſt: verùm quemadmodùm pro curandis Ulceribus & Tumoribus, abſconditas Mulierum etiam Virginum partes occupantibus, Chirurgorum miniſterio, ſepoſito pudore, etiam & nos utimur; cur in Partu ſaltem difficili illorum operâ non utemur?*

*Memoriâ ſanè dignum eſt, quod refert* Hyginus. *Caverant Athenienſes, ne quis Servus aut Fœmina Artem Medicam addiſceret.* Agnodice *Virgo Athenienſis, quum à* Hierophilo *Philoſophiam & Medicinam clam edocta eſſet, Maſculi habitu aſſumto, Obſtetricis munus, poſtquàm ſe fœminam eſſe gravidis Mulieribus oſtendiſſet, paſſim exercebat: verùm apud Senatum delata, quòd vir putata honeſtas Mulieres corrupiſſet, morti damnata fuit: ipſa autem tunicâ elatâ, ſe fœminam eſſe Areopagitis oſtendit. Hinc mortis periculum contrariâ ex cauſsâ ſubiit, inſtantibus ſcilicet Medicis, quòd ex latâ Lege, Mulieres à ſtudio Medicinæ arcerentur.* * (Apud nos etiamſi non deficiant Obſtetrices ſatis peritæ, pro ope ſuâ cum proſperò ſucceſsû, etiam in difficillimis partubus applicandâ, Matronarum tamen noſtrarum præcipuæ hocce in negotio Chirurgorum operâ unicè utuntur, aut ſaltem eos cum Obſtetricibus præſentes volunt; & nos ipſi, omnis propè conditionis præternaturalibus partubus non inutiliter adſuimus.)

Cinnamomi, erit eò magis præsentaneum Remedium. Loco hujus efficaciùs longè Experimentum est Rulando *l. a.* in usu positum suum Oleum Heraclinum, ex Corylo, certo tempore dissecto præparatum, quod tam internè assumptum ad guttas xij. xv. usque ad xxv. & externè Umbilico illitum, mirè Partum promovet. Essentiam Succini tartarisatam cum Essentia Castorei mistam, & ad guttas xxiv. aliquoties exhibitam, Ludovici commendat in M. A. N. C. *Ann.* 9. & 10. *Observat.* 35. cui Essentia Croci etiam associari potest. His non cedit Sal volatile Succini, dosi ℈ß. vel gr. xv. in Aqua Liliorum alborum, quod fuit Secretum Sultzbergeri, olim Archiatri Saxonici, ad promovendum Partum difficilem; unde Liquor Cornu Cervi succinatus à ʒß. ad ʒj. est Remedium egregium.

Porrò Myrrha, Asa fœtida ac similia sunt expertissima: Hinc Pilulæ Fœtidæ, ad ʒj. cum Decocto Sabinæ propinatæ, mirè stimulant Partum. Myrrha imprimis est singularissima, & in specie Trochisci de Myrrha usitati sunt ad Fœtum pellendum, & vivum & mortuum, propinati à ʒß. ad ʒj. Quô pertinet etiam Sabina, item Decoctum; imprimis Oleum destillatum Sabinæ est efficacissimum Fœtum pellens: vid. Velschius *Hecat. pag.* 32. Præ cæteris eminet *Secundina Humana*, cujus *Spiritum* per putrefactionem paratum, & ritè rectificatum, ceu summum Specificum, primariò Primiparæ, instar omnium in Partu difficili, Fœtu vivo vel mortuo, vobis commendo. Modus præparandi est hic: Secundina cum Membranis concisa minutim, in Vase amplo benè clauso in Mariæ Balneo, digeratur per Mensem & plùs; sic enim resolvitur tota Secundina in Liquorem, sed horrendè fœtentem, paucis tantummodò vestigiis Membranarum crassiusculis relictis: hic Liquor rectificandus est per Balneum, ut solus prodeat Spiritus, qui Spiritus ad guttas 30. vel 40. usurpatus, non habet sibi par Remedium in Morbis, qui Partum attinent, & post Partum succedunt; in Fluxu Lochiorum, Doloribus post Partum, & Fœtu mortuo pellendo, est singularissimum Remedium. Hôc ipsô in superiori anno in quâdam, medio Gestationis tempore abortiente, cùm relictæ essent Secundinæ, & per tres dies retentæ, frustulatim liquèt, expuli. Sed hæc obiter. Hinc quoque cum hoc ipso Spiritu Secundinæ Humanæ, ceu Menstruo, parantur Essentiæ ad Partum, imprimis *Essentia ad Partum B. Dñ. D. Michaëlis*, cujus, ingredientia sunt præter alia Aromata, Anthophylli & Cinnamomum sive Canella, Costus Arabicus, Caryophylli, Flores Cyani, Tunicæ, Calcatrippæ & Cheiri, Antheræ Liliorum alborum, Sabina &c. Ex his beneficio Spiritûs Secundinæ fit Essentia ad Partum admodùm efficax. Datur Spiritus ille à ʒß. ad ʒj. in Aquâ Liliorum alborum, aut Cinnamomi, aut Pulegii, aut Melissæ. Qui non habent Spiritum Secundinæ, assumunt Secundinam, eamque blandè exsiccant in Clibano, aut Phlegmatis in Mariæ Balneo abstractione: cujus Pulveris ʒß. ad ʒj. propinant æquali ferè effectu. Quia autem Secundina, nisi ritè & sedulò exsiccetur, vix perfert moram, sed facilè putrescit, inde ut hoc præcaveatur, Pulvis imprægnetur Oleo destillato Caryophyllorum aut Cinnamomi; sic enim diu servari potest, & melius quoque operatur. De *Fuligine* res nota est, quòd in substantiâ ad ʒj. propinata insigniter conducat pro promovendo Partu. Hinc loco Spiritûs Secundinæ etiam Spiritus Fuliginis benè rectificatus est egregius ad pellendum Fœtum: in specie ubi Vires deficiunt Mulieri, Doloresque Parturientium desinunt, & sic Partus periclitatur, tunc promptè propinatur Spiritus & Sal volatile Fuliginis, vel Oleum rectificatum; sic enim promptè denuò redeunt Dolores ad laborem: item applicatur Fuligo Furni splendens, subacta cum Aceto destillato Pulvibus; sic enim facilè denuò Partûs labores repetunt. Secundinæ Humanæ & Fuliginis succedit *Jecur Anguillarum*, unà cum suo Folliculo Fellis exsiccatum & pulverisatum, quod *Specificum* singulare Helmontii est, *Tractat. Jus Duumvirat.* §. 47. ad promovendum Partum, cujus miram efficaciam ad promovendum Partum etiam insigniter extollunt Panarollus, ceu certissimum, *in Observationibus, Pentec.* 3. *Observ.* 21. Binninger *in Obs. Du* Hamel *de Affect. Corp. pag.* 309. Zwelfferus *Apol. pag.* 103. & Boyle *in Philosophiâ experimentali pag.* 478. ubi dicit, se aliquoties hujus Hepatis exsiccati usu dosi ʒß. ad ʒj. in casu desperato adhibuisse, dummodò sit recentius, nec ultra duos annos asservatum. Loco Hepatis Anguillæ etiam potest usurpari æquali cum successu Hepar Serpentis, aut, quod melius adhuc, Hepar Viperarum, similiter cum suo Folliculo Fellis exsiccatum & pulverisatum, & Hepati Anguillæ non cedit. Juxta hæc *Testes Equini*, exsiccati & pulverisati, sunt Specificum singulare ad Partum difficilem, cujus apud Practicos frequentia vestigia exstant. Singularem horum & mirabilem efficaciam à ʒß. ad ʒj. vel si soli propinantur, vel si cum tantillo Borracis in Aquâ Liliorum alborum hauriantur, mirè commendat Claudinus *Conf.* 107. & Henricus *ab* Heer *in Observat.* 14. & basis sunt Pulveris ad Partum difficilem Helidæi Paduani, qui satis est efficax. Juxta hos Testiculos etiam pro Pauperculis est *Stercus Equinũ*, ejusque Succus cum Vino expressus, qui loco Urinæ Mariti hausius egregium est Remedium, quod potenter pellit Partum, & etiam ceu ἐυπόριστον, fædum licèt, efficax tamen; commendat Lindanus. Quibus omnibus subinde pro Circumstantiarum ratione & alia socianda veniunt. In specie *Borrax Veneta* unum ex optimis & potentissimis est ad promovendum Partum, Fœtum mortuum, Lochia & Secundinas, si à ℈j. ad ʒß. & ʒj. propinetur in Decocto vel Syrupo appropriato, meritò laudatur à Zacuto Lusitano *lib.* 2. *Prax. Admir. Observ.* 41. 49. & 158. quod rarò fallit, ubi Affectus est curabilis. Porrò *Mercurius vivus* propinatus expertum est Remedium à Bartholino *Cent.* 4. *Epistolar. pag.* 492. Sicuti ab aliis mirè commendatur *Aurum Fulminans*, ita ut aliis quam plurimis frustrà adhibitis, hoc solum sit singulare, & ceu Anchora sacra, & ultimum Remedium. Langius *in Misc. Cur. pag.* 101. mirè extollit tanquam expertissimum in hoc casu *Specificum Cephalicum D. Michaëlis*, præprimis si Epilepticis Insultibus sit stipatus Partus difficilis.

Jam ex his paucis & selectis mille possunt fieri *Formulæ*: v. gr.

℞. *Aquæ Matricar.* ℥ij.
*Cinnam.* ʒß.
*Borrac. Venet.* ʒß.
*Myrrhæ* ℈j.
*Salis volat. Succini* ℈ß.
*Syr. de Canellâ* ʒiij.
M. f. Potio pro duabus dosibus.
D. S.
Potio Partum promovens.

Vel

℞. *Aquæ Liliorum alb.* ℥ij. vel ℥iij.
*Cinnam.* ʒiij. vel ʒvi.
*Liqu. Cornu Cervi succinat.* ʒß.
*Borrac. Venet.* ʒj.
*Syr. Artemis.* ʒiij.
M. D. S.
Potio promovens pro aliquot vicibus.
Capiatur pro lubitu.

Vel

℞. *Aquæ Lil. alb.*
*Puleg.* an. ℥j.
*Cinnam.* ʒß.
*Spiritûs Fulig.* à ʒj. ad ʒij. ( prout rectificatus plùs vel minùs )
*Pulv. Secund. Human. præp.* ʒj.
*Syr. de Canell.* ℥ß.
M. pro 2. dos.
D. S.
Potio promovens pro 2. dosibus.

Vel

℞. *Aquæ Lil. alb.* ℥ij.
*Meliss.*
*Puleg.* an. ℥j.
*Cinnam. spirituos.* ℥ß.
*Testic. Equin. pulveris.* ℈iv.
*Borrac. Venet.* ℈ij.
*Ess. Castor.*
*Succin.* an. gutt. vj.
*Ol. destill. Nuc. Mosch.* gutt. vj.
*Sacch. albiss.* ʒij.
M. D. S.
Potio promovens pro aliquot vicibus.
Propinetur cochleatim.

Vel

℞. *Aquæ Flor. Cheiri* ℥ij.
*Puleg. cum Vino* ℥j.
*Cinnam. cum Vino* ʒß.
*Pulv. Hepat. Anguill. cum Felle* ʒß.
*Borrac.* ℈j.
*Syr. Artemis.* ʒiij.
M. S. ut antè.
Detur pro lubitu.

Pertinet huc *Mixtura* experta Timæi *von Guldenklee*, ex Myrrhâ, Croco & Succino, cujus efficaciam vel centies in difficili Partu se expertum fuisse affirmat *in Casibus lib. 4. Cas. 25. pag.* 223. & 28. Formula est hæc :

℞. *Aquæ Meliss.*
*Artemis.*
*Cinnam.*
*Hysteric.* an. ℥j.
*Myrrh. elect.* ʒß.
*Succin. alb. præp.* ℈j.
*Croci* ℈ß.
M. f. Potio, haurienda calidè, quæ subitò Partum promovet.

Item *Mixtura* Timæi *von Guldenklee*, *Cas.* 28. cujus Formulam *infrà Sect.* 8. *Cap.* 2. *Artic.* 1. *ubi de Lochiis suppressis*, communicabo. Meritò addit Succinum album, ob rationes suprà dictas, Barbette, ut & Sylvius, insigniter commendant hanc *Potiunculam*:

℞. *Aquæ Puleg.* ℥ij.
*Meliss. cum Vino* ʒj.
*Vitæ Matth.* ʒvj.
*Syr. de Artemis.* ℥ß.
Misc. pro Potione.

De hâc Misturâ aliquot Cochlearia subinde propinata, mirè Matrem roborare & Partum promovere dicuntur : si non fuerit sufficiens, reliquis pro Vehiculo inservire potest.

D. Cummius in M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obs.* 132. talem commendat *Mixturam* roborantem in Partu difficili :

℞. *Aquæ Puleg.*
*Fœnic.* an. ℥ij.
*Vitæ Mulier.* ʒvj.
*Ess. Castor.*
*Croci* an. ʒß.
*Syr. de Artemis.* ℥j.
Misc.
Detur cochleatim per vices.

Pertinent huc Species Dia-Borracis *Mynsichtii*, cum Decocto Matricariæ vel Sabinæ propinatæ, quæ mirificè Fœtum pellunt : & *in Curationibus* Hillerus curavit Fœminam triduano Partu laborantem, propinando tandem Borracis ℈j. cum Unicornu animalis ℈ij. & sic tandem peperit Filium mortuum. Pulveres aliquot Compositos expertos vid. in Hertodtii *Crocol. pag.* 224. Item convenit Pulvis ad Partum *Augustanorum*, & Pulvis ad difficilem Partum Helidæi Paduani, qui satis est efficax, & cujus hæc est compositio :

℞. *Testic. Equin. exsicc. & pulveris.* ℈iiß. vel ʒj.
*Borrac.* ℈ij.
*Cinnam.*
*Croci* an. ℈ß.
M. f. Pulvis pro duabus vel tribus dosibus.
quarum singula in ℥ij. *Aquæ Artemisiæ* propinanda.

Pertinet huc *Pulvis expertus Lindani*, quem in defectu Secundinæ Humanæ se semper felici cum successu etiam aliquoties in propriâ Uxore ad Fœtum pellendum adhibuisse testatur :

℞. *Cinnam. acerr.*
*Oss. Dactyl.*
*Borrac. Venet.* an. ℈j.
M. f. Pulvis.
Detur in *haustu Vini generosi* vel *Hippocratici*, aut in *Decocto Radicis Liliorum alborum.*

Si potentius debeat esse Remedium, loco Ossium Dactylorum sumatur *Trochiscorum de Myrrhâ* ℈j.

Mirè laudat hunc Pulverem, ubi Vires deficiunt, & Dolores in Parturientibus remittunt ; ab assumptô enim hôc Pulvere subitò rediisse Dolores, se aliquoties observasse affirmat.

Vel

℞. *Troch. de Myrrhâ*,
*Borrac. Venet.* an. ʒß.
*Cinnam. acuti* ℈j.
M. f. Pulvis : S.
Pulvis Promovens.
Item
℞. *Pulv. Hepat. Anguill.* ʒj.
*Borrac. Venet.* ℈j.
*Myrrh.* ℈j.
M. pro 3. dos.
S. ut antè.

Quorum Vehiculum sit :

℞. *Aquæ Puleg.* ℥iiß.
*Cinnam.* ʒiiß.
Misc.

Vel

℞. *Pulv. Hepat. Anguill.*
*Secund. Hum.* an ʒj.
*Borrac. Venet.* ℈ij.
M. pro 3. dosibus.
D. S. ut antè.

Propinantur in Vehiculo sequenti :

℞. *Aquæ Lil. alb.* ℥ij.
*Puleg.* ℥j.
*Cinnam. spirituos.* ʒiij.
M. pro Vehiculo : S.
Aqua ad Pulverem.

Similis ferè est *Pulvis Sylvii ad promovendum Partum* :

℞. *Borrac. Venet.* ʒß.
*Myrrh. el.* ℈j.
*Croci opt.* ℈ß.
*Cinnam. acut.* gr. viij.
M. f. Pulvis pro duabus dosibus,
quæ ex Mixturâ spirituosâ propinentur.

Dum jam mentionem facio *Croci*, hoc ipso memoratu digna est Observatio Amati Lusitani *Cent. 5. Cur.* 34. *Cent.* 6. *Curat.* 51. *Cent.* 7. *Curat.* 66. cujus egregius & expertus Pulvis est sequens :

℞. *Cin-*

℞. *Cinnam. opt.*
*Troch. de Myrrh.*
*Croci* an. ʒß.
M. f. Pulvis pro unâ vel duabus dosibus.

A quo postmodùm Infantes enixi quasi luteo colore apparuere tincti, ratione nempe Croci, cujus nimia vitetur quantitas.

Dum de Borrace superiùs locutus sum, in mentem venit, quod scribit Cornarius *in suis Observationibus*, quòd *si* scilicet *pariendi conatus ex longâ morâ Infantis & Orificii Uteri angustiâ deficere volunt, tunc exhibeatur Pulvis sequens.*

℞. *Borrac. Venet.* ʒiv.
*Croci*,
*Cinnam.* an. ʒj.
Misc.

*Et propinetur Gravidis pro duabus dosibus in Aquâ Artemisiæ aut Vino dulci dissolutis.*

*Obstetrix verò interèa Abdomen & loca Parturientis Adipe Coturnicis liquefacto calidè inungat, unde subitò & brevi pòst nova Tormina superveniunt, & Partus sequitur.*

Hæc equidem sunt talia, quæ Partum promovent, & Dolores imprimis reiterare faciunt: quòd si tamen *nimii sint Dolores* ita, ut ab his ipsis fatigetur nimis ac debilitetur Fœmina, tunc Sylvius hisce Fœtum pellentibus aliquot grana *Laudani Opiati* tutò addenda suadet, (Consilium quod apud neminem Practicorum unquam invenietis) si propinetur imprimis in Aquâ appropriatâ cum Tincturâ Castorei.

Cum his Internis sæpè necesse est, ut usurpentur quædam *Externa*: inter quæ præ cæteris convenit *Cingulum ex Exuviis Serpentum*, circa Hypochondria vel Lumbis circumligatum, quod singulare quid obtinet ad promovendum Partum: Sic etiam ad eundem facilitandum *Unguentum* fit ex Exuviis Serpentum, quas sponte deponunt, Axungiâ Vulpis, Leporis, Lumbricis terrestribus, & Succo Cancrorum fluviatilium, Abdomini illinendum; quod ipsum, à quibusdam in Secretis habitum, Partum potentissimè promovet. Descriptum videri potest in *Gammarol.* Sachsii *pag.* 782. Sed mox abstergendum propter nimiam pellendi virtutem. Item convenit *Suffitus* ex Benzoë, Ladano, Succino, Thure, Mastiche, vel fiat *Suffitus* Stœckeri, quem *infrà Sect.* 8. *cap.* 1. dabo, item Unguentum ex Oleo Cheirino, Liliorum alborum, Unguento Althææ, &c. quæ acuuntur cum Oleo destillato Succini imprimis & Spicæ q. s. pro *Litu* externo Abdominis: e. gr.

℞. *Olei Cheirin.* ʒvj.
*dest. Succin.* ʒj.
M. D. S.
Unguentum promovens.
Illinatur regio Umbilicalis & Abdominis tumens.
Vel
℞. *Ungu. Nervin.*
*Ol. Laurin.* an. ʒß.
*dest. Succin.* ʒß. ad ʒj.
M. pro Linimento.
D. S. ut antè.
quo Abdomen illinatur.

Item subigatur Succus Sabinæ Pinguedine Anserinâ, & moderato igne redigantur in formam Linimenti, quod illitum Abdomini, Fœtum promovet. Alii commendant Zibethum Humanum, seu Pinguedinem circa Testiculos Virorum, quam Vulvæ & Umbilico illitam Fœtum pellere affirmant. Præ cæteris specificè laudatur Axungia Viperina & Serpentum, quæ regioni Umbilicali inuncta promptissimè pellit Fœtum: Sed quoniam est singulare Remedium, post Partum mox abstergatur, valdè promovet Lochia: Item Oleum destillatum Succini, mistum cum Axungiâ Serpentum, Umbilico illitum, mirè Partum promovet. Hoc enim à Lotichio laudatur ad promovendum Fœtum etiam mortuum, quo etiam Vaginam uterinam illinendam suadet, ut feliciter succedat Partus: v. g.

℞. *Pingu. Viperin.* ʒvj.
*Ol. Cheirin.* vel *Momord.* ʒiij.
*destil. Spicæ* ʒj.
M. D. S.
Unguentum promovens.

Vel fiat *Fotus* Abdomini applicandus ex Plantis Aromaticis pellentibus, v. g. ex Mercuriali, Dictamno Cretico, Radice Ireos, Radice Cucumeris agrestis, Floribus Chamomillæ, Pulegio, Artemisiâ & similibus, ex quo Fotu Abdomen aliquandiu fomentetur, postmodum verò illinatur Abdomini *Unguentum* de Arthanitâ, quod potenter pellit. Vel fiat *Cataplasma* ex Decocto Colocynthidos, Succino, Rutâ, & Myrrhâ cum Farinâ Hordei, quæ omnia insternantur Abdomini sub Cataplasmatis formâ. Et hæc ita internè & externè in Partu difficili ac in Fœtu mortuo conveniunt, nisi quòd in hôc magis valida, & in majori dosi usurpanda sint. *Pessi* intruduntur ex Sabinâ viridi, contusâ cum Croco; vel ex Galbano in Aceto dissoluto, cui Myrrha & Crocus addita sint: e. g.

℞. *Galban. in Acet. dissolut.* ʒj.
*Myrrh.* ʒij.
*Croci* ʒß.
Cum *Ol. Irino.*
F. Pessus: S.
Pessus promovens.

Alia Externa, nempe Cingulum ex Corio Humano, Lapis Ætites Coxæ alligatus, per se nota. Fructum Cutis Tigris Femori sinistro alligatum, Partum facilitare, vid. in M. A. N. C. *Ann. 6. Observ.* 59. Oculos Leporis exsiccatos, Vertici aut Umbilico applicatos, laudat Hartmannus ad pellendum Fœtum: res mihi subinde fuit visa ridicula, nihilominùs tamen Macasius *in Promptuar. Med.* item Major *in Tract. de Inunct. Vert.* hoc ipsum Experimentum comprobant.

His verò & similibus adhibitis, ubi speratus non succedit effectus, & Fœtus adhuc in Partûs hæreat angustiis, aliquantisper *fortiora adhibenda sunt Remedia*. Necesse ergò est, ut subjungantur simul *Sternutatoria* quædam, dum Sternutationis nisu per vices quasi irritantur Fœminæ, & ita forti Diaphragmatis & Abdominis concussione concutitur Uterus & Partus simul promovetur. De eorum usu vid. Heer *Observ.* 14. Harvæus *lib. de Partu*: Hildanus *Sent.* 3. *Observat.* 53. Fiant autem ista Sternutatoria ex Nicotianâ, Helleboro albo & nigro, Majoranâ, Radico & Floribus Liliorum convallium, Pipere, Castoreo, Caryophyllis & similibus.

Quibus frustrà adhibitis, tandem in Causâ nonnihil difficiliori & desperatâ videtur necessarium, ut ad *Vomitoria* fiat accessus, quæ extremum sint Remedium. Hæc inter eminet Mercurius Vitæ, quem mirificis extollit laudibus Langius *Misc. cur. p.* 101. Hoffmannus *Meth. Med. lib.* 1. *cap.* 9. & Billichius *in suis Paradox. & Observ. Chymicis*, ubi occasione Mercurii Vitæ egregium Discursum habet, & Partum difficilem desperatum hôc ipsô beneficiô Vomitûs curari dicit. Et certum est, quòd inter Vomitoria, quoad Partum difficilem, hîc Mercurius Vitæ sit singulariissimus, qui rarò fallit, & in isto Vomitûs conatu aliis desperatis tandem excludunt Fœminæ tam vivum quàm mortuum Fœtum. Sunt qui Succum Nicotianæ inspissatum pro Vomitorio hîc laudant, sed est nimis violentus nimisque malignus;

malignus: Potiùs ergò Mercurius Vitæ in ſubſtantiâ, vel Infuſum Antimoniale ex Mercurio Vitæ eſt uſurpandum.

Quin imò Modernorũ audacia pro facilitãdo Partu *Venæ ſectioni* locum interdum conceſſit; & aliquot novi Exempla, in aliis locis (non hìc) Mulierum, quæ cum aliàs laborarent ordinariò Partu difficili, ſibi dum inciperent Dolores Partûs, Venam aperire in Brachio, curárunt, unde facilè poſtmodùm fuerunt liberatæ: & ipſe Patinus *Pariſiis* mihi retulit, ſe plùs quàm ter in Partu difficili ſecaſſe Venam in Cubito, unde brevi pòſt liberatæ fuerunt Fœminæ à Fœtu. Nec res eſt impoſſibilis aut abſurda, in paulò ſcilicet habitioribus Juvenculis, & in magis Plethoricis, quæ Sanguine ſpirituoſiore & magis turgeſcente abundant. Id quod anteà etiam docuit *de la* Courvee *in Parad. de Nutrit. Fœtûs in Utero*, qui *cap. ultimo circa finem p.* 357. uti in aliis Gravidarum Affectibus, ita in ſpecie Venæ ſectionem commendat ad facilitandum Partum, cujus felicem uſum etiam Bauhinus obſervavit. Imò jam veſtigia proſtant in Hippocrate *lib.* 1. *de Morb. Mulierum*, ubi Venæ ſectionem in Talo inſtituendam hîc commendat. vid. Zacutus Luſitanus *l.* 2. *Prax. Admir. Obſervat.* 64. Borellus *Cent.* 4. *Obſervat.* 24. & Riverius *Prax. lib.* 15. *cap.* 16. Apud nos non videtur neceſſaria hæc Venæ ſectio. In Climatibus calidioribus, & in Habitu Foemellarum ſucculentiore paulò, aut quæ utuntur pro Potu ordinario Vino, in his Venæ ſectio in ipſo Partûs labore inſtituta, admodùm neceſſaria & proficua eſt; ſic enim immiſuto Sanguinis quanto, interdum mirabiliter Partum promovet.

Quòd ſi imminente Partu *Hæmorrhagia Uteri* accedat, huic alio modo ſuccurrere non poſſumus, niſi ut quantocyùs à Foetu liberetur Mater, aliàs impoſſibile eſt, ut ſiſtatur Sanguis: adeoque opera danda eſt, ut Foetus excludatur & foràs provocetur, ne diuturniore morâ vel Foetus vel Mater periculũ Vitæ incurrat; vid. Mauriceau *de Morb. Mulier. cap.* 21. idque præprimis, ſi Dolores Parturientium præceſſerint, aut adſint; item ſi ſimul Aquæ vel effluunt, vel effluere incipiunt, etiamſi Foetus vel ſex vel ſeptem vel octo fuerit Menſium; item ſi Orificiô Uteri apertô Secundina immineat. Si verò Orificiô internô clausô Sanguis ex Vaginâ Uteri ſaltem prodeat, tunc Mulieres non ſunt urgendæ ad Partum, ſed curandæ ſunt ad modum Curationis aliarum Hæmorrhagiarum.

Si adſunt in Partu *Convulſiones*, quæ utplurimùm ex impetu Foetûs in Utero, ejuſque ſummo egrediendi conatu, oriuntur, in hoc caſu egregiè ſe gerit *Specificum Cephalicum D. Michaëlis ad* ℈j. in Aquâ quâdam ſpirituoſâ exhibitum: vid. Langius *Miſcell. Cur. pag.* 92. Hôc non ſufficiente, & metu Uteri lacerationis aut alîus gravioris Mali, ſubitò Mater à Foetu liberetur, in ſpecie manuali Operatione ſecundùm modos, quos docet tam Guillemeau, quàm Mauriceau *l. a.*

Sæpè etiam evenit, ut in Partu difficili, Foetu vivo exiſtente, *Mater intereat*, ubi vix aliud ſalvandi Foetûs eſt medium, quàm *Sectio Cæſarea*, ſeu Abdominis in regione laterali Hypogaſtricâ, ibique facta Apertio, & ex eo Foetus vivus extrahendus, qui poſtmodùm, uti notum eſt, appellantur *Cæſares*: quæ Sectio Abdominis pro Partu Cæſareo non niſi in hoc caſu toleranda. Vid. prout pluribus hoc explicat, Mauriceau *l.* 2. *cap.* 33. Hujus feliciter adminiſtratæ Exempla, præter Rouſſæum *de Partu Cæſareo*, qui optimus, & Sennertum, vid. Valeriola *l.* 2. *Obſervat.* 22. Marcellus Donatus *Hiſtor. Med. lib.* 7. *cap.* 12. Bartholinus *C.* 2. *Hiſtor.* 8. ubi refertur Mulier, cui quater & ampliùs, & alia *in Epiſt. Medicin. Cent.* 4. *Epiſt.* 41. *pag.* 237. ubi ter Foetus exſecti fuerunt.

## MEMBRUM III.

### *De Fœtu Mortuo.*

PEriculoſum & difficilem Partum præ cæteris Caſibus *Fœtus* ipſe *mortuus* conſtituit, quia omnis ejus conatus tunc ceſſat, ſæpeque etiam perverſum habet Situm, & totum negotium Matri, ſæpiſſimè tunc debili, unicè incumbit; unde vel poſtmodùm Mater debilitata tandem & ipſa in labore fatiſcit & moritur, vel non ſine labore Fœtum tardè enititur: Imò in tali Caſu evenit interdum, ut mortuo Fœtu in Matre debilitata, ceſſante Fœtûs motu & conamine, omninò Dolores Partus ceſſent, & evaneſcant, nec unquam redeant, quidquid etiam ad promovendos eos adhibeatur; aut ſi redeant, non tamen ſufficiant pro excludendo Fœtu, imprimis ſi vitiosè ſimul ſituatus fuerit Infans in Utero materno, adeoque omnia Medicamenta ſunt fruſtranea.

## CAUSÆ.

Moritur Fœtus aut *in Partu*, aut aliquot diebus vel menſibus *ante Partum*. *In Partu* moritur ex iiſdem ferè Cauſis, ex quibus aliàs difficilis fit Partus; v. g. aut ex propriâ *Fœtûs* debilitate; aut ex *Matris* debilitate Fœtûs conatum, non promoventis; aut ex *Viarum* anguſtiâ, ex quibus eniti nequit, quin ſuffocatus quaſi hæreat, & quandoque Capite vehementer compreſſo intereat. Imò perverſus ejus *Situs* multum etiam ſimul tribuere poteſt ad ejuſdem internecionem, ſi ſcilicet accedat ſimul fortior Matris conatus, quatenus ſubinde aut Collum ejus invertendo, aut laxando, Mors hinc Fœtui in Utero accelleratur. Ante debitum verò Partûs tempus ſæpiſſimè *Externis ex Cauſis* moritur Fœtus, v. gr. ex nimiâ Matris Irâ, Terrore aut ejus Pavore, à quo etiam in Utero adhuc conſtitutus tenellus loco Mortis Epilepticis Convulſionibus corripi ſolet. Item etiam perit Fœtus ex prolapſu Matris in Abdomen ex percuſſione gravi Abdominis, & ſimilibus. *Ex Cauſis Internis* Febres Acutæ, alii Morbi Acuti Matrem graviter affligentes, ſæpiùs Fœtum adhuc in Utero interimunt.

## DIAGNOSIS.

Quod attinet *Diagnoſin Fœtûs mortui*: circa hunc imprimis arduum negotium incumbit Medico, ut cognoſcat, *an reverà Fœtus ſit mortuus*? aut ſaltem, an ſit debilitatus quidem, *& adhuc vivus*? Et quidem ſi hoc evenit, vel ſuſpicio ſit de Fœtu mortuo, obſervetur, an *Tempore legitimo* Partûs hoc eveniat? ut exinde ſciat, an Chirurgica applicanda ſint Inſtrumenta? ſive extrahendus ſit Uncis, ſive diſcindendus Scalpellis, & ita fruſtulatim foràs protrahendus: ſin verò *ante Tempus* Partûs moritur, neceſſe eſt cognoſcat, an Fœtus ſit mortuus? ut eundem mortuum maturè ejiciat, ne eundem tanquam vivum retinere ſtudeat, ne retentus in Utero ſuâ putredine Matri detrimentum inſigne, & ejuſdem Uteri corruptionem ac putredinem, & tandem Mortem inferat.

*Signa*, Fœtum eſſe mortuum, *infallibilia & certò demonſtrantia non dantur*, potiùs aliquot vel plura ſimul ſumpta accuratiùs inter ſe collata & benè penſitata, rem tandem certiorem reddere valent. Nam fit ſubinde, ut à Doloribus Nothis irritatus, & Uterus & Fœtus, egreſſum moliantur Menſe ſeptimo & octavo, ſub quo molimine adeo interdum debilitatur

tatur Fœtus, ut non ampliùs ſe moveat, adeoque interdùm tanquam mortuus in Utero hæreat. In tali Caſu, ne fiat deceptio, omnes omninò Circumſtantiæ probè ſunt penſitandæ.

Horum ergò Signorum, quæ manifeſtant Fœtum vel in Partu, vel aliàs eſſe mortuum, ſunt ſequentia:

1. Quando Mater & Obſtetrix, ſi eſt in Partu, *Motum Fœtûs ampliùs non percipiunt*, etiamſi Roborantia, aut aliàs Confortativa ſpirituoſa exhibeantur, ſive Interna ſive Externa.
2. Quando Gravida de latere in latus ſe vertendo ac volvendo *Fœtum* ſimul ex unâ parte in alteram lapidis aut molis cujuſdam inconditæ inſtar, *dilabi & moveri ſentit*. NB. Sæpè fallit hoc.
3. *Facies* & imprimis *Labia* Puerperæ admodùm *pallent*.
4. *Partes extremæ* interdum *ſublividæ*, & ad tactum *frigidæ* apparent.
5. *Uteri regio* extima, *& Pecten* ejuſque Cervix, *frigida* tactu deprehenduntur; hinc, quando Obſtetrices ſentiunt Os Pubis frigidum, dicunt: *Os Pubis friget*.
6. *Mammæ*, quæ anteà blandè turgebant, & ſurgebant, *flacceſcere, & emolliri* incipiunt, & *Lac*, quod eſt, emulgetur *inſtar Seri* candidi.
7. Temporis progreſſu *Anhelitus Gravidæ fit fœtidus:* hinc
8. *Aqua* & *Sanies* tandem fœtida *ex Utero* effluit.
9. Superveniunt hinc ſubinde *Febres* admodùm graves, periculoſis Lipothymiis, Cordis Palpitatione & Deliriis conjunctæ: Et
10. Subitò *Horror Febrilis* ſine manifeſtâ causâ accidit tali Matri: & curioſum eſt, quòd extincto Fœtu mox ſequatur Horripilatio ingens. Unde ſi poſt gravem Terrorem, vel in ipſo Partu, vel ante Partum, Matrem ingens Horripilatio prehendat, unum eſt ex familiaribus & certiſſimis Signis, Fœtum eſſe mortuum: vid. Salmuth *Cent.2. Obſerv.* 69. Sunt, qui hoc Signum tanquam infallibile putant; non tamen eſt univerſale: ſemper quidem, quando Fœtus moritur, Matres corripiuntur Horrore, ſed non vice versâ; cùm nihilo minùs ab experto quodam Practico mihi relatum fuit, ſe obſervaſſe Frigus cum tali Horripilatione, Fœtum tamen adhuc ſuperſtitem fuiſſe vivum, ſæpè enim Parturientes Horrore percutiuntur, utut vivus ſit Fœtus.
11. Subinde graviora *Animi deliquia* ſuperveniunt.
12. *Stomachi & Capitis Dolores* interdum, ſi Fœtus mortuus aliquandiu retineatur, ſuperveniunt.
13. Interdum, & *Convulſiones*, nonnunquam horrendæ, accedunt.
14. Si *ante Fœtum Secundinæ excludantur*, vel Vaſa Umbilicalia flaccida, item ſi Obſtetrix Funiculum Umbilicalem contingens, *non percipiat Arteriarum Pulſum*, Fœtûs in Utero extincti & mortui Signum admodùm certum, & Riverio Signum certiſſimum eſt, & rarò fallit. Ceſſante enim debito Sanguinis circulo inter Fœtum & Placentam, item inter Placentam & Uterum, neceſſe eſt mori Fœtum, veriſſimum eſt. Exemplum contrarium, nempe in Partu difficili Secundinam ante Fœtum prodiiſſe, Matre & Fœtu ſalvis, obſervavit Loſſius *in Obſerv. pag.* 380.
15. Si Prægnans, quæ ſuſpicatur de Fœtu mortuo, *Manum in calentem Aquam* imponat, in eâque aliquandiu teneat, *nec Fœtum moveri* ſentiat, Signum etiam eſt ultimum, eum mortuum eſſe.
16. *Dolores* Parturientium, ſi ſubitò penitus *ex toto intermittant*, noxam Fœtui illatam teſtantur; id quod adhuc validius eſt Signum, ſi ſuccedat adhuc Horror & Pandiculatio.
17. *Manus Aquâ frigidâ madida* cujuſdam adſtantis *Ventri Matris* impoſita manifeſtat ex ſubſequente motu Fœtum vivum; ſi enim hinc *non moveatur*, Fœtum mortuum eſſe, Signum eſt: Vid. Bartholinus *Cent.* 5. *Hiſt.* 78.
18. *Majorana viridis* digitis trita Umbilico imponenda eſt, Fœtus enim ſe movebit, ſi adhuc in vivis ſit.
19. *Panis Vino Malvatico* intinctus applicetur Ventri, in Pede verò fiat parva *Venæ ſectio*, & Fœtus, ſi eſt vivus, movebitur: Vid. Barbette *in Chirurg.* Ulteriùs.
20. Caput infantis in Partûs loco ſituatum, ſi *Fontanella* ejus Capitis ſeu Membrana, Germ. *das Blatgen*, in interſtitiis Oſſium Cranii *eſt flaccida*, nec fortiter tenſa, tunc ex tali flacciditate ejus arguitur, Fœtum certò eſſe mortuum.
21. Ultimò denique unum ex primariis & certiſſimis Fœtûs mortui in Partu Signum eſt, ſi in Partu *Meconium* ſeu Excrementa Alvi *ante Fœtum* prodierint. Nihilo minùs tamen Rulandus hujus rei habet contrariam experientiam in *Theſ. p.* 300. ibi enim refert Fœminam, quæ cùm biduum parere non potuiſſet, etiam Fœtus Meconium excluſiſſet, nihilo minùs tamen poſtmodùm Fœtum vivum expulit beneficio Olei Succini, cujus guttas 30. cum Vino propinavit, Oleo Ligni Heraclini Umbilico illito, ſic enim poſt dimidiam horam Fœminam eſſe enixam ſanam & ſalvum Filium.

Plura Signa videbitis in Mauriceau *lib. 2. de Morb. Gravidar. c.* 12. Ex hactenus dictis Signis primatum obtinet *deficiens Motus Fœtûs*, *Horripilatio Matris*, *Secundinarum aut Meconii prægreſſus*, & denique *Membrana Fœtûs flaccida*.

## PROGNOSIS.

Quoad *mortui Fœtûs Prognoſin*: Hic retentus, præter hoc quòd difficilem reddat Partum, vel Putredinem ruit, & *graviſſimum periculum Vitæ Matri* variis modis afferre ſolet: his enim, præter Anhelitum difficilem, ſuperveniunt Appetitus dejectus, Cachexiæ, Febres erraticæ, Lipothymiæ, Pathemata convulſiva, ac varia Symptomata, tandem & ipſa Mors.

Rariſſimum eſt, Fœtum mortuum ad tempus citra corruptionem putredinalem, aut citra ſenſibile Matris incommodum, fuiſſe in Utero retentum, niſi exſiccatus fuerit; de quo vid. Bartholinus *Centur.* 1. *Hiſtor.* 12. & M. A. N. C. *Ann.* 6. & 7. *Obſerv.* 13. *pag.* 23.

Interdum autem, utut Fœtus mortuus ſui Putredine Matri Mortem intendat, putrefactus tamen fruſtulatim per Uterum ejuſque Vaginam excernitur: Conf. M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obſervat.* 256. *pag.* 382. Interdum Partes molles in liquamen corruptæ profluunt, durioribus Oſſibus relictis, ita ut Mater *Sceleton* in Utero geſtet. Interdum ex Putredine Fœtûs Uterus corruptus, & ipſe putreſcit, unde vicinæ partes ſimili Putredine correptæ Putrilaginem Fœtûs aut per Umbilicum, aut per Alvum, aut per Inguina, aut per alia ſimilia loca eroſa ac corrupta, ejiciuntur.

Miræ

Miræ hujuſmodi Hiſtoriæ Fœtuum mortuorum, in Utero Matris putrefactorum, per varia loca illæsâ Matre fruſtulatim ejectorum, videbitis in Sennerto *lib. 4. Prax. ubi de Fœtu mortuo*, & in Schenckii *Obſervationibus*, *ubi de Fœtu mortuo*, in ſpecie Bartholino, *Tract. de Inſolitis Partûs Hum. Viis.*

## CURA.

Abſolvimus *Membro* 2. quæ pertinent ad Partum difficilem promovendum. Reſtat adhuc, ut ſubnectam, quomodò Fœtus mortuus, Partus præ aliis Caſibus admodùm difficilis & periculoſus, promovendus & ejiciendus.

Si ergo mortuus ſit Fœtus, opera danda eſt, ut *quantocyùs*, quocunque tempore mortuus fuerit, *promoveatur & excludatur*. Omnia igitur validiora, Partum difficilem promoventia, Fœtumque pellentia, hìc locum habent, modò præmiſſa ſint priùs, quæ primas Vias emollire, laxare, & lubricas reddere valent, idque imprimis, ſi Fœtus mortuus ante legitimum Partûs tempus ſit excludendus.

Et quidem, ſi ipſo in Partu extinctus fuerit Fœtus, quantocyùs promovendus venit, tam internè Fœtum pellentibus, quàm externis, Manuum operâ, vel *Speculi*, vel *Inſtrumentis* armatâ admotis.

Quoad *Interna*: præ cæteris Remedia ex Secundinâ, Myrrhâ & Borrace, hìc conveniunt: v. g.

℞. *Trochiſc. de Myrrh.* ʒß.
*Borrac.* gr. xv.
M. f. Pulvis:

in Aquâ Artemiſiæ vel aliâ appropriatâ propinandus. Experimentum ſunt Thoneri.

Vel ʒj. Pulveris Secundinæ, quæ primatum obtinent, cum Unicornu veri in Vino Malvatico vel Aquâ Cinnamomi exhibeatur; aut loco hujus, ſi non habeatur Pulvis Secundinæ, ceu æqualis efficaciæ, Lindanus ſequentem ſubſtituit Pulverem compoſitum:

℞. *Troch. de Myrrh.*
*Borrac. Ven.* an. ʒß.
*Cinnam.* ℈j.
Cum *Decocto Rad. Lil. alb.* f. Potio.

Egregia eſt ad promovendum mortuum Fœtum, aut in formâ Pulveris pro unâ doſi in hauſtu Vini vel Aquæ Cinnamomi aſſumatur.

Vel

℞. *Teſticul. Equin. pulveriſ.*
*Borrac. Venet.* an. ʒj.
*Croci* ℈j.
M. pro 2. doſibus.
*in Aquâ Lil. albor.* propinandis.
M. D. S.
Pulvis Promovens.

Quin & *Succinata*, in ſpecie Oleum Succini ad guttas xij. xx. uſque ad xxx. (duro enim nodo durus quærendus eſt cuneus) in hauſtu Vini internè propinatum, & externè ſimul Umbilico ac Muſculis Abdominis illitum, mirè conducit. Reliqua Interna ex ſuperioribus jam ſunt cognita. *Vomitoria* itidem ex Aquis Benedictis Infuſionis Antimonii, aut etiam gr. iv. Mercurii Vitæ internè propinati, Vomitu ſorti Fœtum pellunt.

*Externè Balnea & Fomenta*, imò Emollientia, Laxantia & Lubricantia, ſimiliaque Ejectionem præliminariter faciliorem reddentia, v. g. ex Malvâ, Althæâ, Mercuriali, Floribus Geniſtæ, Chamomillæ, Artemiſiâ, Pulegio, Oleo Liliorum alborum, Amygdalarum dulcium, Chamomillæ, Adipe Anſeris, &c. ſed poſt horum uſum fortiter Pellentia uſurpentur. Inter *Balnea* convenit, quod præſcribit Joel *in ſuâ Praxi*, hoc modo:

℞. *Flor. Chamomill.*
*Abrotani*,
*Parietar.*
*Puleg.*
*Artemiſ.*
*Malvæ cum Rad.*
*Betonic.*
*Sabin.* an. M. ij.
*Rad. Bryon.*
*Ariſtoloc. Long.*
*Filic.* an. ℥ij.
*Sem. Lini*,
*Fœnugr.* an. M. iij.
Conciſa & contuſa
Coque in Aquâ pro Balneo,

cui inſideat uſque ad Umbilicum Mulier.

Ipſæ Species *Sacculo* poſtmodùm incluſæ pro Fomento externo crebriùs applicentur Abdomini.

Poſt tale Balneum & Fomenta, uſurpantur *Unguenta Pellentia*, ut dixi; inter quæ conveniunt etiam Unguentum de Arthanitâ cum Oleo Succini ſubactum, & largiter regionibus Umbilicalibus & Hypogaſtricis inunctum, præmiſſo *Fotu* ex Pellentibus ſeu Irritantibus, qualem *ſuprà Sect. 1. cap. 1. de Menſ. emanſ.* commendavi; aut *Cataplaſmata Expellentia*, in ſpecie ex Decocto Colocynthidos: poſt quem Cataplaſmatum Pellentium uſum Inunctio cum Oleo Succini inſtituitur, aut Unguento jam dicto:

Vel

℞. *Rad. Cyclam.*
*Ireos*,
*Ariſtol. rot.*
*Cucum. ſylv.* an. ℥ij.
*Nitri*,
*Myrrhæ* an. ʒj.
*Opoponac.* ℥ß.
*Ol. Cheirin.* q. ſ.
F. Cataplaſma Ventri inſternendum:
D. S.
Cataplaſma Promovens.

His etiam ſociandi ſunt *Peſſi* ſtimulantes, qualem, ceu validiſſimum, ſequentem commendat:

℞. *Gum. Ammon.*
*Opoponac.*
*Aſphalti* an. ʒj.
*Hellebori nigri*,
*Sem. Staphiſagr.*
*Rad. Ariſtol. long.*
*Pulp. Colocynth.* an. ʒiß.
*Scammon.* ʒj.

Ex quibus cum ſ. q. *Fellis Tauri* conformetur Maſſa, quæ Lanæ involuta, & *Sindone* obducta, inſtar Peſſi applicetur.

Quin & *Suffitus* inſtituantur Orificio Pudendorum per Infundibulum excipiendi. Quos inter præ cæteris Experimentum eſt ſingulare Suffitus ex Decocto Uvarum putridarum paratus: v. g.

℞. *Uvar. putridar.* (cujuſque ſortis ſint) ℥iv. Projice in *Aquam ferventem* per horæ dimidium: hinc ſupra ardentes prunas impone, & Suffumigium excipiat Fœmina ſepties in die per Vulvam quadrantis ſpatio.

Ceu Experimentum ſingulare fuit communicatum, cujus tamen mentionem factam invenietis cum felici ſucceſſu in Sculteti *Obſervat. Chirurg. Obſervat.* 77. uti etiam in Zacuto Luſitano *in ejuſdem Praxi Hiſtoriar.*

Loco hujus ex ſequentibus Trochiſcis, à Joele commendatis, non immeritò poteſt fieri Suffitus Utero excipiendus.

℞. *Vernar.* ſeu *Exuv. Serpent.* Num. j.

*Myrr-*

*Myrrhæ*,
*Caſtor.* an. 3j.
*Rad. Rub. Tinctor.*
*Sterc. Columbin.* an. 3ij.

Contuſa omnia cum *Felle Bubulo* redigantur in Trochiſcos, qui carbonibus ignitis impoſiti, dant Fumum ad proritandum Fœtum.

Aliàs etiam Suffitus ex Ungulâ Aſini vel Aſinæ cum Galbano ac Myrrhâ inſtitutus, ad promovendum Fœtum inſigniter commendatur.

Denique ubi res eſt admodùm periculoſa, imitandum eſt Experimentum Bartholini, quod recenſet *in Cent. 6. Hiſtor. Anatomicar. Hiſtor.* 83. Nempe imponitur Orbis ligneus ſeu ſtanneus Abdomini tumido Matris; in caſu ſcilicet, quando Fœtus eſt in Situ ad Partum naturali, ſed tamen mortuus, & validâ Manu à Medico percutitur, hac enim forti percuſſione quaſi cum impetu rejicitur Fœtus. Obſervetur hoc, refert enim *c. l.* Bartholinus hoc modo expulſum Fœtum mortuum, ubi omnia fuere deſperata.

In contumaci Uteri clauſurâ, mediante *Inſtrumento Glauberi* Volatilia Utero veniunt applicanda: vid. *ſuprà ubi de Menſib. ſuppreſſis*, conf. Bartholinus *Cent. 3. Epiſt. pag.* 67.

His & ſimilibus occurrimus Matri & Fœtui, vivo & mortuo, in Partu difficili. Quòd ſi hæc pro Fœtu ejiciendo non ſufficiant, *ad Chirurgiam* progrediendum; vel *Inſtrumentis*, in ſpecie Uncis aut Hamulis aut ſub Mento aut circa Claviculas infixis, extrahatur Fœtus totus; ſive quando vitioſè nimis eſt ſituatus, Novaculis & Scalpellis artificioſè adhibitis, in fruſtra diſciſſus extrahatur, utut Caſus ſit periculoſiſſimus, in ſpecie apud nos, ubi vix niſi in deſperatiſſimo Caſu, tale admittere ſolent. De hac operatione vid. Sennertus *in lib. 4. Praxeos*, *ubi de Fœtu mortuo*, Scultetus, Paræus, & Barbette *in ſuis Chirurgicis.*

## SECTIO VIII.

### *De Puerperarum Morbis.*

### CAPUT I.

### *De Regimine Puerperarum.*

UBi ergò jam peperit Mulier, ſtudioſè ſibi caveat ab omni *Aëris externi frigidi* inſultu, ne Uterum lædat, quia metus eſt, ne ex talis Aëris ſuſceptione Inflatio Uteri ſuperveniat, aut ne coagulatus Sanguis inde ſtagnet in Utero, & inde periculoſam Inflammationem, Lochiorumque defectum inferat, imò Dolores graviſſimi Partum inſequantur. Unde Obſtetrix mox poſt egreſſum Infantis cum Funiculo umbilicali Secundinam extrahat, quo factô Puerpera circa Coſtas Cingulo vel Linteo probè cincta, in ſpecie cum Cingulo ex Corio humano, mox in lectum transferatur, & Pedibus probè extenſis vel blandè incurvatis, quieſcat, Labiiſque Vulvæ Spongiis aut Linteis probè munitis, pro excipiendo Sanguine effluente. Poſt hinc quieta jaceat, & ab omni Corporis jactigatione, aut etiam Extremorum frigido Aëri expoſitione, ſtudioſè caveat; aliàs enim ſupprimuntur Lochia, quæ inferunt Tormina, & ſimilia Symptomata. Jam verò, dum lectum petunt, utplurimum inſigniter ex labore Partûs incaleſcunt, ſubinde etiam non parum debilitantur, & ſpeciatim ordinariò Siti gravi ex Æſtu, Sudore, & Lochiorum fluxu premuntur; hinc vulgò receptum eſt propinari poſt Partum *Juſcula gallinacea*, eaque calida recentia pro refocillandis viribus, ratione Gelatinæ blandæ quam continent; & fallendâ Siti: loco quorum etiam hauſtulus Cereviſiæ calidæ imprimis, cui Cuminum pulveriſatum incoctum ſit, commodè propinari poteſt; ſic enim nonnihil recreantur, quin etiam promoventur Lochia, & ſiſtuntur poſt Partum; ratione Cumini, Dolores ſupervenientes. Interim ditioribus propinari queunt Juſcula Gallinarum calida, ſed cautè: nempe ea ſint non nimis pinguia, neque nimis diu Gallinæ coquantur, ne Juſcula iſta Carnium nimis ſubſtantiâ Carnis imprægnata, ſed diluta, & quibus Pinguedo detracta, nec adeò nimis ſint nutritiva, ſed talia, qualia pro viribus ſufficiunt: nam quando nimis diu fuere cocta, non ſunt Puerperis convenientia, cùm talia Juſcula nutrientia poſtulent priùs Stomachum, qui eadem digerat & concoquat. Jam verò periculum eſt, ne loco Digeſtionis laudabilis talia Juſcula aut Alimenta nimis nutritiva cadaveriſentur & corrumpantur in Stomacho Mulieris, noviter à Partu liberatæ, non ſecus atque aliàs fieri ſolet in Febrientibus, cùm ſemper Puerperæ recentes plùs ſolito caleant, & quaſi febrile quid patiantur. Nam earum Pulſus eſt frequens, celer, mollis, magnus, aut ſaltem in magnitudine & vehementiâ moderatus, & quaſi febrilis, prout plùs, vel minùs debilitata fuerit Puerpera. Eſt ſcilicet tunc aucta inſigniter Sanguinis turgeſcentia & fermentatio, & rapidoir ſit ejus circulus, ſimilis iſti, qui aliàs ſub quavis Menſtruatione contingit, mediante quâ & Lochiorum promovetur Fluxus, & ſimul quicquid heterogenei eſt in ejus Maſſa, ſimul expellitur & ſeparatur. Unde non tantùm Suffocationes Hyſtericæ ratione inordinati motûs Spirituum Animalium, & copioſiùs effuſorum Succorum, Bilioſi & Pancreatici ad Inteſtina, & impetuoſiùs motorum Spirituum Animalium, ſed etiam Febres Ardentes, aut Malignæ, & Petechiales item Purpuratæ, ſubinde talibus ſuperveniunt. Nullo autem modo impedienda eſt talis in Partu Sanguinis ebullitio, cùm multum ſalutis hinc Fœminis emergat: quæ etiam obſervanda ſunt circa Alimenta, nè ſcilicet Mulier poſt Partum lautè nimis nutriatur; putreſcunt enim, cadaveriſantur, & exinde Mulieres ad Febres Continuas Malignas, Petechiales, Purpuratas, & ſimiles diſponuntur, *imò ad diverſos alios Morbos, imprimis illis ſeptem diebus.* Adeòque à partu potiùs propinetur cereviſia calida cum cumino, vel Juſcula gallinarum macria, parcè nutrientia. Quibus verò minùs arrident aut conveniunt talia Juſcula nutritiva, ut in ſpecie debilitatis, iis hauſtulus parvus *Vini generoſi* non nimis frigidi eſt concedendus ac ſtultè Mulieres noſtrates horrent Vinum, dicentes, *eſt ipſis nimis callidum*: aut mica Panis ſimilaginei mollior Vino intincta propinanda; hinc enim mirè denuò refocillantur tales Mulieres debiliores: nec ex fictâ iſta Vini caliditate, aut aciditate, Febris vel Caloris intenſio ſuperſtitioſè inde metuenda eſt; nam potiùs reſtaurat, & Lochiorum ſimul promovet Fluxum, quibus fluentibus vix febris intenſio ſupervenire poteſt, modo hoc obſervetur, ne frigidum præbeatur: quod etiam de omni potu Cereviſiæ & Aëre ambiente intelligendum; ſi enim hoc fiat ut frigida aſſumantur ſubitò ſupprimuntur Lochia, & Dolores Abdominis graves excitantur. *Tepida* ergò propinentur; ſic enim nullo modo nocebit Vinum: quædam etiam non inconſultò præbent buccellam Panis Butyro illitam, adſpergendo eidem Pulverem Zedoariæ, quod laudandum; vel etiam hunc ſolitariè cum Cereviſiâ exhauriendum ſuadent; his enim mox à Partu Appropriatis Dolores ſiſtuntur, & promoventur Lochia. Refocillatæ ita poſt aliquot horas poſſunt aſſumere *Ovum ſorbile* cum pauco Cinnamomi, ac tantillo Nucis Moſchatæ, vel Vitellum Ovi cum Juſculo Gallinæ & tantillo Cinnamomi. Pro Medicamento verò

Analeptico excellit Tinctura Coralliorum cum Spiritu Cordis Cervi, quæ eſt egregia atque nobilis.

Superveniente Æſtate vocabar ad *Parturientem*, quæ poſt Partum felicem inſigniter licèt debilitata, gravi premebatur Siti, ſuperveniebant Suffocationes Hyſtericæ leves, & in ſpecie immenſus Lochiorum Fluxus; erat enim Juvencula, & ſucci plena: Veniebam ad ipſam, Mulieres adferebant Juſculum gallinaceum, quibus reſtiti, interim ſuadebam *Vinum*, omnes ridebant, utut tamen, propinatô tandem hauſtulô Vini, egregiè reſocillabatur Fœmina: Ergò in tali caſu maximè obſervanda eſt *Virium ratio*, & propinandus loco Juſculi gallinacei potiùs hauſtulus Vini tepidi, utut Lochiorum Fluxus hoc in tali caſu potuiſſet inhibere. Sed hæc obiter.

Porrò mox à Partu Puerpera *Somno non indulgeat*, ſed aliquot horas ad minimum vigilet; interdum enim quibuſdam poſt Partum Hyſtericæ Suffocationes aut Lipothymiæ ſub forma Soporis gravioris, aut nimiæ in Somnum propenſionis, imminent, in quibus, niſi cauti ſint adſtantes, Puerperæ ſub ſpecie Somni Lipothymiâ aut Paſſionibus Hyſtericis correptæ ita dormire poſſunt, ut non ampliùs evigilent: unde aliquot horis vigilent, donec debitis Remediis dicta Symptomata præcauta ſint, vel ceſſaverint. Inſuper *Odorifera* omnia & nimis Spirituoſa à Puerperâ ſtudiosè fugienda ſunt, & in ſpecie, dum fluunt Lochia, cùm non tantùm promptiſſimè Hyſtericam Paſſionem, ſed etiam Affectus Capitis, in ſpecie graves Cephalalgias, & contumaces Agrypnias, facilè excitare poſſint, niſi in imminente Hyſtericâ Paſſione interdum Odor Caſtorei, aut ſimilis olfactus appropriatus, præter voluntatem ſit concedendus.

Præ cæteris ex omnibus *Animi Pathematis* etiam *Ira* ac *Terror* maximè nocent Puerperis, cùm mille graviſſima poſt ſe trahant Symptomata. Nam ex Irâ periculoſæ Febres, incoërcibiles ferè Uteri Hæmorrhagiæ, & Lipothymiæ; ex Terrore verò Lochiorum ſuppreſſo, & multa alia Mala ſupervenire ſolent: Vid. Tulpius *Obſerv. cap.* 20. *lib.* 2. & Salmuth *Cent.* 3. *Hiſtor.* 49. qui obſervavit ex Terrore Profluvium Lochiorum lethale, quod rarum eſt. Item omnis uſus Acidorum eſt noxius, quia Infantes hinc facilè in Tormina Ventris incidunt.

*Remedia* inter, Puerperis primis à Partu diebus propinanda, imprimis laudo *Miſturam* aliàs polychreſtam, quæ pluribus ſcopis, tam præſervatione quàm curatione, recentiſſimis Puerperis confert:

℞. *Aquæ Ceraſor.*
*Matricar.* an. ℥iß.
*Acet. Vini* ʒiij. ad ℥ß.
*Lap. Cancr. præp.* ʒj.
*Antimonii diaphor.* ℈j.
*Syr. Artemiſ.* ℥ß. ad ʒvj.
M. D. S.
Mixtura diſcutiens.
Capiatur cochleatim.

Miſtura hæc eſt quaſi vulneraria, Genitalium in Partu plùs minùs læſiones, inde metuenda Symptomata, maturè reſtituit, Lochiorum grumeſcentiam diſſolvit, & hinc eorum fluxus promovet, Corpus in Diaphoreſi & blando madore conſervat, Æſtum plùs minùs febrilem, Puerperis interdum gravem, moderatè coërcet, Cephalalgiam earum tollit, Sitim minuit, &c. Ubi animus eſt promovere Lochia, *Myrrhæ* ℈ß. ad gr. xv. ad ʒj. addi poſſunt. Si Dolores Abdominis aut Uteri adſint, Lochiorum fluxum plùs minùs impedientes, commodè *Laudani Opiati* gr. iß. addi poteſt.

Interdum ordinariò poſt Partum *Alvus* contumaciter eſt *clauſa*, quam validioribus Remediis movere, aut acrioribus Clyſmatis ſtimulare, religio eſt, niſi forſan Lochia parciùs fluant; potiùs illa tertio aut quarto die à Partu niſi ſponte ſoluta, aperiatur, antequàm nempe ſuperveniat Febris Lactea, unde aut blandis *Clyſmatis* vel *Suppoſitoriis*, aut, quod optimum, *Globulis Zibethinis* proritetur, aut obſervatis circumſtantiis, aſſumptione *Pilularum Peſtilentialium Rufi* (ex Aloë, Myrrhâ, Croco & Gummi Ammoniaco compoſitarum) ad gr. vj. viij. x. xj. xij. xv. & ℈j. Alvus ſegnior denuò aperiatur, cùm ad promovendam Alvum & Lochiorum fluxum ſimul egregia, & hîc in feliciſſimo uſu ſint: vel mediante Elixir Proprietatis cum Rhabarbaro, ad guttas 30. 40. 50. propinato, referetur, cujus ingredientia ſimul Lochia pellunt: Vel, quod ſatis commodum eſt:

℞. *Crem. Tart.* ℈ß. ad gr. xv.
*Pulv. Jalappæ* gr. iij.
M. Pulvis: S.
Pulvis Aperiens.
Capiatur in Vehiculo Juſculi calidi.

Quòd ſi autem ſimul *non ritè fluant Lochia*, imprimis locum habent *Clyſmata* fortiter ſtimulantia, ut ita cum Alvo etiam Lochiorum fluxus provocetur; habitâ tamen ſemper, uti dico, ratione attentâ, an adſit Febris Maligna ex genere Petechialium, an Purpuratarum? nam in his Alvum vel Suppoſitorio ſtimulare, non caret periculo, imprimis ſi fuerit Febris Purpurata alba, quam vocant Germ. *den Weiſſen Frieſel*, in qua vel minimus error eſt lethalis.

De *Venæ ſectione* notandum, quòd hæc in principio Puerperii, Lochiis ritè fluentibus, magis noceat quàm proſit, licèt indicatio ejus adfuerit; cùm Sanguinis evacuationem Natura tunc temporis rectè agens dirigat: ſin verò Lochia ſuppreſſa vel imminuta fuerint, Venæ ſectio maximè neceſſaria erit, tanta nempe, quæ Lochiorum fluxui tunc temporis naturali proportionata ſit. Quòd ſi verò progreſſu demum temporis ejuſmodi Affectus Venæ ſectionem poſtulantes eveniant, intra terminos nihilo minùs adhuc Lochiorum, ac Mulier non perfectè purgata ſit, Venæ ſectio omninò locum habet: imò licèt Puerpera commodè evacuata fuerit, propter Morbum tamen ingraveſcentem, ejuſque Symptomata, parca Venæ ſectio adminiſtranda: ſin autem poſt Lochiorum fluxum, & in Puerperii declinatione, Morbus Venæ ſectionem urgens evenerit, ab hac indicatâ neutiquam erit metuendum: Vid. Riverius *Prax. lib.* 15. *cap.* 24. & Tulpius *lib.* 2. *Obſerv.* 2.

Abſolvimus jam ea, quæ ad Regimen Puerperarum ſecundùm leges Diætæ requiri videbantur: Pergo ad alios Affectus, qui & ipſis Puerperis non rarò ſolent eſſe familiares; inter quos omnium primus eſt *Secundina* aut *Mola* poſt Partum retenta, ſive Secundina tota, ſive ſaltim fruſtulum ejus in Utero relinquatur.

## CAPUT II.

### *De Secundinæ Retentione.*

POſt Partum, ſimul atque Fœtus excluſus eſt, *Secundina*, id eſt *Placenta uterina cum Membranis* Fœtum naturaliter involventibus, *Mola* etiam, aut quicquid præternaturale in Utero reperiatur, ſequi debet. Fit tamen ſubinde, ut *Secundinæ poſt Partum reſtitent*, quando eædem aut cum difficultate ſeparantur, aut quando omninò non prodeunt, ſed rupto Umbilicali Fune intra Uterum ſubſiſtunt, adeoque quando nunc *integræ*, nunc *fruſtulum* earum in Utero remaneat; tota enim Secundina ejici debet, quia vel tantillum relictum fruſtulum non vulgares dare ſolet turbas.

CAU-

## CAUSÆ.

*Cauſæ* quare Secundina nunc tota, nunc verò quædã fruſtula, in Utero Matris retineantur, nec debitè excernantur, ſunt:

(1.) Quando eadem ſuis Vaſis pertinaciter *Uteri poris inoſculata & agglutinata* quaſi fuerit, & ſic firmiùs adhæreſcit; ſi quidem Platerus *Obſerv. p.* 231. Secundinas Utero connatas refert; qui coalitus ſit imprimis, quando præmaturè excluditur Fœtus, ut in Abortibus fieri ſolet: hinc enim tenaciùs Utero adhærens Secundina non ſine difficultate ſolet divelli, ſecus ac in Partu legitimo, & ubi legitimum Tempus inſtat, tunc enim ſæpe quaſi ſponte ſequitur Secundina; quò magis enim Partûs inſtat Tempus, eò magis remittit, & eò minùs firmiter Placenta Utero adhærere ſolet. Firmiori coaleſcentiæ occaſionem ſuggerunt, præter Partum ante debitum exactè Tempus ſupervenientem, interdum *Cauſæ Externæ* ex Contuſione vel ſimili modo lædentes Placentas aut Uterum, & ita ſub alterutrius ſanatione firmiorem coalitum inducentes. Huc facit, quando Mulieres, præprimis ultimis Geſtationis menſibus, Vitam nimis ſedentariam agunt, nam & in his firmiùs adhærent: contrà quæ laborioſæ ſunt, quæ exercent Corpus vel ambulatione vel ſimilibus, in his longè feliciùs divellitur Secundina poſt Fœtum.

Vel

(2.) Quando *Funiculus Umbilicalis* tenerior in labore Partûs *rumpitur*, & à Secundinâ avellitur, vel propter vim Infantis, vel propter ipſius Funiculi corruptelam, vel propter intempeſtivam Funiculi Umbilicalis in Fœtu reſciſſionem vel ſimilem læſionem; aut ineptè ab Obſtetrice tractatur, tunc enim fit, ut inſtar chordæ contortæ Funiculus Umbilicalis ſeparatus in ſe invicem retroçedat, ac ſubitò Uterum introëat: unde defectu hujus Funiculi non poteſt trahendo ſeparari Secundina, & tunc Utero conniveute, Secundina excludi non poteſt. Non enim ſemper neceſſe eſt, ut Obſtetrix immiſsâ in Naturalia Manu Secundinam arripiat, præprimis ſi Manu non priùs prehenderit Funiculum, ſed potiùs blandâ contorſione ſaltem Funiculi Umbilicalis Secundinarum avulſionem procurare debet.

Caveat ergò Obſtetrix ſeparare Funiculum Umbilicalem à Fœtu, antequàm poſt eum etiam prodierit Secundina: aut ſi forſan diutiùs retineatur in Utero, ita ut Fœtûs periculum immineat, tunc reſecandus quidem venit Funiculus Umbilicalis, ſed ſeparatus forti Filo alligandus eſt Femori, ne denuò intra Uterum repere, & Secundinæ excluſionem impedire poſſit, permittendo tamen, ut Sanguis è Funiculo probè exſtillet, ut ita Placenta, in magnitudine imminuta, faciliùs extrahi poſſit.

De Obſtetricum aliàs malitiâ circa neglectionem Secundinæ extrahendæ videri poteſt Kerkringius *Obſerv. Anatom.* 36.

(3.) Quando *Cervix Uteri* ſeu Orificium Uteri internum *tumet*, adeoque anguſtum, aut citò nimis clauſum eſt.

(4.) Denique ſi *Puerpera non benè muniatur in Partu*, ſed Aër frigidiuſculus in Uterum irrepat, faciliè hinc Uteri contractura, Sanguinis coagulatio, Secundinarum retentio, &c. accidere poſſunt.

Et hæ ſunt Cauſæ ordinariæ: aliæ Cauſæ minùs frequentes, ut Refrigeratio extremorum ſubitanea, &c. tranſeant.

## DIAGNOSIS.

*Signa*: Secundinam retineri, vel integram, vel ex parte, ipſis Oculis patet, ubi cauti ſimus, ne vel minima particula remaneat: nam retentam Secundinam brevi pòſt ejus Putrefactio, hinc Febris acuta & periculoſa, & Dolor Ventris poſt Partum inſignis, & Tormina infra Umbilicum in & circa Uteri regionem, quaſi ſecundus egerendus eſſet Fœtus, ſuperveniunt.

Sæpiùs, licèt rariùs, ſupprimuntur ſimul nonnihil Lochia, ſemper Venter turget, magnus ſit; ſi cuti econtrà, ſin fruſtulatim prodeat Secundina, retentum fruſtulum continuò irritando Uterum, ſubinde crudelem Uteri Hæmorrhagiam excitat: ſuperveniunt difficultas Anhelitus, Halitus fœtens intolerabilis, Lipothymiæ, & tandem Convulſiones.

Quæ per Genitalia excernuntur poſt aliquot dies, ſunt ſanioſa, fœtida, ac horrendè olentia; unde etiam Lochia fœtorem cadaveroſum referentia Secundinarum partem in Utero relictam indicant, quæ ſucceſſivè ſub putrilaginis formâ, ſeu liquaminis putridi ſpecie, ex Utero effluit, de quo vid. Riverius *Cent.* 1. *Obſerv.* 61. Conf. Horſtius *in Obſer. pag.* 293. Kerckringius *Spicileg. Anat. Obſerv.* 36. & Primeroſius *de Morb. Mulier. lib.* 4. *cap.* 9. ſic Velſchius *Hecat.* 2. *pag.* 4. refert, Secundinam ſeptemdecim dies à Partu retentam & putrefactam ſine nocumento: non ſecus ac in M. A. N. C. *Ann.* 6. & 7. *Obſerv.* 322. *pag.* 2. Caput Fœtûs in Utero relictum ſucceſſivè per ſeptem annos excretum refertur: nunc verò putreſcendo Uterum inficit, eumque ſimiliter in Putredinem & Gangrænam lethalem abire facit.

Rarum eſt, quòd retenta Secundina in Utero exſiccata fuerit ſecundùm Riverium *Cent.* 2. *Obſervat.* 3. Rarius adhuc eſt, quod obſervavit Kerkringius *in Spicileg. Anat. Obſervat.* 36. de Secundinæ portione quarto demum menſe à Partu incorruptâ & innoxiâ edita: ſicut & id curioſum eſt, quod proſtat in M. A. N. C. *Anno* 3. *Obſervat.* 117. *pag.* 107. de Secundinâ, ultra menſem incorruptâ, in Utero repertâ: aut quando poſt quatuordecim ſeptimanas integra excernitur. Conf. Bartholinus *in Act. Med. Haffn. Vol.* 2. *Obſerv.* 22. Kerkringius *Obſervat. Anat.* 30. Scilicet evenit ſubinde pertinaciter, ut Secundina vel tota, vel ſaltim pars ejus non tam adhæreat, quàm firmiter Utero connectatur, ipſique quaſi adnaſcatur, unde fit, ut Secundina non vivat Fœtûs vitâ, ſed Matris, & ceu pars Uteri ſe habeat, atque hoc in caſu, ſi ſe habeat ut pars Matris in Utero, citra ſui corruptionem in Utero hæret, utpote Sãguine & Spiritu Vitali Matris ad Uterum delato adhuc perfuſa; ſecus fit, ſi eadem vitâ Fœtûs vivat uti ordinariò contingit, unde detracto Fœtu, & ſic impeditâ Sanguinis & Spirituum Animalium in Secundinam diſtributione, in Cadaver degenerat & putreſcit.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: Graviſſima pericula, & omnia eadem Maſa, quæ Fœtum ſequuntur mortuum, comitari etiam ſolent Secundinam retentam, tandem quoque Mors: nec aliter ſperanda ſalus, niſi ejiciatur: Nam aut retenta putreſcit, indeque Febrem Malignam periculoſam, Uteri corruptelam, aut ſaltem deterrima & gangrænoſa Ulcera, ac tandem Mortem infert: aut putrefacta tandem, ſub formâ Saniei putridæ foras excluditur, quod tamen rarò fit citra notabile damnum.

## CURA.

Quoad *Curam*: Pro eâ optimum eſt, *Secundinam*

maturè, quantum fieri poteſt, totam non diſciſſam, extrahere. Quòd ſi Gemelli adfuerint, hi ipſi interdum unam, interdum duplicem habent Secundinam: Ubi Secundina fuerit duplex, poſt Fœtum propria Secundina prodit: ſin verò Gemelli unicam habent Secundinam, aut ſaltem unam Placentam cum duplicibus Membranis, tunc, cùm primus Infans in lucem prodiit, prudentiores Obſtetrices ejuſdem Funiculum Umbilicalem reſcindunt, & ipſius reſiduum, cujus ſuperior pars Secundinis intra Uterum adhæret, Parturientis Femori alligant, quoad alterius Infantis intus manentis Umbilicus ab Utero, unà cum Placentâ, divellatur, & ita cùm ſecundo Fœtu amborum Secundina integra excernatur, & tunc denique Funiculus à Femore ſolvatur; ſicut hoc facillimè ſuccedens negotium rectè urget Rodericus à Caſtro *Part.1.lib.3. de Morb. Mulier.* Quòd ſi poſt Fœtum egreſſum vel moras agat Secundina intra Uterum, vel particula ejus remaneat, jubeatur, ut dum Ægra vel Puerpera adhuc Sellæ inſidet, tuſſiat ſubinde, & tuſſiendo aut quaſi ſternutando, concuſsô Utero & Abdomine, ea ſeparetur; quæ *Tuſſis* ſi non ſufficiat inſletur Naribus *Sternutatorium*, ut ſic concuſſione totius Corporis promoveatur ſeparatio Secundinæ: vid. Bartholinus *Cent. 5. Hiſtor. 39.* unde nonniſi graviori caſu, & ubi circumſtantiæ aliæ id urgent, *Vomitoria* conveniunt. Quibus irritis, ne *Frigus* Puerperam corripiat, imponatur ea lecto firmiter ligata, Obſtetrice intereà continuò Abdomen Ægræ comprimente deorsùm versùs, ut ita Secundina diſcedat, & faciliùs excernatur. Et his medelis Mulieres ordinariò utuntur, quibus non nunquam opera Medici eſt addenda; adeòque in retentione Secundinæ uſurpanda ſunt *Remedia Secundinas expellentia*, & eadem ferè omnia, quæ in Partu difficili, aut Molâ & Fœtu mortuo promovendo, uſurpantur; de quibus ſuperiùs jam ſufficienter dictum fuit. Præ cæteris expertus *Pulvis & Decoctum* proſtat in Tulpio *lib. 4. Obſerv. 41.* quæ ceu experta ſæpiùs multumque proficua in Secundinâ retentâ commendat:

℞. *Borrac. Venet.*
*Succin. alb.* an. ℈j.
*Croci*
*Caſſ. lign.*
*Caſtor.* an. ℈ß.
M. f. Pulvis.

Cui tanquam Vehiculum inſerviat ſequens *Decoctum*:

℞. *Rad. Gramin.*
*Pæon.*
*Scorzoner.*
*Cichor.* an. ℥j.
*Herb. Acetoſ.*
*Endiv.*
*Borrag.*
*Meliſſ.* an. M. j.
*Artemiſ.*
*Card. bened.* an. *Mß.*
*Borrac. Venet.* ʒiij.
Coqu. ex Aquâ Hord. ad ℔ij.
quibus adde
*Syrup. Artemiſ.*
*Limon.* an. ℥ij.
Miſceatur, & ſubinde exhibeatur.

Cujus felicem Experientiam ſe aliquoties feciſſe idem Autor memorat.

Alia, quæ vulgò exhibentur ad pellendam hujuſmodi Secundinam retentam, ſatis nota ſunt, in ſpecie *Chærefolium*, & Juſculum ex Decocto Chærefolii egregium etiam eſt, & ſingulare, de quo vid. M. A. N. C. *Anno 3. loc. allegat.* Item Decoctum Artemiſiæ rubræ cum Antheris Liliorum alborum, quibus & Sabina adjici poteſt, admodùm laudatur à Corbeio: ſicut Fimus Equinus, Vino infuſus & expreſſus propinetur, qui tanquam Remedium potens, pellens Secundinam, mirè laudatur. Omnibus palmam præferunt Pulvis & Spiritus ex Secundinâ, primariò quidem ex Humanâ, ſecundariò etiam ex Secundinâ Ovis vel Capræ, nam & hanc ceu infallibilem commendat Corbeius. Singulare certè quid latet in Secundinâ Humanâ, ſupra quam non datur præſtantius Remedium: nam non tantummodò Parturientium & Puerperarum quamplurimis ſuccurrit Affectibus; ſed prætereà Epilepſiam etiam, ut quidam aſſerunt, hæreditariam, ſingulari virtute, paratus ex eâdem Spiritus, pellit & domat: imò Experientia, prudentum & ſtultorum magiſtra, docuit, per Secundinam Magica Naturalia, per Magnetiſmum in damnum primariò Fœtûs, ſecundariò ipſius Puerperæ, non leve inferri poſſe; hinc & Bruta omnia devorant Secundinas poſt Partum, id quod non ſine ſingulari Naturæ inſtinctu fieri, admodùm probabile eſt. Pulveris item Sabinæ ʒß. cum Croci ℈ß. in aliquot unciis Aquæ Liliorum alborum Secundinas pellit. De Oleo Heraclino ex Rulando res nota eſt; loco ejus Olei Ligni Juniperini guttæ 30. aut Olei Succini deſtillati guttæ 18. propinatæ, non vulgares poſſident vires. His adnumeratur Myrrha, & Trochiſci de Myrrhâ, in Aquâ Cinnamomi, vel Vino generoſo propinati: item Borrax, Caſtoreum, Succinum, Sal volatile Succini, & ſimilia, nec non Oleum deſtillatum Succini.

Ex his ſub formâ *Pulveris* vel *Decocti* uſurpantur Remedia ad pellendam Secundinam: Conf. Tulpius *lib. 4. Obſerv. cap. 48.*

Vel

℞. *Myrrh. rub.* ℈j.
*Croci* ℈ß.
*Borrac. Venet.* ʒß.
*Ol. deſtillat. Cinnam.* gutt. iij.
M. f. Pulvis. S.
Pulvis pellens.

Conveniunt etiam *Mixturæ* Timæi *von Guldenklee in Caſib. l. 4. Caſ. 25. p. 223.* & *Caſu 28. p. 227.*

Quòd *ſi incipiat putreſcere Secundina* retenta, vel tota vel fruſtulatim, & in Saniem colliqueſcere, commodè Elixir Proprietatis propinari poteſt, ut ſcilicet præter hoc, quòd pellat Secundinam, ſimul Putredinis noxa cohibeatur, ne aliæ vicinæ partes ſanæ ſimili contagio inquinentur: unde illud tam ſimplex, vulgari modo acidulatum, aut, quod melius (in omni enim Ulcere ſeu Putredine eſt Acidum) cum Alcali fixo paratum, egregiè progreſſum Putredinis præcavet, idquè imprimis, ſi cum Spiritu Theriacali camphorato extractum.

Inſuper cum his Internis conveniunt quædam *Externa* Abdomini impoſita, uti vulgò in uſu habent, ut recipiant Semen Lini contuſum, illudque coctum in Oleo Lini in formam Cataplaſmatis calidè Abdomini inſternunt, quod euporiſton periculoſo quodam in caſu proficuum fuiſſe novi.

Aliàs quoque conveniunt *Suffitus* per Vulvam excipiendi: quos inter ſequentem Suffitum tanquam expertum ad extrahendam Secundinam, Fœtum, Molam, ipſumque Sanginem in Matrice coagulatum, commendat Stoeckerus *in ſuâ Praxi*:

℞. *Myrrhæ el.* ℥ß.
*Cinnam.*
*Galban.*
*Caſtor.* an. ʒß.
*Opoponac.* ʒj.
*Helleb. nigr.* ʒiß.
Ex his cum *Felle vaccino* fiant Trochiſci.

De

De quibus projiciantur quidam ſuper carbones, & excipiatur Fumus Genitalibus beneficio Infundibuli vel Siphonis, quô aliquoties repetitô, prodibit Secundina.

Quòd ſi Secundina non exierit, dicit *citatus Autor*, non ampliùs eſſe quid tentandum, ſed injiciendum eſſe Unguentum Baſilicon Putrefactionem promovens.

Convenit etiam Suffitus ex Scoriis Reguli Antimonii.

Alii inter Externa uſurpant Exuvias Serpentum ad Coxam alligatas; nam has, ut aliquoties monui, etiam Secundinas pellere dicunt; mox tamen removendæ ſunt, ubi prodierint. Juxta hæc *Clyſteres Uterini* ex Decoctis Simplicium ſtimulantium, & acriorum aromaticorum, imprimis Artemiſiæ, Salviæ, Calaminthæ, Sabinæ, Pulegii, Colocynthidos, & ſimilium etiam conveniunt, partim ut ſtimuletur Uterus ad Secundinas pellendas, partim ut Sanies ex putrefactis Secundinis exhauriatur; modò maturè fiat, antequàm Orificium Uteri interdum denuò ſe ſtringat: ſicut etiam eadem Ingredientia commodè ſub formâ *Fotûs* vel *Cataplaſmatis* calidè inſterni poſſunt. Item applicentur *Peſſi* ex Sabinâ, Salviâ, Colocynthide, Helleboro, cum Oleo Cheirino, Felle Bubulo, aut Melle, &c. Imò etiam *Inunctiones* cum Oleo Cheirino, & Oleo Colocynthidos, quibus aliquot guttæ Olei deſtillati Sabinæ vel Succini additæ ſint, crebriùs repetitæ conveniunt. Vel uſurpetur Mixtura Salis Ammoniaci & Salis Tartari in inſtrumento *Glauberi*, vel Vitro longioris colli, Vaginæ Uteri intruſo, ut Spiritus ſubtilis ſenſim in Uterum ſe inſinuet, & Secundinæ aut fruſtulorum relictorum excretionem ſtimulet. Simul etiam *Sternutatoria* conſilio Hippocratis *lib. 5. Aphor. 49.* de quibus *ſuprà in Partu difficili* dictum. Vehementiùs quoque Puerpera ſub ſpecie Tuſſis exſpiret.

Sed optimum eſt, vel mox, vel ſaltem primis diebus à Partu, *Manuum operâ* admotâ arripere, blandè intorquere, & ita ex Utero extrahere Secundinam; ſic enim Secundinam relictam tertiâ die ſine labore, Manuum operâ extractam videb. in Borello *Cent. 5. Hiſtor. 39.* Mauriceau ſimile huic refert Exemplum *lib. 2. cap. 9.* Siquidem non adeo citò apertus Uterus ſe contrahere ſolet, quin per octiduum à Partu Uterus amplùs & ſpiſſus eſſe ſolet, antequàm ſe contrahat, ut loquitur Platerus *in Obſerv. pag.* 231. His tamen non ſufficientibus, ſi ſuſpicio ſit Secundinam penitus retentam, tandem putreſcere, injiciantur in Uterum Decocta Emollientia, Secundinæ Putrefactionem blandè promoventia; in quem finem

℞. *Herb. Malv.*
*Alth.*
*Parietar.*
*Matricar.*
*Chamom.* an. Mß.
Coqu. in *Aquæ ſimpl.* ℔iß.
Colat. ℔ß. adde
*Myrrhæ*,
*Aloës*,
*Rad. Ariſtol. rot.* an. ʒß. ad ʒvj.
*Ol. Roſat.* ʒj. ad ʒij.
*Acet. Vini* ʒj.
M. pro Injectione: S.
Inſperſio Promovens.

Quibus ſubinde addantur vel ſubjiciantur etiam *Injectiones* cum Unguento Baſilico, vel pauco Unguento Ægyptiaco, ut ita putrefacta ſeparetur, & Uterus à Putredine præſervetur. Forſan Aqua Calcis vivæ hiſce Liquoribus addita, aut etiam cum Aquâ Calcis vivæ parata Decocta, ad Putrefactionem Secundinæ promovendam, & præſervationem corruptelæ Uteri obtinendam, proficuo cum uſu applicari poterunt: Par omnino ratio eſt de Molâ retentâ. Aſt ſi tales Caſus ſuperveniunt, rarò ſolent ſupervivere Puerperæ.

Sin fiat, ut Uterus denuò conviveat, ac ſe claudat, præter interna Stimulantia externæ Injectiones Emollientes & Lubricitantes denuò ſunt injiciendæ in Vaginam Uteri, & inungendus Uterus Laxantibus & Emollientibus, ut eo aperto faciliùs prodeat Secundina.

Eadem locum habent in Molâ, à Fœtu ſuperſtite, ex Utero ejiciendâ.

## CAPUT III.

### *De Lochiorum Vitiis.*

CÆterùm ſubinde ſunt Mulieres, quibus licèt poſt Partum ſequatur Secundina, & ſe optimè habeant; nihilo minùs tamen interdum contingit, ut poſt octo, decem vel quatuordecim dies à Partu ſuperveniant *Horrores*, cum *gravi Æſtu & Doloribus Dorſi*, regioniſque Hypogaſtricæ: uno nomine, cum *Doloribus Partûs* redeuntibus. Hoc ſi fiat, certum *Signum* eſt, vel ſubeſſe *Sanguinem grumoſum* in Utero, ex *defectu Lochiorum* non ritè evacuatorum, vel etiam tales Mulieres emittunt ſub partu *copioſas Aquas limpidas*, quod vocant vulgò non incongruè: *Reſtitare adhuc Molam vel Bullam aqueam*: Obſervatur etiam ſubinde aliquid, *Molæ* ſimile, *aquoſum* in Membranâ contentum, quod poſt Partum remanet, & ſtimulando novos Dolores infert, non ceſſantes, antequàm dicta Materia in Utero coërcita denuò ſit rejecta. Aliàs quando ita in Partu ſeparantur Fœtus & Secundina, toto hoc labore cum Secundinis uberior Sanguinis fluxus per Uterum conſequi ſolet, ita ut ſubinde plùs ſubinde minùs evacuetur, pro circumſtantiarum varietate. Effluit continuò, in quibuſdam diutiùs, in quibuſdam breviùs.

Vocatur hic Sanguinis Fluxus poſt Partum Græcis λόχια, quibuſdam *Sanguis Puerperalis*, aut *Purgamenta Uterina*. Cæterùm hic Sanguis non ſolus eſt. Nam fluunt Lochia partim cum ipſo Fœtu, cum quo ſimul Sanguis plùs minùs copioſus excernitur: deinde poſt Fœtum adhuc naturaliter per triduum ferè vel quatriduum Sanguis fluit: pòſt loco Materiæ cruentæ effluit *Liquor aquoſus*, Sanguine ſaltem tinctus, inſtar loturæ Carnium craſſioris, quod fit uſquè ad diem ſextum vel ſeptimum; hinc *Materia viſcida* & quodammodò mucilaginoſa, & tandem *ſeroſa*, pauco aut nullo Sanguine permiſta, fluere incipiunt, idque ferè per novem, decem aut quatuordecim dies, & ſic ſucceſſivè ceſſat Lochiorum Fluxus: in quibusdam tamen, quibus non adeò copioſè aut confertim fluunt, ferè ad tres aut quatuor ſeptimanas excretio durat, donec debita Menſtruatio denuò ſuperveniat, in quibusdam integris fere ſex ſeptimanis evacuatio hæc protrahitur; vid. Harveus *Tractat. de Partu pag.* 353. *Quantum Lochiorum effluere debeat* determinari exactè non poteſt; quin pro Mulierum Idioſyncraſiæ ratione in quibusdam minus eorum evacuatur.

*Variat* interim *Lochiorum quantitas duplici ex Causâ*: Nam

(1.) Habeatur ratio *Menſium*, cùm Mulieres, quæ menſtruatim largiùs evacuantur, largiùs etiam per Lochia purgantur, vel quæ parciorem habent Menſium fluxum, hæ etiam parciùs ſolent purgari per Lochia; & quibus durante Geſtationis tempore vel per *Uterum*, vel per *Nares*, vel alia loca, crebrior

fuit facta *Sanguinis excretio* præternaturalis, iis etiam parum Sanguinis poſt Partum evacuatur. Rariſſimum eſt, quòd citra noxam Puerperæ pauca vel nulla fluant Lochia in iis, quæ non habent Menſtrua, utut ſint fœcundæ, quod ut plurimùm fit in iis, quæ minùs ſunt ſucculentæ, & aliàs dicuntur Naturæ ſiccioris : quale Exemplum refertur à Salmuth *Cent.* 3. *Obſervat.* 89. de quâdam Parturiente, cui Lochia nulla fluxerunt citra noxam, ob Corporis ſicci conſtitutionem, & Sanguinis exhauſtionem.

(2.) *Mulieres*, quæ *lactant*, aut *lactare volunt*, in talibus poſt Sanguinis excretionem parum *de Materiâ ſerosâ*, aut *lacteâ*, ac nonnihil *glutinosâ* ſolet evacuari, quia multum abſumitur in Materiam Lactis; quæ verò lactare nolunt, iis Uterus evacuatur. Obſervatum autem à me fuit, quòd, quando incœperunt *Mammæ turgeſcere & Lacte ſcaturire*, parum per Uterum Materiæ ſeroſæ fluxerit : poſtmodùm verò, quando *Lac* fuit *ſuppreſſum*, copioſa Materia per Uterum fuit evacuata.

Unde pro determinandâ Lochiorum ſufficientiâ vel inſufficientiâ obſervetur Menſium Fluxus, an hic naturaliter copioſior vel parcior exiſtat ?

Ita ſe res habet naturaliter. Sed obſervandum eſt, quòd non ſemper *Lochia* hujuſmodi *Colorem naturalem* obtineant. Nam interdum etiam flava Lochia obſervantur, de quibus Exemplum videb. in M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obſervat.* 115. *pag.* 186. & Harvæo *Exerc.* 58. Imò interdum ſimpliciter aquoſa ſine Sanguine rejiciuntur confertim : uti hoc obſervat Guilhelmus *lib.* 3. qui refert, ſe aliquoties obſervaſſe, quòd reperiantur Mulieres, quæ ſimpliciter aquoſa ſaltim evacuaverint loco veri Sanguinis : Sic refert Hiſtoriam de Muliere, quæ octo dies ante Partum ſine ullo Dolore Abdominis per aliquot dies quatuor vel quinque Pintas *Aquæ clariſſimæ* evacuaverit, quæ tamen non fuit intra Matricem firmiter clauſam, ſed prodiit per Vaſa quædam Colli Uterini ſeu Vaginæ : poſt octo dies peperit Filium, parumque cruenti evacuavit : Imò, quod notandum, ſimul obſervavit, tempore Geſtationis Labia Pudendi ab Aquâ ita fuiſſe inflata, ut Mulier non potuerit commodè incedere.

Jam autem *Fluxus* hic Sanguinis, ſeu *Lochiorum* excretio, vitiatur triplici modo :

1. Quando *deficit omninò*, aut ſaltem *imminuta eſt* ; vel
2. Quando eſt *nimis copioſa* ac *abundans* ; aut denique
3. Quando per *aliena Loca ejiciuntur* dicta ſic Lochia.

## ARTICULUS I.

### *De Lochiis Retentis.*

### CAUSÆ.

*Lochiorum Suppreſſionem* aut vitiatam excretionem quod attinet : hujus Cauſæ non ſolùm in *Sanguine* aut *Humoribus* circa Uterum coacervatis, ſed ſimul etiam tum in *Vaſis ipſius Uteri*, per quæ fieri debet excretio ; tum imprimis *in Spiritu movente*, quærendæ ſunt. Quoad *Vaſa Uteri* : eadem conſtricta & obſtructa Suppreſſionis Lochiorum ſunt Cauſa, quando adſtringuntur in ſubitâ *Uteri Refrigeratione*, ſi in Partu, aut brevi poſt eundem, *Frigus Aëris* externum ſubitò irruat in Uterum, quale Exemplum refert Timæus *Von Guldenklee in Caſ. pag.* 626. vel etiam *Linteamina frigida*, tam *ſicca* quàm *humida*, admoventur, quæ ſubitò *Sanguinem* plùs minùs coagulando Lochiorum Fluxum imminuere ſolent ; à Grumis enim circa Vaſorum orificia hærentibus ulterior excretio ſupprimitur. Par ratio eſt, ſi *frigidum Potum* hauriat, aut etiam *Mammæ & Extrema*, Manus Pedeſque, refrigerentur : item in *Dolore Uteri* undecunque nato, cujus occaſione etiam ſtringuntur Fibræ, & anguſtantur Vaſa. *In movente Spiritu* eſt Cauſa Suppreſſionis Lochiorum, quando pergraviora *Animi Pathemata*, Iram, Terrorem, Pavorem, Triſtitiam, Metum & ſimilia, ſubinde diverſimodè determinatur ejuſdem motus ; ſicque ſimul Sanguinis motus & Spirituum Animalium impetus, hinc conſequenter etiam Lochiorum Fluxus, modificatur, & naturalis cohibetur. Ex ſtagnatione verò & coacervatione Sanguinis retenti *per alia Loca* evacuatio inſtituitur ; ipſeque obſervavi in Muliere Fœtum mortuum pariẽte, quòd ob *Dolorem* & inde natam *Triſtitiam* nil *Lochiorum* evacuaverit, niſi Arte poſtmodùm ſuccurreretur : ipſæmet etiam Mulierculæ nimis verecundæ exhibent occaſionem, quòd ſiſtantur Lochia : item ſi in ſucculentioribus primo poſt Partum impetu uberiùs proruant Excrementa Uterina, à quibuſdam inſulsè per internè propinata, aut externè applicata *Adſtringentia*, perniciosè ſiſtuntur Lochia. Unde in ſiſtendis Lochiis mox poſt Partum ſimus cautiſſimi.

### DIAGNOSIS.

Quoad *Signa* : Deficere aut imminui *Lochia*, præter ipſum viſum aut relationem Ægræ, confirmant ſupervenientia alia, dum nempe Abdomen ordinariò tumidum manet, tenditur & induratur, nec debitè ſubſidere poteſt, Dolor gravativus, diſtendens & lancinans, item Pulſationis & Ardoris, Ventrem imum, Lumbos & Inguina occupat, Uterus interdum inflammatur : hinc Rigor & Febres periculoſæ, Præcordiorum anguſtiæ & anxietates, Reſpirationes difficiles, plùs minùs anheloſæ ; dicunt ; *velle ipſis Cor ſupprimere* ; Animi deliquia, Sudores frigidi, pulſatio Temporum, Cephalalgia crudelis, & ſimilia Symptomata, à Sanguinis motu per inferiora impedito enata, Deliria, & interdum ipſa Mors, ſuperveniunt.

### PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin* : Ex dictis ſponte manifeſtum eſt, quot pericula Mulieri ex Lochiorum ſuppreſſione imminere poſſint ; idque eò periculoſiùs, quò magis vel minùs Sanguis ſupprimitur, ut neque Arte poſſint per Uterum evacuari, neque per alia loca, Mammas, Alvum, Nares, & ſimilia exitum quærant. Vid. Bartholinus *loc. all.* & M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obſervat.* 184. *pag.* 282.

Quòd ſi Uterus inflammatur, perquàm periculoſum eſt, ſi alia ſuperveniant Pathemata, Melancholia, Sanguinis Sputum, Pleuritis, Hydrops &c. Hæc omnia difficillima curatu ſunt, & in quibus ſemper Menſium debita evacuatio ante omnia Lochiorum loco procuranda venit. Si tamen copioſiùs Sudor in Puerperâ erumpat, aut ſucceſſivè livida, nigra, fœtida, &c. copioſè tamen, ex Utero fluere incipiant, hæc ipſa Lochiorum vices ſupplere poſſunt.

### CURA.

Quoad *Curam* : Cura pro Cauſarum varietate & Suppreſſionis ratione plùs minùs varianda. Primarius ſcopus eſto, ut quantum poteſt, præcaveatur *Suppreſſio Lochio-*

*Lochiorum fluxûs.* Obtinebitur hoc partim per *Remedia Chirurgica*, partim per *Pharmaciam.*

Inter *Remedia Chirurgica* eminet *Venæ ſectio*, aut *Hirudinum* applicatio, imprimis ubi metuitur, ſine hac vel non ſuffectura, vel non citò ſatis operatura Interna Remedia: in ſpecie, ubi aut Sanguinis abundantia abſolutè, aut hujus turgeſcentia fermentativa, Febris nimia, &c. magis ſubitaneum poſtulant auxilium, tandem ad apertionem Venæ eſt accedendum. Malè enim communiter à *Saphænæ* ſectio de initium promovendorum Lochiorum faciunt, quin potiùs internis Stimulantibus præmiſſis, & non ſufficientibus, aut his adjunctis, Vena aperienda eſt. Sin Lochia non ſufficienter fluant, & Sanguinis minor adſit abundantia, ſufficit Saphænæ ſectio, & ibidem pro circumſtantiarum varietate plus vel minus evacuetur de Sanguine pro Revulſione particulari, & ut Sanguinis eò major impetus concilietur ab Utero, & hanc ſolam ferè Autores adhibent (vid. M. A. N. C. *Ann. 3. Obſerv. 53.*] iſtam, quæ *in Brachio* fit, omninò rejicientes: contra quos tamen rectè diſputat Mauriceau *de Morb. Infant. lib. 3. cap.* 11. In Galliâ & Italiâ loco hujus, vel etiam præmiſsâ eâdem, pro Derivatione applicant *Hirudines* interiori Vulvæ parti: vid. Theodatus *in Valetud. pag.* 191. Sic Zacutus Luſitanus *lib.* 1. *Med. Princ. Hiſt. 4. in annexâ Obſervatione* refert, ex Puerperio retento Febrim continuam cum Pleuritide, Hirudinibus internæ Uteri parti applicatis curatam: Item Theodatus *Valetud. pag.* 171. refert Lochia ſuppreſſa cum Febre Ardente & Delirio, Hirudinibus interiori parti Vulvæ applicatis curata. Applicandi modum communicavi *in Colleg. Pharmaceut. in Schrœd. par.* 1. *ſect.* 2. *pag.* 221. Aſt verò hoc Remedium noſtrates Mulierculæ horrent. Loco Venæ ſectionis *Cucurbitulæ, vel cum, vel ſine Scarificatione,* Suris vel interiori Femoris parti commodè applicari poſſunt. Quòd ſi in Juvenculâ aut ſucculento Corpore, cui ſuppreſſa ſunt Lochia, major Sanguinis abundantis ſit turgeſcentia, & hinc ſuperveniat Inflammatio Uteri cum Febre Acutâ, difficili Reſpiratione &c. in tali caſu, ne nimio impetu deorſum provocetur Sanguis, ſi ſaltem in Talo inſtituatur Venæ ſectio; præmittenda eſt in Brachio moderata, & hinc ſubjungenda ſufficiens Saphænæ evacuatio: Rationem hujus ſuperiùs, *ubi de Menſibus ſuppreſſis*, dedi. Nempe ſupprimuntur Lochia, uti ſuperiùs jam dictum, ex Causâ, quæ *in ipſo Sanguine* ejuſdemque Motu hæret, vel etiam ſupprimuntur ſaltem ex vitio *in ipſo Utero* ejuſque Vaſis latente. Prius accidit v. g. à Terrore, quale Exemplum proſtat apud Nicolaum Tulpium *lib.* 2. *Obſerv.* 2. à Mœrore, quale Exemplum vidit Sylvius *in Praxi*: Poſterius fit, quando ex Grumo Sanguinis in Utero, ex ejus præternaturali contracturâ, &c. idem accidit. Si prius, Venæ ſectio in Pede omninò convenit, ut ejus medio modificetur quaſi & determinetur illius Motus ad Uterum, aut ſaltem in Plethoricis, præmiſsâ illâ in Brachio, in Pede demum inſtituenda venit: ſin verò in Utero ſit vitium, Venæ ſectio in Pede inutilis erit. Mulier hîc Partu octavo abortiebat, hinc Lochia ſupprimebantur, ſuperveniebant anxietates Præcordiorum, quas vocabat *Cordis anguſtiam*, Æſtus, Sitis &c. cui ex Venæ ſectione in Pede ſtatim Lochia redibant, unde ſub Fluxu Myrrham internè exhibui. vèrò alia ſuperiorum partium ex Lochiis ſuppreſſis urgeant Pathemata, ut Cephalalgia, Dyſpnœa, Vomitus aut Sputum cruentum, &c. Venæ ſectio ſaltem in Brachio inſtituenda venit, pro urgentibus iſtis mitigandis Symptomatis.

Quoad *Remedia Pharmaceutica*: ea ſunt *Interna & Externa.*

Inter *Interna*, præmiſsâ vel omiſsâ Venæ ſectione, conducunt *Remedia Appropriata*, Menſes aliàs aut Fœtum, tam vivum quàm mortuum, pellentia, blandis Aromaticis Diaphoreticis miſta, ut ab his aut à Frigore coagulatus Sanguis reſolvatur, aut ceſſans Sanguinis turgeſcentia poſt Partum reſtituatur & corrigatur, Sanguis fluxilis magiſque fermentativus redditus, & ejus circulus concitatior procuretur, dum illa Uterum imprimis irritant, ut per hunc evacuetur Sanguis. Inter Appropriata in ſpecie conducunt *Myrrha*, quæ egregia eſt in Lochiorum Fluxu deficiente, tam in ſubſtantia uſurpata, quàm *Eſſentia Myrrhæ* cum *Tinctura Tartari*, vel *Spiritu Vini* probè *tartariſato* parata, unde & Trochiſci de Myrrhâ ſunt elegantes: hinc Crocus, Borrax Veneta, Zedoaria, Eſſentia Zedoariæ, Dictamnus Creticus, Caſtoreum, Succinum, Cuminum cum Cereviſiâ coctum, aliaque ſimilia *in Menſium defectu, Fœtu & Secundinis promovendis ferè uſitata.* Noſtratium Muliercularum ordinarium ὑποθημα ſunt *Ciceres rubri*, quorum *Decoctum* vel per ſe, vel cum *Radice Petroſelini* in jure Carnis paratum, addito Croco exhibitum, non inconveniens eſt: eleganter Lochia ciet, & Uterum purgat; attamen non ſemper juvat. Aliàs Syrupus vel Decoctum Abſinthii, ſi à Frigore ſupprimantur Lochia eſt optimum; item Decoctum Pulegii, Decoctum & Aqua Florum Cheiri, Matricariæ cum Artemiſiâ & Chamomillâ; vel Decoctum Betonicæ, vel Chamomillæ uſurpatum cum Elixir Proprietatis, aut etiam, quod melius, & Lotichii experimentum eſt:

℞. *Flor. Chamomill. noſtr.* M. iß.
*Cort. Aurant. ſicc.* ℥j.
Coqu. in ſ. q. *Cereviſiæ.*

Hoc Decoctum propinatum egregiè convenit in Lochiorum ſuppreſſione. Poteſt aliquid addi de *Myrrhâ*, vel propinetur in eodem *Elixir Proprietatis*, præſertim ſine *acido*, ſeu *cum Spiritu Solis Ammoniaci* paratum, quod eſt egregium euporiſton, & probatum.

Hinc Eſſentia Sabinæ, Eſſentia ad Menſes, & Eſſentia Caſtorei conveniunt. In Lochiis ſuppreſſis mihi, cum hîc frequentiſſimus ſit hic Affectus, in more poſitum, cum dicto Decocto ex Chamomillâ propinare ſequentem Pulverem, qui admodùm convenit, nec unquam me fefellit:

℞. *Antimonii Diaphoret.* ℈j.
*Zedoar.* ℈ß.
*Myrrh. elect.* gr. viij.
*Cinnam.* gr. vj.
*Croci* gr. v. vel vj.
M. f. Pulvis pro unâ vel duabus doſibus:
D. S.
Pulvis Aperiens.

Exhibentur in modò dicto Decocto, vel Cereviſiâ calidâ, ita blandè ſudando Lochia copioſè promoventur, & Dolores poſt Partum cum Lochiis ſuppreſſis frequentiſſimi ſimul ſopiuntur.

Vel

℞. *Antimonii Diaphor.* ℈ij.
*Myrrhæ* ℈ß.
*Caſtor.* gr. xij.
M. f. Pulvis pro duabus doſibus.
D. S. ut antè.

Externè ſimul flores Chamomillæ modò decocti regioni Pubis, adhuc tumenti, imponi poſſunt; Nam egregiè etiam conveniunt.

Faciunt huc Mixturæ Timæi *Von Guldenklee* expertæ in *Partu difficili, Secundinis & Lochiis retentis*, ex *Myrrhâ, Caſtoreo, Succino & Croco*, dilutis in convenienti Vehiculo, quæ convenienter uſurpari poſſunt, & multis profuerunt. Harum prior deſcriptio

*in Caſib lib. 4. Caſ. 25. p. 223.* [vid. *ſuprà, ubi de Partu difficili*] poſterior verò *Caſ. 28. pag. 227.* eſt hæc:

℞. *Aquæ Artemiſ.*
*Hyſter. Mynſ.* an. ℥iß.
*Cinnam.* ℥ß.
*Pulv. Myrrh. el.* ℈j.
*Succin. alb. præp.*
*Caſtor.* an. ℈ß.
M. pro unâ doſi.

Quam admodùm laudat; neque ſine causâ.

Vel

℞. *Eſſ. Myrrh. cum Sp. Vin. tartariſat.* ℥iij.
*Tincturæ Antimonii ex Scor.* ℥j.
M. D. S.
Eſſentia Aperiens.

Doſis 40. vel 50. guttæ bis vel ter in die.

Vel

℞. *Myrrh. elect.* gr. xv.
*Borrac.* ℈j.
*Croci* gr. vj.
M. pro 2. doſ. S.
Pulvis Aperiens.

Vel

℞. *Aquæ Card. bened.*
*Matricar.* an. ℥iß.
*Eſſ. Myrrhæ* ℥iij.
*Borrac. Venet.* ℥j.
*Sal. vol. Cornu Cervi* gr. ix.
*Syr. Artemiſ.* ℥vj.
M. D. S.
Mixtura Aperiens cochleatim ſumenda.

Capiatur ſubinde cochleatim, vel aſſumatur pro tribus vicibus; *guſtui verò non eſt gratum.*

Aliquando Mulieri jam tertio à Partu die, cui penitus ſuppreſſa eſſent Lochia, præſcripſi:

℞. *Borrac.* ℥ß. ad ℈j.
*Myrrh.* gr. xv.
*Croci* ℈ß.
M. f. Pulvis pro duabus doſibus,

accipiendis in hauſtu Cereviſiæ calidæ, vel, quod melius, in Decocto Artemiſiæ & Chamomillæ, præmiſsâ Venæ ſectione in Pede.

Ego aliquando Fœmellæ Juvenculæ ſanæ poſt Partum felicem parum de Lochiis expurganti, cui poſt decimo à Partu die *varia Colluvies* ex Utero effluxit, ut promoveretur Lochiorum Fluxus, ordinavi ipſi Eſſentiam Myrrhæ cum Tincturâ Tartari paratam, ad aliquot dies uſurpandam; ſed fruſtrà nihilo minùs hic labor fuit: Hinc, ut promoverem eadem, præſcripſi ſequentem Pulverem.

℞. *Borrac. Venet.* ℈ij.
*Myrrhæ elect.* gr. xvj.
*Croci* gr. viij.

Miſtis, & duabus doſibus uſurpatis, maxima copia *Lochiorum & Colluviei* expurgata ſeu evacuata fuit, ut neceſſe fuerit Sanguinem denuò ſupprimere; Hunc enim Pulverem in graviori Malo adhibere ſoleo.

*Pulvis* Radicis *Zedoariæ* à ℥ß. ad ℥j. multis Symptomatis Puerperarum medetur, in ſpecie, ſi ſit conjuncta *Lochiorum retentio* cum *Dolore poſt partum*, vel Pulveris Zedoariæ ℥j. pro duabus doſibus propinetur, acuendo cum aliquot guttis Olei deſtillati Roriſmarini ad provocanda Lochia: Vid. Bartholinus *Act. Med. Haffn. Volum. 2. pag.* 209.

*Pellentibus* his etiam poſſunt annumerari Elixir Proprietatis abſque Acido, ſed cum Alcali fixo (quod magis accedit ad præparationem Paracelſi, quàm vulgare) vel Spiritu Salis Ammoniaci paratum: Item, loco hujus, Elixir Proprietatis ſiccum, ſeu Pilulæ Peſtilentiales *Ruſi*, *Avicennæ*, vel de Sagapeno; ſtimulant Lochia, ſimulque Ventrem, Alvus ſi ſit obſtructa, laxant. Nam mox poſt Partum non convenit Purgatio ad promovenda Lochia, niſi ſeptem aut novem dies effluxerint, quo tempore blandum Infuſum ex Rhabarbaro, Agarico & Succino, propinari poteſt: cautè tamen in noſtris Regionibus propter latentes ſæpiùs Febres Malignas Purpuratas, quæ interdum vix ante nonum aut undecimum diem à Partu ſe manifeſtant.

Quòd ſi *à Frigore Sanguinis grumoſi* aut plùs minùs coagulati ſubſit ſuſpicio, his ipſis Appropriatis *Sperma Ceti* addi poteſt, quod cum pauco *Caſtoreo* multum conducit ad ſolvendos Sanguinis Grumos; vel etiam *Mixtura* hæc, quam ingrediuntur *Lapilli Cancrorum cum Aceto*, eſt egregia ad *Sanguinem grumoſum* reſolvendum & *Lochiorum Fluxum* promovendum: v. g.

℞. *Aquæ Chærefol.*
*Matricar.* an. ℥iß.
*Acet. Vini acerr.* ℥vj.
*Lapill. Cancr. præp.* ℥j.
*Antimonii Diaphor.* ℈j.
*Syr. Artemiſ.* ℥ß.
M. D. S.
Mixtura Diſcutiens & Aperiens, cochleatim ſumenda.

Quòd ſi cum Lochiis ſuppreſſis gravia urgeant *Symptomata*, aut inſignis perturbatio in Corpore juncta ſit, aut Dolores Uterini urgeant, in ſpecie ubi aut adeſt crudelis Cephalalgia, aut periculoſum imminet Delirium, commodè tali Miſturæ & dictis Stimulantibus ac Lochia pellentibus Laudani Opiati gr. i. vel gr. iß. addi poteſt, monente hoc non inconsulto Williſio *Tract. de Febr. pag.* 284.

*Externè Fomenta & Sacculi* ex Chamomillâ cum Sabinâ & Serpillo; quin & *Litus* Emollientes, Sanguinis grumos reſolventes & blandè ſtimulantes ſeu cientes, ſunt optimi, fomentando & ungendo partes Abdominis inferiores cum Oleis penetrantibus laxantibus, & aromaticis, *Oleo Cheirino*, cui additum ſit *Oleum deſtillatum Succini*, *Baccarum Juniperi*, item parum Olei deſtillati *Spicæ*: v. g.

℞. *Ol. Cheirin.* ℥ß.
*deſtill. Cumin.*
*Bacc. Junip.* an. ℥j.
*Succini* ℥ß.
M. D. S.
Oleum Diſcutiens & Aperiens.

Hôc calidè inungatur largiter Abdomen ab Umbilico uſque ad Genitalia, litui ſuperimponatur Later calefactus, vel *Sacculus* Emolliens, reſolvens, plùs minùs ciens, probè calidus, ex Artemiſiâ, Abſinthio, Matricariâ, Menthâ, Pulegio, Serpillo, Meliſsâ, Floribus Chamomillæ, Radice Angelicæ, Seminibus quatuor Carminativis majoribus, & ſimilibus, nunc in formâ ſiccâ, nunc in Vino coctis. Conf. Hildanus *Cent. 5. Obſ.* 42. v. g.

℞. *Herb. Abſinth.*
*Flor. Chamomill.* an. M. iij.
*Herb. Matricar.* M. ij.
*Rad. Angel.* ℥jß.
*Sem. 4. Cal. maj.* an. ℥ij.
*Bacc. Junip.* ℥ij.
Inciſa & contuſa includantur *Sacculis duobus.*
D. S.
Sacculi Diſcutientes & Aperientes.

Hi mutuò, quàm calidè fieri poteſt, imponantur Abdomini, priùs iſto Oleo inuncto, idque crebriùs repetatur. Prodeſt hoc euporiſton in ſpecie, ſi *à Frigore externo* oritur *Lochiorum Suppreſſio*. Egregiè convenit *Fotus*, quem *ſuprà* dedi *ubi de Menſium Emanſione*: item *in Colleg. Formular.* & *Id. Formular. Cl. 4. §. 20.*

Vel

Vel

℞. *Herb. Sabinæ* M. ij.
*Artemiſ.*
*Puleg.* an. M. j.
*Rad. Alcann.* ℥ij.
*Valer.* ʒvj.
*Flor. Chamom. Rom.* M. ij.
*Cheiri*,
*Samb.* an. M. j.
*Bacc. Juniper.* ℥ij.
*Lauri* ℥j.

Inciſa & contuſa includantur *Sacculis duobus rotundis interpaſſandis*:

D. S. ut antè.

Ebulliant in Aquâ & *Vino*, & viciſſim applicentur.

Ubi ſimul adeſt *Urinæ ſuppreſſio*, convenit Cataplaſma ex Parietariâ, Chærefolio, & Oleo Scorpionum, v. g.

℞. *Herb. Parietar.* M. ij.
*Chærefol.*
*Flor. Chamomill.* an. Mj.

Coqu. ad mollitiem:

Pulpæ per Setaceum trajectæ adde
*Ol. Scorpion.* ʒß.
*Butyr. rec.* ℥j.

M. D. S.

Cataplaſma Urinam promovens.

Imponatur calidè regioni Pubis, applicato deſuper Operculo calido.

Ut hactenùs dicta fiant magis clara, *Exemplum Lochiorum retentionis, cum Suppreſſione Urinæ & Doloribus poſt Partum* complicatæ, curatæ narrabo: *Mulier* nempe Partu perquàm laborioſo, in quo ab Obſtetrice ruditer tractata erat, Filium enitebatur, quem difficilis & turbata Secundinarum, earumque fruſtulatim diſceptarum, excluſio ſequebatur: Hinc lecto impoſita altero mane graves Abdominis lancinantes & ad Pubem uſque protenſos Dolores patiebatur, repetitis iiſque crebrioribus vicibus recurrentes, ſimiles Partûs Doloribus. Acerbiſſimè ſimul circa Pubis regionem dolebat, ita ut præ Dolore tantumnon ejulare cogeretur: Lochia parcè fluebant, loturæ Carnium ſimilia, eaque pauca: Urina difficulter reddebatur, eaque tandem penitus ſupprimebatur. Ponderis ſenſum in Abdominis regione Hypogaſtricâ, verſus Genitalia prementis, intrinſecùs ſentire dicebat. Tertiâ demum die vocatus, Ægram, præter enarrata frigidiuſculè circa Extrema & Frontẽ ſudantem, cum Ructu & Singultu offendebam, ſimulque Pulſum celerem, frequentem, magnitudine & vehementiâ moderatum, durum nonnihil deprehendebam: quam ſic curavi.

Primitus ut promoverentur Lochia penitus ferè ſuppreſſa, præſcripſi duos *Pulveres*:

℞. *Borrac. Venet.* ʒß.
*Myrrh.* gr. xvj.
*Croci* ϑß.

M. f. Pulvis pro duabus doſibus.

Primam doſin Mulier mane capiebat, ſecundam revomebat; veſperi ob id præſcripſi ſequentes Pulveres:

℞. *Salis Card. bened.*
*Artemiſ.* an. ϑß.
*Borrac. Venet.* ʒß.

M. pro 2. doſibus.

Primam doſin capiebat veſperi, alteram à mediâ nocte.

Externè præſcribebam *Litum*:

℞. *Ol. Cheirin.* ʒß.
*deſtill. Cumin.*
*Bacc. Junip.* an. ʒj.

Miſc.

Hôc calidè illinebat regionem Hypochondriorum & Pubis, idque crebriùs; hinc poſt primam Pulveris doſin ſat commodè fluxere Lochia. Sed inſequente mane & die penitus ſupprimebantur cum Ventris Tumore intenſoque Dolore, tactui Venter durus erat Sudor frigidus ſuperveniebat, hinc Sanguinis Grumos in Utero adeſſe collegi, & præſcripſi ſequentem *Potionem*:

℞. *Aquæ Chærefol.*
*Matricar.* an. ℥iß.
*Acet. Vin. acerr.* ʒvj.
*Lapill. Cancr. præp.* ʒj.
*Myrrhæ* gr. xv.
*Laud. Opiat.* gr. iß.
*Syr. Artemiſ.* ʒvj.

M. pro Potione.

Probè agitando capiebat ſæpiùs cochleatim.

Cum uſu hujus Potionis *Sacculi* parabantur, & repetitis vicibus Abdomini calidè applicabantur:

℞. *Flor. Chamomill.*
*Herb. Abſinth.* an. M. iij.
*Matric.* M. ij.
*Rad. Angel.* ℥ij.
*Sem. 4. Cal. maj.* an. ʒij.
*Bacc. Junip.* ʒß.

Conciſa & contuſa *Sacculis duobus* incluſa, ut dixi, applicabantur; & exinde Sanguis diſſolutus egregiè evacuabatur.

Cùm autem Ægra adhuc Urinæ Suppreſſione moleſtaretur, ſequens *Cataplaſma* Pectini calidè applicare juſſi:

℞. *Herb. Parietar.* M. ij.
*Chærefol.* Miß.

Inciſ. coqu. ad conſiſt. Pultis:

cui adde
*Butyr. rec. non ſalit.* ℥ij.
*Ol. Scorpion.* ʒiij.
*deſtill. Terebinth.* ʒiß.

Miſceantur.

Alii *Mulieri* per tres dies & noctes Partu difficili laboranti, & tandem Fœtum mortuum excludenti, poſt Partum, cùm graviter Partes eſſent læſæ, & Urina non contineretur, & Lochia ſupprimerentur, dictam *Miſturam* felici cum ſucceſſu dedi: Sed ſexto die Purpura Alba ſuperveniebat, cui hæc Miſtura propter additam Myrrham egregiè profuit.

Inſuper cum his, quando Puerpera ſub *mutatione Stragulorum*, aut lectum petens, metuit de periculo imminente, conſultum eſt, ut in Sellâ perforatâ fiat *Suffitus* ex Sagapeno, Myrrhâ, Succino, Galliâ Moſchatâ, ex Trochiſcis de Myrrhâ, Bdellio, Scoriis Reguli Antimonii & ſimilibus, blandè Uterum ſtimulantibus: Quibus adnumerandi Trochiſci *ſuprà cap. 1. ubi de Secundinæ Retentione*, præſcripti. Præ cæteris optimi ſunt Suffitus, parati ex *Colocynthide*, qui potentiſſimè reſtitantes Purgationes poſt Partum promovent & eliciunt, de cujus Suffitûs egregio uſu vid. *in Caſ.* Timæi *Von Guldenklee pag.* 226. Lateres quoque igniti in Lixivium Scoriarum Reguli Antimonii injiciantur, & per Infundibulum fumus attrahatur. Item ſi forſan adſit Inflatio Uteri dolorifica, optimè convenit Suffitus ex Nuce Moſchatâ, de quo vid. Hartmanni *Praxis Chymiatr.*

Quibus tandem accedant *Clyſteres Alvini*, ex Emollientibus blandioribus, Aromaticis, Carminantibus & Uterum ſtimulantibus, Ano injecti, imprimis ubi Mulieres ſimul laborant *Suppreſſione Alvi*, qui tanquam Fomentum Sanguinem circa Uterum ſtagnantem incîdunt, fluxilem & excretioni aptum reddunt. Horum proficuus uſus vid. in Bartholino *Cent. 3. Hiſt.* 19. & Timæo *Von Guldenklee Caſibus lib. 4. caſ. 28. pag.* 227. ubi tale præſcribit *Enema*:

℞. *Rad.*

℞. *Rad. Leviſt.*
*Alth.*
*Lil. alb.* an. ℥ß.
*Ariſtol. utriuſque* an. ℥ij.
*Herb. Malvæ*,
*Puleg.*
*Artemiſ.*
*Sabinæ*,
*Calaminth.* an. M. ß.
*Flor. Chamomill.*
*Sambuci*,
*Melilot.* an. p. j.
*Sem. Lini*,
*Anæth.*
*Fœnugr.* an. ℥ij.
*Bacc. Lauri* ℥ß.
Inciſa & conquaſſata coqu. in ſ. q. *Aquæ* ſimpl.
Colaturæ ℥x. adde
*Spec. Hier. ſimpl.* ʒiv.
*Ol. Chamomill.*
*Aneth.* an. ℥j.
*Ungu. de Arthanit.*
*Salis Gemm.* an. ʒj.
Miſta injiciantur pro Enemate.

*Inſtrumentum Glauberianum* hîc locum ſuum invenit; ſicut Hellebori nigri Pulvis incluſus *Nodulo*, & Vaginæ Uteri intruſus, mirificè prolicit Lochia.

*Lotio* denique *Pedum* in auxilium quaſi revulſorium inſtitui poteſt.

*Hæremus adhuc in Affectibus, qui poſt Partum* ſolent ſupervenire Puerperis, è quibus abſolvimus retentionem Secundinæ, & remoratam expulſionem Lochiorum.

## ARTICULUS II.

### *De Lochiorum Fluxu Nimio.*

COntrarium vitium eſt *Nimius Lochiorum* in Partu ſeu mox poſt Partum *Fluxus*. Sæpiùs et am uſu venit imprimis poſt Abortum, item poſt rejectam Molam, aut etiam poſt excluſionem Fœtûs mortui, item, rariùs licèt, poſt legitimum Partum, ut graves ſubſequantur Sanguinis Fluxus ex Utero, ſeu nimiæ Lochiorum excretiones, vel Sanguinis obſcuri, nigricantis, grumoſi, vel Sanguinis floridi, tenuis, coccinei: prius ex Venoſo genere; poſterius ex Arterioſo fluere ſolet.

### CAUSÆ.

*Cauſæ* nimii Lochiorum Fluxûs ſunt:

1. *Sanguis uberior* aut *feroſior* & *aquoſior*, adeoque *fluxilior*.
2. Idem *concitatior*, aut etiam magis *turgeſcens*.
3. A læſione Uteri, imprimis ex *Placentâ avulsâ*.
4. *Irritatio Uteri*, vel à *Sanguine grumoſo*, vel à *fruſtulis Placentæ*, vel *à Molâ* in Utero relictis.

*Primum* quod attinet: aut effluit interdum quidem naturaliter Sanguis copioſior in Juvenculis ſucci plenis, calidioribus, coacervatus Geſtationis tempore, imprimis quæ ordinariò patiuntur Menſium Fluxus: aut evenit, ubi *Sanguis* ſuâ naturâ eſt *feroſior*, *aquoſior*, ac paulò *acrior*, adeòque *fluxilior*, ut patet in *Scorbuticis* & ſimilibus, quibus cum impetu fluunt Lochia.

*Secundum* quod attinet: in ſpecie in Puerperis, dum inſigniter incaleſcit Corpus & Sanguis fermenteſcit, ordinariò quoque adeſt Pulſus celer, frequens, magnus, ubi ſub turgeſcentiâ in Partu uberiora effluunt Lochia. Item evenit non rarò, ut in ipſo pariendi conatu, ubi paulò fuerit difficilior, propinata copioſiùs Spirituoſa, nempe Vinum, Aqua Vitæ Mulierum &c. nec non Salina, Fœtum pellentia, &c. Maſſa Sanguinea poſtmodùm exagitetur, rareſcat, turgeſcat, & uberius ejus profluvium per Uterum inducatur. Sanè Muliercularum plebejarum mos eſt, aut Vino generoſo tantumnon inebriare Fœminas parturientes, aut loco hujus Aquas Apoplecticas ſpirituoſas, ſeu Spiritum Baccarum Juniperi, aut ſimilia, copioſiùs, ad Vomitum uſque interdum, propinare, à quibus volatiliſata partim, partimque fluxilior & magis fermentativa reddita Maſſa Sanguinea, uberiùs poſt partum evacuatur.

Quoad *tertium*, nempe læſionem Uteri: accidit interdum nimius Lochiorum poſt Partum fluxus ex Placentâ diſruptâ, aut violentiùs avulsâ: id quod imprimis fit in abortivis aut intempeſtivis Partubus; aut etiam, quando alio quocunque tempore firmiùs Secundina cum Utero adhæreſcit, tunc hâc abruptâ *Vaſa Uterina* læduntur, ubi *ex laceratione* quaſi *Uteri* gravius ſubinde profluvium Sanguinis excitatur. Quô etiam pertinet Vaginæ Uteri plùs minùs Excoriatio, aut ejuſdem in parte quâdam Ruptio, cujus occaſione etiam *nimiæ Hæmorrhagiæ* interdum ſupervenire poſſunt: vid. Veslingius *in Obſerv. pag.* 164. *Bartholinianæ Editionis.*

*Quartus* denique periculoſus Uteri Fluxus fit ab irritatione Uteri ob res moleſtas, quando *Placenta Uterina* remanet, aut tota non extrahitur, ſed una alterave ejus ſupermanet in Utero particula, cujus Cadaveris præſentia continuò irritat Uterum ad copioſam Sanguinis profuſionem. Interdum non tam Placentæ fruſtulum eſt, quàm *Mola* quædam à Partu interdum adhuc in Utero relicta: & hæc poſterior ferè frequentior ſolet eſſe Cauſa, cujus moleſtâ præſentiâ Uterus irritatus copioſum plorat Sanguinem. Rectè enim hîc loquitur Amatus Luſitanus *Cent.* 7. *Cur.* 54. dum dicit: *Enixo Fœtu & Secundinis, ſæpiùs nimium Sanguinis ſequitur profluvium, quod nullis reſtringi poteſt remediis, idque ob Molam quandam in Utero adhuc latentem, quâ excretâ, vel ſponte ſiſtitur iſtud Sanguinis profluvium.* Proſunt ergò tunc Menſes cientia, ut Peſſus ex Elaterio, item Medicamenta ex Cyclamine, Sabinâ, &c. Nec ſola Mola, ſed fruſtulum *Secundinæ*, violenter abruptæ aut laceratæ, in Utero reſtitans ſimilem infert Hæmorrhagiam: Quô etiam facit Obſervatio elegans Riverii *in Cent.* 3. *Obſerv.* 24. ubi gravis Uteri fuit exorta Hæmorrhagia, cùm Fœtus mortuus in eodem contineretur. Huc denique etiam pertinent *Sanguinis Grumi* in Utero collecti. Omnia hæc præternaturali ſuâ præſentiâ continuò irritando Uterum, graves Hæmorrhagias inferunt, ita quidem, ut vel impoſſibile ſit has ſiſtere, vel eaſdem ſine recidivæ metu compeſcere, niſi dictæ illæ res moleſtæ in Utero exiſtentes priùs fuerint remotæ, quæ quandiu durant, tamdiu etiam Fluxus Lochiorum non ceſſat. Quin & *Retenta Inteſtinorum* præternaturalia, aut Excrementa viſcidiora aut duriora, Abdominis Dolores ac Tormina inferentia, per accidens etiam ex conſenſu nimiam Lochiorum excretionem inferre poſſunt. Notabilis in hunc finem eſt Obſervatio, quam habet Mauriceau *lib.* 3. *de Morb. Mulier. cap.* 5. Hæmorrhagiæ Uteri nimiæ ex ſimili Cauſâ natæ, per acrius injectum Clyſma curatæ.

Hæ ſunt Cauſæ, quæ inferunt nimium Lochiorum Fluxum.

### DIAGNOSIS.

Quod attinet *Signa*: Fluxus & Quantitas Sanguinis excreti

excreti nimia facilè & ſponte per ſe patent & cognoſcuntur, idque eò magis, ſi in ipſo Partu non pauca hujus efflu xerit copia.

*Arterioſus*, *an venoſus* Sanguis effluat? teſtantur conditiones, in Fluxu, nempe Materia excreta.

Cauſæ per Antecedentia fiunt manifeſtæ: primariò tamen Vires Puerperæ innuunt, an nimium ſit, quod effluxerit? an ſecus? ubi enim dejiciuntur Vires, ac Pulſus debilis ac frequens ſupervenit, ubi Faſtidium, Visûs obtenebratio, Aurium tinnitus, & quodammodò Animi deliquium tandem imminere videtur, imò interdum Mors ipſa ſubſequitur, tunc ſatis patet, nimium eſſe id, quod effluit.

## PROGNOSIS.

Quemadmodùm *omnes Hæmorrhagiæ* Uteri ſunt nimis *periculoſæ*, ita Mulieribus periculoſus eſt nimius Lochiorum Fluxus; quia in laboribus Partûs Vires debilitatæ, & Maſſa Sanguinea nimis agitata & exhauſta, eaſdem ut plurimùm ſolet labefactare: quin imò Mœſtitia, Melancholia, & alia gravia ſuperveniunt Symptomata, imprimis Deliria & Syncope, quibus ſi *Convulſiones* ſuperveniant, eò pejus eſt; vid. Hippocrates *ſect. 5. Aph. 56.* dum etiam interdum *Mors* ipſa ſupervenire ſolet.

Cæterùm diſtinctionem hîc faciunt Mulieres inter *Sanguinem* ut ſic, ſeu Venoſum, &, ut dicunt, Ger. *ſub Sanguine Cordis*: Quæ diſtinctio non eſt de nihilo. Per *Sanguinem Cordis* enim intelligunt *Sanguinem Arterioſum*; Nam qui effluit *poſt Partum*, is eſt *ex Venis*, quod monſtrat Color obſcurus & ex rubro nigricans. Si ergò *Sanguis intensè floridus* ſeu magis coccineus, & ex rubro ad flavum Colorem inclinans, emanat, reverà indicium eſt, quod immediatè *ex Arteriis* evacuetur. Periculoſius ergò eſt, ſi Arterioſus effluat Sanguis.

Porrò Lochiorum hæc Hæmorrhagia nimia frequentiùs accidit poſt Abortum, quàm poſt Partum legitimum: Illa, quæ ſequitur vel *violentam Secundinæ ſeparationem*, vel *Abortum*, ſolet eſſe longè periculoſior & gravior, quàm quæ ſequitur Partum naturaliter conſtitutum: Aut ſi poſt Abortum parum videtur excerni Sanguinis, tamen menſtruâ periodo & graviorem & periculoſiorem Hæmorrhagiam ſuperveniſſe obſervavi.

Et in genere: Quæcunque vitia, aliàs Hæmorrhagias inſequi ſolent, iſta in ſpecie ſequuntur Lochiorum nimium Fluxum.

## CURA.

Quoad *Curam*: in hac optimum eſt, ut habeatur ratio *Cauſarum Remotarum*. Opera ergò danda eſt, ut *Sanguinis nimius Fluxus ſiſtatur*; idque pro Cauſarum varietate, vel Sanguinem incraſſantibus, demendo ſimul ipſi ſuperfluum Serum; vel ejuſdem Motum fermentativum, à Spirituoſis excitatum, compeſcentibus; vel læſiones Uteri ab avulsâ Placentâ conſolidantibus, & adſtringentibus; vel denique iſtud, quod Uterum irritet, fruſta nempe Secundinæ, ſeu Molas retentas, removentibus: nam ubi hæc fuerint ſecreta, vel ſponte ſubinde ſiſtitur Sanguis; ipſa enim Sanguinis copia, Fluxum faciens uberiorem, ſponte ſiſtitur, ubi tandem, quod ſuperfluum eſt, fuerit evacuatum.

Ex quibus patet, *Venæ ſectionem in Brachio* eſſe Auxilium minùs conveniens in Lochiorum Fluxu, ut-ut hanc admodùm ceu probabiliſſimum Remedium approbat Guillemeau *lib. 3. cap. 10.* niſi vel in habitioribus, vel in Caſu adeò gravi, ut ex neceſſitate pro aliquali ſaltem Revulſione Venæ ſectionem in Cubito inſtituere cogatur Medicus, qualem refert Sylvius *lib. 3. cap. 8. §. 55.*

Quod ergò attinet Remedia: ea ſunt pro varietate Cauſarum varia. Hinc, dum *Sanguis eſt ſeroſior & aquoſior*, mediantibus *Sudoriferis* Serum derivetur per loca aliena. Sudorifera certè ex omnibus evacuandi rationibus, ſola conducunt, & interdum maximè proſunt in nimio Lochiorum Fluxu: nam ut-ut in ipsâ Sudatione ex fluidiore Maſsâ Sanguineâ, & rapidiori ejuſdem circulo, incrementum contingat ipſius Fluxûs, tamen hic, ubi ſufficienter ſudavit Corpus, aut ſponte imminuitur, ut poſteà Sanguis inſpiſſatus parciùs effluat per Uterum. Etiam in ipsâ Sudatione Spongia Aceto roſaceo imbuta Genitalibus ac regioni Pubis applicanda eſt; ſic enim præcavetur, quod metuendum eſt, Sanguinis nimium profluvium. Ratione Sanguinis turgeſcentis conveniunt *blanda Acida*, Sanguinis ferociam compeſcentia, & eundem mediocriter ad coagulationem diſponentia: qualia ſunt Remedia ex Tormentillâ, Portulacâ, Plantagine, Lyſimachiâ flore purpureo, quæ ceu Specifica hinc commendantur à quibuſdam.

Ratione *Cauſæ tertiæ*, quando nempe Uterus læſus ab avulsâ Placentâ infert nimium Lochiorum Fluxum, *Adſtringentia blanda* & *Vulneraria* conveniunt: quæ inter eminet *Chærefolium*, cujus *Decoctum* inter *Vulneraria* eſt egregium: quibus addatur *Plantago*, *Cydoniata* quæcunque, &c. Vel fiat talis Miſtura:

℞. *Aquæ Plantag.*
*Portulac.* an. ℥j.
*Cinnam.* ʒvj.
*Acet. deſtill.* ʒß.
*Corall. rub. præp.*
*Terræ ſigillat.*
*Hæmatit.* an. ϑj.
*Laud. Opiat.* gr. ij.
*Syr. Cydonior.* vel *Coral.* ʒj.
M. D. S.

Mixtura Sanans & Adſtringens.

Miſtura hæc ſubinde cochleatim hauſta, blandè Fluxum adſtringit, & Uterum denuò conſolidat.

Vel

℞. *Aquæ Plantag.* ʒvj.
*Fl. Acac.* ʒij.
*Extr. Flor. Hyperic.*
*Plantag.*
*Fol. Alth.*
*Sanicul.* an. ʒß.
*Laud. Opiat. Lang.* gr. iij.
*Syr. Corall.* vel *de Alth. Fern.* ʒj.
M. S. ut antè.

Detur cochleatim.

Quòd ſi in quartâ Causâ, irritato nempe Utero; fiat, ut *reſtitans Placentæ fruſtulum*, vel *Mola*, &c. nimium Sanguinis concitet Fluxum, periculoſum imminet Medico negotium; neceſſe enim eſt, ut expellatur hæc Secundina retenta moleſta, quô factô mox ceſſabit nimia *Uteri Hæmorrhagia*. Cùm verò omnia *Pellentia* ſimul ſoleant promovere *Lochiorum Fluxum*, & ſtimulent Uteri excretionem, ideò cauti ſimus in adhibendis his ipſis; quin potiùs, cùm iſta retenta ſint cauſa Profluvii, Pellentia Aromatica ratione retenti fruſti, & ſimul Incraſſantia ſeu blanda Adſtringentia ratione uberioris Fluxûs, ſunt conjungenda; applicando externè Peſſos, aut irritando Uterum, internè verò, quæ poſſunt nonnihil adſtringere, ſimul tamen Secundinam aut Molam promovere: v. g. Sylvius *in Prax. lib. 3. de Morb. Mulier. cap. 8. de Lochiorum Fluxu læſo §. 2.* habet *Mixturam* ex *Radice Biſtortæ*, *Herbâ Majoranæ*, *Pulegii*,

*Pulegii*, &c. quâ dicit feliciter ſe uſum eſſe in hoc caſu. Interim in hoc ſphalma typographicum latere puto, & pro ℥ij. *Radicis Biſtortæ*, ſumendas eſſe ſuſpicor ℥j. Nam hoc magis probabile videtur. Ad imitationem ergò Sylvii in tali caſu fiat tale Decoctum:

℞. *Rad. Biſtortæ* aut *Tormentill.*
(eſt adſtringens) ℥ij.
*Fol. Majoran.*
*Puleg.* (Menſes pellentia ſunt) an. M. j.
Coq. ex *Aquæ puræ* & *Vini albiſſ.* an. ſ. q.
Colat. ℥xx. adde
*Syr. Artemiſ.* ℥j. vel ℥ij.
*Aquæ Cinnam.* ℥ß.
M. D. S.
Decoctum Matricale.

De hoc capiat ſubinde Ægra bis vel ter in die ℥ij. vel iij.

Vel

℞. *Rad. Biſtort.* ℥iß.
*Tormentill.* ℥vj.
*Herb.* ſeu *Summ. Majoran.*
*Puleg.*
*Com. Hyperic.* an. M. j.
Coq. in ſ. q. *Aquæ* & *Vini*:
Colatur. ℔j. ad ℔iß.
adde
*Aquæ Cinnam.* ℥ß. vel ℥vj.
*Syr. Artemiſ.* ℥iß.

M. f. Potio adſtringens nonnihil, ſimul tamen pellens:

D. S. ut antè.

*Succinata* imprimis conveniunt in hoc caſu, ut Succinum præparatum, Trochiſci de Carabe, &c. quæ & Sanguinis Fluxum cohibent, & ſimul pellunt Contenta uterina. Quòd ſi debiliùs promoveant, acuenda ſunt aut Sale volatili Succini, aut aliquot guttulis ejus Olei deſtillati, aut granis ſufficientibus Boracis Venetæ. Si ergò quis pro Decocto malit Pulverem, talis parari poteſt:

℔. *Cornu Cervi uſti* ℥j.
*Borrac.* ℈j.
*Cinnam.*
*Croci* an. ℈ß.
M. f. Pulvis pro duabus doſibus. S.
Pulvis ſingularis.

Capiatur in Aquâ Cinnamomi.

Vel

℔. *Cornu Cervi uſti præp.* ℈ij.
*Hæmatit. præp.*
*Cinnam.*
*Croci*,
*Borrac.* an. ℈j.
M. f. Pulvis pro duabus vel tribus doſibus:
D. S. ut antè.

Aliàs in genere in quibuſcunque Fluxibus nimiis optimum eſt, miſcere ſubinde, quæ plurimis ſatisfaciunt ſcopis; hinc *Cydonia* & omnia *Cydoniata* conveniunt, Succus nempe Cydoniorum, vel Vinum ſeu Succus Granatorum. Conducunt itidem *Corallia* & *Coralliata*, in ſpecie Tinctura Coralliorum faſſafraſata, Corallia rubra mixta cum Succo Granatorum acidorum recenter expreſſo, quæ Mixturâ Puerperis ſubinde propinata ſolet Lochia nimis fluentia egregiè ſiſtere: quibus etiam poſſunt addi *Succus* aut *Syrupus Portulacæ*, imprimis in *acrimoniâ Sanguinis* aut *Utero læſo*. Pulvis Dentis Hippopotami, vel Unicornu verum, à ℥ß. ad ℥j. ceu ſpecificum Experimentum laudatur à Minderero *in Medic. Militari*, & Welſchio *Hecat. 2. pag. 26.* Obſervandum tamen de Dente Hippopotami, miras ejus eſſe facultates ad quaſcunq; ſiſtendas Hæmorrhagias: differentia tamen quædam intercedit inter ipſos Dentes, cùm non omnes ſint ejuſdem efficaciæ, ſed certo tempore ejecti ab ipſis Butis, hîc conveniunt. In genere autem in quibuſcunque Lochiorum Fluxibus nimis conveniunt imprimis *Martialia*, & hinc *Terrea*, adeoque eminet *Lapis Hæmatites* præparatus, *Bolus Armena*, *Terra Sigillata*, Cornu Cervi uſtum, Crocus Martis adſtringens, in ſpecie Tinctura Martis adſtrictiva, aut, quæ ejuſdem naturæ, *Tinctura Sulphuris Vitrioli* ritè præparata, aut *Liquor Martis Solaris*, in graviori Malo mirificè conveniunt: *Liquor Martis Solaris* à gutt. viij. x. xij. & xv. *Tinctura* verò *Sulphuris Vitrioli* à gutt. xx. ad xxx. utut fortioribus his non facilè utamur, niſi graviori caſu.

*Mulier quædam* hîc patiebatur nimium Lochiorum Fluxum, cùm jam Puerperium eſſet ſublatum, uſurpabat Liquorem Martis Solaris à gutt. xij. ad xv. per aliquot dies, & Fluxus ceſſabat.

Alia *Mulier juvenis* parum Lochiorum ſub tertio Partu emittebat, hinc ſubſiſtebatur & ſequebatur gravis Hypochondriorum Dolor; pro quo ſcopo ordinabam Eſſentiam Myrrhæ cum Tincturâ Tartari; ſed fruſtrà; Unde præſcripſi ſequentes *Pulveres*.

℔. *Borrac. Venet.* ℈ij.
*Myrrh.* gr. xvj.
*Croci* gr. viij.
M. pro 2. doſibus.

Exinde copiam & variam colluviem emittebat, ita ut Fluxum hunc ſtringere neceſſe eſſet, quod mediante hôc Liquore præſtabam. Sunt, qui laudant *Sperniolam Crollii*: ſed hæc propter Myrrham & additum Crocum minùs laudanda, minuſque conveniens videtur: potiùs conveniunt *Trochiſci de Carabe*, item *de Terrâ Sigillatâ*, vel per ſe in Vehiculo quocunq; vel *in Vino auſtero acidulo*, vel etiam cum cochleari *Aceti*: in ſpecie conducunt, ubi vel læſio inducta eſt Utero ex avulsâ *Secundinâ*, vel ubi ſubeſt Sanguis ſeroſior & aquoſior; uti etiam Antihecticum *Poterii*, imprimis Bezoardicum Joviale, ad compeſcendum Uteri Fluxum conveniunt.

Conveniunt aliàs hîc omnia ea, quæ *ſuperiùs de Hæmorrhagiis in genere*, aut *nimio Menſium Fluxu* commendavi, imprimis Laudanum Opiatum, & ex eo parata Remedia; deſperatam enim Uteri Hæmorrhagiam poſt Partum hoc ipſo Laudano Opiato curavit Timæus *Von Guldenklee, in ſuis Caſibus*. Vehiculum horum aſſumendorum conſtituunt Aqua Tormentillæ, Fragorum, Plantaginis, item Vinum Granatorum, Aqua Martialis ſeu Ferrata, & ſimilia; imprimis Aqua tenellorum Cornuum Cervi, Germ. *Hirſch Kolben-Waſſer*, cochleatim propinata. Nam hæc Aqua Arcanum fuit Cratonis, trium Imperatorum Archiatri, ad nimium Menſium Fluxum, cum qua propinavit Pulverem de Oſſe Cordis Cervi: in ſpecie, ſi Sanguis Arteriоſus fluere percipiatur, quod vocant, *Sanguis Cordialis abit*, id quod ex tenuitate, colore florido & uberiori ſcaturigine cognoſcitur, vix melius habebitis Remedium, quàm Aquam tenellorum Cornuum Cervi præparatam, & cum Spiritu Cornu Cervi nonnihil acuatam, cum Cornu Cervi, vel Coralliis rubris, &c.

Hæc primatum ducunt in *Hæmorrhagiâ nimiâ poſt Partum*. Hinc v. g.

℔. *Cornu Cervi uſti præp.* ℥j.
*Terræ Sigillat.*
*Lap. Hæmat. præp.* (eſt melius quàm *Crocus Martis* adſtringens) an. ℈ß.
*Laud. Opiat. ferment.* gr. iß. vel gr. ij.
M. pro 2. vel 3. doſibus. S.

Pulvis

Pulvis Adſtringens.

Propinentur in Vino auſteriuſculo.

Vel

℞. *Lapill. Cancr. præp.* vel *Corall. rub. præp.* ℈ij.
*Terræ Sigillat.* ℈j.
*Laud. Opiat.* gr. ij.
M. f. Pulvis pro duabus doſibus.

Cum *Aceto Vini* non nimis forti aſſumendis.

D. S. ut antè.

Vel

℞. *Conſ. Roſar. antiqu.* ʒj.
*Dia-Cydon. ſine Specieb.* ʒß.
*Trochiſc. de Carabe,*
*Terrâ Sigill.*
*Cornu Cervi uſti præp.* an. ℈ij. vel ʒj.

Cum ſ. q. *Syrup. Cydonior.* f. Electuarium.

De quo capiatur ſubinde quantitas Nucis Juglandis: Vid. Foreſtus *lib.* 28. *Obſ.* 62.

Vel

℞. *Aquæ Tormentill.*
*Menth.* an. ʒiß.
*Cinnam. cum Vino* ʒiij.
*Trochiſc. de Carabe* ʒiß.
*Syr. Corallior.* ʒvj.
M. S.

Mixtura Adſtringens.

Cochleatim hauriatur.

℞. *Aquæ tenell. Corn. Cervi* ʒiij.
*Succ. Cydon.* vel *Granat. acid.* ʒj.
*Hæmat. præp.* ℈ij.
*Corall. rub. præp.*
*Bol. Armen. præp.* an. ℈j.
*Laud. Opiat.* gr. ij.
*Syr. Corall.* ʒvj.
M. S. ut antè.

Hanc & ſequentem Mixturam, ad imitationem Sylvii *lib.* 3. *Pr. cap.* 8. præſcriptam, egregiè profuiſſe obſervavi: Scilicet ſuperiori Æſtate *Mulier quædam* erat, quæ altero die poſt Partum iraſcebatur, unde ex *Irâ*, confuſis ſic Succis & Spiritibus, ſupprimebantur Lochia, quod aliàs rarò evenire ſolet. Erat autem Mulier non Plethorica, ſed inclinabat ad Cachexiam: tertio, quinto & ſexto die à Suppreſſione ſuperveniebant *graves Dolores Abdominis*, & hinc *enormis Lochiorum fluxus* repetebat de novo. *Cauſa* erant *Sanguinis Grumi*, qui in Utero coacervati poſtmodùm Dolores iſtos, hinc nimiam Hæmorrhagiam inferebant, quod monſtrabatur, quia grumoſus Sanguis cum florido ejiciebatur. Variis cæteroquin tractatis, præſcripſi ſequentem *Mixturam*, quæ feliciter operata eſt:

℞. *Aq. tenell. Corn. Cervi* (euporiſton Cratonis in Hæmorrhagiâ Uteri nimiâ) ʒiij.
*Succ. Cydon. rec.* ʒj.
*Corall. rub. præp.* ʒj.
*Hæmat. præp.* ʒß. ad ʒj.
*Laud. Opiat.* gr. iß.
*Syr. Cydon.* vel *Plantag.* ʒß. ad ʒvj.
Miſc.

Hæc Mixtura uſurpabatur repetitis vicibus cochleatim, & brevi pòſt Lochia ſuppreſſa ſunt, & ſic unà cum aliis ſucceſſivè curata fuit.

Obſervandum tamen adhuc eſt, *non ſubitò eſſe ſupprimendum Sanguinem*, in ſpecie mox à Partu, quia ſubinde ubi primus impetus ceſſaverit, ſponte denuò ſoleat ſiſti: quod ſi non fiat, tunc demum ad Appropriata accedendum erit.

In graviori autem Malo, aliis deſperatis, ultimum refugium ſit *Bolus ex Conſervâ* appropriatâ, nempe *Roſarum* vel *Radicis Symphyti majoris*, in quo parum *Aluminis* propinetur, ſcilicet à ℈ß. ad gr. xv. aut ℈j. & ʒß. ad ℈ij. pro unâ vel duabus vicibus exhibendum, & ceu optimum laudatur Experimentum.

*Opiata* per ſe in hoc caſu nota ſunt.

Cum his *Internis Externa* blanda, vel Sanguinem nimis effluentem ſiſtentia, vel Vaſa circa Uterum nonnihil adſtringentia, adjungenda ſunt. Quibuſdam in uſu ſunt *Injectiones* in Uterum ex Decoctis Adſtringentibus. Commendat Valeriola *lib.* 4. *Obſ.* 6. Injectionem factam ex *Decocto* aut *Succo Plantaginis* aut *Portulacæ*, ex Decocto Stercoris Suilli, & ſimilibus in Aquâ Ferrariorum decoctis, injiciantur cum Siphone in Uterum, imprimis ubi ſuſpicio eſt læſi aut excoriati Uteri; quibus neceſſitate urgente Unguentum *Comitiſſæ* adſtringens addendum monet *citatus* Valeriola. Vel fiant *Decocta Adſtringentia* cum Aquâ Ferrariorum, in quibus Succus Acaciæ noſtratis, item Sanguis Draconis aut Bolus Armena diſſoluta ſint: item fiat *Cataplaſma ex Fuligine* cum *Aceto Roſaceo & Albumine Ovi*, quod regioni Lumbari prope Os Sacrum applicandum & ſubinde repetendum ſuadet Riverius. Vel Argilla calcinata ſimili modo cum Aceto ſubacta, circa regionem Renum Lumbarem applicari poteſt. Item Pubi ac Genitalibus applicari poteſt *Epithema* ex Aquâ Spermatis Ranarum ritè deſtillatâ, aut Sperma te Ranarum cum Aceto Roſaceo pauco miſtâ, cum Spongiâ, vel tepidè vel frigidè, admovendâ. Nec incongruum eſt, ut applicentur *Mammis* quædam, & quidem ſi fluunt nimiùm Lochia ex Sanguinis turgeſcentiâ & nimio orgaſmo: nempe *Epithemata* ex Aceto, *Succo Sempervivi*, *Nitro*, & *Aquâ Spermatis Ranarum*, frigidè applicata & ſæpè reiterata, imprimis in iis, quæ nolunt lactare: Vel applicentur *Cucurbitulæ cum magnâ flammâ* ſub Mammis, ut ita motu Sanguinis quaſi contrario ſurſùm concitato, impediatur ejus nimius raptus ad Vaſa Uteri.

Tandem ſingulare Experimentum eſt *Cingulum* factum eſt Foliis Hellebori albi (Folia ſcilicet nonnihil contuſa, ut partes nerveæ ſubſideant, aſſuantur Linteo, & ita Cinguli formâ applicentur nudæ Pubi circa Lumbos) eſt *Experimentum* Hartmanni, quod ceu expertum à ſe commendat Lindanus in nimio Lochiorum Fluxu.

Denique in habitioribus aut Sanguine turgeſcentioribus, impetuosè per Uterum erumpente, præditis, *Venæ ſectio* in Cubito maturè inſtituta, ſubinde in primâ herbâ Affectum ſuffocat, quia ejus impetum deorſum verſùs tollit. Hanc imprimis extollit Guillemeau: Aſt facit hoc more Gallis conſueto; cùm tantùm locum habeat Venæ ſectio in ſtatu Sanguinis copioſi, & nimis quaſi febriliter turgeſcentis.

## ARTICULUS III.

### *De Lochiorum per loca aliena Excretione.*

NEmpe ubi impeditur Lochiorum Excretio, vel pertinaciter ſupprimuntur, non mirum eſt, ut regurgitantia in Maſſam Sanguineam fermentativâ turgeſcentiâ *per alium quendam Locum moliantur egreſſum.* Pro Partium naturâ, in quas ſit Metaſtaſis, multiplicia Symptomata ſuperveniunt; qua ratione Bartholinus refert *Cent.* 3. *Hiſt. Anatom.* 19. ſe obſervaſſe aliquoties Lochia ſalutariter non rarò per Alvum expurgata: Sic Salmuth refert *Cent.* 4. *Obſerv.* 89. quòd à retentis Lochiis Febris acutiſſima, Doloreſque Abdominis in Puerperâ fuerint oborti, donec Lochiis per Nares erumpentibus hæc omnia ceſſârint: Vid. M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obſervat.* 184. *pag.* 282. Quin & obſervatum fuit aliquando,

per Mammas ſuppreſſa Lochia ſalutariter fuiſſe evacuata: Graviſſimum Morbum ex Lochiis retentis videbitis apud Hildanum *Cent.* 5. *Obſerv.* 42. Scabiem fœdiſſimam & fere leproſam per Lochiorum ſuppreſſionem obortam apud eundem *c. l. Obſ.* 43. Salmuth *Cent.* 1. *Obſer.* 82. obſervavit Melancholiam & Oblivionem: Foreſtus *in Reſponſ. Medicis pag.* 25. Apoplexiam: ex Lochiis non ritè fluentibus Phthiſin & Pulmonum corruptelam Cattier *apud* Borellum *Obſer.* 11. Paralyſis etiam ſupervenit Lochiis ſuppreſſis, imprimis in Partibus inferioribus; quale Exemplum etiam habet Theodatus *in Valetud. pag.* 112. ſicuti etiam ex Lochiis ſuppreſſis Epilepſiam obſervavit Timæus *Von Guldenklee in Epiſt. pag.* 26.

## CURA.

In tali Caſu cautus ſit Medicus, *ne turbet motum Naturæ*, quem facilius eſt impedire quàm corrigere, & niſi notabile damnum adferat Excretio Lochiorum per aliena Loca, ſemel cepta veſtigia ne turbet, ſed Naturæ motum permittat: ſin verò Malum aliquod immineat, v. g. ſi Tuſſi aut Hæmoptyſi rejiciatur, tunc per *Externa* Lochia ſuppreſſa revocanda ad Uterum, & perversè excretorum Lochiorum corrigat Fluxum.

## CAPUT IV.

### *De Doloribus Poſt Partum.*

POrrò præter hos Affectus circa Lochiorum Fluxum etiam mirè cruciant frequenter Puerperas *poſt Partum Dolores*, iique varii, qui ipſi nunc ſimiles ſunt Doloribus Partûs, nunc verò ſunt diſſimiles. Si ſint ſimiles, vocantur *Dolores poſt Partum*; vix enim eſt Partus, cui non ſuperveniant. Non tamen confundendi ſunt varii hi Dolores, qui poſſunt Mulieribus à Partu ſupervenire: propterea, qui forſan ſuperveniunt *Oriſicio interno* læſo, vel *Vaginæ Uteri* laceratæ, illi huc non pertinent propriè; ſed iidem Dolores, qui affligunt Puerperas poſt Partum *in ipſo Abdomine*, ſunt propriè illi, adeoque dividuntur in Dolores *Veros* propriè dictos, & *Nothos* ſeu impropriè dictos. *Veri* ſunt, qui affligunt *Inteſtina, Meſenterium*, parteſque his connexas.

*Dolores Veri* ſunt nihil aliud, quàm *continuatus pariendi conatus*, dum ex quacunque Causâ adhuc poſt Partum Uterus vel irritatus, vel inſigniter læſus, continuato Spaſmo violento & Convulſione, ſe contrahere, & rem irritantem excutere, nititur, & tales Dolores infert: propterea etiam ſunt vagi, non continui, ſed nunc inſurgunt, nunc remittunt, iis ſimiles, quos aliàs percipiunt in Partu, & ſaltim aliquos horas, interdum aliquot dies Puerperas vexant. Imò & hi ipſi Dolores poſt Partum, interdum atrociores & crudeliores ſunt, quàm ipſi dolores in Partu, ita ut Patientes dicant, ſe libentiùs Partum ipſum, quàm Dolores hos perferre velle.

Hi ſunt Veri poſt Partum Dolores, ſimiles ferè ipſius Partûs Doloribus.

## CAUSÆ.

*Cauſa* horum Dolorum in genere eſt ſaltem *irritatio Uteri*, & hinc laborioſus & ferè fruſtraneus egerendi conatus, ſeu, ut ſic dicam *Teneſmus Uterinus*.

*Cauſa* autem, quæ Uterum irritare, & eundem in *Spaſmum* concitare valet, eſt *duplex*: nempe, vel *Frigus* extrinſecùs admiſſum, vel *Grumi Sanguinis* in Utero retenti, aut *Secundinæ* fruſtula, vel etiam *Mola*, vel ſimile quid poſt Partum adhuc in Utero reſtans, quòd aliàs excernendum fuiſſet: Quibus occaſionibus Uterus irritatus, continuatis ſic Spaſmis Dolores ſuperveniunt, ſpeciatim ſi Puerperæ *Aërem frigidum* poſt Partum citò nimis ſuſcipiunt, hinc enim ſubinde atroces ſuperveniunt Dolores. Hoc obſervavi in quâdam Muliere, quæ veſperi ante Partum Convivio præſens veſcebatur nimio Pulmento, Germ. *Kombs*, hinc nocte inſequente, urgente tunc Frigore, corripiebatur Diarrhœâ cum copioſis Flatibus, unde ter aut quater lecto ſurgens Alvum exonerabat: hinc Frigus contrahebat, poſt horam pariebat, peractoque Partu integris 24. horis gravibus Doloribus cruciabatur, ut etiam diceret, ludum eſſe pariendi Dolores Veros, ſi cum his conferantur. Frigus enim externum, lædendo plùs minùs Uterum, eumque irritando, occaſionem præbebat ſuperveni-entibus Doloribus; ſicut ex eâdem Causâ Sanguine grumoſo facto & impediebatur Lochiorum Fluxus, unde graves Dolores lancinantes, qui reverà conveniunt cum veris Partûs Doloribus aut eoſdem ſuperant; quod etiam fit ſubinde, quando Secundina diutiùs poſt Fœtum in Utero moratur; tunc enim ex Frigore externo Aëris inflatus Uterus admodùm dolet, imminutâ plus minùs Lochiorum excretione. Id quoque ſimiliter fit, quando *Extrema*, v. g. Manus vel Pedes, nonnihil refrigerati ſunt. Par ferè ratio eſt *Potûs frigidi* mox poſt Partum aut ſaltim in Puerperio crebriùs hauſti; nam & hinc Uterus læditur, ferè tumidus & quaſi inflatus redditur, & plùs minùs dolet. Vel (2.) infert tales *Dolores poſt Partum* interdum plùs minùs violenta *Secundinarum*, Utero firmiùs connexarum, *avulſio*, indeque nata Uteri læſio & quaſi excoriatio; unde læſus Uterus à Partu dolet, qui Dolores continui, nec lancinantes ſed angentes eſſe ſolent, & hoc habent conjunctum ſibi, quòd Abdomen non verò Corpus angant, ut dicant: *Se non debere Corpus tãgere, eſſe enim quaſi purulentum*; quod ipſum Signum eſt læſi Uteri, & vel à Placentâ impetuosè avulsâ, vel ab Excretis ibidem acrioribus, Sanguine nempe acriori, ſalſiori, &c. Uterum in ſuo tranſitu plùs minùs irritante, & ad Dolores ſtimulante. Quòd ſi autem dictæ Cauſæ concurrant, Dolores ſunt eò graviores; utut rariores ſint, qui ab Utero læſo, frequentiores tamen ratione Frigoris ſuſcepti, vel Sanguinis grumoſi. Cæterùm his Cauſis ſimul adde *Flatus*, quibus ſi inflatus Uterus, Dolores poſt Partum oriuntur cum graviſſimâ regionis Hypogaſtricæ diſtenſione, dicuntque ejuſmodi Ægræ: *eſſe ipſis ac ſi Corpus vellet dirumpi.*

*Dolores* verò *Nothos* & Colicis ſimiles, Germ. *die falſchen Wehen*, quod attinet: ſimillimi ſunt iis Doloribus, qui ſub Menſium difficultate ſubinde Mulieres affligunt, & eandem rationem fiendi & curandi habent: Nempe circa *Umbilicum* tenſiones percipit, Dolores ad *Cor* properant, uno nomine, ſunt ſaltem Tormina Ventris, ſeu Dolores Colici & Iliaci, aut Hypochõdriaci, &c. oriundi à dictorum locorum *Spaſmis* quaſi Hyſtericis, qui ipſi graviter interdum excruciant Mulieres, & excitantur ab Excrementis retentis ante Partum, vel Succis in Inteſtinis effuſis, qui ubi efferveſcunt, Flatus & Tormina inferunt, vel ſimilibus Cauſis, quibus Inteſtina irritantur, atque ita poſt Partum Dolores non tam Uteri, quàm Abdominis partium contentarum inferunt, unde injectis Clyſmatis facilè levantur.

## DIAGNOSIS.

Quoad *Signa*: Puerperæ ipſæ hos Dolores & indicant, & Nothos à Veris facilè diſcernere poſſunt; partim à *Loco*: in Doloribus enim Veris Loca Abdominis infe-

inferiora affliguntur, quia ſunt ſimiles genuinis Partûs laboribus & Doloribus, reliqui verò Hypochondria, ſpecialiter ſiniſtrum, magis occupare ſolent, vagi ſunt, & modo atrociùs, modò remiſſiùs cruciant; quin & ad ſuperiora magis recurrunt, cum Veri Dolores poſt Partum deſcendant deorſum ad Pubem, & hinc reflectantur ad Lumbos: partim *à Dolore*, in Doloribus enim Veris eſt irritatio in Utero, uti dicunt: *eſſe ipſis ac ſi denuò debeant parere*; ſi verò Uterus ſit læſus, dicunt *intolerabiles in Utero ſentire Dolores*; ſi *Flatus* diſtendunt Uterum, tunc in ſpecie Lochia ſimul ſuppreſſa ſunt.

Cauſæ, an *Sanguis* congrumatus? an *Aër* ſuſceptus? ab Antecedentibus, item ab excretis Lochiis aliiſque circumſtantiis & relatione Ægræ, facilè cognoſci poſſunt.

Vana interim eſt Muliercularum perſuaſio, quaſi ſalubres & admodùm proficui ſint hi Dolores poſt Partum, quatenus Lochiorum promoveant Fluxum; quod tamen falſiſſimum eſt, quin potiùs interdum impediunt eundem: quando enim Uterus eſt irritatus, inflatus, aut excoriatus, ulteriùs ejus Orificium interius ſe ſtringit, Lochiaque ſupprimuntur, & ſic Dolores fiunt longè acerbiores, ſubindeque magis excruciant Puerperas, quàm Veri Dolores.

Interdum occaſione Lochiorum ſuppreſſorum exſuſcitatur *Febris cum Delirio*, adeoque Virium defectum & inde varia Mala inferunt, ut in ipſo Partu Mulier non adeò debilitata fuerit; unde potiùs Dolores præcavendi ſunt, quàm curandi.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: Moleſtiſſimi Puerperis ſunt hi Dolores à Partu, reddunt illas inquietas, & præter Lochiorum ſuppreſſionem, graviores ſi fuerint, ad Convulſiones ac Deliria, diſponunt: imò ex iſtis Doloribus univerſo Corpore commoto interdum occaſionem ſuggerunt, ut Febrim contrahat Mulier periculoſam, in ſpecie ſummam Virium proſtrationem poſt ſe trahant; unde Symptomatis aliis ferendis pòſt impares ſunt. Errant ergò hôc in paſſu Mulieres, ceu dixi, quæ Dolores hos proficuos, quaſi Lochiorum Fluxum concitantes, putant. Conf. in ſpecie Sylvius *lib.* 3. *Prax. cap.* 9. ubi prolixè de his Doloribus poſt Partum agit, §. 2.

## CURA.

In hac ergò opera danda eſt, ut Dolores maturè removeantur, & ſiſtantur, tam per *Interna Aromatica Carminantia*, & Sanguinis fluxum nonnihil promoventia; quàm per *Externa Fomenta Uterina Aromatica*, Uterum, ut vocant, roborantia, ſuccurrendo tamen in ſpecie Cauſis variis. Hinc ſi Malum fuerit *ex Frigore ſuſcepto*, tunc præter Remedia ex Chamomillâ, optimè conveniunt *Fomenta & Litus*, in ſpecie Suffitus ex Nuce Moſchatâ *ſuprà*, ubi *de Inflammatione Uteri*, allegatus: Sic Schenckius *lib.* 4. *Obſervat. de Puerperis* refert, Puerperam intempeſtivè egreſſam, contractis Doloribus magnis, Suffitu Nucis Moſchatæ adhibito, emiſſo ingenti Crepitu ex Utero, curatam. Si ſint ex *retentione Sanguinis grumoſi* vel *Lochiorum*, præter Miſturam Polychreſtam *ſuprà* laudatam, nil melius eſt *Chærefolio*, cujus Aqua & Decoctum, ac quoque eſus ſanè multiplici uſu prodeſt Puerperis: conſolidat ſimul, ſi quid læſum eſt in Utero, & Sanguinis Grumos optimè diſſolvit, aliaque Retenta ejicit, ac multis ſcopis ſatisfacit: addi poteſt Crocus & Macis, ſic enim magis ſtimulat, *ſi aliquid ibi contrarium eſt*. In ſpecie convenit *Sperma Ceti* à 3ß. ad 3j. in Aquâ Cardui benedicti vel Decocto Florum Chamomillæ exhibitum, nam & hôc talem Dolorem ex Sanguine congrumato curavit Timæus *Von Guldenklee in Caſib. pagin.* 34. Aut ad diſſolvendum Sanguinem grumoſum tale paretur *Decoctum*, quod etiam eſt Experimentum.

℞. *Rad. Gramin.* ℥ß.
*Herb. Chærefol.* M. j.
Coqu. in *Aquâ fontan.*
addendo in fine *Crocum & Macin.*
Colatura pro libitu edulcorata S.
Decoctum pro aliquot vicibus.

Hujus potu Sanguis grumoſus in Utero optimè diſſolvitur.

Quòd ſi Lochia minùs benè fluxerint, uſurpari poteſt:

℞. *Tincturæ Tartari* 3ij.
*Eſſ. Myrrh.* 3j.
M. S.
Eſſentia diſſolvens & leniens.
Doſis guttæ 40.

Si acrior Sanguis hos Dolores concitaverit, Cornu Cervi uſtum convenit, item Oleum Amygdalarum dulcium recens expreſſum ad aliquot uncias ſubinde repetitis vicibus à Partu aſſumptum:

Vel

℞. *Ol. Amygd. dulc. rec.* ℥ j.
*Syr. Violar.* ℥j.
*Aquæ Borrag.* ℥ß.
M. D. S.
Mixtura leniens, cochleatim capienda.

Quòd ſi verò Dolores illi ſint ab *excoriatione vel læſione Uteri*, tunc præter Miſturam Polychreſtam, *Vulneraria* ſuprà allegatis *Anodynis* addita, conveniunt, ut & *Corallia* & *Coralliata*, blanda *Martialia* & Hæmatites, in Vehiculo ſpecifico. In genere omnium optimè conducunt, præter Semina Calida iſta Carminantia, Cumini, Fœniculi, Aniſi, Carvi, & Remedia ex iis Specifica, qualia etiam Utero non incongrua ſunt; Semina enim hæc in Vino bullita ac propinata optimè conducunt in Doloribus poſt Partum, non ſecus ac Semen Cumini in Cereviſiâ coctum. Juxta hæc nobile eſt Simplex ad ſopiendos poſt Partum Dolores Uteri *Chamomilla*, quæ par ſibi Remedium non habet, tam communis, quàm Romana. Decoctum ſanè Florum Chamomillæ vulgaris internè hauſtum, quo ſemper tanquam Arcano feliciſſimo uſus ſit cum ſucceſſu, commendat Foreſtus *lib.* 28. *Obſervat.* 75. & 81. Confirmant hoc alii, in ſpecie Amatus Luſitanus, item Roſencreuzerus *in ſua Aſtronom. Inferiorum*, qui omnes ſingulariſſimè hanc Chamomillam, ejuſque Decoctum, nunc ſolitariè, nunc cum aliis, aliaque Remedia contra nimios Dolores poſt Partum laudant: Imprimis ſi accipiatur Chamomilla Romana, magis aromatica & volatilis, eſſet Remedium eò magis præſentaneum: unde etiam *Aqua & Eſſentia Florum Chamomillæ*, tam vulgaris quàm Romanæ, cum Spiritu proprio parata, erit egregia; non minùs quàm Oleum Chamomillæ utriuſque deſtillatum ſaphirinum mirè conducit, & ad aliquot guttas hauſtum vix deſeret Ægram aut Medicum. Sic poteſt etiam in Decocto Chamomillæ aſſumi *Elixir Proprietatis*, vel *Eſſentia Myrrhæ*; imprimis dum non rectè fluunt Lochia: & ſanè crebrimè in Doloribus poſt Partum, imprimis quando Sanguis grumoſus aut Lochia ſuppreſſa ſimul aderant, feliciſſimo cum ſucceſſu Decocto Florum Chamomillæ, cum Cereviſiâ parato, uſus fuit. Aliquando curavi hoc *Decocto*, in quo ratione Lochiorum ſimul propinabatur *Elixir Proprietatis*, Mulierem hujuſmodi acutiſſimis poſt partum Doloribus, cum imminuto admodùm Lochiorum fluxu, & hinc graviſſimis Præcordiorum anxietatibus

tibus afflictam, Magma Decoctionis reſiduum regioni Pubis ſimul imponendo, & his ipſis omnis poſtmodùm Dolor brevi evanuit: & ſanè ab omnibus Practicis hæc ipſa Chamomilla extolli ſolet. Addi poteſt interdum *Artemiſia rubra*, ut fiat Remedium eò magis appropriatum. Juxta Chamomillam convenit in ſpecie etiam *Lavendulæ* Decoctum, in Vino vel Cereviſia pro ſopiendis his Doloribus. De Remediis ex *Secundinâ* res nota eſt, quòd in his doloribus *ex conatu ejiciendi* oriundis ſit ſingulare & infallibile Experimentum, ſi vel Pulvis Secundinæ à ʒß. ad ʒj. vel Spiritus Secundinæ in ſimili doſi, calidè exhibeatur in Juſculo Gallinæ. Quibus addatur Caſtoreum cum Myrrhâ ſociatum, & omnia ex iisdem parata, Eſſentia Caſtorei, Eſſentia Myrrhæ cum Tincturâ Tartari parata, item *Tinctura Hyſterica* ſeu *Anonyma D. Langii* ex Caſtoreo & Asâ fœtidâ cum Spiritu Vini confecta, quæ ſunt admodùm proficuæ; item Spiritus Salis Ammoniaci aniſatus commodè propinari poteſt in his Doloribus. Juxta hæc eſt *Zedoaria*, item *Galanga*, commune Muliercularum euporiſton, quarum Pulvis à ʒß. ad ʒj. in hauſtu Vini calidi aſſumptus, optimè confert ad nimios poſt Partum Dolores. Obſtetrices noſtræ laudabili conſilio ad præcavendos nimios tales Dolores propinant poſt Partum *Panem butyratum*, cui *Pulvis Zedoariæ*, largiter adſperſus, aut ſaltem in Vino calido propinant, ſubinde etiam repetunt, idque felici cum ſucceſſu. Ad præcavendos æquè atque ſopiendos poſt Partum Dolores, εὐπόριστον Muliercularum plebejarum eſt Aqua ſeu Lotura Butyri, quantitate trium cochlearium hauſta, admoto Naribus Pane toſto ne excitetur Vomitus: quod etiam duodecies ſe expertum habere, dixit mihi Experientiâ ipsâ edocta quædam Mulier; cui nec ignotum eſt *Vinum*, poſt Partum tepidè hauſtum, mirè refocillare, quæ itidem Dolores Partûs Veros à Nothis diſcernere novit, dum dicit: *Dolores Nothi ſurſum aſcendunt, neque ſequuntur Partum, ſicut Veri.*

Præter dicta etiam conveniunt ex Artemiſiâ, item ex Matricariâ parata Remedia, uti etiam Angelica, Eſſentia Zedoariæ, Succini, &c. cum Aquâ Cinnamomi propinata, Cinnamomum, Zingiber, Cardamomum, Oleum deſtillatum Baccarum Lauri, &c.

His ipſis non ſufficientibus in graviori Malo ad *Opiata*, neceſſitate coacti, confugimus, addendo tamen ſimul, quæ nonnihil ſtimulent, ne Lochiorum impediatur Fluxus; ſecus enim illa ſiſtuntur: e. g.

℞. *Aquæ Puleg.*
*Chamomill.* an. ʒj.
*Carmin.* ʒß.
*Eſſ. Caſtor.* ʒj.
*Ol. Chamom. ſaphir.* gut. ij.
*Laud. Opiat.* gr. ij.
*Syr. Artemiſ.* ʒvi.
M. f. Potiunculâ,
Interdum cochleatim hauriendo.
D. S.

Mixtura Leniens & Aperiens pro aliquot vicibus.

Quòd ſi *Febricula* ſimul adſit aut ſuperveniat, his commodè parum de Spiritu Nitri dulci addi poteſt.

Sin *Dolores poſt Partum ſint Nothi*, Tormina nempe Abdominis & Hypochondriaca, optimo cum conſilio applicantur *Clyſmata* ex Carminantibus & Aromaticis conflata, quæ iſtiuſmodi Dolorem brevi ſopiunt. Internè propinetur Zedoaria, Spiritus Carminativus ex Tartaro & Nitro, ut & Spiritus Salis Ammoniaci, & ſic etiam ſubinde evaneſcunt Dolores.

Juxta hæc *externè* in genere conveniunt imprimis in Doloribus, tam Veris quàm Nothis, *Fomenta* Abdomini applicata, paranda imprimis ex Artemiſiâ, Matricariâ, Pulegio, Abſinthio, Floribus Chamomillæ, Roremarino, Foliis & Baccis Lauri & Juniperi, & ſimilibus Aromaticis Carminantibus in Vino vel Aquâ decoctis; quæ vel intinctis Linteis vel Sacculis incluſa, quàm calidè fieri poteſt, Abdomini applicantur. Primatum obtinet Fomentum ex Decocto Artemiſiæ; Hôc ipsô enim Rulandus *in Theſaur.* curavit Fœminam quandam, poſt Gemellorum difficilem Partum difficillimo Dolore Matricis in Orificio cum omnimoda Urinæ ſuppreſſione per multos dies durante, correptam: ſolam ſcilicet Herbam coxit in Aquâ ſimplici, quo Decocto fomentando Uterum externè, Malum curavit. Item conveniunt *Fomenta ſuprà annotata, ubi de Colicâ:*

Vel

℞. *Herb. Rutæ,*
*Fol. Lauri* an. M. ij.
*Summ. Aneth.*
*Flor. Chamom. Rom.*
*Samb.* an. M. ß.
*Rad. Angel.*
*Leviſt.* an. ʒij.
*Bacc. Lauri* ℥j.
*Juniperi* ℥ß.
*Sem. 4. Cal. maj.* an. ʒij.
Coqu. in ſ. q. *Vini*, Vaſe clauſo:
Huic Linteamina immerſa tepidè applicentur, imponendo deſuper Laterem calefactum.

Item *Litus* ex Oleo Cheirino, Oleo Liliorum alborum, Chamæmelino, Anethino, Lumbricorum; item ex *Axungiâ Caſtoris* cum Oleo deſtillato Spicæ, Succini, Cumini, Angelicæ, & Baccarum Lauri, niſi fortè unum horum Ægra ob odorem non poſſit ferre: e. g.

℞. *Axung. Caſtoris* ʒij.
*Olei deſtill. Spicæ,*
*Succini,*
*Cumini,*
*Angel.* an. ʒß. vel gutt. x.
M. f. Linimentum: S.
Unguentum Leniens.
Quo calidè inungatur Umbilicus & regio Hypogaſtrica ſub eodem repetitis vicibus.

Vel applicentur Linimentum, Unguentum ſeu Emplaſtrum, *ſuprà ubi de Suffocatione Uterinâ*, & *in Ideâ Form. Claſſ. 5. §. 3.* commendata. Si poteſt Mulier ferre Odorata, *Zibethum* illinatur calidè Abdomini, & reiteretur, vel *Linimentum* mollius ex Axungiâ Gallinarum, mixtâ cum Oleo deſtillato Chamomillæ, illinendo Abdomini; præſertim quando Puerperas jam aliquot poſt Partum diebus Dolores lancinantes & pulſantes in Hypogaſtrio, nunc in altero, nunc in utroque, vexant. Aut

℞. *Ungu. de Alth.* ℥ß.
*Ol. Chamom.* ʒij.
*deſtill. Chamom.*
*Succini* an. ʒß.
M. S. ut ſuprà.
Illinendo Abdomini. Applicentur deſuper Linteamina probè calefacta.

Vel applicetur *Emplaſtrum Matricale de Galbano*, malaxetur cum *Oleo deſtillato Chamomillæ*, & inſternatur Abdomini. Vel applicari poteſt ſequens *Cataplaſma*, quod & ipſum ceu ſingulare laudatur:

℞. *Bacc. Lauri pulveriſ.* ℥iß.
*Rad. Alth.* ℥j.
*Calam. arom.* ʒij. vel ʒiij.
Coqu. ad ſpiſſitudinem pulticulæ in Aquâ fontanâ adde
*Pingu. Capon.*
*Anſerin.*
*Gallinæ.*

*Gallinæ* an. ℥iß.

Subigantur deinde blando igne ad conſiſtentiam *Cataplaſmatis* ſpiſſioris, ut Linteo induci, & ita Pubi calidè applicari poſſit; ubi refrixerit, ſubinde repetatur.

D. S.

Cataplaſma Leniens,

Nec inconveniens eſt *Cataplaſma* ad imitationem Courvei *de Morb. Mulierum*, ex Radice Liliorum alborum & Cepis coctis cum Farinâ Seminis Lini, Cumini, addito Oleo Chamomillæ: v. g.

℞. *Cepas in Aquâ coctas* No. iij. vel iv.

His comminutis adde

*Pulv. Sem. Cumini*,
*Lini*,
*Flor. Chamom.* an. M. j.
*Farin. Hord.* q. ſ.

Cum ſ. q. *Aquæ*, *in qua coctæ Cepæ*:

F. Cataplaſma.

Quod applicetur calidè Abdomini infra Umbilicum.

Sclarea cum Butyro frixa, & umbilicali regioni & infrà eam inuncta, quoſvis à Partu Dolores etiam ſiſtit.

Quòd ſi ex *Inflatione Uteri Dolores* ortum trahant, *Clyſteres* Carminantes ex Herbâ Matricariæ, Calaminthâ, Pulegio, Artemiſiâ, Radice Althææ, Liliorum alborum, &c. (vid. Timæus *loc. all. Caſ.* 30.) injecti per Anum & *Suffitus*, imprimis ſi *à refrigerio* Malum fuerit, *ex Nuce Moſchatâ* inſtitutus, optimè conveniunt: Vid. Hartmannus *Pr. pag.* 279. & Solenander *Sect.* 5. *Conſ.* 15. Plura *ſuprà dixi*, *ubi de Uteri inflatione.*

## CAPUT V.

### *De Lipothymiis Puerperarum, Et Uteri Suffocatione.*

POrrò *Suffocatio* ſeu *Strangulatio Uteri* gravior, ut vocant, ſæpè mox à Partu, interdum aliquot poſt Partum diebus, affligit Puerperas, eaque duplici modo: Interdum enim mox à Partu *Lipothymiæ* imminent, ac tunc dormire volunt, quod ipſum reverà eſt *Paſſio Hyſterica*: vel *Paſſiones* tales *Hyſtericæ* ſuperveniunt poſtmodùm in curſu Puerperii, atque ſunt vel ſolitariæ, vel conjunctæ aliis Morbis.

*Prius* ſi ſit, optimum eſt, ut utamur ſaltem *Sale* quodam *volatili*: v. g. ſolus Spiritus Salis Ammoniaci cum Liquore Cornu Cervi ſuccinato in vehiculo calido diſſipat imminentes Lipothymias Hyſtericas, repetendo aliquoties, donec Mulier evadat immunis. Verùm ſi *poſterius* ſit, nempe *Paſſiones Hyſtericæ* in curſu Puerperii, vel complicatæ cum aliis Affectibus, eſt Malum difficilius, partim quia non poteſt facilè cognoſci ob alios Morbos, partim quia in Curâ reſpectus habendus eſt ad ipſum Partum: Nempe ſi aliquot dies à Partu tales ſuperveniunt Suffocationes Uteri, hæ ipſæ imprimis ſe manifeſtant maximis Cordis anxietatibus, & inſigni compreſſione Præcordiorum, cum difficili Reſpiratione: adjuncta Symptomata Abdominis vel pauca ſunt vel nulla, niſi poſtmodùm tandem ſuperveniant; adeoque ut interdum quibuſdam pro alio Affectu imponat, & ipſæ interdum Puerperæ neſciant, ſe laborare Hyſtericâ Paſſione.

## CAUSÆ.

Imprimis excitatur hoc Symptoma, ſi pro Curâ alius Affectûs propinâtur Remedia aut dulcia, aut aliàs ingrata & faſtidioſa; tunc enim ſubitò ſolet excitari hoc ipſum πάθημα, & ſupervenire iſtæ anguſtiæ. In ſpecie verò apud noſtrates Mulierculas cum Purpurâ imminente & erumpente ſe ſolet frequenter conjungere; adeò ut neſciamus ſæpè, an Febris & Purpura? an Hyſteriça Paſſio magis excruciet Puerperam?

## DIAGNOSIS.

Interim tamen in *Paſſione Hyſtericâ* anxietates Præcordiorum affligunt circa regionem Stomachi & Hypochondriorum; quibus verò imminet *Purpura*, conqueruntur ſimul de difficili Anhelitu, non quòd Thoracis motus impediatur, ſed quòd Pectus repletum ſit. Dicunt *totum Pectus ipſis eſſe repletum.* Quod ipſum fit ex aliquali Sanguinis ſtaſi, propter vitiatam Fermentationem circa Præcordia.

## CURA.

In tali ergò caſu, utut præter *Abſorbentia* & Remedia ex *Caſtoreo ac Myrrhâ*, optima eſſent *Clyſmata*, quæ ipſa etiam talem Hyſtericam Paſſionem ſubitò tollunt, tamen ubi Purpura incipit erumpere, cavendum ſtudiosè ab omni Evacuante, aut Alvum ſtimulante, idque eo magis, ſi Purpura fuerit alba, Germ. *der Weiſe Frieſel*; nam rubra minùs eſt periculoſa. Ubi ergò ſuſpicamur, eſſe complicatam *Paſſionem Hyſtericã cum imminente Purpura* aut alio Morbo acuto, aut adjunctus Æſtus aut intenſus Calor cruciet Puerperam, ſimus cauti in Remediorum Volatilium exhibitione; quia non ſemper eadem ferunt Morbi acuti. Potiùs ergò, cùm ſemper ſimul habenda ſit reflexio ad Lochiorum fluxum, *Temperata*, e. g. Caſtoreata, hinc Myrrhata, ac denique ex Succino, quibus ſemper ſimul Fixa temperata ex Matre Perlarum, Antihectico *Poterii*, Antimonio Diaphoretico, Cinnabari Antimonii & ſimilibus, item Salia fixa, Cardui benedicti, &c. cum Myrrhâ, Salibus volatilibus, Cornu Cervi & Succini, ſociata, uſurpari debent, ut ita utrique Affectui urgenti, nempe Paſſioni Hyſtericæ, & Morbo acuto, vel imminenti vel præſenti, ſimul occurramus. Propinanda ſunt in Aqua Hirundinum cum Caſtoreo: Umbilico verò inungatur Oleum Succini, cum quo probè ſubactum ſit parum Caſtorei. Res mira in tali caſu, dum in Hyſterico Paroxyſmo probè contectæ tales Mulieres ſudant, ſi illis propinetur ſubinde, quod neceſſe eſt fiat, Cochlear unum vel alterum Aquæ Hirundinum cum Caſtoreo, ſubitò ſtimulatur Urina, & inſciæ ſubinde ſtragula permingunt. In tali caſu, ubi eſt *Hyſterica Paſſio cum erumpente Purpurâ*, præſcribi poteſt talis *Pulvis*; Nam potulenta, dulcia, &c. inſtar Diaboli fugienda ſunt: V. g.

℞. *Ebor. ſine igne*,
*Antimonii Diaphor.*
*Specif. Cephal.* vel *Cinn. Antimonii* an. ʒj.
*Myrrh. elect.* (ratione Lochiorum & ratione Purpuræ: nam Myrrha eſt appropriatum Remedium Febrium Purpuratarum) ʒß.
*Caſtor.* gr. vj.
*Sal. vol. Cornu Cervi*,
*Succini* an. gr. ix.

M. f. Pulvis pro tribus doſibus: S.

Pulvis Matricalis.

Propinatur in Aquâ Hirundinum cum Caſtoreo; acuata cum tantillo de Eſſentiâ Caſtorei. Eſt Pulvis nauſeoſus, ſed bonus; nam & Purpuram promovet, & Hyſtericam Paſſionem ſiſtit, & Lochia ſtimulat.

Aliàs ubi nullus metus eſt Purpuræ, Volatilia oleoſa Caſtoreata vel ſola ſufficiunt, modò obſervetur,

quòd vel ſolæ anxietates Præcordiorum, citra ſenſibile Abdominis Symptoma, ſufficiant pro Paſſione Hyſtericâ. Item vitentur omnia *Dulcia* in Puerperis.

## CAPUT VI.

### *De Inſultibus Epilepticis Puerperarum.*

POrrò interdum mox poſt Partum, aut ſuppreſſis Lochiis, aut interdum etiam ritè fluentibus Lochiis, ſed cum Suffocatione quaſi Hyſtericâ ſuperveniunt *Epileptici Inſultus*, qui ubi adſunt, niſi ſubſit ſingularis Malignitas, ſæpiùs vitium Lochiorum ſubitò ſuppreſſorum, aut Hyſtericæ Paſſionis plùs minùs manifeſtæ præſupponere ſolent, vel hanc ſibi comitem adſciſcunt: ſicut etiam Timæus *von Guldenklee, in Epiſt. pag.*26. Epilepſiam ex retentione Lochiorum obſervavit.

### CURA.

Conveniunt ergò in hoc caſu, præmiſsâ tamen vel omiſsâ *Venæ in Talo ſectione* imprimis Liquor Cornu Cervi ſuccinatus, qui utrique ſcopo ſatisfacit, cum Caſtoreatis propinatus; Conducit etiam Eſſentia Hyſterica *D. Langii*, quæ hîc eſt commendata: aut ex Myrrha & Caſtoreo parata Eſſentia cum Spiritu Salis Ammoniaci oleoſo; aliaque Caſtoreata & Myrrhata cum Volatilibus miſta, ſunt experta: aut ſaltem uſurpentur Antimonialia fixa, præſertim Cinnabaris Antimonii cum Succinatis volatilibus miſta; ſic namque ex utriuſque connubio aptiſſimum pro Epilepticis Puerperis habetur Remedium, ſubinde reiterandum.

## CAPUT VII.

### *De Puerperarum Cephalalgia, Vigiliis, & Deliriis.*

PAr ratio eſt, ſi *Vigiliæ*, *Deliria* ac ſimilia *Pathemata Capitis* ac Nervoſi generis, ſuperveniunt Puerperis; in his enim primariò ad Lochiorum fluxum reſpiciendum venit. Sic Salmuth *Cent.*1. *Obſerv.*82. refert Melancholiam & Oblivionem Puerperæ ex Lochiis retentis. Foreſtus *in Reſp. Med. pag.* 25. obſervat Puerperam ex non ritè fluentibus Lochiis Apoplexiam incurrentem, Clyſteribus & Venæ Cephalicæ ſectione curatam.

Quòd ſi *Vigiliæ* comitentur Febres Acutas, levantur optimè per Medullam Crurum Vituli Temporibus bis vel ter illitam. *Opiata* non facilè uſurpantur.

## CAPUT VIII.

### *De Pudendorum Excoriatione.*

FIt interdum etiam, ut in Partu, idque imprimis difficili & violento, *contundantur*, *excorientur* aut *lædantur Pudenda*: in quali caſu in ſpecie prodeſt, ſi *Oleum Hyperici & Roſatum* miſceantur cum *Ovis integris* probè contuſis, & ſub formâ *Linimenti mollioris* applicentur.

## CAPUT IX.

### *De Tumore Pudendorum.*

IUxta hanc Pudendorum Excoriationem, evenit interdum, ut in Partu, vel primo vel difficili, ex dilatatione nimiâ & quaſi Fibrillarum & Membranarum laceratione oriatur *Tumor Inguinum & Pudendorum*, & aliqualis eorum *Inflammatio*, aut ſaltem Tumor œdematoſus poſt Partum, quod eſſe vocant, Germ. *Matricem turgidam.*

### CURA.

In tali caſu convenit Oleum Verbaſci & Chamomillæ: imprimis *Fotus ex Floribus Chamomillæ & Sambuci* in Vino & Aquâ coctis, qui cum Linteis calidè & crebrò applicatus diſcutit Tumorem. Vel recipiatur *Beccabunga viridis* contuſa (eſt enim ſucculenta) cum *Floribus Chamomillæ*, quæ calidè inſtar *Cataplaſmatis* imponantur Pudendis tumidis; ſic enim etiam ceſſare ſolet Pudendorum Tumor. Item *Herba Meliloti* cum *Semine Fœnugræci* in Fœtûs formâ uſurpata admodùm laudatur à Pauli *in Quadrip. Botan. ubi de Meliloto.*

## CAPUT X.

### *De Fiſſuris Labiorum Pudendi.*

IN *Fiſſuris* & laceratione *Labiorum Vulvæ* ac Orificii Uteri exterioris à Partu difficiliori, uſurpant noſtrates Decoctum Raparum exſiccatarum in Torgavienſi Cereviſiâ, cum Butyro pauco non ſalito: Hôc Decoctô eluunt, mundificant & purgant partes læſas, quod etiam convenit in Pudendorum Excoriatione. Optimè etiam convenit *Emplaſtrum* ſequens:

℞. *Ceræ alb.* ℥ß.
*Ol. Amygd. dulc.* ℥j.
Liquefactis adde
*Balſ. Peruv.* ʒiij.
Miſc. pro Linimento,

agitando donec refrigeſcat, & plumaceolis applicetur in loco affecto:

D. S.
Unguentum Sanans.

In majoribus verò Fiſſuris:

℞. *Ol. Hyperic.* ℥ß. vel *Balſ. Peruviani* ʒiij.
*Axung. Porcin.* ℥ij. vel ℥iij.
*Ol. Vitell. Ovor.* ʒiij.
*Terebinth. Venet.* ʒj.
M.f. Balſamus. S.
Balſamus Sanans.

Applicetur cum Plumaceolis intinctis, Germ. *mit geſchabten Faſsgen*, dictis *Fiſſuris.*

## CAPUT XI.

### *De Ruptura Vulvæ Seu Perinæi.*

VErſamur adhuc in Symptomatibus, quæ poſt Partum, tam Naturalem quàm Præternaturalem difficilem, ſolent ſubſequi ſubinde: juxta quæ etiam Puerperas grave affligit Malum, quando nempe interdum in *Primiparis*, vel ex anguſtiis Viarum, vel ex Partu difficiliore, vel à grandiore Fœtu, contingit *Ruptura Perinæi*, ſeu ſpatii, quod eſt inter Rimam Vulvæ & Anum, ita ut hi duo Sinus efficiant unum idemque Foramen.

## PROGNOSIS.

Affectus, ſi quis alius, eſt moleſtus & doloroſus; qui non ritè tractatus, facilè in *Inflammationem*, hinc *Gangrænam* degenerat, & ita *Mortem* infert.

## CURA.

Malum hoc nunc eſt recens, nunc inveteratum; ita ut loca diſrupta jam Cicatrices contraxerint. Recens ſi fuerit, ante omnia *Vulnus recens* eluatur cum Decocto calido Pruni ſylveſtris, in quo diſſolutum ſit

Rob

Rob Acaciæ, ſic Labia loci rupti adſtringendo nonnihil uniuntur: hinc *Suturâ* conjungenda, ſive cum Filo conſuantur, ſive mediante Suturâ per *Gluten* adſtringens, Germ. *ein Hefft pflaſter*, Linteo inducendum, & utrinque Labiis ruptis imponendum; quæ ubi probè cohæſerint, per Anſulas mutuò colligantur, & ita unienda. Factâ conjunctione imprimis convenit *Radix Conſolidæ majoris*, ſi ſcilicet pulveriſata ſaltem inſpergatur, aut miſceatur cum *Albumine Ovi*, & ita Rimæ inſpatio illo factæ blandè illinatur, aut cum Filamentis carptis imponatur; ſic enim breviter fit conſolidatio Foraminis. Affirmat quidam intra viginti quatuor horas fieri; ſed vix credo, eſſet nimis cita Curatio. Alii faciunt *Cataplaſma* ex Decocto Radicis Conſolidæ majoris cum Herbâ Verbaſci, quo Cataplaſmate applicato curare volunt hoc ipſum Vulnus, ſituando ita Puerperam, ut Clunibus elevatis, Cruribus & Pedibus probè anguſtatis, ſupina continuò jaceat ad octo vel novem dies vitando omnem motum Tuſſis, Sternutationis, & ſimilem. Vel cum Plumaceolis ſubinde immittatur *Balſamum* quoddam *Vulnerarium*, v. g. Balſamus Sulphuris ad extra, nunc ſolitarius, nunc cum Balſamo Peruviano imponitur: aut ſolus Balſamus Peruvianus, qui ſi fuerit acrior, diluatur cum Vitello Ovi; aut imponatur Balſamus Sulphuris terebinthinatus, promptè conſolidans, aut alius expertus Balſamus in Vulneribus recentibus, cum Oleo Hyperici aut Momordicæ, donec perfectè fuerit conſolidatum, Ægrâ intereà ab omni Motu Corporis abſtinente, & quieto in loco jacente. Optima Methodus medendi eſt, quam docet in *Caſ. Medicis* Timæus *von Guldenklee*, *lib.* 4. *Caſ.* 31. *pag.* 230. ubi ſolo Glutinè, utrinque Labiis Rimæ ruptæ applicato, curavit talem Rupturam citra Balſamum Vulnerarium. Deſcriptio eſt hæc:

℞. *Pulv. Rad. Conſol. maj.* ℥ij.
*Boli Arm.*
*Maſtich.*
*Sangu. Dracon.*
*Sarcocoll.*
*Farin. volat.*
*Pompholyg.* an. ℥j.
Cum *Reſinæ Pini* & *Album. Ovi* q. ſ. miſc. pro Glutine.

Quòd ſi accidat, ut ex Urinâ effluente, & neglectâ Rupturâ immineat *Gangræna*, quale Exemplum refert Rulandus *in Theſaur.* tunc abſciſâ parte gangrænosâ applicetur crebrò Aqua Calcis vivæ cum Linteolis duplicatis, ſic Gangræna ſiſtetur: quô factô, illinatur Balſamus Sulphuris terebinthinatus, ut pars gangrænoſa conſolidetur.

Sin verò jam *inveterata fuerit Ruptura*, ita ut utrinque Cicatrices jam ſint adnatæ, Cura ad eum modum, quo Labiorum Leporinorum Cura, inſtituenda venit, vulnerando aut leviter exulcerando Labia cicatriſata, hinc conſuendo eadem, & cum Balſamo Vulnerario conſolidanda. Conferatur hic Viardel *in ſuo libro Obſtetricum cap. ult. p.* 210. Aliàs curioſum Caſum & ſingulare Exemplum Rupturæ Vulvæ ad Anum habet Guillemeau *in lib.* 3. *cap.* 7. *de felici Puerperio*, qua Ruptura neglecta Cicatrices induxit, ita ut unum Foramen remanſerit: interim Mulier denuò concepit, & poſtmodùm ſequente Partu ab eo fuit curata eodem modo, quo Labia Leporina curari ſolent, ſcilicet abſcindendo primò Pellē cicatriſatam, pòſt per Filum circa Anum transfixum denuò ductum Labia uniendo, & poſtmodùm in extremitatibus levibus Suturis conjungendo, & pro Conſolidatione hocce *Balſamum Elemi compoſitum*, mediante quo curabatur, applicando:

℞. *Gum. Elemi* ℥ij.
*Terebinth. Venet.* ℥ij.
*Ol. Hyperici* ℥iß.
*Sangu. Dracon.*
*Myrrhæ*,
*Aloës* an. ℥j.
Liquefiant omnia ſimul, & f. l. a. *Balſamum.*

## CAPUT XII.

### *De Inflammatione Uteri cum Gangræna.*

POrrò in difficiliori Partu ex contuſione & laceratione Uteri ſubinde hujus *Inflammationem cum Gangrænâ & Sphacelo* ſupervenire, ſuprà dictum. Quòd ſi hoc fiat in ipſo Utero, conveniunt *Injectiones*, quales deſcribit Viardel *in libro Obſtetricum*, *cap.* 24. & quæ *ſuprà cap.* 1. fuerunt *inſinuatæ*, *ubi de retentâ & putreſcente Secundinâ.*

Vel

℞. *Herb. Lactuc.*
*Nymph.*
*Plantag.*
*Scord.* an. M. j.
Coqu. in ſ. q. *Seri Lactis*, vel in *Lacte ipſo.*
Colatura D. S.
Lac inſpergendum.

Sed ſi Mala hæc ipſum Uterum afficiunt, rarò curari eundem arbitror, quin potiùs intereant Puerperæ: ſin verò Partes exteriores affligantur, imitari poſſumus Rulandum, qui Gangrænam Vulvæ curavit præſcindendo quotidie Partes, utpotè carnes emortuas: Poſt præſciſſionem affecta loca mundificavit intùs & extùs Aquâ Calcis vivæ, mundificatas & Linteolis ſiccatas Partes ungebat Oleo Sulphuris ſuo, poſteà deſuper applicabat Emplaſtrum Diaſulphuris, quibus Dolor mitiùs agebat, & Partes corruptæ in dies conſaneſcebant: vel fortes è profundo faciendæ ſunt *Inciſiones*, hinc inſtituenda *Ablutio* cum Vino, Melle, Sale & Aceto, hinc *Linimenta* Mundificantia uſurpanda, Vid. Riverius *Obſerv.* 22. & 23. communicata à Fomio.

## CAPUT XIII.

### *De Hæmorrhoidibus Cæcis.*

POrrò in quibuſdam *Hæmorrhoides Cæcæ*, à Partu prorumpere incipiunt, & Doloribus acerbis Puerperas affligunt, tam internè quàm externè. Non ſtatim applicandæ ſunt *Hirudines*, quod quidam faciunt, ne per derivationem Lochiorum impediatur fluxus, ſed potiùs *Dolor ſiſtatur* hoc *Fotu*:

℞. *Flor. Chamomill.*
*Verbaſc.*
*Sambuc.*
*Herb. Linar.* an. Miß.
Miſta & conciſa ebulliant in Lacte:
Colatura D. S.
Lac Leniens.

Partim ſub formâ *Fomenti* uſurpetur, partim Spongiâ Decocto imprægnatâ Ano applicetur.

Item Radix Fabariæ vel Scrophulariæ recens in Dorſo ſuſpenſa convenit:

Vel

℞. *Ol. Verbaſci* ℥ij.
*expr. Sem. Papav.* ℥j.
*Ceruſſ.* ℥ß.
*Camph.* gr. iij.
Miſta probè ducantur in Mortario plumbeo pro Linimento:
D. S.

Unguentum Leniens.

Applicetur crebrò.

## CAPUT XIV.

### *De Alvo Suppreſſa Puerperarum.*

POrrò *ſuperiùs* dixi, Alvum Puerperis eſſe ſæpiùs ſuppreſſam, quæ tamen nullo modo Acrioribus eſt irritanda : Curam *ſuprà* ſimul, ubi *de Symptomatibus Gravidarum*, exhibui. Sufficiunt, ut monui, Piſulæ Peſtilentiales *Rufi*, aut Paſſulæ Laxativæ ; ſi eas propter dulcorem ferunt Puerperæ ; ad ſummum, *Suppoſitorio* uſitato leniore ſtimulanda eſt Alvus : fortiora ante nonum aut decimum quartum à Partu diem vix tutò uſurpari poſſunt.

## CAPUT XV.

### *De Diarrhœa Puerperarum.*

COntrarium huic & periculoſum vitium eſt, quando Puerperis ſupervenit *Diarrhœa*, ut plurimùm, niſi fuerit à Causâ externâ, funeſta & lethalis ; nam interdum Puerperæ ſunt nimis ſiticuloſæ, & bibunt frigidum Potum, parum quidem unâ vice, ſed crebriùs, unde ſupervenit tandem Diarrhœa, quæ à tali manifeſtâ Causâ non eſt adeò periculoſa, niſi forſan in adjunctâ Purpurâ & Petechiali Febre ſimilive caſu retroceſſum excernendorum inducat ; nam in hoc caſu eſſet admodùm periculoſa.

## CURA.

Hæc Diarrhœa à *Potu copioſo*, in ſpecie ſi frigidiuſculus hauriatur, ſiſtitur inungendo Umbilico & regioni Stomachi Oleum deſtillatum Macis, cum Oleo deſtillato Succini ( poſterius additur, ne Odor gratus Macis Hyſtericam Paſſionem excitet ). Item propinentur Ova ad duritiem cocta, quibus parum Pulveris Nucis Moſchatæ recentis inditur ; Nam hæc denuò Diarrhœam ſupprimunt. Puerperis imprimis malignè febrientibus primis poſt Partum diebus frigidus Potus, ceu peſtilentiſſimus, eſt fugiendus. Hauriatur Potus uſitatus & ordinarius, & quantum poteſt, tepidè, aut nullo modo frigidè, & ſimul diſſolvatur in eodem Gelatina Cornu Cervi ſimplex, ubi nullus adeſt Æſtus Corporis, Gelatina verò Cornu Cervi acida, ubi Æſtuatio febrilis ſimul adſit : nam Potus tepidè hauſtus promovet Lochia, addita Gelatina Cornu Cervi Malignitati ſæpiùs latenti obviam venit, & Corpus in blandâ Diaphoreſi ſervat.

Imprimis in Diarrhœâ Puerperarum *duæ Circumſtantiæ* ſunt conſiderandæ :

1. An ritè fluant vel fluxerint *Lochia* ?
2. An adjunctus ſit *Morbus acutus malignus* ?

In utroque caſu cautus ſit Medicus. Si ſuperveniat *Diarrhœa Lochiis rectè fluentibus*, ſiſtenda venit, in ſpecie *blandis Sudoriferis*, & ſimul *Stypticis* : ſi verò vel *non manant*, vel non ſufficienter *fluxerunt*, relinquenda. Interdum enim fit, ut *Diarrhœa* oriatur, aut potiùs ſuperveniat Lochiis ſuppreſſis, Naturæ conatu admodùm ſalubri, quæ interdum, ut ſe ipſam liberet, Diarrhœam inſtituit loco ſuppreſſionis Lochiorum : quale Exemplum videbitis in Bartholino *Centur. 3. Hiſtor. 19.* Cùm ergò interdum Lochia per Diarrhœam ſoleant evacuari, propterea talis Diarrhœa, ubi Lochia vel non, vel non ſufficienter fluunt, niſi ſit nimia, aut niſi nimis debilitet Ægram, adeòque quamdiu durat cum Appetitu integro, nullo modo eſt ſupprimenda ; potiùs propinando Lochia ſtimulantia, horum fluxus aut revocandus, aut ſaltim ut promptior per Alvum fiat ſimilis excretio, ſtimulandus. Sin verò *Febri Malignæ* à Causâ internâ, Efflorescentiis cutaneis, &c. ſuperveniat Diarrhœa, res eſt periculo pleniſſima, & quia impeditur eâdem Naturæ motus, propterea venit *curanda*, atque tunc externè *Aromaticis*, internè *Præcipitantibus* Sudoriferis fixis, nonnihil Stypticis, Malo obviam eundum eſt, ut ita beneficio Stypticorum Alvi Fluxus ſiſtatur, per Sudorifera verò ejiciantur recrementa, Cauſa Diarrhœæ. Conveniunt ergò *Cornu Cervi uſtum, Terra Sigillata*, *Magiſterium Coralliorum* cum *Succo Citri*, quibus pro circumſtantiarum ratione addendum eſt nonnihil de *Laudano Opiato*, imprimis ubi Lochia ſufficienter fluxerunt ; ſic enim prohibetur Cauſa motûs, & Cauſa ipſa per Sudorifera evacuatur ; *Stypticа* verò Fluxum ſiſtunt, & Diarrhœam compeſcunt. Subinde intermiſcenda ſunt *Cydoniata* blanda, Stomachum & Inteſtina modicè adſtringentia. ( K )

CA-

( K ) Nota Cyrilli. Diarrhœam Puerperis *non ſemper noxiam, imò nonnunquam proficuam eſſe, oſtendit ſequens* Hiſtoria, *in quâ non vulgaria notanda erunt Symptomata.*

Neapoli 20. Maii 1710.

*QUum* Dña N. N. *octavam menſtruorum emanſionem ex primâ graviditate circa* 16. Aprilis *diem tranſgreſſa eſſet, poſt immoderatum Oſtreorum aceto & aromatibus conditorum uſum*, 19. *ejuſdem menſis* Vomitu *violento humorum acerrimorum tentata fuit, quem die ſequenti, Reſurrectioni Dominicæ ſacro*, Febris *inſecuta. Secundâ Febris die*, Doloribus *magis ac magis urgentibus*, Fœmellam peperit, Octimeſtrem *reputatam, tum ratione exilitatis corpuſculi, tum quia nec adhuc tempus exceſſerat octavæ emanſionis. Quæ ad Partum pertinent exactè contigerunt, nec eâdem Partûs die novus febrilis paroxyſmus acceſſit. Tertiâ verò cum rigore nova Febris invaſit, & quidem vehemens cum anxietate & angoribus, eodem ferè tenore per totam diem quartam protracta, uſque dum poſtquàm levem paſſa fuerit remiſſionem, quintâ die ferociùs invaſerit, rigore item non mediocri paroxyſmi prænuncio.*

*Verùm Febris quæ uſque ad ſextam diem morem* Tritæophyeos [ *quòd ſcilicet continua fuerit, & tertiâ quaque die exacerbaretur* ] *ſervavit, ſextâ ipsâ die, in quâ novus paroxyſmus non timebatur, maximâ violentiâ ſemel interdiù atque iterum noctu invaſit*, Alvi fluxu *ſuperveniente humorum corruptorum, malè olentium, & viridem ferè tincturam referentium. Crevit anxietas, inquietudo, atque ex linguæ ariditate & rubore ſitis clamoſa.* Puerperia *tamen rectè fluebant, imò non tam Sanguinis grumi, quàm exigua Placentæ vel Membranarum ramenta in Utero relicta, facilè prodibant. Eo tempore* Theriacalia *adminiſtrata, & Uterum blandè ſollicitantia, vitatis fortioribus* Emmenagogis *ob Febris acutiem, & linguæ ruborem. Nec congruum viſum fuit* Diarrhœam ſiſtere, *cùm humores non abſque noxâ retinendi excernerentur : Confectio ergò Hyacinthina, & Cryſtallus montana frequenter exhibita, ad acrimoniam temperandam, atque ad Febris excedentem fervorem mulcendum*, Emulſiones *ex Seminibus frigidis expreſſis propinatæ : præſertim cùm Febris à ſexta die uſque ad decimam bis quotidie exacerbationem pa eretur, ut vix* Cibo [*qui ex Carnium aſſarum ſucco parabatur*] *exhibendo tempus ſupereſſet.* Venæ ſectioni *locus non fuit, tum quia Uterus ſuo fungebatur munere, tum quia Alvi aderat fluxus.*

Febrilis

## CAPUT XVI.

### *De Incontinentia Urinæ Puerperarum.*

PORrò fit interdum in laborioſo Partu, ut Fœtus grandior, nimis diſtendendo Vaginam uterinam, adeò diſtendat Collum Veſicæ urinariæ, Vaginæ uterinæ inſertum, ut ex hujus diſtenſione *Puerperæ continere nequeant Urinam* id quod, præter talem diſtenſionem, accidit etiam interdum vitio Obſtetricum ignararum vel incautarum, malè Digitis Genitalia tractantium, in ſpecie Carunculam iſtam Myrtiformem majorem, iſti Veſicæ orificio in Vulvâ inſtar peſſuli oppoſitam, & ſimul Sphincterem Veſicæ, lacerantium, vel alio modo lædentium: vid. Hildanus *Centur.6. Obſerv.39.* Salmuth *Cent.1. Obſerv.39.*

## PROGNOSIS.

Sæviſſimum hoc Symptoma ratione moleſtiæ eſt, quando Parturientes tractantur ita, ut ſimul lædatur *Sphincter Veſicæ*, & Urina cohiberi non poſſit; exinde enim excoriantur & exulcerantur Pudenda, Malum eſt difficulter, aut ſi inveteratum, non curabile: vid. Heinricus *ab* Heer *Cent.1. Obſ.14.*

## CURA.

Talis Urinæ incontinentia ex Fibrillarum laceratione aut nimiâ diſtenſione orta & recens, curatur imprimis per *Fotus* Aromaticos Nervinos, Fibras læſas in naturalem tonum reſtituentes. Fiunt ſcilicet *Decocta* aut *Sacculi* decoquendi ex Foliis Lauri, Roriſmarini, Pulegii, Origani & ſimilibus, quæ in Vino cocta inſtar Fotuum vel Sacculorum applicantur Pubi, item Lintea humectata intruduntur Vaginæ inſtar parvorum Peſſorum, ut ita Fibris nerveis læſis in Vaginâ & Orificio Veſicæ, redeat ſuus tonus. Alii Autores *Inſeſſus* & *Balnea* ex Nervinis, additis Adſtringentibus, inſtituunt. Item conveniunt *Injectiones* adſtringentes, vulnerariæ, *Linimenta* & ſimilia, imprimis Unguentum de Catellis, quod habet Sennertus *Prax. lib.4. Part.2. ſect.7. cap.9. ubi de Morbis Mulierum*, & inter hos *de hoc Symptomate*; aut Oleum ab Horſtio *lib.5. Obſ.20.* laudatum, ſingulariſſimum Experimentum eſt in tali caſu, quòd *Bufones* legitimo tempore occiſi, vel vivi, in olâ novâ calcinati & appenſi, ut immineant regioni Stomachi, hanc Urinæ Incontinentiam ſiſtant & compeſcant, teſte non tantùm Experientiâ Heinrici *ab* Heer *Obſervat.* 14. ſed præterea etiam Boyle *in ſuâ Philoſophiâ Experimentali* ſimilem in Angliâ factam Experientiam notat *pag.216.* Jam verò Boyle eſt Autor fide digniſſimus, de quo nullum eſt dubium. Certum eſt, quòd inveteratum Malum ferè incurabile ſit, niſi forſan *Thermæ*, de quibus tamen adhuc dubito, aliquid conferant; Sphincter enim læſus vix Cicatricem contrahit, unde vix curari poteſt hoc Malum.

## CAPUT XVII.

### *De Suppreſſione Urinæ Puerperarum.*

COntrarium vitium *Urinæ Retentio* eſt, quando interdum ſupprimitur Urina in Puerperis, quando, quod rarius eſt, tumet nonnihil Vagina Uteri aut Collum Veſicæ poſt Partum laborioſum; aut, quod frequentiùs accidit, fit talis Suppreſſio aliquot à Partu diebus, dum Sanguinis quidam Grumi circa Veſicam in Vaginâ Uteri hærent, aut etiam in vicinis locis in Vaſis Sanguis ſtagnat & grumeſcit, à quibus Grumis impeditur Urinæ excretio, ut non fiat aut fieri

Febrilis æſtus, *qui à decimo ad decimum tertium uſque aliquantiſper deferbuerat, iterum immenſas reſumſit vires, imò* Febris *quæ aliquibus diei horis aliquam patiebatur remiſſionem, abolitis paroxyſmis, ferè* homotona *facta eſt, calori maximo juncta, cum inquietudine, anxietate, atque creberrimâ reſpiratione quæ ad vigeſimum quartum ferè comitata eſt, nunc majori nunc minori gradu, prout Febris majora vel minora incrementa ſumebat: imò quum alterutrius genæ interpolatus rubor livore mixtus quandoque obſervaretur, in* Pulmonum *incipientis, vel ſaltem imminentis,* Inflammationis *ſuſpicionem incidimus. Lingua tamen ex rubrâ aridâque, mollis & humida facta eſt, imò & fauces humore tumebant, qui per totum os diffluebat. Alvus variegata, cruda, & quandoque bilioſa excernebat, imò & ſemel* Lumbricus *teres vivuſque obſervatus. Non tam ergò* Reſumtiva & Alkalina *priùs dicta exhibita, quàm &* Amaricantia, *Decoctum nempe ex Scordio, Contraiervâ, & Centaurio paratum.* Dolores *collum humerumque ſiniſtrum vexabant, atque* Puſtulæ *ad Hydatidis naturam accedentes, Crura non ſine moleſtiâ occupabant.*

*Circa decimam ſeptimam diem & ultra Febris quamvis ὁμοτονῶς, mitiùs affligebat,* Utero *etiam ad hoc uſque tempus ſuas partes peragente. Aſt vigeſimâ ipsâ die* Rigor *maximus, & penè convulſivus invaſit, ferventiſſimâ ſubſequente* Febre, *qui quinquies eâdem ferè violentiâ affligebat, eo intervallo, ut inter unum atq; alium paroxyſmum quatuordecim, aut ſexdecim horarum intervallum intercederet. Quibus ſic ſtantibus viſum fuit, Decocto Herbarum amaricantium & antifebrilium* Corticem Peruvianum, *exiguâ tamen doſi, ſuperaddere, eique incoquere, atque repetitò exhibere. Febris tamen poſt quintum paroxyſmum cum rigore invadentem, circa vigeſimum tertium levi tantùm extremarum partium refrigeratione acceſſit, ac remiſſiones veluti priùs ſenſibiles vix habuit, perſeverante difficili crebrâque reſpiratione, atque continuâ ferè ad dormiendum promptitudine. Quumque ſemper* corruptorum Humorum ſaburra per Alvum excerneretur, *qui ſi per horas aliquot retinebantur, & anxietates & Febris ipſa exacerbabantur, Cortex item Peruvianus formâ pulveris exhibitus ad* ʒß. *additis granis* x. Corticis Rhabarbari *parùm toſti.*

*Tranſactâ vigeſimâ quartâ die* Tumor, *rubore & Dolore junctus, circa externum dextri Pedis Malleolum notatus fuit, qui ſenſim incrementum ſumens, quamvis falsò priùs reſolutionem oſtentaſſet, tandem cùm fluctuationem manifeſtiſſimam exhibuiſſet, pro* Criſi imperfectâ *habitus eſt, maximè quum Febris remitti viſa fuerit, caput levari, & corpus univerſum agilius reddi. Vigeſimâ octavâ igitur die* Ferro candenti apertus fuit, *Sanie fluxiliori prodeunte: Et quamvis ſequenti nocte Febris iterum ſpaſmodico rigore præeunte invaſerit; nihilo minùs & hæc notabilem habuit remiſſionem, nec maximum deinceps paſſa fuit incrementum: etſi Ægra bis aut pluries de angore quodam, Cordis palpitatione, atque Animi deficientiâ conqueſta fuerit; imò ſemel veluti delirare viſa: quæ quum reliquis Febris Symptomatibus non congruerent,* Hyſtericæ Affectiones *reputata fuerunt. Denique Febris eam reliquit poſt quadrageſimum diem, ac qui ſupervênit* Iſchiadicus dolor, *triplici inſeſſu* Balneorum Gurgitelli *ablatus eſt, atque Ægra* Dei favore *præter omnium expectationem perfectæ ſanitati poſt ſexageſimum diem reſtituta eſt.*

ſieri poſſit, niſi cum ſummo excernendi conatu, poſtmodùm verò ſi reſoluti ſint tandem Grumi iſti, ſponte denuò Urina fluit.

### CURA.

In tali Suppreſſione Urinæ à Partu *externè Inunctio* cum Oleo Scorpionum, Pubi & Veſicæ regioni illito, convenit, aut applicentur *Fomenta* ex Simplicibus Sanguinis Grumos reſolventibus, & Urinam ſtimulantibus, v.g. ex Parietariâ, ex Chærefolio, ex Floribus Chamomillæ, cum Radice Rubiæ Tinctorũ: quibus ſi addantur Lumbrici contuſi, aut Oleum Lumbricorum, erit eò melius: Hinc

℞. *Herb. Parietar.* M. ij.
*Chærefol.* Mj. vel iß.
*Flor. Chamomill.* M. j.

Inciſa coquantur ad conſiſtentiam Pultis: cui adde

*Butyr. rec. non ſalit.* ℥j. vel ℥ij.
*Ol. Scorpion.* ℥ß. ad ℥iß.
*Terebinth.* vel *Junip.* ℥iß.
M. D. S.

Cataplaſma Urinam promovens.

Imponatur calidè regioni Pubis, & deſuper adhuc Operculum calidum.

*Internè* quando Sanguinis Grumus Urinæ impedit excretionem, in tali caſu poſt uſum Sanguinem grumoſum diſſolventium, imprimis Decocti Chærefolii cum Spermate Ceti, denuò Urina fluit. Reliqua ad Sanguinis Grumos diſſolvendos nota ſunt ex *juprà dictis Articulo primo Capit.* 1. *de Lochiorum fluxu imminuto poſt Partum* ex Sanguinis Grumis. Convenit item Emulſio Seminis Violarum cum aliis uſurpata.

Cæterùm præter Interna conveniunt etiam *Clyſmata* acriora & ſimilia injecta, Alvum laxantia & fortiter ſtimulantia; nam ab his ſtimulatur etiam Sanguis ſtagnans, non minùs quàm Urina reſtitans.

## CAPUT XVIII.

### *De Ventris Rugis.*

COnqueruntur etiam ſæpè Puerperæ, imprimis delicatiores, *de Rugis Ventris poſt Partum*: quæ cùm perquàm tædioſæ ſint illis, fiat *Unguentum* ex Spermate Ceti cum Oleo Nuciſtæ expreſſo, Cerâ & pauco Croco, mixtis in conſiſtentiam Unguenti vel Emplaſtri, calidè Abdomini applicandi, quod Abdominis Rugas optimè delet & corrigit; vel adhibeatur *Emplaſtrum* de Spermate Ceti *Mynſichti*;

Vel

℞. *Ceræ nov.* ℥iij.
*Sperm. Ceti* ℥iß.
*Terebinth.* ℥ij.
*Olei Amygd. dulc.*
*Hyperici* an. ℥j.
*Myrtin.*
*Maſtich.* an. ℥ß.
*Sev. Cervin.* vel *Medull. Crur. bubul.* ℥ij.
M. f. Ungu. S.

Unguentum ſingulare.

## CAPUT XIX.

### *De Febribus Puerperarum.*

REſtant adhuc duo primaria *Symptomata Puerperarum*, nempe *Febres, & Morbi Acuti*; ut plurimùm Febres Continuæ & Acutæ, rarò abſque Malignitate, & præ aliis Affectibus ſpecialiter periculoſæ vel infeſtæ, vel *Communes* ſunt omnibus Puerperis, vel ſaltem quibuſdam *Particulares*.

### ARTICULUS I.

### *De Febre Lactea.*

C*Ommunis* omnibus eſt *Febris Lactea* ita dicta: Nempe à Partu ſucceſſivè Mammæ turgent, colligitur in iiſdem *Coloſtrum* ſeu Serum lacteum, donec, dum perfectum *Lac* in iiſdem generari incipiat, ordinariò ſub primo Lactis propriè ſic dicti in Mammas impetu, circa tertium aut quartum diem à Partu præter propter, ſupervenit ſimul *Febris*, quam vocant *Lacteam*; tunc enim, à proventu hujus ſubitaneo levi *Horrore* concutiuntur (*tertio vel quarto die eſt horror, quando venit Coloſtrum, & poſteà venit Lac*) poſtmodùm inſequitur *Æſtus* continuus moderatus, biduum vel triduum durans, & circa nonum, interdum ſeptimum à Partu diem, blando *Sudore* & *Madore* fauſtò finitur. Nihilo minùs tamen obſervatum etiam eſt, quòd hæc Febris Lactea ſubinde pro Subjecti & Circumſtantiarum varietate variare ſoleat, & demum ſeptimo, imò nono die à Partu ſuperveniat, utut jam antè Mammæ Lacte turgidæ conſpiciantur.

### CAUSÆ.

Oritur *ex Materiâ Lactis*, quæ aliàs per Uterum ad Fœtum pro Nutrimento derivata fuit, quæ ſub Uteri contracturâ Vaſorumque clauſurâ regurgitat ad Maſſam Sanguineam, in eâque motûs hujuſmodi inordinati febrilis occaſionem præbet, donec depoſitâ eâdem in Mammas, hinc ſucceſſivè excretâ, & ita continuò promotâ, Febricula ceſſet, id quod ſub Turgeſcentiæ motu ſimul ex Maſsâ Sanguineâ ſecretum fuit, per Sudorem tandem excernitur: conf. Williſius *de Febr. cap.* 16. Per *Fermentationem* enim & per *Præcipitationem* aliquam Lac diſponi, ut faciliùs à Sanguine ſecedat, præter Febrem ipſam Lacteam, inde conſtat, quòd Fœminæ Lactantes mox, antequam ad Mammas deferatur, Sitim quandam & Phlogoſin percipiant; quam Sitim, licèt nonnulli à Seri ſeu Succi nutritivi detractione & ad Mammas depoſitione deducant, quia tamen illa Sitis, antequàm Mammæ turgeſcant, tales affligit, tunc ſcilicet, quando intra Vaſa adhuc hæret ſecernendum Lac, imò poſtquàm hæc ſecretio facta denuò ceſſat; ab agitatione fermentativâ potiùs, hancque excipiente Præcipitatione ſeu Secretione ſolâ hæc Sitis derivanda erit.

Plura de hac Febre non addo, cùm rarò aut nunquam cadat ſub Praxin Medicam, & quæ de eâdem notatu ſunt digna, eadem in ſpecie à Williſio *loc. alleg.* ſufficienter declarata ſunt: ſicuti etiam hic Williſius optimus & ſolus ferè eſt, qui aliquid laudatu dignum ſcripſit de Febribus Puerperarum. Hoc ſaltem moneo obſervandum eſſe, non tantùm Febrem hanc Lacteam ordinariò oriri ſub primo Lactis in Mammas impetu tertiâ & quartâ à Partu die, ſed ſi caſu fiat, ut Lac in Mammis vel non exugatur, vel alia ratione in Corpus Mammis regurgitet, tunc ſimili quoque ratione & Rigorem & ſubſequentem Æſtum non levem inferre, itidem per Sudores diſcutiendum, aut Lactis continuatâ exſuctione curandum.

Ex hoc ſaltem colligitur, *quàm proficuus ſit Sudor Puerperis*, ita ut, quando à Partu mox madere incipiant, & Mador talis plùs minùs copioſus poſtmodùm continuet per aliquot dies, in ſpecie uſque ad ſeptimum vel nonum, hoc ita conducere Puerperis, ut

ut per reliquum Puerperii tempus incolumes ſint, aut licèt interdum Febres aliæ etiam ſuperveniant, tam Malignæ, quàm Purpuratæ aliæve, tamen modò Corpus continuò madeat, has ipſas faciliores fore: econtrà dum ſine Madore ſunt Puerperæ primis à Partu diebus, vix ſine Febribus aut aliis gravioribus Symptomatis Puerperium tranſigunt.

## CURA.

In Febre ergò Lacteâ curandâ Natura ſibi ipſi ferè proſpicit, per *Sudorem* quaſi *Criticum* Malum levans. Pro levando tamen Malo, ſi quid agendum, optimum eſt, ut *Sudor* blandè promoveatur, & *Lochia* nonnihil ſtimulentur, & ſic citiùs evaneſcat Febris hæc Lactea. Obſervandum autem, *an lactare velit Mater*? an ſecus? Si prius, Lochia non ſtimulanda ſunt; ſin verò poſterius, pro imminuendo Lactis quanto Lochia eò copioſiùs movenda. Ut ergò compeſcatur Æſtus & concurrens Cephalalgia, quin & Diaphoreſi blandâ magis ventiletur Maſſa Sanguinea, hunc *Pulverem* ordinare ſoleo:

℞. *Antimonii Diaph.* gr. xv. ad ℈j. vel ℥ß.
*Myrrh. el.* gr. iv. v. vel vj.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis Sudoriferus.

Propinetur Ægræ pro doſi, ſubinde repetendus, blando Sudore & Lochiorum Fluxum promovendo hanc Febrim finiens, niſi Puerpera in laboribus Partûs vel poſt Partum largiter ſudârit, aut Lochia ſufficienter fluant.

Vel

℞. *Lapill. Cancri præp.* vel *Antimonii Diaphor.* ℈j. ad ℥ß.
*Salis Abſinth.* vel *Card. Bened.* ℈ß. ad gr. xij.
*Myrrh. el.* gr. v. vj. vel viij.
M. div. in 2. part. æqual.
D. S. ut ſuprà.

Item *Mixtura Polychreſta* ſuprà laudata optimè quoque convenit.

Quòd ſi verò fiat, quod non rarum eſt, ut ingruente hac Febre die quarto ſimul anguſtia Præcordiorum & difficilis Reſpiratio oriatur, ex eo, quòd tunc uberiùs Lac turgeſcat in Sanguine: tunc præter dicta utilis eſt *Emulſio* ex Seminibus expellentibus cum Antimonio Diaphoretico, v. g. ex Semine Cardui benedicti, Napi, Aquilegiæ, &c. cum pauco Myrrhæ, additâ Antimonii Diaphoretici ſufficiente quantitate. Hâc Emulſione dicta Præcordiorum pathemata & Febris Lactea facilè evaneſcunt.

*Mulier* quædam Juvencula ſecundâ vice Puellam enixa, à Partu optimè ſe habebat, & cùm ipſa Infantem primâ vice lactaſſet, ſecundo Partu laboris pertæſa Nutrici negotium committebat. Sed die Saturni, à Partu nono, mediâ nocte intenſo corripiebatur Æſtu, cum Siti, Cephalalgiâ & Anxietate, Mammæ anteà Lacte moderatè repletæ immenſum turgebant, & tumebant, dolebant, & indurabantur: appetente Aurorâ prædicta, præter Mammarum Symptomata per levem Sudorem evaneſcebant, ſuperſtite ſaltem inſigni Virium proſtratione, Appetituque dejecto. Die Solis vocatus, præter Externa Mammis imponenda, præſcripſi ſequentes *Pulveres*.

℞. *Cornu Cervi ſine igne* ℥ß.
*Salis Abſinth.* ℈ß.
*Myrrh. el.* gr. viij.
M. f. Pulvis pro duabus doſibus.

Quarum unam Ægra à meridie horâ tertiâ capiebat.

Verùm omnia ſuprà dicta Symptomata cum ſimili ferocià redibant, & ad mediam noctem perdurabant, quo tempore alteram doſin ſumere debuiſſet; dubitabat tamen, an hoc facere deberet? Die Lunæ inſequente meliùs habebat, Mammæ minùs dolebant, Lac per Papillas affluebat, nox inſequens quieta erat: ſicut & die Martis horis antimeridianis optimè habebat: A meridie præſcripſi hunc *Pulverem*:

℞. *Lapill. Cancr. præp.* ℈j.
*Salis Abſinth.* gr. xij.
M. pro doſi:

Quem horâ primâ capiebat; & circa veſperam horâ quintâ ex improviſo gravi Horrore per horam durante corripiebatur, Æſtus gravis per aliquot horas ſuperveniebat, Mamma ſiniſtra de novo intumeſcebat, indurabatur, inſigniter dolebat: poſt mediam noctem Symptomata febrilia remittebant, Mammæ affectibus eodem tenore durantibus.

Die Mercurii cum benè ſe haberet, niſi quòd Mamma doleret & dura eſſet, præſcripſi:

℞. *Spiritûs Sal. Ammoniaci cum Calce vivâ* ℥iß.
*Eſſ. Croci* ℥iij.
Miſc.

Hinc

℞. *Empl. de Galb. croc. Mynſ.* q. ſ.
Malaxabatur cum ſ. q. *Olei Tartari fœtid.*

Inducebatur ſuper Linteum, quod in medio perforabatur pro Papillæ protuberantiâ. Spiritus ille tepidè calefactus Spongiolâ illinebatur Mammæ, & applicabatur deſuper *Emplaſtrum* allegatum calidè: Hinc imponebantur *Sacculi* Oryzâ, Avenâ vel Milio ad pollinis craſſitiem referti, iique, quantum fieri poterat, calidiſſimi. Die Jovis benè ſe habebat, ſed hoc ipſo à meridie eodem tempore Rigor & Æſtus cum reliquis Symptomatis redibant, dextra ſimul Mamma indurabatur, tumebat, dolebat, & ſpeciatim Tumor durus magnitudine ferè inſtar Ovi gallinacei in primâ Mammæ parte paulò profundiùs tactu percipiebatur. Poſt mediam noctem Symptomata remittebant, Mammarum ſaltem pathemata affligebant, Ægra ipſa fatebatur appropinquante Paroxyſmo ſe ſæpiùs aliquid in Mammâ percipere: Pulverem igitur præſcriptum aliquoties repetebat, & Remedia dicta Externa ter quotidie applicabat, intermedio tempore *Sacculos* probè calidos ſæpè renovando, & ſic convaluit; ſicuti uſu hujus Emplaſtri Mamma ſiniſtra & dextra, in quibus jam tum Nodi duriores erant, curabantur.

## ARTICULUS II.

### *De Febribus, & Morbis aliis acutis Puerperarum.*

Quod verò attinet cæteros puerperarum *Morbos Acutos Febreſque*, rarò hæ ſunt *Benignæ*, ſed ut plurimùm *Malignæ*, unde etiam in pluribus, quoad principaliora capita, imprimis quoad Excretiones Cutaneas, cum reliquis conveniunt Febribus Malignis, tam in Theoriâ, quàm Praxi, de quibus alio tempore pluribus actum. Ea ſaltem monebo, quæ circa Puerperarum Febres, tanquam ipſis peculiaria & propria, imprimis ſunt conſideranda. Superveniunt hæ Febres Puerperis, aut dum fluunt rectè *Lochia*, aut dum hæc præternaturaliter ſunt imminuta aut ſuppreſſa, aut dum hæc naturaliter non ampliùs fluunt, ritè tamen fluxerunt; Nam Lochiorum excernendorum in his Febribus ſumma habenda eſt ratio. Et quidem *ſi ſupprimantur Lochia* adhuc fluentia immediatè febrilia Symptomata, ac ipſa denique Febris ſuperveniunt: unde primum, quod tunc agendum, eſt, ut revocetur Lochiorum fluxus per *Venæ ſectionem in Talo* adminiſtratam, & per Remedia Interna,

*Lochia*

*Lochia promoventia*, Corpuſque ad blandam *Diaphoreſin* diſponentia. Si verò *non ampliùs fluant Lochia*, rectè autem anteà fluxerint, ut aliæ Febres Benignæ vel Malignæ, aut cum Excretionibus Cutaneis conjunctæ, v. g. Petechiales, curandæ ſunt. In omnibus enim Febribus Acutis & Malignis Puerperarum *ad duo imprimis reſpiciendum eſt* primariò:

1. Ad *Lochiorum fluxum*, qualis ille & quantus fuerit?
2. Ad *primas Vias & Succorum* ibidem ſcaturiginem, horumque ibi factam commiſtionem, alterationem & ejectionem ex Pancreate, Poro Choledocho, & Glandulis Meſenterii, in & poſt labores Partûs.

Cùm enim ex Menſibus ſuppreſſis alterentur hi Succi inſigniter toto Geſtationis tempore, prout plùs minùs cacochymicum fuerit Corpus, indeque tam varia Pathemata circa primas Vias oriri ſoleant; ob id Succi circa Partum commoti, adeòque plùs minùs efferveſcentes, obſervandi ſunt probè, qualia Symptomata in primis Viis poſt Partum inferant? ſpeciatim an ſimul Pathemata Hyſterica, aut alia Pathemata, excitent? ut partim præcaveri, partim etiam maturè coërceri queant.

## DIAGNOSIS.

Febres Puerperarum Acutæ primò invadunt cum *Rigore*, quem mox inſequitur *Æſtus* continuus, ac vehemens cum Siti inextinguibili, Pulſu celeri, inæquali & debili, Virium proſtratione, Vigiliis, Inquietudine, Urinâ craſsâ & rubicundâ, Lochiorum ſuppreſſione: quibus tandem ſuperveniunt Paſſiones Hyſtericæ, Deliria, Stupor, Convulſiones, ſimiliaque generis nervoſi Symptomata.

## PROGNOSIS.

Febres hæ Puerperarum *ſatis periculoſæ ſunt*, niſi ſtatim in principio Diarrhœâ, Lochiorum fluxu, aut ſimili evacuatione ſolvantur.

In ſpecie tinnitus Aurium, & gravitas Capitis, tertio aut quarto die ſupervenientes, generis nervoſi Symptomata graviora innuunt: quibus ſi accedant ſumma Præcordiorum anxietas, Reſpiratio difficilis, cum Pulſu debili & inæquali, res deſperata eſt.

## CURA.

Febres ergò ſuperveniunt Puerperis, vel *dum fluunt ritè Lochia*, vel dùm hæc præternaturaliter *ſunt ſuppreſſa*, vel dùm hæc *non ampliùs fluunt*: nam Lochiorum in his Febribus ſumma habenda eſt ratio. Et quidem, *ſi ſupprimantur Lochia*, immediatè febrilia Pathemata, & ipſa denique Febris, ſuperveniunt. Unde primum quod attinet; agendum eſt, ut *revocetur Lochiorum fluxus*: ſi verò Lochia *non ampliùs fluant*, anteà autem ritè fluxerint, Febres ſupervenientes ut aliæ Febres curandæ ferè ſunt. Si verò Lochia *adhuc fluant*, horum motus ita gubernandus erit, ne alia Symptomata ab iiſdem augeantur, vel motus Naturæ in Sanguine turgeſcente, aut nimio eorum fluxu impediatur, aut imminuto eorum fluxu perturbetur aut impediatur.

Verum cùm hæ Puerperarum Febres ut plurimum ſint *Malignæ*, imprimis quæ ſuperveniunt ritè factæ expurgationi per Uterum (in quibus, quoad Malignitatem, in Sudoris legitimâ provocatione primarium Curationis punctum conſiſtit), tunc *cautus ſit Medicus, ne nimis Sudorem provocando Lochiorum ſiſtat fluxū*, quod ordinario ferè accidere ſolet; dum enim ſuperveniūt tales Febres, Lochiorum fluxus conveniens eſt, modò non excedat: aut etiam caveat ſibi, ne, dum Lochia fluant copioſiùs, Malignitati hac ratione pandatur acceſſus ad interiora; cùm notum ſit aliàs, quàm periculoſæ ſint quæcunque in Febribus Malignis Evacuationes, tam Sanguinis, quàm aliorum Humorum, niſi ea, quæ eſt per Sudorem. Et imprimis cùm tales Febres interdum per Excretiones Cutaneas, ſive Petechiales, ſive Puſtulares, Germ. *Bocken unde Maſern*, ſive Miliares, Germ. *Frieſel* nempe, ſalubri Naturæ conatu mitigentur, obſervet probè Medicus, ne Lochiorum fluxus nimius iſtum, quem vocant, Naturæ conatum excretorium, impediat; (*Puerperæ Medici ſagacitatem periculo exponunt*): Ob id inter ea Remedia, has Febres curantia, primatum obtinent ea *Alexipharmaca*, quæ & blandâ Diaphoreſi maligna Fermenta removent, Naturæque conatum excretorium adjuvant, & ſimul nonnihil ſtimulando æquabilem Lochiorum fluxum conſervant; ne cum Diaphoreſi & leni ſubinde Madore Lochia imminuantur.

*Si tamen fluant nimiùm*, addantur talia, quæ blandâ vi adſtrictoriâ Lochiorum fluxum nimium ſiſtant, ut *Terra Sigillata & Cornu Cervi uſtum*, ut adeò cum moderatis Alexipharmacis nunc Stimulantia, ut *Myrrha*, nunc Adſtringentia, combinanda ſint. Fortiora tamen *Pellentia* addenda, ubi ſupprimi incipiunt, aut cùm omninò jam ſuppreſſa ſunt. Quæ ſi revocari nullâ arte poſſint, fortiùs moti & profuſiùs emiſſi *Sudores* eorum defectui & inde ortis Malis mederi ferè poſſunt. In genere ergò in Febribus Puerperarum Malignis Remedia ex Cornu Cervi parata, item ex Antimonio fixato, nempe Diaphoretico, Bezoardico Minerali, item Myrrhâ, & Succino, hinc Salibus volatilibus, Fuliginis, Cornu Cervi, Viperarum &c., & hinc fixis concinnata Remedia, in his Febribus primatum obtinent, ac quidem Cornu Cervi, tam ſine igne præparatum, quàm Cornu Cervi Solare, quod imprimis in Febribus Purpuratis egregium eſt. His addi poſſunt, præter Antimonialia, etiam alia Diaphoretica nota; imprimis Cinnabaris Antimonii ritè præparata, quæ in Puerperarum Morbis Malignis maximè ſunt proficua. De Sale volatili Succini & Sale volatili Cornu Cervi, ana mixtis, & additis fixioribus in paucâ quantitate res nota eſt.

Quoad *Purgationes* verò: eæ in Febribus his Malignis cautiſſimè inſtituendæ ſunt, quin potiùs omninò omittendæ (contra Gallos & Italos) cùm certò obſervatum ſit, etiam *Clyſteres* applicatos in his Febribus cum Excretione Cutaneâ junctis ſubinde fuiſſe periculoſiſſimos; imò Purpuram Albam, Germ. *den Weiſſen Frieſel*, vel *Suppoſitorium* applicatum, retrocedere facit. Unde cautus hac in parte ſit Medicus, & mox in principio Puerperii, ſecundo vel tertio die, ubi ſuſpicio eſt imminere Morbum Malignum, primas vias eluat, v. g. Pilulis Peſtilentialibus *Ruſi*, & ſimilibus, vel Clyſmate aliquo temperato præveniat. Ergò Alvi ſtimulatio vel tantilla eſt periculoſa: ſicut *Venæ ſectio*, ubi ritè fluant aut fluxerint Lochia, locum nullum habet, imò nociva eſt; idque præſertim in noſtro Climate; nam alibi quod fit apud Hiſpanos, Gallos, &c. in Corporibus ex ſex Rerum Nonnaturalium varietate diverſimodè diſpoſitis, apud nos æquè non imitari poteſt: v. g. dum Zacutus Luſitanus *lib. 1. Princ. Medic. Hiſt. 77. in annexâ Obſervatione* refert Fœminam, tribus diebus à Partu Anginâ ſuffocante correptam, ritè fluentibus Lochiis per ſectam Venam in utroque Brachio curatam, apud nos non adeò commodè inſtitui poteſt, cum minùs acutus hujuſmodi Affectus eſſe ſoleat. Suppreſſis verò mox in principio Lochiis, ubi urget Malignitas, nemo cogitet de aperiendâ Venâ, ſin verò in minùs periculoſis Malignis, aut etiam in ſimplici Febre,

Febre, inſtitui neceſſe ſit, conſideret Medicus habitum Ægræ, an Juvencula ſit? In Plethoricis enim ſeu Sanguineis Juvenculis, ubi ebullit Sanguis, applicatis priùs Utero Emollientibus, ac non nihil Stimulantibus convenientibus, Sanguinem ibidem hærentem reſolventibus, Meatus laxantibus & ad fluxum diſponentibus, ſecetur Saphæna in Talo, *utram vis*, *potiùs tamen internam*, *quàm externam*, ut ita concilietur Sanguini impetus inferiora versùs. Sin verò graviter affligat Malum, & Corpus ſit ſucculentum, & Sanguinis inſignior copia adſit, quod tamen vix apud nos locum habet, interdum præmittenda eſt Brachii Venæ apertio, & hinc ſubjungenda iſtius eſt poſtmodùm inciſio, quæ eſt in Cruribus. Nihilo minùs tamen rariſſimè aperiatur Vena, *equidem id nemini conſulo*, imprimis ubi ſaltem in Partu, aut aliquot dies à Partu impetuoſiùs Lochia fluxerunt, à Venæ ſectione in Malignis ſuperſedere debet Medicus.

*Diæta* in quibuſvis Puerperarum Febribus, non ſecus ac in primis Puerperii diebus, ſit tenuior, aut ſaltim pro Conſuetudinis ratione mediocris, quæ ſuſtentet ſaltem Corpus, & Vires hinc non augeantur. Notabile eſt effatum Fonſecæ *Conſult.* 45. *Tom.* 1. ubi refert, quòd Febres Acutæ Puerperarum ex retentis Lochiis ob pleniorem plùs debito Victum ſæpiùs recurrant, ſed ſemper ſequentibus Sudoribus ſalubriter ſolvantur: Ubi obſervatur, quòd in tantum noceat liberalior Victus, in quantum proſunt Diaphoreſis aucta atque Sudores.

Quòd ſi *Lochia ſuppreſſa* dent *Febres Benignas Ardentes*, ſive *Solitarias*, ſive Inflammatorias, v. g. *Comitatas* cum Pleuritide, Anginâ, Uteri Inflammatione &c. tunc tutior res eſt, ac *præmiſsâ*, aut etiam omiſsâ *Venæ ſectione* (imprimis in noſtro Climate) in Pede, *Sudoriferis*, aut Salinis volatilibus potentioribus, aut Antimonialibus fixis, ſimilibuſque Acidum abſorbentibus, adjunctis Myrrhatis, propter Lochia nempe, Sanguinis coagulatio, & ſtagnatio, & hinc Lochiorum ſuppreſſio eſt corrigenda. Mox ergò uſurpentur talia, quæ *Sanguinis Grumos* ab Acido natos promptè *diſſolvunt*, & effuſo Sudore Sanguinem ſtagnantem in debitum circuitum revocare poſſunt; unde, præter Remedia ad Inflammationes laudata, item Myrrhata & Caſtorina, ſæpiùs Sperma Ceti uſurpetur.

De cætero ad Sitim fallendam, & temperandum Sanguinis effervelcentis Æſtum, *Acida* nimis non benè conveniunt in his Ardentibus Acutis, ut & in reliquis Malignis Puerperarum Febribus, ex eo, quia periculum hîc eſt, ne alterando Sanguinem, fluxum Lochiorum, uti aliàs Menſes, ſiſtant propter coagulationem, cum & Acida Utero membranoſo, & à Partu plùs minùs læſo, & facilè adhuc irritabili, indeque doloroſo, ſint inimica. Potiùs ergò Temperata, aut *Subacida* Temperatis miſta, in caſu majoris Sitis & Æſtûs ſunt convenientia, ut v. g. ſunt Tincturæ Florum Aquilegiæ aut Cyani, Gelatina Cornu Cervi acida, Citri, Granatorum, Berberum, Cydoniorum, cum Decocto Cornu Cervi infuſa blanda Acida, & ſimilia blandiora: quibus in moderatâ doſi, aut etiam, ubi nimis urget Æſtus, Spiritus Salis aut Nitri dulcis parum poteſt addi.

Qualis Cura & qualia Remedia his Febribus imprimis conveniant, ex ſuprà dictis per ſe patet; nempe Præcipitantia dicta & Diaphoretica, ſimulque Lochiorum fluxum conſervantia primatum ducunt: Hinc variæ ſolent fieri *Formulæ* variis in caſibus. Res ut pateat, *ad Febres Puerperarum Malignas* hæc Formula eſt admodùm conveniens,

imprimis in principio:

℞. *Aquæ Puleg.*
*Flor. Sambuci* an. ℥iß.
*Acet. Vini* ʒvj.
*Lapill. Cancr. pulveriſat.* (ſit ſalſum tertium diureticum) ʒij.
*Bezoart. Mineral.* ʒj.
*Myrrh. el.* ʒß.
*Syr. Artemiſ.* ℥ß.
M. f. Potio: S.
Mixtura reſolvens Sudorifera.

Capiatur ſubinde cochleatim.

In *Pleuritide à Partu* ſuperveniente, & quidem imprimis cum Lochiis ſuppreſſis:

℞. *Aquæ Puleg.*
*Papav. errat.* an. ℥j.
*Antimonii Diaphor.* ʒj.
*Solis vol. Fulig.* aut loco hujus *Salis vol. Urinæ*, aut *Salis vol. Sal. Ammoniaci* vel *Cornu Cervi* gr. iv. v. vel vj.
*Succini* gr. iij. iv. v. vel vj.
*Myrrh. el.* gr. iv.
*Caſtor.* gr. ij. (ratione Lochiorum)
*Syr. Card. Bened.* ʒiij. vel ℥ß.
M. D. S.
Potio Sudorifera pro unâ vice.

Hæc Potio & pellit per Sudorem, & Lochia ſimul ſtimulat & promovet:

Vel

℞. *Aquæ Flor. Papav. errat. Puleg.* an. ℥iß.
*Spiritûs Salis Ammoniaci* ʒj.
*Eſſ. Caſtor.*
*Antimon. Diaphor.* an. ʒß.
*Myrrh.* gr. v.
*Syr. Card. bened.* ℥j.
D. S. ut antè.

Item in formâ Pulveris:

℞. *Cornu Cervi ſine igne* ʒj.
*Salis Card. bened.* gr. xij.
*Antimonii Diaphor.* gr. vj.
M. f. Pulvis pro unâ vel duabus doſibus;
D. S.
Pulvis Sudoriferus.

Vel

℞. *Cornu Cervi ſine igne*,
*Antim. Diaph.*
*Nitri Antimoniati* an. ℥ß.
M. div. in 2. part. æqual.
D. S. ut antè.

Vel

℞. *Cornu Cervi ſine igne* ʒj.
*Antim. Diaphor.*
*Salis Card. bened.* an. ʒß.
*Myrrh. el.* gr. vj.
M. f. Pulvis.
Div. in 2. part. æqual.
D. S. ut ſuprà.

Vel

℞. *Antimonii Diaphor.*
*Salis Card. bened.* an. ʒß.
*Myrrh. el.* gr. v.
M. pro doſi.
D. S. ut antè.

Item, præſertim ſi *Excretio* quædam *Cutanea* imminet:

℞. *Cornu Cervi ſine igne* ℥ß.
*Antimonii Diaph.*
*Bezoard. miner.* an. ʒß.
*Myrrh.* gr. vj.
M. pro 2. doſ. S.
Pulvis Sudoriferus.

Capiatur in Vehiculo calido: (*Frigida omninò*

*omninò prohibeantur* ).

Vel

℞. *Ebor. ſine igne*,
*Antimonii Diaphor.*
*Specif. Cephal.* an. ℈j.
*Myrrh.* gr. xij.
*Sal. vol. Cornu Cervi* gr. ix.
M. pro 3. doſibus.
D. S. ut antè.

Propinetur in *Aquâ Pulegii* &c.

*Cinnabaris Antimonii* egregia eſt in Febribus Puerperarum, præſertim Malignis, & in quibus nervoſum genus afficitur:

Hinc

℞. *Pulv. Bezoar. D. Mich.*
*Cinnab. Antimonii* an. gr. xij.
*Salis vol. Cornu Cervi*,
*Succin.* an. gr. ij.
M. S. ut ſuprà.

Capiatur in Vehiculo pro lubitu. Vel

℞. *Pulv. Bezoar.* M. ʒj.
*Cinnab. Antimonii* ℈j.
*Sal. vol. Cornu Cervi*,
*Succin.* an. gr. xij.
M. f. Pulvis pro aliquot doſibus:
D. S.
Pulvis Sudoriferus.

Item

℞. *Cornu Cervi Solar.* ℈j.
*Pulv. Bezoard.*
*Cinnab. Antimonii* an. ℈ß.
*Salis vol. Viper.* gr. viij.
M. f. Pulvis pro duabus doſibus:
D. S. ut ſuprà.

Vel

℞. *Antimonii Diaphor.*
*Cinnab. Antimonii* an. ℈j.
*Salis vol. Sangu. hum.* ℈ß.
*Succini* gr. vj.
M. f. Pulvis pro duabus doſibus.

Cui etiam pro ratione circumſtantiarum addi poſſunt

*Myrrh.* gr. iv. vel vj.
D. S. ut ſuprà.

Sumuntur dicti Pulveres in Aquâ tenellorum Cornuum Cervi, aut Aquâ Scorzoneræ, Ulmariæ, & ſimilibus, pauco vel nullo Syrupo dulci admiſto propter metum Hyſtericæ Paſſionis; aut propinetur in Aquâ Hirundinum cum Caſtoreo. Vel

℞. *Cornu Cervi ſine igne* ʒß.
*Antimon. Diaphor.*
*Cinnab. Antimonii ritè par.* an. gr. xv.
*Myrrh. el.* gr. xij.
M. f. Pulvis pro duabus vel tribus doſibus:
D. S. ut ſuprà.

Propinantur in quocunque Vehiculo; aut ubi ſuſpicio adeſt anguſtiæ Præcordiorum in Hyſtericis, in Aquâ Hirundinum cum Caſtoreo, quæ ipſa blandè acida.

*Bezoardicum Joviale*, *Solare*, *Antihecticum Poterii*, &c. commodè etiam propinari poſſunt: item Tinctura Coralliorum Antiſcorbutica in noſtratibus Purpurâ afflictis eſt egregia: item Tinctura Coralliorum cum Spiritu Cordis Cervi in hiſce Febribus, in quibus Vires unà debilitantur, eſt egregia. *Laudano Opiato & Opiatis* in his cautè & parcè utendum eſt, ne ſufflaminando Symptomata motus Naturæ inhibeatur, Lochiorum fluxus imminuatur, & ad Deliria ac Convulſiones diſponatur Ægra: Interdum tamen Laudanum Opiatum cum Croco aut aliis Appropriatis miſtum uſurpari poteſt, etiamſi Lochia ſuppreſſa ſint, ſi inſignior Sanguinis & Humorum agitatio in Corpore adſit: conf. Williſius *de Febr. Puerperarum pag.* 285. & 293.

*Puerpera* ſecundo à Partu die gravi terrore percuſſa, ſubitò intenſiſſimum Corporis Æſtum cum gravi Cephalalgiâ, Lochiorum maximam partem ſuppreſſione, Mammarum turgeſcentiâ, & poſt quatuor vel quinque horas incipiente Delirio, incurrit: hinc ante omnia *Venam in Pede* aperiendam juſſi, licèt eſſet hora nona veſpertina, ſimul præſcripſi ſequentes *Pulveres*:

℞. *Cornu Cervi ſine igne* ʒß.
*Antimonii Diaphor.* ℈j.
*Myrrh. el.*
*Salis vol. Cornu Cervi* an. gr. vj.
Miſta div. in 2. part. æqual.

Unam capiebat veſperi, alterâ appetente dilueulo.

Mane ſequenti, cum meliùs haberet, propter vaga Abdominis Symptomata uſurpatum Clyſma Carminativum cum euphoriâ. Internè præſcripſi ſequentes duos Pulveres:

℞. *Cornu Cervi ſine igne* ℈j.
*Bezoard. Miner.* gr. xvj.
*Salis Abſinth.* ℈ß.
M. pro 2. doſibus.

Hinc altero mane ſatis commodè habebat, Pulſu licèt admodùm febrili adhuc exiſtente; quibus tamen & ſimilibus inſiſtendo, & in declinatione Eſſentiam quoque Myrrhæ cum Tincturâ Tartari frequenter uſurpando, tandem convaluit.

Pro *Potu Julepi* interdum præſcribi ſolent, qui tamen minùs conducunt in principio harum Febrium, aut etiam primâ Puerperii ſeptimanâ: reliquis temporibus tutiùs Julepi, moderatè tamen acidulati, & ſemper cum Gelatinâ Cornu Cervi imprægnati, uſurpari poſſunt: verbi gratiâ Julepus pro Potu in Febribus Malignis Puerperarum ſit ſequens:

℞. *Decoct. Hord. cum Rad. Scorz.* vel ſolius *Radic. Scorzon.* ʒviij.
*Gelat. Cornu Cervi rec.* ℥j.
*Tinct. Flor. Aquileg.*
*Flor. Cyani* an. ʒj.
*Syr. Ribium*,
*de Jujub.* vel *Violar.* an. ʒvj.
*Spiritûs Nitri dulc.* parum.
M. pro blando Julepo.
D. S.
Julepus Bezoardicus. Vel

℞. *Aquæ Ulmariæ*,
*Puleg.* an. ʒiv.
*Hirund. cum Caſtor.* ʒij.
*Gelat. Cornu Cervi acid.* ʒß.
*Acet. Theriacal.* ʒiij. (aut loco hujus *Tincturæ Flor. Aquileg. & Cyani* an. ʒj. )
*Syr. Ribium.*
*de Jujub.*
*Corall.* an. ʒvj.
*Spir. Nitri dulc.* parum.
M. f. Potio: S.

Mixtura Bezoardica, cochleatim ſumenda. Potiùs inſipida acida, quàm dulc-acida ſit. Vel etiam *in Siti nimiâ* ordinetur *Julepus ex Infuſione Florum Sylvii* vid. *ſuprà lib.* 1. *ubi de Siti læsâ*; ut & ex *Colleg. Formul.* acidulatus parum: e.g.

℞. *Flor. Viol.*
*Cyani*,
*Aquileg.* an. p. j. vel Mß.

Irrorentur parum cum *Spiritu Sulphuris*:

( quem hîc meritò eligo, )
infund. in
*Aquæ Chærefol.*
*Ulmar.*

*Meliſſ*

*Meliſſ.* an. q. ſ. ( vel *Aquæ Card.bened.* vel etiam *Aquæ ſimpl.* )
Stent in loco tepido vel Balneo Mariæ, donec Liquor probè tinctus ſit :
Tunc *Colat.* adde
*Syr. Berber.*
*Scord.*
*Artemiſ.* vel *Ribium* q. ſ.
ad ſuavem & non nihil dulcem ſaporem, qui nec nimis acidus, nec nimis dulcis ſit, aliàs in prædiſpoſitis excitat Paſſionem Hyſtericam.
D. S.
Julepus Confortativus.

*Vinum* generoſum Puerperis malignè febrientibus cautè exhibetur, imprimis mox poſt Partum, ut rectè monet Hœferus *in Herc. Med.*

## ARTICULUS III.

### *De Purpura ſeu Febre Miliari Puerperarum.*

SPeciatim ex omnibus Febribus Malignis ferè, imprimis apud nos, peſſimæ notæ eſt *Febris Purpurata* Mulierum, Germ. *der Frieſel*, ſeu *Febris Miliaris* quorundam dicta; ſive *Rubra* fuerit, quòd Puſtulæ ſaltem rubræ ſint, eaque ferè ſalutaris: ſive *Alba* fuerit, dum Milii inſtar candida grana copioſiſſima, ceu tot Puſtulæ, Corpus incruſtant, eaque periculoſior. Purpura hæc eſt Maligna, quæ tamen, ut mihi videtur, radicem quodammodò ac fomitem ſuum acquirit ex Scorbuto, idque ideò, quòd obſervaverim, unà cum reliquis Remediis in Febribus Malignis uſitatis etiam Remedia Antiſcorbutica permixta & uſurpata promovere inſigniter Purpuræ eruptionem.

### DIAGNOSIS.

Imminere Febrim Miliarem, aut ſaltem aliam Excretionem Cutaneam, ferè ex hoc cognoſcitur, ſi Puerperæ graviter febrientes, cum aliquali tamen Madore, percipiant ſubinde vagos ac leves Horrores, Dorſum aut peripheriam Corporis occupantes, aut ſi pungi Dorſum hinc inde, tanquam ſi ab Aciculis fiat, ſentiant.

### PROGNOSIS.

*Salutis ſpes* affulget, ſi tempore critico per univerſum Corpus cum Symptomatum levamine confertim Purpura erumpat, hinc prurire incipiat, donec Puſtulæ exſiccatæ ſub minutarum *Squamularum* formâ erumpant. Alterutrum iſtorum ſi deficiat, ſemper *periculum* ſubeſſe innuitur, ſpeciatim in *Purpurâ Albâ*, quæ præ cæteris admodum periculoſa.

### CURA.

Scilicet ad inſtar Variolarum *duplex Tempus* obſervandum eſt in Purpurâ :
1. Tempus *Ebullitionis.*
2. Tempus *Excretionis.*

Iſtud quidem in imminente Purpurâ : Hoc verò in eâdem erumpente.

In *Tempore Ebullitionis* ; ratione Efferveſcentiæ Succorum compeſcendæ, conveniunt ſimpliciter Remedia efferveſcentes Humores compeſcentia, & blanda *Diaphoretica* : quibus ſemper vel parum de *Myrrhâ*, ceu Appropriatum Malignitati Purpuræ in ſpecie reſiſtens, vel parum de *Sale volatili*, addendum.

Poſtmodùm, ubi imminet *Tempus Excretionis*, & veſtigia Purpuræ incipiunt apparere, ſimpliciter *Expulſiva* conveniunt : adeoque v. gr. *in principio Morbi* excellunt Partes Animalium duræ & Antimoniata, Cornu Cervi uſtum, & Solare ad ℈j. Bolus Armena, Terra Sigillata, Bezoardica Mineralia quæcunque, Cinnabaris Antimonii, Jupiter Diaphoreticus. Si quod liud in his Febribus Miliaribus periculoſum eſt Symptoma, hoc eſt *Diarrhœa*, quia uti impeditur Excretio Cutanea, ita huic ſupervenienti Abſorbentia modò dicta optimè reſiſtunt ; item *Sal volatile Cornu Cervi*, & *Succini* ana miſta, & in parvâ doſi cum dictis Pulveribus ſociata, quin & conveniunt *Salia fixa Vegetabilium*, ut Cardui benedicti, &c. v. gr.

℞. *Cornu Cervi Solar.* ℈i.
*Bezoard. Miner.*
*Cinnab. Antimonii* an. ℈ß.
*Sal. vol. Cornu Cervi*,
*Succini* an. gr. ij. vel iij.
M. f. Pulvis pro duabus doſibus :
D. S.
Pulvis Excretorius.

Perquàm eſt egregius ; hauriatur in Potu ordinario.

Vel

℞. *Cornu Cervi ſine igne* gr. xij. ad xv.
*Salis Card. Bened.* ℈ß.
*Myrrh. el.* gr. iij.
M. f. Pulvis pro doſi.
D. S. ut ſuprà.

Qui Pulvis in ſpecie egregius eſt.

*In Progreſſu Purpuræ*, ubi veſtigia ſe oſtendunt ; egregia eſt Tinctura Coralliorum cum Spiritu Cordis Cervi, & *Tinctura Coralliorum Antiſcorbutica*, quæ optimè expellit, doſi gutt. xxx. vel xl. Loco hujus prodeſt ſequens *Mixtura nobilis*, quam obſervavi proficuam :

℞. *Aquæ Scord.*
*Scorzoner.* vel *tenell. Corn. Cervi* ; vel *Liquoris Vitis* an. ℥ß.
*Spiritus Cochlear.* ℈j. ad ℈iß.
*Mag. Corall. cum Succ. Citri*,
*Antimonii Diaphoret.* an. ʒß.
*Syr. de Scord.* vel *de Calend.* ʒvj.
M. D. S.
Mixtura Sudorifera.

Capiatur pro unâ vel binâ doſi, vel uſurpetur ſubinde cochleatim.

Vel etiam, *ubi incipit apparere Purpura*, optimè conveniunt *Emulſiones ex Seminibus expellentibus*, *Cardui benedicti*, *Napi*, *Aquilegiæ*, *Citri* & ſimilibus, cum vel ſine Myrrhâ : aut Eſſentiâ Myrrhæ pro ratione Lochiorum, additiſque ſimul Cornu Cervi ſine igne, Antimonio Diaphoretico, Bezoardico Minerali, Pulvere Bezoardico Sennerti, &c. ad imitationem Zwelfferi : quales *Formulas ſuprà lib.* 1. *de Febribus Malignis & Petechialibus* dedi. Nam hæ Emulſiones potenter expellunt Purpuram imminentem, aut nondum ſufficienter erumpentem : v. g.

℞. *Flav. Cort. Citri* ʒij.
*Sem. Citri* ʒj.
*Card. bened.*
*Aquileg.*
*Myrr.* an. ʒß.
*Amygd. dulc.* ʒj.
Cum ſ. q. *Aquæ Scorzoner.*
F. Emulſio,
Leniter edulcoranda :
D. S.
Emulſio Expellens.

Vel

℞. *Flav. Cort. Citri* ʒij.
Contuſis in Mortario adde
*Sem. Card. bened.* ʒij.

*Napi*,
*Citri* an. ʒj.
*Myrrh. el.* gr. xvj.
Cum ſ. q. *Aquæ Flor. Samb. & Scabioſ.*
F. Emulſio :
adde
*Cornu Cervi ſine igne* ℈ij.
*Antimonii Diaphor.* ʒj.
Edulcor. parum.
M. D. S. ut antè.

In ſpecie tamen obſervetur :

1. Quòd *Acida*, niſi admodùm temperata, Puerperis Purpurâ laborantibus minùs conveniant, propter Uterum à Partu læſum, propter Lac in Mammis, & etiam propter Lochiorum fluxum.
2. Ut etiam calidiſſimè tractentur, ex eo, quia tantillus *Halitus frigidus* facit retrocedere omnem Purpuram : Unde ſubitò difficultas Reſpirationis, anxietates Præcordiorum, jactigationes Corporis, ſubindeque Diarrhœa lethalis, & ſimilia ſuperveniunt, ſpeciatim hoc advertatur in Purpurâ Albâ, præ reliquis puerperis periculosâ.

Plures Cautelas dedi *ſuprà Lib. 1. Cap. 9. Sect. 15.* Quòd ſi Purpura *prurire* incipiat, & ſub formâ *Squamarum* decidat, continuentur *Remedia Antiſcorbutica* ; ſic enim reliquiæ ejus radicitùs evelluntur.

## SECTIO IX.

### *De Lactis & Lactantium Vitiis.*

UTi Infans ſeu Fœtus in Utero nutritur *Lacte*, ita & extra Uterum, quamdiu tenellus eſt, nec ſolidiora Alimenta commodè digerere poteſt, ſed *Lacte ex Mammis* hauſto nutritur. Mox enim ſecundo aut tertio poſt Partum die Puerperis Mammæ, primò quidem Lacte aquoſo, vel ſeroſo & tenui, quod vocant *Coloſtrum*, turgeſcere incipiunt ; procedente verò tempore, aut quarto præter propter die, imprimis cum *Febre*, *Lacteâ dicta*, Lac ipſum verum ſub naturali conſiſtentiâ Mammas replet. Materiam Lactis Veteres omnes Sanguinem Menſtruum ſtatuerunt, cum Lactantibus Menſes ut plurimùm deficiant : quibus manifeſtiſſimè contradicit Hippocrates *de Nat. Puer. T. 21. & de Morb. Mulier. lib. 1. Text. 95.* ubi alium Sanguine dulciorem, pinguiorem & candicantem Succum ex Cibis & Potibus ad Mammas exprimi dicit : cui ſubſcribunt Neoterici ferè omnes. Materia enim ex qua, nihil aliud eſt, quàm *Chylus* : Vid. *ſuprà lib. 1. ubi de Motu Chyli*, Plempius *Fund. Med. pag.* 63. Entius *pro Circul. Sanguinis pag.* 186. Mœbius *Fund. Phyſiol. pag.* 595. Warthonus *Adenograph. pag.* 239. Charleton *Oeconom. Animal. pag.* 126. Everhardus *de Hom. Brutique Exortu pag.* 176. Schneiderus *de Catarrh. lib.* 3. *cap.* 3. Barbatus *de Sanguine & Sero pag.* 39. Chylo tamen huic etiam in Mammis, ſicut Sero in Glandulis, à *Spiritibus Animalibus* aliquid per Nervos accedere, ex Needham *de Form. Fœt. pag.* 13. & Warthono *Adenogr. pag.* 237. & 211. videri poteſt.

*Per quas vias autem Chylus hic ad Mammas deferatur*, novæ iterum exortæ ſunt lites : Quippe Bilſius *Vaſis ſuis Roriferis* negotium hoc aſſignat ; Deuſingius, Everhardus, & alii plurimi, peculiaria *Vaſa Lactea* hactenus incognita ex Receptaculo Lumbari & Ductu Thoracico ad Mammas tendentia ſe obſervaſſe putant. Verùm nemo Anatomicorum poſt jam dictos Autores Vaſa hæc, utut accuratiùs inveſtigata fuerint, invenire potuit ; ſicut etiam Vaſa Lymphatica ſeu Rorifera Bilſii ex Mammis potiùs refellunt ſua Aſſerta. Probabiliſſimum igitur eſt, *per Arterias Mammarias* Chylum nondum huic aſſimilatum cum Sanguine Arterioſo per totum Corpus, non per vias ſingulares, ad Mammas diſtribui : Vid. Warthonus *Adenogr. pag.* 240. Cornelius Conſentinus *Progymn. Phyſ. pag.* 219. Needham *de Form. Fœt. pag.* 18. Lowerus *de Corde pag.* 216. Accedit & hoc, quòd in Lactantibus Arteriæ hæ cum ſuis Venis longè craſſiores magiſque tumentes ſint.

*De modo Lac generandi* ſimiliter controvertitur, dum quæritur : quomodò Lactis Materia ad Mammas moveatur, & à reliquâ Maſsâ Sanguineâ ſeparetur, ut Lactis formam acquirat ? Deuſingius *diſpoſitionem peculiarem* Lacti generando aptam, atque ab Utero contractam, in Mammis præſupponit, & in Gravidis ob compreſſionem Ventriculi, Hepatis ac reliquorum Abdominis Viſcerum à Fœtu increſcente factam, Chylum versùs Mammas propelli ſtatuit, quod tamen refutat Diemerbroeck *Anat. lib. 2. pag.* 247. Unde alii ad ignorantiæ illud aſylum, peculiarem *Naturæ Providentiam* confugiunt, quæ tamen tanquam particularis & proxima non, ſed tanquam univerſalis, conſideranda. Alii denique *Suctionem* frequentiorem pro motu hujus ad Mammas, tanquam Cauſam, in medium proferunt ; hinc Salmuth *Centur. 1. Obſervat. 92.* de Virgine quâdam refert, quæ, cùm Infanti, cujus curam egerat, Mammam frequentiùs ſugendam exhibuiſſet, Lactis proventum in iiſdem deprehenderit ; imò Maribus quibuſdam tale quid per ſolam Contrectationem & Suctionem frequentiorem accidiſſe, Diemerbroeck *l. a. cap.* 2. ex diverſis Auctoribus & propriâ Experientiâ Exempla ejuſmodi adducit ; nervosè tamen ſatis ad hanc Hypotheſin reſpondet, quòd in centum Viris, Virginibus aut Fœminis non lactantibus, licèt harum ſugantur aut contrectentur Mammæ, quo uſque placet, non omnibus, ſed forſan aut nulli aut alteri tantùm Lac ad Mammas derivetur. Aliam ergò Cauſam ſuppeditat, & quidem talem, cujus neminem hactenus mentionem feciſſe putat, fortiorem ſcilicet *Imaginationem*, ſeu intentam & crebram de Lacte & Mammis Proliſque nutritione Cogitationem, cùm Imaginationem aliàs in Corpore mirabilia operari, notum ſit. Verùm utut Suctio frequentior, non minùs ac intenta quoque de Infante lactando Cogitatio pro Lacte advocando multum faciat ; attamen nec illam, nec hanc, primariam hujuſmodi Cauſam eſſe inde patet, quòd (1.) non Meretricibus ſaltem, dum Fœtûs ſui in Utero nullam rationem habent, nulloque illius amore trahuntur, & de expellendo vel perdendo Fœtu cogitant ; ſed in aliis quoque Mulierculis, rerum harum minùs gnaris, quæque ſe Gravidas eſſe ignorant, circa medium Geſtationis tempus Mammæ à Lacte intumeſcant, hocque per Papillas copioſè ſatis effluat : (2.) Non infrequens ſit, ut Matres, quæ eâ Lactis quantitate, qua Proli ſufficienter nutriendæ opus habent, deſtituuntur, ſæpiùs per intentam nimis de Lactatione incommodâ Cogitationem Fontes hujus Liquoris planè exſiccent ; (3.) Hiſtoria à Diemerbroeckio de Uxore propriâ adducta, circumſtantias tales continet, quæ Theſin ipſam ambiguam ſatis reddunt ; v. g. dum refert, poſt longum tempus demum illam voti ſui compotem factam, quum ſcilicet per aliquot menſes nihil Lactis produci potuerit. Probabilius ergò videtur ;

videtur, Nutrimentum Fœtûs lacteum in Utero, ſub hujus contractione ad Maſſam Sanguineam regurgitare, & propter denegatam cum Maſsâ Sanguineâ ſubactionem, Fermentationem ac agitationem, & per conſequens Febrem Lacteam ita dictam, excitari, donec ceſſante motu febrili Materia lactea à Sanguine ſecedat, & per Tubulos mammarios excerni poſſit. Per motum enim febrilem & aliquam Præcipitationem Lac à Sanguine faciliùs ſecedere, *ſuprà Sect. 8. Articulo 1. Capitis 19. ubi de Febre Lacteâ*, ſufficienter explicavi.

Sicut autem per *Fermentationem* hanc Lac ad Mammas tam copioſiùs non urgetur; quàm ita diſponitur, ut faciliùs in Mammis poſtmodùm ſecedat? ſimili ratione ac in Chyli à Fæcibus ſecretione illa Fermentatio & Præcipitatio, quam à Bile & Succo Pancreatico Chylus ſuſtinet, non ſufficit, ſed *Tranſcolatione* per Vaſorum Lacteorum Oſcula ad Inteſtina hiantia opus eſt: ita Chylus lacteus Sanguini laxiùs cohærens, dum per Glandulas Mammarias defertur, ab hoc ſecedit, & intra Tubulos lactiferos ſub Lactis formâ excernitur.

Generatur ergò Lac *per modum Tranſcolationis*, accedente tamen pro hoc negotio certâ quaſi tincturâ ſeu *Fermento Glandularum Mammariarum*, cujus ratione Serum Sanguinis chyloſum alteratur, & quodammodò diſponitur pro Materiâ Lactis, quod hinc per Tubulos lacteos ex Glandulis ad Papillas derivatur. Sicut enim in diverſis Glandulis diverſimodè, ratione conſiſtentiæ, ſaporis & ſimilium proprietatum, Serum tranſcolatum alteratur; ita in Mammarum Glandulis idem Serum chyloſum aliquo modo immutari, probabile eſt, utpote quod ratione ſubſtantiæ, coloris, & ſaporis à Chylo, reliquarumque Glandularum Sero, multùm differt. Serum chyloſum in Mammis alterari probatur: quia ex Sero beneficio cujuſdam Spiritûs aut Tincturæ acidæ præcipitatur Grumus lacteus; unde blandum Acidum, in dictis Glandulis unà elaboratum, probabile eſt, præcipitare ex Sero dictum Chylum, & eum condenſare in Lac, quod deferatur tandem ad Papillas, quod eſt ſpiſſius ipſo Sero. Notum enim eſt, quòd Sanguis lacteus obſervatus ſit, & Laurentius *in Controverſ. Anatom.* Exemplum Mulieris, quæ Lac per Lochia excrevit, refert; Mulieresque brevi à Partu tempore percipiant motum Materiæ ad Mammas, ita ut primum Lac ſit aquoſius, ſicuti tertio vel quarto die cum Febre Lacteâ propriè dictum Lac generari ſolet. Lac iſtud præbendum eſt Infanti, quod eſt Alimentum medicamentoſum.

In ſpecie *circa Lac & ejus Generationem tria vitia* conſideranda ſunt:

1. Quando *deficit.*
2. Quando nimis *abundat*; &
3. Denique, quando præternaturaliter *depravatum eſt* in Mammis, & corruptum.

Cauſæ horum in genere ſunt vitia *Materiæ*, vel vitia *Organi.*

## CAPUT I.

### *De Lactis Defectu.*

### CAUSÆ.

QUoad primum in ſpecie, nempe *Defectum Lactis*: deficit Lac vel vitio ſeu defectu *Materiæ*, ex qua Lac generandum eſt; vel deficit Lac vitio vel defectu *Mammarum*, Materiam alterantium, in ſpecie *Glandularum*, Chylum non ſequeſtrantium. *Materia deficit*, dum vel non generatur, vel genita licèt, abſumitur, vel aliorſum transfertur: hinc nimis macræ, juvenculæ, teneriores, febrientes, nimis ſudantes, &c. parùm vel planè nihil comedentes & bibentes, ac illæ, quibus immenſiùs fluxerunt Lochia, quibus uberiùs evacuatur Materia candida ſeroſa, &c. minùs Lacte abundant; ſed hoc rarius eſt: item quæ Gravidationis tempore, vel ex Nauſeâ Alimentorum parùm comederint, vel ex ratione Picæ vitioſa Alimenta aſſumpſerint, rarò à Partu Lacte abundare ſolent: item Mulieres ſiccliores Lacte minùs abundant, cùm Chylus promptè in Sanguinem aſſimiletur. In Morbis acutis Lac quoque imminuitur, unde Puerperis febrientibus Lac ferè deficere incipit, &c. Puerperæ etiam nimis ſudantes nunc vitium, nunc totalem Lactis defectum patiuntur: unde quæ lactare nolunt, præter copioſiorem Lochiorum fluxum, copioſiùs imprimis ſudant. Tempore quoque Geſtationis Lactantibus Lac partim imminuitur, partim notabiliter alteratur, dum econtrà majori quantitate ad Uterum defertur. Vinum, item Acida & Auſtera quælibet, Lactis copiam imminuunt; in ſpecie Vinum acidulum, v. gr. Rhenanum, &c. Lac notabiliter depauperare ſolet. Denique Mœror, Triſtitia, item interdum Terror ſubitaneus, Lac imminuunt in ſpecie. Communiter poſt Animi Pathemata dicunt, *Lac retro remanſit*, dum Spirituum perturbato motu etiam Contentorum Corporis motus alterari, ac plùs minùs perturbari ſolet.

Ut plurimùm *Mammarum vitio* deficit Lac, quando nempe harum *Glandulæ* tranſcolatoriæ ſunt vitioſæ, quarum primum vitium eſt, quando vel ſcirrhoſæ, vel induratæ, vel obſtructæ, vel vi nimis adſtrictæ, minùs poroſæ & poris arctis conſtantes, aut quando *Viæ ad Mammas* aut *Tubuli Glandularum* excretorii nimis anguſtati fuerint; id quod fit in ſpecie Arte, quando Mulieres adhuc Virgines nimis conſtringunt Veſtimenti Thoracem, & comprimunt Mammas & Vaſa ac Meatus ad has tendentes: Et hæc eſt Cauſa, quare noſtrates Puerperæ tam rarò poſſint lactare proprios Fœtus ſeu Infantes, quoniam in Juventute nimis adſtringendo & comprimendo Mammas impediunt Lactis proventum. Præterea huc etiam faciunt, quando Externis variis admotis Mammarum augmentum aut turgeſcentia & Glandularum debita ſtructura, ſub Pubertatis annis impeditur, aut etiam, quando mediis Geſtationis Menſibus, dum Mammæ itidem augeri incipiunt, ſimilibus earundem augmentum coërcent. Accedit huc etiam, utut indirectè, Infans debilis, non ſufficienter ſugens ac quaſi attrahens Lac ex Mammis; quò magis enim hoc allicitur, eò magis illabitur, eòque magis appliantur Vaſa: unde interdum ex nimio Infantum ſuctu Sanguis purus loco Lactis emanare obſervatus fuit: hinc tales Puerperæ interdum priùs Catellos aut alios Infantes robuſtiores admovent Mammis, ut horum ſuctu promoveatur Lactis affluxus. Notabile Exemplum Lactis, ſolius Fœtûs ope in Mammis attracti, videbitis in M.A.N.C. *Ann. 2. Obſerv. 135. in Schol. pag. 219.* & in Vetulâ *Ann. 3. Obſerv. 10. pag. 14.* item Salmuth *Cent. 1. Hiſt. 62.* ubi refertur Virgo lactans, cùm Infanti ſæpiùs ex petulantiâ Mammas exhibuiſſet: Si ipſæ Mammæ in culpâ ſunt, ſubtile iſtud Acidum volatile, quod Chylum in Mammis præcipitando coagulat, ſi vitioſum ſit, Cauſa eſt ſupervenientis Lactis defectus.

Cæterùm præter hactenus enarratas Cauſas Lactis defectûs, ſimul in ſpecie conſideranda venit certa quædam *Conſpiratio* aut quaſi *Sympathia Uteri & Mammarum*, dum imprimis poſt Conceptum, item poſt Partum, Lac ad Mammas moveri incipit;

item quòd Uterus & Mammæ iisdem fere Morbis, in ſpecie Scirrho & Cancris, affligi ſoleant; ita ut quidem Gravidatione Lac alterari & imminui ſoleat; ſicut in aliis, quamdiu lactare ſolent, ferè Conceptio impediri ſolet, &c. Quæ omnia certam quandam inter Uterum & Mammas conſpirationem oſtendunt, quâ unius functio ab alterius functione plùs minùs adjuvari vel impediri videtur.

## DIAGNOSIS.

Deficere Lac per ſe patet, idque imprimis, ſi ſimul acceſſerint Mammæ flaccidæ ac pendulæ minuſque turgentes, ex quibus parum vel nihil Lactis effluere poſſit.

Cauſarum Signa ex Circumſtantiis & Antecedentibus ſunt penſitanda.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: Puerperis equidem per ſe parum aut nihil mali infert Lactis defectus, modò ritè fluant Lochia, utut Infanti ſubinde nocivum ſit, quia non poteſt ritè nutriri, hinc viribus deficere, ex ploratu verò continuo varia Mala accelerari ſolent. *Interdum, cùm Infantes unam modò ſugunt Mammam, tunc Lac in alterâ remanet, indureſcit, nec vult exire.*

## CURA.

Quoad ergò attinet *Curam*: In hac aut *Externis* Emollientibus, Mammas irritantibus, admotis Viæ ampliandæ, laxandæ, & Mammæ quaſi ſpongioſiores & molliores reddendæ, aut *Internis* appropriatis Lactis proventus accelerandus, ſubminiſtrando ſimul *Victum ἰυχυμὲν* & laudabilem, imprimis Lacticinia, Ova ſorbilia, Pultes ex Ovis cum Lacte, Butyro, item ex Amygdalis, &c. Oryzam aut Hordeum excorticatum contuſum, in Lacte coquendo, & inſtar Pultis capiendo, quæ Puls condienda eſt cum Cinnamomo, Galangâ, Caryophyllis ac ſimilibus. Noſtrates Secale contuſum in Aquâ coquunt, & ita Juſculi formâ copioſum Lac ſuggerentis aſſumunt: Carnes Mamillarum Vaccæ juvenculæ, quæ etiam, cocta, indurata & pulveriſata, cum aliis Lac provocantibus miſcentur. Inter Remedia appropriata eminent *Flores Sambuci in Lacte* moderatè cocti; Lac decoctionis bibitum, copioſum Lac ſubminiſtrat: Vid. Langius *in Miſcell. pag.* 46. nempe

℞. *Fl. Sambuc. arid.* M. j.

& cum Menſurâ unâ *Lactis vaccini* coquatur.

Quod Decoctum bibat calidè Nutrix ad augmentandum Lac: Vidi enim aliquando, quòd hi Flores copioſiùs in Lacte cocti, & à Muliere aſſumpti, Lac equidem ejus augmentârint, ſed & Fœtum & Puerperam inſigniter purgant; id quod, cùm interdum ſit minùs conſuetum, propterea in minori ſumantur quantitate.

Juxta hos in ſpecie eminet *Fœniculum* totum, cujus Summitates recentes comeſtæ egregiè conducunt ad Lactis proventum augmentandum; unde aliæ decoquunt Summitates Fœniculi ut plurimùm, vel cum Potu ordinario, vel in Lacte, & ita hauriunt: adeoque ipſum Semen Fœniculi copioſiùs aſſumptum, item Radix Fœniculi, & Decoctum Summitatum Fœniculi, ſunt Experimentum Amati Luſitani *Cent.* 6. *Curat.* 86. unde etiam Oleum deſtillatum Fœniculi, in uſu eſſe ſolet ad Lac augmentandum. Præter dicta *Lumbrici* ſingulare quid obtinent in augmento Lactis conciliando; v. g. Decoctum Lumbricorum terreſtrium cum Fœniculo egregium eſt *Experimentum* Helidæi Paduani in Brodio Fœniculi ad generandum Lac, item Pulvis Lumbricorum terreſtrium ad ʒj. aliquamdiu propinatus. Poſt Fœniculum imprimis conducit *Aniſum*, ejuſque Semen. Hoc enim Semen Aniſi egregium eſt Remedium copioſiùs comeſtum ad generandum Lac, ſive in ſubſtantiâ aſſumatur, ſive ejus Oleum deſtillatum ſubinde guſtetur, ſive in Lacte coquatur. Novi Puerperam, cui Decoctum hoc propinatum pro copiâ Lactis ſuggerendâ, cum uberrimo Lactis proventu graviſſimum Somnum induxerit. Poſt hæc Semen Carvi, quod Germanis dicitur *Cuminum album*, Cardui Mariæ, Dauci, Semen Nigellæ, & omnia optimè conducunt in hoc caſu. Semen Anethi vel ſolum, vel cum Semine Cardui Mariæ, Nutricibus Lac auget. Item hîc in uſu ſunt Agaricus Mineralis, ſeu *Lac Lunæ*, à ʒß. ad ʒj. propinatum; *Cryſtallus* præparata ad ϑj. aſſumpta, *Species Diacryſtalli Mynſichti*, & Marga ſaxorum, quæ pro Lacte Nutricum multiplicando ſummum ſunt Remedium; privativè ſcilicet operantur removendo vitioſum Acidum, Lactis profluxum impediens; nunc ſolum in Cereviſiâ calidâ, nunc addito Semine Fœniculi. Olea deſtillata præfatorum Seminum, præſertim Aniſi, juxta hoc, quòd Lac generent, ſimul etiam Lac medicamentoſum reddunt, *depellit Infantibus lancinationes, ipſumque Lac ſapit poſteà illud Oleum.* Obſervavit Kerckringius, quòd Crepitus Ventris, odorem Aniſi referentes, Fœtus habuerit; quia Mater lacteſcens Oleum deſtillatum Aniſi aſſumpſerat. Semen Dauci noſtratis egregiè convenit, *Juſcula Cumini.*

Hinc

℞. *Lact. Lunæ* ϑij. vel ʒj.
*Cryſtal. præp.* ϑj.
*Ol. deſt. Aniſi*,
*Fœnic.* an. gutt. vj. vij. ix. vel xij.
M. f. Pulvis pro duabus vel tribus doſibus:
D. S.
Pulvis Lac promovens.

Capiatur vel in Brodio Gallinæ, vel in Brodio Decoctionis Fœniculi.

Vel

℞. *Lact. Lunæ* ϑij.
*Cryſtal. præp.* ϑj.
*Olei deſt. Fœnic.* gutt. ix.
M. f. Pulvis pro duabus doſibus.
D. S. ut antè.

Vel

℞. *Sem. Aniſ.* ʒij.
*Lact. Lunæ* ʒj.
*Cryſtall. præp.* ʒß. vel ϑij.
*Ol. deſt. Aniſ.* gutt. viij.
M. f. Pulvis pro 4. doſibus.
D. S. ut antè.

Aſſumendus in Decocto Fœniculi.

Vel

℞. *Cryſtal. præp.* ʒij.
*Sem. Fœnic.*
*Carvi* an. ʒiß.
*Ol. deſtil. Aniſ.* gutt. vj.
M. f. Pulvis.
D. S. ut antè.

Quoad *Externa*: uſurpentur partim Emollientia Mammas, partim Irritantia & Lac promoventia; unde confert *Fotus* ex Decoctis Simplicium appropriatorum, cum Emollientibus aliàs notis miſtorum, crebriùs Mammis applicatus: v. g. ex Herbâ & Radice Fœniculi, ex Malvâ, Menthâ,

thâ, Floribus Sambuci, Meliloti, Semine Fœniculi, Aniſi, Nigellæ & ſimilibus: quæ vel in Lacte Vaccino, vel in Aquâ ſimplici coquantur, ut ita ad majorem Lactis copiam tranſmittendam diſponantur Mammæ. Item ſunt qui commendant *Cataplaſma* ex Farinâ Hordei, Herbâ Malvæ, & Fermento, Mammis applicatum, quod non nihil attrahit. Item *Inunctio* Mammarum cum Oleo Lumbricorum terreſtrium laudatur, (vid. Hildanus *Cent.* 4. *Obſerv.* 27.) quod imprægnandum venit cum aliquot guttis Olei deſtillati Aniſi. Item Herba Pimpinellæ Mammis appoſita, aut Vinca Pervinca contuſa, Mammis circumdata Lac augmentat: quin & poſt paſtum & abſolutam digeſtionem *Frictio* Mammarum moderata cum Pannis aſperis, ut incaleſcant non nihil, ac ita mediante Sanguine uberiùs affluente, uberiori Lacte turgeſcant. Mercurius in Nuce Avellanâ excavatâ intra Mammas alligatus commendatur: Vid. Wedelius *de Fac. Med. pag.* 196.

## CAPUT II.

### *De Lactis Abundantiâ.*

COntrarium vitium eſt, cùm Lac nimis redundat, quod vocatur *Lactis Abundantia.* Fit enim interdum, ut Lac nimis redundet, ita ut plùs debito luxuriet Lac, dum non tantummodò ſufficit nutriendo Fœtui, ſed prætereà etiam vel ſponte effluit: Idque fit vel *abſolutè*, vel *reſpectivè*: *reſpectivè* in iis, quæ lactare nolunt, & ita Lac in Mammis colligitur: *abſolutè* Lac abundat, quando Mulieres, etiam lactantes plus Lactis congerunt, quàm Fœtus exſugere poteſt.

## CAUSÆ.

Origo ejus inveſtiganda eſt vel in *Materiæ* copiâ ſeu uberiori Alimento in Subjectis ſanis & ſalubribus, hinc in laudabili Digeſtione Stomachi, vel *Mammarum* laxitate mollitieque, hinc ſpongioſitate Glandularum copioſarum & melioris conſiſtentiæ, à quibus uberior Lactis copia emulgetur & tranſcolatur; & in ſpecie *volatili Acido*, præcipitante Lac ex Maſsâ Sanguinea: quo & ipſe *Fœtus* robuſtior & famelicus, fortiùs exſugens Lac, ac proinde majorem ejus influxum per accidens excitans, pertinet.

## DIAGNOSIS.

Quoad *Signa*: *ſequentia obſervanda ſunt.*

(1.) Evenit interdum, ut Mulieres lactantes, dum Lac promptè vel uberius effluit ad Mammas, vel quibus jam Lac copioſum in Mammis eſt, in iis percipiant inſignem *Turgeſcentiam* à Lacte retento, & *Dolorem* quaſi prementem & contundentem in regione Spinæ Dorſi; quod ipſis perquàm moleſtum eſt, *ſæpè enim non poſſunt dormire.* Et hoc ſæpiſſimè evenit ex Abundantiâ Lactis, vel quando ſimpliciter redundat, vel quando non ſufficienter emulgetur ex Mammis; quod ipſe obſervavi non ſolùm in Mulieribus lactantibus, ſed etiam habitioribus & ſucculentioribus, quibus mediis Geſtationis menſibus, dum ſcilicet Lac in Mammis ſuboriri in quibuſdam ſolet; qui tamen Dolores evanuerunt ubi Lacti patuit exitus per Mammas. Et talis, uti dixi, Dorſi compreſſivus Dolor oritur ex redundantiâ Lactis, ſtagnantis quaſi in Locis & Vaſis, per quæ aliàs eſſet deferendum ad Mammas.

(2.) Quòd Lac, quando vel uberiùs ad Ubera movetur, & copioſiùs in iis retinetur, interdum ſimul *Tumorem* Glandularum Mulieribus, ubi ſub Axillis Muſculus Pectoralis, qui Brachium attrahit, inferat, quod ineptè Chirurgi pro Abſceſſu radicali interdum habent: unde Puerperæ lactantes Brachium movere ſine Dolore non poſſunt. Prætereà

(3.) Lactis Abundantia patet ex *copioſiore Excretione* ejus, quæ imprimis tunc eſt curanda, quando tam copioſè abundat Lac, ſimul ſponte effluit, ut exinde emacietur Fœmina, aut etiam non nihil debilitetur.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: Malum per ſe patet, per ſe innocuum eſt, & benignum Naturæ beneficium.

Moderata ergò Abundantia minùs mala eſt; cùm Fœtus ſucceſſivè grandior ac robuſtior, plus ejus in ſui Nutrimentum abſumat.

Non tamen adeò contemnendum eſt, ſi enim nimis abundet, ut Atrophia ſequatur, aut Virium debilitas, Curationem omninò poſtulat. Metus quoque eſt, ne Lac in Mammis redundans ex Tumore nimio Dolorem, Inflammationem, hinc Lactis corruptionem inferat: imo ipſum Lac in Mammis uberiùs congeſtum, quàm vel Fœtus exſugit, vel in Mulieribus, quæ lactare non volunt, proprio motu ad ſui corruptionem & aceſcentiam vergere, coagulari, & ita Mammarum dolorosâ irritatione Scirrhos, Scrophulas & Abſceſſus, aliaque Mala, inferre poteſt: minùs tamen adeſt periculum, quando uberiùs fluunt Lochia.

## CURA.

Quoad *Curam*: In hac *duo Scopi obſervandi ſunt*:

1. Nimius Lactis proventus tam Internis appropriatis, quàm Externis, *præcavendus.*

2. Genitum verò jam Lac copioſum & Mammas diſtendens, vel mediante Sudore, quo etiam promovetur Lochiorum excretio, vel mediante per Papillas effluxu, *removendum.*

*Effluxus per Papillas promovetur* vel *Emulctione* ſpontaneâ; vel *Suctione* per Canem, qui Dentes non habet; vel mediantibus *Sacculis* Oryzâ, aut Milio, aut Hordeo contuſo plenis, quàm fervidè ferri poteſt, Mammis impoſitis, idque in ſpecie, ſi priùs impoſitum fuerit *Emplaſtrum de Spermate Ceti Mynſichti*, ut integras Mammas tegat; ſic præcavetur Lac à ſui coagulatione; fiant nempe Sacculi pollicis craſſitie, iique interpaſſati, probè calefacti imponantur dicto Emplaſtro, crebriùs repetendo, toties nempe, quoties calor remittit, ſic Lac fluidum manet, & ſponte per Papillas emanat. Milium enim, Oryza & Hordeum Mammis imponuntur non propter ſpecialem vim, ſed propter calorem, quia magis quam aliud ſubjectum calorem retinet.

Poſt moderatam ergò *Diætam*, *Interna* quædam appropriata, in ſpecie autem *Externa*, vel Adſtringentia, vel Reſolventia, vel Appropriata, quæ Lactis redundantiam tam præſervant quàm curant, uſurpanda veniunt.

Quoad *Remedia Interna*: *Mentha*, ejuſque Aqua & Decoctum, eſt unum ex optimis Lac abſumentibus: (quidam etiam dicunt, Lac generare): item Cicuta, Apium, ejuſque Aqua vel Decoctum Radicis bibitum: item *Vitex* ſeu Agnus caſtus, ejuſque Semen, & ex eodem parata Remedia. Roſmarinus etiam & Chærefolium ad Lactis copiam imminuendam laudantur. Nicotianæ uſus Lac potenter abſumit, Autore Sanchez *in Obſervationibus.* Ex Anetho etiam, Chære-

folio, item Cumino, Coriandro & Myrrhâ, quæcunque aſſumpta Lac imminuunt. Semen Lactucæ Lac imminuere ſolet, quando nimirum in nimiâ copiâ affluit, temperando illud; quod quidem non ſolum, ſed cum Vitice facit. In genere omnia ea Lac muliebre imminuunt, quæ aliàs ad Genituram extinguendam & imminuendam in Gonorrhœâ in uſu ſunt; ſed parciùs ea uſurpari ſolent, ne vis genitalis imminuatur: quibus accedat uberior Lochiorum fluxus, aut revocentur in ordinarium curſum Menſes, qui ut plurimùm ſunt ſuppreſſi Lactantibus; aut inſtituatur *Venæ ſectio* in Brachio.

Potiùs tamen *Externis* hîc inſiſtendum eſt, quæ ſunt imprimis Aqua Apii & Menthæ applicata, quæ *Epithematum* inſtar Lac imminuunt; ſicut ipſa Mentha contuſa, inſtar *Cataplaſmatis* Mammis circumpoſita, Lac diſcutit & diſſolvit in iis, quæ lactare nolunt, uti & Calamintha. Quædam ideò Mulierculæ Aquam Menthæ rejiciunt, quòd poſtea nunquam lactare poſſint ( L ). *Fotus* ex Semine Cumini contuſo in Aceto & Aquâ decocto applicatus, vel Decoctum Cumini cum Aceto cum vel ſine pauco Alumine, Fotûs inſtar calidè ſubinde Mammis applicatur; aut paratum Cataplaſma ex Semine Cumini contuſo cum Aceto ſimplici, & ita calidè applicatum, convenit. Cataplaſma ex Farinâ Fabarum & Lentium in Oxycrato decoctum eſt expertiſſimum Mammis impoſitum: Vid. M.A.N.C. *Ann.* 6. & 7. *Append. pag.* 36.

Vel

℞. *Rad. Apii* ʒj.
*Semin. Cumini*,
*Coriandr.* an. ʒß.
Coqu. in ſ. q. *Aceti* & *Aquæ Menthæ*, vel in *Aquâ* & *Vino*, addendo parum Aceti deſtillati.
Colatura D. pro Epithemate.
D. S.
Externum Epithema.
Cum Linteis multiplicatis calidè applicandum Mammis, cui interdum etiam aliquid *Aluminis* addi poteſt:

Expertus eſt hic Fotus ſæpiſſimè à D. Michaelis ad præcavendam Lactis Abundantiam. Cautè tamen applicandum hoc Epithema, ne Lac tam ab hoc, quàm Aceto, coaguletur.

Folia & Radix Petroſelini non nihil ſiccata, vel in *Nodulis* infuſa & externè applicata, Lactis Abundantiam impediunt. Eminent *Cicuta & Mentha*, vel recenter contuſa & Mammis applicata; vel ex his paratum Fomentum cum Semine Cumini & Coriandri in Aquâ vel Vino, Linteis multiplicatis applicatum Mammis calidè: vel ex Decoctis fiat Cataplaſma additâ Farinâ Fabarum cum Oxycrato, ſeu Aquâ & Aceto, quod Cataplaſma etiam egregiè conducit, vel Cicuta cum Aquâ Chærefolii, vel Succus Cicutæ Aceti tantillo temperatus, item Folia Cucurbitæ & Plantaginis cum Aceto contuſa, applicata, item Emplaſtrum de Cicutâ Mammis impoſitum, confert ad imminuendum Lac; ſimul quoque Lactis coagulationem, & Glandularum indurationem præcavet; ut etiam Succus Plantaginis Mammis illitus certò Lac imminuit; quod etiam facit Vinca Pervinca in formâ Cataplaſmatis Dorſo applicata. Papyrus griſea, ſive Charta bibula, Melle virgineo illita, Mammis impoſita Lac imminuit: ac denique Cancri fluviatiles calcinati, Sacculo lineo incluſi & Mammis applicati, uſurpantur ad Lac imminuendum.

Quòd ſi Mulier lactare nolit, ut evaneſcat Lac denuò, convenit imprimis Cataplaſma ex Micâ Panis, Pulvere Menthæ, Aceto & Sale, quo uſus ſubinde Timæus *von Guldenkee*. Vid. etiam Wedelius *de Med. Facult. p.* 197. Nec inconveniens eſt Emplaſtrum Hœferi *in Hercul. Med. pag.* 340. cujus hæc eſt compoſitio:

℞. *Ceræ alb.*
*flavæ*,
*Pingu. Gallin.*
*Axung. Cervin.* an. ʒß.
Miſtis & liquatis adde
*Camphoræ*,
*Myrrh.*
*Aſæ fœt.* ana ʒß.
*Croci* ℈j.
M. f. Emplaſtrum:

Quo tingantur *Lintea* in formam Mammarum concinnata, ſed ita perforata, ut Papillæ exeant, ſicque geſtentur per ſex ſeptimanas.

Wedelius *l. a. pag.* 199. Mammis applicat Emplaſtrum Diachylôn ſimplex, exceptis Papillis, quæ liberæ ſint; Dorſo verò Emplaſtrum de Spermate Ranarum cum ana Albi cocti, ut influxurum Lac in viâ etiam impediatur, nec in Mammas perveniat. Euporiſton Mulierum noſtratium eſt, ut mox poſt Partum, aut quando Lac ſe manifeſtat, aut etiam dum jam effluere incipit, Herba Alſine viridis, Germ. *das Mauſe gedarme*, leviter contuſa non nihil calidè applicetur Mammis, & ſubinde renovetur, & ita Lactis proventus in Mammis ſiſtitur. Vel Folia Braſſicæ capitatæ albæ, leniter conquaſſatæ, imponi ſolent, aut ſolitaria, aut Petroſelino viridi non nihil contuſo repleta, calidè applicant ad præcavendum Lac. Quidam recipiunt Folia Braſſicæ capitatæ, & huic imponunt Alſinem contuſam, & calidè admovent Mammis, crebriùs repetendo. De cætero etiam optimum eſt *Experimentum Sympatheticum*, ut quando Mulier vel recuſat lactare, vel Infantem ablactavit, pro Lactis ubertate tollendâ, ſi de ſuo Lacte emulgeat aliquid in Carbones candentes, vel in Ferrum candens; omne enim Lac, quod reliquum eſt in Mammis, exſiccatur, & ſucceſſivè breviter abſumitur. Notat hoc Helmontius *in ſuis Scriptis*, per Experientiam certum eſſe. Expertum etiam fuit à Petro à Caſtro, Medico Veronenſi. Probatum eſt aliquoties poſt ablactationem Infantum ad Lac imminuendum: nihil nocet Lacti, alioque tempore Lac accipiunt. Quando Infantes clamitant, Mater Dolorem in Mammis ſentit, licet non ſit domi;

( L ) Nota Cyrilli. Romæ *primùm*, *exundante deliciis Republicâ*, *ad Infantes alendos* Nutrices *conductæ ſunt*, *inter quas Spartanæ celeberrimæ*, *quòd abſque faſciatione illos tractarent. Hic mos per omnem ferè Europam familiariſſimus factus*, *præſertim apud Nobiles mulieres*, *quæ Matris curam reſpuentes*, *vix ex Utero expulſos Infantes Nutricibus alendos tradunt*: *quod* ( *præter Matris ipſius à Lacte retropulſo pericula* ) *non ſine Filiorum enutriendorum noxâ fieri*, *is facilè videbit*, *qui animadvertat*, *quantum non ſolùm ad Corporis ſalubritatem*, *quàm ad Ingenii & Morum rectam inſtitutionem faciat*, *materni nutrimenti cum Infante alendo analogia & ſimilitudo. Notatu ſanè dignum eſt*, *quod ſcribit* Varillas *de* Blanchâ S. Ludovici Galliæ Regis *matre*, *quæ proprio Lacte Filium nutrivit*: *imò quum ſciviſſet ipſa ægrotans*, *à Nobili cæteroqui Muliere eo tempore Lac Filio ſemel præſtitum*, *digito in pueruli os immiſſo*, *ad vomitum illum provocavit*, *ut alienum Lac redderet.*

domi : ſi Fœtui mors immineat, Lac Mulieri deficere incipit. Communis etiam *Traditio eſt* Mulierum, quòd ſi Mus Nutricis Lac guſtaverit, Lac ſtatim in Mammis abſumitur, quod tamen ferè dubium mihi videtur. Ratio dubitandi eſt hæc, quòd in Nutricum Lacte ſepoſito Murium excrementa ſæpiùs fuerint reperta, abſque tamen impedimento ulterioris Lactationis, utut Lac deguſtaverint. Si poſt Infantis ablactationem Lac adhuc reſtitans Mammis Dolorem conciliet, prodeſt tunc ad Lactis in iis ſcaturiginem ſiſtendam, ſi Succinum & Cryſtallus appendantur in regione Dorſi Mammis oppoſitâ in Nodulo ; ſic enim Lac ſucceſſivè ex Mammis moveri, & per Alvum egredi, aſſerunt.

## CAPUT III.

*De Lacte in Mammis Depravato, & Variis Inde Natis Affectibus.*

### ARTICULUS I.

*De Coagulatione Lactis.*

### CAUSÆ.

TErtium denique vitium eſt, quando *Lac depravatur* ac vitioſum fit : quod variis modis in *Sapore* ( M ), in *Colore* & *Conſiſtentiâ*, fieri poteſt, pro vario uſu ſex Rerum Nonnaturalium, & hinc Digeſtionum varietate : qua ratione Meara *contra* Williſium obſervavit Lac cœruleum ex Mammis excretum. Præ cæteris tamen familiariſſimum & nocentiſſimum vitium eſt in Lacte, *ſi in Mammis concreſcat & coaguletur in Grumos*, ac in Caſeationem ſecedat ; quod fit, quoties Acidum, tam Lacti proprium, quàm aliunde ſuperveniens, exceſſivum, Lac condenſaverit ; ſive Coagulatio hæc in Mammarum ſubſtantiâ fiat, ſive in Ductibus & Glandulis ad Papillas derivatis, perinde eſt. Jam verò promptiſſimè aceſcit & coagulatur Lac, partim quòd in ſe ipſo occultum gerat *Acidum* ; hinc enim Acorem, & per conſequens Coagulationem, Lacti inducunt omnia ea, quæ ejus Alterationi vel aliquali Corruptioni occaſionem præbent, hinc namque ſubitò aceſcit, unde ejuſmodi Congrumeſcentia : partim quòd in Glandulis Mammarum à *Lymphâ acidulâ*, tanquam peculiari Fermento, probabiliter ſpecifico Acido, corrumpatur : quibus ſi accedit *Spirituum Animalium* defectus, ex motu nempe eorum ſub Animi Pathematis gravioribus perturbato, neceſſariò Acidum anteà blandum & occultum fit manifeſtum, indeque Lactis proprii coagulativum. *Coagulatur* nunc ergò *Lac ſuâ ſponte, nunc à Rebus Nonnaturalibus. Suâ ſponte*, quando quocunque modo in Mammis alteratur, aut etiam diutiùs in iiſdem retinetur ; ſi enim retentum, nec excretum, tepore loci occultâ Fermentatione alteratur, alteratum facillimè aceſcit & grumeſcit, & hinc Mammarum ſupervenit tandem Inflammatio, atque hujuſmodi Coagulationes pedetentim fiunt : ſicut ſubitò id accidit in *Rebus Nonnaturalibus*, v. g. Animi Pathematis, Mœrore, Terrore ſubitaneo gravi, Irâ ac ſimilibus ; ab his enim Mulieres mox percipiunt Lactis Grumos in Mammis. Ex Terrore mox Lac coagulatur. Novi Puerperam, quæ in Somno ex graviori Inſomnio perterrefacta, hujus Inſomnii occaſione mox Lac in Mammis coagulatum contraxerit. Si Iracundiâ nimiâ ſint affectæ, Lactis Coagulationem & Eryſipelas contrahunt. Fauit huc etiam ſi poſt Sudorem Mammæ ſubitò exponantur Aëri frigido ; ſic enim ſubitò induci ſolet ſicuti Sanguinis, ita etiam Lactis, ab Acore ſuborto Coagulatio. Porro Acida quælibet aſſumpta, in ſpecie Auſtera, ſi copioſiùs ingerantur, niſi corrigantur maturè in primis viis, vel extrà inconſultò & intempeſtivè Mammis applicentur, Lac quoque coagulare valent : qua ratione Fomenta nimis acida, & quæ recipiunt Acetum ab aliis admiſtis non ritè temperatum ( Cuminum temperat Acetum ) facilè Lacti Coagulationem inducere poſſunt. Rigor febrilis in Febribus Intermittentibus Lac pariter in Mammis coagulat, ut obſervat Schneiderus *in Obſ. pag.* 228.

Cauſæ hæ ſi fuerint graviores, Lac totum coagulant, Mammaſque induratas reddunt : leviores ſi fuerint, Lac tantummodò in unâ alterâve Glandulâ grumefaciunt, aut exinde ſaltem aliquos Loborum infarctum inducunt, unde tunc fit, ut permaneat adhuc Lactis per Papillas effluxus, utut grumoſa, & caſeoſa in Mammis deprehendantur tactu.

### DIAGNOSIS.

Quoad *Signa* : Lac in Mammis in Grumos abiiſſe, ſubitò percipiunt Fœminæ : ſed aliud eſt Durities Mammarum à Lacte nimio Mammas diſtendente, aliud Lac coagulatum in Mammis. Ordinariò in Puerperio, quando tertio vel quarto die Lac defertur ad Mammas, Mammæ duriſſimæ apparent, ſed tunc ſunt æqualiter duræ : Verùm quando Lac coagulatum eſt in Mammis, Mammæ inæqualiter tument, nempe hinc inde *Tumores duri*, tactui renitentes, nunc ſimplices, nunc multiplices, duplices, triplices, &c. ſubitò deprehenduntur, modò majores, modò minores, modò continui, modò interrupti, prout plùs vel minùs continuæ, vel ſecretæ aut diſcretæ, fuerint affectæ Glandulæ : baſis enim ſemper eſt Glandula Lacte circumſeſſa.

*Tumor* hic in principio eſt ſine Dolore ; ſucceſſivè autem Mulier Dolorem obtuſum gravativum & quaſi contundentem in Mammâ percipit, niſi maturè diſſolvatur Grumus coagulatus.

Malo occaſione Grumi caſeoſi procedenti ſupervenit Calor, Rubor, & inſignis Æſtus Mammæ, in loco Lactis caſeati, cum Pulſu & Pathematis totius Corporis febrilibus, hinc Dolor punctorius, intenſiſſimus Ardor, &c. Mammam prehendunt, magis magiſque *Phlogoſi ſeu Inflammatione* intumeſcit, ac ex Fibrarum ſpaſmo propter irritationem Doloris indureſcit, hinc inſigniter augentur Dolores ardentes, pungentes, pulſantes, non ſecus ac ſi Spina Digito infixa eſt ; hinc ſub his tormentis *Inflammatio ſucceſſivè ſuppuratur*, ac ſimul Lac caſeatum in Pus mutatur, factâ Suppuratione aperitur Abſceſſus, & *Ulcus* factum Mundificantibus & Conſolidantibus lege Artis tractetur. Hæc ordinaria ſunt Phænomena, quæ inſequuntur Lac coagulatum ; quibus ſemper Suppurationis negotio Febricula plùs minùs intenſa jungitur, niſi Lac jam grumoſum factum maturè diſſolvatur. Nam ubi perfectè ſemel induraverit Coagulum lacteum, non niſi Suppurationis negotio ſolvi, & ex Mammâ ejici poteſt. Nempe ex Lactis Coagulatione tres ſunt modi evadendi : aut ſucceſſivè

( M ) Nota Cyrilli. Lac Europearum *Mulierum in* Bataviâ *Indiarum adeò falſum evadit, ut nequeant proprios alere Filios, quos abſque noxâ Æthiopibus fœminis alendos tradunt. Fortaſsè* ( *ut notat* Dñ. Hombergius ) *Ductus Lactei Europearum ob ſummum regionis calorem maximè dilatantur, ut Salis marini particulas facilè admittant.*

ceſſivè *emollitum* diſparet; aut ſuperveniente Inflammatione beneficio *Abſceſſûs*, nunc ſpontaneâ Aperturâ, nunc Chirurgicâ per Lancettam, vel Cauterium potentiale Apertione evacuatur; aut tertiò tandem, utut rarò, promptè induratur, & in *Scirrhum* abit.

Quòd ſi ab Animi Pathematis, ſpeciatim à Terrore, fiat Lactis Coagulatio, ordinariò mox Inflammatio Eryſipelacea primitùs occupat Mammam, cum intenſo Rubore, Ardore, Dolore pungente, in ſuperficie Mamma ſimul induratur, & in profundo Grumi Lactis caſeati apparent; qui diſcuſsâ Inflammatione Eryſipelaceâ adhuc contumaces perſtant, & ita ſuprà dicto modo, ſuperventu genuinæ Inflammationis & Suppurationis, diſſolvuntur.

## PROGNOSIS.

Patet ex his *Prognoſis* facilè: ſcilicet non leve Malum eſſe Lactis Aceſcentiam, cùm doloroſiſſima Mammarum ſint Apoſtemata, Febris etiam adjuncta, plùs minùs intenſa eſſe ſoleat, & ex his occaſionibus Ulcera Mammarum diuturna & cacoëthea, cùm ſint partes glanduloſæ, facilè oriri poſſunt.

Tota ergò hujus ratio conſiſtit in Grumo Lactis, qui ſi diſſolvatur maturè, res in vado: ſi verò hæreat pertinax, non niſi mediante Abſceſſu poteſt curari, qui nunc ritè mundificatur, nunc in Ulcus ſinuoſum & fiſtuloſum abit, nunc ipſe Tumor in Scirrhum induratur, nunc facilè etiam in Cancrum degenerat.

## CURA.

In *Curâ* ergò, ubi adeſt ſuſpicio vel præſentia Lactis coagulati in Mammis, Lac nondum concretum quantocyùs *removendum*, coagulatum maturè *reſolvendum*, & Lac reſolutum vel inſenſibiliter *diſcutiendum*, per Sudores nempe, vel ſenſibiliter *emulgendum*; Grumus verò ſi reſolvi nequeat, ſaltem *Suppuratio promovenda*, & *Abſceſſus maturandus*, ut citiùs & jucundiùs, hoc eſt, minori Doloris tormento, liberetur.

Unde pro his Scopis obtinendis ſubitò quantocyùs Mulier Coagulum Lactis, vel exinde ſibi naſci Tumorem, in Mammâ percipit, *Mammam emulgeat*, quantum poteſt; vel ſi non poſſit Lac emulgere, Mammam exſugendam Cani præbeat, aut *Exſuctio per Vitra* inſtituatur, ut id, quod nondum concretum eſt, maturè removeatur, ne & hoc concreſcere incipiat. Quô factô, *ut Grumi citò diſſolvantur*, uſurpentur internè *Sudorifera* abſorbentia ſeu Acidum coagulans infringentia, atque hinc Sanguinem & Lac grumoſum reſolventia, qualia ſunt Sperma Ceti, Grumos quoſcunque reſolvens, à 3ß. ad 3j. uſurpatum. Hinc etiam Emplaſtrum de Spermate Ceti *Mynſichti*, externè Mammis Mulierum lactare nolentium ſtatim impoſitum, ad præcavendos Lactis Grumos non habet æquale Remedium, præcavet ſimul, ne reliquum Lac tam facilè in Mammis concreſcere poſſit. Propinentur ergò Lapilli Cancrorum, qui vulnerarii, & Acido abſorpto Lac reſolvunt, imprimis ſi Myrrhæ paululum iis addatur, Cornu Cervi ſine igne, Antimonium Diaphoreticum cum Salibus fixis, Cardui benedicti nempe, Abſinthii & ſimilibus; nunc in formâ Pulveris, nunc cum Rob Sambuci in formâ Boli, ut mediante ſuperventu Sudoris Acidum infringatur, & Lactis Grumus, quantum poſſibile, diſſolvatur. Pulvis Millepedum ſeu Aſellorum ſicut mira præſtat in Chirurgicis caſibus, ita etiam in ſpecie reſolvendo Lacte coagulato ſi à 3ß. ad 3j. crebriùs hauriatur, idque Experientiâ Riverii *Cent. 4. Obſerv. 89.* Ulceraque Mammarum cavernoſa mirabiliter curat. Porrò Semen Fœniculi, Cumini, Aniſi, Crocus, Salvia, Mentha, Chærefolium, ac ſimilia internè uſurpata etiam Lactis præcavent & reſolvunt Grumos. Præ cæteris *Salia volatilia*, quæ per Sudorem & vi alcalinâ Grumos Lactis coagulatos diſſolvunt; primariò Spiritus Salis Ammoniaci probè rectificatus, Liquor Cornu Cervi ſuccinatus & ſimilia, Acidum quodcunque deſtruentia, & hinc Lactis Grumos diſſolventia, conveniunt doſi à ℈j. ad 3j. & blandum Sudorem, iſtis propinatis, Mulier expectet. Et ſi rectè ſudant, mox ſenſibile levamen in Mammis percipiunt, tam in Lactis Coagulatione, quàm etiam, ſi ſupervenit Inflammatio. Si Spiritûs Salis Ammoniaci uſus ſit nauſeoſus, commodè diſſolvitur & aſſumitur cum Lacte; ſic enim ſapor & odor ejus fit inſenſilis.

Quoad *Externa*: ubi ſudaverunt, mox in principio ad diſſolvendos Lactis Grumos maturè imponatur *Emplaſtrum* de Spermate Ceti *Myſinchti*, de quo jam monui, tanquam optimum, imponendo deſuper ſuprà laudatos *Sacculos* ex Oryzâ, Milio, vel Hordeo contuſo, ut partim internis, partim his Externis Grumus Lactis denuò diſſolvatur, quæ ipſa etiam Remedia aliquandiu continuanda. Certè Emplaſtrum hoc de Spermate Ceti non eſt contemnendum, ritè paratum nempe, ſi Ceræ albæ liquefactæ in Sartagine addatur Galbanum, & hinc probè miſtis ab igne remoto addatur demum Sperma Ceti, ut fiat Emplaſtrum ductile, totis Mammis inducendum. Conferatur de ejus uſibus Timæus *von Guldenklee in Caſibus pagina* 234. Tamen hoc magis Præſervationis gratiâ, aut ſaltim in principio Coagulationis confert. Si enim jam Grumi quidam appareant, aut Coagulum Lactis durius & pertinacius fuerit, ita ut dicto Emplaſtro cedere nolit, vel Coagulum hoc modo reſolutum iri vix ſuſpicio ſit, tunc optimum eſt Emplaſtrum de Galbano crocatum *Mynſichti* probè calidum (*Galbanum eſt valdè bonum*) integræ Mammæ inſtratum, admotis ſimul modò dictis Sacculis, & continuatis Internis, imprimis cum Sudore: certè egregium eſt hoc Emplaſtrum in Grumis Lactis diſſolvendis, vel ſequens *Emplaſtrum*, quod aliquoties expertus ſui:

℞. *Empl. de Galb. crocat. Mynſ.*
*Gummi Ammoniaci Aceto ſolut.* vel *lento igne liquat.* an. q. ſ.
Liquefacta malax. & S.
Emplaſtrum Reſolvens.

Inducatur ſuper *Alutam* ſeu *Linteum craſſum* (*aliàs xylinum*) ita ut integram Mammam obtegat, tranſcindendo *Foramen pro Papilla*, pòſt imponatur Mammæ probè calidè, & imponantur Sacculi fervidi jam dicti, & Mulier diſponatur ad Sudorem: ſic inchoatos Grumos abſumit, & denuò reſolvit, atque Lac ſucceſſivè evaneſcit. Sed neceſſe eſt, ut fiat in principio: ſi enim per biduum aut triduum Lac coagulatum in Mammis hæſerit, fruſtrà eſt, ut diſſolvantur Grumi, & inſenſibiliter diſpareant. Convenit etiam hujus Emplaſtri uſus iis, qui Infantes ablactant, & quibus ex Lacte retento & coacervato Dolor & Grumeſcentia imminet. Sanè ſi ex Terrore vel aliâ ſubitaneâ occaſione Lac in Grumos abeat, etiam Emplaſtra dicta impoſita cum Sacculis iſtis ſæpiùs renovatis, & internè Sudoriferis propinatis, in principio adminiſtrata multùm proſunt. *Externè* quotidie bis ſequentem *Spiritum* illinire jubeo:

℞. *Spi-*

℞. *Spiritûs Sal. Ammoniaci cum Calce vivâ*, vel *Aquâ Calcis vivæ ſaltem*, ʒiß. *Eſſ. Croci* ʒiij.

Diluantur cum *Spiritu Vini*, *non adeò rectificato* plùs minùs :

D. S.

Externa Mixtura Reſolvens.

Mixturâ hâc calidâ illinantur loca grumoſa, & ſic imponatur dictum Emplaſtrum, quotidie bis renovando illinitionem, & idem Emplaſtrum denuò, & deſuper Sacculum Oryzâ & Avenâ repletum calefactumque imponendo.

Subinde etiam ita præſcribo :

℞. *Empl. de Galb. crocat.* ʒiß.
*Diachylon. ſimpl.* ʒiij.

Liquefacta malax. cum ſ. q. *Sevi Cervini.*

Inducatur ſuper *Linteum* amplum, & applicetur Mammæ.

D. S.

Explaſtrum Reſolvens.

Egregiè diſſolvit.

Novi Mulieres, quæ ubi ex quodam Affectu Animi, vel aliâ quavis occaſione duritiem Mammæ cum Rubore & Phlogoſi Eryſipelaceâ obſervant, & hinc Lactis coagulationem metuunt : mox Emplaſtrum Norimbergenſe dictum applicant, & hinc potentem Sudorem eliciunt.

Juxta hæc etiam hîc in uſu eſt, ut ad Lactis coagulati Grumos diſſolvendos *Ruta & Mentha* contuſa, & tanquam Cataplaſma Mammis imponatur per octiduum, quotidie novam recipiendo : Optimè reſolvit Lactis Grumos, imprimis ſi ſimul propinetur internè omni mane ʒj. Seminis Anethi. Hinc Cicuta contuſa & impoſita etiam Lac grumoſum reſolvit. Quidam etiam *Fotus* ſuadent ex Decocto Chelidonii majoris applicato, vel ex Decoctis Fœniculi, Anethi, Abrotani, Chamomillæ, Chærefolii, Cicutæ, Menthæ, & ſimilibus applicantur : quô etiam pertinet Fotus Pauli *in Quadr. Botan. pag.* 396. ex Herbâ Menthæ, & Rutæ cum tantillo Seminis Carvi in Aceto Cereviſiæ coctis, & inſtar Cataplaſmatis applicatis.

Vel

℞. *Herb. Menthæ*,
*Flor. Chamomill.*
*Lil. alb.* an. M. i.
*Rad. Apii* ʒß.
*Sem. Cumin.*
*Coriandr.* an. ʒij.

Inciſa & contuſa

D. S.

Externæ Species.

Ebulliant in *Poſcâ* ſive *Oxycrato* id eſt, Mixturâ ex Aqua & Aceto : Decocto immergantur Lintea, & calidè repetitis vicibus Mammæ admoveantur.

Sed quoniam hujuſmodi Humida admota facilè refrigerantur, unde & tenera & ſenſilis Mammarum Cutis occaſione frigidi & humidi ambientis Poros contrahit, indeque ex inſenſili Tranſpiratione impeditâ Dolor, Irritatio, & hinc Inflammatio exaſperatur, propterea Fotuum loco majoris facio Emplaſtra. His etiam adnumerentur Folia & Radix Petroſelini impoſita, quæ Lactis Grumeſcentiam impediunt : verùm hæc ſaltim juvant in principio. Quòd ſi nihilo minùs in duriores Grumos abierit Lac, ita ut dictis modis diſcuti nequeant, tunc ſupervenit vel Inflammatio Mammarum, vel Gangræna, vel indurantur in Scirrhum.

## ARTICULUS II.

*De Abſceſſu Lactantium.*

SI ergò hactenus dicta ſint irrita, ita ut ex Lactis Coagulo jam immineat Mammæ Inflammatio, Suppuratio & futurus *Abſceſſus*, ut maturetur Inflammatio, & promoveatur Suppuratio, *internè* propinetur Pulvis ex Lapillis Cancrorum, Sale Cardui benedicti, Myrrhâ & ſimilibus, quæ nimium Acorem in primis viis abſorbent & deſtruunt. Si Mulier ſudet interdum, eſt Curatio magis proſpera.

*Externè* egregium eſt pro maturando Abſceſſu, ut Mamma tumida illinatur Spiritu Salis Ammoniaci cum Calce vivâ, & Spiritu Vini parato ; melius eſt, ſi addantur Crocus & Caryophylli, & deſtilletur, e. g.

℞. *Spiritûs Sal. Ammoniaci cum Calc. viv.* ʒvj. *Eſſ. Croci* ʒiij.

M. D. S.

Externa Mixtura leniens.

Vel

℞. *Aquæ Artic. ad extrà* ʒj.
*Spir. Sal. Ammon. cum Calc. viv.* ʒvj.

M. S. ut antè.

Illinatur, quàm calidè ferre poſſunt, *cum Linteolo*, Mammæ tumidæ, quo uſque rubet, tumet & dolet, ter quotidie, imponendo deſuper calidè Emplaſtrum Diachylôn cum Gummatibus, vel modò laudatum Emplaſtrum de Galbano crocatum *Mynſichti*, malaxatum cum ſufficiente quantitate Olei Tartari fœtidi, ſuperimponendo calidè Sacculum Oryzâ, vel Milio turgidum. Reiteretur hoc quotidie bis vel ter ; his enim mediis facilitatur in tantum *Suppuratio Abſceſsûs*, ut ne dimidios Dolores percipiant, quos aliàs ſentirent, ſi *Cataplaſmata* Chirurgis uſitata applicentur : *ſuppurat facilè & emollit*, &c. Vel illinatur Mamma iſto Spiritu, & imponatur deſuper Emplaſtrum Diachylôn cum Gummatibus, vel ſolùm, vel cum aliis mixtum, e. g.

℞. *Empl. de Melil.* ʒiij.
*Diachylôn cum Gumm.* ʒiß.

Miſta malaxentur cum ſ. q. *Ol. Lil. alb.*

D. S.

Emplaſtrum Emolliens.

Aut

℞. *Empl. de Galb. croc. Mynſ.* ʒij.
*Diachyl. ſimpl.*
*Gumm. Ammon. cum Aceto diſſol.* an. ʒij.

M. pro Emplaſtro,

Malax. cum ſ. q. *Ol. Philoſ.*

D. S. ut antè.

Hoc poſt factum iſtud Litum ſemper denuò probè calefactum imponatur, idque quotidie ter repetatur ; ſic pedetentim ſuppuratur Abſceſſus. Nam ſucceſſivè in quodam loco levius emergit Tuberculum : quod ſi appareat, Digito contingendum eſt, an ſub eo omnia ſint molliora ? nam ſi durum eſt, continuentur Remedia ; ſin verò molle, aperiendum eſt Cultello. Aliàs pro promovendâ Suppuratione in uſu eſt, ut imponatur *Emplaſtrum ex Micâ Panis cum Lacte*, vel *Medulla Panis cum Succo Apii* imprægnata ; ſed faciunt Dolores. Sin verò ſuſpicio ſupervenientis Inflammationis abſit, ſed futuræ Apoſtematis apertionis, commendatur Remedium Hildani *Cent.* 2. *Obſ.* 58. quod eſt *Cataplaſma*, quod vel ſolum impoſitum Mammæ interdum diſſolvit Coagulum, & ceſſare facit Inflammationem, vel ſi hoc non fit, facilè ad Abſceſſum ducit Inflammationem. Accipitur etiam

ad

ad maturandam Suppurationem Succus Fimi Ovilli, qui miſtus cum Aquâ Agrimoniæ imponitur; aut ipſa Herba Agrimoniæ, vel Chærefolii cum Radice contusâ, addito Butyro & Melle, ſuppurat, & maturatæ Suppurationis Abſceſſum adjuvat. Sicuti etiam loco horum ad maturandum & rumpendum Tumorem ſequens *Cataplaſma* eſt egregium:

℞. *Rad. Ireos noſtr.* vel *Florent.*
*Cepar. ſub cineribus cal. coct.* an. ℥iij.
*Fermenti* ℥ij.
*Vitell. Ovor.* No. iij.
*Axung. Porcin. rec. non ſalit.* ℥ß.
*Ol. Roſar.*
*Farin. Fœnugr.* vel *Fabar.*
*Sem. Lini* an. ℥j. ad ℥ij.

Omnia contund. & Miſc. pro Cataplaſmate Mammis imponendo:

D. S.

Puls Emolliens.

His modis ferè Lactis Grumoſitates & ex his natæ Inflammationes tractandæ veniunt.

Quòd *ſi maturatus ſit Abſceſſus*, convenientiſſimum eſt, ut *Lancettâ aperiatur*; Dolorum enim atrocitas non permittit, ut expectetur ſpontanea Apertura. Cutis nempe membranoſa & denſa longum tempus requirit, donec Pus ſalſum penetret, unde Dolores majores, quando ad Cutim pervenit. Internè autem, quia tantùm Glandulæ & Pinguedo facilè à Pure reſolvuntur, inde minores Dolores obſervamus. *Aperto Abſceſſu evacuandum eſt Pus*, poſtmodùm *mundificandus eſt*, partim ut Grumi foràs eliciantur, partim ne in Ulcus ſordidum degeneret. Pro *purificando & conſolidando Abſceſſu* facto optimum eſt applicare cum Turundis Balſamum Peruvianum, Balſamum Sulphuris terebinthinatum, Oleum Hyperici, aut ſaltem Digeſtivum quoddam commune ex Vitello Ovi, Melle & Terebinthinâ. Egregiè etiam mundificat Abſceſſus Mammarum Oleum Nucis Juglandis cum Turundis applicatum. Loco hujus præſtantius longè eſt Oleum Stercoris humani, quod Ulcera & Abſceſſus Mammarum periculoſos, qui acriores facti gangræneſcunt, egregiè mundificat & purificat. Præterea commendatur *Oleum Momordicæ* per infuſionem, vel infundantur Poma Momordicæ rubicunda & ſpinoſa in Oleo Olivarum vel Lini. Hoc cum Turundis applicatum, vel blandâ manu inſtillatum in Abſceſſum, eſt admirabile in Mammarum Abſceſſibus & Ulceribus. In defectu hujus ſumitur *Balſamus Sulphuris*, vel communis *Rulandi* cum Oleo Papaveris, vel Oleo Nucum, vel Amygdalarum dulcium expreſſo, vel nobilior cum Oleis deſtillatis, Terebinthinæ, &c. & vel ſolus, vel, ſi acrior fuerit, mixtus cum Vitello Ovi applicatur, applicato deſuper Emplaſtro Diaſulphuris *Rulandi*, vel Emplaſtro Diachylôn compoſito. Solis etiam Foliis Tuſſilaginis Ulcera Mammarum curata ſunt. Abſceſſus ſervatur tamdiu apertus, donec parum vel nullum Tumoris duri ſuperſit indicium.

## ARTICULUS III.

### *De Mammarum Fiſtulis.*

QUòd ſi fiat, ut Abſceſſus apertus degeneret in *Fiſtulam* (quæ in hujuſmodi locis glanduloſis admodùm ſunt contumaces) ſinuoſaque Ulcera, ſanè Oleum modò laudatum Momordicæ eſt præſtantiſſimum ritè adhibitum, aut uſurpanda ſunt Medicamenta Foreſti *lib.* 1. *Obſerv.* 24. nempe eluenda eſt quotidie Fiſtula bis cum Decocto Agrimoniæ, in quo parum Aluminis & Myrrhæ ſunt contenta. Hinc tale applicetur *Unguentum*:

℞. *Succ. Agrimon.* ℥j.
*Aloës*,
*Myrrhæ*,
*Sarcocoll.*
*Alum. plum.* an. ℥j.

Et incorporentur cum *Melle* pro Unguento ad Fiſtulas Mammarum.

D. S.

Unguentum Mundificans.

Alia Remedia Fiſtulis dicata pro Mammis videbitis in Sculteti *Armam. Chirurg. Obſ.* 75.

## ARTICULUS IV.

### *De Inflammatione Mammarum.*

HAbuimus *ſuperiùs* Symptomata, quæ circa Lactis Generationem ſuperveniunt: verùm hæc ipſa Symptomata, in ſpecie Coagulum Lactis, ſæpiſſimè Cauſa eſt variorum & gravium Mammarum *Tumorum*, quibus mulctantur Fœminæ; qui Tumores propriùs ad Chirurgiam ſpectant. Quoniam autem periculoſiſſimi ſunt, & ſingulare quid obtinent, de his quædam adhuc monenda ſunt. In genere in omnibus Mammarum Affectibus obſervandum eſt, quòd Mammilla affecta rarò ad ſanitatem perducatur, niſi altera ſana Lacte exſiccetur, ut rectè hoc obſervat Amatus Luſitanus *in Cent.* 1. *Cur.* 47. quia, dum Lac influit, ad unam Mammam, etiam fluit ad alteram, & ſic Malum exaſperatur. Obſervatur enim, quòd in Muliere Lacte abundante, ſi Fœtus Mammam unam ſugit, ex alterâ etiam Lac ploret vel ſtillet.

## CAUSÆ.

Sæpè ergò ex Lactis Coagulo in Mammis, aut quod aliàs ſtagnat, aceſcentiâ vitiosâ, aut quacunque ex Causâ, *Inflammatio* vel ſimplex, vel Eryſipelacea, Mammam Mulieris, præſertim Puerperæ, prehendit: id quod præter intenſum Ruborem & Dolorem gravativum ac non nihil lancinantem, ſimul Rigor febrilis cum inſequenti Æſtu, & in medio ſui vehemens Pulſatio, oſtendit. Rariùs oriuntur Inflammationes Mammarum ex *Contuſione* externâ, aut etiam ex anguſtâ nimis Mammarum *Conſtrictione*.

Hæ ferè ſunt Cauſæ, quæ inducunt Inflammationem Mammarum.

## DIAGNOSIS.

*Signa* ex dictis patent: Nempe ex Tumore, Dolore, Ardore, & Pulſationis ſenſu, ratione Arteriarum in Sanguinis diſtributione impeditarum: quæ ſi percipiuntur, certum Signum eſt, properare Tumorem Mammæ ad Inflammationem & Suppurationem, ubi fruſtrà eſt omnis conatus diſcutiendi Grumos Lactis & tumorem inflammativum; qui Tumor eſt quidem minor Eryſipelate, Ardor verò & Dolor in hoc eſt major.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: Inflammationes omnes Mammarum ſunt periculoſæ, quia ut plurimùm abeunt in *Abſceſſus*, & hinc in *Ulcera ſinuoſa*, interdum etiam *Fiſtulas*: ſi non abeunt in Abſceſſus, indurantur

rantur in *Sicrrhos*, qui levi errore abeunt in *Cancros. Rariſſimè enim Inflammationes Mammarum, in ſpecie ex Lactis Coagulo, diſcuti poſſunt.*

## CURA.

Quoad *Curam*: mox opera danda eſt, ut Lac ſedulò emulgeatur, *Inflammatio verò reſolvatur* ac diſcutiatur quantocyùs: aut ſi hoc fieri nequeat, *Sanguinis aut Lactis grumi* ex Acido coagulati & ſtagnantes, *per Suppurantia maturentur* & in Abſceſſum tranſmutentur. Internè *Sudoriferum fixum* ex Pulveribus Diaphoreticis cum Salibus fixis, Lapillis Cancrorum, Myrrhâ, Sale Abſinthii, Cardui benedicti, & ſimilibus propinandum, ut largiter ſudent. Conveniunt etiam Remedia ex Menthâ & Chærefolio; nam horum Decocta, Succi, Aquæ &c. Inflammationem ſiſtunt, aut Suppurationem fientem adjuvant; vel ſola Aqua ex Menthâ & Chærefolio deſtillata artificioſè, ſi poterit, mirificè in Inflammatione Mammarum conducit. Hinc ex Carduo benedicto blandè & moderatè uſurpata Sudorifera Sanguinis ſtagnationem egregiè tollunt. Hiſce Sperma Ceti primariò eſt addendum, ſi parum ejus miſceatur cum Myrrhâ: prius, nempe Sperma Ceti, Coagulum tam Lactis quàm Sanguinis diſſolvit: poſterius, Myrrha ſcilicet, Acorem corruptivum ſub Suppuratione arcet.

Præ cæteris tamen, *Externis* imprimis inſiſtendum, quæ inter ad Inflammationem Mammarum diſcutiendam imponatur Papyrus griſea, *ſeu Charta bibula*, vel cœrulea propter colorem, qui eſt ex Cobalto, benè confricata, Melle virgineo illita, Mammis impoſita. Si verò fuerit *Inflammatio gravior*, eſt optimum Phlegma Vitrioli, purum ſine acido, aliquoties à proprio Capite mortuo cohobatum; quia ſingulares habet vires à Sulphure Vitrioli; Item Aqua Cicutæ, Aqua Plantaginis, in ſpecie Spermatis Ranarum, Remedium ſingulariſſimum ad quæcunque Eryſipelata. Convenit itidem Decoctum Thuris & Myrrhæ in Aceto & Vino tepidè applicatum. Aqua Calcis vivæ, ſi quæ alia, Inflammationem omnem avertit, reſolvit & diſcutit: vid. Wedelius *de Med. Facult. pag.* 199. Ulteriùs unum ex expertiſſimis ad Mammarum Inflammationes Remediis eſt *Cataplaſma*, factum *ex Farinis*, v. gr. *ex Farinâ Fabarum, Lupinorum & Lentium in Oxycrato*, ſeu Aquâ & Aceto, coctis & ſubactis, & cum Albuminis Ovi pauco miſtis, imponatur Mammæ: vid. Riverius *Cent.* 4. *Obſerv.* 74. Hoc Cataplaſma, uti *ſuprà ad Inflammationes Teſtium* ceu ſingulariſſimum commendavi, quia etiam ſunt corpora glandulosa; ita & hoc ipſum eſt Experimentum Riverii, tam in Teſtium quàm Mammæ Inflammatione, in *Cent.* 2. *Obſ.* 39. *Cent.* 3. *Obſ.* 1. & *Cent.* 4. *Obſ.* 74. & Amati Luſitani *Cent.* 2. *Cur.* 34. contra Mammarum Inflammationes: idque calidè ſæpiùs repetendo; ſicuti loco hujus alii uſurpant *Linimentum* ex Farinâ Seminis Lini cum Melle ſubactâ illitum. Porrò etiam Cancri fluviatiles triti crudi, tumentibus Mamillis illiti, mirè proſunt; Nam in Cancris ad rem Chirurgicam pertinentia multa latent arcana. Tandem Emplaſtrum de Spermate Ceti *Mynſichti*; Emplaſtrum de Cicutâ *Hildani*, & ſimilia, Inflammationes ſimiliter reſolvunt. Præ cæteris obſervatu dignum eſt, quòd Manus, in qua Talpa viva tamdiu fuit detenta, donec moriatur, ſi imponatur Mammæ, in principio ſtatim Inflammationes egregiè ſiſtantur; quæ ipſa Manus etiam Cancrum Mammæ occultum ſingulariter curat: Vid. Schmuck *in Curat. Magico Magnet.* & Horſtius.

Denique Pinguedo Serpentum in Tumore Mammarum ex Lacte abundante cum metu Inflammationis mirificè confert, ſi illinatur; uti etiam in jam dicto caſu ſingulariter utile eſt, ſi recipiatur Medulla Panis, imbibatur cum Succo Apii, & imponatur Mammæ; ſic enim ſanabitur.

His & ſimilibus dictæ Inflammationes diſcutiendæ; ſin minùs, Suppuratio expectanda & promovenda, de qua *ſuprà* ſufficienter dixi.

## ARTICULUS V.

### *De Eryſipelate Mammarum.*

## CAUSÆ.

*Diſtinctio autem facienda* eſt ab Inflammatione Mammarum, quæ ab aliâ Causâ ſupervenit, & etiam ab *Eryſipelate*. Interdum enim, & quidem ſæpiſſimè, Terrori Puerperarum ſupervenit ſimilis Eryſipelacea Inflammatio in Mammis, unà cum Lactis Coagulo; exinde enim Horrore corripiuntur, poſtmodùm gravem Æſtum incurrunt, & vehementem Pulſationem in Mammis percipiunt.

## DIAGNOSIS.

Eryſipelas Mammæ mox apparet, Mamma rubet, calet, coccineo colore tincta eſt, & Dolores lancinantes & pungentes in ejus ſuperficie percipiuntur.

## CURA.

In *Curâ* Lac emulgeatur. Internè verò, dum Calor durat, propinentur Remedia Diaphoretica fixa, in ſpecie Alcalia, Acidum abſorbentia, v. g. Bezoardica Antimonialia, Cornu Cervi, Lapilli Cancrorum, &c. cum Sale Abſinthii, Cardui benedicti, &c. v. g.

℞. *Cornu Cervi ſine igne* ℈j.
*Salis Card. bened.* ℈ß.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis Diſſolvens.

Expectetur Sudor, ſub quo Mammæ Linteis calidis probè obtegantur, ut Sudor erumpat.

Hôc factô, ſi levius fuerit Eryſipelas, pro diſcuſſione Tumoris Eryſipelacei applicentur *Sacculi ex Floribus Sambuci*, qui interpaſſati cum *Spiritu Vini* probè rectificato largiter *irrorentur*, ſuffumigando Pulvere *Succini & Thuris*, & quàm calidè fieri poteſt, admoveantur, aliquoties repetendo. Vel, ſi gravius fuerit Malum, optimum eſt, ut fiat Emplaſtrum ex *Theriacâ & Sale Abſinthii.*

Nempe

℞. *Theriac.* ℥ß.
*Salis Abſinth.* ℈j. vel ʒß.

Quæ mixta in formâ Emplaſtri calidè imponantur Mammæ Eryſipelate affectæ: *eſt præſens Remedium.*

Loco horum eſt optimum *Rob Sambuci*, quod inducatur Linteo, & poſtmodùm probè calefactum tam calidè, quàm Mulier perferre poteſt, imponatur, & hoc omni horâ repetatur calidè (in hoc enim conſiſtit Arcanum): ſic & reſolvitur Lac, & diſcutitur imminens & jam factum Eryſipelas. Superſtitio eſt, quòd horreat talia Humida. Vel Pulvis Eryſipelatodes *Mynſichti* cum Spiritu Vini tartariſato ebrius, calidè Mammis applicandus, & imponatur vel Linteum vel Sacculus ex Floribus Sambuci & Chamomillæ, Mulierque blandè ſudet, aut ſemper madeat. Convenit itidem Decoctum Thuris & Myrrhæ in Aceto & Vino tepidè

applicatum. Ubi Dolor intenſior, aut Folia Hyoſcyami, aut Laudani Opiati tantillum, aut ſimilia, commodè addi poſſunt. Vulgò, & quidem non à vulgo Medicorum, ſed à ſingularibus Chymiatris, commendantur Specula Pavonum, ſeu Orbicula lucida, quæ in Pennis Pavonum ſunt conſpicua, idque ex Signaturâ, quam habere dicuntur cum Mammis, quas quodammodò repræſentant: Sed profectò neſcio, an non ex falsâ quâdam Hypotheſi ſeducti ſint hi Autores de Speculis Pavonum; & vereor, ne ſoli Imaginationi indulgentes fruſtrà uſurpentur.

## ARTICULUS VI.

### *De Scirrho Mammarum.*

### CAUSÆ.

VErùm hi ipſi Tumores, ſive ſint ex Sanguinis ſive Lactis Coagulo, non ſemper reſolvuntur, neque etiam ſuppurantur, ſed ſæpiſſimè non ritè tractati, ab Acido proprio, contracto in Materiâ coagulatâ, indurantur in *Tumores duros & indolentes*: Et quidem ſi ſint ex Sanguinis Grumis, ex Inflammatione induratâ & coagulatâ, oriuntur imprimis *Scirrhi*: ſin verò ſint ex Lacte, in Glandulis Mammæ coagulato & indurato, oriuntur *Scrophulæ* ſeu *Strumæ*, ut ut hoc rariùs fiat, quin ut plurimùm per Suppurationem Grumorum Lactis, tanquam Spina exotica à Naturâ ejicitur. Alias Cauſas vix habent Scirrhi & Scrophulæ, niſi interdum in Mulieribus ex Menſium aut emanſione naturali, aut ſuppreſſione præternaturali ſuperveniat Scirrhus in Mammâ.

### DIAGNOSIS.

Tumor talis tactui renitens, indolens, & inſtar Lapidis in parte infixus ponderoſus hæret.

*Indolentem* dixi tam Scirrhum quàm Strumam. Scirrhi Mammarum ſunt varii; oriuntur enim vel à Cauſâ manifeſtâ, & ſunt indolentes; vel pedetentim ab internâ Cauſâ, qui ſubinde ſunt nonnihil dolentes, non quidem continuò, ſed interdum. Scirrhi hi, ſi duri, indolentes, ſine inſigni Caloris naturalis mutati veſtigio fuerint, *Scirrhi legitimi* dicuntur, & ſpecialiter ex Acido fixiori, Lac aut Sanguinem fortiùs condenſante & coagulante, oriuntur. Sin verò pulſare & hinc dolere incipiunt, & Punctiones acutæ in eodem obſervantur, Calor etiam, obſcurus licèt, nonnihil in eodem obſervetur & Color ad aliqualem Livorem degenerat, Signum eſt *Scirrhi Illegitimi ſeu Cancroſi*, aut ſaltim ad Cancri naturam declinantis, & ab Acido volatili corroſivo facillimè efferveſcibili originem ducit: unde relinquendi ſunt, ne exaſperentur, & Crabrones irritentur; *reliqui verò Scirrhi curandi ſunt*. Ex quibus facilè patet, quomodò cognoſcantur Scirrhi & Scrophulæ Mammarũ.

### PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin* eorum: Cautè & circumſpectè admodùm curari debent; nam facili errore *in Cancros* degenerant; idque imprimis in Mulieribus, quibus jam naturaliter deficiunt Menſtrua.

Imò qui ex Menſium vitiis ſuperveniunt Scirrhi aut Scrophulæ, Scirrhi imprimis, nonniſi cautè attingi debent, quia ut plurimùm, ſi non ſemper, aliquid cancroſi ſubeſt.

### CURA.

Quando ergò Tumorem durum Scirrhoſum, ut plurimùm inveteratum, patiuntur Mammæ, hic, ſi indolens fuerit, id eſt ſine Punctionibus ſubinde recurrentibus affligat, durum Coagulum, ſive Sanguinis ſit in Scirrho, ſive Lactis in Scrophulâ, nunc relinquendum, nunc verò ſucceſſivé emolliendum, diſcutiendum & reſolvendum eſt. Nam ut *Suppurantia* applicentur, niſi ipſa Natura eô tendat, nemini autor ero; periculum enim eſt, ne Suppurantia & Emollientia propriè ſic dicta Acidum Scirrhi attenuent & volatiliſent, & ita promptiſſimè hos Tumores in cancroſam naturam degenerare faciant. *Acria* ergò *Reſolventia*, penetrantia, & potenter *Emollientia*, ſunt applicanda. *Internè* ex Fumariâ & Vulnerariis parata Remedia, & ſimilia, ſunt uſitata, quæ tamen facillima.

*Externè* primatum obtinent ad Scirrhum Legitimum & Scrophulas Mammarũ *emolliendum* Gummata, ſpeciatim Gummi Ammoniacum in Aceto ſolutum, & inſtar Emplaſtri Mammis inductum. Eaſdem vires cum Ammoniaco obtinet etiam Galbanum, & in genere quælibet Emplaſtra ex Gummatibus compoſita. Semper autem, antequàm applicentur, præmittendus Suffitus ex Vino & Aceto, Silici ſeu Lateri candenti affuſo. Convenit itidem *Unguentum de Cicutâ Hildani miſtum cum ana Gummi Ammoniaci*, vel Succus Cicutæ cum Gummi Ammoniaco in formâ Emplaſtri. Item Emplaſtrum de Ranis *Vigonis* cum Mercurio, Emplaſtrum de Cicutâ, de Ammoniaco *Foreſti*, Diachylôn magnum, ad Tumores ſcrophuloſos & ſcirrhoſos Mammarum, non cancroſos, reſolvendos optima ſunt. Poteſt ſumi Mercurii vivi doſis dupla. Vel fiat Linimentum tenue ex Succo Solani, ſubacto cum Lithargyrio in Mortario plumbeo, talia enim, quæ Acidum abſorbent, hos Tumores curant, uti ſunt *Saturnina*. Si non ſufficerint, Mammarum ſcirrhoſus Tumor emolliri & diſcuti poteſt Emplaſtro Thoneri *in Obſerv.* quo Tumorem dextræ Mammæ ſcirrhoſum chronicum aliis irritis facili cum ſucceſſu curavit:

℞. *Empl. Diachyl. magn.*
*de Melil.*
*Ceron.* vel *de Peto* an. ℥j.
*Gum. Ammoniaci in Aceto diſſol.* ℥ß. ad ℥vj.
Miſc. inſtar Emplaſtri,
Tumori Mammæ duro applicandi.

℞. *Empl. Diachyl. magn.*
*Ceron.*
*Gum. Ammoniaci in Aceto ſubact.* an. ℥j.
M. S.
Emplaſtrum Emolliens.

Sin verò *Scirrhus ſit Illegitimus*, adeoque ad Cancri naturam degeneret, cautiſſimè abſtinendum eſt ab omnibus Emollientibus, ac vel minimùm Scirrhum irritantibus, periculum enim eſt, ne in Cancrum exulceratum abeat. Quod ne fiat, optimum eſt *Unguentum contra Tumores ſcirrhoſos ad Cancrum degenerantes* Hildani, quod habet *in Cent. 6. Obſ.* 75. Habetur etiam Cataplaſma excellens in Tumoribus Mammarum duris, in Cancrum degenerantibus, curandis in *Methodo Medendi* Hoffmanni *pag.* 417. factum ex Pulpâ Pomorum Borsdorffianorum cum aliis:

℞. *Pulp. Pom. Borſdorff.*
*Rapar. maj.* an. ℥j.
Coqu. in *Lacte Caprillo*, vel *Aquâ Malvæ* ad
Pultis conſiſtentiam:
dde
*Medull. Panis albiſſ.* ℥ß.

*Farin.*

*Farin. Fabar.*
*Pulv. Sem. Fœnugr.* an. ℥ij.
*Fol. Alth.*
*Braſſ. rubræ,*
*Flor. Malv. arb.*
*Roſar. rub.* an. ℥j.
*Ficuum* No. vij.
*Croci* ℈ß.
F. Cataplaſma.

Reverà enim in Pomis Borſdorffianis benè maturis multa egregia latitant recondita contra Ulcera Maligna, Alcali eorum ſpecifico, Fermento Ulcerum contrario: hinc etiam Succus, item Aqua Borſdorffianorum Pomorum deſtillata in Gangrenâ Mammarum eſt laudata.

Hoc Cataplaſma poteſt adhuc meliorari, ſi Lumbrici contuſi aut horum Succus ſimul applicetur; hæc enim Remedia ex Lumbricis parata in hujuſmodi Mammarum Scirrhoſis Tumoribus, in Cancrum vergentibus, ſimul optima. Sin verò dictus Scirrhoſus Tumor ſubinde Punctionibus moleſtus fuerit, non attingendus eſt, quia talis facillimè in Cancrum degenerare poteſt.

## ARTICULUS VII.

### *De Scrophulis ſeu Strumis Mammarum.*

SEd præter modò dictos Scirrhos, in ſpecie Glandulæ Mammarum Tumores contrahunt, duros, plus minùs magnos, propriè *Scrophulæ* ſeu *Strumæ Mammarum* dictos ex Lymphâ in iiſdem coagulatâ, & condenſatâ ab acido ſui generis; unde etiam nunc Legitimæ, nunc Illegitimæ, plùs minùs Cancroſæ eſſe ſolent. Tumor eſt circumſcriptus & qui ſpecialem ſuam habet figuram ad Glandulæ modum, non adeò indeterminatus, ut Scirrhus.

## CURA.

*Curatur* autem iiſdem ferè, quæ modò de Scirrho monita fuerunt.

## ARTICULUS VIII.

### *De Cancro Mammarum.*

DEnique quoad *Cancrum Mammarum*: hic aut per ſe incipit, aut alios Mammarum Affectus, Inflammationes, Ulcera, Scirrhos, &c. inſequitur. Verùm hoc ipſum Acidum in Scirrhis Mammarum, aut etiam earundem Cancris, interdum vel ſponte adeò eſt exceſſivum, vel Remediis nonnullis fermentando exaſperatur, ut corroſivitatem arſenicalem acquirat, ac in Cancrum degeneret, qui Cancer frequentiſſimè Glandulas, ac primariò in Mammis, infeſtat. Ut plurimùm enim Cancer ex prægreſſo Mammæ Scirrho aut Scrophulâ, in ſpecie ſi adjungatur his Menſium vitium: rariſſimè per ſe incipit: Et quidem *ſi per ſe oriatur Cancer*, tunc primitus ſe ſaltem manifeſtat ſub formâ *Tuberculi* parvi, quod in profundo ſitum vix Ciceris aut Fabæ, primùm rubicundi, hinc liveſcentis, & non nihil nigricantis, magnitudinem ſuperat. Tuberculum hoc ſucceſſivè augmentum capit, donec Pulſatione & Punctionibus quibuſdam acutis in eodem ſe manifeſtet, & Tumor evadat paulatim magnus, & cum Venis circumcircà tumentibus & liventibus inſtar Pedum cancrinorum, unde etiam nomen habet, ſe prodat. *Scirrho vel Scrophulæ ſi ſupervenit*, vel hi degenerent in Cancrum, tunc hi Tumores duri, aut aliàs indolentes, continuis Puncturis acerbum dolorem, Ardorem & Æſtum concipiunt, citra hoc ut Inflammatio quædam ſuppuratoria ſuperveniat: Huic accedit partis Tumor, Color Tumoris liveſcens, Venæ tumidæ, &c. Hujuſmodi *Cancer eſt vel Occultus*, vel *eſt Manifeſtus. Occultus eſt*, cujus Acidum nondum fermentando eò uſque exaltatum eſt, ut poſſit Mammarum corroſionem conſtituere, ſed quod adhuc à propriâ Materiâ concentratur & ſaturatur. Quòd ſi verò Acidum hoc per Fermentationes exaſperetur, & etiam Partes vicinas aggrediatur, & exesâ Cute exulceretur, & Acorem putrefactivum concipiat, Ulcus emergat fœtidum & ſordidum, labra habeat inverſa, loco Puris Sanies acris, & ſucceſſivè latiùs ſe diffundat, tunc *Cancer Manifeſtus* ſeu *Cancer Exulceratus* appellatur.

## CAUSÆ.

*Proxima Cauſa eſt Acidum volatile fermentativum.*

*Cauſæ Remotæ* ſunt ferè Occaſiones externæ, Compreſſio, Contuſio, Percuſſio aut Contrectatio inclementior Mammæ in quodam loco. Menſtruatio multum ad Cancrum confert, eundem plùs exaſperando, prout plùs minùs Menſes fluxerint: Quantum enim ad Cancrum Mammæ producendum conferant Menſium ſuppreſſiones, vid. in Bartholini *Act. Med. Haffn. Vol.* 2. *pag.* 195.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: Obſervandum eſt Autore Hippocrate *Sect.* 3. *Aphor.* 38. quòd nempe Cancri Occulti non ſint attingendi, quia ſic diutiùs ſupervivunt: econtrà ſi attingantur, facillimè abeant in Cancros incurabiles. Quare & Hippocrates & Galenus incurabilem, niſi Ferro & Igne extirpetur, cenſuere.

## CURA.

In *Curâ*: *Occultus Cancer*, quamdiu talis eſt, ita relinquendus; multæ enim talibus cum Cancris multos annos ſupervixerunt, adeòque ſaltim palliativè eſt curandus, ita ut univerſum Corpus expurgetur, *Fonticuli* in loca vicina inurantur, Acredo ejuſdem, quantum poſſibile, temperetur, & hâc temperatâ Tumor ſucceſſivè inſenſibiliter reſolvatur.

Faciunt huc ex *Regno Minerali* imprimis Remedia *Saturnina*, quæ abſorbendo ſucceſſivè Acidum, illud in Dulcedinem adſtrictivam aluminoſam tranſmutant, hinc ejus Efferveſcentiam ac Suppurationem, adeoque in Cancrum Manifeſtum exaſperationem impediunt.

Ex *Regno Vegetabili* huc faciunt *Vulneraria*, Alcali temperato, & quodammodò occulto prædita, quæ aliàs *Frigida* appellantur.

Ex *Regno Animali* imprimis conducunt *Cancri*, & ex his quæcunque parata Remedia, ſimiliter Alcali occulto, ſed copioſo, prædita; loco quorum etiam Ranæ in Aquis puris viventes commodè uſurpari poſſunt.

Præter Interna etiam *Externè* ex Geranio Rupertiano, Agrimoniâ, & Perſicariâ, & ſimilibus uſurpata, ſunt optima. Externè dixi, quòd imprimis *Saturnina* conveniant; unde ad Cancrum Occultum omnia Linimenta & Unguenta, omniaque Emplaſtra, diu multumque ſubigenda ſunt in Mortario Plumbeo, ut ramenta Saturni ſucceſſivè commiſceantur cum iiſdem. Præter Ceruſſam & Saccharum Saturni in Cancro imprimis Emplaſtrum Saturninum *Mynſichti* eſt uſitatum pro extir-

extirpando Cancro Occulto, dum impedit, ne fiat manifeſtus: vid. Timæus *Von Guldenklee in Caſ. pag.* 240. Hinc Ceratum *Prævotii*; vid. Sculte-tus *in Armament. pag.* 155. Unguentum de Ceruſsâ album, Diapompholygos, Lamina Plumbea impoſita, & ſimilia, cum fructu conducunt; vid. M. A. N. C. *Ann.* 4. *&* 5. *Obſerv.* 161. Ex *Vegetabilibus* Herba & Succus Onopordi contuſi ſæpè admoveri debet, vid. Borelli *Obſ. pag.* 151. Item Plantago eidem ſubſtitui poteſt; aut Succus Plantaginis extra impoſitus, ſubigendo Plantas has recentes aut Succos in Mortario Plumbeo, ut ſic fiat magis appropriatus. Præter dictum hoc Geranium Robertianum, Sonchus, Scabioſa, Agrimonia, Perſicaria, & ex his parata Externa, ſunt optima, non minùs quàm Succus aut Aqua Pomorum putridorum, imprimis Borſdorffianorum: in quibus Pomis putridis ſingularia latent ad Chirurgiam pertinentia. Quoad *Vulneraria* alia, quomodò etiam in Mammis per appropriata Vulneraria Cancer Occultus ſit conſervandus, ne fiat manifeſtus, vid. Timæus *Von Guldenklee in lib.* 4. *Conſil.* 39. *&* 40. ubi habet egregia Remedia.

Quòd ſi verò fiat, ut nihilominùs Cancer Occultus fiat *Manifeſtus & Exulceratus*, talem, ceu dictum, incurabilem judicant Hippocrates & Galenus, niſi *Ferro & Igne* eradicetur, niſi, præmiſſis præmittendis Ferro Cancer exſcindatur, & hinc Ferro ignito Hæmorrhagia ſiſtatur, & ſic ipſa Mamma Cancroſa radicitùs extirpetur. Sententia hæc ſtetit hactenus inconcuſſa in Scholis Medicorum, donec ante ſex, & quod excurrit, annos D. Allioth, *Lotharingicus*, *Archiater Ducis Lotharingici*, novum modum invenit curandi Cancrum Exulceratum citra Ferrum & Ignem, cujus Curationis aliquot ſingularia & illuſtria Exempla fecit *Pariſiis* in Mulieribus infectis, ut exinde etiam ad *Regiam Matrem*, licèt tardiùs, fuerit vocatus. Arcanum Curæ fundatũ eſt eleganter ſuper Hypotheſes has dictas de *Acido Cancri arſenicali*, quod curandum præcipit per Alcalia, tanquam Acidis omnibus contraria: Alcalia verò jubet ſumenda non pura; quoniam Alcalia illa pura concurrentia cum Acidis nimis, Efferveſcentiam inducunt periculoſam, unde poſtmodùm Tumor & Dolor Mammæ major conciliatur. Propterea temperare jubet Alcalia per Sulphur, ut Sulphuribus temperata Alcalia promptè poſtmodùm Acidum Cancri corroſivum jugulent citra ſupervenientia periculoſa Symptomata. Proſtat ejus Scriptum de hoc ante ſeptem præter propter annos editum, in quo *tribus Theſibus* totum hoc comprehendit negotium. Verùm cùm non omnibus liceat adire Corinthum, ubi exulceratus eſt Cancer, neque torturam Ferri aut Ignis velit ſubire Fœmina, ſaltim applicatis Externis Malignitas corroſiva Cancri eſt mitiganda, & ſic uberior ejus progreſſus per palliativam Curam, ne uberiùs ſerpere poſſit, inhibendus.

Præ cæteris ſingulare quid obtinet *Cancer vivus*, cui colligatæ ſunt Chelæ, Cancro Exulcerato impoſitus: dum enim ad tempus geritur, moritur; hinc renovanda eſt impoſitio cum novo Cancro, idque toties, quoties moritur donec in vitâ permaneat; tunc enim ſignum eſt, Virulentiam Fermenti cancroſi eſſe jam temperatam. Hinc conveniunt pro temperando Acido ferè *ſuprà* dicta, quæ Cancrum Occultum ſiſtunt: v. g. imponenda eſt Cancro Lamina Plumbea, quæ Acidum abſorbet, aut etiam Pulveres, parati ex Bufonibus, Ranis & Cancris, Unguentis & Emplaſtris Saturninis, aliiſque Appropriatis permiſcendi. Aqua item Pomorum putridorum, Aqua Calcis vivæ, ſunt egregia ad eluendum Cancrum Exulceratum: Notus etiam eſt Pulvis Benedictus hinc inde proſtans apud Autores, cujus circumſpectus uſus admodùm eſt proficuus. Fuligo Furni etiam ſingulare eſt remedium in Cancro Exulcerato, ſive ipſa Fuligo inſpergatur, ſive Liquor ex Sale Fuliginis per deliquium paratus inungatur, ſive Cremor Calcis vivæ, de naturâ temperatorum Alcalium, illinatur. Aliàs nota ſunt Emplaſtra & Unguenta parata ex Succis Scrophulariæ, Urticæ, Geranii Robertiani, Virgæ aureæ, Solani & ſimilibus, cum Pompholyge miſtis, & in Mortario Plumbeo ſubactis: qua ratione *Linimentum ad Cancros Mammarum Spigelii*, impediens ejus nimium progreſſum, eſt ſequens.

℞. *Succ. Virgæ aur.*
*Solani*,
*Sonchi* an. ℥j.
*Ol. Violar.*
*Roſar.* an. ℥iß.

Hæc in Mortario Plumbeo cum Piſtillo Plumbeo ſubigantur, & redigantur in formam *Unguenti* ſeu *Linimenti*, quod eſt optimum.

Huic, ſi addatur (quod non habet Spigelius) Sal Calcis vivæ aut ejus Cremor, (quod Sal Calcis vivæ, quibuſdam eſt non Ens,) eſt Remedium ſatis potens ad abſumendam Virulentiam Cancri Exulcerati.

Plura de Mammarum Tumoribus uberiùs explicata videb. in ſpecie in Barbette *Chirurg. de Affect. Mamillar.* & Sennerto *lib.* 4. *Prax. ubi de Cancro Mammarum.*

## CAPUT IV.

### *De Lactatione Læſa.*

HÆc de Lactis Vitiis in Mammis. Præter hæc Lactis vitia etiam *vitiatur Lactatio*, vitio nempe *Papillarum*: v. g. quando Papillæ aut ſunt nimis *parvæ*, aut omnino *deficiunt*, aut quando Papillæ agunt *Fiſſuras* ſeu *Rimas*, propter quarum Dolorem non poſſunt admovere Nutrices Infantes; aut denique, quando *Ulcuſculis* corripiuntur Papillæ.

## ARTICULUS I.

### *De Papillarum Defectu.*

PApillæ aut *parvæ* nimis, aut *minùs prominentes*, facilè extrahuntur beneficio *Cucurbitulæ* ſuperimpoſitæ: vel habetur vulgò *Inſtrumentum* quoddam *vitreum*, quo applicato, Oris ſuctu facilè extrahitur Papilla latens. Verùm licèt Papillæ pateant, non tamen ſatis ſint perforatæ, tunc Foraminula earum fiant ampliora imprimis per *Sectum*, inſtitutum, aut per *Catellos* admotos, aut ſi Mulier quædam fortiùs ſugat; ſic enim aperitur meatus in Papilla.

## ARTICULUS II.

### *De Fiſſuris Papillarum.*

### CAUSÆ.

POrrò frequenter *Rimas* agit & *Fiſſuras Papilla*, quæ acerbiſſimum Lactantibus Dolorem pariunt, adeò ut Lactationi haud ſufficiant. Interdum eo uſque procedunt Fiſſuræ hæ Mamillarum, ut per ipſas Papillas penetrent, adeò, ut fruſtulatim earum particulæ decidant: Interdum ipſius Papillæ integræ jacturam faciant Lactantes, quòd fit interdum, ſi Serum Lactis acrius ſit paulò, quod corro-

corrodendo nonnihil valet exulcerare ipsas Papillas, unde agunt Fissuras & Rimas: Fit etiam quando Infantes lactentes Papillas Lacte humidas relinquunt; unde ad Aëre ambiente alteratum Lac acescens teneriorem Papillarum substantiam subtiliter erodit, ut Rimas & Fissuras agant.

## CURA.

*Pro hôc Malô præservandô* optimum est, ut Mulieres ante Partum aliquandiu recipiant Nucem Moschatam, eamque excavatam, adeò ut exactè Papillæ respondeat, huic imponant, & ritè aliquandiu gestent. Vel fiat *Linimentum* ex Bolo communi exactè pulverisato, cum pinguedine Porcinâ subacto, quo ipso aliquandiu ante Partum mane & vesperi illinantur Papillæ, quæ exinde majorem firmitudinem acquirunt, quò minùs tam facilè scindi queant.

*Quòd si factæ sint Rimæ* seu *Fissuræ* Papillarum, curantur facilè cum Balsamo Peruviano. Expertum quoque est Oleum Momordicæ, quod est optimum: potentius fit hoc, si misceatur Oleum Ovorum; nam & hoc est egregium Remedium ad Papillarum Fissuras, si illinantur crebrò, Papilla priùs salivâ madefacta: quod etiam facit Oleum Ceræ, Florum Hyperici. Pinguedo Crurum Vituli crebriùs illita est unum ex optimis. Oleum seu Liquor Sacchari etiam est egregium Remedium; item Oleum Nucum cum Saccharo: vid. Riverius *Obs.* 14. à Pachequo *communicata.* Hartmannus Oleum Ceræ commendat; Deckers *in Praxi* Flores Zinci. Pinguedo Cochlearum est usitatissimum Remedium, & Experimentum Hartmanni. Geranium Robertianum viride contusum & impositum, vel Gossypium hujus Succo imprægnatum & applicatum, est præstantissimum: vid. Welschius *Mictomim. Cent.* 2. *Observ.* 38. *annexis Anno* 4. *&* 5. M. A. N. C. Mucilago Tragacanthæ cum Aquâ appropriatâ parata, Fissuris illita easdem consolidat; aut etiam Pulvis Tragacanthæ inspergatur iisdem: vid. Welschius *l. a. Cent.* 3. *Observ.* 95. sicut etiam Joel. Vernicem & Mucilaginem Tragacanthæ, item Mucilaginem Cydoniorum cum Aquâ Rosarum aut Succo Plantaginis paratam, quæ omnia tamen antecellit Succus Millepedum cum Vino expressus & applicatus. Item Unguentum de Saturno, de Tutiâ, aut Tutia præparata cum Oleo Liliorum albarum continuatâ agitatione in Mortario Plumbeo in Linimenti formam redacta, & applicata sunt egregia. His applicatis sæpiùs quotidie vel Folium Hederæ recens desuper imponatur, vel Folium Lilii albi recens, vel Calcei Corium desuper admoveatur, vel, quod optimum est, Passulæ magnæ exacinatæ superimponantur Papillis; nam hæ solæ Fissuras leviores solent curare.

In Fissuris grandioribus:

℞. *Aquæ Plantaginis*,
in qua dissolv. parum de *Sacharo Saturni.*
D. S.
Mixtura Sanans.

Illinatur frequenter locis illis, & imponatur desuper Folium Hederæ vel Plantaginis, &c. benè abluendo Papillam cum Aquâ calidâ, ne relictum intra Fissuras Lac acescendo Malum intendat, & modo lautum Remedium desuper applicetur.

Sic in Fissuris hisce Remedium incomparabile dicitur Coagulum Albuminis masculum, Italis dicitur *Gallatura*, cum Aquâ Rosarum & Saccharo applicatum: Vid. Welschius *Mictom.* 26. *Cent.* 1. Idem præstat quoque Oleum Albuminis Ovorum, de quo vid. in *Colleg. Pharmaceut. P.* 1. *Sect.* 2. *pag.* 250.

Quòd si verò altiùs serpat Malum, ita ut potentiora requirantur Remedia, tunc faciendum est *Unguentum*:

℞. *Lithargyr.* ℥ß.
*Myrrhæ* ʒij.
*Alum.* ʒj.

quæ cum *Oleo Rosaceo* subacta in formam *Linimenti*, pro inungendis papillis:

D. S.
Unguentum Sanans.

Quòd si *Ulcera* contrahant Papillæ, quæ ut plurimùm gravem simul habent Dolorem, tunc præter Remedium ultimo loco positum, convenientissima est Aqua seu Decoctum Calcis vivæ, ii eadem applicata laventur Papillæ.

Graviora si fuerint Ulcera Papillarum, huic Aquæ Calcis vivæ parum Mercurii dulcis additum, est optimum Remedium.

Hæc de Morbis Mulierum sufficiant.

# PRAXEOS MEDICÆ
# LIBER V.

## *De Morbis Infantum.*

### CAPUT I.

#### *De Infantum Regimine.*

SCilicet Infans, simul atque Utero materno relicto in lucem egreditur, excipitur cum sequente & simul annexâ Secundinâ ab Obstetrice, *Balneo Aquæ dulcis* tepidæ abluitur, & probè mundificatur, & Sordes istæ mucilaginosæ, quæ in Naribus, Auribus, Ano & similibus locis reperiuntur, probè eluuntur, ut ita Infans purificetur. Antequàm autem in Balneum eum imponat Obstetrix, Umbilicalem Placentæ Funem probè ligatum ab Umbilico resecat per tres vel quatuor transversos digitos supra Umbilicum, Linteaque tepidiuscula superimponit, & ita Linteolis involutum in lectulum reponit, ut collectis in Utero materno Recrementis excretis aptior fiat pro Nutrimento Lactis ex Mammis vel maternis, vel ad id conductæ Nutricis, emulgendo. Studiosè quoque incumbendum, ut copiosæ Impuritates Gestationis tempore collectæ ejiciantur. In hunc finem subinde post Balneum recèns natis parum *Sacchari*

*chari* albiſſimi, vel Penidii, aut *Oleum Amygdalarum dulcium* recèns expreſſum ingeritur; aut conjunctum, e. g.

℞. *Ol. Amygd. dulc. rec. expr.* ℥v.
*Sacch. albiſſ.* vel *Penidii* ʒij.
M. S.

Mixtura Evacuans.

Horum enim ope lubricantur & abſterguntur Stomachus & Inteſtina, & copioſæ Sordes, Geſtationis tempore collectæ, eliminantur: aut, quod optimum, parum de *Syrupo Cichorii cum Rhabarbaro*, vel de *Syrupo Roſarum ſolutivo*, aut de *Melle Roſarum ſolutivo* feliciori ſanè cum ſucceſſu in Os imponitur, ut lentè deglutiatur. Soli enim huic Oleo non fidendum eſt; cùm vel rareſcendo facillimè Infanti propinatum, non leve incommodum in primis viis inferat; vel non rancidum licèt, vix tamen omnia ex iis tam exactè eliminet, quin ſubinde aliquid Sordium remaneat. Mihi convenientiſſimum ſemper & in uſu eſt præſcribere *Pulpam Paſſularum minorum* cum ana *Syrupi de Cichorio cum Rhabarbaro* miſtam, addito pauxillo Coralliorum rubrorum præparatorum & Lapillorum Cancrorum præparatorum ana, horum ℈j. vel ʒß. ad illorum ℥ß. addendo:

Vel

℞. *Syr. Roſat. ſol.* ʒij.
*de Cich. cum Rhab.* ʒj.
*Emet. A. S.* ʒß.
M. S.

Syrupus Evacuans.

Quæ cum parvulo Cochleari ſubinde & ſucceſſivè propinantur Infanti recèns nato, idque toties & tamdiu donec copiosè partim per *Vomitum* auſpicatum à copioſo Sero mucilaginoſo Ventriculum occupante, partim per Seceſſus à *Meconio*, ſeu nigricante illo & ſpiſſo Excremento, in Inteſtinis ſtabulante, evacuetur, & in ſpecie vitioſa ejus & Succorum aliorum Aceſcentia abſorbeatur & tollatur: nam hæc Excrementa, præſertim Meconium, retenta vitioſâ ſui Aceſcentiâ Lac ingeſtum inquinant, & mille Malis, præſertim Epilepſiâ multant infantes; vid. M. A. N. C. *Ann.* 6. & 7. *Obſervat.* 201. Denique *Syrupus de Spinâ cervinâ* ſeu *domeſticus* eſt optimum & convenientiſſimum Abſtergens omnium Sordium, & Laxans Infantum, ſpeciatim ſi, loco *Sacchari*, cum *Melle* per ſe depurato ſub inſolatione confectus fuerit, vix unquam fallens, & ſine ullo incommodo evacuans, imprimis cum Pulvere Lapillorum Cancrorum præparatorum & Coralliorum præparatorum ſi ſubactus fuerit. Nec Infans facilè priùs Mammæ admovendus, quàm aliquoties ſuprà aut infrà purgatus fuerit. A Partu Infantes ante decem vel duodecim, quatuordecim vel quindecim horas non admovendi ſunt Mammis, ſed quò longiùs poſt Partum eſuriunt, eò melius eſt, donec interea in Mammis Matris ſe colligat *Coloſtron* ſeu Lactis primum rudimentum, Serum nempe lacteum. Hoc ipſum equidem tanquam nocivum, ſunt qui præbere Infantibus prohibent: ſed hoc peſſimo conſilio, cùm blandum ſit Infantum Laxativum, abſtergens optimè Sordes ejus, & purificans Inteſtina; & cùm minùs negotii faceſſat Stomacho pro Digeſtione, hoc ipſo facilius tranſit, minuſque Lacte ipſo corrumpitur in eodem, dum interea Lacti perfecto, tertio vel quarto die ſupervenienti cum Febre Lacteâ, concoquendo adſueſcat melius Infans, & hujus Nutrimento magis largo ſuſtentetur. Coloſtrum namque eſt Alimentum medicamentoſum, quod Natura eum in finem generavit, ut modicè nutriendo, leviter pro Infantis imbecillitate purget per aliquot dies, ut rectè aſſerit Spigelius *Tr. de Form. Fœt. cap.* 13. *pagina* 17.

Ab ipsâ Matre lactetur Infans, ſi eſt ſana, & Lac habet quod huic negotio ſufficiens; aliàs eligenda eſt *Nutrix*. Vulgò *examinant* hujus *Lac per Colorem*, *Odorem*, *Saporem*, &c. an ſcilicet craſſum, tenue, dulce, pingue, &c. ſit? ſed ridiculo planè conſilio: Non enim hæ & ſimiles proprietates Lac vel bonum vel malum reddunt, cùm occulti ſæpiùs defectus maximi momenti hôc ipsô cognoſci, & videri nequeant, qui tamen ſæpiùs longè majoris ſunt conditionis, & inſenſilia ut plurimùm vitia, ſecum vehunt, quæ Lactis corrumpunt miſcelam, ut non tantùm in Seminibus morboſis cum Lacte tranſplantatis, ſed in ſpecie Vitiis moralibus per Lac inſenſibiliter communicatis, eſt manifeſtum. Sed, ut rectè loquitur Helmontius *Tr. Sextupl. Digeſt.* §. 74. æſtimanda eſt Lactis conditio ex Sanitate Nutricis, & Beſtiæ, Vitâ, & Cibis. Modò ergò ſana ſit Nutrix, bonis utatur Alimentis, aut talibus ſaltim, quibus aliàs conſueta ſit, & quæ facilè ferat, & denique ab Affectibus Animi gravioribus ſe temperet, & abſtineat, laudabile erit Lac, ſive craſſum, ſive tenue, ſive plùs minùs album, ſive flaveſcens nonnihil fuerit. Nam conditiones Lactis etiam ſani ſunt variæ: cùm, uti Digeſtio prima in unaquâque ſpecie & individuo certâ ratione variat, ita etiam varient conditiones inde oriundorum Corporis Succorum, & per conſequens Lactis. Poteſt Nutrix Lue Venereâ inquinata Lac apparenter optimum habere, & alia ſana non. Lac enim in Mammis pro Nutrimento Fœtûs extra Uterum ejuſdem ferè naturæ & rationis eſt, cum Alimento Fœtûs chyloſo intra Uterum, ut ob id minùs audiendus ſit ſuprà laudatus Helmontius, interdicens ipſum Lac tenellis. Nam, quod obiter moneo, omnia ea Mala, quæ Infantibus incumbunt, ex hauſto Lacte è Mammis, & recenſentur ab Helmontio, eadem ipſa Mala impendent & adhærent iiſdem in Utero ab eorundem Alimento chyloſo ſimul deglutito. Uti autem nihilo minùs providiſſimo conſilio Natura Infantes nutrit in Utero Materiâ lacteâ, ita ſimili ratione extra Uterum eodem Nutrimento naturaliſſimè ſuſtentandus eſt. Lactet autem Mater ſeu Nutrix Infantem *utrâque Mamma*; quia Infantes aliàs fiunt Luſcioſi, ſeu Strabiſmo laborant: ſi uni tantummodò admoveantur Mammæ, continuò Oculos ad hanc conferunt, & ita tandem ex conſuetudine Luſciosi fiunt.

Utrique ergò Mammæ admoveantur, ne ita ex conſuetudine Oculorum perverſum acquirant motum: id quod aliàs *in Situ Infantum in Cunis* obſervandum, ne ex alterâ tantummodò parte Candelas lucentes & Feneſtras adſpiciant; ſed ita ſituati ſint, ut vel promiſcuè modò dextrum modò ſiniſtrum latus illuminetur, & etiam Candelæ utrique parti admoveantur & ſituentur, propter vitandum Strabiſmum Infantum.

Jam verò tam ſub tempore Lactationis, quàm poſt eandem, *Infantes* variis corripiuntur *Morbis*, qui dum exactè conſiderantur, ad *duos* fere principaliores *Cauſarum Fontes* referri poſſunt remotè, excluſo tamen ſemper vel *vitio Parentum Hæreditario*, vel aliunde hauſto *Fermento Contagioſo*. Nempe eſt *primus Fons* obſtinata *Retentio Excernendorum*, & ſecundus *perverſa Ingeſtio Nutriendorum*. Hæc facilè inferunt Cruditatem acidam & viſcidam, ex qua, tanquam Cauſâ proximâ, omnes eorum Morbi oriuntur. Ibi quidem eminet (1.) *Fœcum* primarum viarum, & *Meconii* in ſpecie, *Suppreſſio*; & hinc (3.) *inſenſibilis Tranſpirationis Occluſio*: hîc verò offerunt primariò ſe *Vitia Lactis*, &

& *Errata Pultis*. Hæc quatuor ſuppetunt Capita generalia Affectuum Infantilium.

## CAPUT II.

### *De Morborum Infantilium Origine.*

Non abſque præmeditatâ ratione miratur Harvæus *de Generat. Animalium Exercitat. de Partu pag. m.* 501. quî fiat, quòd Fœtus non tantùm ultimis Geſtationis menſibus in Utero, ſed etiam tandem extra Uterum, dum Membranis adhuc integris eſt opertus, & etiamnum in Aquâ ſuâ manens, per aliquot horas citra Suffocationis periculum ſuperſtes ſit? idem tamen Secundinis exutus, *ſi ſemel Aërem intra Pulmones attraxerit*, poſteà ne momentum quidem temporis abſque eo durare poſſit, ſed confeſtim moriatur? Aſt æquè, ſi non magis mirabile videri poſſit, quòd Fœtus ex tam ſubitaneâ, adeoque apparenter periculosâ mutatione, quam ſubit, ſimul atque ex clauſtris vapidis Uteri materni in liberum apertumque irrumpit Aërem, *non ſtatim graviter & ferè lethaliter ægrotet*? quidni enim Loci calidi cum frigido, humidi anxioſique Æſtuarii cum Aurâ ſiccâ patulâque permutatio, & ab Aëre in Pulmones primò irrumpente, & inde ſuccedente reciproco Reſpirationis negotio, maxima in Sanguine facta mutatio, totius Corporis ſenſibilem inducat alterationem? Tantam ſanè, quantam poſt primam hanc Inſpirationem uſque ad ultimam Expirationem per totum Vitæ curſum vix perferre videtur Animal. Hæc ipſa, quam tunc ſuſcipiunt Corporis mutationem Infantes, non ad ejus deſtructionem, ſed perfectionem potiùs tendit. Plus ſanè in receſſu habet operoſum Reſpirationis negotium, quàm ut vel Fuliginum exploſioni, vel Sanguinis ſimpliciter Refrigerationi, vel hujus ſaltem Circulationi, vel Soni formationi inſerviat, modò attendamus mirabilem Aëris naturam & effectus, ſimulque nexum Reſpirationis cum Vitâ, ita ut quamdiu extra Uterum vivimus, tamdiu etiam neceſſariò reſpiremus, & contrà. Scilicet ad Sanguinis perfectionem & Spirituaſcentiam vitalem tendit hic Aëris ſuctus, ita ut hujus medio attenuetur, & reſolvatur Sanguis in Pulmonibus, & imprimis ejuſdem Sulphur hac ratione quodammodò reſolvatur & volatiliſetur, quo ſub auctâ Fermentatione in Corde cum Salibus Sanguinis volatilibus coëat in Gas ſpirituoſum volatile, ſive Spiritus Vitales, calidos & probabiliter lucidos, ac ita Sanguis quaſi accendatur. Quod cum ritè fiat primitùs in Fœtu, dum Utero materno egreditur, non poteſt non ex debitâ perfectione Sanguini tunc primitùs inductâ, adeoque ejus majori Spirituaſcentiâ & Incaleſcentiâ ex auctâ ejuſdem Fermentatione, cum rapidiori per omnes meatus circulo, & uberiori Spirituum Animalium proventu, indeque Organorum Corporis quorumcunque ad motum ſingulari niſu, Fœtus quaſi noviter aut propriè animatus reddi, & Vitâ perfectâ animali dotari, qui anteà in Uteri materni clauſtris ſaltem Plantæ cujuſdam aut Zoophyti vitam egiſſe videtur. Occultum nempe Vitæ Cibum in Aëre contineri, ſublimiorum Naturæ ſcrutatorum communis fert ſententia: idque ratione Salis ſui, ut ſic dicam, mirabilis, quæcunque penetrantis, reſolventis, & volatiliſantis, atque univerſalis quaſi ſolventis. Unde tanta Reſpirationis ad Vitam emergit neceſſitas, ut quæcunque Animalia, ſimul atque ex Ovis ſemel eruperint, Aëris perneceſſario Victu nunquam carere poſſint, ipſis etiam Inſectis eodem indigentibus, non ſecus ac Piſces, Aquarum licèt incolæ.

Cùm ergò ad perfectivas potiùs quàm deſtructivas Alterationes pertineat dicta Fœtûs ſingulariſſima paſſio, quam primo in Mundum ingreſſu ſuſcipit, ſaltem hæc ipſa rationem videtur ſubminiſtrare probabilem, quî fiat non rarò, quòd Matres quædam Cacochymicæ, & in ſpecie noſtrates Scorbuticæ, quos in Utero feliciter geſtârunt, & optimè lacteo Nutrimento aluerunt Fœtus, poſtmodùm factâ excluſione citra periculum lactare ipſæ nequeant, quin potiùs, ſi eoſdem ſanos conſervare velint, conductæ ad id Nutrici committere neceſſe habeant, qui aliàs ſub proprio Matris Lacte, eo nempe, ex quo ipſæ partes Corporis primò coaluerunt, adeoque iiſdem appropriatiſſimum ſit, continuo Ploratu, Torminibus, non rarò quoque ſupervenientibus Epilepticis Inſultibus, aliiſque variis Pathematis, non leves Ægritudines teſtentur, ſubinde ad Mortem terminantes: quæ omnia alieno Lactis ſuperveniente ſuctu, ſucceſſivè evaneſcant & non rarò cum optimo Infantis habitu permutentur? Solutionem hujus dubii ſubminiſtrat præfata Sanguinis & totius Corporis per inſpiratum Aërem alteratio, ſub quâ ipsâ Sanguis citatiori Fermentatione turgeſcit, & ab inſpirato Aëre reſolvitur, unde ſimul morboſa Semina, ſub Nutrimento lacteo in Utero Matris, communicata, excitantur, & ceu Fermenta exotica partim Sanguinis craſin vitiant, partim alios à Sanguine dependentes Succos, in ſpecie Lympham & Bilem alterant, aut ipſum Stomachi Fermentum protopepticum inquinant, unde ſucceſſivè largæ morboſorum Affectuum ſegetes progerminant: Idque eò magis, quò ampliùs ſimili, inquinato nempe à morboſæ Matris Lacte, nutritur Infans, & ita Seminibus morboſis, nempe Igni Oleum, aptiſſimum ſe multiplicandi ſubjectum ſubminiſtratur. Simile ferè hîc evenit atque id, quod tempore Verno ſub renovati quaſi Aëris Inſpiratione Adultis etiam crebriùs accidit, ut ſcilicet eodem tempore latentia & anteà ſopita Morborum Semina quaſi evigilent, & varios Affectus, & Corporis Paſſiones, ceu tot Flores, protrudant. Maturè ergò à Mammis propriis abigant neceſſe eſt Matres tales ſuos Fœtus, & alienis in tali caſu tradant, pauperculis licèt, Mulieribus, modò ſub moderatâ Diætâ, & laborum continuato exercitio, ſanæ magis & vividæ exiſtant, ut temperato & ſalubri tali Lacte opprimantur morboſa Fermenta, imprimis Salina ſcorbutica, & corrigantur Sanguinis Dyſcraſiæ, quò conſtans & firma magis exinde conſervetur Sanitas. Ex hoc ipſo etiam ratio indaganda, quare Infantes, ſpeciatim noſtrates, recèns nati, ſubinde tertio aut quarto à Partu die Efflorescentiâ Cutis miliari, Purpurâ, Germanis *der Frieſel* dictâ, affligantur, quatenus ſcilicet ex Reſpiratione factâ Maſſa Sanguinea intenſiori Fermentationis gradu agitata, Salia heterogenea præcipitando ſeparat, & ceu Fæculentias non ritè miſcibiles ex ſuo miſto extrudit, quæ ipſa feroſo Latice, ceu communi Nutrimenti & Excrementi vehiculo imbibita, occaſione Balnei in recèns nato inſtituti, & promptæ hac ratione liberioris Perſpirationis, ad Corporis peripheriam, in ſpecie Glandulas Intercutaneas miliares, deponuntur, ubi cum Rubedine, Pruritu, & aliquali ſubſequente Excoriatione ſeu Cuticulæ deſquammatione pedetentim exhalant. Reverà Purpuræ noſtratis origo, ex Scorbuticâ Affectione Matrum, originem ducere videtur, cujus Productum, inter alia Pathemata & Purpurata hæc exiſtit Efflorescentia.

Monitum fuit ſuprà, ex Spirituaſcentiâ majori

ab inſpirato Aëre promotâ, indeque Spirituum Vitalium concitatiori impetu, in Organis quibuſvis inſignem ad motus niſum excitari. Exinde namque originem ducit, quòd Fœtus recèns editus non tantùm Artus validè moveat & vibret, adeoque Digitos variè inflectat, ſed quòd in ſpecie Urinam brevi poſt per Urethram emittat, crebriori Vomitu Cruditates Stomachi ejiciat, & Alvi recrementa varia protrudat: Quæ ipſa in Utero nunquam naturaliter excernuntur, adeò, ut certum Signum Fœtûs in Partu ex labore & nimio conatu mortui referatur à Welſchio *de Ægagrop. Diſſert. 2. pag. 61. Curat. 61.* ſi Meconium ſeu Alvi Excrementum, antequàm Fœtus prodierit, emittatur; ut ut contrarium huic Aſſerto Exemplum reperiatur apud Rulandum, *Theſ. Curation. Empyricar. Cent. 3. cap. 66. pag. 300.* Sternutare etiam interdum Fœtus recèns excluſus obſervatur, dum ex Membranâ Narium irritatâ, Nervis Intercoſtalibus per conſenſum connexionis affectis, etiam convulſiva Partium, cui inſeruntur, ſequatur commotio & concuſſio. Hæc ipſa tamen omnia, cùm opera potiùs ſint Naturæ, quàm morboſa Symptomata, ob id propiùs ad Affectus Præternaturales accedamus.

## CAPUT III.

### *De Vitiis Excrementorum Fœtus.*

## ARTICULUS I.

### *De Retentione Meconii.*

*Fæces primarum viarum* quod attinet: præter Ventriculum albicante plùs minùs lentâque materiâ refertum, *pituitoſa, flava, & variegata Recrementa* interdum Inteſtina tenuia occupant, in craſſioribus verò *Excrementa dura, craſſiora & quaſi picea, ex nigro virideſcentia, Papaverculum* ſeu *Meconium* quibuſdam appellata (ut ut Meconii vox generaliter Hippocrati *de Vict. Acutorum Sect. 69. Num. 9.* quod primùm natis exit Excrementum denotet) hoſpitantur, & omnia hæc ex Nutrimento, per Os ſub Formatione & Nutritione Fœtûs in Utero hauſto, genita ſunt. Hæc ipſa verò maturè ex Corpore Infantis *expurganda* ſunt, ne diutiùs retenta aut pertinacem Alvi obſtructionem inferant, aut Lactis nutritivi diſtributionem impediant, aut ſub diſtributione per Inteſtinorum gyros idem corrumpant, & æruginoſo virore tinctum ad corruptionem & cadaveriſationem diſponant, aut Inteſtinis pertinaciter adhærendo, & aciditate rodendo, *Tormina* crudelia inferant. Conſtans ſanè omnium Practicorum eſt Sententia, omnium atrociorum *Torminum*, uti & *Epilepſiæ*, originem eſſe ex Excrementis his diutiùs retentis, & hinc in deterius corruptis: quemadmodùm & Meconium retentum ſæpiſſimè eſt cauſa, quare recèns natis interdum tertio aut quarto die à Partu efflureſcat *Ictterus*, imò ipſis interdum connaſcatur: item Meconium retentum ſæpiſſimè cauſa eſt, quòd Infantes afficiantur Aphthis ſeu Ulcuſculis Oris, *de quibus poſteà*, quatenus hoc Meconium Lac hauſtum coagulat, ſpiſſat, & aceſcere facit: Unde ſi Meconium tempeſtivè vel per Aſſumpta vel per Coloſtrum evacuetur, ab omnibus his Malis poſſunt præſervari. Hinc ipſa Natura provida ordinariâ lege mox à Partu eſt occupata, ut partim *Vomitu*, partim *Seceſſu*, Infantes expurget, etiam antequàm aliud quid moliatur, præmonſtrans his ipſis viam Miniſtro Medico, quid ſub tardiori ejus conatu ipſi agendum ſit? Præ cæteris *Meconium* malè audire ſolet, idque ſuo merito; nam *Acidum præternaturale* eſt, quod in ejus receſſu peccat. Cùm enim oriatur ex *Nutrimento Fœtûs* quaſi *lacteo* in Utero, nil aliud eſſe videtur, quàm crudior *Caſeus*, à reliquâ ſubſtantiâ nutritivâ ſeparatus & quaſi præcipitatus: qui ipſe *Acorem* in Stomacho ſemel conceptum plùs minùs retinere ſolet, indeque occurrente in inteſtinis *Bile* obſcurum, ex nigro virideſcentem Colorem contrahit, & pedetentim in Inteſtinorum cellis ſub morâ diuturniori coagulatur firmiùs, & eò magis nocens evadit: quæ ipſa mutatis mutandis & reliquis Recrementis accommodari poſſunt.

Pro Meconio ergò purgando nil æquè convenit, atque *Coloſtrum*, quod eſt aquoſius, ſalſius, & vi abſterſivâ præditum: & ceu Alimentum medicamentoſum Infantes blandè purgat. Hoc ſi fieri nequit, ſtudioſè incumbendum eſt in id, ut *Pharmacis* nihilo minùs evacuentur dictæ Sordes ex primis viis, tam per *Vomitum*, quàm per *Seceſſum*: in quem finem propinentur ea, quæ *ſuprà dicta* ſunt.

## ARTICULUS II.

### *De Tranſpirationis Occluſione.*

QUod attinet *inſenſibilis Tranſpirationis morboſam* in Infantibus *Occluſionem*, ceu alterum Fontem Morborum Infantilium: notum eſt hujus in omni Ætate & Vitæ genere ſummam eſſe Neceſſitatem pariter & Quantitatem, quod elegantèr docuit Sanctorius *in Medicinâ Staticâ*, adeò ut Corpus noſtrum in continuo fluxu conſtitutum Atmoſphæram certam ubique in ambitu circumfundat. Præ cæteris Infantes cùm copioſo ſuſtententur Nutrimento, ob id neceſſe eſt, ut copioſè quoque tranſpirent, partim, ut Nutrimenti, tam univerſalis ſeu remoti in Maſsâ Sanguineâ, quàm particularis ſeu proximi hinc inde diſtributi puritas, ab omni vel heterogeneâ vel effœtâ fæculentiâ, partibus non aſſimilabili, ſarta tectaque conſervetur, partim etiam, ſi quid fæculenti ſub nutritione enatum ipſis commiſtum ſit, mediante *inſenſibili Tranſpiratione* ex partibus ſolidis eliminetur. Jam verò notum eſt, Infantum Corpora ordinario *Cruſtâ* quaſi aut *Mucilagine* viſcidâ & glutinoſâ obducta eſſe, quæ Lanugo oritur ex Liquore nutritivo in quo innatant, à quo Muco ſucceſſivè Cuti extrinſecùs adhærente inſenſibilis Halitûs effluxus inſigniter impediri ſolet. *Retenta* igitur talia *tranſpirabilia* in Maſsâ Sanguineâ ſi coacerventur, hujus æquabilem turbant Fermentationem, & ad *Febres* ordinariò diſponunt; ſin verò ſub Poris Cutis depoſita hæreant, & variam Corruptionem ſubeunt, & cùm ſimul ſint naturæ ſalinæ, & Sapore ſalſo adeoque compoſito prædita, plùs minùs licèt, (vid. Tachenius *Hipp. Chym. pag. 78.*) exinde facilè ſub Cute hærendo ſuâ Corruptione intenſam Acrimoniam contrahunt, nunc ſalſam ſimpliciter, nunc acidoſalſam, nunc urinoſo-ſalſam, ut plurimùm acidoſalſam, unde Digeſtiones particulares ſeu privatæ partium ſubcutanearum turbantur, & *Cutanei Affectus* efflureſcunt, alterato & corrupto ab illis retentis Nutrimento dictarum partium proximo, ſimulque deſtructa plùs minùs Fermento dictarum partium digeſtivo: qui Affectus eò promptiùs evenium, quò magis Excrementa tranſpirabilia ex Mucilagine minùs temperatâ, ſed magis acriore, vel ſalſiore, vel facilè aceſcibili, vel alio modo vitiatâ, originem ducunt; ſive fiat vitio *Nutricis* perversè Lac Infanti præbentis; ſive vitio *Digeſtionis primæ* in Infantibus, vel non corrigentis

rigentis Nutrimentum minùs adæquatum, vel ipſum Acore præternaturali inquinantis. Quòd ſi verò dicta Tranſpirabilia retenta, fuerint magis temperata, & nonnihil pinguia, adeò ut minùs ad Acrimoniam ſalſo-acidam degenerare queant, fit ut cohibeantur partim ſuâ ſponte, partim tepore loci humido, in Infantibus ſemilacteis ad Putredinem ruant, & emergente tunc Alcali deſtruente Acidum larga ſeges *Animalculorum* variorum pedetentim emergere ſoleat.

Ut verò *inſenſibilis* promoveatur *Tranſpiratio*, auſpicatò ſolent Mulierculæ recèns natos Infantulos immergere *Balneo Aquæ dulcis tepido* ſeu ſubcalido (non, qui aſperrimus, & ſanæ rationi pariter ac conſtitutioni ſanæ reluctans erat veterum Germanorum mos, de quo vid. Sennertus *lib. de Morb. Infantum Part. 2. cap.* 4. Aquæ frigidæ aut Flumini), ut illius medio abluantur Sordes viſcoſæ, Lanuginis inſtar tegentes tenerrimam Cutim, & accedente blandâ Frictione aperiantur & magis patuli reddantur conniventes aliàs Cutis Pori. Non ineptum eſt, quod in more poſitum, ut ſimul *Saponis* adjumento fiat Sordium ablutio, & hujus alcalinâ lixiviali Acrimoniâ promptiùs detergantur iſta caſeoſa quaſi Concrementa extracutanea, quia ſatis ſunt viſcoſa, & difficiliùs removeri poſſunt: poſtmodùm, ſi reiterantur crebriùs hæc Balnea, ipſi Aquæ, qua abluantur, parum *Lixivii communis* addendum erit, ut eò melius tam reſolvantur & detergantur dictæ Sordes, quàm etiam hujus alcalini Salis beneficio præcaveantur maturè *Affectus* Infantum *Cutanei*; ſicuti hos Affectus jam inductos dicta Alcalia fixa optimè tollunt, ut *infrà* monebitur. In communi recipiunt *Farinam Piſorum*, & hujus medio abſtergunt Infantes toties quoties balneantur: Nempe reiteranda eſt ſæpiùs hæc *Balneatio*, quoties Sanitas Infantis & Vires permittunt, idque in ſpecie primis Septimanis, in quibus quotidie balneandi ſunt Infantes, reliquis alternis aut tertiis diebus, donec exactè purificatus, glaber, mollis, rubicundus atque nitidus appareat Fœtus; aliàs enim ſuggerunt occaſionem vel Febrium, vel Affectuum Intercutaneorum. Unde non rarum eſt, quòd Flavedine quodammodò croceâ, adeoque icteritio Colore tincti in lucem prodeant Infantes, aut tertio vel quarto die poſt Partum dictus Color ſuperveniat; qui extraordinarius Color vix meliùs dictis Balneis detergi penitùs, & deteri poterit; quibus convenit etiam, ſi gr. j. *Croci* optimè triti in Lacte Nutricis, vel alio conveniente Liquore exhibeatur Fœtui, & aliquoties in die propinetur, quo ipſo dicta Cutis deſœdatio extingui poteſt.

## CAPUT IV.

### *De Vitiis alimentorum Fœtus.*

### ARTICULUS I.

### *De Vitiis Lactis.*

ERat hæc Excernendorum retentio: ad nutriendorum vitioſam pergo Digeſtionem, ubi primariò ſe offerunt *Vitia Lactis*. Lac eſt naturaliſſimus Cibus & Succus nutritivus Infantum, quod neceſſariò Infantibus lactantibus propinandum, certo tamen ordine.

*Ejus vitia* ſunt varia: quorum primùm eſt, quando fuerit *alienum*, h. e. dum non *à propriâ Matre* tenellis porrigitur Mamma, ſed *Nutricibus* hoc negotium committitur. Quod ut pateat clariùs, præſuppono:

1. Fœtum in Utero materno nutriri non ſolùm *per Umbilicum*, ſed ſimul etiam *per Os*: Vid. *Diſſert.* Segeri *de Hipp. Orthod. & Democr. Heterod. in Nutrit. Fœtûs*; Johann. Claudius item *de la* Courvee *Tr. de Nut. Fœtûs in Utero*; item Harvæus *de Gener. Animal. Exercit.* 58. item 56. *& Exercit. de Humor.*

2. Nutrimentum utrobique *non eſſe Sanguinem*, ſed Lac ſive *Chylum lacteum*, cum Sanguine per Arterias (cùm aliæ nondum repertæ ſint viæ, in Vaccis licèt lactantibus inſtituta fuerit inquiſitio Anatomica) ad Uterum delatum: Vid. præter *loc. citat.* Needham *Tract. de Form. Fœtûs cap.* 1.

3. Lac Mammarum & ipſum reverà eſſe *Chylum*, in Mammarum Glandulis ſecretum, & Ductibus particularibus exinde ad Papillam delatum: Vid. Deuſingius *de Lacte*, & Charleton *Exerc. de Galaxiâ.*

I. Jam verò *unicuique Mulieri ſuum proprium eſt Lac*, ſeu ſpecialis Lactis proprietas ac idioſyncraſia; (ut taceam Lac diverſum in unâ Mammarum obſervatum fuiſſe ab eo, quod erat in alterâ, à Lyſero *Obſerv.* 11. *annexâ Cultro ſuo Anatomico*) eaque oriunda ex ſpeciali Fermenti digeſtivi ſtomachalis differentiâ (nam hoc in omni individuo inſignem patitur latitudinem): unde hoc Fermentum, prout in unoquoque individuo fuerit conſtitutum tam naturaliter, quàm præternaturaliter, hactenùs diſtincta oritur Appetitûs & Digeſtionis primæ ratio, eorundem licèt Aſſumptorum, unde ſupervenit diſtinctum Lac pro diverſitate Mulieris, in qua generatur. Diverſum ergò Lac Mammarum Nutricis, à Lacte uterino Matris neceſſariò in Stomacho Infantuli tali Lacti aliàs non aſſueti, (cùm conſueta longo tempore, licèt deteriora, inſuetis minùs moleſta eſſe ſoleant, juxta Hippocratem *Sect.* 2. *Aphor.* 50. idque ob intimam Symbolizationem Aſſumendorum cum Fermento) alterationem inſignem infert, & plùs minùs ad corruptionem pergit, aut Digeſtionem primam neceſſariò inſigniter turbat; quin imò Lac iſtud alienum diſtributum ulteriùs in Maſsâ Sanguineâ heterogeneitate ſuâ turbat hujus Craſin, & Fermentationem vitalem, antequam ſucceſſivè Stomachi Fermento alterato, & Sanguinis Craſi immutatâ, conveniens magiſque homogeneum fiat Nutrimentum, cùm generalis Stomachi Digeſtio præſit quibuſque ſingularium Digeſtionum culinis. Speciatim cùm Matres ſubinde vivant opiparè, & ita cæteris paribus Lac nutritivum generent, Nutrices verò adſcititiæ ſint ut plurimùm pauperculæ, & quibuſcunque eduliis ſubinde latranti ſatisfaciant Stomacho, vix fieri poteſt, quin & Cacochymia in iis ſuperveniat (*N*): (vid. Sennertus

(*N*) Nota Cyrilli. *Imò potiùs Cacochymicæ evadunt conductitiæ Nutrices, eo quòd laboribus & parco victui, ex craſſioribus eduliis comparato, aſſuetæ, apud Nobiles deinde ſatis opiparè & otiosè viventes, minùs aptè dilicatiores cibos digerunt, adeoque noxium Lac Infanti præbent. Satius igitur eſt ruſticas Nutrices paulò quidem ſelectiore victu tractare, ut ſcilicet delicatiori Infantulo accommodatius Lac exhibeatur; non tamen longè à Mulieris conſuetudine recedendum, ac proinde corporis motu, & levi aliquo labore ſunt exercendæ.*

nertus *de Curâ Infant. Part.* 1. *cap.* 1.) & ſic Lac maximè eſt diverſum & contrarium Lacti Matris, ex quo coaluit Fœtus: unde per dictum Lac tam *vitia Naturalia* quàm *Moralia* à Nutricibus traducuntur in Infantes: de quo meritò conqueritur Helmontius *Tractatu Infant. Nutrit. pag. m.* 623. cum legitimo ſenſu veriſſimum ſit illud Galeni, quòd *Mores ſequantur Temperamentum Corporis*: Sic Puella v. g. obſervata fuit admodùm ſiticuloſa ex Nutrice bibaculâ à Deodato *Valetud. pag.* 26. Cùm & brutales proprietates & Mores cum Lacte Infantem penetrent, ac in vitam perſeverent, ut in Pueris à Cervæ item à Capræ Lacte nutritis obſervatum fuit; Rejes *Camp. Elyſ. Quæſtion.* 41. *pag.* 586. Hîc Lipſiæ aliquando Infans ob defectum Nutricis Lacte Caprino nutritus fuit, qui adhuc vocem Capræ imitari poteſt. Sed hæc cùm minùs faciant ad ſcopum noſtrum, ob id vel ſummis labris ea delibaſſe ſufficiat. Quæ ipſa de Lacte ex Chylo elaborato explicata hactenùs, fortiùs adhuc eos ſtringunt, qui ex Sanguine Lactis fontes derivant. Proprium igitur Matris Lac, ſi fieri poſſit, Infanti eſt propinandum, quod eſt omnium optimum; quia ex hoc primò concrevit Infans, nec ſine inſigni alteratione alterius Lacti adſueſcit, imprimis ſi Mater ſana ſit, vel non admodùm morboſa, habeat Lac negotio ſufficiens; aliàs in ejus locum, ut ut deteriorem, eligenda eſt Nutrix, quæ Mammas Infanti præbeat: Vid. Sennertus *Tr. de Morb. Infant. Part.* 1. *cap.* 1. *in Quæſt.*

Hæc ipſa ſimul oſtendunt, quàm aliena ſit à vero eorum Opinio, qui conſideratione facilis corruptionis Lactis in Infantulis, indeque natorum variorum Malorum, alio potiùs Nutrimento, quàm Lacte, tenellos cibare & educare malunt: Adeoque vel Hordeata Juſcula, vel ex crepaturâ Hordei addito Vitello Ovorum Emulſioni ſimilem mixturam, vel Juſcula Avenacea, vel Amygdalarum emulctum lacteum Succum, aliudve ſimile ſubſtituunt, quô etiam Nutrimentum Helmontii pro Pueris, *Tr. Infant. Nutrit.* pertinet, ex Pane tantiſper cum tenui Cereviſiâ bullito cum Melle. Siquidem nec fruſtrà, nec ſine prægnanti ratione, aut ornatûs ſaltim gratiâ, Mammæ Mulieribus, & in iis mox poſt Partum Lac, non ſecus ac reliquis Brutis terreſtribus, uti & quibuſdam aquatilibus conceſſum fuit à Naturâ; quin hæc ipſa potiùs digito quaſi intento hanc Fœtuum Nutritionem monſtraverit. Hinc Aves Mammis carentes earum defectu grana deglutita, & in ingluvie aliquali morâ macerata, ac ita ad fundendum citiùs lacteum ſuum Nutrimentum prædiſpoſita, evomunt denuò, pro meliori Pullorum ſuſtentatione. Tenerior ſiquidem Infantum eſt Stomachus, minuſque exaltatum Fermentum eorum digeſtivum, unde quæcunque ferè ingeſta laboriosâm ſaltem, ſi non & defectuoſam penitùs redderent Digeſtionem; quæ facillima & ſummè nutritiva erit, dum Lac, ceu Chylus jam ante in Nutrice elaboratus, ipſis ſuggeritur: Talis ſcilicet Succus, ex quo & primitus Machina eorum corporea conſtructa fuit, & ipſe Fœtus jam in Utero ſuſtentatus, & quem ceu jam conſuetum facillimè digerere & concoquere poteſt. Quòd ſi quædam ex Lactis alteratione in Infantibus metuenda erunt pericula, ea ſanè in ſe ſunt facilè corrigibilia, modò maturè & legitimè iiſdem occurratur. Unde & rariſſima eorum obſervata fuerunt Exempla, qui defectu Nutricum feliciter adoleverint.

II. Secundum Lactis vitium eſt, ſi *fuerit morboſum*: ſive ergò nutriatur à Matre, ſive Nutrice ſitiens Puerulus, niſi vegetâ & ſanâ gaudeat Corporis œconomiâ, indubitatum eſt, varia Morborum ſemina radiceſque firmiſſimas in eum tanquam per medium fomitem tranſplantari in Fœtum: Sic Lithiaſin ex Nutrice calculosâ derivatam in Puerum, cujus Fratres priores à Calculo liberi fuerunt, notat Helmontius *Tr. Nutritio Infantum ad Vitam long.* & *de Lithiaſi*: Sic Lues Venerea, Scorbutus, &c. quorum contagioſa indoles per ſe notiſſima, per Lac communicata ſunt Fœtibus, ita ut quæcunque Contagia morboſa ex Nutrice vel Matre facilè deriventur in Infantem, ſi non ſint ſanæ: Lue Venereâ per Matres infectas Puellas inquinatas binas obſervavi in Noſocomio Patavino: Nutrices habitûs ſeroſioris ad Affectus Catarrhales proclives reddere, quos nutriunt Infantes, compertum eſt. Sed res ipſa cùm loquatur, quid opus ulteriori diductione? Quin etiam ſana licèt in proprio Corpore deprehendatur Nutrix, ſi tamen propriæ conſtitutionis causâ, idque ex ratione peculiaris in Stomacho Digeſtionis vel ſeroſioris & ſalſioris Sanguinis conſtitutionis, vel certæ in Glandulis Mammarum texturæ, ſeroſius, acrius aut ſalſius, aliove modo minùs conducens Infanti Lac colligat, etiam citra ſugentis noxam id propinari nequit, quin Nutrimentum tale, ipſi minùs appropriatum, hoſtile & inimicum evadat.

III. Tertium Lactis vitium eſt, ſi fuerit *nimis nutritivum*. Scilicet ut ut ſaniſſima etiam ſit Mater vel Nutrix, tamen tenello Infantulo ipſum Lac probè excoctum, craſſius, ſpiſſius adeoque magis butyroſum & nutritivum, non æquè primo ſtatim hauſtu vix convenire videtur; quia in Utero materno adhuc concluſus Fœtus Nutrimento lacteo tenui & limpido fuerit ſuſtentatus; unde mox à Partu ſi tale Lac hauriatur, ab eodem oneratur ejuſdem Stomachus, & exinde varia Recrementa coacervantur. Ob id nempe provida Mater Natura poſt Partum Matribus in ſalutem editi Fœtûs in Mammas derivat *Coloſtrum*, h. e. ſeroſiorem tenuioremque Chylum, quod præmittitur Lacti perfecto, pinguiori & ſpiſſiori, tertio vel quarto die demum ſupervenienti. Coloſtrum enim ab ipsa Naturâ præmittitur, ut ceu ſeroſum ac tenue minus negotii faceſſat Stomacho, ſed potiùs ſeroſitate ſalinâ abſtergat blandè Stomachi Mucum, & Inteſtinorum ſub Geſtatione collectas Sordes expurget, & ſimul virtute diureticâ urinarias Vias probè eluat, & Vias quaſi patulas reddat, donec ſucceſſivè, Lacte magis magiſque alimentoſo reddito, Stomachus eidem adſueſcat, facilitetur Digeſtio, & impediatur facillima ejus Corruptio. Rectè igitur dicunt Practici: *Coloſtrum non eſſe rejiciendum*, ſed eſſe Fœtui Alimentum medicamentoſum pro purificatione primarum Viarum eidem inſerviens. Hinc iſtud, quod die primo ſcaturit ad Mammas, potentiùs purgat; quod ſecundo & tertio minùs, donec ſuccedat purgatrici vis nutrix. Matres ergò quàm peſſimè Infantes ſtatim Nutricibus robuſtis, obeſis aut pinguibus, aut quæ jam aliquandiu lactârunt, exponunt, quia ab harum Lacte butyroſo & caſeoſo nimis oneratur Stomachus tenellus, & Digeſtionis opus inde inſigniter retardatur, ac Cruditati acidæ, Lactiſque coagulo, promptiſſima occaſio ſubminiſtratur. Illuſtrat hæc Epilepſiæ Exemplum aliquot Filiabus lethale, ex nimiâ Lactis, materni licèt, butyroſitate & pinguedine, quod recenſet Hoffmannus *Tr. de Uſu & Abuſu Medic. Chym. pag.* 49. Quòd ſi verò Matres nutrire intendant ſuos Fœtus, quo quæſo conſilio corrigunt Naturæ prudentiſſimos conatus, & tam ſtudiosè emulgent tam ſalutare hoc Coloſtrum? quaſi nocere poſſit Infanti,

ſanti, quod ceu divina Medicina ipſi propinandum foret; de quo etiam imprimis contra Medicum quendam ſufficienter & egregiè Veſlingius *in Epiſt. & Obſ.* 28. *pag.* 123. & ante eum Spigelius *in erudito Scripto de Formato Fœtu cap.* 13. *pag.* 16., ubi valdè peccare Matres ait, quòd non admoveant recèns natos Mammis, dum ſcilicet habent adhuc Coloſtrum. Propinent ergò Matres vel Nutrices ſuis Infantibus Coloſtrum, ut hôc præparentur ad ipſum Lac uberiùs nutritivum.

IV. Sed tolerabile adhuc, quia facilè corrigibile, eſſet hoc erratum, niſi gravius longè, familiariſſimum licèt, ſe offerret vitium, nempe *ſuperflua & inordinata*, & tantum non *per vim Lactis infuſio in Os & Stomachum Infantis*, ut ſubinde Mater aut Nutrix Pueros ſuos nimis alendo ſæpiùs necet, aut lactando mactet, ut rectè obſervat Kerckringius *in Spicileg. Anat. Obſervat.* 40. Familiare enim eſt, ut Infantibus, ad quemvis ex quacunque cauſa excitatum ejulatum, ipſis renuentibus licèt, ſæpiùs præbeant Mammam, & unâ die decies imò vigeſies lactent, antequàm priùs Lac hauſtum ex toto digeſtum; unde crudum adhuc & ſubacidum in Stomacho hærens, à ſuperventu novi Lactis grumeſcit, caſeatur, & abit in Mucilaginem acidam, viſcidam & tenacem, atque ſic unum corrumpit alterum: unde ab inordinatâ ingeſtione & corruptione Pylorus indignatur, ut vel, ſalutari licèt effectu, omnia iſta vitiata *Vomitu* rejiciat, vel eadem corrupta & caſeata ſe pertinaciter ſtringendo tranſmittere nolit, hinc Infantibus mille impendent Mala. Secundùm Kerckringium enim *l. a.* Pylorus in Infantibus ſe firmiter claudit, unde ea ulteriori morâ in Stomacho retenta in loco iſto tepido in deterius, ac ex Cruditate acidâ in Corruptionem putredinalem delabuntur, & in Liquamen putridum, flaveſcens, nidoroſum, virideſcens, &c. tandem degenerant: Vid. Helmontius *Tr. Infant. Nutrit.* qui tragœdiam hanc graphicè & eleganter delineavit.

Lactet ergò Nutrix Fœtum, quantum ſufficit, cavendo imprimis, ne crebriùs ſeu ſæpiùs ac copioſiùs fiat: nam aliàs aut Acori ſeu Cruditati acidæ, aut Nidori ſeu Corruptioni nidoroſæ Lactis occaſio datur. Præſtat ſanè peccare hîc in defectu, quàm in exceſſu, cùm Repletiones ad extremum productæ graves eſſe ſoleant, teſte Hippocrate *Sect.* 1. *Aph.* 14. & ſicut in Adultis omnis Repletio, in ſpecie Panis, eſt peſſima, quod veriſſimum eſt; ita ſanè Lactis in Infantibus nocet: hinc enim conſequenter impura Corpora, quò magis nutriveris, eò magis læſeris: Vid. Hippocrates *Sect.* 2. *Aph.* 10. Nam tantum non omnes Infantum Affectus primariam originem habent ex Lactis vitio; ſive aceſcat, ſive coaguletur, ſive alio modo corrumpatur, idque vel vitio Ventriculi Infantilis, vel vitio Nutricis, aut inſuetis aut incommodis Alimentis utentis, aut Affectibus Animi nimis indulgentis.

V. Unde periculoſius jam urget fatum miſellos Lactentes, ſi *Lac* per perverſam & ſæpiſſimè *inordinatam Diætam* Matris vel Nutricis fuerit *depravatum. Diætæ* peccata ſunt

1. *Varia Alimentorum* ingluvies.
2. *Affectuum* neglecta refrænatio, &
3. *Excernendorum* pariter ac retinendorum neglectus.

I. Quod attinet *Aſſumpta*: Equidem Sanis omnia ſunt ſana, modò per internam Appetentiam aſſumantur, & ſobriè ingerantur; *quod enim ſapit, nutrit.* Adeò ut in Sanis ſcrupuloſus Alimentorum delectus reverà ſit fruſtraneus, quin potiùs, ſi Appetitus circa aliquod objectum feratur intenſiùs, imprimis conſuetum, (nam in inſuetis Appetitus ſubinde Medicamentum quærit,) vix denegandum ſit, quia Fermentum digeſtivum potenter quælibet in ſui ditionem trahit & coërcet, ut ut talia cum moderamine mediocritatis propinanda ſint, cùm Sobrietas rectè cardo totius dicatur Diætæ; id quod Nutricibus conductitiis in ſpecie obſervandum, ut plurimùm egenis, adeoque famelicis & frequenter nimio Nutrimentorum exceſſui primitus indulgentibus. Nihilo minùs tamen Lactantes præ cæteris in ſpecie reſpicere debent Fœtus tenellos, quibus errata Nutrici innocua ſolent eſſe nocentiſſima, & graves ſubinde inducunt Paſſiones; ſiquidem Aſſumptorum plures proprietates in Chylo perſiſtunt, quæ ut ut plùs minùs infractæ aut alteratæ ſint, & Nutrici non noceant, ſuam tamen in Lacte præſentiam manifeſtò exſerunt, & Fœtui nocivæ ſunt. Res nota eſt de *Purgantibus*, quæ à Nutrice aſſumpta ſubinde graviter Infantem laxant, & omnia imprimis propriè dicta Infantibus ſunt inimiciſſima. Notum eſt de *Aniſo*, quod pro augmentando & corrigendo lacteo Chylo propinatum Nutrici, ſui in eo veſtigia Odore repræſentet. Tacebo peculiares Idioſyncraſias Infantum quoad certa Aſſumpta, à Parentibus tranſplantatas, quæ à Nutricibus neglecta graviter tenellos lædunt, quorum Exempla recenſet Digby *de Nat. Corpor. Tr.* 1. *cap.* 38. *pag. m.* 424. & 436. Imprimis autem urgentur *Acida*, in quibus ordinariò peccatur, nempe quæcunque Acida aut aceſcentia, ſive ſint Condimenta ſive Potulenta, mox ſui veſtigia in dulci Lacte, ut ut ſenſibus abſcondita, relinquunt; quæ ordinariò ejus Coagulatio & Congrumeſcentia, & Corruptio in Excreta viridia & acria, manifeſtè acorem ſpirantia, &c. ſequuntur; unde tunc temporis *Tormina* Infantibus moleſtiſſima, ab Acido Inteſtina torquente, Convulſiones & Infantum Epilepſiæ, Ardores & Inſultus febriles, ab Acore peregrino Sanguini infuſo, Aphthæ, Achores, Favi, Tineæ, Abdominis inflationes, & ſimilia Mala ab Acido oriunda. Et hæc Mala Infantibus ſunt frequentiſſima, ſicut etiam Corruptio Lactis acida ipſis eſt familiariſſima, unde etiam conveniunt Infantibus primariò Abſorbentia Terrea, Marina &c. Hinc & cautiores Matres, dum Fœtum in Utero incluſum geſtant, Acida nimia fugiunt, ne inſontes Infantes in Utero præmaturè torqueant, aut iiſdem fomitem epilepticum ingenerent. Sic ſæpiùs obſervavit *Clariſſimus* Sylvius, quòd tales Mulieres ordinariò generent Fœtus Epilepticos; dum verò Acido abſtinuerint alio Gravidationis tempore, Fœtus ſaniores, Epilepſiæ minùs obnoxios, produxerint, idque etiam adeò pluribus Matribus prædixit: Cùm præterea Acidorum abuſus ad Abortum Gravidas diſponere rectè aſſeratur à Beckio *in Med. & Experimen. pag.* 214. Quod etiam de *Vino*, quòd nempe Fœtum pellat, aſſerit Hartmannus *Prax. Chymiatr. cap.* 228. §. 3. Unde etiam Johan-Antonius *Von der* Linden *in Comment. ſuper hunc loc.* primis Geſtationis menſibus Vinum Gravidis, in ſpecie, ut vocat, calidioribus, prohibet, metu Abortûs, quibus ultimis duobus vel tribus menſibus Creticum aut Malvaticum, in parvâ tamen doſi, concedit. Hinc etiam *Vinum Nutricibus* (non aſſuetis) non ſemper prodeſt, quia ab hujus præmaturâ coagulatione ad grumeſcentiam Lac in Mammis diſponitur: In quo tamen Acido frequentiſſimè peccatur, amicum & gratiſſimum cùm ſit Stomacho, tantum non quotidianum ejus percipimus appetitum. *Caſeo* itidem non immeritò interdicitur Nutricibus, ne hoc, tanquam præmaturo Coagulo, ad grumeſcen-

ſcentiam præternaturalem jam in Mammis Lac diſponatur. *Cereviſia* non ritè fermentata, aut à fæcibus depurata, ut ut Nutrici ſine Torminibus aliâque noxâ propinetur, à Fermento Stomachi ferè ſubacta, tamen Lac corruptum ab eâ Pueris Diarrhœas torminoſas excitare ſolet. Quod etiam de *Fructibus horæis ſucculentis*, *Uvis*, *Muſto*, *Prunis*, & ſimilibus facilè fermenteſcibilibus, verum eſt, quorum eſu Infantes ſolent diſponi ad Diarrhœam torminoſam: ſicut aridiores econtrà Alvum pertinaciùs ſiſtunt, dum refert Timæus *Von Guldenklee in Caſ. l. 5. Caſ. 15. pag. 252.* ex eo, quòd Nutrix Caſtaneas copioſiùs aſſumpſerat, Alvum Infantis pertinaciter obſtructam: ſicuti ex Florum Sambuci Lacti incoctorum uberiori hauſtu & Nutricem & Fœtum copiosè purgatas eſſe obſervavi. Confer. Bartholinus *Cent. 2. Hiſt. 93. pag.* 338. ut ut aliàs inſons ſoleat eſſe Potus, imò admodùm proficuus pro Lactis augmento. Propterea cautæ ſint Nutrices in aſſumptione Alimentorum, plùs minùs tamen, prout nempe aut Conſuetudinis, aut Digeſtionis primæ, vel abſolutioris vel deficientis, adeoque ſubactorum plùs minùs, & alteratorum à Fermento digeſtivo ingeſtorum, in iis fert ratio.

II. Juxta hanc acidam Corruptionem, & hinc ortam Coagulationem, & fœtidiſſimam Corruptionem, & Depravationem Lactis ab Aſſumptis, etiam *ſecundò Affectuum exorbitantiæ* jam attingendæ ſunt, quorum inordinatus inſultus, ut generaliter Spiritus Animales, totumque genus Nervoſum, & his mediantibus Maſſam Sanguineam & reliqua Corporis Contenta liquida commovendo, inſigniter alterat; ita ſpecialiter Nutrientium corrumpit Lac. Imprimis dum Nutrix Affectuum agitata fluctibus, nunc Irâ, nunc Libidine æſtuat, nunc Terrore perculſa; ex his enim Lac inſpiſſatur, & ad Coagulationem & Corruptionem diſponitur: unde Lac ita alteratur, ut exinde Epileptici Inſultus frequentes, in ſpecie ab Irâ, ſuperveniant Infantibus. Turbant ſanè Affectus omnes Concoctionis primæ negotium, adeò ut ex triſti Nuncio eſurienti inopinatò allato, adeòque incuſſo ſic Terrore, ſtatim pereat omnis Appetitus, unde Digeſtionis conſequenter impedimenta, & Cruditatum acidarum occaſiones: qui Affectus itidem ex Iræ furore exſpectandi ſunt, ſub cujus fervore vel maximè Sanguinis Ebullitio & quaſi febrilis Efferveſcentia, cum Bilis Orgaſmo conſideranda veniunt. Ex alterato ergò ac depravato Chylo ſimile generabitur Lac, aut hoc genitum licèt in ſtatu pacato, ſub inteſtina tamen Affectuum rebellione, & inde natâ omnium Corporis Contentorum à Spirituum vario ac præternaturali impetu, non poteſt non inſigniter alterari, & variè commotum & quaſi ſecundùm minima concuſſum, in partes ſecedere, & Butyri ac Caſei ex ſeroſo vehiculo quaſi ſeparationem præternaturalem pati. Sic *Terror* non minùs quàm *Iracundia*, mediante *Lactis Coagulo*, ac in Mammis grumeſcentiâ, Inflammationes, doloroſiſſimoſque Abſceſſus, & in ſpecie *Eryſipelas Mammarum*, ſæpiſſimè inferunt; hinc Mater inſonti Infanti Lacte tali ſemicaſeato mille nocumenta infert. Nihil magis autem Infantes ad *Epilepſiam* ordinariò diſponit, quàm *Terror & Iracundia* Nutricis: Sic quædam Puerpera voluit nutrire proprium Fœtum, ſed ſimul lactare Catellum, ut Lac uberiùs alliceretur: aliquo die caſu Patella porcellana ex alto Hypocauſto decidit & frangitur, unde graviter perterrefit, unde repente ad ſe cùm rediiſſet animus, mox Catellum Mammis, ut Lac Terrore alteratum exſugat, applicat, ne iſto Fœtui noceret: quô facto intra dimidiam horam gravi Epilepſiâ Catellus corripitur; propinat eidem *Theriacam*, unde oborto gravi Somno fuit curatus. Sed præter has ſenſiles Coagulationis & Grumeſcentiæ qualitates nocivas, & alias multifarias difformitates induit Lac, ex tam variis Affectuum fluctibus, quibus ſanè non tam Matres, quàm ſpecialiter Nutrices, obnoxiæ ſuccumbunt, quarum ſingulæ Infantis Nutrimentum lacteum morboſè diſponunt; hinc in varia Liquamina cadaveriſatur, unde Excrementa nunc intensè flava dulcia, nunc fæculenta fœtida, inſtar fæcum Cereviſiæ, nunc ex nigro putrida, aut alio modo corrupta, imprimis in Diarrhœâ Infantum, rejiciuntur: quin & Vomitus, Febres, Atrophia tandem, aut ſaltim varii Cutanei Affectus ſuperveniunt, quæ ita Fœtûs ſanitatem graviter labefactant.

Præter dictas Lactis materni depravationes, ab Affectuum exorbitantiis oriundas, Matres etiam gravidæ occaſione ſubitanei Terroris, & inde ortæ fortioris Impreſſionis, ſuos in Utero materno adhuc concluſos Fœtus notabiliter ſignare, aut horum Cutim variis Maculis defœdare ſolent, unde

## NÆVI MATERNI.

*Nævi materni* ſunt Maculæ varii, imprimis rubicundi, vel ſanguinei, flavi quoque & nigri Coloris, & variæ Figuræ, qua nunc planæ, nunc in Tumores aliquo modo elevatæ, imò Excreſcentiæ carneæ, conſpiciuntur variarum rerum, nimiùm imprimis appetitarum, e. g. Fragorum, Myrtillorum, Ceraſorum, Pomorum, &c. hanc vel illam Fœtûs in Utero materno adhuc concluſi partem afficiunt, à ſubitaneâ & pavidâ rei horrendæ, e. g. Flammæ, Sanguinis, Linguæ bubulæ, Muris, aut cujuſdam Animalis ex angulo profilientis, Ulceris cacoëthei, &c. aſpectu, & inde fortiori Matris impreſſione inductæ; unde & rerum harum Figuram & Colorem referunt.

*Subjectum* patiens ſeu *Pars affecta* ſunt partes Cutaneæ, vel ſolæ, vel cum Vaſorum ramis majuſculis conjunctæ, quæ in tales Excreſcentias terminari ſolent; unde æquè feliciter ac aliæ partes Corporis naturales ſuccreſcunt, adeoque non ſine periculo præſcinduntur.

*Cauſa proxima* latitat in ideali, tam Matris quàm Fœtûs, primariò tamen Matris, ſpecifico Conceptu & Impreſſione, adeòque Spiritûs Inſiti in certâ Corporis parte alteratione. Dum enim Mater gravida ex ſubitaneo & improviſo Hæmorrhagiæ, Flammæ, Muris, aut alius rei conſpectu, certam Corporis partem, v. g. Frontem, Labia, Genitalia, &c. attingit, ab Ideâ hac conceptâ, & Spiritibus Animalibus repræſentatâ, Spiritui Inſito ſimul alterato rei conceptæ Character, & ſic Fœtui eâdem in parte *Nævus* certus imprimitur: Sic notum eſt Helmontii Exemplum de Militis Manu abſciſsâ, cujus aſpectu Gravida quædam Filium Manu carentem peperit: Sic paucis abhinc annis in Conſiſtorio quodam Eccleſiaſtico *in Cauſâ Divortii* Caſus ſequens de Vulvâ monſtruosâ, Erinacei vultum repræſentante, adeoque congreſſui ineptâ, ventilationi ſubjiciebatur: Scilicet Fœmina quædam Illuſtris ex Proſapiâ, ni fallor, Comitis cujuſdam oriunda, alterâ aut tertiâ Nuptiarum die circa veſperam inter ſaltandum à Tychone citata, Veſicam exoneratura, in proximum conclave ſe recipit; inter mingendum verò ex improviſo Erinaceus in angulo deliteſcens proruit; quo perterrita Genitalia fortè attingit: unde ſuo tempore Filiam peperit, quæ Pudendis non ſolùm Erinacei vultum repræſentavit, ſed cui etiam debito

Puber-

Pubertatis tempore loco Pubis Pili craſſiores, aculeos Erinacei ferè referentes, efflorverunt.

III. Denique tertiò ſupereſt conſideranda ratio *Excernendorum ac Retinendorum* in Nutricibus. *Excreta* quod attinet: hæc inter primarium obtinent *Menſtrua muliebria*; nam ſicut Gravidis, ita etiam in Lactantibus naturaliter ſupprimuntur *Menſes*, probabiliter in ſalutem Fœtûs. In habitioribus tamen, Sanguine turgeſcentiore præditis, *Viraginibus* dictis, vel plethoricis, ſubinde primis Geſtationis menſibus etiam adhuc ſub ipſo Lactationis tempore iiſdem ordinariâ periodo crebriùs fluunt; qualia collegit Exempla Schenckius *in Obſervat. pag.* 754. *&* 630. Jam verò obſervandum quoties Nutrici fluunt *Menſes*, quòd tunc Fœtus minùs commodè ſe habeat, & ſenſilis in eo obſervetur alteratio, languidus, lacrymoſus ac imbecillis ſit toto Menſtruationis tempore; quo ceſſante ceſſat etiam dictus languor Fœtus: Id quod itidem obſervatum à Paulo Zacchia *Quæſt. Medico legal. lib.* 7. *Tit.* 3. *quæſt.* 3. *pag.* 499. Nempe cerâ Fermentatione Maſſa Sanguinea ſub Menſtruatione agitatur, & turgeſcit, unde & Menſtruam Febrim, ſive omni menſe, cum Sanguis per Genitalia evacuaretur, recurrentem, ex acriori ſcilicet Sanguinis Efferveſcentiâ obſervavit Lindanus *in Coll. Manuſcr. ſuper Hartm. Prax. Chymiatricam*, ſub qua commovetur camarina Cacochymiæ; unde tunc Menſes partim curant, partim præſervant multos Morbos Chronicos. Si ergò commovetur camarina ſub Lactatione, exinde Lac tunc temporis alteratum, & ſimilem fermentativum concipit motum, qui & turbat Infantis primam Digeſtionem, & vitalem Sanguinis Fermentationem vitiat, Fœtum lædit, & eundem ægrotum reddit; forſan ſimili quodammodò ratione, atque quando Adulti Cereviſiæ potui vel Vini aſſueti, ex potu talis liquoris adhuc nonnihil fermentantis, ceu extraordinariè affecti ſubinde non leviter læduntur. Imprimis inſigniter alteratur Lac, ſi furtivâ Nutrix utatur *Venere*, aut clanculùm denuò fuerit *imprægnata*, corrumpitur hinc Lac, & horridam quodam modò acquirit impreſſionem, Fœtui nocivam; unde iſtud nauſeat Infantis Stomachus, ut ſubinde ſponte ſe ablactent Infantes: id quod & in Brutis obſervabile eſt; ut curioſo Exemplo obſervatum à Græfio *de Organ. Virorum Genital. p.* 126. de Cane Felem lactante. Lac ita depravatum, ne dicam corruptum, ab Infante hauſtum, tanquam hoſtile, aut in ejus Stomacho in peregrinum Caſei coagulum abit, tenello Infantis Stomacho mirè infeſtum, adeò ut eidem exinde Stigma, *Caſei averſatio* multis familiaris, & per totam vitam durabilis, imprimatur; aut Lac aliâ ratione in Liquamen dulce putridum, flaveſcens, &c. alteratum, Diarrhœas, Maciem, ac modò dicta Mala infert. Ob id & Medicorum eſt præceptum, toto Lactationis tempore Nutrices à Coitu abſtineant; unde etiam Lactantes Matres à redditione Debiti excuſat, propter inſignia Fœtûs nocumenta, Paulus Zacchias *loco ſupra citato*. Quòd verò ex alteratione Lactis poſt Imprægnationem, & inde in Stomacho ejus factâ caſeatione, oriatur averſatio Caſei, poſtmodùm per totam vitam durabilis, præ cæteris elegantер deducit Martinus Schoockius *Tr. de Averſione Caſei*, & Illuſtris Digby *Tr.* ſatis accurato & eleganti Phyſico, de *Immortal. Animæ hum.* uti & *de Nat. Corpor. cap.* 38. *pag.* 437. & denique Schottus *in Phyſ. Curioſ. cap. peculiari* prolixiùs *de Averſatione Caſei pag.* 534.

CURA.

*Lactis* hæc & *Lactationis vitia* aut errata ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, facillimè quivis corrigere valet; Nempe ſemper habeatur reſpectus, ut omnis ejus ſub Digeſtione primâ oriunda *vitioſa Aceſcentia*, hincque grumoſa *Coagulatio*, ceu familiariſſima vitia, quantum poſſibile, præcaveantur. Unde in Infantum Curis vel maximè Nutricum habenda eſt ratio, cùm peccatorum earum pœnas ſæpiſſimè luant Infantes inſontes. Propterea à Mulieribus vel Nutricibus commendatiſſimus ſit uſus *Aniſi* & hinc *Fœniculi*, ſive Semina eorum poſt ſingulos paſtus comedantur, ſive Radix ſaltem & Herba Fœniculi quacunque ratione uſurpetur, & ex his parata Medicamenta: nam præter Lactis ubertatem, etiam ſaluberrimam vim, & corruptioni minùs obnoxiam, ipſi ſimul conciliant aromaticâ volatili oleosâ naturâ vitioſam & prærnaturam lactis Aceſcentiam & Coagulationem prohibent & corrigunt; quin & *Tormina & Flatus* Infantis feliciter tollunt, blandèque Inteſtina abſtergendo Infantes laxant: Caveat Nutrix ſimul ſedulò, ne Aquæ frigidæ diutiùs aut crebriùs Manus immergat, vel ne crebriùs Pedibus nudis in loco frigido ambulet, & ſtatim ab hoc Lac Infanti infundat: ſic enim ſtatim Lac in Mammis alteratur, nec Infantes tantùm, ſed & ipſa Nutrix, Ventris Tormina ſolent pati.

Quòd ſi *inopinato Terrore* percuſſa, vel *Irâ* commota fuerit Mulier vel Nutrix, Lactiſque graviorem alterationem metuat, primò omne Lac ex Mammis priùs emulgeat, poſteà aſſumat *Spermatis Ceti* ʒß. ad ʒj. cum *Lapillorum Cancrorum*, vel *Antimonii Diaphoretici*, vel *Coralliorum* gr. xv. ad ℈j. in hauſtu Cereviſiæ calidæ, & ad blandum Sudorem ſe componat, quo omnis Lactis corruptela ſic emendetur; Sperma Ceti enim quemcunque Grumum & quodcunque Coagulum Lactis promptè diſſolvit.

Vel

℞. *Cornu Cervi ſine igne* ʒß.
*Salis Card. bened.* gr. xv.
M. F. Pulvis: S.
Reſolvens Pulvis Sudoriferus.

Capiat in Aquâ Florum Sambuci, blandum Sudorem expectet.

Vel in *Tumore*, *Dolore*, *& Duritie* ſuperveniente, & ita *Inflammationis* metu:

℞. *Cornu Cervi ſine igne* ℈j.
*Antimonii Diaph.* ℈ß.
*Sal. vol. Cornu Cervi* aut *Viper.* gr. viij.
M. D. S. ut antè.

Vel horum loco Spiritum Salis Ammoniaci à ʒß ad ʒj. in Aquâ Cardui benedicti hauriat, & Sudorem plùs minùs largum expectet, imponendo ſimul Mammæ in leviori quidem Affectu Emplaſtrum de Spermate Ceti *Mynſichti*: in graviori verò, inducendo Mammæ Emplaſtrum de Galbano Crocatum *Mynſichti*, cum ana Gummi Ammoniaci, in Aceto deſtillato ſoluti, invicem liquefactis, & Linteo denſo inductis, confectum, quàm calidè perferre poteſt: utroque in caſu deſuper Sacculum interpaſſatum ex Oryzâ confectum probè calefactum imponatur, ut per Sudorifera iſta Alcalina diſſolutum Lac horum adjumento promoveatur in motum, & ſtagnatio ejus ac grumeſcentia ita corrigantur maturè. Aliud Emplaſtrum, Lactis Coagulationem à Terrore præcavens, habet Sylvius *in Praxi pag.* 387. §. 45.

Uti autem in Infantibus adhuc lactantibus imprimis habenda eſt ratio Corruptelæ Lactis, & inde natorum Liquaminum multiplicium, in ſpecie Cru-

ditatis acidæ; ita in Infantibus ablactandis habenda quoque eſt ratio Digeſtionis primæ, & propter voracitatem ſeu addiphagiam cumulatorum Excrementorum acidorum viſcidorum, unde Morbi Infantum ablactatorum maximam partem oriuntur, ad quæ in Curâ primariò reſpiciendum venit.

*Nævi Materni*, cùm ſibi relicti, imprimis profundiores, ad ultimum vitæ terminum remaneant, & ad reliquarum Corporis partium modum adaugeantur, maturam requirunt *Curam*: pro quo optimum Remedium eſt Secundina, ſive propria, ſive alîus Fœtûs, ſi eâdem adhuc cruentâ & calidâ Nævus mox à Partu aliquoties fricetur; ſicut & Puelli mortui attactus & quidem ſæpiùs admiſſus, à multis laudatur. Quidam requirunt Secundinam Primiparæ & Puellum primogenitum, ſed non neceſſe eſt, modò ſæpiùs repetatur. Lintea etiam Sanguine Menſtruo tincta ſufficiunt, quibus Nævi probè fricandi: Ganglia enim hiſce Linteis curata vid. Helmontius laudat frictionem cum Pomis redolentibus, de qua vid. *Tract. de Magnet. Vulner. Curat.* Italis contra hos Nævos Bufones cruſtatos, ſeu *Teſtudines*, tanquam ſecretiſſimum Remedium commendant, Sanguinem Linteolis exceptum applicando, & ſimul particulam Carnis imponendo. His non juvantibus ad *Corroſiva* magis accedendum, v. g. Aquam Divinam *Fernelii*. Huc etiam pertinet Sinapi maſticatum, cum quo pars defœdata frequentiùs fricanda. Ubi verò integra Corpora excrevere, eaque majora, propriis Vaſis ſanguiferis & Nervis majoribus inſtructa, per conſtrictionem & abſciſſionem ſunt auferenda.

Quoad *Ablactationis Tempus*: lactet Infantem Mater præterpropter *annuo ſpatio* (O); ablactandus poſtmodùm venit commodiſſimè Verno & Autumnali tempore poſt Æquinoctia, idque potiùs creſcente Lunâ, quàm decreſcente. Sub alteratione hac maximè læduntur Infantes à Potu nocturno Cereviſiæ, vel aliorum liquidorum; hinc enim Stomachi atonia, inflatio totius Abdominis, Diarrhœa, & mille Mala ſuperveniunt: Propterea Potui nocturno ſemper aliquantulum Eſſentiæ Abſinthii addendum, partim ut amarore hujus deterreantur ab ulteriore Potu, partim ut hoc modo medicatus ipſe Potus Ventriculo & primis viis medicamentoſus evadat, nec ampliùs noceat. Sin verò ſupra dicta Mala ex Potu nocturno jam orta ſint, corriguntur optimè, pauxillum Vini Malvatici propinando: externè verò Sacculum ex Menthâ, Roremarino, Angelicâ, Caryophyllis, Mace, & ſimilibus Aromaticis, confertim Abdomini applicando.

## ARTICUCUS II.

### *De Vitiis Pultis.*

HÆc vitia Lactis fuere, reſtant adhuc *Errata Pultis*, ceu ſecundum genus eorum in Aſſumptis.

Sunt hæc potiſſimùm

1. *Præparatio.*
2. *Propinatio.*

Quoad 1. deteſtor in Pulte imprimis *Farinæ crudæ* uſum, quæ vel cum Aquâ ſimplici, vel cum Lacte ſubacta, & cocta, ac in Pulmentum viſcidum, craſſum & glutinoſum, &c. redacta, quid aliud dabit, quàm Paſtam tenacem, crudam & viſcidam, utiliorem Bibliopegis pro glutinandis chartis, quàm Infantibus pro Nutrice? Jam verò notum eſt, quòd Farina quæcunque cum Aquâ ſufficienti ſubacta, & in loco tepido aſſervata, ſponte ſuâ & facilè incipiat inſigniter aceſcere, & hinc fermentare, atque ſpumosè turgeſcere, etiam citra Fermenti additionem: quid jam fiet in Stomacho Infantis, quem talis Puls ingreditur, & poſtmodùm Lac butyroſum ſuperfunditur? Ex hoc nempe præternaturali & Stomacho peregrino Pultis Acore emergit Materia acida, viſcida, cui ſuperingeſtum Lac mox corrumpitur, & in Grumos caſeoſos coagulatur, adeoque Digeſtio prima exinde depravatur inſigniter. Siquidem ob Fermentationis Farinæ in Panificio pro Adultis, etiam ſummè neceſſariæ defectum, difficillimæ eadem Paſta exiſtit Digeſtionis, quia laborioſæ in Ventriculo Fermentationis. Conſiderate ſaltem, quòd Panis ex quacunque Farinâ confectus, non ritè fermentatus, ac ita pro Digeſtione ſtomachali faciliùs ſuſpiciendâ, & in aliis unà aſſumptis promptiùs adjuvandâ ineptus, ex defectu Acidi ſpirituoſi volatilis, crudam Farinæ mucaginem reſolventis & volatiliſantis, Adultis maximè ſit noxius, & quàm fœcundus ſit genitor Morborum Chronicorum; quod præter quotidianam Experientiam, vel muliebris loquitur ſexus, ex talis Panis eſu Menſtruorum patientes defectus & Cachexias: ut pluribus videri poteſt Kergerus *de Fermentat. Sect. 3. cap. 2. pag. 216.* & Schoockius *de Ferment. cap. 2. & 3.* Quid ergò fiet, ſi edamus Panem ex Farinâ crudâ cum Aquâ ſubacta? Aſt robuſtus eſt Adultorum ex ſpirituoſiori ac acriori Fermento Stomachus, debilis econtrà Infantis. Ingerat quis tale Pulmentum glutinoſum & viſcidum Infanti, & ſuperaffundat Lac Butyro & Caſeo pingui turgidum, quidni talis Puls Infantibus erit admodùm nociva? tenax nempe & glutinoſus, Stomacho ponderoſus vitioſoque Acore intensè tinctus emerget Mucus, mille malorum in Junioribus talibus fœcundus parens. Potiùs ergò Farinæ talis pro meliori Digeſtione fermentativâ præparatio extra Corpus præmittatur, quàm quòd tanto ſanitatis periculo eadem in Stomacho demum inſtituenda ſupponatur. Perſpexerunt hoc, & rejecerunt ob id tales Pultes jam olim plures inſigniores Medici, uti de hoc videri poteſt Welschius *de Venâ Med. ſeu Dracunculis Veter. Excitat. de Verm. capill. Infantum pag. 261.* Conf. ſimul Hildanus *Cent. 6. Obſerv. 34.* qui periculoſiſſimam Pylori obſtructionem, à tali ſpiſsâ Pulte natam, obſervat.

Quoad 2. poſt Pultis Præparationem culpo etiam ejus *Uſurpationem*, dum conſuetæ ſunt Mulieres vel Nutrices, ut Pultem priùs ingerant in proprium Os, & cum Salivâ ad debitam fluiditatem ſubactam poſteà in Os Infantis intrudant. Conſideremus ergò *Salivam*, & ejuſdem ſingularem fermentativam vim, à Modernis ſufficienter declaratam, (ratione cujus proficua ſanè eſſet ejus cum Pulte miſcela, ſi exactè ſana Nutrix eam inſtitueret) quàm promptè ſub ejus vehiculo, ratione hujus virtutis fermentativæ etiam Morbi contagioſi promptiſſimè ſoleant communicari, & propagari in

(O) Nota Cyrilli. Ablactationis tempus *deſignat ipſa Natura*: *cùm enim Infantum dentitio eo uſque promota eſt, ut facilè poſſint ſaltem molliora cibaria prævia maſticatione deglutiri, tunc quidem ablactandi ii ſunt. Quòd ſi anni ſpatio non integrè acciderit (ut apud nos familiare eſt); tunc à Nutricum Mammis arcendi non ſunt Infantes, ſed ad ſecundum annum, & ultrà, ſi opus fuerit, Lactationis opus producendum.*

in distans; ob id minùs istam Nutricis delibationem permittere possum, cùm exinde facillimè ad morbosam corruptelam Puls disponatur, imprimis si tantillum scorbutici Fermenti Gingivas & Salivam inquinaverit. Si ergò Saliva talis Nutricis vel tantillo Cacochymiæ vel Scorbuti est inquinata, eo etiam inquinat Infantem; cùm tamen per se Puls sit satis nocens.

Supereſt Pultis *Correctio*, quæ consistit in eo, ut loco Farinæ sumatur *Panis triticeus*, vel, ut vocant, *similagineus*, qui nonnihil exsiccatus vel induratus, probè tritus, cum Lacte, vel cum Aquâ, adjecto Vitello Ovi, in Pultis consistentiam mollem coquatur, tantillum *Seminis Anisi pulverisati* superaddendo. Experientia me hactenus docuit, talem optimè conducere tenellis, & ubertim eos nutrire, variaque mala præcavere. Nempe fermentatus Panis similagineus, adeòque facilè resolubilis, promptiùsque in Stomacho digestibilis, melior est, quàm Pasta farinacea cruda, unde salubriores fiunt Pultes. Pauciores enim sic elevabuntur Flatus, & Mucus erit longè liquidior post ejus usum, & minùs viscidus, qui etiam faciliùs potest abstergi, quàm è communi Pulte fieri solet. Sed etiam non nimiâ quantitate propinetur Puls, verùm tantum saltem, quantum citra coactionem absumit Infans.

Quibus hactenus dictis ritè observatis, nullum est dubium, quin Infantes Vitam sanam sint conservaturi diutiùs.

## CAPUT V.

### *De Morbis Infantum Præcipuis.*

SEd quàm facilè hæc imperantur, quæ tantumnon impossibilia sunt, ut observentur, idque tam à Matre, quàm à Nutrice; non poterit tamen tam rigorosum Regimen institui, quin propter multiplices circumstantiarum varietates colligatur tandem *Succus acidus*, copiosior vel parcior, acidior vel temperatior, viscidior & pituitosior vel serosior; unde *Morbi Infantiles* plerique successivè propullulant. Sub hoc enim Nutritionis cursu frequentissimis tenelli obnoxii sunt Ægritudinibus, quæ & ipsæ post Ablactationem non statim desinunt, quin interdum factâ Ablactatione demum se prodant, ob errores circa Nutritionem commissos. Primitùs *Intestinorum Tormina* frequentissimè cruciant illos, cum quibus *Excreta Alvi* à consuetâ Flavedine subinde deflectunt, & obscuriori Colore, subinde viridi omninò, *Porraceam* vocant Practici *Bilem*, tincta apparent: quin & cum hoc peregrino Colore (rariùs sine eo) eadem ipsa non in debitâ fluidâ æqualiter permixtâ Consistentiâ cernuntur, sed in parvos quasi Grumulos discerpta procedunt: præter quas vitiolas Excretiones & copiosior Alvi Fluxus seu *Diarrhœa* non rarò eos delassat. Juxta has Passiones, & *Vigiliæ* pertinaces maximè necessariam Junioribus somnolentam quietem tollunt, aut interrupti *Pavores* eandem turbant, prodromi scilicet gravioris *Mali Epileptici*, cui vel maximè ista Ætas est obnoxia, sive interiores Abdominis tantùm convellantur partes & Thoracis (quod nostrates vocant *Epilepsiam in Corpore*) sivè externa concutiantur Membra. *Hypochondriorum* præterea *flatulenta Intumescentia*, Tumorque Præcordiorum angustat eosdem, non minùs quàm *difficilis Respiratio Tussisque* perquàm vel ex eo molesta, quòd aut nesciant aut nequeant rejicere ea, quæ ad Tussim proritant, nisi repetitus *Vomitus* sponte Naturæ vitiosa auspicatò eliminet. Utut autem Viscerum & Membrorum mollis extensilitas aptissima sit pro uberiori augmentante *Nutritione*; crebrò tamen exarescunt potiùs, aut deficiente Nutrimento *Atrophiâ* laborant, aut, nutriantur licèt, vitio tamen hujus nutritii Succi prava non rarò efflorescunt *Tubercula*, in *Ulcera* sanioſa, & Cutaneas partes instar *Favorum* in Mellificio exedentia, aut *Tineæ* instar Cranii tegmina erodentia: quibus Malis nec *Linguæ* artificiosus Musculus, nec *Palati* concamerata structura carent, quin Ulcusculis, *Aphthis* appellatis, infestentur. Ut nihil dicam de *Febribus* variis, in specie Lentis, item de *Variolarum*, & *Morbillorum* contagioso insultu, musteum tenellorum Sanguinem, non minùs quàm paulò adultorum magis, febrili turgescentiâ & tantùm non effervescentiâ turbante. Supervenit tandem & *Dentitio*, dolorosa eadem, & pessimorum Symptomatum concitatrix: non secus ac *Intertrigo*, sive Cuticulæ tenerrimæ hinc inde facta excoriatio. Ac ne Malorum aliquid desit, *Lumbricorum* incondita turba, quibus non malis mulctat Infantes? in Intestinis qui hospitantur, dum *Crinones* seu Capillares Vermiculi intercutanea loca catervatim inhabitant.

Talis tantaque Malorum strages imminet Pueris, ut rectè cum Plinio *in Proœm. lib. 7. Histor. Natural.* dicendum sit: *à suppliciis vitam auspicatur Homo, unam tantùm ob culpam, quia natus est*: aut asserendum cum sapiente Solone: *Homo est putredo in exortu, Bulla in omni vita, esca Vermium in morte.*

## CAUSA PROXIMA.

Detectis hactenùs remotioribus Causarum morbificarum Fontibus, dum exactiùs consideramus omnia hæc vitia, & nocendi rationem proximam, seu rationem causandi, perspicuum evadit, *Succum vitiosè acidum*, nunc *viscidum*, nunc *aqueo-serosum*, defectu primæ Digestionis in Ventriculo, ejusque in Intestino Duodeno perfectionis, adeòque ex Cruditate acidâ coacervatum, esse *Causam Proximam*, & *radicem* omnium ferè *Affectuum Infantilium*. Hunc, sive *Galenicorum* Pituitam acidam, sive *Paracelsistarum* Sal acidum, sive Tartarum fæcalem appellare velitis, mihi perinde est; simus namque in verbis faciles, modò in rebus conveniamus. Nempe omnia *vitia Lactis* in Stomacho concurrunt, inque eo magis alterantur, & in *Coagulum acidum* abeunt, idque eò magis, quò copiosiùs aut inordinatiùs ingeritur: hinc spissescit, & factâ per Coagulum Seri à Contentis separatione, Casei cum Butyro pernicioſus Grumus nunc in Stomacho, nunc in Intestinis subsidet, & plùs minùs pertinaciter agglutinatus hæret; unde oriundus Mucus impensè acidus & ponticus originem ducit: id quod Excreta inde per Alvum viridia, seu porracea & æruginosa, quasi grumosa, & quamplurimi Morbi, sufficienter declarant, dum præter Tormina, sæpè corripiuntur Epilepsiâ, Flatibus, inflatione Præcordiorum, Convulsionibus, Pustulis, Achoribus, Favis, Morbillis, Variolis, Atrophiâ, &c. Confert huc suum symbolum *Puls farinacea* cruda & viscidâ facilè acescibilis, una cum retento & plùs minùs corrupto *Meconio*, unde ex conditione loci, hoc est Stomachi calidi, & ratione Contentorum, uti & Ingestorum lacteorum & pultaceorum, intensus Acor necessariò & de facili oritur; qui nunc Materiâ viscidâ irretitus in primis viis suas ludit tragœdias; nunc Vehiculo aqueo seroso & lymphatico ulteriùs distributus, etiam aliis & remotis in locis mille Malorum existit artifex: Clara hæc evadunt sponte, modò superiùs explicata probè consideremus, in specie quæ de

de retentione Meconii, vitiis Lactis & Pultis, dixi. Confirmat etiam hoc Medendi ratio, quæ ordinario & optimè inſtituitur per *Alcalia*, tam *fixa* quàm *volatilia*, in ſpecie per *Salia volatilia*, *Aromatica oleoſa*, Infantibus optima Remedia, quæ *acidum* deſtruunt, & *ſeroſum* evacuant.

Hæc tamen non ita intelligenda ſunt, ac ſi hæc quaſi ſolitaria ſint *Cauſa Proxima* horum Affectuum, ſed quòd etiam ſubinde, rariùs tamen, alia Errata in Corpore tenello obſerventur; ubique enim excipiendi ſunt *Morbi Hæreditarii* utut occaſione tali ſubinde maturiùs expergiſcantur, uti & à *Lactantibus* tranſplantata *Morborum Seminaria*, aut aliorſum hauſta *Contagia*. Prætereà *Lac* in ſui corruptione mille larvas induit, mille inde nocendi artes: non tantùm dum adhuc in Mammis turget, ſed in ſpecie, dum nunc in Stomacho, nunc in Inteſtinis à *Bile* & *Succo Pancreatico* diverſimodè alteratur, ſubinde à reſtitante Meconio ſimilibuſque excernendis inquinatur, quin & propriâ ſponte de facili corrumpitur, unde diverſimodè dulceſcit, amareſcit, colliqueſcit, virideſcit, liveſcit, putreſcit, vermineſcit, aliaſque quamplurimas peregrinas adſciſcit ſibi qualitates: nam & jam in tenellis ſexcenta, ſeu potiùs infinita Hippocratea, de quibus *Autor libri de Priſcâ Medicinâ*, locum inveniunt. Unde tam in Abdominis Viſceribus, quàm Maſsâ Sanguineâ, & inde derivatis reliquis contentis Liquoribus activis, quam plurima præternaturalia nocumenta præſtò adſunt; Utut frequentiſſimum & familiariſſimum ſit nocumentum, ſi in *Coagulum acidum* aut *Cruditatem acidam* abeat.

Verùm hoc quibuſdam Paradoxum videtur, Infantibus tenellis ſemilacteis, adeoque dulci rore chyloſo ubique perfuſis, ex Lacte dulci primitùs concretis, & eodem cum Pulte inſipidâ dulci enutritis peccare poſſe *Acidum* adeò nocivum, & ſubinde exceſſivum, à quo tam tetra ſuperveniant Symptomata. Sed clarius redditur facilè totum negotium, modò conſideremus *Aſſumpta* tam Matris Utero geſtantis, quàm Nutricis lactantis, & poſtmodùm ipſam naturam Lactis, tum facilè patebit, quòd ſubinde Acidum, etiam ſatis exceſſivum, in Fœtu tenello poſſit congeri. Frequens eſt, ut Mater & Nutrix ex dictamine Appetitûs ingerant manifeſtè Acida; ſed poſito, non veſci talibus, certum tamen eſt, Matrem & Nutricem veſci ſaltem Pane, & bibere Cereviſias: Jam verò *in Pane omni*, in ſpecie ſecalino, *ſemper adeſt Spiritus acidus*, volatilis tamen, ſaluberrimus quidem in ſe, ſed adeò potens, ut etiam duriora corpora, v. g. Corallia, Vitrum Antimonii, Martem, Saturnum, aliaque rodere & diſſolvere queat. Jam verò Panis cum aliis Aſſumptis etiam Materiam Lacti ſuggerit; unde hic ipſe Acor, quamvis in Stomacho ſub Digeſtione, & in jejuno ab Alcali Bilis, alteretur plùs minùs in Salſum volatile; nihilo minùs adhuc in Lacte occultus hæret, qui per ſe quidem eſt innocuus, datâ tamen occaſione facilè denuò ſe exſerit & operatur, & dicta Mala Infantibus infert; hinc enim tam facilis Lactis aceſcentia, & Aſſumpta acida, Matri ac Nutrici innocua, tamen Infantibus per Lac reverà ad guſtum dulce, ſunt torminoſa, & vel maximè hoſtilia. *Cereviſiæ* quoque facillimè aceſcunt, cùm modica Lupuli pinguis aromatica conditura non ſemper ſufficiat, quin tandem aceſcat. Si ergò Cereviſia novella, vel à fæcibus nondum ſufficienter depurata, fermentando in Stomacho facillimè aceſcens, aut Cereviſia inveterata jam non nihil acidula à Nutricibus ſubinde ingeratur, facilè in his ſuo Acore Lac inquinat, ut conſequenter in Fœtu quoque evigilando, Lacti dictum Acorem poſſit inferre. De cætero his ipſis vix ulla eſt cura, quantum ſua Aſſumpta Fœtum aut Infantem afficiant, utut earum delicta diu pòſt demum luant Infantes, idque datâ qualibet occaſione, ut plurimùm per Epilepſiam, ut ſuprà monitum. De *Fructibus horæis*, efferveſcibilibus facillimè, *Acetariis* & ſimilibus, Gravidis pariter ac Lactantibus, citra reflexionem in Fœtum familiariſſimis, res nota eſt. Adeò ut Acidum ſit, quod Morborum Infantilium frequentiſſimus eſt autor: ſicut Subjectum ejus viſcidum, eos contumaces ſubinde reddit, aut crebriùs recidivantes; Vehiculum verò aquoſum etiam in remotioribus locis, & extremâ Corporis peripheriâ eoſdem propullulare facit.

## CURA IN GENERE.

Pro horum correctione, & inde natorum Morborum Curâ, in genere, Remedia talia conveniunt, quæ *Acidum abſorbent* vel *deſtruunt*, *Viſcidum incîdunt*, ſeu attenuant, & utrumque pro ratione occaſionis, tam per *Urinam*, tam *inſenſibilem Tranſpirationem*, quàm per *Alvum* evacuare, primaſque vias ſeu Fomitem morboſum abſtergere valent. Adeoque mox à Nativitate propinanda ſunt, & ſubinde repetenda Remedia *Temperata*, his Indicationibus ſatisfacientia: inter quæ prima ſunt ex Animalium partibus parata *Salia volatilia*, in ſpecie *oleoſa*, quæ optimè Acidum corrigunt, & in Salſum alcalinum blandum tranſmutant, diureticum pariter & diaphoreticum; quin etiam penetrando potentiſſimè attenuant & reſolvunt quaſcunque obvias Cruditates viſcidas, & ſic Lac ſalubre & à corruptione præſervant; unde *Spiritus Salis Ammoniaci* vel ſimplex, vel cum Aromatibus deſtillatus, ſicque factus oleoſus, item *Spiritus Salis Ammoniaci aniſatus* & *caryophyllatus* convenit. Optimè etiam conveniunt aliquot guttæ Spiritûs Cornu Cervi, & quem mille encomiis extollo pro curandis Infantibus, *Liquor Cornu Cervi ſuccinatus* à B. *Doctore* Michaelis primitus in uſum vocatus, & hactenus mille experimentis multis in caſibus Adultorum pariter ac Juniorum utriuſque ſexûs comprobatus. Hæc enim Salia volatilia hoſtiles Acores altiùs in Corpus tenellorum penetrantes, & inde ortas Convulſiones & Epilepticas paſſiones corrigunt & ſedant, eorumque declinantem Sanitatem firmant: hinc etiam Spiritus Cornu Cervi ſuccinatus, puſillo ad duas vel tres, Infanti unius anni ad ſeptem vel octo guttulas, eſt expertum Remedium in Epilepſiâ Infantum. Paratur modò laudatus Liquor ex Spiritu Cornu Cervi & Sale volatili Succini, ab omni oleoſitate empyreumaticâ crebrioribus cum Aquâ & Spiritu Vini ſolutionibus, & inde ſublimationibus, purificato, ana quantum ſufficit, ut imbibat & ſolvat intimè dicta Salia: quæ Miſtura, utut efferveſcat primitùs, cùm Succini Sal volatile Acidum ſuaviſſimum admodumque delicatum conjunctum habeat; brevi tamen amicè coëunt, & digeſtione debitâ ac cohobatione reiteratâ Liquorem hunc commendatiſſimum conſtituunt. Nec eſt, quòd generoſa nimis nimiſque graduata pro Infantibus putemus *Salia volatilia*; nam circumſpectus uſus in Lacte Nutricis, vel in *Aquâ* aut *Syrupo Menthæ*, *Fœniculi* &c., & limitata ad guttulas ſaltem doſis, optimè poteſt accommodari tenellis pariter ac paulò robuſtioribus Infantibus; & licèt, dum propinantur Infantibus, mirè mutentur, nemo tamen interit; mox enim ad ſe redeunt, & aliquot doſibus repetitis iiſdem quatenus conſuetis minùs ſolent angi. Miratus ſum ſæpiùs, à quibuſdam vel præconceptis Opinionibus excæcatis, vel Experientiâ debitâ

debitâ deſtitutis Medicis, cum pavore quaſi audiri Salium volatilium mentionem, ſpeciatim pro Infantum Curâ, cùm tamen ſub legitimo & circumſpecto uſu Dei manus eadem vocanda exiſtimem. Volatilibus hiſce Alcalibus & Fixa per Spiritum Vini temperata in ſolutiones tinctas etiam ſubjungenda erunt, imprimis Tinctura Tartari, & Tinctura Scoriarum Reguli Antimonii.

Præter Salia hæc volatilia acriora & aromatica, conveniunt etiam Infantibus ægris ſubjecta alia Aromatica & Oleoſa, ſuo volatili Sale non deſtituta. Inter hæc eminet *Aniſum*, ejuſque Semen pulveriſatum; quod recens, doſi ℈j. ad ℈ß. aromaticâ vi vitioſas aceſcentias corrigit, & inde productionem Flatuum impedit, blandeque Inteſtina abſtergendo tenellos laxat; ſicuti commendatur ab Heurnio *in Meth. ad Prax. lib. 2. cap.* 26. Juxta hæc *Caſtoreum* benedicta eſt Medicina, mirè temperans Acidum auſterum, & quaſcunq; Convulſiones & Tormina leniens. *Myrrha* quoque omnem corruptionem & acorem tollit, & balſamicâ vi quamcunque corruptionem putredinalem inhibet, indeque ab Helmontio commendatur *Tr. Arcan. Paracelſ. pag.* 626. Unde Paracelſus ipſe *in Conſil. Antipeſtil. Sterzingenſ.* Myrrham Junioribus & Infantibus, ceu optimum Peſtis præſervativum, commendat. Præterea *Tinctura Salutis B. Doctoris Langii* ex Myrrhâ cum Spiritu Vini tartariſato vel Tincturâ Tartari parata, ſalutare eſt Pueris Remedium, corrigens Acidum, & reſolvens Viſcidum; loco cujus etiam *Spiritus Salis Ammoniaci*, cum Spiritu Vini paratus pro Menſtruo pro eliciendâ Eſſentiâ *Myrrhæ* capi poteſt. Facit huc etiam *Elixir Proprietatis ſine acido* paratum, per Alcalia nempe, vel fixa, ut Sal Tartari, & hinc diſſoluta cum Spiritu Vini, vel volatilia, cum Spiritu Salis Ammoniaci: hoc ipſum enim iis, qui adhuc Lactis gaudent nutrimento, mirificè conducit; ſicut poſt Ablactationem id, quod cum Acido conſueto modo vulgò conficitur, tutò concedi poteſt.

Hiſce Acidum corrigentibus Volatilibus, partim Salinis, partim Oleoſis, adjungenda ſimul erunt denique *Concreta quaſi terrea & paulò fixiora*, Acidum, quod talia rodit, in ſe abſorbentia: qualia ſunt imprimis *Marina* ſeu *Aquatilia*, ut Lapilli Cancrorum, & cum his, vix nobilioris uſûs, Margaritæ præparatæ, Maxilla Lucii piſcis, Unicornu verum præparatum, Dens Hippopotami præparatus, Corallia rubra, &c. in genere etiam quævis *Animalium* partes duræ, ut Cornu Cervi, tam communi modo, quàm ſine igne aut philoſophicè, ut vocant, uſtum, ut & Ebur ſimili modo tractatum, &c. ex quibus decantatus *Pulvis Marchionis* ferè eſt compoſitus, qui ad *Tormina & Epilepticos Inſultus* Infantum Mulierculis eſt uſitatiſſimus: item *Mineralia Abſorbentia*, in ſpecie Cryſtallus, Terra ſigillata, Antimonium Diaphoreticum, Lapis Bezoar animalis. His denique *pro ſcopo Anodyno* aut Theriacæ aut Mithridatii, anniculis gr. i. vel grana ij. pro unâ vel duabus doſibus, aut Cinnabaris Antimonii, aut Pulvis Epilepticus antimonialis, addi poſſunt. Nec eſt, ut Theriacæ aut Mithridatii vel caliditatem vel narcoſin opiaticam metuamus, modò à grano dimidio ad gr. i. vel ij. pro ratione Ætatis propinetur; quin & Acida vitioſa temperent, & inde illatas noxas doloroſas blando Sopore fallant. *Opiata* autem nimis generoſa nocent Infantibus, tam ante quàm poſt Ablactationem, *jacent ibi ac ſi mortui eſſent*: Conf. Panarollus *Pentec.* 2. *Obſ.* 27. V. g. loco Pulveris Epileptici *Marchionis* etiam feliciter uſurpari ſolet *Pulvis* pro Pueris polychreſtus ſequens:

℞. *Lapill. Cancr. præp.* ℈ß.
*Cornu Cervi ſine igne* ℈j ad ℈ß.
*Corall. rub. præp.* ℈ß.
*Myrrh. el.* gr. vi. vel ix.
*Ther. Androm.* gr. iij. vel iv.
*Ol. deſtill. Aniſi* gutt. iij. ad vj.
M. f. Pulvis: S.

Pulvis Infantum contra Tormina.

Vel

℞. *Cornu Cervi ſine igne* ℈j.
*Lapill. Cancr. præp.* ℈ß.
*Myrrh. el.* gr. vi.
*Ol. deſt. Aniſi* gtt. iij.
M. f. Pulvis: S.

Pulvis pro Pueris.

Vel

℞. *Lapill. Cancr. præp.* ℈ß.
*Corall. rub. præp.*
*Cornu Cervi ſine igne* an. ℈j.
*Salis Card. ben.* gr. xij.
*Theriac.* gr. iv.
*Ol. deſtill. Aniſi* gutt. vj.
M. f. Pulvis.
D. S. ut ſuprà.

Vel

℞. *Lapill. Cancr. præp.* ℈ij.
*Salis Abſinth.* gr. xij.
*Myrrh.* gr. vi.
M. S. ut antè.

De his, quantum ſufficit, in Lacte Matris vel Nutricis, vel in Pulte, vel alio Vehiculo, Infanti propinetur: & loco Salis Cardui benedicti vel Abſinthii grana quædam *Salis volatilis Cornu Cervi*, vel *Salis volatilis Cranii humani*, vel *Viperarum* permiſceri poſſunt; erit enim ſic uſus ejus longè ſalubrior, magiſque præſentaneus: E. g.

℞. *Lapill. Cancr. præp.* ℈ß.
*Cornu Cervi ſine igne* ℈j.
*Unic. veri præp.* gr. xv.
*Salis volatil. Cornu Cervi* vel *Cran. hum.* gr. ix.
*Theriac.* gr. iij.
*Ol. deſtill. Aniſ.* gutt. iv.
M. f. Pulvis.
D. S. ut ſuprà.

Vel

℞. *Cornu Cervi ſine igne* ℈ß. ad ℈j.
*Lapill. Cancr. præp.*
*Corall. rub. præp.* an. ℈ß.
*Salis vol. Cornu Cervi* gr. vj.
*Theriac.* gr. iv.
*Myrrh. el.* gr. iij.
M. f. Pulvis: S.

Pulvis pro Infantibus Sanguinem mundificans

Item *Mixtura* polychreſta:

℞. *Aquæ Flor. Samb.* ℥ij.
*Spir. Sal. Ammoniaci* gtt. xij. ad xv.
*Cornu Cervi ſine igne*,
*Maxill. Lucii piſc.*
*Unic. veri præp.* an. gr. ix. ad ℈ß.
*Syr. Papav. albi* vel *Diacod.* ℥iß. ad ℥ij.
M. D. S.

Potio Leniens contra Tormina.

Temperatus ſic partim, partim reſolutus Mucus acidus viſcidus, neceſſe interdum eſt, ut foràs eliminetur, idque per Alvum imprimis, obſtetricante Naturæ defectibus Arte. Optatam hîc ferunt opem *Clyſmata*, imprimis cum *Sale Tartari* aut ſimili lixiviali acuata, quæ Mucum in craſſioribus Inteſtinis reſolvunt, optimèque deducunt; & ſtimulo reliquis Inteſtinulis ita injecto, cætero Muco deſcendenti vias patentiores reddunt. Optimè parantur ex *Decocto Florum Chamomillæ*, v. g.

℞. *Decoct. Flor. Chamomill.* ℥j. vel ℥iß. ad ℥ij. pro ratione Ætatis,
adde
*Mell. Rutac.* ℥ß.
*Sal. Tartari* ℈ß. ad ℈j.
*Ol. deſtill. Aniſi* gutt. iij. vel iv.
M. Pro Enemate:
D. S.
Clyſma Abluens.

Quod injectum feliciter operatur. Vel

℞. *Decoct. Emoll.* ℥ij.
*Ungu. Clyſmat.* ℥iij.
M. pro Enemate:
S. ut ſuprà.
Vel
℞. *Spec. Emoll.* M. ij.
*Bacc. Juniper.* ℥ß.
*Cinер. Clavell.* ℥iij.
Coqu. in *Aquâ ſimplici*:
Colat. ℥iv. adde
*Ol. Lil. alb.*
*Mell. Mercurial.* an. ℥ß.
Miſc. pro Clyſmate:
D. S. ut ſuprà.
Vel
℞. *Spec. Carmin.* M. i.
*Sal. Tartari* ʒß.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ* ad ℥iij.
Colaturæ adde
*Elect. Hier. cum Agar.* ʒiij.
M. f. Enema:
D. S. ut ſuprà.
Vel
℞. *Rad. Lil. alb.* ℥j.
*Flor. Chamomill.* M. i.
*Sem. Aniſi* ℥ß.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ*:
Colat. ʒiij. adde
*Elect. de Bacc. Lauri* ʒ
*Mell. Mercurial.* ʒiij.
*Ol. deſtill. Tereb.* ℈ß.
M. f. Enema:
D. S. ut antè.

Vel loco talium Enematum injiciantur ex *Lacte dulci*, ſed cum *Terebinthinâ* mediante Vitello Ovi diſſolutâ permixto, quæ admodùm ſunt egregia, idque in ſpecie, ubi doloroſi Abdominis affectus ſimul urgent: E. g.

℞. *Lactis* ℥ij. vel iij.
*Terebinth. cum Vitello Ovi diſſol.* ʒij.
M. pro Enemate: S.
Clyſter Leniens contra Tormina.

Quin ſi & fortiùs agendum per Clyſmata, ubi ſtimulanda Alvus, & detergendus Mucus, non rarò vitreus, etiam talibus ex ſimplici Vegetabili Decocto paratis, pro fortiori acumine addendus eſt *Syrupus Emeticus* à ʒj. ad ʒij. pro Ætatis ratione, aut etiam Infuſum quoddam Antimoniale, nomine *Aquæ Benedictæ* aliàs cognitum: qualia pertinacioribus in Malis, Epilepſiam jam minitantibus, quæ ferè ſemper in Infantibus fomitem obtinet in Abdomine, convenientiſſima ſunt: E. gr.

℞. *Decoct. Carmin. cum* ℈ß. vel ℈j. *Sal. Tartari* par. ℥ij. vel iij.
*Syr. Emet.* ʒß. ʒj. ad ʒij.
*Mell. Roſac.* ʒij.
M. S.
Clyſter Abſtergens.

Quoad *Laxantia* ſanè Infantes benè poſſunt ferre *Purgantia*, ut rectè obſervavit Wedelius *in Opiol. pag.* 38. Quòd ſi opus ſit ex Lacte Farinâque in Pulte congeſtum Mucum per *Vomitum* evacuare, in ſpecie in Aſthmatis aut gravioris Suffocationis metu, ſufficit *Pulvis Radicis Ireos Florentinæ* ad grana aliquot (iv. vel xij.) propinatus. Inſtar omnium ſit Syrupus Emeticus ſeu Oxyſaccharum Emeticum *Angeli Salæ*. De hoc, ut apud nos paratur, Infanti unius anni ℈ß. trium annorum ʒß. ſex annorum ʒj. & ſic porrò, ratione Ætatis præter propter plùs minùs propinatur: Quòd ſi viſcidior Mucus occupet Præcordia, parum de *Syrupo Nicotianæ* poteſt addi: v. g. Infanti unius anni adhuc lactanti:

℞. *Aquæ Hyſſ.* ʒiij.
*Syr. Nicot.* ʒß.
*Emet.* ℈j.
M. D. S.
Potio Emetica.

Propinatur pro doſi.

Quando Infantes teneriores, propter ſordes in primis viis copioſas, Vomitu ſunt evacuandi, tutiſſima eſt Methodus, ut recipiatur quantitas Syrupi Emetici, quoad doſin pluribus guttis Ætatem Infantis ſuperans e. g. gutt. vj. vel viij. ad ʒj. diluatur cum Aquæ Menthæ, vel Fœniculi, vel alîus appropriatæ, ʒß. vel ʒj. & de Miſturâ hac aliquoties, ſucceſſivè tamen, idque tutius, quàm ſemel pro unâ doſi, quod periculoſius, Cochleare parvum unum vel duo ad tria propinetur, tamdiu continuando, donec ſufficiens evacuatio ſucceſſerit, ſuadente hoc itidem experto Ludovici *c. l. pag.* 197. ſic enim ſine ullo periculo poſſunt purgari Infantes, & haud facilè nec in exceſſu, nec defectu peccari poteſt: ſit v.g. Infans dimidii anni, cui præſcriberem pro *Vomitorio*.

℞. *Aquæ Menth.* ʒß.
*Syr. Emet.* ʒß.
M. S. ut ſuprà.

De hoc cochleatim propinetur, donec ſufficiens ſequatur evacuatio.

Sedulò nempe hoc obſervandum in omnibus Remediis, quæ Infantibus propinantur, nunc plùs nunc minùs ſe exſerere in operando poſſe, quatenus vel copioſior Mucus, Grumuſque caſeoſus, vel parcior, aut prout tenacior vel minùs tenax in Stomacho & primis viis hæſerit. *Faucium irritatio cum Pennâ* Oleo intinctâ moleſtiſſimum eſt Remedium; interdum enim fruſtrà Infantes ad Vomitum ſtimulat.

Si per inferiora purgandi ſunt Infantes præter ea, quæ *ſuprà Artic.* 1. *cap.* 3. *pro Meconio removendo* laudavi, omnibus palmam præripit *Syrupus de Spinâ cervinâ*, vel *Domeſticus*, vel ſolus, vel cum *Syrupo de Fumariâ* mixtus & ſubinde exhibitus; item *Syrupus de Cichorio cum Rhabarbaro*: V. g.

℞. *Syr. de Fumar.* ʒiij.
*Domeſt.* ʒj.
M. S.
Succus Aperiens.
℞. *Aquæ Menth.* ʒvj.
*Syr. de Spinâ cerv.* ℥ß.
M. S. ut antè.

De quo propinetur Infanti pro lubitu.

Vel

℞. *Syr. de Spin. cerv.* ℥j. (vel *hujus & Syr. Roſ. ſolut.* an. ℥ß.)
*Lapill. Cancr. præp.* vel *Maxill. Lucii piſc.* ʒß. ad ʒj.
M. S.
Succus Aperiens benè circumagitandus.
Vel
℞. *Syr. de Spin. cerv.* ℥ß.
*Cichor. cum Rhab.* ʒij.
*Lap. Canc. præp.* ℈j. ad ʒß.
D. S. ut ſuprà.

Propinetur cochleatim.

Poteſt

Poteſt etiam dilui cum pauco Aquæ cujuſdam appropriatæ.

Item

℞. *Syr. de Spin. cer.* ℥j.
*Roſar.* ℥ij.
*Lapill. Cancr. præp.* ʒß.
*Corall. rub. præp.* gr. xij.
*Spiritûs Aniſi* parum.
D. S. ut ſuprà.

Propinetur cochleatim.

Vel

℞. *Syr. de Spin. cerv.* ℥ß.
*Aquæ Cinnam.* ℥ij.
*Spiritûs Sal. Ammoniaci* ʒß.
*Lapill. Cancr. præp.* ℈j. ad ʒß.
Miſta diluantur cum paucâ *Aqua Fœniculi.*
D. S. ut ſuprà.

Singulare aliàs pro reſerandâ Alvo Infantum quid obtinet *Muſcerda*, non niſi ſuperfluè delicatis horrida, cujus minutæ Pilulæ No. j. vel ij. aut iij. pulveriſatæ, & cum Lacte, vel Pulte potiùs, exhibitæ ad imitationem Rulandi *Theſ. lib.* 3. *pag.* 220. optimè ſolent purgare Infantes; vel tales Pilulæ vj. vel viij. aut x. diſſolvantur in Lacte, per Linteum exprimantur, & exhibeantur.

*Jalappa* quoque Abſorbentibus in parcâ doſi addi poteſt, nempe ad imitationem Ludovici *in* accuratâ *Pharm Diſſert.* 1. *pag.* 190. qui

℞. *Cornu Cervi uſti præp.* vel *ſine igne* p. iij.
*Pulv. Jalapp.* p. j.
M. pro Pulvere.

Doſis gr. j. vel ij. trimeſtri gr. iij. ad v. pro ratione Ætatis & Virium, feliciter purgat.

℞. *Cornu Cervi ſine igne* gr. xij.
*Pulveris Jalapp.* gr. iij. vel iv.
*Ol. deſtill. Aniſ.* gutt. iv.
M. pro 3. doſ. S.

Pulvis Aperiens pro aliquot vicibus.

Ablactatis Infantibus eadem Jalappa cum Tartari Cremore commodè poteſt propinari, ſemper grano uno alterove excedendo annorum numerum; v. g. pro purgando Infante quadrienni:

℞. *Crem. Tartari,*
*Pulv. Jalapp.* an. gr. v.
M. f. Pulvis.
D. S.
Pulvis Purgans.

Item

℞. *Pulver. Jalapp.* gr. vj.
*Tartari vitriolat.* ʒß.
M. S. ut antè.

Vel

℞. *Pulver. Jalapp.*
*Crem. Tartari* an. gr. vj. vij. viij. ad ʒß.
M. f. Pulvis pro Infante 5. vel 6. annor.

Propinetur in Juſculo calido, vel in Syrupo Domeſtico, aut de Cichorio cum Rhabarbaro.

Vel pro Infante 8. annorum:

℞. *Crem. Tartari* gr. xij.
*Pulv. Jalapp.* gr. ix. ad ʒß.
*Ol. deſt. aniſi* gutt. j.
M. f. Pulvis pro doſi:
D. S. ut antè.

Propinatur in Vehiculo Juſculi fervidi.

His ipſis quoque *Nodulus* ex Rhabarbaro pulveriſato in Cereviſiâ ſuſpendi poteſt, cui addenda ſubinde interdum Radix Helenii, quæ pulveriſata Potui ordinario in Nodulo ſuſpenſa, interdum expreſſâ, commodè ſatis Infantes laxat; non minùs quàm dimidia vel unica Pilula Aloëtica ab eodem Ludovici *cit. loc.* præſcripta. Habitioribus paulò eadem mutatâ ſaltem doſi conveniunt. *Manna* quoque Calabrina purior in Pulte & Infantibus propinata quantitate plùs minùs auctâ, ʒij. ad ℥ß. pro Scopi vel Ætatis ratione, ſuaviter & blandè eoſdem laxare ſolet, ſed eſt ſimul fermentativa, & Flatuum Torminumqne in Infantibus author. Præ aliis ſpecificè Infantes evacuat *Mercurius dulcis* & *Aurum fulminans.* Nam cùm graviſſimi Infantum Morbi in Lactantibus oriantur ex Acido in Fomite plùs minùs viſcido, & in Ablactatis ex ſimili Cruditate acidâ, convenientiſſimus eſt Mercurii dulcis uſus & corrigens Acidum & diſſolvens Viſcidum: Infanti, dum adhuc lactatur, gr. j. vel ij. in Lacte, vel potiùs in Aquâ quâdam deſtillatâ, Ceraſorum, Menthæ, &c. propinatur. Mirum quantum viſcida & horrida evacuat. Datur tutò etiam Febricitantibus: Item quando ſuſpicio eſt de Nutrice mali moris, neceſſe eſt Mercurius dulcis ſedulò Infantibus detur. In Ablactatis verò datur ad plura grana ferè pro Ætatis ratione, tot ſcilicet ferè grana, quot ſunt annorum, in paulò robuſtioribus & vegetioribus ſtimulum grani unius alteriuſve Jalappæ addendo; v. g. Infanti trium annorum:

℞. *Mercurii dulc.* gr. iij. vel iv.
*Sacch.* gr. ij. vel vj.
M. S.
Pulvis Purgans.

Vel

℞. *Pulp. Paſſul.* ʒß.
*Mercurii dulc.* gr. iß.
*Pulv. Jalapp.* gr. iij.
M. S.
Electuarium Purgans pro unâ vice.

Infanti quinque annorum:

℞. *Mercurii dulc.* gr. v.
*Pulv. Jalapp.* gr. j.
*Conſ. Roſar.* q. ſ.
M. f. Bolus: S.
Bolus Laxativus.

Egregiè operatur.

Infanti ſex annorum:

℞. *Mercurii dulc.* gr. viij. ad ix.
*Sacch.* ℈ß.
M. f. Pulvis. S.
Pulvis Purgans.

Puero octo vel novem annorum:

℞. *Mercurii dulc.* gr. ix.
*Scamm. præp.* gr. j.
M. S. ut antea.

Vel

℞. *Pulp. Paſſul. min.* ℈j.
*Mercurii dulc.* gr. viij.
*Scamm. præp.* gr. j.
M. D. S.
Succus Purgans.

Puero decem annorum:

℞. *Mercurii dulc.* ℈ß.
*Scamm. ſulphurat.* gr. ß.
M. f. Pulvis pro j. doſi.
D. S.
Pulvis Purgans.

In ſpecie imminentibus Variolis & Morbillis mirabilis eſt ejus uſus in principio propinatus; nam tunc ſimul ordinariò Vomitus movet, & Variolæ faciliùs poſtmodùm erumpunt, pauciores fiunt, & minùs malignæ, quod probè obſervandum: & pro Infantum Curâ ſingulare quid latet in Mercurio dulci. Hîc, ubi non videtur ſufficere, ad Aurum fulminans me accingo, cujus operationes ordinariè in Infantibus ſunt, quòd horridas Dejectiones efficiat, interdum etiam Vomitus moveat, ordinariò ante vel poſt evacuationem, quiete inſequente: nempe Acrimoniam corroſivam, unde ferè Epileptica Pathemata, in Infantibus abſorbet, &

mul viſcidiſſimas ſordes notabiliter abſtergit, ſaltim Doſis probè notanda eſt; potenter enim operatur. Infantibus adhuc lactentibus gr. j. pro doſi, aut in delicatioribus gr. iß. pro duabus ferè doſibus ſufficit, idque quamdiu Lacte utuntur; robuſtiores ſi fuerint, aut tenaciores ſordes primas vias occupaverint, ad gr. ij. etiam adſcendere poſſumus: v. g. aliquando Infanti ſeptem dierum cum Coralliis præparatis Auri fulminantis gr. ij. pro duabus doſibus dedi in Torminibus gravioribus, in quibus Epilepſiæ metuebatur proventus. Infanti duarum ſeptimanarum in inſigni totius Corporis æſtu, Torminibus acerbiſſimis & Epilepſiâ affecto, cum Clyſmatibus præmiſſis præſcripſi ſequentes Pulveres.

℞. *Unic. veri præp.* gr. xij.
*Ebor. ſine igne*,
*Cryſtall. mont. præp.* an. gr. vj.
*Auri fulm.* gr. iiß.
M. pro 2. doſibus:
in *Aqua Succi Pæoniæ* propinandis.
D. S.

Pulvis Aperiens ſingularis.

Item aliquando puellæ viginti ſeptimanarum:

℞. *Dent. Hippop.*
*Ebor. ſine igne* an. ʒß.
*Auri fulmin.* gr. ij.
M. pro 2. doſibus.
D. S. ut ſuprà.

℞. *Ebor. ſine igne* ʒß.
*Auri fulmin.* gr. j.
M. S.

Pulvis ſingularis.

Et ita quidem, quamdiu Infantes lactantur, in doſi gr. j. ferè ſubſiſto, rarò plùs, interdum, ubi cautiùs agendum, paulò minus propinando.

Quòd *ſi ablactati fuerint, cautior hujus Auri fulminantis ſit uſus*: quia enim in his deficit Lac, aut hujus in Stomacho Coagulum, à quo notabiliter aliàs temperatur Aurum fulminans, propterea potentiùs operatur, adeoque ſecundùm Annorum rationem grana etiam ordinanda pro doſi: & hinc eſt, quòd ablactato ſubinde Vomitus moveat, minùs lactentibus; item quòd Infanti lactenti unius alteriuſve ſeptimanæ tantum propinare queam, quantum ejuſdem lactenti octo vel novem menſium; quia nempe, quò juniores ſunt Infantes, eò copioſiori utuntur Lacte, adeoque eò magis temperatur Aurum fulminans; item quò juniores ſunt Infantes, eò temperatius eſt acidum Fermentum vitale in Ventriculo, quod in ablactatis potentius magis valet diſſolvendo, vel acuendo Auro fulminante, unde in talibus etiam potentiùs operatur: Sic Infanti duorum annorum, & qui jam diu ablactatus eſt, propinata gr. ij. aliquot Vomitus & Seceſſus movent cum impetu, & ſic porrò in aliis. De cætero, quando Infantibus, tam lactentibus, quàm ablactatis, copioſæ ſordes occupant primas vias, præſertim Acido plùs minùs corroſivo impregnatæ, unde Hypochondriorum inflationes, Epilepſia partium internarum & externarum, Aſthmata convulſiva, Tormina, Æſtuationes univerſi Corporis, Convulſiones &c. in talibus caſibus ſacra anchora eſt Aurum fulminans, repetito in uſu adhibendum. Sunt qui *Scammonii* uſum reliquis præferunt, & ejus aliquot granula in formâ Emulſionis propinant, & admodùm commendant: vel ſi ejus gr. j. aut ij. Syrupo de Cichorio addantur. Sed acrius eſt, & Infantibus pernicioſius ſimplex, & vix, præterquàm ablactatis & robuſtioribus, locum habet. Horreo eſulinam vel tithymalinam Scammonii virulentiam, adultis & robuſtis gravem, & ſubinde nocivam tantò minùs Infantibus tolerabilem. Quidam etiam *mediante Nutrice* purgare volunt Infantes; ſed conſilium eſt inconſtans ſeu incertum, prout ſcilicet plùs vel minùs alterari poteſt. Remedium Purgans in Stomacho Nutricis; item prout citiùs vel tardiùs purgabitur Infans; propterea, quia res eſt dubia, ſimplici Remedio tutius laxantur Infantes. Huc pertinet aliquo modo, quando Papillis Pulvis quidam Laxativus inſpergitur, de quo Panarollus *Pent.* 5. *Obſerv.* 10. ſed propter ſummam incertitudinem doſeos, quæ in tali caſu ad Fœtum certò determinari nequit, adeòque ob metum, ne plùs debito purgentur tenelli, minùs tutum negotium exiſtimo: Vid. Bartholinus *Cent.* 2. *Hiſtor. Anatom.* 93.

## CAPUT VI.

### *De Morbis Infantum Specialibus.*

JActis hiſce fundamentis facilis eſt via ulteriùs indagandi ſuprà enarratorum Morborum generationes.

### ARTICULUS I.

#### *De Torminibus Ventris.*

QUod ergò *Specialia* attinet *Pathemata Infantum*, familiariſſimè affligunt Infantes, præſertim recèns natos, *Tormina Abdominis*, Germ. *das Reiſen im leibe*, quæ ipſis ferè ſunt inevitabilia, unde Infantes ſunt inquieti, cont nuò plorant, Pedibus calcitrant, mirè ſe torquent, & hinc inde jactant, Mammas recuſant, præterea ſubinde ſimul Venter inflatur, aut Crepitus copioſi emittuntur, Alvus plùs minùs adſtricta eſſe ſolet, & quæ excernunt, ſunt aut viridia plùs minùs, & æruginoſa, quæ ordinariò acidum Odorem ſpirant, aut flava, ſed quæ brevi poſt in aëre virideſcunt, aut ſunt grumoſa. Tormina hæc formaliter ſunt *Motus Convulſivi Inteſtinorum*, unde non rarum eſt, quòd gravioribus his Torminibus, cum Convulſivis Spaſmis junctis, non rarò ſuperveniant *Epilepſiæ*. Materialiter ſeu occaſionaliter oriuntur *à Corruptelâ Lactis*, quia Lac aceſcendo, aut in Stomacho aut poſtmodùm in Inteſtinis, præternaturali hoſtili ac viſcido Acore Inteſtina afficiendo, rodendo, lancinando &c. Tormina talia inducit, eaque eò crudeliora, quò Acidum viſcidius & glutinoſius ſe affixerit parietibus Inteſtinorum: quin & ex Acido per vitioſam cum Bile Fermentationem excitantur Flatus, à quibus ſimul & Hypochondria Infantum, Ger. *das Hertz-geſpann*, uti vocant, & præterea totum Abdomen, mirè diſtenditur. Vidi ego aliquando tantam à Flatibus Abdominis diſtenſionem, ut etiam *Hernia Scrotalis* ſequeretur.

Tales Infantes, qui Torminibus *ab Acido exceſſivo* & vitioſo infeſtantur, habent *Excrementa* ut plurimùm *viridia*, ſive, ut vocant, *porracea*, ſive *æruginoſa* cum grumis Lactis excreti, cum Bile ſalinâ oleosâ volatili permiſta, ex quorum miſcelâ Viriditas iſta exſurgit. Comprobat hoc Experientia quotidiana, dum Acida, imprimis Acria, Bilem ſolent in viridem Colorem tranſmutare; unde ſimile Acidum in Inteſtinis concurrens & effervescens cum Bile, iſtum Virorem inducere poteſt.

Equidem *Viridis Color* reverà ſub concurſu plurium ex miſcelâ Flavi & Cœrulei emergit: Flavedo in Bile clara eſt, & conſpicua: Cœruleus Color in nullo Succorum Corporis unquam, nec naturaliter, nec præternaturaliter, obſervatus fuit; unde rariſſimum & ferè unicum eſt Exemplum, quod recenſet Meara de Lacte Nutricis, Saphirinum

num Colorem exactè referente, *in Exam. Diatrib. de Febribus Williſii pag.* 75. Cùm tamen Cœruleus Color ad Nigrum accedat propiùs, adeòque in certâ Luminis maximam partem introſuſceptione in porulos & cum umbrulis miſtione conſiſtat, loco hujus in Corpore abſentis, Acidum, perſpicuum licèt, conſtringendo tamen & anguſtando aliquali Subjecti coagulatione poros Flavi corporis, ſufficiet, imprimis ſi dictum Acidum & ipſum in Subjecto non nihil denſiore & craſſiore hæreat, ut exinde Viridis, ceu medius inter Cœruleum & Flavum, Color emergat. Comprobat dicta Experimentum Grafii *de Succo Pancreatico Theſ.* 145. & 147. ubi Bilis Flava ex miſcelâ cum Spiritu Vitrioli, Atrovireſcentem induit Colorem. Nec eſt, quòd quoad Experimenti fidem objici poſſit, id quod alio mihi obtigit tempore, in Spiritu Vitrioli adhuc contentas eſſe, & ſub rigoroſo Ignis examine cum Acido ſimul elevatas, Metallicas, Cupreas & Martiales particulas, quæ attactu Alcali Bilis præcipitatæ Virorem repræſentent; ſicut eædem attactū Gallarum in Vitriolo Atrum Colorem induant: nam idem Experimentum tentavi & cum Spiritu Salis puriſſimo, non ſecus ac cum Spiritu Nitri, & ubique idem fuit ſucceſſus & eventus, quòd nempe iſtâ miſturâ intenſus Viror efflorverit; id quod ſimili ratione de Lactis vitioſo Acore, Virorem cum Bile producente, verum erit. Hinc talia ſub Infantum Torminibus excreta, licet non ſemper ſimul viridia, ſubinde ſunt tamen grumoſa; qui *Grumi ſunt Lac à præternaturali Acido condenſatum & coagulatum*, quod iſtam larvam induit. Talia Grumoſa etiam nunc ſunt viridia, nunc flava, quorum Excrementorum diſcoloratio oritur à *Bile per Acidum mutatâ*, & corrupta in Inteſtinis mox Virorem contrahunt; ſæpè tamen evenit, ut *Fæces excernantur flavæ, quæ pauco tempore poſtmodùm Colorem viridem acquirunt.* Cauſa hujus Phænomeni eſt (1.) quòd Acidum in Corpore in Bilem, quamdiu in Corpore fuit non ſufficienter egerit, propter impedimentum à Lacte, continuò vel brevibus intervallis tantùm aſſumpto, quippe quòd ejus vim temperando infringat: (2.) quia nonniſi finitâ Efferveſcentiâ & factâ Præcipitatione mutationem rerum accuratam obſervare licet, unde poſt factam Præcipitationem, dum Aër externus accedit, finitâ mutuâ actione & reactione permiſtorum, Color tandem tertius emergit: (3.) quia & ipſa commiſta Excreta faciliùs forſan in Aëre libero novum Coloris ſchema arripiunt, quàm dum in Inteſtinis adhuc ſunt coërcita. Obſervandum quoque hoc loco, atrociſſima non rarò adeſſe Tormina, Excretis Alvi Aquæ inſtar leviter flaveſcentis fluidis, quæ nimis fluida ſubinde adeò acria obſervantur, ut & Podex excoriari exinde ſoleat.

Corrumpitur Lac nunc *à Meconio retento*, nunc ex proprio ſuo motu alterativo in Ventriculo. Meconium quidem peſſimè corrumpit Lac, unde ſedulo à Partu hoc evacuandum, cùm hoc retentum ex Lactis inductâ vitiosâ corruptelâ Epilepſiæ ſæpiùs recurrentis Fomes exiſtit. Proprio motu aceſcit Lac, vel quia Nutrices Acidis vinoſis utuntur, vel quia copioſus nimis Infanti ingeritur, unde recens priori nondum digeſto ſupergreſſum promptè Acorem contrahit. Vulgò *Refrigeratio Corporis* non immeritò hîc accuſatur; nam Frigidum facilè lædit tenellum Infantis Stomachum; ut exinde non ritè digeratur Lac, ſed Acore corruptivo inquinatum ad Inteſtina deſcendat.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: Dolores hi Infantum Vires proſternunt, crebrò Convulſiones & Epilepſias excitant.

## CURA.

In *Curâ* imprimis opera danda, ut Alvus ſit aperta, cùm Alvo obſtructâ Pathemata hæc inſigniter exaſperari ſoleant: hinc ea, quæ Acidum temperant, Viſcidum incîdunt & abſtergunt, ſunt convenientiſſima; adjungendo ſubinde blanda Anodyna, Dolorem ſedantia.

Pro his ſcopis conveniunt injecti *Clyſteres* ſuprà laudati, reiterandi: attendendo ſedulò, an magis Acrimonia acida, an Viſciditas Cauſæ peccantis urgeat? ut ita delectus aliquis inſtituatur in Clyſmatibus injiciendis, ſpeciatim ſi *tenuia & liquida*, Laticis cujusdam inſtar plùs minus *flavedine tincta*, utut acerrima, rejiciantur per Alvum, ut etiam, præter gravia Infantum Tormina, excorietur Podex, ſufficiunt Clyſmata ſimplicia ex *Lacte bubulo*, vel cum vel ſine *Terebinthinâ*, aut cum pauco Saccharo impregnata, injecta, quibus dicta Acrimonia temperari, & quæ imminet Inteſtinorum craſſorum gravis læſio ac excoriatio, tutò præcaveri poteſt: ſi verò *viſcida* ſint, conveniunt *Clyſmata ex Decocto ſimplici*, Chamomillæ imprimis, Parietariæ, Foliorum & Baccarum Lauri, atque Juniperi, imprimis Piſorum, *cum Sale Tartari* vel ſimili *Sale Lixiviali*, quæ diſſolvunt Mucum & abſtergunt. In quo Decocto Olei deſtillati Rutæ aliquot guttæ poſſunt diſſolvi, quod eſt egregium in Torminibus Infantum: loco Olei Rutæ aliquot guttæ Olei deſtillati Aniſi commodè diſſolvantur; nam & hujus aromatica vis Inteſtina ſolatur, ut utar verbis Helmontii. Electuarium etiam de Baccis Lauri commodè diſſolvitur in his Clyſteribus. V. g.

℞. *Spec. Carmin.* M. i.
*Sal. Tartari* ℈j. ad ʒß.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ ſimpl.*
Colaturæ ℞. ʒiß. ad ʒiij. (prout pro uno vel duplici Clyſtere præſcribitur)
adde
*Mell. Roſat.* ʒß. ad ʒj.
*Ol. deſt. Aniſi*,
*Bacc. Juniper.* an. gutt. iij.
M. pro Clyſmate. S.
Clyſter Leniens.
Vel
℞. *Spec. Carm.* M. ß.
*Bacc. Lauri* ʒj.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ ſimpl.*
Colat. ʒiij. adde
*El. de Bacc. Lauri* ʒij.
*Ol. deſt. Cumini*,
*Carvi* an. gutt. j.
M. f. Enema:
D. S. ut ſuprà.
Vel
℞. *Decoct. Carm.* ʒiij.
*El. de Bacc. Lauri* ʒiij.
*Vitell. Ovi* No. i.
*Ol. deſt. Bacc. Lauri* gutt. ij.
M. pro Enemate:
S. ut ſuprà.
Item
℞. *Decoct. Piſor.* ʒij.
*El. de Bacc. Lauri* ʒß.
*Sal. Tartari* ℈j.
*Ol. deſt. Succini* gutt. iv. ad vj.

M. f.

M. f. Enema:
D. S. ut ſuprà.

Præter iſta Clyſmata *interne* conducunt *lenia Abſtergentia*, quæ ſunt Syrupus Roſarum ſolutivus, item Pulvis Seminis Aniſi ad ℈j. propinatus, qui maximè conducit tenellis: dum non tantummodò Corruptionem Lactis acidam corrigit, ſed etiam aromaticâ vi Flatuum generationem impedit, & ut ſuprà monui, blandè Infantes laxat; vel præter Laxativa *ſuperiùs cap.* 4. allegata, convenit Pulvis *Comitis de Warvvich* ad ℈ß. propinatus, qui à Riverio *Cent.* 2. *Obſerv.* 27. commendatur. In ſpecie, ubi Tormina cum Flatibus aut Excretis viridiuſculis & porraceis, aliiſve Dejectionibus præternaturalibus conjuncta ſunt, in tali caſu non crebrò nimis præbenda eſt Mamma, ſed intereà

℞. *Aquæ Fœnic.* ℥j.
*Spiritûs Sal. Ammoniaci aniſ.* ʒß.
*Lap. Cancr. præp.* ℈j. ad ʒß.
*Syr. de Spin. Cerv.* ℥ß.
M. D. S.

Potio Aperiens, benè circum agitanda. Detur cochleatim crebriùs.

Aqua etiam Carminativa *Dorncrellii*, in qua cum Syrupo de Chamomillâ, qui expertiſſimus eſt, aliquot guttæ Olei deſtillati Aniſi ſint permiſtæ, optimè conducunt: Quin & Syrupus de Corticibus Aurantiorum non inconvenienter præbetur tenellis.

Conveniunt porrò cum Lacte Corallia præparata, & Lapilli Cancrorum, additâ ſemper anaticâ portione Pulveris Seminis Aniſi; Item Cryſtallus præparata, quæ in horridis Torminibus Ventris à Bile æruginosâ optimum Remedium eſt, & ſimilia Abſorbentia; aut loco talium *Pulvis Marchionis*, aut, qui præſentanei magis eſt auxilii, *Pulvis ſuprà cap.* 4. dictus *Puerilis* propinetur, augmentando doſin *Olei deſtillati Aniſi*; vel iſtis Acidum torminoſum abſorbentibus *Caſtorei* parum addendum, & quacunque ratione fieri poteſt, propinandum. Sin pertinacius Malum fuerit, nec talibus crebriùs repetitis quieſcat, ita ut jam vel Epilepſia metuenda, *Salia volatilia*, v. g. Sal Cornu Cervi, & ſuprà dicti *Spiritus* & Liquores ſalini volatiles, imprimis blandè aromatiſati oleoſi, Liquor Cornu Cervi ſuccinatus, Spiritus Salis Ammoniaci aniſatus, &c. Theriaca aut Mithridatium Piſi vel minoris vel majoris magnitudine, vel quantum Cultelli parvi cuſpide capi poteſt, ſub veſperam exhibitum plùs minùs pro Ætatis ratione, blandam quietim inducit; v. g. Infantulis aliquot dierum pro unâ vel duabus doſibus: item *Laudanum Opiatum* ad gr. i. in Mixturæ ʒiij. vel ʒiv. uſurpari poteſt: Caſtoreum quoque minè convenit. Hinc aliis irritis *Aurum fulminans* ſecundùm leges ſuprà inſinuatas, idque imprimis ubi ſimul contumacior ac obſtructa Alvus fuerit, magnæ hoc in caſu obſervatur efficaciæ. Datur Infanti aliquot dierum, aut etiam unius ſeptimanæ gr. i. cum gr. iij. Nitri depurati vel antimoniati: datur etiam ſolum vel abſque addito in iis, qui jam fuerint aliquot ſeptimanarum, gr. ij. vel iij. pro ratione circumſtantiarum: propinatur in *Lacte*, vel, quod melius, in *Aquâ Florum Tiliæ* aut *Ceraſorum nigrorum*, vel aliâ Aquâ deſtillatâ idoneâ, & præter alios effectus, quos aliquoties admiratus fui, ſanè Tormina ſiſtit, horridas Dejectiones Alvi inducit, & Epilepticos Inſultus, tam imminentes præcavet, quàm præſentes ſopit. Obſervetur autem varietas in Auri fulminantis operatione: interdum fortiùs, interdum debiliùs, interdum citiùs, interdum tardiùs operatur, quatenus, uti ſuſpicor, plùs minùs in Ventriculo Infantis à Grumo Lactis vel Muco pituoſo obviſcatur vel irretitur. Semen Aniſi ontuſum cum Pulte exhibitum egregium eſt in Torminibus cum Flatibus: ſic Sperma Ceti cum Semine Aniſi, vel ejus Oleo deſtillato maritatum, egregium eſt Remedium; hinc etiam Oleum deſtillatum Aniſi convenienter aliis additur: V. g. in Torminibus Ventris, ubi adeſt Pavor in ſomno:

℞. *Cornu Cervi ſine igne*,
*Lapill. Cancr. præp.* an ℈j. ad ʒß.
*Myrrh. el.* gr. vj.
*Theriac.* gr. iij.
*Ol. deſt. Aniſi* gutt. iij.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis Infantum contra Tormina.

Vel

℞. *Lapill. Cancr. præp.* ℈j. ad ʒß.
*Corall. rub. præp.*
*Cinnab. Antimonii* an. ℈ß.
*Theriac.* gr. iv.
*Ol. deſt. Aniſ.* gutt. iij.
M. f. gutt. iij.
D. S. ut ſuprà.

Vel

℞. *Cornu Cervi ſine igne* ʒß.
*Myrrh. el.* gr. vj. ad ix.
*Sal. vol. Cornu Cervi* gr. vj.
*Theriac. Andr.* gr. iij. ad iv.
*Ol. deſt. Aniſi* vel *Caryoph.* gutt. iv.
M. f. Pulvis pro 4. vel 5. doſibus:
D. S. ut ſuprà.

Vel

℞. *Pulver. Diaphor. Lud.* ℈j.
*Theriac.* gr. ij. vel iij.
*Ol. deſt. Aniſi*,
*Caryoph.* an. gutt. i.
M. f. Pulvis:
D. S. ut ſuprà.

Vel

℞. *Lapill. Cancr. præp.* ʒß.
*Salis Abſinth.* gr. vj. vel viij.
M. pro 2. vel 3. doſib.
D. S. ut ſuprà.

Vel

℞. *Lap. Cancr. præp.* ʒß.
*Cryſtall. præp.* gr. xij.
*Corall. rubr. præp.* gr. vj.
*Ol. deſt. Aniſi* gutt. iv.
M. f. Pulvis:
D. S. ut ſuprà.

Detur cum Lacte pro aliquot doſibus:

In formâ *Potiunculæ* Puerulis duarum vel trium ſeptimanarum:

℞. *Aquæ Flor. Samb.* ℥ij.
*Liqu. Corn. Cerv. ſuccin.* ʒß.
*Lapill. Cancr. præp.*
*Cornu Cervi ſine igne* an. ℈ß.
*Syr. Roſ. ſol.* ℥ß.
M. D. S.

Mixtura Leniens, benè circumagitanda.

Vel, v. gr. pro Infante decem vel duodecim ſeptimanarum:

℞. *Aquæ Ceraſ. nig.* ℥ij.
*Menth.* ℥ß.
*Spiritûs Sal. Ammoniaci aniſ.* ʒß.
*Lap. Cancr. præp.* ℈ß.
*Cryſtalli præp.* ℈ß.
*Syr. Diacod.* ʒij. vel iij.
M. D. S. ut antè.

Si cum Torminibus *Purpura* emineat:

℞ *Aquæ Scorzon.* ℥j.
*Menthæ* ℥ß.
*Cornu Cervi ſine igne*,
*Maxill. Lucii piſc.* an. ℈ß.

*Salia*

*Salis vol. Cornu Cervi* gr. iij. ad vj.
*Syr. Fumar.* ʒiij.
M. D. S.
Potio Leniens & Purgans.

Quòd ſi cum Torminibus adſint ſimul *Alvi dejectiones* crebræ, fluidæ, acres, Podicem excoriantes:

℞. *Cornu Cervi uſti* ʒß.
*Corall. rub. præp.*
*Terræ Sigill.* an. gr. xij.
*Ol. deſt. Aniſi* gutt. iv.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis Adſtringens.
Aut
℞. *Cornu Cervi uſti* ℈ij.
*Unic. foſſ.* ℈j.
*Terræ Sigill.* ℈ß.
*Theriac.* gr. iv.
*Extr. Caſtor.* gr. iij.
*Ol. deſt. Macis* gutt. ij.
M. f. Pulvis: S. ut antè.

Econtrà, ubi cum Torminibus *Alvus* ſimul *laxanda* venit, in Infante v. g. trium menſium:

℞. *Lap. Cancr. præp.* ℈j.
*Cryſtall. præp.* ℈ß.
*Salis vol. Cornu Cervi* gr. iv. ad vj.
*Pulv. Jalapp.* gr. iij. ad v.
*Ol. deſt. Aniſi* gutt. iij.
M. f. Pulvis pro 4. vel 5. doſibus.
D. S.
Pulvis Aperiens.

Aliquando in Torminibus Infantis quaſi Dyſentericis, cum Excretis horridis, etiam viſcido-rubicundis, Infante 18. ſeptimanarum:

℞. *Cornu Cervi uſti* ℈j.
*Cryſt. præp.* ℈ß.
*Pulv. Hepat. Viper.* gr. xij.
M. pro 2. doſ. S.
Pulvis adſtringens.

Aliquando in Torminibus Ventris cum metu jam jam imminentis Epilepſiæ cum ſingulari effectu præſcripſi:

℞. *Unic. veri præp.* gr. ix.
*Cinnab. Antimonii* gr. iv.
*Extr. Caſtor.* gr. ß.
M. f. Pulvis pro doſi.

Item pro Infante trium menſium:

℞. *Aquæ Menthæ*,
*Chamomill.* an. ʒvj.
*Eſſ. Caſtor.* ʒß.
*Lap. Cancr. præp.* ℈j.
*Syr. Fœn.* ʒij.
M. pro Potione: S.
Potio Leniens, benè circumagitanda. Uſurpetur crebriùs cochleatim.

Aliquando Puero, altero à Partu die graviſſimis Torminibus correpto, præſcripſi:

℞. *Aquæ Flor. Pæon.* ʒx.
*Liqu. Cornu Cervi ſuccin.* ℈j.
*Cran. hum. præp.*
*Unic. veri præp.* an. ℈ß.
*Syr. Flor. Pæon.* ʒij.
M. D. S. ut antè.

*Externè* Abdomini & Umbilico Infantis inungendum venit Oleum ſeptem Florum *Mynſichti*, acuatum cum Oleo deſtillato Fœniculi, Aniſi, Caryophyllorum, Rutæ, &c. Item ſcrobiculo Cordis, & Umbilico utiliter inungi poteſt Oleum Anethi, Chamomillæ, Rutæ, per infuſionem ceu corpus, aut Oleum Nuciſtæ expreſſum, aut Oleum Stomachale *Cratonis*, acuata cum Oleo deſtillato Angelicæ, Carvi, Cumini, Chamomillæ, Corticum Aurantiorum, & ſimilibus, ne hæc deſtillatorum acrimonia dolorem ex excoriatione inferat; E. g.

℞. *Ol. deſtill. Cumini*,
*Chamomill.* an. ℈ß.
*Succin.* gutt. vj.
*Corp. pro Balſ.* q. ſ.
M. S.
Balſamus Leniens.
Vel
℞. *Ol. coct. Abſinth.* ʒj.
*expr. Nuciſt.* ℈j.
*deſt. Macis*,
*Aniſi* an. ℈ß.
M. S.
Oleum Leniens.
℞. *Ol. expr. Nuc. Moſch.* ʒj.
*deſt. Junip.* ℈j.
*Macis* gutt. vj.
M. S.
Balſamus Leniens.

Quibuſdam commendatur Linimentum ſeu Unguentum, factum ex Spolio vel Exuviis Serpentum coctis in Pinguedine propriâ cum Oleo Anethi; ex quibus paratum Unguentum Abdomini illitum confert contra Tormina Infantum. Item Pulvis Caryophyllorum cum Aquâ Menthæ applicetur calidè Abdomini ſecundùm Welſchium *in Hecatoſt. 2. pag. 22. Fotus* parati ex Aniſo & Chamomillâ cum Summitatibus Anethi & Foliis Lauri, etiam commodè imponuntur Abdomini.

Quòd ſi Tormina oriantur *à Mucilagine* acidâ viſcidâ, pertinaciter Inteſtinis adhærente, & quæ per Clyſmata convenienter abſtergi nequeat, convenienter paratur Unguentum ex Gummi Ammoniaco & hujuſmodi, liquefactis vel in Vino, vel in Aceto deſtillato: e. g.

℞. *Gummi Ammoniaci in Aceto ſol.* ʒij.
*Terebinth.* ʒj.
*Aloës hepat.* ʒj. vel ℈ij.
*Sevi Hircin.* vel *Cervin.*
*Butyri non ſaliti* an. q. ſ. pro conſiſtentiâ debitâ.
M. f. Unguentum.
D. S.
Unguentum Emolliens.

Huic ulteriùs ſemper, quoties illinitur, *Olei deſtillati Aniſi* vel *Cumini* ℈ß. convenienter additur, & ita Abdomini, vel umbilicalibus dictis locis, imponitur, ac quoties opus fuerit, aliquali portione *Fellis Tauri* acuatur.

Hoc Unguentum reſolvit, & liquefacit Mucilaginem acidam viſcidam, eamque per inferius guttur faciliùs evacuare juvat.

## ARTICULUS II.

### *De Inflatione & Tenſione Hypochondriorum.*

DIxi hactenus, quòd *Lac acidum*, aut acidità-tè corruptum, in Inteſtinis cum *Bile* concurrendo per fermentationem generet *Flatus*, qui collecti in Inteſtino Colo ſub Hypochondriis juxta Tormina recèns natis ſæpiùs inferunt *Inflationem* & *Tenſionem Hypochondriorum*, quàm vulgò vocant Germ. *das Hertz-geſpan*, ſeu *Affectionem Cardiacam*, dum nempe Hypochondria utrinque tumida, inflata, & inſigniter diſtenta ſunt, unde difficilem Reſpirationem cum Inquietudine & Agrypniis ferè patiuntur.

### CAUSÆ.

Oritur Malum ex nimiâ Lactis aut Pultis ingeſtione, dum plus aſſumunt, quàm digerere valent, unde ex Cruditate acidâ fermentando emergunt Flatulentiæ,

tulentiæ, ſpeciatim Hypochondria diſtendentes. Oritur etiam, quando Infantes Aëri ventoſo nimis exponuntur, hinc enim quoque hoc Malum ſupervenit.

## DIAGNOSIS.

Solo viſu facilè patet.

## CURA.

In *Curâ* imprimis Radicis Angelicæ Pulvis convenit cum Pulticulâ propinatus, vel gutta una aut altera Olei deſtillati ſimul cum Lacte Infantibus porrecta, & omnia hactenus recenſita ad Inflationem Hypochondriorum, aut tympaniticam quoque Abdominis diſtenſionem, optima ſunt. Præreliquis convenit Semen Cumini & Aniſi, ejuſdem Oleum, & Spiritus Salis Ammoniaci aniſatus, Species Diacumini, item Emulſio Seminis Violarum & Cardui Mariæ ſecundùm Welſchium *Hecat.2.p.53.*

Vel

℞. *Sem. Aniſi pulveriſ.* 3ß.
*Corall. rub. præp.* gr. xv.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis Infantum contra Flatus.

Detur in Pulte Infantibus tenellis.

Item Elæoſaccharum Aniſi propinetur cum Lapillis Cancrinis, item Theriacæ parum propinari poteſt. Herba Botryos, Germ. *das Trauben-Kraut*, à quibuſdam tanquam Experimentum ſingulare laudatur, ſi Aqua ejus deſtillata ſæpiùs propinetur Infantibus, imprimis ſæpiùs cohobata à novâ Plantâ; mirè enim conducere ad inflationem Hypochondriorum prædicant: cui commodè Syrupus Corticum Aurantiorum addi poterit.

*Externè* quoque conducit Oleum Rutaceum & Laurinum, cui aliquot guttæ Olei deſtillati Angelicæ ſunt additæ:

Vel

℞. *Ol. Chamom.* 3j.
*deſt. Cumin.* vel *Aniſi* ℈j.
Miſc.

Illinantur calidè Hypochondria.

Item Extractum Angelicæ illinatur Umbilico, item Butyrum rubrum, acuetur aliquot guttis Olei deſtillati Angelicæ, & loco tumenti illinatur. Sunt qui Semen Botryos contuſum in Oleo communi infuſum & digeſtum tanquam expertiſſimum laudant, ſi externè inungatur Hypochondriis inflatis: item Cataplaſma ex Chærefolio cum Butyro contuſo commendatum à Pauli *in Quadrip. pag.* 257.

## ARTICULUS III.

### *De Anorexia & Vomitu.*

JUxta hæc obſervetur, quòd ſi *copioſior tenaciorque Grumus* ex Lacte & Pulte Stomacho incumbat, cui per Pylorum tranſitus denegetur, *Appetitus* hinc dejiciatur, & activitate Fermenti digeſtivi à Lacte, vel copioſiore vel coagulato, obrutâ, *horror Mammæ* oriatur, cum abſolutâ *Apepſia*; cum quotidie obſervemus, iſtud quod ſemel Stomachum læſerit, ceu hoſtile poſtmodùm diu ab eodem averſari.

Quòd ſi graviùs adhuc oneretur Stomachus, & irritetur Pylorus, Infantes continuò *vomunt*, eaque varia, nunc albicantia viſcida, nunc tenuia flaveſcentia, nunc viridia acria, quæ vulgò vocantur æruginoſa, nunc ſimilia.

## CAUSÆ.

*Cauſa* Vomitûs quærenda eſt in Lacte imprimis, quod vel per ſe vitiatum, vel in Stomacho Fœtûs corruptum, irritando Pylorum, Vomitum infert. Imprimis equidem copia Lactis ſola ſæpè eſt Cauſa Vomitûs, imprimis ſi ingeratur Lac novum, priore nondum concocto: Hinc enim fit, ut Lac recens ſuperinfuſum congrumeſcat aut coaguletur, aut ſaltim tranſeat in liquamen viſcidum aut mucilaginoſum, quod obſtruendo Pylorum, eumque oppilando (de quo vid. Hœferus *Hercul. Medic. paginâ* 149. item Hildanus *Cent.* 6. *Obſerv.* 34.) vel irritando quoque, Cauſa eſt hujus convulſivæ contractionis, quam Vomitus violenti ſequuntur, in quibus cum Lacte aſſumpto copioſa viſcida rejiciuntur: qui Vomitus tenellos Infantes inſigniter quidem lædunt & debilitant, ſalubres tamen ſunt, quatenus Excrementa iſta rejiciuntur, & gravia Mala jamjam imminentia præcaventur. Fingite enim, hærere talia diutiùs in Ventriculi burſâ, facilè ex Acore fermentativo paſtæ inſtar farinaceæ intumeſcent, & impetuoſo Flatuum proventu intumeſcentiam Præcordiorum, hinc Diaphragmatis impedito motu, difficilem Reſpirationem, & ex horum Flatuum in orificium ſiniſtrum impetu, hujuſque pertinaci ſtricturâ, Præcordiorum anxietates, inde Inquietudines, Somni impedimenta, Vigilias, &c. inferent; & quamdiu tales Grumi, aut talia Liquamina viſcida, Pylorum infarciunt, tamdiu Vomitus etiam continuat, ac præterea inquieti ſunt Infantes, & interruptis clamoribus in Somno perturbantur. Nec tantummodò Lactis copia, & inde orti Grumi, ac Viſcida in Pyloro hærentia, ſed etiam quæcunque ejuſdem Corruptiones in Ventriculo Vomitum inducunt. Unde ſi nidore corripiatur Lac, flaveſcentia fœtida excernuntur: Sin vitioſis Succis ex Inteſtinis in Stomachum regurgitantibus, in ſpecie Acore peregrino, in Stomacho inficitur Lac, hoc virideſcens & æruginoſum per Vomitum rejicitur.

## DIAGNOSIS.

Affectus per ſe patet: cognitio ſaltem circa Cauſas verſatur.

Copiam Lactis adeſſe, Vomitus materiæ albicantis & viſcidæ teſtantur.

Nidore corrumpi Lac, fœtida flaveſcentia rejecta loquuntur.

Viridia & ſimilia per ſe patent.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: Utilis eſt Vomitus in Infantibus, ex quacunque causâ oriatur, ſi non ſit nimius; innuit enim robuſtum Stomachum (vulgò dicitur *Stomachus flaccidus*, quod tamen falſum eſt) id eſt, ſatis ſenſilem & validè ſe contrahentem, moleſta rejicientem, quin & interdum promovendus eſt Vomitus, ſi ſignum adſit Ventriculi malè digerentis ingurgitatum Lac.

Et quidem minimum periculum habet Vomitus, ſi ſit à copiâ Lactis; ſuſpectus autem eſt non nihil, quando vario Colore, crocea, viridiuſcula ac nigricantia, rejiciuntur.

Pravus eſt, & non abſque cautelâ conſiderandus, qui eſt fœtidus, cùm putredinem Lactis inſignem ſubeſſe connotet.

CURA.

CURA.

Quoad *Curam*, ſi *Vomitus* turbet Infantes, iſque, per eſſentiam, ut vocant, fuerit, ſinendus eſt donec Mucus vitioſus aut acris Latex evacuati fuerint; poſteà cum moderato Lactis uſu Pulvis ex Nuce Moſchatâ, Corallis & Caryophyllis paucis propinetur, & ſubinde repetatur: e. g.

℞. *Corall. rub. præp.* ʒß.
*Nuc. Moſc.* gr. vj.
*Caryophyll.* gr. iij. vel iv.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis Stomachalis Adſtringens.

Vel

℞. *Lapill. Cancr. præp.*
*Corall. rub. præp.* an. ʒß.
*Cryſtall. præp.* gr. vj.
*Nuc. Moſch.* gr. v.
M. f. Pulvis.
Div. in 2. part. S. ut antè.

Vel

℞. *Corall. rub. præp.*
*Lapill. Cancr. præp.* an. ʒj.
*Extr. Tormentill.* gr. vj.
M. f. Pulvis:
D. S. ut antè.

Vel temperatior *Aqua Cinnam. ſpir.* iis infundatur. *Theriacæ* etiam externus pariter ac internus uſus in minutâ doſi non negligatur, idque etiamſi per conſenſum fuerit. Quòd ſi ablactati fuerint Infantes, & ſufficienter evacuatus Stomachus, pro quo ſcopo Syrupus de Cichorio cum Rhabarbaro interdum conducit; tunc ad quemcunque Infantum Vomitum non immeritò commendat Joel *in Pr. lib. 9. Sect. 4. Membr. 3. pag.* 344. Decoctum, quod fit ex *Caryophyll.* ʒß. & *gran. Maſtich.* ʒ j. quæ ſimul conciſa in ℥vj. *Vini rubri* bulliant; cujus Colaturæ ſubinde Cochleare unum vel alterum Infanti propinandum eſt.

Imò commendat hic ipſe etiam in abſentiâ Febris, quòd in Infantum Vomitu commodè propinentur gutt. ij. Olei deſtillati Caryophyllorum in pauxillo Vini, quod mirè conducit contra Infantum Vomitus. Loco Olei Caryophyllorum, quod tamen ferè eſt optimum, ſunt qui Oleum Menthæ deſtillatum, item Oleum deſtillatum Zedoariæ, imprimis ubi ſimul ſunt Tormina, commendant; hinc talem Potiunculam præſcribere poſſumus:

℞. *Aquæ Menthæ* ℥iß.
*Corall. rub. præp.* gr. xv.
*Ol. deſt. Zedoar.* gutt. iv.
*Menthæ* gutt. ij.
*Syr. Cydonior.* ʒvj.

Subacta invicem miſceantur, & in abſentiâ Febris propinetur Cochlear unum vel alterum contra Vomitum Infantum:

D. S.
Potio Stomachalis Adſtringens.

Ex *Cydoniis* aliàs quæcunque parata & Aromatica condîta, ut Acor temperetur, conducunt contra Vomitum Infantum, & talia Subacida tutiùs uſurpari poſſunt, quando ablactati ſunt Infantes, quoniam tunc Lactis coagulatio non æquè metuenda eſt. Conveniunt itidem grana Maſtiches cum Pulvere Galangæ & Caryophyllorum Infanti propinata; Item Nux Moſchata pulveriſata, Pulticulæ inſtrata, aceſcentiam Lactis prohibet, concoctionem adjuvat, & in ſpecie Vomitum ſiſtit.

Sed, ut *ſuprà monui*, non nimis citò compeſcendus eſt Vomitus, in ſpecie ſi *Nauſea* urget, aut *Stertor* anhelando auditur.

Quòd ſi variegata ſeu diverſicolora & multiformia Vomitu rejiciantur Recrementa, & ſuſpicio eſt, non ritè fieri Separationem Chyli à Fæcibus in Inteſtinis, cùm talia non abſque perverſo regurgitationis motu ex ſuperioribus Inteſtinis in Ventriculum eveniant, imprimis *Clyſmata* ſuprà laudata conducunt, quæ ſtimulando inferiora perverſum ſuperiorum periſtalticum motum inferiora verſùs corrigunt, materiam ex ſuperioribus deorſum versùs proliciunt, & ita Vomitûs violentiam cohibent. Clyſmata hæc componenda ſunt ex Carminantibus imprimis Aromaticis, quibus pro ſtimulo parum Salis Gemmæ addatur.

*Alias* externè inungatur Stomachi regio cum Oleo Maſtiches & Cydoniorum, quibus aliquot guttæ Olei deſtillati Caryophyllorum & Menthæ ſimul adduntur; vel aliquot guttæ Olei deſtillati Macis cum *Oleo Nucis Moſchatæ expreſſo* exceptæ commendantur.

Vel

℞. *Ol. Stomach. Crat.* ℥iß.
*deſt. Bacc. Junip.* ʒß.
*Menthæ* gutt. v.
M. S.
Balſamum Stomachale.

Aut recipiatur *fruſtulum Panis* madefactum *Vino Malvatico*, imponatur regioni Stomachi; aut irroratum *Aceto deſtillato*, cui inſpergatur ulteriùs *Pulvis Caryophyllorum*, & *Nucis Moſchatæ*, & hoc Epithema imponatur externè regioni Stomachi & Hypochondriorum ad nimium ſiſtendum Vomitum. Vel recipiatur parum *Fermenti*, & miſceatur cum *Pulvere Menthæ*, *Nucis Moſchatæ*, & *Caryophyllorum*, quæ invicem ſubacta, calefacta apponantur Stomacho.

Cerotum Stomachale ex Lindano & ipſum convenit Infantibus non minùs quàm Adultis.

## ARTICULUS IV.

### *De Singultu.*

SI *tenacior* aut *acidior Mucus* in ſuperiori Ventriculi orificio firmiùs adhæſerit, per conſenſum firmiſſimæ connexionis Diaphragma ſimul irritatur; und hujus ſub Inſpiratione facta *convulſiva contractio*, indeque *Singultus* ſubinde etiam Infantibus contumax & pertinax obvenit, qui in talibus ordinario ex *Viſcido*, circa Stomachi orificium ſuperiùs ſtabulante, originem ducit.

CURA.

Si ergò *Singultus* ex quacunque causâ, & paulò *pertinacior* adſit, *Vomitus* imprimis conducit, evellendo acres acidas Sordes, Stomacho & orificio ſuperiori adhærentes. Propinetur poſtmodùm *Pulvis Joëlis* in omni Singultu ab eo æſtimatus, ex *Cornu Cervi uſto & Coralliis præparatis* ana miſtis conflatus, cui interdum conſultò gutta una vel altera *Olei deſtillati Aniſi* aut *Cinnamomi* aut *Caryophyllorum* addi poteſt. Nec omittendus proficuus *Theriaces* uſus, aut, quod jam ſæp iùs laudavi, noſtras Aroma, *Aniſum* nempe; Singultui etiam Adultorum appropriatum, externo pariter ac interno uſu; non minùs quàm polychreſtum *Caſtoreum*.

## ARTICULUS V.

### *De Alvi Adſtrictione.*

POrrò frequenter Infantes affligit *Alvi Adſtrictio*, ita quidem, ut Infantes, qui naturaliter bis quotidie ad minimum egerunt, interdum ad biduum

& ultrà nil excernant, unde Abdomen intumeſcit, inflatum indureſcit, difficulter reſpirant, inquieti ſunt, immoderatiùs æſtuant, &c.

## CAUSÆ.

*Cauſa* ſæpiſſimè eſt *Mucilago* viſcida, craſſa & tenax ex *vitio Lactis* craſſioris, ſpiſſioris minùs debitè digeſti, magiſque caſeoſi, quæ cùm ſit tenax & viſcida, difficulter mobilis, hinc inde Obſtructioni Alvi occaſionem præbet. Nunc oritur ex *vitio Aſſumptorum* à Nutrice, ſi nempe Nutrices veſcantur Alimentis Adſtringentibus, unde Lac craſſum, aut Alimentis Adſtringentibus adſtrictorium redditur, & hinc interdum Infantibus Alvus obſtruitur; ſiquidem omnia Aſſumpta à Nutrice ſui veſtigia Lacti imprimunt: Sic Timæus *von Guldenklee in Caſ. pag.* 252. refert pertinacem Alvi Obſtructionem in Infante ex nimio eſu Caſtanearum à Nutrice. Nunc Cauſa hujus Morbi ſunt *Grumi lactei*, ex Lactis benè conſtituti corruptelâ in Inteſtinis nati, hinc inde cellulas Inteſtinorum occupantes, ſicque admodùm tardiores feceſſus remorantes.

Denique accedit his ſimul *Bilis defectus in Inteſtinis*, cujus vis ſalina attenuat & liquefacit Fæces alvinas, eaſque mobiles reddit ac fluidas. Unde ſi vel mox poſt Partum infarctus ſit Ductus Choledochus à Meconio, (unde tunc fit Icterus interdum in Infantibus,) aut ſi Mucilago ſimilis tenax eundem Ductum oppleverit, ut plurimùm Infans ſolet eſſe obſtructæ & adſtrictæ Alvi.

## DIAGNOSIS.

Ipſum vitium per ſe eſt manifeſtum.

*Cauſæ* ipſæ latere non poſſunt, imprimis ſi eſt à Matre vel nutrice.

Sin viſcida & tenax *Mucilago* ſit cauſa, Excreta ſunt craſſa & tenaciora.

*Bilis* denique *defectus* in Inteſtinis ſi fuerit, ea, quæ rejiciuntur, alba ſunt, cineritia, minuſque ordinariè tincta.

## PROGNOSIS.

Periculoſum quidem Malum hoc non eſt, niſi ſit nimis diuturnum; naturale enim eſt Infantibus, ut Alvus eorumdem ſit ordinariò laxa.

## CURA.

In *Curâ* ergò Alvi obſtructæ conveniunt *blandè Emollientia & Laxantia*, nempe Syrupus Florum Perſicorum recentium decerptorum, non ſponte decidentium, Syrupus de Cichorio cum Rhabarbaro, Syrupus Roſatus Solutivus, Syrupus de Pomis *Regis Saboris*: item Paſſulæ Laxativæ Officinales propinatæ; aut ſaltem Brodium Paſſularum Laxativum ſubinde infuſum cochleatim. Manna pro ratione Ætatis à ℥ß. ad ℥j. vel ℥ij. in Lacte diſſoluta, vel unà cum Pulte propinata, egregiè laxat Infantes; nam dulcedine ſuâ blandiente non rejicitur ab Infantibus: item cum ʒj. Olei Amygdalarum dulcium Manna commodè propinari poteſt; ſed cauti ſimus in hujus uſu, cùm ſit fermentativa, & Flatuum Torminumque in Infantibus autor. Aliàs Oleum Raparum ſaccharatum movet feliciſſimè Alvum: Conf. M.A.N.C. *Ann.* 4. & 5. *pag.* 74. Præ omnibus præſtantiſſimum eſt Remedium *Muſcerda*, No. i. vel ii. ad v. vel vi. pro varietate Ætatis plùs minùs; vel pulveriſata cum Pulticulâ uſitatâ permiſceatur & Infanti detur; vel cum Lacte diſſoluta propinetur; vel aliquot earum permiſceantur Lacti, ſubigantur, & Lac per Linteum expreſſum ita propinetur. Sanè optimè Alvum laxat; rarò fallit: Medium hoc eſt Rulando expertum, qui proprio Filiolo tres menſes nato ex Alvo obſtructâ, inſignibus Alvi Torminibus correpto, propinavit Muſcerdæ No. i. in Pulticulâ ſolitâ, unde ſoluta fuit Alvus, & Dolor omnis ceſſavit. Vel propinatur tenello Spermatis Ceti tantum, quantum cuſpis Cultelli poteſt capere in Cereviſiâ calidâ, nam hoc etiam blandè viſcidam Mucilaginem abſtergit, & Alvum laxat: ſicut in paulò robuſtioribus Pulvis Mechoacannæ inſipidus, & tamen qui Pituitam viſcidam ſuaviter detergit, optimè confert, à ʒj. ad ʒß. cum Pulte vel Pane Martio propinatus, quamvis ſit citra ſaporem & odorem. Denique, ubi magis adultus fuerit Infans,

℞. *Crem. Tartari* ℈j.
*Diagrid.* gr. v.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis Aperiens.

Datur à ℈ß. ad ʒj. pro conditione nempe Ætatis.

In Malo graviori ad Mercurium dulcem aut Aurum fulminans confugere licet.

*Externè* imprimis conducunt *Balnea*. Quibus præmiſſis *Suppoſitoria* ex ʒß. Stercoris Muris cum Melle ad duritiem cocto, quod Alvum blandè proritat, aut ſaltem domeſtica ex Sapone, vel ſimplici vel Veneto confecta applicentur, & ubi fortiùs ſtimulandum, Oleo Diacolocynthidos *Quercetani* illinatur. Vel omnium optimè conducunt *Clyſteres Emollientes* ad ʒiij. vel iv. pro ratione Ætatis; quibus, ubi opus eſt abſterſione, ſimul Mel addi poteſt: item Clyſteres ex Brodio ſeu decocto Piſorum cum Saccharo Thomæo; nam hoc abſtergendo Sordes mucilaginoſas Alvum aperit. Sin Meconium ſeu Excrementa indurata ſint in Colo ejuſque cellulis, Clyſma ſolum ex Oleo Lini & Raparum paratum commodè eadem educit, quia emollit & lubricat. Quòd ſi opus ſit fortiori ſtimulo, Decocto Emollienti addi poteſt Extractum Hellebori nigri, quod ſtimulando Alvum ſolvet. Præterea etiam *Epomphalia* ſeu Unguenta Laxativa Umbilico imponantur pro ſolvendâ Alvo; nempe *Specierum Hieræ picræ* ʒj. cum *Scammonii* gr. v. miſceantur, cum Nuce Juglande applicentur Umbilico, contumacem Alvum irritant. Item Pomum Borsdorffianum putridum cum Pinguedine Anſerinâ ſubactum applicetur Abdomini, quod promptè Alvum Infantum referat. Item Oleum Diacolocynthidos *Quercetani*, item Oleum Chamomillæ, cui incocta ſit Pulpa Colocynthidis, ſimiliter illinantur. Butyrum vel Adeps Gallinarum cum Felle Bubulo & Scammonio ſubactum illinatur quoque, pro ſtimulandâ Alvo, Umbilico.

Vel

℞. *Ungu. de Arthan.* ʒij.
*Fell. Taur. inſpiſs.* ʒj.
Cum ſ. q. *Ol. Colocynth.* f. Linimentum: S.
Linimentum Aperiens.

Item

℞. *Aloës* ʒij.
*Fell. Tauri* ʒj.
*Scammon.* ℈j.
*Butyr. rec.* q. ſ.
M. f. Linimentum.
D. S. ut ſuprà.

Illinatur Umbilico, ſic aperitur Alvus.

His ipſis Epomphaliis etiam Oleum Nicotianæ, Unguentum Dialthææ, & ubi fortiùs agendum, Unguentum de Arthanitâ, commodè permiſcetur. Vel fiat *Linimentum* ex Succo Cyclaminis, ſubacto

cum

cum Adipe Gallinæ, quæ blando calore decoquantur ad conſiſtentiam Linimenti, Umbilico illinendi.

## ARTICULUS VI.

### *De Intertrigine.*

*Intertriginis* frequenter acerbo Dolore excruciantur Infantes tenelli, Germani vocant *das Fralt ſeyn der Kinder*, & nil aliud eſt, quàm Excoriatio circa Genitalia & Clunes, item ſub Axillis, in rimis Colli, & ſimilibus locis: quæ oritur partim ex *Urinâ*, qua continuò humectatæ partes ab hujus ſalinâ acrimoniâ tenerrimam Epidermidem amittunt, & ita pedetentim penitùs excoriantur, aut quando Lintea humectata minùs ſedulò permutantur & exſiccantur: partim verò à *Sudore*, vel *inſenſibili Tranſpiratione* in Articulorum flexuris, & ſub Axillis, aliiſve locis retentâ, acrimoniâ ſimili Cuticulam erodente: quâ ita abrasâ nuda Cutis admodùm dolet, interdùm plùs minùs exulceratur, unde Agrypniæ, & continuati Infantum Vagitus, aliaque Pathemata ſubſequuntur; quæ Exulceratio etiam ad *Mortificationem* partis ſubinde tendit. In multis nempe Sudor & Urina convenit, adeòque Affectuum identitatem comitem ſecum trahere ſolent.

## DIAGNOSIS.

Malum per ſe patet.

## CURA.

In *Curâ* ergò ea, quæ Acre temperare, Humidum imbibere, & blandâ Exſiccatione & Adſtrictione poros Cutis firmare poſſunt, adhibenda.

Inſpergatur ergò Nihil album, Cornu Cervi uſtum, Creta, Ceruſſa, Tutia, Lapis Calaminaris pulveriſatus; aut loco hujus Lac Lunæ etiam convenit, & ſimilia. In ſpecie vix citiùs aut jucundiùs removetur Intertrigo, quàm Croco Martis ex Vitriolo Martis præcipitato, qui ſine ullo vel minimo ſenſu excoriata loca reſtituit, cujus defectu & Terra Vitrioli dulcis conſultò ſubſtitui poteſt, niſi Macularum in Linteis exinde natæ Flavedo ſit obſtaculo. Nempe abluantur priùs partes Intertrigine affectæ Aquâ calidâ, hinc Pulveres iſti, Nodulo incluſi raro ita inſpergantur: V. gr.

℞. *Lapid. Calam. exactè pulveriſ.* ʒiß.
*Tut. præp.* ʒß.
*Ceruſſ. lotæ* ʒj.
*Terræ Vitrioli dulc.* gr. xv.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis inſpergendus.

Ex Nodulo tenui ſuſpenſâ Manu blandè inſpergatur, ſuperimpoſito Linteolo.

Vel qui fit ex Cornu Cervi uſto, Cretâ, & Ceruſſâ miſtis: e. g.

℞. *Cornu Cervi uſti præp.* ʒij.
*Cretæ albæ præp.* ʒiß.
*Ceruſſ.* ʒß.
*Pulv. Roſar. rub.* q. ſ. pro gratiâ coloris.
M. f. Pulvis:
D. S. ut antè.
Vel
℞. *Lap. Calam.* ʒß.
*Croci Martis ex Vitriolo Martis præcipitati* ʒj.
*Cretæ præp.*
*Ceruſſæ* an. ʒj.
M. f. Pulvis ſubtilis.
D. S. ut antè.

Gravius ſi Malum fuerit, & ad aliqualem Exulceratione jam devenerit, aut ubi Rubor ſalem & Calor adjunctus ſit intenſus, Saccharum Saturni commodè additur; vel loco hujus Ceruſſa, vel Unguentum de Lithargyrio, aut Unguentum album, ſeu de Ceruſsâ camphoratum, aut Unguentum Diapompholygos, &c. hiſce locis commodè inungitur.

## ARTICULUS VII.

### *De Umbilici Prominentia.*

POrrò Infantibus recèns natis ſubinde Umbilicus laxior inſigniter protuberat ac prominet, & in formam parvi & anguſti Farcimiuis inverſi protenditur, hinc *Umbilici Prominentia* dicta. Nullus adeſt Ardor, nullus mutatur Color, nec Tumor, ſpecialiter Umbilicus ita protuberat, & in medio ſui prope Peritonæum Foraminulum quaſi exhibet. Accidit hoc Malum, cùm *Funiculus Umbilicalis* à Partu non debitè ligatur, parſque ejus major, quàm debeat, relicta eſt, quæ ita in altum attollitur & protuberat, vel cum Peritonæo nonnihil relaxatur, unde vel Omentum, vel Inteſtinulum quoddam relaxatum ſe inſinuat, & ita eundem prominere faciunt: id quod frequentiùs à *Fletu* Infantum nimio, item à *Tuſſi* vehementiori accipiunt, quibus occaſionibus facilè relaxari Peritonæum & ita Umbilici Prominentia induci poteſt.

## DIAGNOSIS.

Umbilicalis hæc Prominentia per ſe manifeſta eſt, dum foràs prominet & tumet citra Colorem, & citra omnem ad tactum Dolorem.

Cauſæ Antecedentes facilè patent per ſe.

## PROGNOSIS.

Malum non contemnendum eſt, quia temporis ſucceſſu ſucceſſivè increſcere, & ita in *Omphalocelen*, ſeu perfectam Umbilici Herniam degenerare poteſt.

## CURA.

In *Curâ* probè obſervandum eſt, ut præcaveantur ſedulò *Flatus* in Infante, in quem finem Semen Aniſi, exque eo parata Remedia, ſedulò uſurpentur.

*Externè* verò, imprimis ſi *Ruptura* adeſt *Peritonæi*, convenit Herba Perſoliata, contuſa, cocta, Umbilico impoſita: item Rob Acaciæ noſtratis diſſolutum in Liquore appropriato ad conſiſtentiam Unguenti ſeu Linimenti, illinatur Umbilico relaxato, donec denuò coëat: vel, quod optimum eſt, Pulvis Maſtiches pauxillo Terebinthinæ in Mortario calido ſubactus, & cum Linteo impoſitus; videat. Welſchius *Hecat. 2. pag.* 22. Item Plantago & Muſcus Pruni ſylveſtris in Vino rubro probè cocta, & Cataplaſmatis formâ impoſita, & aliquamdiu continuata. Semen Perfoliatæ cum Adipe Urſino probè ſubactum etiam confert. Optimum eſt ſi formentur Globuli ex Corio, magnitudine rotundi Groſſi præter propter, ſeu quanta eſt Prominentia Umbilici, qui Globuli Linteo obvoluti obducendi ſunt Emplaſtro Oxycroceo aut Maſtiche, & ita imponendi ſunt cum firmâ *Ligaturâ* Umbilico prominenti. Conducit etiam, ſi Oleo Ovorum illinatur Umbilicus prominens toties, quoties ligatur Infans novis Faſciis, & poſt Inunctionem hanc imponitur Globulus latus factus ex Cerâ flavâ cum Maſtiche permiſtâ, qui Globulus convenienti Faſciâ firmandus eſt, ut firmiter hæreat, donec denuò coëat ſucceſſivè Umbilicus.

Noſtrates ex Cerâ flavâ faciunt Pileolum parvum, quem inverſo ſitu Umbilico imponunt, & ita Ligaturâ firmant, aliquandiu ita relinquunt, donec denuò ſponte ſuâ coaleſcat Peritonæum atque curetur Malum.

## ARTICULUS VIII.

### *De Umbilici Inflammatione.*

RECèns deciſus *Umbilicus* interdum *inflammatur*, unde ejuſdem Tumor, Rubor, & ad tactum inſignis Calor percipitur, durus eſt Umbilicus, nonnihil dolet, nec tactui facilè cedit, & ſi attingatur, Infantes ejulatu Dolorem produnt.

### CAUSÆ.

Oritur ferè, cùm Ligatura ante Abſciſſionem non firma ſatis facta fuerit: hinc enim ex Abſciſſione propter Dolorem, aliamve ſimilem occaſionem facilè inflammatio excitari poteſt, quò ruptô Inteſtina procidunt. Imò interdum ſimul ipſa Inteſtina afficiuntur, ita ut excretio Fæcum Alvi per Umbilicum ſuppuratum obſervata & curata fuerit in M.A.N.C. *Ann.* 3. *Obſerv.* 64. *pag.* 110. Fit etiam ex alteratione ejus ab Aëre externo, vel etiam interdum ex nimio Clamore, & Tenſione Abdominis; quod tamen rarum eſt.

### PROGNOSIS.

Facilè curari poteſt, ſi maturè fiat: ſin verò Cura tardiùs inſtituatur, & factus ſit *Abſceſſus*, periculum eſt Prolapsûs Inteſtinorum Infantis per Umbilicum.

### CURA.

In *Curâ* ergò Inflammatio ſubitò & quantocyùs fieri poteſt, diſcutienda & reſolvenda eſt; in quem finem optimè convenit, ut maturè illinatur locus inflammatus Oleo Roſarum, aut Oleo Lumbricorum terreſtrium, cum Ceruſsâ vel Saccharo Saturni probè ſubactum: item Saccharum Saturni in Decocto Malvæ ſolutum, addito Oleo Roſaceo, cum Linteis multiplicatis imponatur: item Emplaſtrum de Spermate Ceti *Mynſichti*, Emplaſtrum Album, ſeu de Ceruſsâ camphoratum, aut Emplaſtrum de Spermate Ranarum Officinarum, imponendum.

Sedatâ denique Inflammatione Oleum Chamomillæ vel Anethi tepidiuſcula illinenda ſunt, ad reliquias omninò diſcutiendas.

## ARTICULUS IX.

### *De Ani Procidentia et Teneſmo.*

COgnatus his Inteſtinalibus Affectibus eſt frequens in Pueris obſervabilis *Ani Procidentia*, eòque frequentior, uti dico, in Pueris, quò laxior magis, magiſque flaccida exiſtit ſubſtantia Inteſtini Recti, & Muſculorum ejus.

### CAUSÆ.

*Cauſa* ergò, quare interdum foràs promineat Anus, ſeu Inteſtinum Rectum, eſt ſæpiùs *Teneſmus*, ſeu continuus, fruſtraneus tamen, egerendi Infantum conatus; qui Teneſmus oritur ex Mucilagine acidâ & viſcidâ, Inteſtinum Rectum obſidente, à qua continuò irritatum continuò egerere nititur, unde tandem foràs protruditur Inteſtinum Rectum. Præter talem Teneſmum etiam nimia Laxitas ac nimia Flaccidi.as Muſculorum Inteſtini Recti ſubinde Cauſa eſt hujus Procidentiæ, in ſpecie quando nimis frequenter Suppoſitoriis moleſtantur tenelli.

### DIAGNOSIS.

Affectus ipſe per ſe patet, facilis etiam eſt reſtitutionis, ſi tempeſtivè fiat: alias periculum eſt, ne ab Aëre ambiente alteratum Inteſtinum in Gangræna dilabatur.

### CURA.

Ut ergò denuò reſtituatur Anus prolapſus, ſi eſt ex *Laxitate*, ſufficit ſola cum Linteo calido *Repoſitio*, aptaque Infantis *Faſciatio*, ut pedibus extenſis ita permaneat.

Sin verò Cauſa Prolapsûs ſit *Teneſmus*, tunc ad corrigendum & tollendum Teneſmum conducit imprimis *Sacculus*, aut etiam *Inſeſſus*, *Balneum*, voca ut lubet: v. g.

℞. *Flor. Verbaſc.* M. iij.
*Furfur. tritic.* M. ij.
*Sem. Cumin.* ℥j.
*Bacc. Laur.* ʒß.
Inciſa & contuſa includantur
*Sacculo interpaſſando*: D. S.
Sacculus ſiſtens.

Sacculo inſuta coquantur in ſufficiente quantitate Aquæ: Sacculus expreſſus calidus ſupponatur, ita ut eidem inſideat Infans, nam hic tollit Teneſmum.

Utilis etiam eſt ad Teneſmum *Suffitus* ex Terebinthinâ prunis injectâ ſeu impoſitâ. Vel

℞. *Colophon.* ℥ß.
*Sarcocoll.* ʒij.
*Bacc. Lauri*,
*Sem. Fœnic.* an. ʒj.

Quæ pulveriſata prunis injiciantur, & inde exiens Fumus excipiatur Ano: D. S.
Pulvis ſingularis ad Suffitum.

Curato Teneſmo facilè poſtmodum reſtitui poteſt Anus prolapſus.

Quòd ſi citra Teneſmum Anus ſit prolapſus, ſi *ab Aëre alteratus* nonnihil intumuerit, ante Repoſitionem fovendus eſt Decocto Malvæ & Seminis Cumini in Aquâ & Vino.

Fotus ita Anus denuò blandè reponendus, qui repoſitus in ſuo loco maneat. Optimum eſt, ſi Infans inſideat Aſſeri plano calido, cui Maſtiche ſit illita; aut etiam loco Maſtiches, Sevum Hircinum aut Cervinum ſufficit, ſi Aſſeri dicto calido illinantur: Vel etiam fovendus eſt Anus hoc ipſo Sevo Hircino aut Cervino liquefacto, & ita reponendus, non enim adeò facilè poſtmodùm denuò excidit.

Conducit etiam *Inſeſſus* ad Umbilicum uſque in Decocto Adſtringentium, Gallarum nempe, Glandium, corticum Granatorum, Foliorum Myrti & ſimilium, adjecto, ſi opus ſit, pauco Alumine: Aut etiam intrudatur vel applicetur Ano parum Bombacis imprægnatæ Pulvere Sanguinis Draconis, Maſtiches pulveriſatæ, Balauſtiorum, Thuris & ſimilium: Nam his facilè Anus repoſitus in loco ſuo firmabitur.

## ARTICULUS X.

### *De Urinæ Suppreſſione.*

NOn rarum eſt, quòd Infantes tenelli, præſertim Puelli, *Retentionem* aut *Difficultatem Urinæ* patiantur, ita ut vel planè non eandem excernere

nere poſſint, vel cum inſigni Difficultate aut Dolore eandem excernant, idque interdum mox à Partu obſervatur: in talibus Materia inſtar Sabuli ſubtilis rufeſcentis, qui Meatum urinarium obſidet, cum Urinâ interdum excernitur. Putant Mulierculæ eſſe Calculi rudimentum; quod tamen non eſt, cùm ſucceſſivè ſubtili hoc Sabulo excreto, ordinariè & ritè profluat Urina.

## CAUSÆ.

Frequentior *Cauſa* eſt *Pituitoſus Humor* viſcidus & craſſus, quâcumque ratione ad Meatum urinarium delatus, qui in Cervice Veſicæ denuò quaſi inſpiſſatus aut concretus, Meatum urinarium plùs minùs obſtruit, & Malum hoc infert, unde talium Urina craſſa & fæculenta quaſi excernitur.

Origo hujus Mucilaginis eſt *ab Aſſumptis*, imprimis Pultaceis viſcidioribus, dum propinantur Pultes ex Farinâ, aut Pane ſimilagineo (Germ. *von Semmel*) non ritè fermentato, quo Viſcidum in Stomacho difficulter digeritur, & Viſcida copioſa inde in primis viis generantur, quæ ad Veſicam urinariam cum Urina derivata Retentionem & difficultatem Urinæ inferunt.

Denique Pueri interdum reverà *Calculo* obſervantur obſeſſi, unde Urinæ Suppreſſio.

## DIAGNOSIS.

Malum per ſe patet, dum nihil vel parum ab Infantibus excerni conſpicitur.

Item Ejulatus & aliqualis Tumor circa regionem Veſicæ ſufficienter Malum declarant.

*Calculus* præſens vix alia ratione quàm per Catheterem in Infante jam nonnihil robuſtiore cognoſci poteſt.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: Malum in Pueris non contemnendum eſt hæc Urinæ Suppreſſio, cùm nulla excretio præternaturaliter ſine periculo in Infantibus ſupprimatur, quin plura alia Symptomata, nempe Dolor, Ejulatus, Vigiliæ & ſimilia exinde oriri queant.

Imò ſi diutiùs protrahatur Malum, periculum eſt, ne exinde Mors immineat Infantibus.

## CURA.

Ergò primò quidem *Mucilago* tenax & viſcida *eſt evacuanda*: quod præſtat imprimis Mechoacanna propinata cum Syrupo Roſarum ſolutivo.

Evacuato Corpore *promovenda eſt* blandè *Urina*. Conveniunt imprimis Flores Cyani & Calcatrippæ; ſive propinetur horum Aqua deſtillata, minoris tamen efficaciæ; ſive decoquantur in Aquâ ſimplici, vel Potu ordinario Cereviſiæ, & propinetur Decoctum Infanti; aut, quod melius eſt, ſi in iis, qui jam ſunt ablactati, fiat Infuſio horum Florum Cyani & Calcatrippæ in Aquâ Polygoni & Ononidis cum Spiritu Salis dulci aciduſatis; ſic enim extrahitur elegans Tinctura, cui gratia ſaporis concilianda cum Syrupo Capillorum Veneris, aut cum Syrupo Artemiſiæ. Convenit imprimis Decoctum Cicerum & decoctum Radicis & Summitatum Fœniculi, quæ ſufficiunt in Infantibus ad promovendam Urinam. Terebinthinata omnia, in ſpecie Spiritus Terebinthinæ, egregius eſt ad promovendam Infantum Urinam. Expertus eſt Succus Paſtinacæ luteæ recèns expreſſus, & Infantibus ita propinatus. Semen Violarum, & ex hoc parata Emulſio cum dictis Aquis appropriatis, in ſpecie Ononidis, etiam egregium eſt Medicamentum: v. g.

℞. *Sem. Violar.*
*Amygd. dulc.* an. ʒj.
Cum ſ. q. *Aquæ Petroſel.* f. Emulſio,
cui adde
*Lapill. Cancr. præp.*
*Corall. rub. præp.* an. ʒß.
Edulcoretur parum.
M. S.
Emulſio Aperiens & Leniens.

Profuit Infanti 4. dierum, Alvi Tormina & Urinæ Suppreſſionem habenti.

Item in alio Infante, ex Suppreſſione Urinæ:

℞. *Sem. Violar.* ʒj.
Cum ſ. q. *Aquæ Flor. Sambuci* f. Emulſio:
adde
*Cornu Cervi ſine igne* ʒß.
*Antimonii Diaphor.* gr. v.
Edulcoretur parum.
D. S. ut ſuprà.

Farina ex Lycopodio, ſeu Sulphur Vegetabile, nobile Specificum eſt in Suppreſſione Urinæ Infantum, etiam ſi jam exinde Epilepſia immineat: vid. M. A. N. C. *Anno 3. Obſervat. 15. in Schol. pag.* 20. Datur à ʒß. Infanti trium annorum.

*Externè* illinatur regio Pubis & Perinæi cum Oleo Scorpionum ſimplici.

Vel

℞. *Olei Lil. alb.*
*Chamom.*
*Scorpion.* an. ʒj.
*Pulv. Scorpion.* ʒiß.
M. D. S.
Unguentum Urinam promovens.

Quod Linimentum poſt Balneum aut Fotum inungatur dictæ regioni.

Aut etiam Unguentum Dialthææ cum Oleo Scorpionum permiſtum, iiſdem in locis illinendum eſt. Si fortiùs agendum eſt, Oleum Scorpionum cum pauco Oleo Ceræ illinatur regioni Veſicæ ad promovendam Urinam: item Cataplaſmata ex Parietariâ cum Oleo aut Pinguedine Anſerinâ applicata: item Cataplaſmata ex Chamomillâ vulgari applicata regioni Veſicæ ſunt optima. Poſſunt etiam ſimul addi modò dicto Cataplaſmati ex Parietariâ Cepæ ſub cineribus coctæ, quæ & ſolitariæ ſunt optimæ: ſic enim optimè & promptiſſimè promovetur Urinæ fluxus.

Vel

℞. *Herb. Pariet.* M. ij.
*Chærefol.*
*Flor. Chamomill.* an. M. j.
Coqu. ad mollitiem:
Pulpæ per Setaceum trajectæ adde
*Ol. Scorp.* ʒß.
*Butyr. rec.* ʒj.
M. D. S.
Cataplaſma Aperiens.

Applicetur calidè regioni Pubis.

*Balnea* denique ſunt uſitata, quæ emolliunt & reſolvunt nonnihil Sordes iſtas mucilaginoſas, multùm profunt ad ſtimulandam Suppreſſionem.

## ARTICULUS XI.

### *De Incontinentia Urinæ.*

COntrarium vitium eſt, quando *Infantes retinere nequeunt Urinam*, & dicitur *Incontinentia Urinæ*, Malum quod in Ætate tenellâ vix poteſt judicari, quoniam imprimis Infantes in Somno excernunt neſcientes & nolentes: poſtmodùm verò ubi talia intelligere incipiunt, ſi Urinam retinere nequeant, vitioſum eſt, ſive fiat *ex Conſuetudine;*

*ſuetudine*, ſive fiat interdum *ex vitio partium Veſicæ*, in ſpecie *ex Reſolutione ejuſdem Sphincteris*, aut ex læſione ejuſdem *à Calculo*, aut quâcunque aliâ Sphincteris Veſicæ læſione.

An ſit ex Conſuetudine, vel non? non poteſt cognoſci, niſi in Infantibus nonnihil robuſtioribus: in quo caſu & tempore etiam Cura inſtituenda eſt.

Talis Urinæ Incontinentia *ex Conſuetudine* nihil mali ſub ſe habet, ſin verò vitium ſit *in Sphincțere*, hoc ipſum maturè corrigendum eſt, imprimis per *Balnea* ex Nervinis & Adſtringentibus parata, uti ſunt in ſpecie ex Foliis Quercûs, ex Salviâ, ex Saturejâ, Fœniculo & ſimilibus. Inungi etiam poteſt Oleum Maſtichinum, quod valdè adſtringit, uti etiam Unguentum Comitiſſæ cum Oleo Irino, & etiam cum Oleo Coſtino.

*Internè* Pulverem ex Caſtoreo & Myrrhâ cum Oxymelite propinandum commendat Joel, ſi ſubſit Affectus quodammodò Paralyticus, ſeu ex Laxatione Sphincteris Veſicæ.

Commodè etiam propinatur *internè* Pulvis ex Erinaceo uſto, Herbâ & Semine Agrimoniæ, Maſtiche, Medulla Saxorum, & ſimilibus *ſuprà l.* 1. ubi *de Urinæ Incontinentiâ* actum fuit, propoſitis.

## ARTICULUS XII.

### *De Herniis Infantum.*

MUltùm etiam Infantes teneriores obnoxii ſunt *Herniis*, tam *Umbilici*, quàm *Scroti*, ex Peritonæi frequentiùs Relaxatione, rariùs ex ejuſdem Ruptione.

Occaſionem *Peritonæo relaxando* ſuggerit Clamor nimius aut continuus Ejulatus, Tuſſis crebrior ac vehementior, ac denique intenſior Fæces egerendi per Alvum conatus: quæ ipſa eo magis ad hoc Malum diſponunt, quò magis Infantum Abdomen, vel naturaliter vel præternaturaliter tumet, aut prout magis vel minùs Flatibus fuerit turgidum.

## DIAGNOSIS.

*Signa Herniarum*, Scroti & Umbilicalis, per ſe patent, dum imprimis violenta talis Cauſa præceſſerit, v. g. Ejulatus, Clamor, Tuſſis, vehemens egerendi Conatus &c. ſicut etiam, quòd altera tantummodò Scroti medietas ordinariò ferè ſit affecta & tumida.

Ab *Hydrocele*, ſeu Tumore ex aquoſitatibus, ex Abdomine in Scrotum deſcendentibus nato, Hernia diſtinguitur, quòd ille utrumque Scroti latus occupet, Scrotum quoque tumidum magis, quàm in Herniis, obſervetur, nec tam facilè recedat Tumor, atque recedit iſte, qui eſt ab Inteſtinis; atque denique admotâ Candelâ quaſi limpidus & perſpicuus iſte Tumor apparere ſolet, ſi eſt Hydrocele; in Herniis verò Inteſtina prolapſa tactu ferè poſſunt deprehendi, ſecus ac in alio Scroti Tumore.

Herniæ Umbilicales etiam per ſe manifeſtæ ſunt, dum foràs Umbilicus prominet & tumet citra Dolorem, & citra omnem ad tactum Dolorem.

Cauſæ Antecedentes facilè patent per ſe.

## PROGNOSIS.

Propriè dictæ Herniæ in Infantibus facilè curantur, modò debitum Regimen accedat, Peritonæo adhuc molliori exiſtente, & quidem naturali augmento facilè firmatur denuò ac conſolidatur.

## CURA.

In *Curâ* ergò Herniarum *internè* Pulveres, Decocta, aut Syrupi ex Vulnerariis præparati imprimis conveniunt, v. g. Decoctum Herniariæ edulcoratum cum Syrupo Symphyti, aut Decoctum Perfoliatæ cum Saniculâ; aut detur Pulvis Seminis Perfoliatæ, Herniariæ, Conſolidæ majoris, &c. item harum, uti & Saniculæ, Plantaginis, &c. Aquæ deſtillatæ: obſervando ſimul, ut, quantum poſſibile, Flatus arceantur ab Inteſtinis.

*Externè* ſingulare Experimentum eſt in Herniis Infantum, ſi admoveatur Fruſtum Pellis ſeu Cutis Anguillæ ſolummodò obtinctæ cum Albumine Ovi; hæc enim applicata mirè conſolidat Rupturam Peritonæi: cum quo Remedio internè ſimul propinandum eſt Semen Naſturtii Vino infuſum. Certum eſt Experimentum. Quòd ſi ipſa Cutis Anguillæ hoc modo applicata non ſit ſufficiens, accipiatur Pellis Anguillæ ſalitæ, quæ coquatur in Lixivio forti ad conſiſtentiam Emplaſtri, Alutæ inducendi, quod Emplaſtrum loco Rupturæ applicatum brevi conſolidat eandem. Vel fiat Emplaſtrum ex *Gummi Carannæ* p. ij. & *Seminis Naſturtii* p. j. ſubactis cum pauxillo *Terebinthinæ coctæ*, quod inducatur ſuper Linteum craſſum, & applicetur loco hernioſo, ut probè adhæreat. Item Emplaſtrum Dia-Sulphuris *Rulandi*, aut ſaltim Cerotum ex Pice, imponatur, relinquendo tamdiu, quamdiu firmiter adhæret, ſimul Subligaculis aut Faſciis muniendo loca hernioſa, ut Inteſtina & Omentum in loco naturali retineantur.

Ubi repoſita fuerint Inteſtina, ſuperimponunt *Fomenta* Adſtringentia ex Vulnerariis, Perfoliatâ, Hernariâ, Plantagine, Myrtillo, Rob Acaciæ, & Alumine, in Aquâ & Aceto nonnihil coctis & ita applicatis. Superimponendum quoque eſt loco rupto aut laxato Emplaſtrum ex Gummi Elemi, in Aceto macerato, denuò inſpiſſato, cum Oleo Ovorum in formam Emplaſtri ſubacto. Vel fiat Emplaſtrum Adſtringens & quaſi corrugans ex *Maſtiche*, *Ichthyocollâ*, *Tacamahacâ*, *& Gummi Arabico* ana ʒij. *Thuris*, *Picis Græcæ*, ac *Picis nigræ* ana ʒij. quæ ſubacta Alutæ (vel Linteo potiùs, quod tractabilius eſt) inducta imponantur loco Rupturæ. Aut illinatur frequenter locus Rupturæ cum Oleo Hyperici & Oleo Ovorum, & ſuperimponatur poſtmodùm Emplaſtrum de Pelle Arietinâ.

Communiter Lapis Ceraunius, ſeu Lapis Fulminaris, ad curandas Hernias Infantum laudatur. Novi Infantem ejus beneficio curatum, qui ex nimiis Clamoribus Enterocelen Scroti contraxerat: nempe Mater omni mane & veſperi, quoties Infantem lecto imponeret, cum Lapide Fulminari ſalivâ probè humectato, aliquoties compreſſit ſurſum verſùs Lapidem ducendo, & ita continuato uſu Herniam curatam vidi. Porrò Radix Conſolidæ majoris conteratur, & Cataplaſmatis inſtar loco affecto imponatur, omnibus duodecim horis renovando, multùm confert contra hæc Mala.

Quòd ſi copioſi *Flatus* adſint, Litibus, aut Fotibus ex Foliis Lauri, Floribus Chamomillæ & Sambuci, cum quatuor Seminibus Calidis majoribus, aliiſque Carminantibus, Vino incoctis, & inſtar Fomenti applicatis, ſedulò hi ipſi diſcutiendi, ne Conſolidationem impediant.

## ARTICULUS XIII.

### *De Scroti Tumore Aquoſo.*

OBſervandum, præter hujuſmodi Hernias Umbilici ac Scroti, etiam Infantes ſubinde alio adhuc

adhuc *Scroti Tumore*, nempe *Aquoſo*, laborare, in quo, Peritonæo ſalvo, Scrotum à collectis Aquoſitatibus ſeroſis intumeſcit, & inſciis pro Hernioſo Affectu imponit.

## DIAGNOSIS.

*Signa* Hydroceles ex *Artic. antecedente patent.*

## PROGNOSIS.

Tumores Aquoſi Scroti ſine periculo ſunt, cùm niſi ſint nimii, ſponte ſuâ evaneſcant, vel ſolius Arcani Duplicati uſui cedant.

## CURA.

Tumor Scroti Aquoſus & Hydrocele curatur Litu Olei Laurini & Chamomillæ, vel Cataplaſmate ex Farinâ Fabarum, Pulvere Seminis Cumini ac ſimilibus in Aquâ coctis, impoſitis. Cataplaſma ex Stercore Caprillo eſt optimum, aut ſolus Fotus ex Succo Stercoris Caprilli admotus eſt optimus.

# ARTICULUS XIV.

### *De Aphthis.*

FAmiliare perquàm Malum eſt interdum paucis à Partu diebus affligens, quod *Aphthas* vocant, Germ. *Schwamme*, *oder Blaſen auff der Zunge der Kinder.* Sunt ſcilicet Tubercula parva, ſeu Puſtulæ quaſi veſicales, quæ hinc inde in Linguâ, carne Gingivarum, Faucibus, Palato, Oeſophago &c. elevantur, in medio ſui albicantes: in circumferentiâ intensè rubent, Infantibus verò inſigni Ardore & Dolore non levi impedimento ſunt, quò minùs Lac ſugere poſſunt. Hæ ipſæ Veſiculæ ſucceſſivè, niſi curentur, interdum in perfecta abeunt *Ulcuſcula*, exesâ ſcilicet ſuperiori tunicâ ſeu pelliculâ, quæ tamen poſtmodùm facilè curantur: non rarò ſerpunt, & in Ulcera Serpentia abeunt, & aliqualem imprimis Gingivarum Putredinem inducunt: interdum acriori dum conſtant materiâ, fœtere ſolent, & Putredine junctâ longiùs ſerpunt, ac ſerpendo latiùs vicina depaſcunt. Affligunt imprimis Fauces, Linguam, hinc Gingivas & Palatum, interdum tamen etiam Oeſophagum & Ventriculum, imò & ipſa Inteſtina occupant: id quod tunc temporis imprimis patet, quando in Excrementis rejectis parvæ Squamulæ hinc inde conſpiciuntur.

## CAUSÆ.

*Cauſa* harum Aphtharum eſt acre Acidum, excorians & exulcerans plùs minùs dictarum partium ſuperficiem. Fons peccantis Acidi ſæpiſſimè eſt Coruptela & Aceſcentia nimia Pultis & Lactis tenuis aquoſi in Ventriculo. Utut enim aut Lactis Nutricis, aut Salivæ ipſius Infantis à quibuſdam nimia accuſetur Acrimonia, vix tamen in Infantibus aliam originem agnoſcunt, quàm acres Halitus, qui ſucceſſivè ex Stomacho aſſurgunt, Os quodammodò inflammant, & hinc inde talia Ulcuſcula excitant. Nam & in Adultis frequenter contingere ſolet, ut correpti Febribus, Cruditatibus recrementoſis, in ſpecie porraceis, in Stomacho exiſtentibus, Aphthis moleſtè laborent, niſi maturè fomes removeatur à Medico ex Ventriculo.

## DIAGNOSIS.

*Diagnoſis* ex dictis patet in principio.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: Per ſe nihil periculi habent Aphthæ, niſi ſint nigricantes aut ſublividæ; tales enim ſæpè abeunt in Ulcera depaſcentia & periculoſa: ſicuti etiam Aphthæ reliquæ, ſi perfectè exulcerentur, & in Ulcuſcula abeant ſerpentia, non ſunt adeò contemnendæ.

## CURA.

Maturè removendæ ſunt, partim quòd ut plurimùm ſuctionem Lactis impediant, partim quòd periculum ulterioris Exulcerationis inferant. Conducunt ergò Collutio Aphtharum cum Urinâ propriâ, eaque repetita, vel Aquâ Ferrariorum, in qua Salvia & parum Mellis bullierint, pro abluendo Ore: item Succus Sempervivi & Portulacæ cum Aquâ Roſarum permiſtus uſurpatur, quæ etiam eaſdem ſubitò corrigunt & emendant.

Vel

℞. *Aquæ Roſar.* ℥ij.
Miſc. cum *Vitello Ovi* probè conquaſſato & *Sacchari albi* vel *candi* parum: quâ Miſturâ abluantur Aphthæ, ut ſic diſpareant:

Ubi nimis æſtuaverint, tunc loco Aquæ Roſarum commodè Aqua Spermatis Ranarum, aut Aqua Fragorum, cum tantillo Aluminis poteſt adhiberi. Mucilago etiam Seminis Cydoniorum cum Aquâ Spermatis Ranarum extracta; etiam cum Succo Sempervivi majoris ſubacta, Linimentum præbet non inconveniens pro illinendis Aphthis. Plures in uſu habent Fungos Sambuci, Auriculæ Judæ dictos, quos infundunt aut coquunt in Aquâ Salviæ vel Lacte, & abluunt Aphthas, & ſanè optimè proſunt. Præ cæteris Ranæ in Aphthis egregiè conveniunt, ſive recipiatur Succus Raparum in Aquâ coctarum expreſſus, cui aliquid Sacchari vel Mellis addatur; ſive recipiatur Decoctum Raparum; ſive recipiantur Rapæ ſupra ignem tecto vaſe ſine Aquâ aſſatæ, ex quibus expreſſus Succus, etiam ſine Saccharo eſt optimus dicto modo illitus. Item Oleum Raparum ſaccharatum eſt præſtantiſſimum pro Aphthis: Vid. de his Sylvius *lib.* 3. *Prax. ubi de Morbis Infantum*; item *Miſc. Academ. Nat. Curioſ. Ann.* 4. & 5. *pag.* 73. Bartholini *Act. Med. Haffn. Vol.* 4. *pag.* 49. Si deteriores ſint Aphthæ, pro lotione Oris Decoctum Veronicæ in Aquâ ſimplici factum cum Melle miſtum; aut loco Veronicæ poteſt ſumi Satureja, quæ ſimili ratione adhibita convenit. Decoctum Salviæ in Vino vel Hydromelite fricando Aphthas & benè Os abluendo eaſdem ſanat: aut etiam Decoctum Foliorum & Florum Liguſtri in Aquâ communi, addito pauco Melle, pro Aphthis perfectè exulceratis ſanandis uſu frequenti compertiſſimum eſt.

Facit huc! *Gingivarum Putredo*, curanda per ſequens Decoctum:

℞. *Herb. Chærefol.* M. j.
*Salv.* Mß.

Quæ in *Aquâ ſimplici* decocta, cui parum *Aceti*, & in fine paululum *Mellis* additum ſit, dat quaſi *Gargariſma* ſeu Miſturam admodùm convenientem in hac Putredine Gingivarum.

Vel ubi adhuc plùs ulcerantur, convenit *Linimentum* ex Myrrhâ, Thure, Gallis, & Melle; quæ invicem miſta exulceratis locis illinuntur.

In *Aphthis Exulceratis* periculoſioribus adeoque Serpentibus, idque in Ablactandis imprimis (nam Lactantium Nutrimentum lacteum pro medicinâ ex parte inſervire poteſt:)

℞. *Aquæ Plantag.*

Quæ imprægnetur *Spiritu Vitrioli* ad ſuavem ſaporem, addito vel omiſſo *Melle*, aut *Syrupo Violarum.*

Hoc ipſo tangantur Aphthæ, optimè prodeſt.

Porrò ubi alia non juvant, inſtar omnium ſit *Linimentum* ex Melle Roſato, vel ſimplici, cui tantillum Spiritûs Sulphuris, vel Spiritus Vitrioli, vel, quod magis placet, Spiritûs Salis fuerit admiſtum, quo ſubinde illinantur Aphthæ Exulceratæ; ſic enim curantur. Aut denique Ulcera Oris Serpentia in Ore Infantum curat Linimentum ex Melle deſpumato, cui Album Græcum eſt immiſtum; hoc enim illitum loco exulcerato eundem ſanat: Colluatur poſtmodùm Os cum Aquâ Vincæ Pervincæ, cum Aquâ Salviæ, Plantaginis, & ſimilibus.

Sed cum hac Curâ Externâ etiam Interna, partim Abſorbentia, partim blandè Laxantia, interdum Anodyna uſurpanda ſunt: Conf. Riverius *Cent.* 2. *Obſerv.* 43. & *Centur.* 3. *Obſerv.* 35.

## ARTICULUS XV.

### *De Vigiliis Nimiis.*

*Vigiliæ nimiæ*, dum nimis vigilant, & parùm dormiunt, ſubinde graviter vexant Infantes, unde non ſolùm Nutritio eorum impeditur, ſed etiam aliis Malis occaſio ſimul ſuggeritur. Ut plurimùm alios ſequuntur Affectus, & adſunt non per πρωτοπάθειαν, ſed per δευτεροπάθειαν.

### CAUSÆ.

*Cauſa* omnium frequentiſſima eſt (1) *Abundantia Lactis & Pultis*, quo infarcti Infantes ex Digeſtione laborioſiore minùs dormire poſſunt. (2.) Eſt *Lac acrius*, plùs minùs irritans Præcordia aliaſque partes nervoſas, cùm quotidie in Praxi obſervemus, Lac unius Nutricis longè magis quietos reddere Infantes, quàm alterius; quò minùs nempe temperatum, ſed magis butyroſum fuerit, eò minùs dormire valent. (3.) *Cruditates* & acria Contenta præternaturalia in Stomacho & primis viis, Lac plùs minùs vitiantia, & partes nerveas circa Hypochondria irritantia, ſæpiſſimè inquietos reddunt Infantes, & Somnum interruptum efficiunt, in ſpecie ubi Cruditates vitioſæ fermentando ſimul inflationes Hypochondriorum effecerint. (4.) *Dentitio* difficilis. (5.) *Lumbrici* ſubinde pertinaces Vigilias cum ejulatu diuturno ſolent inducere: Vid. M.A.N.C. *Ann.* 8. *Obſer.* 36. *pag.* 66. Adeòque ſemper in Agrypniis Infantum ex Causâ internâ ad primas vias reſpiciendum, cùm ibidem ferè Cauſæ lateant.

### SIGNA.

Affectus per ſe eſt manifeſtus, & periculoſus, propterea, quoniam Vires Infantum notabiliter dejicit, atque occaſionem dat epilepticis Inſultibus.

### CURA.

In *Curâ* ergò præmiſſis præmittendis, in ſpecie blandè Laxantibus ac primas vias Abſtergentibus: cautiùs uſurpentur *Papaverina*, nempe Syrupus de Papavere, Emulſio ex Semine Papaveris & ſimilia, Infantibus tenellis ferè damnoſa, nec, niſi præmiſſis aliis, idque cautè, admovenda, vel in imminutâ doſi propinentur, quia ſtuporem & torporem inſignem inducunt Spiritibus Animalibus, ut poſtmodùm tales ſemper habere ſoleant Ingenia ſtupida: Non ergò, niſi in Adultioribus ſeu Adultis, ad Papaverina eſt accedendum. Aut quod tolerabilius eſt, ſufficit Pulmentum ex Lacte, in quo Cortices Capitis Papaveris cocti fuere; in his enim mitior eſt vis hypnotica. Noſtrates propterea Mithridatii vel Theriaces tantillum propinant: vel fiant Emulſiones:

℞. *Amygd. dulc.* ʒj.
*Sem. Papav. alb.* ʒß.
Cum *Aquæ Fœnic.* f. Emulſ.
adde
*Cornu Cervi ſine igne* gr. xv.
*Sal. vol. Cornu Cervi* gr. iv. vel v.
Edulcoretur parùm.
M. D. S.
Emulſio ad Quietem.

Item Syrupus Papaveris albi, aut Diacodium cum aliis, in parcâ doſi exhibetur: vel etiam loco Syrupi Papaveris rhœados, tamquam minùs malignus, eſt uſurpandus; interdùm unum alterumve parvum Cochlear cum Aquâ Hypnoticâ *Dorncrelii* propinari poteſt. Cinnabaris Antimonii cum Cervinis ſimilibuſque Abſorbentibus propinetur. Aliquando Infanti, pertinacibus Vigiliis afflicto, ex acrimoniâ humorum cum metu imminentis Epilepſiæ, præſcripſi:

℞. *Aquæ Fœnic.* ʒj.
*Farin. Lycopod.* ϑj.
*Cran. hum. præp.* gr. xij.
*Syr. Flor. Tunic.* ʒj.
M. f. Potiuncula:

Propinetur crebriùs.

*Externè*:

℞. *Ol. expr. Nuc. Moſch.* ʒj.
*deſt. Rutæ* ϑj.
*Succini* ϑß.
Miſc.

Hoc ipſo illinantur Præcordia & Nucha, quod factum cum ſucceſſu.

Etiam Oleum Anethi deſtillatum ad aliquot guttas commodiſſimè miſceri cum Oleo Nucis Moſchatæ expreſſo, & Temporibus blandè illini poteſt: quibus etiam commodè applicatur Lac muliebre cum pauco Croco Temporibus illitum: vel fiat Emulſio ex Nucleis Perſicorum cum Lacte muliebri, quæ inſtar Epithematis tepidè Fronti admovenda eſt. Item Pinguedo Lucii piſcis, plantis Pedum applicetur. Item Medulla Cervina vel Medulla Crurum Vituli liquefacta Temporibus illinatur, aut, quod tutius eſt, plantis Pedum inuncta commodè uſurpatur.

## ARTICULUS XVI.

### *De Pavoribus in Somno.*

PRæter Agrypnias, dormientes licèt, Infantes etiam ſubinde *Pavoribus in Somno* corripiuntur, eò magis ſuſpectis & periculoſis, quò frequentiùs Epilepſiæ ſolent eſſe prodromi.

### CAUSÆ.

Oriuntur ex exploſivo ferè impetu *Spirituum Animalium* in Nervos, qui cùm ſub Somni requie blando, tardoque greſſu influere debeant, impetuoſiùs irruentes, inopinatò totius Infantis Corpuſculum, ex Fibrillarum nervearum momentaneo niſu

niſu contractivo, inferunt ejuſmodi Concuſſionem, adeò ut hi Pavores non ineptè Mulierculis habeantur *prodromi Epilepſiæ*; qui Inſultus Epileptici aliàs admodùm ſolent eſſe familiares Infantibus. Fomitem, imprimis *Cruditatem acidam*, ſemper agnoſcunt, in primis viis circa Ventriculum & Inteſtina, iiſdem ferè ex Cauſis, ex quibus Agrypnias induci modò inſinuatum fuit. In ſpecie ad *acre Acidum volatile* hîc imprimis reſpiciendum, quod vellicando Præcordia, os Ventriculi, &c. Somnum ita interrumpit, & Pavidos infantes reddit; unde ſubinde etiam plorant. Sæpiùs etiam Torminibus infeſtantur Infantes Pavore nocturno correpti, *cùm noctu de improviſo expaveſcunt.*

## PROGNOSIS.

Pavor hic eſt periculoſus, non per ſe, ſed quòd prodromus ut plurimùm ſit Epilepſiæ.

## CURA.

Propterea in *Curâ*, ea, quæ hoc *Acidum temperare* poſſunt, primatum ducunt, ſemper ſimul reſpiciendo ad Epilepſiam, propterea etiam ſubinde *Antepileptica* cum ſucceſſu uſurpari poſſunt. Conveniunt ergò Cryſtallus præparata, Cranium humanum præparatum, Cornu Cervi ſine igne, Smaragdus præparatus, Pulvis Puerorum ſeu *Marchionis*, Cinnabaris Antimonii, Pulvis Epilepticus antimonialis, Corallia rubra præparata, Dens Hippopotami, &c. in Aquâ Pæoniæ, Menthæ, Fœniculi, &c. cum quibus etiam Semen Pæoniæ non inconcinnam præbet Emulſionem. Hinc Pulvis ex Semine Aniſi, Aquilegiæ, & Succino præparato, commodiſſimè propinantur Infanti cum Pulte; ſicut & Specificum Cephalicum cum Semine Aniſi permiſtum commodè propinatur; eſt enim Oleum Aniſi optimum ſpecificum etiam contra Pavorem nocturnum. Imò Mechoacannæ Pulvis pro abſtergendo Lacte corrupto ex primis viis ſubinde propinatur.

*Externè* Clyſmata acria pro ſcopo Revulſionis injiciuntur. Hinc Oleum Stomachale *Cratonis*, cum Oleo deſtillato Aniſi acuatum, Ventriculo, Umbilico & Hypochondriis illinatur; vel Oleum Nucis Moſchatæ expreſſum cum Oleo deſtillato Aniſi imprægnatum; tam Ventriculo quàm Temporibus illinatur, ſed in parvâ doſi. Vel Sacculus ex aniſo contuſo vertici Capitis impoſitus, unà cum reliquis commodè uſurpari poteſt.

## ARTICULUS XVII.

### *De Epilepſia.*

MAter Puerorum, ſeu potiùs eorum Noverca, quibuſdam dicitur *Epilepſia*, qua frequentiſſimè afficiuntur Infantes, nata ex inordinato & perverſo *Spirituum Animalium motu* in Cerebro, & violentâ *exploſione* in nervos. Frequentiſſimè autem paris & Vagi & Intercoſtalis ramificationibus annexæ partes Abdominis & Thoracis præ cæteris partibus *Convulſionibus* hujuſmodi *Epilepticis* tentari ſolent, iiſque ſubinde gravia Tormina in Abdomine ſuperveniunt, quia dictæ partes internæ priùs affliguntur, quæ Tormina Mulierculæ convenienter admodùm *Epilepſiam in Corpore* appellare ſolent. Poſt repetita autem talia Pathemata ſuperveniunt etiam Convulſiones Epilepticæ in partibus externis, quia continuus & nunquam interruptus Spirituum Animalium in hos Nervos eſt motus & influxus, pro continuando motu cordis, Diaphragmatis, & Reſpirationi inſervientium Muſculorum primariorum, ut & Ventriculi & Inteſtinorum motu periſtaltico perficiendo: unde conſueto quaſi tramite longè promptiùs irruunt in dictarum partium Nervos Spiritus Animales, quàm in Membra externa in Infantibus magis quieta, adeòque dictos Spaſmos internos frequentiùs concitant. Quòd ſi verò crebrius repetant, tandem totum Spirituum Animalium exercitum integrumque Syſtema nervoſum per conſenſum & continuitatem motûs ſimiliter afficiunt, unde *Univerſalis* tandem ſupervenit *Epilepſia*, de qua dicunt: *Epilepſia erumpit.*

## CAUSÆ.

Malum hoc ferè ſemper per δευτεροπάθειαν, ſeu *per Conſenſum* partium nervoſarum cum partibus nervoſis & Membranis oriri ſolet, inſequitur Nervorum & horum Fibrarum quocunque in loco *irritationem*, quæ tamen effectivè excitatur occaſione vitioſi volatilis & corroſivi Acidi, per ſe Nervis inimiciſſimi, multò magis Nervis tenellorum, quorum Fibrarum nervearum textura mollior, tenerior & ſubtilior, facillimè mobilis, & ita in Convulſivos Motus criſpabilis ut ſic dicam, exiſtit. Hinc quò propinquiores ſunt partes fonti vitioſi Acidi, Stomacho nempe & Inteſtinis, aut mediantibus Nervis connectuntur iiſdem, etiam frequentiùs patiuntur Convulſivos Spaſmos, qui continuati ulteriùs in tantum, donec totum Nervorum ſyſtema in Cerebri Cerebellique confiniis concutiant, Univerſalem tandem Epilepſiam, ſuperveniente Spirituum impetu, inferant. Uti in Adultis ſubinde in Membro quodam externo *Focus* latet *Epilepticus*, qui per continuatos Spaſmos ſub apparente *Aurâ frigidâ* ſenſu ſurſum delatus ad Cerebrum, tandem univerſum Microcoſmum concutit; ita pari ratione ex Acido, quod imprimis viſcidum in Inteſtinis aut Glandulis Meſenterii hoſpitatur, tam Spaſmi leviores interni, quàm Epilepticus totius Corpuſculi Inſultus, oriuntur: propterea Abſorbentia rariora, & hinc *Liquor Cornu Cervi ſuccinatus*, aliaque Salia volatilia acria, quæ Acidum deſtruunt, & viſcidum incîdunt, Experientiâ teſte, Infantibus Epilepticis ſolent eſſe convenientiſſima. Adeò ut rariſſimam Infantum exiſtimem Epilepſiam, cujus Focus acidus non in Abdomine lateat, aut ex Abdomine non derivetur, ita tamen, ut citra Halituum aut Fumorum impoſſibilem adſcenſum Malum dicto modo explicari queat. Fomitem Epilepſiæ Infantilis exiſtere fere *in Abdomine*, ex eo concludi poteſt, quòd imminente Malo ferè ſemper ſoleat tendi Abdomen, &, ut arbitror, Peritonæi Membrana Spaſmo afficiatur; hinc Infantes ſolent difficulter & quaſi cum ſuſpiriis reſpirare? Vid. M.A.N.C. *Ann.* 6. & 7. *Obſervat.* 201. qualis difficilis Reſpiratio in iiſdem ferè ſemper originem ex Hypochondriis ac Stomacho, harumque partium vel repletione, vel tenſione habere ſolet: hinc Vomitoria tali in caſu ſunt optima. Oboriri autem nocturnos Pavores & Epilepſiam Infantum primariò ex Acido peccante, etiamſi nulla hujus indicia vel adſint, vel præceſſerint, niſi ex Dentitionis Dolore Epilepſia ſuperveniat, ex eo fit manifeſtum:

(1.) Quòd frequenter *Tormina* Infantes cum Excretis æruginoſis aut nigricantibus ſimul affligant, & ſi diutiùs continuentur, tandem in Infantibus *Epilepſiam* inferant, teſte præter Quercetanum *in Tetr. Graviſſ. Cap. Aff. cap.* 11. *pag. m.* 116. Lindano *ſuper Hartm. in Prax. Chymiatricam*, qui

qui vix Virorem Æruginis inſtar intenſam in Infantum Excretis obſervari aſſerit citra Epilepſiam. Quòd ſi dicta materia ita ſit acris, ut Febris ad eam accedat, plerumque interimit Infantes. Epilepſiam ab hac Causâ ortam prægredi ſolent Ejulatus Infantum ferè continui, Tormina & dolores Abdominis, & Jectigationes Infantum; Tormina verò & talia Excreta ex Acido Lactis corrupto ſuperiùs derivavi.

(2.) Juxta Hippocratem *lib. de Morbo Sacro* poſt curatam Epilepſiam undecunque natam, *Puſtulæ & Achores, aut Scabies*, nunc in univerſo Corpore, nunc in capite, nunc circa Aures, nunc in Facie, nunc in Nuchâ & Dorſo, effloreſcere ſolent, quæ cum Pruritu ſuppurantur, hinc decidunt, idque cum euphoriâ: Vid. Sennertus *de Morb. Infant. Part.* 2. *cap.* 3. *pag.* 28. quas Exulcerationes etiam ex Acido Lymphæ deduxi. Quibus

(3.) Accedit Cura Epilepſiæ Infantis per Alcalia volatilia, item per Terrea Acidum abſorbentia.

Aliàs frequentiſſimæ *Epilepſiæ Occaſiones* ſolent eſſe:

(1.) *Meconium* à Partu non ſufficienter expurgatum. vid. M.A.N.C. *loco allegato.* Hinc

(2.) *Lactis* in Stomacho *corruptela*, & inde natus vitioſus *Acor*, ſæpiſſimè infert Epilepſiam; atque tunc Excreta Infantum ſolent eſſe viridia aut nigricantia. Deinde

(3.) *Dentitio difficilis* propter Dolorem, & propter Fibras nervoſas in Gingivis à Dentibus erumpentibus punctas, concitando inordinatum Spirituum Animalium motum, & commovendo in Corpore Acidum vitioſum, facillimè Epilepticos reddit Infantes.

(4.) Vehementiores ac ſubitanei *Animi Affectus*, tam Nutricis quàm Infantis, præſertim illius Ira, hujus verò Terror, ordinariò ferè ad Epilepſiam diſponunt.

(5.) *Excreta retenta* aut cohibita, v. g. Achores, Variolæ, Epilepſiam inferunt.

(6.) *Lumbrici* familiariſſimi Epilepſiarum ſunt autores: Vid. M.A.N.C. *Ann.* 6. & 7. *Obſ.* 107. & 236.

Hæ ſex Cauſæ, aut Meconium retentum, aut Acor Lactis vitioſus, aut Dentitio difficilis, aut immoderatus Animi Affectus Nutricis, aut Excreta cohibita, aut Lumbrici, facillimè inordinatum Spirituum Animalium in Infante concitant motum. Unde conſequenter Epilepſia, & quidem eò facilior in Infantibus, quò debilior adhuc textura partium nervoſarum, & quò poroſius & ſpongioſius adhuc, minuſque ſolidum aut poris anguſtioribus pertuſum eorundem eſt Cerebrum; unde facilè hinc inde diſpergi & inordinatè moveri poſſunt Spiritus.

## DIAGNOSIS.

*Signa* Epilepſiæ per ſe patent.

Cauſæ etiam latere non poſſunt, partim ratione ipſius Infantis, ex retento Meconio, difficili Dentitione; partim relatione Nutricis, ſi vult, partim ex Aceſcentiâ lactis.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: Funeſtum Malum eſt Infantibus, licèt familiare, ex quo ſæpiùs periclitantur, Mortemque obeunt, præſertim ſi in tenuiore conſtitutione crebriùs Malum repetat.

In principio Variolarum, minùs periculi habet; nam ubi erumpunt Variolæ, ſponte ceſſat Epilepſia.

## CURA.

Pro *Curâ*, Causarum habenda eſt ratio: cùm verò ut plurimùm ex *Stomacho* & *Acido acri* ibi genito Malum oriatur, *Abſorbentia* & *Acidum deſtruentia*, tam fixa quàm volatilia, & hinc *Anodyna Mineralia*, ſunt optima. Specificè conveniunt Radix Pæoniæ, & internè & externè, juſto tempore collecta, Emulſio ex Semine Pæoniæ, vid. Strobelbergerus *Tract. de Morb. Infant.* & omnia ex Pæoniâ parata. Majoris pretii tamen eſt Viſcus Corylinus, & poſt hunc Viſcus Quercinus, optimus ad Curam Epilepſiæ Infantum. Præ cæteris tamen omnibus eſt expertum Remedium in Epilepſiâ Infantum Succinum, & quibuſdam inter Secreta repoſitus Pulvis iſte citrinus, ſeu Farina ex Muſco clavato terreſtri, h. e. Lycopodio inſidens, ſulphureæ proſapiæ, adeoque facilè flammam concipiens, & inſtar Pyrii Pulveris crepitum edens: & verum eſt, interdum ad ℈ß. ceu ſummum Epilepticum Puerile interdum proſperè adhibetur. Multò magis tamen convenit ſimilis Farina iſta ſeu *Pulvis flavus* primo Vere ex *Julis Coryli* collectus, ob ſulphur anodynum, nobiliſſimus in Epilepſiâ & plurimis Infantum Affectibus. Deinde non rejicienda communia Euporiſta, Unicornu marinum præparatum, Dens Hippopotami, Cryſtallus præparata, imprimis ſi excernantur per Alvum viridia, Acidum enim interimit, cum Appropriatis imprimis ſi permiſceatur, Spina Muſtelæ piſcis, Cranium humanum, Lapis Bezoar animalis, Pulvis *Marchionis*, &c. Omnia enim hæc Acidum Nervos infeſtans abſorbent, & ita Malum non mediocriter levant, interdum planè tollunt. Quæ ſi non ſuffecerint, ſit Pulvis Secundinæ humanæ primiparæ, quilibet Spiritus urinoſi, ac quælibet Salia volatilia, in ſpecie Spiritus & Sal volatile Cornu Cervi, Cranii humani, Secundinæ humanæ, & Sal volatile Succini, quod ſibi par non habet Remedium in Infantum curandâ Epilepſiâ quacunque, etiam ſi Dentitionis difficultas eaſdem excitaverit, ſuo tamen officio optimè ſatisfacit, crebriori Experientiâ comprobatum: Hinc Liquor Cornu Cervi ſuccinatus nunquam ſatis laudari poteſt pro Epilepſiâ Infantili, ita ut vix quenquam relinquat hic Liquor, ſi Epilepſia non ſit lethalis: ſicuti gr. j. Camphoræ in Aquâ Florum Cheiri poſt Paroxyſmum aſſumptum præſervat, ne tam facilè recurrere poſſit. Porrò Cinnabaris Antimonii, nec minoris pretii Cinnabaris nativa præparata, depurata, & ſuper ejus baſin compoſitum Specificum Cephalicum, optimum eſt Remedium in Epilepſiâ Infantum. Hiſce tamen, ſi non ſuperius, nobile ſanè eſt Medicamentum *Sulphur Antimonii, ex Scoriis Reguli* ultimâ vice certo modo præcipitatum. Infantibus datur ad gr. i. & in robuſtioribus paulò ad gr. iß. ad ſummum gr. ij. Mirabilis eſt ejus vis in Epilepſiâ Infantum tam imminente quàm præſente ſiſtendâ; nempe primâ vice mineram Morbi auſpicato Vomitu exturbat, ſi quandam inveniat; ſi verò primis viis repurgatis nihil offendit, etiam repetitis vicibus ſine tali effectu inſenſibiliter per Sudorem operatur, & inſequente blando Somno Infantes curabit. Vocatur *Pulvis Antepilepticus Antimonialis*. Aurum quoque Fulminans mirabilis eſt efficaciæ in corrigendo & eradicando fomite epileptico, cum Arcano duplicato vel Nitro depurato propinatum. Si à Terrore ſit Malum, Smaragdus laudatur. Alia etiam ſexcenta ad Epilepſiam Infantum commendata facilè modò dictis applicari poſſunt. *Vehicula* horum ſunt ſatis nota.

Ex

Ex his plures poſſunt fieri *Formulæ*: v. g.

℞. *Aquæ Fœnic.*
*Flor. Pæon.* an. ℥j.
*Cran. hum. præp.* ℈j.
*Cinnabaris Antimonii* gr. ix.
*Syr. Fœnic.* ʒij.
M. f. Potiuncula: S.

Potiuncula Cephalica contra Epilepſiam.

Vel

℞. *Aquæ Fœnic.*
*Fl. Tiliæ* an. ℥j.
*Eſſ. Caſtor.* ℈j.
*Spiritûs Sal. Ammoniaci*,
*Liqu. Cornu Cervi ſuccin.* an. gutt. viij.
*Syr. de Stœchad.*
*Papav. ſimpl.* an. ℥ß.
M. S. ut ſuprà.

Item

℞. *Unic. foſſil.*
*ver. præp.* an. ʒß.
*Olei deſt. Succini*, aut ſi ſit nauſeoſus,
*Roriſmar.* vel *Rutæ* gutt. iij. vel v.
*Theriac.* gr. ij.
M. f. Pulvis pro aliquot doſibus.
D. S.

Pulvis ſingularis Antepilepticus.

Item

℞. *Unic. ver. præp.* ʒß.
*Cinnab. nat. ſel.* gr. xv.
*Salis vol. Cornu Cervi* gr. iij.
*Extr. Caſtor.* gr. j.
*Ol. deſt. Aniſi* gutt. ij.
M. f. Pulvis pro tribus doſibus:
D. S.

Pulvis ſingularis.

Vel

℞. *Unic. veri præp.*
*Cran. hum.* an. ℈ß.
*Sal. vol. Viper.* gr. iv.
M. f. Pulvis pro duabus doſibus.
D. S. ut ſuprà.

Præmiſſis præmittendis, in ſpecie Auro Fulminante, quò fomes morboſus eò meliùs eradicetur, e. gr. ℞. *Ebor. ſine igne* ℈ß.
*Auri Fulmin.* gr. j.
M. S.

Pulvis ſingularis.

Vel

℞. *Unic. veri præp.*
*Cran. hum. ſine igne* an. ℈ß.
*Auri Fulmin.* gr. ij.
M. f. Pulvis.
Div. in duas partes.
D. S. ut ſuprà. Vel

℞. *Aquæ Flor. Pæon.* ℥iß.
*Cinnam. cum vino* ℥j.
*Syr. Flor. Tunic.* ʒiß.
M. S.

Aqua ad Pulverem.

Pro Infante aliquot dierum.

℞. *Unic. mar. præp.* gr. viij.
*Pulv. Epilept. Antimonial.* gr. ß.
M. S.

Pulvis ſingularis.

Infanti duorum annorum:

℞. *Pulv. Epil. Antimonial.*
*Auri Fulmin.* an. gr. iij.
M. S.

Pulvis Cephalicus.

Item

℞. *Farin. Lycop.* ℈ß.
*Cinn. nativ.* gr. iv.
M. f. Pulvis.

Puella undecim dierum labo abat Purpurâ, *anhelabat*, *nec reſpirare poterat*, extrema refrigeſcebant, & Oculi contorti erant, mortui inſtar jacebat cum ſtertore: uno nomine, erat Epilepſia partium internarum, aut ſaltim Aſthma convulſivum occaſione Muci vitioſi in Ventriculo & primis viis coacervati: ſubitò vocatus, præſcribebam:

℞. *Aquæ ex Succ. Rad. Pæon.* ℥j.
*Liqu. Cornu Cervi ſuccin.* ʒj.
*Syr. Emet. A. S.* ʒß.
Miſc.

Propinetur cochleatim.

Præſcribebam item *Clyſma*. Potiuncula continuabatur donec ſuperveniente repetito Vomitu Infans ad ſe rediret.

℞. *Auri Fulmin.* gr. iß.
*Unic. veri præp.* ℈j.
M. pro duabus doſibus.

Horridi ſecuti Seceſſus, Infans convaluit.

Item in aliis tenerioribus, præmiſſis præmittendis:

℞. *Aquæ Flor. Pæon.* ℥j.
*Unic. ver. præp.* gr. xv.
*Salis vol. Cornu Cervi* gr. viij.
*Syrup. Flor. Tunic.* ʒj.
M. D. S.

Mixtura Caput confortans.

Propinetur cochleatim, excitato Sudore meliùs habent Infantes.

Infanti unius & dimidii anni Epilepſiâ gravi occaſione Dentitionis correpto, præſcribebam:

℞. *Liqu. Cornu Cervi ſuccin.* ʒij.
Doſis gutt. xij. ad xv. vel xvj. ſæpiùs in Vehiculo
*Aquæ Flor. Acaciæ.*

Item

℞. *Unic. veri præp.* ℈j.
*Auri Fulm.* gr. iij.
M. f. Pulvis pro duabus doſibus.

Item

℞. *Farin. Lycopod.* ℈ß.
*Auri Fulmin.* gr. j.

Dabatur in Vehiculo Juſculi Carnis calidi: hinc

℞. *Aquæ Ceraſ. nigr.*
*Fl. Tiliæ* an. ℥j.
*Unic. veri præp.*
*Cran. hum. præp.* an. gr. xv.
*Salis vol. Cornu Cervi* ℈ß.
*Syr. Flor. Tunic.* ʒij.
M. f. Potiuncula.

Item

℞. *Ol. deſtill. Succin.*
*Rutæ* an. ℈ß.
*expr. Nuciſtæ* q. ſ. pro confiſt. Balſami,

quo illinebantur Præcordia, Nucha aut Vertebræ Colli & Dorſi.

Pro *Clyſmate*:

℞. *Flor. Chamomill.* M. j.
*Sem. Aniſi* ℥ß.
*Bac. Junip.* ʒvj.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ commun.*
Colat. ℥vj. adde
*Elect. de Baccis Lauri* ʒvj.
*Syr. Emet. Salæ* ʒij.
M. pro Clyſmate.

Hiſce convaluit.

Sequens etiam convenit *Clyſma*:

℞. *Fl. Chamom. Rom.* M. j.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ ſimpl.*
Colat. ℥iij. adde
*Salis vol. Cornu Cervi* gr. viij.
*Mell. roſat.* ʒiij.
*Olei deſt. Aniſi* gutt. v.
M. pro Clyſmate Infantis unius anni.

℞.

℞. *Rad. Pæon.* ℥ß.
*Angel.*
*Leviſt.* an. ʒij.
*Flor. Chamomill.*
*Sambuc.* an. p. j.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ* ;
Colat. ℥ij. adde
*Ungu. Clyſmat.* ʒj.
*Elect. Hier. cum Agar.* ʒß.
*Sal. vol. Succini* gr. v.
M. f. Enema pro Infante unius anni.

Puero quatuor & dimidii annorum inſigniter Epileptico una cum aliis imprimis contulit :

℞. *Unic. veri præp.* ϑj.
*Bez. Solar.* ϑß.
*Auri Fulmin.* gr. v.
M. pro 2. doſib.

Proficua etiam erat ſequens Potio :

℞. *Aquæ Flor. Pæon.* ℥j.
*Farin. Lycopod.* ʒß.
*Auri Fulm.* gr. ij.
M. pro 2. doſib.

Hæc ipſa Farina Lycopodii etiam commodè cum Pulte propinari, & ita variis Infantum Affectibus ſuccurri poteſt.

Quoad *Externa* : optimè confert & præſervat ab Infantum Epilepſiâ Cinnabaris nativa, de Collo tantùm ſuſpenſa, vel ut aliis placet, Carpis applicata. Uſneam Cranii humani externè contra Infantum Epilepſiam prodeſſe ſcribit Kircherus *in Regn. Naturæ Sympath.* Oſſiculum Buſonis Pulſui Infantis applicatum, ob Ideam Pavoris, Epilepſiam ex Irâ vel Terrore Nutricis, & Infantem paulò pòſt lactantis, natam ſiſtit. Vertici, ſi paulò robuſtior fuerit Infans, Oleum Succini commodè illinitur : dico, ſi fuerit robuſtior ; nam eſt penetrans Remedium. Aliàs *Litus* pro Vertice, Præcordiis & Abdomine ex Oleis & Balſamis Rutæ, Roriſmarini, Fœniculi, imprimis Balſamum Succini, ceu optimum euporiſton, ſedulò in uſum vocandi ; quibus & paucum Caſtorei vel Extractum ejus ſubinde addi poteſt ; quin & Oleum Caſtorei Pedum plantis utiliter admovetur. Quò etiam pertinet Oleum Seminis Ricini majoris ſeu Granorum Tilli expreſſum, cujus p. i. cum p. iv. Pinguedinis Erinacei in Linimentum rediguntur, quod Umbilico illinitur.

Item

℞. *Cerot. pro Bregm. uſitat.* q. ſ.

Malaxetur cum *Oleo Succini* aut *Rutæ*, aut ſi penetrantiora hæc videantur, cum *Balſamo Peruviano*, & imponatur Capiti ; qualia potentiùs in Infantibus operantur, quàm in Adultis, quoniam Fontanella in iiſdem eſt adhuc aperta.

## ARTICULUS XVIII.

### *De Dentitione Infantum Difficili.*

SÆpiùs Epilepſiæ occaſio eſt *Dentitio* Infantis *difficilis*, partim, dum intra Alveolos incrementum capiunt, partim, dum extra Gingivas jam robuſtiores Dentes prorumpunt. Hujus ergò Dentitionis negotium, & Symptomata ejus occaſione excitata, hîc evolvenda erunt. Nam Dentitium Pulpa radicalis in formatione Fœtûs inſeritur Gingivis in formâ Mucilaginis mollis : poſtmodùm dum quinque vel ſex menſium ſunt Infantes, circa ſextum vel ſeptimum iſta Pulpa Dentium ſucceſſivè indurata & augmentata penetrare incipit per Gingivarum Carnem ſpongioſam. Si ergò facilè penetrat, & hanc Carnem perforat, eſt Dentitio facilis ; quòd ſi propter tenacitatem aut duritiem Gingivarum difficiliùs erumpat, propter concurrentia gravia Symptomata, eſt Dentitio difficilis. Erumpunt primò Dentes Inciſores ſeu anteriores, hinc Canini, tandem Molares.

Dixi, quòd imprimis *Gingivarum duritiei* ſit Cauſa, unde ſub Dentitione hac, dum non poſſunt ſatis penetrare, inſignem Pruritum, hinc intenſum Dolorem, Ardorem febrilem, &c. percipiunt Gingivæ, dum ab aculeatis talibus Oſſibus increſcentibus perforantur, eædem inſigniter intumeſcunt, ſimul plùs minùs inflammantur, inde Inquietudines, Ploratus, Agrypniæ, &c. ſuperveniunt. Dolor qui primariò urget, ſimilis quodammò eſt illi, dum Acido morboſo Gingivæ in Dentium radicibus pungunur & quaſi perforantnr. Sed cùm ſenſilis Gingivarum ex interſperſis variis Nervulis ſubſtantia cum partibus vicinis inſignem conſenſum habere ſoleat, quod ex Odontalgiâ Adultorum, ſubinde dimidiam Capitis ſphæram per conſenſum afficiente, interdum Muſculi Temporalis aliquem ſpaſmum inferente, notiſſimum eſt, de facili evenit, ut atrocioribus ſub Doloribus tandem univerſum ferè Nervornm Syſtema ſimul vellicetur, & inde Convulſiones, & Epilepſiæ ſuperveniant : idque eò promptiùs, quò vel per ſe & in ſe ipſo Nervorum Syſtema Infantum tenerius & mobilius extiterit, vel ipſum ex perversâ Matris vel Nutricis, Acidis abutentium, in primis ſuis ſtaminibus debilius, & facilius irritabile redditum, vel ex Lymphâ vitiosâ commotâ hinc inde irritatum fuerit : item cùm Doloris Gingivarum occaſione vicina Glandularum, præprimis Salivarium, Vaſa, & illas integentes Membranæ, vellicari ſoleant ſimul, hoc ipſo copioſior Saliva in Os effundatur, ordinariè copioſè admodùm ſalivant Infantes ; quod vocant Germ. *das Geiffern*, & interdum aliquamdiu præcedere Dentitionem ſolet : quâ Salivâ copioſiùs etiam deglutitâ læditur Appetitus, nunc turbatur Digeſtio prima, relaxatur Ventriculus & Inteſtina, interdum ſupervenit Vomitus cum Tuſſi ferinâ, aut certè copioſa Diarrhœa plùs minùs ferosa, quæ hoc tamen habet commodi, quòd quò copioſior fuerit, eò minùs Epilepſiâ tentari ſoleant Infantes. Item cùm copioſiori ex Salivâ, regioniſque vicinæ Dolore, ſimul irritentur Fauces, etiam copioſior Lymphæ ad Fauces & Aſperam Arteriam affluxus ſupervenire ſolet : quæ Lympha, ſi & ipſa minùs temperata, ſed ſalſo-acida plùs minùs fuerit, ejus occaſione, præter roſionem Faucium & Laryngis, Tuſſis creberrima ſicca ſeu inanis cum Reſpiratione ſtertoriâ quibusdam accidit : Imò cùm in Infantibus minùs ſanis Doloris & Agrypniæ ratione, commotis nimis Spiritibus, quælibet in Corpore turbari ſoleant, facilè vitioſum Acidum commoveri, hinc Epilepſia tàm frequenter Dentitioni ſupervenire ſolet, donec erumpentibus tandem Dentibus iſta Symptomata ſucceſſivè ceſſent. Et quidem Diarrhœa Dentitioni ſuperveniens eſt ſalubris, nec adeò facilè ſiſtenda. Obſervatus fuit interdum in Infantibus ſub Dentitionis tempore Genarum Tumor, qui linquendus eſt ; nam ſuperveniens Diarrhœa interdum eundem ſolvere ſolet. Contingunt hæc ferè, dum ſex ſeptemve menſium fuerit Infans : idque omnium maximè in Dentibus Caninis erumpentibus, hinc in Molaribus, omnium minimè in Inciſoribus, Symptomata talia obſervari ſolent.

## DIAGNOSIS.

Quoad *Signa Diagnoſtica* : iſta patent ex jam dictis, ex Dolore, Salivâ, Tumore, Caloris ſenſu, & ſic porrò : imprimis facilè ſentiunt Nutrices imminentes

nentes Dentes, quando nempe Infantes, dum ſugunt, Papillas Gingivis acriùs & fortiùs apprehendunt, ac adſtringunt: item Calor inſuetus in Ore Infantis percipitur, ipſique Infantes Manibus Ori ingeſtis Doloris locum ferè oſtendunt.

## PROGNOSIS.

Quoad *Signa Prognoſtica*: Dentitio ipſa per ſe Malum eſt minùs periculoſum; ſaltem propter ſupervenientia Symptomata, nempe Convulſiones Epilepticas, aut Diarrhœas exceſſivas, periculum incurrunt, quæ tamen & leviores ſunt & minùs periculoſæ, ſi adjuncta ſit Diarrhœa moderata, aliàs ſæpiùs ſunt funeſtæ. In ſpecie autem ex Caninis Dentibus graviter laborare ſolent Infantes, propter eorum duritiem & majorem acutiem.

## CURA.

In *Curâ* omnis intentio eò dirigatur, ut emolliantur *Gingivæ*, *Ardor & Dolor* earum ſopiatur, *Symptomata* ſupervenientia mitigentur, atque erumpentes *Dentes* faciliùs tranſmittantur: in quem finem recipiatur *Mucilago Seminis Cydoniorum & Pſyllii* cum *Aquâ Spermat. Ran. extr.* quæ Dentibus ſubinde illinenda.

Vel

℞. *Mucil. Sem. Pſyll.*
*Radix. Alth. cum Aquâ Semperviv. par.* an. ℥ß.
*Olei Amyg. dulc.*
*Papav.* an. ʒij.
M. D. S.
Linimentum.

Vel

℞. *Mucil. Sem. Cydon.*
*Sem. Alth. par. cum Aquâ Sperm. Ran.*
*But. rec. non ſalit.* an. ʒß.
Quibus addatur
*Vitellum Ovi dimidium.*
Subigantur mutuò in formam Linimenti:
D. S.
Unguentum leniens.

Quo illinendæ ſunt Gingivæ.

Mel etiam vel ſolum, vel cum Medullâ Crurum Vituli ſubactum, & Gingivis illitum, Dolorem ſiſtit. Fruſtulum *Radicis Althææ recens*, vel *aridum*, *in Aquâ Malvæ* maceratum, ſæpiùs detur Infantibus, ut iſtud probè maſticent, & maſticando Mucilago Radicis extracta ſucceſſivè emolliat Gingivas; cujus loco non ineptè alii fruſtulum *Corii Lardi recentis* ſubſtituunt. Non enim approbo communem ſententiam, qua Dens Lupinus aut Cryſtalli fruſtum Infantibus pro Maſticatione porrigitur, quoniam durities horum facit, ut Gingivæ fortiori attritu magis potiùs indurentur, quàm ut emolliantur. Item Medulla Crurum Vituli, ut Unguentum Dialthææ, Gingivis illinendum venit: Succus Cancrorum fluviatilium, cum Aquâ Florum Cyani contuſorum, illitus Gingivis Puerorum, benè confert; vel fiat Balſamum Puerorum dentientium, quo illinantur Gingivæ, quale elegans deſcribit Johann-Daniel Horſtius *in Diſpenſ. pag.* 567. vel M. A. N. C. *Ann.* 6. & 7. *Append. pag.* 576. Præ aliis Sanguis ex Criſtâ Galli parùm incisâ exſtillans Gingivis illitus, ad Dentium eruptionem promovendam impensè quibuſdam laudatur. Val ipſa Criſta à Gallo nigro rupta vel deciſa pro Maſticatione quaſi, vel Gingivis conterenda porrigitur Infanti; hôc enim modô etiam promovetur Dentium eruptio. Potentiſſimum Remedium dicitur Cerebrum Leporinum Gingivis illitum, quod potenter Dentium quaſi extractionem promovet; coctum tamen & cum Melle in formâ Linimenti mixtum, tutius eſſe dicitur, quàm crudum; ejuſdem enim vis nimia ſic mitigatur. Leporino Cerebro Cerebrum Agni aut Hirci alii ſubſtituunt. Aliis irritis, ſi protuberantia Gingivarum, & ſuperior ejus candidior reddita pars, Dentis jam proximè abſconditi ſignum exhibeant, *Scalpello* eas incîdit Paræus *lib.* 23. *capit.* 167. quod ceu tutum ſibique compertum & ſummè proficuum commendat Borellus *Centur.* 1. *Obſervat.* 97.

Extrà fiunt *Fotus* Maxillarum, item *Inunctione* ex Emollientibus, Diſcutientibus & Lenientibus; hinc Butyrum recens inſulſum, Medulla Crurum Vituli, Oleum Amygdalarum dulcium, Oleum Liliorum alborum, Oleum Chamomillæ, Unguentum Dialthææ, Mucilago Radicis Althææ aut Seminis Pſyllii, Theriaca, &c. Maxillis & regioni Temporum loci dolentis illinatur, pro leniendo Spaſmo doloroſo dictorum locorum, & intenſiore Dolore. Quidam faciunt *Linimentum* ex Axungiâ Leporis cum Melle deſpumato, ana: ex quibus paratum Linimentum poſt Aures vel ante Aures illinunt, ut facilitetur Dentium eruptio, & præcaveatur vicinarum partium Tumor.

Intra Os ſuprà dicta *Emollientia* ex Mucilaginibus & Axungiis non adeò nimis copiosè aut frequenter uſurpanda ſunt, quando nempe adeſt Diarrhœa, quia periculum eſt, ne talibus Laxantibus & Lubricitantibus ſucceſſivè deglutitis exaſperetur potiùs quàm leniatur Diarrhœa, utut Dentibus conducat.

Ut verò reliqua intereà mitigentur ſupervenienția *Symptomata*, qualia primariò ſunt Febres & Convulſiones, optimum fuerit, ſi Alvus, quantum poſſibile, ſervetur probè fluida: nam quibus, cùm Dentes erumpunt, Alvus crebrò laxatur, minùs Convulſione tentantur, inquit Hippocrates *de Dentit.* Hinc vel ſponte Alvus fluidior ſervetur talis, vel eadem Clyſmatis, ſimilibuſque Remediis laxior reddatur; conf. Hoefferus *Herc. Med. pag.* 355. Idque ſpeciatim in iis, qui ex Nutricis Cacochymiâ minùs laudabilem Sanguinis, reliquorumque Contentorum craſin obtinent: nam & tales ordinariò graviùs ſub Dentitione laborare aſſolent. Internè Gelatina Cornu Cervi recens, crebriùs quocunque Vehiculo propinata, & hinc Liquor Cornu Cervi ſuccinatus, ob Convulſionum imprimis metum Medicamenta ſunt tutiſſima & utiliſſima.

Hæc eſt Dentitio vera.

## ARTICULUS XIX.

### *De Dentitione Notha.*

REperitur præterea etiam *Dentitio Notha*, quod vocant Germ. *Beul-Zahne*, quando ſcilicet erumpunt Tubercula, Germ. *Beulen*, in Gingivis, eaque inſigniter dolentia, ex quibus tamen nulli Dentes erumpunt, quin potiùs Lactationem impediunt, & lactando Infantes ſuctum ſonorum edunt.

## DIAGNOSIS.

Imprimis hujuſmodi Dentitio Notha cognoſcitur, ſi Infantes juxta Aures digitis premantur: tunc enim incipiunt ejulare.

PROGNOSIS.

Malum hoc propter Dolorem aut ſubſequentem Inflammationem eſt ſatis periculoſum non rarò.

CURA.

*Cura* hujus *Dentitionis Nothæ* conſiſtit in eo, ut inungantur Infantes circa & penes Aures Axungiâ Leporinâ: ipſi verò Tumores illinendi ſunt & fovendi Oleo Amygdalarum dulcium recenti, ſic enim ſucceſſivè evaneſcunt.

ARTICULUS XX.

*De Diarrhœa.*

ALvi *fluxus* ſæpiſſimè eſt Dentitionis difficilioris comes, dum nempe Infantes copioſiſſimè ejiciunt per Alvum, cum quo conjuncta eſſe ſolet eorundem imbecillitas: ſæpiùs adeſt dejectus Appetitus, & tandem nonnihil Atrophiâ corripi incipiunt Infantes.

CAUSÆ.

Quoad *Cauſas*: ordinariò, uti notum eſt, Dentitionis tempore ſupervenit Diarrhœa, dum continuò Os madet Salivâ, quæ copioſiùs deglutita Lactis Digeſtionem prohibet, & Inteſtina nimis laxat, cùm ſimul propter Dolorem & Inquietudinem Lac minùs commodè concoqui poſſit, quod ſponte ex Polyro denuò egeratur. Præterea tamen etiam Nutricum Lac nimis aquoſum, tenue, acrius, ſalſius, ſeroſius, &c. ſæpiſſimè Diarrhœæ eſt Cauſa, irritando Inteſtina ac Ventriculum, & ita ad Diarrhœam diſponendo. Id quod fit imprimis, quando Nutrices crebriùs uſurpant Potum frigidum, aut etiam quando Mammas libero Aëri nimis exponunt; tunc enim Lac crudius & ſeroſius generari ſolet, à quo hauſto ſæpiſſimè Alvi fluxus ſupervenit. Aut denique ipſa Infantis Digeſtio læſa, indeque nata Liquamina acria, ſalſa aut æruginoſa, Alvi fluxum inducere valent.

DIAGNOSIS.

Malum per ſe patet.
An Cauſa ſit Dentitio, etiam non latet.
Vitium Nutricis ex ejus Diætâ cognoſcitur.

PROGNOSIS.

Per ſe quidem proficua obſervatur Alvus laxior Infantibus, præprimis in Dentitione, in qua, uti monui, potiùs conducit, quàm nociva eſt: ſin verò crebriùs affligat, imprimis ſi ad ſeptimum uſque porrigatur diem, funeſta eſſe ſolet.

Mitior tamen eſt Alvi fluxus, ubi albicantia aut flaveſcentia rejiciuntur: deterior, ubi acria, viridia, in ſpecie fœtida plùs minùs nigra excernuntur, adeoque de Remediis cogitandum.

Si Appetitus adhuc conſtat, res benè habet; hôc nimis dejectô, res non caret periculo.

In Febre Ardente, aut Acutâ, ſi nigra rejiciantur, Infantibus ferè periculum Mortis imminet.

CURA.

Ordinatâ ergò debitâ Nutricibus Diætâ, præſertim ex Oryzâ, Milio & ſimilibus, Potuque calido, ut ita Lac ejus non nihil alteretur, conveniunt internè Cornu Cervi uſtum, Terra ſigillata, Maxilla Lucii piſcis, Cryſtallus, Corallia, Pulvis Tormentillæ, Nux Moſchata, Theriaca, & ſimilia. Ulteriùs Mumia cum Spermate Ceti permiſta, ad ℈j. optimè ſiſtit Alvum Infantum, etiam ubi laborant Dyſenteriâ. Gummi Arabicum ad ʒj. Juſculo Gallinæ aut Carnis exhibitum inſigniter conducit ad ſiſtendam Infantum Alvum. Item Pilulæ ex Extracto Tormentillæ, cui granulum ſemis, aut etiam adhuc minus, Laudani Opiati ſit additum, offerri etiam poſſunt Infantibus, in Lacte diſſolutæ: v. g.

℞. *Pulv. Diaphor. Lud.* gr. vj. viij. x. ad xij.
*Theriac.* gr. j. vel ij.
M. D. S.
Pulvis Adſtringens.
Vel

℞. *Cornu Cervi uſt. præp.*
*Terræ Sigill.* an. gr. viij.
*Extr. Rad. Torment.* gr. xij.
*Theriac.* gr. ij.
M. pro 2. doſ. S. ut antè.
Vel

℞. *Aquæ Menth.*
*Scord.* an. ʒvj.
*Cornu Cervi uſti præp.* gr. xv.
*Terræ Sigill.* gr. xij.
*Theriac.* gr. ij. vel iij.
*Syr. Plantag.* ʒij.
M. D. S.
Potio Adſtringens.
Vel

℞. *Aquæ Plantag.*
*Cinnam. cydon.* an. ℥j.
*Extr. Tormentill.* ʒß.
*Theriac.* gr. viij.
*Syr. Corall.* ℥ß.
M. D. S.
Mixtura Adſtringens.

De quâ Miſturâ Cochleare unum alterumve interdum, ſed rariùs, propinetur Infanti ad ſiſtendam Alvum.

Grana Maſtiches cum pauco Nucis Moſchatæ permiſta etiam Stomachum roborant, & Alvi fluxum ſiſtunt: vel ſubigatur Maſtiche cum pauco Syrupo de Roſis ſiccis, & Cydoniorum, aut etiam cum Syrupo Maſtichino, & ſubinde lambenda offeratur Infanti. Tincturæ Coralliorum imprimis commendantur à Modernis, ſi nimio acore non ſint inquinatæ; Unde Tinctura Coralliorum cum Spiritu Cordis Cervi in parvâ doſi propinari poteſt Infanti, in ſpecie ſi cum Febre Malignâ vel Torminibus conjunctus ſit Alvi fluxus.

Item in Diarrhœâ Infantis cum Excretis viridibus & acribus, æſtu Corporis, &c. ex acrimoniâ Contentorum aut Lactis natâ.

℞. *Aquæ Plantag.* ℥j.
*Menthæ* ʒij.
*Gel. Cornu Cervi rec.* ℥ß.
*Lap. Cancr. præp.* gr. vj.
M. D. S.
Potio Adſtringens.
Vel

℞. *Cornu Cervi uſt. præp.* ʒß.
*Terræ Sigill.* gr. xij.
*Theriac. Androm.* gr. iij.
*Ol. deſtill. Macis* gutt. j.
M. pro 3. doſ. S.
Pulvis Adſtringens.

Uſurpando ſimul Clyſma ex Lacte, & illinendo regioni Ventriculi & Umbilici, vel Balſamum Nucis Moſchatæ vel Theriacam.

Clyſ-

*Clyſmata* Lenientia imprimis, quando acres Succi peccant, egregiè conveniunt. Curavi aliquando Puellam quatuor annorum ex Febre Acutâ laborantem, & Diarrhœâ inſigni cum Flatuum copioſorum proventu correptam, crebròque, ſed parùm dejicientem (quod non tam quantitatem quàm qualitatem ſeu ſtimulum Excrementorum ſubeſſe indicabat,) quæ beneficio Clyſmatis ex Lacte optimè levabatur.

Hiſce, ſi Dyſentericus ſuperveniat fluxus, Bolus Armena, Cryſtallus præparata, Maxilla Lucii piſcis, ac ſimilia Acidum abſorbentia, addi poſſunt.

In Infantibus ablactatis Diarrhœâ affectis:

℞. *Aquæ Flor. Sambuc.*
*Fœnic.* an. ℥j.
*Succ. Cydon.* ʒvj.
*Corall. rub. præp.* ϑj.
*Terræ Sigill.* ϑß.
*Syr. Papav. alb.* ʒiij. M. S.
Potio Adſtringens.

*Externè* Infantibus convenit pro Litu Umbilici Theriaca, aut Oleum deſtillatum Menthæ, Macis, Abſinthii, Spicæ, excepta cum Theriacâ aut Balſamo Peruviano aut ſimilibus, aut etiam Oleum Maſtichinum & Nardinum, cum aliquot guttis Olei Spicæ Umbilico illitum: vel Cataplaſma ex Cydoniis coctis, per ſetaceum trajectis. Item Fotus ex Decocto Roſarum rubrarum, Radicis Tormentillæ, Menthæ, Plantaginis, &c. in Vino rubro coctis, cui ſimul Nux Moſchata & Caryophylli ſint addita, & ita cum pannis multiplicatis applicatur calidè Abdomini, ut nimius impediatur fluxus.

## ARTICULUS XXI.

### *De Lumbricis.*

PRæ cæteris mille Malorum autores Infantibus exiſtunt *Lumbrici*, iique ſaltem *Longi*; Germ. *die Spuhl-Wurmer*: rarò enim Lumbricus Latus, ſeu Tenia, aut *Cucurbitinus* in Infantibus obſervatur. Exemplum tamen videatur in Bartholini *Act. Med. Haffn. Vol.* 3. *pag.* 116. Non rarò etiam *Aſcaridibus* torquentur, quæ ſcilicet incolunt Inteſtinum rectum: Nullum ferè eſt Symptoma, quod non excitetur à Lumbricis, in Inteſtinis Infantum ſtabulantibus, adeò ut etiam horrendas Epilepticas Convulſiones in iiſdem excitent. Ob id accuratiores Practici ſtudiosè monent, in omnibus Affectibus Infantum curandis, imprimis abſtruſioribus, *ſemper ad Lumbricos eſſe attendendum*, qui latentes peſſima inferunt Symptomata, utut certa eorundem indicia vix dentur, & ſæpiſſimè in obſcuro lateant. In ſpecie tamen Infantibus talibus, quibus Lumbrici in Inteſtinis latent, Os copiosâ Salivâ, & quidem ſemper jejuno Stomacho, continuò abundat, item crebrò Nares fricant, admodùm turbulenti & pavidi in Somno ſunt, ſtrident præter ſolitum Dentibus in Somno. Hæc ſunt ferè *primaria Signa*, quæ in Lumbricorum præſentiâ ſe ſolent manifeſtare. His accedunt, quòd Tuſſis ſæpiùs adſit ſicca, Sitis plerumque Infantes, præſertim mane evigilantes, graviter infeſtat, Appetitus etiam ſubinde nimius eſt, cum quo nihilo minùs marceſcunt, & minùs nutriuntur, interdum planè dejicitur Venter, interdum ſimul inflatur & intumeſcit, Alvus ut plurimùm lubrica eſt & laxa, Tormina Ventris roſiva crebrò adſunt, præſertim Ventre vacuo exiſtente; quæ Tormina ferè ceſſare ſolent, ubi aliquid Alimenti aſſumpſerint; Color Faciei eſt inconſtans, interdum Phlogoſi quadam rubere videtur, interdum ſubitò denuò pallet. Superveniunt tandem Febres, eæque ſæpiùs Malignæ, aut ſaltim varii Typi inconſtantis, quæ mirè Infantes excruciant: interdum periculoſæ Epilepſiæ & Convulſiones Capitis, Manuum ac Crurum vid. M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obſ.* 63. & *Ann.* 6. & 7. *Obſ.* 137. & 187. Thonerus *lib.* 2. *Obſerv. pag.* 94. Bonetus *lib.* 1. *Med. Sept. ſect.* 15. *cap.* 5. *pag.* 133. & *lib.* 3. *ſect.* 16. *cap.* 3. Avicenna *Fen.* 16. 3. *Tr.* Lipothymiæ, aliaque lethalia interdum Symptomata ſuperveniunt, quæ omnia, ſive plura ſive pauciora horum adſint, ſuſpicionem de Vermibus eò magis confirmant, ſi interdum ùnus alterve mortuus per Alvum excretus obſervatus fuerit, aut ex plurium jam dictorum Symptomatum ſyndrome de Vermibus conjectura fieri poteſt: ex quibus potiora ſunt copioſior Saliva, ſtridor Dentium in Somno, Narium crebrior ſcalptura, Sitis matutina, Ventris Tumor, &c.

### CAUSÆ.

Generantur Lumbrici in Inteſtinis, imprimis tenuibus, & ſæpiùs oriuntur ex ἀθροφορίᾳ ſeu *copiâ Aſſumptorum*, Lactis aut Pultis, aliorumque Alimentorum; hæc enim copioſiùs ingurgitata, dum non ritè digeri poſſunt, in *Mucum* degenerant. Mucus hic blandus tamen & dulcis, ex Alimentorum, vel non digeſtorum, vel ritè licèt digeſtorum, reliquiis, ſi in Inteſtinis diutiùs hæſerit, mediante *Calore levi*, & conſequenter *inchoatâ* ſucceſſivè *Putrefactione*, *Semina Lumbricorum* recondita gerit: quæ in Infantibus, quorum vis digeſtiva tam potenter alterare Aſſumpta nequit, facilè reſuſcitata, Lumbricos producunt: Nempe *Semina Vegetabilium*, imprimis *Cerealia*, ſpeciatim *ſecalina & triticea*, vel immediatè in Pulte Infantum farinaceâ, vel mediatè in Lacte Nutricis ex Pane ingeſto nata, & ſeminali Inſectorum variorum Contagio (quod ſub minimâ etiam mole latere poteſt, ut pote conſtituere dicitur ſaltem 2800. partem ſui ſeminalis corporis) quaſi imprægnata, datâ occaſione & quaſi evigilando in Infantibus dictos Lumbricos excludunt. Accedit, ut monui, *Tepor loci* blandus, ſimulque in Infantibus *vis digeſtiva* Ventriculi *debilitata*, quando digerendo non ſubiguntur exactè omnia dictorum Animalculorum ſeminalia Principia (P), ſed vivos Fœtus emittunt. Præterea etiam *Dulcia*, imprimis *Saccharata*, quibus delectantur, facillimè Animalia ſubminiſtrantia, eaque varia, faciunt, ut eò promptiùs in Infantibus Lumbrici generentur.



(P) Nota Cyrilli. Vermes (*quemadmodùm omnia Inſecta*) non ex Putredine, *ut Antiquis placuit*, *ſed* ex præexiſtentibus Ovis *gigni*, *res eſt apud omnes accuratiores Philoſophos compertiſſima*: *ſicuti comperta quoque eſt Inſectorum varia in illorum excluſione metamorphoſis*, *ut ſcilicet ferè Muſcarum omnium genus Ova plerumque dejiciat*, *ex quibus Vermes excludantur*, *hi cortice poſteà duriuſculo obducti tandem in Chryſalidam*, *& novam Muſcam transformentur*. *Majore tamen conſideratione dignum eſt*, *quod quidam ajunt*, non eſſe Vermium ex Ovis omninò fortuitam & indiſcriminatim factam eruptionem, *ſed* (*quod in perfectis omnibus Animalibus conſtans eſt*) *certos Vermes ex certis ab ejuſdem ſpeciei Vermibus cacatis Ovis excludi*. *Quod quidem accuratiùs notans* Cl. Valliſnieri, *atque poſt illum alii non infimi ſubſellii Autores*, *animadvertit Vermes humanos ſtructurâ*

Et hinc eſt, quòd etiam Lumbrici per Dulcia ex Lacte, Sacchuro, Melle, &c. parata imprimis alliciantur & inſcentur. (Q) Accedit denique temperata *Bilis* acrimonia, minuſque amara in Infantibus, alias Succos, quos attingit, à tam promptâ Putredine & Verminatione defendens, quæ cum deficiat in Infantibus, ubi vis digeſtiva Stomachi eſt mitior, & Bilis temperata, minùs Corruptelam Humorum animatam temperare ac præcavere poteſt, atque in Adultis. Uti namque Sal volatile oleoſum Bilis inſtar Balſami condit Chylum, eumque præſervat ab omni Corruptione, idque eò magis, quò acrior magiſque ſalina volatilis fuerit, uti eſt in Juvenibus adultis; ità cùm in Infantibus ſit magis temperata & minùs ſalina, ob id minùs condire poteſt Chylum, minuſque defendere eundem à Putredine & Verminatione, unde tandem *Mucus lacteus ſubdulcis* in Inteſtinis putrefactus *Lumbricos* excludit: Hinc & ubi Bilis deficit Balſamus, Lumbricorum eſt patria, rectè dicit Helmontius *Tractat. ſextupl. Dig.* §. 82. hinc etiam *Tinearum* in Adultis Cauſam refert Hartmannus potiſſimùm *in Obſtructionem folliculi Fellis*, *in Prax. Chymiatr. cap.* 156. §. 11. Unde etiam talia quæ Amaricantia ſunt, & Bilis Balſamo cognata, uti ſunt Myrrhata, Abſinthiaca, Aloëtica, Colocynthiaca & denique ipſum Fel bubulum, promptè Lumbricos fugant & pellunt.

Denique in Ablactatis præter Addephagiam, Fructuum horæorum eſus vi fermentativâ uti corrumpit Lacticinia & Pultacea, ita promptiſſimè Infantes ad Lumbricos diſponit. Talibus ergò Occaſionibus facilè viva iſta Putredo excitari poterit. Diutiùs equidem Lumbricis ſubinde affliguntur Infantes ſine notabili detrimento, ut plurimùm tamen peſſima Symptomata inducunt, ex quibus non rarò periclitari contingit Infantes. Quòd ſi ſuſpicio ſit de eorum præſentiâ, maturè ejiciendi & excludendi ſunt.

CURA.

*Eturâ & generatione valdè differre ab omnibus aliis Vermium, ſive in corporibus aliorum Animalium, ſive paſſim per terram repentium, ſpeciebus: ex eo præſertim, quòd in corpore humano geniti Vermes haud mutantur in Nymphas, Chryſalidas, & Aurelias, quemadmodùm Vermium reliquorum turba. Hinc putat, humanos Vermes haud gigni poſſe (ut vulgò receptum eſt) ex Inſectorum diverſarum ſpecierum Ovis per Aërem volitantibus, atque cum Cibo & Potu commiſtis, deinde in Ventriculo, Inteſtinis, reliquiſque corporis cavitatibus, accedente tamquam nido corruptorum humorum fimo, excluſis. Si enim hoc verum eſſet, Vermes in corpore humano geniti ſimilitudinem præ ſe ferre deberent Inſectis iis, à quibus illorum Ova depoſita ſunt, vel ſaltem mediis aliis mutationibus in vera illa Inſecta mutarentur, quod nunquam obſervatum. Imò humani teretes Lumbrici, etiamſi quoad externam figuram aliquâ ratione terreſtribus Lumbricis ſimiles videantur; attamen interna horum atque illorum integrantium partium ſtructura, quam maximè diverſa eſt, notante eodem Cl. Autore.*

*Pro certo igitur habet laudatus* Vallisnieri, *quòd quemadmodùm ſingula Animalia proprios habent Pediculos, & peculiaria Inſecta illorum cutim depaſcentia, quæ ex Animalibus ejuſdem ſpeciei in alia propagentur; ita quoque credendum ſit* humanos Vermes *interna viſcera occupantes*, à Deo primùm creatos, *atque in primorum Parentum corpora inditos fuiſſe, ſcilicet vel ut excrementa noſtra conſumerent, vel ob peccati pœnam in nos ſævirent. Horum igitur Vermium Ova tranſmittantur ſucceſſivè à Matre in Fœtum, vel in Utero ſimul cum nutrimento, vel extra Uterum cum Lacte: quæ poſtmodùm per multum tempus latentia, quâ datâ putrilaginis in Ventriculo vel Inteſtinis genitæ occaſione, excluduntur, & in Vermes abeunt hujus vel illius ſpeciei prout ova ab hujus vel illius ſpeciei Vermibus depoſita ſurt. Hi autem Vermes in Fœminarum præſertim corporibus geniti, nova pariunt Ova in Fœtum, ſi qui unquam in Utero concipiatur, transfundenda. Id confirmat ex eo, quòd Vermes in Stercore Fœtûs nondum editi, adeoque ante ciborum Ovis infectorum aſſumtionem, reperti fuerint: quod &* Hippocrati *quoque innotuit.*

*Hanc ſuam Hypotheſim præponendam eſſe credit ſententiæ Dñi* Andry, *qui ait exiguos Vermes Animalium, inſeri in Vermiculos, quos in eorundem Semine deprehendit* Leevvenhoëk, *atque hoc modo in Uterum Mulieris tranſmitti: hanc autem ſententiam rejiciendam eſſe cenſet eâ ſcilicet ratione, quòd Seminis hi Vermiculi (ſi quidem Vermiculi ſunt, & non potiùs particulæ Seminis oblongæ & vermiformes in liquore clariori natantes, & undulatim ſeſe moventes) millies ſint exiliores Animalium Vermibus nuper excluſis, quàm ut poſſint horum corpuſcula in ſinu ſuo excipere.*

*Ingenioſa ſanè eſt propoſita de Vermium generatione Hypotheſis, ſed quæ fortaſsè* non leves pati poſſet difficultates: *præcipuè ex eo, ut ratio reddatur, quomodò Matres quæ nunquam Vermes in corpore genuere, poſſint Vermium, quos non habent, Ova in Fœtum transfundere: niſi dicas Ova illa transfundere, quæ in ipſas Utero contentas Matres ſuæ transfudêre, ut per tot annos latentia, nec unquam excluſa nec corrupta, tempore nutritionis concepti Fœtûs, in illum tranſirent. Salebroſus ſanè philoſophandi modus. Sanè planiùs philoſopharemur, ſi certi eſſemus, variorum Inſectorum Ova cum Cibis & Potibus ingeſta poſſe in corpore noſtro in Vermes abire, qui & ratione figuræ loci, & ratione varii alimenti, externam formam, atque internam ſtructuram, ab Inſectis à quibus depoſita fuere, diverſam adipiſcerentur: quod fortaſſe in imperfectioribus Animalibus haud omninò impoſſibile reputandum. Sic in Caſeo geniti Vermes omnes ſibi ſimiles gignuntur, quemadmodùm Fructuum ſingulæ ſpecies ſemper ſimiles edunt Vermiculos. Ni dicere velis Vermes hos Fructuum & Caſei, non ab Ovis variorum Inſectorum indiſcriminatim per aërem volitantibus gigni, ſed in Lacte ſingulorum Animalium, ex quo Caſeus conficitur, imò in ſingulis Fructuum ſpeciebus, à Deo inditos primùm fuiſſe peculiares Vermes, quorum Ova in procreandos ſucceſſivè Fructus propagarentur: non ſecus ac de Animalium Vermibus dictum, ex* Vallisnieri. *Sed de his fuſiſſimè tractantes habemus, præter laudatum* Vallisnieri, *Clariſſimos* Andry, Lemery, Dan. le Clerc, *aliosque quos videre eſt.*

(Q) Nota Cyrilli. *Imò* Melle & Saccharo *Aquâ diſſolutis* Vermes interire, *obſervavit* Cl. Redi: *atque addit non aliâ ratione Theriacam eſſe anthelminthicon, h. e. vermicidam, niſi ob Mel, quo confecta eſt. Reverà, quum videamus ex Dulcibus & Saccharatis ingeſtis Vermes in Infantibus facilè gigni, jure credendum, eo quòd ingeſta non levem in Ventriculo mutationem patiuntur, non ſemper valere argumentum deſumtum ab iis, quæ notantur in Cibis extra Ventriculum, & poſtquàm in Ventriculum ſunt introducta. Quare Saccharum & Mel poterunt extra Ventriculum Vermes enecare, aſſumta verò, & in liquamen putridum verſa, Vermibus aptiſſimum ſomitem ſuggerere valebunt.*

CURA.

In *Curâ* eorundem conveniunt omnia *Amara*, quæ eos aut enecant, aut ceu ipſis adverſa fugant. Si propinentur Enecantia, ſimul, vel brevi pòſt, ſubjungenda ſunt *Purgantia*, eos expellentia. Nam licèt ſemel enecati ſint, ſi tamen adhuc hoſpitentur in Corpore, ex eorum corruptione novi exſurgunt Lumbrici.

Conveniunt ergò internè Mechoacanna, item paululum de Jalappâ: item Syrupus Florum Perſicorum admodùm infenſus Lumbricis, ſi paulò robuſtior fuerit Fœtus: non eſt melius interficiens aut enecans Lumbricos, quàm Species Diaturbith cum Rhabarbaro à gr. viij. x. uſque ad xv. propinatæ: ſi non habentur, aſſumendus eſt *Mercurius dulcis*: e. g.

℞. *Mercurii dulc.*
*Sacch.* an. gr. iij.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis Laxativus pro unâ vice.

Detur in Vehiculo liquido ex Cochleari ligneo.

Commodiſſimè autem cum Confervâ Florum Perſicorum in formâ Boli, vel cum Saccharo in Rotulas redactus, uſurpatur; (metus enim eſt, ne in formâ Pulveris ſub antiquâ facie Cochleari metallico adhæreat) v. g.

℞. *Conſ. Roſar.* vel quod melius, *Conſ. Flor. Perſic.* (quæ tamen amaricat) ℈ß. ʒß. ad ʒj.
*Mercurii dulc.* gr. iij. iv. ℈ß. (pro ratione Ætatis.)
Cum ſ. q. *Syr. Flor. Perſic.* f. Bolus. S.
Bolus Laxativus contra Lumbricos.
Vel
℞. *Conſ. Flor. Perſic.* ℈ij.
*Mercurii dulc.* gr. xv. (nimia forſan doſis)
M. f. Bolus Infanti 3. annorum pro duabus vicibus.
D. S. ut antè.

Ubi Infans fuerit jam aliquot annorum, commodè etiam pro ſtimulo aliquot grana Jalappæ addi poſſunt; nam Jalappa etiam promptè pellit Lumbricos: e. g.

℞. *Conſ. Flor. Perſic.* ℈ij.
*Mercurii dulc.* gr. xij.
*Pulv. Jalapp.* gr. v.
Cum *Syr. Flor. Perſic.* f. Bolus pro duabus vicibus Infanti trium annorum.
D. S. ut ſuprà. Vel
℞. *Mercurii dulc.* gr. v.
*Pulv. Jalapp.* gr. j.
*Conſ. Roſar.* parum.
M. f. Bolus. S.
Bolus Laxativus pro unâ vice. Vel
℞. *Conſ. Flor. Perſic.* ʒj.
*Mercurii dulc.* ℈j.
*Spec. Diaturb. cum Rhab.* gr. v.
Cum *Syr. Flor. Perſic.* f. Bolus. S.
Bolus contra Vermes.

Juratus enim Lumbricorum hoſtis eſt *Mercurius*, ſi cum *Saccharo*, quod *Succum ſingularem* vocat Schroederus *in Pharm. lib.* 3. *cap.* 15. *pag.* 398. ſubigatur probè tamdiu in Mortario vitreo, donec Pulvis griſeus emergat, qui Pulvis aliàs notus eſt nomine *Pulveris ad Vermes D. Michaëlis*, à ℈j. ad ʒß. certum Experimentum in Cochleari ligneo, promptiſſimè Vermes enecat & expellit.
Vel
℞. *Conſ. Flor. Perſic.* vel *Roſar.* ℈j. ad ʒß.
*Pulveris Mercurial. ſacchar.* gr. xij. xv. ℈j. ad ʒß.
Miſc. pro unâ vel duabus doſibus.
D. S. ut antè. Vel
℞. *Conſ. Roſar.* ʒj.
*Pulv. Mercurial. ſacchar.* ʒß.
*Ol. deſtill. Spicæ* gutt. iij.
Cum *Syr. Flor. Perſic.* f. Bolus:
D. S. ut antè.

Vid. Horſtius *Obſ. pag.* 449.

Etiam *Aqua Mercurialis Hermetica*, quam vocant, vel *Anthelminthica Helmontii*, ſeu quæ fit ex infuſione Mercurii vivi, ejuſque agitatione aut ebullitione, certum eſt Experimentum ad Lumbricos: Nempe recipiatur ʒj. *Mercurii vivi* benè *purgati*, aut, quod melius eſt, ex laboribus Mercurialibus *reſuſcitati* (vocatur aliàs revivificatus): infund. in ℔j. *Aquæ ſimpl. vel Radicis Graminis*, *vel Hyperici* (nam hæc etiam ſunt inimica Lumbricis), & probè agitantur invicem in lagenâ vitreâ, vel decoquuntur: Reponitur hæc Mixtura, ut Mercurius omnis fundum petat, & Aqua ſuperſtans contagio Mercurii infecta clareſiat; quæ Aqua eſt certiſſimum Experimentum ad enecandos & fugandos Lumbricos. Vocatur ab Horatio Augenio *Aqua Hermetica*, quæ filtrata cochleatim datur.

Præter dicta ulteriùs Lumbricos enecant & pellunt omnia ex Cornu Cervi parata, quælibet ex Marte; hinc Abſinthium, Hypericon, Corallina, ejuſque Pulvis, Zedoaria, Scordium; Pulvis item Summitatum & Seminis Tanaceti, Gentianæ Pulvis cum Cornu Cervi ſine igne & tantillo Myrrhæ, jurato Lumbricorum hoſte; vel quæ præſentaneam magis fert opem, Tinctura Salutis, Aloë & ſimilia *Amaricantia*: Sal volatile & Spiritus Cornu Cervi probè eſſentificatus, vel Sale volatili proprio acuatus, adeoque & polychreſtus Liquor Cornu Cervi ſuccinatus; hic enim promptè Lumbricos pellit, & commodè uſurpatur, ubi ſimul imminent epilepticæ Convulſiones cum Lumbricis.

Ex his aut ſimilibus paratur Eſſentia Compoſita contra Vermes, qualem habet Scharffius *in Deſcript. Juniperi.* Aqua deſtillata Raphani ruſticani, de qua vid. M. A. N. C. *Ann.* 6. & 7. *Obſerv.* 187. ubi ob acrimoniam cum aliis mixta & propinata, undecim Vermes, motuum Convulſivorum autores, exturbavit. Aliàs Decoctum Radicis Filicis in Lacte Infantibus propinatum, tanquam certiſſimum commendatur contra Vermes. Crocus Martis ex Vitriolo præcipitatus huc quoque pertinet: e. g.

℞. *Croc. Martis per præcipitat.* ʒij.
*Sem. Tanaceti* ʒj.
*Pulv. Zedoar.* ℈ij.
Cum ſ. q. *Sacchari*,
F. Rotulæ.

Certiſſimum Experimentum etiam pro Adultis eſt *Præcipitatum Veneris*, quod & Timæus *Von Guldenklee*, tanquam Arcanum, & Zwelfferus tanquam Expertum ad Lumbricos commendat. Nempe Vitriolo Veneris affundit Phlegma Vitrioli Veneris acuatum cum pauco Spiritu proprio, ut in hoc liquore ſolvatur Vitriolum; Solutio filtrata præcipitatur cum Oleo Tartari per deliquium; ſic acquiritur Pulvis, vel cœruleus, vel exactè viridis, qui optimè edulcoratus ad gr. v. vel vj. pro ratione Ætatis in Vehiculo convenienti propinatus, in Infantibus promptiſſimè pellit Lumbricos, qui & in Adultis eoſdem certò fugat.

Ubi non ampliùs lactantur Infantes, optima ſunt Remedia Spiritus Sulphuris, ſeu, quod melius eſt, Spiritus Vitrioli, utut in radice conveniant; ſi nempe quicunque Potus & Aqua appropriata Hyperici, Portulacæ, Radicis Graminis, aut etiam ſaltem Aqua communis modicè acidulata præſcriptis Spiritibus Sulphuris vel Vitrioli, de qua interdum pro lubitu hauriat Infans, mirum eſt, quàm promptè pellat Lumbricos, eoſque fuget.

Cum his internè assumptis Vermes pellentibus simul per *Clysteres* semper injiciantur *Dulcia*, quæ Lumbricis sunt amica, & deorsum versùs ad se alliciunt; qualia sunt Clysteres ex *Lacte vaccino* vel *muliebri* ad ʒij. vel iij. cum sufficiente quantitate *Sacchari* pro ratione Ætatis Infantis; aut ex Decocto Passularum cum Saccharo, aut ex Decocto Caricarum aut similibus, quorum dulcedine allecti Lumbrici, dum fugunt per os assumpta hostilia, in fugam versi facilius ita ejiciuntur; aut saltem Aqua Saccharo imprægnata loco Clysmatis injicitur.

*Externè* simul Umbilico applicetur Linimentum sequens, domesticum quidem, sed certum, cujus aliquoties felicem vidi successum:

℞. *Aloës* ʒij.
*Myrrhæ* ʒß.
Cum *Felle Tauri* s. Linimentum: D. S.
Linimentum contra Vermes.

Cum Oleo Colocynthidos acuatum indetur frusto Vesicæ bubulæ vel suillæ quantitate palmæ seu parvæ manus, & ita applicetur Umbilico, & quamdiu adhæret, retineatur; sic namque facilè halitu suo Lumbricos fugat: Quòd si adsint Lumbrici, fortiter adhæret, nec priùs cadere solet, quod certissimum est, & ipse vidi, nisi enecati & fugati fuerint Lumbrici, quo tempore sponte cadit: Quòd si verò applicatum non adhæreat, est signum non improbabile, non adesse Lumbricos.

Prætereà etiam Oleum Absinthii, Oleum Diacolocynthidos, Oleum Nucleorum Persicorum expressum, Unguentum contra Vermes Augustanorum, Unguentum de Arthanitâ, & similia Linimenta, Umbilici regioni illinantur. Vel

℞. *Ungu. de Arthan.* ʒij.
*Fellis Tauri inspiss.* ʒj.
*Ol. Diacoloc. Quercet.* q. s.
*destill. Absinth.* gutt. vj.
M. f. l. a. Linimentum:
D. S. ut antè.

Quòd si strictè adhæret, certò adsunt Lumbrici.

Quibusdam in usu est, applicare etiam Theriacam cum Succo vel Oleo Absinthii aut Rutæ. Vel

℞. *Aquæ Absinth.* ℔j.
in qua dissolv.
*Aloës* ʒij. Misc.

probè terendo & subigendo.

Valet contra Vermes, Corpora Puerorum in Balneo fricando.

## ARTICULUS XXII.

### *De Verme Umbilicali.*

SEd præter hos Lumbricos in Intestinis Infantum stabulantes, notabilis est *Vermis Umbilici*, quem vocant Germani *den Nabelvvurm*, *den Zehrvvurm*, *den Geitzvvurm*: de quo vid. pauca in specie in Sennerto *lib.* 3. *Prax. P.* 10. *de Morb. Abdominis cap.* 4. *p.* 984. Affectus est rarissimus; nullus enim Autorum de tali Verme Umbilicali habet aliquid; veritas tamen horum etiam observata fuit à D. Michaelis, qui etiam Methodo mox recensendâ eosdem fugavit.

### DIAGNOSIS.

In tali casu Infantes cum Nutrice optimâ, optimè sugentes licèt, successivè emaciantur, Labia pallent, *sunt quasi cœrulei coloris*, & deficiunt à nativo Colore, inquieti sunt, & quasi Tormina Ventris patiuntur, interdum se jactitant.

Signa alia manifesta sunt nulla hujus Vermis Umbilicalis.

### CURA.

Quoad *Curam*: ubi adest suspicio talis Vermis, applicetur *Fundulus* Umbilico sub introitu lecti, quem depascit Vermis, idque bis vel ter repetitur, imponendo novum Fundulum, ut simus certi de præsentiâ hujus Vermis Umbilicalis; postmodùm applicetur putamen Nucis Juglandis internum, *idque durius*, excavatum, pulveris Vitri Veneti & Sabinæ cum sufficienti quantitate Mellis repletum, hoc modo dulcedine Mellis allectus Vermis cum Sabinâ & Pulvere Vitri postmodùm enecatur, ut extrahi queat. Dum ergò apparet, nil absumi ex mistura Nuci Juglandi insitâ, tunc appropriata Purgantia usurpentur, ut Vermis enecatus quacunque viâ evacuetur.

## ARTICULUS XXIII.

### *De Tussi.*

INfantes ulteriùs subinde *Tussi* & *Affectibus Catarrhalibus* laborare solent, circa quam Infantum Tussim melioris doctrinæ gratiâ ante omnia observanda venit Differentia Tussis, vel *Humidæ*, vel *Siccæ*; item vel *Stomachalis*, vel *Pectoralis*. Tussis *Sicca* est, quando solummodò est absque materiæ excretione, & hæc est apud Infantes rarior, nisi quòd sæpiùs soleat esse prodromus Variolarum. Tussis verò *Humida* seu cum materiæ excretione est, quando rejiciuntur aut saltem rejectibilia deglutiuntur postmodùm, viscida, mucilaginosa & pituitosa, ut vocant.

Hoc præsuppositio, *Tussis* ista *Sicca Pectoralis* est à Lymphâ nimis acidâ, vellicante Fauces & Membranam eas subcingentem, in specie istam quæ cingit interiùs Laryngem Asperamque Arteriam, de quâ Lymphâ jam alio loco plura dicta fuere. Aliàs *omnis Tussis Infantum est Humida*. Par ratio est circa Tussim istam, quæ sub *Dentitionis tempore* frequenter oritur, ut suprà insinuatum fuit, cui successivè propter copiosioris Salivæ subinde salso-acrioris defluxum in Stomachum, & imprimis Membranas Pituitarias copiosam Lympham plorantes, & per Gulam in Ventriculum dimittentes, & inde *defectuosam* redditam. *Digestionem primam* & coacervatas Cruditates, etiam *Tussis Stomachalis Humida* supervenire solet tandem. Item Aëris inclementioris afflatus liberiorque inspiratus suo modo Infantes subinde ad Tussim Siccam Pectoralem disponit, ex Lymphæ nempe ab Aëre copiosiùs effusione, quæ tandem evadit Humida ex successivâ Muci generatione cum Stertore affligens. Pertinet huc *Tussis Puerorum Convulsiva*, de qua Willis *in Pharm. Rat. Part.* 2. *Sect.* 1. *cap.* 6. *pag.* 101.

Sed frequentior est *Tussis Infantum Ferina*, seu quibusdam *Furibunda* dicta, in qua Infantes multum ac diu tussiunt, & quæ subinde tantâ violentiâ repetens vix sisti potest, nisi spontaneus tandē supervenerit Vomitus, copiosique Muci rejectio, post quem Vomitum cessat Tussis ad tempus, donec revertatur post dimidium diem præter propter similis ferè tussiendi Paroxysmus, simili Vomitu claudendus. Talis ordinario ex Ventriculo esse solet. Oritur hæc ipsa ordinariò, vel ex addephagiâ Infantum, seu copiosiore Pultaceorum ingestione, vel Lactis acrioris & serosioris crebriore haustu, vel ejusdem in Stomacho corruptione, & acrimoniâ singulari Ventriculum vellicante: quæ duo

duo nimiâ copiâ cum imparia fiant Fermento Stomachi digeſtivo ex defectu concoctionis, degenerant in Liquamina viſcida, craſſa & mucilaginoſa, quæ ipſa nunc Flatuum ſubminiſtrant materiam, unde difficilis Reſpiratio, quamdiu ſupini jacent Infantes; aut etiam hæc pituitoſa acida aut ſalſo-acida in Stomachi cavo magis fluctuantia, ſucceſſivè irritando orificium Stomachi ſiniſtrum, & cum hôc arctè connexum Diaphragma, Tuſſim pertinacem, & primò quidem inanem hinc cum rejectione Mucilaginis viſcidæ conjunctam inferunt; ſicut in Ablactatis frequentior hæc Tuſſis ex Muco viſcido, utut pauco, orificium inferius obſidente, oriri ſolet: vel infensâ & moleſtâ ſui præſentiâ; vel ſaltem Halitibus acrioribus, excitant ſub Exſpiratione per conſenſum vellicati Diaphragmatis, & ipſi compatientium Muſculorum Thoracis Expirationi inſervientium, horum convulſivos Motus, unde Tuſſes ſæpiùs repetentes tenella Pectora concutiunt.

Idem ſentiendum eſt de *Aſthmate Infantum*, quod ut plurimùm etiam *ex Stomacho* onerato oritur, propter Cruditates acidas mucilaginoſas coacervatas, quæ ſi turgeſcant, & in Flatus abeant, fermentando in tantum Diaphragmatis deorſum versùs impeditur contractio, ut moleſtus talis Aſthmaticus Paroxyſmus immineat; hinc enim etiam provocato *Vomitu* ſtatim liberantur, Autore Primeroſio *de Pueror. Morb. pag.* 73. Unde in tali Infantum Tuſſi ſemper ad Stomachum erit reſpiciendum.

## DIAGNOSIS.

Affectus per ſe patet: an ſit Sicca vel Humida; etiam eſt in propatulo.

In ſpecie, quando eſt *Sicca Tuſſis*, conjuncta ſolet eſſe Sternutatio, conjuncta ſolet eſſe involuntaria Oculorum Illacrymatio, & qui ſunt ſimiles Affectus ex Lymphâ paulò acidiori oriundi.

*Tuſſis Humida* ex eo lueulenta eſt, quòd cum Stertore quodam reſpirare ſoleant Infantes, item quòd tuſſiendo materiam rejiciant, aut reſolutam denuò deglutiant.

Subinde etiam *Inflatio* quædam in Præcordiis, & quædam ibidem locorum Intumeſcentia adeſſe ſolet; *Venter enim ipſis ſolet intumeſcere*, & quæ ſunt ſimilia Tuſſim ſatis manifeſtantia Signa.

## PROGNOSIS.

Non negligenda eſt Tuſſis in Infantibus, quia præter Vigilias & Vomitus etiam Hernias, Suffocationes &c. inducere ſolet.

## CURA.

Si prodromus eſt Variolarum Tuſſis, vix curari ſolet, cùm ſponte poſtmodùm ceſſet: imprimis autem Tuſſis Humida ſub Curam Medici cadit. In Tuſſis enim Curâ, uti etiam in Curâ Aſthmatis Infantilis ſemper ſuprà inſinuata obſervanda venit Differentia. In genere tamen Tuſſis Infantum inveterata, Humida quælibet, & hinc iſta, quæ ex Stomacho, præ cæteris Tuſſis ſpeciebus furibunda, vix curari poterit abſque *Vomitu*; quo uno, aut, ſi opus fuerit, repetito, plus præſtare poſſumus, quàm pluribus aliis Remediis, diu licèt continuatis; hinc niſi ſponte ſuperveniat Vomitus, Arte provocandus eſt: quô factô, vel ſponte remittunt dicta Pathemata.

Provocatur facilè in Infantibus, ſi digito Oleo illito irritentur Fauces, aut etiam ſi Penna ſimiliter Oleo tincta Faucibus intrudatur; ſic namque Infantes aliàs facilè vomiturientes ad Vomitum ſtimulantur, & ſubvenit Vomitus tam in Tuſſi, quàm in difficili Reſpiratione, Aſthmate Infantum & ſimilibus admodùm utilis.

Vel

℞. *Aquæ Hyſſopi* ℥ß.
*Oxyſacch. Emet. A. Salæ* ℥j.
M. S.
Succus Emeticus.

Ubi per inferiora volumus evacuare, Mechoacannæ Pulvis adhibetur utiliſſimè, habitâ ratione Ætatis pro ratione doſeos.

In *Tuſſi* ergò contumaci *Siccâ Pectorali* ſæpiùs *nocturnâ*, aut Larynge potius affecto, & à Lymphâ acriore, vel Aëre inclementiore irritato, convenit imprimis Loch ex Paſſulis cum Mucilagine Seminis Lini aut Cydoniorum permiſtum; eſt enim blandum temperans. In tali etiam Tuſſi Mulierum euporiſton eſt, ex Cratonis, trium Imperatorum Archiatri, Experientiâ ipſis compertum, Juſculum *Raparum*, in ſpecie *ſiccarum cum Saccharo*, quod crebriùs Infantibus propinatum *Tuſſim Catarrhalem* ſiſtit: item Succus Raparum, &c. Adultioribus paulò Decoctum Radicis Helenii cum Uvis Corinthiacis in Vino Malvatico, pauco addito Saccharo, ut fiat quaſi Syrupus, ad levandam Tuſſim mirè conducit. Syrupus Diacodiôn egregius eſt, uti & Succinum & Succinata, Succinum Catarrhale, Species Diatragacanthi, Pulvis contra Tuſſim Infantum *Mynſichti*, item Flores Sulphuris cum Saccharo pauco miſti; temperant enim acrimoniam Lymphæ. *Sperma Ceti* ad ℈ß. quacunque ratione, commodiſſimè in Cereviſiâ calidâ, vel in Juſculo aut cum Lacte probè calido propinatum, aliove ſimili calido Vehiculo; item Syrupus de Jujubis, de Scabioſâ, de Glycyrrhizâ, &c. quibus & *Spiritus Salis Ammoniaci anisatus* pro ſubitu addi poteſt, qui Infantibus eſt egregius, & inſigni meritò extollendus encomio: etiam ubi *difficilior Dentitio* talem *Tuſſim*, quod interdum contingit, Infantibus excitaverit, quo in caſu Vomitorium interdum præmittendum erit. Præ cæteris tamen *Liquor Cornu Cervi ſuccinatus*, ſuprà pluribus laudatus, nunquam omittendus eſt; *in Affectibus Catarrhalibus* quibuſcunque, Infantum præcipuè, & inde in *Tuſſi Siccâ* primum meretur locum. Pinguedo itidem Caponis in Jure Piſorum liquefacta & propinata, mirè commendatur.

Et hæc *Incraſſantia* dicta in quavis Tuſſi Infantum Siccâ, tam Pectorali quàm Stomachali, locum inveniunt. Noſtrates Mulieres in tali Tuſſi Infantibus ablactatis non abſque ſucceſſu propinant Caricas pingues, in minutas particulas conciſas, in Spiritu Vini maceratas, deflagrando; Caricas relictas propinant veſperi felici cum ſucceſſu.

Foreſtus aſſerit, Infantem Tuſſi laborantem curari per Mures coctos, eſitatos, manducatos priùs à Nutrice, & in os Infantis inditos.

Quoad *Externa*: præ cæteris in tali *Tuſſi Siccâ* in uſu eſt Lotio Pedum in Cereviſiâ calidâ; quâ peractâ Pinguedo Lucii piſcis recens, vel loco hujus Sevum Hircinum aut Medulla Cervina, liquefacta in Cochleari, & plantis Pedum inuncta, contra hanc Tuſſim optimè prodeſt, in ſpecie ſi miſceatur cum Oleo Laurino. Linimentum ex Pinguedine Caponis cum capitibus Alliorum factum, ceu notum, hîc præſuppono. Item ſi ex Catarrhali fuerit vitio, Suffitus ex Succino, Thure,

Gummi Juniperino, &c. Bombace exceptus, Capiti imponitur felici cum ſucceſſu; vel Cerotum pro Bregmate uſitatum, cum Tacamahacâ miſtum, Oleo deſtillato Majoranæ irroratum, Capiti imponitur.

In *Tuſſi Convulſivâ* convenit Liquor Cornu Cervi ſuccinatus, Eſſentia Caſtorei, & Remedia à Williſio *l. a.* commendata:

Vel

℞. *Aquæ Fœnic.*
*Hyſſopi* an. ʒvj.
*Spirit. Sal. Ammoniac. lavendul. ſuccin.* an. gutt. xx.
*Syr. Papav. ſimpl.* ℥ß.
M. D. S.
Tuſſim ſedans Potio.

Vel

℞. *Eſſ. Caſtor. vinoſ.* ʒj.
*Spirit. Sal. Ammoniac. ſuccin.* ʒß.
M. D. S.
Tuſſim ſedans Eſſentia.

Quòd ſi *Tuſſis* fuerit *Humida*, atque juncta copioſo Muco acido viſcido, præter *Vomitum Incidentia & Attenuantia* conveniunt: quæ inter primatum ducit Spiritus Salis Ammoniaci anisatus: item Syrupus de Nicotianâ ritè paratus perquàm egregius eſt in incidendo & attenuando Muco, & liberandis Infantibus à Suffocatione: Hinc Syrupus de Hyſſopo, item de Scabioſâ, vel Syrupus de Eryſimo, &c. qui propinari poſſunt in Aquâ Hyſſopi, in Aquâ Scabioſæ, vel Menthæ, & ſimilibus.

Vel

℞. *Syr. Nicotian.*
*Hyſſopi* an. ʒiij.
*Emet.* ʒj.
M. S.
Succus Emolliens.

Reſolvit Mucum, & Vomitum blandè movet.

*Succus* item *Raphani* recens cum *Saccharo depurato* temperatus, ingratus licèt, efficaciſſimus tamen eſt: vel qui mitior & temperatior, non minùs tamen potens eſt, qui ex *Raphano excavato & Saccharo repleto* in frigido per deliquium, aut ex Raphano in taleolas inciſo, Saccharoque largiter inſperſo, deſluit, aut intra duos Orbiculos ſtanneos exprimitur, Succus eſt egregius pro reſolvendo Muco Stomachi, Tuſſim & Aſthma inferente. Item Succus Fœniculi, miſtus cum Lacte & propinatus, non parum levat Infantum Tuſſim. Convenit etiam ad Mucilagines Stomachi reſolvendas Sperma Ceti, ſi hoc in paucâ quantitate pro ratione Ætatis in Lacte calido propinetur Infanti; reſolvit enim inſigniter Mucilagines Stomachi. Elæoſacchara Fœniculi & Aniſi optimè conducunt, ſi lambenda præbeantur Infantibus: Hinc Pulvis Radicis Ireos, Radicis Aronis, Liquor Cornu Cervi ſuccinatus, Pulvis contra Tuſſim Infantum *Mynſichti*, &c. V. g. Infans 12. ſeptimanarum Tuſſi Humidâ cum copioſo Muco, os & bronchia infarciente, periculosè ob Suffocationis metum infeſtabatur:

℞. *Aquæ Menth.* ʒiij.
*Syr. Emet. Salæ* ℈j.
M. f. Potiuncula;

Quæ cochleatim propinabatur, donec ſequeretur Vomitus: ſed parùm operabatur: Hinc

℞. *Aquæ Hyſſ.* ℥iß.
*Syr. Nicot.* ʒvj.
*Spirit. Sal. Ammoniac. aniſ.* ℈j.
Miſc.

Quatuor vel quinque horas ab illo priori Remedio porrigere incipiebant, hinc tandem per repetitos ſupervenientes Vomitus admodùm mucilaginoſos, & ſeroſos Seceſſus beneficio Suppoſitorii, Infans levabatur. Mirabar Vomitorii doſin in Infante unius anni & ampliùs ſufficientis, minùs ex ſe ipſo Vomitum ſuſcitaſſe: ſed partim copia Muci, partim uſus Lactis, Remedii vim obtundebat.

Item in *Tuſſi Siccâ*:

℞. *Rob. Paſſul.*
*Syr. Papav. alb.* an. ℥ß.
Miſc.

Interdum addebantur

*Lapill. Cancr. præp.*
*Flor. Sulphuris* an. gr. xv.
Miſc.

Propinabatur Infanti ſæpiùs.

Item Decoctum Raparum flaccidarum cum Paſſulis & Ficubus benè confert.

In Tuſſi Siccâ pro Puero trium annorum:

℞. *Aquæ Scabioſ.* ℥ij.
*Spir. Sal. Ammoniac. aniſ.* ʒß.
*Syr. Diacod.* ʒiij. ad ℥ß.
M. D. S.
Potiuncula contra Tuſſim.

In *Aſthmate Infantum*, Vinum infuſionis Millepedum eſt optimum, auctore Hertodt *in Crocol. pag.* 129.

Externè Oleum Chamomillæ & Amygdalarum dulcium Pectori illitum convenit.

*Puer* ingenuus novem vel decem annorum, macilentus corpore, facie tamen plenâ, paulò tamen pallidiore ornatus, laborabat Catarrho Suffocativo ex vitio Lymphæ in Arteriâ Aſperâ; ſubinde enim ſubito ſolebat, nocturno tempore Somno alto oppreſſus, in Reſpirationem difficillimam incurrere, ita ut cum Stertore ſeu ſonitu (adſtantes dicebant *ſibilat*) ſpiritum ducendo expergefactus omni momento ſuffocandus videretur, facie ſub anguſtiis iſtis intumeſcente, & ex rubro cœruleſcente cum extremorum refrigeratione; Tuſſis crebra accedebat, ſed difficillima & inanis, cujus impetu nil præterquàm Aqua tenuis, eaque non copioſa, excernebatur; ſic pedetentim Paroxyſmus remittebat, Febre aliquot dierum lentâ ſuperſtite, ipſe verò Æger, cum facie ſubtumidâ raucus remanebat, & continuò tuſſiebat. Tandem, præterlapſis duabus vel tribus diebus, Materiam viſcidam copioſam rejiciebat, quô factô totius Morbi curſus abſolvebatur. Idem Paroxyſmus redibat crebriùs, ut plurimùm omni menſtruo ſpatio ſemel, idque tempore præſertim autumnali & hyberno. Interrogatus, quid ſub Paroxyſmo patiatur? de Reſpirationis difficultate, & in Larynge titillatione, conquerebatur. Interdum præcedebat Dolor Capitis, Colli aut partium vicinarum, ipſe Æger etiam ſubinde Dolori & Tumori Tonſillarum obnoxius erat. Occaſionem Paroxyſmo redeunti ſuggerebat nunc Auræ frigidæ ſuſceptio, nunc prægreſſo Corporis motu & exercitio, aliqualis extremorum refrigeratio.

Curavi hunc Puerum ſequenti modo. *In Paroxyſmo*, qui repente affligebat Puerum, mox Verticem inunxi Oleo deſtillato Succini, Brachio verò applicare jubebam Stricturas fortes: nam ſi Ætatis fuiſſet conſiſtentis, Venam aperire neceſſe fuiſſet.

Cum his Miſturam ſequentem ordinavi:

℞. *Aquæ Scabioſ.* ℥ij.
*Aſthmat. Rud.* ℥ß.
*Syr. Diacod. Mont.* ʒvj. ad ℥j.
Miſc.

Ubi Lymphæ vitium magis urgebat, pro Sudore procurando

℞. *Aquæ*

℞. *Aquæ Scabioſ.* ℥iij.
*Spirit. Sal. Ammoniac. aniſ.* ℥iß.
*Syr. Papav. alb.* ʒvj.
Miſc. pro Potiunculâ.

Capiebat cochleatim in principio Paroxyſmi, *ad Reſpirationem facilitandam*, quod ſaltem poteram facere ſenſum vellicationis ſiſtendo, & Lymphæ acrimoniam temperando.

*In Incremento*:

℞. *Aquæ Scabioſ.*
*Serpill.* an. ℥iß.
*Aſthmat.* ʒvj.
*Flor. Sulphuris* ʒß. ad ℈ij.
*Syr.* vel *Scabioſ.* vel *Violar.* vel *Papav.* vel *de Jujub.* ʒvj. ad ℥j.
M. f. Potio.

Hæc probè agitata crebriùſque aſſumpta Tuſſim minuebat, & materiæ copioſioris proventum præveniebam: Nam & irritantem cauſam in Faucibus demulcebam, & ſenſum Irritationis ſiſtebam, unde Lymphæ effluxus copioſior præcavebatur.

Pòſt *in Statu*, cùm Mucus excerneretur, ſufficiebat Succus Raphani cum pauco Saccharo expreſſus.

Quod adhuc Febriculæ lentæ reſtabat, Sudore blando per Liquorem Cornu Cervi ſuccinatum, vel Spiritum Salis Ammoniaci oleoſum, vel per blanda Diuretica, præſertim ex Succino, vel ex Lumbricis, removebam.

*Præſervationis* gratiâ extra Paroxyſmum plura tentabam; ſemper tamen voracitas Pueri, & Vita ſedentaria obſtabat, egregiè erat ſomnolentus, &c. qui cum habitu Corporis ſeroſiore oſtendebant, à priori ſuccurri non poſſe; unde inurebatur *Fonticulus* Brachio ſiniſtro, & ſic levabatur. Fonticulus tam ubertim fluebat, ut mane & veſperi mundandus eſſet.

## ARTICULUS XXIV.

### *De Obſtructione Narium in Infantibus.*

HAc occaſione etiam moneo, fieri non rarò, ut Nares Infantum in ſummitate Naſi ſint obſtructæ ac infarctæ Muco craſſo, quem ut reſolvamus, optimum eſt auxilium ſequens.

℞. *Vitrioli alb.* gr. iv. ad v.
*Aquæ Major.*
*Ceraſ. nigr.* an. ℥ß.
Miſce & filtra.

Filtratura detur, de qua cum linteolis Naribus intrudatur.

*Extrà*: Nares ſupremæ inungatur Butyro ſine Sale, vel Oleo Amygdalarum dulcium, cum aliquot guttis Olei Majoranæ deſtillati miſto: hoc enim aut externè illitum ſummitati Narium, aut labris Narium externè applicatum, reſolvit ſordes, & denuò Reſpirationem per Nares liberam reddit, vel Naribus Butyrum non ſalitum Piſi magnitudine indatur.

## ARTICULUS XXV.

### *De Cruſta Lactea, ſeu Achoribus, Favis & Tineis.*

POrro Lactationis tempore frequenter Infantes affligunt Exanthemata Faciei & Capitis, ſeu Puſtulæ & Ulcuſcula, quæ Cutim Faciei, hinc ſuperficiem Capitis piloſam, interdum etiam quodammodò univerſam Cutim, incruſtant. Vocantur aliàs hæc ipſa Ulcuſcula & Puſtulæ *Cruſta Lactea* ſeu *Lactumina*, Germanis *der Anſprung*, Græcis ἐχωρες, qui ſi profundiùs eroſerint Cutim, *Favi* appellantur. Poſt Ablactationem autem imme vitium Capitis partem piloſam affligit, quæ *Tinea* dicitur, Germanis *der boſe Grind*. *Lactumina* ſunt Puſtulæ prurientes rubræ, quæ ſucceſſivè ſuppurantur, hinc exulcerantur, & nunc exſiccando in Cruſtas abeunt, quibus deciduis ſubinde de novo propullulant, nunc poſt exulcerationem Ulcera manantia, plùs minùs ſordida, ſupermanent. Occupat Malum hoc ordinariò Faciem, hinc ad Caput etiam ſubinde ſe extendit; interdum etiam Brachia, Crura, ipſumque Corpus hinc inde plùs minùs affligit. *Tinea* verò Caput ſaltim occupat, Pruritu imprimis incipit, hinc Furfures copioſi decidunt, donec Puſtulæ hinc inde erumpant, quæ ſuppurantur & exulcerantur, & nunc ſaltim in Cruſtas vel Squamas ſiccas abeunt, nunc verò Ulcera manantia & copioſas ſordes plorantia inferunt. Uno nomine; ſunt hæc Mala nil aliud, quàm *Scabiei quædam ſpecies*, Infantibus magis propria, *Cruſta Lactea* quidem, ſive Infantes lactentes infeſtet, ſive poſt Lactationem denuò ſe manifeſtet, ferè *ex Acido* vitioſo Lactis non difflabili & reſolubili per poros Corporis oritur; à quo Acido Nutrimentum partium cutanearum inficitur, unde Puſtulæ, Pruritus, Exulcerationes, non ſecus ac in Variolis aut Scabie Humidâ vel Siccâ oriri ſolet. *Tinea* verò, quæ interdum plures annos poſt Ablactationem demum Infantes affligit, oritur ex ſimili vitioſo *Acido*, intra Corporis Cutim coërcito, ex Maſsâ Sanguineâ tamen & Lymphâ ſecreto, & ad partes intercutaneas beneficio Sanguinis circuli depoſito; unde ſemper ferè Tumores Glandularum in Collo pone Aures & pone Cervicem comitari ſolent Tineam. Si enim cum Sanguine & Lymphâ plùs minùs acidâ, acri & viſcidâ, Nutrimentum exinde pro augmento & ſuſtentatione partium confectum has ipſas ſubintret, nullo modo iis perfectè aſſimilari poteſt; ſed potiùs volatili Acore, anteà quidem apparenter occultato, & aliquali ſimul Viſciditate ipſis inimicâ, hinc inde in Puſtulas extollitur, in quibus Acor denuò ſucceſſivè manifeſtatus, cum vicinis partium ſuccis acriùs efferveſcit: hinc altior *Tumor*, intenſior *Rubor* & *Ardor* ſupervenit, donec mutuâ temperaturâ nunc in *Pus*, nunc in *Saniem*, nunc aliud ſimile liquamen abeat, & per Pruritum in *Puſtulas*, vel alio modò exeat, relicto adhuc poſt ſe *Fermento ſubtili acido viſcido*, quod etiam aliud inculpatæ nostræ Alimentum inquinat, iſtudque in ſimiles ſordes tranſmutat, & conſequenter dicta Mala magis magiſque propagat; hinc etiam adjacentes partes è dictis Puſtulis Pruritu & Ardore inquinantur, unde *Favi*, *Tinea*, *Cruſta Lactea*, uti etiam *Furunculi* Infantum, primitùs enaſcuntur. Quæ eò faciliùs eveniunt, eòque pertinaciores radices figunt, quò minùs tranſpirabiles ſunt partes ita affectæ, & quò magis poris earum clauſis dicta excernenda ſucceſſivè congeruntur.

Facta modò Lymphæ præternaturaliter acidæ ac viſcidæ, item Cruſtæ Lacteæ mentio, uberiorem ſui explicationem urget. Nam dictæ Corporis, & imprimis Capitis ac Faciei, deſcedationes puſtuloſæ, cruſtoſæ, ulceroſæ &c. quæ Cruſtæ Lacteæ, Achorum, & Tineæ nomine venire ſolent, quarum Deſcriptiones & Differentiæ ſaltem Accidentales vid. apud Practicos, reverà ex *Lymphâ nimis* ſeu præternaturaliter *acidâ*, & plùs minùs ſimul *viſcidâ* originem ducunt; *Lacte* vel Matris in Utero ſub geſtatione Fœtûs, vel Nutricis extra Uterum ſub ejus lactatione *vitioſo*, *Cauſæ Remotæ* vices gerente: ſemper etiam ferè cum hiſce Affectibus externis *Glandularum* in Collo & Capite densè conſitarum, item *Parotidum*, &c. *Tumores* con-

conjuncti esse solent, quos vocant Germ. *Haupt-Druſen*; i a quidem, ut vel præcedant, aut simul affliga t, vel hos Affectus declinantes subsequantur. Ordinariò autem rariſſimè obſervatur, quòd inſequantur, & ſi fit, vel metus recidivæ, vel mutatio deſœdationis dictæ in pejores Affectus inſinuatur: Iſtud prius frequens nempe eſt, ut hos Affectus comitentur, ut hinc etiam Mulieres per experientiam edoctæ ex conditione dictorum Tumorum quaſi Scrophuloſorum, & quos ordinariè Germ. *Haupt-Druſen* appellare ſolent, Affectuum horum vel magnitudinem vel diuturnitatem, aliaſve circumſtantias, probabiliter ſoleant hariolari. Certè obſervavi in Infante quinque menſium Tumores tales Glandularum in Collo prope Aures ad Ovi parvi gallinacei magnitudinem, cum *Cruſtâ Lacteâ* Caput obducente, quâ evaneſcente dicti Tumores etiam evanuerunt, & tandem *Lactumina* illa denuò efflorescebant. Jam verò non ampliùs dubitatur, Glandularum functiones verſari circa Lymphæ præparationem & diſtributionem; unde ſponte pateſcit, *Lymphæ vitium primarium* ſubeſſe, ita quidem, ut ab ejus *Conſiſtentiâ* materiali obſtruantur Glandulæ, & inde conſequenter intumeſcant, ab ejus verò *Acido* largiùs in partes intercutaneas Capitis extimas effuſo, ex denegatâ plùs minùs debitâ diſtributione & motu per Glandulas, Pruritus intenſiſſimus in dictis locis cum Puſtulis rubris pedetentim albicantibus, & in Pus abeuntibus, & Squamis inſequentibus ac Furfuribus, ex Cutis & Cuticulæ eroſionibus ſuperveniant: quæ omnia, ut *Pruritus*, purulenta *Sanies*, *Cruſta* & *Squamæ*, ab acri ſalſo plùs minùs Acido agente, tanquam Causâ peccante, manifeſtè fiunt, ut alio loco & ab aliis probatum eſt. Imò hujuſmodi Cruſta, Tinea Capitis, & horum Acor vitioſus uſque eò ſerpit, ut etiam Oſſa Cranii erodat, eaque carioſa reddat, pro more Acidorum, oſſeas ſubſtantias facilè erodentium; de quo vid. Sennertus *lib. de Morb. Infantum Part.* 2. *cap.* 3. *pag.* 281. id quod ſit imprimis, quando Nutrix *Contagio Gallico* nonnihil inquinata lactaverit Infantem. Hinc & Capitis partes exteriores præ reliquis locis magis infeſtantur his Affectibus propter copioſiores Glandulas, quibus Caput hinc inde, ſpeciatim Collum, ſtipatum eſt.

*Differentia* autem has inter Capitis deſœdationes obſervatur, quòd Materia peccans, prout eſt nunc *acrior*, aut *acidior* & *tenuior*, ſoleat inferre *Ulcuſcula manantia*, & copioſam acrem Saniem fundentia: Sed quatenus eadem eſt *minùs acris*, ſed ferè magis temperata & *viſcida* extiterit, tunc *Cruſtæ craſſiores* & densè ſubinde compactæ, & ſibi invicem ſuperſtratæ, induci ſolent, ſucceſſivè decidentes: imò etiam pro Lymphæ ita peccantis ratione varia Glandularum quoque obſervatur conſtitutio, de quo uberior Experientia adhuc conſulenda venit. Et ſanè non levis eſt cognatio horum *Lactuminum* cum Adultorum *Scabie*: nam & ſubinde contagioſa ſunt, & mediantibus Linteaminibus in alios etiam Infantes propagantur: unde iiſdem ferè Remediis, in ſpecie Nicotianâ, Sulphure, Mercurio, &c. quibus Adultorum pertinax & ferina Scabies curatur, etiam curari poſſunt; & retro pulſa, ut vocant, varia planè inferunt Symptomata, ita ut quaſi *particularis Capitis ſit Scabies*. Equidem vulgi fert perſuaſio, ſalubres eſſe Infantibus tales deſœdationes, quatenus præſervent eos à gravioribus Affectibus: quod negari ſuo modo nequit, quatenus ſunt bonum Signum, ſed malæ Cauſæ; quæ ſi abeſſet, magis conduceret.

Quæ hactenus ſunt expoſita, videtur confirmare, dum obſervavi in Puerulo novem menſium præterpropter, vitio Nutricis cacochymico-ſcorbuticæ inſigniter dicta Cruſtâ Lacteâ ſuper Cranii hemiſpherium & Faciem ferè integram mirè deformato: quæ cum ſponte evanuiſſet, ſucceſſit graviſſima Tuſſis, tenellum Pectus inſigniter & continuò quatiens, cum copioſi Muci in Stomacho & Oeſophago præſentiâ, unà cum Diarrhœâ ſerosâ adeò acri, ut etiam extrema Podicis & vicina loca excoriarentur: totum Corpuſculum inſigni æſtu fervebat, & Inſultus quidam Epileptici ſubinde iſtud convellebant. Factam hîc fuiſſe arbitror Lymphæ peccantis metaſtaſin, præter alia loca in ſpecie ad Glandulas Salivales, & quæ Laryngem irrorant, ut & ad Pancreaticas, per quas Lympha iſta acida, acris, non adeò viſcida, uberiùs effuſa ſpeciatim dictam Tuſſim & Diarrhœam, alia ut tranſeam Symptomata, induxerunt. Dicta modò etiam rationem Aurium humiditatis fluentis, excoriationis & exulcerationis, item Labiorum, manifeſtam reddunt.

## DIAGNOSIS.

*Signa* horum Achorum, Tineæ & Favorum, ſunt manifeſta per ſe.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: Omnes hi Affectus bonum equidem ſunt Signum malæ Cauſæ: *Bonum Signum*, quòd non tam inquinent Maſſam Sanguineam, ſed potiùs in partibus intercutaneis defixi hæreant: *Malæ Cauſæ*; innuunt enim Acidum vitioſum, quod Maſſam Sanguineam inquinavit, & hinc expulſione ſuâ iſta Ulcuſcula interdum periculoſa excitat. Oſtendunt nempe ſecretionem Acidi vitioſi ad partes intercutaneas, ſed à quo ipſo, Nutrimentum proximum dictarum partium inficiente, Affectûs diuturnitas, & per Contagium multiplicabilitas oriuntur. Subinde tamen horum Affectuum medio ab aliis gravioribus Malis, in ſpecie Epilepticis præſervantur & liberantur Infantes; ſicuti retropulſis his ipſis Puſtulis, aut exſiccatis ſubitò Ulcuſculis (id quod ſæpiùs fit occaſione ſupervenientium dolorum Dentitionis) multa Mala, in ſpecie Febris Lymphatica plùs minùs lenta, Convulſiones, Diarrhœæ, Tuſſes Pectorales diuturnæ, & ſimilia ſuperveniunt.

Sponte Naturæ ſubinde ſanantur: interim tamen ſi diuturniora ſeu contumaciora fuerint hæc Ulcera ſanioſa, interdum in Ulcera maligna & depaſcentia degenerant.

## CURA.

In *Curâ* ergò *Dyſcraſia* Contentorum Corporis corrigenda & evacuanda, *Acidum* intercutaneum fermentativum corrigendum, blandâ *Diaphoreſi* ad partes ambientes beneficio Sudoris eſt promovendum, & hinc nata Mala admotis *Externis* removenda.

*Interne* ergò conveniunt Medicamenta ex Fumariâ, Syrupus ex Fumariâ ſimplex & compoſitus, Eſſentia de Fumariâ ſimplex & compoſita, Eſſentia Cardui benedicti, Eſſentia Helenii, Eſſentia Lignorum compoſita, Tinctura Coralliorum ſaſſafraſata: item Remedia ex Sambuco, Rob Sambuci, Aqua, Spiritus & Eſſentia ex Floribus & Rob Sambuci parata, item Aqua Betulæ, Liquor Cornu Cervi ſuccinatus, Cornu Cervi ſine igne, omnia ex Cornu Cervi parata Diaphoretica, imprimis

primis utilia ſunt, item quælibet *Viperina*, Eſſentia Viperarum, earumque Pulvis & Sal volatile. In adultioribus Infantibus, *quatuor vel quinque annorum*, una alterave gutta Olei deſtillati Viperarum fœtidi miram vim Sudorem pellendi, & hujus medio hos Affectus curandi, obtinet: E. g.

℞. *Cornu Cervi ſine igne* gr. xxiv.
*Antimonii Diaph.* gr. xvj.
*Sal. vol. Cornu Cervi* gr. iv.
*Theriac.* gr. xiij.
M. f. Pulvis: S.

Pulvis Sanguinem purificans ad quietem.

Decoctum Florum Acaciæ cum Radice Helenii eſt elegantiſſimum laxativum & alterativum; ſpecificari poteſt cum Fumariâ. Quælibet *Alcalia*, vel *Salia volatilia* ſæpè laudata, Eſſentia Myrrhæ, vel Lapilli Cancrorum, aut Cornu Cervi ſine igne, aut Antimonium Diaphoreticum cum Pulvere Myrrhæ propinata & ſæpiùs repetita, Curationem horum Ulcuſculorum mirè facilitant. Convenit etiam Cinnabaris Antimonii, & Tinctura Antimonii ex Scoriis ſuprà laudata, crebriùs guttatim exhibendo, ut deſtruatur *Acidum primarum viarum*, quod ſubinde Nutrimentum ſolet inquinare. V. g.

℞. *Tincturæ Antimonii*,
*Tartari* an. ʒiß.
M. D. S.

Tinctura Sanguinem mundificans.

*De Purgantibus* præmittendis ſtudio taceo. Præ omnibus Mercurius dulcis ceu appropriatiſſimus convenit.

Quòd ſi gravis Affectus aut Symptomatis alicujus occaſione *introcedat Cruſta Lactea*, pro expellendâ eâdem convenit Emulſio Seminis Napi, Naſturtii, Aquilegiæ, cum Myrrhâ, Cornu Cervi, &c.

*Externè* in his Malis pro *Lotionibus* ſpecificum eſt Oxylapathum acutum, Nicotiana, Helenium, Malva, Pita; item *Linimenta*, vel Sulphurea, vel quælibet Saturnina, Acidum abſorbentia aut temperantia blandè inungantur; hinc pro ratione circumſtantiarum Tutia præparata, Pulvis Lapidis Calaminaris, Unguentum Diapompholygos, Unguentum Enulatum: quibus ſi addatur parum *Salis Tartari*, habebitur effectus magis tutus. Unde Unguentum de Ceruſsâ camphoratum, vel Diapompholygos, vel Unguentum Enulatum, miſtum cum Floribus Sulphuris & ſufficiente quantitate *Olei Nicotianæ vulgaris*, addendo Salis Tartari plus minùs, prout acrius vel mitius poſtulamus Linimentum, egregiè convenit, quo ipſo illitæ Puſtulæ optimè exareſcent & curabuntur. Unguenta & Linimenta vulgaria meritò fugimus, ubi Simplicia Cerâ, Oleis, Terebinthinâ, Pinguedinibus, Reſinis, ſimilibuſve permixta, & partim ſatura, partim obruta & ſubacta, nullam operandi vim exſerere valent, niſi quòd poros Cutis densè incruſtando Malum longè deterius reddant.

Meritò autem *duplex* harum in Cute Efflorescentiarum *Status* duplicem medendi rationem Medico inſinuat; unde in ſpecie obſervanda eſt *Differentia Ulcerum*, *an ſint Cruſtoſa*? quando nempe mitius in dictis Ulcuſculis peccaverit Acidum, idque jam ſub ſuâ Salſedine temperatâ cum Purulentiâ viſcidâ in tenaces & ſubinde ſpiſſas Cruſtas coiverit; *an Manantia*? quando interdum Puſtulæ ex acriori Acido in Ulcuſcula Manantia jam degeneraverint, acrem plùs minùs tenuemque Saniem jugiter plorantia. V. gr. ſi Lactumina *ſive Cruſta Lactea*, Faciei obfuſcant nitorem, præmiſſis præmittendis Internis, imprimis laudo inter Externa in Ulceribus Manantibus inſperſionem Pulverum Acida abſorbentium, Viſcida modicè reſolventium & abſtergentium, & ita, ut vocant, exſiccantium & detergentium: quales componuntur ex Cretâ, Lacte Lunæ, Succino, Cornu Cervi uſto, Ceruſsâ, Tutiâ, Myrrhâ, Floribus Sulphuris, & ſimilibus, quibus tantillum *Salis Tartari*, Coſmetici ſummi, quantum nempe ſine doloris ſenſu perferre poteſt, imprimis ſi contumaciores fuerint, aut ſubinde repullulârint defœdationes dictæ, conſultò addendum: V. g.

℞. *Lap. Calam. præp.* ʒj. vel ʒiß.
*Cornu Cervi uſti præp.* vel *Ceruſſ.* ʒß. ad ℈ij.
*Flor. Sulphuris* ℈j. ad ʒß. vel ℈ij.
*Sal. Tartari* gr. xij. vel xv.
M. f. Pulvis ſubtiliſſimus.
D. S.

Pulvis inſpergendus.

Ulcuſculis cum Linteolo vel Spongiolâ, *Aquâ Spermatis Ranarum* imprægnatâ, abſterſis blandè inſpergatur.

Vel

℞. *Cretæ pulveriſat.*
*Tutiæ præp.* an. ℈j.
*Flor. Sulphuris* ʒß.
*Sal. Tartari*,
*Myrrh.* an. gr. xij.
M. f. Pulvis.
D. S. ut antè.

Hinc namque abſorpto Acido, & deterſo Viſcido, ſponte ſucceſſivè coibunt Ulcuſcula, idque citra ullum recidivæ metum.

Quibus omnibus præfero & propterea addendum ſuadeo Pulverem ſeu Crocum ex *Vitriolo Martis*, per Oleum aut Lixivium Salis Tartari præcipitato factum, & probè ablutum, qui ſolùm ex Nodulo inſperſus mirè abſumit Acida, & prædicta Ulcera ad ſanitatem perducit; cui pariter tantillum Salis Tartari admiſceri poteſt; e. g.

℞. *Croci Martis per præcipitat.* ʒj.
*Lapid. Calam. præp.* ʒß.
*Cretæ præp.*
*Ceruſſ.* an. ℈j.
M. D. S. ut antè.

Quòd ſi *ſicca* fuerit *Cruſta craſſa*, ſufficiant ſimpliciter Alcalia fixa, tales Cruſtas blandè emollientia, & Acidum vitioſum in radice penitùs deſtruentia, ita ut ſponte decidant: quem in finem optimum eſt, ut blandè humectentur ſubinde dictæ Puſtulæ, vel cum Lixivio vulgari, vel blandè quaſi illinantur cum *Oleo Tartari per deliquium*, vel illinantur Oleo Amygdalarum dulcium recenti, aut Butyro recenti non ſalito, addita tamen paucâ Camphorâ; ſic emollitur Cruſta, ut ita blandè auferatur, relinquendo vel Naturæ quod ſupereſt conficiendum, vel ſi ſuperſint Ulcera Manantia, blandè iſtos Pulveres inſpergendo. Commodè etiam Oleo Amygdalarum dulcium expreſſo, aut dicto Butyro parum Olei Tartari per deliquium addi poteſt pro Linimento blando & tenui, eum in finem, ut eò meliùs corrigat Fermentum acidum: moderatè tamen hoc fiat, ne acriori litu doloris ratione exaſperetur Malum. Quin & ulteriùs conducunt Balſamus Sulphuris temperatus cum Axungiâ porcinâ & illitus: quæ Axungia porcina cum ſolâ Camphorâ ſubacta in Mortario plumbeo dat Unguentum admodùm conveniens ad Cruſtam Lacteam & Capitis Tineam.

Aliquando Puero novem menſium, cujus Cubitum talis Cruſta Lactea infeſtabat, & inſtar Herpetis exulcerati magis magiſque ſerpendo maximam Brachii partem occupabat, præſcripſi;

℞. *Cornu*

℞. *Cornu Cervi ſine igne*,
*Lap. Cancr. præp.* an. 3ß.
*Mercurii dulc.* gr. iv.
Miſc. pro uſu interno.

Hinc

℔. *Ceruſſ. præp.*
*Cretæ pulveriſ.*
*Lap. Calam.* an. ℈j.
*Sal. Tartari* gr. vj.
Miſc. pro Pulvere.

Inſpergebatur leniter ex Nodulo locis exulceratis, hinc Filamenta carpta imponebantur.

Par curandi ratio eſt *Tineæ Capitis Infantum*, nempe præmiſſis & continuatis *Internis*: quoad *Externorum* uſum, Tinea eſt vel *Sicca Cruſtoſa*, vel *eſt Humida Manans*. In *Tineâ Cruſtusâ* Siccâ ſaltem *Litu Emolliente ſuprà inſinuato* Cruſtæ ſemel factæ emolliantur (non tamen citò nimis, ne remotis Cruſtis Cutis eadem exulcerata appareat), & hinc Lotione factâ ex Decocto Radicis Oxylapathi, Chelidonii majoris, Betonicæ, Saponariæ, Herbæ Malvæ cum Piſis in Cereviſiâ ſecundariâ, quibus commodè Furfures addi ſolent, abluatur: idque non adeò crebrò, ſed intra tres, quatuor ad ſex ſeptimanas ſemel, prout neceſſitas requiſiverit, Lotio talis inſtituatur, iſtud, quod de Cruſtis internè ſubnatum fuerit, & interdum à Litu emollitum, Pectine ſive Scopâ blandè removendo. Convenit etiam Decoctum Radicis Althææ cum Urinâ Infantis, pro Lotione Capitis uſurpatum. *Generoſiſſima Comes* à Fleckenſtein Tineâ & Alopeciâ correpta, purgata eſt Pilulis Mercurii dulcis, & Pulvere Viperarum ſæpiùs ex Vino ſumpto, Caput Lixivio Cynogloſſæ abluendo, & Pinguedine Natricum illinendo convaluit; Vid. Welſchius *Mictomim. Cent.* 1. *Obſerv.* 23. *annex. Ann.* 4. & 5. M. A. N. C. Sic porrò Tineas in Puello Nobili, Pileolo ex Carne ſuillâ ſalitâ impoſito brevi percuravit Patavii: vid. *loc. all. Cent.* 2. *Obſ.* 68. Si verò Tinea Manans & Ulceroſa fuerit, ante omnia Crines abluendi ſunt: Si enim hi ipſi à ſordibus manantibus inviſcantur, Cruſtam tam denſam inducunt, ſub qua non ſolùm cuniculos profundos agit Sanies, ſed etiam generantur copioſi *Pediculi*, quorum morſicationibus ſtimulati Infantes, ſcalpendo Caput, eò magis Malum exaſperant, ac deterius reddunt; remotis Crinibus Filamenta carpta locis exulceratis imponantur, item abſterſis ſordibus *Pulveres ſuprà inſinuati* leniter inſpergantur, & hinc dictis Filamentis muniantur, donec ſucceſſivè Cruſta Sicca ſupernaſcatur, ſub qua, ne nimiæ colligantur ſordes, illa ipſa ſubinde exprimenda eſt; ut Saniei pateat exitus, deinde ubi Sicca apparuerit, Litu emolliente attenuanda, & hinc pedetentim ſeparanda.

*Tumores* grandiores *Glandularum in Collo & Capite*, ſi qui ſuperſint, Emplaſtro de Ammoniaco, de Cicutâ, de Galbano matricali, &c. applicatis attenuandi & diſcutiendi. Vel Emplaſtrum de Meliloto malaxetur cum Oleo Philoſophorum, vel fiat compoſitum ex eodem cum Emplaſtro de Galbano crocato *Mynſichti*, & ita imponantur, aliquamdiu relinquendo.

Hiſce quidem modis mitiori Malo commodè ſuccurri poteſt; *ſi verò gravius fuerit*, non ſecus atque Scabies curandæ veniunt. In ſpecie in Capitis Tineâ graviori vulgi Experimentum eſt Lotio Capitis ex Decocto Nicotianæ, Pulveriſve ejus inſperſio; ſed peſſimo cum conſilio, cum Ebrietatem turbulentam, Anxietates Præcordiorum, Lipothymias, Vomitus, copioſos Seceſſus, & alia gravia Symptomata inferre ſoleat: Conferatur Boyle *in ſuâ Philoſophiâ Experimentali*, & Fehr *Tract. de Abſinth. pag.* 90. qui ſimilem Ebrietatem obſervavit ex Pulvere Nicotianæ Ulceribus Capitis Manantibus inſperſo. Sic novi Exemplum de Puero aliquot annorum Pediculis affecto, cui inunctum fuit Caput Unguento ex Pulvere Nicotianæ parato, additis aliis, quo ipſo brevi poſt Infans percipit anguſtias Præcordiorum, ſuperveniunt Purgationes crebriores ſuprà & infrà, unà cum Lipothymiis repetitis. Cauſa omnes latebat: Tandem deveniebant in ſuſpicionem Unguenti, quod abluunt & cum Linteolo detergunt: & omnia ceſsârunt ſuprà dicta Symptomata. Propterea cauti ſimus in uſurpandis Remediis ex Nicotianâ.

Præter Nicotianam contra Tineam Capitis etiam utuntur *Mercurialibus Litibus*, nunc ex Mercurio crudo, nunc vario modo præparato conſtantibus: Sed hoc non ſemper abſque periculo, quia imprimis in tenerioribus graviſſima inducere ſolet Symptomata Mercurius Capiti applicatus: e. g. Infans Achoribus laborans & Inunctione Capitis Mercuriali *Epilepſiam* lethalem contraxit, referente Timæo *Von Guldenklee in Reſp.* 43. *p.* 106. In robuſtioribus etiam Infantibus *Mercurialia* cautè ſunt uſurpanda propter metum *Salivationis*, quæ ſuperveniens tam ſponte & facilè ſiſti nequit. Ob id Mercurius vivus neceſſitate cogente in paucâ quantitate eſt permiſcendus Remediis. Tutiùs adhuc, quàm Mercurius vivus, uſurpatur *Mercurius præparatus*, imprimis cum Spiritu Nitri præcipitatus, qui communiter appellatur Arcanum Corallinum. Item conducit etiam Mercurius dulcis, qui non inconvenienter Unguentis & Linimentis permiſceri poteſt. Aliàs Cingulum Mercuriale, ſeu, ut vocant, Cingulum Sapientiæ Lumbis ſaltem circumdatum Achores & Tineas, uti etiam Phthiriaſin, optimè curat. Paratur ex Cingulo panneo bene inſuccato, ut ſic dicam, cum Mercurio vivo, vel ſubigatur Mercurius vivus cum Axungiâ porcinâ, & benè illinatur in Cingulum ex panno paratum. Tutò uſurpatur in Adultis tale Cingulum, ſi præmiſſa fuerint Univerſalia, ſi continuò ſimul uſurpentur Corpus in blandâ Diaphoreſi conſervantia; illudque non nimis exponatur frigori, quin calidum & probè munitum continuò conſervetur. Sic Fontanus *in Annal. cap.* 9. *Exemplo* 6. refert, Ruſticum Achoribus & Phthiriaſi laborantem, præmiſſis Univerſalibus Zonâ Mercurio vivo tinctâ Lumbis circumdatâ curatum. Rectè dicit *Univerſalibus præmiſſis*; his enim non priùs adhibitis non facilè hæc Mala curanda veniunt: Sic enim Platerus *in Obſervat. pag.* 342. refert Cruſtas in Mulieris capite erumpentes intempeſtivè exſiccatas; unde continuò ſecuta eſt Cephalæa, quæ apertâ denuò Capitis Cute per Veſicatorium deſiit. Aliàs forma talis Unguenti Mercurialis ſit:

℔. *Ungu. Roſ.* ℥ij.
*Mercurii vivi*,
*Pulv. Sem. Staphiſagr.* an. ℥ij.
M. f. Linimentum: S.
Unguentum contra Pediculos.

Tutius eſt, quod deſcribit Joel *in ſua Praxi* ad Tineam Capitis contumacem, poſt Lotionem Capitis cum Decocto Malvæ, aut aliam appropriatam illinendum:

℔. *Lithargyr.*
*Ceruſſ.* an. ℥ij.
*Flor. Sulphuris*,
*Mercurii vivi* an. ℥j.
Cum ſ. q. *Olei Roſarum* commiſc. in Mortario plumbeo diutiſſimè & f. Unguentum contra Tineam non inelegans.

D. S.

D. S.
Unguentum Mundificans.
Vel
℞. *Unguentum Pedicul.* ℥ij.
*Ol. Nicot.* ℥vj.
*Sal. Tartari* ʒiß.
M. f. Unguentum:
D. S. ut ſuprà.
Vel
℞. *Ol. Tartari per deliq.* ʒiij.
*Amygd. dulc. rec. expr.* q. ſ. pro conſiſtentiâ Linimenti:
adde
*Ol. deſtill. Spicæ* ʒß.
M. S. ut antè.

Sed non, niſi extremo in caſu, Mercurialibus, iiſque cautè, utendum erit; hæc enim Infantibus tenellis externè ſunt nociva, ut pote quos ſubinde ad Epilepſiam diſponunt. Tutius eſt, quod ceu mirandum & ſæpiùs expertum *Unguentum* commendat Panarollus *in Pentec. 5. Obſ. 31.* quod paratur ex *Sulphure*, *Axungiâ porcinâ & Succo Limonum.* Item Linimentum de Amiantho paratum miraculoſum dicitur ad Tineam Puerorum à Bootio *lib. 2. de Gemmis & Lapid. pag.* 204. quô etiam non ſine ſucceſſu uſus fuit Scultetus *in Armam. Chirurg. Obſ. 96.* quo ipſo Capitis Tineam contumacem curavit. Reverà tamen parum de Amiantho participare videtur, ſed plus de Saturno & Tutiâ. Oleum non contemnendum contra Capitis Tineam eſt & hoc:

℞. *Vitell. Ov. ad durit. elix.* No. xvj.
*Myrrhæ* ʒß.
*Rad. Ari*,
*Serpentar.* an. ʒß.
*Helleb. nigr.* gr. iv.

Miſc. probè, & coquantur ſuper carbonibus ignitis abſque flammâ, donec ſpumeſcere incipiant, tuncque exprimatur Oleum, uſui reſervandum.

In ſpecie decreſcente Lunâ commodè inſtituitur Cura Tineæ; nam Achores & Favi ſponte Naturæ ceſſant. Ubi pertinaciora aut periculoſiora fuerint Ulcera, Lapis Medicamentoſus *Crollii* (deſcriptio proſtat in Beguino & aliis): diſſolvatur in Aqua Nicotianæ, & ita levi manu inungatur; valdè enim juvat.

Quòd ſi verò ex increſcente Malo *Cranium fuerit læſum*; præmiſſâ ablutione Ulcerum, Cranio læſo inungendum eſt Mel Roſaceum cum Spiritu Vini, hinc applicetur Pulvis Ariſtolochiæ ſubactus cum Balſamo Peruviano; ſic enim ſucceſſivè deletur Caries, & Os denuò ſaneſcit.

Quæcunque autem modò recenſita Externa nonniſi præmiſſis Internis, & fomitem morboſum tam in primis viis, ſpeciatim in Stomacho, quàm in latice Lymphæ corrigentibus & delentibus, in uſum vocanda ſunt, ne pallietur Morbus externus, & gravior internus inducatur Affectus.

## ARTICULUS XXVI.

### *De Affectu Pediculari ſeu Phthiriaſi.*

TIneæ Capitis conjunctus & familiaris eſt *Affectus Pediculari*s ſeu *Phthiriaſis*, Infantes ſæpiſſimè mirè torquens, etiam interdum Adultos.

### CAUSÆ.

*Cauſa* hujus eſt in ſingulari *Seminio*, ex quo generantur Pediculi, quod imprimis in Corpore infantili ſe exſerit, & Fœtus ſuos excludit.

Ex Internis Cauſis Ficus ſunt, qui inſerre dicuntur Phthiriaſin, uti hoc obſervavit Heinricus ab Heer *in Obſervationibus oppidò raris.*

### DIAGNOSIS.

Malum ex moleſtiâ, quæ inde oritur, per ſe patet.

### CURA.

In *Curâ* conveniunt *Lotiones Capitis* cum Semine Staphiſagriæ, item cum Scordio, Abſinthio, Colocynthide, Centaurio minori, Radice Helleborî nigri, & ſimilibus in Aquâ appropriatâ coctis. Vulgò commendatur Lotio Capitis cum Decocto Nicotianæ, ſed peſſimo cum conſilio, ex rationibus ſuprà dictis. Sanè tutius eſt uſurpare Aquam Lavendulæ aut Spicæ Nardi, ſi his abluantur loca Pediculis infeſtata; aut Oleo Spicæ, quod eſt unum ex optimis, veſperi ſub introitu lecti Caput leviter illinatur, operiendo poſt inunctionem iſtud vittâ; ſic enim intereà noctis omnes Pediculi interimuntur. Quòd ſi acrius fuerit Oleum, ſubigi poteſt cum pauco Butyro non ſalito, aut Oleo Amygdalarum dulcium, aut Unguento Nicotianæ; ſic enim dictum factum delentur Pediculi, abluendo ſubſequente mane Caput, cum Lixivio Decoctionis Spicæ ſeu Lavendulæ. Etiam ſi inquinant loca pudenda Pediculi, Oleum Spicæ eſt tutiſſimum. Vel Succus Abſinthii depuratus, in quo probè agitatus fuerit Mercurius vivus, & hic denuò ſubſederit, optimus eſt, ſi illinantur loca Pediculis infeſtata. Semen Staphiſagriæ coquitur in Lixivio vel cum Butyro recenti, fit Unguentum: item Cocculi de Levante pulveriſati, & cum Butyro non ſalito ſubacti, ſuo litu in margine primò, deinceps vertici & toti Capiti, potenter enecant quoſvis Pediculos. Vel

℞. *Pulv. Coccul. de Lev.* vel *Rad. Gent.* ʒiß.
*Rad. Helleb. albi* ʒß.

Cum ſ. q. *Ol. Nicot.* vel *Laurin.* f. Linimentum, irrorandum ſub miſtione cum aliquot gutt.
*Ol. deſt. Spicæ*,
D. S.
Unguentum contra Pediculos.

Aloë etiam, & cum hac parata *Aquâ Aloëtica* Timæi *Von Guldenklee in Caſ. pag.* 444. imprimis etiam confert ad Affectus Pediculares, ſi hac Aquâ abluantur loca Pediculis inquinata. Præ omnibus equidem juratus Pediculorum hoſtis eſt Mercurius, minùs Pulicibus infenſus: confert Bartholini *Acta Med. Haffn. Vol. 4. pag.* 156. Sed non ſemper tutò uti licet Mercurio in Phthiriaſi, quia graviora infert Symptomata. Interim præſentiſſimum Remedium, quo omnes fugantur & interimuntur Pediculi, ratione Mercurii eſt, ſi Pediculi hæreant in locis ſecretis, in Superciliis, &c. ſi abſtergantur hi loci Linteolis iſtis, quibus Aurifabri pocula ſua poſt deaurationem detergere ſolent; ſic Pediculi adhærent vitâ privati. Aliàs certum eſt, quòd Mercurius vivus, aut dulcis, aut cum Spiritu Nitri præcipitatus, quibuſvis Unguentis additus, ſubitò quoſvis enecet Pediculos. In ſpecie ex Pinguedine porcinâ, Succo Abſinthii, Farinâ Lupinorum, & Pulvere Seminis Staphiſagriæ paratur *Linimentum Mercuriale*, ſed pauco addito Mercurio acuendum. Denique vel ſolum *Cingulum* iſtud *Mercuriale* ſeu *Sapientiæ*, de quo *ſuperiùs* locutus ſum, etiam certò Pediculos fugat, ſaltim ſi Lumbis circumgeſtetur; vel Mercurius vivus in burſulâ ſecum geſtatus in veſtimentis Pediculos fugat, eoſque interficit.

## ARTICULUS XXVII.

### *De Variolis & Morbillis.*

HActenus dicta occaſionem ſuggerunt in *Morbillorum*, & in ſpecie *Variolarum*, originem & abſtruſam aliàs naturam meditandi, & inquirendi, quæ, quà tales, cùm dictâ *Cruſtâ Lacteâ*, *&c.* quoad faciem externam, fiendi modum & effectum, in quamplurimis conveniunt, cùm etiam Tinea Capitis non rarò poſt Variolas ſupereſſe, aut etiam eaſdem inſequi ſoleat.

### CAUSÆ.

Torquet imprimis Philiatros inevitabilis ferè harum inſultus, omnibus Europæis, ne dicam de aliis quibuſdam Nationibus, familiaris. Ex *Menſtrui Sanguinis* reliquiis multi cum Arabibus earum radicem derivant; alii ex repetitâ poſt ſemel factam Conceptionem *Venereâ libidine*: neutrum mihi ſatisfacere videtur. Quin potiùs, ſi quid certi ſtatuendum eſt, quòd aliquod in nobis quaſi implantatum ſit *Variolarum principium*, ratione cujus nemo ferè poſſit effugere eas, videtur probabile, quòd hæ ipſæ originem habeant *ex corruptelâ Lactis nutritivi*, tam in, quàm extra Uterum, & vitioſo viſcido Acore Infantes inde inquinante; exinde enim & frequentiſſimè ſaltem Infantes & Pueros, rariſſimè demum Adultos, affligere ſolent, dum Lac peregrino Acore inquinatum ad Maſſam Sanguineam perfertur, ubi Acor iſte aut mox cum Sale volatili oleoſo Maſſæ Sanguineæ efferveſcendo præcipitatur, aut aliquamdiu latens occultè, tandem quaſi maturatus, occaſione datâ, in ſpecie excitatâ Maſsâ Sanguineâ, per *Fermentum* ſimile extrinſecùs inſpiratum vel hauſtum, ſucceſſivè quaſi coagulando, tandem pernitioſam Efferveſcentiam febrilem infert, quocunque tempore hoc eveniat, concurrente Acido fermentativo viſcido cum Sale volatili oleoſo Maſſæ ſanguineæ, donec præcipitato & ſubjugato Acido iſto vitioſo, & Sero involuto, criticâ Sanguinis purgatione per Vaſa capillaria hinc inde ſub Cute defixâ, in ſpecie beneficio Glandularum Subcutanearum miliarium excernatur, & ibidem ſub Cuticulâ hærendo, ſucceſſivè in *Puſtulas* tales coacervetur, quarum contentus *Succus ſalſo-acidus* efferveſcendo ulteriùs miteſcit, & in Pus perfectum abit; unde Cuticulæ tandem in Squamas eroſio, erodente intereà ſub his ipſis Acido Cutim ſubjectam in Foveas plùs minùs, prout magis vel minùs Efferveſcentiâ febrili temperatum fuerit: hinc *poſt Variolas* interdum *Ulcera periculoſa* & cacoëthea remanent, tam in partibus externis quàm internis, in ſpecie in tenerâ veſiculosâ Pulmonum ſubſtantiâ, pro conditione Acidi plùs minùs virulenti varia, & ſubinde *Tineæ Capitis* Variolas inſequitur; uti in Variolis hæc ſunt ſatis clara.

Præter dicta, ut ſunt Eroſio, Ulcuſcula & ſimilia, quæ confirmant Acorem in Variolis, etiam confirmatur ex eo, quòd imprimis ſoleat præcedere Tuſſis ſicca, rubor & illacrymatio Oculorum; quæ omnia loquuntur *Acrimoniam nimiam in Lymphâ*: item, quòd in Variolis ſæpiùs ſit conjunctus ardor Urinæ & exulceratio Veſicæ, effectus Acidi, quod ipſum in dictis Variolis Oſſa non rarò arrodere & corrumpere aſſolet; id quod expertus teſtatur Paræus *de Variol. cap.* 1. Hinc etiam Liberi à Parentibus Lue Venereâ infectis prognati, ſi poſtmodùm corripiantur Variolis, longè pejus habent, obſervante hoc Horſtio *lib.* 6. *Obſervat. Append. pag. m.* 308. Hinc etiam *Mercurius dulcis* in Scabie & Lue Venereâ Acidum viſcidum delet, & ceu ſingulare alexipharmacon, maturè adminiſtratus, Variolas quoque curat, & earum maturam Expulſionem promovet, pariterque præſervat: Conf. M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obſervat.* 9. *&* 56. Unde & *Convulſivi motus* & *Epileptici inſultus* Variolas ſæpè antecedunt, vellicante & lædente partes nervoſas (quibus omnia Acida imprimis ſunt inimiciſſima) Acido viſcido, & ad criſpaturas earum Fibras, & hinc ad inordinatos ac impetuoſos motus Spiritus Animales irritante, antequàm perfectè ſit præcipitatum efferveſcendo, & in Salſum tranſmutatum, in quo tamen adhuc præpollet Acidum. Unde Variolæ & ſimiles Febres cum Exanthematis in Infantibus conjunctæ optimè curantur per Remedia Acidum iſtud vitioſum in Maſsâ Sanguineâ corrigentia, & Salia volatilia id per Sudorem eliminantia, ſive abſorbendo ſive temperando: abſorbendo per Sal volatile Cornu Cervi, Cornu Cervi ſine igne, Ebur ſine igne, Unicornu foſſile, Antimonium Diaphoreticum, Corallia, & ſimilia: temperando per Myrrham, Caſtoreum, Cinnabarin Antimonii, &c. Non rejicio hoc ipſo *Vermiculorum exercitum*, in ſingulis Puſtulis acervatim graſſantem: vid. Borellus *Cent.* 2. *Obſ.* 72. & *Obſerv. Microſcop. Obſ.* 31. *pag.* 21. item Lipſius *de Variol.* Bartholinus *Cent.* 5. *Hiſt.* 20. Rhodius *Cent.* 3. *Obſ.* 64. cùm nullum Pus abſque horum pullulante ſegete reperiatur, ſed hos tanquàm effectus ſponte ex ordine Cauſarum morboſarum in Pure ſuperveniente, tranſmitto.

Unicus hic eſt ſcrupulus: *cur Variolæ interdum tam tardè in quibuſdam erumpant*, ita ut interdum ad annos ſex, decem, & ferè ad ætatem adultam harum Fermentum in corpore lateat? Verùm ſi conſideremus, quòd diutiùs morboſa Fermenta in Corpore deliteſcere poſſint, donec ſub ſuâ dierum maturitate tandem evigilent; id quod non tantùm evenit *in Affectibus Hæreditariis*, ſed etiam in *Canis rabidi ſalivali Fermento*, & *Febrium Petechialium* ſubinde ad aliquot hebdomadas latente Contagio: item, quòd vel Seminium *Luis Venereæ* hauſtum diutiùs ſæpè in Corpore lateat; non adeò ineptum videbitur, etiam dicta *Fermenta Variolarum* tamdiu in Corpore latere poſſe, antiquâ occaſione Miaſmatis ſimilis externè hauſti Variolas inferente: unde & Infantes, qui ſub Nutritione ſani erant & vegeti, poſt Ablactationem ſubinde Cutanea contrahunt vitia, Achores & ſimilia, dum vitia Lactis per conſuetudinem ſub Lactatione quaſi appropriata Naturæ circa nocumentum adſunt, quæ mutatâ Diætâ per Efferveſcentiæ motum in muſteo Sanguine ſeparata, & inſtar Fæcum præcipitata, hinc inde per Sanguinis circulum ſub Cute defiguntur, & ibidem coacervata ſuas morboſas ludunt tragœdias, redeuntes ſubinde pertinaciter, quamdiu tantillum Miaſmatis morboſi aut Seminii fermentativi, nunc ſub Sanguinis velamento, nunc ſub Epidermidis tegumento latuerit; quod ex Materiâ conveniente data occaſione ſe multiplicat, & Malum renovat: quæ ipſa de Variolis & Morbillis pariter aſſerenda videntur.

### DIAGNOSIS.

*Imminentes ergò Variolas in Infantibus innuunt.* Æſtus inſignis Corporis, Dolor pulſatorius in Spinâ Dorſi, Tuſſis ſicca, quatiens Pulmones, Oculorum Tumor & Illachrymatio, Pruritus in Naribus, Anguſtia quædam, & occultus Dolor in Faucibus, donec hinc inde, die imprimis ter-

tio

tio vel quarto, incipiunt emergere Monticuli parvi rubicundi, acutiores in Variolis, plani ferè & depressi in Morbillis. Hi Monticuli in Variolis rubicundi, interdum etiam purpurei, interdum pessimo omine lividi, turgidiores facti tandem suppurantur, & abeunt in Pus, à quo Pure tandem corrupta Cuticula abit in Squamam, quæ tandem sponte decidit, relicto post se Foramine, modò majore modò minore, in ipsâ Cute.

## PROGNOSIS.

Variolæ, quæ quarto die erumpunt, septimo suppurantur, (nam *Criticus motus* in Variolis imprimis est observandus) & undecimo incipiunt exsiccari & decidere, sunt salubres & facilè curantur: sin verò Variolæ erumpentes non sint plenæ sive turgidæ, sed depressæ & in medio sui habeant quasi foveam, innuit deficientem expulsionem Variolarum, adeoque latens periculum.

Variolæ, quæ jam suppurantur, ubi in Suppuratione concidunt, & in medio sui Foveam quodammodò acquirunt, periculosum est.

Hoc tamen hîc observandum est: fit ordinariò, ut dum suppurantur, ex motu isto Suppurationis fermentativo & turgescentiâ Materiæ suppurandæ, quòd semper Pustulæ sint plenæ & turgidæ, quæ ubi factum est jam Pus, non nihil concidere videntur: sed hæc concidentia & depressio matura, non confundenda cum concidentiâ immaturâ & subitaneâ, quæ dum fit, est periculosa.

Erumpentes Variolæ quò magis rubicundæ, eò meliores, benigniores & salubriores; quò magis lividæ, eò maligniores & sæpissimè lethales.

## CURA.

Quoad *Curam Variolarum & Morbillorum* (quæ etiam potest adhiberi in Purpurâ Infantum, quam ex Utero materno habent) mox in principio, quando Infantes incipiunt ægrotare, vel altero die, principium fiat *laxando Alvum* per Mercurium dulcem, modò Infantes fuerint ablactati. Sanè cùm ante hoc triennium Variolæ populariter grassarentur inter Infantes, ad imitationem Bouchardi & Grassii in M. A. N. C. *Ann.* 3. *Observ.* 9. & 56. *pag.* 13. & 56. omnibus, quibus suspicio forsan imminentium Variolarum aderat, mox in primo principio Mercurium dulcem dedi pro Ætatis ratione, grano uno vel altero præter propter annorum numerum transcendens: v. g. Infanti duorum annorum dedi gr. ij. vegetiori gr. iij. trium annorum gr. iv. quatuor annorum gr. v. vel vj. Pulvis hic nunc solitarius, nunc sub tegmine Conservæ Rosarum, in principio primo datus nunc Vomitum, quod libenter vidi, & aliquot Secessus, nunc alterutrum solùm provocavit, & ferè semper felicem eventum appropriatis Remediis adhibitis observavi: e. g. pro Infante 1. 2. vel 3. annorum:

℞. *Conf. Rosar.* ʒß.
*Mercurii dulc.* gr. j. ij. vel iij. pro ratione Ætatis.
Cum f. q. *Syr. Rosar.* f. Bolus.
D. S.
Bolus Laxativus.

In formâ Pulveris:

℞. *Mercurii dulc.*
*Sacch.* an. gr. iij.
M. D. S.
Pulvis Laxativus.

Detur in Vehiculo liquido ex Cochleari ligneo Infanti 2. vel 3. annorum.

Interdum nihil operatur, unde pro stimulo granulum Pulveris Jalappæ addi potest, sequenti modo:

℞. *Mercurii dulc.* gr. v.
*Pulv. Jalapp.* gr. ß. ad j.
*Sacch.* ʒß.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis Laxativus.

Puero 4. vel 5. annorum:

℞. *Conserv. Rosar.* ʒß.
*Mercurii dulc.* gr. v. ad viij.
*Pulv. Jalapp.* gr. ß. ad gr. j. (si robustior)
Cum *Syr. Ros. solut.* f. Bolus: S.
Bolus Purgans.

Sin verò graviùs affligat Morbus mox cum prostratione Virium, Æstu, jactigatione Corporis, in principio exhibetur Pulvis Epilepticus Antimonialis cum euphoriâ. Principiô autem præter lapsô aliis insistendum.

Quando Symptomata circa primas vias urgent cum murmuratione Hypochondriorum, tensioneque Abdominis, *Clysma* blandum injiciatur ex Decocto Avenæ cum Lacte, addito Melle.

Præterlapsô principiô *pro Variolarum & Morbillorum expulsione*, seu Acidi viscidi peccantis ex Lymphâ & Sanguine separatione, indeque natæ febrilis Effervescentiæ mitigatione, *Emulsiones* ex Seminibus istis Expulsivis dictis, Aquilegiæ videlicet, Napi, Cardui benedicti, Nasturtii, & similibus, addita paucâ *Myrrhâ*, optimæ sunt, factæ cum *Aqua Florum Sambuci, Scabiosæ*, Fœniculi, Veronicæ, tenellorum Cornuum Cervi, & similibus, ad imitationem Zwelfferi *Pharm. Reg. pag.* 209. quæ Infantibus perquàm salutariter porriguntur.

His si adsit Epilepsia, vel immineat, grana Pæoniæ simul possunt addi; ut etiam, si inquieti sint nimis Infantes, sese jactitent, & stragula non ferant, id quod imprimis fit prioribus duobus diebus, tunc optimè aliquantulum Seminis Papaveris albi addi potest in his Emulsionibus: ver. gr.

℞. *Sem. Aquileg.*
*Napi* an. ʒj.
*Papav. albi* ʒij.
Cum f. q. *Aquæ Fœnic. & Flor. Sambuc.* f. Emulsio, quæ est optima:
D. S.
Emulsio Expellens.

Huic possunt addi vel Antimonium Diaphoreticum, vel Cornu Cervi sine igne, vel Pulvis Epilepticus *Marchionis*, vel Unicornu fossile, & similia Appropriata:

Vel

℞. *Sem. Napi, Aquileg.*
*Card. bened.* an. ʒj.
Cum f. q. *Aquæ Scabios.* vel *Flor. Samb.* f. Emulsio.
adde
*Ess. Myrrh.* ʒj. ad ʒiß.
*Cornu Cervi sine igne* ʒß.
Edulcoretur parum:
D. S.
Emulsio Expellens.

Ulteriùs & *Antimonium Diaphoreticum*, tam vulgare quàm, quod magis appropriatum hic creditur, ex *Mercurio Vitæ cum Nitro* præparatum, addito parum *Myrrhæ*, item Castorei, consultò in Aquâ, vel Vehiculo appropriato iisdem reiteratis vicibus exhibetur; non secus ac Bezoardicum Solare & *Cornu Cervi sine igne*, simili modo salubriter convenit; item Magisteriũ Coralliorum cum Succo

Citri miſtum cum Myrrhâ: e. g. præmiſſo præſertim uſu Mercurii dulcis:

℞. *Cornu Cervi ſine igne* gr. xvj. ad ℈j.
*Myrrh. el.* gr. iv. vel vj.
*Theriac.* gr. ij.
M. f. Pulvis.
Divid. in 2. part.
D. S.
Pulvis Expellens.
Vel

℞. *Cornu Cervi ſine igne* ℈j.
*Myrrh. el.*
*Sal. vol. Cornu Cervi* an. gr. iv.
M. f. Pulvis:
Divid. in 2. part.
S. ut antè.
Item

℞. *Cornu Cervi ſine igne*,
*Ebor. ſine igne* an. gr. vij.
*Caſtor.* gr. ij.
M. D. S. ut ſuprà.
Vel

℞. *Cornu Cervi ſine igne* ℈j.
*Antimonii Diaph.* ℈ß.
*Myrrh. el.* gr. vj.
M. pro Pulvere:
Divid. in 2. part. æqu. S.
Pulvis Sanguinem purificans.
Vel

℞. *Antimonii Diaphor.* ℈j.
*Cinn. Antimonii* ℈ß.
*Myrrhæ el.* gr. v.
*Caſtor.* gr. ij.
M. pro 3. doſ. S.
Pulvis Expellens.
Vel

℞. *Pulv. Bezoard. D. Mich.* ℈j.
*Salis Card. bened.* gr. iv.
*Myrrhæ* gr. ij.
M. pro 2. doſ.
D. S. ut antè.
Vel

℞. *Cornu Cervi ſine igne* gr. xvj. ad ℈j.
*Myrrh. el.* gr. vj.
*Salis Abſinth.* vel *Card. bened.* gr. ij. vel iv.
M. pro Pulvere:
Divid. in duas part. S.
Pulvis Sanguinem mundificans.
Vel

℞. *Cornu Cervi ſine igne* gr. xij. ad ℈j.
*Antimonii Diaph.* gr. iv. ad ℈ß.
*Salis Card. bened.* gr. iij. vel iv.
M. f. Pulvis:
Div. in 2. part. S.
Pulvis Expellens confortativus.
Vel

℞. *Aquæ Scabioſ.*
*Card. bened.* an. ʒvj.
*Eſſ. Myrrh.* ʒj.
*Cornu Cervi ſine igne* ℈j.
*Antimonii Diaph.* ℈ß.
*Syr. Scabioſ.* ʒiij.
M. S. ut antè.

Dicti Pulveres imprimis propinantur in incremento Morbi ſecundo vel tertio die, dum Æſtus urget, ante Eruptionem, quibus etiam, Variolis erumpentibus, inſiſtendum.

*Caſtoreum* ſingulare eſt in expellendis & curandis Infantum Variolis, miras habet virtutes in expellendo, & cum Antimonialibus commodè permiſcetur: ver. gr.

℞. *Cornu Cervi ſine igne*,
*Antimonii Diaph.* an. gr. vij.
*Caſtor.* gr. ij. vel iij.
M. f. Pulvis S.
Pulvis Expellens.

Detur Infanti trium vel quatuor annorum, potenter expellit.

Unde Butyrum rubrum potabile eſt ſingulare Remedium, ſi liquefactum propinetur Infantibus contra Variolas, quoniam ingrediens habet Caſtoreum.

Caſtoreo non cedit *Myrrha* jam aliquoties præſcripta, nec unquam in Variolis & Morbillis negligenda eſt, tot Experimentis jam confirmata, & in Expulſione, nec non promovendâ Suppuratione, & impediendis Cicatricibus mirabilis: e. g.

℞. *Antimonii Diaphor.* ℈j.
*Cinnab. Antimonii* ℈ß.
*Myrrh. el.* gr. v.
*Caſtor.* gr. iij.
M. f. Pulvis pro tribus doſ.
D. S.
Pulvis ſanans & Sanguinem purificans.

Mihi aliquando evenit talis *Caſus*: Erat Puella decem annorum, cujus Variolæ jam erumpebant, & eruptæ incipiebant ſine Suppuratione evaneſcere, cum ſuperveniente gravi Diarrhœâ, & cujus Pedes jam omninò uſque ad Genua cum intenſo calore liveſcebant; quæ omnia Symptomata veniebant ex Variolis retrocedentibus. Ut ergò eaſdem denuò promoverem extrorſum versùs, præſcripſi ſequentia:

℞. *Antimonii Diaphor.* gr. xij.
*Caſtor.*
*Myrrhæ* an. gr. iv.
*Camph.* gr. ij.
M. f. Pulvis,
Præparabatur in duplo.

Capiebatur doſis una mane, altera veſperi, & his ipſis denuò Puella fuit reſtituta erumpentibus denuò & ſuppuratis Variolis.

Unde & *Eſſentia Myrrhæ* ſeu *Salutis* ſuprà laudata comprobatæ hîc eſt efficaciæ; non ſecus ac *Eſſentia Caſtorei*, tam *ſimplex*, quàm, quæ magis efficax eſt, *compoſita* è *Caſtoreo & Asâ fœtidâ*, *cum Tinctura Tartari*, aut Spiritu Vini tartariſato parata, præſervativè pariter ac curativè ab aliis maximè commendantur.

Dum ergò Variolæ plenè erumpunt & attolluntur

℞. *Tincturæ Tartari acerr.* ʒij.
*Eſſ. Myrrh. volat.* ʒj.
M. D. S.
Eſſentia Sanguinem purificans.
Vel

℞. *Tincturæ Tartari acerr.*
*Eſſ. Myrrh. tartariſ.* an. ʒiß.
M. S. ut antè. Vel

℞. *Eſſ. Myrrh.* ʒij.
*Tincturæ Antimonii* ʒj.
M. S. ut anteà.

De his doſis gutt. xx. vel xxv. pro Infante trium, quatuor & quinque annorum bis, ter & quater in diei & noctis ſpatio, pro ratione circumſtantiarum.

Dictis uſibus, (niſi ſuperfluè delicati in Remediorum ſelectu eſſe velimus) ſimiliter *Fimus Equinus* eſt ſummum Remedium in Variolis Infantum, recens Cereviſiæ vel Potui ordinario infuſus, ſubactus & expreſſus, vel ejus Succus his permixtus, promovet Expulſionem & Febrim potenter ſiſtit, & in ſpecie certiſſimè præſervat ab Anginâ, & ne Variolæ partes internas, in ſpecie Fauces, infeſtent, quod periculoſum eſt: præfertur tamen huic adhuc *Stercus Ovillum* in Variolis, ſicut in Morbillis *Caprillum* eminet.

Quòd

Quòd ſi gravior malignitas, & acrimonia in Variolis ſub Eruptione *Convulſiones* & *Epilepticos inſultus* inferat, in tenerioribus convenit *Liquor Cornu Cervi ſuccinatus*, aut Salia volatilia Viperarum, aut Cornu Cervi, Cranii humani & Succini; ſicut robuſtioribus paulò Pulvis Epilepticus Antimonialis, vel Cinnabaris Antimonii, & ſuper ejus baſin conſtructum Specificum Cephalicum; quæ mirè conferunt in Infantum Epilepticis affectibus in Variolis. Nam Cinnabaris Antimonii malignitati potentiſſimè reſiſtit, plùs quàm omnia Antimonialia, imprimis cum dictis volatilibus ſociata; item Bezoardicum Solare, e. g.

℞. *Cornu Cervi ſine igne* gr. v. vel viij.
*Cinn. Antimonii* gr. iv.
*Sal. vol. Cornu Cervi* gr. ij.
M. S.
Pulvis Expellens alterativus.
Vel

℞. *Aquæ Card. bened.* ʒiß.
*Cornu Cervi ſine igne* ℈j.
*Cinn. Antimonii* gr. xij.
*Sal. vol. Cornu Cervi* gr. v.
*Syr. Card. bened.* ʒij.
M. S.
Potio Confortativa expellens.
Vel

℞. *Aquæ Scabioſ.* ʒiß.
*Cornu Cervi ſine igne* gr. xij.
*Cinnab. Antimonii* gr. viij.
*Bezoard. Solar.* gr. iij.
*Sal. vol. Cornu Cervi* gr. iv.
*Theriac.* gr. ij.
*Syr. Scabioſ.* ʒiij.
M. S. ut antè.

*Externè* ſimul, ſi Dolor Abdominis tenſivus adfuerit:

℞. *Ol. deſtill. Succini* ℈j.
*Spicæ* gutt. v.
*Corp. pro Balſ.* q. ſ.
M. D. S.
Balſamus Lenitivus.

Quo regio Umbilici & ſcrobiculus Cordis inungatur, idque aliquoties; ſic enim Epilepſia evaneſcit.

In *Declinatione*, ſi jam eruperint Variolæ, Corporis fervor tepeſcat, & ſuppurari incipiant, *ut faciliter Suppuratio fiat*, & *præcaveantur Cicatrices*, in ſpecie in Puellis, optimum eſt propinare Lapillos Cancrorum præparatos cum paucâ quantitate Myrrhæ, crebriuſque repetere; hæc duo temperant Acrimoniam, & Corroſionem impediunt. Vel

℞. *Lap. Cancr. præp.* ℈ij.
*Salis Abſinth.* gr. xij.
*Myrrhæ* gr. vj.
M. f. Pulvis pro tribus doſ.
D. S.
Pulvis Sanguinem mundificans.

*Externè* Spongiâ cum *Lixivio Salis Tartari* ebriâ blandè tangantur Puſtulæ, ſic mortificatur Acidum, & tollitur Eroſio.

*Nutrix* intereà, ſi Infans eſt adhuc ſub Lactatione, quotidie utatur in Potu communi *Gelatinâ Cornu Cervi* diſſolutâ: item hauriat ſubinde Decoctum Radicis Scorzoneræ, quod eſt optimum; id quod etiam poteſt Infanti propinari felici cum ſucceſſu.

Decoctum Cornu Cervi cum Ficubus commodiſſimè etiam propinatur Infantibus, cùm Ficus temperando Acrimoniam ſalinam quemcunque Efferveſcentiæ motum nonnihil minuant, & nimium impetum Variolarum, imprimis in Faucibus & Collo aliiſque partibus internis, corrigant; unde etiam quibuſdam in uſu Decoctum Milii eſt cum Ficubus ſalubri cum ſucceſſu.

Hoc tamen obſervandum eſt, ne Ficuum nimia ſumatur quantitas: Nam Ficus laxant Alvum Infantum, quæ Alvi laxatio in Variolis & Morbillis ſæpiſſimè eſt lethalis: etiamſi per octo aut decem dies in his obſtructa ſit Alvus, nihil periculi infert, ſed ſponte aperitur denuò. Cautiſſimus ergò ſit Medicus, ne aperiat Alvum Infantum, dum laborant Variolis.

Cùm Cruſtæ iterum decidunt, pro internâ Mundificatione poſt duas vel tres ſeptimanas à primo Morbi inſultu *iterum Purgatio* inſtituatur ex Mercurio dulci; cùm verò minùs laxare ſoleat, pro ſtimulo eidem granum unum vel alterum Jalappæ addi poſſunt.

*Vomitus* in principio urgentes nunquam tutò ſiſtendi; ſi verò excedant, optimum eſt Theriaca, vel gr. iß. Laudani Opiati pro aliquot doſibus. His non ſufficientibus accedendum ad Liquorem Cornu Cervi ſuccinatum, qui optimè prodeſt, & eoſdem quietos reddit. Doſis ſunt gutt. iij. iv. v. in Potu ordinario.

Si verò in Incremento & Statu *Diarrhœa* ſuperveniat, ut plurimùm funeſtum eſt, niſi in Infantibus ſucculentis, præcipuè ſi in Statu, occaſione vel Potûs nimii vel frigidiuſculi orta, & imprimis ſi murmurationes Abdominis conjunctæ, & Excrementa ſpumoſa fuerint, tunc infundatur ℥j. Pulveris Terræ Sigillatæ in menſuram ſeminis Potûs ordinarii, de quo Infantes benè agitando bibant; ſic brevi poſt ſedatur Diarrhœa, & Variolæ progerminant. Vel

℞. *Aquæ Menthæ*,
*Flor. Samb.* an. ℥j.
*Gel. Cornu Cervi* ʒvj.
*Succ. Cydon.* ʒß.
*Terræ Sigill.* ℈j.
*Antimonii Diaphor.* ℈ß.
*Syr. ex toto Citro* ʒß.
M. S.
Mixtura adſtringens, confortans & expellens; capiatur cochleatim.

Si verò in Statu ob Symptomatum ſyndromen *Vires* fuerint *proſtratæ*, optima fuit Tinctura Coralliorum cum Spiritu Cordis Cervi ad gutt. viij. vel xij.

Si *nimiis Sudoribus* diffluant, & inde fiant imbecilliores, Analepticum optimum eſt hauſtulus Vini, vel Panis ſimilagineus Vino intinctus, & ita propinatus. Aliàs non liberales ſimus in Vino concedendo.

Ut à Variolis *præſerventur Nares*, odor Aceti imprimis conducit.

Quòd ſi *periculum Oculis immineat*, quod duplex eſt:

1. Ne Variolæ Oculi bulbum occupent;
2. Palpebras obſideant, quibus ſuppurantibus Oculus aperiri non poteſt.

Hinc *ratione prioris* Mulier quædam ſana Allium maſticet, & halitum oris Oculis inflet, mane ſtomacho jejuno crebriùs repetat: vel Crocus accipiatur, infundatur Aquæ Fœniculi, & Infuſum hoc (non tamen ſit acre) inſtilletur: vel ex *Rutâ recenti* contuſâ exprimatur *Succus*, qui per filtrum miſſus, & cum *Aquis Ophthalmicis* miſtus, inſtilletur: Interdum Aqua Plantaginis cum pauca Ceruſâ & Camphorâ inſtillanda.

Si verò *Palpebræ ſint obſeſſæ* & *inviſcatæ*, pro iiſdem aperiendis, ne erodantur, ſufficit Decoctum blandum vel Florum Meliloti, vel Herbæ Malvæ, calidè applicatum Oculis cum Linteo. Malè Lac uſurpatur, quia facilè acorem contrahit. His irritis,

ſi Oculi inquinentur, & poſt curatas Variolas vel Lippitudo, vel Ophthalmia, vel Visûs hebetudo ſuperſit, Appropriatis ſuccurratur, ſed ſimul Nuchæ applicandum *Veſicatorium*: quo non ſufficiente & clauſo, bina Veſicatoria pone Aures applicentur, quæ impedimenta removent, ut Oculi meliùs curari poſſint per reliqua Remedia. Pro Veſicatorio autem

℞. *Empl. Veſic. uſit.* ℥ij.
*Citrin.* ℥j. vel ℥ij.
Cum ſ. q. *Ungu. Alth.* f. Emplaſtrum: S. Emplaſtrum Veſicatorium.

Quod inducatur ſuper Linteum, & applicetur.

Ut verò diutiùs apertum ſervetur, recipiatur *Emplaſtrum de Spermate Ranarum*, & addatur quinta vel ſexta pars dicti *Emplaſtri Veſicatorii*.

*Ut Angina præcaveatur*, Fimus Equinus, aut, ſi Collum jam obſeſſum ſit Variolis, Decoctum Ficuum moderatâ doſi conducit: Syrupus Variolarum interdum lentè deglutitus maturat Suppurationem.

*Tuſſim & Pectoris Affectus* optimè curant Remedia ex Scabiosâ, vel ſola, vel cum Spiritu Salis Ammoniaci aniſato miſta; hic enim in Affectibus Pectoris ex Variolis optimus eſt: Vel

℞. *Tincturæ Tartari* ℥ij.
*Elix Propr. ſine acido* ℥j.
M. S.
Tinctura Solvens: Doſis 30. guttæ.
Vel
℞. *Aquæ Hyſſopi*,
*Tuſſilag.* an. ℥iß.
*Syr. de Jujub.*
*Viola.*
*Nicot.* an. ℥vj.
M. D. S.
Succus Tuſſim ſolvens.

Puer unius anni cum ſemiſſe, cùm alii Fratres Morbillis correpti decumberent, ex improviſo à meridie cum gravi Stertore incaleſcere admodùm & debilitari cœpit. Cùm malum hoc ex imminentibus Variolis eſſe ſuſpicarer, & alii Fratres unà decumbentes graviter tuſſirent, præſcripſi ſequentem Potionem:

℞. *Aquæ Flor. Samb.* ℥iß.
*Liqu. Cornu Cervi ſuccin.* ℥j.
*Syr. Papav. albi* ℥ij. Miſc.

Hujus uſu copioſiſſimi proruperunt Morbilli, & Stertor & difficultas anhelandi ceſsârunt: Nempe ex impetu Lymphæ acrioris, & hinc inimicâ vellicatione & irritatione Faucium, Laryngis & Pulmonum, Malum ortum fuerat: ob id Acrimonia ſuſpecta maligna erit corrigenda per *Volatilia*, Irritationis autem ſenſus ſopiendus per *Papaverina*.

Interdum ſupervenit *Aphonia*, quæ duplex: vel Sonum formare non poſſunt, quod fit vitio Laryngis & Nervorum ejuſdem; vel licèt Sonum edant, Loquelam tamen formare nequeunt, quod fit vitio Linguæ & ejuſdem Nervorum. Primus Caſus reperitur in Hildano *Cent. 6. Obſ.* 14. ſed eſt rarus. Secundus Caſus curatur per interna Volatilia Antiparalytica, imprimis Eſſentiam Caſtorei, quæ Linguæ in parte primâ circa Frænum crebrò affricetur: Vid. Horſtius *Obſ. lib. 1. Obſerv.* 29.

## ARTICULUS XXVIII.

### *De Subluxatione Infantum.*

INfantes paulò adultiores vehementiori ſub motu frequenter *Subluxationem* incurrunt, unde Hypochondriorum Tumor, difficilis Reſpiratio, totius Corporis Æſtus, Appetitus dejectus, Vigiliæ, &c. ſuperveniunt.

### CURA.

*Curatur* optimè, ſi Infantes imponantur Ventri, & Manus & Pedes per crucem ſibi invicem admoveantur; hoc enim modo curatur Subluxatio.

## ARTICULUS XXIX.

### *De Macie & Atrophia Infantum.*

FRequens & ſæpè difficillimum curatu, ſimulque periculoſum Malum eſt, quando ſub Nutritione ſubinde deficiunt Infantes, ita ut eorum Corpus Succo nutritivo privetur, & ejus partes muſculoſæ flaccidæ & molles fiant; uno verbo: quando non nutriuntur & augentur, ſed ſucceſſivè, utut Alimenta capiant, macilenti fiant, adeoque plùs minùs *Macie & Atrophiâ* corripiantur.

Macies hæc in genere eſt vel *Symptomatica*, vel *Morboſa*. *Symptomatica* eſt, quando alium Morbum, Febrim, Diarrhœam, vel ſimilem Affectum ſequitur. *Morboſa* eſt, quando citra talem prægreſſam Cauſam, vel citra prægreſſum alium Morbum, ex ſe ipſo radices egerit, vel ex ſe ipſo incœperit.

### CAUSÆ.

Talis Maciei *Cauſæ* ſunt plurimæ, quas ordine pertractabo.

### CAUSA I.

### *De Nutrimenti Defectu.*

PRima quidem *Cauſa* eſt *defectus Nutrimenti* laudabilis, quando Lac Nutricis minùs proportionatum eſt ad Craſin Fœtûs ſeu Infantis nutriendi, quin potiùs acrius & ſalſius exiſtit; tunc enim minùs nutriri poſſunt Infantes. Id quod fit imprimis in Nutricibus Cholericis, ut ſic dicam, ſeu habitûs minùs ſucculenti, & quæ quodammodò ad Phthiſin aut Hecticam inclinant; in ſpecie, ſi jam diutiùs lactaverint alios Infantes: nam talium Lac aſperum nonnihil eſt, & minùs aptum ad nutriendum Infantem, qui Nutrimentum temperatum, roſcidum & quaſi oleoſum requirit, non vitiatum: ubi illinc Atrophia, hinc Cachexia ſupervenit.

### DIAGNOSIS.

Cognoſcitur hoc ipſum vitium, ſi ipſa Nutrix talis ſit, & Infantes citra manifeſtam aliam quamcunque Cauſam ſucceſſivè emacientur, & parum vel nihil proficiant.

### PROGNOSIS.

Affectus non eſt contemnendus; ſemper enim periculum Infantis Viribus intendet.

### CURA.

Propterea in *Curâ* Lac & Nutrimentum laudabile ſuggerendum; pro quo ſcopo imprimis mutanda eſt Nutrix, & poſt mutationem Nutricis, aut etiam ſi Infans quodammodò ſponte minùs aptus ſit Nutritioni, aut ſi contabeſcat & minùs nutri-

triatur propter vitium Nutricis; poſt Nutricis remotionem commodè balneatur Infans in Lacte Bovino vel Caprino: quo ipſo ſubinde blandè fricanda ſunt ejuſdem Membra, & poſtmodùm capiatur Hedera arborea, creſcens in Quercu, ex qua Hederâ arboreâ deſtillatur Aqua, quæ mirè commendatur in tali Infantum Macie: ſicuti etiam ipſa Folia hujus Hederæ pulveriſata ad ℈j. cum pauco Syrupo Violarum ſunt propinanda.

Præter hæc etiam Aqua Filicis deſtillata mirè laudatur, ex qua Filice etiam Culcitras ſub dorſum ponendas ſuadent. Sunt etiam, qui in tali caſu poſt Balneum Lactis commendant Unguentum ex Butyro non ſalito, quo ſubinde Membra tenella fricanda ſunt.

## CAUSA II.

*De Lumbricis.*

CÆterùm præter Lactis vitium *Secunda Cauſa* Maciei Infantum eſt, quando Nutrimentum, licèt laudabile, abſumitur à *Lumbricis*, item *Crinonibus*, qui ubi ſunt copioſiores, aut etiam diutiùs retenti fuerint in Infantibus, tandem Maciem inducunt. De *Lumbricis*, cum eorum *Signis* & *Curâ*, *ſuprà* dixi.

## CAUSA III.

*De Crinonibus ſeu Comedonibus.*

SEquitur *Cauſa tertia* Maciei & Atrophiæ, *Dracunculi* ſive *Vermiculi Subcutanei capillares* Infantum, quatenus hi ipſi Atrophiam ſimul junctam ſemper habere ſolent. Incognitus & indictus Antiquioribus fuit Morbus, cujus paſſim ſuperiori ac hodierno ſeculo à Medicis non minùs, quàm medicaſtris Mulierculis, fit mentio, & ab iſtis quidem *Morbus Pilaris* Infantum communiter appellatur, proprio autem nomine *Comedones* ab adjunctâ Infantis Tabe, quaſi Vermes qui Nutrimentum Infantum comedendo largiùs abſumant: item *Crinones* à figurâ, quòd, ſi in Balneo ritè tractentur, Crinium ſeu Pilorum curtorum nigrorum formâ foras interdum prominere per poros Cutis ſoleant, appellantur, Germanis *die Mit-Eſſer*, *die Zehr-vvurme*, quæ pro Animalculis intercutanea loca inhabitantibus ab aliis habita fuerunt. Differunt à *Sironibus* ſeu *Cironibus*, Vermiculis minutis, quaſi pedicularibus, in Puſtulis ſeroſis prurientibus ſub Cuticulâ Manuum imprimis & Pedum enatis, de quibus vid. Sennertus *lib.* 5. *Prax. Part.* 1. *cap.* 24. *pag.* 118. Langius *libr.* 2. *Epiſtol.* 42. Goedartius *Metamorphoſ. Part.* 1. *pag.* 126. ſicuti & Sironum & Crinonum formæ, per Microſcopium conſideratæ, differentes planè deprehenduntur. Dicti Crinones Vermiculi Capillorum ſpiſſorum ſeu Setarum curtarum formâ nudo oculo aſpicienti ſe exhibent, qui Mellis dulcedine per Frictionem allecti in loco calido foras prorumpere nonnihil, frigoris verò ipſis inimici ſenſu denuò introrepere, obſervantur; ſic enim apparent Vermiculi formâ ſingulari, Oculis rotundis grandiuſculis, Coloris ſubcineritii & plùs minùs nigricantis. Cornubus ſeu potiùs Antennis binis longè prominentibus inſtructi, cum Caudis oblongis in fine villoſis; uno nomine: aſpectu ſatis horridi; prout nuperrimè ab Amico curioſo & artificioſo, nempè Dñ. Chriſtiano Schæffero *Sereniſſimi Ducis Saxoniæ* Mauritii *Apelle Aulico* dexterrimè (non ſecus ac alia talia minutiſſima Inſectula, in ſpecie Sirones, item Termites ſeu potiùs Lendes Caſeorum, &c.) hacce ſub formâ accuratè per Microſcopium obſervati & delineati fuerunt: quorum Iconiſmus videri poteſt in *Valetud. Infant. cap.* 2. §. 33. Occupare magis loca muſculoſa, imprimis Dorſi, ſive totius Interſcapulii tantùm, maximè tamen Scapularum, Humeri, item Surarum & Crurum, ſub Cuticulâ aſſolent. Infantes imprimis teneriores, minùs robuſtiores, affligere ſolent.

## CAUSÆ.

Originem iis ſubminiſtrat ſuppreſſa inſenſibilis Tranſpiratio, ut rectè id ſuſpicatur Horſtius *lib.* 4. *Obſerv.* 53. *pag.* 254. quæ temperata ſi fuerit, minuſque acris, dulcis & pinguis, retenta diutiùs ad Putredinem ruit, unde occultata anteà & oppreſſa penitus principia ſeminalia, quæ in Minimo, ſeu, ut vocant, in Atomo ſenſibus imperceptibili latere poſſunt, ſui juris facta, deſtinationes naturales exequuntur, & in viva Animalcula proruunt. Nempe in Lacte, ratione Alimentorum ex quibus generantur, non ſecus ac in Pulte, milleformia Inſectulorum & Vermiculorum latent ſemina, quæ in tenello Infantis Stomacho non adeò exactè alterata, facilè datâ occaſione evigilare, & in actum ſecundum erumpere valent: hinc & quidam Crinones hos illis Vermiculis ſeu Aſcaridibus ſimiles aſſerere volunt, qui in antiquis Caſeis innaſci obſervantur. Hi ipſi Crinones animati moleſtiam admodùm prurientem & continuò laceſſentem, plùs minùs tamen, ſub Cuticulâ admodùm ſenſili excitant, indeque inquietos, ejulantes & vigiles reddunt Infantes, quibus utut ſæpiùs porrigant Mammas Nutrices, quas etiam exhauriunt, tamen inquietudine, vigiliis & ploratu confecti, minùs dictum Alimentum digerere aut ritè aſſimilare poſſunt, donec emacientur tandem, & ita ſucceſſivè in Tabem proruant: ut ob id exiſtimem, non tam ratione Nutrimenti à Vermibus exhauſti, quàm ratione Symptomatum ab iſtis introductorum, Maciem & Tabem conſecutivè ſupervenire. Ubi ergò adſunt talia Symptomata, Mulieres ſtatim dicunt, aut ſubeſſe *Faſcinationem*, aut adeſſe *Crinones*.

## CURA.

Quoad *Curam*: Crinones ſunt eliciendi. Hi cognoſcuntur & removentur ſimul, ſi Infans deducatur in *Balneum Aquæ dulcis*, in quo benè fricetur cum Melle Farinâ ſubacto, ſic enim ſub lotione, hujus dulcedine allecti cum Sudore per poros erumpunt ſub formâ Pilorum nigrorum craſſiorum, qui tamen poſtmodùm dum ita emittunt Capita, commodè vel cum Unguibus acutioribus, vel Novaculâ exiguâ, vel cum cruſtâ Panis acutâ, ſubtiliter abraduntur, & ita tolluntur; id quod aliquoties reiterandum erit, unde meliùs habere Infantes obſervantur. Aliis in more poſitum eſt, ut ablutos in Balneo Infantes Manu Melli intinctâ blandè perfricent: & hinc prolectos Vermiculos vel cruſtâ Panis duriore in formam aciei Cultri reſciſſâ, idque tutiùs; vel Scalpello, idque minùs ſecurè abradant & removeant. Petrus *à Caſtro Tr. de Coloſtro*, Mulierum Luſitanarum experimento Fuliginem caminariam cum Melle & Lacte mixtam, Dorſo illitam laudat. Quidam loco talis Unguenti ex Melle imponunt Infantes in Lixivium, in quo Stercus Pullorum Gallinaceorum bullivit: Huic ipſi Lixivio ad Collum uſque immergunt Infantes, & ita nonnihil ad

Sudorem disponunt, postmodùm levi Manu Melle illitâ Crinones proritant, quos postmodùm dicto modo vel Novaculâ vel crustâ Panis acutâ abradunt: repetitur toties (ad biduum, triduum) quamdiu præsentia talium hospitum se manifestat.

Quòd si copiosiores sint, aut subinde regenerentur, radicitùs evellendi sunt secundùm modum Timæi *Von Guldenklee*, quem habet *in suis Casib. lib. 5. de Morb. Infantum cap. 23.* nempe ut propinentur internè Tincturæ Antimoniales; loco quarum tamen Essentia Myrrhæ & Remedia Viperina non erunt minoris pretii. Externè verò in Balneis talibus & post talem Frictionem quotidie abstergendi sunt Infantes cum *Aquâ* sua *Aloëticâ*, paratâ ex *Aquæ Absinthii* ℔. ij. in quâ dissolutæ sint *Aloës Hepaticæ* ʒij. Hâc ipsâ Aquâ fricati ita Infantes omninò amittunt, & curantur ab istis Crinonibus. Quin imò putârim, Aquam Hermeticam, seu Decoctionis Mercurii vivi, uti Lumbricis & Scabiei optimè conferre solet, etiam eandem in Balneo Cutim abluendo usurpatam, citra ullum periculum dictos Crinones necare & tollere posse. Plura de his videb. in Welschio *suprà citatis locis*. Unguentum contra Sirones vid. in Sennerto *Pr. lib. 5. pag. 118.*

## CAUSA IV.

*De Vasorum Lacteorum & Glandularum Mesenterii Obstructione.*

POrrò *quarta Causa Atrophiæ & Maciei* Infantum, hactenùs ferè incognita, est, quando commodè Nutrimentum distribui nequit, *ex Infarctu & Obstructione viarum ac ductuum Abdominis, Vasorum Lacteorum*, & consequenter *Glandularum Mesenterii*, per quas vias naturaliter Chylus debet moveri ad Massam Sanguineam. Certum enim est, quòd his ipsis loci obstructis & oppilatis, tandem deficiat necessariò Corpori Nutrimentum: unde tales Infantes quoad Membra sunt macilenti, & minùs nutriuntur, quin potiùs decrescunt; Abdomen autem ferè tumet; ut plurimùm Secessus liquidi copiosi observantur. Vocant hunc Affectum Mulieres Germanæ *das untervvachsen der Kinder*, quando scilicet intumescit Abdomen infra Costas: conf. M. A. N. C. *Ann. 2. Obs. 152. pag. 237.* Sylvius *Prax. lib. 1. cap. 14. §. 56. pag. 168.* Barbette *in Prax. lib. 3. cap. 2. Observ. 3.* & *Anat. Pract. lib. 1. cap. 14.* Hoeferus *Herc. Med. lib. 7. pag. 349.* & Sydenham *de Feb. pag. 89.*

## CAUSÆ.

*Causæ* sæpissimè sunt Pulmenta viscidiora & tenaciora uberiùs ingesta; Nutrices enim interdum vix desistunt, quin infarciant talia Pulmenta, ut tantum non digitis attingere ferè possint. Hinc fit, ut talia Pulmenta loco nutritivi succi distribuendi sæpissimè degenerent in Mucilaginem crassam, plùs minùs acidam viscidam, quæ successivè Intestina aut admodùm incrustando, aut Orificia & Ductus Lacteorum obstruendo, etiam ipsas Glandulas Mesenterii consequenter infarciendo, debitum Nutrimentum Corporis deficere facit.

## DIAGNOSIS.

*Signa* ex modò dictis facilè patent, imprimis ex Causâ prægressâ, ex Tumore Abdominis, item ex aliquali ejus ad tactum Duritie; quæ excernuntur solent esse viscida, albicantia, & quæ sunt similia indicia.

## PROGNOSIS.

Periculosum est hoc Malum; nam Atrophia lethalis tandem necessariò sequitur.

## CURA.

Si ergò ex denegato Nutrimenti transitu, & debitâ distributione cessante, *Atrophia* Infantes corripiat, pro *Curâ* hujus Mali internè conveniunt Alimenti depravationem corrigentia, & hujusmodi mucilaginosas Sordes, Vasa obstruentes, alterantia & resolventia. Conveniunt ergò laudata sæpiùs *Salia volatilia*, quæ forti penetratione obstructos anteà meatus referant, præmisso & interdum iterato subinde blando Laxativo, ob id Lactationis tempore subinde iteranda: sicuti post Ablactationem convenit *Tartarus Vitriolatus Tachenii*, ut & Arcanum Duplicatum *Mynsichti*, in Brodio seu Decocto Passularum propinata, quotidie reiteranda. Pariter *Liquor Terræ foliatæ Tartari*, seu Sal essentiale Tartari resolutum in Liquorem, Infanti subinde guttulatim propinatum, à Barbette *laudatur in Praxi lib. 3. cap. 2. pag. 3.* Item Tinctura Tartari. Commodè etiam usurpantur Martialia, Liquor seu *Tinctura Vitrioli Martis tartarisata*, vid. M. A. N. C. *Ann. 3. Observ. 250. pag. 454.* & Crocus Martis aperitivus cum Tartareis permistus. Hinc ceu præsentissimum sæpeque expertum Remedium in tali casu commendat Hoeferus *in Herc. Med. pag. 349.* Pulmentum illud, quod Vertex ferreus Rotæ molaris inter movendum colligit, extrà illitum, quod nihil aliud est, nisi subtilissimus quidam Crocus Martis istâ agitatione è ferreo Vertice abrasus. Unde Horstius propinat in tali casu Infantum Aquam istam, quæ in acuandis Instrumentis ferreis sub Cote colligitur, Germ. *das vvasser vom Schleif-Stein.* Commodius est, ut usurpentur Tincturæ Martiales, imprimis permistæ cum Remediis Tartareis. Hæc interiùs oblata sunt optima.

*Externè* commodè fiunt Unguenta & Linimenta Abdomini illinenda pro resolvendâ & attenuandâ istâ Mucilagine spissiore & meatibus referandis, quæ attenuata postmodùm in Intestinis blandè per Laxantia est evacuanda. Imprimis convenit *Linimentum ex Gummi Ammoniaco suprà* laudatum, ubi *de Torminibus*; vel *Unguentum Martiatum*, *Unguentum Althææ compositum*, & *Oleum Philosophorum*, mixta, Felle Tauri acuata, & Abdomini illita. Sequens Unguentum Barbette, quod habet *in Anatomiâ Practicâ l. 1. cap. 14.* est egregium, quod etiam singulariter commendat: Nempe

℞. *Ungu. Alth. compos.* ʒj.
*Arthanit.*
*Martiat.* an. ʒij.
*Ol. Lil. alb.*
*Chamomill.* an. ʒiij.
M. f. Linimentum:
Quo inungitur Abdomen:

Aliud habet *in suâ Praxi citato loco*, scilicet:

℞. *Ungu. Dialth. compos.*
*Arthan.* an. ʒß.
*Ol. Mucilag.* ʒj.
Misc. pro Linimento.

Conveniens etiam est, si fiat *Unguentum* Sylvii *Prax. lib. 1. cap. 14. §. 56. pag. 167.* Nempe:

℞. *Ungu. Dialth. vel simpl. vel compos.*

*Ol.*

*Ol. Lil. alb.* an. ℥ß.
*Lateritii Philoſoph.* ʒij.
M. f. Linimentum.

Quod commendat Sylvius inſigniter, ut eodem inungatur Abdomen Infantis, dum lectulo imponitur, reſolvit potenter viſciditates Inteſtinorum & Glandularum Meſenterii, ut poſtmodùm feliciùs blandis Evacuantibus poſſint evacuari.

## CAUSA V.

### *De Faſcinatione Puerorum.*

QUinta denique *Cauſa Maciei Puerorum* ſæpiùs eſt, aut ſaltem dicitur, *Faſcinatio* ſeu *Faſcinum*, quod vocant, Germ. *Wenn die Kinder beſchrien ſind.* Vim talis Faſcini cum Paracelſo multi Moderni ex impreſſione Imaginativæ deducunt, quæ per ſolum *Viſum* poteſt nocere. Alii hoc ipſum negant, & totum negotium *Veneficio* attribuunt: de quibus hic non eſt dicendi locus. Sufficiat ſubſumptionem eſſe Faſcini & Veneficii, vel in tali ſtatu, ubi nulla adeſt ſufficiens Cauſa, quæ monſtret Affectum alium: item quando cum Macie ſimul præter ſpem nimis imbecilles & debiles fiunt Infantes: item quando ſubſumptio eſt aut ſuſpicio de Vetulâ quadam, quæ familiariùs aliquando cum Infante fuit converſata. Prolixum Tractatum de Faſcinatione edidit D. Frommannus. Sed ad hoc, ut cognoſcatur, an faſcinatus fuerit Infans? *tum ponitur Vas Aquâ fluente plenum ſub Cunis, in illud injicitur Ovum; quòd ſi natat in alto, faſcinatus eſt Infans: ſi verò cadit fundum versùs, nihil adeſt mali: Ratio eſt, quia Spiritus ligati volunt eſſe liberati, ideoque attrahunt Ovum in altum.* (S)

## CURA.

Ad tollendum hunc Faſcinum & Veneficium partim *Superſtitioſa* quamplurima, partim *Naturalia* revocantur Remedia.

*Internè* ſuadentur aliàs contra Faſcina Corallia, Viſcus Coryli pulveriſatus, aut etiam Pulvis Baccarum Uvæ inverſæ ſeu Herbæ Paridis: Item Pulvis Ganſii *in ſuo de Coralliis Tractatu* ex Semine Antirrhini, Coralliis rubris & albis, & Dente Hominis mortui; Nam Coralliis ſingularis adſcribitur efficacia. Unde Tincturæ Coralliorum quacunque ratione paratæ, in ſpecie in Vehiculo ex Hyperico propinatæ inſigniter laudantur. Eſſentia Hyperici, Spiritus Secundinæ primiparæ, Pulvis Secundinæ primiparæ; quæ uti aliàs ad quæcunque Veneficia, ita in ſpecie ad Faſcinum ſeu Maciem ex Faſcino inſigniter commendantur, ſi Remedia ex Secundinâ parata interiùs propinentur Infanti.

*Externè* conducit Sacculus appenſus ex Floribus ſeu Summitatibus Hyperici, & Baccis Uvæ inverſæ cum Semine & Herbâ Antirrhini: item Suffimigium ex Herbis contra Faſcinum & Veneficia decantatis, v. g. ex Conyzâ flore cœruleo, Hyperico, Antirrhino, Dentibus Hominis emortui, Viſco Corylino & Quercino, ac ſimilibus. Quibus adjungenda etiam ſunt *Balnea*, quæ inter præſervat à Macie Balneum, cui Cortices & Folia Salicis ſunt incocta, quod inſigniter commendatum ab Hartmanno & Gabelchovero tam curat quàm præſervat à Macie. In ipsâ Macie cum Foliis & Corticibus Salicum poſſunt ſimul incoqui Flores Aquilegiæ, Adiantum, Antirrhinum, Hypericon, Conyza, Folia & Baccæ Uvæ inverſæ. Sideritide cum Filagine, vel ſolitario, vel cum Hyperico & Tanaceto, Mulieres utuntur pro Balneo, fricantes eoſdem una cum Herbis, & tunc comparent copioſæ Sordes extrinſecùs, Incantationes indices habitæ, ſed falsò: Conf. Hoeſerus *Herc. Med. pag.* 107. Convenit etiam Inunctio ex Unguento Corylino ad Veneficia Heinrici *ab* Heer, quod videbitis in ejus Obſervationibus; aut imponatur regioni Stomachi Emplaſtrum *Mynſichti* contra Veneficia, malaxatum cum hoc ipſo Unguento, ſeu *Oleo Corylino Heinrici ab Heer.* Ex ſolâ Asâ fœtidâ etiam poteſt fieri Emplaſtrum contra Maciem ex Veneficio ſeu Faſcino oriundam, Ventriculo imponendum. Caſtro *in ſuis Manuſcr.* pro Pueris faſcinatis ſequens unguentum commendat:

℞. *Ol. Roſat.*
*Nardin.*
*Maſtich.*
*Succ. Menthæ*,
*Abſinth.*
*Cydonior.*
*Pom. redolent.* an. ʒij.
*Corall. rubr.*
*Pulv. raſ. Eboris*,
*Xyloaloës* an. ʒß.
Cum ſ. q. *Ceræ* f. Unguentum:

Quod bis vel ter in die Stomacho applicandum ſuadet.

Solent etiam Hiſpanicæ Mulieres ſuffumigare partes faſcinatas Gummi Ammoniaco; cui commodè Aſa fœtida poteſt addi. Sepè etiam obſervavit A Caſtro ſufficere Suffitus ferrei Calcei Equi nigri, Germ. *aus einem Huff Eiſen*, candentis, Aceto ter excitatus, quo ſuffumigandus eſt Puer.

## ARTICULUS XXX.

### *De Febribus.*

DEnique quoad *Febres Infantum*: hæ ſunt variæ, quæ eos infeſtant, rariùs tamen *Intermittentes*, niſi in Infantibus paulò adultioribus, aliquot nempe annorum, ordinariò plùs minùs *Acutæ* & continuò *Ardentes*, hæque ipſæ ſæpiùs cum *Puſtulis* & *Exanthematis* conjunctæ, quæ vulgò vocantur *Variolæ & Morbilli*, pro varietate Exanthematum.

Omnes autem Febres, niſi Malignæ ex Contagio natæ fuerint, originem habent *ex Cruditatibus* viſcidis acidis primarum viarum, ſive lactentur adhuc, ſive ablactati fuerint.

### *FEBRES LENTÆ.*

In ſpecie, ſi Succus nutritivus minùs *viſcidus*, *crudus* tamen, & *vitioſo Acore* inquinatus, vel ſaltim *acri-ſalſo Sapore* infectus, diſtribuatur ad Maſſam Sanguineam, pro hujus augmento & Corporis nutrimento, neceſſariò ex tali Alimento inepto depravatur Maſſæ ſanguineæ Craſis, vitiaturque inſigniter Sanguificatio, & inde oritur *præternaturalis* ejus *Effervescentia*, unde *Febres variæ*, imprimis tamen *Lentæ*, ſub veſperam præcipuè exacerbantes, ſupervenire ſolent. Hinc etiam conſequenter vitiatur *Lympha*, & redditur *nimis acida*, *acris*

(S) Nota Cyrilli. *Ineptitudo hujus Experimenti* (*quod Germanico idiomate habet* Editio Francofurtana) *vel ex eo patet, quòd ejus omninò ridicula in medium adducatur ratio.*

*acris* & ſimul ſubinde nimis *viſcida*, unde & circa Glandulas, *Tumores*, & varii *Affectus Catarrhales* Infantibus ſuperveniunt in ſpecie Tuſſes Siccæ nocturnæ, ex Lymphæ talis acido-acris ad Laryngem effuſione; item per Membranam Pituitariam inferiorem tranſudatione oriundæ. Obtunditur contrà Bilis Sal volatile oleoſum ſeu balſamicum, unde perfectio Digeſtionis primæ in Inteſtinis deficit ultimò, & in magis magiſque propullulantes jam confirmantur Ægritudines.

## *FEBRES ARDENTES.*

Cæterùm præter has & aliæ *Febres* variæ, plùs minùs *Acutæ & continuò Ardentes*, aut Periodicæ continuæ, aut Catarrhales, ſimileſve frequentes ſunt inter tenellos, quarum ratio omnis ex *corruptione Lactis* internâ, aut ex *obſtructione pororum Cutis* externâ, optimè explicatur: Nam præter *Cruditatem acidam* Lactis & Pultis in Stomacho infantili, unde ejus Febres frequentiſſimè nunc Lentæ nunc Acutæ ſcaturiunt, etiam variæ aliæ omninò ſunt Lactis corruptiones, jam ſuprà inſinuatæ, ſive in Stomacho ſub Digeſtione primâ, ſive in Inteſtinis ſub hujus Digeſtionis perfectione & Fæcum ſeparatione ſuperveniant; in ſpecie *Cruditas Nidoroſa* appellatur, dum *flava* copioſa aut *fœtida* ab Infantibus ejiciuntur. Excreta talia flava non ſunt beneficio Bilis tingentis, talis enim copia Bilis in Fœtu juniore non adeſt; niſi Infantulos ferè omnes primo ſui initio bilioſiores Viris ipſis dicere velimus: neque amareſcunt ſemper hæc ipſa, ſed dulceſcunt potiùs ſubinde, & avidè à Canibus Amari omnis oſoribus comeduntur. Sed iſta Excreta nidoroſa & flava ſunt frequentiſſimè ex Lactis vitiatâ Digeſtione, & ejus multiplici Corruptione; Lac enim vitiatâ quacunque ratione Digeſtione Ventriculi ſponte de facili citrineſcere, ſufficienter declarat Helmontius *Tr. Schol. paſſ. Decept. cap.* 3. Adeò ut hujus Digeſtionis primæ multiplicia errata ex Alimentis, & hinc Affectibus Nutricis primariò oriunda, cùm non corrigi poſſint in ſecundâ Digeſtione, neceſſariò ſanguineam Craſin in tantum alterent, & diverſas vitioſas in Sanguine Effervescentias febriles inevitabiliter inferant: id quod pariter in quibuſlibet Infantum, etiam ablactatorum, *Febribus*, tam Lentis quàm Acutis, obſervandum venit; quæ omnes ferè pro Causâ internâ Errata Digeſtionis primæ in Ventriculo & Inteſtinis, propter ordinariam eorum addephagiam, agnoſcunt. Et quidem ſi Cruditate Nidoroſâ, ex oleoſâ parte Lactis corruptâ, fuerit inquinatum Lac, tunc Febrem Ardentem gravem infert cum inſigni virium imbecillitate conjunctam: idque eò magis, ſi vel Vigiliæ præceſſerint, vel Nutrix iracunda fuerit, vel alio quoque latente vitio fuerit correpta; Nam quæ Dentitionem Infantum ſuperveniunt Febres, cum ferè tantum non ſint Symptomaticæ, huc non pertinent. Eò citius autem ex enarratis occaſionibus fiunt Febres, quantò minùs tranſpirant Infantes per Cutim, vel ob defectum *Caloris ambientis*, vel crebriorem *Linteorum* non ſufficienter calefactorum *mutationem*. Ad hæc pertinet neglectus *Balneorum*, admodùm nocivus Infantibus, & eoſdem ad *Febres* diſponens. Calidi ſanè Balnei lotio, ut ſordes cutaneas Infantis copioſas abſtergit & removet, ita & Fibras retis cutanei laxando Pororum apertioni & copioſiori Tranſpirationi amplam occaſionem ſuggerit; cujus intermiſſio & Poros conſtipat, & ex heterogeneorum coacervatorum impetu hujus febrili Fermentationi uberrimam occaſionem ſuggerit.

## DIAGNOSIS.

Patent facilè Febres Infantum, dum inquieti ſunt, Facies rubet, Artus Infantis inſigniter æſtuant, Infantes ſiticuloſi ſunt, &c.

## PROGNOSIS.

Vacant autem ut plurimùm periculo hæ Febres, utut, niſi in tempore occurratur corruptioni Lactis, etiam lethales tandem fieri poſſint hæ Febres.

Si ſuperveniat Diarrhœa non nimis violenta, optimè curantur Infantum Febres ſponte Naturæ, quaſi per motum criticum.

## CURA.

Quoad *Curam*: hæc pro varietate Febrium varianda venit.

*Febres Intermittentes*, quæ rariores ſunt in Infantibus ablactatis, curantur ut Febres Adultorum, præmiſſo *Vomitorio*, & interdum repetito, cum Syrupo Emetico, v. gr. pro Infante duorum annorum ad ʒj. bihorio ante Paroxyſmum; vel Purgatione repetitâ cum Mercurio dulci, qui promptiùs confert, ſi ſimul Vomitum moverit.

Vel

℞. *Pulp. Tamarind.* ʒj.
*Pulv. Mechoacann.* gr. xv.
*Sal. Tartari* gr. v.
Cum *Syr. de Stœchad.* f. Bolus.

Quem aliquando præſcripſi Infanti ſex annorum in Febre Quotidianâ Intermittente, cum Elixir Proprietatis ſine acido, aut Febrili cum Eſſentiâ Abſinthii, & ſimilibus, die intermittente crebrò uſurpatis, ante Paroxyſmum propinando Lapillos Cancrorum cum Sale Abſinthii fixo, vel Sale Holſatico, dicto aliàs Arcanum Duplicatum *Mynſichti*, Oleo deſtillato Caryophyllorum; aut loco horum Spiritu Salis Ammoniaci, Liquore Cornu Cervi ſuccinato, Spiritu Carminativo de Tribus, &c.

Si *verò Infans adhuc lactens Febre Intermittente corripitur*, qualiſcunque fuerit, curatur præmiſſo *Vomitorio*, aut *Purgatione Mercuriali*, imprimis per Aurum Fulminans ante Paroxyſmum propinatum. Sic Infans decem menſium Quartanâ duplicatâ affectus, præmiſſo Vomitorio Antimoniali curabatur, propinando ante Paroxyſmum ſequentem Pulverem:

℞. *Auri Fulmin.* gr. j.
*Ebor. ſine igne* gr. viij.
M. pro Pulvere: S.
Aperiens Pulvis Febrilis.

Detur aliquoties, donec ceſſet Paroxyſmus, obſervando ut aliquot horis ante Paroxyſmum jejunus ſervetur Infans, ne Lacte in Ventriculo nondum digeſto Paroxyſmus ſuperveniat; quin etiam non priùs Mamma porrigenda venit, niſi in Statu Paroxyſmi, ubi Æſtus jam invaluit.

Lactis loco pro Siti fallendâ commodè propinetur:

℞. *Aquæ Flor. Samb.*
*Card. bened.* an. ʒvj. ad ʒj.
*Spirit. Sal. Ammoniac.* gutt. xv. plùs minùs.
*Lap. Cancr. præp.* gr. xv.
*Syr. Fœnic.* ʒij.
M. f. Potiuncula: S.
Potiuncula Febrilis.

*Externè* verò recipiatur *Cepa*, hæc contuſa applicetur Carpis, & aliquandiu relinquatur.

*Continuæ verò Lentæ*, ex Acido viſcido, ut & cognatæ *Febres Catarrhales* ex Lymphâ nimis acidâ, curan-

curantur, præmiſſis *Laxativis & Clyſmatis*, optimè Spiritu Salis Ammoniaci, vel ſimplici vel aniſato, aut Liquore Cornu Cervi ſuccinato, in ſpecie poſteriores. Non curemus Æſtum, qui tempore veſpertino adeſt, nam quia eſt ab Acido, ſiſtitur à talibus Volatilibus. Item Tinctura Myrrhæ ſuprà dicta ſalutariter convenit. Quòd ſi verò ablactati fuerint, optimè *Liquor Tartari ſuprà laudatus*, item Sal Ammoniacum cum dimidio Lapillorum Cancrorum ſæpiùs reiteratum eas profligabit.

Item

℞. *Aquæ Flor. Samb.* ℥j.
*Menthæ* ℥ß.
*Acet. Vini* ʒij.
*Lap. Cancr. præp.* ʒß.
*Antimonii Diaph.* gr. xij.
*Syr. Flor. Tunic.* ʒiij.
M. S.
Mixtura diſcutiens.

*Quoad Febres verò Continuas Ardentes & Benignas*, aut his ſimiles, utut rariùs affligant tenellos, nihil ferè peculiare habent, quàm quòd has, præmiſſo imprimis *Vomitorio*, vel aliis primas vias *Evacuativis*, præ cæteris curent *Abſtergentia*, *Cornu Cervi ſine igne* præparatum, & cum eodem compoſitus Pulvis Febrilis Ludovici *in Pharm. pag.* 280. *&* 282. quàm etiam Salia volatilia: v. g.

℞. *Aquæ Flor. Samb.* ℥ij.
*Spirit. Sal. Ammoniac.* gutt. xv.
*Cornu Cervi ſine igne*,
*Maxill. Lucii piſcis* an. gr. xv.
*Syr. Papav. albi* ʒij. ad ʒiij.
M. pro Potiunculâ: S.
Potiuncula Refrigerans.

Propinetur cochleatim.

Vel propinetur Pulvis ex Cornu Cervi ſine igne, Myrrhâ, &c. *ſuprà de Torminibus* præſcriptus: item *Cinnabarina*, *Antimonium Diaphoreticum* fixum, & ſimilia probè conveniunt, non ſecus, atque Gelatina Cornu Cervi recèns parata, tam Infanti, quàm in ſpecie etiam Nutrici, in Potu ordinario frequenter diſſoluta, temperando Acre, & Sale volatili corrigendo Acidum, ſimulque conſervando Corpus in debitâ Diaphoreſi, multum Infantibus prodeſt. Stercus Equinum recens Potui ordinario, quem præter Lac avidè appetunt, infuſum in Nodulo & ſubinde expreſſum, multum prodeſt in mitigando Æſtu harum Febrium: vile quidem, ſed nonniſi à ſuperſtitiosè delicatis contemnendum eſt Euporiſton. Aliàs, ſi robuſtiores paulò extiterint: *Nitrum antimoniatum*, uti & *Arcanum Duplicatum Mynſichtii* modò laudatum cum modò dictis exhibita, ſunt egregiè proficua: ex. gr.

℞. *Arcan. dupl.* gr. xxiv.
*Cornu Cervi ſine igne* ʒß.
M. f. Pulvis:
Divid. in 2. part. æqu. S.
Pulvis Refrigerans.

Quin & Nitrum præparatum in Juſculis aut cum Pulticulâ commodè permiſcetur & propinatur.

Sin ablactati Infantes fuerint, etiam blanda Acida addi poſſunt, Tinctura nempe Roſarum cum Spiritu Nitri parata, item Syrupus Granatorum acidorum, Syrupus de Citro, & ex ſimilibus paratæ Miſturæ blandè acidulæ pro compeſcendo Æſtu Sitique moleſtâ: v. g.

℞. *Aquæ Scorzon.*
*Rubi Idæi* an. ℥j.
*Succ. Rub. Id.* ʒvj.
*Tincturæ Flor. Papav. err.* ʒj.
*Cornu Cervi ſine igne* ʒj.
*Antimonii Diaph.* gr. xv.
*Syr. Rubi Idæi* vel *Papav. alb.* ℥ß.
M. pro aliquot doſ. S.

Mixtura Refrigerans, capienda cochleatim.

Sicut & Seri Lactis cum Succo Citri acidulati Potus non eſt ingratus.

*Nutrici* blanda Laxativa ſunt propinanda: hinc ſæpiùs propinetur Cornu Cervi cum Rob Sambuci aut Baccarum Juniperi, idque imprimis dum cubitum eſt itura.

*Externè* convenit imprimis Oleum Roſarum, cui Camphora ſit permiſta, quod Oleum Roſarum camphoratum Spinæ dorſi illitum mirè confert ad Ardentes Infantum Febres. Item Ruta viridis contuſa, ac Aceto miſta, optimo conſilio plantis Pedum alligatur. Lutum etiam Fornacum cum Succo Rutæ miſtum, & Aceto irroratum, ad temperandum Æſtum febrilem commodè applicatur Infantum plantis Pedum. Optimum eſt, ſi recipiantur *Herbæ Anſerinæ* M. v. quæ Planta contuſa & probè conciſa miſcetur cum pauco *Sale*: additur his *Succus ex Radice Armoraciæ* minutim rasâ expreſſus, Pulticula vel Cataplaſma ex his confectum excipitur Linteis & applicatur plantis Pedum. Mirè conducit ad Febres Infantum.

Quòd ſi etiam, quod interdum evenit, ſimul cum Febribus Infantum conjuncti ſint *Pedum Tumores*, hi ipſi hoc ipſo Remedio promptè diſcutiuntur & reſolvuntur.

Quòd ſi *Malignitas* adfuerit, eodem modo curandæ veniunt atque Variolæ aut Morbilli, de *quibus ſuprà pluribus actum*. Unde, præter modò enarrata, etiam *Emulſiones* in Variolis cum Cornu Cervi ſine igne, Antimonio Diaphoretico, Terrâ Sigillatâ, & ſimilibus in ſpecie conveniunt. *Pulveres* quoque ex Cornu Cervi ſine igne cum Myrrhâ, &c. *ſuprà laudati*, interdum etiam *Theriaca & Mithridatium*, uti & Mixturæ cum Electuario Diaſcordii *Fracaſtorii*, aut moderatâ Theriacæ doſi imprægnatæ, in paulò robuſtioribus tutè in uſum revocari poſſunt.

## EPILOGUS.

Hæc & ſimilia, quæ hactenus tractata fuerunt, uti primariò de tenerioribus, & qui *Nutricis* adhuc ſuſtentantur *Lacte*, intelligenda veniunt *Infantibus*, ita etiam eadem mutatis mutandis de facili applicari poſſunt *Ablactatis*, & vegetiore robore jamjam adoleſcentibus, & uſque ad duodecimum annum provectis; ſaltem obſervando, quòd quicunque Infantes, & ſpeciatim qui lautiori gaudent Diætâ, & à teneris unguiculis luxuriosè magis, quàm ſalubriter, educari ſolent, propter communem iis Addephagiam, & quaſi nimiam Voracitatem, coacervent Succos crudos acidos, & Pituitam viſcidam, quæ ſe habent ſimili modo ac Lac coagulatum, vel ex Pulte congeſtus Mucus, ex quibus ceu uberrimâ ſcaturigine ſimilia iis, quibus ſub Lactatione, ex Lactis præternaturali aceſcentiâ & corruptione, &c. conflictari ſolent, Mala in eoſdem largiter redundare ſolent; unde eadem ferè aut ſimilia Medicamentorum genera Ablactatis, quæ Infantibus Lactentibus conveniunt, uſurpari poſſunt.

# PRAXEOS MEDICÆ LIBER VI.

## *Chirurgia Medica. Proœmium.*

PErgimus nunc ad *Chirurgiam*, & quidem *Medicam*: non enim omnia, quæ Chirurgo propria ſunt, pertractanda ſuſpicimus, ſed quantum ſpectat ad Medicum, ut Curationes Chirurgicas aut corrigere, aut dirigere, aut prompto Conſilio adeſſe poſſit ac debeat. Ob id, quæ ad Operationes Chirurgicas in ſpecie pertinent, omnia miſſa faciemus, eaque alii tempori reſervabimus, & potiùs Synopſin Theoretico-Medico-Practicam pertractabimus.

*Chirurgia* ergò eſt iſta pars Medicinæ, quæ Manuum operâ externâ mederi docet Affectibus Corporis humani externis.

Affectus autem huic Medicinæ parti ſubjecti *quinario numero* commodè comprehenduntur; ſuntque *Tumores*, *Vulnera*, *Ulcera*, *Luxationes*, & *Fracturæ*: quorum priores tres *partibus Mollibus*; poſteriores verò duo *partibus Duris* ſunt proprii.

Artifex Chirurgiæ dicitur *Chirurgus*, cujus deſcriptionem exactam præ cæteris docet Celſus *in Proœmio in 7. ſuæ Medicinæ Partem.*

Jam harum partium affectarum, nempe aut Durarum aut Mollium, exacta notitia perneceſſaria eſt, & *in Durioribus* ſcienda eſt

1. Earum *Confirmatio*, *Situs* & *Connexio.*
2. Earundem *Uſus*; &
3. Quòd omnia *Mucida*, omnia *Unctuoſa* & *Pinguia*, ac *Oleoſa vulgaria*, maximè nociva ſint iiſdem, niſi anteà artificiosè ea volatiliſata & deſtillata fuerint. Eſt enim in omnibus iſtis occultum *Acidum*, quod pertinaciter adhærendo Oſſibus, facilè etiam Carnem corrodit: hinc potiùs *Sicca* & *Amariuſcula*, item Remedia *Sale* paulo *acriori alcalino* prædita, in Oſſium Affectibus ſunt convenientiſſima.

Hæc de partibus Duris.

In partibus *Mollioribus* præ cæteris accuratè notanda eſt *Differentia inter partes Sanguineas*, & *Spermaticas* ſeu *Nervoſas*: quarum hæ ex Colliquamento uterino ortæ immediatè poſtmodùm Succo chyloſo nutriuntur & ſuſtentantur; Sanguineæ econtrà, productæ priùs & ortæ ex Sanguine, Sanguine etiam poſtmodùm augmentantur & conſervantur.

*Diſtinctio* ergò inter has duas partes vel maximè eſt obſervanda, quæ utramque paginam facit, tam propter Prognoſin in Affectibus Chirurgicis ferendam, quàm etiam propter Curam & Medicamentorum convenientium electionem & applicationem, quæ pro partium harum varietate varia. Nam

1. *Sanguinearum partium Affectus Chirurgici*, Tumores, Vulnera & Ulcera, ſunt longè *tutiores*, quàm *Nervoſarum*, nec tantis Symptomatis, in ſpecie Gangrænæ & Morbis Convulſivis adeò ſunt obnoxii, neque etiam adeò ſunt ſenſiles, nec adeò facilè irritabiles: unde Vulnera Articulorum v.g. longè periculoſiora ſunt & citiùs Gangrænam contrahunt; item periculoſiora obtinẽt Symptomata atque Vulnera partium Muſculoſarũ ſive Carnoſarũ.
2. Affectiones hæ in partibus Sanguineis curatu ſunt longè *faciliores*, quàm in partibus Nerveis. Hinc
3. Non ſunt adeò *dolorificæ* ſive doloroſæ, Sanguineas ſi occupaverint partes, quàm ſi afflixerint Nervoſas.
4. Etiamſi in partibus Sanguineis ſuperveniat aliquod *Fermentum præternaturale corruptivum*, ut in Vulneribus & Ulceribus ordinariò fieri ſolet, hoc in Sanguineis non adeò eſt acre & vitioſum, non adeò malignum, ſed eſt mitius longè & correctu facilius, quàm in partibus Nervoſis: Unde in gangrænoſa Ulcera promptiùs longè abeunt in Nerveis partibus, quàm in Sanguineis.
5. Sanguineæ partes ablatæ aut detruncatæ facilius *reſtituuntur*, aut ſaltem quodam analogo reſarciuntur; ſecus ac fit in Nerveis, quorum jactura ſolet eſſe immedicabilis. Hinc
6. Sanguineæ partes læſæ debilioribus etiam *Medicamentis faciliùs auſcultant*, & imprimis temperata Balſamica, ſeu Sale volatili oleoſo temperato prædita, Naturæ amica poſtulant. Ex errore verò applicata forſan paulò acriora meliùs perferunt: Nervoſis verò, utut his Balſamica temperata ſint acceptiſſima, tamen eadem debilia ſubinde conducunt; acriora verò & fortiora eaſdem irritant, earumque Affectus longè deteriores reddunt.
7. Denique quomodocunque curatæ læſiones dictarum partium Sanguinearum, nec læſionem nec deformitatem tantam in Corporis actionibus, neque etiam tantam Membris *deformitatem* afferunt (Contracturam, Incurvationem, & ſic porrò), quàm fit in partibus Nervoſis læſis.

Juxta partes has, tanquam primariò ſubjectas læſionibus & Curationibus Chirurgicis, etiam *quæ eas abluunt* exactè conſiderandi ſunt *Liquores*; primariò quidem *Sanguis*, hinc etiam *Chylus* nutritivus, cujus vehiculũ ſeparatũ ex parte conſtituit *Lympha*.

*Sanguis* ſalinus volatilis oleoſus & balſamicus, Spiritu ſalino ſimiliter volatili balſamico turgidus, partiũ conſervationi dicatur, ubi Corruptionẽ incurrit, Acorem quidem facilè contrahit, ſed hunc aut Arte facilè corrigibilem, aut ſponte effervescendo Sale volatili oleoſo in Pus ſalſum temperatum tranſmutatur.

*Chylus* verò latice aquoſo dilutus, & hinc poſtmodùm *Lympha*, vitiati inſigniter aceſcunt, & in Mucilagines varias ſæpiùs, in ſpecie in locis glanduloſis in Liquamen corroſivum corrumpuntur.

Jam verò in dictarum partium externâ læſione,

&

& earundem *Curatione Chirurgicâ*, tria imprimis obſervanda in genere:

1. *Naturale conſervandum*: & hoc eſt imprimis naturalis Humorum motus, tam univerſalis Sanguinis & Lymphæ, quàm particularis Succi uniuſcujuſque partis nutritii balſamici; nam hi Humores facilè delent omnes affectiones.
2. *Præternaturale tollendum* ſeu delendum: & hoc eſt imprimis Acor vitioſus ſæpiùs putrefactivus, tam interdum in Maſsâ Sanguineâ, quàm in ſpecie in Stomacho & primis viis, primariò autem in parte læsâ tanquam Fermentum corruptivum præter naturam enatum. Deleto hoc Acido, & ſic vel ſponte curabuntur Vulnera, & Ulcera.
3. *Symptomata mulcenda*: & inter hæc præ aliis eſt *Dolor*, qui ſæpiſſimè eſt vel tenſivus, vel morſicans, & pungens ſeu corroſivus.

Hæc tria probè obſervanda in omni Caſu Chirurgico; facilitant etenim Curam, neglecta verò eandem difficiliorem reddunt. Nam *primum* ſi adſit, Corporis totius, in ſpecie partis læſæ, Oeconomiam naturalem turbat; *ſecundum* læſionem morboſam ſuſtentat & auget; *tertium* Corpus partemque debilitat & mille accidentia advocat: Et hoc ipſum tertium ex primis duobus primariò dependet. Nam Dolor tenſivus ex impedito motu Liquoris tranſeuntis, indeque partis dilatatione oritur, ut ſit in Tumoribus; corroſivus verò & pungens Dolor, ex Acido habet originem præter naturam rodente & vellicante.

*Auxilia* ergò in genere, quæ his conveniunt Affectibus, ex *tribus petuntur Fontibus*, imprimis *Diætâ*, *Pharmaciâ*, & *Chirurgiâ* in ſpecie ſic dictâ.

*Manus* artificioſa *Chirurgi* debet eſſe activa, partim removendo impedimenta ſeu impedientia, partim applicando conducentia Remedia. Quæ applicanda ſunt, ex Pharmaciâ deſumuntur, imprimis ex Regno Vegetabili, Remedia nempe, quæ Sale volatili balſamico conſtant, ut ſunt dicta Vulneraria reſinoſa & ſimilia, quæ utramque paginam faciunt in Chirurgiâ. Nam hæc non tantummodò tribus ſuperiùs monitis Requiſitis, quocunque uſu interno & externo, optimè ſatisfaciunt, ſed etiam pro aliis Scopis hinc inde intervenientibus optimè unà ſuccurrunt.

Imprimis autem, dum *impedimenta removet* Chirurgus, ea ſcilicet, quæ Naturam tanquam primariam Medicatricem in ſuis actionibus morantur, verè artificioſum ſe exhibet, dum nempe

1. Separata *jungit*.
2. A Situ naturali dilapſa *reponit*.
3. Id quod inutile aut vitioſum eſt à toto *ſeparat*.
4. Deficiens, quantum poſſibile, reſtituit; &
5. *Solvendo* Continuum & Meatus *aperiendo* promptè ſuccurrit.

Hæ ſunt *Operationes primariæ*, quæ Chirurgo incumbunt in Operatione manuali; quæ optimè deſcripta videbitis tanquam in Synopſi in *Microtechne* Hornii, item *in Armamentario Chirurg.* Sculteti; ſicuti etiam videnda ſunt in *efficaci Medicinâ* Marci Aurelii Severini Medici Neapolitani: quæ tamen vix meliùs, quàm per Autopſiam ocularem, addiſci, & per Praxin deduci poſſunt.

Jam ergò pro Remediorum varietate *Chirurgia eſt duplex vel Medica*, *vel Manualis. Medica* conſiſtit in rectâ *cognitione Affectuum præternaturalium* per Manum Chirurgicam tractandorum, & legitimâ *inventione Remediorum* ex Pharmaciâ & Diætâ convenientium: *Manualis* verò verſatur ſaltem circa *Operationes Chirurgicas*, quæ nos non tangunt.

Hæc in genere de Chirurgiâ monuiſſe ſufficiat. Circa Therapeiam Affectuum & inventionem Remediorum ex Fonte Diætetico & Pharmaceutico conſiderandi ſunt Autores: Inter omnes optimi ſunt, & quidem in Chirurgiâ Rationali 1. Agricola *in Chirurg. Parva*, 2. Barbette *in Chirurg. & Anatom. Practica*, 3. Felix Wurtz, qui rectè ab Helmontio Chirurgorũ Anteſignanus vocatus *in libro ſuo intitulato Wund-Artzney*: In Chirurgiâ verò Mechanicâ vid. Fabricius ab Aquapendente, Paræus, Scultetus, & Guillemeau.

In ſpecie cum *quinque* dixerim eſſe *Affectus*, qui Chirurgi manui ſunt ſubjecti, jam inchoandum.

## SECTIO I.

### *De Tumoribus.*

### CAPUT I.

### *De Tumoribus in Genere.*

QUod attinet *Tumores in genere*: nomine *Tumoris* in genere intelligitur *Magnitudo partis præternaturaliter in longitudine, latitudine, & profunditate auctâ*, ſive ſit conjuncta cum Materiâ purulentâ, ut Abſceſſus, ſive non: Convenit cum *Abſceſſu* in conceptu generali, qui internè differunt ut Genus & Species.

*Excreſcentiæ* ergò præternaturales, in quibus non tam major fit pars, quàm nova Moles quaſi adnaſcatur ipſi, propriè non ſunt Tumores, utut reſpectivè harum pertractatio ad Tumores pertineat, & etiam pertractentur ſimul.

### CAUSÆ.

*Cauſa in genere omnium Tumorum* ſeu auctæ magnitudinis eſt (1.) vel *Pars* quædam ex naturali ſitu *dilapſa*, & in proximam partem propulſa ſeu dislocata, aliam Partem expellens; & eſt nunc *Mollis*, uti apparet in Herniis; nunc *Dura*, ut in Luxationibus; quibus ſemper conjuncti ſunt Tumores. (2.) Vel eſt *Humor* quidam replens, indeque Partis magnitudinem augens. Vel (3.) eſt *Flatus* diſtendens; unde etiam non rarò ſunt *Tumores Flatuoſi*, qui interdum antequàm aperiantur, Abſceſſum mentiuntur, & hi imprimis in Genubus ſolent eſſe frequentes.

Ex quibus Cauſis tamen Cauſa media, nempe *Humor*, ſolet eſſe frequentiſſima: Nam licèt interdum etiam Lapides, item Vermiculi, Pediculi, copioſa parva quaſi Ovula, item Crines, & ſimilia varia, in Tumoribus & inde natis Abſceſſibus reperta fuerint, eaque in ipſis Tumoribus genita; (unde excludo hîc ea, quæ extrorſum per Incantationem intruduntur) tamen cùm hæc ſint ratiora, ad inſolita Naturæ opera meritò referenda, quæ iſti, quod fit utplurimùm nil derogare poſſunt. Humor ergò, qui partem replendo Tumorem producit, *in eâdem colligitur* de novo, qui anteà non aderat: & quidem *vel ob Motum* Humoris cujuſdam trans partem impeditum, unde oritur Humoris *Stagnatio*; *vel* propter novam Humoris in parte *Generationem*.

*Stagnatione* fiunt Tumores, ſi Humorum Motus per partium Meatus & Vaſa ſubtilia impeditur, & eſt hæc Humorum Stagnatio, & inde natus Tumor, *vel* ſimpliciter, *vel* paulatina Congeſtio: *Illa* fit in *Tumoribus aliàs vulgò notis*; hæc fit etiam imprimis in *Tumoribus Criticis*, hiſque aliis analogis Tumoribus: *Ibi* promiſcuè hæret Humor tranſiens; *hîc* verò quaſi ſecretione quâdam factâ, partes quædam

adhærent, quibuſdam adhuc tranſmiſſis. Hinc *illa Stagnatio* propriè dicta; *hæc Congeſtio* dici poteſt.

Jam in ſpecie *ex Stagnatione morboſâ* ſimpliciter dicta fiunt omnes *Inflammationes*, omnes *Contuſiones*, *Eryſipelata* & ſimiles Tumores, & hæ quidem omnes *ex Sanguine*; *ex Lymphâ* verò ſtagnante fiunt *Tumores Oedematoſi* & *Seroſi* quicunque, item *Hydrops*, tam Univerſalis, puàm Particularis. Pertinet huc *Lac in Mammis concretum*, *Lochia circa Uterum contenta*, &c.

*Congeſtione verò paulatina* ſeu ſucceſſivâ *Tumores Critici & Abſceſſus*, hiſque ſimiles, Excrementis ſcilicet febrilibus, ob craſſitiem, aut coagulationem ſeu coacervationem reſtitantibus ipſo Sanguine aut Lymphâ tenuiori ſenſim tranſeunte. Huc pertinent *Bubones Peſtilentiales*, *Furunculi*, Germ. *die Schvveren*, *Phygethla*, *Parotides*, *Carbunculi*, & his ſimiles Tumores. Pro illuſtratione talium Tumorum conſideremus ſaltem Filtrum chymicum, quod per præcipitationem ex Liquore continente ſeparata retinet, reliqua tranſmittit. Par ratio eſt in Tumoribus per Congeſtionem obortis. Faciunt huc etiam Viſcerum *Scirrhi* & *Strumæ* circa Glandulas enatæ. Hi enim Tumores ſenſim generantur ex viſcidiore Humore, è Sanguine & Lymphâ relicto, tenuiore tranſeunte. Hoc modo fiunt Tumores per Stagnationem.

Per *novi Humoris in parte Generationem* & collectionem fiunt Tumores reliqui, *quando Alimentum Partis proximum coacervatur & colligitur in Parte præternaturaliter*: idque vel *corruptum*, vel plùs aut minùs *alteratum*.

*Corruptum* quidem, quando *Fermentum vitioſum* quoddam in Parte adhuc latens Alimentum affluens degenerare facit in varios vitiatos Succos, qui ſucceſſivè collecti dant Tumores, continuò in *Ulcera* denuò degenerantes. Hinc enim fit, ut Abſceſſus aut Ulcera non ritè mundificata dent Tumores & Abſceſſus recidivantes, qui vulgò malè *Fluxionibus* Corporis, ad certam partem decumbentibus, adſcribuntur. Hinc *Caries Oſſium* non ritè curata poſt Ulceris conſolidationem denuò novum infert Tumorem, novumque exinde natum Abſceſſum. Pertinet huc *Bubo Venereus* ex contactu Scorti ſucceſſivè in Inguine enatus: item pertinent huc *Tophi*, *Cancer Mammarum* ac *Gummata Gallica*, ex Acido maligno, Nutrimentum Oſſium corrumpente, & hinc iſtos Tumores excitante, unde poſtmodùm Gummata ac Tophi enaſcuntur.

Ex *Alimento* verò *uberiùs affluente*, *minùs* verò in Parte *alterato*, oriuntur Tumores iſtis *Partibus* quodammodò *ſimiles*: quales ſunt *Tumores Oſſium* fractorum calloſi, item *Carnis* in Ulceribus mundificatis *luxuria* & excreſcentia, auctæ Viſcerum inſignes magnitudines, *Nodi* item, & *Ganglia*. Ex Alimento verò congeſto, ſed *magis alterato* & coacervato, naſcuntur Tumores, *Partibus* quibus adhærent non nihil *diſſimiles*; quò equidem pertinent omnes *Excreſcentiæ*, ut ſunt *Verrucæ*, *Polypi*, item *Cornua*, quæ ipſa commodè ad Verrucas referuntur, quale in ſuperiori parte Pedis enatum memorant M. A. N. C. *Ann.* 4. & 5. *Obſ.* 180. item *Fungi*, & omnes iſti Tumores, qui in propriâ Tunicâ obſervantur contineri, quales ſunt *Melicerides*, *Atheromata*, *Steatomata*, vel ſimilia de quibus pluribus infrà.

Hæ ſunt Cauſæ Tumorum generales Proximæ.

Quoad *Cauſas Remotas*; Stagnatio humorum quæcunque contingit aut 1. *vitio Viarum* tranſmiſſioni repugnantium ob earundem anguſtiam: aut 2. propter *Humoris* ipſius ad tranſeundum ineptitudinem, vel propter ſui *craſſitiem*, vel propter ineptitudinem particularum ejus reſpectu *figurationis* ad poros partium.

I. *Viæ porique ſunt anguſti*:

(1.) Propter *Compreſſionem* ab incumbentibus quibuſcunque.

(2.) Propter *Conſtrictionem* à Vinculis, & ſic porrò

(3.) Propter *Obſtructionem* à Materiâ viſcidâ mucilaginoſâve, efficiente Frigido imprimis inſpiſſatâ, aut ab Acido condenſatâ.

(4.) Propter *Fibrarum* Partis *Contractionem* ac *Criſpationem*, indeque natam porulorum Partis anguſtiam, quæ oritur imprimis ex Dolore ſeu dolorosâ Partis affectione.

II. *Humorum* verò *craſſities*, & inde orta Stagnatio, accidit *vel* propter *Pituitam*, quam vocant Chylum crudiorem & viſcidiorem in primâ, vel ſecundâ, vel tertiâ Digeſtione non ritè ſubactum, *vel* propter *Frigus* Humores inſpiſſans, *aut* propter *Acidum* Humores coagulans, *aut* denique propter *Remedium externum* malè adhibitum tranſeuntes Humores incraſſans; quo ipſo rejiciuntur omnia *Repellentia* & *Adſtringentia* in Fracturis & Luxationibus ineptè applicata.

Denique *Humoris particulæ malè figuratæ per poros tranſire nequeunt*, quin hæ per præcipitationem ſeparatæ ex Maſsâ Sanguineâ, & hinc denſiùs agglomeratæ, in Liquore fluctuant, quo vehiculo, ſeu liquore vehente, tranſeunte per poros, ipſæ reſtitant, ut in Abſceſſibus Criticis uſu venire ſolet.

Ex *Alimento coacervato* & collecto præternaturaliter, aut etiam *alterato* oriuntur Tumores, quando *Fermentum* quoddam *corruptum*, ut plurimùm vitioſè acidum, in Parte latet, quod ipſum Alimentum partis proximum effluens degenerare facit, iſtudque tranſmutat in varios vitioſos Succos, qui collecti ſenſim dant novos Tumores atque Abſceſſus, ut v. g. in *Abſceſſu*, *Carie Oſſium*, *Ulceribus* non ritè mundificatis, &c.

*Alimentum* verò *minùs alteratum* dat Tumorem, quando ut plurimùm ex Cauſâ externâ ſubinde propter Labores ob poros Partium dilatatos, Fibraſque non nihil laceratas, item propter Membranas diſtractas, Alimentum copioſius recipitur, & ita uberiùs colligitur, unde Tumores oriuntur: Qua ratione ex Tendinis cujuſdam in Manu ex Labore diſtenſione circa Articulos ſupervenit ſucceſſivè *Ganglion*: aut quando ex compreſſione aut dilatatione Fibrarum ejus ex Calceo ſupervenit in Pede *Clavus*, & ſimiles Tumores pro Partis læſæ conſtitutione.

*Alimentum* denique plùs minùs *alteratum* à ſtatu naturali, non tamen corruptum, dat *Excreſcentias Membranis propriis incluſas*, & pro Alimenti alteratione, ex variâ in Membranâ colligente tranſcolatione, *nunc* Serum, *nunc* Sevum, *nunc* Pultem, nunc aliam ſimilem Materiam, cum radice tamen, ex qua enaſcitur, aliqualem analogiam obtinente, referentes Tumores: Quin & *Polypi*, *Verrucæ*, & ſimiles hujuſmodi naſcuntur, adeò ut rarò citra externam quandam violentiam, aut citra impetum quendam externum; item ſi abſit hæc externa violentia, rarò citra interdùm levem ab Acido vitioſo præcedente corroſionem, ſubnaſcitur talis Tumor: Sic enim v. g. ex Ulcuſculis Narium ſubinde propullulant *Polypi*.

## CURA.

Ut ergò *curentur Tumores* in genere, neceſſe eſt, ut *evacuetur continens eorum Cauſa*, ſeu potiùs in Tumore contenta Materia, quacunque id fiat ratione, ut remotâ Materiâ Fibræ Partium Porique diſtenti denuò ſe contrahant, & ita naturalis Parti redeat Figura, & hanc poſtmodùm inſequens actio & functio naturalis anteà in Parte læſa.

A *ſta-*

A *ſtagnantibus Humoribus* Pars liberatur:

1. Reſtituendo ipſis *Motum naturalem*, ſi fieri poteſt.
2. *Evacuando* ipſos immediatè ex Parte, aut *reſolvendo*, aut inſenſibiliter *diſcutiendo*, aut Viam novam aperiendo, *ſecando*, vel *urendo*: Illud (nempe *Diſcuſſio*) ſtagnantibus Humoribus ſimpliciter; hoc verò (nempe *Apertio*) Humoribus congeſtis magis convenit.

Ut his duobus ſatis fiat, *Motus* ſtagnantibus *reſtituitur*, vel *Vias anguſtas dilatando*:

(1.) Removendo *Impedimenta externa* anguſtantia, ut ſunt Vincula, Ligamenta: id quod in Fracturis & Luxationibus conſiderandum.

(2.) Humoris *Coagulationem* obſtruentem ſolvendo.

(3.) *Dolorem* tenſivum mulcendo.

(4.) Vel denique *Craſſitiem* ipſius Humoris tollendo,

*Tollitur hæc Stagnatio*

1. Removendo externa *Incraſſantia.*
2. Temperando *Frigus* inſpiſſans: &
3. Corrigendo *Acidum* coagulans.

*Diſcutiuntur ſtagnantes Humores*, vel *inſenſibiliter*: quod fit *vel Acidum* coagulans temperando & Humores per Medicamenta, partibus ſubtilibus conſtantia, & penetrantibus prædita, ſenſim ſenſimque attenuatione diſſipando: *vel Apertione novi foraminis evacuando Humores*; *vel* demulciti & temperati per *Suppurationem*, ſi nempe mutationis in Pus ſunt *capaces*; aut ſaltim ſi à cruditate ſuâ nonnihil ſunt mitigati aut quaſi alterati, ſi *Suppurationis* perfectæ ſint *incapaces.*

*Illud* (*Suppuratio* nempe) Sanguineis aut cum Sanguine permiſtis Liquoribus tantummodò convenit: *Hoc* verò reliquis ſaltem Humoribus & Tumoribus ex aliis occaſionibus eſt proprium. Terenda tamen ubivis veſtigia à Naturâ præmonſtrata.

*Suppuratio fit*, quando in Sanguine ſtagnante & congeſto evaneſcunt & diſſipantur partes ejus ſpirituoſæ ſubtiles ac tenues; unde id quod remanet, ſpiſſeſcit ſenſim & grumeſcit (hinc omnis Sanguis extravaſatus in grumos tandem concreſcit); & ex corruptione ſucceſſivè Acorem contrahit putredinalem, à quo Acido fit Efferveſcentia acris cum Salibus volatilibus oleoſis ipſius Sanguinis, ex qua Efferveſcentiâ auctâ non tantùm *Calor* in Parte affectâ ſentitur major, ſed ipſa Tumoris magnitudo ſucceſſivè in medio ſui turgeſcendo augetur: *& quaſi Florem acquirit.* Unde *Dolor* & tenſivus (ratione Partium diſtenſarum), & pulſatorius (ratione Arteriarum in motu impeditarum) intenditur, & tandem Sanguis in Pus corrumpitur, Acido adhuc nonnihil prædominante, unde Pus album apparet: omnia enim Alcalia oleoſa vel ſulphurea ab Acido præcipitantur in album Colorem, uti in Chymicis ex Lacte Sulphuris patet.

In hôc Suppurationis negotio, *Acidum* imprimis eſt conſiderandum: Nam hôc nimis excedente nulla ſit Suppuratio, ſed aut Partis in Ulcus corroſio, aut Tumoris in Scirrhum induratio; *deficiente* verò Acido non opus eſt Suppuratione, cùm Liquor fluxilis tunc temporis aliâ ratione facilè removeri poſſit, aut tunc exactâ temperaturâ opus non habeat. Hoc ergò *Acidum* cum Sale volatili oleoſo Sanguinis concurrendo dat Inflammationes ac ſimilium Tumorum Suppurationem. Ex dictis facilè patet, *qualia Medicamenta* in genere *ſint applicanda?* Nam *Motum* naturalem Humoribus reſtituunt omnia ea, quæ reſolvunt, attenuant, & Alcali ſeu Sale volatili plùs minùs temperato factum Coagulum tollunt ac mobile reddunt.

*Per Diaphoreſin* verò Tumores *diſcutiunt* primariò quæ participent de Sale volatili ſeu Alcali, nunc acri, nunc fixo, tam minùs quàm magis temperato, Acidum fixum temperante & abſorbente, atque ita occaſionalem Cauſam Stagnationis tollente.

*Suppurationem* verò, ſi fit legitimo modo, adjuvet Chirurgus, non applicando Diaphoretica Alcali acri conſtantia: quia horum operatio diſſiparet quaſi tenuia & volatilia, reliqua verò ſpiſſiora induraret in Scirrhum; nec applicet etiam his contraria Acida, quia Acida Suppurationem impediunt, & facilè occaſionem Grumeſcentiæ dant, & ſic Ulcus inducerent. Applicet ergò Chirurgus Remedia temperata, *Humectantia*, & blandè *Laxantia* occulto tamen Alcali, ut vocat Helmontius, & temperato conſtantia, plùs tamen minùs acriora, pro ratione nempe Materiæ ſuppurandæ. Imprimis tamen *Suppurantia debent eſſe nonnihil mucilaginoſa*, & ſuaviter humore quaſi roſcido laxantia: nam talia acrimoniam Humoris ſuppurandi, imprimis Acidum, ſuaviter temperant, unde Acido temperato Salia in Liquore ſuppurando minùs impetuosè efferveſcunt, & per conſequès cum minore Dolore & Ardore inter ſe concurrunt, & blandè ſe in Pus ſalſum uniunt & convertunt, dum intereà per iſta Remedia applicata ſimul laxantur tenſæ anteà Fibræ, unde Dolor ſucceſſivè mitigatur, & Pus faciliùs exteriora versùs viam invenire poteſt. Temperata ergò nonnihil mucilaginoſa dixi Suppurantia eſſe.

Quòd ſi verò Tumor ſuppurandus conſtat *Materiâ craſſiore & viſcidiore & acidiore*, qualis v. g. ſit Lac in Mammis coagulatum ad Suppurationem tendens, qui Tumor ob id minùs Fermentationi ſeſe accinget, ſed potiùs ad Scirrhum degenerare velit; tunc cum ordinariis Suppurantibus applicanda ſunt paulò acriora, Sale volatili magis acri imprægnata: qualia ſunt Cepacea, Alliata & ſimilia: de quibus inferiùs, prout conditio Tumoris & Humoris ſuppurandi requiſiverit.

*Apertio Tumoris* (quæ eſt tertius modus curandi) aut *ſuppurati*, aut aliquantiſper *alterati*, ſi ineptus ſit ad Suppurationem, fit *vel ſponte Naturæ*, dum ſupertenſa Cutis ob acrimoniam contenti Humoris ſucceſſivè eroditur; *vel* Apertio iſta fit *Arte*: idque nunc *Ferro*, quod *Lancettam* vocant, qui modus eſt optimus Gallis uſitatus; *vel* Apertio fit *Igne*, qui modus ferè eſt Italorum, & hoc aut *Actuali* per Ferramenta ignita, quod tamen rariùs fit; vel *Potentiali* Cauſtico, ſive corroſivo, quod conſtat ex Sale quodam acerrimo: *Nunc* quidem ex *Alcali fixo* acri, idque uſitatiſſimè: hinc parantur *Cauteria* ex Lixivio Saponario inſpiſſato, Ger. *aus Seifenſieder Lauge*, vel fiunt Cauteria ex Calce vivâ cum Cinere Fraxini, vel fiunt ex Sale Tartari & Cineribus Clavellatis, & quæ ſunt ſimilia alia ſubjecta alcalica fixa: *Nunc* verò conſtant *Cauteria ex Acido*, nempe Butyro Antimonii, quod ſingulariſſimum eſt Cauterium pro parandis v. g. Fontanellis, item quod Bubones vel Carbunculos quoſcunque optimè aperit; item parantur talia ex Magnete Arſenicali, qui legitimè adhibitus eſt Cauterium arcaniſſimum, quia indolens: Sapienti ſat; vel parantur ex Lapide Infernali, ex Spiritu Nitri concentrato cum Lunâ (quod uſitatum eſt Italis & ſatis conveniens); vel fiunt talia ex Opio in Spiritu Nitri diſſoluto, qud tamen ſingulare eſt.

His viis, vel Ferro vel Igne Potentiali, apertus Tumor, ubi Materia contenta jam erit evacuata, tunc *cavum reſtitans vocatur Abſceſſus*, qui ubi per occultos quaſi Cuniculos hinc inde ſerpit, alio nomine vocatur *Sinus*, German. *ein hohl Geſchwur.* Et eſt talis Abſceſſus reverà nihil aliud, quàm Ulcus poſt Suppurationem relictum, ſimili modo curandum

ut alia Ulcera, de quibus *inferiùs plura*, mundificando, & hinc consolidando.

Hæc est Curatio Tumorum ex Humoribus stagnantibus ortorum.

Quod attinet *Tumores ortos à Materiâ per novam Generationem introductâ*, liberatur Pars tumens; aut *Materiam* collectam insensibiliter *discutiendo*, quod rariùs contingit; aut per factam Aperturam *Materiam evacuando*, quod fit frequentiùs: Materiam ipsam evacuandam Emollientibus aut Suppurantibus plùs minùs anteà alterando & mitigando; cavendo recidivam Tumoris per Fermenti ulcerosi & peregrini in loco affecto totalem destructionem. Nam aliàs v. g. dabo Exemplum: si in Mammarum ex Lacte coagulato Suppuratione (quod frequentissimè fit) non ritè curetur Abscessus, & mundificetur per Fermenti peregrini extinctionem, demum, licèt consolidata fuerit Mamma, recurrit Tumor, & novus fit Abscessus, qui postmodùm per Balsamica oleosa (uti habebimus probè) mundificatus est curandus.

*Excrescentiæ* verò tolluntur ut plurimùm, imprimis insigniores, omnimodà earum *Ferro aut Igne extirpatione*; Igne imprimis Potentiali; rariùs, nisi more Italorum, Actuali: præcavendo hîc recidivam talium Excrescentiarum per Radicis membranosæ omnimodam deletionem.

Hisce manuali artificio externè applicatis Remediis commodè etiam simul adduntur *Medicamenta Interna*: *nunc* quæ laxando primas purificant Vias, aut quæ Massam Sanguineam quacunque ratione expurgant, imprimis quidem *Sudorifera*; *nunc* quæ Acidum vitiosum, tam in primis Viis quàm in toto Corpore oberrans, subinde absorbent & destruunt; *nunc* quæ labem Massæ Sanguineæ peculiarem corrigunt, v. g. Cachecticam, & Veneream, Scorbuticam, aut similem; *nunc* verò, quæ blandum *Sudorem* per subjecta de naturâ Alcalium provocando, omnes Liquorum Stagnationes & Coagulationes successivè solvendo, æqualem Humoribus motum restituunt, & restitantes insensibiliter resolvunt, & talia sunt v. g. Antimonium Diaphoreticum, Lapilli Cancrorum, qui Chirurgorum debent esse Arcanum quoad internum usum, Myrrha, Castoreum, Viperina quæque, & hinc Succinata Balsamica internè usurpata: nam talia in omni Chirurgico Casu commodè possunt applicari.

Quòd si *Febricula* aut Æstus adsit, *Nitrata* sunt usitata, ut sunt Nitrum Antimoniatum imprimis, hinc Nitrum per Alcali purificatum, & tandem, quod utilissimum omnium est, (utut vulgò contrarium statuatur) Lapis Prunellæ, commodè internè usurpantur; sicuti Milites ordinariò usurpant Pulverem Pyrium, cujus internus usus ratione Nitri, Sulphuris, & Alcali fixi in Carbonibus Tiliæ, in Chirurgicis Casibus esse debet frequentissimus, nec sine ratione.

Hæc de Curâ Tumorum in genere.

Quod attinet ergò *Remedia* Tumoribus in genere applicanda, sunt ea *in triplici Classe*, *vel* resolvunt, *vel* discutiunt, *vel* suppurant.

I. *Resolventia* sunt ea, quæ imprimis Stagnationi Humorum (sunt oppositа, utpote quos resolutos in naturalem Motum revocare debent. Sub hunc titulum revocanda sunt omnia ea, quæ externè applicanda, & crassum attenuant, coagulata solvunt, grumos & visciditates incîdunt & rarefaciunt, & concreta fundunt, exque his ortas durities varias emolliunt. Omnia hæc sub nomine *Attenuantium* & *Resolventium* comprehenduntur. Operandi rationes facilè patent.

In Corpore humano dixi Humores stagnare, incrassari & indurari, vel ob Frigus externum coagulans, vel ob propriam visciditatem & crassitiem. Qui coagulantur Humores, sunt vel *Sanguis* solus, qui imprimis ab Acore congrumatus hæret: vel est *Pituita* seu Chylus crassior & crudior, nondum in Sanguinem perfectum assimilatus, tam in Sanguine, quàm in Lymphâ, tam ob Frigus externum, quàm ob Acidum internum inspissatus: nunc verò concurrit simul uterque Humor, Sanguis nempe crassus & viscidus, ob Chyli portiones crudas ipsi permistas ex Cacochyliâ natas: qui tertius modus est communissimus, & dat Tumores obstinatissimos, ad Scirrhum nempe & Scrophularum naturam inclinantes.

Medicamenta ergò, quæ has Humorum affectiones curare valent, *Emollientia* ratione duritiei, & *Attenuantia* & *Resolventia* ratione crassi & Coaguli dicta, hanc habent virtutem, *ut Acidum temperent*, partes coagulatas penetrent, easque attenuent, & ita Humores denuò molles, tractabiles ac mobiles reddant. Nam quæ à Frigore fit coagulatio, admoto externo Calore potest resolvi.

Medicamenta quæ huc valent sunt,

1. *Pinguia* & nonnihil *Mucilaginosa*, quæ Acidum temperant & quasi obtundunt, Fibras & Membranas laxant & emolliunt, vulgò *Emollientia* in specie sic dicta.
2. Deinde valent huc etiam *paulò Acriora*, de Sale volatili penetrantiori participantia, quæ & Acidum omninò absumunt, & partibus volatilibus in poros penetrant, & Coagulo isto absumpto Humores tenues, mobiles ac fluidos reddunt: & hæc sunt propriè *Attenuantia* dicta.

Et quidem, prout nunc Coagulum, & inde orta Stagnatio, est magis vel minùs fortis & contumax, & ratione aut Acidi inspissantis vel Humoris crassi & viscidi subsistentis, etiam Remedia varianda, & nunc acriora, nunc temperatiora, adhibenda sunt. Unde *tres sunt gradus Emollientium & Attenuantium*, nempe sunt lenia, mediocria, & fortiora, Diaphoreticis seu Discutientibus cognata. *Objiciat* quis: Reperiuntur etiam Acida, quæ attenuant & resolvunt: *Sed hæc*, quatenus sunt Acida, hoc non præstant, sed salinarum partium volatilitate; unde vix sola usurpantur, sed pro vehiculo aliis adduntur.

*Primi gradûs Emollientia & Resolventia* sunt sequentia: Radix & Herba Malvæ, Althææ, Atriplicis, Mercurialis, Brancæ Ursinæ: Violariæ, Liliorum alborum; Parietariæ; Flores Meliloti, Malvæ, Semen Fœnugreci, Lini, Althææ, Lupinorum, & ex his paratæ Mucilagines atque Farinæ; item Caricæ pingues assatæ & calidè impositæ, Uvæ passæ & similia; Adipes & Axungiæ Caponis, Vaccina, Porcina, Humana, Pinguedines recentes magis emolliunt, veteres attenuant, & illud magis, si sint Pinguedines ex fœmellis, quàm si ex maribus; Medullæ Animalium recentes; Lac, Butyrum, Oleum Amygdalarum dulcium, Violarum, Liliorum alborum, Unguentum de Mucilaginibus, Dialthææ, quod singulare est cum Unguento Resumptivo, & similia.

*Attenuantia & Emollientia secundi gradûs* sunt: Radix & Herba Apii, Pulegii, Helenii, imprimis Cepæ coctæ, quæ sunt egregiæ; Ebuli, Hyperici, Chærefolii, Betonicæ, Verbasci, Sambuci, Rutæ, Mentha, Artemisiæ, Saturejæ, Cicutæ, Scabiosæ; Flores Hyperici, Croci, Sambuci, Scabiosa, Chamomilla; item Adipes, v. g. Anserina, Ursina, Cervina: Sevum Hircinum, Medulla Cervina, Gummi Tacamahaca, Styrax liquidus, Resina Terebinthinæ, Cera, Mumia; Farina Fabarum cum Aceto applicata, Sperma Ceti, Spiritus Tartari; Oxymel Scilliticum; Oleum Chamomillæ, Amygda-

Amygdalarum amararum, Hyperici, Nucum, Anethinum, Laurinum & Nicotianæ; Unguenta & Emplastra de Cicutâ, de Betonicâ, Diachylon simplex, de Spermate Ceti *Mynsichti*, de Meliloto, &c.

In *tertio gradu Emollientia & Attenuantia sunt*: Radix & Herba Bryoniæ, Cucumeris agrestis, Raphanus, Cepæ crudæ (*anteà dixi de Cepis coctis*, nam in coctione avolat sal volatile), Vincetoxici, Cyclaminis, Sigilli Salomonis, Asari, Squilla, Sabina, Absinthium, Centaurium minus, Nicotiana; Semen Sinapi, Erucæ, Cumini cum Aceto coctum; Gummi Ammoniacum, vel solum, vel cum Emplastro de Cicutâ, Galbanum, Bdellium, Sagapenum, Opoponax, Myrrha, Elemi, Ladanum, Resina Pini; Stercora & Urinæ Animalium; Nidus Hirundinum cum excrementis; Spiritus Urinæ, Salis Ammoniaci, Vini Spiritus crocatus, Acetum Scilliticum, Fermentum; Oleum Irinum, Laterinum, Scorpionum, Terebinthinæ, Ceræ, Lumbricorum, Petroleum, Oleum Tartari destillatum, Oleum Nicotianæ, Balsamus Sulphuris; Unguentum Martiatum; Emplastrum Diachylon cum Gummis, Oxycroceum, Dia-sulphuris (cujus extemporanea compositio videri potest in *Collegio Pharmaceut. ad Ludovici Pharmaciam*); de Cicutâ, de Ammoniaco, & *Vigonis* de Ranis cum Mercurio; Mercurius laminæ plumbeæ illitus & applicatus.

Ex his modò dictis Simplicibus varia possunt fieri Remedia Composita:

1. *Fomenta*,
2. *Cataplasmata*,
3. *Linimenta* & *Unguenta*,
4. *Emplastra*.

1. Formula ergò *Fomenti Emollientis* sit hæc:

℞. *Rad. Alth.*
*Lil. alb.* an. ℥iß.
*Herb.* & *Flor. Malvæ*,
*Melilot.*
*Sambuc.* vel *Chamomill.* an. M. j.
*Caric. pingu.* No. vj.
Coqu. in s. q. *Seri Lactis* vel in *Lacte Caprillo*:
Colatura D. S.
Cataplasma Emolliens.

Applicetur calidè cum Linteis duplicatis, idque sæpiùs repetendo.

Vel loco *Lactis* coqu. in s. q. *Aquæ simplicis*:
Colat. ℔iß. adde
*Succ. Cepar. rec.* vel *Olei Chamom.* aut *Lil. alb.* ℥iij.
M. D. S. ut suprà.

2. *Cataplasmata Emollientia* & *Resolventia* fiunt hoc modo:

℞. *Rad. Alth.* ℥iij.
*Cucum. asin.* vel loco hujus *Ireos rec.* ℥j.
*Fol. Bras.*
*Malvæ*
*Herb. Absinth.* an. M. j.
*Flor. Chamom.*
*Melilot.* an. M. ß.
*Sem. Lini* ℥iß.
Contusa coqu. in s. q. *Aquæ simpl.* vel *Lactis*, vel
*Seri Lactis* pro lubitu:
Trajice per Setaceum, Pulpæ trajectæ adde
*Sterc. Caball.* ℥iij.
*Olei Chamom.* ℥iß.
*Cepar. sub cineribus cocta.* ℥iß. vel ij.
M. D. S.
Pulvis Emolliens.

Wedelius *de Med. Facult. lib.* 1. *Sect.* 2. *c.* 1. *pag.* 31. & *Tract. de Comp. Med. p.* 159. simile parat Cataplasma Emolliens ex Rad. Althææ, Lil. alborum, Flor. Cham. Meliloti, Farinâ Seminis Lini, Fœnugræci, Caricis pingu. in Lacte ad putrilaginem coctis. *Cataplasma Resolutivum Foresti* egregiè convenit in Tumoribus duris: non secus euporiston quoque est insigniter emolliens & maturans Tumores; quod paratur ex Sapone communi in Lacte calido dissoluto.

3. Aliud & quidem sub formâ *Linimenti*:

℞. *Mucilag. Sem. Alth.*
*Fœnugr.* cum *Decocto Ficuum extr.* an. ℥j.
*Adip. Anser.* ℥vj.
*Olei Chamom.*
*Lil. alb.* an. ℥iij. vel ℥ß.
M. super ignem ad consistentiam Linimenti: sub finem verò adde
*Olei destillat. Terebinth.* ℥j.
*Tartari fœt.* ℈j.
(licèt fœtor sit horribilis, est tamen potens)
M. pro Linimento: S.
Unguentum Emolliens.

4. Denique sub formâ *Emplastri*:

℞. *Empl. de Melilot.*
*Gumm. Amm. in Aceto sol.* & *inspiss.* vel lento igne *liquat.* an. ℥iß.
Liquefacta malax. cum s. q. *Olei Irini* & *Nicotianæ*:
induc super *Alutam* in formâ debitâ: S.
Emplastrum Resolvens.

Conveniens est in Tumoribus duris ad Scirrhos quodammodò inclinantibus.

Item

℞. *Empl. de Hyosc.* ℥ij.
*Gumm. Ammoniaci* lento igne *liquat.* vel cum *Aceto sol.* & inspiss. ℥j.
M. S. ut antè.

II. Post Resolventia seu Emollientia proxima sunt *Remedia Discutientia*, ea scilicet, quæ *insensibiliter* Materiam Tumoris ex Parte *expellunt*: aliàs etiam *Diaphoretica* appellantur, quæ si sint leniora, dicuntur *Rarefacientia*. Pertinent huc ea, quæ aliàs interno usu *Carminantia* & *Aperientia* appellantur, quæ poros Partium, dum sunt occupati Tumore quodam, aperiant, Humores penetrent & discutiant: id est, pori Partis cujusdam, dum sunt oppilati Humore retento, non possunt liberari, nisi ut resolutus Humor iste Vaporis aut Halitûs specie dissipetur, & insensibiliter evacuetur.

Ad hoc ipsum requiritur, ut Humor sit fluidus & tenuis, resolubilis in Halitus, expers ob id omnis crassitiei aut coagulationis; quæ si adsint, priùs corrigendæ. Quæ ergò talem Humorem ita resolvere debent, necesse est, ut habeant partes subtiles, tenuiores & facilè penetrantes, simulque valeant in Parte producere quendam Calorem, quo ipso liquefacti & resoluti Humores partim in meatus ordinarios remeent, partim verò per poros Cutis exhalent.

Vitanda ergò *Frigida* quæcunque, quæ pororum occlusioni occasionem præbent. Vitanda quoque quælibet *Acida*, quæ coagulando Humorem magis inspissant, & Parti noxam inducunt, nisi sint Acida, quæ habent partes admodùm subtiles & penetrantes, quales in Vino, item in Aceto, sunt conspicuæ.

Medicamenta ergò, quæ huc conveniunt, erunt imprimis penetrantia *Aromatica*, *Sale volatili oleoso prædita*, quæ penetrant & attenuant insigniter, & uti omnem Humoris crassitiem, ita omnem ab Acido inductam coagulationem tollunt, ac simul Partis Calorem suaviter fovent, Nervisque amica sunt. Post hæc etiam Salia alcalia, nunc volatilia,

nunc fixa, Lixivii formâ applicata, ſunt utilia: Sic Spiritum Salis Ammoniaci ex Calce vivâ cum Oleis in conſiſtentiam Unguenti redactum adhibuit Burrhus ex relatione Bartholini.

Vicina ergò admodùm ſunt *Diaphoretica* Reſolventibus ſeu Attenuantibus, gradu auctiori tantummodò diſtando. Nam quæ reſolvunt continuato uſu, tandem etiam diſcutiunt, & quæ in corpore denſiore ſeu, in duriore materiæ compage ſunt Attenuantia & Reſolventia, ea in corpore molliori, & in leviori materiæ concretione, erunt Diaphoretica.

Dum autem Diaphoretica ſemper præſupponunt Humorem facilè reſolubilem, eo ipſo etiam poſtulant aut præcedentem aut conjunctum Attenuantium & Reſolventium uſum, ne, dum pars Humoris incraſſata Diaphoreſi reſiſtat, ita ut ſubtilioribus & tenuioribus partibus diſſipatis reliquæ craſſiores magiſque coagulatæ, & hinc contumaciores remaneant. Ob id *Diaphoreticis* commodiſſimè ſemper ſimul *Attenuantia permiſceantur.*

Externis hiſce commodiſſimè ſimul adduntur *Interna Diaphoretica* ex Alcalium Republicâ deſumpta: hæc enim attenuando & liquefaciendo Succos, naturalem eorum motum concitatiorem reddunt, & præternaturalem eorundem ſtagnationem reſolvunt. Unde liquefacti Humores partim per Poros diſcutiuntur, partim cum aliis in Vaſa reſorbentur.

*Remedia* ergò *Tumores Diſcutientia* ſunt ſequentia, imprimis *Aromatica*: ut Radix Fœniculi, Calami aromatici, Ireos, Helenii, Ariſtolochiæ rotundæ, Sigilli Salomonis, Cucumeris aſinini, Pyrethri, Zingiberis; Folia & Herbæ Anethi, Sambuci, Ebuli, Lauri, Plantæque cæteræ Aromaticæ, ut Origanum, Pulegium, Chærefolium, Thymus, Calamintha, Majorana, Roſmarinus, Abſinthium, Centaurium minus, Salvia, Ruta, Sabina, Lavendula, Hyſſopus, Abrotanum, Chamæpitys, Satureja, & ſimilia; Flores Chamomillæ, imprimis Romanæ, Meliloti, Sambuci, Lavendulæ, Anethi, Salviæ, Anthos, Croci; Baccæ Juniperi, Lauri; Nux Moſchata, Macis, ac alia Aromata; Semen Anethi, Cumini, Carvi, Aniſi, Fœniculi, Rutæ, Sinapi, Petroſelini; Farina Fabarum cum Aceto applicata; Caſtoreum, Benzoë; Storax calamita, Camphora; Spiritus Vini camphoratus; Eſſentiæ Plantarum Cephalicarum & Aromaticarum; Oleum Lumbricorum terreſtrium, Chamomillæ Romanæ, Anethinum, Cumini, Carvi, Fœniculi, Aniſi, Laurinum, Juniperi, Nardinum, Laterinum, Menthæ, Irinum, Coſtinum, Spicæ, Petroleum, Oleum Ceræ, Terebinthinæ, Tartari, Succini, quæ inter primatum obtinent Olea deſtillata, Adipes & Pinguedines Animalium ſylveſtrium, Canis, Vulpis, Urſi, Cervi; etiam Stercora & Urinæ Animalium, imprimis Caprillum, hinc Equinum; Balſamus Sulphuris, Decoctum Sulphuris cum Stercoribus; Lixivium Sarmentorum Vitis, Aqua Calcis vivæ, Suffitus Aceti ſuper ſilicem candentem; Emplaſtrum Diachylon, Ireatum, Emplaſtrum Martiatum, Diaſulphuris, Emplaſtrum Auguſtanorum ad Hydropem, & ſimilia.

Modus applicandi hæc Diaphoretica eſt

1. In Suffitu.
2. In Fotu.
3. In Cataplaſmate.
4. In Linimento vel Unguento.
5. In Emplaſtro.

Emplaſtra tamen nimis unctuoſa & emplaſtica, quæ poros oblinunt & infarciunt, ſemper ſunt vitanda.

Exemplum *Fomenti* aut *Suffitûs Diſcutientis* ſit hoc:

℞. *Rad. Enul.*
*Ebul.*
*Bacc. Junip.* an. ℥j.
*Herb. Orig.*
*Calaminth.*
*Puleg.*
*Roriſmar.*
*Fol. Lauri,*
*Samb.* an. M. j.
*Sem. Aniſi,*
*Fœnic.*
*Cumin.* an. ℥ß.
*Sterc. Caprill.* ℥iß.
Coqu. modicè in ſ. q. *Aquæ ſimpl.*
Sub finem adde
*Vini Rhenan.* ℥ v.
Colatura D. S.
Fomentum Diſcutiens.

Decoctum hoc pro Fotu cum Linteis multiplicatis vel Spongiis novis repetitis vicibus applicandum; aut ex Decocto Suffitus excipiatur Membro tumente.

Exemplum *Cataplaſmatis Diſcutientis*:

℞. *Fol. Lauri,*
*Roriſmar.*
*Rutæ*, an. M. j.
*Flor. Chamom. Rom.*
*Sambuc.*
*Summit. Anethi* an. M. ß.
Bulliant in ſ. q. *Aquæ & Vini* ad mollitiem:
Pulpæ trajectæ per ſetaceum adde
*Far. Fabar.*
*Furfur.*
*Sterc. Vaccin.* an. ℥iij.
*Mellis opt.* ℥iv.
M. pro Cataplaſmate: S.
Cataplaſma Diſcutiens.

Exemplum *Linimenti Diaphoretici*:

℞. *Balſ. Sulphuris terebinth.* ℥iij.
*Peruv.* ℥iß.
*Olei deſtill. Fœnic.*
*Cumin.* an. ℥ß.
*Camph.* gr. vj.
M. pro Linimento, cum vel ſine *Cerâ*: S.
Balſamus Diſcutiens.

Denique *Emplaſtrum Diaphoreticum*:

℞. *Empl. Dia-Sulphuris Ruland.* ℥ij.
*Diachyl. cum Gumm.* ℥j.
Malax. cum ſ. q. *Olei deſtill. Chamomillæ*:
Inducatur ſuper *Alut.* pro Emplaſtro, irrorando cum *Oleo deſtill. Succini*:
D. S.
Emplaſtrum Diſcutiens.

III. Remedia Tumorum in genere ſunt *Suppurantia*. Dicuntur ea, quæ Pus generant; alio nomine vocantur *Maturantia*, & ob Sanguinis in Pus alterationem, quam à Calore fieri exiſtimant Veteres, quibuſdam dicuntur *Concoquentia*. Et hæc habent locum in Tumoribus vel Sanguineis ſimplicibus, vel cum Sanguine complicatis, nempe dum Sanguinis pars coagulata aliique, Sanguini tamen permiſti, Humores, aut cui Sanguinis ſuffuſio tandem ſupervenit, ex Acido præternaturali incipit effervescere, tunc ex Acido iſto in Sanguine congrumato orto, cum Sale volatili Maſſæ Sanguineæ concurrente & effervescente, fit Sanguinis totalis mutatio in aliam planè ſubſtantiam, quæ vocatur *Pus*: Salſum hoc eſt, natum ſcilicet ex concurſu Acidi peregrini & Urinoſi Sanguinis, quorum concurſu fit Sapor Salſus Puris: præponderare tamen in Pure facto adhuc videtur Acidum, ob quod Albedo; cùm Acida Oleoſa & Sulphureo-ſalina in Colorem Album cogere ſoleant, & hinc Ulcera remanent mundificata.

Medi-

Medicamenta ergò, quæ ad promovendam hanc alterationem applicantur à Chirurgo, dicuntur *Suppurantia*, ad id adhibenda,

1. Ut *Suppurationem reddant promptiorem*, faciliorem, & jucundè aut brevi tempore absolvatur, & cum minori Ægri incommodo seu molestiâ. Facilitant Suppurationem omnia ea, quæ leviter & blandè humectando Salia ista duo resolvunt, & resoluta promptiùs & citiùs in se invicem agunt.
2. Quæ *Acidum* modicè *temperando*, æquabilem cum Urinoso Fermentationem adjuvant.
3. Quæ *penetrando* coagulatum Sanguinem nonnihil *resolvunt*, & ita Suppurationem promovent: quamdiu Acidum nimis præponderat, perfecta aut absoluta Suppuratio fieri nequit.

Monstrant ergò hæc, quòd Medicamenta Suppurationem facilitantia debeant esse leniter *humectantia*, & *Alcali* occulto & blando prædominante *prædita* pro Acido temperando, simulque nonnihil *emollientia* & *resolventia*, nunc magis nunc minùs talia, pro Acidi & Humoris coagulati ratione varia. Ubi enim fortius est Acidum, acriora; ubi contumacius est Coagulum, magis resolventia requiruntur Remedia.

Jucundiorem seu *minùs molestam Suppurationem* reddunt:

1. Quæ *Salium acrimoniam temperant*; sic enim minori impetu inter se agunt: unde & Acor & etiam Punctiones tolluntur, atque Salium mutua actio cohibetur, ne adeò impetuosè efferveseant.
2. Quæ *Partem adstrictam laxant*, & ita Fibrarum contractionem dolorosam tollunt: unde Dolor tensivus sensim longè redditur mitior, & præterea eruptio & apertio Apostematis facilitatur.

Quæ huc faciunt *Medicamenta*, sunt Mucilaginosa, & Oleosæ substantiæ: nam hæc ambo Salia (1.) temperant (2.) Partem tumentem laxant: & hæc inter Lac primum locum meritò habere dicitur.

*Suppurantia* autem *Remedia* ferè sunt sequentia: Radices Althææ, Liliorum alborum, Tussilaginis, Bryoniæ recentis, Cucumeris sylvestris, Cepæ coctæ, Cyclaminis, Sigilli Salomonis, Allium sub prunis coctum, &c. Folia & Herbæ Althææ, Malvæ, Brancæ ursinæ, Parietariæ, Meliloti, Chamomillæ, Sambuci, Ebuli, Tussilaginis, Mercurialis; Flores horum Simplicium, Violarum, Crocus: Semen Lini, Fœnugræci, Hordei, Tritici, Orobi; Mica Panis albi cum Lacte, Caricæ pingues, Passulæ, Dactyli pingues, Gummi Ammoniacum, imprimis ubi opus est simul Tumoris duri resolutione; Terebinthina, Thus, Pix; Adeps Gallinarum Anserum, Axungia Porcina, Medulla Vituli, Butyrum, Pinguedo Humana, Sevum Cervinum; Vitellum Ovi, Cera flava, Propolis, Mel, Lac; Oleum dulce, Oleum Amygdalarum dulcium, Liliorum alborum, Chamomillæ, Vulpinum, & similia; Aqua calida, Hydrelæum, Spiritus Vini non adeò rectificatus; Unguentum Althææ, Resumptivum, Basilicon, Aregonis, Agrippæ; Emplastrum Diachylon simplex & cum Gummis; Emplastrum de Meliloto, de Mucilaginibus, Basilicon; Fermentum, Sapo Venetus; Stercus Bubulum, Nidus Hirundinum, Lumbrici, & cum his parata Externa.

Forma utendi est:

In formâ 1. Cataplasmatis,
2. Unguenti,
3. Emplastri,
4. Fomenti.

*Cataplasma Suppurans* fit hoc:

℞. *Rad. Althææ*,
*Lil. alb.* an. ℥ij.
*Fol. Malvæ*,
*Violar.*
*Senecion.*
*Mercurial.* an. M. j.
*Nid. Hirund. cum excr.* No. j.
Mista coqu. in s. q. *Aquæ simpl.* vel *Lactis*:
Pulpæ trajectæ per setac. adde
*Axung. Porc.*
*Butyr. recent. non salit.* an. ℥ij.
*Olei Lil. alb.*
*Violar.* an. ℥iß.
*Farin. Sem. Lini* ℥j.
*Vitell. Ovor.* No. ij.
M. f. Cataplasma: S.
Cataplasma Suppurans.
Vel
℞. *Cepar. sub ciner. cocti.* ℥ij. ad iij.
*Ficuum ping.* No. vj.
Contund. in Mortario calido, adde
*Axung. Anser.* vel *Anat.* ℥j.
*Ungu. Basilic.* ℥vj.
*Mell. Virgin.*
*Far. Sem. Lini* an. q. s. pro consistentiâ Cataplasmatis.
D. S. ut antè.

Denique fit *Emplastrum Maturans*.

℞. *Empl. de Melilot.* ℥ij.
*Diachyl. cum Gumm.* ℥j.
*Malax. cum Oleo Lilior. albor.* vel *Balsam. Sulphuris.*
Inducatur super *Alutam*.
D. S.
Emplastrum Maturans.
Vel
℞. *Empl. de Melilot.*
*Diachyl. cum Gumm.* an. ℥iß.
*Dia-sulphuris Ruland.* ℥vj.
Malax. *cum Oleo Lil. alb.*
D. S. ut antè.
Inducatur super *Alutam*, & applicetur.

Hæc est Theoria & Praxis Tumorum in genere.

## CAPUT II.

### *De Tumoribus Sanguineis.*

### ARTICULUS I.

#### *De Inflammatione.*

QUoad Tumores Sanguineos in specie communissimus est *Inflammatio*. Loquor de Inflammationibus partium externarum; nam de internis *superiùs, ubi de Sanguinis circulo per partes impedito*, actum fuit. *Inflammationes* sive *Phlegmones* omnes fiunt per motum Sanguinis impeditum, & inde ortam Sanguinis Stagnationem, unde fit ut oriatur *Tumor*, ex Tumore *Tensio*, ex Tensione partisque repletione ad tactum renitentis, propter Sanguinem stagnantem, *Rubor*, propter Sanguinis in Arteriis impeditum motum, *Dolor* pulsatorius, & tandem propter Sanguinem calidum effervescentem, insignis *Adror*. Jam verò prout variat Sanguinis crasis & constitutio, eatenus etiam varia est Inflammatio; nunc quidem *Genuina* ex Sanguine puro; nunc verò *Spuria*, ad Erysipelata, vel Oedematosos Tumores, vel Scirrhos propiùs accedens.

## CAUSÆ.

*Cauſæ* Inflammationum externarum ſunt *vel* Læſiones externæ, *vel* Spina quædam interna. *Læſiones externæ* ſunt interdum ſola Tranſpiratio inſenſibilis à Frigore externo impedita, unde Seri & Sanguinis in Parte affectâ Stagnatio, & inde Inflammatio oritur. Interdum ab Ictu, Caſu, Contuſionibus, Fracturis, Vulneribus, Ulceribus, & reliquis rebus extraneis violentis oriuntur. Imprimis autem ſimul cum rebus lædentibus Sordes & aliæ quiſquiliæ partibus intruduntur; unde ſemper pro exactiori inſtituendâ Curâ ſemper Inflammationis Cauſa probè inquirenda. Per *Spinam* verò *internam*, ejuſmodi Parti infixam, intelligitur ſimilitudo, quia, ſicut Spina extrinſecùs Digito infixa infert Inflammationem, ita in Partibus internis Heterogeneum, in vel ſub digeſtione primâ enatum, vel digeſtione publicâ obortum, Inflammationes infert.

## PROGNOSIS.

Omnes Inflammationes vel inſenſibiliter *diſcutiuntur*, vel *ſuppurantur*, vel malè tractatæ *in Gangrænam* tranſmigrant.

## CURA.

Pro *Curâ* ergò ritè inſtituendâ uſurpentur *Externa* & *Interna*. *Interna* ſunt *Sudorifera* moderata de naturâ Alcalium, tam fixa, quàm Salibus volatilibus conſtantia, quæ Sanguinem coagulatum reſolvunt, & Stagnationem tollendo eum in debitum motum revocant. Unde omnia ea, quæ aliàs in Pleuritide ſunt uſitata, in quacunque Inflammatione internè commodè poſſunt uſurpari; v. g. Sperma Ceti cum Antimonio Diaphoretico, additis quibuſdam Salibus volatilibus; item Spiritus Nitri probè dulcificatus; nam hic Sudorem movet. Ratione Febris, in omni ferè Inflammatione adjunctæ, ſi Acuta magis eadem fuerit, internè conducunt Nitrata, primariò Nitrum Antimoniatum, hinc Trochiſci de Nitro *Mynſichti*, &c. *Externè* verò applicantur in principio poſt *Venæ ſectionem* revulſoriam, quæ Sanguinem ſtagnantem reſolvunt, & denuò fluxilem reddunt: quæ inter primariò ſunt *decoctum Sulphuris cum Urinâ*, decantatum à Paracelſo, quod crebriùs calidè applicatum optimè conducere aſſerit; item Stercus Vaccinum, Caprinum, Equinum, Album Græcum, &c. impoſitum. Convenit etiam *Succus Cancrorum fluviatilium* recens calidè applicatus & renovatus, *Emplaſtrum de Spermate Ceti*, *Balſamus Sulphuris*, *Emplaſtrum Dia-ſulphuris Rulandi*, item *Fomenta* & *Fotus* ex Vegetabilibus blandis Diaphoreticis & Aromaticis, unà cum Vini Spiritu camphorato extrinſecùs applicati; Item Spiritu Vini mixtus cum Rob Sambuci, imprimis ubi aliquid eryſipelacei ſubeſt; Flores Sambuci ſiccè, vel in formâ Decocti aut Cataplaſmatis impoſiti; in Inflammationibus Malignis Herba Paris ſub formâ Decocti vel Cataplaſmatis cum Fuligine, conveniunt. *Decoctum* quoque *Calcis vivæ* in formâ Epithematis applicetur, vel ſolum, vel cum Saccharo Saturni: v. g.

℞. *Aquæ Calcis vivæ* ℔j.
*Sacch. Saturni* ℥ij.
M. D. S.
Epithema Diſcutiens.

Vel Ceruſſa cum Oleo Roſarum in Mortario plumbeo in Linimentum redigatur; loco hujus etiam *Epithema* convenit *ad diſcutiendos Tumores Inflammatorios*:

℞. *Lixiv. Ciner. Sarment. Vitis* ℔j.
*Nitri* ʒß.
*Salis* ʒj.
*Aceti Vini optimi* ℥j.
M. S. ut antè.

Confert non ſolùm ad ſimplices Inflammationes Eryſipelaceas, vel Oedematoſas nothas, ſed etiam imminentem Gangrænam & Sphacelum præſervat:

Vel

℞. *Vini Spiritûs camphor.* ℥iij.
*Spiritûs Vitrioli volat.* ℥ß.
M. S. ut ſuprà.

Quibus, ubi adhuc perſiſtat Tumor Inflammatorius, ut poſſit diſcuti, *Maturantia* & *Suppurantia* ſunt ſubjungenda, *temperata* quidem, ubi eſt Inflammatio Legitima; quibus addantur *acriora* paulò ex Cepis & ſimilibus, ubi Inflammatio eſt Notha, ſeu, uti vocant, Pituitoſa, ubi nempe Sanguis inflammatus pruriens Chylo crudo & viſcido eſt permixtus.

In *Æſtu* Inflammationis & Ardore magno vitanda ſunt *Pinguia & Oleoſa*, fiantque Fotus & Cataplaſmata Emollientia, in Sero Lactis benè depurato cocta, & applicata; vel ubi deeſt Ardor, in Lacte ipſo.

Vel

℞. *Empl. de Melilot.* q. ſ.
Malax. *cum Oleo Lil. alb.*
D. S.
Emplaſtrum Emolliens.

Vel

℞. *Empl. de Melilot.* ℥j.
*Diachyl. compoſ.* ℥ß.
Malax. *cum Ungu. Dialthææ*,
D. S. ut antè.

Præ reliquis egregium eſt ſuppurans *Lac*, in quo coctus *Sapo Venetus*, plùs minùs, prout magis vel minùs genuina eſt Inflammatio, hoc appoſitum cum Linteis multiplicatis mirè maturat & aperit Abſceſſum. Si his *ſuppurata fuerit Inflammatio*, Tumor aperiendus, & niſi ſponte fiat, aperiatur primariò Scalpello vel Cauterio potentiali; hinc apertus Abſceſſus purificandus & conſolidandus: pro quo ſcopo vel Balſamus Sulphuris terebinthinatus, vel Balſamus Peruvianus cum Melle & Vitello Ovi permiſtus, inſtillatus & applicatus eſt optimus; e. g.

℞. *Terebinth. clar.* ℥j.
*Mell. roſat.* ʒvj.
*Balſ. Peruv. cum Vitello Ovi ſol.* ℥ß.
M. pro Linimento mundificativo.

Hæc enim omnibus ſatisfaciunt Indicationibus, reſolvunt, maturant, & factum jam Abſceſſum purificant & conſolidant. Veriſſimum eſt effatum Lindani, quòd Balſamus Sulphuris & Emplaſtrum Dia-ſulphuris hîc ſufficiant. Sin *ſinuoſi* ſint *Abſceſſus*, pro Mundificatione meliore conveniunt Injectiones ex Decocto Nicotianæ & Plantaginis cum Aloë & Myrrhâ, vel ex Aquâ Calcis vivæ cum Spiritu Theriacali temperata; quibus, ſi contumacior & malignior ſit Abſceſſus, pro majore Mundificatione Unguentum Ægyptiacum ſimiliaque addenda ſunt.

Factâ Mundificatione *Conſolidatio* ſponte ſequitur, pro qua facilitandâ omiſſis Mundificantibus, Unguentum de Tutiâ vel Betonicâ applicantur, vel Emplaſtrum Diapalmæ, aliaque ſimilia deſuper imponuntur. Vulgò in uſu eſt in principio Inflammationum admovere *Intercipientia*, & *Repellentia*, Cataplaſmata Adſtringentia ex Bolo Armenâ, Terra Sigillatâ, Sanguine Draconis, Albumine Ovi, Maſtiche, cum Aceto Vini & ſimilibus, qui eum in finem faciunt, ut hiſce Humoribus affluentibus intercipiatur via, & qui jam effluxerint, retrò in ſua

Vaſa

Vaſa pellantur, & ita factus Tumor atque Inflammatio mox in primâ radice curetur: Sed omnibus patet, quòd hæc Sententia cum Circulatione Sanguinis ſit incompatibilis, quoniam Intercipientia motui & regreſſui Sanguinis per Arterias ſunt contraria, adeoque impoſſibiliter poſſunt conciliari cum Sanguinis Circulatione. Potiùs quæ adſtringendo vias anguſtant poroſque occludunt, aut quæ Humores hac ratione & Sanguinem inſpiſſant, Stagnationem Sanguinis indeque ortam Inflammationem augebunt periculosè, & ita Malum deterius reddunt. Propterea etiam hæc & ſimilia Repellentia & Intercipientia, (vulgò vocantur *Defenſiva*) ex Adſtringentibus parata ferè in deſuetudinem abierunt, quia in metu Inflammationis *Refrigerantia* dicta, uti Aqua Spermatis Ranarum, Succus Sempervivi majoris, Plantaginis, Aqua Calcis vivæ, & Aqua ſolutionis Saturni Sacchari, & ſimilia, commodiùs applicantur, non quòd repellant talia, ſed potiùs quòd hæc & ſimilia Alcali occulto ſunt inſtructa (quod imprimis ex Aquâ Spermatis Ranarum patet) ratione cujus Alcali ſubtilis Acorem occultum in incipiente Inflammatione delent, & ita radicem Inflammationis extirpant, ut ita Inflammatio ſedetur. Pertinet huc Decoctum Sulphuris in Aquâ ſimplici commendatum à Poterio, aut, quod melius eſt, Decoctum Sulphuris cum Aquâ Calcis vivæ. Hoc enim in principio impoſitum non repellendo, ſed reſolvendo & abſorbendo Acidum, Inflammationem curabit. Plura de Curatione Inflammationum in genere videbitis in Barbette *Chirurgiâ*.

## ARTICULUS II.

### *De Ecchymomate & Suffuſionibus Sanguinis.*

PRæter Inflammationes ſubinde etiam ex Sanguine oriuntur *Tumores poſt Contuſionem* partium violentam, dum nempe ex Contuſione ruptis Vaſculis & Poris transformatis naturalis Sanguinis circulus inhibetur & ſtagnare incipit. Vocantur tunc *Ecchymomata*, item Suffuſiones Sanguinis, à Celſo *Vexatio*.

### CAUSÆ.

Oriuntur ex *Causâ Externâ* & ferè eandem cum Inflammationibus genuinis naturam habent. Nempe in Suffuſionibus ſtagnat in loco tumente Sanguis ob Poros vel Vaſa compreſſa aut lacerata; quæ enim contundunt, ea occaſione faciunt dislocationem Pororum & Meatuum in parte contusâ, & conterunt Vaſa capillaria loci contuſi, hinc non poteſt non ob Poros diſtortos impediri Sanguinis motus, & conſequenter fit Suffuſio Sanguinis & ejus *Extravaſatio*; hinc extravaſatus & ſtagnans ſubitò corrumpitur, moritur ſeu vitâ privatur, unde ex Colore primitus quidem rubeo ſucceſſivè Contuſiones cæruleſcunt, liveſcunt, & tandem flaveſcunt. Hic in cadaveriſato Sanguine mox emergit Acor peregrinus, qui Sanguinem in *Grumos* coagulat. *Sanguis corruptus* vel inſenſibiliter *diſcutitur*, vel, ſi hoc fieri nequeat, fermentando *in Pus mutatur*, apertoque Abſceſſu evacuatur, vel putrefactus *Gangrænam infert*. Prius fit in Contuſione leviori, poſterius in graviori, ultimum in graviſſimâ, cum laceratione partium carnoſarum & nervoſarum.

De Sanguinis Extravaſatione in Partes internas alio tempore locuti ſumus: hac vice de Suffuſione ſeu Ecchymomate in Partibus externis à Causâ externâ enatâ.

### CURA.

Factâ jam Contuſione, & hinc natâ Sanguinis Suffuſione, ſive fiat à Caſu, ſive Percuſſione, ſive Lapidibus, ſive Fuſtibus, &c. imprimis opera danda eſt, ut *Sanguis extravaſatus* congrumatus & Acore inquinatus ſucceſſivè *reſolvatur*, iſque inſenſibiliter abſumatur, & per meatus ſeu porulos Corporis eliminetur. Conveniunt ergò *Remedia Interna*, Acidum abſorbentia, Sanguinem congrumatum reſolventia, ſimul blandè nonnihil *Diaphoretica*, ut ſimul cum Sudore Maſſa Sanguinea diſſoluta, in meatibus Partis contuſæ impedita, faciliùs eos penetrare, & in debitum circulum remeare poſſit: *Obſervando* ſimul, ut imprimis, ſi ſit Suffuſio Partis cujuſdam internæ læſæ, propinentur vel *blandè Laxantia*, vel *blanda Diaphoretica*; Si verò in locis externis hæreat, ſufficiunt *Sudorifera*. Eminent Sperma Ceti cum Lapillis Cancrorum, item cum Succino albo præparato, cum Coralliis rubris, in Aceto Vini diſſolutis; vel etiam Carbones Tiliæ in Vino hauriantur; ſicut & *Salia volatilia* in debitâ doſi ſunt egregia. Chærefolium, & omnia ex eo parata Liquida, etiam conducunt internè ad Sanguinem congrumatum in Ecchymomatis, alia interna Vulneraria mitto.

*Externè* ſimul imprimis *Reſolventia*, & Sanguinem congrumatum inſenſibiliter diſſipantia, ſunt uſurpanda. Communiter Vinum calefactum applicant, quo adhuc potentior eſt *Vini Spiritus probè rectificatus & tartariſatus* externè illitus, vel cum Linteis applicatus, nunc ſimplex nunc *camphoratus* nunc *crocatus*, Acorem Sanguinis temperans, Sanguinemque fluidum reddens; cui inſuper applicetur Mel cum Spiritu Vini ſubactum: Efficacius erit, ſi Vini Spiritus ſocietur cum Theriacâ, à quo diſſolutione aromaticâ Sanguis grumoſus arcetur ab ulteriori corruptione. Convenit etiam cum Vino factum Lixivium, *Spiritus Salis Ammoniaci cum Vini Spiritu paratus*, Sanguinem congrumatum in gravioribus Suffuſionibus potenter diſcutiens; & in ſpecie Balſamus Peruvianus diſſolutus in Vitello Ovi & Spiritu Vini eſt egregium Remedium, imprimis in Contuſionibus partium nervoſarum (de quibus *infrà plura.*) Fotus ex Decocto Radicis Bryoniæ cum *Vino*, item Chelidonium majus recens contuſum, Suffuſioni ſeu Ecchymomati applicatum, etiam egregiè conducit.

In Ecchymomate non adeò ingenti applicatio Carnis crudæ, præſertim Bubulæ, ſive etiam Vitulinæ, in tenues lamellas ſectæ, optimè conducit, ſubinde repetatur. Emplaſtrum de Spermate Ceti eſt admodùm egregium, item Unguentum *Mynſichti* ad livorem Faciei eſt expertum: Inſigniter etiam conducit Emplaſtrum in Ecchymomate à Caſu facto ex Theriaca & Rob Sambuci, cui parum Salis Abſinthii, vel Saccharum Saturni fuerit additum: ſi fortiora requirantur, melius non habetur Remedium, quàm Radix Sigilli Salomonis, quæ contuſa in Aquâ vel Vino cocta, & ſub forma Fotûs aut Cataplaſmatis applicata, mirè confert ad quæcunque Ecchymomata tollenda. Melius adhuc eſt, ſi addatur ſimul Radix Symphyti majoris, quæ duo ſunt expertiſſima ad Ecchymomata: v. g.

℞. *Rad. Conſol. maj.* ℥iß.
*Sigill. Salom.* ℥j.
Coq. in Vino ad conſiſtent. Cataplaſmatis.
D. S.
Cataplaſma Diſcutiens.
Vel
℞. *Rad. Symph. maj.* ℥vj. iv. vel iij.
*Sigill. Salom.* ℥iij. ij. vel iß.

*Herb.*

*Herb. Agrimon.*
*Chærefol.*
*Meliſſ. cum Flor. vel Summit. Hyoſcyami*,
*Flor. Sambuc.*
*Chamomill.* an. M. j.
*Sem. Lini*,
*Fœnugræc.* an. ʒß.
Coq. in ſ. q. *Vini alb.* vel *Aquæ ſimpl.* ad conſiſtentiam Cataplaſmatis:
cui adde
*Croci* ʒj.
M. S. ut antè.

Applicetur Ecchymomatis, vel Decoctum ſub formâ Fotûs.

Item

℞. *Rad. Symph. maj.* ʒij.
*Sigill. Salom.* ʒj.
*Summ. Hyperic.* M. ß.
*Albi Græci* ʒvj.
Coqu. in ſ. q. *Vini* ad putrilag.
Trajiciantur per Setaceum & ſ. Cataplaſma, cui adde
*Olei Hyper.* ʒj.
*Ungu. Rub. potab.* ʒß.
M. S. ut antè.
Vel
℞. *Rad. Conſol. maj.*
*minor.* an. ℥ß.
*Sigill. Salom.* ʒiv.
*Herb. Chamom. cum Flor.*
*Melilot. cum Flor.* aā ʒij.
*Farin. Fabar.*
*Fœnugræc.* an. ʒiv.
*Croci* ʒß.
*Butyri non ſalit.* ʒv.

Coqu. Radices uſque ad conſiſtentiam temperatam, deinde reliqua addantur.

M. pro Cataplaſmate:
D. S. ut ſuprà.

Probatiſſimum eſt in gravioribus Contuſionibus poſt prægreſſam cum *Spiritu Vini camphorato* inunctionem. Quòd ſi *Partes nervoſæ* ſint contuſæ & Ecchymomate affectæ, id quod impimis patet ex loco affecto circa Articulos, item ex intenſiſſimo Dolore, quia aliàs talis eſſe non poſſet, tunc opera danda eſt, ut omne id, quod ex Contuſione fuit extravaſatum, maturè diſcutiatur & reſolvatur, quia periculum eſt aliàs, ne Materia corrumpatur, putreſcat, & ita Tendines Parteſque nervoſæ ſimiliter putreſcant, & in Gangrænam abeant. Hoc ut præcaveatur, *pro reſolutione Materiæ* extravaſatæ poſt iſtam Contuſionem inungatur locus affectus cum Balſamo Peruviano & Vini Spiritu (ut anteà monui), item cum Oleo Caſtorei, cum Oleo Lumbricorum terreſtrium, cum Oleo Chamomillæ & Roriſmarini; vel foveatur Pars affecta nervoſa ſequenti Decocto:

℞. *Rad. Ireos noſtr.* ʒiß.
*Flor. Roriſmar.*
*Menth.*
*Major.* an. M. ß.
Coqu. in ſ. q. *Vini albi.*

Decoctum inſtar Fomenti ſæpiùs calidè applicetur.

D. S. ut ſuprà.

*Internè* in tali caſu optimè propinantur aliquot guttæ Olei deſtillati Lavendulæ, imprimis ubi ſimul *Tenſiones Nervorum* obſervantur: hoc enim Oleum eſt expertum ad tales Partium nervoſarum Contuſiones, & ſubſequentes Tenſiones, metumque Convulſionis.

De *Curâ Magneticâ* mediante Perſicariâ videbitis in Paracelſi *Herbario*. Refert nonnemo, in Galliâ vidiſſe Puellam, in totâ Facie per Caſum ab alto miſerrimè contuſam: huic, cum antè multa, ſed incaſſum adhibita fuiſſent, tandem Muliercula ſuaſit uſum hujus Herbæ, ut trahatur per Aquam frigidam, poſt loco contuſo imponatur donec incaleſcat, Planta adhuc tepida poſt modùm ſepeliatur poſt Fimum vel alium locum, ubi citò putreſcere poteſt, & altero die ſtatim ſanata eſt. Exemplum de Equo contuſo & hôc Remediô curato proſtat, de quo *ſuprà* egi, *ubi de Odontalgiâ*: Vid. quoque Helmont. & Marcus Marci.

Quòd ſi his & ſimilibus Remediis nequeat diſſipari Ecchymoma ſeu Materia extravaſata, vel ſi Suffuſio ſit grandior, & *ad Suppurationem tendat*, tunc opera danda eſt, ut Sanguis iſte extravaſatus maturetur & ſuppuretur in Pus, ut tandem facto Abſceſſu ita aperiatur, & Ulcus reſtitans convenienti modo conſolidetur eâdem ratione ac Inflammatio. Verùm non ſemper æquè tutum eſt, ut diſcutiatur ſuffuſus Sanguis & reſolvatur; non minùs quàm expectare ſemper Maturationem. Nam interdum imprimis in Partibus carnoſis Contuſio adeò magna eſt, ut Pars brevi poſt Livorem contrahat, atque Gangrænam minitetur.

In tali caſu, ubi metus adeſt *Gangrænæ*, mox Pars contuſa profundè ſcarificetur, & Sanguis extravaſatus, congrumatus, quantum fieri poteſt extrahatur: hinc Decocta Aromatica cum Vino applicentur, vel Aqua Calcis vivæ, acuata cum Spiritu Vini & Mercurio dulci imponatur, ut ita gangræneſcens Pars ſalvetur & conſervetur. Item præter dictum Caſum non tutum eſt expectare Maturationem, quando Contuſiones non ſunt præcisè in Partibus intercutaneis, cùm ſint ſitæ paulò profundiùs; ita ut periculum ſit, ne factâ Maturatione, antequam Pus per Partes ſubjacentes egreſſum inveniat, quandam Partem vicinam, v. g. Os, corrumpat vel corrodat, vel ne Partes vicinas perforando, in Cavitatem Corporis nobiliorem irrumpat: v. g. in Contuſione Muſculorum Abdominis, ne per Peritonæum perforatum Pus irrumpat in Abdomen. In his Caſibus *non expectanda perfecta Maturatio*, ſed maturè aperiendus eſt Tumor mollefactus Scalpello, & Materia hærens extrahenda, hinc immittenda Turunda Unguento Ægyptiaco, cum Digeſtivo vel ſimili mixto, illita, & factum ita Ulcus ſolito modo *Conſolidantibus & Mundificantibus* curandum.

Plura de Sugillationibus quibuſcunque habent Foreſtus, Hildanus, Rulandus, Riverius, Sculletus, Barbette, Job *van* Mekern, aliique plures.

## ARTICULUS III.

### *De Eryſipelate ſeu Roſa.*

POrrò quòd ſi fiat, ut ſubitò cum gravioribus Symptomatis, nempe cum præcedente *Rigore*, & ſubſequente gravi *Ardore*, erumpat Tumor Inflammatorius non adeò inſigniter protuberans, intensè tamen coloratus & quaſi igneus, latè diffuſus, ac ſubinde latiùs ſerpens, cum intenſo partis Ardore & Æſtu, ac ſenſu acutarum Punctionum, qui Tumor quidem digito preſſus Maculam albam oſtendit, ſubitò tamen rubeſcentem rurſus, appellatur *Eryſipelas* ſeu *Roſa*.

### CAUSÆ.

Non oritur *à Bile*, ut vulgò exiſtimant, ſeu Sale volatili oleoſo ſimpliciter, ſed potiùs occaſionaliter à ſubtili

ſubtili ac volatili *Acido*, quod cum Sale volatili Maſſæ Sanguineæ febriliter effervescit, & in Parte quadam cutaneâ diffuſum ibidem Sanguinem in Vaſculis extimis coagulat, & ad Stagnationem diſponit: unde Scorbutici levi de causâ laborant Eryſipelate: hinc magis circa nervoſa & ſanguinea loca ſimul, non circa ſanguinea ſolùm oritur Eryſipelas.

Tales Inflammationes Eryſipelaceæ in genere in Partibus externis ita dictæ, ſi ſint in Partibus internis, peculiaria obtinent nomina, nam tale Eryſipelas in Pectore dicitur *Pleuritis* & *Peripneumonia*; in Renibus dicitur *Nephritis*; in Hepate *Hepatitis*, & ſic porrò. Nec præſens Affectus ab iis differt, quàm ratione loci; occupat namque inter Partes externas Caput, Faciem, Mammas, Brachia, Pedes, imò ipſum Scrotum.

Subinde magis *Malignitas* ſubeſt, ita ut in vitæ periculum conjiciat Ægrum, imprimis quando Eryſipelas erraticum eſt, & per totum Corpus vagatur, unde tunc *Ignis Sacer*, ſeu *Zoſter*, interdum etiam *Herpes Eryſipelaceus*, à ſerpendo, vocatur. Interdum periodicè, & tunc plerumque ſingulis menſibus affligit. Apud nes Scorbutici imprimis obnoxii ſunt Eryſipelati, & ſæpiùs in Scorbuto, cum euphoriâ tamen Ægri, talia Eryſipelata erumpunt.

## DIAGNOSIS.

*Signa* interim ejus Diagnoſtica cum Signis Inflammationis (de quibus *L.* 1. *Sect.* 18. *Cap.* 1. *Artic.* 1.) eadem ſunt, *Calor* ſcilicet, *Rubedo*, *Dolor*, & *Febris*, ſub aliis paulò ſaltem circumſtantiis obſervabilia. Nempe

1. *Calor* in Eryſipelate acrior & mordicans magis eſt.
2. *Rubedo* magis purpurea & ſplendens, quæ quidem ad leviſſimam compreſſionem cedit, & Maculam albicantem, mox denuò rubeſcentem, relinquit; quod non ſit in Inflammatione, niſi Pars inflammata fortiùs prematur.
3. *Dolor* exilis eſt non tenſivus, & ſaltem pungens.
4. *Febris* in Eryſipelate ſemper primaria ſeu comitata eſt, imò vehementior, tam ratione Horroris quàm Caloris.

Quibus omnibus accedit quòd Eryſipelas mox latiùs ſe extendat, & ad vicinas Partes progrediatur.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin* ſciendum: Eryſipelas à Causâ internâ præcipuè Plethorâ, ac in Adſuetis, item in Parte externâ, pronatum, ſine ſingulari periculo eſſe; ſecus à Causâ externâ, v. g. Fracturâ, Vulnere, &c.

Eryſipelas in Brachiis non ita frequens eſt ac in Pedibus; & quod in Brachiis, diuturnius eſt quàm in Pedibus, quia plerumque vel Inflammationem aliquam conjunctam habet, vel Bubonem ſub Alis, vel alium Tumorem Inflammatorium judicat.

Eryſipelas Mammarum Puerperis ac Lactantibus familiaris eſt, & plerumque Ulcera poſt ſe trahit. Eryſipelas Malignum, in ſpecie Zoſter, ſæpiùs lethale eſt, imprimis, ſi vel in Os, vel in Anum per Inteſtina, vel aliam Corporis cavitatem, ſerpat. Eryſipelas Scorbuticum ſi inconcinnè, aut per Repellentia tractetur, periculoſum eſt, cùm facillimè exulceretur, & interdum aut in Gangrænam, aut in Ulcera cacoëthea, maligna, chronica, aut facilè recrudeſcentia, ac ſæpiùs longè latèque ſerpentia, qualia in Italia ſunt frequentiſſima, degeneret, & quibus vix, niſi generoſioribus Remediis, occurri poteſt: Conf. Hippocrates *Sect.* 7. *Aphoriſm.* 20. Præ cæteris periculoſum eſt Eryſipelas in Parte nobiliori, ut in Capite, ſi partes Capitis externas, Faciem imprimis, occupat; præ reliquis enim hujus ſpeciebus hoc Eryſipelas ſæpiùs lethale eſſe ſolet.

Malum quoque eſt, quando Eryſipelas ab exterioribus ad interiora vertitur, juxta Hippocratem *Sect.* 6. *Aphor.* 25. quod aut Naturæ imbecillitate in Eryſipelate Maligno, aut ab Aëre frigidiore, aut Repellentibus applicatis, facilè fieri poteſt.

## CURA.

Curatur aliàs facillimè, ſi rectè procedatur, modò ſcilicet *Acidum* iſtud vitioſum internis Sudoriferis cum Rob & Remediis aliis ex Baccis *Sambuci* paratis jungendis infringatur, & internis etiam temperatis Alcalibus volatilibus, Acidum ſubtile diſcutientibus, aut Metallicis Saturninis, iſtud promptè abſorbentibus, corrigatur.

*Purgatio* omnis eſt ſummè vitanda. *Venæ ſectio* eſt periculoſiſſima, niſi Eryſipelas à Contuſione, Fracturâ ac Vulnere ortum fuerit: in quo caſu Venæ ſectio revulſoria inſtitui debet. Sennertus quidem *in Praxi*, Wierus *in Obſ. lib.* 1. *cap. de Eryſip.* multique alii, in Plethoricis mox à primo principio Purgationem & Venæ ſectionem commendant: cùm autem Eryſipelas mox ad habitum Corporis vergat, & ſæpiùs cum Malignitate complicatum ſit, Experientia quoque teſtetur, quòd omnes Cutaneæ excretiones Purgantibus & Venæ ſectione facillimè retrocedant; econtrà ſolis Diaphoreticis & Sudoriferis facilè expelli, ac per Cutis ſpiracula efflorescere, ab illis omninò abſtinendum.

*Internè* ergò ſolis *Diaphoreticis* Cura inchoanda & abſolvenda: pro quo ſcopo ſuprà dixi, quòd primatum obtineant ex Baccis Sambuci parata Diaphoretica, adeoque convenit imprimis Rob Sambuci, quibuſvis Formulis additum, aut pro Vehiculo Pulverum uſurpandum, ceu appropriatiſſimum Eryſipelatis Remedium; præſertim quando motus Naturæ excretorius deficit, nec debitè Eryſipelas efflorescere poteſt, tunc loco ſtimuli uſurpatum Rob Sambuci, ad ℈i. cum Aquâ Florum Sambuci diſſolutum, cum gr. xv. vel ℈j. Salis volatilis Cornu Cervi optimi eſt: ſi aliquantulum de Camphorâ adderetur, eſſet eò potentius Sudoriferum. Conveniunt quoque Flores Sambuci in Lacte cocti, vid. Sennertus *de Febrib.* & Simon Pauli *in Quadrip. Bot.* item Eſſentia Rob Sambuci à ʒß. ad ʒj. vel ʒij. propinata, per Sudorem optimè curat Eryſipelas. Paratur ſcilicet hæc Eſſentia ex Rob Sambuci mediante Spiritu ex Floribus Sambuci per fermentationem parato. Prætereà Antimonium Diaphoreticum cum Bezoardico Minerali & cum Cornu Cervi ſine igne, & ſimilibus; & omnia illa, quæ *ſuperiùs loco allegato de Inflammatione in genere* laudavi, per Sudorem nempe, curant Eryſipelas. Aliàs ubi Faciem ac Caput occupaverit Eryſipelas, ex Cinnabari Antimonii parata Remedia, & hinc Specificum Cephalicum, ſunt optima: e. g,

℞. *Cinnab. Antimonii* gr. xxiv. ad ʒß.
*Sal. volat. Cornu Cervi* ℈ß. ad gr. xij.
*Succin.* gr. vj.
*Laud. Opiat.*
*Camph.* an. gr. ij.
M. f. Pulvis.
Div. in 2. part. æqual. S.
Pulvis Expellens.
Item
℞. *Cornu Cervi ſine igne* ʒß.

*Anti-*

*Antimonii Diaphor.* ℈j.
*Cinnab. Antimonii* ℈ß.
M. f. Pulvis.
Dividatur in 2. part. æqu.
D. S. ut antè.

In declinatione demum lene Purgans ſuperaddendum.

*Externè* omnia *Unctuoſa*, omnia *Mucilaginoſa*, omnia *Pinguia*, omnia quæ ſunt *actu Frigida*, item omnia *Adſtringentia*, magis quàm ipſum Malum ſunt fugienda: Hæc enim oblinendo poros ex Eryſipelate aut Ulcus depaſcens faciunt, aut Eryſipelas in Gangrænam tranſmutant: vid. Hildanus. Potiùs applicetur Cortex Sambuci medianus ſucculentus, vel Folia Raphani ſylveſtris contuſa leniter, nam horum Sal volatile optimè corrigit Acidum Eryſipelatis: Item optima eſt Aqua Spermatis Ranarum impoſita, item Aqua Stercoris Bubuli menſe Majo collecti & deſtillati. Convenit etiam Decoctum ex Myrrhâ, Thure ſeu Olibano, in Vino paratum, cui aliquantulum Camphoræ & Croci ſimul in fine additur; hoc enim Decoctum impoſitum mirè confert ad reſolvenda Eryſipelata: Nempe

℞. *Myrrhæ*,
*Olibani*, an. ℥ß.
Coqu. *in Vino*:
Colaturæ adde
*Camph.* ℈j. vel ℈ij.
*Croc.* ℈ß.
M. D. S.
Decoctum Reſolvens.
Vel
℞. *Flor. Sambuc.* M. ij.
*Lithargyr.* ℥vj.
*Olibani*,
*Myrrh.* an. ℥ij.
*Croci* (pro Dolore leniendo) ℈ß.
Pulveriſata coqu. in
*Vini* part. ij.
*Aceti* part. j.
Colaturæ addè
*Camph.* ℈j.

Applicetur calidè cum Linteis.

Convenit etiam Decoctum Florum Sambuci cum Vino, ad lito Sapone Veneto & Theriacâ, quod Loſſius *lib.* 1. *Obſ.* 25. commendat. Etiam *Vini Spiritus* ſolus, aut *camphoratus*, aut *crocatus*, vel etiam Spiritus Theriacalis camphoratus, Eryſipelati illitus, hinc *Sperma Ranarum*, & *Linteа hôc Spermate probè imprægnata*, & *Pannus lineus crocatus Mynſichti*, optimè reſolvunt Tumorem.

Ubi intenſus eſt Ardor & Dolor, Opii nonnihil huic Decocto addendum erit, v. g. alio modo:

℞. *Myrrh.* ℥ij.
*Sacch. Saturni* ℈ß. vel ℈ij.
*Camph.* ℈j.
*Opii* gr. xv.
*Vini alb.* ℥vj.

Quæ invicem miſta leviter bulliant, hinc contuſa cum Linteis duplicantur, & egregiè conducunt in Eryſipelate.

Nobile etiam *Epithema* Zwelfferi *in Pharm. Reg. pag.* 91. ad cujus imitationem aliud communicavi *in Ideâ Formular. Claſſ.* 4. §. 19. quod cum Linteis multiplicatis bis, vel ter, vel crebriùs in die applicetur. In uſu aliàs ſunt Pulveres Eryſipelacei, qualis egregius eſt Pulvis *Mynſichti* ad Eryſipelas. Fieri etiam poſſunt ex Floribus Sambuci, Saccharo Saturni, Thure, Minio, Myrrhâ, Cretâ, Ceruſsâ, Croco & Camphorâ, & ſimilibus: quæ invicem pulveriſata inſpergantur Tumori, vel cum Papyro griſeâ Melle illitâ; vel imprægnatâ Spiritu Vini crocato; abſorbent enim Acidum Eryſipelatis: e.g.

℞. *Flor. Sambuc.*
*Chamom. Rom.*
*Fol. Hyoſcyami* an. M. j.
*Myrrhæ* ℥iij.
*Cretæ* ℥ij.
*Oliban.* ℥j.
M. f. Pulvis.

Pulvis Sperniolæ compoſitus *Crollii*, cum Spiritu Vini vel Vino calente ſubactus, egregium erit Remedium propter Camphoram, Myrrham, & Crocum. Singulariſſimum eſt Linteum tinctum Cruore Leporino, ex Lepore quidem in venatione interempto, ex quo ipſo Sanguis collectus aſſervatur, cui Lintea immerguntur poſtmodùm exſiccanda, quæ ita Sanguine Leporino tincta ſicca applicata Eryſipelati, probatiſſimum ſunt Remedium. Vid. Helmontius *Imag. Ferm.* §. 13.

Non minoris eſt efficaciæ, quod certum eſt, Linteum Sanguine primo menſtruo Virginis tinctum, hoc Linteum exſiccatum citra ſoturam applicatur Eryſipelati, & miros habet effectus. *Fel Carpionum* applicatum ſpecificum eſt, cùm Alcali temperatum ejus deſtruat Acidum Eryſipelatis, item Lintea cum ſolutione Saponis in Aquâ appropriatâ imbuta & exſiccata tepidè admota: vid. Solenander *Sect.* 5. *Conſ.* 12. & 13. atque Wierus *Obſerv. l.* 2. *cap. de Eryſip.* Unum etiam ex optimis Remediis eſt Theriaca Linteo illita, probè calida Eryſipelati impoſita. Melius ex Remedium, ſi ipſi addatur parum Salis Abſinthii, ſubigatur & *in formâ Unguenti* Eryſipelati imponatur: e. g.

℞. *Pulv. Flor. Samb.* ℥iij.
*Ceruſſ.* ℥iß.
*Salis Abſinth.*
*Theriac.* q. ſ. Miſc.

Hoc enim ſubinde repetitum probè calidum optimè confert ad ſiſtenda & reſolvenda Eryſipelata: ſicut etiam Emplaſtrum ſeu Unguentum ex Rob Sambuci cum Saccharo Saturni impoſitum probè calidè, eſt optimum.

Si Facies & Caput Eryſipelate laboret, ſuffumigetur Maſtiche & Thure quinquies vel ſexies de die.

Quòd ſi fiat, ut nihilo minùs Eryſipelas vel ſponte vel malè curatum *exulceretur*, ad Curam hujus optima eſt Aqua Calcis vivæ cum Aquâ Florum Sambuci parata, Linteis duplicatis calidè, vel ſolùm, vel cum Saccharo Saturni appoſita: item *Succus Naſturtii* inſpiſſatus, cui Saccharum Saturni vel Ceruſſa, Lithargyrium, Lac Lunæ, Crocus Martis per præcipitationem, ſit additum, imponatur Eryſipelati exulcerato, eſtque optimum Remedium. Aut fiat ſaltim tale Unguentum Saturninum, quod eſt *Euporiſton Foreſti*, ſequens:

℞. *Lithargyr.* ℥iij.
*Ungu. Popul.*
*de Ceruſſâ*,
*Infrigid. Gal.* an. ℥iß.
*Olei Roſat. camph.* ℥j.
M. & ducantur probè in Mortario plumbeo, fiat Unguentum applicandum, uſque ad Eryſipelatis exulcerati conſolidationem.

Quia tamen hic Morbus frequentiùs nonnullos ex quacunque Causâ externâ, præprimis Irâ, facilè affligit, ejus præcavendi gratiâ commendantur primò *Evacuationes* circa Æquinoctium vernum atque autumnale, tam per Venæ ſectionem, quàm Purgationem inſtituendæ, pro diverſâ Corporum conſtitutione: Deinde laudantur illa, quæ Sanguinis æſtum, & acrimoniam temperant, v. g. Lac cum Floribus Sambuci decoctum, ſingulis decreſcentibus Lunis ter vel quater, vel per totum annum, bis de die

ad

ad ℥viij. hauſtum: vid. Solenander *Sect.* 5. *Conſil.* 12. & 13. Nec inutiles quoque ſunt Acidulæ Sanguinis fervorem mitigantes.

## CAPUT III.

### *De Tumoribus & Abſceſſibus Criticis.*

POrrò ad hos Tumores Sanguineos pertinent etiam *Tumores*, & *Abſceſſus Critici*, vel qui his ſimiles, interdum Symptomatici. In Morbis Acutis & Febribus, tam Benignis quàm in ſpecie Malignis, oriuntur, & fiunt per Congeſtionem in his Morbis Acutis, nunc celeriùs, nunc tardiùs, dum nempe Fermentum morboſum malignum unà cum partibus Maſſæ Sanguineæ heterogeneis & corruptis, beneficio Fermentationis præcipitatum & correctum in locis extimis circa Vaſa capillaria in quodam loco hæret, ſenſimque coacervatur & ſtagnat, unde Sanguini tranſitu præcluſo tandem ſupervenit Phlegmone & Inflammatio ſuppuranda. Oriuntur tales Tumores nunc promiſcuè in partibus Carnoſis, nunc & primariò in locis Glandulоſis: Et iſti, qui in locis Glandulоſis emergunt, ſi in Inguinibus aut ſub Axillis ſe manifeſtant, ordinariò *Bubones* appellantur: ſin verò prope Aures appareant Tumores cum rubore, dolore pulſante & ardente, *Parotides* vocari ſolent: aliis in locis, ubi Glandulæ ſunt minores, ſi propululent, ſpeciali nomine carere ſolent.

## ARTICULUS I.

### *De Bubonibus.*

*Bubonis* vox utut propriè certam Corporis partem, quæ poſita eſt in flexurâ Femoris circa Inguina in utroque latere, tantùm ſignificet; tamen etiam Tumori, huic parti inhærenti, propter ſimilitudinem Partis affectæ & ipſius Affectûs, ſub Axillis Tumoribus enatis tribuitur.

Fiunt autem Bubones, quatenus Vaſa Cubitalia & Cruralia majora Glandulas has tranſeunt, inque tranſitu Sanguinem pro Seri ſegregatione [hic enim Glandularum uſus eſt, ut Serum à Sanguine ſegregatum recipiant, & Vaſa Lymphatica aliorſum derivent] effundunt, qui propter craſſitiem & viſciditatem ſtagnans Tumorem producit.

Bubones hi ſunt nunc *Critici* in ſtatu Morbi cum levamine Ægri; nunc *Symptomatici* in principio cum virium dejectione: nunc *tuti*, quando circumſcripti, prominuli, & quaſi in acumen deſinentes; nunc *minùs tuti* vel *infidi*, depreſſi, occulti ſeu in profundo ſiti, & eadem eſt natura in hoc caſu ac Carbunculorum, niſi ſint mitiores. Porrò Bubones hi aut Benigni ſunt, aut Maligni, *Benigni*, qui in Febribus Ardentibus in ſtatu & declinatione ſuperveniunt, ubi per ἐκκρισιν heterogeneum cum Lympha vitioſâ in dictas Glandulas protruditur, illicque ſtagnando ac ſuppurando Tumorem Inflammatorium ſuſcitat: *Maligni*, qui etiam *Contagioſi* ſunt, & imprimis in Peſtilentialibus Febribus ſolent eſſe frequentes.

## CURA.

Benignus Bubo ut aliæ Inflammationes præmiſſo *Sudorifero* eſt diſcutiendus, & quidem iiſdem Remediis, quibus aliàs Inflammationes ſolent ſuppurari: v. g. illinatur Balſamus Sulphuris, & applicetur deſuper Emplaſtrum de Meliloto cum Unguento Dialthææ, & ſimilibus.

In *Bubone* verò *Maligno* pro Malignitatis ratione *Cura* variat. Nempe ſunt *vel* in Febribus Malignis, *vel* in Lue Venereâ. *In Bubonibus Febrium Malignarum, & Peſtilentialibus*, omni ſtudio cavendum, ne incautiorum Practicorum aut naſutulorum Barbitonſorum noſtratium more, vel *Purgantibus* vel *Venæ ſectione* Naturæ motus turbetur, & in Bubonum retroceſſione Lymphæ hujus ferocientis & Miaſmatis maligni excretio impediatur. In primo ergò principio internè danda ſunt Diaphoretica & Alexipharmaca, imprimis ſulphurea Antimonialia, ut *lib.* 1. *Sect.* 15. *de Morbis Peſtilentialibus* monui. Poſt Sudorem Julepi moderatè aciduli propinandi eum in finem, ut malignum Fermentum, de naturâ Alcalium acrium participans, his ipſis corrigatur & emendetur, ſimul tamen Corpus, quantum fieri poteſt, in Diaphoreſi blandâ conſervetur & retineatur.

Prætereà Malignus Bubo ita tractandus, ut Cataplaſmatis Emollientibus ſæpiùs impoſitis quamprimùm maturetur & aperiatur, aut ſi profundus ſit, aut minùs prominens, foras quaſi attrahatur, ne ſubitò iterùm diſpareat. Nam quando retrocedunt tales Bubones, factum eſt de vitâ. Ad hoc ergò, ut meliùs promineat & citiùs ſuppuretur, quod neceſſarium eſt, applicandæ Cepæ & Allium ſub cineribus coctæ, quibus permiſcetur Theriaca & Fuligo furni, cum Succo Chelidonii; aut etiam *Bufo*, (certo tempore captus & interemptus) exſiccatus, & in Vino maceratus, calidè imponitur Buboni: vel *ex Bufone paretur Cataplaſma*, ut meliùs temperetur Malignitas, & promptiùs poſtmodùm ſuppuretur Tumor. Aliàs etiam Cataplaſma ex Scabioſâ cum Fermento & Sapone Veneto applicatum, Tumorem maturat. Vel fiat Emplaſtrum vel Cataplaſma ex Foliis Sambuci contuſis, cum Pulvere Sinapi contuſo ſubactis: hæc duo applicata maturant & promptè rumpunt Abſceſſum ſeu Bubonem.

Optimum tamen eſt, & optima Methodus, ut nempe mox in principio, imprimis in Cute denſiori, vel Bubone profundiùs latente, applicetur *Veſicatorium*: hinc facta Veſica promptè incidatur per tranſverſum, quô factô applicetur *Emplaſtrum*, quod vocant, *Tractivum* tale:

℞. *Empl. Diachyl. cum Gumm. de Mucilag.* ân. ℥ß.
*Ungu. Baſil.* ℥iv.
*Sem. Sinapi cont.* ℥iij.

Miſta ſub formâ Empl. hoc imponatur Veſicæ apertæ; hoc enim maturat promptè & ſuppurat Tumorem. Loco hujus Emplaſtri melius longè eſt Emplaſtrum ex Magnete Arſenicali *Ang. Salæ*, aut *Friderici Hoffmanni*, Veſicæ apertæ ſuperimpoſitum; hoc namque mox Malignitatem ita elicit, ut denſa Cruſta oriatur, quæ facilè & ſponte ferè ſeparari poteſt.

Cruſtâ ſeparatâ & Bubone aperto, ubi non fuerit ſufficienter Malignitas extracta, denuò imponendum erit idem Emplaſtrum, & hinc denuò facta Cruſta removenda, poſtmodùm, ubi Ulcus factum, cum Balſamo Sulphuris & *Unguento Baſilico & Theriaca* mundificandum, aut cum Emplaſtro Diapompholygos cum Oleo Nicotianæ digerendum, cum Emplaſtro Dia-ſulphuris *Rulandi* conſolidandum. Conf. Barbette *Chirurgia*, Diemerbröck *in Tr. de Peſte*, & Nicolaus *de* Blegny *Tr. de Lue Venerea Gallicè conſcripto.*

Præter Bubones autem Peſtilentiales etiam obſervandi ſunt *Bubones Venerei*, qui non ſine Malignitate exiſtunt, cùm ipſa Lues Venerea ſolo attactu ſeu Contagio contrahatur: ideò non minùs congeſta hîc purulenta Materia Contagium eſt, ſi ejus aura fœtidior vel ipſum Pus alii, in eodem lecto decumbenti, communicetur. Oriuntur ex Acido viſcido maligno in dicto loco ſucceſſivè coacervato, idque

laudabili Naturæ conatu; nàm ſic præſervantur à Lue Venereâ, ut non eâdem corripiantur. Unde de his dicit Cardilucius *in Offic. Sanitat. p.856. Apparent verò crebriùs in Sanguineis, alioquin rarò vel nunquam, niſi graviſſimæ Lui Venereæ obnoxiis, occultante ſcilicet elegante habitu Corporis hoſtem inquilinum, eumque ad Inguina protrudente.*

In *Curâ* opera danda eſt, ut maturè aperiatur & virulentia eliciatur. Pro hoc ſcopo imponatur *Emplaſtrum Vigonis cum Mercurio, malaxatum* cum *Oleo deſtillato Ligni Guajaci*, vel *Emplaſtrum Diachylon compoſitum, malaxatum cum Oleo deſtillato Ligni Sancti*, vel *Emplaſtrum Diachylon ſimplex, malaxatum cum Oleo Philoſophorum* vel *Tartari volatili*, quod Cardilucius *loco citato* tanquam diſcutiens præſtantiſſimum commendat, ut horum medio emolliatur Bubo; perfecta enim Suppuratio hoc in loco rarò aut nunquam accidit. Maturatus aperiatur apertione largâ, & materia evacuetur, mundificetur Ulcus cum *Balſamo Hyperici*, mixto cum *Oleo deſtillato Ligni Sancti & Tartari*, vel cum *Unguento de Apio*, cui additum ſit parum de *Mercurio Præcipitato* vel *Arcano Corallino*: ſuperponatur dictum Emplaſtrum exteriùs.

*Internè* uſurpentur primò *Lignorum Decocta*, poſteà *Purgantia*, in fine *Sal & Spiritus Viperarum* Curam Bubonum abſolvunt.

Accidit ſæpiùs, ut Bubones Venerei nullo modo maturentur, etiam legitimè inſtitutâ Diætâ Sudoriferâ & Salivatoria: in hiſce tamen caſibus, præter impoſitionẽ Emplaſtri Magnetici vel de Cicutâ, Oleo Philoſophorum vel Saponi malaxati, vis quicquam applicandum, cum ſenſim ſenſimque tandem viſcidiſſima hæc Lympha in Glandulis hiſce quaſi congelata reſolvatur.

## ARTICULUS II.

### *De Parotidibus.*

*Parotides*, Germ. *die Ohrengeſchwulhre*, plerumque poſt malè judicatas Febres, quando nempe Ægroti aut non, aut non ſufficienter, ſudàrunt, unde poſt Cephalalgiam in Glandulas ponè Aures fauſto Naturæ conatu ex Maſſa Sanguinea præcipitatur heterogeneum, & protruditur.

### CURA.

Si ſint *Benignæ*, Maturationi opera danda, & tractantur ſicut Bubones Benigni, & aliæ Inflammationes ad Suppurationem vergentes. Si verò ipſæ oriantur in Febribus Malignis aliiſque Morbis, ſemper ferè ſunt ſuſpectæ, quarum funeſtus eſt eventus: vid. in M. A. N. C. *Ann. 4. & 5. Obſerv. 4. pag. 6.* Unde Sudoriferis Naturæ conatus erit adjuvandus, Aërem externum cautè arcendo, & Caput Linteis, Suffumigio quodam infectis, involvendo. Et ſi à Naturâ ſponte reſolvantur, quod rariùs fit, Reſolventia blanda uſurpanda.

Conſultiſſimum potiùs erit *Maturatione* ſuccurrere, eidem imponendo Cepam ſub cineribus coctam, cui Oleum Scorpionum fuerit additum: Emplaſtrum etiam Diachylon commodè imponitur. Quòd ſi durior & pertinacior fuerit Parotis, Emplaſtrum Diachylon ireatum cum Gummi Ammoniaco in Aceto diſſoluto imponendum: quibus omnibus ſi Olei deſtillati fœtidi, Guajaci aut Tartari parum addatur, multo promptiùs facilitatur Suppuratio: poſt Maturationem promptè aperiendum Abſceſſus, & inſtar Ulceris ſimplicis curandus.

Empyema à Parotide videbitis in M. A. N. C. *Ann. 3. Obſerv. 50.*

## ARTICULUS III.

### *De Carbunculis.*

AD hos ipſos Tumores Malignos primariò etiam pertinet *Carbunculus* Græcis ἄνθραξ, Germanis *ein Carfunckel oder Peſt Geſchwuhr*. Eadem enim eſt natura horum atque Bubonum Malignorum, cùm non rarò in Febribus Malignis & Peſtilentialibus ipsâque Peſte, & Bubones & Carbunculi ſimul oriantur, atque etiam ex eâdem proveniant *Causâ*.

Nam rariſſimus obſervatur Carbunculus Benignus, quia utplurimùm, ſi non ſemper, in Carbunculo adeſt Malignitas; quæ tamen in Bubonibus magis eſt correcta magiſque ſubacta, in Carbunculis verò minùs eſt cicurata, adeòque inſigniter maligna.

Malignitas iſta videtur conſiſtere in Fermento ſalino acri volatili & quaſi cauſtico inſtar Cauteriorum potentialium, quando Effervescentiâ febrili præcipitatum & nonnihil ſeparatum ex Maſsâ Sanguineâ in extimâ Cute & Carne hæret, ibique cauſticâ ſuâ Acrimoniâ & doloroſiſſimum Ardorem & ſubitam partis Mortificationem, etiam Livorem, hinc omnimodam Nigredinem infert: propter talem enim Partis in nigrum Livorem corruptionem vocatur *Carbo*, item *Carbunculus*, cùm inferat Cruſtam in Parte corruptâ nigram inſtar Carbonis, unde quibuſdam etiam *Pruna* appellatur: Græcis verò eâdem ratione vocatur ἄνθραξ.

Corruptio iſta in Carbunculo obvia, dico, quòd oriatur ex Sale acri & cauſtico maligno, in Carbunculo exiſtente, quo inducitur Parti omnimoda Nigredo inſtar Cauteriorum potentialium, ex Salibus lixivialibus paratorum; cùm hæc ipſa eundem planè habeant effectum. Nam Acida corroſiva non inducunt Nigredinem morſicantem, ſed primò intenſam Rubedinem, hinc conſequentem Albedinem inſenſilem, in Partibus mollibus inducunt; Acria verò lixivialia omnimodam Partis Mortificationem & Nigredinem inducunt, quæ ſubinde ulteriùs proſerpit cum Dolore ardente: id quod ſimiliter fit in Carbunculis, ubi etiam talis ſubitanea Nigredo, Livor & Mortificatio cum diffuſione in longum & latum mox ſub primo conſpectu ſe manifeſtat; unde patet, quòd ejus Venenum conſiſtat in tali Sale acri cauſtico lixiviali.

Carbunculus quidem, quando in Febre vel Morbo Maligno oritur (in ſpecie in Peſte) manifeſtat ſe primò exiguâ quâdam Puſtulâ, aut albicante aut liveſcente; interdum ſimul plures tales exſurgunt Puſtulæ, à quibus brevi morâ, ſubſequente Ardore & Dolore acerbo excitatur Ulcus cruſtoſum, ſimile ipſi, quod Ferro ignito vel candente ſolet excitari: interdum citra ullam præcedentem Puſtulam mox talis Cruſta in Carbunculo incipere ſolet, excitaturque Ulcus cruſtoſum in Cruſtâ modò lividâ, modò cinerea, modo omninò nigricante. Cruſta tandem emortuâ decidente Ulcus putridum in Carne profundum, & hinc inde putreſcendo latiùs ſerpens, ſubſequitur, Carnem circumcirca depaſcens & mortificans. Caro adhuc ſana in confiniis Carbunculi inflammatur cum intensâ Phlogoſi & Ardore, unde circa omnem Anthracem ſeu Carbunculum ſimul adeſt *Circulus* ex Inflammatione admodùm doloroſus, rubeus quidem inſtar Eryſipelatis, interdum cœruleus, in Carbunculis Malignis aut lividus, aut nigricans.

### PROGNOSIS.

Quò magis hic Circulus eſt rubeus, eò ſalubrior eſt

eſt Carbunculus; quò verò lividus magis fuerit Circulus, aut magis nigricans, eò periculoſior eſt Anthrax: ſicuti etiam, quò magis rubet aut minùs livet Carbo, eò etiam ſecurior eſt: quò verò magis liveſcit aut nigreſcit, eò eſt periculoſior: ſicuti etiam periculoſus eſt, qui in locis nobilioribus erumpit, cùm optimus ſit, qui in Artubus carnoſis ſe manifeſtat: minus enim periculi tunc ſubeſt.

## CURA.

Malignitas ergò Carbunculi cauſtica & acris, de *Lixivialium* acerrimorum naturâ, optimè mortificatur & curatur per ſuum contrarium, nempe per *Acidum*: hinc enim eſt, quòd nihil magis reſiſtat Carbunculo, aut quod potentiùs enecet ejus Malignitatem, quàm *Butyrum* iſtud *Antimonii* acidiſſimum: quod ipſum ſicuti in Sphacelo, (quod obiter moneo) ubi Pars eſt emortua, ſi cum eodem circumducatur Circulus in termino, ubi Pars mortua attingit ſanam, ſeparat promptè Partem mortuam à ſanâ, & ſiſtit ulteriorem Mortificationis ſphaceloſæ progreſſum; ita hoc ipſum Butyrum Antimonii in Carbunculo eandem habet efficaciam, ſi ſcilicet in centro Carbunculi, ſive in medio apicis, cum Plumâ illinatur Butyrum Antimonii; ad quantitatem Nummi, ſive Solidi præterpropter, vel, quod melius eſt, ducatur Circulus beneficio Plumæ huic Butyro intinctæ circa mortificatum Anthracem, in confinio nempe cum Parte ſana; ſic namque his modis optimè Virulentia Carbunculi cauſtica extinguitur, & ulterior mortificans progreſſus potenter inhibetur: & hinc ſeparatur Pars ægrota & mortua Carbunculi à Parte vicinâ ſanâ, ut ulteriùs ſerpere nequeat, quin intra Circulum contenta Pars à Carbunculo mortificata ſponte excidat, & poſtmodùm Ulcus mundificandum, ac more conſueto conſolidandum relinquitur. Notum eſt aliàs, quòd ſympathetico modo Circulus circa Anthracem ductus à Sapphiro, Annulo incluſo, etiam inhibeatur progreſſus ulterior Carbunculi, quin Carbunculus excidat, & Ulcus cavum relinquat.

Loco Butyri Antimonii commodè etiam poteſt adhiberi nobile *Emplaſtrum Magneticum Arſenicale Angeli Salæ*, quod ipſum applicatum etiam brevi inducit Cruſtam, quâ ſeparatâ illinatur Unguento lentè maturante, Cruſtam ſuppurante. Si adhuc Malignitatis Carbunculi quædam ſubeſt ſuſpicio, denuò applicandum eſt Emplaſtrum, donec Virulentia ejus fuerit extincta; hôc factô, Ulcus mundificandum, diù apertum ſervandum, ac conſolidandum. Hoc ipſum tamen Emplaſtrum, ut in Corpore robuſto Cutique denſiori meliùs & promptiùs operetur, commodiſſimè Carbunculo priùs imponitur *Veſicatorium*: v. g.

℞. *Sem. Sinapi*,
*Piperis* an. ʒß.
*Pulv. Canthar.* ʒij.
*Ferm. acerr.* ℥ß. vel q. ſ.

F. Veſicatorium imponendum Carbunculo.

Veſica poſt aliquot horas excitata incidenda eſt, & modò dictum Emplaſtrum applicandum. Vel loco Veſicatorii ſcarificetur Carbunculus, & poſt Scarificationem dictum Emplaſtrum applicandum. In defectu hujus Emplaſtri poſt diſciſſam Veſicam, vel poſt factam Scarificationem, communiter Unguentum Ægyptiacum illinunt, quod ipſum etiam non contemnendum eſt.

Notum aliàs eſt, quòd in vulgari Carbunculos curandi ratione, ſoleant poſt factas Scarificationes imponi Cataplaſmata ex Scabioſâ, Succisâ, Uva inverſa, Calendulâ, cum Cepis ſub cineribus coctis, cum Ficubus, cum Fuligine, cum Fermento, Bufonibus pulveriſatis & ſimilibus: item imponi ſolet poſt Scarificationem Emplaſtrum de Fuligine, Emplaſtrum Diachylon cum Gummis, & ſimilia. Valeriola inſigniter commendat *in ſuis Obſervationibus Caſ.* 6. ſequentia duo Remedia, poſt Scarificationem tam Carbunculis, quàm etiam Bubonibus Peſtilentialibus applicanda:

℞. *Succ. Symph. maj.*
*Scabioſæ*,
*Calend.* an. ℥j.
*Ther. vet.* ʒiij.
*Salis comm.* ʒj.
*Vitell. Ovor.* No. ij.
Incorporentur ſimul.

Hôc ipsô illinatur Carbo poſt Scarificationem factam, quod aliquandiu continuandum, ubi tanquam Secreto Malignitas corrigitur, Carbunculi progreſſus inhibetur, & Cruſta ac Eſchara facta promptè ſeparatur, quâ ſeparatâ Ulceris Mundificativum optimum eſt ſequens:

℞. *Succ. Calend.*
*Abſinth.*
*Scabioſ.*
*Apii* an. ℥j.
*Myrrhæ*,
*Rad. Ireos Flor.*
*Aloës* an. ʒj.
*Sarcocoll.* ʒiß.
*Mell. roſac.* ℥ij.

Quæ miſta ſub forma Unguenti Ulceri illinantur ad mundificandum & conſolidandum illud. Loco hujus tamen poſterioris, ruptus Carbunculus Unguento Ægyptiaco *Wurzii*, vel *Hildani*, aut Baſilico, mundificari, & poſtmodùm Ulceris probè deterſi cavitas Linteis carptis, Oleo Ovorum imbutis iterumque expreſſis, impleri poteſt, ſuperimpoſito Emplaſtro Diachylon cum Gummis & ſupra Emplaſtrum hoc, defenſionis loco, Vini Spiritu Theriacali camphorato. Aliàs quoque Balſamus Sulphuris ad mundificandos & curandos Bubones & Carbunculos optimus eſt.

Cum his Externis etiam *internè* conveniunt *Alexipharmaca* Sudorifera, in ſpecie Antimonialia fixa, quibus Julepi blandè aciduli temperati ex Citro, Cydoniis, Spiritu Salis, Spiritu Vitrioli, & ſimilibus adhibendi ſunt, de quibus *lib.* 1. *Sectione* 15. *ubi de Febribus Malignis & Peſtilentialibus* actum jam eſt.

## ARTICULUS IV.

### *De Furunculis.*

*Furunculi* ſunt Inflammationes parvæ in locis extimis, tamen glanduloſis, conſpicuæ, in acutum Tuberculum tendentes, Ovum columbinum magnitudine non excedens, cum Rubore & Dolore: interdum atrociſſimo cum Ardore, ac ſi Carbo igneus admotus eſſet.

Dicuntur ita à *Furore*, Germanis *die Bultſchwähre*.

## CURA.

In *Cura* applicandum eſt *Emplaſtrum Citrinum*, vel alia Maturantia ac Malactica, ut maturetur & ſuppuretur *Furunculus*. Repellentia quàm maximè nocent, cùm materia vitioſa repulſa longè deteriora excitet Symptomata; ſicut ex levi Furunculo ſæpiſſimè Anthraces ſatis malignos evaſiſſe Cardilucius *in Officin. Sanit. pag.* 856. obſervavit.

Furunculus apertus ſponte coaleſcit: ſi hoc non fiat, tantillo Balſami Peruviani conſolidari ſolet, vel imponatur *Emplaſtrum de Meliloto.*

## ARTICULUS V.

### *De Phymatis.*

PHyma eſt Tumor Glandularum rotundus, acuminatus inſtar Plantæ ſeu Arboris, quæ in parte inferiore eſt plana, in ſuperiori acuminata, plùs minùs rubens ac dolens, qui ſtatim augetur, & ſuppuratur. Dicitur ita à Græco Φύω *naſcor*, Germanis *ein hitzige Beule.* Hippocrates *Aphoriſmo 26. Sect. 3.* ad Morbos Pueriles refert, quia hos maximè affligit.

### CURA.

In *Curâ* à Repellentibus cavendum. *Maturatio* per Emplaſtrum Citrinum, imò ſolam inunctam Salivam, promoveri poteſt, cùm Natura potiſſimùm in hujus Suppuratione occupata ſit.

## ARTICULUS VI.

### *De Phygethlis.*

PHygethlon, Latinis *Panus*, eſt Tumor durus Phymate major, magiſque rubens ac dolens, expanſus inſtar Pani ſeu Fungi Arbori adnaſcentis, in locis glanduloſis emergens.

### CURA.

*Curatur Diſcutientibus*, pro quo ſcopo convenit Oleum Tartari fœtidum, vel Ligni Guajaci. His interdum & Emollientia cum Anodynis junctis adduntur, unde laudatur Cataplaſma ex Foliis & Radice Atriplicis, Malvæ, Althææ, Farina triticea, &c.

Pus ſtatim evacuandum, & Vulnus conſolidandum.

## ARTICULUS VII.

### *De Paronychia.*

PAronychia, Germanis dicitur *der Wurm oder das ungenandte*, cujus appellationis rationem videbitis in Sennerto *lib. 5. Prax. Part. 1. cap. 14. pag. 78.* Hanc quod attinet, eſt Tumor ordinariò obveniens in extremitatibus Digitorum, ultimis nempe Articulis Digitorum, ita tamen, ut non excludantur reliqui Articuli. Quandoque eſt erraticus, & ex uno Digito in alium tranſit, ita ut uno perſanato mox vicinus inquinetur, donec omnes ſucceſſivè infeſtaverit: tantus eſt *Dolor*, ut ſubinde univerſum Brachium conſenſu afficiatur.

### CAUSA.

*Oritur* ex Humore acri admodùm corroſivo, circa Unguium radices effuſo, immediatè Perioſtium & ipſi adhærentes Tendines occupante, & quidem mediatè. Supervenit *Inflammatio*, eaque in *Apoſtema* vergit, imò interdum, niſi ritè tractetur, ante factam apoſtemationem Paronychia ad *Gangrænam* vergit: nam brevi Officulum Articuli extremum fit carioſum, nec curatur, niſi illo ablato, quod facile fit, modò Volſellâ maturè extrahatur. Illuſtratur hoc à Boneto *in Anat. Pract. l. 4. Sect. 5. p. 1544.* qui obſervavit Sphacelum in Ancillâ quadam, implorante auxilium cujuſdam Matronæ, quæ certam opem omnibus pollicebatur beneficio Herbæ cognominis: hac autem per plures dies fruſtrà adhibitâ Ancillæ Digitus poſt ingentes Dolores Gangrænâ & Sphacelo corripitur, ut ad Amputationem ſupra ſecundum Digiti Articulum deveniendum fuerit: Et ſecundùm longitudinem poſt Amputationem aperto Digito, Carnem & Tendines omninò computruiſſe apparuit, Oſſa nigredine tetrâ affecta & quaſi calcinata cinerei coloris & friabilia evaſerunt.

*Occaſio* hujus Acidi eſt ut plurimùm ex læſione Oſſis, Articulos conſtituentis; tunc enim ex Oſſe tranſudat Nutrimentum proximum, unde Acorem contrahit & Partes afficit, unde Dolor.

### CURA.

Pro Dolore hoc ſiſtendo, præmiſſa *Purgatione* Mercuriali, nil melius eſt Remediis ex *Lumbricis*: nempe Lumbricis ſub Cataplaſmatis formâ contuſis, vel Lumbrico vivo impoſito, vel *Liquore Lumbricorum* in clibano facto, *Spiritu Lumbricorum* & ſimilibus, Digitis illitis: quod etiam facit *Balſamus Sulphuris* & Emplaſtrum Diachylon cum Gummis. Dolorem quoque & Tumorem diſcutit, atque, ſi fieri poteſt, maturè ad Suppurationem perducit *Linimentum ex Aurium ſordibus cum Saccharo Saturni*, commixtum cum *pauco Oleo Avellanarum expreſſo.* Certum Experimentum dicitur, ſi Ovo recenter excluſo & calido Digitus imponatur, quô factô Patiens illicò à Doloribus liberatur: vid. Sorbait *Med. Pract. Tr. 5. cap. 24. p. 634.*

Convenit etiam, ſi *Digitus intrudatur in Sterquilinium*; vel recipiatur *Linteum, quod humectetur cum Sterquilinio, & calidè Digito dolenti applicetur*, ſic Dolor & Tumor optimè diſcutitur & ſiſtitur. Interdũ tamen Lanceolâ vel Forfice aperiendus Tumor, interdum Fiſſura in ipſo Ungue Cultello facienda, quô Ichor illuc effluere poſſit: quò citiùs enim Ichor maturatur, eò minùs periculum eſt Oſſis Cariei. Ubi autem Paronychia altiores egerit radices, opus eſt *Inciſione*, quæ etiam tutiſſima eſt, & quidem per longitudinem & latitudinem Fibrarum uſque ad ipſum Os, ut rectè monet, cum allegato Boneto, Sorbait *l. a.* vid. Hildanus *Centur. 1. Obſervat. 97.* Foreſtus *Obſervat. 26.* nec non Glandorpius *in peculiari de Paronychia Tractatu*, & Rolandus *in Obſerv.* Factâ Inciſione ad prælaudati Boneti imitationem, Theriaca cùm Vini Spiritu ſoluta Digito applicanda; toti verò Manui Defenſivum; quæ inter non inelegans eſt, quod Sorbait *loco allegato* commendat, nempe

℞. *Ungu. Alb. camph.*
*Populi* an. ℥j.
*Opii Thebaic.* ℈ß.
*Theriac. rec.* ʒiij.

M. pro Linimento ſæpiùs reiterando.

Huc quoque pertinet Affectus perniciosiſſimus, qui Pollices Pedum cum Doloribus atrociſſimis infeſtat, & nihil aliud eſt, quàm *Paronychia Pedis Digitorum*, cui Gangræna & Sphacelus, & tandem Mors, ſubſequitur.

Febris plerumque conjuncta eſt, nunc Continua, nunc ſola Ephemera, per longiora intervalla rediens.

*Cauſa* eſt eadem, ac *de Paronychiâ* jam dixi.

In *Curâ* cavendum à *Repellentibus*, cùm horum uſu Pars affecta in Gangrænam & Sphacelum abeat: potiùs unà cum internis Diaphoreticis, & acrimoniam Temperantibus, Emplaſtrum Diachylon cum Gummis, aliaque Emollientia & Suppurantia Anodynis juncta applicanda; quibus ſi Ichor circa Ungues ſtagnans

ſtagnans in Pus laudabile ſuppuretur, res ſalva erit: Ulcuſculo inſtilletur vel Balſamum Vulnerarium *Prævotii*, vel de Copaibe.

His nihil proficientibus, ipſa *Digiti reſectio* tentanda, de qua vid. Hildanus, & Job *van* Mekern, & alii. Cùm autem ſola Inflammatio partes vicinas occupet, ad præcavendam Gangrænam Vini Spiritus, vel Spiritus Theriacalis camphoratus, applicetur; ſublatâ enim Inflammatione Gangræna latiùs ſerpere non poteſt, modo Portiuncula ſphacelata ad vivum uſque reſecetur.

## ARTICULUS VIII.

### *De Pernionibus.*

HIs ſubinde Inflammationes ſuperveniunt, affligunt imprimis Partes extimas nerveas; tales enim Partes affectæ tument, & ex albedine ad aliquam cœruleſcentiam inclinant, dolent, ita ut nunc cum, nunc ſine Exulceratione evaneſcant, ut tamen ſemper, quoties inclementia Aëris & Frigus inſtat, Dolor increſcat.

### CURA.

Ut præſerventur Perniones, nil melius eſt quàm *Petroleum* illitum, quod & præſervat, & factos jam curat. Pinguedo etiam Anſerina vel Cati ſylveſtris contra Frigus externum præſervat, ſi Membra eo illinantur. Item *Terebinthina* loco refrigerato dum imminet Frigus, denuò cum *Veſicâ Bubulâ* impoſita. Juxta hæc *Oleum Pini* deſtillatum nobile eſt præſervativum & curativum.

Vel

℞. *Olei Terebinth.*
*Petræ* an. ℥iß.
*Salv.* ʒß.
*Spicæ* ℈j.
*Camph.* ℈ß.
Miſc. S.
Oleum Præſervans.

Vel

℞. *Olei expreſſ. Rapar.* ℥j.
*deſtillat. Terebinth.* ℥ß.
M. S. ut antè.

Vel

℞. *Olei expr. Rapar.* ℥ß.
*Petræ alb.* ℥ij.
*deſtillat. Succin.* ℥j.
*Terebinth.* ʒß.
Cum ſ. q. *Corp. pro Balſam.* f. Balſamus.
D. S.
Balſamus Præſervans.

Crocus cum Spiritu Vini, imprimis camphorato, Membris Frigore læſis applicandus. Borellus *Cent.* 3. *Obſ.* 32. frequentem Manuum ac Pedum Frictionem cum Fragis recentibus tempore verno commendat; unde loco Spiritûs Vini Spiritus Fragorum, vel Vini Spiritus rectificatus, cui Fraga recentia infuſa, ſæpiùs applicari poteſt. Si verò graviùs læſæ ſint Partes à Frigore, tunc ad eliciendum Frigus (ut vocant) optimum eſt Cataplaſma liquidum ex Fermento, Aceto deſtillato, & Sulphure Antimonii, calidè applicatum; ſic omne Frigus & Dolor diſcutitur & reſolvitur. Aliàs notum eſt, quòd contra hos nihil melius ſit præ Nive gelidiſſima, ſi Partes Frigore læſæ mane & veſperi hac vel Glaciei fruſtulo probè fricentur; vel Rapæ frigore conglaciatæ, in ſpecie exſiccatæ, frigidè applicentur; ſicut & horum Decoctum eſt egregium; unde etiam *Unguentum de Rapis Mynſichti* eſt elegans ad Pernio-



nes curandos.

Vel

℞. *Unguent. Saturnin. Zvvelff.* vel *Balſ. Saturni ſimpl.* ʒiß. ad ℥ij.
*Olei Petræ* vel *Philoſoph.* ʒß.
M. pro Linimento; S.
Linimentum Caleſaciens.

Quo Partes affectæ mane, & veſperi fricandæ; ſic Tumor imminuitur, & promptè tollitur.

Prodeſt etiam Sevum Cervinum, Pernionibus mane & veſperi illitum.

*Ruptis Pernionibus* imponi poteſt Emplaſtrum Spermatis Ranarum camphoratum, quod Acidum invertit; ſi verò jam exulcerati ſint Perniones, præter Unguentum de Rapis *Mynſichtii* egregium etiam eſt, ſi recipiatur Rapa, & mediocriter excavetur, infundatur Oleum Roſarum vel Hyperici, & aſſetur ſub cineribus calidis: quô factô ſi poſt expreſſionem Linimentum applicatur Pernionibus, eoſdem ſolet reſtituere & conſolidare.

Parari poteſt Linimentum ſimplex ex Rapis gelidis cum Butyro. Aut Perniones eluantur cum Decocto Raparum, & pòſt imponatur Unguentum Tutiæ.

Aliàs expertum eſt *Linimentum* Sculteti *in Obſervationibus*, conſtans ex *Baccar. recent. Juniperi* M. j. *Butyri cocti*, Germ. *geſchmelitzte butter*, ℥iv. Ante applicationem Pernionibus exulceratis inſpergatur Pulvis ex Stercore Humano combuſto, vel Spongia Cynosbati calcinata & pulveriſata. Tachenius *Tr. Morb. Princ. p.* 129. Typham aquaticam inſperſam mirabiliter ſanare aſſerit.

Item *Mucilago Seminis Cydoniorum cum Aquâ Solani* extracta, addendo parum *Tutiæ præparatæ*, convenit, ſi cum Linteis multiplicatis applicetur *Pernionibus exulceratis*. Modum quo Boreales Perniones, imò ipſam Gangrænam à Frigore oriundam, curare ſolent, videbitis apud Bartholinum *Tr. de Nive*. Plura de Pernionibus legere poteſtis apud Foreſtum, Schenckium, Sculteum, & Severinum.

Hi fere ſunt Tumores Sanguinei aut Sanguineis cognati.

## CAPUT IV.

### *De Tumoribus ex Lymphæ Vitio.*

NEmpe ſi fiat, ut *ex impedito Lymphæ motu*, propter Vaſa Lymphatica, aut obſtructa aut rupta, aut aliter affecta, Lymphæ fiat præternaturalis collectio & ſtagnatio in Parte quadam, oriuntur *Tumores*, qui vocantur *Seroſi* ſeu *Aquoſi*, molles nempe ad tactum, laxi, indolentes, in quibus impreſſionis à Digito nullum veſtigium remanet, & qui interdum ad Lucem vel Candelam lateraliter conſiderati ferè pellucidi apparent. Nam hæc ipſa Lympha in cavitate quadam Corporis collecta dat *Hydropes*, uti notum eſt, *Particulares*, quæ in totius Corporis peripheriâ congeſta, dat *Anaſacram*.

### PROGNOSIS.

Tumores hi Seroſi ſine ingenti ſunt periculo, ſaltem, quia ſubinde ſunt comites aliorum Affectuum.

### CURA.

Scopus pro *Curâ* horum Tumorum eſt; ut potenter diſcutiatur & reſolvatur Lympha ſtagnans, quibus ipſis ſimul imprimis obſtruentes Humores in Vaſis Lymphaticis liquefiunt & reſolvuntur.

Conveniunt ergò imprimis *Aqua Calcis vivæ*, vel

per ſe vel *cum Vini Spiritu* ebria, ſæpiùs calidè cum Spongiis vel Linteis applicata, & ſubinde renovata. Conveniunt imprimis Stercora Animalium, primariò quidem Caprillum, hinc Stercus Bubulum; ſcilicet fiat Cataplaſma ex Stercore Bubulo, cui permiſceatur Semen Cumini pulveriſatum: hæc duo excipiantur Linteo vel Spongiâ Lixivio acri humectatâ, & imponantur ita, præmiſſis Internis Univerſalibus (de quibus poſtmodùm) Parti, in qua eſt Tumor Seroſus ſeu Aqua collecta. Inſignis vis latet in Stercore Bubulo; ſic enim, quando hoc applicant Pedibus, qui Podagrâ laborant, cum levamine id faciunt. Vel convenit Emplaſtrum paratum ex Baccis Lauri, vel *Hydropicum Anguſtanorum*, imprimis tamen de Baccis Lauri mixtum cum ana Stercoris Caprilli, quæ cum *Melle* rediguntur in Emplaſtrum.

℞. *Empl. hujus* ℥ij.
*de Melilot.* ℥vj.
M. D. S.
Emplaſtrum Reſolvens.

Applicetur calidè, & Tumores Aquoſos & Seroſos potenter reſolvit.

Convenit etiam, ubi fortiùs agendum eſt, tale Cataplaſma.

℞. *Sterc. Vacc.* ℥ß.
*Columb.* ℥ij.
*Sulphuris vivi* ℥ß.
*Nitri* ℥ij.
*Mellis*,
*Aceti deſtillati* an. ℥iß.
*Farin. Fabar.*
*Bacc. Lauri*,
*Sem. Cumini* an. ℥ß.
*Olei Anethin.*
*Nardin.* an. ℥j.
*Vini alb. Gallic.* q. ſ. pro miſcendo Cataplaſmate.
D. S.
Cataplaſma Diſcutiens.

Quo applicato promptè diſcutiuntur Tumores Seroſi.

Cum his Externis jungantur *Interna*, tam *Diuretica*, quàm in ſpecie *Diaphoretica*, inter quæ Decocta Sudorifera, in ſpecie ex Ligno Juniperino & Saſſafras parata, optimè opem ferunt, Externis appoſitis.

## ARTICULUS I.

### *De Oedemate.*

EAdem Lympha, ſed vitiata, imprimis craſſa nimis, ex Pituitâ, ut vocant, viſcida, h. e. ex Chylo crudo Maſſæ Sanguineæ permiſto, & hinc inde diſtributo, ſi ſtagnet, id quod fit imprimis in extremitate Manuum & Pedum, dat Tumorem, qui vocatur *Oedema*.

*Oedemata* ſunt Tumores molles, laxi, & qui promptè cedunt Digito prementi, Preſſionis etiam hujus veſtigia diutiùs retinent, imprimis Foveam, & ſucceſſivè denuò protuberant; indolentes ſunt & albicantes, ſæpiùs in Cruribus, rariùs in Brachiis, ſe manifeſtant, & oriuntur à Materia craſſiori in Partibus hærente. In *Leucophlegmatia* totum Corpus Oedemate laborare videtur. Rarum eſt, quòd hæc Oedemata per ſe oriantur, frequentiùs aliis ſuperveniunt Morbis, imprimis Chronicis, ut Phthiſi, Aſthmati, &c. & ferè inchoamentum habent Hydropis: interdum ſuccedunt Affectibus Soporoſis ac Convulſivis, ſimilibuſque, Febribus Intermittentibus, & quidem his in declinatione: ſuperveniunt in ſpecie Febribus Acutis, & tunc fieri ſolent imprimis, quando præmaturè Ægri lautiori Diætâ utuntur. Gravidis etiam familiaria ſunt

### PROGNOSIS.

Si per ſe apparent, malum Signum eſt, quia metus eſt, ne Morbi Chronici ſuperveniant.

In genere in Junioribus minus periculi habent Oedemata, quæ in Senibus debent eſſe ſuſpectiſſima, cùm ſæpiùs Mortem imminentem portendant, ſicuti etiam in Phthiſi contumaci ſeu confirmatâ, Oedemata Pedum Mortem fores pulſare indubitatò innuunt.

### CURA.

In *Cura* præmiſſis Internis, imprimis *Stomachicis* & *Aromaticis*, cùm originem ducant ex vitiatâ Chyloſi, *Elixir Proprietatis Antiſcorbuticum*, Remedia ex Roremarino, Ligno Saſſafras, & quæ ex eodem paratur *Eſſentia*, dicta *Catarrhalis*, conveniunt: item Remedia ex Seminibus Calidis majoribus, Aniſi, Fœniculi, & ſimilibus: etiam *Noduli Laxantes & Alterantes* Vino infundendi; in genere omnia ea, quæ aliàs ad Cachexias uſurpari ſolent, & intermiſtis interdum etiam ſimul *Sudoriferis & Diureticis*, imprimis in Oedemate poſt Febres Intermittentes.

*Externè* optimè applicantur *Diaphoretica*, & potenter *Reſolventia*, nunc Salinis alcalibus acrioribus, nunc verò Aromaticis temperatioribus, conſtantia; nam reſolvendo, & diſcutiendo curantur Oedemata, rariſſimè aut nunquam ſuppurantur. Conveniunt ergò omnia *Aromatica*, in ſpecie *Cataplaſmata & Fomenta* ex Abſinthio, Roremarino, Chamomillâ, Pulegio, Salviâ, Rutâ, Floribus Sambuci, Baccis Juniperi, Radice Cucumeris aſinini & ſimilibus, *in Lixivio communi vel Vino decocta*, quæ optimè diſcutiunt Oedemata, in formâ nunc Fomenti, mediantibus Silicibus ferventibus excipiendi, nunc Cataplaſmatis applicandi. His convenientiſſimè Stercora Animalium adduntur, ceu optima ad reſolvenda Oedemata Remedia: v.g.

℞. *Fol. Tamariſci*,
*Roriſmar.*
*Rutæ* an. M. j.

Bulliant in *Aqua* vel *Vino* ad mollitiem: adde

*Farin. Cicer.*
*Furfur. Frum.* an. ℥ij. vel iij.
*Sterc. Vaccin.* ℥iij. vel iv.
*Axung. Anat.* ℥iß.
*Mellis opt.* ℥iv.
M. f. Cataplaſma. S.
Cataplaſma Reſolvens.

Applicatur mane & veſperi Oedemati & Partibus Oedemate tumentibus, donec detumuerint.

℞. *Herb. Roriſmar.*
*Bacc. Junip.* an. q. v.

Ebulliant in *Aquæ ſimpl. & Lixiv.* q. ſ. Fiat Pediluvium, quod in Pedibus œdematoſis eſt egregium.

*Lixivia* in dictis Caſibus ſunt optima: vid. Hartmannus & Platerus. Convenit etiam *Emplaſtrum de Baccis Lauri*, malaxatum cum *Petroleo*, vel *Oleo deſtillato Succini*, quotidie bis repetitum. Vel etiam præparetur *Suffitus* Aceti ſuper Lapides candefactos.

℞. *Succini pulveriſ.* ℥viij.
*Aceti Vini* ℔j.

Infund. Lapidibus candefactis, & excipiatur Fumus Pedibus aut Partibus Oedematoſis, poſtmodùm applicetur dictum Emplaſtrum.

Juxta hæc, ſi Acria deſiderentur, eminet Aqua

Benes

Benedicta Chirurgorum, ſeu *Aquâ Calcis vivæ, & Lixivium ex Cineribus Sarmentorum Vitis*, etiam hîc optima ſunt: applicatur cum Spongiâ novâ, ubi Pars priùs fuerit illita cum Adipe Porcino. Meliorem ſucceſſum habet hæc Aqua applicata, ſi cum eâdem bulliat Sulphur commune aut Baccæ Lauri contuſæ: Tale Lixivium eſt, quod diſcutit dicta Oedemata; ſicuti & Thermarum uſus commendandus.

Ubi durius ac pertinacius ſit Oedema, recipiendum eſt *Stercus Caprillum*, & hoc benè ſubigendum cum *Urinâ Humanâ*, vel ipſius Ægri: Coquuntur invicem ad craſſitiem Pultis ſeu Cataplaſmatis, quod calidè imponendum Oedemati contumaciori. Vel *Fimus Equinus* miſceatur cum Farinâ *Hordei*, *& Aceto*, & ſimili applicetur modo; promptiſſimè enim ſolet diſcutere Tumorem.

Emplaſtrum Hydropicum *Auguſtanorum* notum eſt in vulgus: item Inunctio cum Oleo Laterino ſeu Philoſophorum, cum Oleo Hyperici, in ſpecie cum Petroleo, aut cum Oleo Tartari fœtido rectificato aliquoties à Cornu Cervi uſto, quod etiam per ſe illitum mirum eſt. Non inferius eſt *Oleum Guajaci deſtillatum*, quod commodiſſimè etiam diſcutit Oedemata.

Si hujuſmodi *Oedemata in Declinatione Febrium & Morborum*, vel Acutorum vel Chronicorum, dum Ægri denuò ſtrenuè edunt, oriuntur, imprimis veſpertina, (nam matutino tempore ſolent ceſſare & evaneſcere,) optimè applicatur Geranium Rupertianum cum Abſinthio contuſum inſtar Cataplaſmatis. Ejuſdem efficaciæ, & probatæ experientiæ eſt quoque *Chelidonium majus* recens contuſum, & plantis Pedum impoſitum. Laudatur etiam *Pediluvium* ex Cinere Sarmentorum Vitis cum Calamintha, Origano, Malvâ & Chamomillâ.

In Tumoribus Pedum œdematoſis Hecticorum ac Phthiſicorum omnia ſunt fruſtranea, niſi quis Ægris blandiri velit, ut aliquid agere videatur.

## ARTICULUS II.

### *De Scrophulis.*

PORrò juxta Oedemata ſimilis Lympha viſcida & vitioſa, ſimulque ſapore nonnihil adſtringente & auſtero prædita, ac Acido occulto imprægnata, ſi in poris & meatibus Glandularum colligatur, coaguletur, & ab Acido proprio ſenſim inſpiſſetur, ac ibidem indureſcat, dat Tumores Glandularum, quos vocant *Strumas* ſeu *Scrophulas*, Germ. *Kropffe*, quæ frequentiùs equidem Collum, utpote quod ubique Glandulis obſeſſum, rariùs alias partes occupant, utut ſubinde Meſenterium his repletum obſervatum fuerit.

Ipſæ *Scrophulæ & Strumæ*, imprimis in Collo, ſub duplici ſunt *Differentiâ*: vel ſunt *mobiles* & pendulæ foras prominentes, vel *immobiles* ſeu *fixæ*, quæ aliarum partium vicinarum Muſculis profundiùs intertextæ, & iiſdem firmiùs irradicatæ ſunt. Porrò ad tactum Strumæ ſunt vel *duræ*, vel *molles*, colore albicantes, vicinis partibus colore ſimiles ſuntque vel *dolentes* vel *indolentes*, & tales ſunt Strumæ Legitimæ: *dolentes* verò ſponte & punctionibus ſpontaneis interdum moleſtæ, aut quæ colorem ſubcœruleum vel ſublividum repræſentant, ſunt *non Legitimæ* ſeu *Nothæ*, ſed ex Acidi vitioſi & corrupti abundantiâ ſunt *Cancroſæ*, unde non facilè curandæ. *Legitimæ ſunt benignæ*; *Illegitimæ verò malignæ*, pro Curâ nunquam attingendæ.

### CURA.

In *Curâ* ergò emolliendæ ſunt Strumæ & reſolvendæ ſucceſſivè, per Remedia potenter Reſolventia & Strumas Emollientia ac Diſcutientia, viſcida liquefacientia, & Acidum viſcidum corrigentia: quæ inter eſt *Gummi Ammoniacum* ac reliqua Gummata in Aceto ſoluta, inſpiſſata, Emplaſtri formâ loco ſtrumoſo impoſita. Loco hujus Emplaſtrum *Mynſichtii* de Galbano crocatum, de Ammoniaco, item Emplaſtrum de Cicutâ *Hildani*, vel ſolitariè, vel cum Gummi Ammoniaco in Aceto ſoluto, commodè imponuntur. Pinguedo Viperarum in Strumis incipientibus egregia medicina eſt, earumque progreſſum & incrementum præcavet. Item *Fotus* cum Spongiâ Aquâ Calcis vivæ ebria, & hic eſt convenientiſſimus. *Cataplaſma* etiam reſolutivum *Foreſti*, uti *& ex Foliis* & Radice *Cucumeris aſinini* paratum, optimum eſt, emollit & reſolvit Glandulas ſtrumoſas, quod potentius eſt adhuc, ſi cum Stercore Caprillo fuerit ſubactum.

Hæc ſi non ſuffecerint, ad potentiora accedendum eſt, quæ inter præ cæteris eminent *Mercurialia*, ſub vivâ formâ addita, imprimis Mercurius vivus potenter penetrans & reſolvens Strumas. Hinc expertum eſt Emplaſtrum de Ranis *Vigonis* cum Mercurio, vel ex *Gummi Carannæ cum Mercurio & Terebinthina* ſubactâ; fiat Emplaſtrum ad imitationem Barbette: Habetur ſic Amalgama Mercuriale, ex quo & cum quo Emplaſtra parata ſunt egregia. Vel *Emplaſtro Diachylon cum Gummis*, *v.g.* ℥j. addi poteſt *Mercurii vivi* ʒj.

Vel

℞. *Ungu. Martiat.* ℥j.
*Olei Myrtin.*
*Laurin.* an. ʒß.
*Mercurii viv. Flor. Sulph. extinct.* ʒij.
M. f. Unguentum: S.
Unguentum Emolliens.

Hoc Scrophulis ſeu Strumis imponendum, & quotidie renovandum; hoc enim promptiſſimè reſolvit & emollit.

In quibus tamen Mercurialibus ſemper inſpiciendæ ſunt Fauces & Gingivæ, an forſan ex eorum uſu immineat Salivatio.

Gruelingius *lib. 5. Medicinæ Practicæ P. 3. c. 19.* omnia Linimenta & Emplaſtra Corio canino denſo illinit egregio cum uſu.

Præ cæteris excellens eſt *Oleum deſtillatum* Helmontii *in Scriptis*, *in Tr. Tartarus non eſt in Potu* §. 15. quod Oleum deſtillatum etiam invenitur jam olim deſcriptum *in Epiſtolis Medicinalibus* Langii *Epiſt* 4. *lib.* 3. Hoc illitum potenter reſolvit & inſenſibiliter diſcutit Strumas & Scrophulas; quod etiam facit Oleum Philoſophorum & Iridis noſtratis per infuſionem paratum.

Quòd ſi emolliri aut reſolvi nequeant Scrophulæ ſeu Strumæ, uſurpanda ſunt ſucceſſivè ad quandam *Suppurationem* ducentia, ad quam Scrophulæ legitimæ interdum ſponte tendunt. Ad Suppurationem præſtat imprimis *Emplaſtrum* de Meliloto cum Oleo Amygdalarum dulcium & Pinguedine Serpẽtum ſubactum, aut Unguentum Diachylon cum Gummatibus commodè ſuppurat, & maturat Scrophulas, vel *Cataplaſma ex Cucumere aſinino*: *Emplaſtrum Magneticum Angeli Salæ*, cum *Emplaſtro Diaſulphuris mixtum*, ad imitationem Fabri *in Curâ Cancri Curat.* 97. Vel applicetur Emplaſtrum de Nicotianâ *Plateri*, quod videbitis *C. 1. Obſ.* 28.

His & ſimilibus ſuppurandæ ſunt Scrophulæ. Scrophulæ dum ſuppuratæ ſunt, non ſtatim aperiendæ,

ſed quamdiu fieri poteſt, clauſus linquendus eſt Abſceſſus, propterea, ut eò major Glandulæ ſtrumoſæ pars per Maturationem in Pus abeat; Nam aperto Abſceſſu tota Glandula affecta per Suppurationem eſt abſumenda. Aperto ergò Abſceſſu, ut hoc fiat, imprimis ut tota ſtrumoſa Glandula abſumatur, ſufficit vel ſolum *commune Digeſtivum* ex Terebinthinâ, Vitello Ovi & Melle illitum (de quo alio loco plura); vel quod melius eſt, permiſceatur cum tali Digeſtivo Mercurius Præcipitatus probè ablutus; ſic enim blandè & ferè abſque dolore abſumit Glandulam ſtrumoſam. Abſumtâ in totum Strumâ, *Ulcus* Glandularum relictum *mundificandum*, & ſolito modo conſolidandum erit. Pro mundificando ſufficit *Balſamus Sulphuris*.

Si verò Glandulæ ſint *pendulæ*, commodè Filo ſeu Setâ equinâ pedetentim conſtringendæ ſunt, ut ſenſim marcidæ ſponte ſeparentur: ſi verò *propriis Tunicis* ſint *incluſæ*, ſubinde neceſſe eſt, ut, cùm Diſcutientia & Suppurantia ſint fruſtranea, Chirurgi manu curentur, proſpiciendo ut Membrana tota tollatur, quod ſaltem fieri poteſt, ubi non magna Vaſa aut Nervi ad Glandulas tendunt.

Hiſce Externis commodè ſubjungenda ſunt *Interna*, ut plurimùm Fixa *Acidum* iſtud vitioſum, Lympham Scrophularum inquinans, *abſorbentia*; qualia ſiunt ex Spongiis combuſtis, earum Lapidibus calcinatis, Oſſe Sepiæ, Pumice, cum Zingibere, Pipere, & ſimilibus, Remedia Viperina, Arcanum duplicatum, Pumex præparatus, præmiſsâ tamen internè *Purgatione* ex Helleboro nigro & Mercurio dulci. Facit quoque huc Pulvis *Helmontii* contra Strumas, qui vid. in *cit. loc.* item Pulvis *Arnoldi Villanovani* contra Strumas, qui vid. *in Pharm. Auguſt.* doſi 3ß. Vel fiat talis Pulvis, in quo ferè ſunt omnia Ingredientia contra Scrophulas.

℞. *Spong. marin. comb.* ℥iij.
*Oſſ. Sepiæ,*
*Maxill. Lucii piſc.*
*Lap. Cancr. præp.*
*Piper. long.*
*Zingib. albi,*
*Rad. Pyrethri,*
*Gallarum,*
*Teſt. Ovor. calcin.* an. ℥j.
M. f. Pulvis.

Quotidie decreſcente Lunâ doſi 3ß. uſurpatur.

Magis appropriati redduntur Pulveres ad Strumas, ſi cujuſdam p. ij. vel iij. miſcentur cum p. j. Arcani Duplicati *Mynſichti*, doſi ℈j. ad 3ß. vel ʒij.

In Potu commodè infunduntur vel decoquuntur Rad. Scrophulariæ, Filipendulæ, & harum Herbæ, Geniſta, & ſimilia. Vincetoxicum decoctum & exhibitum Scrophularum Antidotus vocatur in M. A. N. C. *Ann.* 1. *Obſ.* 57. *Lacertarum* cum Aceto præparatarum *Pulvis* nobilis eſt contra Scrophulas, qui etiam redigitur in Electuarium: e. g.

℞. *Lacertar. præp. & pulveriſ.* ℥j.
*Mellis* ℥iv.
M. f. Electuarium.

Doſis ʒij. vel ʒiij. omni mane continuando per aliquot ſeptimanas.

Huc quoque facit Manûs & Sudoris Mortui affrictio: Conf. Wedelius *Phyſiolog. Sect.* 3. *c.* 27. *p.* 189. Denique hauſtus Potus ordinarius ex Cranio Hominis ſepulti, ad tempus continuatus ſingulariter conducit ad Strumas, in ſpecie Colli.

## ARTICULUS III.

### *De Scirrho.*

*Scirrhus* vocatur *Tumor durus tactui renitens*, qui ſenſim ut plurimùm generatur in partibus mollioribus, & indolens eſt, & loco immobilis, & præter Glandulas occupat alias partes, imprimis carnoſas, ſive *internas*, nempe Viſcera, ſive *externas* quaſcunque

### CAUSÆ.

*Naſcitur ex coagulatione aut Sanguinis, aut Chyli crudioris, aut utriuſque ſimul:* Ex *Sanguine coagulato*, quando Inflammationibus malè tractatis, imprimis per *Repellentia* dicta *Adſtringentia*, ſupervenit; tunc enim talis Tumor durus remanet, ſeu Scirrhus. Ex *Chylo crudo* & viſcido, cum Sanguine hinc inde diſtributo, vel etiam cum alieno vehiculo, cùm ſimiliter in talem Tumorem durum coagulando coëunt: qua ratione Oedemata Epithematis nimis validè diſcutientibus tractata in Scirrhum degenerare ſolent: quô pertinet etiam Tumor Mammarum ex Lacte coagulato, qui & ipſe interdum ſcirrheſcit, & tandem tam durum Scirrhum quàm Scrophulam generat. Interdum ſimul & Sanguis & talis Chylus viſcidus per poros partium, in ſpecie Viſcerum, tranſeundo ſucceſſivè hæret, congeritur & coacervatur, ibique coagulatur in talem Scirrhum autore Acido præternaturali, aut nimio, aut fixo, aut auſtero, aut alio ſimili modo vitiato, dictam materiam coagulante. *Cauſa Remota & Occaſionalis*, præter Febres Chronicas, Menſium aut Hæmorrhoidum ſuppreſſionem, ſæpè ſunt Fracturæ: (vid. Wiſemannus *Chirurg. lib.* 1. *cap.* 19.) Item Convulſiones, (vid. Hildanus *cap.* 3. *Obſerv.* 79. & Wiſemannus *l.a.*)

In his Scirrhis probè obſervanda eſt *Differentia & Diſtinctio*: *Scirrhus vel indolens* eſt & *Legitimus*, vel *dolens* & prætereà nonnihil liveſcens eſt, & *Nothus*, qui ſubinde eſt *Cancroſus*, unde ſi curatur, periculum eſt ne in Cancrum degeneret.

### DIAGNOSIS.

Facilè patet Scirrhus ex duritie & indolentiâ, quæ ſemper ſunt in Scirrho Legitimo.

### PROGNOSIS.

Scirrhus, imprimis inveteratus, difficulter curatur, cùm nec reſolvi, nec commodè ſuppurari poſſit, & Cauſa ejus ſæpè maligna, & Scirrhus facilè in Cancrum degeneret: vid. Hildanus *C.* 3. *Obſ.* 79. & *C.* 6. *Obſerv.* 75.

### CURA.

In *Cura* opera danda eſt, ut Scirrhus emollitus ſucceſſivè inſenſibiliter reſolvatur & evaneſcat, idque maturè; aliàs enim facilè incurabiles fiunt Scirrhi. Curantur imprimis maturè, aut, uti dico, inſenſibiliter reſoluti, aut, quod rarius & etiam periculoſius, ſi tandem ſuppurentur & degenerent in Abſceſſum. *Acidum* ergò coagulans temperandum eſt, & *Durities* facta emollienda.

Faciunt huc *Reſolventia fortiora*, Diſcutientibus moderatis nec adeò acribus permiſta, ut reſolvatur Tumor ſucceſſivè. Id quod faciunt imprimis Remedia ex Naſturtio, Eryſimo, Cochleariâ, Erucâ, Cicutâ,

Cicutâ, Mandragorâ, Nicotianâ, Scrophulariâ, Cucumere asinino, ac similibus, imprimis sub formâ Emplastri succulenti vel Cataplasmatis applicata, donec Tumor scirrhosus emolleſcat. Stercus Bubulum Aceto incoctum & applicatum Scirrho, Tumores Scirrhosos quam plurimos mirificè dissipat. Oleum Lumbricorum terrestrium, Olei Tartari destillati pauco mistum, & hæc duo Vini Spiritu diluta & illita, optimè curant Scirrhum: Nam certum est, quòd Oleum Tartari rectificatum, fœtidum licèt, mirè resolvat, & Tumores duros potenter discutiat & emolliat, quod etiam facit Oleum Philosophorum, vel Saponis.

Hæc juxta, Cataplasmata ex Radice Bryoniæ cum Stercore Caprillo impositа similiter egregia sunt ad discutiendum & emolliendum Scirrhum; vel applicatur Cataplasma Resolutivum *Foresti*; aut fiat tale Cataplasma, quod expertus est feliciter Thonerus:

℞. *Farin. & Furfur. Hord.* an. ℥ij.
*Sterc. Caprill.* ℥iij.
*Melilot.*
*Chamomill.* an. M. ß.

Cum *Lixivio & Sapâ* F. Cataplasma, addito pauco *Oleo Anethi*.

Præ cæteris tamen *Gummata* sunt, quæ potentissimè Scirrhos resolvunt, nempe Bdellium, Galbanum, Opopanax, & hæc inter Gummata Ammoniacum primatum obtinet, si scilicet vel solum Gummi Ammoniacum in Aceto solutum inducatur Alutæ, & applicetur sub formâ Emplastri, optimè resolvit Scirrhum. Melius adhuc est, si Emplastrum de Cicutâ vulgare misceatur cum Gummi Ammoniaco in Aceto: Nam Cicuta per se mirè laudatur ad quoscunque Scirrhos curandos. Hinc Emplastrum Splenеticum *Aquapendentis*, paratum ex Gummi Ammoniaco & Succo Cicutæ, expertum est Remedium ad percurandos Scirrhos. Item *Emplastrum Diachylon*, vel de Meliloto, cum duabus partibus *Gummi Ammoniaci* mixtum, Scirrhum emollire solet. Elegans etiam est sequens Emplastrum, efficax satis ad Scirrhos curandos: nempe

℞. *Succ. Cicutæ expr.*
*Mandrag.* an. ℥iv.

Coqu. in Tigillo assiduè movendo ad Extracti liquidioris consistentiam: adde

*Galb. cum Aceto sol.*
*Gum. Ammon. cum Aceto sol.* an. ℥iij.
*Empl. de Melilot.*
*Diachyl. simpl.*
*Terebinth.* an. ℥ij.
*Croci Orient.* ℥iij.
*Sal. Ammoniac.* ℥j.
*Olei Tartari fœt.* ℥iß.
*Ceræ* q. s.

M. F. Emplastrum applicandum Scirrho.
D. S.
Emplastrum Emolliens.

Hocce applicatum Dolorem equidem primitùs movet: sed propterea non est cessandum, sed tertiâ quâque die novum est reiterandum.

Aliàs etiam Emplastrum *Hildani* tanquam singulare Experimentum laudatur ab Autoribus, cujus descriptionem videbitis in *C. 6. Observ. 75.* Loco hujus Emplastrum Dia-sulphuris *Rulandi*, item *Emplastrum Diachylon* cum Gummatis, commodè etiam applicantur.

His non satisfaciētibus, & *Mercurialia* ex Mercurio vivo parata commodè etiam Scirrho Legitimo imponuntur. Hinc Emplastrum de Ranis Vigonis cum duplo Mercurii applicari potest:

Vel sequens.

℞. *Empl. Diachyl. cum Gumm.* ℥ß.
*Mercurii vivi* ℥ß. ad ℥ij.
M. D. S. ut suprà,

Imponatur Scirrho.

Vel Pinguedo Suilla cum Oleo Laurino & Mercurio vivo in Mortario lapideo cum Pistillo ligneo subigatur, donec fiat Unguentum. Convenit etiam solùm Lamina Plumbea Hydrargyro illita & imposita, vel etiam ad Scirrhos *Closæi*, vel *Emplastrum Magistrale*, quod habet Agricola *in Chirurgia parva p. 689.* sufficit ad tollendum & percurandum Scirrhum.

Quòd si his ipsis & similibus, & imprimis Gummi Ammoniaco, non possit legitimè discuti ac resolvi Scirrhus, tunc necessitate urgente ad *Maturationem* in Pus, quantum possibile, deducendus est. Temperatis tamen, sed nonnihil Acrioribus, quàm in Inflammationibus fieri solet, non tamen nimis Oleosis nec Mucilaginosis Remediis: talia nempe imponenda sunt, quæ Alcali quidem, sed temperato, constant, quæ imprimis Acidum blandè resolvunt, alterant, & successivè materiam in Pus transmutant: id quod ipsum tamen cautè similiter admodùm faciendum est. Nam nimis Suppurantia periculosa sunt, quia Scirrhus quicunque sub Maturatione facillimè abit in *Cancrum*, eumque *Exulceratum*: quod observetur imprimis in Scirrho dolente, & Colore nonnihil livescente, qui Suppurantibus tractatus abit in Cancrum; in Scirrho enim indolente hoc non semper est metuendum. Hildanus *cap. 6. Observ. 75.* habet Unguentum in Tumore Scirrhoso ad Cancrum inclinante, quod etiam in Scirrho Mammæ Mulieris, ubi metus suberat Cancri, optimum fuit.

*Dolens* ergò *Scirrhus, puncturis occultis molestus ad tactum dolens, colore livescens*, in Subjecto vel jam ad Senectutem vergente, vel cui ordinarius aliàs Hæmorrhoidum aut Mensium fluxus est suppressus, talis, inquam, Scirrhus, si non potest sensim resolvi, & successivè absumi, insensibiliter & citra Suppurationem, aut intactus omninò est relinquendus, aut applicatione Nitri in Aceto dissoluti in lapideam Duritiem *indurandus*; Nitrum enim hoc modo dissolutum cum Linteis vel Spongiis applicatum indurat Scirrhum, & in lapideam Concretionem ferè transmutat.

Quidam Tumoribus Scirrhosis, præmissis Universalibus, *Cauteria potentialia* applicanda commendant, [vid. Hildanus *Cent. 3. Obs. 79.*] quæ tamen vitanda, præsertim quando Scirrhi in Cancrum degenerare volunt: vid. Hildanus *Cent. 6. Hist. 75.* Scirrhos hos dolentes, sicuti etiam Strumas dolorosas, in Subjectis modò citatis facilè in Cancros degenerare dixi.

## ARTICULUS IV.

### *De Cancro.*

*Cancer* est Tumor planè singularis, ac omninò sui generis. Primò quidem vix Ciceris ac Pisi aut Fabæ magnitudinem adæquat, ita tamen, ut in ipso subinde *Punctio* percipiatur ab Ægro, successivè modò citiùs, modò tardiùs incrementum capit, & sub isto parvo initio Tuberculum istud durum nigricans, interdum lividum, Punctionibus quibusdam molestus esse solet. Ubi Cancer augmentum accepit, apparet Tumor durus, coloris plumbei aut lividi, dolens in principio moderatè, in augmento vehementiùs: Ubi verò est *exulceratus* jam Ardor est acerbissimus, instar Aquæ Fortis corrodens & depascens partes vicinas molliores, cum insigni in

Ulcere

Ulcere *Putrilagine ac Fœtore*: adeſt in incremento Cancri, aut ubi jam ad Exulcerationem vergere incipit, fervidus Ardor, Pulſatio punctoria moleſta, & ambiunt Tumorem *Venæ hinc inde turgidæ*, & nigro Sanguine diſtentæ, tanquam Pedes cancrini hinc inde extenſi, donec Exulceratus tandem Cancer, niſi Ferro aut Igne deleatur, miſerâ Morte Ægros occidat.

Qui tamen *per ſe rariùs inchoat*, niſi forſan in Mammis; cùm ſæpiùs alios Tumores, in ſpecie *Scirrhos*, & quæ his ſunt cognatæ, *Strumas* ſcilicet ſubſequi ſoleat, ſi malè tractentur: Nam Cancer creberrimè occupat Mammas, in quibus quam plurimi oriri ſolent Cancri; poſt Mammas etiam loca glandulosa alia, ſic namque in locis glandulosis Ulcera deteriora fiunt, quæ ſubinde ad Cancri malignitatem accedunt.

Poſt has Glandulas occupat Cancer frequentiùs, ſi per ſe incipiat, Faciei partes externas, nempe Os, Naſum, Labia, & ſimilia. Si Naſum, Os, vel Labia occupat, dicitur *Noli me tangere*, item *Lupus*. Pariter etiam Genitalia, tam virilia quàm muliebria, ſicut ſæpiùs & ipſe Uterus ex Partu difficili, aut impuro Coitu, cum annexis, Cancro afficiuntur.

## CAUSÆ.

*Occaſio* hujus interdum eſt ex *Causâ Externâ*, nempe Contuſione, Contrectatione inclementiori, vel aliâ læſione Mammæ, aut aliarum partium glandulosarum, qua tunc in parte læsâ colligitur tale *Fermentum malignum*, quod ſub Seri vehiculo unà cum Acido corroſivo ſenſim ſemſimque circa Vaſa capillaria Varices efficit, dum illic ſtagnat, ac corrodendo latiùs ſerpit, ubi tamen ſimul Vaſa capillaria propter vim quaſi illatam conſtringuntur, adeoque, dum ſic toti Maſſæ Sanguineæ tranſitus præpeditur, Cancer oritur: Ubi principium ejus diu latere poteſt donec ſuâ ſub dierum maturitate ſupervenientibus *Cauſis Internis*, in ſpecie in Scorbuticis quibuſdam, Hypochondriacis, Melancholicis, Hyſtericis, Lue Venereâ affectis, &c. Menſium fluxu ſuppreſſo, aut Hæmorrhoidibus deficientibus, ut ferè in Ætate conſiſtente evenire ſolet, tandem ſe manifeſtet & augmentum capiat. Interdum etiam retentio viſcidioris Lymphæ in ipſis Glandulis, accedente Acido corroſivo, *Cauſa Antecedens* hujus affectûs eſt. Cùm ergò varia hæc ad Cancri generationem concurrant, hinc ejus productionem ad unam ſaltem *Cauſam Remotam* vix referre poſſumus, excepto illo, qui à certis & jam dictis Subjectis prædiſpoſitis Contagio propagatur.

*Cauſa Proxima* Cancri communiter ſtatuitur Humor Melancholicus aduſtus, ſeu ut alio nomine venit, *Atra bilis*, id eſt ſi intelligibili ſenſu explicetur, Acidum volatile inſigniter corroſivum, de naturâ quaſi (ſi per ſimile explicandum eſt) arſenicali, in quo ipſo, in ſpecie ſi exuberat, duplex Venenum eſſe non ineptè aſſerit Hildanus, nempe Putrefactivum & Corroſivum.

Hoc ipſum *Acidum* eſt occultum in Cancro incipiente, increſcente & nondum Exulcerato; manifeſtum verò eſt in Cancro Exulcerato.

Latet autem iſtud Acidum, quamdiu à novo Acido vitioſo nullum augmentum capit, aut quamdiu per applicata Externa non irritatur, ſeu in Effervescentias cogitur; aliàs enim levi irritatione effervescit, unde Acor malignus ſic ſe explicans Ulcus conſtituit Cancroſum, ſeu Cancrum exulceratum, qui Veteribus, Hippocrati & Galeno, citra totalem partis cancroſæ extirpationem Ferro & Igne fuit incurabilis; Modernis autem, licèt pauciſſimis, per certum quoddam Alcali ſulphureum citra partis jacturam curabilis.

Cancer iſte, qui adhuc latet, ſi nondum in Ulcus degenerat, dicitur *Cancer Manifeſtus*. Occultum fieri Manifeſtum, ſeu exulcerari ferè, patet ex ſuperveniente Dolore intenſiore, Pulſatione punctoriâ moleſtiore, Ardore, & Cancri inſolitâ Intumeſcentiâ, donec perfectum prodeat Ulcus.

## PROGNOSIS.

Cancer eſt Affectus graviſſimus, quo plures moriuntur, quàm reſtituuntur; vid. Franciſcus de Roma *Conſ.* 21. utut non abſolutè lethalis ſit, ille præprimis, qui à Causâ externâ oritur, vid. Wiſemannus *Chirurg. p.* 20. & quia non niſi generoſis Remediis curari poteſt, periculosâ etiam Applicatione Malum fit difficilius.

Cancer, qui totam Maſſam Sanguineam & Viſcera interna inquinat, periculoſus eſt: vid. Avicenna *de Curâ Cancri*, Foreſtus *lib.* 4. *Obſerv.* 5. & Franciſcus de Roma *Conſult.* 22. *in Append.* qui Experientiâ teſtatur, unâ Mammâ cancrosâ reſciſsâ alteram mox Cancro affici.

Cancer qui immediatè ſub Cute hæret, faciliùs curatur, quàm qui profundiùs latet; unde Cancer Oris, Vaginæ Uterinæ, facilè quidem exſtirpatur, commodè tamen non cicatriſari poteſt.

Qui Vaſis majoribus propinquiùs, aut in Mammâ Coſtis arctiùs cohæret, difficiliùs curatur.

Cancer cum Dolore atrociore & Hæmorrhagiis frequentioribus grave Malum eſt.

Cancer Exulceratus periculoſior eſt Cancro non Exulcerato.

## CURA.

*De modo curandi* per Remedia, vid. *Diſcurſ.* Alliot *in P.* 1. *Act. Haffn. pag.* 158.

Cancros ergò hos *Occultos*, ſeu nondum Manifeſtos, adeòque Scirrhos & Scrophulas indolentes, non attingere melius eſt, monente Hippocrate *lib.* 6. *Aphor.* 38. cùm per Medicamenta Diſcutientia, Suppurantia & Erodentia attacti faciliùs exaſperentur & alterentur, unde poſtmodùm Ægri citiùs intereant: aut ſi attingi debet hic ipſe Cancer Occultus, palliativè ſaltem tractetur, incrementum ejus præcavendo, & exceſſivum gradum Acidi temperando & quaſi edulcorando, per Medicamenta imprimis *Saturnina*, Acidum quodcunque, quale nempe eſt in Aceto & Spiritu Nitri, edulcorantia, aut per *Vegetabilia temperata*, Alcali fixo & ferè inſenſibili præditа, vulgò *Refrigerantia* dicta, nempe Plantago, Solanum, Cicuta, quibus Cancri fluviatiles, Stercus Humanum, Ranæ, Buſones, & ſimilia Animalia accedunt: quædam internè, quædam externè conveniunt; internè Remedia ex Cancris, Acidum nimium in Corpore abſorbentia, ejuſque proventum impedientia.

Inter *Externa* ergò, quæ applicentur in Cancro Occulto palliativè conſervando, ne exulceretur, ex Vegetabilibus eſt Cataplaſma ex Cicutâ recenter impoſitum: hoc nempe potenter mitigat Cancrum. Hinc omnes ſpecies Intyborum, atque Decoctum Solani aut ſimilia, aut Succi horum Vegetabilium, item Succus Scabioſæ, Geranii Robertiani, Herniariæ, Plantaginis, & ſimilia mitigant Cancrum incipientem. Solani nempe Folia teruntur in Mortario plumbeo, & imponuntur locis, ubi Cancer Occultus eſt, ut impediatur ejus progreſſus & ulterior Exulceratio: vel ſubigitur Succus in Mortario plumbeo. Solo Succo Onopordi contuſi quidam apud

Borel-

Borellum *Cent.* 2. *Obſ.* 51. à Cancro Narium curatus fuit; ubi Plantago, ſi Mammarum Cancris applicatur, laudatur: Vid. *Cent.* 2. *Obſerv.* 67. ubi egregia Medicamenta contra Cancrum deſcribit: Vid. pariter Agricola, ubi idem Arcanum reperietis. Præ cæteris Poma putrida applicata, aut Aqua Pomorum putridorum, & cum hac parata Aqua Calcis vivæ applicata, eſt optima; quin & Cancri fluviatiles contuſi in Mortario plumbeo, & Succus eorundem in ſimili Mortario probè agitatus, optimè applicatur partibus Cancro Occulto laborantibus.

Fiunt etiam Unguenta ex Cancris fluviatilibus huic uſui deſtinata. Hinc Stercus Humanum impoſitum, aut Oleum & Aqua Stercoris Humani deſtillata applicata, optimè conducunt ad palliandum Cancrum Occultum. Ranæ etiam virides dant Unguentum & Oleum, quod deſcribit Sennertus, & valdè etiam commendatur ab aliis Autoribus pro Cancro Occulto.

*Saturnina* imprimis dixi eſſe utilia & his cognata: hinc Saturnus calcinatus, Lithargyrium, Ceruſſa, Saccharum Saturni, & ſimilia optima ſunt: unde uſurpetur *Emplaſtrum de Saturno*, nempe *ex Oleo Roſarum*, diutiùs in Mortario plumbeo cum Saturno calcinato terendo tamdiu, donec fiat Linimentum craſſum & lividum. Unde etiam Unguenta, & Liquida Cancro Occulto applicanda, omnia ſubigenda ſunt in Mortariis ſeu Vaſis plumbeis; ſicut etiam Unguentum ex Plumbo uſto, Plantaginis, Solani Succis, &c. habet Amatus Luſitanus *l. a.* quô etiam pertinet Unguentum de Tutiâ, Diapompholygos, &c. imprimis ſi his Oleum & Cineres Ranarum admiſceantur.

Vel

℞. *Saturni uſti* ℥j.
*Olei Roſar.* ℥iiß.
*Croci* ʒvj.

Miſta ducantur in *Mortario plumbeo* calidè cum *Piſtillo plumbeo*:

D. S.

Unguentum Præſervans.

Hinc *Emplaſtrum Saturninum Mynſichti*, item Emplaſtrum de Carne Bubulâ ejuſdem, optimè conducunt in hoc caſu, *Oleum Ranarum* ducatur diu in Mortario plumbeo, addendo *Cornu Cervi uſti* & *Saturni calcinati* q. ſ.

Convenit etiam in Cancro Occulto Lamina plumbea, primò ſimplex, poſtmodùm Mercurio incruſtata, Cancroſo Tumori arctiùs applicanda: Vid. Amatus Luſitanus *Cent.* 3. *Cur.* 32. & Paræus *lib.* 7. *c.* 32. *Amalgama Mercurii cum Saturno*; quale Amalgama & inde paratum Emplaſtrum eſt optimum. Tulpius *lib.* 1. *Obſ. cap.* 47. & *lib.* 6. *cap.* 51. etiam habet Ceratum de Saturno ad hujuſmodi Cancrum palliandum convenientiſſimum, quod ſequenti modo paratur:

℞. *Olei Roſar.* ℥iij.
*Ceræ alb.* ʒvj.
*Plumb. uſt. & lot.* ℥ß.

*Cera* cum *Oleo* liquefiat, & addito *Plumbo* agitentur per ſex horas in *Mortario plumbeo*, fiat Ceratum.

Cautè tamen procedendum in Tumoribus Cancroſis cum Unguentorum applicatione: Vid. Wedelius *Tr. de Comp. Medicamentorum p.* 185.

Nec negligendi etiam ſunt *Fonticuli*, e.g. Brachiis in Cancro Mammarum inuſti, quos commendant Claudinus *in Reſponſ. Med.* 35. Hildanus *cap.* 6. *Obſerv.* 22. & Ludovicus Mercatus *Chir. lib.* 2. *cap.* 7.

*Interne* his ipſis ſuccurrendum eſt *Appropriatis*: unde præmiſſis Abſorbentibus, & Acidum cauſticum invertentibus, v. g. Antimonio Diaphoretico Joviali, Sacchar o ac Magiſterio Saturni, & ſimilibus, vel ſeorſim vel junctim, quotidie bis vel ter aſſumptis, imprimis uſurpanda *Purgantia* ex Helleboro nigro, quæ etiam in Scirrhis conveniunt, cum Mercurio dulci propinanda. Item conveniunt etiam in ſpecie Remedia ex Fumariâ, Borragine, Bugloſsâ, Portulacâ, &c. quæcunque hinc Saturnina, Saccharum Saturni, Cryſtalli Saturni cum Spiritu Nitri, Balſamus Saturni, &c. Tinctura Antimonii tartariſata, Tartarea etiam volatilia, Spiritus Tartari volatilis per fermentationem parandus, &c. quæ optimè ad præcavendum Cancri progreſſum uſurpantur. Convenit etiam Lac, cui Cancri fluviatiles incocti, quod commendat Claudinus *l. a.* & pro Acido diluendo Serum Lactis, Decoctum Theæ à Kypero olim laudatum, Decoctum Radicis Chinæ, Sarſæparillæ, Ligni Saſſafras, Decoctum Herniariæ; de quibus vid. Riverius *Pr. lib.* 15. *cap.* 10. Præ cæteris Pulvis Mille pedum præparatorum, à ℈j. ad ʒß. uſurpatus, ſingularem habet virtutem contra Cancros Occultos, in ſpecie ſi Mammas occupaverint: propinatur cum dimidio Lapillorum Cancrorum, ut Acidum Occulti Cancri temperet, ne Exulcerationem inducat. Cum his legitima inſtituatur Diæta, quâ ſolâ etiam multi Cancroſi per plures annos ſine incommodo vixerunt: Conf. Amatus Luſitanus *C.* 3. *Cur.* 32. Vitetur Vinum, utpote Acidum volatile corroſivum augens.

De Curâ Cancri Exulcerati *inferiùs Art.* 6. *Cap.* 3. habebimus, *ubi de Ulceribus Cancroſis*, quæ vix niſi Arſenico cedunt. In talem *Cancrum Exulceratum*, ut *ſuprà dictum* eſt, Gingivarum Cancer Occultus, Scirrhi & Scrophulæ dolentes, uti etiam Excreſcentiæ quædam lividæ & dolentes, v.g. Polypus Narium, quædam Verrucæ & ſimiles, facilè degenerant, ſi ſcilicet nigreſcant, vel liveſcant, vel ſint doloroſæ, aut malè tractentur.

*Signum* imprimis eſt *Dolor* eorum *punctorius & lancinans*, qui oritur ex eo, quòd Acidum iſtud volatile corroſivum morſicat obſcurè Fibrillas quaſdam nerveas & vicinas partes; vel ob ſui exceſſum, dum non ſatis habet à quo imbibatur; vel in ſpecie, quia infeſtat partes ſenſiles Nerveas & Fibrillas facilè irritabiles; vel fit Dolor ob occultam, quam iſtud Acidum jam concipit, Efferveſcentiam ad Exulcerationem diſpoſitivam, cum qua ſemper ſimul Ardor quaſi & Æſtuatio in loco dolente concurrere ſolet; ſi tantillum ergò Acidi in Efferveſcentiam concitetur, etiam porrò in Exulcerationem promovetur. Quicquid in his Caſibus tentetur, irritando crabrones facilè in perfectum Exulceratum Cancrum mutabitur, idque imprimis ſi ducatur ineptè ad Suppurationem Tumor per propriè dicta Maturantia aut Emollientia, aut illegitimo aut inconvenienti modo adhibita. Nam ſi talia adhibeantur Acriora, Acidum in Fermentationis exſuſcitatur motum, doloroſa oritur Exulceratio, & Cancer manifeſtatur. Sin hæc Acriora fuerint mucilaginoſa nimis & oleoſa, tunc pori Partis agglutinantur & incruſtantur, unde exhalatio particularum acrium ſubtilium impedietur, quæ retrogreſſæ Acidum corroſivum augebunt, & ita promptiùs Exulcerationem inferent: Sin humectantia, tunc reſolvendo, Acidum occultum iſtud in actum deducitur, quo ſoluto ſupervenit Corroſio & Exulceratio; hinc dicunt, in Scirrho dolente Fotus humidi ſunt nocivi; item Fotus cum Aquâ ſunt rejiciendi.

Scrophulæ ergò & Scirrhi, & ſimiles Tumores dolentes, aut non ſunt attingendi, aut tentandum ut iis, quibus Cancri Occulti ad tempus palliantur, ſucceſſivè diſcuti ac removeri poſſint: id quod tamen,

niſi

niſi Appropriatis internis ſuccurramus, vix ſit citra metum recidivæ, aut orientis Cancri Occulti in aliâ Corporis parte.

Hæc de Tumoribus ex congeſtione & ſtagnatione enatis.

## ARTICULUS V.

### *De Gummatis Gallicis.*

QUod attinet *alteram Tumorum ſpeciem*, ex Alimento Partis proprio corrupto aut alterato, paulatimque coacervato oriundorum: pertinent ad hos imprimis *Gummata Gallica*, quæ ſunt Tumores duri, tactui renitentes, interdum dolentes, in Oſſium medio enati, & iis immediatè incumbentes, ſubinde ipſi Dolorem nocturnum graviſſimum ferè intolerabilem *Oſtocopon* inferentes, tandem Partes molles ſubjacentes & Oſſa ſubjecta eroduntur & carioſa reddunturo.

### CAUSÆ.

Originem ducunt *ex Acido maligno Venereo*, quod aggreditur partes nerveas, in ſpecie Oſſa, in his ſe firmiùs implantat, eorum Alimentum corrumpit, quod corruptum Acore inquinatur, ſucceſſivè in medio Oſſium coacervatur, & porrò coagulando in iſta Gummata induratur, donec Acidum vicina loca erodendo Ulcera peſſima excitet.

### CURA.

In mitiori Caſu proſunt *Sudorifera* ex Lignis, aliaque Lui Venereæ appropriata, in graviori *Salivatio Mercurialis*, quibus etiam ſemper *Viperina & Martialia* fixa Remedia ſunt intermiſcenda.

Præter Interna applicanda ſunt hîc *Emollientia & Reſolventia*, antequàm Ulcera Oſſium & Partium mollium inferant.

Conveniunt ergò Emplaſtra ex Gummis fortiter penetrantibus, in ſpecie *Oleo deſtillato Ligni Guajaci* malaxando, quod Oleum imprimis *Cariem* præſervat & curat, iiſdem tamen ſemper Mercurialibus concurrentibus, tanquam Specificis Alexipharmacis. Præter hæc, Gummata talia reſolvuntur Laminâ plumbeâ impoſitâ, cum Mercurio vivo illitâ, ſi ſcilicet ſunt adhuc in principio; vel etiam imponendus eſt Mercurius vivus *Fumo Saturni coagulatus*, & hinc quaſi in Laminam ductus: aut etiam Emplaſtrum de Ranis *Vigonis* cum Mercurio; vel miſcendum eſt Oleum Terebinthinæ cum *Oleo deſtillato Guajaci*, & ipſis addendum eſt Opii q. ſ. pro leniendis nonnihil Doloribus, unà *cum Mercurio vivo*, & inſtar Linimenti illinendum eſt Gummatis doloroſis. Optimè convenit in Tumoribus Sanguineis Opium; Dolorem enim ſiſtit, & ſimul reſolvit.

Vel

℞. *Empl. Hyoſcyam. Lud.*

Miſceatur cum *Mercurio*, *Pinguedine ſubacto*:

D. S.

Emplaſtrum Emolliens.

Item Emplaſtrum, quod Patavii in uſu eſt, cujus deſcriptionem videbitis in *Colleg. Pharmaceut. in* Ludovicum, *Tit.* 22.

## ARTICULUS VI.

### *De Tumoribus Recidivantibus.*

PErtinent huc *Tumores* poſt curatos Abſceſſus & Ulcera ſæpiùs *Recidivantes*: Nempe ſæpiùs poſt Abſceſſum induratum non ritè mundificatum, & nimis maturè conſolidatum, aut poſt Ulcera partium, imprimis nervoſarum, Alcalibus balſamicis non ritè mundificata, aliquid de Fermento Ulceris corruptivo, tantillo licèt, remanet, aut ſi poſt Ulcera occulta Oſſis ſubinde Caries, etiam Carie non ritè ſublatâ conſolidata, recidivant Tumores inſignes, qui pedetentim de novo ſuppurati novos Abſceſſus & Ulcera faciunt, de quibus inferius.

In his & ſimilibus Caſibus Alimentum Partis proximum alteratur, & in Materiam acrem ſubacidam mutatur, & in novum Tumorem collectioni anſam præbet: Unde ſucceſſivè Dolor oritur; his enim ex Cauſis Tumor & Inflammatio & Irritatio ſupervenit, & tandem per Suppurationem Abſceſſûs renovatio, idque toties (decies v.g.) quoties occulta Caries in Oſſe non fuerit perfectè curata.

### CURA.

*Cura* eſt eadem, quæ Ulcerum, propinando *internè* potiones Vulnerarias: in ſpecie tamen opera danda eſt, ut Salibus volatilibus Maſſa Sanguinea purificetur, & Fermentum ſtomachale in naturali vigore conſervetur, & Acidi proventus prohibeatur; *externè* vero probè mundificando. Ulcus, vel Abſceſſum de novo factum, & diutius apertum conſervando. *Mundificatur* vel communibus Digeſtivis cum Balſamo Sulphuris ritè præparato, vel Balſamo Peruviano cum Oleo Nicotianæ, aut ſimili. Quòd ſi pertinacius fuerit Malum, imprimis quando ſuſpicio eſt latentis forſan Malignitatis Venereæ, præter Interna dictis Mundificantibus ſemper de Mercurio, aut dulci aut præcipitato, parum addendum erit.

Oſſium Caries occulta inquirenda, &, ut alio loco dicetur, Appropriatis curanda.

## ARTICULUS VII.

### *De Callis, Gangliis, & Sarcomatis.*

AD hos Tumores pertinent etiam *Calli*, *Ganglia*, & *Sarcomata*, quando nempe Pars quæcunque, tam carnoſa quàm nervea, imprimis tamen nervea, ex quacunque Cauſâ, imprimis Externâ, ita lædatur, ut ejus nimia extenſio, ſtaminum fibroſorum nerveorum laceratio, pororum & meatuum ex naturali figuratione confuſio & inordinatio fiat; tunc enim Fibrillis Partium læſis Alimentum proximum Partis uberiùs recipitur, diutius retinetur, & magis, quàm Pars requirit, aſſimilatur. Atque his occaſionibus fiunt Tumores congeneres, ſeu ejuſdem naturæ cum Partibus quibus adhærent; v.g. circa Oſſa fracta *Calli*, in Tendinibus *Nodi* ſeu *Ganglia*, in Partibus variis carnoſis *Sarcomata* ſeu *Excreſcentiæ*. Unde Ganglia admodùm familiaria ſunt à frequenti Genuum proſtratione in tabulas lapideas, imprimis hyberno tempore, qua ſenſim circa Genua Partes membranoſæ & tendinoſæ unà cùm carnoſis concutiuntur, ſimili modo ac Pueri Veſicas bubulas aut ſuillas concutiendo ampliores faciunt, adeòque ſucceſſu temporis uberiori Alimenti proximi receptione & aſſimilatione majus incrementum capiunt.

### CURA.

*Curantur* facilè vel *emolliendo* & *reſolvendo* eadem inſenſibiliter: id quod locum habet in *Callo* nimis excreſcente in Oſſe fracto, cujus Curationem videbitis in Schenckii & Hildani *Obſ.* Idem locum habet in *Gangliis* & *Nodis*, ut nempe emolliantur & inſenſibiliter reſolvantur: Vel curantur Tumores *aperiendo* & radici-

radicitùs *exſcindendo*; id quod imprimis in Sarcomatis ſeu Excreſcentiis Carnoſis faciendum. Vel *Ganglia & Nodi reſolvuntur* per Folium Sempervivi majoris detractâ pellicula internâ arctè ligatum, & quotidie, mane & veſperi, renovando. Item Nodos & Ganglia in principio diſcutit vel reſolvit *Lamina Plumbea*, vel ſola, vel cum *Mercurio vivo illita*, & ſuperimpoſita; aut loco Mercurii Lamina Plumbea Oleo deſtillato Juniperino illita imponenda; ſic enim aliquandiu geſtata facilè etiam diſparet; hujus loco etiam Oleum Tartari fœtidum, item Saponis Veneti, expertum deprædicatur Remedium. Conveniens etiam eſt, ſi applicetur Gummi Ammoniacum in Aceto ſolutum, ac poſtmodùm Emplaſtrum figens, Germ. *ein Hefftpflaſter*, ſuperimponitur. Vel

℞. *Empl. Diaphoret. Mynſ.*
*de Ammon. For.* an. ℥j.
*Olei Tartari fœtid.* ℥j.
M. D. S.
Emplaſtrum Emolliens.

Vid. M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obſ.* 326. *& Ann.* 6. & 7. *Obſer.* 201. Curantur denique etiam Ganglia, ſi illinantur cum Spiritu Vini temperato cum Succo Rutæ; hæc enim applicata ſæpiùs, optimè diſcutiunt & reſolvunt Ganglia: Vid. Borellus *Cent.* 1. *Obſerv.* 15. Interdum ſolum Gummi Ammoniacum in formâ Emplaſtri impoſitum ſatisfacit. Pertinaci Malo convenit *Emplaſtrũ de Ranis Vigonis cum Mercurio*: Vel *Lamina Plumbea*, infuſa *Spiritu Vini & Aceto deſtillato*, & adſperſo *Euphorbio* applicata Gangliis, ſucceſſivè illa evaneſcere cogit.

*Sarcomata* verò abſcindenda & exſiccanda ſunt, in caſu, quando nempe non adhærent Nervis, vel quando Sarcomata non conſpirant cum Vaſis inſignioribus Arterioſis & Nervoſis, & in talem excreverunt magnitudinem, ut Manibus commodè ea ad radices uſque prehendi & exſcindi poſſint. Sectio autem decuſſatim facienda, Cutiſque inciſa Crucis formâ à Cyſtide avellenda, Cyſtiſque ad radicem Sarcomatis liganda ac ſtringenda, trajectâ priùs Acu ſub ejus radice; hac probè conſtrictâ ac ligata Sarcoma Cultro vel Novaculâ ſub Filo abſcindatur. Sedatâ Hæmorrhagiâ heterogenea Subſtantia membranoſa vel fibroſa Cryſtallis Lunaribus fricetur, vel pauxillo Butyri Antimonii attingatur, & blandè exedatur, ut radix emoriatur, ne novus denuò Tumor excreſcat: poſtmodùm radicaliter eſt tollenda per Suppurantia, aliàs enim revertitur. Suppurationi ſufficit Unguentum Ægyptiacum, vel Suppurantia communia: poſtmodùm per Emplaſtrum quoddam glutinans, vel alia conſolidantia Vulneraria Adſtringentibus miſta, Pars læſa conſolidetur. Sic in M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obſerv.* 255. *p.* 379. Verruca Linguæ & Excreſcentia ex loco Dentis evulſi, per Chordam reſecta & curata refertur.

## ARTICULUS VIII.

### *De Excreſcentiis.*

SImili ratione ferè generantur & alii Tumores ſuis propriis *Folliculis incluſi*, qui omnes ex eo, quòd foràs adnaſci ſoleant, *Excreſcentiæ* vocantur, & in Membranis propriis peculiarem & ſingularem Humorem retinent: Germanis dicuntur *die Gewvachſe*: pro cujus Humoris varietate, & varia ac diſtincta hi Tumores acquirunt nomina, ita ut nunc *Melicerides*, nunc *Atheromata*, nunc *Steatomata* appellari ſoleant.

*Meliceris* equidem dicitur, quando Materia contenta eſt ſimilis quodammodò *Melli* vel *Piſis* coctis: *Atheroma* dicitur, ſi Materia contenta eſt inſtar *Pultis*; *Steatoma* verò dicitur, quando Materia contenta eſt inſtar *Sevi*, vel *Adipis*, vel *Saponis*.

Reperiuntur etiam alia Contenta varia, dum interdum ſub formâ *Farinæ*, contineri ſoleant, interdum etiam unà *Lapides* in iiſdem continentur, interdum *Filamenta* oblonga ex iiſdem extrahuntur, & quæ ſunt hujuſmodi Contenta alia varia, quæ omnia propriâ Tunicâ ſeparatim ab ambiente Cute ſunt incluſa, & ita retenta. Oriuntur hæ Excreſcentiæ ex Nutrimento Partis cujuſdam nerveæ, in ſpecie Membranæ aut Tendinis, ut plurimùm Membranæ, copioſiori retento, ſed nonnihil alterato, & hinc in aliam ſubſtantiam, quàm præcisè eſt Pars alenda, tranſmutato.

## CAUSÆ.

*Cauſa* autem, quòd uberiùs colligatur tale Nutrimentum & alteretur, eſt, quòd Membranæ & Partes membranoſæ aut à Causâ violentâ diſtendantur, & dilatentur, & dilacerentur, quod ut plurimùm fit, vel quando à Causâ internâ, levi tamen, nonnihil eroduntur. Unde Fibris, quarum texturâ Membranæ conſtituuntur, à ſe invicem ſeparatis, & poris dilatatis & ampliatis, Alimentum earum proximum diſtributum uberiùs recipitur, retinetur, & ita ſenſim extrorſum versùs protuberans, Tumor generatur: nam introrſum non patet ſpatium, ut eò vergere poſſit. Ut plurimùm dixi, præcedere Cauſam externam: hinc enim eſt, quòd Moniales & Monachi ex crebrioribus Genuflexionibus, adeoque dilatatione Membranarum iſtius loci ſæpiùs patiantur tales Tumores, in ſpecie Melicerides in Genubus: Sic enim ex Equitatione violentâ & Concuſſione, ingens Steatoma cuidam Militi ſucceſſivè in Perinæo fuit enatum, de quo ſcripſit Elsholz in quadam *Epiſtolâ*. Obſervetur hoc, quòd, ſi non ſemper, tamen ut plurimùm, tales Tumores à Causâ externâ violentâ occaſionaliter oriantur.

Quod verò attinet *Folliculum* proprium, videtur fieri ita: nempe Fibrillæ iſtæ Membranarum eroſæ aut laceratæ, aut à ſe invicem ſeparatæ, cùm ſponte non ampliùs redeant in naturalem ſitum & unionem, à Nutrimento collecto & coacervato diſtendente ſucceſſivè & ipſæ longiùs prætenduntur, & hic inde alias emittentes Fibrillas, tandem ſe uniunt, & mutuò concurrunt in perfectam talem Membranam, talem Tumoris Materiam ex parvo initio propullulantem comprehendentem, eſtque ipſa Membrana, aliarum Membranarum inſtar, & cum incremento Tumoris & ipſa accreſcit ſenſimque augetur. Quoniam verò Succus alimentitius per Membranas læſas ſucceſſivè tranſudans, non naturali ritu & ſitu diſponitur & ordinatur, ſed ſaltim conglomeratus coacervatur ſimpliciter, ob id nudam Materiam, aut Sevi aut Pultis aut Mellis, repræſentat, prout ſimul ſub iſtâ tranſudatione & collectione plùs minùs alteratur.

Obſervatum etiam fuit, quòd hi Tumores, propriis Folliculis incluſi, ſubinde Lunæ phaſes imitentur, quod videtur commune quibuſdam Tumoribus in Partibus nerveis radicatis: item quòd hi Tumores ſæpè & frequentiùs circa Caput, Collum, Nucham & ſimilia reperiantur, rariùs in aliis locis, etiam carneis, Sarcomata protuberent.

## DIAGNOSIS.

Facilè patet, an ſint proprio Folliculo incluſi? qualis autem Materia contineatur? vix poteſt cognoſci; hoc parum refert.

PROGNOSIS.

Tumores tales Cystici per se præter molestiam ferè nihil habent periculi: attamen, quia interdum enormem Excrescentiam, interdum Deformitatem important, curandi sunt.

CURA.

In *Cura* ergò observandum est, ut Materia contenta, Tumorem constituens, omnimodè tollatur, sive insensibiliter resolvatur, & discutiatur, quod fit rariùs, & saltem in his Tumoribus incipientibus, aut minùs inveteratis, quorum Cystis seu Membrana nondum tam firmiter coaluit, aut nondum adeò tenax fuit reddita; sive sensibiliter evacuetur, dum alteratur, & quodammodò in Materiam Puri similem transmutatur, & hinc aperto cum Lanceolâ Tumore exhauriatur; quod fieri potest tantummodò in Meliceride: nam alii Tumores alterationem quamcumque respuunt. Interdum sponte aperiuntur Tumores, & Materiam contentam largiter effundunt: interdum institutâ Sectione integra Membrana Cystim constituens penitus extirpanda est, qui modus est optimus. Verùm si Tumor est confirmatus, & ejus Membranæ firmiter coaluerint, sine Sectione Chirurgicâ vix tolli solet: unde observandum in omnibus curandi modis, ut dicta Cystis radicitùs tollatur, quod fit vel Cultro successivè separando, vel Inunctione Butyri Antimonii, aut Frictione cum Cauterio Lunari, vel similibus Unguentis erodentibus, ne tantillum ejus supersit; aliàs namque à paucis ejus Fibrillis relictis novi Tumoris regeneratio supervenit: Vid. M. A. N. C. *Ann.* 2. *Observ.* 93. *p.*167. & *Ann.*3. & 5. *App. pag.*72.

*Resolvunt* hos Tumores Balsamus Peruvianus, Balsamus Sulphuris, vel Gummi Ammoniacum, item Lamina Saturnina Mercurio illita superimposita, item Emplastrum Oxycroceum applicatum, item Emplastrum de Ranis *Vigonis* cum Mercurio.

Vel

℞. *Picis naval.* ℥ij.
*Gumm. Ammoniac.*
*Sulphuris* an. ℥ß.
M. f. Emplastrum.
D. S.
Emplastrum Resolvens.

Potens satis est hoc Emplastrum ad resolvendos & discutiendos hos Tumores non inveteratos.

Facit huc etiam *Emplastrum Diasinapios*, descriptum à Sculteto *in Tab. ultima*, quo ipso curavit Melicerides, uti patet ex *Observ.*66.

Quòd si resolvi nequeat Tumor & suppurari possit, suppurandus venit per *Suppurantia* paulò fortiora & acriora imposita; id quod tamen rarò fit. Pro hoc scopo Barbette *in Chirurg.* parat *Emplastrum* utile ex *Gummi Ammoniaco*, *Pyrethro*, & *Oleo Succini*, quod impositum Tumorem maturare & ad Suppurationem deducere solet, sequenti modo:

℞. *Gumm. Ammon.*
*Sagap.* an. ℥ß.
*Rad. Pyrethr.*
*Euphorb.* an. ℥ß.
*Sulphuris* ℥iij.
*Olei Succin.* ℥j.
M. f. Emplastrum:
D. S.
Emplastrum Emolliens.

Tumor suppuratus aperiendus est, vel Medicamentis, vel Sectione Chirurgicâ; & hinc evacuatâ Materiâ Membrana eam continens seu Folliculus Cathereticis seu Exedentibus est absumenda. Id quod faciendum est, quando talis Tumor sponte rumpitur: tunc enim & Materia Tumoris & Membrana continens blandis Corrosivis est tollenda; quia aliàs aut Recidivam parit, aut relicto tantillo Membranæ in Fistulam abit, aut Ulcus diutuinum ac fœtidum constituit. Absumunt Materiam & Folliculum *Unguentum Ægyptiacum*, vel Unguenta cum Mercurio Præcipitato edulcorato applicata; aut

℞. *Unguent. Ægypt.* ℥ß.
*Terræ Vitrioli opt. edulc.* ℥j.
*Salis* ℈j.
M. f. Unguentum, applicandum pro exedendo Folliculo:
D. S.
Unguentum Exedens.

Optimus tamen curandi hos Tumores modus est per *Excisionem* sive *Abscissionem*: in specie si inveteratus & contumacior fuerit.

Fit Sectio Cutis *per Crucem*, quæ ita facienda est, ne lædatur Folliculus, hinc Cutis separanda à Folliculo, (quod facilè fit) & ipse Folliculus ac cum eodem Tumor juxta radicem (quæ semper est parva & & angusta) abscindendus, & si quæ superveniat Hæmorrhagia, applicatis debitis sistenda: hinc exempto Folliculo factum Ulcus Mundificantibus, ut moris est, curandum; sic Abscessu mundificato Caro succrescens Tumorem denuò replet. (T)

ARTI-

(T) Nota Cyrilli. *Hîc locum habere debet elegans* Historia Linguæ Pueri in monstrosam magnitudinem adauctæ: *quamvis autem magnitudo hæc visa primùm fuerit esse ipsius Linguæ substantia in exuberantem molem excrescens; attamen Curatio ostendit, fuisse* Cysticum Tumorem *in ipso Linguæ apice latentem, cujus felici extirpatione, naturalis magnitudo Linguæ facilè restituta fuit.*

Neapoli 29. Maij 1715.

NObilis Puellus *jam nunc quinquennis, valido & toroso, quantum ætas ferre potest, Corporis habitu, vix in lucem editus, quum ad lactis suctum fere impar videretur, Linguæ vitio laborare deprehensus est: etenim & ampliori magnitudine prædita notabatur, & illius apice ob latum validumque subditum vinculum tamquam pressis habenis deorsùm reflexo, in arcum curvabatur, ut* ἀγκυλόγλωσσον *appellatum morbum constitueret.*

*Quocirca optimum consilium reputârunt, ut Linguæ frænum rescinderetur: nec mora tertio ætatis mense rescissum. Opportunum sanè tenello Infanti tunc temporis præstitum fuisse videbatur auxilium: nam & promtè, & absque eo quòd ne gutta lactis ex ore effluere, in suctionis opus incumbebat: verùm post aliquot menses Linguam jam mole majori adauctam extra oris confinia exerere, ac veluti per jocum gingivis primùm, mox dentibus manstare subludens Infans cœpit.*

*Incrementum autem indies sumente Puerulo, & Linguæ magnitudo* παρὰ φύσιν *adaugebatur, ut Palati parietes tandem illâ haud capaces redditi, extra Dentium & Labiorum septum protruderent; ac proinde apex in rotundiorem & prorsùs circinatam figuram conformatus, ad unum, mox ad duos digitos & ultrà, versùs mentum propendêret.* Tumorem Cysticum *& propriè* Meliceridem *reputârunt Medici qui*

*Puellum*

*Puellum inviſebant, quare &* Cauſtica, *&* Ignem *ad Cyſtis eradicationem meditabantur: Neapolim tamen advectus (degerat enim uſque ad hoc tempus in Regni Provinciâ) accuratiori obſervationi locum præbuit.*

*Communior ea fuit opinio, adauctam Linguæ molem non tam Tumori cuipiam illius ſubſtantiæ adnato tribuendam eſſe, quàm potiùs* muſculoſam *hujus organi* carnem in monſtroſam magnitudinem excreviſſe: *ita ut ex ipſis γενέσεως primordiis pars hæc corporis Fœtûs, (quemadmodùm & quandoque aliæ) corpulentiam præter naturæ leges ampliorem acquiſierit; ac proinde ex fibrarum ipſam conſtituentium laxitate, & intervallo inter eas majori, factum fuerit, ut majori nutrimento, & fortaſsè aquoſiori (quæ loci indoles eſt) in eam depoſito, ſenſim mole extuberans, ac circumpoſitum gingivarum & dentium ſeptum aſſiduò urgens, tandem aliquando extra Labia exturbaretur.*

*Linguæ magnitudinem & figuram, prout in Puero jam quintum annum agente notabatur, ſervatâ cum reliquis faciei partibus proportione, appoſitâ Icone adumbrari curavimus. Propendens illius portio, parùm à naturali colore recedit, aliquantulùm ad lividum vergens: adhuc ulteriùs propendet cum Puellus fletu ſolvitur, vel cùm prolixiori periodo loqui contendit. Si tetigeris, vix duritiem naturali majorem percipies, nec in eâ, ſi verum fateri velis, molle quid in profundo exundare judicabis, etſi neſcio, quam in intimis receſſibus latentem ſeroſam materiam Chirurgi quidam videre viſi ſint. Linguam, nunquam non extra Os propendentem, retrahere juſſus Puer, promtè retrahit, nec illam Dentium vallo coërcet ne prolabatur, ſed hiante ore, & maxillis diductis, in palato jam ampliore facto abſcondit: tantillo autem interpoſito temporis ſpatio, veluti qui ex laboriosâ ponderis ſuſpenſione laſſatur, eandem iterum prolabi ſinit. Quo tempore retracta Lingua eſt, inciſores Dentes inferioris maxillæ in conſpectum veniunt, haud tamen ad perpendiculum præſepiolis infixi, ſed aſſiduo Linguæ ſuperincumbentis, & ad Labium inferius vergentis, conatu extrorsùm protruſi, veluti radiatim, Labium ipſum inferius ferientes, diſponuntur. Cibi in alterutrum Oris angulum immiſſi expeditiſſimè molaribus Dentibus comminuuntur, & atteruntur, adhuc extra os propendente Linguâ. Bibiturus vaſis oram Linguâ ex ore protrusâ & Labio ſuperiore complectitur, ac facili negotio Aquam haurit. Quod autem magis mirum eſt haud μογιλαλία vel ἰσοχρονία ulla eum tenet, ſed loquitur expeditè: & quamquam literas quaſdam præſertim Labiorum & Dentium exactè pronunciare non valeat, habitu tamen longô uſu acquiſito, Loquelæ organa cæteroqui malè conformata, ad loquendi actionem promtiora, quàm cuipiam videri poſſit, ſibi comparavit, ut vix inter Blæſos vel Balbos connumaveris.*

*Hâc monſtroſâ Linguæ conformatione deturpatus miſellus Puer, quum innumera Fomenta, Suffimigia, Gargariſmata ex Aquis mineralibus, atque Vegetabilium Decoctis parata incaſsùm hucuſque expertus fuerit; Chirurgicam (ſi quæ eſt) opem enixè expoſcit. Si quæ eſt, inquam; nam haud facilè vel ſecurum putaverim eam Linguæ portionem amputare vel circumcidere, quæ naturalem ipſius magnitudinem tranſcendit, abſque eo quòd Puellum optimâ fruentem valetudine ad vitæ diſcrimen præcipitemus, quum enim partis hujus Ulcera facili negotio in ſcirrhoſam & canceroſam naturam tranſeant; haud prudentis & cauti viri eſſe exiſtimavimus, Septica medicamenta, Ferri aciem, vel Ignem ipſum adhibere. Scimus ſanè Linguam protumidam hominis ſexagenarii à* Galeno 14. meth. 8. *naturali magnitudini reſtitutam ſuis Pilulis ex Aloë, Scammonio & Colocynthide conſtantibus, atque collutione ſucci Lactucæ: narrantur quoque & huic ſimilia apud* Foreſtum, Schenckium, Hildanum, Bonetum; *notandum tamen eſt Linguæ magnitudines morboſas prorsùs extitiſſe, & ex accidenti ſubortas, non verò vitio conformationis, & ab ipſis generationis primordiis. Noſtri Pueri Hiſtoria fortaſsè ſimilis eſt illi, quam refert citatus* Galenus de diff. Morb. cap. 9. *cum ait:* Nos autem vidimus cujuſdam Linguam ſupra modum abſque ullo Doloris ſenſu excreviſſe, ut neque Oedema, neque Scirrhus, neque Phlegmone eſſe videretur ... ſed hoc ipſum incrementum duntaxat erat, nihil ipsâ ſubſtantiâ particulæ vitiatâ. *Verùm hujus morbi, vel potiùs vitii, nullam ſubjungit factam Curationem. Quoniam autem legimus in* Ephemeridibus Curioſorum Germaniæ Anno 1683. *ex* Lud. Hannemanno *Fœtum cui Lingua ex ore inſtar Canis Venatici propendebat, ſuperfluâ parte abſciſsâ integrè ſanatum, & in* Cent. 2. Hiſt. Bartholini, num. 22. *ex* Joh. Walæo *Puellam, quæ Linguam manûs magnitudine amplam groſſamque habebat, ut vix ore contineretur, à Medicis reſtitutam, qui particulas ſuperfluas in extremitatibus abſciderunt, donec ad conſuetam perduxiſſent molem; Hinc V. Cl. ſperare auſi ſumus fore, ut, pro veſtrâ, quæ per omnium ora circumfertur, in Chirurgiâ efficaci promovendâ dexteritate, monſtroſam hanc Linguæ conformationem pro viribus emendare, atque aberrantem veluti Naturam in rectam ſemitam reducere valeatis.*

*Quum hæc* Hiſtoria *ad Eruditos per Italiam Profeſſores miſſa eſſet, varia remiſſa fuere* Conſilia: *quidam enim* Topica Exſiccantia, *&* Cauteria *Collo inurenda ſuadebant: alii* Steatoma *Tumorem cenſentes, apertionem jubebant, nec defuerunt, qui Linguæ molem* Ferro abſcindendam *omninò eſſe, atque ad naturalem figuram accommodandam eſſe exiſtimabant. Hujus ſententiæ fuere* Celeberrimi Taurinenſes Profeſſores, *quorum Conſilium lubet hîc interſerere.*

Taurini Idibus Junii 1716.

RArior Hiſtoria monſtroſæ Linguæ, *quam eruditiſſimè exaratam legimus, non niſi unicam agendorum* neceſſitatem miniſtrat, *ut ſi quid excipiendum ſit in expoſito Caſu, illud omninò ab armatâ manu petendum veniat. Profectò niſi ſuperflua pars Linguæ abſcindatur, incrementum, majorque moles eventura nec inhiberi poſſe videtur, neque Nobiliſſimum Puerulum deturpatum reſtitui.*

*Et verò morbo præſertim magnitudinis vexatur Lingua, nec modo ſubſtantiæ fortaſſe peccat, dum quæ propendet pars utique naturalis apparet, hinc vel à primis exordiis adfuerunt molimenta in opificio, quæ jam pro dato incremento conferrent, ut niſi jam dudum preſſis veluti habenis cohiberetur Lingua, & fortè versùs labia propulſa exordia magnitudinis oſtendiſſet; hinc poſt operationem Chirurgicam primò veluti dentibus manſitari, tandem labiâ versùs propelli, extra os quandoque propendêre viſa, quodque mirum magis, incrementum aſſumere pro ætatis modulo, ut jam ad quintum annum provecto Puerulo ad duos circiter tranſverſos digitos extra os propendeat. Quidni augurandum ideò, quàm ut moles hæc ſenſim adoleſcens, & adhuc ad majorem provehi queat, ſi in præſens indecora, eadem multò magis aliquando evadat, maximum incommodum allatura. Novimus in Civitate Foſſani degentem Virginem 25. jam*

## ARTICULUS IX.

*De Teſtudine, & Talpa, ſeu Lupia.*

TAlis Tumor excreſcit ſubinde in Pericranio, qui ob denſam Capitis Cutim, firmiter Cranio circumtenſam, non tam extrorſum prominet, quàm latiùs expanditur, & ob id *Teſtudo*, item *Talpa*, ſeu *Lupia*, vocari ſolet, in hac Talpâ, ſi Materia proprio Folliculo contenta (ſimilis eſſe ſolet Materiæ in modò dictis Excreſcentiis contentæ) diutiùs retenta fuerit acrior, tunc ipſum Cranium carioſum reddere incipit.

### CURA.

Talis Talpa ſeu Tumor ſi fuerit immediatè ſuper Suturas Cerebri, ita ut ex Fibris Membranæ Cerebri Duræ per Suturas tranſmiſſis oriri videatur, ferè relinquendus eſt, propter periculum Inflammationis Duræ Meningis, aut alios Affectus Capitis lethales: ſin verò alio in loco ſit, aut inſenſibiliter reſolvenda eſt Materia, aut Cataplaſmate Emolliente ali-

*annum attactam ſimili à nativitate magnitudine Linguæ deturpatam, quam ad ætatem provectam ſaculo incluſam geſtare cogeretur, ne pondere ſic propendentis molis laſſaretur.*

*Jam pars, quæ propendet, Linguæ vel ad libitum retrahi poteſt, retracta tamen nec diu detineri. An tamen propendens hæc pars reliquæ incluſæ trahenti obſequatur uſque dum ad oris cavum perveniat? An verò ut moris eſt in ſemicirculum veluti à vi muſculari compacta in eâdem cavitate retracta occurrat, ſcitu equidem dignum, ut ab hoc uno aut de pari ſubſtantiâ Linguæ, deque continuo corpore colligeremus, aut omnimodè de monſtroſo quopiam adjuncto, non ſecus ac de nævis cæteris maternis aſſerimus. Propendens pars explorationi Chirurgicæ locum dedit, alicubi de latente Lymphâ judicium protulit, ſubſtantia hæc tamen tactu judice ad eam Linguæ devenit, etſi ſolidiuſcula conſiſtat, magiſque lividam ſuperficiem obtrudat, quod utrumque ab hærentibus liquidis dum repeti poteſt, & adhuc pro flacceſcente fibrâ innuit, impari, ut quæ pro vegetè perennando liquidorum curſu ſufficiat, dum interim reliquum Linguæ in ore contentæ robuſtius ſat aptè pro muneribus ſuis conferre poteſt. Quamobrem æquè de inevitabili incremento effandum hîc, deque minùs concinna eventurâ mole, ac de excreſcente magnitudine imbecillioris ſtructuræ, ut ſi quid in præſens moliendum ſit, nec omittatur.*

*Quid tamen à pharmaceutico fonte petendum, quod aut pro imminuendâ mole poſſit conducere, aut vias appellentis ſucci præcludere? Adhibita huc uſque talia incaſſum ceſſerunt, nec illa certè ſunt, quæ ad ultimos uſque hos receſſus poſſint pertingere, ibique proficuum quodpiam moliri. Præternaturales Linguæ magnitudines reſtituuntur equidem, hinc totidem de curatis Patientibus Obſervationes undique obviæ, dum evenientes caſus rem apprimè comprobant. Ab intrinſeco tamen excreſcentes partes, juxta leges appellentis nutritii ſucci, nec facili adeò negotio imminuuntur, quin aut ſuperfluum reſcindatur, neceſſitas augmenti præcaveatur, aut viæ appellentis ſucci præcluſæ fuerint. Et iterum vias præcludere in noſtro caſu impoſſibile prorsùs, imò periculoſum utique, ſi quandoque ſuſcipi poſſet? Quidni ideò* ſuperfluum abſcindatur? *An metuendum de ſuccedaneo ſphacelo, aut ſcirrho Linguæ? non equidem.*

*Partes quoque muſculares ſecundùm continuitatem ſolvi, an infrequens adeò, inter cæteras quænam faciliùs ad cicatricem perducuntur, niſi aut incuria Medentis, vel indoles appellentium liquidorum pro epigeneſi novi morbi conduxerint. Quæ jam compages Linguæ notum utique; ceſſit aliquandò incerta retroactis temporibus ſubſtantia hæc, ut poſt ſerias magis elucubrationes anatomicas tota muſcularis conſiſteret, nec ideò vulnera Linguæ metuenda adeò. Experti pluries ſuo fato Epileptici, convaluerunt interim; nec ſemel nos reſectam Linguam vidimus brevi pariter ad cicatricem perductam. Vidimus Puerum apicem Linguæ amittentem ex caſu ab alto brevi priſtinis muneribus, vel abſque loquelæ detrimento, convaluiſſe. Suadet hîc univerſa Praxis Medica, ſæpiùs pars Linguæ abſcindenda, ſi gangrænam vel contrahat, vel minetur, quod familiare ſatis ex ptyaliſmo mercuriali, ut non ſemel partem Linguæ amputare ſuaſerim, ne pejora ſuccreſcerent: ſimile obſervatum ſcio à* Hieronymo Velſchio Obſervatione ſua 25. *in Cive Pariſienſi, cui pars Linguæ dimidia abſciſſa innoxiè tamen ceſſit, videas idem obſervatum ab* Ambroſio Paræo libro 22. cap. 5. *Virum deſcribente, caſu voces articulantem nunquam anteà editas, poſtquam inſignis pars Linguæ eidem perfecta fuerat. Collimant in unum, idemque & natura partis, & caſus experimentales. Quid ergò metuimus quòd Operatio ſuſcipienda Chirurgica pejus aliquid allatura ſit in detrimentum Pueruli?*

*Quamobrem cùm nullum majus immineat periculum, neque adeò facilè de eventuro ſphacelo, aut ſcirrho partis aſſerere liceat, tamquam præſentaneum præſidium* præciſionem ſuperfluæ partis conſulimus ferro moliendam, *ſed induſtriè tamen peragendam, ut ſaltem reliqua pars Linguæ ad naturalem figuram circumcidatur in apicem efformata. Et quatenus conſequens unum, hæmorrhagia ſcilicet, ſerio hîc inhibenda, poſt abſciſſionem in promtu ſunt aut actualis Ignis, vel Aquæ Stypticæ, hæ potiùs adhibendæ, quàm levior quæcunque inuſtio, ſolliciteque parti vulneratæ admovendæ, quo uſque æquè de hæmorrhagia actum evaſerit, ac reſectæ extremitates fibrarum ſolidiuſculæ factæ, ad ſe invicem acceſſerint, quò ulterior elongatio præcaveri queat, novaque fortè eventura moles inhiberi.*

*Hæc erant, quæ pro ſalute Nobiliſſimi Pueruli menti affulſerant, hæc illa quæ ad Praxim revocanda in promptu adſint. Superflua hæc una pars abſcindendo, ſi nobiſcum ſenſerit* Excellentiſſimus Aſſidens, *cujus pervulgatæ ſapientiæ hæc noſtra committimus.*

Gaſpar Antonius Raccetti.
Antonius Reyna *Primarius Noſocomii Civitatis Medicus.*
Albertus Verna *Primarius Noſocomii Civitatis Chirurgus.*

*Hanc* Clariſſimorum Virorum *de latente Tumoris naturâ ſententiarum pugnantiam tempus ipſum compoſuit: nam poſt tres ſolidos annos ſenſim ſemper excreſcens moles, manifeſtiſſima dedit* materiæ *intùs, & quidem* Cyſti collectæ *indicia. Quare à* Dño Mauritio *Gallo Chirurgo Neapoli commorante, leni adhibito* Cauſtico, *Tumor apertus fuit, materia* Pulti ſimilis *educta*, Folliculus *dexterrimè eradicatus, ac vix ſemel levi Hæmorrhagiâ ſuperveniente, Puer ad integram ſanitatem perductus fuit.*

aliqualiter ſuppuranda, aut ipſe Tumor Lanceolâ aperiendus more conſueto, & Membrana tollenda, facta Capitis Caries probè radenda, hinc Pulvis contra Cariem Oſſium ex Radice Ireos Flor. cum pauco Euphorbio Cranio affecto inſpergendus, & Cutis aperta cum Empiaſtro Diachylon ſimplici, vel cum Gummatibus denuò conſolidanda, ut fit in aliis hujuſmodi Excreſcentiis.

## ARTICULUS X.

### *De Verrucis, Clavis & Cornubus.*

QUòd ſi Fibrillæ nerveæ, quæ copioſiùs extremitatibus Vaſorum capillarium intertextæ, Cutis rete conſtituunt, nunc ſolitariè, nunc cum Fibris ſubjacentibus aut laceratæ, aut nonnihil eroſæ, Nutrimentum ſuum foras emittant, hoc ſucceſſivè coagulatur in *Verrucas*: quæ ſi ex attritione, hinc laceratione Fibrillarum ex Calceis fiant in Digitis Pedum, vocant *Clavos*, qui Clavi interdum profundiùs radicati ſunt, & ex ipſis Tendinibus, Articulos Digitorum Pedum moventibus, attritis, inſtar Gangliorum oriri ſolent. *Verrucæ* verò pro ratione radicum, quibus inhærent, nunc ſunt *Planæ* ſeu Seſſiles, nunc ſunt *Penſiles* & ex anguſto collo capite ampliore prominentes; quæ priores in ſpecie vocantur *Myrmeciæ*; hæ verò Verrucæ Penſiles dicuntur *Acrochordones*; ſicuti tales Verrucæ, ſi ulteriùs proveniant, & latiùs ſe expandant, & ſingularem habeant duritiem, in hominibus *Cornua* appellantur, quæ ſæpiſſimè pro fundamento habent Os, à cujus Alimento, ſimul in Verrucam tranſudante, ſtructuram peculiarem ſingularemque duritiem obtinere videntur.

## CURA.

Obſervandum autem eſt in *Curâ* harum Verrucarum, *an* ſimpliciter ex Fibris nerveis Cutis originem ducant? *an* verò ſimul in ſubjectis Tendinibus ſint radicatæ; *Si prius*, nihil habent periculi, & facilè curantur: ſi poſterius, vix radicitùs extirpari poſſunt, citra ingentia ſupervenientia pericula, Dolorem, Inflammationem, Convulſionem, & Cancrum aut Gangrænam. Id quod imprimis obſervandum eſt in Verrucis Faciei, & Clavis Pedum profundiùs radicatis: qui poſteriores ſuperficialiter equidem poſſunt tolli, ſed ex ipſo Tendine vix poſſunt extirpari, quia Gangrænæ metus interdum ſupervenit.

Verrucæ autem hæ, conſideratis his circumſtantiis *curantur eas abſumentibus*, iiſque variis. In genere Verrucas delet Succus Chelidonii majoris recens ſæpiùs illitus, qui ſucceſſivè abſumit Verrucam, donec in totum diſpareat & evaneſcat; quod probatum eſt imprimis, ſi priùs nonnihil incidantur Verrucæ duriores, ut leviter Sanguinem fundant. Item eſt Planta, quæ vocatur Cieporum (V), Verrucis ſimilis propter figuram, quæ contuſa Verrucis impoſita eas evaneſcere facit. Lac Eſulæ Verrucis illitum eaſdem exedit: ſi denſior & tenacior ſit, leniter vulneranda eſt, ut meliùs pateat introitus Lacti Eſulæ. Succus lacteus Dentis Leonis etiam applicatus conveniens eſt admodùm. Folia Sempervivi detractâ pelliculâ tenui internâ applicata, ſæpiuſque repetita, ſucceſſivè Verrucas tollunt. Cineres Bryoniæ, cum Succo ejuſdem miſti, Verrucas in quacunque Corporis parte certiſſimo Experimento tollunt Hopperi, *Medici Oxonienſis*. Vid. Welſchii *Ettmulleri Oper.* Tom. III. *Mict. Cent.* 2. *Obſ.*94. Succum Pomorum Borſdorffianorum, & alia ceu nota, taceo. Aqua, quæ ſupernatat truncis Quercûs ex pluviis, collecta, probatum eſt Remedium, ſi illinatur ad delendas Verrucas. Aqua, in qua ſolutum eſt Sal Ammoniacum, ſi aliquoties eâ tangantur Verrucæ, certiſſimum eſt Experimentum Borelli *C.*2. *Obſ.*46. Convenit etiam egregiè Unguentum plùs minùs ex Melle cum tantillo Spiritûs Sulphuris aut Olei Vitrioli, quod applicatum Verrucis, eaſdem pedetentim eroden-do ſolet mortificare: Experimentum eſt Timæi. *Limaces* ſunt egregii, qui abſtergendi ſunt Sale communi, ſic produnt ſalivalem Humorem, quo illitæ Verrucæ crebriùs, inſenſibiliter evaneſcunt; quod etiam harum Pinguedo præſtat. Item fiat Unguentum ex Unguenti Albi camphorati ʒij. & Olei Tartari per deliquium ʒj. aut loco hujus Salis Tartari ʒß. ſi enim hoc Linimento ſeu Unguento illinantur Verrucæ crebriùs, inſenſibiliter evaneſcunt & diſparent. Emplaſtrum Oxycroceum, cui parum Arſenici albi fuit admiſtum, abſumit etiam & exedit Verrucas, quod etiam facit Emplaſtrum ex Cerâ cum tantillo Mercurii dulcis. Omnium optimè Cauterio actuali eradicari ſolent; vel quibus Ferrum ignitum non placet, aut aliæ circumſtantiæ prohibeant, attingantur Butyro Antimonii vel Aquâ Forti, partes vicinas muniendo ſimul Emplaſtro aliquo defenſivo. *Verrucæ* autem ſi ſint *Penſiles*, facilè tollûtur conſtrictione cum Setâ Equinâ aut Filo Serico, quia inde marceſcunt, intercepto illorum Nutrimento.

Præ cæteris tamen iſtæ *Verrucæ*, merentur conſiderationem, quæ in *locis Pudendorum ex congreſſu Venereo* ſunt natæ, ad quas Itali utuntur *Aquâ Forti*: ſed melius eſt *Mercurius Sublimatus ſolutus in Aquâ Plantaginis cum Alumine*: v. g.

℞. *Aquæ Plantag.* vel *Aquæ Roſar.* ℔ß.
*Mercurii Sublimati* ϑiv.
*Alum.* ʒß.

Diſſolvantur invicem, & cum Pennâ huic Liquori intinctâ dictæ Verrucæ attingantur; ſic emarcitæ pedetentim decidunt.

Vel ſi racematim ſint conſitæ ad modum *Thymi* & *Condylomatum* in Pudendis, curantur ſequenti Mixturâ: ſcilicet recipiatur *Aqua Calcis vivæ*, miſceatur cum *Mercurio Sublimato*. Hâc Mixturâ in formâ fluidâ, vel Linteaminibus huic intinctis, ſolent exſiccari & curari.

Quoad *Cornua*: Curantur Cornua *Abſciſſione radicali*, niſi immediatè ex Suturis Cranii emergant, tunc enim abſcindi equidem poſſunt, ita tamen, ut radix maneat, ex qua radice denuò Cornu novum creſcit, ferè ſingulis menſibus aut ſingulo bimeſtri ſpatio denuò abſcindendum, quale Cornu vidi Pariſiis.

*Clavos Pedum* quod attinet: Interdum poſt ſola *Pediluvia* radicitùs tolluntur, ſi prominentiores extiterint, ita ut ipſis Unguibus evellantur: Si verò latiores & in ipſis Tendinibus radicati fuerint, Pediluvia non ſufficiunt. Potiùs his præmiſſis Cutis carnea detrahenda, aut Cultello reſecanda, & poſtmodùm Reſina Abiegna aut Picea, item Cera viridis, pauxillo Oleo Philoſophorum, Saponis vel Ceræ malaxata, Clavo imponenda, emolliendi, & exedendi fine. Præ cæteris expertum eſt *Emplaſtrũ Mynſichtii de Galbano crocatum* cum Sale Ammoniaco, quod ceu expertiſſimum ad Clavos Pedum prædicant Timæus, & Sennertus; ſic etiam pars emollita ſemper poteſt abſcindi; nam ſolum Galbanum



(V) Nota Cyrilli. *Quid ſit hoc* Cieporum, *quod in Editione Lugdunenſi, Francofurtana, & Venetâ invenio, divinare non audeo*: *Anne erit* Cyperus, *cujus radices Nodos quoſdam Olivæformes referunt*?

aut Gummi Ammoniacum in Aceto diſſolutum & inſpiſſatum, Linteo extenſum & impoſitum, optimè curat Verrucas Pedum ſeu Clavos, quod pariter cum guttulâ unâ vel alterâ prædictorum Oleorum malaxari poteſt; ſicuti & ipſum Oleum, ipſo Clavo, per Cultellum leviter vulnerato, inſtillari poterit. Succus item Tithymali Plumâ illitus eoſdem delet, & *Emplaſtrum de Ranis Vigonis cum Mercurio* admodùm emollit Clavos Pedum & Verrucas; loco cujus Emplaſtrum de Cicutâ cum Mercurio dulci permiſtum eſt illinendum, quod etiam Verrucas Pedum tollit. Item recipiatur Caro Bubula recens, Germ. *rohe Rind-Fleiſch*, & ejus fruſtulum tantum, quanta eſt magnitudo Clavorum, inſtar Emplaſtri iis alligetur, & ſæpiùs renovetur: ſic enim citò omninò & quaſi ſponte dilabi Clavi dicuntur. Laudatur quoque Allium recens cum Sapone raſo contuſum, ac inſtar Cataplaſmatis impoſitum. Platerus à Pediluvio & craſſioris Cutis remotione Senecionem affrictum impoſuit cum ſucceſſu: vid. Welſchius *Mictom. Cent. 2. Obſ. 61.*

Sunt etiam, qui Cauterium Lunare, Aquam Fortem, Butyrum Antimonii, Spiritum Sulphuris, &c. commendant ceu probatiſſima; quod verum eſt, in ſpecie ſi cum Melle in Unguenti formam redigantur, & poſt detractam Cuticulam duriorem applicentur, aut ſolo Cauterio Lunari Salivâ madido, Clavi fricentur; unde Eſchara ſubſequitur, abſque omni dolore poſteà decidens. Ut verò hæc *Eſchara* eò citiùs maturetur, imponatur Emplaſtrum Diachylon cum Gummis; Vulnus autem poſt Eſcharam delapſam modo aliarum læſionum ſimplicium conſolidetur. In horum tamen Cauteriorum applicatione hæ conditiones ſunt obſervandæ: ut circa Clavum imponatur Emplaſtrum quodcunque fortiùs adhærens, quod præmuniat partes vicinas, ne Linimentum eaſdem corrodere poſſit, in medio ſit perforatum, ut emineat Verruca ſeu Clavus. Hinc ſi radices habeat Clavus in Tendine, ſeu ex Tendine oriatur, cavendum eſt, ne corroſio ad Tendinem uſque perveniat, ne Dolorem, Inflammationem, Ulcus & ſimilia excitemus.

A Sectione quoque aut Eradicatione per Cultrum abſtinendum eſt, *ſi infixi circa Articulos*, profundioreſque radices egerint; facilè enim unà cum Clavis vicina Vaſa, Tendines ac Ligamenta, ſimul lædentur.

## ARTICULUS XI.

### *De Fungo.*

FIt ſubinde, ut circa Articulos, ex dilatatis, aut laceratis Membranis & Tendinibus ibidem expanſis, aut ſimilibus partibus nervoſis, ex Caſu, vel Contuſione, vel violentâ Luxatione in Saltu, &c. læſis, excreſcat Tumor mollis, ſucceſſivè incrementum capiens, qui ſi apertâ Cute amplius ſpatium nanciſcatur, ſubitò incrementum capit enorme, & inſtar Fungorum velociter excreſcit in ſubſtantiam carnoſam, mollem, pallidam & indolentem, quæ ob id *Fungus Articuli*, Germ. *ein Glied Schwamm*, appellatur. Rariſſimum eſt, quòd præter Articulos etiam alia loca infeſtare ſoleat; ſemper tamen Membranis aut Tendinibus, ſimilibuſque partibus adhærere & affigi obſervatur, unde etiam Membranæ Cerebri poſt Vulnerationem Capitis læſæ, ubi non benè præſervantur ab Aëre ambiente, in tales Fungos, qui tamen quaſdam proprietates adhuc ſpeciales habent, erumpere vel adnaſci ſolent. Hiſtorias aliquot notatu digniſſimas refert Sennertus *lib. 5. Prax. de Morbis externis in Chir. P. 1. cap. 39.* item Hildanus *Centur. 2. Obſ. 19.* & *Cent. 3. Obſ. 1. Cent. 5. Obſ. 62.* Vid. quoque M. A. N. C. *Ann. 9. Obſ. 63.* ſunt enim rariores.

### CAUSÆ.

*Cauſæ* autem horum Fungorum eſt Humor nutritivus retentus & collectus, cui cum ſe jungat *Synovia* ſeu Axungia illa glutinoſa, quæ naturaliter oblinit Articulos pro facilitando motu, exinde Subſtantia mollis, rara, ac inſigniter luxurians, generatur: interdum tamen Corruptionem quandam, & hinc occultam Aceſcentiam concipit Materia, ex qua Fungus generatur: unde facillimè, ſi malè tractetur Fungus, Malignitatem cancroſam acquirit.

### CURA.

*Cura* eſt difficilis, ſæpiſſimè nulla, niſi pars affecta extirpetur & radicitùs tollatur, quandoquidem ſucceſſivè ad Tabem perducitur Corpus Ægri, omni Nutrimẽto in Fungo deperdito; eòque difficilior eſt Cura, quò magis in profundo originem trahant Fungi. Quando igitur circa Genua aut Cubitum Fungus ſeſe prodat, neque Emollientia neque Sectio per Cultrum locum habet, cum mox ab Aëre ambiente Labia in Cancrum exitioſum degenerare, eademque Symptomata, quæ in Cancro nondum exulcerato, ſequi ſoleant. Nam *auferendus eſt totus Fungus* ex toto, ſi ſcilicet radix ejus ſit manifeſta, ac ſi commodè fieri poteſt: quod ſi non fiat, Exedentibus & Abſumentibus blandis erit tollendus, aut nimium ſaltem incrementum impediendum; quæ ipſa tamen Exedentia cùm ſæpiùs ſint periculoſa, & iſtis Fungus Malignus ſæpiùs in Cancrum exacerbetur, ob id omiſſis omnibus Linimentis nervinis, ac unctuoſis Emollientibus, Malum contumacius reddentibus, valida Exſiccantia, & Acidum occultum temperantia & mitigantia Fungo ſunt inſpergenda, v. g. ex Radice Ariſtolochiæ rotundæ veræ, Ireos Florentiæ, Ari, Foliis Sabinæ, Roriſmarini, Tutiâ, Myrrhâ, Thure, Lapide Calaminari, Terrâ Vitrioli dulci, Lapillis Cancrorum calcinatis, Cineribus Cancrorum fluviatilium, *Saccharo Saturni*, *Vitriolo*, *Calce vivâ*, & ſimilibus.

Fungus mox in principio ſupprimendus eſt: Ergò mox adſpergatur Cornu Cervi uſtum præparatum, Myrrha, Pompholyx & ſimilia. Marchette *in Obſerv. Medico-Chirurg. 6.* utitur Pulvere ex Spicâ & Schœnantho: Vid. M. A. N. C. *Ann. 9. & 10. Obſerv. 124.* Si nec hæc ſuffecerint, maturè uſurpetur *Mercurius Præcipitatus*: ſi & hic non ſuffecerit, lethale eſt Malum. Videatur Hildanus *in Centur. 1. Obſerv.* & Scultetus *Obſerv. Chirurg. Obſerv. 17.*

Quòd ſi verò vel Ferro, vel arctâ Ligaturâ abſcindi poſſit Fungus, poſt Abſciſſionem ſimiles Pulveres inſperſi locum adſtringendo claudunt, & recidivam prohibent.

In Vulneribus & Ulceribus exorientes omnium optimè per Pulverum prædictorum inſperſionem tolluntur, imponendo ſimul Emplaſtrum Dia-ſulphuris *Rulandi*. Vitanda tamen Acria & Corrodentia, ne Convulſiones accerſantur, aut Ulcus in Cancrum degeneret.

## CAPUT V.

### *De Tumoribus Vaſorum Sanguifluorum.*

SEquuntur ſingulares quidam & quaſi anomali Tumores, qui Sanguiflua Vaſa interdum occupant, &

*Aneu-*

*Aneuryſmatis*, & *Varicis* nomine vulgò noti ſunt. Illud, *Aneuryſma* nempe, eſt, dum Arteria eſt tumefacta, aut ſaltim Tumor eſt ex & circa Arteriam natus. Hoc verò, nempe *Varix*, eſt, dum Vena turgida & tumefacta cernitur & contrectatur.

## ARTICULUS I.

### *De Aneuryſmate.*

A *Neuryſma* eſt collectio Sanguinis arterioſi; fit dum Arteria aut exeſa, aut laxata nimis, aut rupta ex quacunque violentiâ, aut vulnerata ex ineptâ ejus loci Venæ ſectione, aut in Arteriæ per Venam pertuſam vulneratione; dum, inquam, his modis læſa Arteria Sanguinem ſpirituoſum, quem vehit, in loco læſionis colligit, hinc ex iſtâ Sanguinis collectione in talem Tumorem ſucceſſivè tollitur.

*Exeſam* dixi Arteriam interdum, dum nempe ab internâ ſucceſſivè oritur Causâ; hinc enim interiore Arteriæ Tunicâ exesâ aut erosâ, externa ambiens ſucceſſivè dilatatur & ampliatur, etiam ulteriùs interdum exeditur, ſimulque vicina loca hinc affliguntur; quale Exemplum videatur in *Praxi* Barbette. Frequentia etiam ſunt Aneuryſmata à vehementi Cordis Palpitatione, ita ut ramus Arteriæ Deſcendentis intumeſcat. Sed hæc ad Chirurgum non pertinent.

*Laxata* ſæpiùs reperitur Arteria aut *rupta* ex nimio Conatu in Artuum violentâ commotione, Vociferatione, in Partu, in firmâ Spiritûs retentione. Ex his enim Cauſis Aneuryſmata in Collo ſunt frequentia; nam frequentiſſimè Collum occupant Aneuryſmata: hinc etiam interdum Brachiis & Cruribus, rariùs licèt, obſervata fuerunt.

Frequentiſſimè fiunt *ex Venæ ſectione* ineptâ. Exempla talia ſunt frequentia iin Regionibus, ubi crebriùs celebrantur Venæ ſectiones.

## DIAGNOSIS.

Affectus hic facilè cognoſcitur ex impetuosâ floridi Sanguinis ejaculatione, qui pro ratione Rhythmorum in Pulſu ſubſultim magis floridus ac dilutior prodit, unde mox Tumor cum Dolore ſucceſſivè aſſurgit, Colore partibus vicinis ſimilis interdum, ubi immediatè ſub Cute eſt, ut à Venæ ſectione, nonnihil rubicundior. Pulſatilis eſt, & tactui recedens: dum, niſi nimis inveteratum ſit Aneuryſma, digito compreſſus Tumor ſucceſſivè ſubſidet, & omninò intromeat; digitis verò remotis denuò redit: augetur ſucceſſivè ad magnitudinem interdum Ovi Anſerini. Sanguis in eo eſt ut plurimùm corruptus, nonnihil tamen ſpiſſior & paulò obſcurior reliquo Sanguine, atque hæc magis locum habent in Aneuryſmate non adeò ingenti aut inveterato; & quò magis inveteratum eſt Aneuryſma, eò magis talis conſpicitur contentus Sanguis, uti etiam in tali inveterato Aneuryſmate minùs pulſans minuſque tactui cedens Tumor, & etiam Sanguis ſemigrumoſus, eſſe ſolet, unde non tam ſubitò in Arterias poteſt propelli.

In partibus Externis facilè patent, in partibus verò Internis ſubinde imperſcrutabilia ſunt, & rupto Aneuryſmate ad Mortem perducitur Æger. Horſtius *in Obſ. Anatomicis* dicit, quòd interdum Aneuryſmata oriantur in partibus internis lethalia in iis, qui Morbo Gallico curari volunt.

## PROGNOSIS.

Tumor hic Aneuryſmaticus externus nihil periculi habet, niſi quòd interdum ab imperitis Chirurgis habeatur pro Abſceſſu ſuppurato; unde ſi aperiatur tunc temporis Tumor, ſubitò ſub manibus Ægri cum Sanguine Animam emittunt.

Rarius eſt, ut in Gangrænam ex Sanguine corrupto detento Tumor abeat, quòd tamen rariſſimum eſt: Vid. Borellus & Horſtius *de eodem.*

## CURA.

Cùm *frequentiſſima Cauſa* ſit *pertuſio Arteriæ locò Venæ*, mox forti Ligaturâ ligetur Pars læſa, vel Moneta minor, aut Lamina Plumbea, ſuperimpoſito Emplaſtro de Chalcitide, applicetur, & fortiter ligata Pars læſa firmetur; in oppoſitâ verò Parte mox ſecetur Vena. Hoc neglecto fit Aneuryſma, quod, dum eſt in principio, fortiter Adſtringentibus applicatis ex Terrâ Sigillatâ, Bolo Armenâ, Terrâ Vitrioli dulcis, Colophoniâ, Thure, Sanguine Draconis, Sperniolâ *Crollii* & ſimilibus, cum Laudano Opiato mixtis, ſub formâ Emplaſtri forti Ligaturâ applicatis, Tumoris progreſſus tolli, & ipſe Tumor tunc facilè curari poteſt. Quies ſimul ſeverè imperanda, nec Emplaſtrum nimis citò removendum, quin mox recens ligetur; aliàs autem Corporis motu frequentiori Tumor facilè increſceret, & tandem Lipothymiæ, Affectui huic familiares, ſubſequerentur.

Curioſum eſt, quod obſervat Horſtius, *& ex eo* Hœferus, quando Arteriæ applicaverit *Laudanum Opiatum*, & mox Hæmorrhagia ſteterit. Quibuſdam expertum eſt hoc *Emplaſtrum* Sanchez *in Obſ. Medicis.*

℞. *Pulv. Sumach*,
*Hypociſt.*
*Acaciæ*,
*Sang. Drac.*
*Aloës*,
*Thuris* an. ℥j.

Ex his cum *Albumine Ovi* ſubactis fiat Emplaſtrum, addito, loco Ceræ, *Emplaſtro contrà Rupturas.*

Applicandum hoc eſt Emplaſtrum ſtatim in principio, ut tangere ferè poſſit Arteriam, forti Ligaturâ ſubjecta, & ſic conſolidetur locus læſus: ubi grumus Sanguinis in loco eſt collectus, fruſtrà applicatur.

Aliàs notum eſt Emplaſtrum *Galeni* ex Thure, Aloë, Pilis Leporinis, & Albumine Ovi. Etiam Lamina Plumbea, vel ſola applicata, vel cum Succo Plantaginis priùs illita, cum forti Ligaturâ Aneuryſma tollit; aut ex toto iſtud curat, ſi mox in principio applicetur, v. g. poſt ineptam Venæ ſectionem; vel etiam iſtud palliativè ad multos annos ſuſtentat, ſi continuò alligata loco Arteriæ læſæ circumgeſtetur.

Quòd ſi verò jam factum ſit Aneuryſma, & Sanguis contentus in Tumore jam ſpiſſior nonnihil fuerit, ad imitationem Hildani *in C. 3. Obſ. 44.* corrigendus eſt prius Sanguis impoſito *Emplaſtro* de Chalcitide, hinc correcto Sanguine, & eodem retropulſo, addendo *Laminam Plumbeam* aut *Ferream*, ſuper hanc iterum Emplaſtrum fortiter adſtringens ex *ſuprà dictis* eſt imponendum: huic *Pulvilli*, Germ. *Bauſchlein*, & demum *Faſciæ* fortiter adducendæ.

Quòd ſi verò his irritis nihilo minùs Aneuryſma perſiſtat, aut his Remediis cedere nolit, ſimilibus Adſtringentibus ulterior progreſſus præcavendus; evacuetur Sanguis contentus, & ſuper locum læſionis Arteriæ injicienda eſt fortis Ligatura, & infra Ligaturam per tranſverſum diſſecandus Ramus arterioſus, quod tamen periculoſum; hinc Vulnus

factum Digeſtivis ac Conſolidantibus conſolidetur.

Galli moderni Aneuryſmata poſt ineptas Venæ ſectiones *Vitriolicis* blandè erodentibus optimè curant, ut labia craſſa ſucceſſivè coaleſcant & coëant, poſtmodùm locum ipſum & Foramen Conſolidantibus reſtituunt. Hæc Methodus eſt nova, & reperitur apud Deckers, quale Exemplum ipſemet vidi *Pariſiis*. Modus eſt hic: ſcilicet Chirurgi Miniſter arripit Brachium, & fortiter premit, ubi Arteriæ ex Ramo Axillari decurrunt in Brachium tamdiu, ut nullus percipiatur Pulſus in Carpo: Poſteà Chirurgus Tumorem ſeu Aneuryſma factum (quod dimidium Ovum æquabat) in flexurâ Cubiti aperit largâ Inciſione, Sanguis ſemigrumoſus evacuatur, poſteà in loco arterioſo mox patet, ubi ſit læſio hæc facta: denuò in ſuperiori Brachii parte adſtantes Digitis fortiter comprimunt Arteriam, ut poſt coagulatum Sanguinem nihil ampliùs effluere poſſit, & Chirurgus imponit Foramini Arteriæ per Venæ ſectionem ineptam relicto, Globulum parvum unum vel duo magnitudine Piſi paratos ex *Vitriolo albo* vel *Cyprio* ad albedinem calcinato, eoſque Bombaci probè involutos: poſtmodùm inſpergitur Vulneri ſeu Tumori aperto *Pulvis* ex *Sarcocollâ*, *Colophoniâ*, & *Thure* cum Stuppis cannabinis, hoc Pulvere imprægnatis, deſuper applicando Plumaceolos, Digeſtivo ordinario illitos, & ita convenienter faſciatur & fortiter ligatur Vulnus: quotidie removeantur Plumaceoli ſuperficiales, ut in labiis Tumoris aperti Pus evacuari poſſit, ipſe verò Globulus & immediatè ſuperinjecti Plumaceoli non removentur, niſi ſponte cadant, quod non fit, niſi Arteria ſit conſolidata; ſic enim fit, ut à Sanguine ſucceſſivè tranſudante reſolvatur ſucceſſivè Vitriolum, & liquefactum erodat nonnihil labia Arteriæ apertæ, quæ corroſa ſimul blandè adſtringuntur ab iſto Vitriolo, & ita, ut ſucceſſivè labia Arteriæ, quaſi renovato Vulnere ſauciata, per Nutrimentum proximum denuò conglutinentur. Si ceciderit Globulus, & nondum ſufficienter conglutinata ſit Arteria, novus imponitur donec obtineatur ſcopus. Hinc Caro Muſculorum vicinorum facilè ſupercreſcit, & tandem Tumor Ulcuſque ex toto conſolidatur.

Chirurgi incauti, ſimul ac errorem hunc commiſerint, ſtatim confugiunt ad Unguentum de Althæâ, Populeum, Nervinum, aliaque unctuoſa; quibus tamen Tumor hic maximè augetur. Vitanda ergò ſunt omnia Pinguia emollientia, Balnea pariter ac Exercitia omnia vehementiora, nec non Aromatica ſpirituoſa Pulſum accelerantia, & Purgantia Maſſam Sanguineam magis exagitantia.

## ARTICULUS II.

### *De Varicibus.*

JUxta Aneuryſma in Venis obſervantur *Varices*: nempe ſunt nihil aliud, quàm Venæ laxatæ Tunica, ſeu quando Venæ Tunica laxatur, ut Fibræ ejus molliores valdè diſtendantur, & poſtmodùm in loco Venæ diſtento hæreat Sanguis, & ſtagnando Tumorem inferat, qualis Tumor vocatur *Varix*. Malum hoc frequens eſt Mulieribus in ultimis à Partu menſibus, uti & poſt Partum difficilem.

### CAUSÆ.

*Cauſa Interna* ſæpiùs eſt Sanguis craſſior, qualis Melancholicus dicitur, id eſt, qui ab Acido nimio craſſiorem non nihil habet conſiſtentiam. Talis ergò Sanguis in motu ſuo in quodam Venæ ramo inſigniter impeditus in ſpecie circa Venarum Valvulas, non nihil Vas continens ex ſuccedente Sanguine novo ita diſtendit, ut atoniam ejus nimiamque laxationem Tunicæ venoſæ inferat, ut poſtmodùm in iſto loco laxato Sanguis uberiùs collectus & tanquam alveo ampliori contentus, talem Tumorem inferat. Præter hanc tamen Cauſam Internam etiam ipſe Sanguis, naturaliter licèt conſtitutus, in Trunco tamen venoſo ex hujus Compreſſione vel ſimili Causâ in motu ſuo impeditus, in iſtius Trunci ramis potentioribus extrorſum, adeoque minùs à partibus vicinis anguſtatus, hærens, non nihil diſtendere, & ita Varicem inferre poteſt: qua ratione ultimis Geſtationis menſibus, propter Vaſa Iliaca venoſa in Mulieribus ab Utero tumido compreſſa, Varices Crurum Gravidis familiares eſſe ſolent.

### DIAGNOSIS.

Sequuntur hi Tumores Venarum ductum, & tanquam Venæ ampliores & inſigniter turgidæ, Colore ex cœruleo liveſcente aut nigreſcente, conſpiciuntur, idque imprimis in Cruribus circa Genua.

Tumor hic preſſus quidem retrocedit non nihil, qui tamen mox redire ſolet.

### PROGNOSIS.

Malum hoc cùm minùs ſit moleſtum, quin potiùs quibuſdam non parum proficuum ad conſervandam Corporis ſanitatem, in ſpecie in Melancholiâ Hypochondriacâ, minùs Curationi ſubjicitur, niſi aut nimis diſtenta Vaſa tandem rumpantur, aut Sanguine aceſcente corrupto, & hinc Inflammationis modo ſuppurando efferveſcente, Ulcus parvum inducat, aut etiam Partis Gangrænam minetur, aut etiam inſignis Partium valdeque moleſtus Dolor adſit.

De Varicum Apertione ſpontaneâ, item propter Hæmorrhagiam incoërcibilem lethali, vid. M. A. N. C. *Ann.* 3. *Obſ.* 54. & 204. item *Ann.* 6. & 7. *Obſ.* 26. *P.* 59.

### CURA.

Hæc & ſimilia ubi imminent pericula, neceſſe eſt ſubinde, ut curentur & removeantur Varices. Nempe ſi nimius fuerit Tumor, Varix Acu aureâ vel argenteâ pungatur, Sanguiſque craſſior exprimatur, quô factô applicanda Remedia Adſtringentia & Lamella Plumbea deſuper alliganda pro Tumoris incremento coërcendo: Aut etiam citra talem Punctura:

℞. *Alum.*
*Salis comm.*
*Fruct. Acac.*
Hæc coqu. in *Aceto acerrimo.*

Spongia hoc Aceto ebria pro Fomento applicetur mane & veſperi loco varicoſo, & ita arctiſſimè deligetur: & hoc continuandum per menſem integrum: poſtmodùm ubi exſiccatæ apparent Varices, removenda eſt Spongia, & ſolùm ſtrictè per 5. vel 6. menſes locus varicoſus eſt ligandus, donec omninò diſpareat. Expertum fuit in Varicibus Coſtarum à Ferrara. Vel in Tumoribus Varicoſis levioribus fiat Unguentum ex *Butyro Majali* cum duplo *Succi Cancrorum fluviatilium expreſſo*, quæ invicem miſta leni ebullitione coquantur ad conſiſtentiam Unguenti. Laudatur ab Hartmanno *in Praxi Chymiat.* ad curandas Varices pro illitu.

Vel

℞. *Farin. Lupinor.* ℔j.
*Sterc. Capr. exſicc.*

*Acet.*

*Aceti* non valdè fortis, in quo *Ferrum ignitum* quinquies ſit extinctum, q.ſ.

M. S.

Epithema Externum.

Et vel in formâ Emplaſtri ſpiſſi applicetur; vel fortiter ligetur, aliquamdiu continuando.

Quòd ſi Varices apertæ Sanguinem copioſiùs funderent, hic Cauterio actuali mox ſiſtendus erit.

Optimum etiam euporiſton ad Sanguinem ſiſtendum eſt Stercus Suillum, quod Pulveris formâ adſperſum mox omnem Hæmorrhagiam ſiſtit: Vel Lintea ſolutioni Vitrioli Martis & Aluminis immergantur, & Varicibus apertis applicentur; ita tamen involvendo & ligando, ne refluxus Sanguinis ejuſque motus omninò intercipiatur, aliàs periculum eſt diſruptionis Varicum ſub ipsâ Ligaturâ; Sanguinis enim circulus magis promovendus, quàm impediendus eſt.

Denique pro Varicibus dolentibus & tumentibus:

℞. *Ungu. Popul.* ℥ij.
*Mucilag. Sem. Pſyll.*
*Lini*,
*Fœnugræc.* an. ℥iß.
*Olei Chamomill.*
*Farin. Fabar.* an. ℥ij.
*Ceræ* q. ſ.

M. F. Ceratum ſeu Emplaſtrum imponendum Varicibus:

D. S.

Emplaſtrum Emolliens.

Interdum Varices, harumque Venæ capillares, præcipuè in Pedibus, propter Lympham acriorem exulcerantur, unde Pruritus intolerabilis. In his elegans eſt Emplaſtrum de Spermate Ranarum, vel Griſeum, inſpergendo ſimul Acidum abſorbentia, e. g. Cornu Cervi uſtum præparatum, &c. cum Maſtiche & Thure; quibus aliquid Mercurii dulcis addi poteſt.

His internè ſubveniendum eſt Appropriatis Sanguinis dyſcraſiam corrigentibus. In communi uſu Decocta Lignorum Guajaci, Radicis Chinæ & Sarſæparillæ, cum Herbis appropriatis uſurpari ſolent, idque non infeliciter, uti apparet ex Foreſto *l.29. Obſ.25.*

Hi ſunt Tumores, tanquam prima pars affectuum, qui ſubſunt Curæ Chirurgi: Pergo à Tumoribus ad Vulnera.

## SECTIO II.

### *De Vulneribus.*

## CAPUT I.

### *De Vulneribus in Genere.*

*Vulnus* eſt diviſio unionis naturalis in Parte molli, facta ab impetu & vi externâ, ſecante, pungente, mordente, rumpente, aut fortiter contundente.

Infeſtat promiſcuè nunc Partes Nervoſas, nunc Partes Sanguineas, quarum tamen diverſitas vel maximè obſervanda eſt in Curâ.

*Differentiæ* verò *Vulnerum Accidentales* ſunt variæ atque diverſæ pro ratione *Vulneris*; dum nunc eſt *Simplex*, nunc *Complicatum* adjunctione aliorum Affectuum; imprimis aut *cum Inflammatione*, aut *Contuſione*, aut *Virulentiâ*, aut aliis ſimilibus; nunc ratione *Subjecti* aut *Partis affectæ* Vulnus dicitur *Partium Nervearum*, *Sanguinearum*, *Thoracis*, *Capitis*, *&c.*

Quoad *Vulnera ingenere*: In omnibus corrumpitur ab Aëre ambiente Nutrimentum Partis proximum, & Sanguis effuſus propter Spiritûs Vitalis diſſipationem ſucceſſivè corrumpitur & putreſcit; unde naſcitur Acor vitioſus, qui ſubitò omnem ludit Tragœdiam, infert Dolorem rodendo Partes fibroſas nerveas, Tumorem eryſipelaceum, &c. totuſque Spiritui Vitali balſamico Partis præſervativo prorſus hoſtilis, inſtar Fermenti peregrini Partem affectam, ejuſque Alimentum proximum, multifariè alterat, illudque in *Pus* ſalſum de natura alcalina, *Saniem* & *Ichores*, tranſmutat. Unde tandem, niſi Acor maturè temperetur, facilè Ulcera depaſcentia emergunt.

### DIAGNOSIS.

Quoad *Signa Diagnoſtica*: his in Vulneribus Externis, quà talibus, opus non eſt. Quæ autem Partibus profundiùs latentibus inflicta fuerint, cognoſcuntur

1. Ex *Vulneris Externi Situ*: cujus ratione in Hypochondrio dextro, Hepatis, in ſiniſtro verò, Lienis læſio colligi poteſt.
2. Ratione *Doloris*, unde Dolor acutus, Partium Nervoſarum & Membranoſarum: obtuſus verò, Carnoſarum Vulnera indicat.
3. Ratione *Loci*: ſi Vulnera v.g. ſub Hypogaſtrio, Veſicæ, Uteri, &c. læſionem innuunt.
4. *Partis vulneratæ Actione læsâ*: ſic e.g. ex Facultatis Animalis læſione aut perturbatione, Cerebri; ex Dyſpnœâ & Aſthmate, Pulmonum & Diaphragmatis; ex Vomitu, Ventriculi; ex Urinæ profluvio involuntario, Sphincteris Veſicæ, &c. Vulnera colligi poſſunt.
5. *Excretis*: partim *quà talibus*, quando e.g. in læſionibus Abdominis Chylus effluens Ventriculi & Inteſtinorum tenuium: Alvi verò excreta Inteſtinorum craſſorum; ſicut & Urinæ per Abdomen effluxus Renum, Ureterum & Veſicæ Vulnera indicat: partim *excretionis modo*, quando e. g. Sanguis effluit cum Pulſu; tunc enim Arteriam eſſe vulneratam patet.

### PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin Vulnerum*: primariò requiritur Medici judicium, an Vulnus ſit *lethale*? an verò *non lethale*? quod non confundendum cum eo an Vulnus ſit *ſanabile*? an *inſanabile*? multa enim Vulnera ſunt inſanabilia, & perfectè ſanari nequeunt per longum tempus, quæ tamen non ſunt lethalia. Diſtinguendum ergò eſt, an Vulnus ſit *ſanabile*, vel *inſanabile*? & hoc an ſit *lethale* vel *non lethale*? v.g. Vulnus penetrans per Pulmones, niſi majora Vaſa fuerint læſa, eſt ſanabile, aut abit in Abſceſſū; ſi verò Vaſa majora læſa ſunt, eſt lethale; ſicuti Lue Venereâ affectis ſi infligantur Vulnera, hæc difficulter ſunt ſanabilia, ſæpiùs inſanabilia, quia degenerant in Ulcera contumacia maligna, quæ tamen Vulnera, uti dixi, in ſe non ſunt lethalia.

Jam verò *Fundamentum legitimæ Prognoſeos Vulnerum conſiſtit in his tribus*:

(1.) *In Functione* ſeu *Uſu Partis læſæ*, plùs minùs ad Vitam neceſſariæ.
(2.) *In modo læſionis.*
(3.) *In Curandi ratione poſſibili & impoſſibili*: & hæc eſt talis vel *ſimpliciter*, vel *ſecundùm quid*, in tali vel tali Subjecto.

Adeoque *Vulnus* iſtud eſt *lethale*, quod neceſſariò & ex ſumma ac inevitabili neceſſitate, ſeu ſimpliciter & abſolutè, Mortem infert, ut nulla Arte dignoſci, nulliſque Remediis curari, nec Æger conſervari poſſit,

poſſit, hinc ſemper & ut plurimùm intra paucos dies moriatur: id quod fit, vel quatenus Spirituum & Sanguinis atque Seri nimius partim & incoërcibilis oritur effluxus, partim jam dicti & alii Succi vitales extravaſati in certâ Corporis aut Viſceris cavitate, ex qua Arte educi nequeunt, colliguntur, & aut corrumpendo aut comprimendo Viſcerum nobiliorum Functiones lædunt; vel quando Viſcus tale, quod ad Vitam ſimpliciter neceſſarium eſt enormiter læditur. Hinc *ratione prioris*, nempe *Usûs Partis læſæ*, Vulnera Ventriculorum Cordis, Vaſorum internorum inſignium, &c. ſunt lethalia: unde illa Punctura Gladii, qua læditur Ramus Iliacus Cruralis (Germ. *die groſſe Brand Ader*) eſt Vulnus lethale: quare? quia Hæmorrhagia iſta eſt incoërcibilis: hac ratione etiam Vulnera Hepatis profundiora ſunt lethalia, quatenus Vaſa majora (imprimis in centro ejus) incoërcibilem Hæmorrhagiam inferunt. *Ratione ſecundi*, Vulnera Cerebri profunda, & ſubſtantiam ejus graviter lædentia, ſunt lethalia: ſuperficialia verò minùs. *Ratione tertii*, v. g. ſubſtantia Diaphragmatis nervea læſa eſt lethalis, quia ipſi ſuccurri nequit.

Verùm quoad *ſecundum Requiſitum*: obſervetur etiam quòd non ſemper ſufficiat, quòd Pars graviter læſa ſit, ſed quòd cum aliâ Parte habeat *Conſenſum*, v. g. ſi ex Vulnere apparenter levi, Nervo tamen læſo, ſuperveniat Convulſio lethalis, tale Vulnus lethale eſt. In genere ergò in Vulnere lethali neceſſe eſt, ut vel Spirituum Animalium motus vel diſtributio deleatur: ſin hoc enim fit, Animal interit.

Hi ferè ſunt Caſus, in quibus Vulnera ſolent eſſe lethalia. *Vulnera Cordis* non ſemper ſunt lethalia, niſi ſint majora, ac penetrent uſque in ejus Sinus, in ſpecie in Ventriculum ſiniſtrum uſque: ſuperficiales Cordis læſiones, quæ ſaltim tangunt ejus Parenchyma muſculoſum, non ſunt lethales, utut forſan propter læſa majora Pulmonum Vaſa in tranſitu Inſtrumenti lædentis ſequatur Mors. Vidi ego Romæ apud egregium Chirurgum Cor Canis, in cujus Parenchymate tres Globuli ferrei erant, & ita quidem, ut iſti Globuli omninò coaluerint in Parenchymate Cordis; nam Canis erat mortuus ſub Cultro anatomico: ſic etiam in Schenckio, Paræo, Schneidero, &c. habentur Obſervationes talium Vulnerum Cordis ſuperficialium non lethalium.

*Pulmonum Vulnera* propter nimium & incoërcibilem Sanguinis effluxum, hujuſque in Thoracis cavitatem collectionem, lethalia ſunt; niſi leviora & ſuperficialia ſint, utpote quæ interdum curantur, teſtante Glandorpio *Spicil. Chirurg. Obſ.* 24.

*Aſperæ Arteriæ* intra Pulmones latentium *Bronchiorum Vulnera* lethalia ſunt, propter profuſionem Aëris inſpirati in Thoracem. *Ventriculi Vulnera*, quæ lædunt Vaſa majora & orificia, primariò ſiniſtrum, hinc dextrum, ordinariò ſunt lethalia propter Alimentorum & Chyli effluxum: minùs, quæ reliquas lædunt partes, imprimis ſuperiores; non verò circa fundum, cavitatem nempe illitam, quæ Orificia interjacet.

*Vulnera Diaphragmatis* ſemper ferè ſunt lethalia, ſive carnoſæ, ſive nerveæ ſeu mediæ ejus parti inflicta fuerint; nam ſuffocati intereunt Ægri: minora tamen, tam carnoſæ parti, quàm Tendini Diaphragmatis ſecundùm fibrarum tractum inflicta, curari poſſunt, quod videbitis in Glandorpio *l. a. Obſ.* 27. Hollerio *in Hippocrat. Sect. 6. Aphor.* 18. Sennerto *l.* 2. *Prax. p.* 224. & *l.* 5. *p.* 366. nec non Diemerbrock. *Anat. p.* 422. *Mirabile eſt in Diaphragmatis Vulneribus, quòd ſcilicet per Vulnus factum Stomachus, Inteſtina, &c. ex Abdomine penetrent in cavum Thoracis*: quale Exemplum, præter Paræum *l.* 9. *c.* 30. ipſe vidi *Wittebergæ* cum D. Schneidero in Kuſtico, cui ab alio cum Cultro Diaphragma erat perforatum, ita ut Ventriculus in Thoracem retractus continuos Vomitus, Singultus, & tertia die Mortem, inferret. Vid. etiam Sennertus *l. a.* Heinricus *ab* Heer *Obſ.* 25. & Glandorpius *l. a. c.* 28.

*Oeſophagi Vulnera*, præprimis in parte internâ, lethalia ſunt; cùm non ſolùm per hæc Aſſumpta in Thoracis cavitatem effluant, ſed & propter Dolorem ac Inflammationem ipſa Alimentorum Deglutitio ac Reſpiratio impediatur: in parte tamen exteriori interdùm ſanari poſſint: Vid. Schenckius *in Obſervat. pag.* 316. & Pigræus *Epit. Med. & Chir. p.* 376.

*Inteſtinorum Vulnera* ſemper ſunt lethalia, imprimis tranſverſalia; qualia Exempla videbitis in Schenckii *Obſervationib. pag.* 385. Timæo *von Guldenklee Reſp. Med.* 17. Salmuth *Cent.* 1. *Obſ.* 18. & Welſchio noſtro *de Lethalit. Vulnerum p.* 103. nec non diverſis in locis inflicta; vid. Valeriola *lib.* 11. *Obſerv.* 9. & Salzmannus *in Obſerv. Anatom. p.* 10. quia non ſolùm Chylus & Stercora in Abdominis cavitatem effluunt, ex qua evacuari nequeunt, unde putreſcendo & rodendo Inteſtina reliqua, & Abdominis integumenta afficiunt, ſicque Mortem inferunt, (conf. Fallopius *de Vulneribus cap.* 57.), ſed & ipſa Inteſtina vulnerata brevi gangræneſcunt; vid. Wurzius *in Chirurg. P.* 1. *cap.* 13. *pag.* 704. Contrarium obſervatur in Inteſtini Recti extremitate vulneratâ, cùm Remedia Externa commodè applicari poſſint, nec Excrementorum ad Abdominis cavitatem effluxus metuendus.

*Meſenterii Vulnera*, niſi Vaſis ejus majoribus inflicta fuerint, lethalia non ſunt.

*Vulnera* autem *Omenti*, propter nimiam & incoërcibilem Hæmorrhagiam per ſe lethalia ſunt.

Item etiam judicandum *de Pancreatis Vulneribus*.

*Vulnera Hepatis* juxta Gliſſonium *in Anat. Hepatis* lethalia ſunt, præſertim cùm hujus ſubſtantia ſine Vaſorum læſione, & hinc enormi Sanguinis effuſione, vix vulnerari poſſit; contra Glandorpium *in Spicil. Chirurg. Obſ.* 38. & Hildanum *C.* 2. *Obſ.* 34. & *Cent.* 4. *Obſ.* 2. alioſque, qui Vulnera hujus Vaſorum tantùm notabilium lethalia, ſubſtantiæ verò Hepatis inflicta minùs lethalia dicunt.

*Vulnera Veſiculæ felleæ*, nec non *Ramorum majorum Ductûs Hepatici*, & *Ductûs Cholodochi*, per ſe lethalia ſunt, propter Bilis, ad Corporis conſervationem adeò neceſſariæ, profuſionem, & in Abdominis cavo collectionem.

Huc etiam pertinet *Ligamenti Umbilicalis ruptura* vel *præciſio*, quam Spigelius *Anat. l.* 8. *cap.* 5. Laurentius *in Hiſtor. Anat. l.* 6. *cap.* 9. Hildanus *Cent.* 1. *Obſ.* 52. & 53. & Mœbius *in Fund. Med. Phyſiol. cap.* 14. & 20. lethalem pronunciant.

*Receptaculi Lumbaris* & *Ductûs Thoracici Vulnerum* lethalitatem confirmat Experimentum Loweri *Tr. de Corde*; cùm non ſolùm Chylus & Lympha in cavitatem quandam Corporis effluant, & ibidem coacerventur, ſed etiam Sanguinis circulatio turbetur, & Corporis Nutritio impediatur. Contrarium quidem Exemplum refert Langellottus *in* Bartholini *Epiſt. Med. C.* 3. *Epiſt.* 37. de quodam Equitum Magiſtro Brandenburgico, circa mediam Dorſi Vertebram Sclopeto vulnerato, cui ſimilis Liquor chyloſus effluxerit, qui non tam Lintea quintuplicia, Induſium & Lodices imbuerit, quàm etiam Lumbos inundaverit, ſine Vitæ periculo. Verùm potiùs credendum, in hoc Ægro non ipſum Ductûs Thoracici truncum, ſed hujus ſaltem Ramum quendam, læſum fuiſſe.

*Lienis*

*Lienis Vulnera* profundiora, ſive Vaſa ſimul, ſive non lædantur, lethalia ſunt, utut plurimi de Lienis ſubſtantiæ Vulneribus contrarium defendant: Verùm cùm ex Veſalio, Highmoro, Wepffero & Malpighio notum ſit, quòd tota Lienis ſtructura, præter Vaſa, ex Cellulis membranoſis & fibroſis contexta ſit, ad quas Sanguis arterioſus, à Venis reſorbendus, omnis deponitur, non mirum, quin Cellulis his læſis Hæmorrhagia incoërcibilis oriatur.

*Renum* pariter *Vulnera*, imprimis majora, ubi majores Tubuli urinarii lacerati, ſine etiam Vaſorum Emulgentium, aut horum inſigniorum Ramorum læſione, lethalia ſunt; cùm non ſolùm per hæc Serum urinarium ad cavitatem Abdominis effluat, ſed etiam mox Inflammationes & Dolores ingentes ſuperveniant: ut taceam, Renum ſubſtantiam ſine Vaſorum hujus Sanguiferorum notabiliorum læſione, profundiùs vulnerari vix poſſe, uti ex *Anatome Publica* nuperrimè vobis demonſtratum fuit.

*Veſicæ Vulnera* quod attinet: hæc *Cervici* inflicta præſertim quando ſimul Vaſa majora lacerata, propter Inflammationem, Gangrænam, Convulſiones, & Sphacelum, ſæpiſſimè lethalia ſunt: utut contrarium per Calculi Veſicalis exſciſſionem plurimi defendere ſoleant; conf. Salmuth *Cent.2. Obſ.44.* quæ ipſa tamen Operatio circumſpectè & prudentis Artificis manu inſtituta cum Vulneribus fortuitis & caſualibus non confundenda: ut taceam, ipſam etiam Veſicæ Lithotomiam propter dicta Symptomata frequentiùs obſervata periculo pleniſſimam eſſe. *Fundi* autem *Veſicæ Vulnera* propter Tunicam carneam exteriorem, hujuſque cum Peritonæo & Abdominis Muſculis contiguitatem, & faciliorem cum his coaleſcentiam ac conſolidationem ſanari poſſunt; quod etiam contra Glandorpium *in Spic. Chir. cap.38.* alioſque quamplurimos, teſtantur Bauhinus *in Append. ad Roſſetum pag.192.* Felix Wurz *in Chir. P.2.c.13.pag.205.* Platerus *Obſervat. l.3. p.831. & 832.* & Simon Pauli *Flor. Dan. P.2. pag.53.* teſtantur.

*Uteri Vulnera* per ſe lethalia non ſunt, niſi majora, & cum Vaſorum majorum læſione, & inde ortâ Hæmorrhagia copioſiori, fuerint: in Gravidis autem propter Hæmorrhagiam incoërcibilem, Sanguinis in Abdominis cavitatem collectionem, & Fœtûs extra Uterum, & cum Sanguine ibidem putreſcentis, prolapſum, per ſe lethalia pronuncianda.

*Cerebri Vulnera* ſunt varia: ſi *Cortex* ſolùm lædatur, & rectè tractetur, imprimis ſi Sanguis extravaſatus & congrumatus extra Cranium evacuari poſſit, nec gravis Contuſio adſit, minus ſolent habere periculi: ſin verò *Medulla* profundiùs & *Corpus calloſum* vulneretur, nec Sanguis in Cerebro collectus evacuari poſſit, lethalia eſſe ſolent. Tamen uti fiunt interdum Miracula in Medicinâ, Obſervationem quandam habet Schenckius *de Vulnere Cereb i* ad Ventriculum uſque ſanato: an Obſervatio rectè ſit facta neſcio, ſit fides penes Autorem.

Pertinet huc *Cerebri compreſſio*, tam à Cranii ſubſidentiâ, quàm Sanguinis extravaſati & congrumati copiâ: dum enim Cerebri meatus anguſtantur, & Sanguinis in Vaſis Cerebri circulatio, ſimulque Spirituum Animalium diſpenſatio, impeditur aut ſaltem turbatur, nec Cranium relevari, nec Sanguis extravaſatus & congrumatus, aut etiam non maturè ſatis evacuari poteſt, lethalis eſt. Similiter *Cranii Fracturæ & Fiſſuræ*, quarum Fragmenta Cerebro aut hujus involucris ita compacta, ut eximi non poſſint, lethales pronunciandæ; utut ſæpè per aliquot ſeptimanas, imò menſes, vulnerati ex improviſo quaſi, & nihil mali metuentes demum intereant; qualia Exempla, præter quotidianam Experientiam, referunt Paw *in Hippocratem de Vuln. Cran. p.* 82. Salmuth *C.1. Obſerv.12.* & Wepfferus *de Apopl. p.336.* quæ lethalitas magis promovetur, ubi Sanguis ſimul ſupra Cerebrum effuſus, & Vaſcula intra Cranii duplicaturam læſa fuerint.

Lethalia etiam ſunt omnia *Cerebelli*, nec non quædam *Medullæ Spinalis Vulnera*, ſuperiori nempe intra Colli & Dorſi Vertebras parti inflicta, & inferioris tranſverſim diſſectæ, de quo vid. Tulpius *l.3. Obſerv.* 27. ſicut quoque hac in parte, ubi *Nervus Intercoſtalis Paris Vagi* diſſectus & laceratus, Reſpirationem impediendo, Pulſum intercipiendo, &c. lethalis eſſe ſolet.

*Vulnera Muſculi Temporalis* vulgò lethalia dicuntur: Verùm non per ſe & ſemper lethalia eſſe, Experientia teſtatur, v. g. Chattier *Obſerv.4.* qui in Contuſione hujus Muſculi, item Voorde *Chir. pag.* 481. Job *van* Meeckren *Obſ.* 1. Riverius *in Obſ. comm. p.333. & 361.* & Paw *in Hippoc. de Vulneribus Cranii p.* 174. qui in Fracturâ Cranii Muſculi Temporalis inciſionem feliciter factam perhibent: imò Paw *l. a.* & Glandorpius *Spicil. Chir. Obſ.* 12. Vulnera hujus Muſculi caſu illata, ſine notabilibus Symptomatis curata teſtantur. Teſtatur etiam Inſpectio Anatomica, quòd nihil in Muſculi hujus conformatione obſervetur, cujus læſione Actio quædam nobilis & ad Vitam ſimpliciter neceſſaria turbetur, aut cui non quævis Remediorum genera applicari poſſint.

Specialia plura de Vulnerum Prognoſi vid. in Sebizio *de Vulnerum lethalitate*, hinc etiam Welſchio *de Rationali Vulnerum Judicio*, & *Medicina Crit.* Ammanni: In ſpecie etiam videri poteſt Sennertus *ubi de Vulneribus*, qui ſatis prolixus eſt quoad Prognoſin Vulnerum. Nunquam enim poteſt generaliter Prognoſis inſtitui propter varietatem Subjectorum & Circumſtantiarum.

## CURA.

*Cura Vulnerum* conſiſtit in *Unione Partium ſeparatarum, earumque Conglutinatione*; quod opus eſt *ſolius Naturæ*, quæ beneficio Succi nutritii ad omnes Partes diſtributi, appoſiti & agglutinati, tanquam Balſamo quodam ſalino-oleoſo temperato, ſenſim ſenſimque eaſdem reunit & reducit: cui cùm vix reperiatur adæquatè ſimile quoddam Remedium in rerum Naturâ, ſequitur hoc eſſe ſolius Naturæ opus ac laborem. Chirurgi autem hîc opus eſt adjuvare eam in hoc bono opere, ſequendo ejuſdem ductum, *Removendo* imprimis *Impedimenta externa*, quæ ſunt Alimenti Partis roridi & Sanguinis effuſi ſuperinductæ alterationes, & ſucceſſivæ corruptiones & putredines, quas inſeparabiliter comitatur Acor vitioſus, ex iſtâ corruptione natus; *Adducendo diviſa labia*, *Applicandoque Medicamenta*, Succum Partis nutritium, tanquam Balſamum ejus naturale, quæ conſervent, ejuſdem corruptionem impediant, factam jam denuò emendent, adeoque Parti familiaria ac amica ſint, quæ *Medicamenta* aliàs *Vulneraria*, *Agglutinantia*, item *Balſamica*, vocantur.

Pro his à Chirurgo ſcopis meliùs attingendis notandum eſt, quòd *Balſamus* hic *naturalis*, ſeu Alimentum Partis proximum, cùm conſideratur ut conſervans Partem læſam, ſit in naturaliter conſtitutis ſalinus volatilis oleoſus, ſeu Humor roſcidus tenuis, impræ gnatus ſale volatili oleoſo temperato, inveſtito ſubſtantiâ humidâ, nonnihil glutinoſâ & pinguiuſculâ: variat tamen inſigniter pro conſtitutione Ætatum, Sexuum, Vitæ generis, & in ſpecie pro varietate ipſarum Partium variâ, prout hæ ipſæ nunc Sanguineæ ſunt, nunc Nervoſæ; prout etiam variant Subjecta in latitudine Sanitatis, etiam hic

Balſa-

Balſamus variat: Unde vulgò dicunt; *hic ſanabilem, ille inſanabilem vel immedicabilem à Naturâ nactus eſt Cutem.* Et quò vitiatæ magis ſunt Corporis Digeſtiones, indeque plùs minus alterata Maſſa Sanguinea, eò etiam vitioſior & magis degener eſt hic Balſamus; unde etiam nunc faciliùs nunc difficiliùs conſolidabit Partem læſam. Nam & hinc *Mulieribus* inflicta *Vulnera* ſemper deteriorantur & in pejus ruunt ſub tempore menſtruali: & qui vel Scorbuto vel Lue Venerea ſunt inquinati, iis leves, in ſpecie in Nervoſis Partibus, acceptæ læſiones & Vulnerationes, in gravia ſubinde ac periculoſa abeunt Ulcera & Symptomata.

Et quidem *alteratio & mutatio Balſami naturalis Partis læſæ dependet à Cauſis Internis*, vel *Externis*. Ab *Internis Cauſis* diſpoſitio Nutrimenti balſamici corruptibilis, uti de ſe ipſo Vulnus difficulter glutinat; ita facillimè quaſvis externas impreſſiones recipit, quæ leves licèt, in malè tamen conſtitutis gravem inferunt noxam, cum in benè conſtitutis, graviores licèt, impreſſiones facilè corrigantur & eluantur.

*Ab internis Cauſis* & Morbis oriundas Balſami naturalis corruptiones Medicus curet tollendo earum radices, rectificando Digeſtiones & Fermentationes, & corrigendo Partium noxam; unde conſequenter Balſamus facilè naturalem reinduit ſtatum: quod eò faciliùs fiet, ſi præmiſſis aut *Purgantibus* temperatioribus, aut *Sudoriferis* ſalinis volatilibus blandis, *Remediis Balſamum naturalem confortantibus*, ſeu Sale volatili oleoſo temperato, & Spiritu volatili mediocri imprægnatis, ipſi ſuccurratur; nempe *Vulnerariis* internis dictis, & *Balſamicis*, Alcali temperato & oleoſo conſtantibus; quod confirmat Helmontius, & poſt eum Tachenius *in Hipp. Chym.* quia horum Succus revivificat Mercurium: Myrrhâ, Trochiſcis & Eſſentiâ Myrrhæ, Viperinis, Antimonialibus paratis Remediis.

*Externâ* autem ab injuriâ, præprimis ab *Aëris impreſſione* illatos defectus Succi nutritii, omnibus ferè Vulneribus communes, & qui in ſaniſſimis etiam contingunt Subjectis, Chirurgus applicatis debitis *Remediis Externis* emendare debet: nam Vulnera ſponte coëunt, niſi impediantur. Hujuſmodi defectus à Medico, & Chirurgo emendandi, alii non ſunt, quàm *Balſami naturalis* Partis vulneratæ, & *Sanguinis* unà in labiis Vulnerum hærentis *corruptio & putredinalis alteratio*, quam primariò infert alteratio & impreſſio Aëris ambientis. Hujus corruptionis putredinalis indiviſibilis comes eſt *Acor vitioſus & peregrinus*, qui uti aliàs exceſſivus omnibus Partibus inſigniter eſt hoſtilis, ita in ſpecie Partibus vulneratis eſt autor omnium Symptomatum ſupervenientium. Nam tanquam vitioſum Fermentum labia Vulneris inquinat, Nutrimentum balſamicum & Sanguinem affluentem inficit, corrumpit, & fermentando in Pus mutat, niſi violentior magiſque corrupta Aciditas loco Puris Ichorem aut Saniem manare cogat. Unde ſi *Vulnus recens* apto Balſamo à Corruptione & Acore putredinali defendatur citra Puris generationem facilè iſtud conglutinabitur. Et hoc eſt, quod quaſi per tranſennam obſervarunt Magatus & Septalius *in Novâ ratione curandi Vulnera*; unde & ordinariam Vulnera medendi Methodum nonnihil immutârunt. Nam eleganter Magatus improbat Galeno, quòd ſolummodò fuerit occupatus circa Sordes Vulnerum & Ulcerum, circa Pus, Saniem & Ichores abſtergenda, non verò conſideravit Cauſam, à qua iſtæ Sordes producantur: hac in parte accuratè reſpondet cum Helmontio, qui & ipſe Scholis & Medicorum & Chirurgorum, in ſpecie hoc in loco Chirurgorum, exprobrat, eas magis eſſe ſollicitas circa Producta morboſa, quàm circa eorundem Cauſas radicales; unde Fermenta iſta vitioſa, à quibus producuntur per Fermentationem iſtæ Sordes, penſitanda eſſe, ſedulò & ſtudiosè inculcat. Id quod etiam Septalius & Magatus ſtudiosè monuerunt, nempe in vulneratâ Parte Temperamentum Partis eſſe conſervandum, quoniam hôc ab Aëre ambiente læsô, generantur Excrementa: unde Vulnera rarò religanda ſuadent, iiſque ſola Medicamenta Balſamica applicanda, quæ ex horum Hypotheſi Temperamentum Partis vulneratæ, ejuſque Calorem nativum conſervent. Ex principiis verò Helmontianis applicanda ſunt Balſamica, quæ Corruptionem Balſami naturalis in Acorem vitioſum inhibeant, ulterioremque progreſſum coërceant; his enim obſervatis ſtudiosè vel ſponte coire Vulnera, quod veriſſimum eſt.

*Acor* ergò *vitioſus*, qui in Vulnere enatus, Conſolidationem ejus à Naturâ inſtituendam impedit, qui ſæpiſſimè inducitur ab alteratione per contactum Aëris ambientis, eſt perdomandus; nam & in Culinis ſi Carnes corrumpi incipiant, earum Juſcula aceſcunt, & ex ſimili ratione Vulnera degenerant facilè in Ulcera ex Acore iſto magis intenſo, magiſque roſivo & corruptivo, depaſcente Partes vicinas. Hinc etiam eſt, quòd Chirurgi & Mulierculæ omnia Acida, adeò etiam, & rectè quidem, Vini uſum interdicunt Vulneratis, perperam tamen aſſignantes Cauſam, quòd Vinum calefaciat, adeoque Sanationem impediat; ſed vera Cauſa eſt Vini Aciditas, ne accendatur, ac Dolorem, Inflammationem & Putrefactionem promovendo pervertat Vulnera; ſicuti in ipſo Vulnere quandoque Vermes exorti fuerunt: quæ tamen Vini Aciditas, ubi mitigata fuerit ab Alcali Lapillorum Cancrorum, ut in ſaporem lixivialem abeat, utile potiùs & conveniens Vulneratis eſt Remedium; ſicuti etiam hac ratione lapſos ab alto reſtituit: aut ſi ad ℥ß. Lapillorum Cancrorum præparatorum, vel Coralliorum, vel eadem ſoluta in Aceto Succove Limonum, quotidie bis ad Cochlear Vulneratis propinentur etiamſi moderatè tunc Vinum biberint, Vulnus nihilo minùs citò tutò & jucundè, etiam abſque Febre, cicatrizabitur; non quòd hi Lapilli vel in Pulvere, vel ſoluti, materialiter ad Vulnera à primis viis remota properent, ſed quia dicta Concreta abſorbeant Acidum Vini vel Aceti, & fiat Mixtura ſaporis ſalſi de alcalinâ naturâ: vid. Tachenius *in Princip. Morborum pag.* 124. Et hoc ipſum in Remediis aliis Vulnerariis, tam Internis ſub Potionum formâ uſurpatis, quàm Externis ſub Balſamorum ratione applicatis, eſt obvium, quorum balſamica vis, ratione cujus conducunt ad curanda Vulnera, fundatur primariò in Alcali volatili temperato plùs minùs oleoſo, prout ipſa variant Vulneraria: ſicuti poſtmodùm nata Ulcera ex Vulneribus Saturnus & Saturnina remedia curant, non quatenus refrigerant, non quatenus exſiccant, non quatenus detergunt, ſed quatenus Acidum nimium abſorbent; ſicuti aliàs Acida quæcunque Saturni attactu tranſmutantur in dulcedinem aluminoſam adſtringentem: id quod patet omnibus in Aceto deſtillato; hoc ſanè Minio ſeu Saturno calcinato affuſum dulceſcit manifeſtè inſtar Sacchari; unde & exinde paratum Sal ſapore dulci *Sacharum Saturni* appellari conſuevit.

*Acorem* hunc vulneratis Partibus & Vulneribus adeò nocivum ex Corruptione & Putredine oriri dixi, Nutrimenti puta & Balſami naturalis in Parte hærentis, quæ inducitur primariò ab Aëre externo ambiente, aliâve quadam concurrente Causâ Externâ: v.g. Halitus Chirurgi ſi attingat labia Vulneris, eſt nocivus; unde etiam accuratiores Chirurgi Hali-

Halitum ſemper aliorſum efflant, & à Vulneribus vitandum ſuadent, & quæ ſunt hujuſmodi Externa alia; Nam ab his alteratus Succus alimentitius in Putredinem ruit. Unde *Acor* ſemper eſt intenſior in Partibus Nervoſis, quàm Sanguineis. Alteratus etiam Sanguis circa labia Vulneris effuſus congrumatus hæret, & ſimiliter aceſcit. Corrumpuntur hi Succi plùs minùs, prout aut externa Impreſſio, aut Alteratio plùs minùs intenſa fuerit, aut ii ipſi faciliùs vel difficilius corruptibiles exiſtunt. Hic Acor peregrinus omnium ferè Accidentium & Symptomatum Vulneribus ſuperveniențium, eorumque Curationem & Conſolidationem remorantium, primarius eſt autor: nam proximum Alimentum & Sanguinem ſalſum volatilem fermentando *Calorem*, *Ruborem*, & *Dolorem* infert; hinc vicinos Succos coagulando *Tumorem* & *Inflammationem* excitat; fermentando hinc ſe ipſum multiplicat & *Ulcus* generat; cum Salſo volatili alimentitio concurrendo, ſub Effervescentiâ iſtud in *Pus* tranſmutat.

Hæc vitioſa Aciditas putredinalis in Vulnere nunc *Simplex* eſt corruptiva tantùm per Fermentationem, nunc verò *Combinata* eſt cum aliis extraneis Qualitatibus, aut *à Cauſâ lædente*, aut *ab Aëre ambiente*, aut à *Sanguine* & *Humoribus affluentibus* oriunda.

Ratione *Cauſæ lædentis* quidem combinatus eſt hic Acor cum aliis Qualitatibus, ſi Inſtrumentum Veneno tinctum ſit, & ſic *Plagæ* inferantur *Venenatæ*, ad quod & *Animalium* omnium *Morſus* pertinent; nam omnis ferè Morſus, uti rectè loquitur Celſus, habet quoddam Virus, adeo ut etiam Hominis irati Morſus ſub Iræ fervore impreſſus vel inflictus, non minùs periculoſus ſit, quàm alîus cujuſdam Beſtiæ virulentæ Morſicatio; cùm Hominis irati Morſum, ſi non graviora Symptomata, ſæpiſſimè Gangræna Partis morſæ, Putredo ac Corruptio, ſequatur. *Obſervandum* etiam *eſt*, quòd inſtrumentum lædens aut vulnerans nunc ſolùm ſecando, vel pungendo, interdum etiam imprimis contundendo, Partem lædat, ut in peſſimis *Sclopetorum* Vulneribus uſu venit: Hæc ratione Cauſæ lædentis.

Ratione *Aëris ambientis* etiam variat Acidum Vulnerum peregrinum pro Aëris diversâ conſtitutione, quæ temperata faciliorem, minùs temperata difficiliorem promittit Curam; ita ut tempore Vernali Vulnera ac Contuſiones quævis faciliùs ſanentur, quàm Æſtate aut Hyeme. Pariter prout Aër pro Climatum ratione variat, etiam in uno loco faciliùs, in alio difficiliùs Vulnera curari ſolent: ſic in uno loco Capitis, ut Bononiæ, in alio loco Crurum Vulnera, ut Romæ, citiùs curantur: ſic Guido *de* Cauliaco Vulnera Capitis Lutetiæ difficiliora quàm Avenioni; Crurum autem Vulnera Avenioni difficiliora quàm Lutetiæ, eſſe obſervavit: ſicut etiam Paræus *in Chir. p.* 55. teſtatur, omnia ferè Vulnera Sclopeto inflicta in præliis Obſidionis Rothomagenſis, in agro Dionyſiaco conſertis, lethalia fuiſſe. Item variat Vulnerum Cura, ſi Aër frigidus, nebuloſus, temperatus, aut abditâ ratione loci Endemicâ inquinatus, aut Adſtantium Halitibus & occultis Aporrhœis infectus fuerit: hinc enim eſt, quòd Chirurgi non promiſcuè omnes admittant, ut inſpiciant Ligationes Vulnerum, in ſpecie in Nervoſis Partibus, ut Mulieres propter Menſtrua, item Potui deditos, & Inebriatos. Pertinent huc etiam *Lunares Radii* Vulnera illuſtrantes, ſed ſimul deteriorantes, quod, qua ratione fiat illuſtrari poteſt Obſervatione iſtius Medici Galli, qui vocatur Guido *de la* Broſſe, *Tr. de Naturâ Planetarum*. Hic obſervavit, quòd Radii Lunares, Lunâ exiſtente plenâ, ſi concentrentur, dent Materiam lacteam ſeu albicantem, intenſiſſimè frigidam; ſicuti aliàs Radii Solares collecti dant Flammulam ſeu Ignem, &c. Obſervationes ſunt ſatis curioſæ.

*Denique ratione Succi nutritii & Sanguinis affluentis combinatus eſt Acor fermentativus Vulnerum*, ſi magis vel minùs Balſamus nutritius à ſtatu naturali declinaverint; v. g. ſi Sanguis affluens Veneno Venereo aut Cruditate cachecticâ inquinatus fuerit, item ſi Hæmorrhoidibus ſuppreſſis & Menſibus ſtagnantibus fuerit repletus; qualium Vulnera difficillimè ſanantur, quia ſæpiùs in Ulcera cacoëthea degenerant. Nam hæc omnia modò dicta Acidum Vulneris corruptivum pejus plùs minùs reddendo, variorum Symptomatum Vulneri ſupervenientium ſunt cauſa.

Hanc ergò Balſami nutritivi & quaſi glutinoſi Vulnerum naturalis *Corruptionem acidam impedire*, aut jam factam leviorem *corrigere*, & *Balſamum naturalem* per ſibi amica & familiaria *conſervare*, debet Chirurgus, idque per *Medicamenta* dicta *Balſamica*, mox in principio adhibenda, quæ debent eſſe Salina volatilia temperata oleoſa ad inſtar Balſami illius naturalis: nam talia & Acidum corrigunt, & naturale Balſamum conſervant, & ulteriorem Corruptionem ejus præcavendo, brevi Sanitas ſperata & deſiderata ſuccedit. Talia v. g. ſunt *Balſamus Peruvianus*, Balſamum de Capaibe, Terebinthina Cypria, Maſtiche, Olibanum, Oleum Myrrhæ, Hyperici, Succus ſeu Liquor Folliculorum Ulmi; Theriaca in Vini Spiritu ſoluta, *Oleum Terebinthinæ* cum Balſamo Peruviano temperatum, *Balſamus Sulphuris*, aliaque Balſama & Unguenta infinita, quorum apex eſt Balſamus Samech *Paracelſi*. Paratur ex Sale Tartari volatiliſato à Vini Spiritu, ut ambo coëant in dulcedinem aluminoſam blandè adſtrictoriam; qui Balſamus Samech omnium Vulnerum corruptorem enecando, brevi conſolidationem & ſanitatem optatam adjuvat. Pauca tamen ſufficiunt, quæ Chirurgum nobilitant; Compoſitionum enim multitudo oſtendit Ingredientium ignorantiam.

Dixi, quòd debeant eſſe applicanda *Salſa volatilia temperata*, dicta aliàs *Balſamica*, non verò Salſa exceſſiva ſeu Acria; nam Acria, tam Acida quàm Salſa ſunt nociva: Acida quidem Malum augerent, & omnium Balſamum naturalem deſtruerent; ut nil dicam de horrendo Dolore, quem inferrent, cùm Partibus ſint inimica. Hinc & *Olea* communia ſolâ *expreſſione facta*, citra aliqualem præparationem tutò adhiberi non poſſunt, ſeu applicari nequeunt Vulneribus, non tam ob unctuoſitatem viſcidam, ratione cujus Vulneribus & Partibus nerveis ſunt inimica, ſed præterea etiam, quia in ſe habent Acidum occultum ſatis potens, quod Argentum & Ferrum corrodit, & corruptionem Balſami naturalis inſigniter promoveret, & Vulnus pejus redderet.

*Obſervandum* tamen etiam eſt, ne applicentur nimis Acria urinoſa volatilia, ſeu Sale volatili acriori conſtantia, aliàs *Deterſiva*, *Abſtergentia*, ſeu *Mundificantia* dicta; quia hæc Experientiâ teſte Vulnus diu nimis apertum detinent, ejuſque coagulationem impediunt: ratio, quia colliquefaciunt, fundunt, & conſumunt Nutrimentum balſamicum partis, Carnem ejus, & Sanguinem: Ergò acrimoniâ ſuâ & facultate deterſivâ Fluxiones, Dolores, alaque Symptomata inferunt,

Talia ergò *Acriora ſolis Ulceribus* conveniunt, non Vulneribus, quia Vulnus diu apertum retinent. Talia enim colliquefaciunt & conſumunt fundituſ Nutrimentum Partis balſamicum, acrimoniâ ſuâ Fluxum, Dolores, & alia inferunt. Ulceribus ergò conferunt, ubi potentius Acidum potentiora poſtulat corrigentia, & ubi productæ in labiis Ulceris Sordes potentiora urgent Deterſiva. Applicanda eſſe *Alcalina oleoſa*, ſeu *temperata Balſamica*, notandum & obſervandum eſt tam in Vulneribus Partium Sanguinearum, quàm Nervoſarum, ſeu Articulorum Vulneribus. Licèt enim Partes Nerveæ Balſamica requirant paulò fortiora, quibus nempe levia Corroſiva ſint ſimul admiſta, cùm in Partibus Nervoſis ſemper reperiatur Acor magis intenſus, ſubtilior & penetrantior, quàm in Sanguineis, & præterea copioſior Sordium in Vulneribus Partium Nervearum fiat generatio; tamen acriora vix ferunt, quin potiùs exinde irritatæ Dolorem, & multa alia Symptomata inferant. *Temperata* ergò *Acriuſcula* & *Amaricantia* conducunt.

His ipſis tamen Externis admotis, ſimul adminiſtranda ſunt *Interna*, & quidem *Vulneraria*, quæ Alcali occulto Mercurii revivificativo, tamen temperato, conſtant, & Aciditatem qualemcumque, aut in Stomacho, aut primis viis, aut etiam conſequenter in ipſa vulneratâ Parte, enatam aut auctam mitigant & corrigunt. Obſervavit enim Felix Wurzius, quòd ſi ſimul Chirurgi adhibeant Vulneraria internè, non opus ſit tantâ copiâ Balſamorum Externorum. Talia interna ſunt *Plantæ Vulnerariæ*, Potionum formâ uſurpatæ, quales ſiunt ex Alchimillâ, Hederâ terreſtri, Saniculâ, Plantagine, Pyrolâ, Veronicâ, Hyperico, Conſolidâ Saracenicâ, Hepaticâ ſtellatâ, Geranio Rupertiano, Perfoliata, Pulmonariâ maculoſâ, Scabioſâ, Vinca pervincâ, Floribus Hyperici & ſimilibus: quibus & *Album Græcum* meritò annumerandum eſt, non minùs quàm ex Lumbricis parata Remedia, Partibus Nervoſis læſis appropriata interno & externo uſu, uti & Sanguis Hirci. Huc pertinent *Lapilli Cancrorum* in Vino bulliti & ita aſſumti; ſicut uſtus totus *Cancer* fluviatilis interno pariter & externo uſu eſt Chirurgorum Patronus, & inſigniter vulnerarius.

Dixi, quòd hæc *Remedia Vulneraria* etiam *contineant in ſe occultum Alcali*, ratione cujus *revivificent Mercurium*, eumque tam præcipitatum quàm ſublimatum; transfiguratur enim Mercurius in varias larvas, beneficio nempe Salium & Spirituum acidorum. Revivificatur autem denuò ex iſtis variis, quas aſſumpſit, formis, beneficio Succi Plantarum Vulnerariarum, ſi in his bullierit: quare? quia Acidum, quod anteà induerat in formâ Præcipitati aut Sublimati, deſtruitur in Vulnerariis, unde deſtructo Acido denuò ſub nativâ formâ emergit. Unde verò deſtruitur Acidum? nihil aliud eſt, quod magis vel potentiùs & à priori quaſi Acidum deſtruat, quàm Alcali: neceſſariò ergò hoc erit in Vulnerariis: Jam verò temperatum eſt & minùs acriter Linguam ferit, unde occultum vocatur ab Helmontio, vel blandum & minùs apertum. A ſimili Alcali Lapilli Cancrorum & totus Cancer fluviatilis vim obtinent vulnerariam: nam hinc eſt, quòd Aceto injecti efferveſcant, concurſu Acidi cum Alcali: hinc eſt, quòd Vino infuſi Lapilli Cancrorum omnem Aciditatem ejus interimant præcedente blandâ quadam & obſcurâ Efferveſcentia, Alcali Cancrorum in Acidum Vini operante.

Per talia ergò Interna, & Balſamica dicta Externa Vulneraria, curanda ſunt mox in principio *Vulnera recentia*. Non enim imitanda eſt vulgaris Chirurgorum conſuetudo, qui neglectis Vulnerariis Balſamicis, Vulneribus etiam recentibus imponunt primò *Digeſtiva* & *Suppurantia*, hinc, dum genitum eſt Pus, *Mundificantia*, & denique *Sarcotica* & *Conglutinantia*. Hæc Methodus eſt fruſtranea, imprimis in Vulneribus recentibus, Curam in longum protrahens, Partem inflammans, & Succum nutritium alterans, ut exinde interdum facta Plaga levis degeneret in Ulcus ſordidum: ſed potiùs, ubi repreſſa eſt Hæmorrhagia, & nil extranei in Vulnera tranſierit, quod eximendum ſit, aut nulla conjuncta ſit Contuſio, ut fit in Sclopetorum Vulneribus, vel in quibus neceſſario expectanda ſit Suppuratio, optimè Vulneribus talibus recentibus applicatur unicus Balſamus Peruvianus, in ſpecie vulnerarius, qui Sale acri præditus Vulneri ſi inſtillatur, cum pauco, interdum nullo (quod aliquoties vidi etiam in periculoſis Vulneribus) Puris, & ſine Symptomatis, proventu citò Vulnus conglutinat, niſi aliquid de Partis ſubſtantiâ ſecando ablatum fuerit: unde in hoc poſtremo caſu cum Vulnerariis blandè *Adſtringentia*, & humiditates ſuperfluas imbibentes, vulgò *Sarcotica*, ſimul admiſceantur. Interdum tamen neceſſe eſt, ut neglectis *Balſamicis*, *Digeſtiva* applicentur Methodo vulgari, nempe eo in caſu, ubi Vulnus ſtudio ad aliquod tempus apertum ſervandum ſit in *Vulneribus* v. g. *Capitis*, aut ubi conjuncta eſt cum Vulneribus Contuſio, ut in ſpecie in diabolicis *Sclopetorum Vulneribus* evenit, aut ubi Vulnus jam degenerare incipit in Ulcus, aut nimis ab Aëre alteratum fuerit, ita ut Balſamica ſola his noxis corrigendis non ſufficiant; aut etiam, ſi quid heterogenei continetur in Vulnere, quod eximendum & ſeparandum eſt, & quæ ſunt ſimiles circumſtantiæ.

In his neceſſe eſt ex Methodo communi priùs applicare *Digeſtiva* ſeu *Suppurativa*, quæ Pus in Vulnere producant, & hinc poſt Suppurationem *Mundificantia*, & tandem *Sarcotica*: Nam iſta *Digeſtiva* ſucceſſivâ Suppuratione, aut id quod contuſum aut extravaſatum & corruptum fuerit, removent, aut id quod contentum eſt peregrinum, tandem excludunt, aut lentâ ſanatione aliis circa Vulnus agendis occaſionem ſubminiſtrant.

*Digeſtiva* ſeu *Suppurantia* talia ordinariò conſtant ex *Terebinthinâ* & *Vitello Ovi* tanquam baſi, quibus pro re natâ nunc Mellis parum cum Myrrhâ aut Balſamo Peruviano, aut Gummi Elemi, aut ſimile quid, addendum eſt; imprimis ſi circa Partes Nerveas, quæ aliàs facilè putreſcunt, Suppuratio expectanda: v. g.

℞. *Terebinth. opt.* ℥vj.
*Sevi Cerv.* ℥iij.
*Ceræ alb.*
*Maſtich.*
*Oliban.* an. ℥ß.
*Olei Roſar.* ℥iß.
*Camph.* ʒj.
M. f. l. a. Unguentum.

Vid. Wedelius *Compoſ. Medic. Sect. 3. c. 3. p.* 181. Borellus *C. 1. Obſ. 96.* deprædicat ſequens in Puncturis, Ulceribus & Vulneribus.

℞. *Vini alb.* hauſtum j.
*Mell. alb.* ſeu *comm.* ℥iv.

*Vitell.*

*Vitell. Ovor.* No. iij.

M. & ſuper ignem leniter ſpatulâ agita, donec Vinum in fumum abierit, & quod reſiduum, conſiſtentiam acquiſiverit, eôque utendum ſæpè renovando.

Talia Oleoſa temperata, Vulnerariis Balſamicis cognata Acidum vitioſum in Vulnere inveterato etiam mitigant, ne à Mundificativis veris tanquam paulò acrioribus in principio irritatum, efferveſcendo Ulcus pejus reddat, quin à Digeſtivis alteratum faciliùs Mundificantibus cedat: deinde & talia ulteriorem Acori in Vulnere progreſſum inhibent, & intereà, quod vitioſum eſt, efferveſcendo ſuppuratum ſponte Naturæ ſeparari & excludi poſſit. Ubi per Digeſtiva Pus genitum laudabile profluit, tanquam Ulcus quoddam Benignum per *Mundificantia*, hinc *Incarnantia*, & *Cicatriſantia*, tractandum erit, de quo plura, ubi de Ulceribus.

Ex his patet, omnia *Balſamica* Vulnibus recentibus dicata, ut *Mundificantia & Digeſtiva*, cognatæ eſſe naturæ inter ſe, quatenus Alcali conſtant, & Acidum deſtruunt Vulnerum & Ulcerum, ſi nempe temperata ſunt Balſamica; ſi non ſunt temperata, ſed acriora, *Digerentia* ſunt & *Mundificativa* Ulcerum; ſi verò nimis Oleoſa ſunt temperata, ſunt *Digeſtiva* ſeu *Pus promoventia*: Unde unum idemque horum Medicamentorum, v. g. Terebinthina, pro ratione Subjecti, nunc Mundificativi, nunc Digeſtivi, nunc Conſolidativi nomen habet. Hiſce tamen alia Alcalia ſubinde addenda erunt, qualia *Metallica fixa*, quæ ſucceſſivè abſorbendo omnia Acida vitioſa privata Vulnerum & Ulcerum conducunt, ut Creta, *Terra Vitrioli dulcis*, Remedia *Saturnina*, item quæ ex *Venere* adhibentur ad Curam Vulnerum. Naturæ conatui ergò in conſolidando Vulnere ſuccurrit Chirurgus, primariò equidem per modò dicta Remedia, applicando Balſamica, ſecundariò tamen etiam mechanicè ſuccurrat Naturæ, non removendo tantùm ex Vulnere omnia heterogenea, quacunque etiam ratione illa extrahere aut eximere poſſit, ſed etiam conjungendo Vulneris labia, ut interveniente naturali Balſamo, tanquam Glutine, promptiùs cohæreant: id quod Faſciis communibus labia Vulneris ad ſe invicem adducendo, nunc Suturis eadem fortiùs uniendo, ſic quæcunque recentes læſiones ac Vulnera citra Suppurationem omnem, Inflammationem & Tumorem facilè & tutò coëunt, & omnia iſtis optimè mundificata, novâ Carne replentur.

*Heterogenea extrahenda* monui: cùm certum ſit, omne peregrinum & non vitale Naturæ eſſe inimicum, idque eò plùs, quò faciliùs & ipſum Heterogeneum eſt alterabile aut corruptibile. Hinc nimque *Globuli Sclopetorum* præ aliis Externis commodiùs relinqui poſſunt in Corpore, ſi Oſſi hæreant infixi, ſeu ſaltim in Partibus Muſculoſis lateant. Hi, inquam, Globuli ſæpiùs poſſunt retineri in Corpore ex eo, quoniam nullam alterationem inferunt Parti, niſi quòd pondere ipſam gravent: aliàs verò ipſi Globuli nec alterantur, nec ullo modo corrumpuntur, utut tandem proprio pondere ſucceſſivè deorſum & extrorſum ferantur, atque ita à providâ Naturâ exeludantur. Res quoque extraneæ in Vulneribus hærentes ordinariò ſunt *Grumi Sanguinis*, &c. qui tamen non penitus in principio removendi ſunt, ſed cruſta Sanguinis grumoſi circa labia Vulneris relinquenda eſt; hæc enim defendit labia Vulneris ab impreſſione Aëris externi, defendit Balſamum nativum, quò minùs alteretur, item promovet Suppurationem. Alia verò Heterogenea, v. g. *fruſtula Vitri*, *Feſtucæ*, *Oſſium fruſtula*, *ſurculi Lignorum*, & ſimilia, nunc Arte extrahuntur, vel variis Inſtrumentis, Roſtro Corvino, Gruino, Ciconiæ, & ſimilibus, vel eadem obſcurè & profundè ſituata beneficio Suppurationis ſucceſſivè foràs ejiciuntur cum Pure.

In ſpecie autem *ad extrahenda Heterogenea ex Vulneribus* optimè conducit Pinguedo Leporis, quæ quorundam Chirurgorum eſt arcaniſſimum, ſi vel ſola illinatur, vel cum ana aut duplo Unguenti ſeu Emplaſtri ex Betonicâ applicetur Vulneri, vel etiam ex *Pinguedine Leporinâ* cum *Gummi Arabico* fiat Emplaſtrum Vulneri imponendum, pro Extractione peregrinorum. Alii pro extrahendis vitioſis infixis commendant admodùm Picem ſutoriam, Germ. *das Schuſter Pech*, quæ fortiſſimè res alienas ex Vulneribus eliciat; uti & hoc quibuſdam laudatur:

℞. *Ferment.*
*Mellis opt.* an. ℔ß.
*Viſci quercin.* quartar. j.

Quæ invicem combinantur in formam Emplaſtri applicandi, ubi res heterogeneæ ſunt eliciendæ.

Quin & *Raphanum* fortiter cum Axungiâ ſubactum, & Vulneri impoſitum, peregrina fortiter elicere affirmant. *Dictamnus Creticus* cum Pinguedine Leporinâ etiam applicatur. Non inconſultum eſt, dum recipiunt alii *Cancros vivos*, eoſque contuſos miſcent cum Pinguedine Leporinâ, & res alienas prodire juvat.

Vel

℞. *Ovor. Cancror. viv.*
*Pingu. Lepor.* an. ʒß.
*Succin. albi* ʒiij.
M. D. S.
Unguentum Extrahens.

applicetur ad extrahendas res alienas.

Juxta hæc non nullis in maximo Secreto eſt *Lingua Vulpis*: evellitur nempe Menſe *Martio* ex Vulpe vivâ vel violenter mortuâ, exſiccatur, & uſurpatur ſuo tempore in Vino: ſcilicet macerata Vulneribus applicatur; ſic omnia Heterogenea prorumpunt.

Compoſita quibus placent:

℞. *Ceræ alb.* ℔j.
*Colophon.*
*Terebinth.* an. ʒvj.

Liqueſcant ſuper *igne*:

adde

*Gummi Ammon.* ʒj.
*Bdellii* ʒij.
*Succini* ʒiij.
*Axung. Lepor.*
*Aprugn.* an. q. ſ.

M. f. Emplaſtrum; S.
Emplaſtrum Extrahens.

Hiſce Externis ſuccurrendum eſt per *Interna Vulneraria*, in ſpecie quidem per Sabinam, Vincam pervincam, & Lapillos Cancrorum, qui primariò tunc debent ingredi Potiones Vulnerarias, ubi extrudenda ſunt Heterogenea infixa; videatur Felix Wurz: Sic Wedelius *de Med. Facultatib. lib.* 1. *Sect.* 2. *cap.* 6. refert Studioſum, qui ictus erat Globulo plumbeo in pede, quem Inſtrumentis eximi renuerat, Decocto Vulnerario ex Radice Dictamni extractum & curatum. Pertinet huc Experimentum Arculani, qui ibidem videatur.

Juxta hanc Extractionem etiam *Faſciis* ſuccurrat Chirurgus. *Faſciarum* variæ ſunt & ſpecies & modi. In Vulneribus præ cæteris in uſu eſt Faſcia ſeu *Ligatura Incarnativa* ſeu *Agglutinativa* dicta,

quæ nempe fit cum Faſciâ duorum capitum : Applicatur ita, ut medium ejus imponatur in Membro læſo in parte Plagæ oppoſita, & ducatur hinc ſupra Plagam ipſam cruciatim, repetendo hanc viam aliquoties, ut labia Plagæ ita ad ſe invicem adducantur ; ſic enim beneficio Faſciationis adducuntur labia Vulneris. Et hæc Faſciatio vel ſola ſufficit in Vulneribus, vel non adeò inſignioribus, vel in iis, quæ ſecundùm longitudinem Membri, vel ſecundùm Fibrarum protenſarum ductum inflicta fuerunt. Sed in Vulneribus & Sectionibus quando Partes quædam Ferro abſciſſæ ſunt, ut in Narium, Aurium & Digitorum tali ſeparatione, ut tamen adhuc pendeant ; aut etiam quando in Articulis graviores infliguntur Plagæ ; aut quando ampla Vulnera per tranſverſum Membri aut Fibrarum Muſculoſarum ſunt illata ; aut quando Fruſta integra carnoſa ferè ſunt deciſa ; in his & ſimilibus caſibus non ſufficit Faſciatio ſola, ut adducantur labia Vulneris ad ſe invicem, & ita adducta maneant : ſed in talibus caſibus *Suturæ labiorum Vulneris* ( Germ. *das hefften* ) ſunt inſtituendæ. *Suturæ* hæ fiunt nunc per *Acus*, & *Fila* illarum medio traducta ; nunc verò fiunt per *Gluten* utrinque Vulneri applicatum ( *per Emplaſtrum figens* ). Illud convenit in Subjectis durioribus & fortioribus in Partibus à viſu remotis minuſque ſenſibilibus : hoc verò, nempe Sutura per Gluten, in Partibus contrariis. *Modus per Gluten* eſt hic : Applicentur utrinque labiis Vulneris Lintea ſuis Anſulis ſeu Filamentis inſtructa ( Germ. *mit Bandern* ) ut horum medio ipſa Emplaſtra, & per conſequens Vulneris labia, ad ſe invicem adduci poſſint, poſtquàm ipſa Lintea hoc Linimento, tanquam Glutine, priùs fuerint illita :

℞. *Gumm. Tragacanth.*
*Arabic.*
*Maſtich.*
*Thuris*,
*Sarcocoll.* an. ʒj.

Pulveriſata ſubigantur probè cum *Ovi Albumine*, agitato optimè cum ſpatulâ, donec in ſpumam, hinc in liquorem, reſolutum fuerit, & ita Lintea hoc Linimento illita applicanda ſunt.

D. S.

Emplaſtrum Figens.

Interim utrinque *Sutura* diverſimodè inſtituitur pro ratione Partis Vulneratæ, obſervando in ambabus, tam quæ fiunt cum Acu, quàm cum Glutine, hoc imprimis,

( 1. ) Ne applicetur, niſi *neceſſitas urgeat* in ſuprà dictis caſibus.

( 2. ) Ne *nimis arctè* adducantur labia Vulneris, quia in omni Vulnere hæc ipſa aliquantulùm intumeſcunt.

( 3. ) Ne *nimis propè* ſint ad ſe invicem adducta, ne Puri & Sordibus è Vulnere egreſſus, Balſamis verò & Unguentis applicandis ingreſſus, inhibeatur.

( 4. ) Ne in Suturis *Nervus* ſimul cum Acu *attingatur*.

Quæ *quatuor Requiſita* in Suturis legitimè inſtituendis vel maximè ſunt obſervanda ; alias enim plus nocent Suturæ, quàm proſunt. Imprimis quidem, ſi nimis arctè labia Vulneris adducantur, aut ipſæ Suturæ, ſive per Acus ſive per Anſulas, ſint nimis propè ad ſe invicem ſitæ, tunc imprimis ingens Dolor ex impedito Tumore labiorum Vulneris exoritur & inducitur : & præterea Pus factum, in fundo Vulneris non rectè egreditur ; unde poſtmodùm fundus Vulneris non probè mundificatur, ipſa verò labia interna coaleſcunt ; adeoque fit tandem, ut ex remanentis Puris & Fermenti vitioſi in Parte vulneratâ & conſolidatâ oriatur Abſceſſus occultus, ſucceſſivè non abſque periculo ſe manifeſtaturus : qui antequam fit, Pus acre retentum ſubinde Cuniculos agit in Partibus ſubcutaneis, eaſdem hinc inde erodit, & ita poſtmodùm Abſceſſum ſinuoſum producit ; imò interdum ipſa Oſſa aggreditur, eaque carioſa reddit, interdum alia incommoda poſt ſe ducit, à vitiatis applicatis Suturis oriunda. Imprimis autem in locis Nervoſis cautè applicentur Suturæ per Acum, propter Dolorem, aut etiam propter metum Puncturæ Tendinis aut Nervi : Nam à priori, nempe Dolore, Partes Nervoſæ irritatæ plorant Synoviam ( *accedit Pituita ſeu Phlegma per omnia diffluens* ) : ſi verò poſterius fiat, ſcilicet pungatur Nervus vel Tendo, metus eſt ſupervenientium Convulſionum : Ob id ergò quàm paucæ applicentur Suturæ, imprimis per Acum propter Nervos, &c.

Jam verò ut Suturæ inſigniter conducunt in Vulneribus gravioribus cæſim factis ; ita etiam *in Vulneribus* levioribus *punctim* inflictis *Turundarum* rectè adminiſtratarum egregius eſt uſus, quod certum eſt ( dico *rectè adminiſtratarum* ) : quæ ipſæ tamen Turundæ ( Germ. *Meiſſel. Wiecken* ) nec in *Abſceſſibus Sinuoſis*, uti nec in *Ulceribus & Fiſtulis* ) minoris ſunt utilitatis, qui in his poſterioribus caſibus etiam inſigniter conducunt. ( X )

In

( X ) Nota Cyrilli. *Quamvis apud* Hippocratem, Celſum, Galenum, *alioſque Antiquos, ipſumque* Rhaſem, *vix fuerit* Turundarum in Vulnerum Curatione uſus ; *attamen omnes ſequentibus ſeculis Chirurgi Turundis Vulnera & Ulcera indiſcriminatim tractavere. Centum autem ferè ab hinc annis Cl.* Cæſar Magatus *à Scandiano Profeſſor Ferrarienſis, librum edidit, cui titulus*, De rarâ Vulnerum tractatione, & Turundarum abuſu : *atque in eo non ſolùm damna, quæ ex Turundarum applicatione Vulneribus & Ulceribus accidere poſſunt, ſed faciliorem Ulcera curandi abſque Turundis methodum expoſuit, innumeriſque Obſervationibus confirmavit. Quam ſententiam ( quamvis primò veluti paradoxam putatam ), ſecuti fuere tunc temporis Clariſſimi Viri* Veſlingius, Septalius, *atque à Veſlingio devictus* Sennertus, *aliique. Veluti conſepultam è tenebris ineunte hoc ſeculo eduxit Dñ.* Belloſte' *Chirurgus Gallus in ſuo* Chirurgien d' Hopital : *in Gallum tamen meritò invehitur Italus* Dionyſius Andr. Sancaſſani *Medicus Comaclenſis, quòd nempe veram hanc Vulnerum abſque Turundis curandi Methodum ſibi ipſi temerè tribuat, nullâ factâ noſtri* Cæſaris Magati *mentione.*

*Et quidem in Vulnerum & Ulcerum Curatione duo præcipuè animadvertenda ; primò ne liquorum in eâ parte curſus impediatur, unde mora & ſtagnatio oriri poſſit ; ſecundò ne dolor ex irritatione excitetur, adeoque ex dolore inflammatio oriatur. Utrumque ex Turundarum applicatione accidere poteſt : illæ enim propriâ mole & figurâ comprimere atque irritare facili negotio valent : unde Dolores, Inflammationes, & novi Abſceſſus. Hæc quidem ſunt ex Turundarum uſu incommoda : eſt tamen & non ſpernendum ex illarum rectâ adminiſtratione commodum ; ne ſcilicet coaleſcentibus Vulneris labiis Saniei exitus præcludatur, & Sinus in periculoſiores quandoque Abſceſſus degeneraturi, excaventur. Mediâ igitur viâ Chirurgis in Turundarum uſu incedendum eſt : non omninò abolendæ, ne Pus retineatur ; nec indiſcriminatim adhibendæ, ut vel mole vel figurâ partem lædere poſſint, aut labiis obcalleſcentibus, Ulceris curatio in longum, cum Chirurgi infamiâ, producatur.*

In ſpecie uſus earum eſt, quoad Vulnera; ut nempe per has Turundas applicatas Vulnus tamdiu in ſuperficie apertum ſervetur, donec ex fundo probè purificato ſuccreſcens Caro ſummitatem labiorum ſucceſſivè attigerit; cùm aliàs in ſuperficie citiùs Caro ipſa ipſaque Cutis proptè coaleſcens, Pus & Sordes in fundo occludant, unde neceſſariò aut Dolores, aut Inflammationes, aut Abſceſſus recidivi, aut Fiſtulæ, aut Sinus profundi, ſimiliaque ſuperveniunt Mala: cùm econtrà ipſæ *Turundæ* rectè fabricatæ ſi illitæ fuerint Unguento & Balſamo convenienti, vehiculum ſunt, ut ubique Unguentum aptiùs diſtribuatur, & ad fundum Vulneris uſque derivetur vis medica Balſami Vulnerarii.

*Parentur* autem Turundæ aut ex Lino contorto, aut ex Linteo teneriori convoluto, & Filo alligato in formâ quaſi pyramidali, ita ut baſis Turundæ, ſeu latior & amplior pars, dividatur in quatuor lacinias, quæ impediant, ne nimis profundè Turunda in Vulnus intrudatur; aliàs enim hoc eſſet doloroſum, quod in uſu Turundarum eſt obſervandum: idque

(1.) Si *Partes Nervoſæ* aut in viciniâ, aut in fundo Vulneris reperiantur: nam in talibus *longiores aut craſſiores Turundæ* magnum Dolorem excitant, qui Partium Nervoſarum læſiones inſigniter exaſperat, ad Convulſiones Ægros diſponit, & Synoviam conſumit, & conſequenter Partis Ariduram tandem producit.

(2.) Obſervandum eſt in uſu Turundarum, *ne nimis ſint craſſæ*, nempe circa medium ſui ſint craſſiſſimæ ita quidem, ut modicè repleant Vulnus, cùm ordinariò Turundæ non nihil intumeſcere ſoleant: in apice ſint Turundæ teneræ & molles, ne durior apex & acutus Partes ſenſiles lædat & irritet, nec Carnem teneram ex fundo ſuccreſcentem lædat, ejuſque augmentum impediat; quin potiùs ipſæ Turundæ non nimis craſſæ facilè cedant genito Puri, nec hujus retentionem indeque ortam majorem acrimoniam inferant; quin & craſſæ nimis Turundæ hoc habent periculi, ut labia Vaſorum Sanguifluorum coaleſcentia, & à Sanguine grumoſo non nihil conſtipata, denuò referent, novaſque Hæmorrhagias inducant.

(3.) Ne Turundæ *frequenter nimis*, aut ubi minùs neceſſarium eſt, applicentur, in ſpecie, ubi Partes Nervoſæ fuerint ſimul læſæ: nam nimis frequenter aut diu uſurpatæ Conſolidationem impediunt, item Partes Cutaneas circa labia occalleſcere ſucceſſivè faciunt, ſeu ad Occalleſcentiam diſponere ſolent. Sufficit per Turundam Vulnus in quodam loco ſervare apertum, ut vel Sanies, vel ſimile poſſit excerni.

His ita probè obſervatis coaleſcunt tandem Vulneris labia, & nutriuntur denuò Partes anteà ſeparatæ; nihilo minùs tamen inæqualitas, aſperitas, duritieſque in loco conſolidato remanere ſolent, id quod *Cicatricem* appellant. Nam dum Balſamus nutritivus ſucceſſivè denuò unit labia, tamen Fibræ Cutaneæ nerveæ anteà ſeparatæ vix adeò exactè ſibi denuò circa extremitates junguntur; pori quoque & meatus in æquali tractu aliàs juxta ſe invicem ſituati pervertuntur, & minùs aptâ ſerie collocati ita inter ſe confunduntur: unde glutinans Succus nutritius in iſtis locis detentus & implicatus in Oſſibus Callum, in Partibus mollioribus cutaneis Cicatricem talem conſtituit: idque eò magis, quò Adſtringentia magis & Exſiccantia, *Cicatriſantia* vulgò appellata, applicata fuerint: nam hæc poros anguſtando, Fibraſque duriores & minùs tractabiles reddendo, tandem inſigniori Cicatrici occaſionem præbent, & quidem eò magis, quò aſperior minuſque roſcidus fuerit nutritius Balſamus: nam propter hanc ultimam cauſam in Adultis majores magiſque deformes Cicatrices naſcuntur, quæ in Junioribus minùs tales exiſtunt, quin potiùs hi ipſi rectè tractati vix Cicatricis veſtigium relinquere ſolent. Pinguedo Aſciræ piſcis Vulneribus, dum coëunt, inſtillata, conſolidat citra Cicatricem.

*Remedia* ergò Vulnerum in genere *Glutinantia* ſeu *Vulneraria* appellata, ſunt iſta, quæ Partes molles naturaliter quidem unitas, præternaturaliter verò diviſas, denuò conjungere juvant, ut quaſi conglutinatæ videantur, unde *Glutinantia* dicuntur. Pertinent huc ea, quæ tam ad Vulnera recentia conſolidanda adhibentur, ut *Vulneraria*, unde Balſami Vulnerarii præparantur, tam ad Ulcera cava replenda, ut *Sarcotica* dicta, tam ad Cicatricem inducendam, ut *Epulotica*.

Superiùs monitum fuit, quòd Natura ſimpliciter impoſitione & agglutinatione ſui Balſami ſeu Succi nutritii, Partes diviſas uniat, aut imminutas reſtituat, modò non impediatur per hujus Balſami aut alterationem aut corruptionem. *Non* ergò *Medicamenta generant Carnem*, ſed Naturæ tantùm adjumentum præſtant, conſervando Balſami integritatem naturalem: quod ea faciunt, quæ Sale volatili occulto ſeu oleoſo temperato conſtant, *Vulneraxia* communiter dicta, & quæ ſimul imprimis adjunctam habent *moderatam* quandam *Adſtrictionem*.

Prout autem jam Alimentum Partis balſamicum alterationem quandam & corruptionem acidam ſuſcipit, aut majorem aut minorem, eligenda etiam ſunt Medicamenta, quorum Sal volatile nunc magis nunc minùs erit acre, aut addenda erunt temperatis *Metallica*, imprimis *Saturnina*, Acidum quodcunque abſorbentia. Dum autem ſemper cum Succo Partis nutritio tenuis quidam & ſeroſus Humor, iſtius ſcilicet vehiculum, in Partem læſam tranſudat, quod aut impedit Partis reunionem & Alimenti agglutinationem, aut ſaltim Partem regenitam humectando, nimis laxam, flaccidam & mollem reddit, indeque nimiæ Carnis luxuriei & excreſcentiæ occaſionem præbet: ob id interdum ſunt addenda Remedia, vel *Exſiccantia* dicta, quæ nempe nimiam Humiditatem in ſe abſorbent, vel *Adſtringentia* moderata, quæ laxitatem corrigunt, & debitum tonum ac conſiſtentiam Carni regenitæ tribuunt: quod imprimis obſervandum eſt, ubi ſimul vel pars Carnis, vel Cutis, vel alia quæcunque ablata, regenerari debet; tunc enim modò dicta Remedia, pro neceſſitate Partis regenerandæ, vel augenda vel minuenda ſunt: Nam talia ſi ſunt debilia, *Sarcotica*: ſi fortiora, *Epulotica* dicuntur, quoniam in Partis ſolâ per Vulnus diviſione non tanta imminet neceſſitas, atque in Partis ab Ulcere eroſione.

*Remedia* ergò *Vulneraria* ſunt multifaria, v. g. *Herbæ* & *Folia* Agrimoniæ, Geranii, Saniculæ, Pyrolæ, Piloſellæ, Herniariæ, Cynogloſſæ, Plantaginis, Hyperici, Equiſeti, Verbenæ, Scabioſæ, Chamæpityos, Centaurii minoris, Millefolii, quod recens contuſum Vulneribus recentibus impoſitum, vel ejus Succus recens inſtillatus ea citra ſuppurationem conſolidat; Betonicæ, Bugulæ, Prunellæ, Nicotianæ, Pimpinellæ, Myrti, Nummulariæ, Vincæ pervincæ, Bellidis minoris,

minoris, Chærefolii, Telephii, Veronicæ, Scabiosæ, Sabinæ, Caprifolii, Virgæ aureæ, eorumque *Succi*: *Radix* Aristolochiæ utriusque, Tormentillæ, Symphyti majoris, Cyperi, Ireos Florentinæ, Galangæ, Valerianæ, Vincetoxici, Sigilli Salomonis: *Cortices* Granatorum: *Flores* Rosarum, Balaustiorum, Hyperici, Bellidis, Verbasci, Crocus: *Fructus* Momordicæ, Nux Moschata, Caryophylli, Nuces Cupressi, Gallæ immaturæ, Glandes Quercinæ: Sarcocolla, Sanguis Draconis, Tacamahacca, Tragacanthum, *Gummi* Elemi, Hederæ, Galbanum, Olibanum, Benzoë, Succinum, Bdellium, Gummi Juniperi, Resina Pini & omnium Arborum resiniferarum; Terebinthina, Colophonium, Myrrha, quæ imprimis est conservativum Mumiæ, & per centum & plures annos Homines à corruptione arcere potest, beneficio Spiritûs Vini myrrhati conditos, unde Elixir Proprietatis omnes Corporis nostri putredines arcet; Pix, Mastiche. Ex *Succis inspissatis* sunt Hypocistidis, Acaciæ veræ, Aloë, Liquor vesicularius Ulmi, Saccharum cum Spiritu Vini temperatum: Farinæ Hordei, Fabarum, Orobi, Fœnugræci, &c. *Ex Animalibus* Mumia, Lumbrici terrestres & omnia Lumbricalia, Cerumina Aurium sunt singularia, Cera, Mel, Cornu Cervi ustum, Os Sepiæ, Ebur ustum, Cancri fluviatiles, Lapilli Cancrorum, & omnia ex Cancris desumpta; quia Cancri constant Sale alcalino temperato & minùs oleoso, ratione cujus successivè destruunt Acidum in Parte vulneratâ: Exuviæ Serpentum, Telæ Aranearum, Pinguedo Canis, Usnea Cranii Humani, Urina, &c. *Ex Mineralibus* Colcothar Vitrioli, quod commendatur ab Helmontio, & omnem Vulnerum corruptorem tollit, ex quo Felix Wurz suum Unguentum Fuscum parat. Idem etiam præstat Saturnus & Saturnina ut Lithargyrium, Plumbum calcinatum, Cerussa, Minium, Cadmia, Lapis Calaminaris, Tutia, Bolus Armena, Terra Sigillata, Pompholyx, Creta alba, Lac Lunæ, Lapis Hæmatites, Gypsum, Alumen, Sulphur, Calx viva lota, Terra Vitrioli dulcis balsamica, Crocus Martis, &c. Hinc Vini Spiritus, Oleum Hyperici, Oleum Momordicæ, quod vim habet Vulnera consolidandi, Oleum Nuciftæ expressum, Oleum Mastiches, Nicotianæ, Oleum Lumbricorum terrestrium, & in Vulneribus non adeò magnis Oleum Liliorum alborum, Balsamum Peruvianum in omnibus Corporis Vulneribus, vel, quod reliquis præfertur, Balsamum Indicum seu de Capaibe, Balsamum Sulphuris, Balsamum Sulphuris Antimonii cum Oleo Succini aut Terebinthinæ, Balsamum Saturni terebinthinatum, Theriaca. Sic solum Oleum Seminis Hyperici expressum cum Floribus Sulphuris blandissimè emolliendo dat Balsamum Sulphuris nobilissimum. Unguentum de Lithargyrio, Aureum, de Betonicâ, de Pompholyge, de Nicotianâ, de Cerussâ, Unguentum *Wurzii* Fuscum, Unguentum Album *Rhasis*, de Tutiâ, de Minio: Emplastrum Diasulphuris *Rulandi*, Emplastrum Stypticum *Crollii*, Emplastrum Oppoteldoch *Paracelsi*, Emplastrum Diapalmæ, de Betonicâ, de Gratiâ Dei, &c. quæ recentia Vulnera subitò ad consolidationem perducunt.

Usus horum Simplicium & Compositorum est multiplex: Usurpantur enim

(1.) Vel internè *in Potionibus Vulnerariis.*

(2.) Vel externè *in Injectionibus* sub formâ Decoctorum.

(3.) Tanquam *Olea* & *Balsama.*

(4.) Tanquam *Unguenta* cum Turundis aut Filamentis siccis applicanda.

(5.) Tanquam *Emplastra.*

V. g. sic præscribo: sit I. *Potio Vulneraria*:

℞. *Cancr. fluviat.* No. xij.
*Rad. Symph. maj.* ℥j.
*Fol. Bugloss.*
*Alchimill.*
*Heder. terrestr.*
*Summit. Hyper.* an. M. j.
Concisa & contusa bulliant in f. q. *Aquæ* & *Vini.* (*Vinum* additur propter Cancros:)
Colaturæ adde
*Syr. Capill. Vener.*
*Heder. terrestr.* an. q. s.
M. D. S.

Potio Vulneraria pro aliquot vicibus.

Sin Sitis urgeat, etiam de *Syrupo è Succo Citri*, &c. addatur, bis in die hauriendo semper ℥iv. ad vj. tribus vel quatuor horis ante pastum, in utroque haustu aliquot guttæ *Balsami Sulphuris terebinthinati*, vel *succinati* in Nervorum affectibus, assumi possunt:

Vel

℞. *Cancr. fluv.* No. x. vel xx.
*Rad. Aristol. rot.* ℥j.
*Fol. Bugul.*
*Beton.* vel *Plantag.*
*Alchimillæ* vel *Millefol.*
*Sanicul.* an. Mj.
*Alb. Græc.* ʒij. ad ℥j.
Bulliant in *Aquæ* p. ij. & *Vini* p. j.
Colaturæ ℔iij. adde
*Syr. de Symph. Fern.* ℥iß.
(vel hujus loco *Syr. de Hed. terrestr.* ℥iij.)
M. D. S.

Potio Vulneraria sanans.

Dosis ℥iij. ad v. bis in die, cui semper *Balsami Sulphuris* gutt. x. ad xv. addantur.

Vel

℞. *Herb. Plantag.* M. iij.
*Pyrol.*
*Alchim.* an. M. ß.
*Com. Hyperic. floresc.* M. j.
*Ras. Cornu Cervi* ℥j.
Coqu. in f. q. *Aquæ*:
Colaturæ ℔iß. adde
*Sacch.* vel *Syr. de Symph. Fern.* q. s.
M. S. ut antè.

Vel

℞. *Lap. Cancr. præp.* ʒij.
*Aceti Vini* ʒvj.
M. S.

Sanans Mixtura Vulneraria.

Hujus Mixturæ Cochlear j. propinetur in haustu Decocti calidi.

Vel

℞. *Herb. Scabios.* M. ij.
*Hed. terr.* M. j.
*Rad. Enul.* ℥iß.
*Ireos Flor.* ʒvj.
*Sem. Anisi* vel *Fœnic.* ʒiij.
Coqu. in *Aqua simpl.*
Colaturæ ℔iß. adde
*Oxym. squill.* q. s. pro grato sapore.
M. D. S.

Sanans Potio Vulneraria.

In formâ siccâ:

℞. *Mumiæ* ℥ß.
*Sperm. Ceti* ʒij.
*Lapill. Cancr. præp.* ʒiij.
*Rhabarb. el.* ʒj. vel ij.
*Cinnam.* ℥ß.

M. f.

M. f. Pulvis : S.
Pulvis Vulnerarius.

II. Si ordinanda ſit *Injectio in Vulnera profunda*, in Sinus, item Ulcera cavernosa, &c.

℞. *Herb. Veron.*
*Pyrol.*
*Sanic.*
*Fol. Nicot.* an. M. ij.
*Alb. Græc.* ʒiij. vel iv.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ ſimpl.*
Colat. q. ſ. adde
*Spiritûs Vini* vel *Mell.* pro lubitu.
M. D. S.
Aqua inſpergenda.

Hôc externè Vulnera & Ulcera eluuntur, vel etiam Plagulæ in eo madefactæ imponuntur.

Vel

℞. *Aſtacor. fluv.* No. xx.
*Rad. Ariſtol. rot.* ʒj.
*Herb. Bugul.*
*Alchimill.*
*Sanicul.*
*Betonic.* an. M. j.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ comm.* & *Vini.*
Colatura D.

Qui volunt habere plures Compoſitiones Decoctorum Vulnerariorum, adeant Poterium *Pharm. lib.* 1. *Sect.* 1. *pag.* 320.

III. Sequuntur *Olea*, *ſeu Balſama Vulneraria*, quæ utut ſimplicia, ſunt tamen optima : v. g. ſufficit *Balſamus Peruvianus* vel *Tolutanus*, item *Balſamus Sulphuris cum Oleo Hyperici.* Quibus tamen placent *compoſita* :

℞. *Balſam. Peruv.*
*Olei Hyperic.*
*Momord. ritè par.* an. ʒij.

( Vidi hoc ſolo Oleo Momordicæ mirabiles peractas Curationes )

*Balſam. Sulphuris* ʒj. ad ʒiß.
*Gummi Elemi* q. ſ. pro conſiſtentiâ Balſami liquidioris Vulnerarii.

Miſceantur blando calore, aſſervetur uſui, inſtilletur Vulneri.

Vel

℞. *Olei Flor. Hyper. tripl. infuſ. cum Oleo Sem. expreſſo par.* ʒiij.
*Terebinth. opt.* ʒij.
M. D. S.
Unguentum Vulnerarium.

Vel

℞. *Olei Hyperic.* ʒj.
*Momord.* ʒß.
*Balſ. Sulphuris* ʒiij.
*Olei expreſſ. Nuc. Moſch.* q. ſ. pro incorpor.

Alius :

℞. *Flor. Sulphuris* vel *Sulphuris pluveriſat.* ʒj. ad ʒij.

Bulliant lege Artis in *Oleo Hyperici*, *expreſſo ex Seminibus* ( nam infuſum hîc nil valet ) ℔i. vel q. ſ. ad ſolutionem *Sulphuris* :

Hinc adde

*Gumm. Elemi*,
*Tacamahach*,
*Terebinth.* an. ʒiß.
*Thuris el.*
*Myrrh.* an. ʒiij.
*Balſ. Peruv.* ʒvj.
*Terræ Vitrioli dulcis ritè par.* ʒij.

M. & leniter ebull. in arenâ, f. Balſ. pro Digeſtivo:
D. S.
Balſamus Vulnerarius.

Alius :

℞ *Terebinth. Venet.*
*Reſin. Abiet. pelluc.* an. ʒiij.
*Gumm. Elemi*,
*Thuris* an. ʒiß.
*Myrrhæ*,
*Maſtich.*
*Benzoës*,
*Aloës Hepat.* an. ʒß.
*Spiritûs Vini* ʒiv.

Subacta probè invicem deſtillentur lege Artis per retortam ; & fiat Balſamum, ſeparandum à Phlegmate & Magmate, temperandum non nihil, vel cum *Balſamo de Peru*, vel cum *Oleo Hyperici expreſſo.*

D. S. ut ſuprà.

Temperandum dixi : deſtillata enim Balſama ſtatim volatiliora fiunt & acriora, adeoque ſunt temperanda, & poſtmodùm in Partibus Nervoſis læſis, quàm in Sanguineis affectis, conducunt.

Plures Compoſitiones videbitis in Poterii *Pharm. Spagyr.* Wurzio, Hildano, Barbette, &c.

IV. Si *Unguentum Vulnerarium* expetatur :

℞. *Summ. Hyper. floreſc.*
*Centaur. Min.*
*Veron.*
*Sanic.* an. ʒj.

Conciſa & contuſa infunde in ſ. q. *Olei Oliv. pur.* & *Butyri non ſaliti* v. g. an. ʒiv.

Digere in Balneo Mariæ per octiduum, hinc fortiori igne ad exhalationem humiditatis inſpiſſa probè agitando, pòſt per Linteum exprime : Materiæ trajectæ adde

*Terebinth.* ʒvj. vel ʒj.
*Balſ. Peruv.* ʒiij.
*Pulv. Maſtich.*
*Myrrh.*
*Oliban.*
*Flor. Sulphuris* an. ʒvj. vel ʒj.

M. pro conſiſtentiâ *Unguenti.*
D. S.
Unguentum Vulnerarium.

Vel

℞. *Flor. Sulphuris* ʒj.
*Olei expr. Sem. Hyperic.* ℔iß.

Hæc cum blandâ ebullitione redigantur in Balſ. Sulphuris : cui adde

*Ceræ nov.* ʒiij.
*Terebinth.* ʒij.
*Oliban.*
*Myrrh.*
*Terræ Vitrioli dulc.* an. ʒiij.
M. S. ut ſuprà.

Et ſi V. Poſtuletur *Emplaſtrum Vulnerarium* ; imminutione Olei, & auctione Ceræ & reliquorum ſiccorum Ingredientium, Unguentum hoc facilè in conſiſtentiam Emplaſtri redigi poteſt : qualia Emplaſtra Vulneribus adducendis inſerviunt, & inſtar operculorum eſſe poterunt : quæ inter eminet Emplaſtrum Stypticum *Crollii*, ſeu Oppoteldoch *Paracelſi.*

Vel

℞. *Ceræ*,
*Reſinæ*,
*Sevi Hirc.*
*Terebinth.* an. ℔ß.

Super igne liquefactis & colatis adde

*Pulv. Rad. Conſol. maj.*
*Ulmar.* an. ʒj.
*Terræ Vitrioli dulc.* ʒij.
M. f. Emplaſtr. S.
Emplaſtrum Vulnerarium.

Vel:

℞. *Rad. Ariſtol. rot.*

*Conſol. maj.* an. ℥ß.
*Mumiæ*,
*Maſtich.*
*Aloës*,
*Colophon.*
*Tutiæ præp.*
*Lithargyr.* an. ʒij.
*Gum. Elem.* ℥ij.
*Terebinth.* q. ſ.
Cum paucâ *Cerâ* etiam ſ. Emplaſtr.
D. S. ut ſuprà.
Inducatur ſuper Linteum, priùs cum *Balſ. Peruv.* leviter irroratum aut humectatum.
Vel
℞. *Lithargyr.*
*Olei Olivar.* an. ℔j.
Coqu. ad conſiſtentiam ſpiſſam & colorem obſcurum: hinc ſucceſſivè adſperge
*Aloës Succot.*
*Myrrh.* an. ℥ij.
*Sevi Hirc.*
*Ceræ flav.* an. ℥iij.
Agitata, ab igne remove, & adjice denuò
*Camph. in Oleo Hyperic. ſol.* ℥iß.
M. f. Emplaſtr. in Magdaleones
Malaxandum, aut in Veſicâ Oleo illita aſſervandum.
D. S. ut ſuprà.

Cæterùm in ſelectu Remediorum Internorum & Externorum judicium non nihil adhibendum eſt, cùm Interna præſtantiora, & *Simplicia ſunt optima*: unde ex Internis pauca quædam Vulneraria ſuprà dicta, item Lapilli Cancrorum, & Antimonium Diaphoreticum, ſufficiunt; interdum tamen Spiritus vel Liquor Cornu Cervi ſuccinatus in Partium Nervoſarum læſione uſurpatur.

*Internè* in Æſtu aut Phlogoſi febrili *Nitrum antimoniatum* imprimis ſub largiori doſi concedendum eſt, quibus ſemper Lapilli Cancrorum eſuſque Cancrorum fluviatilium addenda erunt: e. g.
℞. *Lapill. Cancr. præp.* ʒj.
*Cinnab. Antimonii* ʒß.
*Laud. Opiati* g. j.
M. f. Pulvis: S.
Febrilis Pulvis Vulnerarius.
In formâ Miſturæ:
℞. *Aquæ Plantag.* vel *Hed. terreſtr.* ℥iij.
*Aceti deſtill.* ℥ß.
*Extr. ſuccoſ. Plantag.* vel *Vulner. Mich.* ʒiij.
*Lapill. Cancr. præp.* ʒj.
*Laud. Opiat.* gr. ij. ad iij.
*Syr. Corall.* vel *de Symph. Fernell.* ʒiij. vel ℥ß.
M. S.
Potio Vulneraria, cochleatim capienda.
Vel
℞. *Aquæ Hyſſopi* ℥ij.
*Menth.* ℥j.
*Aceti Vini* ℥ß. ad ʒvj.
*Lap. Cancr. præp.*
*Syr. de Hyſſop.* ʒiij.
M. pro 2. vel 3. doſib.
D. S. ut ſuprà.
Vel
℞. *Aquæ Betonic.*
*Scabioſ.* an. ℥ij.
*Aceti* ʒiij.
*Spirit. Theriac. camph.* ʒiß.
*Lap. Cancr. præp.* ʒij.
*Antimon. Diaph.* ʒj.
*Syr. Betonic.* ℥ß.
M. D. S. ut antè.
Talem etiam in Febre Vulnerariâ, Capitis Vulneribus ſuperveniente, præſcribere ſoleo.

Qui volunt habere ſelectum Potionum Vulnerariarum, adeant Felicem Wurzium.

Par ratio eſt & *Balſamorum* & *Unguentorum Vulnerariorum*, quæ inter ſimpliciora & ſelectiora ſunt optima; *Balſamus Sulphuris*, *Balſamus Peruvianus* & *Tolutanus*, ſunt optimi; vel *Oleum Hyperici expreſſum ex Seminibus*, cui *proprii Flores* infuſi ſunt, eſt egregium.

Cujuſdam Chirurgi Neapolitani ſingulare experimentum in omnibus Vulneribus, ſive Sclopetis, ſive ictu, ſive aliâ ratione factis, fuit ſequens: Recepit ſcilicet *Spiritum Vini phlegmaticum*, vel etiam in ejus defectu *Spiritum Vini rectificatum*, cum *Aquâ communi* diluit, calefecit & impoſuit Vulneribus cum Linteis, vel injecit in Sinus, aut Fiſtulas vel profunda Vulnera, per Siphonem; ſemper tamen calidè, & hoc effectum edit planè mirabilem; impedit non tantummodò ſupervenientem Inflammationem, ſed quamcumque etiam ex Vulnere arcet Corruptionem.

Alii ad Vulnera biduo curanda commendant ſeq.

Recipitur *Vini Spiritus rectificatiſſimus*, quo eluuntur Vulnera recenter inflicta; deinde imponitur *Pulvis* ſubtiliſſimus *Aloës Hepaticæ* cum *Goſſypio*, Oleo *Hyperici impregnato*, Ligatura comprimitur, & ſuperimponitur *Emplaſtrum Diaſulphuris Rulandi*; ſic ſanabitur Vulnus intra biduum.
Item
℞. *Benzoës* ℥j.
*Spir. Vini* ℥iß.
*Maſtich.* ʒj.
*Balſam. nigr.* ℥ß.
M. in form. *Linimenti*:
D. S.
Balſamus Vulnerarius.

Conſolidat & cicatrizat quæcunque Vulnera recentia ſimplicia.

Certum eſt, quòd Vini Spiritus ſingulare quid obtineat: unde Theriaca cum Spiritu Vini ſubacta & diluta, Vulneri applicata, putredinem & corruptionem quamcunque in Vulnere arcet, & promptè conſolidat. Mucus ſeu *Cerumina Aurium* ſunt ſingulariſſimum Vulnerarium: cum *Oleo Nucum Juglandium* expreſſo, vel Oleo Seminum Hyperici miſta, & non nihil inſpiſſata in formam Unguenti, dant Balſamum ſeu Linimentum Vulnerarium egregium, imprimis ad Vulnera Nervorum nulli æquiparandum; cui Balſamum Peruvianum vel Sulphuris addi poteſt; vim enim abſtergendi poſſidet Mucus iſte, nec ſinit aliquid creſcere in Pus. Sic *Liquor Folliculorum Ulmi* ſolus inſtillatus, in Vulneribus, & imprimis *Oculorum*, ſufficit. Qui verò volunt habere plura *Balſama Vulneraria*, videant Henricum *ab* Heer *Obſervat.* 10. *de Herbâ Hyperici*, & Zwelferum *in Pharm. Regiâ.*

Agricola *in ſuâ Chirurgiâ Parvâ pag.* 245. etiam commendat ſequens Unguentum, ex baſi Ceruminum Aurium confectum, quo mirabilia ſe præſtitiſſe brevi tempore aſſerit:
℞. *Cerum. Aur.* ʒij.
*Sacch. Saturni* ʒj.
adde
*Olei Avell.* vel *Nuc. Jugland. expr.* q. ſ.
M. S.
Balſamus Vulnerarius.

Et ſi deſideretur in formâ paulò ſolidiori, tunc igne inſpiſſa.

Moderni in uſu habent Balſamum quoddam Indicum, quod vocant *Balſamum de Capaibe*, quod paucos ante annos nobis innotuit; de quo uti aliàs monui, quòd expertum ſit Remedium ad

ad Gonorrhœam internè ; ita mirabiliter ſæpiùs intra viginti quatuor horas Vulnera recentia ſanat, idque citra ullam Suppurationem, & ferè ſine inſigniori Cicatricis veſtigio ; id quod *per primam intentionem* Vulnus curare, appellat Helmontius. Hic ipſe Helmontius aliàs præ cæteris commendat ad Curam Vulnerum *Vitriolacea*, non tantummodò Pulverem Sympatheticum ex Vitriolo Veneris ad Solem calcinato, qui curat Vulnera in diſtans, ſi Cruor ex Vulnere effluens, aut Linteum Cruore tinctum & madidum, hôc ipsô certo modo imbuatur vel ejus virtute imprægnetur, de quo vid. Dygby in *Oratione*. Sed vel maximè Colcothar Vitrioli probè elotum, ſive inſperſum ſive diſſolutum in Liquore & infuſum, nempe Vino coctum, ſeu aliâ ratione applicatum, tanquam egregium commendat ad quemcunque Vulnerum Corruptorem tollendum. Sic etiam pro *Curâ Sympatheticâ* Perſicaria recens trahitur per Aquam frigidam, poſteà loco contuſo imponitur, donec non nihil incaleſcat : poſteà Planta adhuc tepida ſepelitur ſub Fimum vel alium locum, ut citò putreſcat ; ſic enim Vulneratus citò convaleſcit. In gravioribus Vulneribus uſus ejus repetendus eſt, & Experimentum eſt haud contemnendum. Videatur Paracelſus *in Herbario*, qui primus hujus vires pro Curâ Magneticâ eleganter ſcrutatus eſt, vocans eam Germ. *Blut-Kraut*, id eſt, *Herbam Sanguinis*.

Aliàs quoad *Potiones Vulnerarias*, notanda eſt earundem varietas, ita ut pro Partium vulneratarum ratione etiam delectus ſubinde habendus ſit in Simplicibus Potionum Vulnerariarum : v. g. ubi opus eſt, ut Sordes mucilaginoſæ, Pus, Officula fracta & ſimilia ex Vulnere ejiciantur, egregiè conducit in Potione Vulnerariâ Sanicula, Artemiſia rubra, Veronica, Conſolida Saracenica, Agrimonia, cujus Succus Riverius ad Vulnera Verminoſa commendat ; Hedera terreſtris, Chamæpitys, Pyrola, Sabina, &c. Ex his parata Potio fortificatur additione ſingulis hauſtibus Spermatis Ceti aut Lapillorum Cancrorum.

Præ cæteris autem *Sabina* fortiter adjuvat excretionem heterogeneorum ex Vulneribus, ſi ſcil. ejus p. j. cum partibus vj. ingredientium reliquorum, combinetur in Potionibus Vulnerariis, non omittendo Pulverem Lapillorum Cancrorum præparatorum.

Et quidem Potiones hæ, aut dicta Vulneraria non uſurpanda, niſi quando vitium eſt inſignius in Vulnere ; ſubitò enim atque Vulnus probè mundatum denuò coire incipit, abſtinendum eſt ab his Potionibus Vulnerariis ſucceſſivè. Hinc etiam, quando propinantur Potiones Vulnerariæ, non opus eſt tot Unguenta & Balſama applicare Vulneri, quoniam ipſa Potio ſponte ſuccurrit Naturæ in medendo Vulneri.

Facit huc imprimis, quod refert Foreſtus *lib. 6. Chirurgiæ Obſer. 17.* ſcilicet de Vulnere Thoracis utramque partem perforante, quòd nempe omnes, cùm Vulnera ejus tractarent, perſuaſi fuerint, per Vulnera aperta odorem Decocti Vulnerarii tranſudare, & quaſi roridum quid illius per Vulnera tranſmitti ; quod ipſum etiam aliquoties ſe obſervaſſe mihi affirmavit Patavii Marchetti *Junior*, Chirurgo-Medicus excellentiſſimus.

De Vulnerum Curâ Magneticâ videbitis in Helmontio, Digby *in Theatro Sympathetico*, Maxvelli *Medicinâ Magneticâ*, & Bartholino *de Tranſplantatione Morborum*. ( Y )

*Hæc de Vulneribus in genere ; pergo ad Vulnera in ſpecie* : & quidem, quæ dicta ſunt hactenus, omnibus Vulneribus Partium *Sanguinearum* & *Nervearum* in genere, & ſpeciatim quæ cæſim & punctim inferuntur, optimè applicari poſſunt.

## CAPUT II.

### *De Vulneribus cum Contuſione.*

INter Vulnera autem in ſpecie conſiderationem ſubeunt primò *Vulnera cum Contuſione facta*, in quibus iſtud, quod contuſum eſt facile mortificatur, putreſcit, & coſolidationem Vulneris impedit. Itaque in hoc caſu iſtud, quod contuſum eſt & mortificatum, ſeparetur, & per Turundas foras excernatur. Equidem quæritur, *an Suppuratio expectanda ſit* ? & annon potiùs Pars ſcarificanda & profundiùs incidenda ſit, & Sanguis extrahendus ſecundùm Wurzium, quia Sanguis tardiùs in Pus mutatus in Gangrænam abit ? Reſpondeo cum diſtinctione : Contuſio cum Vulnere vel eſt levior, ut ſpes ſit per Suppurationem eam poſſe curari pedetentim ; in tali caſu ſufficiunt *Digeſtiva & Suppurantia* : ſi verò cum Vulnere graviori conjuncta ſit Contuſio, & metus ſit, ne Gangræna ſuperveniat ante Suppurationem Abſceſsûs, præter Vulneraria mox *ſcarificando* aut *incidendo*, Contuſionis locus aperiendus erit, & Sanguinis exitus promovendus : hinc *Digeſtivis*, quod reliquum eſt ſub formâ Puris promovendum ; Digeſtivis tamen aliquid de *Unguento Ægyptiaco* addendum eſt, ut præcaveatur Gangræna.

Cum his etiam applicanda *Externa* in ſpecie in principio Morbi Corruptionem ulteriùs præcaventia : eminet *Oleum Ceræ* illitum, deſuper impoſito *Emplaſtro de Cumino*, ſeu illinatur Oleum Hyperici ex Seminibus expreſſum, aut *Oleum Philoſophorum*, impoſito *Emplaſtro de Baccis Lauri* :

Vel

℞. *Rad. Conſol. maj.* ℥iß.
*Sigill. Salom.* ℥j.

Coqu.

( Y ) Nota Cyrilli. *Nuper invaluit apud Chirurgos præſertim Tranſalpimos mos, Vulnera recentia, maximè ſi penetrantia fuerint*, Suctione *curandi. Ore enim Vulneri labiis admoto, idoneus ad hoc opus Chirurgus, Sanguinem in profundo collectum, vel in cavitate extravaſatum ſenſim exſugit : quo facto perfecta & cita Vulneris curatio in ſolâ labiorum adhæſione conſiſtit ; id quod facili negotio fieri poſſe, omnibus notum eſt. Et quidem hâc methodo lethalia Thoracis Vulnera perſanata non ſemel vidimus.*

*Notandum tamen*, haud indiſcriminatim Suctionem hanc in Vulnerum curatione adhibendam eſſe. *Nam, ut advertit* Dominicus Anel, *locum quidem habet Suctio in Vulneribus penetrantibus præſertim Thoracis, vel ſi carnoſa pars vulnerata ſit ; haud tamen ſi magnum Vas cæſum ſit : nova enim aſſiduò effluens Sanguinis copia, omnem Suctionem irritam redderet : imò fortaſsè Suctio ipſa iterato Sanguinis ex vaſe aperto fluxui occaſionem præberet. Advertit ulteriùs laudatus Autor, Suctionem non eſſe adhibendam in antiquis Vulneribus, vel ſi cum contuſione, deperditione ſubſtantiæ, fracturâ, punctura Nervi, Tendinis, vel Arteriæ conjuncta illa ſint : item ſi Vulnus ad duram Matrem vel Cerebrum pertingat ; vel ſi Abdomen, Inteſtina, Ventriculus, Veſica &c. ſint læſa. Demum notat Suctionem hanc* haud Ore peragendam, *ne vel Æger à ſugente infecto, vel ſugens ab Ægro morboſo detrimentum capiat. Quare proponit* Syrugam *ſuo Embolo inſtructam, ad Vulnerum ſuctionem quam maximè adaptatam.*

Coqu. in *Vino*, vel ſolo, vel cum *Aquâ* miſto, pro Fotu.

D. S.

Fotus Externus.

Vel

℞. *Rad. Conſol. maj.*
*minor.* an. ℥iij.
*Herb. Chamomill.*
*Melilot.* an. ℥iß.
*Croci* ℈j.
*Farin. Fabar.* ℥iß. vel ℥ij.
*Fœnugræci* ℥j. vel ℥ij.

Coqu. cum Aquâ, & in ſpecie primò Radices, addendo

*Pulv. Abſinth.*
*Cumin.* an. ℥ß.

M. D. S.

Emplaſtrum Externum.

Applicetur externè.

Hiſce ſedatâ maximam partem Contuſione, pro reliquiis tollendis convenit illitus Spiritus Salis Ammoniaci cum Calce vivâ deſtillatus.

## ARTICULUS UNICUS.

### *De Sclopetorum Vulneribus.*

QUod verò attinet *Sclopetorum Vulnera*, propter iſtam *Contuſionem* ſunt omnium peſſima, adeòque periculoſa; cùm in omni Sclopetorum Vulnere ſemper inſignis Contuſio & Partium Dilaceratio conjuncta ſit; nam Globulus, quo uſque penetrat, omne ſecum contundendo, & dilacerando abſumit.

*Quæſtio eſt*: an etiam *Ardor* adſit? vix probabile eſt, quòd Calor cum Globo communicetur Parti, niſi propiùs fuerit læſus Patiens. In tali caſu, ſi propiùs Vulneratus adſtiterit Inſtrumento, tunc Globulus intenſo Ardore ſeu Calore fervens Partem quaſi non nihil amburit. Dico qui propiùs adſtant: Nam qui ſunt remotiùs, in iis Ardor & Æſtus à Globulis quodammodò frigefactis non ita ſentitur, de quo vid. imprimis Horſtius *in Obſerv. lib.* 1. *de Caſibus Chirurgicis*, ubi ventilat hanc Controverſiam, & aliquot habet Obſervationes, quòd reverà Sclopetorum Vulnera quoddam Empyreuma habeant conjunctum, ſi propiùs fuerint inflicta: impetus imprimis celerrimus Globulorum cum actuali Ignis contactu conjunctus neceſſariò introrſum fervorem concipit.

Hoc certum eſt, quòd Globi majores Tormentorum bellicorum, ſi infixi hæreant in Pariete, & brevi poſt attingantur, intensè calidi ſemper ſoleant percipi. (Z)

### CURA.

Ut ergò curentur Sclopetorum Vulnera (nam *Diagnoſis* per ſe patet) præter *Interna*, *Potiones Vulnerarias* hîc imprimis proficuas, & præter uſum Nitri, nunc ſolummodò depurati, nunc cum Antimonio fixati; item præter uſum Pulveris Pyrii (qui ratione Sulphuris, Nitri, & Carbonum Tiliæ optimè convenit), externè omne contuſum in Pus eſt maturandum. Idque fit tardè; nam Vulnera Sclopetorum vix ante tertium vel quartum diem ſuppurari ſolent: ob id etiam ſufficit, ſi inter hoc tempus ſingulis 24. horis ſemel tantùm deligentur.

Factâ autem Suppuratione, & inde nato Abſceſſu, & eo quod contuſum eſt, ſub formâ Puris ſeparato, *Mundificantibus* & *Incarnantibus* debitis denuò Vulnus eſt curandum, modò omne extraneum ex Vulnere priùs fuerit exemptum: Globi enim non ſemper extrahi poſſunt, & etiam tutò remanere poterunt.

Jam ergò pro ſcopo *Suppurationis ſubſtantiæ contuſæ*, optimum eſt, ut applicentur ante omnia *Digeſtiva & Maturantia* (de quibus, ubi *de Ulceribus*), quibus ſemper *Spiritus Vini*, item *Balſamus Peruvianus* in minori doſi, eſt addendus, ne hæc ipſa Digeſtiva Nervoſis partibus noceant, nec labia Vulneris contuſa ad Gangrænam ruant, cùm & ipſe Spiritus Vini in Ambuſtionibus egregiè conducat: hinc Turundæ, quibus illinuntur Unguenta Digeſtiva & Suppurantia, optimo conſilio priùs immerguntur in Vini Spiritum, & deinceps Digeſtivo illinuntur, præprimis etiam, quoniam ſola Digeſtiva partibus Nervoſis non ſemper æquè conveniunt: propterea optimè additur Vini Spiritus, qui omnem metuendam noxam corrigit: & quidem ita applicantur, ut utrinque Puri pateat exitus.

Loco Digeſtivi communis optimè applicatur Balſamum *Paræi* ſingulariter commendatum ad Curam Vulnerum Sclopetis inflictorum, quod deſcribitur à Sennerto & Barbette. Deſcriptio eſt hæc:

℞. *Olei Lil. alb.* vel *Violar.* ℔iv.

In hoc coqu. *Catelli* duo *nuper nati* ad Oſſium uſque diſſolutionem:

poſteà

(Z) Nota Cyrilli. Calorem Globulis à Tormento exploſis *falsò tribuit Autor noſter: & quidem reluctante Ratione & Experientiâ. Quamvis enim Globuli hi velociſſimè moveantur, eo tamen motu moventur, qui ad Caloris productionem ineptiſſimus eſt, nempe recto: ſiquidem ea Corpora ex motu incaleſcunt, quæ circa propria centra agitantur, ut cum vicinis corporibus confricentur, vel quorum particulæ ſibi invicem velociſſimè occurrentes veluti conteruntur: ea enim apta ſunt ad augendum motum particularum Corporis noſtri, unde Caloris ſenſatio in nobis excitatur: ſic Aëris vel Vaporum particulæ ſi motu quodam veluti effervescentiæ agitentur, aptiores ſunt ad Calorem in nobis excitandum, quàm ſi vehementiſſimâ Venti vi, ſed rectâ potiùs determinatione, particulas Corporis noſtri urgeant. Globus igitur à Tormento exploſus nullum concipere poteſt Calorem, nec à Pulvere pyrio illum propellente, quum hic Globum non tangat, & vix Stuppam incendere valeat; nec à motu etſi velociſſimo, quum hic rectus ſit, & nullam attritionem Globo impertiri poſſit. Quòd ſi Vulnus à Sclopeto propiùs exploſo inflictum, Ardorem & Empyreuma conjunctum habet, ut notat Autor; id propiùs fit à Pulvere pyrio incenſo, atque uſque ad Vulnerati Corpus propulſo, quàm à Globulo exploſo: etenim id omninò compertum eſt Pulverem pyrium non omnem intra Sclopeti fiſtulam accendi, ſed ſucceſſivè extra illam ignem concipere, ut ſæpè videamus circa Vulnus ipſum Pulveris pyrii granula Cuti infixa, quæ nondum ignem conceperunt. Demum ſi cum Autore aſſeras Globos Tormentorum bellicorum in parietibus infixos calidos eſſe; reſpondebimus, Calorem illum, ſi quis unquam eſt, Globo acceſſiſſe ex ipſo in parietem occurſu, ob cujus reſiſtentiam Globus motum reſilitionis, tremoris, ac contritionis acquirens, Calorem concipere potis eſt. Et reverà ſi Tormentorum bellicorum Globi Calorem ex motu acquirerent, quum motus hic ſit perquàm velociſſimus, cur non igneſcerent (ut de Stellis credebat* Ariſtoteles), *adeoque & ignem in corporibus combuſtibilibus excitarent?*

poſteà adde

*Lumbr. terreſtr. in Vino cocti.* ℔j.

Coqu. ſimul, & Colaturæ adde

*Terebinth. Venet.* ʒiij.

*Spir. Vini* ʒiß.

M. f. Linimentum : S.

Unguentum Leniens.

Quod egregiè conducit ad ſedandum Dolorem, & maturanda Vulnera Sclopetorum.

Applicantur hæc Digeſtiva cum Turundis (imprimis hoc Balſamo *Paræi*) iiſque nunc unâ, ſi ſcilicet Vulnus non penetrat, nunc verò applicantur cum Turundâ duplici, ſi ſcilicet Vulnus ſit penetrans.

Ubi ergò per hæc & ſimilia ſuppuratum eſt Vulnus, & omne contuſum ſeparatum, applicandum eſt *Mundificativum* ſequens *Vigieri*, vel quodcunque aliud pro Purulentiis abſtergendis & Ulceribus detergendis :

℞. *Terebinth. Venet.* ʒv.

*Olei Roſat.* ʒj.

*Mell. Roſat. col.* ʒiij.

*Myrrhæ*,

*Aloës*,

*Maſtich.*

*Rad. Ariſtol. rot.* an. ʒiß.

*Farin. Hord.* ʒiij. ad ʒvj.

M. f. Linimentum :

Imprægnandum & irrorandum non nihil cum *Spiritu Vini.*

Hoc ipſo mundificandum eſt Vulnus ſuppuratum, donec ſponte Caro nova ſuccreſcat.

Quòd ſi verò aut in Suppuratione, aut ſubſequente Mundificatione, *Putredo* ac *Corruptio* adſit inſignior, in ſpecie in loco non nimis Nervoſo, ſuprà dictis Remediis non nihil de *Mercurio Præcipitato*, quantum fieri poteſt, dulcificato commodè addi poteſt, idque imprimis, ubi partes Nervoſæ minùs fuerint læſæ vel affectæ.

Interdū in Sclopetorum Vulneribus ſuperveniunt *Dolores Oſſium in profundo*, imprimis ſi Vulnera non benè fuerint curata ; in his ſingulare eſt *Oleum Terebinthinæ*, in ſpecie ſi adſit ſuſpicio *Fractionis vel Fiſſuræ*, quæ Germanis dicuntur *ein Gelenk oder Schliz Bruch* ; hoc enim Oleum illitum mirè emollit & lenit Partem conſolidatam, & promovet in Fiſſuris Oſſium, ut coëant, & ſi Oſſiculum eſt abſciſſum, hujus ſeparationem promovet, adeò, ut quicquid præternaturale relictum ſit, extrudatur foràs.

Sufficit hæc Vulnerum Sclopetorum Curatio : placet tamen quibuſdam Autoribus in primâ horum Vulnerum Deligatione ad *Ardorem* à Globulo inductum corrigendum, Linimentum ex *Cremore Calcis vivæ cum Melle mixto*, ad imitationem Agricolæ *in Chirurgiâ Parvâ*, applicare : quo tamen, ut anteà monui, non ſemper opus eſt. Nempe

℞. *Calcis vivæ* ʒiij.

*Crem. Lactis*,

*Mell. deſpum.* an. ʒiß.

M. probè & cum Turundis mollioribus applicetur Vulneri, vix ultra tres vel quatuor horas tamen relinquatur.

Hoc probè corrigit Ardorem & Empyreuma Vulneris : poſtmodùm aliàs uſitata ſuprà dicta erunt adhibenda.

Vel

℞. *Aquæ Calcis vivæ*, cui adde *Olei Roſar.* q.ſ. Agita in Mortario lapideo in Linimentum butyriforme. D. S.

Unguentum Refrigerans.

Loco hujus quoque convenit ipſa Aqua Calcis vivæ cum Succo Cancrorum fluviatilium cum Phlegmate Aluminis expreſſo.

## CAPUT III.

### *De Vulneribus Malignis & Venenatis.*

POrrò inter *Differentias Vulnerum* etiam eſt ; quòd Vulnus quoddam dicitur *Penetrans*, aliud *non* ; quod fit ratione Inſtrumentorum : Fit namque interdum, ut præter læſionem ſimpliciter inductam, ipſa Cauſa lædens *Malignitate venenosâ* ſit tincta, ſive Armis venenatis, ſive Morſu Animalium iratorum aut venenoſorum infligantur, unde etiam dantur *Vulnera Maligna*, & *Venenata.*

### DIAGNOSIS.

*Morſu Animalium* Vulnera inflicta facilè patent ; ſemper enim ſuſpicio eſt, in omni Animalium Morſu latere Venenum.

Sed ſi *Arma*, aut *Globuli*, aut alia *Inſtrumenta* Veneno ſint infecta, hoc ipſum à priori cognoſci nequit. Cognoſcitur autem ferè à poſteriori, ſcilicet ex ſupervenientibus gravioribus Symptomatis, dum nempe Partem vulneratam urget Dolor atrocior, quàm naturaliter fieri poteſt ; item ſi brevi poſt læſionem Partis vulneratæ Color nativus ſeu naturalis mutetur, & cœruleus, lividus ac nigricans fiat, adeòque ipſa Gangræna imminеat ; item ſi non tantùm in Parte vulneratâ, ſed in ipſo toto Corpore atrocia ſuperveniant Symptomata, in ſpecie anguſtia Præcordiorum, Sudores ſymptomatici, frigidi & glutinoſi, Syncope, Ardores, Cephalalgiæ horrendæ, ac ſimilia peſſima Symptomata.

### PROGNOSIS.

Vulnera hæc, ſive ab Animalibus venenoſis ; ſive ab Armis Veneno tinctis, inflicta fuerint, ut plurimùm lethalem eventum habere ſolent, quorum Venenoſitas conſiſtit in hoc quòd Idea Furoris & Rabiei Corpori noſtro communicetur.

### CAUSA.

*Animalia* ergò *venenata* ſi læſerint, aut mordendo aut pungendo, obſervetur diverſitas Animalium lædentium, ut læſus locus nunc *Scarificatione*, nunc *ſine Scarificatione*, Appropriatis curetur. *Scarificandum* eſt, quando Vulnus profundius, ac metus eſt, ne Venenum, quod penitus immiſſum eſt, & elicere volumus, mediante Sanguine ad Cor deferatur : aut *ſine Scarificatione*, ubi minus Virulentiæ communicatum fuerit. Theriaca ſola cum Spiritu Vini applicata, item Pulvis Bufonum, Viperarum & Scorpionum, decantata ſunt Remedia optima. Optimum Remedium eſt Bufo in Vulneribus Venenatis Malignis contuſus & applicatus ; uti & Stercus Humanum cum Allii capitibus impoſitum, quod certum levamen affert. Conducit quoque Succus Cydoniorum recens inſtillatus, ſi Vulnera Venenata à Telis infectis, v. g. à Sclopetis, inflicta fuerint. Sic in *Veſparum Punctura* ſufficit Oleum Scorpionum vetus, item Emplaſtrum de Ranis *Vigonis* cum Mercurio. In *Aranearum Punctura* Allium & Cepæ contuſæ, item Folia Salviæ, (vid. M.A.N.C. *Ann.* 8. *Obſ.* 35.) commodè imponuntur.

Sin *Viperæ momorderint*, præmiſsâ, uti dixi, Scarificatione, *Bufo* vivus contuſus & applicatus optimè conducit ; aut ſi deſit vivus, in Serpentum & Viperarum morſu ſufficit Bufo aridus, vel nudè, vel quod melius, priùs in Aceto vel Vino

mace-

maceratus, & applicatus, vel pulverisatus & insperſus: aut ſaltem Ferrum probè candefactum priùs loco Morſuræ eſt applicandum, citra tamen Ambuſtionem, nam hoc ſingulare eſt Remedium curandi Morſum Viperæ, uti hoc propriâ Experientiâ recenſet Boyle *Philoſoph. Experim.* Succus Foliorum Fraxini etiam commendatur, Vulneri applicatus, & hauſtus Urinæ.

Quòd ſi verò *Canes* aliave *Animalia rabioſa mordendo vulneraverint*, optimum eſt applicare Lapidem Serpentinum, qui in Serpentibus Pileatis Indiæ Orientalis reperitur, aut etiam ex iiſdem fabricatur: de quo præter Experimenta alia imprimis videndus eſt Kircherus *in Tr. Reg. Natur. Magneticum* inſcripto: hic habet egregia aliquot Experimenta de hoc Lapide Serpentino, Vulneri Animalium Rabidorum applicato, & poſtmodùm in Lac depoſito, qui in genere ad quæcunque Vulnera ab Animalibus Venenatis inflicta certo Experimento conducit: vid. M.A.N.C. *Ann.* 4. & 5. *Obſ.* 2. In hujus defectu, cùm ſit rarus & carus, ſufficit, ut Morſui Canis Rabidi vel alîus Animalis poſt factam Scarificationem imponatur *Emplaſtrum Magneticum Angeli Salæ*, cui Pulvis Cancrorum fluviatilium, vel per ſe, vel calcinatorum, addi debet.

Quòd ſi Inflammationem vel Dolorem inferre velit, illinitur locus vicinus Oleo Scorpionum cum pauco Saccharo Saturni.

Eſt aliàs hoc Emplaſtrum Magneticum catholicum ad quoſcunque Morſus Animalium Venenatorum, modò additione vel Pulveris Cancrorum, uti dixi, vel Pulveris Bufonum, vel Pulveris Viperarum pro varietate Beſtiæ lædentis, approprietur Plagæ inflictæ. Communiter expertum Remedium eſt Cataplaſma Morſui Canis vel alîus Animalis Rabidi imponendum, paratum ex

*Cepâ acri*,
*Cap. Allii* an. No. j.
*Theriac. opt.*
*Ferm. vulg.* an. ℥ß.

Quæ omnia invicem piſtata inſtar Cataplaſmatis applicantur loco Morſuræ.

His ita applicatis, correcto & elicito ſic Veneno, poſtmodùm ipſum Vulnuſculum ſæpiùs leve, vel ſponte, vel leni applicato Balſamo, vel Digeſtivo, ſi in Morſu Contuſio quædam facta ſit, curari poteſt; cui Digeſtivo ſempere aliquid *Unguenti Ægyptiaci*, vel *communis*, Vel ab Hildano *correcti*, addendum erit.

Internè intereà non ceſſandum, ſed appropriatis Remediis, imprimis Sale volatili & Spiritu Viperino, item Spiritu & Decocto Cancrorum fluviatilium, in Rabioſis ſimul progreſſus Veneni, ejuſque activitas eſt cohibenda.

Quòd ſi verò *Venenatis Armis inflictum* ſit *Vulnus*, tunc imprimis, ut extrahatur Virulentia, opera danda eſt applicando ſcilicet *Cataplaſma* ſequens:

℞. *Cepar. coct.* ℥iij.
*Sterc. capr.* ℥j.
*Theriac.* ℥ß.
*Ol. Scorpion.* ℥iß.
*Mellis*,
*Ceræ* an. q. ſ.

F. Emplaſtrum vel Cataplaſma.

Quod promptè elicit Malignitatem ex Vulnere Venenato.

Vel etiam *Emplaſtrum Magnet. Angeli Salæ* imponendum, cujus Deſcriptio ſuprà, ubi de Peſte, & paſſim obvia: aut uſurpandum eſt Emplaſtrum ſingulariter expertum *Guidonis*, mirè commendatum à plurimis Autoribus ad corrigenda Vulnera Venenata: nempe

℞. *Galb.*
*Sagapen.*
*Opoponac.*
*Aſæ fœt.*
*Myrrhæ*,
*Piperis*,
*Sulphuris* an. ℥ß.
*Sterc. Columb.*
*Anat.* an. ℥ij.
*Calaminth.*
*Menthæ* an. ℥j.

Diſſolvantur Gummata in *Vino*, miſceantur omnia cum *Oleo Hyperici*, & fiat Emplaſtrum, imponendum Vulneri venenato.

*Internè* Appropriatis Sudoriferis Alexipharmacis, qualia ſunt nota, in ſpecie Aceto deſtillato cum Theriacâ aut Electuario Diaſcordii *Fracaſtorii*, Tinctură Bezoardicâ, Spiritu Theriacali camphorato, Antimonio Diaphoretico, & ſimilibus Antimonialibus fixis cum Nitro præparatis, Virulentiæ maturè eſt occurrendum. Elegans eſt Obſervatio Foreſti, qui *lib.* 12. *Chirurgiæ Obſ.* 10. refert, cum in Bello Turcico plures vulnerati ex Telis venenatis ſubitò morerentur, ſuperveniſſe tandem Medicum ſenem, qui Vulneribus Poma Cydonia, dentibus contrita, & ita Salivâ jejunâ permiſta, appoſuit, nullis Remediis anteà juvantibus. Facit huc occaſione Cydoniorum, quod refert Mindererus *in Medic. Militari*, Vinum ſeu Succum Cydoniorum ſine Saccharo optimum eſſe ad corrigendum Empyreuma Vulnerum Sclopetis inflictorum.

Extracto Veneno ex Vulnere, Vulnus ad ſui Conſolidationem perducendum eſt.

## CAPUT IV.

### *De Venarum & Arteriarum Vulneribus.*

CÆterùm præter hæc Vulnera imprimis conſideranda ſunt *Vulnera Vaſorum Sanguifluorum*, nempe *Venarum* & *Arteriarum*, propter graviſſimam ſupervenientem Hæmorrhagiam, ſæpiùs lethalem: minùs quidem periculoſam, ſi fuerit læſa Vena, nam & faciliùs ſiſtitur: magis periculoſam, ubi Arteria fuerit læſa; periculoſum namque eſt Malum. Et quidem vix erit Vulnus, quod non habeat comitem *Hæmorrhagiam*.

## PROGNOSIS.

Imprimis tamen hæc eſt periculoſa, ubi majora læſa ſunt Vaſa, adeòque primum, quod urget Chirurgum, eſt *ut Hæmorrhagia nimia ſedetur*.

## CURA.

Vulgò ad Sanguinem ſiſtendum utiliſſimus eſt *Crepitus Lupi*, Fungus nempe iſte hoc nomine inſignitus, qui in ſpecie probè exſiccatus & compreſſus, Vaſi læſo applicatus arctè, ut ex Sanguine eò magis turgeſcat, & turgeſcendo orificia Vaſorum læſa obturet, optimè Sanguinis Fluxum cohibet. Si hic ſolus non ſuffecerit, immergatur Solutioni *Vitrioli Martis* non adeò forti. Ad hæc præter alia convenit Liquor Stypticus Modernorum, qui fit ex Solutione Vitrioli Martis, cui additur dimidium Aluminis ſoluti in Decocto quodam Vegetabili blando & adſtringente, quæ frigida cum *Bombace* vel *Stuppis Cannabinis* applicentur Vulneri, ſic ceſſat omnis Fluxus. Vel, ſi *Vulnera* fiant *profunda*, conveniens eſt, ut immittatur Pulvis ex *Lunæ Lacte*, *Bolo Armenâ*, &

*Capite*

*Capite mortuo Vitrioli* probè eloto. Iſti Pulveres optimi ſunt in ſiſtendâ nimiâ hæmorrhagiâ. Loco hujus *Pulvis Galeni* compoſitus ex *Aloë*, *Thure*, *Sanguine Draconis*, & *Bolo Armenâ* invicem miſtis, & Stuppis *Albumine Ovi* madefactis inſperſis & applicatis, internè confert ad ſiſtendam Hæmorrhagiam. Melius adhuc eſt, ſi *Terra Vitrioli dulcis*, nunc ſola, nunc cum parum Teriæ Sigillatæ miſta, cum Albumine Ovi ſubacta, cum Stuppis intrudatur vel applicetur arctè Vaſi læſo; quin & Tinctura Sulphuris Vitrioli cum Stuppâ applicata, in ſpecie Arteriæ, & optimè confert. *Fuligo Furni* cum Albumine Ovi ſubacta & applicata Vulneri ſiſtit Hæmorrhagiam. Burſa Paſtoris contuſa imponatur Vulneribus recentibus pro ſiſtendo Sanguine: Succus Foliorum Fraxini Vulneribus infunditur, vel ipſa Folia Vulneribus illis & locis, per quæ Hæmorrhagiæ contingunt, applicantur. Muſcus Quercinus pulveriſatus, aut Medulla Sambuci pulveriſata inſperſa, etiam compeſcit Hæmorrhagiam Vulnerum: quibus tamen longè præferenda eſt *Uſnea Cranii Humani vera*, quæ applicata infallibile eſt Experimentum. Conducit etiam *Stercus Aſininum* recens, aut pulveriſatum, aut *Succus* ex eodem *expreſſus*, aut cum Sanguine effluente exſiccato permixtus, ſi applicentur Vulneris fundo. Sperniola *Crollii* in Aquâ Spermatis Ranarum ſoluta, in Hæmorrhagiâ Arteriæ ex ineptâ Venæ ſectione utilis eſt, & citra Aneuryſma curat. Linteum etiam *Alumine & Spermate Ranarum* probè imprægnatum, exſiccatum, atque iterum imprægnatum, atque impoſitum Vulneri, multum conducit ad Hæmorrhagiam ſiſtendam. Huc facit Pulvis Stypticus expertiſſimus ex Alumine, & Laccâ pictoriâ, qui deſcribitur in M. A. N. C. *Ann.* 1. *Obſ.* 24. *pag.* 86. *Ann.* 2. *pag.* 403. & *Ann.* 9. & 10. *Obſ.* 151. *pag.* 326.

In *Arteriarum puncturis minoribus* applicata Pilula ex Laudano Opiato, eſt Experimentum ab Horſtio recenſitum *lib.* 9. *Obſ.* 12.

Denique quibuſdam Secretum eſt ad Hæmorrhagiam Venarum, & Arteriarum reſectarum, & quidem unum ex fortiſſimis:

℞. *Acet. Vin. fortiſſ.* ℥j.
*Croci Martis* 3j.
*Colcothar, ſive Terræ Vitioli dulc.* 3ß.

His probè invicem ſubactis madefiant vel *Lintea* vel *Stuppa*, conſpergantur *Pulvere Lumbricorum terreſtrium*: Hæc enim ita applicata Sanguinem ſiſtere dicuntur.

De *Pulvere Sympathetico* & ſimilibus, tanquam vulgò notis, nihil addo.

Quòd ſi his nequeat compeſci Hæmorrhagia, *Ligatura* interdum Vaſorum applicanda eſt, imprimis quidem in Membris abſciſſis, cæteroquin autem locum non habet. In aliis locis, ſicuti etiam in Membris abſciſſis, ſunt qui *Cauteria* admovent, nunc Actualia, nunc Potentialia, iu ſpecie Vitriolacea, uti de Aneuryſmate monui. Actualia ſunt periculoſiſſima propter gravia ſupervenientia Symptomata, item quoniam decidente Cruſtâ ſeu Eſchara, nihilominùs ſæpiùs nova ſupervenit Hæmorrhagia. Tutiora ſunt Cauſtica Potentialia; non quidem Spiritus acidi, qui peſſimi; ſed, ſi quid tentandum per Cauſtica, convenit Vitriolum ad albedinem calcinatum; vel cum Bombace applicatum, vel cum Crepitu Lupi permiſtum, & ita loco Sanguinem ploranti impoſitum, modò, quod ſedulò cavendum, non pateat Nervus vel Tendo inſignior in Vulnere, ad quem ſcilicet vis Vitrioli corroſiva perveniat, & ita periculoſiſſima Symptomata inducat.

De *Remediis Internis* pauca monenda ſunt, quia hoc loco non adeò conveniunt. Interim tamen, quia obſervatur quotidie, quòd vel Iracundia Ægri, vel Ebrietas, vel Incaleſcentia à Vino, &c. agitent Maſſam Sanguineam, & Hæmorrhagiam atrociorem reddant; hinc pro Sanguinis impetu compeſcendo Nitrum & omnia Nitrata, item omnia Stercora, ex Porco vel Aſino deſumpta, ſunt optima: hinc *Nitrum Antimoniatum*, *Tinctura Sulphuris Vitrioli*, *Mixturæ Acidulæ* cum *Tincturâ Antiphthiſica ſeu Saturni compoſita*, *Tinctura Martis Adſtringens*, & ſimilia aliàs nota. Obſervando, ut Affectus graviores, imprimis Iræ, hinc Amoris, ſedulò vitentur: item, quodcunq; Corporis exercitium, uti etiam Paroxyſmi morboſi, ſub quibus interdum recrudeſcunt Hæmorrhagiæ, ſtudioſè præcavendi.

## CAPUT V.

### *De Nervorum Vulneribus.*

POſt Vaſorum Vulnera, *Vulnera Nervorum* imprimis, & *Partium nervoſarum* læſiones, cautiſſimè ſunt tractandæ.

1. Propter *Dolorem* inflammatorium & *Convulſiones*, quæ ſæpiſſimè ſuperveniunt læſionibus Nervorum.
2. Propter facilem Partium nervoſarum *Alterationem ab Aëre externo*, hinc *Corruptionem* ac *Gangrænam*.
3. Propter *Synoviæ fluxum*, qui ſæpiſſimè Vulnerum Conſolidationem impedit, & periculoſam Partis Atrophiam, interdum totius Corporis Tabem, poſt ſe trahit.

## PROGNOSIS.

*Vulnera hæc ſunt periculoſiſſima*, ut etiam Punctura Inſectorum adeò ſit periculoſa, quia ut plurimùm læditur *Nervus* ac *Tendo*.

## CURA.

In genere ergò, ubi in Parte quadam vulneratâ Nervus ſimul vel Partes nervoſæ ſenſiliores fuerint læſæ, totum Membrum uſque ad principium Nervorum, ad Membrum derivatorum, inungendum eſt Oleo Lumbricorum, acuato cum Oleo deſtillato Lavendulæ; nam & hoc internè Convulſiones Partium nervoſarum læſarum curat: aut cum Oleo Salviæ, aut Succini, aut ſimilibus. Item optimum eſt, ſi inungatur Membrum ſequenti *Unguento*:

℞. *Olei Lumbricor.*
*Vulpin.*
*Axung. Hum.* vel *Viperar.* an. ℥j.
*Succ. Lumbr.* ℥ß.
M. probè & illinantur Membro.

*Cataplaſma* etiam ex Radice Conſolidæ majoris, & Sigilli Salomonis cum Vino & Aquâ coctis convenit.

Vel

℞. *Fol. Beton. rec.* p. j.
*Rad. Symph. rec.* p. ij.
Contuſa applica in formâ Cataplaſmatis:

Vel ſi recens haberi nequit, Symphytum pulveriſatum cum Vino calido in Cataplaſma rèdigatur & apponatur.

In ſpecie Nervis læſis Partibus nervoſis omnia Unctuoſa, omnia nimis Mucilaginoſa, & expreſſa Oleoſa aut Pinguia, ſunt admodùm nociva; ſæpè enim Dolores, Gangrænas & Inflammationes inducunt, inde etiam oriuntur Vermiculi innumeri. Quin potiùs Volatiliora paulò penetrantiora, & quæ vulgò dicuntur Calidiora, uſurpanda: qua ratione

*Balſamus Peruvianus*, Oleum Ceræ, *Oleum deſtillatum Lavendulæ*, Oleum *Philoſophorum*, Oleum *Lauri* deſtillatum, Succini, quod vocatur Balſamum Europæum ſeu Sacratum, miſtum cum Terebinthinâ & Saccharo Saturni, Balſamum Hyperici, Spiritus Vini, Gummi Elemi, Tacamahacæ & Carannæ, imprimis conducunt. Hinc elegans eſt Miſtura *Wurzii*:

℞. *Ungu. Di-Alth.* ℥iv.
*Ol. deſtill. Lauri* ℥iß.
*Succini* ℥ij.

Quæ miſta convenienter Vulneri, ubi Nervus eſt punctim læſus, poſſunt applicari.

Si verò *Nervus per tranſverſum læſus ſit*, vel *Tendo*, vel *Ligamentum*, inter Remedia uſitata ſemper ſimul dicta *Balſama Vulneraria* acuenda ſunt cum aliquot guttis *Olei deſtillati* cujuſdam. Præ cæteris *Oleum Terebinthinæ*, *Salviæ*, *Succini*, &c. conveniunt. Specialiſſimè Lumbricalia optima læſorum Nervorum conſolidandorum ſunt ſolamina, qua ratione *Oleum Hyperici Carpi compoſitum* optimè confert:

℞. *Summ. Hyperic. flor.* M. ij.
*Ol. comm.* ℔vj.

Hæc probè invicem digerit, poſteà addit

*Terebinth.* ℔j.
*Verm. terreſt. pulveriſat.* ℥iij.
*Croci* parum.

M. pro Linimento, Nervis, Tendinibus, aut ſimilibus Partibus vulneratis, aut punctim aut cæſim convenientiſſimo.

Vel

℞. *Lumbr. terr.* q. ſ.
Exſicca blandè, & pulvériſa.

Vel pulveriſatos *Lumbricos latos contritos* miſc. cum *Terebinthinâ*, quo per 24. horas ſupra Vulnus poſito iſtud ſanatur; vel ſine Terebinthinâ Pulvis inſpergatur Venis vel Tendinibus diſſectis denuò conſolidandis.

Nobile eſt Remedium Cnoeffelii, aliàs uſitatum ad Nervos per tranſverſum inciſos:

℞. *Exuvias Serpentum*, quas ſponte deponunt,
*Lapill. Cancr. præp.* an. part. æqual.
Invicem miſta pulveriſantur.

Qui pulvis Nervis læſis inſperſus mirè convenit pro eorundem unione.

Et quidem *periculoſius eſt, ſi pungantur Nervi, quàm ſi tranſverſim diſſecentur*, propter Doloris ac Convulſionis metum, ut etiam Punctura Inſectorum adeò ſit periculoſa, quia ut plurimùm læditur *Nervus* aut *Tendo*. In tali caſu, in Nervo punctim læſo, (quod etiam locum habet in ineptâ Venæ ſectione, quando Tendo pertunditur) nil melius eſt, quàm immittere, inſtillare, aut illinire *Oleum deſtillatum Terebinthinæ*: Vid. Sylvius *in Praxi lib. 1. cap. 42. §. 38. & lib. 2. cap. 23. §. 80. ſeqq.* item Scultetus *in Obſervationib. Chirurg. Obſervatione 64.* Loco hujus etiam *Oleum Ceræ* adhiberi poteſt Vulneribus.

℞. *Ol. deſtill. Terebinth.* ℥j.
*Spiritûs Vini* ℥j.
*Camph.* vel *Euphorb.* ℥ß.
Miſc.

Inſtilletur Vulneri aut Ulcuſculo, in quo Nervus punctim læſus fuit. Experimentum eſt Paræi *lib. 9. cap. 38.*

Aliàs *Aurium Cerumina* ſunt Specificum Helmontii contra Nervorum Puncturas; ſicut Galenus uſurpavit Euphorbium, quod & hoc tempore adhuc ad Nervos punctim læſos ex ineptâ Venæ ſectione eſt optimum, ſi ſcilicet fiat Unguentum ſequens:

℞. *Euphorb.* ℈j.
*Terebinth.* ℥ß.
*Ceræ* parum.

Quæ miſta extendantur ſuper *Linteum*, & applicentur perquàm calidè, ubi Nervus per Venæ ſectionem fuerit læſus: id quod non tantummodò eſt Experimentum Sculteti *in Obſ.* 64. ſed præterea Helidæi Paduani *in Obſerv. pag.* 310.

Quæ Nervorum, eadem & Tendinum, eſt ratio: puncti ſcilicet aut non ex toto diſſecti Dolorem acerbum & convulſivum minantur; per tranſverſum autem diſſecti Motum, ſicuti Nervi Senſum & Motum ſimul, perire faciunt.

Hoc ne fiat, ſi hactenus dicta non ſufficiant, *Moderni* per *Suturas conjungunt Tendines diſſectos*. Res primâ fronte videtur paradoxa & periculoſa, ſi ſcilicet Punctura Tendinis minatur Convulſionem, quomodò poſſint Acubus conſui? Nihilo minùs hujus Experimentum factum eſſe Pariſiis ipſe obſervavi, cum cuidam Juveni in Carpo Manûs omnes Tendines per tranſverſum erant diſſecti: Hinc Chirurgus per Acum valdè latam, ſed admodùm ſubtilem, intra Fibras, ex quibus conſtant Tendines, tam artificiosè intruſam, denuò per ſubſequens Filum conſuebat, & hinc Balſamo Vulnerario efficaci Vulnus & Suturas illinebat; ſic enim poſtmodùm brevi conſolidabantur iterum Tendines, & diſſecti denuò uniebantur, citra hoc, ut Motum Digitorum perderet Æger.

Cura eſt mira, & à nemine adhuc notata. Hoc tamen poſt Curam ſupervenit incommodi, ut toties, quoties Tempeſtatum mutationes ingruerent, Æger in loco antiqui Vulneris perciperet Dolorem quodammodò ſimilem Podagræ. Poſtmodùm etiam inveni hujuſmodi Suturam Tendinum per Filum in Veſlingio, nempe in ejus *Epiſtol. & Obſervat.* à Bartholino *editis p. m.* 90. & 91.

Aliàs Tendines, Ligamenta, & per conſequens Articulorum Vulnera, uti hæc ſunt frequentiſſima, per Balſama Vulneraria apparenter calidiora debent curari, omiſſis imprimis, niſi ſumma urgeat neceſſitas, Turundis, utpote à quibus propter Dolorem ſæpiùs exaſperantur Partium nervoſarum & Articulorum Vulnera.

## CAPUT VI.

### *De Pectoris Vulneribus.*

QUædam etiam monenda ſunt de *Vulneribus Pectoris & Capitis*.

In *Vulneribus Pectus penetrantibus*, vel *Pulmones lædentibus*, ſanabilibus, obſervandum eſt:

I. Ut ſemper habeatur reſpectus & metus *Pleuritidis imminentis & peripneumoniæ*; unde *Internis Remediis*, hos Affectus curantibus, tam præſervativè, quàm curativè, ſemper inſiſtendum eſt.

II. Quòd etiam in his Vulneribus ſubinde neceſſe ſit, ut applicentur *Turundæ*, ut Sanguini & Saniei pateat liberior exitus, ne ſuperveniat *Empyema*. Hæ Turundæ parandæ ſunt, ut habeant extrinſecùs *Anſulas*, ne poſſint intrudi, unde etiam applicandæ ſunt ſub Expiratione.

III. Obſervandum etiam, quòd in hiſce Partibus vulneratis ſemper ſint ſeligenda talia Remedia, quæ ſimul habeant vim *Diureticam*, aut Potionibus Vulnerariis *Diuretica* addenda ſunt: obſervatum enim eſt, quòd optimè, ſubinde ſponte, ſubinde Arte in Vulneribus Pectoris tam Sanguinis Grumi, quàm Pus & Sanies, evacuata ſint à Naturâ *per copioſum Urinæ fluxum*. Propterea hîc videat Medicus opus Naturæ.

IV. Quòd ea Vulnera, quæ inferiores Coſtas penetrant, infrà ſeptimam Coſtam, ſint ſimpliciter *Vulnera Abdominis*, non *Pectoris*, quia non penetrant Diaphra-

Diaphragma: unde etiam nullum Signum læsi Pectoris ex Respiratione læsâ potest haberi; sed potiùs *Abdominis Pathemata* investiganda erunt.

## CAPUT VII.

### *De Capitis Vulneribus.*

QUod attinet *Capitis Vulnera*, de his paucis. Qui plura cupit, adeat limatissimum Scriptum Petripaw, *Commentar. in Hippocr. de Vulner. Capitis*; item Marchettum *in Obs. Chirur.* rarissimis & curiosis, & Scultetum *in Armam. Chirurg.*

Vulnera *Capiti inflicta* sunt vel *cæsim*, vel *contusim*. Vulnera Capitis *cæsim* inflicta lædunt *vel* saltem partes extimas supra Cranium, *vel* simul Cranium, ut tamen non penetrent universum, vel dividunt etiam Cranium & Meninges, vel etiam ipsum Cerebrum.

## CURA.

In omnibus Capitis Affectibus *Alvus sit aperta*. In specie verò, si *Vulnera* saltim sint *superficialia*, facillimè curantur vel cum Betonicâ contusâ & succulentâ impositâ, vel *Oleo Hyperici*, vel *Balsamo Peruviano*, vel alio quodam Vulnerario; imponendo desuper *Emplastrum de Betonicâ* malaxatum cum Balsamo Peruviano, vel simpliciter, vel *Emplastrum* sequens:

℞. *Empl. de Beton.*
*Gumm. Tacamahac.* an. q. s.
Malax. cum *Balsam. Peruviano*:
D. S.
Emplastrum Cephalicum.

Sicut & sola hæc Ingredientia seorsim sufficiunt.

Loco hujus fit *Emplastrum de Gummi Hederæ Alexandri Benedicti*: *Videatur* Henricus *ab* Heer. Vel Emplastrum sequens *Arcæi* contra Vulnerationes Capitis:

℞. *Gummi Elemi* ℥iij.
*Terebinth.* ℥ß.
*Axung. Porcin.*
*Human.* an. ℥j.
M. f. Emplastrum molle.

Sin verò *Vulnus Cranium lædat, non tamen penitus perforet*, necesse est, ut habeatur ratio Cranii læsi, & sic inspergatur Cranio Pulvis ex *Radice Iridis*, *Aloë*, *Myrrhâ*, *cum Spiritu Vini imprægnatus*; vel Pulvis ex Bolo Armena, Iride Florentinâ, Aristolochiâ rotundâ, & similibus, tantillo *Olei destillati Terebinthinæ* imprægnatus. Hi Pulvis læso inspergantur, ut impediatur ejus Corruptio, aut Caries; desuper verò imponantur Filamenta sicca. *Caveamus* etiam in Cranio læso à quocunque *Unctuoso*, aut *Viscido*, aut *Pingui*; disponit enim Cranium ad Cariem. Si *Vulnera* autem *penetrant*, & Cranium divisum, & Meninges læsæ, necesse est, ut *Hæmorrhagia interna* maturè sistatur; quod fit *Pulvere Galeni ex Aloë, Thure, & Albumine Ovi conquassato*, quibus parum *Boli Armenæ* addendum. Hæmorrhagiâ sedatâ sufficiens est Natura; cujus opus ut adjuvemus, immittantur intra Cranium Linteola imprægnata tantillo *Olei ex Terebinthinâ*, vel *Balsami Peruviani*, vel de Capaibe, ut quasi odoretenùs afficiatur Cerebrum ejusque Membranæ, & disponantur meliùs ad Consolidationem. Ipsi Cranio læso suprà dicti Pulveres applicentur & foveatur Linteis siccis: *Vulnera* verò curantur *externè* per *Balsamum Vulnerarium*. In usu est ut Cerebro læso applicetur *Oleum Rosarum*, *sed malè*, quia talia Membranam lædunt. *Mel* etiam applicatur, *sed convenit* saltem, ubi Cerebrum corrumpitur, & Membranæ incipiunt putrescere, tunc Mel imprægnandum est aliquot guttis *Olei destillati Terebinthinæ*, aliàs nocet.

*Vulnera contusim* facta sunt *vel* superficialia, *vel* graviora. *Superficialia* parum habent in recessu. Illinitur loco contuso *Oleum Hyperici* imprægnatum cum *Oleo destillato Anisi*. Si verò sint *graviora*, ut magnus Tumor immineat, considerandum est, an spes sit insensiliter posse discuti? si hoc est, fiat: si non, *aperiatur* in principio, quo observandum, ut Contusio suppurata quantocyùs aperiatur, ne Pus ex retentione acrius factum Pericranium & Cranium erodat, & carioſum reddere incipiat. Si verò *Contusio* fuerit *gravior*, est *vel* sine Vulnere, & tunc modo dicto curetur; *vel* cum Vulnere, & tunc est *vel* sine Cranii læsione, *vel* cum læsione. *Contusio gravior cum Vulnere sine Cranii læsione* curatur more reliquorum Vulnerum Contusorum, nempe *Digestivis & Suppurantibus*: pro quo casu præ reliquis commendatur Gummi Elemi, aut *Unguentum Arcæi* sequens:

℞. *Terebinth. clar.*
*Gumm. Elemi* an. ℥iß.
*Pingu. Castoris* ℥ij.
*Porci antiq.* ℥j.
M. f. Unguentum.

Convenit etiam Gummi Elemi cum Terebinthinâ mistum in formâ Emplastri in Cranii Vulneribus.

Si *verò Cranium simul fuerit læsum*, hujus læsiones admodùm sunt variæ: nam interdum fit, ut Cranium ex Contusione deprimatur, & *nunc* cum, nunc sine Fracturâ; *sine Fracturâ* in Capite Infantum, quorum Ossa sunt mollia, & possunt cedere; *cum Fracturâ* in Adultis, quorum durius Cranium.

Porrò *gravior Contusio Capitis*, quæ *Cranium* lædit, istud interdum *findit*, *vel* in loco contuso, *vel* in loco opposito, quod vocatur *Contrafissura*. Fissura *nunc* penetrat utramque Laminam, *nunc* externam illæsâ internâ, *nunc* internam exterâ sanâ. Hîc observandum, ut cognoscatur *Depressio Cranii*, & *Fissura*. *Signa* desumuntur

1. Ex *Symptomatibus*.
2. Ex *Causis* lædentibus.
3. Ex ipsis *Sensibus*.

I. *Symptomata* sunt multiplicia; in specie Vomitus bilioſi, Vertigo, Sanguinis per Os, Nares, Aures, & simil. effluxus, subitanea Obmutescentia, & brevi superveniens Delirium, Convulsiones, Paralysis. Symptomata hæc *superveniunt nunc* mox in principio, ubi gravior fuerit læsio, *nunc* quarto, vel septimo die, ubi levior. *Origo* horum Symptomatum est, quòd Festuca pungat Cerebri Membranas, *vel* quòd Sanies destillet in Membranas Cerebri, & acrior facta easdem vellicet, *vel* Sanguis grumosus intra Cranium ex læsis Meningibus collectus, inferat hæc Symptomata.

II. Suspicio etiam desumitur à majoribus *Instrumentis*.

III. *Visus* ipse. Præter apertionem Cranii, nempe præter Specillum & ocularem Inspectionem, *ad Fissuras cognoscendas*, est Experimentum *Cataplasma ex Farinâ Fabarum* Capiti raso applicatum: hoc, ubi non sunt Fracturæ, exsiccatur, secundùm ductum verò Fissuræ non exsiccatur; Vid. Borellus *Cent.* 2. *Observat.* 20. Ubi de Fissuris insci sunt Chirurgi, jubent, ut Ægri accipiant Funiculum, firmiter teneant inter Maxillas, quem fortiter Chirurgus post se trahat; si ita Æger habeat Fissuram in Cranio, in loco fisso percipit Dolorem: quod etiam fit, si fortiter contineat Mandibulas, aut Nucleum Cerasi frangat; quòd si Fissura adsit, in loco quodam Dolorem insigniorem percipiunt. Quo in

caſu ut plurimùm neceſſe eſt, ut *perforetur Cranium*, ut Sanguini effuſo & Saniei pateat exitus, ubi etiam *Feſtucæ*, ſi quæ ſint, removeantur & tollantur. Unum adhuc obſervandum, quod obſervavit Glandorpius *in Speculo Chirurg. Obſerv.* 4. Nempe fieri interdum, ut in graviori Capitis Contuſione & læſione, ex Sanguine collecto intra Meninges, etiam integras, generetur Pus, quod graviora infert Symptomata; ubi aperiendum Cranium, & dura Mater Scalpello, ut Sanies educatur. Ad hæc *obſervandum*, quòd nempe Vulnera interdum Capitis ſimplicia poſt quartum vel ſeptimum diem contrahant *Dolores*, hinc *Rigorem* & *Febrim*. Hæc ſi ſuperveniant in graviori Capitis læſione & Contuſione, ſuſpicio eſt Fracturæ Cranii & Fiſſuræ, adeoque neceſſum eſt, ut Cranium aperiatur *Trepano*: ſi non appareant, non ſtatim debent perforari, quia dicta Symptomata etiam interdum ex alia Causâ ſuperveniunt. Niſi ergò adſint alia Symptomata, quæ Cranii fracti vel fiſſi ſuſpicionem inferant, non ſtatim ad Trepanationem accedendum eſt. Præcipitur etiam ut in Trepanatione vitetur Muſculus Temporalis: interdum tamen quidam Chirurgi etiam hunc Muſculum per tranſverſum ſecant; vid. Riverius *Obſerv. Communicat.* & Borellus *Cent.* 2. *Obſ.* 20.

## CAPUT VIII.

### *De Vulnerum Symptomatis.*

CIrca Vulnera ſubinde urgent quædam *Symptomata*, quæ ſpecialem merentur conſiderationem. Hæc ſunt vel *Generalia*, vel *Specialia*. *Illa* ſunt, quæ Vulneribus quibuſcunq; ſolent evenire: *hæc* verò, quæ ſaltem ſuperveniunt Vulneribus in hâc vel iſtâ perſonâ, idque ex peculiari conditione Ægri, qualia ſunt v. g. quæ ſuperveniunt Viro vulnerato, cui *Hæmorrhoides* ſuppreſſæ ſunt. In his caſibus *Cauſis Symptomatum proſpiciendum eſt*, Fluxus tamen promovendus, non tam Internis, quàm Externis. Interna quidem Humoribus motum largiuntur, ſed omnis impetus transfertur in locum læſum, & ſic exaſperantur Symptomata.

## ARTICULUS I.

### *De Vulnerum Inflammatione.*

INter Symptomata ergò eſt *Inflammatio*, quam præ reliquis ſiſtit *Aqua Calcis vivæ*, vel crudè applicata, vel cum *Saccharo Saturni* aut *Ceruſsâ* imprægnata: Hæc enim Epithematis inſtar crebriùs applicata Inflammationem ſolent ſiſtere: Item imprægnetur cum *Camphorâ*, & erit eò magis efficax. Hinc Remedia *Cancrina*, Aqua nempe Cancrorum putrefactorum non nihil deſtillata, applicata Vulneri & Inflammationem ſiſtit, & Sanguinis fluxum in Vulneribus *Articulorum* & *Partium nervoſarum* ſolet præcavere & ſiſtere. *Cancri fluviatiles* etiam contuſi fundunt *Succum*, qui expreſſus, & cum multiplicatis Linteis applicatus, eſt conveniens. Internè convenit Succus Plantaginis, qui etiam externè non inelegans eſt.

Vel

℞. *Lapill. Cancr. præp.* ʒj.
*Mum. patib.*
*Sangu. Hirc. ritè collect.* an. ʒß.
M. f. Pulvis: divide in partes æquales:
D. S.
Refrigerans Pulvis Vulnerarius.

## ARTICULUS II.

### *De Vulnerum Eryſipelate.*

SI *Eryſipelas* affligit Vulnera, illinatur Eryſipelas cum *Spiritu Vini*, in quo diſſoluta ſit *Theriaca*, & additum parum *Salis Abſinthii*; vel inſpergantur *Pulveres Eryſipelacei ex Floribus Sambuci, Cretâ, Farinâ, Ceruſsâ*, & ſimilibus, qui, loco priùs cum Spiritu Vini probè illito, inſpergantur.

## ARTICULUS III.

### *De Carne in Vulneribus Luxuriante.*

SI in Vulnerum conſolidatione obſervatur *Caro luxurians*, Germ. *Wild Fleiſch*, (quod fit imprimis ex ignorantiâ Chirurgi,) non debitis *Epuloticis* curandum Vulnus; tunc enim Fibræ aut Stamina nervea laxata Partem reddunt ſpongioſam, unde Pars iſta recreſcit. *Curatur* autem adſpergendo *Alumen uſtum*, vel *Crocum Metallorum*, aut illinat Carnem luxuriantem cum *Unguento Ægyptiaco*. Præ reliquis conveniunt *Aquæ Virides*, inter quas excellunt *Aqua Viridis Plateri*, *Hartmanni*, & *Barbette*. Inſtar omnium ſit *Lapis Infernalis*, ſeu Pulvis Cryſtallorum Lunæ in *Aquâ Forti* ſolutæ: nempe ex Lunâ puriſſimâ, Spiritu Nitri ſolutâ, & denuò coagulatâ, fiunt Cryſtalli, & ex his Pulvis, qui adſperſus huic Carni, illam exedit ſtatim: unde poſtmodùm applicetur *Emplaſtrum Epuloticum* ſeu *Cicatrizans*.

## ARTICULUS IV.

### *De Vulnerum Doloribus.*

INterdum *Dolores graves* urgent Ægrum vulneratum, qui varii ſunt: quidam tertio aut quarto die ſuperveniunt, quando Vulnus incœpit ſuppurari: *Dolor* verò *præternaturalis* & *intenſus*, quando ſupervenit *Partibus nervoſis*, aut circa *Articulos* læſis, item *Dolor*, qui ſupervenit cum quadam *Tenſione*, quæ Tenſio ſunt incipientes Spaſmi Partium nervoſarum & tendinoſarum. Hos dolores, præter *Interna* blanda Opiata, imprimis ſiſtunt *Externa*, & cùm proprii ſint Partibus nerveis, *Olea Nervina* conveniunt: Quapropter

℞. *Olei Lumbr. terr.* ʒiv.
*deſtill. Lavend.* vel *Bacc. Lauri* ʒiß.
*Succini* ʒß.
M. f. Oleum Balſamicum;
D. S.
Oleum Leniens.

Quo illinatur Pars dolens.

Vel cum *Unguento Dialthææ*, imprægnato *Balſamo Peruviano*, & additis aliquot guttis *Olei deſtillati Lavendulæ* ſeu *Spicæ*.

## ARTICULUS V.

### *De Synovia.*

LOcutus ſum ſuprà de *Synoviâ*, ſeu fluxu Aquæ Articulorum ex Vulneribus Articulorum, Germ. *Wenn das Glied-Waſſer flieſſet*. Hoc ipſum eſt nihil aliud, quàm fluxus Nutrimenti nervoſarum Partium albicans, aceſcit ſucceſſu temporis, & eſt in Partibus nervoſis obvium potiſſimùm.

PRO-

## PROGNOSIS.

Periculoſum & ferè funeſtum eſt Symptoma, & ſubinde Partium *Atrophiam* relinquit.

## CURA.

Ut compeſcatur:

℞. *Pulv. Teſtar. Oſtr.* ℥j.
*Cicon. calcin.* vel *Lapidis Calamin.*
*Oſſis Sepiæ*,
*Maxill. Lucii piſc. calc.* an. ʒij.
*Spodii præp.*
*Terræ Sigillat.* vel *Alum.* an. ʒß.
M. f. Pulvis.

Qui inſpergatur Vulneri Synoviam ploranti; ſic namque citò evaneſcit Synovia.

Chirurgus quidam recepit Uſneam Cranii humani & Laccam pictorum ana; aut in defectu Uſneæ Pulverem ex ipſis Oſſibus humanis ſeu Calvariæ, Linteo concerpto Vulneribus applicare ſolebat, & pro ſummo habuit Secreto: vid. M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obſ.* 53. *pag.* 104. Optimum quoque eſt *Unguentum Fuſcum Wurzii.* Quia tamen præparatio eſt laborioſa, & propterea difficulter poteſt parari, recipiatur loco *Vitrioli* toties calcinati, ſimpliciter Terra Vitrioli dulcis, ſpeciatim ex *Vitriolo Martis*, & dicto modo cum hoc procedatur, atque vult *Autor*; Nempe immittatur in *Acetum* quoddam Vulnerarium, & ita addatur *Mel*, *Flores Æris*, ſicque porrò miſceantur. Vel recipiatur *Unguentum Ægyptiacum ſimplex*, & addatur *Terra Vitrioli dulcis*, in *Aceto* dicto permiſtum, quantum poſtulat Ingredientium proportio: quod poteſt eſſe loco *Unguenti Fuſci Wurzii*, & *Unguenti Ægyptiaci Magiſtralis* compoſiti.

Aliàs ſingulare Experimentum eſt, ſi Stercus Porcinum cum Sanguine Vulneris invicem miſtum coquatur, & ita Vulneri applicetur inſtar Cataplaſmatis; hoc enim compeſcit Synoviam. Quin & Linteum Sanguine primo Menſtruo Virginis tinctum, ſive humidum ſive ſiccum applicatum, certiſſimum habetur Remedium ad compeſcendam Synoviam. Polychreſtum eſt, ſi deſtilletur *Aqua ex Cancris fluviatilibus* contuſis: hæc enim cum Linteis duplicatis impoſita, non tantummodò Synoviam ſiſtit, ſed præterea omnes Inflammationes, Eryſipelata, Dolores, &c. Partium vulneratarum. NB. Cancri fluviatiles multum proſunt in caſibus Chirurgicis.

## ARTICULUS VI.

### *De Partium Vulneratarum Convulſione.*

TAndem, ſi ſuperveniat *Convulſio* Partibus vulneratis, magnum imminet periculum Ægro, ne inter has *Epilepſia* ſuperveniens eum interimat.

## CAUSA.

*Cauſa* ſemper eſt in Parte læsâ.

## CURA.

Præter *Interna Spaſmo reſiſtentia*, & in ſpecie *Specifica Cephalica*, *Succinata*, & *Salia volatilia* ex Regno Animali, *externè* inveſtiganda eſt *Cauſa*: & ſi adeſt *Punctura*, læſio curatur, ut ſuprà dictum; ſi *Inciſio* Nervi, non tamen perfecta, neceſſe eſt, ut per tranſverſum diſcindatur Nervus, aut Tendo; melius eſt enim, Partem ſenſu privare, quàm Ægrum vitâ. Conveniunt *Linimenta* hoc in caſu ex Balſamo Peruviano, quibus Oleum deſtillatum Succini & ſimilia addenda ſunt.

## ARTICULUS VII.

### *De Partium Vulneratarum Atrophia.*

POſt Vulnera Articulorum & Nervorum ordinariè ſupervenire ſolet *Atrophia*, de qua ſuo loco actum: vid. Wurzius, & excellit ejuſdem *Arcanum Aluminis ex Alumine plumoſo.*

## ARTICULUS VIII.

### *De Febribus Vulnerariis.*

QUòd ſi verò fiat, ut Vulneribus jungantur *Febres*, pro varietate Febrium res majoris vel minoris eſt periculi; ſive Febris hæc Symptomatica ſit ex nimiâ Sanguinis commotione in vulnerato, ex Iracundiâ, Terrore, &c. ſive ſit ex generatione Puris in Vulnere, quod die quarto, ſeptimo, nono fit; aut ex Inflammatione, ſuperveniente Vulneri.

## DIAGNOSIS.

Tales Febres præcedere ſolet ſenſus Ardoris in Vulneribus, Oculorum rubedo, Phlogoſes & Dolores inſoliti in Vulneribus.

## PROGNOSIS.

Facilè curantur, imò interdum vel ſponte evaneſcunt. Verùm ſi ſint Continuæ, aut ſi ex læsâ Sanguinis craſi ſuperveniant, periculoſæ ſunt admodùm, & quæ non parùm Curam Vulneris remorantur, quin ſubinde Vulnus ipſum aſperius reddunt.

## CURA.

Hæ ipſæ Febres optimè curantur Remediis *Acidum* in Vulneribus peccans, & Sanguinem inficiens, abſorbentibus & corrigentibus: propterea primatum obtinent blanda *Diaphoretica*, ſi ſcilicet propinetur ʒj. Antimonii Diaphoretici in Aquâ Fumariæ, vel convenienti Miſturâ, cum Spiritu Theriacali camphorato, & Lapillis Cancrorum præparatis in Vino vel Aceto deſtillato propinatis; vel *Coralia*, & *Magiſterium Coralliorum* cum *Succo Citri*, *Sal Ammoniacum*, & *Spiritus Salis Ammoniaci* cum debitis *Mixturis Vulnerariis.*

Si *Ardor* & *Sitis* nimis urgeant, ad *Nitrum* accedendum eſt, & ſumatur vel Nitrum purum, vel Nitrum antimoniatum, & ſimilia convenienter in his Febribus conducunt, quæ etiam Julepis poſſunt addi: vel fiat *Julepus* ex *Aquâ fontanâ*, cui *Syrupus Ribium & Berberum* additus fuit, addito parum de Spiritu Nitri dulci. Continuentur ſimul vel *Cancrina*, vel *Antimonialia fixa*; nam blandus Sudor optimum eſt harum Febrium Remedium, obſervando ſimul alia tunc temporis Appropriata. Hæc omnibus Vulneribus Partium Externarum & mutatis mutandis Internarum, applicari poſſunt.

## SECTIO III.

### *De Ulceribus.*

PErgo jam ad *Ulcera*, ſeu tertium Objectum, circa quod verſatur Chirurgus Medicus.

## CAPUT I.

### *De Ulceribus in Genere.*

ULceris nomine venire ſolet *Solutio unitatis*, facta *ab Acredine corrodente & abſumente ſubſtantiam Partis, mollis pariter ac duræ*; & ſi hujuſmodi Exeſio & Corroſio ſit ſolùm in Parte molli, dicitur propriè *Ulcus*; ſi verò ſit in Parte durâ, dicitur *Caries*, Oſſibus propria.

## CAUSÆ.

*Corrodens hoc in Ulceribus eſt acre Acidum*, quòd inſtar *Fermenti corruptivi*, nunc ſimul *corroſivi*, nunc *virulenti*, &c. labiis Vulneris ejuſque parietibus affixum, pervertit omne Alimentum Partis proprium, illudque in Excrementum acre, & Liquamen ſordidum immutat, ſeu in *Saniem*, cujus mitior ſpecies eſt Pus; illudque Acidum ſimul Fibras & carnoſas ſubſtantias Partis ſenſim ſenſimque rodit, abſumit, & depaſcit in *Abſceſſibus*, poſt Inflammationes imprimis oriundis, vel ex aliis Cauſis natis, qui ſunt Ulcera inchoata, & in *Vulneribus*, quæ facilè in Ulcera degenerant. Hoc per ſe patet: In his enim Alimentum Partis corruptum aceſcit, & labiis Vulneris adhærens, Alimentum balſamicum pervertit & corrumpit, unde tandem Aciditatis incrementum, & Ulceris augmentum.

*Acidum hoc confirmatur* ulteriùs ex eo, quòd Emplaſtra Ulceribus admota, niſi interdum proprius Medicamenti odor, vel fœtor Puris prævaleat, ſi removeantur, ſubinde Acidum ſpirent ſubtile [quod aliquoties obſervavi in Noſocomiis Patavii, & Pariſiis]; & quòd Corroſio dolorosa quæ etiam Oſſa abſumit & exedit, vix niſi per Acorem commodè explicari poſſit, cùm Alcalia Cauſtica non tam Corroſionem quàm Mortificationem ſeu omnimodam Putredinem cum Partis nigredine & corruptione inducant. Unde etiam Metallica, Saturnina, aut Mercurialia, & Venerea, Caput mortuum Vitrioli & ſimilia, promptè Acida aut edulcorantia aut abſorbentia, & Vegetabilia Vulneraria etiam acriora, vi alcalinâ prædita, Acidum corrigentia, & in Salſum tranſmutantia, Ulcera optimè curant.

*Acidum hoc corroſivum, Ulceris cauſa, oritur vel*

I. *Ab Alimento Partis proximo corrupto & degenerante*, cujus Corruptionis inſeparabilis comes eſt Aciditas, ut fit in Vulneribus, quæ ſemper degenerant in Ulcera, niſi maturè curentur, in Contuſionibus, in Ambuſtionibus, in ipſis Ulceribus contagioſis, & externis Corroſivis admotis, &c. Hinc enim v. g. Lues Venerea ſeu Gallica, aut Scabies per contactum externum Manûs, eſt contagioſa, quæ Contagia, per contactum Manui ſanæ adhærentia, in hac Alimentum proximum pervertunt, vitiant, & ipſi Acorem vitioſum imprimunt, unde per conſequens Ulcuſcula leviora in Scabie, aut majora periculoſiora in Lue Venereâ, & ſimilibus Ulceribus contagioſis pluribus, oriuntur.

II. Oritur Acidum Ulcerum ab *Aciditate peregrinâ*, quacunque de causâ in Sanguine aut Lymphâ obortâ, quæ Aciditas cum ſubjectâ materiâ in Parte quâdam, quâcunque ex causâ, ſæpiùs ex paulatinâ congeſtione defixa, Alimentum Partis proximum pervertere, Partem corrodere, & ita Abſceſſum ac Ulcus inferre ſolet: Manifeſtum hoc eſt in Ulceribus ſponte natis, in Scorbuticis, in Cachecticis, in Lue Venereâ laborantibus, & ſimilibus. Nam v. g. Scorbuto confirmato ſæpiùs ſuperveniunt Ulcera in Cruribus ex Acore vitioſo ſcorbutico in Sanguine enato: Et hinc talium Subjectorum Cachecticorum, Venereorum, &c. Ulcera ſunt vix curabilia, niſi ipſe Morbus primariùs priùs curetur & corrigetur; quin & curentur licèt Ulcera talia, tamen ſæpiùs, niſi primarius Morbus ſit ſolutus, in aliis locis recidivam inducunt: quale Exemplum legi in Hildano, item Sculteto, & *horum Obſervationibus*. Unde etiam eſt, quòd interdum, palliativè licèt, Fonticuli in talibus Subjectis ſint excitandi, ut ita Ulceris contumacia mitigetur, & ex eodem occluſo recidiva periculoſior præcaveatur. Patet etiam *in Abſceſſibus ab Inflammatione ſuppuratâ* natis, ubi Sanguis ſtagnans ab Acido fermentativo tranſmutatur in Pus, ita tamen, ut præponderet Acidum, & Alimentum Partis corruptum aceſcit, quod labiis Abſceſſus adhærens, ſequentis Ulceris propriè ſic dicti autor eſt.

III. *Cauſa*, unde oritur Acidum hoc, eſt ex *vitio ipſius Sanguinis*, ipſique permiſto Excremento quocunque, aut alius cujuſcunque Humoris in Corporis ſtatu præternaturali, à quo in Parte quadam vel Nutrimentum Parti nutriendæ ineptum ſuggeritur, vel Nutrimenti proximi perverſioni occaſio ſubminiſtratur: unde vitioſus ejus Acor Ulceri inde enaſcenti primam originem ſeu occaſionem ſubminiſtrat. Patet hoc in Ulceribus, quæ aliis Morbis ſuperveniunt.

Acidum ergò hoc, quacunque ex cauſa in Ulcere obortum, proximum, quod ad Partem diſtribuitur, Alimentum corrumpit, & quod ſalinæ volatilis oleoſæ, quaſi balſamicæ naturæ eſſe debet, aceſcit ſimiliter, ſitque Parti alendæ omninò hoſtile; unde Ulcus ejuſque Fermentum acidum valdè augetur, & hujus activitas validior redditur.

Prout verò vel major vel minor eſt Aciditas, aut etiam hæc ipſa ſimul variantis nonnihil ſaporis deprehenditur, uti ratione graduum diverſitatis variat, cum aliis adjunctis proprietatibus diverſis, varia eſt etiam Alimenti exinde orta Corruptio, & exinde etiam contumax plùs minùs ſolet eſſe Ulcus, quod aut *Purulentum*, aut *Sanioſum*, aut *Verminoſum*, aut *Diſepuloticum* ſeu *Phagedænicum*, aut *Cancroſum*, aut *Corroſivum*, aut *Doloroſum*, aut *Malignum*, aut *Contagioſum*, aut *Carioſum*, aut *Gangrænoſum*, aut aliâ ſpeciali proprietate eſt diſtinctum, pro varietate Acidi ſpecificâ.

In ſpecie *Nervoſarum Partium Ulcera* ut faciliùs oriuntur, ita etiam omnia ſunt pejora & difficiliùs curantur, ob Acidi in his Vulneribus majorem gradum: nam Alimentum Partium Nervoſarum, cùm ſit admodum temperatum, nec adeò impræegnatum Sale volatili acri, ut Sanguis in Partibus Sanguineis, ob id facili corruptione & alteratione aceſcit, & ob defectum ſufficientis correctionis fit acrius, ipſo Spiritu Animali ſubtiliore in his Partibus celeriùs aut diſtributo, & promoto, aut faciliùs exhalante.

*Sanguineæ* verò *Partes* abundant Sale volatili acriori oleoſo, unde difficiliùs ipſis inducitur Acor, qui etiam contrà faciliùs temperatur, fiuntque hinc Ulcera benigniora; unde *Ulcera Partium Sanguinearum ſunt faciliora*, quàm *Nervearum*. Hinc & *in Glanduloſis locis*, cùm in his aliquid Acidi ſubtilis ex Sanguine ſecerni, & unà cum aliis Lympham conſtituere videatur, *contumaciora & magis doloroſa* ac *corroſiva oriuntur Ulcera*, & quæ facillimè degenerant in *Fiſtulas*, ex quacunque causâ ſint producta: immò hæc Ulcera frequentiùs *cancroſam Malignitatem* ſolent habere conjunctam.

*Lympha* hæc in locis Glanduloſis elaborata, ſubtili acido Sale impræegnata, cùm facillimè Acidi corroſivi in Articulis recipiat impreſſionem, *Ulcera & Vulnera Arti-*

*Articulorum* reddit & difficiliora & periculosiora.

Certum est, contumaciſſima esse Ulcera & ſummè dolorosa in Partibus Glandulosis, in specie sub Axillis, & hinc circa Inguina, quæ Acore corrosivo latiùs serpunt, & vicinas Partes acriter depascere solent.

Acor ergò talis, aut à vicino Ulcere ad Os subjectum delatus, aut ex Corruptione ipsius Ossis, ab Aëris contactu orta, genitus, aut etiam ex Acido peregrino ad Os cum Alimento distributo enatus, *Os ipsum corrodit*, & carioſum reddit, Ulcusque cum Ossis Carie conjunctum constituit, simpliciter immedicabile, & vel centies recidivans, *iterumque erumpit*, nisi Ossis Caries primò emendetur.

De cætero obſervanda est *Differentia*, nempe vel immediatè & primariò ab Aciditate peregrinâ afficitur Os, & hujus occasione demum ulteriùs Partes molles Ossi instratæ afficiuntur, vel postmodùm harum contagio ipsum Os, quod sit in Ulceribus cum Ossium Carie conjunctis. Ut res Exemplis fiat clarior: In Fracturis, in quibus Os est denudatum, nisi hoc probè & citò curetur, succeſſivè vel liveſcit, & nigreſcit, sicque tandem carioſum evadit, propter subitam alterationem ab Aëre impreſſam: similiter in Lue Venereâ in medio Ossium oriuntur Gummata, à quibus succeſſivè Os subjectum eroditur & carioſum evadit, quod etiam fit in Spinâ cariosâ, quibus Alimentum Partium nervosarum in Lue Venereâ maligno Acore inquinatum, etiam ad Ossa distributum hæc ipsa erodit ac inficit.

Quòd si corrosiva Sanies in Ulceris labiis producta per interſtitia Partium latiùs serpat, aut molliores subſtantias inter ſtamina fibrosa duriora exedat, & ita per cuniculos longiùs latiùsque serpat, hinc inde *Ulcus Sinuosum* seu cavernosum constituit, quod Germani vocant *einen locherichten Schaden*: cujus orificia aut etiam canales in locis membranosis imprimis & nervosis, ex Alimenti vitiati congeſtione, & conglomeratione indurata, & in Callum quasi osseum transmutata, *Fiſtulam* & *Ulcera Fiſtuloſa* constituunt.

*Occalleſcentia* hæc & *durities* circa Membranas, imprimis in orificiis horum Ulcerum Sinuosorum nata, oritur *ex Acido vitioſo ſatis intenſo*, dictas Partes corrugante, & pedetentim indurante, ac in Callum seu Cartilaginem transmutante: Exinde orificia Fistularum semper sunt angusta.

Proximum ergò Partis Alimentum, prout faciliùs ab Acido Ulcerum impreſſionem recipit, exinde plùs minùs diuturna aut maligna efficit Ulcera, ut in *Hydropicis*, *Cachecticis*, *Lue Venereâ* inquinatis, aut iis, quibus aut *Hæmorrhoides*, aut *Menſes* suppreſſi stagnant, luculentiſſimè patet; & talia Ulcera solent esse graviora, propter Alimenti Partis corrupti facilem impreſſionem ab Acido. Hinc Ulcera cum Humorum affluxu esse conjuncta dicuntur.

Faciliùs verò *Corruptio* hæc in Alimento Partium fit, imprimis ex defectu Particularum spirituosarum & salino-volatilium, quæ contraria dum sunt acido Fermento Ulceris, ejus vim infringunt: quibus dum caret interdum præternaturaliter pars Sanguinis alimentitia, aut etiam aliàs ex vitiosâ primâ aut secundâ Digeſtione ad recipiendam Corruptelam acidam magis est diſpoſita, promptiùs sic corrumpitur, & Ulcus ipsum sic augetur, fit *Manans*, & difficulter curabile.

Acidum hoc Ulceris fermentativum, & corruptivum non ritè correctum & sublatum, dum vel ejus aliqua, tantilla licèt, portio post Curam Ulceris relicta est, aut in labiis ejus, aut, quod sæpiùs contingit, in Osse carioso; vel ejus aliqua portio per Sanguinis vel Lymphæ motum aliorsum delata, pervertendo Alimentum loci proximum, aut *Recidivam* antiqui, aut per metaſtaſin, *generationem novi Ulceris* inducit. Sic in Sculteto Exemplum est Ulceris præpostere curati, unde postmodùm Ulcus in Pectore enatum fuit: sic & Fabricius Hildanus *Cent.* 3. *Obſ.* 39. obſervavit Ulcus inveteratum in Crure Sinuosum, quô intempeſtivè curatô supervênit Pleuritis, ubi materia simillima per Os fuerit rejecta, ac ista, quæ ex Ulcere Cruris emanaverat.

*Ulceris* ergò ordinaria *Adjuncta*, & Fermenti ejus acidi *Producta* sunt

1. *Cavitas* ab Acore exedente, & labia Vulneris depascente plùs minùs inducta.
2. In Partibus Carnosis *Pus* laudabilius ex Sanguine.
3. In Partibus Nervosis seu Spermaticis *Ichor* seu *Sanies tenuis*, aut saltem Pus minùs laudabile, hoc est, quòd Labia Ulceris sicca & citra sordes inveniantur.

Rariſſimum enim est, quòd *Labia Ulceris ſicca* & citra sordes inveniantur, id quod tamen fit interdum, quando nempe Ulcera Aëri aperto diu nimis fuerunt exposita; aut quando Labia dura & calloſa fiunt; aut quando loco Suppurantium & Mundificantium Exsiccantia aut Cicatrisantia intempeſtivè fuere applicata. Quòd si citra tales Causas manifeſtas sponte & subitò, (dico subitò, quod benè obſervandum) sicca aut minùs humida deprehendantur Ulcera, malum Signum est; nam vel innuit imminentem *Mortem* totius; vel si Ulcere exsucco accedant aliqualis *Livor* vel *Decoloratio* Labiorum, imminentis *Gangrænæ* est indicium; omnia enim Ulcera, si immineat Mors, solent exsiccari.

## PROGNOSIS.

*Prognoſis* ex his facilè est formanda de quocunque Ulcere. Nempe fundamenta Prognoseos in Ulceribus desumuntur *ex tribus Circumſtantiis*:

(1.) Ab ipsâ *Conditione Ulceris*, an sit *Simplex*? an *Complicatum*? an *Sinuoſum*, *Fiſtuloſum*, *Carioſum &c.* Nam hæ Conditiones Ulcus plùs minùs reddunt difficile.

(2.) Ab *Ulceris Excretis*, Pure nempe & Sanie: Nam quò citiùs Ulcus reddit Pus, idque magis laudabile, vel minùs acre, candidum, mediocris consiſtentiæ, eò meliùs est Ulcus: contrarium est, si ploret Saniem tenuem, Ichorem acrem, flavum & fœtidum, aut similia.

(3.) Ab ipso *Subjecto Ulceris*, tam particulari quàm universali. Ratione Subjecti particularis, ab ipso loco ab Ulcere affecto, an sit carneus, glandulosus; ratione Subjecti universalis, an Æger sit sanus, vel non? an sit laudabilis constitutionis, &c. hæc enim Ulceris naturam, & Curam plùs minùs gravem ostendunt.

*Ulcera Antiqua* Maciem, Febres lentas, aliaque Mala, æquè excitant ac Ulcera Pulmonum.

## CURA.

Ex hactenus dictis facillimè patet, quòd *Cura Ulcerum Chirurgica* primariò *in Acidi mortificatione conſiſtat*, quo tollatur Alimenti depravatio, & Partis ulcerosæ erosio, & inhibeatur Sordium proventus; reliquum ipsâ Naturâ agente, in Alimenti appositione, & convenienti assimilatione Carnem generando, & Foramen claudendo consistit.

Ea, quæ *Acidum* hoc *corrigere valent*, sunt nulla

alia, nisi quæ vel apertè huic sunt contraria, ut *Alcalia* omnia, præsertim Volatilia, imprimis vel Vegetabilia, vel Fixa Mineralia, imprimis naturæ metallicæ, aut huic cognata, quæ Acidum absumunt avidè & absorbent. Nam ex Regno Animali, præter Cancros aut Fella Animalium, aut Urinam humanam, vix singularia contra Ulcera habentur Remedia.

Ex his *Vegetabilia* imprimis agunt positivè, temperando & delendo Acidum per Sal suum volatile seu alcalinum, quod ipsum nunc est occultum & temperatum oleosum, nunc verò manifestum & acrius. Temperatum est v. g. in Betonicâ, in Veronicâ, in Plantagine, in Vinca pervincâ, in Bugulâ, in Agrimoniâ, & similibus; acrius verò est in Absinthio, Mentha, Chelidonio majori, in Sabinâ, in Nicotianâ, quæ in specie in expurgandis Fistulis & Ulceribus mundificandis valdoperè conducit, & vi narcoticâ pollet; in Aloë & Myrrhâ, in Spiritu Vini, & similibus. *Mineralia* verò & *Metallica* operantur ut plurimùm privativè, absorbendo Acidum, & istud sui attactu quodammodò dulcificando, sub quâ ipsâ actione simul virtutem adstrictoriam aluminosam acquirere solent. Talia sunt Caput mortuum Vitrioli, Terra Vitrioli dulcis seu balsamica, quæ in omnibus Ulceribus immiscenda est. Saturnus, & hinc paratum Saccharum Saturni, ac omnia Saturnina, quæ sunt solatia Chirurgorum in Ulceribus Partium; pòst Cerussa, Minium, Venerea, Æs viride, Pompholyx, Mercurius Sublimatus, item Mercurius Præcipitatus, Mercurius Dulcis, & quæ huc pertinent Sulphurata, & in specie ad Ulcera maligna & cacoëthea usurpata Arsenicalia fixa, & in Alcali naturam transmutata; hinc Balsamum *Paracelsi* ex Fuligine & Arsenico; quia uti loquitur Helmontius, Arsenicum est quasi fumus metallicus.

Hæc Medicamenta, dum destruendo Acidum, ulteriorem ejus activitatem inhibent, & simul Excrementorum generationem seu Alimenti perversionem sistunt, sicque Ulcera nitida & Labiorum carnem rubeam, sanam, & naturali modo dispositam reddunt, unde *Mundificantia* seu Detersiva vulgò appellari soleant, quatenus Ulcera purificant, & ablatis sordibus Labia naturaliter constituta reddunt. Et quidem Ulcera purgare, & Sordes detergere, est superficialis tantummodò Cura, & palliativa, cùm Sordes, Pus & Sanies effectus tantum sint, & Productum Ulceris: modò tollatur tantùm Causa horum effectrix, & palma facilè acquiritur: id quod superiùs de Vulneribus, partim ex Septalio & Magato, partim etiam Helmontio, monui. Sordes hæ sunt nihil aliud, quàm Alimentum, sive sanguineum sive chylosum, ad Partem ulceratam demandatum, quod dum vitiatur & corrumpitur in Sordes varias, Saniem acrem, Ichorem varicolorem, Pus fœtidum, Sordes nigricantes, & Excrementa tandem ex Putredine verminosa reddita, degenerat. *Graduum autem ac similium proprietatum in his Detergentibus & Mundificantibus observanda est diversitas*, pro Ulcerum nempe varietate variandis.

In genere eorum quædam sunt *Acria*, quædam verò magis *Temperata*. A *Temperatis* ceu inferioribus successivè inchoanda est Cura Ulcerum, nisi forsan Ulceris prava conditio nimis progressa aliud suadeat, ne acrioris Acidi vigor per Acre contrarium efferveſcendo & irritando fiat malignior, & Putredo in Ulcus inducatur, sed potiùs lenioribus Acrimoniam temperantibus priùs utamur, donec fortiora tutiùs tandem applicentur.

*Temperata* ista vulgò *Digestiva* seu *Pus generantia* appellari solent, quæ usurpantur in casu, ubi Ulcus non nimis progressum est. Si verò *Ulcus* jam est *putridum* aut alio modo *malè affectum*, statim *fortiora Detergentia* & *acria* usurpanda sunt. Temperata autem ista, temperando Acidum in Ulcere vitiosum, Alimenti corruptionem in Excrementum acre & sanioſum inhibent, ut temperatus Acor Ulceris moderatâ fermẽtatione cum Alimento Partis concurrere, & Excrementum similiter temperatum quasi coctum in meliori consistentiâ, colore, & temperaturâ generare possit, ut id, quod anteà tenue, acre, & quasi crudum esset, nunc crassius, temperatius, & quasi maturius profluat. Quod ipsum mitius Excrementũ *Pus* appellatur; sicuti pejus istud acrius & tenue, *Ichor* seu *Sanies* usitato nomine appellari solet. Hinc etiam hæc Digestio *Suppuratio* dicitur.

Quoad generationem *Puris*, dictum fuit *suprà ubi de Inflammatione*, quòd generetur per Motum & per modum Efferveſcentiæ, ex concursu Acidi & Urinosi, temperatorum tamen utrorumque mediante Oleo, ita tamen, ut in Pure adhuc præpolleat Acidum, hinc Albedo. Hæc in genere, ubi de Tumoribus; jam in specie quoad Ulcera.

Dum enim concurrunt hæc duo in Ulceribus, Alimentum Partis, quod naturaliter est salinum volatile oleosum in Sanis, & ita temperatum, ab occurrente Acido corrosivo excessivo sine resistentiâ pervertitur, & in Liquamen acre & Ichorem vitiosum corrumpitur: sin verò Acidum sit moderatum, hoc à Nutrimento Partis aliqualem percipit resistentiam, ut ita mutuo concursu & actione degeneret in Excrementum mitius, Pus dictum.

Temperata talia Remedia, de quibus suprà dictum, sola Ulceris Simplicis possunt absolvere Curam: Ulceris verò, vel Corrosivi, vel Putridi, vel Cancrosi, vel Maligni Virulentia acrior & validior, ut plurimùm Ulceri & ejus Specifico Fermento appropriata, nunc *Mercurialibus*, nunc *Arsenicalibus* permixta, requirit Remedia. Observanda tamen simul *Partis affectæ* erit *conditio*: nam *Partes Sanguineæ* temperata imprimis Vegetabilia requirunt; *Nervosæ* verò paulò Acriuscula, Aromatica & Saturnina magis postulant, & sic etiam pro varietate reliquarum Partium affectarum.

Frequentiùs tamen fit, ut, præter simplicem ab Acido Corruptionem, singularis *Partis* concurrat *Putredo*, aut Corruptio in ipsâ Parte, ubi præter degenerationem Alimenti in varias sordes, Putrilago simul cadaverosa, & incipiens quædam quasi Gangræna, solet adesse. In hoc casu ergò fortissimis omne Putridum ad Partem usque sanam absumendum, & Putredinis ulterior processus inhibendus, quod sæpiùs fit per Acida, uti est Unguentum imprimis Ægyptiacum, aut in perfectâ Gangrænâ per Butyrum Antimonii, aut similia: quibus tamen laudabiliter suo officio defungentibus aut defunctis, post operationem peractam subitò removenda sunt, ne Partes sanæ etiam absumantur aut afficiantur.

Factâ ergò Acidi fermentativi & corruptivi in Ulceribus abstersione, Alimentum partis, ceu ejus Balsamus naturalis, sensim labiis Ulceris agglutinatum, Partem cavam novâ Carne replet, dum intereà Fibræ & Vascula cutanea & ipsa successivè longiùs extensa, inæquali tamen concursu variâque texturâ in *Cicatricem* coëunt.

Ne impediatur autem hæcce Partis deperditæ seu erosæ per Carnis regenerationem restauratio, sed potiùs ut promoveatur Naturæ motus in generatione Carnis, (nam facilè impeditur, dum nempe vel ab Aëre ambiente sub deligatione alterantur Ulcera, vel dum ab interno vitio nova Alimenti corruptio & Ulceris succedit renovatio); ob id post mundificatum Ulcus, dum Caro nova succrescit, *Balsamica*

ſamica *Glutinantia* vel *Vulneraria*, *Sarcotica* appellata, tunc applicantur, quæ nempe denuò ſolent conſolidare Ulcus recens, & mundificatum Carne replere. Hæc nempe temperatâ ſuâ virtute non nihil adſtringente, & Balſamum naturale conſervant, & omnem Acorem forſan de novo ſubortum promptè delent, quæ ipſa blandâ adſtrictione impediunt ſimul, ne Caro enata laxior aut nimis mollis, aut nimis ſuperflua, luxuriet: id quod fieri ſolet, ſi citra Emplaſtri Sarcotici convenientis applicationem ſoli Naturæ negotium committatur: Hinc etiam promptè luxuries ejus coërcetur, ſi applicetur v. g. Emplaſtrum vel Unguentum de Tutiâ, quod optimum eſt ad Ulcera Carne replenda, item Emplaſtrum ſeu Unguentum Diapompholygos, de Spermate Ranarum, Defenſivum vulgare, de Lapide Calaminari, de Lithargyrio, item Emplaſtrum Dia-ſulphuris *Rulandi*, imprimis ſi malaxentur cum Oleo Nicotianæ.

Similia Remedia Glutinantia & Conſolidantia, ſed magis adhuc Adſtrictiva & humidi abſumptiva, per modum exſiccationis Cicatricem firmiorem generari adjuvant, ſi deſuper applicentur; unde *Epulotica* ſeu *Cicatriſantia* appellantur: nam Vulneraria, Balſamica, & Cicatriſantia gradualitate tantùm differunt, unde in Corporibus delicatis & mollioribus Cicatriſantia ſunt, in Subjectis durioribus Sarcotica, & contrà.

Non ergò ad pretioſiora Emplaſtra Oppoteldoch &c. ſimilia confugiendum, cùm Emplaſtra hîc ſolummodò inſtar operculi ſint, ne Aër ambiens & frigidus ſubintret. Imò ſunt, qui ſolo Decocto Calcis vivæ, in quo Plantæ Vulnerariæ bullierint, Ulcera ope Syringæ eluunt; pòſt Unguentum ſimplex Digeſtivum, ex Terebinthinâ cum Vitello Ovi diſſolutâ, & Oleo Hyperici paratum, mediante Turundâ breviori os Ulceris claudunt, ſuperimponendo Emplaſtrum aliquod Acidum abſorbens, ſeu Defenſivum, ut jam dixi.

Ruſtici, & qui Paracelsum *in Chirurgiâ* imitantur, Plantam aliquam euporiſtam Vulnerariam, vel foliatim vel contuſam, ſuperimponunt, & ſæpè magna Ulcera ſanant, quæ etiam meo judicio omnibus Unctuoſis præferenda. Verùm cùm Chirurgia, Ars olim præſtantiſſima, noſtris temporibus à Barbitonſoribus & Balneatoribus imperitis exerceatur, qui omnia Ulcera ac Vulnera ſuis Unguentis ac Emplaſtris, à Magiſtrorum ſuorum Magiſtris commendatis, ſine judicio curare audent; concinnior curandi Methodus negligitur, quæ ſolis dictis Simplicibus & Euporiſtis ſæpiſſimè abſolvi poſſet.

*Externis* talibus applicandis, quæ vulgò quatuor Capitibus comprehenduntur, ſub nomine *Digeſtivorum*, *Mundificativorum*, *Sarcoticorum*, & *Epuloticorum* ſeu *Cicatriſantium*, ad promovendam Curam externam commodiſſimè ſimul adjungenda ſunt *Interna*, *Acidum* tam in primis viis, quàm in Ulceribus, *correctiva* & *deſtructiva*, & quantum poſſibile, Succum nutritium ita alterantia, quò minùs à Fermento Ulceris acido corrumpi poſſit, quæ nempe *Alcali* plùs minùs acri pollent; his enim neglectis fruſtrà Chirurgicum imploratur auxilium.

Talia ex *Vegetabilibus Vulnerariis* ſeu *Ulcerariis*, ex Cancris fluviatilibus, Albo Græco, Pulmonariâ maculosâ, Conſolida mediâ, Summitatibus Hyperici, & ſimilibus, *Potionum Vulnerariarum* formâ parari ſolent, de quibus vid. Paracelſus, Felix Wurtzius, Helmontius, Barbette, E. g.

℞. *Herb. Heder. terr.*
*Veron.*
*Sanic.*
*Summ. Hyperic. floreſc.* an. M. j.
*Rad. Polypod.*
*Caryophyllat.* an. ℥vj.
*Raſ. Cornu Cervi,*
*Albi Græci* an. ℥ij.
Coqu. in ſ. q. *Aquæ*:
Colat. ℥xvj. adde
*Syr. Corall. Querc.*
*de Symph. Fern.* an. ℥iß.
M. D. S.

Potio Sanguinem mundificans.

Aut *Eſſentiæ Vulnerariæ* formâ:

℞. *Herb. Chærefol.* M. iij.
*Flor. Hyperic.* M. ij.
*Bellid.*
*Calcatr.*
*Herb. Pyrol.*
*Sanic.*
*Vincæ pervinc.*
*Conſol. Sarac.*
*Alchimill.*
*Veron.*
*Heder. terreſtr.*
*Plantag.*
*Scabioſæ,*
*Equiſeti,*
*Auric. Muris,*
*Millefol.* an. M. j.
*Rad. Rub. Tinctor.*
*Conſol. maj.* an. ℥iij.
*Card. ben.*
*Ariſtol. rot.*
*Sigill. Salom.* an. ℥iß.
*Myrrhæ* ℥ß.
*Spiritûs Chærefol.* ℔vij.

Digerantur per aliquot ſeptimanas, exprime & filtra: Speciebus reſiduis affunde
*Aquæ Roris Majal.* q. ſ.

Deſtilla per arenam, reſiduum exprime, & inſpiſſa ad *Extracti* conſiſtentiam, quod conjungatur cum *Eſſentiâ* per digeſtionem:
adde
*Aquam deſtillatam*, filtra & aſſerva pro *Eſſentiâ Vulnerariâ*.

Doſis gutt. xxx. ad ℔ß bis vel ter in die.

His addenda ſimul *Remedia Sudorifera*, tam ex Lignis, imprimis Eſſentia Lignorum, Tinctura Coralliorum cum Spiritu Lignorum, & Decocta Lignorum quæcunque, quæ cum *Diætâ Sudoriferâ* uſurpata multùm conferunt; quàm ex Antimonio, Viperis & Serpentibus parata, in ſpecie *Tincturæ Antimoniales* genuinæ, Eſſentia Viperarum, *Spiritus & Sal volatile Viperarum*, quæ uſurpata nobilia ſunt & multum conferunt. Additur his uſus frequens Lapillorum Cancrorum cum Myrrhâ & Croco, Corallis, & Lapillis Cancrorum cum Aceto propinatis, cum Bezoardico Joviali, Antihectico *Poterii*, Antimonio Diaphoretico, ſimplici & Martiali, non omiſsâ, ſi opus ſit, Purgatione. Inter *Purgantia* autem eminet Mercurius Dulcis, vel Turbith Minerale, ſi crebriùs uſurpentur cum Extracto Hellebori nigri, vel Panchymagogo *Crollii*, vel Catholico.

Quòd *ſi verò deteriora fuerint Ulcera, ipſa Salivatio Mercurialis* in auxilium eſt vocanda.

Quoad *Remedia Externa*, ferè ſunt ſequentia, *Digeſtiva* quidem Oleum Roſarum, Maſtichinum, Butyrum recens non ſalitum, Majale, Vitellum Ovi, Mel, Gummi Elemi, Terebinthina, Thus, Maſtiche, Farina Triticea, Hordei, Fœnugræci, & ſimilia. Ex his v. g. ſit *Unguentum Digeſtivum* hoc modo:

℔. *Terebinth.* ℥j.
*Vitell. Ovi* No. j.

*Mell.*

*Mell. Rosar.* ℥ij. ad ℥iß.
*Ol. Hyperic.* ℥j.
M. f. Linimentum vel Unguentum Digestivum: S.
Unguentum Digestivum.
Vel
℞. *Terebinth.* ℥j.
*Mellis* ℥ß.
*Succ. Apii* ʒij.
*Far. Hordei*,
*Fœnugr.* an. ʒiß.
*Myrrhæ* parum.
M. S. ut anteà.

Pus ubi genitum est, & quidem laudabile, simul *Mundificantia*, & *Acidum* in Ulceribus peccans *corrigentia*, sunt admiscenda & usurpanda, eaque acriora, mitiora, positivè & privativè operantia, pro Ulcerum conditione & varietate.

Talia *Mundificantia* sunt *Radix* Apii, Aristolochiæ utriusque, Althææ, Bryoniæ, Cyperi, Plantaginis, Sigilli Salomonis, Tormentillæ, Aronis, Cucumeris asinini, Dracunculi, Iridis, Gentianæ, Hellebori nigri; *Herbæ* & *Folia* Cichorii, item Absinthii & Apii, Anagallidis minoris, Brassicæ, Origani, Chamædryos, Betæ, Marrubii, Plantaginis, Sempervivi majoris, Solani, Scrophulariæ, Betonicæ, Veronicæ, Vincæ pervincæ, Artemisiæ, Fumariæ, Nicotianæ, Hyperici, Centaurii minoris, Chelidonii majoris, Sabinæ, &c. item Folia Farfaræ succulenta contusa, Ulceribus calidè impositа; *Flores* Rosarum rubrarum, Hyperici, Centaurii minoris; *Cortices* Pini; *Lignum* Guajacum, Sassafras; *Semen* Urticæ, Plantaginis, Apii: *Baccæ* Juniperi; *Farina* Seminis Lini, Fœnugræci, Ciçerum, Lupinorum, Hordei, Fabarum, Furfures. *Purgantia* externo usu, imprimis Scammoniata. *Succi* Absinthii, Agrimoniæ, Rosarum rubrarum, Apii, Chelidonii majoris; *Extractum* Aristolochiæ rotundæ, & alia Vulneraria cum Spiritu Vini parata: item cum Saccharo ex dictis Succis parati *Syrupi*, simplices & compositi Vulnerarii: item Saccharum, Macis, Aloë, & similia: Vinum & Spiritus Vini, Lixivium commune, Muria Halecum cum Passulis, Animalium Urinæ & Fella, Serum Lactis, Mel, Mel Rosatum, Mumia, Succus Serpentum, Cancrorum fluviatilium, Sperma Ranarum & ejus Aqua, Stercus Canis ossa rodentis: Camphora & Camphorata, Resina, Terebinthina, Balsamus Peruvianus, Thus, Myrrha, Euphorbium; item Sulphur, & omnia *Sulphurea*; Sulphur vegetabile sive Farina Lycopodii, Ulceribus manantibus inspergenda; Plumbum calcinatum, & omnia *Saturnina*, nempe Minium, Creta, Cerussa, Lithargyrium, Bolus Armena, Marga saxorum, Crocus Martis Adstringens, & Crocus Vitrioli Martis per præcipitationem paratus, Terra Vitrioli dulcis, Rubrica, Tutia, Æs ustum; Alumen crudum & calcinatum, Nitrum, imprimis Æs viride, Arsenicum, in specie fixum: Pulvis Sympatheticus ex Vitriolo Veneris, qui Ulcera in distans curat, Decoctum Scoriarum Reguli Antimonii, quod est singulare; *Spiritus* Salis, Sulphuris, Vitrioli, Aqua Fortis, Butyrum Antimonii, Mercurius Dulcis, Mercurius Præcipitatus, Arcanum Corallinum; Aquæ Virides quæcunque ex Ære viridi paratæ, in specie *Hartmanni* & *Plateri*; Aqua Calcis vivæ benedicta, *Thermæ* Naturales, & Artificiales, quæ in Ulceribus inveteratis egregiæ sunt: *Oleum* Nicotianæ, Terebinthinæ, Ceræ, Ovorum, Oleum Tartari per deliquium, Balsamum Sulphuris, tam ex Sulphure communi, quàm in specie ex Sulphure aureto Antimonii secundùm methodum Poterii, &c. *Ungnentum* Dialthææ, Nicotianæ, Iridis, Fuscum Officinarum, Citrinum, Album, Album camphoratum, Diapompholygos, de Tutiâ in Ulceribus Crurum, Ægyptiacum, & Wurzii. *Linimentum* de Amianto *Schrœderi*; porrò *Emplastrum* de Betonicâ, de Gratiâ Dei, Divinum, cum Emplastro Diasaturni *Mynsichtii*, Diasulphuris *Rulandi*, item Emplastrum de Carne bubulâ ejusdem.

Utendi horum modus est:

1. *Injectionibus* in Ulcera Cancrosa, Sinuosa, Fistulosa, tam *liquidis*, quàm *siccis*, in formâ Pulveris inspergendis.
2. In *Ungentis*.
3. In *Emplastris*.

Verbi gratiâ sit

1. *Injectio* in Ulcera sinuosa & sordida:
℞. *Fol. Nicot.* M. ij.
*Summ. absinth.*
*Herb. Veronic.* an. M. j.
*Rad. Aristol. rot.* ℥j.
*Bacc. Juniperi* ℥ß.
*Aluminis crud.* ʒiij. ad vj.
Coqu. in s. q. *Aquæ Ferrarior.*

Colatura servetur usui pro Injectione in Ulcus, addendo omni Injectionis dosi *Spirit. Vini* ℥j. plùs minùs, pro ratione quantitatis Liquoris injiciendi, & capacitatis Ulceris.

D. S.
Externa Mundificatio.
Item
℞. *Fol. Nicot.*
*Herb. Veron.* an. M. j.
Coqu. in s. q
*Aquæ Calcis vivæ* cum *Aqua Plant. fact.*
Colat. ℥x. adde
*Mercurii Dulc.* ʒj. ad ʒiß. vel ʒij.
*Camphor.* ʒß.
M. D. S.
Aqua Injectiva.
Vel
℞. *Aquæ Calcis vivæ* ℔j.
*Mercurii Dulc.* ʒij.
*Spirit. Theriac. camph.* ℥j.
M. S.
Mixtura Mundificans.

Hac eluantur Ulcera, vel applicetur hæc ipsa cum Linteis. In formâ Pulveris:

℞. *Croc. Martis per præcipit.* ʒij. vel ʒiij.
*Lap. Calamin.* vel *Terræ Sigill.* ʒj.
*Lact. Lunæ* ʒiß.
*Macis*,
*Myrrhæ*,
*Olibani*,
*Aloës* an. ϑj.
*Camph.* ϑß.

M. f. Pulvis, qui irroretur cum *Spiritu Theriacali camph.*

D. S.
Pulvis Externus sanans & mundificans.

Qui Ulceribus manantibus inspergatur, in specie Ulceribus Tibiarum, quæ difficillimè consolidantur.

Huc facit etiam *Pulvis ad Ulcera Maligna Marci Barchæi*, qui extat in *Miscellan.* Welschii *Cent.* I. *Obs.* 3. *annex. Ann.* 4. & 5. M. A. N. C.

II. *Unguentum Mundificans* Ulcera sit hoc:

℞. *Succ. Nicot.* ℥iv.
*Plantag.*
*Absinth.*
*Beton.* an. ℥ij.
*Mell. Rosat. col.* ℥iv. vel v.
Coqu. & subigantur probè lento *igne*:
adde

*Terræ*

*Terræ Vitrioli dulc.*
vel loco hujus,
*Croci Martis per præcipit.* ʒiij. vel ʒß. ad ʒvj.
*Pulv. Aloës,*
*Myrrhæ,*
*Flor. Sulphuris* an. ʒj.
Miſc. probè, addendo ſimul
*Terebinth. Venet.* q. ſ. v. g. ʒiij.

Pro conſiſtentiâ Unguenti plùs minùs ſpiſſi: in fine etiam nonnihil
*Balſami Peruv.* eſt intermiſcendum:

D. S.

Unguentum Mundificans.

Denique III. *Unguentum Sarcoticum*, ex quo facilè fieri poteſt *Emplaſtrum*, ſit hoc:

℞. *Ungu. Diapomphol.*
*de Tut.* an. p. j.
*Dia-ſulphuris Rul.* p. ij.

Cum. ſ. q. *Olei Nicot.* f. Unguentum, applicandum cum Petiis.

D. S.

Unguentum Sanans.

Vel additione paucæ *Ceræ* fiat *Emplaſtrum*, quod inducatur Linteo.

Inter hæc autem Remedia pauca ſufficiunt, & ſecundùm Helmontium ad Ulcera *Benigna Terræ Vitrioli dulcis*, ad *Maligna* verò *Arſenicum*. Eminet etiam Balſamus Sulphuris terebinthinatus, Balſamus Sulphuris, vel communis, vel antimonialis, cum Oleo Lini aut Nucum Juglandium expreſſo paratus: vid. de hoc Polemannus *de Sulphur. Philoſophor.* qui habet ſimul egregium Emplaſtrum; ubi tamen loco Vitrioli Veneris dulcis poteſt ſubſtitui, vel Caput mortuum Vitrioli elixiviatum ſolum, vel addito tantillo Æris viridis. Convenit etiam *Balſamum Peruvianum*. Habeatur tamen delectus, an Pinguia conveniant, an non? Si poſſunt ferre, conveniunt dicta Balſama; ſi non ſufficit *Mel* cum *Succo vulnerario*. In rebellibus Ulceribus reſpiciendum eſt ad *Mercurium vivum*, à quo Spiritus Nitri fuerit abſtractus. In Ulceribus Putridis *Æs viride* cum *Aceto deſtillato* eſt optimum; unde *Unguentum Ægyptiacum*, *Apoſtolorum*, *Fuſcum Wurzii*, &c. conveniunt. Sic ex *Vitello Ovi & Melle* fit Unguentum utile in quibuſcunque Ulceribus:

℞. *Vitell. Ovor. ad durit. coct.* No. iij.
*Mellis* ʒiß.
M. cum hauſtu *Vini*, in Unguentum.

D. S.

Unguentum Mundificans.

Quod optimè purgat Ulcera, & etiam à Gangræna præſervat. Si ulteriùs progrediatur *Malignitas*, addatur *Mercurii Præcipitati* 3ß. vel 3j. plus minus, pro ratione circumſtantiarum.

*Emplaſtrum Polychreſtum cicatrizans* eſt ſeq.

℞. *Maſtich.* ʒj.
*Terebinth.* ʒiij.
*Ceræ flav.* ʒiv.

Hiſce liquefactis adde *Maſtichen*, & redigantur ſimul in *Emplaſtrum* præſtans ad conſolidanda & cicatriſanda Ulcera:

D. S.

Emplaſtrum Conſolidans.

Non cedit huic ad *conſolidanda Ulcera* ſequens:

℞. *Calcis vivæ bis vel ter lotæ & parum exſicc.* q. pl. Miſc. cum *Ol. Lini* q. ſ. Tingatur cum *Bolo Armenâ* vel *Bolo rubrâ* ad carneum quaſi colorem; f. Emplaſtrum,

Egregium in Ulceribus vetuſtis:

D. S. ut antè.

Fit interdum, ut *Ulcera* quædam omninò *arida* reddantur, ita ut paucam vel nullam ſuppeditent Materiam ſeu Excrementa. In tali caſu optimum eſt Unguentum impoſitum ex Terebinthinâ, Melle, Succo Apii, & Farinis: hæc ipſa enim probè permiſta, faciunt, ut Pus laudabile Ulcus ſuppeditet.

Quòd ſi in Ulcere purificato denuò, jam Carne replendo & Cicatricem inducendo, *Carnis* regeneratæ uberior *luxuriet copia*, quod fit quando applicata ſunt Emplaſtra vel nulla, vel nimis oleoſa & pinguia, quæ Fibras reddunt laxas, ſive naturalis fuerit Caro, ſive flaccidior & præternaturaliter laxa; tunc optimum eſt, ut inſpergatur Pulvis ex Gallis, Corticibus Granatorum, & Spongiis combuſtis ana. Hæc ipſa omnia Carnem ſuperfluam optimè abſumunt. Præterea Pulvis ex Aloë & Myrrhâ, quibus commodè parum Aluminis uſti admiſcetur, cum Stuppis ſiccis imponitur; hoc enim blandè Carnem ſuperfluam cohibet: non minùs etiam, quàm Crocus Metallorum pulveriſatus; hic enim ſi inſpergatur, ſubitò Carnem nimis excreſcentem mortificat, & inſenſibiliter abſumit: Experimentum ſingulare eſt Rulandi.

Galli in uſu habent ad coërcendam Carnis luxuriem applicare *Lapidem*, quem vocant *Infernalem*, paratum ſcilicet ex Lunâ ſolutâ in Aquâ Forti ad cuticulam evaporatâ, & in loco frigido cryſtalliſatâ. Cryſtalli iſtæ egregium dant Cauterium indolens pro Fontanellis, uti ſuperiùs alio in loco monui, & hoc ipſo Cauterio ſi contingatur Caro luxurians, in momento comburitur & reſolvitur in ſpumam albam; id quod tamdiu repetendum eſt, donec luxuria Carnis reprimatur & totum abſumatur: prodeſt, ſed in leviori caſu ſufficit *Crocus Metallorum*, in graviori Lapis Infernalis.

Unguentum etiam Ægyptiacum in caſu hoc conducit ex baſi Æris viridis paratum, uti, & omnes Aquæ Virides, & ipſæ etiam ex Ærugine compoſitæ hîc imprimis conducere ſolent.

Hæc eſt doctrina Ulcerum & Remediorum ad eadem pertinentium in genere: Pergo paucis ad Ulcera in ſpecie.

## CAPUT II.

### *De Carie Oſſium.*

*IN ſpecie* quod attinet Ulcera ſecundùm *Differentiam*: merentur conſiderationem *Ulcera cum Oſſis Carie*. Ulcera enim quædam conjuncta ſunt cum Oſſium Carie, quæ Caries interdum eſt manifeſta Oculo, interdum fit manifeſta Specillo: ſin ſubeſt, neceſſe eſt hæc auferatur; aliàs enim Ulcus nunquam curabitur.

*Caries* autem nihil eſt aliud, quàm *Oſſis corroſio*, nunc major nunc minor, prout magis vel minùs fuerit inveterata; & quidem ſi oculis pateat *Os denudatum*, facilè Caries cognoſci poteſt: primò enim oleoſum quodammodò & pingue evadit Os, hinc ſucceſſivè flaveſcit, deinde ſucceſſivè magis nigreſcit, & poſt nigredinem etiam hinc foraminulatum redditur, quaſi teredinibus pertuſum & perforatum. Prius eſt *Signum imminentis Cariei*; ſicut *Nigredo*, *Perforatio* & *Inæqualitas* eſt Signum *jam perfectæ Cariei*. Sin verò ſit abſconditum Os, tunc vix cognoſcitur, niſi per Specillum aut Stylum expiſcetur fundus Ulceris; tunc enim Os in fundo non glabrum, ſed inæquale & ſcabroſum percipitur; quin & quæ effluunt ex Ulcere Sordes & Excrementa, pinguia, oleoſa, & acria, majorique copiâ effluere foras ſolent, quàm in Ulcere rectè ſe habente, quòd ſi ulteriùs lateat Caries, ex eo ferè pateſcit, quòd Ulcera talia nequeant ad perfectam Cicatricem perduci, & etiam optimè ſuppurata aut ſubinde recidivent, aut difficillimæ ſint Curationis, & optimis etiam

non

non auſcultent Remediis: non enim poteſt ſi miter conglutinari Caro cum Oſſe carioſo, quia Sanies ex Oſſe plorans ſemper novum Ulcus generat, quod etſi conſolidetur, Caro tamen, quæ Ulceri ſupervenit, eſt flaccida, mollis, & minùs dolens.

Si ergò adſit tale *Ulcus Carioſum*, impoſſibile eſt, ut conſolidetur, quin potiùs continuò recidivet, niſi priùs Caries Oſſis ſit ablata.

## PROGNOSIS.

Caries quò magis eſt inveterata, eò difficiliùs auferetur: hinc etiam, quò magis occupat Oſſa circa Articulos, aut ubi eſt copia partium Nervoſarum, ibi etiam difficiliùs tolli ſolet.

## CURA.

Pro *Curâ* internè conveniunt *Univerſalia* cum ſuis pro hoc ſcopo Externis. Ut autem Carioſum Ulcus meliùs poſſit tractari vel ſeparari, congruum eſt, ut Labia Ulceris nonnihil dilatentur, vel Scalpello, vel immiſſis *Turundis* intumeſcentibus. Tales fiunt, ſi volumus acriùs procedere, ex *Radice Gentianæ*, ſi non, ex *Medullâ Sambuci* compreſsâ; hæc enim imbibit copioſam humiditatem, unde intumeſcit, & Orificia Ulceris aperta reddit. Pòſt etiam conſideratur, an Caries Ulceris ſit talis, quæ poſſit Remediis cedere? an verò neceſſe ſit adhibere Remedia Chirurgica?

Ut ergò curetur Os Carioſum, vitanda ſunt omnia Oleoſa & Mucilaginoſa; quin potiùs fortiora corruptioni & putredini reſiſtentia applicanda: qua ratione *Spiritus Vini rectificatus*, ſeu Aqua Vitæ cum Petiis impoſita optimè convenit. Itidem, ſi quid aliud, *Euphorbium* eſt ſingulare Experimentum ad Cariem Oſſium corrigendam & tollendam, ſi *Pulvis Euphorbii* cum Plumaceolis Oſſi Carioſo immediatè imponatur, de quo vid. Hildanus *Cent.* 2. *Obſ.* 76. & 92. *Cent.* 4. *Obſerv.* 21. & 96. *Cent.* 5. *Obſ.* 22. item Riverius *Cent.* 2. *Obſ.* 76. & 73. eſt enim expertiſſimum Remedium. Applicatur vel ſolum, vel etiam permiſcetur commodè cum aliis: v. g.

℞. *Mumiæ*,
*Sarcocoll.* an. 3ß.
*Euphorb.* 3j.
M. f. Pulvis: S.
Pulvis Mundificans.

Applicetur Oſſi Carioſo.

Mitiùs agit, quàm Euphorbium, *Pulvis Radicis Ireos Florentinæ*, qui & ipſe juxta Euphorbium ſemper eſt optimus, & fuit Experimentum Heurnii in Oſſibus Carioſis, ſive per ſe, ſive cum Spiritu Vini irroratus, ſive quod melius, cum Euphorbio adjunctus, inſpergatur: quin & Pumex uſtus, Radix Ariſtolochiæ rotundæ, Pulvis Aloës & Myrrhæ impoſitus Oſſi Carioſo, egregiè confert. Huc pertinet quoque Pulvis Cathæreticus pro Oſſibus his *Cloſſæi*, cui additur Oleum deſtillatum Caryophyllorum: (vid. Schroederus *Pharm.*) qui optimè convenit in Carie Oſſium. Oleum Ligni Guajaci deſtillatum, Oleum Caryophyllorum deſtillatum, cum Plumâ Oſſi Carioſo illitum (Olea expreſſa & infuſa dixi vitanda in Oſſibus; de deſtillatis alia eſt ratio): uſitatiſſimum eſt in modernâ Praxi Gallis Chirurgis ad Oſſium Cariem corrigendam: uti etiam Spiritus Vini parum cum Spiritu Vitrioli acuatus, ubi fortiùs agendum eſt, imponi poteſt. Quin & *Injectiones* inſtituendæ, imprimis in Fiſtulis & Ulceribus Sinuoſis, quæ ſæpiùs diuturnitatem obtinent à latente Oſſis Carie; tunc ergò vel optimè injicitur Succus Chelidonii majoris cum Spiritu Vini, cum quibus Aloë & Myrrha probè ſunt permiſta: aut etiam, ubi fortiùs agendum eſt, parum Vitrioli additum ſit: Hæc ipſa injecta ſubinde ſolent tollere Cariem, & etiam Os mundificare, ita ut interdum ſquamulæ Oſſis abſcedere ſoleant. Melius adhuc eſt, & quod vix aliis cedit Remediis in Vulneribus, Fiſtulis & ſimilibus Ulceribus cum Oſſis Carie, *Mercurius dulcis* ſolutus in Aquâ Plantaginis, qui calidè injectus in Ulceribus Oſſis Cariem abſumit, ſimulque egregiè Ulcus mundificat. Singulare eſt, quod ad Os Carioſum commendat Tulpius *lib.* 1. *cap.* 39. nempe de Oleo Sublimati (per quod forſan intelligit Butyrum Antimonii) cum Oleo Lini mixto, mediante quo graves Oſſium Caries notat ſe obſervâſſe curatas. Veteres Turbith, Æs viride, aliaque commendant; ſicuti Unguentum etiam Ægyptiacum, Pulvis Terebinthinæ ad duritiem coctæ cum Unguento Fuſco *Wurzii*, hîc proſunt. Quod ſi profundior ſit Caries, ut his Remediis non velit cedere, *Ferro* aut *Igne* corrigenda eſt, ita quidem, ut *Limâ* aut etiam *Scalpello* radatur locus carioſus, ſi ſit in ſuperficie, aut *Terebrâ* perforetur Caries eò uſque, donec Os album, ſolidum, & tranſudantibus vel emanantibus hinc inde ſanguineis guttulis ſe manifeſtet, poſtmodùm dicta Remedia applicentur. Quòd ſi *Raſio* non videatur ſufficiens, vel hac omiſsâ, vel poſt peractam Raſionem cum Scalpro, ad Cariem funditus delendam *Cauterio actuali* ſeu Ferro ignito adurendum eſt Os Carioſum, ita ut Ardor ab Igne inductus totam Cariem penetret, vitando cautè, ne Partes vicinæ nervoſæ aut carnoſæ tangantur. Factâ Raſione vel Uſtione expectandum eſt, donec ſponte Naturæ fiat *Separatio Oſſis Carioſi ab Oſſe ſano*: quod ut fiat promptiùs, Batavi moderni applicant Spiritum Vini felici cum ſucceſſu: quòd ſi hic minùs videatur efficax, Oleum deſtillatum Caryophyllorum applicatum eſt convenientiſſimum: poſtmodùm Os conſolidetur *Spiritu Vini*, *Myrrhâ*, *Aloë*, & ſimilibus.

## CAPUT III.

### *De Fiſtulis ſeu Ulceribus Sinuoſis.*

*Fiſtulæ* ſeu *Ulcera profunda & Sinuoſa* ſunt unum idemque, niſi quòd interdum in Ulcere diuturniore aut malè tractato ſuperveniat *Callus*, qui nunc cingit ſimpliciter ambitum ſeu orificium Ulceris ipſius, nunc verò totum Sinum ulceratum incruſtat, & occupat, & talia Ulcera Sinuoſa cum Callo interno vocantur *Fiſtulæ*.

Ulcus tale Sinuoſum ſeu Fiſtuloſum nunc interiùs eſt unum, utut plura habeat Orificia, vel extrinſecùs habet Orificium unum, utut interiùs in plures Canales ſit excavatum.

## DIAGNOSIS.

Per ſe facilè patet, ex Callo nempe enato: ſaltim obſervandum eſt, an Fiſtula ſit Simplex? an verò Multiplex? item obſervandum eſt, quo uſque pertingat? an ſcilicet deſinat in Oſſe? an verò in Parte molli, v. g. Nerveâ, in Carne, in Venâ, aut quadam Arteriâ finiatur?

Simplicem aut Multiplicem eſſe Fiſtulam ex quantitate Materiæ effluentis ferè colligitur, item expreſſione ejus, & ex ſituatione Ægri, an in uno latere, an in altero, nunc hoc nunc aliud Pus effluat, item ſi plura Orificia fuerint Fiſtulæ, ita quidem, ut injectus Liquor per unum Orificium non effluat per alterum foras, Fiſtulam multiplicem eſſe, tunc

ferè

ferè colligitur ſeu innùitur: item an recta an verò tortuoſa ſit Fiſtula & Sinus? ex Stylo colligitur, qui ſi rectà penetret, rectam Fiſtulam; ſi verò penetrare aut ſine dolore immitti nequeat, tenuis Candela ex Cerâ & Terebinthinâ intrudenda, & ex hujus curvatione Figura Fiſtulæ eſt expiſcanda, cum hæ ſine dolore Sinus & Fiſtulas, etiam carnoſas & tortuoſas, poſſint penetrare.

Quouſque terminetur Fiſtula, ex Stylo patet facilè; Nam Stylus in rem duram impingens Os oſtendit: Et quidem dum abſque ullo dolore ſentitur, Periоſtio jam Os denudatum innuitur: ſin durum & glabrum ſit cum Pure non pingui, ſeu oleoſo, Os adhuc integrum eſt; ſin verò Os inæquale & aſperum tangatur, eſt Carioſum. Si Stylus intruſus circa fundum intenſum Dolorem inferat, Nervum aut Partem nervoſam admodùm ſenſilem in Fundo ſubeſſe innuitur, ſi Fundus mollis minùſque dolens eſt, in Partem carnoſam terminare præſumitur, & Materia effluens eſt ſimilis Puri laudabili. Fiſtulæ verò Partium Nervoſarum plorant Pus acre & tenue. Si deſinat in Vas Sanguiferum, Materia eſt obſcuri coloris propter Sanguinem; ſi ipſum Vas eroſum ſit, ſubinde Sanguis ex Fiſtula profluit vel rubicundus, vel obſcurus, ratione vel Venæ vel Arteriæ.

Imprimis autem in locis Glanduloſis frequentes oboriri ſolent Fiſtulæ; quin & Ulcera diuturna in locis Glanduloſis oborta, ſi non fiunt Cancroſa, ſæpiùs fiunt Fiſtuloſa & Sinuoſa.

Habent & hoc vitium adjunctum Fiſtulæ, ut Orificium habeant admodùm anguſtum, quòd continuò Saniem acrem plorat: unde etiam dolentes ſunt Fiſtulæ, niſi durior Callus omnem ſenſum abſtulerit.

## PROGNOSIS.

*Fiſtulæ* difficiles ſunt curatu propter Callum, qui niſi auferatur, ſunt incurabiles.

## CURA.

Ut ergò curentur Fiſtulæ, *Callus eſt abſumendus*: hinc Fiſtula probè Purgantibus ſeu Mundificantibus, ut vocantur, & hinc convenientibus Sarcoticis, conſolidanda.

Hoc ut fiat, conveniens eſt, ut priùs amplietur Orificium calloſum, quia aliàs ad Callum aut abſumendum, aut Fiſtulam purgandam, minùs commodè pertingere poſſunt Remedia.

Amplificatur Orificium Fiſtulæ calloſum per Penicillos ex Medullâ Sambuci intruſos, item ex Radice Ariſtolochiæ confectos & immiſſos. Facit etiam huc Turunda ex *Radice Gentianæ* ſicca, vid. Hœferus *in Herc. Med.* quæ eſt optima; vel nudè intruſa, vel quod melius eſt, Unguento quodam Emolliente illita, immittitur; ſic enim optimum habet effectum ad emolliendum Callum, & amplificandum Orificium Fiſtulæ, ſicque poſt extractionem Radix duplo craſſior inveniri ſolet. Fortiùs ubi agendum eſt, ipſa Radix Gentianæ adſpergenda eſt priùs Albumine uſto, & ita applicanda; ſic enim convenienter admodùm dilatatur Orificium, & abſumitur Callus. Callis Ulcerum exedendis Patavii in Noſocomio publico Succum Chelidoniæ cum Pinguedine Vitulinâ & Cerâ permiſtum, cum ſucceſſu adhibitum vidit à Marchette Welſchius *in Mictom. Centur.* 3. *Obſerv.* 86.

Hoc facto, præter *Remedia Interna*, ut omnia Vulneraria, ſpeciatim ex *Agrimoniâ*, *Gentianâ*, *Centaurio minori*, *Sabinâ*, cum *Lapillis Cancrorum*, item



præter uſum *Millepedum*, *externè* ad mundificandam Fiſtulam, & exedendum Callum, varia in uſu ſunt Remedia plùs minùs acria. Fiet ergò remotio Calli, & Fiſtulæ mundificatio, vel Remediis Pharmaceuticis, vel Chirurgicis. Quoad Remedia: *per Siphonem* injicitur Succus Nicotianæ, permiſtus cum Spiritu Vini & Pulvere Exuviarum Serpentum, qui mirabiliter ſanat Fiſtulas; aut expurgari debet Sanies Ulceris Fiſtuloſi cum Aquâ Mulsâ vel ſimili; vel injiciendum eſt hoc:

℞. *Mell. Roſ.* ℥iij.
*Spirit. Vini* ʒß.
*Mercurii Præcipitati edulc.* vel *Mercurii Præcipitati vulg.* 3ß.
Miſc.

Et ita injiciantur; ſic enim optimè purificantur Ulcera Sanioſa & Fiſtuloſa.

Minui poteſt doſis Præcipitati pro ratione ſcilicet circumſtantiarum.

Item ad purificandum injici poteſt *Aqua Calcis vivæ*, benedicta iſta Chirurgorum, vel *ſola*, vel cum *Spiritu Vini acuata*, cui ſi addatur *Mercurius Dulcis*, erit remedium eò potentius; vel ſufficit ſola Aqua Plantaginis, in qua Mercurius Dulcis ſolutus eſt, ſi calidè probè in Fiſtulas injiciatur. Convenit etiam *Succus Cancrorum fluviatilium*, ſubactus probè cum *Succo Foliorum Nicotianæ*, qui vel ſoli, vel addito *Mercurio Dulci* injecti in Fiſtulas, egregiè eaſdem admodùm mundificant. Omnia *Mercurialia* hîc palmam præripiunt, ſi cum Vulnerariis probè miſta injiciantur. Hinc etiam *Turundæ* immitti poſſunt, illitæ cum *Unguento Fuſco Felicis Wurzii*, item cum Unguento Ægyptiaco. Balſamum Sulphuris terebinthinatum, vel ſolum, vel cum *Camphorâ* miſtum, Fiſtulas mundificat, & Callum abſumit, quod etiam faciunt Cryſtalli mineræ Jovis cum Melle Roſato. Alii commendant Unguentum paratum ex Melle deſpumato & inſpiſſato, permiſtum cum Thure, Aloë, & Asâ fœtidâ, quo Turundas illinunt: e.g.

℞. *Mell. deſpum.* ℥ij.
Coqu. ad aliquam glutinoſitatem:
Hinc dum incipit refrigerari, adde
*Aloës*,
*Thuris* minutim *pulveriſat.* an. ʒj.
*Aſ. fœtid. pulveriſ.* ʒiß.
Diu terantur in Mortario, f. Unguentum:
D. S.
Unguentum Mundificans.

His & ſimilibus mundificantur & purificantur Fiſtulæ, & deterguntur Calli; unde poſtmodùm facillimè conſolidantur, & cicatriſantur ſucceſſivè Fiſtulæ citra Sectionem & Uſtionem.

Si verò in Malo pertinaciori, aut Callo graviori non ſufficiant, neceſſe eſt ſubinde, ut addantur *Mercurialia*, aut *Antimonialia*, v. g. Flores Cheiri *Paracelſi*, qui in loco frigido in Oleo liquefacti tanquam Arcanum contra Fiſtulas laudantur:

Vel

℞. *Unguent. Ægypt.* ℥ß.
*Mercurii Sublimat* ʒj.
*Lixiv.* ℥iv.
*Aquæ Roſar.* ℥j.
*Plantag.* ℥iv.
*Arſen.* ʒj.

Coqu. ad conſumptionem tertiæ partis, quod reliquum eſt, Fiſtulis illinitur, & ejus loco calloſo, ut exedatur & abſumatur Callus.

Verùm non ſemper propter dolorem & alias circumſtantias poſſunt applicari, unde neceſſe eſt, ut tota *Fiſtula Cultro incidatur* & aperiatur: factâ Apertione dictis Remediis Callus vel exedatur, vel etiam pedetentim Sectione auferatur: ablato Callo Ulcus

tanquam ſimplex blandis Mundificantibus & Conſolidantibus curari poteſt. Nam ubi cedere nolunt Remediis Fiſtulæ, neceſſe eſt fiat acceſſio aut ad Sectionem, aut ad Uſtionem, doloroſiſſimam tamen, quæ ipſa cùm rarò admittatur ab Ægris, potiùs palliativa Cura inſtituenda venit.

Unum adhuc moneo; Aquæ Virides dictæ ex Æris Viridi paratæ, ad Ulcera Sinuoſa & Fiſtuloſa mundificanda & curanda ſunt optimæ.

*Palliativa Cura* conſiſtit in eo, ut convenientibus Sudoriferis, Purgantibus & Diætâ ſubtrahatur Materia affluentis Saniei, quantum poſſibile; hinc Fiſtula conſolidetur in ſuperficie; nam cum convenienti Diætâ ad aliquod tempus interdum ſatis diu conſervari poteſt clauſa, utut ſucceſſivè denuò ſoleant recidivare ſive exulcerari denuò. Unde continuanda venit taliſmodi Palliativa Cura.

## CAPUT IV.

### *De Fiſtula Lacrymali.*

PErtinet huc etiam *Fiſtula Lacrymalis*, ad quam celebre Experimentum eſt D. de Lort, nempe

℞. *Tutiæ præp.* ʒj.
*Pulv. Saturni ſubtiliſſ.*
*Antimonii crudi* an. ʒß.
*Ceruſſæ*,
*Lithargyr.* an. ϑj.
M. cum *Cerato Dia-Chalcit.*

Vid. Welſchius *Mictomim. Cent.* 1. *Obſ.* 36. annexis *Ann.* 4. & 5. M. A. N. C. (A)

## CAPUT V.

### *De Ulceribus Sordidis & Putridis.*

POrrò, præter Fiſtuloſa Ulcera vel Sinuoſa, interdum etiam reperiuntur *Ulcera* admodùm *Sordida*, ita dicta propter copiam Sordium craſſarum, & mucoſorum Excrementorum, quæ effunduntur lividi, nigricantis, aut ſimilis Coloris; quòd ſi hæc ipſa ſimul Odorem graveolentem & quaſi cadaveroſum exſpirant, tunc *Ulcus Putridum* appellari ſolet. Quòd ſi ſimul cum tali Excremento peripheria Ulceris in latum & longum magis magiſque extendatur, & partes vicinas inquinet, tunc dicitur *Ulcus corroſivum.*

## CAUSÆ.

*Cauſæ horum Ulcerum* ſunt variæ, Internæ & Externæ, quæ ex ſuprà dictis de Ulceribus in genere facilè patere poſſunt. Hoc ſaltim moneo, Sordida interdum fieri Ulcera ab Unguentis & Linimentis nimis oleoſis, & nimis unctuoſis aut viſcidis applicatis, ſpecialiter ſi ſit Ulcus in locis nervoſis.

DIA-

(A) Nota Cyrilli. *Notiſſimæ ſunt* de Fiſtulæ Lacrymalis Sede & Curatione *Controverſiæ, inter* Dominicum Anel *& Chirurgos quoſdam. Putat citatus Autor Fiſtulæ Lacrymalis ſedem eſſe* Saccum Lacrymalem: *Saccus autem hic eſt Ductus, ſeu potiùs Receptaculum, è Palpebris ad Naſum tendens, tribus orificiis præditus, quorum duo in extremas Palpebras hiant, &* Punctorum Lacrymalium *nomine appellantur, tertium in ſummitate Narium finem habet, ad contentæ materiæ per eas excretionem. In hoc Sacco tanquam in Receptaculo ad aliquod tempus ſervatur Seroſum quid, depluens tum ex Glandulis Membranæ Saccum ipſum conſtituentis, tum ex Oculo ope Punctorum Lacrymalium, tum etiam ex partibus Cerebri externis per Naſi lamellas ſpongioſas illuc devectum, Humor hic ex triplici liquore conſtitutus in ſtatu naturali, ſenſim per tertium Sacci orificium in Narium cavitatem deſtillat: qui quandoque, vel ob Mœrorem, vel ob effuſam Lætitiam abundantiùs collectus, tam per Puncta Lacrymalia, quàm per ipſas Nares confertim effluit. Quòd ſi quacunque ex cauſsâ tertium hoc Receptaculi Lacrymalis Orificium in Nares hians obſtruatur; tunc Liquor ille pluſquàm par eſt Saccum implet, atque adeò, prout ex morâ magis vel minùs acer evadit, noxam aliquam vicinis partibus infert: etenim nonnunquam ſola copia Receptaculum infarciendo diſtendit, quandoque illum ad Os uſque corrodit, ſæpenumerò & Callum in fundo ipſo producit. Haud infrequens eſt, ut ex Liquoris illius acritate Vaſa quoque Sanguifera corrodantur, ut proinde Sanguis in cavitatem effuſus in* Pus *convertatur: Pus autem hoc ſuâ vi* corroſivâ *ſemitam ſibi facit per* Ulcus, *vel in magno Oculi angulo, vel in Caruncula Lachrymali excitato: quòd ſi Liquor ille tantam acritatem non concipiat, ut corroſionem Vaſorum Sanguifluorum pariat, & Pus generare valeat; tunc abſque eo, quòd Ulcus in angulo Oculi, vel Caruncula excitetur, viam ſibi parat per ipſa Puncta Lachrymalia, ſeroſæ ſed cruſſiuſculæ materiæ formâ: atque hinc vides* varias Fiſtularum Lachrymalium Differentias. *Hanc Hypotheſim laudatus* Anel *nonnullis confirmat Obſervationibus: præcipuè autem ex eo, quòd* Fiſtulæ Lachrymalis *abſoluta* Curatio (*nî vitium in Oſſe ſubſit*) *feliciſſimè peragitur, nec* Cauſticis, *nec* Ferro, *nec* Igne, *ſed ſequenti* Encheireſi. *Primò introducendum eſt exiguum* Specillum *argenteum per Punctum Lachrymale in Saccum, ejuſque fiſtuloſos Sinus, non ſolùm ad illorum profunditatem explorandam, ſed ut innoteſcat, num Os vitium aliquod ex ſtagnante materiâ contraxerit. Poſteà eodem Specillo tentandum eſt, ut Sacci Lachrymalis Orificium ex parte Naſi obſtructum, aperiatur, ut facilis inde per Nares pateat exitus materiæ in Sacco contentæ, quâ nempe naturalis illius eſt fluxus. Demum per idem Punctum Lachrymale introducenda eſt exiliſſima* Syringa, *cujus ope Medicamenta abſtergentia & mundificantia in Saccum injicienda, ut ſi quæ ſint in eo Ulcera ſanari poſſint: quod quidem facili negotio aſſequemur, niſi Saccus ipſe diſruptus vel eroſus omnino ſit, aut niſi Os Cariem conceperit. Elegans ſanè eſt hæc Chirurgia, ſed quæ non ſolùm affabrè elaborata Inſtrumenta, ſed curioſiſſimam Chirurgi manum requirit.* * (Pluribus annis antequam D. Anel Lachrymalis Fiſtulæ curam methodô ſibi particulari aggrederetur, hanc ipſam aliquatenus inſinuaveramus, in Conſilio ad Nobiliſſ. Matronam Lauſanenſem, quod in Bibliothecâ Medico-Practicâ, ſub titulô Fiſtula, videri poteſt. Inde tamen nihil laudi prædicti D. Anel detractum voluimus, ut in noſtris ad ipſum reſponſoriis notum facimus. Si quidem Operationem, quamvis inſinuatam, & ab eô feliciſſimè adminiſtratam, nos nunquam tentaveramus, quia inſtrumenta in id apta, qui fabricarent deficiebant: ac eapropter innumeras ejuſmodi Fiſtulas, etiam eas quarum Sinuoſitates per inferiorem orbitæ partem non parum elongabantur, corroſivis neceſſariis primò cautè inductis, & poſtea adhibito noſtrô, ſeu etiam Samuelis Cloſſæi præcipitatô mercurii albô, unguento nicotianæ immiſtô, ad integram curam deduximus; imò ſub finem oleum myrrhæ per deliquium applicantes, cicatricem vix ſenſibilem ſemper reliquimus.

## DIAGNOSIS.

Sponte patent hæc ipſa Ulcera.

## CURA.

Quoad *Curam* Ulcerum Sordidorum, Putridorum & Corroſivorum, præter Interna optimum eſt, ut mundificentur cum *Spiritu Vini*, vel ſimpliciter rectificato, vel camphorato, vel Theriacali camphorato, myrrhato, &c. quo diſſoluta ſit *Theriaca*. Abluto Ulcere uſurpandum *Unguentum Ægyptiacum* vel *Apoſtolorum*, quæ mundificant & detergunt dicta Ulcera. Conveniens etiam eſt Decoctum Scordii cum Vino paratum, Succus Taraxaci, Nicotianæ, Sabinæ cum Melle miſtus, vel ſequens Unguentum frequenti & experti uſûs apud Gallos:

℞. *Succ. depur. Apii*,
*Abſinth.*
*Beton.* an. ℥j.
*Plantag.* ℥iv.
*Agrimon.* ℥ij.
*Mell. Roſat. col.* ℥iv.

Bulliant ad conſumptionem Succorum:
Remota ab igne incorporentur hoc Pulvere:

℞. *Gallar.* ʒß.
*Myrrhæ el.* ʒj.
*Thuris*,
*Maſtich.*
*Aloës*,
*Sangu. Dracon.*
*Sarcocol.* an. ʒj.
*Flor. Roſar. rubr.*
*Balauſtiorum*,
*Cin. Sarment. Vitis* an. ʒj.

Hæc incorporentur cum modò dicto Unguento: quo feliciter uti dixi, utuntur ad hoc temporis Galli.

Huc facit quoque efficax Aqua Sennerti *lib.* 1. *Prax. Part.* 3. *Sect.* 4. *cap.* 1. quam etiam Album Græcum ingreditur: Vid. Hildanus *Cent.* 2. *Obſ.* 23. Quin & Stercora Animalium, in ſpecie Stercus Canis oſſa rodentis applicatum, imprimis ubi nimis Unctuoſa anteà ſunt applicata, optimè conducit. Convenit etiam Stercus Bovinum cum Vino veteri expreſſum & applicatum. Elegans hîc eſt Obſervatio Foreſti *in l.* 7. *Obſ.* 4. de quodam, qui Ulcus deſperatum habuit, ita ut à nullo curari potuerit: huic appoſuit quidam Stercus Caprinum cum Vino generoſo expreſſum, & eo modo Ulcus conſolidatum fuit: id quod etiam in aliis poſtmodùm adhibuit.

*Mercurialia* etiam conducunt in his Ulceribus; hinc Unguentum Saturni *Mynſichti* cum Arcano Corallino vulgari, vel cum Mercurio Præcipitato miſtum, imponendum eſt: vel abluantur cum *Decocto Calcis vivæ*, cui addatur Mercurius Dulcis, qui talia Ulcera optimè curare ſolet. Ut *Mercurius Præcipitatus* tutiùs externè poſſit uſurpari, optima eſt præparatio Amati Luſitani *Cent.* 4. *Curat.* 51.

℞. *Mercurii vivi*,
*Aquæ Fortis* an. part. æqual.

Miſc. & Aqua Fortis abſtrahatur per retortam, Pulvis Præcipitatus remanens miſceatur cum *Spiritu Vini*, digeratur aliquandiu, & aliquoties ab eodem abſtrahatur, ſemper novum *Spiritum Vini* affundendo, donec ſponte exſiccetur ſuper Mercurium.

Loco hujus etiam *Arcanum Corallinum* commodè poteſt adminiſtrari. Additur hic Mercurius Præcipitatus aliis quibuſdam Unguentis aut Balſamis, aut Emplaſtris plùs minùs, pro ratione circumſtantiarum.

## CAPUT VI.

*De Ulceribus Dyſepuloticis ſeu Phagedænis.*

HUjuſmodi Ulceribus Putridis & Sordidis vicina ſunt Ulcera, quæ aliàs dicta *Ulcera Dyſepulotica*, *Chironia*, *Telephia*, & quæ ſunt alia nomina, in ſpecie *Phagedænæ*, ſcilicet omnia Ulcera, quæ inveterata ſunt, & ſpecialiter in Tibiis occurrunt, & hinc tam profundè radicata ſunt, ut vix poſſint denuò conſolidari & curari, dicuntur *Dyſepulotica*, item *Chironia*, quòd nempe Chirone Centauro, famoſo iſto Chirurgo, opus habeant. Aliàs etiam Phagedænæ dicuntur à φάγομαι, *Comedo*, *Exedo*, quod talia Ulcera, ſubinde ad vicina ſerpendo, accreſcant, & augmentum capiant.

## CURA.

Ad hæc ergò Ulcera *curanda* optimum eſt, ut, præmiſſis Internis, eluantur frequenter *Aquâ Pomorum putridorum deſtillatâ*, quæ vel ſola, vel cum Linteis multiplicatis applicata, eſt inſigne Remedium in hujuſmodi Ulceribus plùs minùs depaſcentibus: vid. Schmuck *in Theſ.* & Agricola *in Chirurg. Parvâ*. Aut etiam, ſi volumus hanc Aquam ulteriùs reddere medicamentoſam, in eâdem diſſolvatur Extractum Radicis Ariſtolochiæ rotundæ, paratum cum Spiritu Vini. Talis enim Aqua cum Extracto, optimè mundificat & purificat hæc ipſa Ulcera. Vel loco hujus Extracti commodè in eâdem Aquâ deſtillatâ diſſolvi poteſt *Mercurius Dulcis*, vel ſolus, vel cum *Saccharo Saturni*, in caſu ubi Ardoris vel Inflammationis adeſt ſuſpicio, quæ Miſtura imponatur cum Linteis duplicatis pro Curâ horum Ulcerum: e.g.

℞. *Aquæ Calcis vivæ* vel *Pom. putrid.* ℔j.
*Spiritûs Vini rectif.* vel *Theriac. camph.* ℥j; ad ℥iß.
*Mercurii Dulc.* ʒj. ad ℥ij.
vel ſolum, vel additâ
*Sacch. Saturni* ʒß.

M. D. S.
Epithema Mundificans.

Nam ad hujuſmodi contumaciora Ulcera certum eſt, quòd *Mercurialia* imprimis requirantur: unde etiam Poterius feliciſſimè in uſu pro Cura horum Ulcerum habuit ſuum *Calcinatum Majus*, ut vocat, quod nil aliud fuit, quàm Mercurius certo modo præcipitatus. Aliàs Mercurius vulgari modo præcipitatus commodè etiam applicari poteſt ad imitationẽ Rulandi:

℞. *Aquæ Plantag.* ℔j.
*Roſar.* ℔ß.
*Flor. Aurant.* ℥iij.
*Mercurii Præcipitati pulveriſat.* ʒß.

Coqu. lento igne per horæ quadrantem, removeantur & applicentur hinc Ulceribus; admodùm enim exinde hæc ad conſolidationem properant.

Vel applicetur *Fernelii Aqua Benedicta*, quæ talis:

℞. *Aquæ Plantag.* ℥vj.
*Mercurii Præcipitati* gr. xij.

Miſc.

Convenit etiam in his Ulceribus, ſi abluantur cum Aquâ Plantaginis, Decocto Nicotianæ, in quo aliquid Aluminis diſſolutum eſt; nam & hæc multum confert ad curanda hæc Ulcera. Loco hujus Solutio Scoriarum Reguli Antimonii in Aquâ appropriatâ habetur Experimentum ſingulare in contumacioribus curandis Ulceribus. Riverius Agrimoniam ad

Ulcera Verminoſa commendat. Denique Experimentum militare eſt, ſi Pulvis Pyrius ſive Pulvis Nitratus (qui erit optimus, certum eſt) ſolvatur in Vino, & ita Solutio excepta Linteolis imponatur Ulceribus Dyſepuloticis, etiam Malignis; conſolidat enim & mundificat. Hinc Ulceribus ſic abſterſis & elotis, applicetur poſtmodùm commodè etiam *Unguentum Diapompholygos*, vel nudum, vel cum *Mercurio Præcipitato* miſtum: vel *Balſamus Saturni & Sulphuris terebinthinatus*, & cum Petiis iſtis Ulceribus poteſt imponi:

Vel

℞. *Ungu. Diapomph.* ℥ß.
*Sacch. Saturni* ℈j.
M. pro Linimento.

Poſt eluitionem cum Aquâ Calcis vivæ, Turundis applicetur, deſuper imponendo Emplaſtrum Gryſeum. Hæc enim talia contumaciora Ulcera commodè ad Conſolidationem diſponunt: vid. M. A. N. C. *Ann.* 6. & 7. *Obſervat.* 10.

Medulla quoque Saxorum, vel Lac Lunæ cum paucis granis Myrrhæ, Aloës, &c. inſperſa, egregiè promovet Conſolidationem. Vel inſpergantur Pulveres *ſuprà* dicti *de Ulceribus in genere*. Singulare quid latet in Stercore Humano, quod ad Ulcera Phagedæna, Corroſiva & Cancroſa, etiam in Mammis ſingulare exhibet Specificum: nam dum deſtillatur Stercus Humanum, ultimo loco per Retortam adſcendit Oleum admodùm fœtidum, aliquoties rectificandum: quod ipſum imprimis illinendum eſt peripheriis ſeu circumferentiis hujuſmodi Ulcerum; impeditur enim ſic ulterior progreſſus, & Ulcus pedetentim ad naturalem redit ſtatum.

Non incommoda etiam eſt Compoſitio Plateri ad Ulcera Serpentia, quæ eſt hæc:

℞. *Ceruſſ.*
*Tutiæ*,
*Sarcocoll.* an. ℈iß.
*Myrrh.* ℈j.
M. & f. Pulvis ſubtiliſſimus, cujus media pars addatur
*Ungu. Popul.* ℥j.
*Succ. Plantag.* ℥ß.
*Terebinth. Laric.* q.ſ. ut f. Unguentum.

Reliqua medietas inſpergenda eſt Ulceri, & deſuper applicandum modò dictum Unguentum.

## CAPUT VII.

### *De Ulceribus Cancroſis.*

MEntio facta eſt modò *Ulcerum Phagedænorum exedentium*, quæ propriè loquendo ſunt *Ulcera Cancroſa*, Corroſione arſenicali ad Cancri naturam accedentia, & imprimis occupare ſolent vel loca Glanduloſa, vel Glandulis vicina. Ipſos quod attinet Cancros, de his ſufficienter dictum fuit *ſuprà*, *ubi de Tumoribus*.

Dictum fuit, eos eſſe vel *Occultos* vel *Manifeſtos*: Per *Manifeſtos* intellige eos, quorum arſenicalis maligna Aciditas corrodendo jam in perfectum abiit *Ulcus corroſivum & putrefactivum*. De his ergò Cancroſis Ulceribus jam ſermo erit.

### DIAGNOSIS.

Eorum *Signa* ſuprà fuerunt prolata; ſive oriantur ex Cancris anteà Occultis, ſive Exulceratis, ſive ſint Scirrhi & Scrophulæ, qui malè tractati in Cancros Exulceratos abeant; quod fit vel per ſe, vel præpoſtero Remediorum uſu: quale Exemplum habet Tulpius *lib.* 1. *Obſ.* 47. ſive ſint alia Ulcera, quæ Putredine & Corroſione arſenicali ad Cancrorum naturam proximè accedant.

### CURA.

Hæc ipſa, & ſimilia cautè admodùm *Specificis* ſunt tractanda; nam ſi tantillo Acri exaſperantur, in deterius abire ſolent; ſi verò levioribus tractentur, fruſtrà fieri eorum Curationes ſolent. Ut ergò citra irritationem doloroſam Venenum arſenicale corrigatur & tollatur, juvat imprimis inſperſio *Abſorbentium terreorum*, Cadmiæ, Boli, Cornu Cervi uſti præparati, Pulveris Bufonum calcinatorum: ſcilicet Bufo & Lacerta calcinantur ambo in Ollâ novâ benè clauſâ, poſtmodùm Cancer Exulceratus ſeu Ulcus Cancroſum oblinitur Aquâ Plantaginis, & inſpergitur huic modò dictus Pulvis, qui brevi curat Cancrum. Quòd ſi fortiùs agendum ſit, recipiatur Bufo in Ollâ novâ exſiccatus & pulveriſatus, addatur hinc parum Auripigmenti, Piperis nigri, Salis communis, & Fuliginis ſiccæ, quæ invicem pulveriſentur, & Pulvis inſpergatur Cancro Exulcerato ſeu Ulceri Cancroſo, & hinc Petia Saliva madida deſuper eſt applicanda. Singulare etiam Auxilium apud quoſdam commendatur Stercus Felis, ſimpliciter Cancris fluviatilibus nutritæ, quod in Pulverem redactum mirabiliter juvat in Ulceribus Cancroſis. Felis, uti dico, clauſa & aſſervata ſolis Cancris fluviatilibus eſt alenda & nutrienda; hinc enim ejus Excrementa tam ſingulares virtutes obtinent. Convenit etiam Cremor Calcis vivæ.

Hæc ſi parum emolumenti afferant, aut in Ulceribus Cancroſis malignis fruſtranea ſint, ad *Arſenicum* confugiendum erit, quod eſt Specificum ad Ulcera Cancroſa funditus ſananda & curanda, modò ita applicetur, ne nimis irritet Ulcus Cancroſum acrimoniâ ſua atque nocivâ ſuâ malignitate: ſive ergò hoc ſub formâ Pulveris cum aliis aplicetur, quò pertinet *Pulvis Benedictus* ad Cancros ex Arſenico, Radice Ari, Fuligine, & ſimilibus, cujus compoſitio & uſus vid. in Fallopio, Hartmanni *Praxi Chymiatr. de Cancro*, item in *Ep.* Libavii, & aliis quamplurimis locis: ſive, quod melius eſt, Arſenicum priùs ritè fuerit fixatum beneficio Nitri, & hic per deliquium reſolutum in Oleo ſine inſigni acrimoniâ: vid. Schrœderi *Pharm. lib.* 3. *pag.* 500. Tale enim *Oleum Arſenici fixi*, cum Spiritu Vini edulcoratum, aliis omnibus meritò palmam præripit in Curâ Cancrorum Exulceratorum, cui ſimul addendum Oleum Myrrhæ, ut habet Schrœderus *loc. all.* ſive etiam ipſum Arſenicum fixum commodè permiſcetur Balſamo Sulphuris *Rulandi*, additâ ſimul Fuligine furni; hæc enim dant Unguentum ſingulare contra Cancros Exulceratos. Nam Cancri Cura perfecta in Arſenico conſiſtit.

Oleum Stercoris humani in Ulceribus Cancroſis ſummum eſt Remedium; ſi enim Oleo hoc illinitur, ulterior progreſſus præcavetur.

Kerkringius *Comment. in* Baſilii Valentini *Currum Triumphal.* laudat Balſamum Antimonii, tanquam ſummam Cancri medelam, applicatum, quo deſperatiſſimum Cancrum Exulceratum ſe perſanaſſe teſtatur.

Poſt hæc quæ apta nata ſunt, ut curent Cancrum Exulceratum, imprimis conducunt *Saturnina Remedia*, Acidum acre corroſivum malignum Cancroſorum Ulcerum, depaſcens & exulcerans, mirè abſorbentia & edulcorantia. Unde Balſamus Saturni terebinthinatus cum Camphorâ & Oleo Fuliginis miſtus eſt conveniens admodùm Remedium. Item Saccharum Saturni cum Fuligine probè attemperatum,

tum, & cum Succo Sonchi & Plantaginis illitum, ſi priùs ducatur in Mortario plumbeo, commodè ibidem applicari poſſunt ad Ulcera Cancroſa. Item *Emplaſtrum* ex Saturno, quod habet Tulpius *lib.* 1. *cap.* 47. Pertinet huc etiam *Pulvis Tulpii* ibidem deſcriptus ex Saturno liquefacto cum ana Mercurii vivi, & qui ab eodem mirè commendatur ad Ulcera Cancroſa: aut ex hoc Amalgamate poſſunt fieri Emplaſtra appropriata. vid. Schrœderus *cap. de Empl.* ubi habet tale Emplaſtrum, quod multum habet in receſſu, & ſi addatur aliquid Mercurii Vitæ, erit mirabile. Nam certum eſt, quòd Saturnus, ut aliorum pertinacium, ita & Ulcerum Cancroſorum, egregium exiſtit mitigativum: unde etiam Unguenta omnia Ulceribus Cancroſis applicanda, ducenda & miſcenda ſunt cum Piſtillo plumbeo in Mortariis plumbeis calidis. Aut fiant etiam communi modo Unguenta contra Ulcera Cancroſa ſatis proficua ex *Succis Vegetabilium*, nempe Solani, Uvæ inverſæ, Virgæ aureæ, Agrimoniæ vel Geranii Rupertiani, & ſimilium, ſubactis cum Pulveribus Saturninis, Minio, Ceruſsâ, Plumbo uſto &c. in Mortario plumbeo; quibus vel ex Fuligine vel ex Arſenico parata Remedia commodè admiſceri, aut horum poſteriorum acrimonia ſuſpecta illis probè edulcorari poteſt.

Cavendum tamen ab omnibus *Unctuoſis*, cùm Cancer ab his exaſperetur, & latiùs ſerpat: hinc prudentiores ſaltem Crocum Martis per reverberationem paratum, aut Cornu Cervi uſtum ſubtiliſſimè lævigatum, inſpergunt.

Ad hos ipſos Tumores Cancroſos & Ulcera Cancroſa, ne latiùs ſerpant, commendatur à quibuſdam ſequens *Emplaſtrum*:

℞. *Ungu. Diapompholi.* ℥ij.
*Empl. de Mucilag.* ℥j.
*Rad. Scrophul.*
*Ari*, an. ℥ij.
*Cornu Cerv. uſt. præp.*
*Cin. Canc. fluv.*
*Ranar.* an. ℥ß.

Miſc. in Mortario calido: addendo

*Ol. Vitell. Ovor. rec. expr.* q. ſ. ad conſiſtentiam debitam Emplaſtri:

Applicetur, ne ulteriùs ſerpant.

Quòd ſi Ulcus Cancroſum *ſordidum* videatur, neceſſe eſt ſanè, ut blandè tractetur, ne excitetur Dolor, ob id ſequens Medicamentum imponendum eſt:

℞. *Aquæ Cancrorum*,
*Ranar.*
*Plantag.*
*Card. bened.* an. ℥iß.
*Sem. Cydon. ſubtiliſſ. pulv.* ℈ij.
*Cornu Cervi uſt. præp.*
*Tut. præp.*
*Saturni uſti*,
*Ciner. Ranar.*
*Gammar.* ſive *Canc. fluv.* an. ℥j.
*Theriac.* ℥ß.

Miſc.

Et imponantur tepidè cum Filamentis bis in die.

Hæc ipſa ſi non ſint ſufficientia, *Ferro & Igne* aggrediendi ſunt Cancri: ſcilicet Ulcus Cancroſum Ferro priùs abſcindendum, & ſi ſit Pars, quæ poteſt abſcindi, v. g. Mamma, hæc tota abſcindenda: factâ Abſciſſione vel Exſectione, Ferrum candens applicandum, ut radix Cancri tota extirpetur; niſi enim hoc fiat, & vel tantillum de Fermento Ulceris Cancroſi remaneat, repullulat Ulcus antiquum. Imò ſi ex Causâ interna oriatur Ulcus Cancroſum, metus ſanè erit, ne ablatum & curatum in uno loco, nihilo minùs tamen in alio denuò enaſcatur.

Unde etiam Hippocrates & Galenus Cancros Exulceratos nonniſi Ferro & Igne curabiles aſſeruerunt.

Haud ita pridem tamen monui, repertum eſſe novum quendam Medicum eximium, Archiatrum Ducis Lotharingiæ, qui vocatur Alliot, qui citra Ferrum & Ignem, per *Alcalia fixa temperata* curare auſus fuit Cancros Exulceratos, imprimis in Mammis, ob id vocatus fuit Pariſios ad hoc, ut Reginam Matrem Cancro Mammæ Exulcerato laborantem curaret. Ut autem certus eſſet ipſe Rex de ejus Arte, priùs Mulieres quaſdam plebejas Cancro Exulcerato laborantes curare debuit, quod etiam in quibuſdam præſtitit citra Ferrum & Ignem. Ut autem Medicis Pariſienſibus ſuggereret notitiam ſuæ Methodi, ob id ſequens *Scriptum* edidit Pariſiis, breve quidem, ſed elegans, quod, quia haberi nequit, paucis communicabo. Inſcriptio eſt hæc:

NUNTIUS

Profligati ſine Ferro & Igne Carcinomatis,
miſſus
ducibus itineris *Hippocrate* & *Galeno*
ad
Chirurgiæ ſtudioſos
à
*PETRO ALLIOT*, *Barloducæo*, *Ducis à Lotharingiâ Conſiliario*, *& Medico ordinario.*
*Pariſiis*, M. DC. LXV.

An Φαγέδαινα Carcinomata ἀγωνιστικῶς curari poſſint Arcano Alcali ἡγεμονικῷ Remedio?

I.

*Spiritus in nobis ſeu Influus, ſeu Inſitus, Salſus eſt, de Alcalium proſapiâ, Balſamicus item, quia Partem, cujus eſt Spiritus, cuſtodit, ac præſervat: hujus autem vel alteratio plùs minùs intenſa, ſeu diſſipatio, ſeu exſtinctio, ſeu ſuffocatio januam pandit Putredini, cujus individuus & inſeparabilis comes eſt Acor, Spiritui illi balſamico prorſus hoſtilis: ut verò nullum Ulcus, ſeu purulentum ſit, ſeu Janioſum & ichoroſum, datur abſque Putredine, ſic planè nullum Ulcus abſque Acore, qui quidem, pro diverſo Ulcere multiplex eſt, alius Leproſinarcoticus, alius Gangrænoſinecroticus, alius Scabiei pruriginoſus, alius Carcinomatis διαβρωτικὸς, alius Luis Venereæ, Anthracis, Eryſipelatis, Lichenis, Herpetis, Morbillorum, atque id genus, inſtarque Fermenti Partem affectam, ejuſque Alimentum multifariam labefactat, ac corrumpit.*

II.

*At enim verò Sal Alcali, ſeu Lixivioſum (aut quocunque tandem alio nomine Sal omnis Acoris expers appellare licet), ſeu Naturale ſit, quale eſt in Animalibus Fel; ſeu Artificiale, quale eſt Sal Tartari, & ejus Liquor per deliquium; ſeu Volatile quale eſt in Lapillis Aſtacorum; ſeu Fixum, qualia ſunt omnia Salia elixiviata; ſeu ſaporis Salſi, qualis eſt Spiritus incoërcibilis Nitri, magnarum in Medicinâ virium; ſeu Amari, quale eſt in Abſinthio; ſeu denique Acris, quale eſt in Antiſcorbuticis, Aro, Serpentariâ; hoc, inquam, Salis genus cuilibet Acido eſt vere ἐναντίον, alterumque ab altero contemperatur, fitque neutrum ex utroque, teſte paſſim Experiĕtiâ: non juvat propterea quodlibet Ulcus ab Alcali qualicunque curare, imprimis Carcinoma, cujus acidum & volatile Fermentum inſtar Aquæ Chryſulcæ corroſivum, ut ſpernit mitiora quæque Alcalia, ita tantùm abeſt, ut à validioribus, ſi liquabilia ſint, (qualia ſunt Pyrotica) miteſcat, ut contrà propter ſubitam*

*ſubitam fermentationem, & Partis vicinæ colliquationem, plurimùm ab iis exacerbatur, Febris, aliaque ſuperveniant Symptomata: igitur ſic præparentur, neceſſe eſt, ut & Fixa ſint, & in Aquâ inſolubilia, quod certè Remedii genus non eſt* ἐυπόριϛον, *necdum hactenus à quoquam deſcriptum, benè autem atque exactè paratum ſi Parti Ulcere Cancroſo obſeſſæ imponatur, ſenſim ac ſine doloris* ἀξιολόγε *ſenſu, tutò citòque Acorem* καρκινώδην *necat, (quod Ferro, & Igne non obtinebis) idque quod Carcinomate deturpatum fuit, deſiccat in Eſcharam, intactâ Parte ſanâ & Fermenti acidi experte, ipsâ verò Eſcharâ vel à Naturâ, vel ab Arte ſeparatâ, Ulcus ante ichoroſum, fit purulentum, quod tum mundificandum & mundificatum Cicatrice claudendum.*

## III.

*Etſi verò Medici omnes poſt* Hippocratem & Galenum, *omnium Carcinomatum, tam quæ* Φαινόμενα *in Corporis habitu tangi poſſunt, &* μετὰ τῶν ῥιζῶν ἐντεμεῖν καὶ καῦσαι δύνατον ἐϛιν, *quàm quæ* μὴ φαινόμενα ἐν βάθει τῷ σώματϛ *deliteſcunt, quæque propriè* κρυπτὰ *dicuntur* Hippocrati; *cùm vel ſine Ulcere facta per* ὑπογένεσιν; *vel tantùm vitio Partis oborta continentem Cauſam ſtatuant* μέλαιναν ἀκεραίως χολὴν, *Humorem nempe, ſeu ex* Bile flavâ adustâ, *ſeu ex* Succo melancholico retorrido *genitum; in eoque agnoſcant* τὸ ὀξῶδες Acidum, *non qualecunque, ſed* τὸ δριμὺ acre, τὸ διαβρωτικὸν corroſivum, καὶ τὸ δακνῶδες mordax *inſtar Aceti acerrimi, quodque* ζυμοῖ τὴν γῆν terram fermentat; *poſſitque ejuſmodi Acidum ut aliud quodcunque longè potentiùs à contrario Alcali contemperari, & ſub jugum trahi, non tamen indifferenter omni Carcinomati Sal Alcali etiam exactiſſimè, & ut ſuprà inſinuatum eſt, paratum opponi debere cenſendum eſt; ſed illi tantùm, in cujus radices, ut ita dicam, omnes & ſingulas penetrare poteſt, ne minima illius Fermenti maligni particulâ ſuperſtite, Malum tandem de integro repullulet, ut liceat concludere:*

*Ergò* Φαινόμενα *Carcinomata* ἀγωνιϛικῶς *curari poſſunt, Arcano Alcali* ἡγεμονικῷ *Remedio.*

*Epiſtola* hæc edita ab Authore conturbavit totam Scholam Pariſienſem Medicam, quæ ob id Spartam contulit *Domino* Blonden, uni ex eorum Primariis, ut refutaret hoc ipſum Aſſertum Alliot, & ejuſdem falſitatem demonſtraret, quod facere conatus eſt hic ipſe. Sed hoc Scriptum ex Principiis Helmontianis elaboratum refutavit iſte Blonden per Argumenta & Aſſertiones ex Principiis Galenicis. Verùm cum in Fundamentis adeò diſcrepent, facilè patet, hanc Refutationem fuiſſe nullam. (B)

*Fonticuli* etiam in Cancro Exulcerato magnæ ſunt efficaciæ, de quibus vid. Hildanus, & Wiſemannus *l. a.* (C)

CAPUT

(B) * (Forſan idem eſt hic D. Alliot, cum eô de quô loquitur, omniſcius Borrichius in propriâ vitâ à ſe conſcriptâ, & quem in Lotharingiâ vidit cancros ulceratos, etiam deſperatiſſimos, pulvere albô abundè inſperſô curantem. Hunc autem pulverem, nec ipſe Borrichius, nec nos etiam, per multa adhibita tentamina reperire potuimus: Quod autem Reginam Galliæ, Ludovici XIV. Matrem attinet, ſcimus ex hiſtoriâ, illam cancro ſuo minimè ſanatam; ſed commortuam eſſe.

(C) Nota Cyrilli. *Locum hîc habere volo* Maligni in Lingua Ulceris *Hiſtoriam, poſt varias metamorphoſes ad lethum tandem Nobilem Ægram miſerrimè perducentis.*

Neapoli 12. Septembris 1712.

ILluſtriſſima Dña N. N. *vigeſimum quintum ætatis annum agens, Corporis habitu ſanguineo, formâ ingenioque eximio, optimâ cæteroqui ſemper fruens valetudine, ita ut pluries & quidem feliciſſimè pepererit, ſex circiter ab hinc menſibus* Ulcuſculum *in ſiniſtro* Linguæ *latere, (ubi à duobus fermè annis Puſtulæ quædam interpolatis vicibus apparuerant) nullâ præcedente cauſâ procatarcticâ, contraxit. Hoc neglectum, quippe quod nullam notatu dignam inferebat moleſtiam, ſenſim eô devênit, ut in* Ulcus Malignum *degeneraverit, quod ab eâ Linguæ parte, quæ ultimis Dentibus molaribus reſpondet ad apicem uſque ferè protendebatur. In eo Ulcere hæc notabantur: ſuperficiei maxima inæqualitas, durities prorsùs calloſa, quæ maximè in confiniis obſervabatur, Rimæ profundæ Sanguinem vel ex levi irritationè fundentes, Ichor ex universâ exulceratione manabat haud boni odoris. Comitabantur ſumma tum in commanducatu, tum in deglutitione difficultas, Loquelæ non exiguum impedimentum, &, quod potiſſima res eſt, Dolores ſeu potiùs lancinationes, tolerabiles tamen, Ægram vexabant.*

*His malis conflictata Nobilis Ægra, quum vulgares Oris Ulceriſque* Ablutiones ex Abſtergentibus, & Mundificantibus *è Vegetabilibus, & Mineralibus levioribus comparatas prorsùs ineffícaces experta eſſet, Menſe Junio Chirurgo-Empiricum accerſivit, cujus ſuaſu* Cauſtici Medicamenti *in parte ulceratâ actionem paſſa eſt: & quidem primò* Aqua *neſcio quæ adhibita, poſtmodùm aliud Medicamentum, quod pro* Sale Argenti *ille venditabat, applicatum: utrumque maximum peperit dolorem, ſed ſecundum* Eſcharam *excitavit, cujus caſu, Ulceris magnitudo & inæqualitas maximâ ex parte imminuta, ſordities tantumnon ablata, Dolores tamen atrociùs afflígebant. Ulcus intra menſis ſpatium & ultrà adhuc perſeverabat: & quamquam circa apicem Epidermis ſuccreſcere videretur; nihilo tamen minùs in limbo Ulceris ſuperiori, quâ parte Linguæ planitiei cohæret, adhuc calloſa* durities *notabatur, quæ major erat, quò magis verſus Linguæ radicem excurrebat: quo loco (è regione ſcilicet ultimi Dentis molaris) adhuc-dum anfractuoſa inæqualitas obſervatur. Prætereà in ejuſdem Ulceris areâ, quâ parte versùs apicem protenditur,* Corpus *quoddam veluti* glanduloſum, *ad rotundam vergens figuram, undique ferè rimis circumſcriptum, extuberabat, quod maximam duritiem, & ferè indolentiam præ ſe ferebat. Hôc tamen non obſtante lancinationes in universâ parte affecta, veluti periodicè, veſpere ſcilicet ingruente, quotidie Ægram affligebant. Ac demum perennis, moleſtiſſimuſque* Ptyaliſmus *ſupervênit, ex quo non tam Capitis, quàm univerſi Corporis debilitas, cum aliquo marcore conjuncta ortum traxit.*

*Hinc proinde factum eſt, ut Prudentiorum adhibito conſilio (præmiſſo* levi Cathartico, *ac, pro Corporis euchymi craſi,* Phlebotomia) *ea Medicamenta tum interna tum externa præſcriberentur, quæ vim arſenicalem, & veluti fuſoriam, vel à pravâ Ulceris indole, vel ab Eſcharoticis, ſive Antimonialibus ſive Mercurialibus univerſo Corpori transfuſam, retundere valerent. Intrinſecùs igitur uſurpata fuere* Teſtacea *&* Alkalina *præcipua, Auri foliis non exiguo numero permixtis, ad Salivationem præſertim immoderatam cohibendam:* Decocta Lignorum *pro potu præſcripta. Extrinſecùs* Pulveres *iidem* Alkalini *& præſertim Coralliorum, parti affectæ aſperſi fuere: ut* Gargariſmata *& Oris ablutiones præteream. Horum*

*rum Remediorum usu Ptyalismus ferè evanuit, ac Dolor valdè mitis effectus periodum amisit: inde & somni quietiores, & reintegrata Corporis nutritio: quo tempore (ut postea patuit)* in Utero concepit *Nobilis Ægra.*

*Quum autem, his non obstantibus, Ulcus perfectè sanescere non videretur, quumque illud* dysepuloton *redditum esse deprehenderetur, ob labiorum duritiem, rimarum interpositionem, superficiei inæqualitatem, ac Corporis illius glanduloſi superiùs descripti impedimentum; universum Curationis opus eò dirigendum esse putatum est, ut ablato quoad fieri posset Corporis glanduloſi, & reliquarum Ulceris partium Callo, superficiei inæqualitas tolleretur, ac scissuræ obliterarentur. Id autem Medicamentis efficacibus,* Cathæreticis *nempe, perficere, haud juxtà Methodum esse, creditum: ne scilicet effrænè redditum id quod in parte latitat virus, & partem ipsam intensiùs afficeret, & universum Corpus malignâ labe commacularet.* Saturnina *igitur, & præsertim* Saturni *ipsius* Magisterium *Ulceri assiduò admotum est, Aquâ destillatâ vulnerariâ dilutum: cujus Remedii ferè ad mensem usu, Ulcus ad melius commutatum est; nam nec tanta superficiei inæqualitas, nec labiorum durities, nec Corporis glanduloſi circumscriptio, ut priùs, observatur; imò Rimæ quædam evanuerunt, & quæ inter ipsas maxima Corpus glandulosum circumvallabat, prorsùs complanata est. Hinc Dolores ferè Ægram non vexant, vel si aliquando affligunt, minimam faciunt molestiam: & Deglutitio & Loquela expedita, imò & Commanducatus illorum Dentium actione, qui parti affectæ respondent, absque ullo incommodo peragitur.* Secundus *jam est* Gestationis mensis, *ac Ægra, Dei favore, quoad universi Corporis munia perbellè se gerit, nisi quòd quum Ulceris descripti perfectam sanationẽ non dum videat, quumque illius recidivã non absre extimescat, vestrũ expostulat in re tanti momenti judiciũ, quod ut ferretis, pauca hæc qualiacũque extempore exarata sufficere posse, credebamus.*

*Hæc* Historia *ad celeberrimos Professores citra & ultra Montes transmissa fuit. Verùm intereà temporis* Ulcus *circa medium Octobrem versùs Linguæ radicem sensim serpens, contiguas* Fauces *eâdem labe affecit; imò in iis fungosum* Sarcoma *excrevit, amplâ* Rima *à Linguæ Ulcere distinctum. Novus hinc accessit Empiricus, qui* arcano Pulvere *affectam partem aspergebat, mox certâ* Aquâ *colluebat: at horrendis supervenientibus Doloribus, Ulcerisque labiis inæqualiter extantibus, crispatis, & extrorsum reflexis, non sine ferrugineo & molesto Oris sapore, empirico Remedio superseſſum, ac* Anodynis, Alkalicisque *adhibitis, Dolores sedati fuere: præsertim quum è Linguæ radice* Nodus *Ciceris magnitudine, Sanguine nigricante tinctus, cùm Ægræ levamine ferè sponte deciderit. At exeunte Mense post novos Dolores, triduana* Febris, *cum* Palati & Uvulæ inflammatione: *hinc* Abscessus *in Tonsillarum unâ factus & suppuratus: quare purulentâ materiâ per sputum ejectâ, omnia sedata sunt.*

*Quamquam autem Mense Novembri, post novum habitum Consilium, ad internum* Cerussæ Stibii *usum, atque externam* Balsami Saturni *applicationem deventum fuerit; nihilo minùs post paucos dies, ob nova supervenientia Symptomata, dictorum Remediorum intermissus est usus. Post intolerabiles enim in parte cruciatus,* Rima, *quæ, ut priùs dictum, Corpus illud Glandulosum, à sanâ Linguæ portione dividebat, spatio unius hebdomadæ sensim hiare cœpit: quo tempore* Lotiones *ex herbis & seminibus anodynis, ex Aquâ spermatis Ranarum, & Rore Vitrioli adhibitæ, atque ipsum Vitrioli caput mortuum Melle exceptum applicitum; sed omnia incassum: nisi quòd momentaneum veluti solatium Pulvillis phlegmate Alumĩis imbibitis dolenti parti conciliabatur. Tandem Doloribus sensim se remittentibus, post ablatam, ex contactu Spiritûs Salis Ammoniaci dulcificati, maximam Corporis glanduloſi jam corruptam portionem, è Rimæ fundo bini alii* Nodi, *superiùs descripto majores, facilè educti fuere: quibus veluti Corporis glanduloſi radicibus ablatis,* Corpus ipsum *extemplò veluti* disparuit, *Ulceris fundus absersus, labia fere complanata. Hunc tranquillitas, cui similem nunquam Nobilis Ægrotans experta fuerat.*

*Verùm quoniam Ulcus adhuc pertinaciter perseverabat, atque labiorum durities, inæqualitas, fundi sordescentia, similiaque Symptomata, præter perennem molestiam, semper majora pericula minabantur; omninò proscripto* Cathæreticorum *usu, ne crabrones magis excitarentur, posthabitâque* Ferri *vel* Ignis *ope, quippe quòd nulla notari posset in Linguâ pars, vel Ferro abscindenda, vel Igne exurenda; mense Decembri,* Saturninum *quoddam* Amalgama *Terebinthinâ exceptum Ulceri admotum,* Lactisque *usus præscriptus.*

*Quum sic satis valeret infelix Mulier,* 17. Februarii sequentis anni 1713. *post duorum dierum copiosissimam* ex Utero Hæmorrhagiam, *atque non levia* Animi deliquia, Fœtum septimestrem putatum fortasse pridie mortuum peperit: *atque novo eoque immoderato superveniente Sanguinis ex Utero fluxu, Cordis pulsu & Calore orbata ad Orci ferè fauces perducta fuit. Hinc ex insperato sensim aliquid deglutire cœpit, minùs præsertim obsistente Linguæ & Faucium tumore, quæ fortasse ex immensâ Sanguinis eductì copia, maximè detumuerant: atque hoc pacto ad vitam veluti revocata visa fuit.*

*At pro Linguæ Ulceris Curatione instanter roganti, à Chirurgo quodam* Turpethi mineralis *usus propositus: quod necdum expleto Puerperii tempore, satis temerè, etsi ad dimidium granum, exhibitum,* Vomitus *& Secessus vix ab imbecillâ Ægrâ ferendos peperit. Iterum deinde recrudescente Malo, ad* Suffimigia Cinnabarina *deventum. Nihilo minùs omnia in pejus ruere.* Febris lenta & Marcor *accedens* Tabem *lentè introduxit, quare ad* Stabiensem oram, *Aëris salubrioris ergo, ducta miserrima Ægrotans, tandem Augusto mense* integrâ Linguâ (*horrendum!*) radicitus evulsâ, *atque ex ore delapsa, ad Superos evolavit.* (D)

(D) * Hic multæ prostarent Observationes super cancris, tum linguæ, tum aliarum corporis partium, ac præcipuè mammarum, etiam in utrôque sexû, qui & per remedia, & per excisionem à nobis fuere curati. Verùm hæc, ut & alia non pauca in totô Operis decursû omittuntur, tum quia de iisdem ex parte alibi à nobis fit mentio, tum etiam ne Opus jam per se plus quàm satis grande, ulteriùs contra intentionem DD. Bibliopolarum, grandescat: Unicâ itaque admonitione contenti, hìc tantùm adjiciemus, post omnem excisionem ignem esse admovendum, illumque satis generosum, ne aliquid radicum mali restitet, quod ejusdem repullulationis autor funestus evadat.

## CAPUT VIII.

*De Ambuſtione.*

### CAUSÆ.

POrrò inter *Cauſas* Ulcera inducentes *Externas* frequens eſt Cauſa *Ignis*, & inde deducta *Ambuſtio*, quæ ordinariò Ulcus grave plùs minùs poſt ſe relinquere ſolet.

Et quidem hæc ipſa Ambuſtio obſervatur *trium Graduum*, quæ Differentia probè conſideranda. Nempe in *Primo Gradu* ſolummodò *Calor* & *Ardor* in externâ Epidermide ſeu *Cuticulâ* excitatur, quem inſequitur poſtmodùm *Veſicularum* Aquâ acriuſculâ plenarum proventus, idque ſucceſſivè. *Secundus Gradus* eſt, quando præter Epidermidem ipſa *Cutis* aduritur, unde in continenti Veſiculæ exurgunt, ipſaque Cutis corrugari & contrahi nonnihil incipit. *Tertius* denique *Gradus* eſt, ut præter Cutim ipſa etiam *Caro* aduratur, unde Cutis ex toto emoritur, & conſequenter in *Eſcharam* ſeu Cruſtam tranſit, quâ ſeparatâ *Ulcus* profundum admodùm relinqui ſolet.

Varietas hæcce Graduum oritur imprimis ex diverſitate Rerum ignitarum, à quibus fit, & etiam ex magis plùs minùs diuturnâ Morâ, qua Res amburens Partem ambuſtam afficit.

*Leviſſimus Ambuſtionis Gradus eſt*, quando *Aqua fervens*, *Stramen*, *Stipulæ*, *Lintea*, & ſimilia ignita Partem contingunt; ab his enim Empyreuma ſaltem ſuperficiale induci ſolet. *Majorem Ambuſtionem* inferunt *Olea & Oleoſa omnia*, Pix, Mel, Cera & ſimilia, imprimis ſi diutiùs in Parte hæſerint. *Maximam Ambuſtionem*, & quæ ut plurimùm Eſcharam efficiunt, ſunt *Metalla Liquefacta*, v. g. Plumbum fuſum, Stannum liquefactum aut ſimilia, ſi hæc contingant Partem; in his enim concentratus Ignis periculoſiſſimam infert Ambuſtionem.

*In omni Igne Acidum*; quod confirmat Experientia, vid. Tachenius: Nam Ignis eſt actus diſſolutionis Corporum ſulphureorum. Omne autem Corpus ſulphureum habet occultum Acidum. Hoc præſuppoſito, ab omni Subjecto igneo, præter Motum celerrimum, quem Ignis infert, Acidum Ignis ſe inſinuat in Partem, & ſubitò liquefacit Nutrimentum Partium roridum, unde emergunt Puſtulæ albæ, quæ nihil aliud ſunt, quàm Nutrimentum Partium roridum, ab Acido Ignis ſubtili, mediante celerrimo Motu, liquefactum. Ab Urinoſis enim colliquefactum Nutrimentum exhibet Puſtulas nigras.

### DIAGNOSIS.

Malum ipſum per ſe patet, & non abſque ejulatu ab Ægris refertur.

### PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: uti aliàs notum, eſt quòd, quò gravior fit Ambuſtio, eò ſit pejor, hoc in ſpecie obſervandum venit, ut quò profundior eſt Ambuſtio, & quò majores Venæ aut Arteriæ aut etiam Nervi fuerint læſi, eò etiam periculoſior ſoleat adeſſe ſtatus; partim quoniam poſt ablatam Eſcharam Vaſa ex toto non conglutinata periculoſiſſimas inferunt *Hæmorrhagias*; partim verò, quia in his locis ex Sanguinis impedito motu in Partibus vicinis *Gangræna* oriri ſolet.

### CURA.

In *Curâ* ergò removeatur hoc Acidum, & Ambuſtio curatur. Interdum ſimul cum Externis primariis uſurpantur *Interna*, eaque Nitrata, quæ Febrim Ambuſtioni ſuperveniẽtem interdum optimè compeſcunt: Hinc Nitrum Fixum, Nitrum Antimoniatum, Pulvis Pyrius & ſimilia, internè ſunt optima, quibus celeberrima ex Lapillis Cancrorum parata Chirurgica, aut ſolùm ipſi Lapilli Cancrorum, ſimul commodè ſubjungi poſſunt.

*Externa* quod attinet: quoad eorum uſum ſtudioſè obſervandi ſunt Ambuſtionis *Gradus*: Nam *in Primo Gradu* Ambuſtionis Remedia ordinaria Empyreuma, & inde ortam Nutrimenti in Parte alterationem, tollentia, *Unguenta ad Ambuſta* Germ. *die Brand-Salben*, ut vocant, applicanda ſunt: qualia primariò ferè fiunt ex Cepis, ex Calce vivâ, ex Stercoribus Animalium, ex Succo Cancrorum & ſimilibus: v. g. ex Calce vivâ lotâ uſitatiſſimè fiunt Unguenta ad Ambuſta, ſeu applicetur mox Spiritus Theriacalis camphoratus, aut Aqua Calcis vivæ, vel Lixivium ejus, imprimis ſi paretur cum Decocto Raparum, recipiendo nempe Decoctum Raparum, (vel etiam Aquam ſimplicem) in quo colato Calx viva recens aliquoties extinguatur, ita ut Liquor aliquot digitos, 4. vel 5. ſuperemineat. Hæc Aqua Calcis vivæ cum Linteis duplicatis calidè aliquoties impoſita, mirè curat Ambuſta.

Aliàs uſitatum eſt, ut recipiatur Calx lota ſæpiùs & ab omni acri Sale probè temperata, ac cum quocunque alio permiſceatur Ingrediente: v. g. recipienda Calx aliquoties lota, eaque probè ſubigenda eſt Butyro Majali non ſalito in Mortario Saturnino, ut fiat Unguentum, quod ipſum applicandum eſt, idque liquidum, loco ambuſto.

Loco Calcis vivæ recipi poteſt Ceruſſa.

Melius eſt Unguentum, quod fit ex

*Calcis vivæ* p. ij.
*Crem. Lactis*,
*Mell. deſpum.* an. p. j.

Hæc omnia probè miſta in conſiſtentiam Unguenti liquidioris, ſeu Linimenti, optimè convenient ad tollenda Ambuſta.

Melius eſt, ſi recipiatur Aqua Calcis vivæ dicto modo parata, cui infundatur Oleum Lini vel Roſarum, quantum ſufficit, ut hæc Mixtura congelaſcat in conſiſtentiam Butyri: quod Unguentum loco ambuſto miro cum ſucceſſu poteſt illiniri, Veſicas certò prohibens.

Melius vix habetur.

Vel

℞. *Calcis vivæ lotæ*,
*Tut. Alex.* an. ℥ij.
*Album. Ovor.* No. ij.
Cum *Aceto deſtillato & Ol. Roſar.*
F. Linimentum in Mortario plumbeo.

Succus etiam Allii aut Ceparum illitus recenti Ambuſtioni, ratione Salis volatilis acris, deſtruentis Acidum in Ambuſtis, Exulcerationem inferens, optimum eſt; aut ex his fiat tale Unguentum inſignis commendationis:

℞. *Cepar. crud.* ℥iß.
*Salis*,
*Sapon. Venet.* an. ℥ß.
Miſc. in Mortario, affundendo
*Ol. Roſar.* q. ſ.
F. Unguentum egregium in Ambuſtis.

vid. Hildanus *Cent.* 4. *Obſ.* 93.

Aut Cepæ cum Melle contundantur & imponantur, quod mirè prodeſt.

Optimum eſt *Linimentum*, ſi cum *Aceto* ſolvatur *Minium*, aut *Lithargyrium*, aut *Ceruſſa*, aut *Plumbum uſtum*: Solutioni filtratæ addatur *Oleum Ovorum*, vel *Oleum Raparum recèns expreſſũ*, vel *Florum Sambuci*, vel

vel *Roſarum* q. ſ. ut coëant in conſiſtentiam Linimenti liquidi: quæ aliquamdiu ducantur in *Mortario plumbeo*, donec fiat griſeum, & aſſervetur pro uſu. Addi poteſt *Camphora* cum *Oleo appropriato* ſoluta, ʒß. pro ℔j. Linimenti.

De *Cancris* itidem dixi, quòd mirabile ſuppeditent Remedium contra Ambuſtiones: id quod fit, ſi Cancri fluviatiles vivi contundantur in Mortario, & Succo inde expreſſo calidè fomentetur Pars.

Vel

℞. *Cancr. fluviat.* q. v.

Contuſi vivi in Mortario miſceantur cum *Butyro Majali recent. non ſalito*, ferveſiant commodè & probè deſpumentur, coquendo tamdiu, donec fiat Unguentum ſubrufum, quod tranſcolandum eſt, & experiemini uſum efficaciſſimum contra recentia Ambuſta.

Nam etiam ex Cancris compoſita Remedia conducunt inſigniter, ſi ex Pulvere Pyrio orta ſit Ambuſtio, contundendo ſcilicet Cancros fluviatiles cum Aquâ Roſarum, aut, quod melius, cum *Aquâ Ranarum* aut *Spermatis Ranarum*; ex contuſis Mucilago craſſior Aquæ permiſta ſeparetur, eâque Pars ſeu Membrum Pulvere Pyrio ambuſtum fomentetur & illinatur; nam hæc ſunt egregia in tali caſu. Notum aliàs eſt, quòd etiam Mucilagines, aut, quod melius, Mucilago Seminis Cydoniorum, parata cum Spermate Ranarum, & cui parum Sacchari Saturni & Camphoræ ſit permiſtum, illita cum Plumâ Parti ambuſtæ optimè conducat ad tollendam Ambuſtionem.

Vel

℞. *Mucil. Sem. Cydon.*
*Ungu. Saturnin. jam dicti*,
*Album. Ovor.* an. ʒß.
M. pro Linimento: S.
Ambuſtionis Extinctio.

Quo Pars ambuſta illinatur.

Vulgare eſt & primâ fronte viliſſimum Remedium, compoſitum ex p. j. *Olei Olivarum*, miſta cum *Albuminis Ovi* p. ij. quæ duo conquaſſentur & exactè miſceantur: & nihilo minùs hoc ipſum applicatum verè eſt Unguentum ſingulariſſimi effectûs. Cui tamen adhuc præferendum eſt, ſimiliter primâ fronte vile apparens, quod fit *ex Olei Lini* recentis, vel *Olei Momordicæ* cum *Oleo Lini recèns parati*, vel *Olei Nucum* recèns expreſſi ʒ℈. *Vitellis Ovorum* No. iv. quæ probè ad albedinem uſque conquaſſata applicantur calidè Parti ambuſtæ, idque egregio cum ſucceſſu: Vid. Agricola *Chir. Parv. Tr.* 3. *pag.* 342. & Borellus *Obſerv. Cent.* 1. *Obſ.* 40.

Solum etiam Oleum Albuminis Ovorum valdè conducit, cujus præparandi modum videbitis *in Coll. Pharm. in Schrœderum*; uti & Rob Sambuci cum Spiritu Vini dilutum & applicatum.

In *graviori verò Combuſtione*, nempe *in Secundo Gradu*, talia etiam, ſed tamen paulò fortiora, applicanda ſunt Remedia: nempe ubi *Puſtulæ* jam ſunt exiguæ, citra hoc ut Cutis ſubjecta ſit reddita corrugata, relinquendæ hæ ſunt ad diem tertium, quo tempore niſi ſponte rumpantur, aperiendæ ſunt, & modò dictis Unguentis Pars ulceroſa curanda.

*Sin verò à graviori Ambuſtione* cum *ſubitaneis Puſtulis* ipſa Cutis ſit combuſta, ſubitò Puſtulæ ſunt aperiendæ, & ſtatim apertis Puſtulis modò dicta Remedia applicanda: aut in apertis Veſiculis imponendum eſt *Unguentum Emolliens*, quod ſit ex Stercore Gallinæ cocto cum Butyro non ſalito, quæ duo impoſita optimè talia curant Empyreumata.

Potentius adhuc eſt, ſi

℞. *Flor. Salv. rec.* M. j.
*Plantag.* M. ij.
*Butyr. rec. non ſalit.* ʒvj.
*Sterc. Gall. rec.* & quantùm fieri poteſt, *albiſſ.* ʒiij.

Frixentur mutuò per horæ quadrantem, & inde factâ expreſſione ſervetur uſui.

Notetur hoc, quia bonum. Vel Unguentum Emolliens aliud quoddam imponendum eſt, ut Cutis corrugata denuò laxetur. Aut

℞. *Pom. dulc.* No. iij. vel iv.

Coqu. in *Aquâ Sperm. Ranar.* vel *Roſar.* ad mollitiem:

Pulpæ trajectæ addantur
*Sacch. albiſſ.* ʒiij.
*Camph.* gr. xv.
*Croci.* gr. v.
Miſc.

Vel

℞. *Pulp. Pom. dulc. ſub ciner. coct.* ʒij.
*Farin. Hordei*,
*Fœnugr.* an. ʒß.
*Croci* ℈ß.

M. f. *Linimentum*, vel Cataplaſma molle, quod illitum & Dolores ſiſtit, & Cutim corrugatam planam & mollem reddit.

Cataplaſmata hæc etiam in Oculorum Ambuſtione uſurpari poſſunt.

Vel applicetur Mucilago Seminis Cydoniorum cum Camphorâ, & Saccharo Saturni; item Albumen Ovi cum fruſtulo Aluminis agitatum.

Quòd ſi verò *in Tertio Gradu* ex Cute omninò combuſtâ facta ſit *Cruſta & Eſchara*, tunc mox apertis omnibus Puſtulis opera danda eſt, ut primo vel ſecundo die ſeparetur Eſchara, applicando ſcilicet deſuper *Linimenta*, præter Empyreuma corrigentia, imprimis Emollientia & Laxantia; quæ inter Mucilago Seminis Cydoniorum cum Spermate Ranarum aut Aquâ ejus extracta, addito Butyro non ſalito, Oleo Liliorum alborum, & Vitello Ovi, vel ejus Oleo, non ultimum meretur locum. Quin & commodè applicatur Linimentum Emolliens, paratum *ex Butyro recenti, benè agitato in Mortario plumbeo cum Decocto Malvæ*; hoc enim tanquam Linimentum illitum, applicando deſuper Folia Braſſicæ tepida, ſubitò ſeparat Eſcharam, id quod fit primo vel ſecundo die.

Quòd ſi durior & contumacior non ſeparetur Eſchara, tunc hæc ipſa *Ferro* aliquot inciſuris eſt incidenda, & Sordes ac Ichores ſubtus latentes evacuandæ, ne harum Acore Ulcus profundum, depaſcens, & putridum generetur.

Factâ Humoris evacuatione modò memorata Emollientia applicanda, donec ſeparetur Eſchara, quâ ſeparatâ convenientibus *Digeſtivis & Mundificantibus* relictum Ulcus eſt conſolidandum: in quo caſu etiam Unguentum ex Calce vivâ, in Aquâ frigidâ ſexies vel ſepties lotâ, cum Oleo Roſarum & Vitello Ovi paratum, Unguentum Album camphoratum, Unguentum Alabaſtrinum, &c. convenienter poſſunt uſurpari & imponi: item Emplaſtrum ex Alcalibus *Tachenii*, & Norimbergenſe.

## SECTIO IV.

### *De Luxationibus.*

HÆc ſufficiant de Ulceribus: Pervenimus uſque ad *Luxationes*; nam Mollium Affectiones Chirurgicas, nempe Tumores, Vulnera & Ulcera abſolvimus. Superſunt Affectiones Partium Durarum, nempe Oſſium Luxationes & Fracturæ, faciles & cognitu & curatu.

Notum autem eſt, quòd *luxari* dicantur *Oſſa*, quando

do eorum Capita ex ſitu naturali removentur, ita ut *Luxatio* propria ſit *Oſſibus*, *Molles* enim ex ſede remotæ *non luxari dicuntur*, *ſed tranſponi*, & Affectus tales proprio nomine dicuntur *Herniæ*.

1. *Oſſa ex partibus tribus* potiſſimùm conſtant: quarum prima, *Oſſis media*, maxima & duriſſima portio eſt: altera *Apophyſis* ſeu *Proceſſus* dicitur, qui Oſſis reliquo quidem continuus, ultra tamen illius ſuperficiem protuberans cernitur: tertia *Epiphyſis* ſeu *Appendix* dicitur, dum Os Oſſi per contiguitatem immediatam tantùm adnaſcitur, ejuſque ſuperficiem inæqualem reddit. (2.) Notandæ in Oſſibus *Cavitates*; & quidem vel interiores ac Medullam recipientes, vel externæ ſeu *Sinus* dictæ: quarum hæ, quæ circa Articulos, ſi profundiores, κότυλαι ſeu *Acetabula*; ſi ſuperficiales γλῆναι appellantur; extra Articulos verò quæ deprehenduntur, nomen Sinûs generale retinent. (3.) Membranâ cinguntur, *Perioſtium* dictâ, exceptis Dentibus & Oſſibus Seſamoideis, item extremitatibus Oſſium reliquorum, quæ mutuò articulantur; & ab hac, ſi quid Oſſa duriora & perfectiora ſenſûs habent, recipiunt, ſeu potiùs Perioſtium, non autem Oſſa, ſentiunt. (4.) Ratione Connexionis ſciendum, illam fieri aut κατ' ἄρθρον ſeu per *Articulationem*, aut per σύμφυσιν ſeu *Coaleſcentiam*. *Articulatio* cum Motu eſt, eoque vel obſcuro, qualis in Coſtis & harum Vertebris, item in Oſſibus Carpi aut Tarſi deprehenditur & συνάρθρωσις dicitur; vel manifeſtiore, & ἀνάρθρωσις audit. Ejuſmodi tres numerantur ſpecies: prima vocatur ἀνάρθρωσις, *Inarticulatio*, ubi Oſſis recipientis Cavitas inſignis eſt, & illius, quod excipitur, Caput ſatis prominens: altera dicitur ἀρθρωδία, ubi Sinus excipiens ſuperficiarius eſt, & Extremitas, quæ excipitur, depreſſa magis eſt: tertia, γύγλυμος cùm Os idem excipit & excipitur, ita ut ſe invicem ſubintrent. Quæ autem per σύμφυσιν Oſſium connexio contingit, abſque Motu eſt, fitque vel ſine Medio, vel per Medium: *Sine Medio* eſt (α) *Sutura* in Oſſibus Capitis tantùm, ῥαφή; (β) *Harmonia* per lineam ſimplicem; (γ) per γόμφωσιν ſeu *Inclavationem*, quæ Dentibus & Maxillis intercedit. *Cum Medio* iterum triplex eſt, ſcilicet aut interveniente *Cartilagine*, & vocatur συνχόνδρωσις; aut *Ligamento*, & dicitur συνεύρωσις; vel *Carne* ſeu *Muſculo*, quam vocant συσσάρκωσιν.

Quando ergò Oſſa dicto modo connexa ex ſitu naturali removentur, dicitur *Luxari*.

## CAUSÆ.

Iſta verò remotio fit *duplici ex Causâ*: vel ob *vim Externam*, vel ob *Cauſam Internam*. *Luxatio*, quæ fit per *vim Externam*, ſatis manifeſta eſt ſenſibus & notiſſima Ægro; Cauſa verò Interna ut plurimùm ſolet eſſe occulta, & vix ſenſibilis à priori, ſed à poſteriori per effectum cognoſci poteſt.

*A vi Externâ* fit e. g. in Contuſionibus, Lapſu, ſeu Caſu, Plagâ, Ruptura violentis, Membrorum Contorſionibus, & ſimilibus. Uno nomine: quicquid per violentiam Oſſa loco ſuo removere, & ita Luxationem procurare poteſt. Si fit *propter Cauſam Internam*, ut plurimùm eſt obſcura; fit tamen manifeſta, ſi conſideremus, quòd ad hoc, ut Os in ſuo loco naturali & receptaculo debito contineatur, duo requiruntur.

I. *Spatium debitum*, quod in ſe recipiat Os, & cui Oſſis Caput commodè inſeri poſſit. Hoc ipſum Receptaculum pro Capitulo Oſſis recipiendo eſt nunc majus, nunc verò minus. Quod ſi fiat, ut Caput magnum recipiendum ſit in Cavitate parvâ, tunc vel viciniorum Oſſium Proceſſibus, vel utrinque adnatis Cartilaginibus, Cavitas talis efformatur ſeu excavatur, quæ ſufficiens ſit recipiendo Capiti Oſſis inſignioris: Sic enim v. g. in Articulatione Humeri cum Scapulâ Cavitas iſta minor pro Proceſſu excipiendo, adjunctâ Cartilagine, inſignis ſatis firmando Humero efficitur: ſicuti in inſertione Oſſis Femoris in Os Coxæ, Cavitas hujus per adnatas Cartilagines uſque eò ampliatur, ut optimè ſufficiat firmando Femori.

Hoc eſt primum Requiſitum ad firmationem Oſſis, nempe Cavitas ſufficiens.

II. *Requiſitum*: Hoc eſt *Funiculus*, qui firmiter alligat Os, ita ut motum licèt, non tamen loco moveri poſſit. Tales Funes ſunt primariò Ligamenta, deinde Tendines, & tandem Muſculi: Nam hæ partes tanquam Chordæ aut Funes ſuper Articulos hinc inde panſæ & extenſæ, Oſſium Articulationes firmant.

Ex his duobus Requiſitis ad Oſſium firmam inſertionem ac motum debitum poſſumus delabi ad cognoſcendas *Cauſas Internas occultas Luxationum*: Scilicet quando Cavitas Oſſis, Capitis alterius Oſſis recipiendo dicata, repletur ab aliâ quâcunque Materiâ, neceſſariò Oſſis Caput extruditur, & ita luxatur; vel quando Funiculi Oſſis, Articulationem firmantes, vel relaxantur à Cauſâ Internâ, vel diſſecantur à Cauſâ Externâ, Os neceſſariò ſuâ ſede excidit. *Repletur* quidem *Oſſis Cavitas* ſeu Receptaculum, aut, ut vocant Anatomici, Sinus, imprimis *ob Acidum vitioſum & præternaturale*, Synoviam, ſeu Liquorem iſtum blandum glutinoſum, pro Oſſis humectatione ad facilitandum Motum & Capitis Oſſis in ejus Receptaculo rotationem neceſſarium, inſpiſſans, incraſſans, & coagulans. Nam Synovia ab Acido vitioſo incraſſata ſucceſſivè in gypſeam & quaſi tartaream coagulatur Materiam, à quo Coagulo Sinus Oſſis repletur, indeque Os inſertum ſenſim ſenſimque ſuâ ſede extruditur, & ita luxatur.

Pejus adhuc eſt, ſi iſtud *Coagulum* peregrinum Os ſeu Caput Oſſis & adnatos Nervos ſucceſſivè jungat cum Sinu, & quaſi *ferruminando* uniat; hinc enim *Immobilitas Oſſis & Membri* tandem ſequitur, & quidem hoc rariùs fit, prius frequentiùs.

Malum prius, nempe *Luxatio à Cauſâ internâ*, familiare eſſe ſolet *Affectibus Arthriticis* obnoxiis, oriundis ſcilicet *ex* Acido præternaturali Stomachi vitio in Corpore coacervato: unde etiam in iis, qui *Iſchiadico Malo* laborant, ſubinde talis Luxatio ex tali tartareo Coagulo ſupervenire ſolet in Femore: quia & Arthriticorum Nodi & Tophi in Articulis Manuum & Pedum aliam non agnoſcunt originem, quàm talem Synoviæ coagulationem ab Acido vitioſo ortam. Unde etiam tales nullum motum in Articulis habent, nec retinere valent.

Ex alterâ autem parte *Ligamenta* ſimileſque Funiculi nervei *laxantur* & flaccidi fiunt, & quaſi enervantur, unde Oſſa ex ſede ſuâ dilabi patiuntur, ex humiditate ſerosâ ſalinâ, Fibras nerveas iſtarum Partium laxante, reſolvente, ſimulque Stuporem quendam inſenſibilem inferente. Malum hoc iis, qui *Scorbuto* laborant, aut etiam qui *Affectibus Catarrhalibus* ſunt obnoxii, non infrequens eſſe ſolet: nam in his à vitioſo ſcorbutico, aut acido, aut ſalſo-rancido Sale, vehiculo Laticis in Partes translato, Funiculi nervei laxati & reſoluti & ferè inſenſiles fiunt: unde Paralyſi Scorbuticæ talis ſubinde Articulorum ſeu Oſſium in Articulis Luxatio, & loco ſuo remotio, ſupervenit; utut etiam ab Externis Cauſis, nempe à *Contuſionibus*, à *Vulneribus* tranſverſim factis, Ligamenta vel Tendines diſſecti ſimilem Luxationem occaſionaliter inferre poſſunt, qui Affectus ad *Vulnera* potiùs pertinent.

DIA-

## DIAGNOSIS.

Os luxatum *facilè poteſt cognoſci*, ſi conferatur cum Membro altero in Longitudine, in Figurâ, & in Situ; luxatum enim Os ſeu Membrum ut plurimùm longius evadit Parte non luxatâ.

Deinde luxatum Membrum vix aut non naturali modo moveri poteſt, ſecus atque ſit in Membro non luxato. Item non habet eandem *Figuram* Pars luxata cum non luxatâ: ſæpiùs minùs recta minuſque extenſa eſt.

*Situs* denique Partis, cùm aut introrſum, aut extrorſum, aut in alium Situm differentem, detortum eſt Os luxatum, facilè monſtrat, quodnam Malum ſubſit?

Et quidem Luxatio nunc eſt Perfecta, nunc Imperfecta: *Perfecta*, quando Articulus ſeu Os omninò è ſede ſuâ remotum eſt: *Imperfecta*, quando non totaliter è ſede ſuâ remotum eſt Os, quin extruſum licèt ſit, adhuc tamen in margine Receptaculi hæret.

## PROGNOSIS.

Differentia hæc attendenda propter *Prognoſin*: nam quò magis Perfecta eſt Luxatio, eò difficiliùs curatur; quò minùs Perfecta, eò facilius.

Præ cæteris omnibus Luxationibus *Luxatio Oſſis Femoris* curatu eſt difficillima; ſicuti Luxatio *Oſſis in Talo* ſeu in Pedio eſt omnium periculoſiſſima.

Difficillima eſt Oſſis Femoris Luxatio, quoniam non poteſt fieri, niſi è Causâ violentiſſimâ, propterea quòd Os ipſum Femoris cùm forti Ligamento ſit alligatum ſuo Receptaculo in Oſſe Coxæ, & præterea ambientes Muſculi inſigniores, qui Nates conſtituunt, & Femora inveſtiunt, facilè impediunt, quò minùs Os Femoris niſi à violentiſſimâ & inſigniori Causâ luxari poſſit.

Non poteſt ergò luxari Os Femoris, Germ. *die Huffte*, niſi Ligamentum illud internum (vid. *Anatomia* Veſlingii, ubi habet egregia de ſtructurâ & uſu hujus Ligamenti) aut ruptum omninò, aut inſigniter laxatum ſit.

Quæcunque ſit Cauſa, difficulter corrigi poteſt: Nam ruptum Ligamentum Conſolidationem reſpuit; laxatum verò difficulter in naturalem Tonum reſtitui poteſt, cùm in profundo nimis loco ſitum ſit, ita ut applicata Topica nihil ferè operari poſſint, quin eorum virtus & efficacia à Muſculis Ani ferè tota impediatur: Interna verò nihil aut parum præſtant.

Ergò Os Femoris luxatum rarò poteſt reſtitui, quin ſæpiùs Claudicationem per vitam durantem inferat, niſi in tenellis Subjectis, v. g. Infantibus, in quibus propter diuturniorem Quietem, propter Faſciationes inſtituendas, facilius poteſt talis Luxatio Femoris curari, quàm in Adultis.

Periculoſiſſimam verò dixi iſtam Luxationem, quæ fit in Pedio, ubi nempe eſt Os Tali, Calcanei tria Oſſa innominata, Os Cubiculare, &c. Horum Luxatio eſt periculoſa, propterea, quoniam ibidem copioſiſſimi ſunt Tendines, & ipſa Articulatio Oſſium eſt talis, ut ſede ſuâ remota vix adeò commodè poſſint reſtitui; utut ratò perfectè luxentur.

Jam ergò in Luxatione hujus Pedii in reſtitutione ſæpiſſimè Dolor; diſtentis aut laceratis nonnihil Tendinibus, Convulſiones; ſi mitius eſt Malum, ſæpiùs Inflammationes; ſin læſio Tendinum ſit inſignior, ſæpiùs Fungi Articulares ſuperveniunt: imprimis Convulſio eſt metuenda. Ex his ergò & ſimilibus Cauſis periculoſiſſima omnium eſt Luxatio Pedii, nam ſunt ſeptem Oſſa.

## CURA.

Quoad *Curam* Luxationis: hæc pro varietate Cauſarum ſubinde varianda eſt, tam ſi Luxatio eſt *ob vim Externam*, Vulnus, Contuſionem, Lapſum, & ſic porrò; tunc *Membro extenſo* mâturè *Os reponendum eſt*, quo facto, nil aliud incumbit Chirurgo, niſi ut commodis *Ligaturis* Os firmet, apteque collocet, ac Inflammationem facilè ſuperventuram & alios Affectus maturè arceat.

Primaria ergò Cura Luxationis conſiſtit in *Repoſitione*, ſecundaria in *Firmatione* & *Symptomatum* remotione.

Ad *Repoſitionem* requiritur *Extenſio*, ad *Firmationem Ligatura*, ut in Figurâ mediâ reponatur Membrum luxatum. *Extenſio* requiritur, quia in Parte luxatâ Partes vicinæ muſculoſæ firmiùs contrahuntur; Muſculi enim omnes ſunt tenſi, & in ſe contrahuntur, & breviores redduntur. Neceſſe eſt ergò, ut Pars *extendatur*, extenſa *reponatur*, repoſita *firmetur*, & in debito Situ collocetur.

*Firmatio* Articuli repoſiti fit commodis *Ligaturis* & *Faſciationibus*, Faſciis mundis lineis, nunc latis, nunc brevioribus, pro varietate circumſtantiarum inſtituendis.

*Faſciationes* factæ non ſint nimis arctæ ſeu ſtrictæ, ne compreſſis aut coarctatis Vaſis, tam Sanguifluis, quàm Lymphaticis, oriantur *Tumores*; ex vitio quidem Vaſorum Sanguifluorum *Inflammatio*; ex vitio verò Vaſorum Lymphaticorum *Oedema*, Tumor ve Seroſus: ob id *Repellentia*, dicta & *Adſtringentia*, Ger. *dit Dorbande*, & *Cataplaſmata* ex modò dictis parata, cùm Sanguinis & Lymphæ motum impediant, in Luxationibus ſunt vitanda; utut contrarium fieri adhuc ſoleat in vulgari Chirurgorum Praxi.

Dixi jam Faſciationes non nimis eſſe debere ſtrictas; neque tamen etiam ſint nimis laxæ, ne Pars ſemel reſtituta denuo elabatur ex loco, novamque Luxationem inferat.

Verùm cùm ſubinde Luxationi in principio, vel ante, vel poſt factam Repoſitionem Luxationis, ſupervenit *Inflammatio*, neceſſe eſt, ut præcaveatur vel removeatur per Medicamenta *Interna*, *ſalina Alcalia*, imprimis volatilia, aut alia *Terrea* vel *fixa Diaphoretica*, Acidum enervantia, & Sanguinem fluidum & mobilem reddentia, ſive cum ſive ſine Sudoris provocatione propinentur; ſic enim impeditur Sanguinis ſtagnatio: quibus adjungantur *Externa*, nunc quidem in loco oppoſito *Venæ ſectio*; poſtmodùm admovenda etiam Medicamenta Externa pro Sanguine reſolvendo, eumque fluidum reddendo & moderatè, ſi quid reſtitet, diſcutiendo.

Quòd ſi fiat, ut jam facta ſit *Inflammatio*, antequàm Membrum repoſitum ſit, nihil priùs tentandum eſt, quàm Inflammatio diſcutſa fuerit, & omninò remota; quandiu enim Inflammatio durat, tandiu Pars inepta eſt Extenſioni; ſin verò violentiùs Luxatio inflammata extendatur, ſupervenit ex nimio Dolore Convulſio interdum lethalis.

Ut ergò Inflammatio imminens præcaveatur, vel etiam præſens diſcutiatur, abluendus eſt Articulus repoſitus, Parteſque vicinæ *Vino* tepido, aut, quod melius eſt, *Vino decoctionis* ſeu ebullitionis Vegetabilium Aromaticorum, Florum aut Summitatum Hyperici, Chamomillæ, Verbaſci, Roriſmarini, Stœchados Arabicæ, & ſimilium: E. g.

℞. *Summ. Hyperic. floreſc.* M. iß.
*Herb. Betonic.*
*Chamomill.*
*Roriſmar.* aa. M. j.

*Rad.*

*Rad. Conſol. maj.* ℥iij.
*Ariſtol. rotund.* ℥vj.
*Sem. 4. Cal. maj.* an. ℥ß.
Coq. in ſ. q. *Aquæ ſimpl.*
Colat. ℔iß.
adde
*Vini infuſ. Salviæ* vel *Flor. Hyper.* ℥vj.
M.

Fotus Articulorum externus.

Hoc ipſo calidè Pars foveatur; ut & reſtituantur Fibræ in debitum tonum, humectandæ ſunt Faſciæ vel Sacculi largiter, ſucceſſivè pro Curâ Luxationis tepidè circumvolvendæ; quandoque etiam Faſciæ tali Decocto per Spongiam imbutæ humidæ & calidæ ſunt ſervandæ: nam tali Fomento & Sanguinis ſtagnatio & Inflammatio præcavetur, & Fibrarum, aut laceratarum, aut diſſolutarum, aut diſtentarum, in Luxatione tonus ſponte quaſi & facilè redibit; unde eò facilius Luxatio denuò ſanabitur. Ubi major adfuerit Contuſio, augmentanda Radix Symphyti; ubi verò levis, augeatur Radix Ariſtolochiæ; ubi urgent Dolores, Capita Papaveris poſſunt addi.

Interim in Membro luxato, nunc ſub Luxatione, nunc poſt Repoſitionem, ſupervenit *Tumor quandoque Oedematoſus*. Dicunt fieri Affluxum in Membrum. In tali Tumore removendo nihil melius eſt, quàm ut præmittantur *Interna Sudorifera*, & loca *externa Oleo volatili* fortiter penetrante illinantur, tam in loco luxato, quàm tumido, ut diſcutiatur Tumor, & Pars firmetur. Conveniunt ergò *Litus* cum Oleo deſtillato Tartari & Oſſium humanorum, Oleo Pinguedinis humanæ, &c. quæ, quando fiunt nimis fœtida, rectificentur priùs cum Cornu Cervi uſto, vel ſimili Parte Animalium, uti ſupra Calcem vivam; ſic fiunt admodùm penetrantia & diſcuſſiva. Si ſuſpicio ſit, hujuſmodi *Luxationes à Coagulo gypſeo vel tartareo excitari*, illinantur Partes *Petroleo*; vel *Balſamum Peruvianum*, cum Vitello Ovi diſſolutum, miſceatur cum Spiritu Baccarum Juniperi temperato, & ſub formâ Linimenti illinatur Parti luxatæ; & locis vicinis imponatur vel *Faſcia ſicca calida*, vel, quibus placet, *Emplaſtrum* quoddam *Nervinum*, vel fiat *Emplaſtrum ex Cerâ flavâ & Reſinâ albiſſimâ*, quibus liquefactis immittatur Succini & Gummi Elemi ſufficiens quantitas, ut ita coëant in Maſſam homogeneam, quæ poſtmodùm malaxetur cum *Balſamo Peruviano*, & tum abit in Emplaſtrum plùs minùs ſpiſſum, hôc illinantur Lintea & applicetur Membro luxato, *ita ut non exactè coeat, ſed extremitates Emplaſtri ſaltem ſe contingant*, quia ordinariò aliqualis Tumor & Intumeſcentia ſupervenit Partibus luxatis: unde ſi Emplaſtrum tenaciùs ſibi ſuperimponatur, impedit dictum Tumorem, quod non ſemper conſultum eſt.

Communiter Partem, ſcilicet externam, & Membrum totum luxatum, inungunt cum Oleo Roſarum, Liliorum alborum, cum Oleo Omphacino & ſimilibus, quæ tamen *Illinitiones* potiùs ſunt *fugiendæ*, niſi forſan *Oleum Hyperici* cum *Oleo deſtillato Terebinthinæ* temperatũ, commodè admitti poſſit. Nam iſta ſuprà dicta *Olea mucilaginoſa* oblinendo poros, inſenſibilem Tranſpirationem impediunt, imprimis cùm Luxatio primis diebus ſæpè ad aliquod tempus pro robore Partis luxatæ ſine repetitâ Deligatione relinquenda ſit: unde ex talibus Oleoſis nimius *Pruritus* tollitur, dum pars religata fovetur, & abluitur cum *Decoctis Plantarum Nervinarum aromaticarum, in Aquâ coctarum*, quibus tantillum *Lixivii communis* additum ſit. Item dicta *Olea ideò non ſunt adhibenda*, cùm ſint Emollientia & Laxantia, uti notum eſt, & ſi penetrant, nihil aliud præſtant; quàm ut Fibras nerveas ulteriùs laxent, & ita Humorum, ut vocant, Affluxui ſeu Stagnationi, aut ſaltem faciliori Reluxationi, ut ita dicam, occaſionem dent.

Qui non admovent Olea Chirurgi, admovere ſolent *Emplaſtra* aut *Cataplaſmata Conſtipantia & Adſtringentia*, ex Bolo Armenâ, Terrâ Sigillatâ, Sanguine Draconis, Thure, Maſtiche, cum Albumine Ovi aut Cerâ aut ſimilibus. Hujuſmodi tamen Cataplaſmata & Emplaſtra Adſtringentia nullo modo adhibenda; utut enim interdum Cera inviſcentur, tamen nihil aliud faciunt, niſi quòd poros oppleant, cum eorum vis adſtrictoria, quæ nonniſi per corporalem contactum fit, intùs penetrare nequeat: & poſito hoc fieri, ſi validè Partes nerveæ fibroſæ à Luxatione extenſæ adſtringantur, firmabitur equidem Membrum, ſed metus eſt ne dum ſemper circa Articulum luxatum aliqualis fieri ſoleat Intumeſcentia, ne, arctatis porulis intimis, Sanguinis motus impediatur, & Inflammatio aliuſque Tumor exinde inducatur: Adhæc inſulſum eſt, velle *Fibras læſas in Tonum naturalem redigere hiſce Adſtringentibus*; genuina enim reſtrictio aut reſtauratio Fibrarum nervearum fit per *Aromatica volatilia nervoſa*, vel *Fotuum* formâ, vel *Emplaſtrorum*, applicanda, v.g. ex *Gummi Elemi, Succini, Balſamo Peruviano*, &c. & ad aliquod tempus continuanda.

Hæc eſt Cura Luxationis, factæ à vi externa. Quæ verò *Luxatio* fit propter Os, *ob Coagulum gypſeum* à ſuâ ſede remotum, alia requirit Remedia, nempe talia, quæ Materiam iſtam coagulatam denuò reſolvere & attenuare valent, quod in incipiente faciliùs fieri poteſt: in factâ verò Coagulatione & firmatâ Luxatione negotium eſt penitus difficile, imò utplurimùm fruſtraneum. Conveniunt ergò, ſpeciatim imminente Coagulatione, *Interna Remedia*, quæ *Acidum* quodcunque deſtruunt, tam Fixa quàm Volatilia, & acriora *Reſolventia*, quæ & præcavent talia Coagula, & eadem jam facta imprimis reſolvunt. Ex horum cenſu comperta partim, partim laudanda ſunt Remedia ex Tartaro, ex quo parata Volatilia utramque faciunt paginam in hujuſmodi Morbis Articularibus, ab Acido vitioſo ortis; hôc enim ablatô Coagulum ſolvitur ſenſim: ſive ſit Spiritus Tartari volatilis ex Fæcibus Vini paratis, ſive ſit Spiritus Tartari volatilis cum ana Nitri per Retortam tubulatam pulſus, ſive, qui modus eſt optimus, qui ex Tartaro per fermentationem cum proprio Alcali præparatur, Spiritus inſigniter penetrans. Hujuſmodi Tartarea Medicamenta Coagula talia continuato uſu optimè reſolvunt. Poſt hæc Tartarea, *Salia volatilia* quæcunque, ut Sal Ammoniacum, Spiritus & Sal volatile Oſſium humanorum, ſunt appropriatiſſima Remedia, præmiſſis tamen pro ratione circumſtantiarum appropriatis Laxantibus & Sudoriferis ac ſimilibus.

*Externè* ſimilia Acidum deſtruentia & Coagulum reſolventia applicanda ſunt. Mitius Remedium eſt *Petroleum*, item *Balſamus Peruvianus cum Vitello Ovi* diſſolutus, & cum *Spiritu Vini*, vel ſimpliciter rectificato, vel cum Spiritu Juniperi temperato, ſubactus & illitus. Melior adhuc eſt Spiritus Lumbricorum terreſtrium per putrefactionem paratus, crebriùs inunctus, vel ſolus, vel miſtus cum ana Spiritûs Salis Ammoniaci; nam hi in loco calido crebriùs inuncti tandem penetrant, & peregrina Coagula, quantum poſſibile, egregiè diſſolvunt. *Oleum Tartari fœtidum* deſtillatum horrendum eſt ratione odoris; nihilo minùs tamen nobile admodùm ratione efficaciæ, vel per ſe vel cum *Oleo Oſſium humanorum* aliquoties deſtillando, mixtum, & illitum. Item *Emplaſtrũ Stypticum Crollii* cum *Oleo Philoſophorum*

mala-

malaxatum & applicatùm, ſicut etiam convenit *Emplaſtrum de Pice Poterii*, quod habet *Cent. 2. Obſ.* 10. 13. 39. & 86. Ad cujus imitationem:

℞. *Pic. naval.* ℥ij.
*Terebinth.* ℥ij.

Liquefactis, & ubi opus fuerit, cum *Olei Chamomillæ* q. ſ. ſubactis, adde ſucceſſivè inſpergendo & benè agitando,

*Flor. Sulphuris* ℥ij.
*Pulv. Succini*,
*Maſtich.* an. ℥j.

Miſta inducantur ſuper *Alutam* aut *Linteum craſſum* in formâ quadratâ oblongâ abſque Sindone. D. S.

Emplaſtrum Diſſolvens.

Egregium eſt in Doloribus circa Os Sacrum ac Iſchium ex nimia onerum geſtatione, aut ſimili causâ externâ, internarum partium nexum plùs minùs lædente, natis.

Uno nomine: omnia ea Remedia Externa, quæ aliàs in *confirmato Malo Iſchiadico* uſurpari ſolent, commodè etiam hîc in uſum vocantur, cùm omnia ſint Acidum deſtruentia & reſolventia.

Interdum per accidens evenit, ut niſi maturè reponantur Oſſa luxata, tale Coagulum peregrinum in Oſſis ſinu reperiatur, *à quo enato impeditur poſtmodùm Oſſis Repoſitio*, adeo, ut niſi Coagulum iſtud fuerit remotum, & Os reponi nequeat: pro quo egregium eſt ſequens Oleum deſtillatum admodùm penetrans, ſed gravis odoris:

℞. *Ol. Oſſ. hum. deſtill.* part. j.
*Tartari fœt.* part. ij.

Hæc miſta affunduntur *Calci vivæ* (hæc enim abſorbet Acidum ex Oleis, ut ratione Salis volatilis fiant penetrantiora) & ita per Retortam deſtillatur Oleum penetrans, extrinſecùs illinendum, egregii uſûs.

Remedia etiam hactenus dicta uſurpanda ſunt in *Luxatione ex Coagulatione Synoviæ incipiente & imminente*; nam factam jam diſſolvere difficillimum eſt, niſi forſan *Mercurialia* aliquid faciant.

Quòd ſi verò *Funiculi laxati* aut reſoluti quaſi occaſionem ſubminiſtrent Luxationibus, tunc hæ ipſæ reſtituuntur præmiſſis Univerſalibus internis, *Sudoriferis*, additis *Nervinis*, ſeu Sale volatili oleoſo conſtantibus: hinc conveniunt omnia ex Ligno *Saſſafras* parata Remedia, quin & Spiritus Salis Ammoniaci oleoſus & aromaticus crebriùs uſurpatus, nam ſunt diuturni Affectus. Hinc imprimis conducit Spiritus Lumbricorum terreſtrium per fermentationem paratus, & cum eodem parata Eſſentia contra Arthritidem vagam erit egregia in hoc caſu, in ſpecie, ubi ex radice Scorbuticâ hujuſmodi proveniat Luxatio & Laxatio Funiculorum nerveorum. Præ cæteris convenit *Aurum Diaphoreticum Poterii*.

Hiſce crebriùs, & aliquandiu expectando Sudorem, uſurpatis & continuatis, applicanda ſunt præterea externè *Nervina aromatica*, & *Diaphoretica* ſeu diſcutientia, quæ ipſa Partem luxatam & Partes nerveas laxatas in naturalem tonum denuò reſtituunt: quibus ſubjungenda ſunt *Adſtringentia*, Nervinis temperata, ut firmetur Pars læſa in naturali tono.

Pro qua Curâ optima & ſatis accurata eſt Methodus, quæ præſcripta & uſu experta eſt ab Hildano *Cent. 6. Obſ.* 100. Methodus non eſt inelegans, & quæ facilè in quibuſdam poteſt emendari. Ergò *Lumbricalia* etiam hîc externè palmam obtinent; unde ex Lumbricis paratus Spiritus, & Liquor, eo modo, quo præſcribitur ab Hildano *loco citato*, & externè illitus, conducet ad hujuſmodi Laxationes. Item *Eſſentia contra Arthritidem vagam Timæi* internè & externè eſt proficua. Convenit quoque Emplaſtrum *Hildani*, aut etiam, quod parari poteſt, aliud ex ſola Tacamahacâ & Carannâ, cum Oleo Succini deſtillato malaxatis. Emplaſtrum tale poſt fricationem & illinitionem cum Lumbricalibus toti Articulo, vel ubi Tendines ſunt Articulum firmantes, & impoſitum commodè conducit: aut etiam *Emplaſtrum Stypticum Crollii* cum Oleo Tartari, vel cum *Oleo Terræ*, Modernorum *Oleo Philoſophorum*, vel cum *Petroleo*, ſubactum, Alutæ inductum & applicatum; inſigniter in tali caſu conferre ſolet, ubi laxati & reſoluti Funiculi nervei ſunt occaſionalis cauſa Laxationis. Oleum Terræ illitum Ligamentis & Tendinibus Artuum relaxatis, Experimentum fuit Barbette; reſolvit enim Lympham, & firmat Ligamenta; non neglectâ vel omiſsâ debitâ & conveniente Faſciatione & Deligatione.

In ſpecie, quod attinet *Encheireſin*, pertinet ad Chirurgiam Mechanicam. Hæc verò omnibus Luxationibus, mutatis mutandis, applicari poſſunt.

Fit etiam interdum, *ut à Cauſâ externâ ſimul frangatur, & luxetur Os*, Malum perquàm difficile, circa quod neceſſe eſt, ut ſimul curetur *Fractura*, & *Luxatio*. Fiat vel ſub puncto *Extenſionis* & *Repoſitionis*; dum enim extenditur Membrum, neceſſe eſt, ut luxata & fracta Pars eâdem vice reponatur, & ſub iſtâ Extenſione coadaptetur, quo facto Ligatura debita inſtituenda venit.

In *luxatâ Maxilla*, ſi eſt à vi externâ, Repoſitio eſt facilis, ſi ex *utrâque* parte luxata ſit; ſi *alterâ* verò parte Maxilla luxetur, promptum remedium eſt *Alapa inflicta*.

Porrò parvum eſt Os, quod luxatum varia infert Mala, nempe *Os Coccygis*, quod luxatur tam introrſum, quàm extrorſum, ut in Partu difficili. Hanc utramque Luxationem qui vult cognoſcere, & reponendi modum conſiderare, *vid. Ann.* 3. M. A. N. C. *Obſ.* 135.

*Luxatio Oſſis Femoris difficillimè curatur*, ut maneat firma, quia Os Femoris conjungitur cum ſuo Acetabulo per firmum Ligamentum: quod ſi *luxatum*, difficillimum vel planè fruſtraneum eſt repoſitu: *ſi fractum*, impoſſibilis eſt reſtitutio Fibrarum, & claudi fiunt Ægri. Hæc de Luxatione.

## SECTIO V.

### *De Fracturis.*

SUperſunt tractandæ *Fracturæ*. Dicitur idem in Oſſe Fractura, quod in Parte Molli Vulnus, ut Partes Corporis Duræ ſeu *Oſſa* à quacunque causâ, ſæpiſſimè quidem ab inſigni vi, tam externâ quàm internâ, ſubitò diſcontinuata, *fracta* dicantur.

### CAUSÆ.

Utut enim *Cauſæ* omnis Fracturæ frequentiſſimè ſint *Violentiæ externæ*, nihilo minùs tamen obſervatum eſt, quòd à *Cauſâ internâ*, nempe à nimiis Convulſionibus Artuum, Manus & Pedes fracti & diſcontinuati fuerint: Exemplum tale refert *Medicus Norimbergenſis* in M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obſ.* 225.

*Frangitur Os vel ſecundùm Latitudinem*, adeòque *tranſverſim*, in quo caſu interdum ſimul inſigniter conteritur; *vel* frangitur Os *ſecundùm Longitudinem*, adeòque ſaltem *finditur*, diciturque propriè *Fiſſura*. Chirurgi noſtrates priorem Fracturæ ſpeciem vocant German. *einen Schlizbruch*, imprimis ſi ſit Fractura cum Vulnere, ita ut aliquid de Oſſe fracto foràs promineat; poſterior verò ſpecies, nempe Fiſſura, vocatur iiſdem Germ. *ein Kalk Bruch*.

Hæ duæ Fracturarum ſpecies probè ſunt diſcernendæ,

nendæ, cùm differentis admodùm ſint naturæ, & diverſiſſima etiam poſt ſe trahant Symptomata.

*Per tranſverſum* quidem *factæ Fracturæ* etiam ab imperitis facillimè *cognoſci poſſunt*, idque tunc imprimis, quando Oſſa fracta etiam à loco commota fuerint: & ſive externa vis lædens acceſſerit, ſive ex ſolo Caſu Oſſa fracta ſint, non poſſunt tamen non *ingentes Dolores* moleſtiaſque inferre Partibus membranoſis & fibroſis ſuperjacentibus, qui ſunt atrociores, ſi Feſtuca Oſſis ſeparata atrociùs Partes cutaneas vel Membranas læſerit aut punxerit. Accedit *Tactûs ſenſus*, quo poteſt percipi Fractura in Oſſe, & eò magis, ſi ſede ſuâ motum fuerit. Accedit *Motus in Oſſe fracto per tranſverſum ceſſans vel depravatus*, quatenus Figura Membri circa Os fractum mutata eſt. Accedit, quòd ſæpiſſimè Membrum fractum appareat brevius aut diſtortum à ſimili Figurâ, dum Muſculi Oſſa ſeparata trahunt versùs ſuum principium.

Accedunt & *Cauſæ externæ* aliæ, à quibus facilimè Oſſis Fractura patet. Imprimis autem hoc conſideratu dignum eſt, quòd in Fracturâ Partium ſuperjacentium muſculoſarum & nervoſarum Pori naturales ex Contuſione à Fractura aut Laceratione transformati, ſimulque ob Dolorem & hinc junctam Fibrarum nervearum criſpationem anguſtati, facilè curſus motuſque Sanguinis naturalis & Lymphæ impediant, remorentur & ſiſtant; unde præter ordinariam aliqualem Partis fractæ *Intumeſcentiam*, nunc *Inflammationes*, nunc *Oedemata*, familiares Fracturarum ſunt comites, ſæpiùs in principio ſupervenientes.

Non autem confundendi ſunt hi Tumores, qui in principio Fracturæ ſuperveniunt, cum Inflammatione aut Eryſipelate (Chirurgi vocant Germ. *ein Wund-Fieber*, id eſt *Febris Vulneraria*) quæ interdum quarto, quinto aut ſeptimo die poſt fractum & repoſitum Os ſupervenire ſolent, ita ut nunc ſimpliciter aliquod Eryſipelas in loco Fracturæ efflorescat, nunc Horror & Rigor, & inſequens Æſtus, Eryſipelas tale ſoleant comitari.

Hujus *Cauſa* eſt varia, in ſpecie tamen ſupervenit, quando occaſione Fracturæ Partes nerveæ, tendinoſæ & membranoſæ læſæ fuerint, idque in ſpecie in Corpore Cacochymico, ubi occaſione Partium nervoſarum læſarum, harum Nutrimentum proximum alteratur, quod læſum contrahit Acorem, & irritando Partes nerveas Eryſipelas infert; qua occaſione commota camarina Succorum facilè Febrem excitare ſolet, ubi ſubinde ſolet eſſe ſuſpicio *Feſtucarum*, hinc inde ex Oſſe fracto procedentium, & Partes vicinas lædentium aut pungentium plùs minùs.

Hæc ita quidem quoad Fracturas tranſverſim factas ſe habent: quæ quò ſimpliciores, eò minùs periculoſæ; ſin cum Vulnere, ſunt multò periculoſiores; ſin cum abſceſſu Oſſis, ita ut Officula ſeparata incipiant ſuppurari, ſunt omnium periculoſiſſimæ.

Quod attinet *Fiſſuras*: hæ etiam ſæpiſſimè in occulto latent, in ſpecie ſi minores fuerint, & nonniſi tardè per varia ac gravia ſupervenientia Symptomata ſe manifeſtant: ſcilicet ex Caſu, vel ex Lapſu, vel ex Saltu fortiori, vel in Contuſione Membri in Lapidem perpendicularem, vel ſimilibus; fit ſubinde, ut findatur in quodam loco Os, idque pro conſtitutione Ægri vel naturali, vel præternaturali, ſeu morbosâ, vel faciliùs vel difficiliùs.

Hinc *Senes* levi occaſione & violentiâ incurrunt Fracturas Oſſium tam tranſverſales quàm longitudinales, quia eorum Oſſa ſunt arida & facilè ſciſſilia, facilèque finduntur; & ii quibus ex *Contagio Luis Venereæ* per Nutrimentum Oſſium corruptum ipſa Oſſa Carioſa facta ſunt, facillimè eorum Fracturam patiuntur: Si ergò finditur Os, pedetentim *Dolor* ibidem locorum exoritur, profundus tamen, & in principio Oſteocopos, nunc major nunc minor, pro ratione Sciſſuræ, Patiens tamen munera ſolita adhuc cum iſto Membro ferè obire poteſt: hinc levis quidam *Tumor*, interdum rubeſcens nonnihil, ſimul ſucceſſivè ſe manifeſtat: verùm hicce in minoribus Fiſſuris tardiùs ſupervenit, quia ex Fiſſurâ Nutrimentum Oſſis proximum dilapſum & quaſi tranſudans, intra Perioſtium & Partes vicinas ſucceſſivè alteratur & corrumpitur, & ſenſim ſecundùm longitudinem Membri deſſluens, uſque ad loca Articulationi vicina congeritur, ubi Tendines copioſiores & arctiùs tenſi, progreſſum ulteriorem impediunt, unde ibidem tamen congeſtum in *Abſceſſum* & *Ulcus* tranſmutatur; dum intereà ipſum Os in loco ſciſſo Corruptionem & Cariem concipit, unde infra Fiſſuram enatum Ulcus continuo quaſi fomite ſuſtentatur & conſervatur.

Hæ Fiſſuræ, quæ non ſunt adeò raræ, niſi tempeſtivè fuerint cognitæ, ſi tandem Ulcera iſta producant, *vulgò pro Abſceſſibus ex Defluxionibus Corporis habentur*, quæ Germanis vocantur *Leib Fluſſe*: cum in loco Abſceſsûs facti omnis Cura ſit irrita, propterea quoniam obortus Abſceſſus ſæpiùs remotus eſt longiùs à loco Oſſis læſi: unde etiam in his caſibus interna Purgantia & Sudorifera, externa verò Balſamica quæcunque Malum diu protrahunt, nunquam curant, niſi latens & abſcondita Fiſſura detegatur.

## DIAGNOSIS.

Neceſſe ergò eſt, ut Chirurgus ſit admodùm accuratus & judicioſus in cognitione harum & ſimilium Fiſſurarum & Fracturarum ſecundùm longitudinem, expiſcando ſedulò Cauſam Antecedentem, & dolens & tumens Membrum totum pertentando, & hinc inde digitis inveſtigando, utrum per omnia ſibi æquale ſit, neque aliquid Rimulæ vel Inæqualitatis, inſtar Fiſſuræ in Baculo quodam fiſſo, vel in profundo Aſperitas, Signum Cariei, percipi queat: perquirat etiam, an in Caſu v. g. vel Motu, Sonus quidam & Strepitus vel ſimilia in Membro læſo exaudita fuerint? an brevi pòſt Tumor ibidem ſubortus fuerit? annon perceperit ſucceſſivum Motum Materiæ lentè deſcendentis quaſi in Abſceſſum? & quæ ſunt ſimilia Signa, ex quibus acutâ Conjecturâ Fiſſuras cognoſcere debet. Vid. Felix Wurzius.

## PROGNOSIS.

*Fracturæ* hæ, prout variant tam ex ſe, quàm ratione Partis fractæ, & ratione Partium in conſenſum tractarum, atque ratione Symptomatum, &c. variant.

In genere *Fiſſuræ* ſeu Fracturæ Oſſium ſecundùm longitudinem, utut ex omnibus Fracturis ſint facillimæ curatu, tamen difficiliùs cognoſcuntur; hinc non ritè curatæ aut neglectæ *Ulcus* poſt ſe trahunt: imprimis ſi in loco fiſſo Oſſium Caries ſuperveniat, admodùm periculoſæ ſunt, & ſæpiùs ad Membrorum Abſciſſionem deducunt.

*Fracturæ tranſverſales* cognitu ſunt faciliores, curatu difficiliores.

*Fracturæ*, in quibus loca Oſſium ſunt minùs retuſa, ut non habeant multas prominentias acutas, pungentes, Oſſaque fracta tranſverſim non penitus loco ſuo remota, faciliùs curantur; quæ verò ſemota, difficiliùs longè.

Si

*Si vi fractum & comminutum* fuerit Os in *Fruſtula & Fragmenta*, periculoſum eſt; omnino enim conjunctum ſolet eſſe *Vulnus*, nunc ſenſibile, nunc occultum, quod ſub Cute Partes membranoſas lædit, adeoque *Abſceſſus* imminet.

Porrò ſi ſit Fractura Oſſium, ubi *Oſſa duo conjuncta* ſunt, ſi alterum ſaltem fractum, minùs periculoſum eſt, ſi verò utrumque majus eſt: Nam in Oſſe uno fracto reliquum Os firmat Membrum; & non tam validâ Extenſione opus eſt. Poſtmodùm Os ſanum etiam fulcri inſtar ſe habet, quo alterum non poteſt loco moveri.

*Os fractum in medio ſui* dat Fracturam leviorem, quàm circa Articulum: Nam hujus Repoſitio & Firmatio longè ſunt difficiliores: item circa Articulum ſunt plures Tendines, multi Nervi, &c. unde periculum eſt, ne inferantur varia Symptomata.

Item *Os fractum, quod tegitur multis Muſculis*, minus periculi habet ratione Symptomatū, quàm quod frangitur circa loca tendinoſa & fibroſa: v. g. ſi Tibia circa Suras frangitur, minus periculum eſt, quàm in Talo.

Si Os fractum ſit *abſque Vulnere*, & læſione Partium mollium, eò levior eſt Cura; ſi verò *cum Vulnere* Partium mollium, & *Contuſione*, periculoſa eſt Fractura, & periculoſas Inflammationes, Dolores, Convulſiones, interdum Gangrænam, infert.

Si eſt Fractura Oſſium *in plura Fruſtula*, ſubinde neceſſarium eſt, ut Oſſa ſeparentur à ſe invicem; quod ſit nunc citiùs in minoribus, nunc tardiùs in majoribus; citiùs ſi Oſſa penitus fuerint ſeparata; tardiùs ſi Oſſicula adhuc hæreant cum Membranis.

Oſſa præter reliquas ſubſtantias, prout ſunt vel majora vel minora, vel magis vel minùs poroſa, *nunc citiùs nunc tardiùs ſolent conſolidari*, pro varietate Ætatis, Conſtitutionis Ægri, Vitæ generis, ac ſimilium circumſtantiarum; ut plurimùm conſolidantur à die 20. ad 25. alia ſubinde ad 40. 50. vel 60. in majoribus, extenduntur. Minora Oſſa fracta intra 7. aut 14. diem ferè ſanantur, Oſſa majora ferè intrà 20. ad 40. præter propter Curationem recipiunt.

Præ reliquis *Oſſa Femoris* fracta rarò conſolidantur in integrum, quia Femur circumſeptum eſt vaſtiſſimis Muſculis, mediantibus quibus fractum Os vix ritè reponi vel firmari poteſt, quin denuò elabatur, vel Figuram vitioſam contrahat: adeoque inſtar Regulæ erit, ſi Femur fractum ſit, in ſpecie in Adultis, *ſine Claudicatione non poſſe reſtitui.*

## CURA.

In *Curâ* ergò Fracturarum *duo Scopi* incumbunt Chirurgo, *Oſſa fracta* in locum naturalem *reponere*, & *repoſita firmare*: ſic enim ſupervenit Naturæ motus, ferruminans Oſſa fracta. Fracta ergò Oſſa *extendantur*, & extenſa *coaptentur* in ſitum naturalem, tunc neceſſe eſt, *firmentur*, quod ſit per *Faſcias*, vel per *Ferulas*. Firmatum Os fractum poſtmodùm in *Figurâ debitâ* eſt ſituandum. *Mediâ* nempe, & *quæ eſt conſueta Ægro*: *Media* eſt, quando Membrum eſt in Quiete; ſic enim quieſcunt omnes Muſculi: Item *Conſuetudo* hîc etiam attendatur. Factô hôc, dum Oſſa fracta ſunt repoſita, & Oræ ſæparatæ denuò ad ſe invicem admotæ, tunc Natura eadem firmiter denuò *conglutinat*, proprium nempe eorum ſuggerendo Alimentum, quo in ſpatiola Oſſis ſeparati infuſo & indurato, reuniuntur firmiter, ac denuò conglutinantur ipſa Oſſa. Quod ſit nunc citiùs, nunc tardiùs, pro ratione (1.) *Ætatis*; in Senibus enim tardiùs fit, propter defectum Nutrimenti: [2.] Ratione *Sexûs*: ſic imprimis notatu dignum eſt, quòd in Gravidis, ſi forſan frangatur Os, difficillima & tardiſſima ſit hujus facti Conſolidatio, quæ tamen, ſi ſupervenit Partus naturalis & legitimus, poſtmodùm facilimè ferruminari ſoleat: Vid. M. A. N. C. *Ann.* 1. *Obſervat.* 25. *pag.* 91. (3.) Ratione *Habitûs Ægri*: ſucculenti, εὔχυμοι, ſani, &c. citiùs conglutinantur, quàm atridi, phthiſici, &c. quò magis accedit Nutrimentum.

*Modus ferruminandi* eſt is: *Liquor alimentoſus chyloſus Oſſium*, ſpermatico eorum principio ſimilis, per meatus ac poros eorum ſecundùm longitudinem Fibrarum, ex quibus primitùs Oſſa coaluerunt, rependo, ea nutrit & auget: dum verò in loco Fracturæ rectus & naturalis pororum ac meatuum ſitus eſt vitiatus & impeditus, quoque impeditur naturalis & legitimus Alimenti curſus, unde hoc circa locum Fracturæ ſtagnat, & per foramina aperta hinc inde uberiùs tranſudat, ſucceſſivè congeritur, & ita tandem in ſimilem Oſſibus duritiem coagulatur, ſicque tandem *Callus* appellari ſolet, qui ſubſtantiâ quidem ſimilis eſt Oſſis, conformatione verò ſolâ ab eodem differt.

Nullum ergò aliud directè Chirurgi officium eſt circa *Fracturas*, niſi, ut Oſſa extenſa priùs probè circa extremitates Oris *reponat*, mutuòque *conjungat*: quorum prius in Fracturis per tranſverſum factis tantùm locum habet, nempe *Extenſio*; poſterius verò, nempe *Conjunctio* extremitatum, etiam in Fiſſuris probè obſervandum eſt. Poſtmodùm Oſſa repoſita ita, in ſitu naturali conſervet, nempe *Faſciarum* circumligatione & *Ferularum* adaptatione, ac denique Membri aptâ collocatione. Indirectè tamen etiam circa *Conglutinationem Oſſium* fractorum mediante *Callo* Chirurgus eſt occupatus, facilitando opus Naturæ; præcavendo aut tollendo *Inflammationem*, aliaque *Symptomata*, & admovendo ea, quæ *Balſamum naturale* ſeu Alimentum proximum Oſſium fractorum conſervent, & ita Conglutinationem & Calli generationem promoveant. *Externè* ergò locum fractum conſideret: an adſit *Inflammatio* vel *non*? Si adeſt, hanc priùs curet, autequàm tantillum circa Fracturam tentet. Curatâ hâc, Fractura curetur, atque repoſito Oſſe, locum Fracturæ inungat *Spiritu Vini calido*, vel ſolitario, vel cum infuſione Florum Hyperici: vel illinatur cum Spiritu Vini, cui tertia pars Spiritûs Lumbricorum terreſtrium per putrefactionem admixta ſit, ut ſe inſinuet in poros, & Partes nerveas læſas reſtituat: vel applicetur *Fotus* ſuprà in Luxatione commendatus. Si inſignis ſimul adſit *Contuſio Partis*, illinatur *Mel cum Spiritu Vini probè temperatum*; hoc enim loco, nempe in Fractura cum Contuſione plùs minùs intenſâ, optimè confert, & Contuſionem dictam removet, imminentiaque Symptomata lenit. Illinatur etiam locus fractus cum *Oleo Hyperici*, aut fomentando eundem cum Vino Decoctionis Roriſmarini, aut inungendo *Oleum Lumbricorum terreſtrium*, quæ debent eſſe acuata cum pauco *Oleo deſtillato Terebinthinæ*, & pauco *Oleo deſtillato Roriſmarini*, aut *Oleo Pinguedinis humanæ* ab Oſſibus humanis calcinatis rectificato, quæ ſingulariter Oſſibus fractis convenire dicunt: factô hôc, applicetur *Emplaſtrum* ex Tacamahacâ, malaxatum cum Oleo deſtillato Roriſmarini, quò ſimplicius, eò melius: aut, quod ut plurimùm uſu venit, applicandum Emplaſtrum ad Rupturas ſeu Fracturas, Germ. *ein Bruch-Pflaſter*, parandum nempe ex Cerâ, Reſinâ, & Terebinthinâ: vid. Wurzius, qui habet ſimplex Emplaſtrum ex

*Reſin. albæ pur.* ℔j.
*Terebinth.* ℥iij.

Quæ liquefacta & probè permiſta ſuper igne, imprægnentur *Pulvere Radicis Ulmariæ*, *Biſtortæ*,

& *Ariſtolochiæ rotundæ*, donec invicem ſubacta coëant in conſiſtentiam Emplaſtri, ſub finem addendo parum *Olei deſtillati Oſſium humanorum.*

Poteſt meliorari, ſi addatur *Extractum Radicis Ariſtolochiæ rotundæ cum Spiritu Vini*; item ſi iſtis invicem liquefactis addatur *Pulvis Succini*, ut unà liqueſcant; vel factum Emplaſtrum malaxetur blandè cum *Oleo deſtillato Succini*, vel tempore uſûs cum *Balſamo Peruviano.*

In loco ergò Fracturæ, poſtquàm conjunctum & repoſitum fuerit Os, imponitur tale Emplaſtrum, ita ut non exactè extremitates Emplaſtri ſe contingant, non verò ſibi invicem ſuperimponantur, ſed ut aliquantiſper hiſcant, ne ſuperveniat Intumeſcentia. *Ceratum* mirabile ad Concuſſiones & Fracturas videb. in Baptiſtæ Sitoni *Miſcell. Med. Tract.* 23. *pag.* 116. Præmitti poteſt, ut dixi, Inunctio loci cum Oleis appropriatis, imprimis cum Oleo Lumbricorum terreſtrium, acuato cum Oleo deſtillato Roriſmarini.

Emplaſtro applicato imponuntur *Ferulæ*, quæ poſtmodùm conjunguntur per tria *Ligamenta.*

*Ligationes* & *Faſcinationes* ſint moderatæ, ita, ut nec ſint nimis arctæ, nec nimis laxæ: Nam nimis arctæ Partem ſuffocant: ſemper enim in loco Fracturæ aliqualis ſupervenit Intumeſcentia, quæ impediri nec poteſt nec debet. Non ergò Deligationes nimis ſtrictè ſunt adducendæ, quia aliàs, ſi iſta Intumeſcentia impediatur, Gangræna Partis ſupervenire aſſolet. A medio ſeu ipſo loco Oſſis fracti Faſciarum Deligatio eſt inſtituenda, & eædem nunc ſurſum nunc deorſum pro lege Artis ſunt ducendæ.

*Quæritur*, an *plures Faſciæ* circumligandæ ſint? an verò ſaltem ſufficiat *Emplaſtrum cum Ferulis*? *Reſp.* Pars fracta *vel* eſt fracta in loco Muſculis deſtituto, & magis tendinoſo & membranoſo, *vel* non: *Si prius*, Muſculi ſunt loco multiplicium Faſciarum circumvolutarum, & non opus eſt multis Faſciis involvendis: *Si poſterius*, ut firmentur meliùs Oſſa, convenienter Faſciis duabus contrario ſitu circumductis (*unâ ſcilicet ad dextram, alterâ ad ſiniſtram ductâ*) Pars eſt faſcianda, & adaptentur Ferulæ.

*Ferularum* numerus nimius, earumque arcta nimis collectio ſeu connexio eſt nociva; ſæpiſſimè tres ſufficiunt: rariùs ultra quatuor adſcendendum eſt; eæque ad digiti diſtantiam à ſe invicem ſint remotæ, ne comprimendo, Dolorem, aut etiam Intumeſcentiæ impedimentum afferant.

*Fugienda* ergò *ſunt in Fracturis Cataplaſmata quæcunque* ex Pulveribus Adſtringentibus, Bolo Armenâ, Roſis, Balauſtiis, Thure, Sanguine Draconis, & ſimilibus, cum Ovi Albumine exceptis, ſed pravâ conſuetudine, parata; quia Poros obſtruunt, Partem incruſtant, inſenſibilem Tranſpirationem impediunt, & nihil juvant, quin potiùs non nulla Mala inducunt. Iſta etiam ex *Succino*, *Maſtiche*, *Terrâ Lemnia*, &c. quia ex illis nullus major fructus, quàm ex Cerâ, expectari poteſt. Sin applicanda ſint Cataplaſmata, ea paranda ſunt ex Vulnerariis appropriatis, nempe ex Geranio Robertiano, contuſo, & inſtar Cataplaſmatis impoſito: inungatur locus fractus Oleo Hyperici, hinc imponatur Cataplaſma ex Pulvere Radicis Biſtortæ in Vino infuſo: Hoc enim fit commodè pro adjuvandâ Conſolidatione Oſſis fracti, & impediendâ aut præcavendâ Inflammatione.

Non incongruum eſt *Unguentum* Bartholini *C.* 6. *Hiſtor.* 25. ſi poſt tres vel quatuor dies & nocte Faſciæ reſolvantur, & conſideretur locus fractus; ibi, ubi conſultum eſt, *abluatur vel Aquâ ſimplici, vel cum Vino Decoctionis Plantarum Nervinarum & Vulnerariarum, vel ſimilium.*

Cum his Externis conjungi etiam poſſunt commodè *Interna* quædam, quæ *promovent Callum*, & *præcavent Symptomata*; inter quæ eminent *Vulneraria*, quibus ſemper Roſmarinus addendus eſt: eminet etiam Herba Agrimoniæ, Conſolida major, Geranium Robertianum, Sabina, aliaque Ulceraria in Vulnerum & Ulcerum Curâ recenſita.

Præ cæteris Oſteocollæ Lapis, à ʒß. ad ʒj. in Aquâ Symphyti majoris, vel Vino, vel Aceto, vel *Decocto Vincæ pervincæ*, repetitis vicibus uſurpatus, eſt appropriatiſſimus, cujus mira eſt efficacia in adjuvandâ Conſolidatione Oſſium fractorum, & in promovendo Callo, adeò ut interdum etiam, ſi nimis diu uſurpetur, magnum nimis Callum producat: Vid. Tachenius *Princ. Morbor. pag.* 140. Hildanus *Cent.* 1. *Obſ.* 91. & *Cent.* 3. *Obſ.* 90. Per Experientiam hoc certum eſt, quòd Oſteocollæ Lapis ſit mirabilis. Quo autem modo operetur, eſt ferè obſcuriſſimum; tam durus enim eſt, ut neque Igne calcinari, neque Menſtruis corroſivis commodè corrodi poſſit: multò minùs ergò à Stomacho erit reſolubilis. Quicquid ſit, tamen ſingulariſſimus eſt in Callis Oſſium fractorum generandis, & augmentandis. Eminet quoque *Pulvis Fabricii Hildani* ex Lapide Oſteocollæ:

℞. *Lap. Oſteocoll. præp.* ʒj.
*Cinnam. el.* ʒiij.
*Sacch.* ʒj.
M. f. Pulvis. Doſ. ʒij.

Quòd ſi in Fracturis, imprimis cum Contuſionibus, *Nervi*, *Ligamenta*, *Tendines*, & ſimiles Partes nerveæ, circa Fracturas ſint dislocatæ & quaſi contortæ, tunc ad Torſiones iſtas Partium nervoſarum ſequens *Ceratum Foreſti* eſt admodùm commendatum, quod poſt diem ſeptimum Fracturæ imponit ad læſionem tollendam:

℞. *Rad. Sigill. Salom.* ʒiv.
*Alth.* ʒj.
*Fol. Plantag.* M. ij.
Pulveriſ. coqu. ad conſiſtent. Pultis:
cui adde
*Ceræ alb.* q. ſ. pro Cerato molli, miſcendo cum
*Ol. Roſar.*
*Myrtillor.* an. ʒij.
*Terebinth. clar.* ʒiß.
*Ungu. Ægypt.*
*Dialth.* an. ʒß.
*Boli Arm.* ʒvj.
*Sangu. Dracon.* ʒiij.
*Thuris* ʒj.
*Santal. omn.* ʒij.
M. f. Ceratum.

Cujus uſus eſt, ut poſt ſeptimum diem calidè imponatur contra prædictos Nervorum Affectus.

Hæc modò dicta imprimis locum habent in Oſſium Fracturis per tranſverſum factis.

*Fiſſuras* quod attinet: ſi recentes ſint, facilè curantur, ſi loco tumenti & nonnihil dolenti, ubi ſuſpicio eſt Fiſſuræ, applicetur *Emplaſtrum* ad Fracturas conveniens ex ſuprà dictis, v. g. ex Reſinâ cum Radice Symphyti & ſimilibus paratum, vel etiam omiſſis *Ferulis*, pro ratione circumſtantiarum, Membrum deligatum quietum contineatur, ſic namque Nutrimenti Oſſis corruptio impeditur, quin facta jam corrigetur, & Fractura facilè conſolidabitur.

Quòd ſi in Fiſſurâ recenti *Tumor inſignis*, *mollis* tamen & *tractabilis*, adſit, quod Signum eſt collecti circa locum affectum aut Sanguinis aut alîus Liquoris ex Oſſe fiſſo tranſudantis, tunc aperiendus eſt Tumor Scalpello, & Liquori contento parandus eſt exitus; Vulnuſculum ſervetur apertum per Turundam,

dam, & hinc tractetur tanquam Fractura cum Vulnere; ſic enim facilè conſolidabitur & Os fractum, & etiam Vulnus inflictum.

Quòd ſi verò, aut ignorantiâ Chirurgi, aut ex neglectu ipſius Ægri, temporis diuturnitate *Fiſſura degeneravit in Ulcus & Abſceſſum*, tunc Tumor & Abſceſſus factâ aliquali Maturatione *aperiendus*, & Apertura uſque *ad locum Fiſſuræ continuanda*, uti ibidem Os fractum, ſæpiſſimè ſimul ſucceſſu temporis redditum carioſum, commodè curari poſſit, &c. vel *Pulvis Euphorbii*, vel ſolus vel cum ana Radicis Iridis Florentinæ, inſpergatur; tunc enim Abſceſſus facilè Mundificantibus ac Conſolidantibus curari in totum poterit: de quibus Caſibus nemo unquam meliùs ſcripſit, quàm Felix Wurz *in ſuâ Chirurgiâ*, qui ſanè Chirurgorum Germanorum optimus & Anteſignanus eſt, ut eum vocat Helmontius.

Hæc in genere de Fracturis per tranſverſum, & cum Fiſſuris.

Et quidem *Fracturæ* hæ nunc ſunt ſimplices, nunc ſunt *complicatæ cum Vulnere*, ita ut & Os frangatur, & ſuperſtratæ Partes molles muſculoſæ lacerentur atque pungantur.

Poſt Extenſionem ergò & Repoſitionem Oſſis Vulnus conſiderandum venit: Et ubi nihil de Oſſe abſceſſurum metuitur, labia Vulneris vel *Sutura* vel *Glutine* conjungenda ſunt, & *Balſamo Vulnerario* tractanda: *Emplaſtrum* in loco Vulneris perforatum ſeu foraminulatum Fracturæ applicandum, ut ita beneficio Foraminis commodè Vulnus tractari poſſit: hinc *Ferulis & Faſciis* convenienti modo Pars læſa tractanda & deliganda, & quotidie ſemel aut bis pro ratione circumſtantiarum eſt medicanda vel religanda; quod in ſimplici Fracturâ tertio demum die fieri ſolet, ut nempe religetur Faſciatio prima.

Quòd ſi verò Oſſis fracti *Particulæ* inſignes *extra Vulnus* promineant, ita ut jam ab ambiente Aëre alteratæ, & quod citò fit, cadaveriſatæ fuerint; tunc pars Oſſis eminens aut Limâ abradenda, aut tenaciùs adhærens ſeparanda: id quod etiam fieri neceſſe eſt, ſi eminens Os & Cutim perforans, dextrè reponi nequeat. Sin verò Os adhuc ſanum & non alteratum ſit, tunc denuò in ſitum convenientem more ſolito reſtituendum eſt, *Vulnuſque factum per Unguenta Digeſtiva* impoſita diutiùs apertum ſervandum. Ulcuſculum, ſi eſt majus, per Cutem adducatur; ſi parvum, relinquatur, apertum tamen ſervetur, idque eum in finem, ut Particulæ & Fruſtula Oſſium interdum in Fracturis per tranſverſum à toto ſeparatæ, ſi forſan coaleſcere cum reliquo Oſſe nequeant, per Vulnus foras extrudi, aut etiam extrahi poſſint.

Quòd ſi mox in principio *Offıcula* talia omninò *ſeparata* ſe manifeſtent, *Volſellâ* ſaltim ſunt extrahenda: ſin verò tantillum adhuc cum toto aut cum Perioſtio ſaltim cohæreant, *Naturæ* integrum committendum negotium, quæ nunc talia Oſſa omninò ſeparat, nunc verò denuò eadem conſolidat; hoc ipſum verò cum lentè fieri ſoleat, adjuvanda eſt Oſſis facilior Conglutinatio *Unguento* parato ex

*Mellis virg.* ℥iß.
Miſti cum
*Pulv. Lumbric. terreſtr.* ʒiij.

Quod applicatum convenienter Oſſis ſeparationem adjuvat: vid. Barbette *in Chirurg.*

Vel etiam, quod melius eſt:

℞. *Pulv. Aloës*,
*Myrrhæ* an. ʒß.
*Rad. Conſol. maj.*
*Ariſtol. rotund.* an. ʒij.
*Euphorb.* ʒij.
*Terebinth.*
*Ceræ* an. q. ſ.

M. in formam Linimenti ſeu Unguenti, quo illitum Vulnus promovet Oſſiculorum ſeparationem, ſi denuò cum toto conſolidari nequeant.

Si Oſſe fracto denuo coalito *Callus* nimis magnus genitus ſit, corrigendus & imminuendus eſt, quod docet Hildanus *Cent.* 1. *Obſ.* 91. Si non habeat *debitam Figuram*, opus eſt interdum, ut corrigatur, quod facilè fit ſi Callus nondum eſt firmatus; ſi verò eſt firmatus, ſine noxâ deformitas non poteſt curari. Si Os iterum frangatur, non frangitur in Callo, ſed citrà Callum.

De *Fracturâ* vid. in ſpecie Autores Chirurgici.

## SECTIO VI.

### *De Gangræna & Sphacelo.*

DEnique communis omnium Affectuum Chirurgorum Affectio eſt *Partis omnimoda corruptio, Gangræna* & *Sphacelus*: quæ Voces ex Modernorum uſu, uti alio in loco monui, ubi nempe de Phrenitide, longè aliud quid ſignificant, quàm apud Veteres. Nihil novi eſt, ex *Luxationibus* partim per ſe, partim ex *Inflammatione* ſuperveniente, corripi Partes Gangræna & Sphacelo: *Fracturæ* obnoxiæ ſunt Gangrænæ & Sphacelo: *Vulneribus* non ritè curatis facilè Gangræna ſupervenit: *Ulcera* cacoëthea ſubinde Gangrænam concipiunt: *Tumores*, imprimis Sanguineos, comitari ſolet Gangræna & Sphacelus. Imprimis diſtinguendum inter Gangrænam & Sphacelum eſt: Gangræna jam *ſignificat incipientem Partis mortificationem*; hinc Germanis audit, *der heiſſe Brand*, quia cum Dolore & aliquali Ardore adhuc eſt conjuncta: *Sphacelus* verò, ut propriè loquuntur, *Necroſis* econtrà *eſt perfecta Mortificatio Partis*, & omnimoda *vitalitatis carentia*; Germanis *der Kalte Brand*. *Differunt* ergò ſaltem *gradualiter Gangræna* & imminens *Sphacelus*.

### CAUSÆ.

Oritur *vel* à *Cauſâ* Externâ *vel* Internâ: *Externæ* ſunt Contuſiones, Luxationes, Lacerationes, Morſus Animalium venenatorum, & ſimiles. *Internæ* verò Morbi Peſtilentiales, Variolæ, Morbi Chronici cum Tumoribus juncti; hujuſmodi enim in Morbis ſupervenit Gangræna, in ſpecie in Pollice Pedis, qui nonnihil lividus ſit, accipit Puſtulam, ſub hac Maculam nigricantem, ſubitò tamen pergit, & integram Tibiam occupat. Ut ſim brevis:

*Cauſa* Gangrænæ & Sphaceli in genere ſunt ea, quæ quacunque ratione Sanguinis & Spirituum Vitalium diſtributionem, & per Partes circulationem, inhibere valent. Hâc enim ex parte vel ex toto, in quodam loco aut Membro, impeditâ & ſublatâ, Pars nativum vigorem omnem amittit: hinc eſt, quòd vix ſæpiùs oriantur Gangrænæ & Sphaceli, quàm ex Inflammationibus malè curatis, imprimis ſi Parti inflammatæ per Emplaſtica imprudenter admota impediatur inſenſilis Tranſpiratio; tunc enim Sanguis extravaſatus ſtagnans corrumpitur, ex toto putreſcit, & Partis inflammatæ Gangrænam poſt ſe trahit: quæ quidem incipiens, eſt Gangræna, confirmata eſt Sphacelus. Imprimis Eryſipelata per Unguenta Oleoſa aut Mucilaginoſa inſulsè tractata ſubitò ſerpentem inducunt Gangrænam.

Quoad *Cauſas Proximas*: communiter & rectè dicunt, Gangrænam & Sphacelum eſſe Partis Mortificationem, hujuſque Cauſam eſſe *Calidi nativi extinctionem*. Calidum verò hoc conſiſtit in Acido volatili & ſpirituoſo, quod Principii agentis inſtar ſe

habet in ſtructurâ & coagulatione ſeu formatione Partis. Hoc Acidum ergò Vitale conſervatur & reſtauratur continuò à Sanguine & Spiritu Vitali influentibus, ſalſis, & occultè acidis. Quæcunque ergò Acidum iſtud deſtruunt, vel fomitem ejus impedire valent, omnia Gangrænam & hinc Sphacelum inferunt, adeò *ut exinde ſequatur*, quòd *in Gangrænâ & Sphacelo peccet imprimis Alcali*, quatenus propter Acidi deſtructionem emergit, vel quatenus in ſe genitum Acidum deſtruere valent. Hinc ſubinde poſt Gangrænam & Sphacelum ſupervenit Partis Fœtor & Putredo, ſignum Alcali agentis in Acidum, & diſſolventis Sulphur Partis. Et quidem oriuntur hæ ipſæ Mortificationes imprimis in Partibus nervoſis, minùs in Partibus ſanguineis.

*Cauſæ Remotæ* ſunt, quæ illud Acidum diſſolvunt, & Sulphur Partis deſtruunt. Cauſæ Remotæ, quæ ita Acidum deſtruere valent, agunt hoc loco *vel* immediatè, *vel* mediatè. *Mediatè*, quæ fomitem ejus, nempe influxum Sanguinis & Spiritûs Vitalis, impedire ſolent, ut *Ligatura fortis*, *Contuſiones*, *Lacerationes*, & ſimilia, quorum occaſione propter Vaſa læſa impeditur influxus Sanguinis & Spiritûs Vitalis; & propter hanc Cauſam *Partes nerveæ* præ reliquis maximè proclives ſunt ad Gangrænam & Sphacelum, quod minùs Sanguine & Spiritibus Vitalibus irrorari ſoleant. *Immediatè* verò Partem lædunt imprimis *inſenſibilis Tranſpiratio prohibita*, quæ detenta acrior redditur, & Acidum Vitale deſtruendo Partem mortificat: *Venena* & *Morbi maligni*, *Morſus Animalium venenatorum*, quæ Fermento ſuo maligno alcalinæ proſapiæ Acidum deſtruunt, & Sphacelum inferre poſſunt. Conducunt etiam ad Gangrænam *Ulcera maligna*, item inveterata quæcunque, item Ulcera cancroſa, uti etiam *refrigeratio Partium* nimia; hinc enim interdum ex Frigore extrinſecùs irruente Partes gangrænoſæ fiunt, quia occluſis poris impeditur Tranſpiratio, & affluxus Sanguis grumeſcit, unde Gangrænam contrahit; Uti etiam nimis firmæ *Ligaturæ externæ* interdum hoc Malum inducunt: id quod fit interdum, ſi in Oſſium Fracturis locus fractus arctè nimis ligetur; nam uti ſuo loco habebimus, in omni Fracturâ aliqualis circa locum fractum ſupervenit neceſſariò Tumor, unde ſi nimis arctè ligetur tunc Fractura, periculum eſt, ne hinc Sanguinis motu impedito, Inflammatio ac Gangræna ſuperveniat.

## DIAGNOSIS.

*Signa Gangrænæ* imprimis monſtrat in Inflammationibus, in Ulceribus, item in Vulneribus, Partium nervoſarum, *Color* floridus nativus plùs rubicundus, qui mutatur in pallidum, obſcurum, ſubliveſcentem aut cœruleum ſeu cæruleſcentem, qui in *Sphacelo* exactè nigreſcit. Sub his Colorum mutationibus Caro Partis gangrænoſæ anteà tenſa mox evadit flaccida, mollis, & quaſi omni tono ac vigore deſtituta; ita ut in facto jam Sphacelo Cutis ſponte à Partibus ſeparetur, & Aqua quædam decolor pravi odoris effluere ſolet. In Parte ipſâ nullus Arteriarum Pulſus ſentitur, in incipiente verò inſigniter pulſat; ſicuti etiam ſenſatio ipſa Tactûs ſucceſſivè imminuitur, quæ ex toto aboletur in Sphacelo; in ipſo Pars nigreſcens Odorem cadaveroſum ſpirare incipit. In imminente quidem eſt acerbus Dolor, ſed pedetentim evaneſcit. Calor in parte imminuitur, & Pars anteà calida remittit, & hinc manifeſtè tepet, tandem friget. Hæc manifeſta ſunt in Gangrænâ & Sphacelo, quæ inſequuntur Inflammationem.

Quòd *ſi Ulcus evadat gangrænoſum*, præter dicta Signa nullas Sordes ſeu nullam Materiam, ut vocant, generare ſolet, aut ſi quid eſt Materiæ, eſt pauca, decolor ac fœtida.

## PROGNOSIS.

Quoad *Prognoſin*: præter modò dicta Sphacelus eſt incurabilis, niſi Pars mortua ex toto fuerit ſeparata.

Gangræna & Sphacelus, quando oriuntur *à Cauſâ Internâ*, ſæpiſſimè ſunt lethales: Auferatur enim licèt integra Pars gangrænoſa, in oppoſitâ tamen vel alia Parte iterum regerminabit Malum, & neceſſariò Mortem poſt ſe trahit. Hoc certiſſimum eſt.

Si ab Internâ Cauſâ Gangræna exſurgat *in extremitate Pedum*, tunc certus ſit Æger de Morte, quæ ſucceſſivè, dum ſerpit Gangræna, neceſſariò ſupervenit, ſive Manus ſive Pedes amputentur, *Fermentum* enim iſtud, inquinans Sanguinem, & ejuſdem Sulphur Vitale per modum Malignitatis deſtruit, & ſic ad Mortem perducit.

Partes quò magis ſunt *Sanguineæ*, *vel Carneæ*, eò minùs corripiuntur Gangrænâ & Sphacelo, & faciliùs curantur; Partes verò *Nerveæ* ut faciliùs corripiuntur his Affectibus, ita difficiliùs curantur.

Gangræna *ab Externâ Cauſâ* orta curari poteſt, ſi maturè ſuccurratur; ablatâ enim Parte corruptâ, reliquum Corporis permanet ſanum.

Præ cæteris *nota eſt Cautela ſervanda*, ne decipiamur in cognoſcendâ Gangrænâ & Sphacelo: nempe ſi fiat, ut Pars Sphaceli interdum motum adhuc habeat, quatenus movetur à Tendine oblongo, cujus Muſculus ſit ſanus: Ne ergò Partem mortificatam pro ſanâ habeamus, cauti ſimus, ut reliqua Signa conferamus.

## CURA.

In *Curâ* ergò Gangrænæ ejuſdem progreſſus eſt inhibendus; in *Sphacelo* verò Pars jam mortificata ſeparanda, & ulterior Mortificatio præcavenda ac ſiſtenda venit. Præſtamus hoc Internis & Externis. *Interna* ſunt omnia *Sudorifera alexipharmaca*, qualia ſunt *Camphora*, quæ internè & externè eſt optima, *Spiritus Vini camphoratus*, *Spiritus Theriacalis camphoratus*, Eſſentia & Spiritus Baccarum Sambuci, Spiritus Cornu Cervi proprio Sale acuatus, Theriaca in Spiritu Vini camphorato propinata, Elixir Proprietatis præſervativum, ſive cum Spiritu Vini camphorato, vel Spiritu Theriacali camphorato præparatum, & ſimilia Putredini potenter reſiſtentia; *Aqua Scordii*, *Cornu Cervi citrata*, cum *Camphorâ* & ſimilibus, ſunt Remedia, quæ in Morbis Malignis uſurpantur, hîc poſſunt adminiſtrari. Fuit hæc *Mixtura Tilemanni*:

℞. *Theriac.*
*Flor. Sulphuris* an. ʒß.
*Rad. Ireos Flor.* ʒvj.
*Spirit. Vini* ℥vj.

Mixturæ hujus propinentur duo vel tria Cochlearia, & exſpectetur Sudor.

Vel

℞. *Aquæ Card. bened.*
*Scord.* an. ℥iß.
*Spiritûs Theriac. camphor.* ℥ß. ad ʒvij.
*Theriac. Androm.* ʒj.
*Cornu Cervi ſine igne* ʒij.
*Antimonii Diaphor.* ʒß.
*Syr. ex toto Citro* ℥j.
M. D. S.

Potio Præſervans & Confortativa.

*Externè* in metu Gangrænæ, aut hac ſaltem incipiente,

piente, mirè conducit Spiritus Vini vel ſimplex, vel Spiritus Vini theriacalis, vel Spiritus Theriacalis camphoratus, cum Linteo calidè impoſitus, aut, quod melius eſt, Spiritus Vini permiſceatur probè cum Aloë, Thure & Myrrhâ, & hæc invicem permiſta imponantur: Hæc enim mirè conducunt ad Gangrænam incipientem. Loco Spiritûs Vini ſimplicis longè præferendus eſt Spiritus Vini theriacalis vel camphoratus: Nam in *Camphorâ* ſingularia latent ad Curam Gangrænæ Experimenta. Item cùm in Gangrænâ immineat mortificatio Acidi, externè vel *Acida*, vel *Salſo-acida* primatum obtinent: Hinc Muria ſeu Brodium Braſſicæ acidæ Experimentum eſt elegans ad ſiſtendam Gangrænam. *Decoctum Calcis vivæ* mirabile eſt in Gangrænâ, vel ſolitarium, vel ſi in eodem decoquatur *Sulphur, vel* in Decocto Calcis vivæ diſſolvatur *Mercurius Dulcis*, addito Spiritu Vini; quod vocant *Galli Aquam Phagedænicam*, quam mox ceu expertiſſimum Experimentum Ulceribus applicant, præmiſsâ, ſi opus eſt, *Scarificatione*. Certè ſingulare Experimentum, uti monui, habetur hæc Aqua Calcis vivæ cùm Mercurio dulci, & Spiritu Vini, ſi cum hac abluantur Membra, vel Ulceribus ipſis Lintea duplicata hàc Aquâ calidâ madefacta continuò imponantur, & ſæpiſſimè repetantur. *Decoctum Scoriarum Antimonii* in Aceto ſiſtit Gangrænam; vid. Riverius *Cent.* 4. *Obſ.* 50. vel ex Minderero *Decoctum Salis Ammoniaci in Urinâ Ægri* applicetur. In uſu etiam eſt *Scordium* applicatum, quod ex Vegetabili Regno vix ulli cedit Remedio ad Curam Gangrænæ, ſive Lixivium Decocti Scordii ſolum, aut cum Radice Scorzoneræ & Vincetoxici, imponatur; nam hæc Lixivia commoda admodùm ſunt & proficua: ſicut & Succus Urticæ cum Linteis duplicatis applicari ſolet contra ulteriorem Gangrænæ progreſſum.

Vel

℞. *Rad. Valerian.*
*Oſtrut.*
*Angel.* an. ℥j.
*Herb. Scord.*
*Salv.*
*Summ. Abſinth.*
*Flor. Chamomill.*
*Sambuci*,
*Bacc. Junip.* an. M. j.
*Myrr.* ʒij.
Inciſ. & contuſ. coq. in
*Vini generoſi* Menſ. ij. in Vaſe clauſo:
Colaturæ adde
*Camph.* ʒij.
Miſc. & calidè applicetur.

Gangræna Faciei *à Morbillis relicta* Aquâ marinâ, cui incoctum fuit Abſinthium, curata, vid. in M. A. N. C. *Ann.* 2. *Obſ.* 2. *pag.* 2. & *Ann.* 4. & 5. *Obſ.* 60. *pag.* 50.

Quin & apud multos uſus obtinuit, ut imponatur *Cataplaſma* ex Scordio, Scabioſâ, Alliariâ, Abſinthio, Hyſſopo, Salviâ, Agrimoniâ & ſimilibus, quæ cum Aquâ Calcis vivæ dilutiore ſimul decoctæ dant Cataplaſma admodùm egregium. Radix Bryoniæ recèns contuſa aut raſa in formâ Cataplaſmatis imponatur, vel ſola, vel cum Chærefolio miſta. His Cataplaſmatis ſunt qui præferunt *Cataplaſma* paratum ex *Farinâ Lupinorum, Fabarum*, ac ſimilium cum Lixivio dulci vel Oxymelite, & Gangrænæ impoſitum; cùm quidam aſſerant, Decocto Lupinorum cum Vino albo & Lixivio, addito parum *Croci*, nihil requiri poſſe potentius ad coërcendam Gangrænam: Item Poma putrida contuſa ſine Liquoris ullius affuſione cocta in Gangrænâ feliciſſimo cum ſucceſſu adhibita, vid. in M. A. N. C. *Anno* 3. *Obſ.* 321. Pertinet huc etiam Fermentum Ceresiſiæ, vid. Bartholinus *Cent.* 5. *Hiſt.* 41.

*Caput mortuum Aquæ Fortis contuſum, & decoctum cum Aquâ Roſarum*, in qua ſummitates Panni linei ſunt intincti, & applicati aliquoties calidè, Gangrænæ conducit.

In graviori Gangrænâ, præmiſsâ Partis profundâ Scarificatione, conducit *Fimus equinus*, coctus in Vino, aut Aceto, aut Urinâ humanâ, cum vel ſine Micâ Panis, & inſtar Cataplaſmatis applicatus: fuit Remedium expertum & ſecretum Sylvii atque Barbette. Vel cum eodem Fimo ſequens parari poteſt Cataplaſma:

℞. *Summ. Abſinth.*
*Flor. Chamomill.*
*Samb.* an. M. iß.
*Herb. Scord.* M. iß.
*Rutæ* M. ß.
*Micæ Panis ſimilag.* (poteſt etiam omitti) ℥vij.
*Fimi caball.* ſive *equini* ℥iij.
Coqu. ex *Aquâ muriat.* (Germano nomine *Laacke*)
Sub finem addendo
*Atram.* ℥ij.
*Spirit. Vini* ℥iij.
Miſta hæc imponantur.

Vel eluatur ſcarificata Pars cum Muriâ, vel cum Decocto Calcis vivæ, vel *Decocto* Riverii *in Obſ.* 24. *à Formio communicatâ*, acuato cum Vino Hiſpanico, Spiritu Vini rectificato, camphorato Theriacali, aut cum Spiritu Salis Ammoniaci, Eſſentiâ Myrrhæ, &c. in quibus aliquid Unguenti Lithargyrii diſſolvendum. Huc etiam pertinet *Lotio* Hildani *de Gangræna & Sphacelo*, vel Riverii *l. a. Obſ.* 22. ex Vino, Sale, Melle, & Aceto.

Vel

℞. *Muriæ* ℥iv.
*Spir. Vini camph.* ℥ij.
*Ungu. Ægypt.* ʒij.
Miſc.

Vel

℞. *Aquæ Calcis vivæ* ℔j.
*Spir. Theriac. camphor.* ℥iij.
*Mercur. Sublimati* ʒß.
Miſc.

Scarificationibus hoc modo probè elotis imponatur vel Mercurius Sublimatus ſolus, vel cum Alumine, Capite mortuo Vitrioli, Myrrhâ & Aloë mixtus; item Lapis Medicamentoſus *Crollii*, ſimiliaque Eſcharotica; aut cum Plumaceolis applicetur Butyrum Antimonii, cujus ſingularem uſum Riverius *Cent.* 1. *Obſ.* 84. commendat.

Quòd ſi Gangræna ſit gravior, & incipiens jam *Sphacelus*, loco ſcarificato largiter inungendum eſt Unguentum Ægyptiacum, & modò dicta Unguenta, vel Cataplaſmata imponenda. Sanguis Talpæ, ſi in papyro exſiccetur, illudque poſtmodùm ſub uſu humectetur cum Aquâ, & imponatur, contra Sphacelum & Gangrænam laudatur.

Quòd ſi verò jam in Sphacelum degeneraverit Gangræna, *mortuum ex toto ſeparandum eſt à Parte ſanâ.*

Quæritur: *quomodò Pars ægra à ſanâ ſeparanda?* Uſus obtinuit *amputare Membra*, quod fit vel *Ferro candente* vel *candefacto*, inurendo Partem tamdiu, donec Ægri percipiant. De loco controvertitur, an *in Articulo*, an *propè Articulum* inſtituenda ſit Amputatio? v. g. an in Gangrænâ Tibiæ amputandus ſit Pes ſphacelatus infra Genu? an verò permittendus ſit progreſſus Mortificationi uſque ad Articu-

lum, & ita inſtituenda Amputatio? Experientia hac in parte ferat judicium, quæ docet, cum minori Symptomatum proventu, & cum minori Ægri jam convaleſcentis incommodo in actionibus, fieri Amputationem infra Articulum, latitudine præterpropter unius Palmæ, German. *eine Handbreit unter dem Gelencke*; ſic enim optimè poteſt curari, ac Æger Partem, mutilatam licèt, pro actionibus uſurpare poteſt.

Ulteriùs *Quæſtio* eſt: *an Amputatio ſit facienda in Parte præciſè, ubi ceſſat Mortificatio?* an in Parte ſanâ? an verò in Parte mortificatâ? *Reſpondeo*: Si à *Cauſâ* oriatur *Internâ* Gangræna, neceſſe eſt ſemper, ut largiter in Parte ſanâ fiat Amputatio, ut nempe ſic poſſit impediri recurſus Gangrænæ in aliam Partem; periculum enim eſt, ne ſub Cute ulteriùs ſerpſerit Malum, quàm extrinſecùs appareat. Si verò Gangræna aut Sphacelus ſimpliciter ab *Externâ* proveniat *Cauſâ*, ſufficit in contermino Partis mortuæ cum ſanâ inſtituere Amputationem, & ægra Cutis tam firmiter ducatur deorſum, ut ſic aliquid de Parte ſanâ amputetur; vel in ipsâ etiam Parte mortuâ Amputatio inſtitui poteſt, modò id, quod adhuc de Sphacelo reſtitat, admoto Ferro candente removeatur.

Amputatio fit cum *Cultris falcatis* (Germ. *mit Krummen Meſſern*,) iiſque nudis, qui mos eſt Gallorum; vel *Cultris ignitis*, qui mos eſt Italorum: (Prior eſt convenientior, poſterior magis doloroſus, utut non tanta ſuccedat Hæmorrhagia): poſtmodùm cum *Serrâ* pro Oſſibus. Borellus habet ſingulare Inſtrumentum, cum quo in ictu poſſit ſeparari Pars ægra. *Hæmorrhagia* impeditur applicatione Pulveris cujuſdam Stypticì, vel ſolius Terræ Vitrioli dulcis, vel, quo nil præſtantius, Pulveris Stercoris Suilli. Quidam Vitriolum Martis & Alumen anaticâ proportione in Succo Plantaginis, vel Aquâ ejuſdem deſtillatâ ſolvunt, qua ſolutione Lintea madefacta imponunt. Quidam inſperſis Pulveribus Stypticis Crepitum Lupi ſuperimponunt, & ultimò cum *Emplaſtro Diachalcitidis Hildani* cooperiunt. Aliàs quomodò Partes amputandæ, & Hæmorrhagia reprimenda, vid. *Scriptores Chirurg.* (E)

Noſtrates nimis abhorrent Amputationem: hinc *alius eſt modus ſeparandi mortuum à ſano* beneficio Butyri Antimonii, ſi ſcilicet hôc ipsô ducatur Circulus ibi, ubi deſinit Mortificatio. Hôc ipsô enim, uti aliàs monui de Anthrace & Carbunculo, circumductus Circulus ſi ſit ſanabilis Sphacelus & Gangræna, promptè ſeparatur ſanum ab ægro ſeu mortuo, ita ut dehiſcat mortuum à ſano, & progreſſus ulterior Mortificationis impediatur; hinc poſtmodùm inſtar Ulceris recentis, nempe Suppurantibus & Mundificantibus Pars ſana curari poſſit. Vel ſi Sphacelus non adeò profundus proceſſerit, neceſſe eſt, ut locus ſcarificetur profundè, locus ſcarificatus eluatur Lixivio, cui addita ſit Farina Lupinorum & Aloë; vel eluatur cum *Aceto mixto cum Spiritu Vini*, poſtmodùm applicetur *Unguentum Ægyptiacum*, vel *vulgare*, vel *Hildani*, quo loca ſcarificata illinantur; vel loco hujus recipiatur Mercurius Præcipitatus, & miſceatur cum Unguento quocunque Mundificativo, & illinantur ſcarificatæ Partes; vel ad imitationem Hartmanni (eſt *elegans Remedium*) Mercurius Præcipitatus cum Oleo Nucum coctus in conſiſtentiam Linimenti obſcuri, quo illinatur Pars ſana & ægra. Facit huc curioſa Obſervatio Thiermayers *Conſ. lib. 1. pag. 106.* ubi Scrotum in Variolis ſphacelatum per Præcipitatum rubrum cum Unguento Roſato digeſtivo mixtum, ſeparatum & reſarcitum.

Dum hæc fiunt, ultra talia, quæ hinc applicantur, ad Mortificationem tollendam *Epithema* imponatur, v. g. ex Scordio, Ariſtolochiâ rotundâ, Radice Hirundinariæ, Abſinthio, Baccis Juniperi, Myrrhâ, Aloë &c. coctis in Aquâ vel Aceto, item Vino vel Lixivio, addito Alumine, Vitriolo, Sale marino, & ſimilibus, &c. ut impediatur ulterior progreſſus. Inſtar omnium ſit *Epithema* & *Cataplaſma* Hoffmanni *in Meth. Medendi p. 411.*

(E) Nota Cyrilli. *Inter hos legendus ſanè eſt, atque omninò imitandus foret*, Petrus Hadrianus F. Verduin *Chirurgus Amſtelædamenſis*, *qui* Diſſertatione *peculiari* novam Artuum decurtandorum Methodum, *à ſe primùm inventam, & experimentis confirmatam* anno 1696. *publici juris fecit. Methodi ratio in eo conſiſtit, ut Brachiorum & Crurum Amputationes ſic inſtituantur, ut cùm Caro amputandi Membri circumciditur, Cultro falcato ſanæ ejuſdem Carnis portio ſic abſcindatur, ut, Oſſe Serrâ decurtato, ipſa pendula remaneat: mox ſervata hæc Carnis portio, Vulnere priùs abſterſo, dicto citiùs antrorſum eſt reflectenda, ac mutilatæ parti coaptanda: hinc Plagulis, Linteis, Laminis, Cingulis, atque, ut ſectum Os cooperiatur, aliis ad hoc opus paratis machinamentis Membrum eſt deligandum. Hâc Chirurgiâ dextrè adhibitâ non ſolùm incoërcibiles* Hæmorrhagiæ, *& lethales* Gangrænæ (*gemini antiquorum Chirurgorum in triviali Membrorum decurtatione inevitabiles ſcopuli*) *longè exulant; verùm Naturæ opus in partibus agglutinandis feliciſſimè Artis ope promovetur. Vulneris enim labia adhuc Sanguine madentia ſi ſibi invicem adhæreant, facili negotio uniuntur, non ſecus ac vulgò in Labiorum Leporinorum curatione accidere videmus. Hâc igitur Methodo ſi decurtentur Artus, factâ ſanarum Carnium coaptatione, Vaſa Sanguifera hiantia exactè occluduntur, vel fortaſsè ſic ſibi ipſis adhærent, ut Sanguinis per ea circulus peragi poſſit. Præterea Os reſectum Carnis portione reflexâ omninò coopertum remanet, ut nulla ipſi ex ambientis Aëris actione accedere poſſit læſio, vel medulla ex eo effluere, ut iis non ſine maximo incommodo & periculo accidit, quibus vulgari Methodo amputata ſunt Membra. Denique, qui Operationem expoſitâ ratione ſubierunt, citiſſimè & feliciſſimè reſtituuntur, Genu facilè flectere poſſunt, atque ipsâ truncatâ parte inniti, imò ei inſiſtere maximo commodo queunt.* * Hæc amputandorum membrorum methodus ſua etiam habet incommoda, ac in ſpecie non ſemel vidimus extremitatem tibiæ vel cruris, unde pars extirpanda fuerat reſecta, & quæ tibiæ artificiali innitebatur, admodum dolorificè excoriatam, quod in genua incumbentibus non ita advenit. Suaderemus itaque hanc decurtandorum membrorum methodum, potius in membris ſuperioribus, ſcilicet brachiis, quàm in inferioribus, ſcilicet cruribus.

# APPENDIX.

## PRAXIS EXTRAORDINARIA.

MEdicina *Practica vulgaris eſt adhuc manca* in quamplurimis, & mutila, id eſt defectuoſa. *Cauſa* verò, propter quam Medicina, in ſpecie Practica, eſt manca, *duplex* eſt.

I. In Theoria, *Defectus* nempe *Experimentorum* in Macro, & Microcoſmo, ſuper quæ Theoria Medica ſolet fundari. Sed quia adhuc multa Experimenta deficiunt, fit, ut etiam in Theoriâ multi ſint defectus, qui ſe exerunt quotidie in Praxi. Et hinc tam ſtudiosè excolitur *Chymia* & *Anatomia*, nempe ex his duobus *Pathologia*, ſeu Morborum Diagnoſis & ſiendi ratio petenda eſt.

II. Cauſa eſt *Defectus genuinorum*, & *hinc generoſiorum Remediorum*, tam Univerſalium, quàm Particularium, ſeu Specificorum, id eſt, defectus Remediorum, quæ in ſe efficacia ſint, ut ſine inſigni Stomachi moleſtiâ vim ſuam exercere, & Morbos ſtatim tollere poſſint. Hinc qui ſupra Ordinariam Praxin excellunt, hoc præſtant vel ope ſolidioris Theoriæ, & Obſervationum circa Ægros, vel ope generoſiorum Remediorum, quibus etiam altiora præſtiterunt ſublimiores Chymici Valentinus, Paracelſus, Poterius, & ſimiles.

Res ut pateat, notum eſt, quòd in Praxi vulgari ratione defectûs Theoriæ, ſæpius evenit (1.) ut vix circa *Radicem Morborum* verſetur Medicus, ſed ſaltim circa *Producta*. (2.) Quod non rarò *Anus* aut *Empiricus* meliùs interdum curet, quàm etiam ſtudioſus Medicus. Propterea fit, ut tam fœdè Affectus incurabiles habeantur, non tam propter Morbum incurabilem, quàm propter generoſiorum Remediorum defectum.

In Praxi vulgari propter Theoriam mancam ſæpiùs vix circa *Radicem Morborum* verſantur Medici, ſed ut plurimùm vel circa *Cauſam Occaſionalem*, vel *Productum morboſum*; unde etiam à poſteriori, rariùs à priori, ſolent curari Ægri: v. g. Spina digito infixa, vel vitiatum Fermentum Spinæ inſtar Partes lædens; iſta Spina dat Tumorem, Inflammationem, Abſceſſum, &c. ſicuti vitiata Fermenta interna Affectus chronicos & acutos inferunt. Si verò in iſto Caſu externo Spina evellitur, fit ut omnia evaneſcant Symptomata: Si verò relicta Spina ſaltem Anodynis Dolor ſiſtitur, ſi diſcutitur Tumor, aut ad Abſceſſum perducitur, adjuvatur quidem Naturæ motus, ſed ſaltem à poſteriori Producta morboſa curand.

Par ratio eſt in *Morbis Internis*, v. g. in *Malignis*, ubi Fermentum exteriùs hauſtum Maſſam Sanguineam inquinat, infert varia Symptomata; quo remoto, tollitur Febris; ſi non à poſteriori per Sudorem & ſimilia curantur Ægri. Sic Contagium *Luis Venereæ* leve eſt, quo deſtructo, omnia curantur, ſi non fiant, mediante Diæta Sudorifera, tædioſâ Salivatione Mercuriali, inquinamentum iſtud à poſteriori ſaltem evocatur. Si talis Spina eſt v. g. iſtud Acre tantillum, quod alterat, Nervos vellicat, & totum Corpus in *Convulſiones* excitat: ſi tollitur, Morbus ceſſat; ſi non, per Opiata & ſimilia à poſteriori occurrendum. Sic v.g. tantillum Effluvium acrius, Nares vellicans, ſtatim *Sternutationem* efficit: Curatur Sternutatio à poſteriori per Opium; per Sudorifera à priori temperando Acre, quod Nares vellicat. Sic tantillum Acidum eſt, quod inſtar Spinæ radici *Dentis* infixum eſt, *Dolorem* gravem inferens: ſi evellitur, omnis Dolor, Hemicrania, Tumor, Palpitationis ſenſus, &c. evaneſcunt; à poſteriori verò per Externa ſi quis ſiſtere velit, ſaltem à poſteriori Symptomata curabit, Radice intactâ relictâ. Exilis ſæpè eſt *Calculus*, qui univerſum Corpus interdum cruciat: ſi diffringitur & expellitur, omne Malum ſublatum eſt; ſi non, à poſteriori Anodynis, Balneis, Linimentis, Opiatis, Diureticis, & ſimilibus, ſuccurrimus quidem Ægris, Radicem verò Morbi non attingimus. Medicus tamen qui attendit Radicem Morbi, ritè ſe operari exiſtimat; alius verò generoſiorum Remediorum defectum admodùm deplorat: vid. Poterius.

Qui ergò ultra Praxin vulgarem excellere cupiunt, duplici hoc conſequuntur medio, vel mediantibus Remediis, vel mediante Modo extraordinario medendi. Illud ii, qui vel appropriato *Specifico*, vel *Univerſalibus* inſtructi ſunt; poſterius ii, qui *magneticè* aut *tranſplantatoriè* Morbos quoſdam chronicos curare ſatagunt.

I. Quoad *prius*: qui *Appropriato Specifico Particulari vel Univerſali* inſtructi ſunt, uti citiùs curant Ægros, ita quamplurimis Remediis commodè ſuperſedere poſſunt. Sic qui inſtructus eſt Appropriato Remedio, ſuperſedere poteſt omni Venæ ſectione, Scarificatione, Fonticulis, Hirudinibus, & ſimilibus, quia ſcit per Remedium Appropriatum Radicem Morbi curare: ſi verò ſubitò evenit Plethora apparens ex Sanguinis Orgaſmo, & Appropriato Remedio mox ſedat Efferveſcentiam, hinc non opus erit *Venæ ſectione*. Qui inſtructus Appropriato Particulari, vel generoſo Univerſali, non opus habet *Purgantibus*, Malignis nempe & Venenatis Remediis; quin, quidquid heterogenei forſan in Corpore collectum fuerit, per Appropriatum Remedium à ſecundante Naturâ ſponte eliminatur, vel per Urinam, vel per Sudorem; unde etiam nobilia Remedia inſenſibiliter operantur.

Sola ergò blanda *Vomitoria* requiruntur in tali Caſu: nempe Medicus inſtructus generoſis Remediis ſaltem peccantia in primis viis evacuat: vel opus erit interdum leniſſimo *Abſtergente* primas vias.

Ut *reformetur* ergò & *exaltetur Praxis*, ad hæc *duo* reſpiciat Medicus; nempe

1. Theoriam magis exaltet, & promoveat per *Experientiam*, & *Obſervationes*.
2. Remedio, vel *Appropriato Particulari*, vel generoſo *Univerſali*, ſedulò incumbat.

Prius non eſt unius Hominis, nec Sæculi; ob id quilibet induſtriam adhibeat, ut communicatis pluribus Obſervationibus Theoriam exaltet; poſterius poteſt acquiri ab Artifice ſedulo, qui generoſis Remediis incumbit.

Hæc Remedia ſunt vel *Particularia*, vel *Univerſalia*. *Particularia* dicuntur *Specifica*, & quæ præcisè hunc vel iſtum Morbum, levibus quibuſdam præmiſſis, ſolent curare: *Univerſalia* ſunt, quæ quemcumque Morbum tollere valent. His poſterioribus inſiſtendum eſt in ſpecie, quia Specifica ſubinde à naturâ Ægrorum ſolent alterari. Multis exoſum, paucis cognitum eſt nomen *Remedii Univerſalis*. Poſſe tamen dari, ut illuſtrem ex Praxi vulgari, conſideremus ſaltem *Opium*, quæcumque Symptomata ex Spirituum impetu

ſiſtens,

ſiſtens, ſed ſaltem palliativè, & quia cum Opio eſt adjuncta quædam Virulentia narcotica: Sic de *Abſinthio* res nota eſt in Febribus Intermittentibus, Cachexiis, Hydrope, &c. *Sal volatile Urinæ*, ſeu *Spiritus Salis Ammoniaci* in quamplurimis Affectibus eſt optimus: De *Marte* res nota eſt, quòd in Chronicis Morbis ſit artifex; à Marte enim omnes Acidulæ efficaciam habent, quæ in Chronicis Morbis curant eos, quos Medici ad Acidulas ablegant: Notum eſt de *Thermis*, quòd varios Morbos curent. Si autem ritè evolveretur natura Acidularum, forſan haberi poſſet tale Remedium efficax. Par ratio hîc eſt atque cum *Remedio Drebelliano*, quo vim vitalem in Aëre ita concentrat, ut Homines quoſdam ſub Aquâ ſuffocatos curaverit; nec deeſt Experientia: Vid. Poterius, qui multum præſtitit ſuo *Specifico Stomachico*: *Aurum* ejus *Diaphoreticum* in Affectibus Nervorum & ſimilibus fuit polychreſtum. De Rulando notum eſt, quantum præſtiterit beneficio *Aquæ Terræ ſanctæ, Olei Heraclini, Balſamini*, & ſimilium. Quæ habet Baſilius Valentinus de ſolo *Antimonio*, notum eſt. Veriſſimus Scriptor eſt Baſilius; quod poteſt comprobari, modò conſideretur Kerckringius *in Comm. in Currum Triumphalem Baſilii Valentini.*

Quæritur ergò: *an verum ſit, quòd dari poſſit Panacea*: Affirmo. Nempe Remedium Univerſale datur, modò huc non trahantur vitia, quæ nec ab ipsâ Naturâ ſunt corrigibilia, verb. gr. Conformationis defectus, &c.

*Quales* verò *ſunt hæ Panaceæ*? Remedia ſunt Univerſalia, ea, quæ ſunt valida & generoſa, reſtaurantia vires Naturæ, id eſt, quæ Vitæ radicem conſervant, & eam labefactatam reſtituunt. Nempe omnes Morbi Vitæ inſidiantur; unde Remedia Vitam & ejus radicis vim conſervantia, conſequenter quoſvis Morbos curabunt.

Res ut pateat, notum eſt, *Vitæ radicem conſiſtere in Sanguine ejuſque debitâ Craſi.* Craſis hæc variat, vel eſſentialiter vel accidentaliter: *Eſſentialiter* ratione Principii ſeminalis, unde Vita in radice vel Longa vel Brevis erit, & diſpoſitivè vel Sana vel Ægra: *Accidentaliter* variat ratione Rerum externarum & Digeſtionis primæ, ratione ſex Rerum Non-naturalium plùs minùs labefactatæ. *Seminalis vis* vitalis conſiſtit in ejuſdem Principio Sulphureo, quod eſt *Humidum Radicale* ſeu *Acidum pingue*, quod coagulat & ſpecificat Acidum in determinatum Corpus. Quicquid ergò hoc Sulphur ſartum tectumque conſervare valet, potens erit totam Naturam conſervare & reſtaurare.

Mediatè ſeu indirectè hoc fit ratione *Digeſtionis primæ*, ceu fundamenti totius Oeconomiæ vitalis *Remedium tale vix ſperandum eſt ex Regno Vegetabili*: Nam hujus Simplicia, ſi non ſunt venenata aut maligna, ſunt alimentitia, & à Stomacho noſtro ſubigi ſolent; *nec ex Regno Animali*, cùm nobis maximè ſint cognata, vel ſi quæ ſint, ſunt ſaltem Particularia. *Ergò ex Regno Minerali* inveſtigandum erit. Hinc imprimis in *Sole*, hinc *Antimonio*, cujus Sulphur ex parte naturæ eſt Solaris; hinc ex *Venere* & Vitriolo Veneris, cujus Sulphur in viâ eſt ad naturam Solarem, quærunt talia Remedia; & juxta hæc tandem in *Marte*, ejuſque genuino Sulphure. Hinc tantum tribuitur Tincturæ Antimonii genuinæ, Vitriolo Veneris, & ejus Igni ſeu Oleo, ſive Sulphuri ex Helmontio: *Tinctura Lilii Paracelſi* nota eſt; *Mercurius Diaphoreticus Paracelſi* ſeu *Helmontii* eſt Mercurius fixatus à Sulphure Veneris, propterea etiam, quia fixior eſt, & Sulphute Auri tinctus, vocatur ab Helmontio *Aurum Horizontale, Cinnabaris Antimonii* Particulare eſt Remedium, ſed quod multum habet in receſſu in Febribus Malignis & Nervorum Affectibus: *Sulphur ex Scoriis Antimonii* ſingulari modo præcipitatum, in Epilepſiâ & Morbis Infantum eſt mirabile, partim Vomitus, partim Sudorem excitans.

II. *Alterum*, in quo Praxis ſolet variari, eſt *Cura Sympathetica & Tranſplantatoria.*

Circa has *tria* ſunt conſideranda:

1. Quid per hæc *nomina* ſit intelligendum?
2. *An dentur?*
3. Quodnam ſit harum Curarum *fundamentum*?

*Cura Sympathetica* ita dicitur, quia fit quaſi *per Conſenſum*, ut in diſtans curetur Morbus à Remedio abſente, ut tamen fiat certo quodam Conſenſu, quem Remedium fovet cum Corpore ægro aut Parte ægrâ. *Tranſplantatoria* vocatur, quando Morbus transfertur in aliud Subjectum vivum, vel Vegetabile, vel Animale.

Hæ Curæ fiunt *Medio intercedente tertio*, mediante quo à Corpore ægro ſeparato in diſtans fiunt, & iſtud Medium vocatur *Magnes*. Dicuntur aliàs *Curæ Magneticæ*, quaſi Magnes ex Corpore ægro Morbum eliciat, vel quòd alteratus ſimiliter alteret ipſum Morbum. Equidem multa proſtant Exempla hujuſmodi Curationum, quæ tamen non omnia ſunt bonæ fidei.

Quod *Curam Sympatheticam* in ſpecie attinet; res nota eſt de *Pulvere Sympathetico*, ex Vitriolo Veneris per calcinationem Solis, Sole in Leone verſante. Uſus ejus notus eſt pro Curâ Hæmorrhagiarum externarum, ſive formâ ſiccâ vel humidâ, ſi diſſoluto in Aquâ ſimplici immergatur Linteum cruentum, & applicetur. In Internis Affectibus ſubinde utiliter uſurpatur, ſpeciatim Hæmoptyſi, Mictu cruento, &c. Sic D. Michaelis retulit, ſe aliquando gravem Mictum cruentum cum Exulceratione Veſicæ curaſſe, Ægro Excrementa in dictum Pulverem excernente: Cnœffelius excretis Fæcibus Dyſentericorum ſuper Caput mortuum Vitrioli, Dyſenterias curavit. Notus etiam Naſus reſtitutus ex Taliacotio. Multum etiam facit Obſervatio Bartholini *Cent. 5. Obſ. 41.* qui obſervavit in quodam Viro, cui Cutis Capitis cum Capillis fuit deciſa, unde Cutim iſtam aſſervavit in Scrinio, ubi eodem modo atque Pili in Capite ejus in Colore mutati fuerint, ita etiam iſti Pili in Cute deciſâ reſtantes etiam mutati fuerint. Facit huc Exemplum de Viro Picâ laborante, quoties Uxor fuit gravida, quod vitium etiam fuit in Filium translatum. Quidam Equis contuſis vel compreſſis *Perſicariam* recentem in Aquâ frigidâ maceratam imponunt, donec intepuerit, quo facto ſepeliunt in locum, ubi poteſt facilè putreſcere. Idem effectus eſt in Hominibus graviter contuſis: vid. Meyſſonerius *de Pulvere Sympathetico*, annexus eſt *Scripto* Digby *de Immortalitate Animæ*, ubi refert, ſe vidiſſe Puellam, graviter contuſam ex Caſu ab alto, admotione Perſicariæ curatam: Unde etiam ad Odontalgiam, & Curam Vulnerum & Ulcerum fuit traducta, ubi uſus ejus repetendus eſt. De *Unguento Magnetico* ſimplici, & *Armario* res nota eſt. Mulieres lactantes Lacte abundantes non melius Remedium habent, quàm ut emulgeant ſuum Lac, vel in Prunas candentes, vel Laminam ferream candefactam. Sic res nota eſt de *Verrucis*, quòd curentur per affricationem Lardi recentis, quo putrefacto Verrucæ evaneſcunt: Vir hujus rei teſtis eſt Franciſcus Baco *de* Verulamio *in Sylv. Sylvar. Centur.* 10. *Hiſt.* 997. Videatur etiam Helmontius *Tract. Magnū Oportet.* Pertinet huc *Manus Cadaveris lento Morbo interempti*, quæ attactu curat Excreſcentias; quod Helmontius quidem refert ſine Exemplo: Sic

quædam

quædam Puella in majori Oculi cantho habuit Excreſcentiam fragiformem, quæ Pueri mortui manum mortuam applicavit huic Excreſcentiæ, & inde curata, quamprimùm Infans mortuus putreſceret. Hoc etiam teſtatur D. Boyle *in Philoſophiâ Experimentali*, ubi refert, obſervâſſe ſe tale Exemplum, quòd mediante tali contactu Excreſcentiæ fuerint curatæ. Facit huc Exemplum in hac Civitate, ubi quædam Mulier, laborans Doloribus chronicis Crurum, poſt varia Remedia fruſtrà uſurpata, tandem ſenſim levamen habuit per Curam Sympatheticam: nempe Empiricus quidam in Urinâ ejuſdem decoxit Ovum ad duritiem, quod in minutiſſima fruſta diſcidit, & denuò in ejus Urinâ de novo blandè ebullivit, & ſepelivit in acervum Formicarum: Sic *Atrophiam* curavit Hartmannus *in Praxi Chymiatr.* per Ovum in Urinâ Ægricoctum, & in acervum Formicarum ſepultum: Sic Medicus quidam Anglus ſeipſum ex Atrophiâ curavit, teſte Boyleo.

*Tranſplantatoriæ Curæ* fiunt, quando tranſplantantur Morbi in aliud quoddam Subjectum vivum, ut tranſplantati in Animalia ſint magis præſentaneæ Curæ quàm in Vegetabilia. Et quidam tranſplantantur ſolùm in ſpecie Morbi Chronici, & qui firmas radices egerunt in Corpore Ægri.

Ad hujuſmodi Curationes pertinet, quando vel per immediatum contactum Ægri cum Corpore Animalis, vel mediante alio, curatur. *Immediatè* fit v. gr. quod refert Riverius, ſe vidiſſe bis curatam Paronychiam immiſſo Digito in Aurem Felis, Morbo in Felem tranſplantato: vid. Riverius *Cent. 4. Obſ.* 19. & 63. De Catellis podagricos & colicos Dolores mitigantibus, & eos Dolores, ſanatis Ægris, ſibi contrahentibus, vid. Bartholinus *Cent. 3. Hiſt.* 66. *Centur.* 6. *Hiſt.* 53. *Icterum* à ſe refert Petrus à Caſtro *in* MS. curatum, dum ex Urinâ Ægri cum Farinâ Placentas fecit, & blandè exſiccatas obtulit Feli vel Cani eſurienti, Ictero ſublato: Similem Hiſtoriam refert Boyle *citat. loc.* Sic Podagra curatur per Tranſplantationem, nimirum quando Ungues & Capilli in Salicem vel Radicem Juglandis fodiuntur: vid. Timæus *von Guldenklee*, *in lib. 5. Epiſtol.* 7. & 8. Sic Podagra quandoque curata eſt in Hortulano Electoriſſæ Saxoniæ, qui accepit Caſeos & Butyrum, recentia nondum ſalita, & applicavit Pedibus dolentibus, à quibus ſenſim levamen percepit; Caſeos abjecit, quos comedit Canis, qui brevi poſt eodem laboravit. Idem Laurentius præſtitit Sanguine Ægri in Radicem Juglandis immiſſo. Sic Odontalgia tranſplantari poteſt in Sambucum vel Corylum, nempe Ramus inſignis tranſverſim diſcindatur, & colligatur ex eo Feſtuca, qua fricandæ & nonnihil lædendæ ſunt Gingivæ, ut Sanguis ſtillet; illa Feſtuca immitti ſolet in locum Coryli, ex quo fuit deſumpta, & loco iterum ligato, ut poſſit concreſcere Feſtuca cum reliquo trunco, curatur. Sic certum eſt de quodam qui laboravit Febre Intermittente ſupra ſex ſeptimanas, qui accepit Carnis ſuillæ libram unam & maceravit in Urinâ propriâ, aliquot horas ante Paroxyſmos emiſsâ, coxit, & projecit Cani eſurienti, fecit hoc ter, unde Febris evanuit. Biennii ſpatio nova ingruit Febris, quæ Remedio hoc iterato iterum curata eſt.

*Quoad ſcrutinium Cauſarum*, variant Sententiæ. Quidam eaſdem ceu veras conſiderant, & nunc admirantur, nunc ſcrutantur. Alii eaſdem rejiciunt, & ubi Experimentis ſunt convicti, ad *Dæmonis* opem confugiunt. Alii verò, qui Rationibus has Curas volunt impugnare, ut Helmontius, in hoc peccant, quòd ad Tribunal ſuæ Rationis hujuſmodi Curas examinent, & ex præconceptâ Hypotheſi eaſdem malè rejiciant; multa enim latent in Naturâ recondita, quæ non ſcimus, & multa, quæ ſcimus, ſed quorum Cauſæ latent.

Potiùs ergò cùm ſint Curæ hæ confirmatæ, earum Scrutinium ſagaciùs inſtituendum eſt. Quod autem hujuſmodi Curationes reddantur ſuſpectæ eſt hoc, *quòd ſint raræ*, & *quòd non ſemper ſuccedant*. Quoad prius, pauci eas ſciunt adminiſtrare, & à plurimis rejiciuntur: quoad poſterius, hujuſmodi Curationibus commune cum quibuſdam, etiam optimis, Remediis Particularibus eſt, quæ non in omnibus ſuccedunt, propter Idioſyncraſiæ diverſitatem. Ratio, quòd non ſemper ſuccedant, inter alias primaria eſt hæc, quòd ſubinde lateant adhuc quædam Circumſtantiæ; vel ratione Temporis, vel Modi, vel aliarum Circumſtantiarum, modò crebrò inſtituerentur, ut collatis pluribus Experimentis redderentur certiores, forſan magis certæ forent. Obſervetur autem, quòd fundamentum Curationum Sympatheticarum & Tranſplantatoriarum ferè in eo conſiſtat, quòd omnia Corporis Humani Excreta ſemper participent aliquid vitale ſeu de Spiritu Vitali, nunc Inſito, nunc Influo, ratione cujus, quamdiu perſtat iſta Spirituum Vitalium portio, tamdiu habent commercium iſta Excrementa cum ipſo Corpore; unde prout citiùs vel tardiùs evaneſcit, aut corrumpitur iſte Spiritus Vitalis, eò diutiùs & tardiùs ſolet durare iſte conſenſus Excreti cum integro Corpore.

Jam verò, ut diutiùs conſerventur iſtæ portiones Spirituum Vitalium, neceſſe eſt habeatur *Medium conſervans*, quod vocatur *Magnes*.

*Magnetes* hi ſunt in *quadruplici Differentiâ*; nempe inſerviunt

I. *Excreta Alvi*, de quorum præparatione ex Paracelſo videri poteſt Tenzelius *in Medicinâ Diaſtaticâ*.

II. Eſt *Caro humana ſiccata*, quæ regioni Cordis applicanda venit, ut acquirat vim magneticam: imprimis convenit Caro ex Corpore violenter interempto aſſumpta.

III. Eſt ipſe *Sanguis* ex Homine ſano deſumptus; qui grumefactus poteſt ita præparari, ut decantetur Serum ſupernatans; Grumus verò in umbrâ exſiccatus Sero decantato humectatur tamdiu, donec Serum imbibitum.

IV. Si ſumatur *Urina*, *Sudor*, *ſive Excreta Alvi*, eaque omnia præparata miſceantur & uſurpentur.

De his optimè ſcripſit Samuel Boulton, *Anglus* natione. Hæc Spiritûs Vitalis portio in hoc caſu vocatur *Mumia Vitalis*, ſive *Mumia Spiritualis Microcoſmi*.

Iſta ergò *Mumia* eſt medium, mediante quo peragitur hujuſmodi Cura Magnetica, ut quamdiu hæc Mumia à toto ſeparata conſervatur in ſuo vigore, & alteratur eo modo, quo extra Corpus alteratur, etiam totum Spirituum ſyſtema in Corpore alterari ſolet, & effectus vel ad Sanitatem, vel alios, exercere ſolet.

Unicum ſubeſt Dubium: *qua ratione* nempe *fiat in diſtans Actio & Reactio*; ſeu quo medio communicetur Mumia Vitalis extra Corpus alterata cum Mumiâ Vitali in Corpore reſiduo? quod etiam in medio relinquitur.

Tamen qui curioſi ſunt, poſſunt videre imprimis *Theatrum Sympatheticum*. Conferatur cum his Joannes Marcus Marci *in Philoſophiâ Veterum reſtitutâ*, & Meyſonnerius.

FINIS TOMI TERTII.



# Cantilena Pascalis